ACTA SANCTORVM ORDINIS S. BENEDICTI

SÆCVLVM SECVNDVM

QUOD EST A CHRISTO NATO SEPTIMVM.

H

1-3

ACTA
SANCTORVM
ORDINIS
S. BENEDICTI
IN SÆCVLORVM CLASSES DISTRIBVTA.
SÆCVLVM II.
QUOD EST AB ANNO CHRISTI DC. AD DCC.

Collegit Domnus LUCAS d'ACHERY, Congregationis S. Mauri Monachus,
ac cum eo edidit D. JOHANNES MABILLON, ejusdem Congregationis,
Qui & universum Opus Notis, Observationibus,
Indicibúsque necessariis illustravit.



LUTETIÆ PARISIORUM,
Apud CAROLUM SAVREUX, Bibliopolam Juratum, ad Turrim Metropolis
Ecclesiæ, sub signo trium Virtutum.

CIↃ. IↃC. LXIX.
CVM PRIVILEGIO REGIS ET SVPERIORVM LICENTIA.

1669.

AD PIOS ERVDITOSQVE LECTORES

PRÆFATIO.

1. DEcursis primi Sæculi Benedictini ſalebris, accedimus haud inviti ad ſecundum, in quo paullò jucundior apparet rerum facies, & piorum Monachorum turba numeroſior. Aureum verè Sæculum! dum præjacta gratiæ virtutúmque ſemina, quæ in ſeipſo divinitùs recondita habuit *Vir omnium Iuſtorum ſpiritu plenus*, calamitoſis temporibus eruperunt in flores, ac demum orbi Chriſtiano fructus uberrimos protulerunt. Mortuo S.P. BENEDICTO, Caſſinenſi Monaſterio ſúſque déque verſo, cùm ſacri inſtituti propagandi pæne emortua videretur ſpes omnis, res econtrario immensùm crevit: & ſeu Chriſtianis detrimentis ſuccurrente, ſeu futuris malis providente Numine, ex ſacris tum Benedicti, tum Caſſini cineribus agminum ſanctorum numeroſa conſurrexit ſoboles, per partes Europæ præcipuas diffundenda. Poſtquam enim Gregorius Magnus S. Benedicti vitam & Regulam voce ac calamo ſuo celebravit, poſtquam Bonifacius Papa IV. eamdem Regulam in Synodo Romana commendavit; eam ambabus (quod aiunt) ulnis excepêre Monachi, ſive qui ab anterioribus Patribus inſtitutiones ſuas hauſerant, ſive qui nova Monaſteria conſtruere volebant. Et, quod fieri ſolet in principio cujuſlibet diſciplinæ, Benedictinis aſſeclis pia æmulatione flagrantibus, tot & tanta ſacri Ordinis lumina mundo illuxerunt, ut non alia umquam ætas piorum Monachorum fecundior fuerit, numquam felicius viderit ſæculum Benedictina Religio. Quod quidem magno Dei præpotentis beneficio accidit: ut cùm ſcientiâ & doctrinâ deficientibus invaleſceret ignorantia, Eccleſia errorum & hæreſeôn procellis afflicta turbaretur; præſtò adeſſet morum ſanctitas, quæ fide & zelo armata periclitanti Eccleſiæ opem ferret. Neque enim homines ſolùm ſapientes & doctos, *ſalem terræ & lucem mundi* prædicavit Veritas Chriſtus; ſed etiam ſanctos viros, qui & corruptis moribus ſalem

integritatis, & occæcatis mentibus juſtitiæ lumen opponunt.

2. Infame tum erat in Oriente nomen Muhammedis Pſeudoprophetæ natione Saraceni, qui ex Judæorum, Arianorum, & Neſtorianorum dogmatibus propriiſque commentis novam ſectam conflavit; ac popularibus ſuis Arabiæ Felicis incolis per ſe primùm, deinde toti ferme Orienti per ſuos impiæ ſuperſtitionis dominationiſque jugum impoſuit. Id Heraclij Auguſti principatu infeliciter cœptum, quum Chlotharius II. Francicum Regnum adminiſtrabat. Paullo pòſt, id eſt Dagoberto Chlotharij filio regnante, etiam Orientis Eccleſias infecit Monotheletarum hæreſis, Cyro Alexandrino Patriarcha incentore: cui Heraclius Imperator, ejúſque nepos Conſtans, alijs Conſtantinus dictus, edictis & auctoritate plurimùm faverunt. Ex Regia urbe per Sergium, Pyrrhum, & Paulum Conſtantinopolitanos Patriarchas malum in alias Eccleſias permanavit: nec peperciſſet Occidenti, niſi Theodori, Martini, aliórumque Pontificum Romanorum vigilantia piorum hominum conſilijs & ope adjuta obſtitiſſet. Neque tamen Occidentales ſeu Aquilonares plagæ ab ſuo quoque contagio immunes erant. Gallia Paganos aliquot in locis, Corturiacenſes, Tornacenſes, Gandavenſes & finitimos populos ſuſtinebat. Britannia inſula permiſtos habebat idololatras, Scottos ſeu Hibernos à Romanis ritibus de Paſchate déque Tonſura diſſentientes patiebatur. Germania majori ſui ex parte in Gentiliſmi tenebris deliteſcebat. Gallia per Audomarum & Amandum; Britannia per Auguſtinum, Wilfridum, & Cuthbertum, aliósque viros ſanctiſſimos reſipuit: Germania Kiliano, Winfrido, Rudperto aliiſque ductoribus, Evangelij lucem reſpicere cœpit, Bonifacium ſæculo inſequenti Apoſtolum habitura. Columbanus in Gallia Monaſticum ſtatum extulit; Euſtaſius, Agilus, Amandus, Audomarus, Remaclus, Wandregiſilus, Filibertus mirificè propagârunt. Auguſtinus, Wilfridus, Cuthbertus, Benedictus Biſcopus Britanniam; Fructuoſus, Hildefonſus Hiſpaniam ſanctorum Monachorum agminibus implevêre. Et quidem hic fere erat per ſeptimum ſæculum Chriſtianæ ac Monaſticæ Reipublicæ ſtatus.

3. Ut verò præſtituto à nobis ſuperiori Præfatione ordini ac diſpoſitioni inſiſtamus, quædam argumenta hîc fundamenti loco tractanda ſunt, quæ ſubſequentibus Actis non parum lucis adlatura videntur. Primum erit de S. Columbani Regula & Inſtitutis, an à S. Benedicti Regula diverſa ſint, an cum illa aliquando coïerint? II. de Monaſtici ſtatûs antiquitate in Belgio, ejuſdémque per S. Amandum propagatione. III. de Sanctimonialium & Canonicarum origine itidem in Belgio. IV. Obſervationes varias Eccleſiaſticas & Monaſticas complectetur. V. denique Obſervationes hiſtoricas & chronologicas. Quæ antequam latiùs explicare incipiam, juvat nonnulla diluere objecta, quæ adverſus conſilij ac propoſiti noſtri rationem Sæculo primo ſtabilitam opponuntur.

4. Conqueruntur ſiquidem è noſtris quidam de violato à nobis Sanctorum noſtrorum Canone, nimirum quòd ſanctos Monachos quamplures in extraneorum claſſem rejecerimus, minoribúſque typis ediderimus eorum Acta, quos in domeſticorum ac ſodalium numero Scriptores noſtri hactenus habuerant. Ex adverſo nonnulli alterius partis homines cauſantur, quòd hiſtoriam noſtram Actis Sanctorum ſubditiciorum oneremus. Quin eos continuò, ſi tales eos agnoſcimus, inſalutatos prætermittere libuit, ut germanis ac proprijs Sanctis integrum demus locum? Verùm quodcumque utrobique eſt incommodi, tantum abeſt ut inſtituti noſtri methodum ac rationes convellat aut attingat, quin potiùs illuſtrando conſilio noſtro confert plurimùm: quod paucis demonſtrare juvat.

5. Nihil convenientius aut accomodatius videtur potuiſſe inveniri ad utriuſque partis conciliationem, quàm ſi Sanctos dubios & extraneos, quos tamen nonnulli è noſtris proprios & germanos exiſtimârunt, retineremus quidem, ſed minoribus characteribus deſignaremus. Sic enim utrorumque votis fit ſatis, dum & noſtri habent eorum Acta quæ legant; alij verò diſtinctos habent quos eliminandos velint. Nec meliùs, opinor, vel alumni Benedictini qui Patris ac familiæ Benedictinæ legitima decora propugnare debet; vel hiſtorici ſinceri & veritatis amantis partes explere licebat. At rem propiùs intueamur.

6. Provocamur ad Martyrologij Benedictini edicta, quibus obviàm à nobis itum nonnulli queruntur. Nefas quippe exiſtimant violare Sanctorum noſtrorum Canonem, quem Majores noſtri ſanctum eſſe voluerunt. Verùm nec Canon iſte, qualiſcumque tandem eſt, tam ſacer videri debet, ut paullùm ab ipſo recedere piaculum ſit; nec forſitan ullo modo ab eo recеſſimus.

7. Qui viros Pios & Illuſtres Ordinis S. Benedicti in numerum primus redegit Trithemius, non ita explicavit aut complexus eſt omnia, quaſi aut nihil ab ipſo prætermiſſum, aut nihil commiſſum fuerit. Suam profectò laudem meretur eruditiſſimus vir. At quemadmodum qui novæ cujuſdam diſciplinæ rudimenta præſcribunt, non adſequuntur omnia, ſed in pleriſque deficiunt allúcinantúrve: ita & Trithemio accidit in eruderanda Benedictini Ordinis antiquitate; multa ſi quidem alijs explicanda, illuſtranda & ſupplenda reliquit. Certè Arnoldus Wion, primus Martyrologij Benedictini concinnator, quum uno poſt Trithemium ſæculo Sanctorum noſtrorum Faſtos ordinare tentavit, adeo obſcura invenit omnia, ut nihil incertius Sanctorum Monachorum rebus præclarè geſtis fuiſſe affirmet: quorum Vitæ, ætas videlicet, conditio, mors & cetera hujuſmodi ita in obſcuris latebant, ut etiam an Monachi umquam fuiſſent neſciretur. Excuſandus proinde Arnoldus, ſanè de Benedictina Republica benemeritus; excuſandus, inquam, ſi in aliquibus lapſus

eſt, ſive nobis Sanctos vindicando extraneos, ſive prætermittendo proprios. In his enim errare aliquando hominem per offuſas antiquitati tenebras ambulantem neceſſe fuit. Hinc Menardus noſter, qui libros duos Obſervationum in Wionis Martyrologium commentatus eſt, quoſdam Sanctos à Wione admiſſos ſecernit à noſtris, alios ab eodem prætermiſſos adjungit: quod etiam præſtiterat Antonius Yepezius in Annalibus Benedictinis. Quid enim attinet ementitos & ficticios Ordini Benedictino affingere honores, cùm ſuo ſatis ſupérque ſplendore illuſtretur? Næ illi ignavam & otioſam familiæ ſuæ expendunt operam, qui ejus decora immodicis efferunt elogijs: nec tantum perficere in ejus injuriam poſſent injuſti contemptores aut vituperatores, quantum laudatores nimij ac præcipites, qui dum laudibus ſine delectu ſtudent, & vera falſis immiſcent, etiam veritatem in diſcrimen adducunt: contingítque illis, ut nec vera dicentibus credatur. Unde mihi ſemper maximæ curæ fuit hunc ſcopulum vitare: & quamvis eruditione & ſcientia inferior, nulli tamen ſinceritate veríque ſtudio cedere umquam ſuſtinebo. Neminem calumniari aut traducere eſt animus: multa ignoraverunt Majores noſtri, quæ diſſimulare non poſſumus. Nimirum poſtquam noſtro ſæculo innumera antiquitatis monumenta eruta ſunt è tenebris, poſtquam tot clariſſimi & eruditiſſimi viri hiſtoricis rebus illuſtrandis inſudaverunt; tot fabularum debellata ſunt monſtra, adeò res obſcuræ in manifeſtam lucem venerunt, ut qui in antiquitatis rebus clariùs non videt, oculos claudere vel ſe ipſe excæcare dicendus ſit. Nihil igitur mirum, ſi nonnullos Monachos ſanctos, quos Wion in noſtrorum ordinem retulit, aliquando in dubiorum aut ſubditiciorum claſſem rejicimus: cùm eorum Acta aliáque permulta, quibus deſtitutus erat Wion, habeamus præ manibus: iíſque inſpectis facilius ſit de eorum inſtituto ac profeſſionis conditione judicare.

8. Illud etiam addam in excuſationem Wionis & aliorum, quòd etiamſi germanos Ordinis Benedictini Monachos ſanctos ab alienis facilè diſtinguere potuiſſent, non tamen continuò quoſcumque extraneos eliminare & abjicere debuerint. Sunt enim ex his pleríque ita Ordini noſtro affines & tanta neceſſitudine noſtris alligati, ſive quòd in Cœnobia ab ipſis condita noſtri proximè ſucceſſerunt, ſive quòd eorum diſcipuli in S. Benedicti caſtra commigrârunt, ut è re noſtra eſſe videatur, eorum memoriam in Tabulis noſtris conſervare, id exigente affinitatis & neceſſitudinis lege, quæ inter ipſos adſciticios & noſtros intercedit. Quemadmodum qui alterius generis feminam in familiæ ſuæ conſortium vocant, ejus ſtemma gentilicium & præclaras ſtirpis imagines propriæ familiæ adjungunt & immiſcent. Sic qui regionem aut provinciam aliquam in tabella depingunt, finitimarum regionum partes viciniores exprimere ſo-

lent. Uno verbo dicam: manca eſſet ac mutila Ordinis Benedicti-ni hiſtoria, ſi ejuſmodi Sanctorum memoriam & res præclarè geſtas prætermitteremus: id quod non ſolùm nobis ingrati animi vitio, ſed etiam rei noſtræ publicæ detrimento verteretur. Iſtud igitur in cauſa fuit, cur pluſculos Sanctos ab Inſtituto Benedictino alienos in primum Sæculum noſtrum admiſerimus: at veritatis amor fecit, ut eorum Acta minutioribus typis à domeſticis & propriis diſtinguere-mus. Eodem modo dubios & incertos exprimere viſum eſt: ut planè conſilium noſtrum non ſatis intelligant, qui quotquot Sanctorum Acta minoribus edita notis viderint, eos à nobis proſcriptos incunc-tanter vociferantur. Sanè in primo Sæculo nonnulli ſunt Sancti minu-tis donati litteris, quos non leves conjecturæ Ordini Benedictino vindicare poſſe videntur. Quo innumero SS. SEQUANUM, EBRULFUM, utrumque, MARTINUM Vertavenſem & THEODULFUM Remenſem, Abbates, uti & S. BASOLUM è ſecundo hocce Sæculo, reponimus: quos tamen quia huic rei confirmandæ non ſatis valida ſuppetunt ar-gumenta, in dubiorum claſſem conſultò ſepoſuimus. Hæc interim dicta velim ad conciliandos eorum animos, quibus labores noſtros quantuloſcumque præcipuè devoveri, approbari, & acceptos uti-léſque, ſi Deus ſîrit, eſſe ſemper in votis fuit. Nunc ad rerum ordi-nem ſe recipiat oratio.

1. *De S.* COLUMBANI *Regula & Inſtituto, an à S. P.* BENEDICTI *Inſtituto diverſum, an cum illo aliquando coïerit?*

9. NON ſine fundamento idoneiſque argumentis Scriptores noſ-tri Columbanum ejuſque diſcipulos in album Sodalium Be-nedictinorum retulerunt. Cùm enim animadverterent, S. Benedicti Regulam in Monaſteriis à B. Columbano inſtitutis ab omni Majo-rum viguiſſe memoria, nec ullum tempus aſſignari poſſe, quo in il-lis primùm recepta fuerit; in hanc demum conceſſere ſententiam, eamdem Regulam prædictis Cœnobiis ab origine impoſitam fuiſſe: unum proinde, non diverſum S. Benedicti ac S. Columbani cenſeri debere Inſtitutum. Neque recentiorum dumtaxat hac de re perſuaſio fuit, ſed ab antiquorum placitis profecta traditio. Huc teſtimonia quædam adducere juvat, quò Auctorum poſteriorum, qui Colum-banum Ordini Benedictino vindicant, opinionem confirmemus.

10. Primus occurrit S. Donatus ex Monacho Luxovienſi ac S. Columbani diſcipulo Antiſtes Veſontionenſis, qui ſæpiùs à Flavia matre aliiſque Juſſani Parthenonis Sanctimonialibus rogatus, *ut ex-ploratâ S.* CÆSARII *Arelatenſis Epiſcopi Regulâ, quæ ſpecialiùs Chriſti Virginibus dedicata eſt, unà cum beatiſſimorum* BENEDICTI *quoque &* COLUMBANI *Abbatum collectis in unum floſculis adinſtar enchiridion excer-peret*, id tandem perfecit, & tria ſupra quadraginta capitula ex Re-gula S. Benedicti adduxit. Quorſum, quæſo, Virgines Juſſanenſes

in vicinia Luxovienſium Monachorum conſiſtentes à Donato S. Columbani diſcipulo poſcunt aptari ſibi S. Benedicti Regulam, niſi quia à Monachis circùm poſitis obſervari hanc advertebant, eóſque cupiebant imitari? Certè quod ad S. Cæſarii Regulam attinet, eam hac ratione conſulendam exiſtimabant, quòd *ſpecialiùs Chriſti Virginibus dedicata eſt.* At inferebant & quidem rectè, *quòd Regula S. Benedicti ſibi minimè competeret, cùm eamdem viris potiùs, & nequaquam feminis edidiſſet* Benedictus. Ergo Monachorum æmulatione adductæ, SS. Benedicti & Columbani Regulas ſuis uſibus aptari poſtulaverunt. Idem egregiè confirmat Auctor libri de vita B. Salabergæ æqualis & gravis, de Waldeberto poſt Euſtaſium Columbani ſucceſſorem Abbate Luxovienſi ſcribens in hunc modum: *Hujus tempore per Galliarum provincias agmina Monachorum ac ſacrarum Puellarum examina non ſolùm per agros, villas, vicóſque, atque caſtella; verumetiam per eremi vaſtitatem ex Regula dumtaxat beatorum Patrum* BENEDICTI & COLUMBANI *pullulare cœperunt.* Accedit auctoritas ex Vita S. Præjecti ab Scriptore ejuſdem ſæculi petita. Quippe vir illuſtris Geneſius conſilio S. Præjecti *Monaſterium ſacrarum Virginum ſuburbano præfatæ civitatis, in loco cui Camelaria nomen inditum eſt, omni niſu atque conamine fabricare adorſus eſt ex Regula dumtaxat virorum ſanctorum, id eſt S.* BENEDICTI & *S.* CÆSARII *atque* COLUMBANI: quo loco ipſiſſimam S. Donati Epiſcopi lucubrationem ſeu compilationem intelligendam eſſe veriſimile eſt. Denique in hujus rei confirmationem adduci poteſt teſtimonium ex Actis S. Deſiderii Cadurcenſis Epiſc. petitum in hæc verba: *Nullum eo tempore in urbe Caturca propoſitum Monachi, neque habitus Religionis aut Regulæ Cœnobialis intraverat: Secta Columbani procul aberat; Inſtituta* S. BENEDICTI *longè diſtabant.* Deſiderii *autem tempore hæc ſecta Caturcæ intravit, & hujus ſub die hæc Religio adoleſcere cœpit.*

ad ann. 654.

ad ann. 674.

Tom. 2. Bibl. Labbe.

11. Si verò ab hujuſmodi teſtibus ad veterrima chartarum Inſtrumenta convertamus oculos, inveniemus primordiales Monaſteriorum Litteras huic ſententiæ oppidò ſuffragari. Bertefridus Ambianorum Epiſcopus Monaſterio Corbeïenſi conceſſit Privilegium immunitatis *anno* VII. *Chlotharii Regis*, in quo hæc verba: *Illud etiam addi placuit, ut ipſi Monachi ſub Regula S.* BENEDICTI *vel S.* COLUMBANI *converſari & vivere debeant*: quod etiam Patres Concilii Pariſiaci anno DCCC. XLVI. apertè confirmant. Drauſio Epiſcopus Sueſſionicus in Privilegio Parthenoni B. Mariæ *anno* XIV. *regni Chlotharii* dato præcipit, *ut infra Monaſterium Virgines caſtè Domino debeant militare ſecundum votum Deum timentium qui conſtruxerunt Regulam* S. BENEDICTI, *ad modum Luxovienſis Monaſterii quod S.* COLUMBANUS *tenuit.* Id paullo antè ſtatuerat Emmo Senonicus Antiſtes Litteris ſuis in gratiam Monaſterii S. Petri Vivi. *Et quia*, inquit, *vir venerabilis* ACHILENUS *Abba unà cum Fratribus ſecum conſiſtentibus de Mo-*

Sirmond. Tom. 1. Conc. Gall. p. 502.

naſterio S. Petri & Pauli, quod Domna Teodechildis Regina quondam ſuo opere conſtruxit, vel ipſa ibidem ſuum videtur habere ſepulcrum ſub opidum Senonis civitate, religioſæ ſuggeſtionis poſtulatis noſtrarum quippe aurium intima penetravit. Sancto igitur deſiderio ſuccenſi, ſub Regula B. BENEDICTI *& modo Luxovienſis Monaſterii devota mente & integra devotione deliberant conſiſtere*, &c. *Actum Mauſolaco curte Dominica anno* III. *Domini noſtri* CHLOTHARII *Regis.* Hujus Privilegii meminere Clarius in Chronico ad ann. 675. & Odoramnus apud Cheſnium. Quid referam Diploma Chlotharii Regis de Beſuenſi Monaſterio, ubi *Monachi ſub Regula B.* COLUMBANI *ſeu B.* BENEDICTI *adunati* fuiſſe dicuntur? Quid Teſtamentum Leodebodi Abbatis de Cœnobii Floriacenſis ædificatione? quid chartam Nivonis ſeu Nivardi Remorum Præſulis pro Monaſterio Altivillarenſi commemorem, in quibus Regula SS. Benedicti & Columbani itidem commendatur? Nec ſanè infitior, in nonnullis id genus Inſtrumentis veterrimis quædam reperiri errata, quæ & librariorum audacia & temporum longinquitas induxit. At tam varios támque diſſitos amanuenſes in id quaſi coïtione facta conſpirâſſe, ut Columbano Benedictum falsò adjungerent, vix profectò credibile eſt. Certè Frodoardus Canonicus Remenſis, in Hiſt. Rem. lib. 2. cap. 7. de Nivardo agens, *conſtruxit*, inquit, *Monaſterium quod dicitur Altumvillare petente Berchario Abbate, ubi cum Fratribus ſuis Monachis ſub Regula Patrum S.* BENEDICTI *& S.* COLUMBANI *vivere poſſet.* Porro Frodoardus ineunte ſæculo x. florere cœpit, quo tempore primaria ejuſdem Monaſterii Inſtrumenta videre potuit.

Tom. 2. Spicil. Acheriani. Tom. 1. Spicil.

12. Hæc aliáque id genus argumenta noſtros adduxerunt, ut Columbanum & ejus diſcipulos Benedictinis ſodalibus adnumerarent. Quod ſanè nequaquam temerè factum, nemo prudens non intelligit. Quamquam Ordericus Vitalis, Monachus Uticenſis, lib. 8. Hiſt. Eccleſ. Columbani quidem diſcipulos, non tamen Columbanum ipſum Benedictinis ſubjicit Inſtitutis, eoquòd Columbanum S. Benedicti æqualem fuiſſe, & S. Maurum Columbano mortuo in Galliam acceſſiſſe crediderit. Sic enim de S. Columbano ſermonem inſtituit. *Hic admirandæ ſanctitatis Pater Monachilem Regulam edidit, primúſque Gallis tradidit. Florentiſſimi de ſchola ejus Monachi prodierunt* EUSTASIUS *Luxovienſis*, AGILUS *Resbacenſis*, FARO *Meldenſis*, AUDOMARUS *Bononienſis*, FILIBERTUS *Gemeticenſis, aliique plures Epiſcopi & Abbates. Ipſi, reor, B. Maurum ejúſque ſocios & diſcipulos noverunt, & ab ipſis, ſicut ab aliis ſcripta doctorum, ædificationis causâ, ſancti normam ſuſcepere* BENEDICTI, *ita tamen ut non abhorrerent ſui ſtatuta Magiſtri, almi videlicet* COLUMBANI. *Ab ipſo ſiquidem modum Divinæ ſervitutis & ordinem didicerunt, & formam orationum pro cunctis ordinibus qui in Eccleſia Dei ſunt, nigredinem veſtium aliáſque obſervationes ſumpſerunt, quas pro religione & honeſtate ipſius*

tenuerunt, & ſequaces eorum uſque in hodiernum reverenter obſervare appetunt. Hoc teſtimonio nihil manifeſtius adduci poterat ad ſtabiliendam ſententiam noſtram, quâ S. Columbani Inſtitutum cum Benedictino coaluiſſe ab initio diximus, uti & inferiùs demonſtraturi ſumus.

13. Non placet hæc concordia Bollandi continuatoribus, qui utrumque Inſtitutum perpetuo divortio (ſi Deo placet) diſcretum fuiſſe contendunt, tum in Comment. prævio ad Vitam S. Attalæ Bobienſis, ubi aiunt, Attalam rexiſſe Bobienſe Monaſterium ſecundum » Regulam & inſtitutionem S. Columbani: id & poſteros diu obſervâſſe, » & Inſtitutum S. Columbani à Regula Benedictina ita differre, atque » hoc tempore inter ſe differunt conſtitutiones Mendicantium; tum in 21. Martii. §. 1. n. 2. Comment. prævio ad Vitam S. P. Benedicti, ubi Regulæ Benedictinæ propagationem à reſtauratione Caſſinenſi per Petronacem facta inceptam fuiſſe innuunt, & à S. Bonifacio Epiſcopo Maguntino tentatam in Concilio Liptinenſi. Verùm, inquiunt, frequentiores adhi„ bendæ fuerunt inculcationum machinæ, ut propria & hactenus ob„ ſervata Regula tolleretur, atque alia à S. Benedicto ſcripta aſſumere„ tur. Qua in re ſub Ludovico Pio Imp. anno DCCC. XVII. plurima in „ Concilio Abbatum Aquiſgrani collecto fuerunt peracta. S. Benedic„ tum Anianæ Abbatem huic negotio adhibitum, ob ídque Concor„ diam ſcripſiſſe Regularum, ut ad amplectendam Benedicti Regulam „ animi omnium magis benevoli redderentur, uti Henſchenius com2. Febr. num. 15. 20. Martii n. 13. mentatur in Vitam S. Benedicti Anianæ Abbatis, quod etiam in Comment. Vitæ S. Cuthberti repetit. Horum ergo ſententia eſt, per Benedictum Anianenſem Abbatem, curante potiſſimùm Ludovico Auguſto, cœpiſſe Benedictinæ Regulæ propagationem. Cui ſententiæ accedit Carolus Cointius in Annal. Tomo 3. paſſim, præcipuè anno 667. num. 20. Immo neque in Floriacenſi Monaſterio poſt S. Benedicti Reliquiarum Tranſlationem iſthuc factam admiſſa S. Benedicti placita exiſtimat ad ann. 675. n. 2. tum ad an. 667. n. 5. negat Monaſterio Fontanellenſi impoſitam fuiſſe Benedicti Regulam à S. Wandregiſilo, quòd is in Italico itinere nuſquam Caſſinum profectus eſſe dicatur. Quaſi aut Caſſinenſe Monaſterium eo tempore ſteterit, aut in Caſſinenſibus archivis S. Benedicti Regula ſub clave obſerata fuerit. Denique ad ann. 640. n. 36. ſubſcribit Ferdinando Ughello, affirmanti Regulam S. Benedicti in Cœnobio Bobienſi primùm audiri cœpiſſe poſterioribus ſæculis, hoc eſt Lucio II. ſummo Pontifice, medio ſæculo XII. Ægrè quidem adducor, ut hiſce de rebus concertationes ſuſcipiam: tum quia id genus cauſarum injucundam ac moleſtam habet tractationem, tum quia adverſus homines de Republica Chriſtiana benemeritos ſtilum exerere me piget. At cùm videam eos velut ex condicto ad omnem occaſionem eadem repetere; meritò ignaviæ ac ſecordiæ vitio mihi verteretur, ſi in propugnando Ordinis noſtri

noſtri hõnore legitimo minùs diligentiæ adhiberem, quàm iſti in minuendo. Itaque porrectum ab ipſis calamum arripere coactus, tria præſtabo quambreviſſimè. Primùm, quid ſentiam de SS. Benedicti & Columbani Inſtitutis in unum collatis, ingenuè ac ſincerè exponam. Deinde admiſſo ea fuiſſe initio diverſa, ambas utriuſque Sancti Regulas paullopòſt, id eſt procedente ſæculo VII. in omnibus pæne Monaſteriis ſimul obſervatas fuiſſe demonſtrabo. Tum demum in confutatione objectorum, unam S. Benedicti Regulam ſæculo VIII. in Gallia viguiſſe, ídque potiſſimùm perfeciſſe Benedictum Abbatem Anianenſem.

14. Ea fuit hactenus (ut jam dixi) Noſtrorum perſuaſio, ut SS. Benedicti & Columbani normam perpetuò unam fuiſſe exiſtimaverint. Id negant ſocii Bollandiani, contendúntque inſuper, S. Benedicti Regulam à Columbani ſtatutis ſemper fuiſſe diſcretam, nec ante ſæculi noni principium B. Columbani Regulam Benedictinæ ceſſiſſe. In hacce controverſia ſuffragium meum premere aut diſſimulare, nec poſſum, nec debeo. Columbanus (ut quidem mihi videtur) diverſum à Benedictino vivendi genus in Galliam invexiſſe non immeritò dici poteſt. Primò enim ex Hibernia ſeu ex Bancorenſi Monaſterio venit in Galliam, antequam Regula S. Benedicti in Britanniam inſulam, adeóque in Hiberniam penetraviſſet. Deinde in Gallia conſtitutus, Monachis Regulam peculiarem ſcripſit, quam in Codice Regularum unà cum ipſius Pœnitentiali legere licet. In ea nullum ferè veſtigium Benedictinæ Regulæ apparet. Præterea Jonas in Actis Columbani ejúſque diſcipulorum ſæpe S. Columbani, nuſquam S. Benedicti Regulam memorat. Equidem aliquot in locis *Regulam ſanctam* laudat, quo nomine Concilia S. Benedicti Regulam commendare ſolent. At Jonas Columbani Regulam, quam ipſe profeſſus erat, deſignâſſe videtur. Ad hæc Columbanus & Monachi ab eo inſtituti Scottorum habitum, tonſuram alióſque ritus præferebant, uti ex Concilio Matiſconenſi Agreſtii causâ coacto apparet. Denique in eo Concilio conqueſtus eſt Agreſtius, teſte Jona in Vita S. Euſtaſii, quòd *Columbani diſcipuli à ceterorum more deſciſcerent*. His argumentis adductus inclinat animus, ut Monaſticum B. Columbani genus à Benedictino diverſum ac ſeparatum principio fuiſſe concedam. At utrumque paullopòſt in unum demum vivendi genus quibuſdam ritibus detractis & temperatis coaluiſſe, perſuaſum mihi eſt: id quod & rationes ſuperiores aliæque inferiùs referendæ validiſſimè adſtruunt. Et Columbanus quidem in Italiam profectus, S. Benedicti famâ permotus, ejus Regulam ut ſe moribus Romanis accommodaret, in ſuo ipſius Bobienſi Monaſterio admiſiſſe dici haud temerè poteſt. At in Gallia poſt Synodum Matiſconenſem anno DC. XXV. habitam Columbani ritibus eamdem Regulam acceſſiſſe, nemo jure negaverit. Id quomodo factum ſit, exponere juvat.

15. Agreſtius ex Theoderici Francorum Regis Notario Monachus Luxovienſis, dein apoſtata & ſchiſmaticus, *B. Columbani Regulam offendit, adverſus Regulam ejus canino * dente garriens*, ut Jonas in Vita S. Euſtaſij auctor eſt. *Cúmque nihil profeciſſet, ſtatuit ut ſynodali examinatione probaretur. Emanante ergo Regali auctoritate multi Burgundiæ Epiſcopi in ſuburbio Matiſconenſi conveniunt. Sciſcitantur Agreſtium, quid adverſus Regulam S. Columbani objiceret. At ille ait, ſuperflua quædam & canonicæ inſtitutioni aliena eorum ſtudiis teneri: ſe ſuæ Regulæ habere, cochleam quam lamberent crebrò Crucis ſigno ſignari, & in ingreſſu cujuſlibet domûs intra Cœnobium tam introeundo quàm egrediendo benedictionem poſtulare. Columbanum à ceterorum more deſciſcere, &c.* Euſtaſij Abbatis reſponſis confuſus Agreſtius, *addit garrulitatis noxam calumniator, capitis comam aliter tondi, alio charactere exprimi, & ab omnium more deſciſci*, notans videlicet Scoticam tonſuram, quæ dimidiatam coronam reddebat. Scilicet ab aure ad aurem per frontem in coronam cæſus erat capillus, ab aure ad aurem per occipitium capillus intonſus dependebat, ſicuti ex Ceolfridi Abbatis epiſtola in Actis S. Euſtaſij inferiùs probabimus. Euſtaſius aliis Agreſtij calumniis fecit ſatis: ad tonſuræ accuſationem, quia rem diſſimulare non poterat, nec aliis forſitan approbari poſſe putabat, nihil reſpondit. Quantas turbas in Britannia excitaverit Scotica illa tonſurra, aliíque Scottorum ritus, teſtatur Venerabilis Beda paſſim, præcipuè lib. 3. capp. 3. & 4. & lib. 5. cap. 16. Reverſus è Concilio Matiſconenſi Euſtaſius, ut ſcandalum de tonſura inuſitata aliíſque moribus ab Eccleſia Romana alienis excuteret, S. Benedicti Regulam cum Columbani Inſtitutis conjunxit, quemadmodum Ludovicum Pium Imperatorem in Monaſterio Landevenecenſi feciſſe, in Præfatione Sæculi I. obſervavimus. Hinc Auctor libri de Vita B. Salabergæ ſuprà laudatus affirmat, ſub Waldeberti qui Euſtaſio paullò poſt Concilium ſucceſſit regimine, complura Monaſteria *ex Regula dumtaxat* SS. BENEDICTI & COLUMBANI ædificata fuiſſe: quod etiam S. Donati aliorúmque teſtimoniis confirmavimus. Et certè quis credat, Audoënum, Eligium, Nivardum, ex Luxovienſi Monaſterio arceſſituros fuiſſe Monachos Simoniacâ diſtinctos coronâ, quam homines Romanis moribus addicti adeo averſabantur? Neque verò Honorius Papa Bertulfum Abbatem Bobienſem cum eo honore, qualem in ipſius Bertulfi Vita deſcribit Jonas itineris comes, ſuſcepturus erat, ſi eatenus detrectâſſet Romanis parêre moribus, quos tantopere commendatos Romani Pontifices ſemper eſſe voluerunt. Ita ergo S. Columbani Inſtitutum cum Benedictino coaluiſſe ante ſæculi VIII. initium videtur, eum ad modum quo in Cœnobio Atanenſi *non modò Caſſiani, verumetiam Baſilij & reliquorum Abbatum qui Monaſterialem vitam inſtitueruut, celebratæ ſunt Regulæ*, ut Gregorius Turonicus Epiſc. auctor eſt in Hiſt. lib. 10. cap. 29. Ad-

ad ann. 625.

* al. livido

ad ann. 625.

num. 69.

ad ann. 640.

verſariorum argumenta diſcutiamus.

16. Bollandiani ſocij in id conveniunt, ut Benedictum Anianæ Abbatem velint Regulæ Benedictinæ propagatorem primarium in Gallia, adjutorem Ludovicum Auguſtum. At Regulam noſtram ante utriuſque ætatem ubique per Galliam, immo per Europam fuiſſe diffuſam, pronum eſt comprobare.

17. Si ante Concilium Aquigranenſe anno DCCC. XVII. juſſu Ludovici Pij habitum Regulâ S. Benedicti per Galliam recepta non erat, ridicula eſt Caroli Magni interrogatio in Capitulari Interrog. *Si in Gallia Monachi fuiſſent, priuſquàm traditio* REGULÆ S. BENEDICTI *in has parochias deveniſſet?* Nec minùs inepta illa; quæ in Brevi ſubſequente exſtat: *Inquirendum quâ Regulâ Monachi vixiſſent in Gallia, priuſquàm* REGULA S. BENEDICTI *in ea tradita fuiſſet: cùm legamus, inquiunt, S. Martinum & Monachum fuiſſe, & ſub ſe Monachos habuiſſe, qui multo ante S. Benedictum fuit.* Cur enim, quæſo, viros eruditos adhibebat Carolus Magnus ad id inquirendum, niſi quia jam ante ſuam ipſius ætatem Regula Benedictina ubique invaluerat? Sanè ſi res ſuo tempore acta fuiſſet, eam non adduxiſſet in quæſtionem homo alioquin rerum ſuo ævo geſtarum haud ignarus. Carolo Magno ſuccinit Albinus Alcuinus Flaccus, ejus Præceptor, aliquot annis ante ipſum mortuus, in Epigr. 112. de S. Benedicto agens hoc diſticho:

Turba Monachorum celebrat te ſancta per orbem,
Quorum vita fuit famine ſcripta tuo.

Quis ferat hanc Alcuini ſententiam, ſi unum aut alterum dumtaxat Monaſterium in Gallia, nec plura in Britannia, S. Benedicti leges ſectabantur? Hæc quidem ſufficere debuerant ad propoſitæ quæſtionis illuſtrationem: at ex ipſis Benedicti Anianenſis Actis controverſia dirimenda eſt.

18. S. Ardo ſeu Smaragdus, ejuſdem Benedicti Anianenſis diſcipulus & Vitæ ſcriptor, hæc de Præceptore ſuo commemorat: *Dedit autem cor ſuum ad inveſtigandam B. Benedicti Regulam, eámque ut intelligere poſſet ſatagens, circuivit Monaſteria, peritos quoſque interrogans quæ ignorabat.* Ergo paſſim in Monaſteriis Gallicanis antea ſervabatur Regula Benedictina: aliàs incaſsùm Benedictus Anianenſis Monaſteria perluſtrabat, ut ejus praxim uſúmque exploraret. Quis enim Benedictinæ Regulæ ſtudioſus indagator, Auguſtinianorum aliáve Religioſorum hominum Collegia adeat, ut ejuſdem Regulæ uſus & obſervationes percipiat? Porro necdum Benedictus ille Anianæ Abbas Concordiam ſuam ſcripſerat. Sic enim ſubdit Ardo: *Et omnium Sanctorum quaſcumque invenire potuit Regulas congregavit, normámque utilem & Monaſteriorum ſalubres conſuetudines didicit, ſuiſque eas tradidit Monachis obſervandas.* Audire mihi videor quemdam inſuſurrantem, alias Patrum Regulas in Gallicanis Cœnobiis à præ-

Bolland. 2. Febr. num. 25.

dicto Abbate repertas: eas proinde iſthic obſervatas fuiſſe. Id ejuſmodi eſt, quaſi ſi quis inventâ apud Dominicanos S. Benedicti Regulâ, continuò eos Benedictinos eſſe proclamet. Si adhuc hærere pergis, audi Ardonem cauſæ noſtræ ampliùs patrocinantem. *Præfecit eum quoque* (ſcilicet Benedictum Anianenſem) *Imperator Ludovicus* CUNCTIS IN REGNO SUO COENOBIIS. *Multa denique Monaſteria erant, quæ quondam regulariter fuerant inſtituta; ſed paullatim tepeſcente rigore Regularis pæne deperierat Ordo. Vt autem ſicut* UNA OMNIUM ERAT PROFESSIO, *fieret quoque omnium Monaſteriorum ſalubris una conſuetudo, jubente Imperatore aggregatis Cœnobiorum Patribus unà cum quampluribus Monachis per plures reſedit dies. Omnibus ergo ſimul poſitis Regulam ab integro diſcutiens, cunctis obſcura diluci-dans, dubia patefecit, priſcos errores abſtulit, utiles conſuetudines, affectúſque confirmavit. Iudicia igitur Regulæ cunctáque dubia ad proficuum deducta effectum, quas minùs Regula pandit conſuetudines, aſſentientibus cunctis protulit, de quibus etiam Capitulare Inſtitutum Imperatori confirmandum præbuit, ut omnibus in Regno ſuo poſitis Monaſteriis obſervare præciperet. Cui protinus Imperator adſenſum præbuit. Perfectum itaque propagatúmque eſt opus Divina opitulante miſericordia, & una cunctis generaliter obſervatur Regula, cunctáque Monaſteria ita ad formam unitatis redacta ſunt, acſi ab uno Magiſtro & in uno imbuerentur loco.* Hæc paullo fuſiùs retuli, quòd Henſchenius eodem loco abutatur, ut opinionem ſuam fulciat. Huc æquorum hominum, immo Henſchenij ipſius fidem appello. Ludovicus Auguſtus non duobus aut tribus, ſed *cunctis in Regno ſuo Monaſteriis*, Benedictum Anianenſem præficit: Synodũ cogit, *ut ſicut una omnium erat profeſſio, fieret quoq; omnium Monaſteriorũ ſalubris una conſuetudo.* Ergo antè una erat profeſſio in cunctis Galliæ Monaſteriis. Separata erant abinvicem Monaſteria, diverſis addicta ritibus; alij aliter Regulam Benedictinam interpretabantur, in pleriſque Ordo Regularis pæne deperierat. Concilium indicit Imperator, de abdicandis S. Columbani aliorúmve Patrum Regulis verbum nullum. Benedictinæ Regulæ dubia explicantur, conſuetudines diverſæ conciliantur; pravæ reformantur, meliores conſtituuntur, admittuntur ubique: Abbas omnibus unus providet Benedictus, Anianenſis Monaſterij Rector. Quis hoc de primaria Regulæ receptione, non de Monaſteriorum reformatione & modo vivendi uniformi explicare abſque gravi errore poſſit? Sanè Ardo in conſequentibus idem exponens, ſeu potiùs Monachi Indenſes in Epiſtola ſua de obitu ſui Benedicti; *Hic eſt* BENEDICTUS, inquiunt, *per quem Dominus Chriſtus in omni Regno Francorum* REGULAM S. BENEDICTI RESTAURAVIT. Reſtauravit, inquam, hoc eſt in integrum reſtituit, & ita *in omni Regno Francorum* obſervandam curavit, ut olim fuerat obſervata. Jam ergo ante illum *in omni Regno Francorum* hæc eadem Regula ſtabilita fuerat. Nemo quippe reſtaurat,

num. 36.

quod non antè exſtitit. At Benedictus hic ſæpe laudatus Monachum in Cœnobio S. Sequani induit anno DCC. LXXIII. ſiquidem poſt annos profeſſionis octo ſupra quadraginta, ſupremum diem abſolvit anno DCCC. XXI. Ergo ante medium ſæculum VIII. Regula ſancta *in omni Regno Francorum* recepta erat. Neque demum Caroli Martelli aut tandem filij ejus Pippini principatu Ordo Benedictinus in Cœnobiis Gallicanis florere cœpit. Quin potiùs ob bellorum tempeſtates Monaſteria deſolata, ſæcularibus viris in beneficium attributa, denique omni ferme Religionis cultu & obſervatione deſtituta ſunt. Hinc mali labes, ob quam *Regularis Ordo pæne deperiiſſe* ab Ardone dicitur. Longè proinde ante Monaſterij Caſſinenſis inſtaurationem per Petronacem Gregorio tertio Romano Pontifice peractam per Galliam vigebat Ordo noſter: aliàs quî fieri potuiſſet, ut ab anno DCC. XL. quo Caſſinenſis reſtitutio perfecta eſt, ad annum DCC. LXXIII. quo Benedictus Gallus Monaſticum habitum ſumpſit, hoc eſt intra annorum triginta trium ſpatium, Regularis Ordo S. Benedicti primùm quidem ubique admitti, exin florere, demùm abjecto omnis pæne Religionis cultu in omnibus Monaſteriis deperire potuerit? Et tamen iſta approbare coguntur adverſarij, ſi idem Ordo per Galliam à Caſſinenſi dumtaxat inſtauratione propagari cœpit. Verùm quid tandem reſpondebunt ad canonem 15. Concilij Auguſtodunenſis anno circà DC. LXV. habiti, quo ſtatuitur de *Abbatibus & Monachis, ut quidquid canonicus Ordo vel Regula S. Benedicti edocet, & implere & cuſtodire in omnibus debeant.* Reponent fortaſſe, mirum non eſſe, ſi Leodegarius qui Regulam S. Benedicti in Maxentiano Pictonum Monaſterio obſervari viderat Abbas, eamdem Regulam jam Epiſcopus Monachis Auguſtodunenſis diœceſis imponere curavit, (ſic enim fere Carolus Cointius reponit;) nec tamen conſtare an Monachi ipſi iſtam Regulam admiſerint. Bene eſt. Jam ergo Regula S. Benedicti à Maxentianis Monachis medio ſæculo VII. recepta erat, an verò ab ipſis ſolis? probent adverſarij: nos verò ab aliis etiam receptam interim probamus. Et Concilium Auguſtodunenſe Regulam S. Benedicti non imponit Monachis, ſed eam ab ipſis *impleri, cuſtodiri, conſervari* exigit. Neque ſolent Eccleſiæ Patres Regulas legitimè ſuſceptas & probatas, qualis fuit S. Columbani Regula, è Monaſteriis eliminare; nec Monachos ad alienum Inſtitutum, ſed ad proprium religiosè obſervandum inducere.

Le Cointe ad ann. 663. n. 18.

19. Denique ut manifeſtum fiat, Benedictum Anianenſem Concordiæ librum non conſarcinâſſe, quò ad amplectendam Benedictinam Regulam (ut Henſchenius opinatur) animi omnium magis benevoli redderentur; Concordiæ opus nuncupat *Abbatibus & Monachis omnibus*, objicitque ſibi ea quæ à tepidis ſegnibúſque Monachis dici ſolent: *Quid ceteræ huic conferunt Regulæ? quid ad me quas non promiſi pertinet legere?* Sanè ſi Regula S. Columbani vel alîus

cujuſvis è Patribus in Gallicanis Monaſteriis tum vigebat, abſurda fuiſſet hæc objectio: Vovi Regulam S. Benedicti, aliæ Regulæ quid ad me? Immo ſi Concordiæ Auctor alieni Inſtituti Monachos ad S. Benedicti leges pertrahere in animo habebat, opponere ſibi debuerat B. Columbani Monachos: Quid ad me quam non promiſi Regulam S. Benedicti pertinet legere? Denique idem Concordiæ concinnator in Præfatione metrica Monachos univerſim monet, uti monita ſancta, quæ in Regula Benedictina eatenus aſſiduè lectitaverant, tum aliorum Patrum teſtimoniis confirmata ſuſcipiant.

Sumite hæc Monachi monita, quæ Regula ſancta
Vos monet aſſiduè.

Cùm ergo *Monachis & Abbatibus omnibus* lucubrationem ſuam Auctor inſcribat, innuátque *Regulam ſanctam*, id eſt Regulam S. Benedicti eatenus ab ipſis aſſiduè frequentatam; planè non aliis quàm Benedictinis Monachis, qui tum ſoli *in omni Regno Francorum* erant, opus ſuum dirigit.

20. Ex his ſatis, ſi quid ſapio, refutata manet adverſariorum de ſera Benedictinæ Regulæ propagatione opinio. Nec tamen ea quæ adducta ſunt argumenta aliáque id genus non pauca ignorare potuerunt viri oculatiſſimi: at quâ causâ factum ſit, ut in contrariam abierint ſententiam, divinare nec poſſim, nec velim. Superest ut Caroli Cointii objectis nonnullis faciamus ſatis.

le Cointe ad ann. 667. n. 5.

21. S. Wandregiſilus, ſi Cointio affirmanti credimus, non S. Benedicti, ſed potiùs S. Columbani, immo diverſorum Patrum Regulam Fontanellenſi Monaſterio præſcripſit. Atque ut omnem auferat dubitationem, teſtem adducit Aigradum Monachum, qui in Vita S. Anſberti laudat Lantbertum Abbatem, quòd in regendo Fontanellenſi Monaſterio cuncta ſtrenuè atque irreprehenſibiliter *ſecundum normam SS. Patrum* geſſerit. Verùm obſervare debuerat vir eruditiſſimus, hoc vocabulum rectè convenire Regulæ S. Benedicti, quæ antonomaſticôs *Regula SS. Patrum* nonnumquam appellatur. Et ne longiùs funem ducam, liber antiquus qui *Ordo Romanus* inſcriptus eſt, hoc nomine Regulam S. Benedicti deſignat. Nimirum in cap. *de Ordinatione Abbatis* præmiſſis verbis Theodori ſubjicitur hæc *Allocutio. Eccleſiæ noſtræ, Fratres cariſſimi, Pater electus ſuum adeſt ordinem ad ſuſcipiendum. Vnde Apoſtolica priùs cenſemus eum auctoritate examinandum, ſuum propoſitum & S.* BENEDICTI REGULAM *ſi velit ipſe obſervare*, &c. Et longè infrà poſt Abbatis conſecrationem: *Tunc det ei Regulam dicens: Accipe* REGULAM à SANCTIS PATRIBUS NOBIS TRADITAM *ad regendum cuſtodiendúmque gregem tibi à Deo creditum. Accipe Monaſticæ cõverſationis Regulã*, &c. En Regula S. Benedicti dicitur *Regula à ſanctis Patribus tradita*, nempe quòd à viris ſanctitate ac dignitate præſtantibus quáplurin is eouſque per manus tradita fuerat. Porro ſcriptus eſt liber ille *de Ordine Romano* circiter Pippini Regis principatum.

Jam ergo ante illud tempus Regula noſtra eam auctoritatem obtinuerat, ut *Regula ſanctorum Patrum* ſeu (quod idem eſt) *Regula à SS. Patribus tradita* vocaretur, ob præſtantiam ſcilicet ſanctorum Monachorum qui illam ſervaverant. Et tamen adverſarii noſtri unum S. Maurum, & fortaſſe pauciſſimos diſcipulos, agnoſcunt Regulæ Benedictinæ primarios cultores aduſque Ludovici Auguſti cognomento Pii imperium, quo tempore Ordinis noſtri (ſi Superis placet) incrementa locant. At ſi Aigradi teſtimonia de Regula per S. Wandregiſilum Fontanellæ inſtitutâ probat Cointius, probet etiam neceſſe eſt, quòd S. Wandregiſilus Anſberto Fontanellam primùm accedenti auctoritatem Regulæ S. Benedicti proponit. Anſberti quippe *poſtulationem audiens, inducias conſulendi ſuper hoc dicebat habere ſe velle: ut ſicut Apoſtolica & Monaſtica docet Regula, ſciret ad quid venerat.* Quibus ſanè verbis intelligit Regulam S. Benedicti, quam *Regulam Monaſticam* per excellentiam vocat, id cap. 58. præcipientem. Accedit auctoritas Chronographi Fontanellenſis, qui Ludovico Pio imperante opus ſuum abſolvit, ita ſcribentis de Teutſindo Abbate cap. 9. *Ab iſto tempore quo lugendus iſte regiminis ſuſcepit locum, ſtatus vitæ innocentis quem in eodem Cœnobio ſecundùm eximii P.* BENEDICTI *normam excolendum fore B. P. Wandregiſilus inſtituerat, ob inopias plurimas fluctuare cœpit.* Vides mentem iſtius auctoris eſſe, *normam S.* BENEDICTI apud Fontanellam primitùs inſtitutam à Wandregiſilo fuiſſe. Denique neque Lantbertus neque Anſbertus Wandregiſili ſucceſſores vivendi genus à Patre ſuo inſtitutum mutaverunt. Porro ne deinceps mutaretur, Anſbertus jam Epiſcopus teſte Aigrado, in Synodo Rotomagenſi ſtatuit, *ut ſicuti ſub ejus regimine, ita inantea & ipſi & poſteri eorum* SECUNDUM REGULAM *S.* PATRIS BENEDICTI *fideliter Chriſto deſervirent.* Ergo antea ſub ejus regimine Regula S. P. Benedicti illic ſervabatur. Proferant ergo adverſarii validum aliquod argumentum, quo Anſbertum Regulæ Benedictinæ Fontanellam inductæ auctorem demonſtrent: ſin minùs, verbis ludere deſinant.

22. Venio ad Cœnobium Bobienſe, in quo (ſi Ferdinando Ughello ejúſque approbatori Carolo Cointio credimus) poſtremis temporibus Regulam S. Benedicti receptam fuiſſe ratum eſt. Theodorus Papa in Litteris Privilegii Bobuleno Abbati Bobienſi conceſſi meminit *Regulæ ſanctæ memoriæ* BENEDICTI. Ughellus interpolationem in hæc verba irrepſiſſe dicit, addítque nullum de S. Benedicti Regula teſtimonium ante Lucii II. pontificatum in monumentis Bobienſibus exſtare. Ughello Cointius ſupplaudit. Verùm eſto, nulla exſtet mentio Regulæ Benedictinæ in aliis ante Lucium diplomatis; an propterea interpolata Theodori Bulla dici debet? Ughellus tabulas Bobienſes, adeóq; Pontificia diplomata revolvit, ac diligenter (ut quidem opinor) inſpexit. Unas Theodori & Lucii II. Litteras vulgavit cum variis Regum & Imperatorum Privilegiis: de ceteris cùm ea videre mihi non

licuerit, nec ſententiam ferre licet. Alios proinde auctores conſulo: & ecce mihi Gerberti Bobienſis quondam Abbatis, poſtea Romani Pōtificis epiſtolas legenti occurrit epiſtola octava-decima, in qua ferè duobus ante Lucium II. ſæculis Regulæ noſtræ apud Bobienſes præclarum exſtat teſtimonium. Gerbertus ſiquidem labente ſæculo x. ſcribens ad Bobienſes ſuos, ſic eos compellat: *Qui* REGULAM S. BENEDICTI *profeſſi eſtis & Paſtorem deſerendum abjeciſtis, colla tyrannis ſponte ſubdidiſtis.* Interpolationem, opinor, non cauſabitur Ughellus aut ejus quivis ſecutor hoc loco, quo nihil afferri luculentius poteſt. At fortaſſe reponent, Gerbertum ex Floriacenſi (ut aiunt) Monacho Abbatem Bobienſem, rejectâ S. Columbani Regulâ, Benedictinam Bobio primum impoſuiſſe. Bona verba quæſo: longè aliter res ſe habet. Monachus quidam Bobienſis anonymus librum de Miraculis S. Columbani à nobis hîc primùm editum compoſuit ante medium ſæculum x. in cujus libri cap. 23. Auctor laudat *Privilegia ſanctæ Sedis Apoſtolicæ*, HONORII, THEODORI, MARTINI, SERGII, GREGORII, ZACHARIÆ *& aliorum* Monaſterio Bobienſi conceſſa, è quibus Auctor recitat fragmentum Privilegii Theodori Papæ, inter alia decernentis, *ut ſi Monachi Bobienſes tepidi in Dei amore & in Inſtitutis Patrum torpentes quandoque exſiſtant, ſecundum Regulam ab Abbate, id eſt à Patre Monaſterii corrigi debeant. Si autem & ipſe Abbas in ignavia aliqua contra Inſtituta Patrum & Regulæ tenorem fuerit deprehenſus, & in aliquam ſiniſtram partem inclinatus, à ſede Apoſtolica ſub cujus conſtitutione conſiſtit, corrigatur*, &c. Ex his Theodori verbis apud Ughellum vitiatis intelligimus, Theodori Privilegium à prædicto Miraculorum ſcriptore viſum ac lectum uti nunc ſe habet, ſi paucas Ughellanæ editionis mendas excipias. Deinde Regulæ nomine intellexit Auctor Regulam S. Benedicti, id quod probare facile eſſet, ſi non ipſe diſertè exprimeret his verbis ſubſequentibus in Epiſcopum Terdonenſem aut Placentinum intortis: *Non vales tuum Epiſcopatum regere, & Monachos* SECUNDUM REGULAM S. BENEDICTI *gubernare.* Denique hoc argumento Ughellum convenimus. Monachus Bobienſis anonymus qui ineunte ſæculo x. vixit, Theodori Privilegium eo modo legit, quo in chartis Bobienſibus exſtat. In eo mentio *Regulæ S. Benedicti* expreſſis verbis habetur. Vigebat ergo Regula hæc in Bobienſi Monaſterio Theodoro Pontifice, *Conſtantini anno ſecundo, Conſulatûs primo, Indict.* I. (hi ſunt chronologici Bullæ characteres) id eſt anno Chriſti DC. XLIII. quum Bobulenus Abbas Monachis Bobienſibus præerat. Nec interpolationem objicere poſſunt adverſarii, niſi eam certis documentis probent.

ad ann. 615.

23. Ecquid mirum, ſi Bobienſe Monaſterium Regulam S. Benedicti admiſerit exemplo Luxovienſium Monachorum, quos ſtatim à Concilio Matiſconenſi paruiſſe legibus Benedictinis ſuperiùs probavimus? An fortaſſis adverſarii id etiam de Luxovio negare pergent?

Facilis

Facilis refutatio. Ludovicus Pius *anno* IV. *imperii ſui Luxovium famoſum in Galliis Cœnobium ad regendum beneficii jure contulit* ANSEGISO Abbati Fontanellenſi, teſte Chronographo Fontanellenſi ejus æquali c. 16. qui Anſegiſus cùm animadverteret, uti *ex deſidia priorum Patrum* Fontanellenſium, *qui gregis ſibi commiſſi curam minùs devotè geſſerant, ſtatus almæ Regulæ Patris* BENEDICTI *jam quaſi caſurus videbatur; ex Luxovio Cœnobio, quod in Galliarum terris in Religione ac Regulari diſciplina non inferius uſque ad præſens videbatur, Monachos Deum timentes viróſque Religioſos ſecum huc* (Fontanellam) *adduxit, qui & legem iſthinc Monachorum docerent, & exempla ſalubria oſtenderent: licèt olim à viro juſto* BENEDICTO *Foſſatenſi Abbate eruditi in hac Philoſophia fore* viderentur.* Hinc conficimus, Luxovienſe Monaſterium, uti & Foſſatenſe, ineunte ſæculo IX. Benedictinis Inſtitutis paruiſſe. De Luxovienſi diſertè confirmat S. Eligius in Charta pro Monaſterio Sollemniacenſi hîc in Appendice edita: ubi Sollemniacenſe Aſceterium dotatum à ſe dicit *ea interpoſita conditione, ut* Monachi *tramitem Religionis ſanctorum virorum Luxovienſis Monaſterii conſequantur, & Regulam beatiſſimorum PP.* S. BENEDICTI & COLUMBANI *firmiter teneant:* obteſtatúrque Remaclum Abbatem & ſucceſſores, *ut Regulam ſupradictorum Patrum* QUAM IN SÆPE MEMORATO LUXOVIO MONASTERIO TENENT, *omni cuſtodia teneant.* Quo quid clarius proferri poſſit, non video. Sanè ſi Regula S. Benedicti in Monaſteriis Luxovienſi & Habendenſi ſeu Romaricenſi recepta non fuiſſet ante principatum Caroli Magni, Chrodegangus Mettenſis Epiſcopus, Pippini Francorum Regis æqualis, non aliam quàm S. Columbani Regulam à Monaſteriis illis vicinis acceptam præſcripſiſſet duobus Cœnobiis ab ſe conditis. Et tamen auctore Paulo Warnefridi in lib. de Mettenſ. Epiſc. S. Benedicti Monachos in iſtis conſtituit, non aliunde ſine dubio quàm è Luxovio arceſſitos. CHRODEGANGUS, inquit Paulus, *conſtruxit Monaſterium in parochia B. Stephani in pago Moſellenſi in honore beatiſſimi Petri Apoſtoli, & ditavit illud opibus magnis, Monachóſque ibi conſtituit, atque* SUB REGULA S. P. BENEDICTI *in una caritate conjunxit. Conſtruxit etiam alterum Monaſterium quod Gorzia vocatur, ubi pari modo non minimam multitudinem adunavit Monachorum.* Quid, quòd Pippinus ipſe Monaſterio S. Galli per Othmarum Abbatem reſtituto, non S. Columbani, ſed *libellum quem* BENEDICTUS *Pater de Cœnobitarum converſatione compoſuerat, eidem Abbati tradidit*, teſte Walafrido Strabo in lib. 2. de Vita S. Galli cap. 11. & Gallenſe Monaſterium ab ipſa ſuî inſtauratione Regulæ Benedictinæ numquam non adhæſiſſe, ex Ratperto, Ekkehardo, Walafrido, aliíſque domeſticis auctoribus manifeſtè intelligitur. Neque dicas libelli prædicti nomine intelligi Concordiam Regularum. Pippini ſiquidem principatu Benedictus Anianenſis Concordiæ auctor necdum Monachum induerat. Cur ergo Pippinus non S. Columbani Regulam, ſiquidem eate-

* eſſe

Tom. 3. Spicil. g i Acherian.

tenus viguiſſet à norma S. Benedicti aliena; cur, inquam, eam non impoſuit Monaſterio S. Galli, qui Columbani diſcipulus addictiſſimus fuerat, niſi quia ante octavum ſæculum utriuſque Legumlatoris, Benedicti ſcilicet & Columbani Inſtituta jam in unum coaluerant? immo jam Benedicti Regula ſola audiri ac exerceri cœperat? Verùm Columbano noſtris partibus vindicato, ad Amandum convertatur oratio.

§. II. *De Monaſtici ſtatûs antiquitate in Belgio, ejuſdémque per S. Amandum propagatione.*

24. ORDINIS Cœnobitici in Gallia Belgica probat antiquitatem S. Paulinus Nolanus Epiſcopus in Epiſtola 28. ad Victricium Rotomagenſem Epiſcopum his verbis: *Et nunc in terra Morinorum ſitu orbis extrema, quam barbaris fluctibus fremens tundit Oceanus, gentium populi remotarum qui ſedebant in latebris, viâ maris arenosâ extra Iordanem antequam pingueſcerent fines deſerti in ea, orta ſibi per tuam Sanctitatem à Domino luce gaudentes, corda aſpera Chriſto intrante poſuerunt. Vbi quondam deſerta ſilvarum ac litorum pariter intuta advenæ Barbari aut latrones incolæ frequentabant; nunc venerabiles & Angelici Sanctorum chori urbes, opida, inſulas, ſilvas Eccleſiis & Monaſteriis numeroſis plebe conſona celebrant.* Et S. Treverius Monachus *ex genere Nortmannorum Caturcinenſi territorio ortus, in pago Tarovvanenſi Monaſterium, quod in ſuburbio Tarovvanicæ urbis ſitum erat, expetiiſſe* ſæculo VI. dicitur. Parum exculta fuit in Belgio Monaſtica Religio aduſque ſæculum VII. quo per SS. Amandum & Audomarum eorúmque diſcipulos magnum incrementum cepit. Audomarus eductus fuerat ex Luxovienſi Aſceterio, ex TuronicoS. Amandus, cujus de Inſtituto modò agere propoſui.

Bolland. 26. Ianu.

25. Amandus *cùm jam adoleſcentiam tranſiens, in robur migraret virile;* parentes patriámque relinquens, *ad Ogiam inſulam,* Rupellæ proximam *navigans, tandem portum Monaſterii petiit,* ſicuti ſcribit in ejus Vita Baudemundus. Amandum iſthic ſuſceptum, necdum tamen Monachum factum *cœpit pater ejus blandis ſermonibus irretire, ut quantociùs de Monaſterio egrederetur.* At Amandus *in eodem permanens deſiderio, relicto ſolo parentibúſque, Turonis ad ſepulcrum ſanctiſſimi petiit Martini. Cùm ab oratione ſurrexiſſet, ſtatim comam capitis ſui abſcidit, adeptúſque Clericatûs honorem, omnem gratiam tranſſcendebat in Clero.* Poſtea *ab Abbate ipſius loci & à Fratribus benedictione percepta, civitatem Biturigas ad ſanctum petiit* AUSTREGISILUM. Ab eo ſanctóque Sulpicio *clementiſſimè ſuſceptus, in cellula juxta Eccleſiam tribus ferè militavit luſtris.* Dein *incidit ei cogitatio ut ad limina Apoſtolorum properare deberet.* Reverſus in Gallias, *coactus à Rege & Sacerdotibus Epiſcopus ordinatus eſt. Accepto Pontificatûs honore, Gentibus verbum Domini evangelizare cœpit,* nimirum Gandenſibus, Tornacenſibus, aliíſque Gal-

ad ann. 679.

liæ Belgicæ populis: ubi varia Monaſteria, in his præcipua Gandenſe, poſtea Bavonianum dictum, Blandinienſe & Elnonenſe excitavit. Carolus Cointius opinatur, Clericos in Gandenſi & Blandinienſi Eccleſia primùm inſtitutos, quibus poſt annos circà duodecim Monachi ſucceſſerint: in Elnonenſi verò non aliam quàm S. Columbani Regulam propoſitam fuiſſe. Mirum eſt, quàm ſollicitus ſit vir eruditiſſimus, ut S. Columbano diſcipulos undiquaque conquiſitos ſupponat, adimat Benedicto: quod ægrè quidem profero adverſus hominem, cujus amicitiam uti & eruditionem colo. Nec me movet, quòd Sodales noſtros tam anxio delectu ab extraneis ſecernat, dummodo ſententiam ſuam bene probet. Sicut enim nullum ſanctorum Monachorum alienum à nobis reputamus; ita ſubditicium, ſi fieri poſſit, neminem nobis arrogare ſtudemus. Duo in præſens probare contendo, nempe Amandum in S. Benedicti leges jurâſſe, nec aliam quàm S. Benedicti Regulam * Monaſteriis ab ſe conditis impoſuiſſe: tum Monachos in utroque Cœnobio Gandavenſi, non Clericos, à primordiis exſtitiſſe.

* *Hinc tamen non excludo ritus S. Columbani, quos unà cum S. Benedicti Regula in Cœnobio Bariſiaco à ſe inſtitutos dicit S. Amandus in quadam Charta à nobis in fine hujuſce Tomi editâ.*

26. Amandus in Turonico S. Martini Monaſterio *Clericatûs honorem*, id eſt tonſuram ac veſtes Monaſticas ſuſcepit. Huc ſpectare videtur Alcuinus in Epigr. 59. de Martiniana Baſilica agens, poſtremo hocce diſticho:

Dum ſanctus Præſul hîc inhabitavit Amandus,
Crevit honor Patris, crevit & iſte locus.

In Præfatione Sæculi I. jam adduxi Ibbonis Epiſcopi Turonici Litteras ad Guntramnum ejuſdem Cœnobii Abbatem, quibus jubet Ibbo, *ut ſi Abbas ab hac luce diſceſſerit, alius per electionem memorati Congregationis Monaſterii, quorum vita perfecta credetur, ſicut Regula* S. BENEDICTI *edocet, in eorum conſenſu ſolidetur: ſicut & auctoritas Papæ urbis Romæ Adeodati continet per Privilegii ſeriem.* Subſcribit IBBO *peccator Epiſcopus integra voluntate & devotione ad Monaſterium S. Martini, ubi Monachi* SECUNDUM REGULAM S. BENEDICTI *converſari videntur.* Iſtud Privilegium in ſuſpicionem interpolationis vocari non poteſt. Cùm enim ex ejuſdem Eccleſiæ Archivis depromptum ſit, conſtétque Monachos exinde Caroli Magni principatu deturbatos fuiſſe; non poteſt dici à Canonicis ſubornatum fuiſſe in gratiam Regulæ Benedictinæ, cujus mentio Canonicis tanti non eſt. Ibboni præiverat Berto ſeu Bertus, in Actis S. Leodegarii Epiſcopi Auguſtodunenſis laudatus, qui anno circà DC. XXC. confirmavit Privilegium Baſilicæ Martinianæ à Chrotperto deceſſore ſuo conceſſum eo pacto, ut Monachis eligendi Abbatem *ſecundum Regulam* S. BENEDICTI faceret copiam. In eadem Baſilica perſeverâſſe Monachos uſque ad tempus Alcuini, eodem loci probavimus: cujus rei etiam fidem facit ejuſdem Auctoris Epiſtola 31. *Sanctiſſimis Fratribus & B. Martino ſervientibus*, directa, in qua eos ad humilitatem aliáſque virtutes exhortans, *Per*

Had. Valeſ. in Diſcept. de Baſil. & in ejuſd. defenſ. probat, in Monaſterio B. Martini olim Monaches fuiſſe.

humilitatem, inquit, *obedientiam & caritatem Monachus cælum adſcendit. Non eſt igitur laudabile in veſtimentis habitum imitari Patrum, ſine obſervatione mandatorum quæ illic ſtatuerunt.* Porro Monachos Turonenſes Benedictinis Sodalibus ſeſe primos adjunxiſſe, utpote vicinos Glannafolienſi Cœnobio, veri ſimilius eſt, quàm eos de Luxovienſium remotiorum Inſtituto cogitâſſe. Ergo Amandus in Turonico S. Martini Cœnobio Benedictinas leges didicit, ibi Monaſticum habitum induit.

Lege Valeſ. ibid. 27. Nec obſtat, quòd Amandus *Clericatûs honorem* iſthic accepiſſe dicitur. Hoc enim loquendi genere antiqui Scriptores Monaſticam tonſuram ac ſollemnem habitûs Religioſi ſuſceptionem non raro deſignabant. Huc teſtimonia quædam conferre juvat. Aredius Abbas Lemovicinus *conſtruxit Templa*, teſte Gregorio Turon. Epiſc. in lib. 10. Hiſt. cap. 29. *ac ex familia propria tonſuratos inſtituit Monachos.* Et tamen Gregorius ipſe in lib. 2. de Gl. Martyr. cap. 28. ejuſdem Aredii Monachum appellat *Clericum Aredii Lemovicini Abbatis.* Et ne quis de Clerico ſæculari in ejus Monaſterio degente id interpretetur, eumdem Clericum poſtea *Monachum* vocat. *Quod ne quis dubitet*, inquit, *teſtor omnipotentem Deum, quia ab ipſius Abbatis hæc ore cognovi, apud cujus Monachum hæc geſta ſunt.* Præterea in lib. de Gl. Conf. cap. 82. idem Auctor de S. Euſichio Recluſo, *qui tamquam Eremita inter ſpinarum condenſitatem ab hominum ſe familiaritate removerat*, hæc inſerit: *Habebant Clerici ejus* (id eſt Monachi) *duo vaſa apum* &c. Gregorius item auctor eſt in lib. de Vit. PP. cap. 6. Gallum nobilem Arvernum *Monaſterium Cronenenſe ſexto milliario ab Arverna urbe expetiiſſe*, ac ſuppliciter Abbatem exorâſſe, *ut ſibi comam capitis tondere dignaretur.* Abbas quum rem patri ejus haud ingratam fore cognovit, *puerum Clericum fecit.* Et S. Chlodoaldus *poſtpoſitum* Regnum terrenum, ad Dominum tranſiiſſe, & ſibi manu propria capillos radens, Clericus* (id eſt Monachus) *factus eſſe*, dicitur in ejuſdem Gregorii lib. 3. Hiſt. cap. 18. Denique in lib. 1. de Gl. Martyr. cap. 76. puerum quemdam in Monaſterio Agaunenſi *Clericum factum, cum reliquis Clericis, & inter choros pſallentium Monachorum* poſt obitum ceciniſſe, Gregorius affirmat. Gregorio complures alii Auctores ſuffragantur. Conditor libri de geſtis S. Marculfi Abbatis Nantenſis commemorat, Marculfum Childebertum Regem ſub finem vitæ adiiſſe apud Compendium villam Regiam: in eóque itinere, dum lepus quem Regii venatores inſequebantur confugiſſet ad virum ſanctum, per contumeliam illuſum fuiſſe his verbis: *Qua temeritate, Clerice*, (ſic Marculfum Monachum & Monachorum Patrem cognominant) *venationem Regis invadere præſumpſiſti?* Jonas ſæculi VII. Auctor haud ignobilis, in Vita S. Columbani eodem ſenſu *Clerici* vocem uſurpat, dum inducit Columbanum Theodeberto Auſtriæ Regi ſuadentem, *ut à bello deſiſtat, ſéque Clericum faciens, ſacræ Religioni ſubderetur.* Wandregiſilus referente

* pro poſtpoſito

Sæcul. 1. ad ann. 556.

num. 57. ad ann. 615.

Aigrado in Actis S. Anſberti Rotomagenſis Epiſcopi, Anſbertum Monachum fieri poſtulantem, *Clericatûs honore decorabilem reddi-* ad ann 697
diſſe fertur. Auctor antiquus & gravis qui Vitam S. Sigolenæ litteris mandavit, miraculum *de Clerico dæmoniaco* (ſic enim capituli inſcriptio præfert) liberato his verbis exprimit cap. 16. *Illo tempore quidam juvenis Dadulfus nomine ſub profeſſione Monachi omnem humilitatem atque innocentiam mentitus acceſſit... Exigentibus meritis correptus à dæmone eſt... ad Sanctam defertur curandus.* En qui *Clericus* in titulo capitis nominatur, in ipſo contextu *profeſſionem Monachi* moribus mentitus dicitur. His teſtibus accedit Chronographus Fonta- To 3. Spicil. Acherij.
nellenſis Cœnobij, Ludovici Pij æqualis, qui cap. 13. *Hardoinum hoc in Cœnobio Clericatûs ſuſcepiſſe habitum* ſcribit. Quinetiam idem Auctor Monachorum collegium *Clerum* appellat cap. 16. *Sicut illi*, inquit, Wandregiſilus nimirum & Anſbertus, Fontanellenſe Monaſterium *in exordio ſuî ædificiis nobilitaverunt; Clerum auxerunt; ita iſte* (Anſegiſus) *diruta emendare ſtuduit, Clerum nobiliſſimè auxit.*

28. Plura id genus teſtimonia huic rei affirmandæ congerere poſſem: at iſta, opinor, ſufficient ad refellendam eorum ſententiam qui ubicumque *Clerici* nomen expreſſum legerint, Clericos ſæculares, non Monachos intelligi opinantur. Quod in erratum incidit Theodoricus Abbas Trudonianus in Vita S. Bavonis à ſe ſcripta: pertraxítque alios in idem mendum, qui ex primarij ſcriptoris Vitæ S. Bavonis verbis malè intellectis tradiderunt, Clericos Gandæ Monaſterio primitùs à S. Amando fuiſſe impoſitos, poſtea Monachos ſucceſſiſſe, quibus Florbertus Abbas præfectus ſit. Id Molanus Molan. 1. Octob.
in lib. de Natal. SS. Belgij de Ganda Monaſterio admittit: quod Carolus Cointius ad Blandinienſe Cœnobium extendit, eoquòd Clericorum longè utilior (uti ipſe putat) quàm Monachorum erat opera Epiſcopo verbum Dei per vicinam regionem diſſeminanti. Et tamen Gregorius Magnus in expeditionem Britannicam Monachos, non Clericos direxit: nec aliis quàm Monachis Germania, ſicut & Britanniæ inſulæ pars magna aliæque provinciæ complures, Fidei reſtitutæ primitias referunt acceptas. Quod citra invidiam interim ſit dictum. Clericorum operam Eccleſiæ utiliſſimam laudamus. Sed quid juvat Monachos deprimere, ut Clericos extollas? Utroſque operarios meſſis Dominica recipit & locupletat. Redeo ad rem. Conſulamus Auctorem primarium Vitæ S. Bavonis, quem è tene- ad ann. 653.
bris nunc primùm eruimus, ut reſciamus quid *Clericorum* nomine intelligat, Monachos an Clericos ſæculares. En ejus verba: *Deo* num. 5.
etiam annuente Clericorum Cœnobium in ipſo caſtro Gandavo honorificè eſt conſtructum, ubi die noctúque laus à Fidelibus decantatur. His expletis in eodem Monaſterio B. Confeſſor Bavo comam capitis ſui abſcidi deprecatus eſt: & adeptus venerandi Pontificis (Amandi) *manibus Clericatûs honorem, meruit fieri conſors Apoſtolorum*, id eſt Apoſtolicæ in-

ſtitutionis : quod præcipuè convenit Monachis, quos Apoſtolicæ vitæ imitatores S. Bernardus aliíque permulti appellant. Mentem ſuam Auctor in conſequentibus clariùs exprimit. *Dimiſit comam capitis, & invenit coronam gloriæ: reliquit veſtimenta ſæcularia, & ſuſcepit ſtolam candidam: reliquit pompam hujus mundi, & indutus eſt loricam fidei.* Quibus verbis Scriptor iſte religioſas veſtes ac tonſuram
num. 7. ſatis exprimit. At paullo pòſt diſertè enuntiat, *Clericorum* vocabulo non tantùm Monachos à ſe intellectos, ſed etiam Monachos ad Regulam S. Benedicti inſtitutos. *Ergo Allowinus vir Dei reverſus ad ſupradictum caſtrum Gandavum, ad venerabilem virum* FLORBERTUM *Abbatem, quem almus Pontifex Amandus ibidem conſtituit ſuper gregem Clericorum Rectorem, petiit eum ſibi humiliter cellulam, in qua familiariter Domini miſericordiam pro facinoribus ſuis deprecaretur, largiri.* Ergo Florbertus Abbas erat, antequam Bavo tonſuram acciperet: nam ab eo tempore Amandus Gandavum regreſſus non erat. Et Recluſi illic admittebantur, quod in Clericorum ſæcularium collegiis rariùs uſitatum. Audi ampliùs. *Vt verò pius Pater ejus petitionem audivit, cum gaudio ſuſcepit: & ejuſdem Fratribus Monaſterij juxta præceptum pij Patris* BENEDICTI *convocata omni Congregatione ejus patefecit preces, ut ſi forſitan juniori revelatum fuiſſet, &c.* Quæ poſtrema verba deprompta ſunt ex cap. 3. Regulæ Benedictinæ, cujus *præcepto* in iſto facto paruiſſe Florbertus dicitur. Denique Florberti diſcipuli *ad obedientiam* ſeu ad laborem manualem, cellæ gratiâ S. Bavoni exſtruendæ, exiiſſe dicuntur: quod Monachis aptari neceſſe eſt. Sed quid pluribus immoror? quando adverſarij Monachis, non Clericis præfuiſſe concedunt Florbertum, quem tamen *Clericorum Rectorem* fuiſſe Auctor ſentit : quo nomine proinde Monachos (uti ex aliis etiam ipſius verbis apparet) intelligit. Nec aliam quæras cauſam, cur S. Bavo qui ſtatim atque in Monachum attonſus eſt, Amando prædicationis ſocium ſe adjunxerat, *per ſupraſcriptum Pontificem ſibi licentiam dari petiit, Monaſteria circuire Chriſti Athletarum, quatinus vitam Monachorum & converſationem Cœnobitarum poſſet agnoſcere.* Nimirum Monachus cùm eſſet, Monachorum perfectiorum mores rimari atque æmulari votis omnibus optabat. Unde Gandam poſtea reverſus, in cella recludi (quod optimum judicavit) apud ſe ſtatuit.

29. Ex his manifeſtum eſt, Monachos non Clericos ſæculares in Ganda Monaſterio (quod etiam de Blandinienſi dicendum eſt) ab initio exſtitiſſe: quod ſatis ſupérque veri ſimile reddit Amandi ipſius Monaſtica profeſſio. Nempe Monachus Monachos haud dubiè in locis ab ſe erectis inſtituit, Benedictinus Benedictinos. Non ergo commenticia videri debet iſta clauſula Privilegij Martini Papæ, quâ decernit, *ut liceat Abbati* FLORBERTO *in univerſis utilitatibus* Monaſterij Blandinienſis, *ita omnia diſponere abſque ullius contradic-*

tione vel refragratione, ut inibi Deo ſervientes liberè invigilent mandatis Domini ſecundum Regulam S. BENEDICTI: cùm alioquin ſuperiùs probaverimus, S. Amandum in Turonico S. Martini Cœnobio Benedictinis Inſtitutis aſſuevisſe. Certè in Litteris Arnulfi Flandriæ Comitis, quibus prædia varia Monaſterio Blandinienſi reſtituit, *regnante Ludovico filio Caroli Regis Reclauſi*, cognomento Simplicis, leguntur hæc verba: *Cupio omni tempore ævi in ſæpefato Monaſterio Monachos Chriſto ancillari (ut actum eſt tempore S. Amandi) ſecundum normam S.* BENEDICTI *viventes*. Et quidem tempore Vindiciani Epiſcopi Cameracenſis & Atrebatenſis, id eſt poſt medium ſæculum ſeptimum, Vedaſtinæ Abbatiæ Monachi Benedictini præerant. Quippe Fulradus, Vedaſtini apud Atrebates Monaſterij Abbas, cùm *inregulariter vivens, ab Rothardo Epiſcopo ſæpe graviter argueretur; induratus gloriabatur ſe habere S. Vindiciani ejuſdem Sedis Epiſcopi Privilegia Apoſtolicâ auctoritate confirmata, in quibus decretum eſſet, Monachos S. Vedaſti non debere habere reſpectum ad Pontificem Eccleſiæ Cameracenſium. Ex hoc ſanè*, infert Baldericus hujuſce facti relator in Chron. lib. 1 cap. 106. *falſam argumentationem trahens, quòd B. Vindicianus ſuo tempore omnes inquietudines à Monaſterio S. Vedaſti ſcripto præcepto excluſit, ut quietè* SECUNDUM REGULAM S. BENEDICTI *Monachi viventes Deo ſervirent, non ut inordinatè & turpiter converſantes, veluti iſte cum ſuis, à propoſito deſciſcerent.* Hæc Baldericus ſæculi XI. Auctor. Porro S. Vindicianus æqualis erat & amicus S. Amandi, ſucceſſor S. Autberti, qui Autbertus in Baſilica Vedaſtina Monachos inſtituerat, haud alios ſanè quàm Benedictinos ac S. Amandi diſcipulos. Hatta quippe primus Abbas Vedaſtinus à S. Vindiciano, *ſecundo ordinationis ejus anno benedictus, ſimul Gandenſem S. Petri Abbatiam quæ in monte Blandinio ſita eſt, nobiliter regebat*, prout in Actis S. Euſebiæ num. 4. legitur.

Miræi Notit. cap. 53.

ad ann. 682.

30. Nunc locus poſtularet, ut de S. Audomaro ejúſque diſcipulis S. Bertino aliíſque Inſtituti Monaſtici per Belgium propagatoribus ageremus. Verùm cùm è Monaſterio Luxovienſi educti ſint eo tempore, quo jam Luxovienſes Cœnobitæ caſtris Benedictinis (ut ſuperiùs probatum eſt) ſeſe adjunxerant; de his plura dicere ſupersedeo, tranſitum facturus ad Sanctimoniales, quæ procurante potiſſimùm S. Amando in Gallia Belgica inſtitutæ ſunt.

§. III. *De Monacharum & Canonicarum origine in Belgio.*

31. SANCTUS Amãdus non ſolùm Monaſteria virorũ in Belgio, verumetiã Cœnobia puellarũ, Nivialenſe, Melbodienſe, Caſtrilocenſe, Marcianenſe, aliáq; nonnulla ordinavit. Monachas an Canonicas illis in locis collocaverit, inquirendum. Primò audiendus Miræus in Notis ad cap. 13. Cod. Donat. ita diſſerens: Canoniſſarum

„ nobili ſtirpe progenitarum, quæque ad nuptias tranſire poſſunt,
„ collegia in Hannonia ſunt duo, Montenſe & Melbodienſe: totidem
„ in Comitatu Namurcenſi, Andennenſe & Monaſterienſe: & unum
„ in Brabantia Nivellenſe, omnium apud Belgas (ut opinor) antiquiſ-
ſimum. Idem Auctor in lib. de Canonicorum collegiis capp. 17. &
„ 19. ſatis mentem ſuam aperit circa originem Canonicarum. Non
„ ſum neſcius, inquit, cap. 19. multos contendere olim Canonica-
„ rum iſtarum, ut ceterarum Virginum collegia, ſi non omnia, ſaltem
„ pleraque voto ſeſe caſtitatis perpetuæ ſolita obſtringere, etſi ipſæ
„ Canonicæ ægrè forſitan admittant. Verùm quia nonnulli perſuade-
re volunt, hujuſmodi Cœnobia à primordiis attributa fuiſſe Cano-
nicabus, quæ nullis adſtrictæ fuerint votis; utrumque quoad fieri po-
terit breviſſimè refellere propoſui.

32. Nullas Canonicas in Galliis ante ſæculum IX. exſtitiſſe, argu-
menta non pauca demonſtrant. In Gallia Belgica Virginum Cœno-
bia primus excitavit ordinavítque S. Amandus, iiſque Monachas
ſine dubio non Canonicas impoſuit Monachus ipſe. Duplex in uno-
quoque Parthenone conventus erat, Monachorum ſcilicet ac Puel-
larum: hæ ab illis regebantur pro more: id quod Patres Concilij
Hiſpalenſis Actione II. ſtatuerunt. S. Foillanus aliíque Monachi Scot-
ti in Monaſterio Nivialenſi hoſpitari ſoliti erant. Et in libro de Mi-
cap. 3. ad ann. 638. rac. S. Gertrudis Abbatiſſæ Nivialenſis, exorto apud Niviallam in-
cendio, *Monachorum ac Virginum concurrentium* fit mentio. In iſto
Monaſterio præter Abbatiſſam quæ Sanctimonialibus præerat, erat
& Abbas Monachorum iſthic degentium SUBINUS, uti in Actis S.
ad ann. 684. Aldegundis num. 18. legitur. Et S. Jonatus Abbas Monachis Marcia-
nenſibus præfectus eſt à B. Amando, quo tempore S. Rictrudis ibi-
dem Monachas regebat. Adde & Monaſterium Habendenſe ſeu
Romaricenſe, in quo S. Amatus, Monachorum illic degentium Ab-
bas, Mactefledem Sanctimonialibus præpoſuit. Amato ſucceſſit Ro-
maricus Abbas, huic Adelphius, quo Abbate Tetta ſeu Tecta Vir-
ginibus præſidebat. Duplicem etiam conventum in Parthenone
Melbodienſi fuiſſe, innuit Auctor ſecundarius Vitæ S. Aldegundis
ſupremis lucubrationis ſuæ verbis: *Eſtque ipſe locus*, inquit, *grege
Puellarum farcitus, aliorúmque Deo ſervientium numeroſitate repletus.*
Suffragatur etiam Vita S. Waldetrudis de Cœnobio Caſtrilocenſi:
ſic enim Auctor in Prologo loquitur: *Quorumdam religioſorum Fra-
trum ac Sororum caritate compulſus, hoc opus aggredi præſumpſi.* Idem
etiam probabimus de Parthenone S. Johannis Bapt. apud Laudu-
num in Vita S. Anſtrudis inferiùs ſuo loco. Quemadmodum in Bel-
gica illa Cœnobia ſucceſſerunt collegia Canonicarum Monacha-
bus, ita & Monachis Canonicorum conventus: ut ſicut primitùs
Monachi Monachabus, ita poſtmodum Canonici Canonicabus Sa-
cramenta adminiſtrarent. Puellas in illis Cœnobiis degentes velo
conſecratas,

conſecratas, & caſtitatis voto obſtrictas fuiſſe, clarius eſt quàm ut probatione indigeat. Gertrudis Abbatiſſa Nivialenſis *ſacrum velamen cum Sodalibus ſuis* ab S. Amando accepiſſe dicitur. S. Aldegundis *ſacræ Religionis velamen & habitum* ſuſcepit. Waldetrudis ab S. Autberto Epiſcopo *velamen ſacrum impetravit.* Denique S. Begga Gertrudis Abbatiſſæ Nivialenſis ſoror, & ipſa Abbatiſſa Andanenſis, Monaſterium conſtruxit, *ubi Religioſam vitam duceret, Virgineſque ſacras in ſervitutem Divinam perpetua ſtabilitate firmaret,* uti ad lib. Mirac. S. Gertrudis obſervavimus. Non ergo ſæculum repetere illis licebat, quæ *perpetua ſtabilitate in ſervitutem Divinam* mancipabantur. Erant illis in locis Monachæ, non Canonicæ ſæculares (prout nunc) ſæcularibus votis implicatæ. Erant, inquam, Monachæ Benedictinæ, quibus S. Amandus leges Benedictinas præſcripſerat. In Concilio apud Leptinas agri Cameracenſis vicum anno DCC. XLIII. habito S. Bonifacius ſtatuit, *ut Monachi & Ancillæ Dei Monaſteriales* JUXTA REGULAM S. BENEDICTI *vivere ſtudeant.* Ad Cameracenſem diœceſim pertinebant & hucuſque pertinent Melbodienſe & Montenſe ſeu Caſtrilocenſe Cœnobia Puellarum. Immo Concilium illud à Bonifacio Legato Apoſtolico coactum valebat apud ceteras Galliæ ac Germaniæ provincias: ubi proinde *Ancillæ Dei Monaſteriales juxta Regulã S. Benedicti vivere* tenebãtur, quam antea profeſſæ erant.

33. Hinc intelligitur, nullas tum fuiſſe alias *Ancillas Dei Monaſteriales* quàm Monachas; nondum Canonicarum nomen audiri cœpiſſe. In Conciliis ſæculo VIII. cõvocatis Canonicarũ mentio nulla, nec in Epiſt. 9. Zachariæ Papæ ad Pippinum Francorum Regem c. 5. nec in Reſponſionibus Stephani Papæ III. ad Gallos, neq; in Capitulari Caroli Magni ann. DCC. LXXIX. condito, ubi aptiſſima Canonicarum cõmemoratio futura erat. In Cõcilio Francofordienſi ann. DCC. XCIV. ſtatuitur c. 46: *ut de Abbatiſſis quæ canonicè aut regulariter non vivunt, Epiſcopi requirant, & Regi adnuntient, ut ab honore priventur.* Quo in loco dictio *canonicè* opponi videtur *regulariter:* tametſi in titulo ſola vox *regulariter* apponatur in hunc modum: *Abbatiſſæ quæ regulariter non vivunt deponendæ.* At verò in Concilio Maguntino anno DCCC. XIII. clariùs Canonicæ exprimuntur cap. 13. *Abbatiſſas cum Sanctimonialibus omnino rectè & juſtè vivere cenſemus. Quæ verò profeſſionem ſanctæ Regulæ* BENEDICTI *fecerunt, regulariter vivant; ſin autem canonicè vivant pleniter, & ſub diligenti cura cuſtodiam habeant, & in Clauſtris permaneant, &c.* Novellum tum fuiſſe Canonicarum Inſtitutum ſatis probant Patres Concilij Cabilonenſis, dum cap. 53. aliiſque ſubſequentibus *admonitiones* ſeu leges præſcribunt *Sanctimonialibus quæ ſe Canonicas vocant.* Paullò poſt in Concilio Aquigranenſi anno DCCC. XVI. poſt Regulam Canonicorum compoſita eſt in gratiam Canonicarum alia, quæ capitulis 28. continetur. Itaque ſæculo VIII. nulla erant præter Virginum Benedictinarum Cœnobia: appetente ſæ-

culo IX. duo tantùm erant Parthenonum genera, Monacharum & Canonicarum. Illæ S. Benedicti Regulam obſervabant: his pro Regula erant decreta Concilij Aquigranenſis, quæ Regula ex SS. Cypriani, Athanaſij, Hieronymi & Cæſarij dictis propriiſque Synodi ſtatutis conflata eſt. Utræque, Monachæ ſcilicet & Canonicæ, communi nomine vocabantur *Sanctimoniales*, *Sorores*, *Puellæ*, *Ancillæ Dei*; uti & Canonici *Fratres*. Canonicæ poſtea dictæ ſunt *Dominæ*, *Domicellæ*: utriuſque Ordinis habitacula, *Monaſteria* dicta. Canonicæ vota perpetua profitebantur, nec illis ſæculum repetere integrum erat, ex cap. 18. Regulæ, quam Patres Concilij Aquigranenſis dictaverunt. *Si his omnibus exhibitis*, inquiunt, *inemendabilis atque incorrigibilis apparuerit, quia nullatenus huic ſæculum repetere fas eſt, advocetur ſi neceſſe eſt Epiſcopus.* Secundò veſtibus nigris utebantur, ex cap. 10. *Quid prodeſt veſtibus nigris indui &c.* Differebant verò à Virginibus Benedictinis, quòd plura ac lautiora habebant edulia, & carnibus veſcebantur cap. 13. quòd Ancillas ſingulæ ſingulas habebant cap. 21. aliáque hujuſmodi, quæ Puellis Regularibus non permittebantur. Hinc apparet, quantum à vero aberret Guillelmus de Rebreviettis in Vita gallicè edita S. Gertrudis, qui ut Nivialenſis Eccleſiæ Canonicabus hodiernis adblandiatur, primarias Puellas Nivialenſes nullis votis adſtrictas fuiſſe audet affirmare.

Erat & aliud genus Sanct. monialium ſeu Devotarū, in privatis ædibus aſſumpto velo manētium, de quibus Ordo Romanus, & liber Mirac S. Richarij, item S. Rematli hic.

34. Ergo ut ad propoſitum revertar, Virgines Nivialenſes, Melbodienſes, Caſtrilocenſes, aliæque ab origine Monachæ erant, & Inſtitutis Benedictinis S. Amando ſuggerente addictæ. Verùm quo pacto à Monaſtico ſtatu ad Canonicalem deſciverint, paucis explicandum. Poſtquam Chrodegangus Mettenſis Epiſcopus Canonicis Regulam præſcripſit, feminæ etiam nonnullæ æmulatione adductæ Canonicarum nomen affectare cœperunt: quæ tamen vota ſollemnia profitebantur. Poſt cladem à Nortmannis illatam Cœnobia perplura cenſu ac religione deſtituta, in corruptos mores prolapſa ſunt: Monachis Canonici, Monachabus Canonicæ pleriſque in locis ſucceſſerunt. Bruno Archiepiſcopus Colonienſis, Legati Apoſtolici munus medio ſæculo X. gerens, in villa Montenſi (ſi Jacobo Guiſio credimus) *in Eccleſia B. Virginis* MARIÆ, *quæ nunc S. Waldetrudis nuncupatur, & in villa Malbodienſi in Eccleſia quæ nunc Aldegundis dicitur, Canonicales ordinavit Præbendas ſæculares, de Sanctimonialibus Canonicos & Canonicas ſæculares ordinans.* Nivialenſes aduſque ſæculum XI. vocabantur *Fratres* ac *Sanctimoniales*, prout conſtat ex Diplomate Henrici IV. Imper. anno M. LIX. conceſſo, quo prædia Eccleſiæ Nivialenſis *in tres portiones* diviſa probat, ſcilicet *in Xenodochium, in beneficium Abbatiſſæ, in Præbendas Fratrum ſeu Sanctimonialium* LXXII. Et Gerardus Cameracenſis Epiſcopus *in Landenſi territorio Beſneium cambiavit cum Sororibus S. Gertrudis.* Tametſi jam Canonicæ erant, uti ex Præbendarum appellatione ſatis intelligitur. Ca-

Inc. Guiſ. To. 2. lib. 14. c. 35 ita citatus à Vincentio in Annal. Hann.

Mirei Notit. cap. 99.

ibid. c. 84.

nonicæ *Dominæ* dici cœperunt ſæculo inſequenti, eóque nomine Odo Cameracenſis Epiſcopus eas vocat in ſuis Litteris apud Miræum his verbis: *Ego* ODO *piæ petitioni Richetæ Abbatiſſæ ſanctæ Gertrudis Nivialenſis Eccleſiæ annuens, audiens etiam preces Dominarum Monaſterij & Canonicorum &c.* Et tamen priſcum *Sanctimonialium* vocabulum etiam tum retinebant. Nam Lotharius Imperator *precibus tam Clericorum quàm Sanctimonialium ſanctæ Gertrudis Nivellenſis Eccleſiæ*, rerum diviſionem ab Henrico IV. factam confirmat anno M. C. XXXVI. Et primitùs quidem Canonicæ illæ ſæculares (ut credere par eſt) velo retento vota perpetua promittebant. At rebus in deteriora labentibus, noſtro ævo ſolæ Abbatiſſæ cum Officialibus (ut vocant) vota nuncupant, ſervatis alicubi Ordine & ritibus Benedictinis, quemadmdum de Romaricenſi Eccleſia ad Acta S. Romarici dicturi ſumus. Hinc *in Monaſterio Thorenſi Ordin. ſancti Benedicti diœceſis Leodienſis ipſa dumtaxat Abbatiſſa dictum Ordinem expreſsè profiteri conſuevit*, ut Franciſcus Vinchantius in Hannon. Annal. cap. 12. refert. Id genus vitæ laxioris cùm iniquiùs ferrent Puellæ Monaſterij Horreenſis apud Treviros (cui quondam B. Modeſta, S. Gertrudi Abbatiſſæ Nivialenſi præcipua neceſſitudine & profeſſione adſtricta præfuit) abjecto Canonicarum indumento & vitæ genere, ad S. P. Benedicti leges ſeſe revocaverunt anno M. CCCC. XCV. eximio ſanè exemplo & hortatu D. Johannæ de Bettſtein Abbatiſſæ, quæ avitam Ordinis Monaſtici diſciplinam vetuſtate & morum corruptelâ collapſam reduxit. Quod utinam aliæ imitentur.

ibid. c. 128.

ibid. c. 147.

ad ann. 653.

§. IV. *Obſervationes Eccleſiaſticæ ac Monaſticæ ex ſecundi Sæculi Benedictini Actis erutæ.*

35. QUANDOQUIDEM intellexi haud ingratas fuiſſe viris eruditis Obſervationes, quas ex primi ſæculi Actis unum in faſciculum conjeci; lubet hoc eodem loco duplicem huic operæ articulum adhibere, unum qui res Eccleſiaſticas & Monaſticas, alterum qui res hiſtoricas & chronologicas complectatur.

36. Atque ut à ſacroſancto Miſſæ ſacrificio incipiam, notare inprimis juvat, quòd viri pij haud pauci per ſæculum VII. rem ſacram quotidie frequentâſſe leguntur: id quod anterioribus ſæculis non tam obvium videtur. S. Goar Anachoreta *habuit conſuetudinem omni die, excepta Paraſceve, Miſſarum ſollemnia celebrare populo.* Et S. Geremarus Abbas Flaviacenſis, *factus Sacerdos, offerebat ſacrificium per ſingulos dies.* Venerabilis Beda in lib. 2. Hiſt. Abbatum Monaſterij ſui idem affirmat de Ceolfrido Abbate, qui Romam pergens, *ex die quo de Monaſterio ſuo profectus abiit, uſque ad diem quo defunctus eſt, quotidie Miſſâ cantatâ ſalutaris hoſtiæ Deo munus offere-*

OBSERV. I.

ad ann. 649.

ad ann. 658.

ad ann. 690.

bat. Ubi *Miſſam cantare* non eſt certa ac modulatâ voce ſacris operari, uti modò uſurpatur ; ſed *recitare.* Exſtat luculentum hujuſce ſignificationis teſtimonium apud Remigium Autiſſiodorenſem Epiſcop. in Explicatione Canonis Miſſæ, dum rationem reddit, cur *Te igitur clementiſſime Pater* tacitè recitetur, his verbis: *Idcirco, ut fertur, venit conſuetudo in Eccleſia, ut* TACITE *ipſa obſecratio atque conſecratio à Sacerdote* CANTETUR, *ne verba tam ſacra vileſcerent.* Quo in ſignificatu eamdem vocem uſurpat Beda in Epiſtola ad Egbertum Epiſcopum recèns à Waræo editâ. *S. Antiſtes Ambroſius*, inquit, *hoc de Fide loquens admonet, ut verba Symboli matutinis ſemper horis Fideles quique decantent.* Denique ut plura alia omittam, eodem ſenſu Licinius Andecavorum Epiſcopus *quotidie Miſſam cum ingenti cordis compunctione cantâſſe* fertur. Idem obſervavit Gregorius M. in lib. Dial. cap. 56. de Caſſio Narnienſi Epiſcopo, *qui quotidianum offerre conſueverat Deo ſacrificium.* Lege Regulam Solitar. à Grimlaïco ſcriptam, cap. 36. Non tamen quotidiana Miſſæ frequentatio ita Sacerdotibus in more erat ſæculo VII. ut ſinguli in dies ad altare ſacra celebraturi accederent. Quin etiam tùm vigebat ritus ille, quò Sacerdotes, immo & Epiſcopi, in publica Miſſa Communionem ſacram percipiebant. Ceolfridus ſuprà laudatus in profectionis Romanæ procinctu, *cantatâ primo mane Miſſâ, communicantibus qui aderant*, (aderant autem ſine dubio Preſbyteri complures) *continuò præparatur ad eundum.* Et Concilium Toletanum IV. anno tertio Siſenandi Regis, hoc eſt anno Chriſti DC. XXXIV. celebratum ſtatuit c. 17. *ut Sacerdotes & Levitæ ante altare communicent, in choro Clerus, extra chorum populus.* Eumdem ritum egregiè illuſtrat Ordo Romanus quatuor primis capitulis. *Accedunt primùm Epiſcopi* (verba ſunt capitis 4.) *ſecundum ordinem de manu Pontificis communicare, & poſt eos adſcendunt Presbyteri omnes ut communicent ad altare.* Lege Morinum de Ordinat. ſacr. P. 3. Exerc. 8. c. 1. Poſtea uſus obtinuit, ut unus Sacerdos plures Miſſas uno die celebraret: quod quidem ob penuriam Sacerdotum Concilium Emeritenſe ærâ DCC. IV. collectum permiſerat fieri per ſingulas quæ uni Preſbytero commiſſæ erant parochias *pro diebus Dominicis* c. 19. Tempore procedente quod neceſſitate admiſſum eſt, in uſum ceſſit, adeout Leo Papa *una die ſeptem vel novem Miſſarum ſollemnia celebrâſſe* dicatur apud Walafridum Strabum. Eadgarus Rex in Canonibus anno CM. LXVII. conditis habet cap. 37. *Vt nullus Sacerdos Miſſam ſæpiùs in uno die celebret quàm ter ad ſummum.* Plures Miſſas etiam ſæculo XI. peragebant Sacerdotes, teſtante Petro Damiani libro quinto Epiſtola decima nona. Poſtea id tantùm in quibuſdam ſollemnitatibus, demum in ſola Nativitatis Chriſti celebritate licuit.

Bibl. SP. To. 9.

Walafr. de reb. Eccleſ. c. 21.

37. Qui diebus feſtis ſacroſanctis Myſteriis intererant, cibi ac potûs expertes eſſe oportebat. Auctor antiquus & gravis in lib. de Vita S. Walarici cap. 15. *Duo*, inquit, *germani erant, qui ad eum in feſtivitate B. Martini advenerant, quibus increpando ait: Admiror cur ante Miſſarum ſollemnia bibere præſumpſiſtis. Qui confitentes commiſſum ſuum, veniam poſtulant, & dereliquo ſeſe emendaturos ſpondent.* Simile factum de alio qui die Dominica heminam vini ante Miſſam biberat, continenter ſubjicitur. Huc ſpectat canon 19. Conc. Autiſſiod. *Non licet Presbytero aut Diacono aut Subdiacono, poſt acceptum cibum vel poculum Miſſas tractare, aut in Eccleſia dum Miſſæ dicuntur ſtare.* OBSERV. II. ad ann. 618.

38. Præterea diebus Dominicis Chriſtiani Matutinis officiis intereſſe communi lege tenebantur ſolebántque. In Vita S. Leodegarii Anonymus Ebroïni interitum deſcribit cap. 16. his ferè verbis: Quidam ex *Optimatibus poſt exſpolium ad Ebroïni oſtium ante lucem obſervat egreſſurum. Dies agebatur Dominica: ideóque proceſſurus erat ad Matutinarum ſollemnia. Cùm autem ille pedem foras miſiſſet de limine, ecce iſte inſperatè proſiliens, gladio eum percuſſit in capite.* Si Ebroïno Majori domûs Regiæ, homini alioquin vitæ haud ſeverioris, religio fuiſſet abſtinere à precibus antelucanis; quanto magis aliis? Lege Pallad. de vita S. Johannis Chryſoſt. & Vitam Gallicam lib. 3. cap. 10. OBSERV. III. ad ann. 678.

39. Quinetiam carpenti uſum die Dominica fuiſſe interdictum, auctor eſt Beda in lib. de Vita S. Cuthberti cap. 27. ubi Cuthberti congreſſum cum Ermentrude Regina exponit. *Confeſtim intravit ad Reginam, & ſecretò eam alloquens, (erat autem dies Sabbati;) Vide*, inquit, *maturè illuceſcente ſecunda Sabbati*, id eſt feriâ 2. hebdomadæ, *adſcendas currum, (quia die Dominico curru ire non licet) vadáſque & Regiam civitatem citiſſimè introeas.* Unde Theodorus in Capitulari: *Græci & Romani in die Dominica navigant & equitant, panem non faciunt, nec in curru ambulant, niſi ad Eccleſiam tantùm: nec balneant ſe Græci, nec ſcribunt publicè, tamen pro neceſſitate ſeorſum in domo ſcribunt*, &c. Confer can. 28. Conc. III. Aurelian. Denique antiquitus uſque ad noſtri ævi memoriam, obſervatio Dominicæ diei *à veſperâ uſque ad veſperam*, ut loquitur Herardus Turon. Epiſc. in capit. 2. protendebatur. Et Euſtachius Abbas apud Matthæum Pariſium ad ann. 1200. & Rogerium Hovedenſem ad ann. 1201. hortamentis perſuadere niſus eſt, ut *ab hora nona Sabbati uſque ad ortum Solis in die Lunæ feriatio protenderetur.* Hujus rei obvia ſunt exempla tum in his Actis, tum apud Gregorium Turon. in lib. 3. de Mirac. S. Martini capp. 31. & 56. tametſi Ahyto Baſileenſis Epiſcopus ineunte ſæculo x. pronuntiat in Capitul. art. 8. *ut omnem Dominicam à mane uſque ad veſperam* ferientur, *ne Iudaïſmo capiantur.* Lege Conſtitutionem Abbatis *de Flay* de cautiori obſervatione Dominicæ facta anno 1203. Tomo 2. Conc. Angl. OBSERV. IV. ad ann. 687. Tom. 6. Spicil. Acherianî.

40. Luculentum Sacramenti Confirmationis exemplum profert Beda in Vita S. Cuthberti ſoluta oratione compoſita cap. 29. tum OBSERV. V.

aliud cap. 32. quæ tu conſule ſuis locis. Legendus item Beda in Epiſtola recèns edita ad Egberhtum, in hæc verba : *Si autem aliquid utilitatis Fidelibus conferre manûs impoſitionem quâ Spiritus-ſanctus accipitur credimus; conſtat e contrario quòd hæc ipſa utilitas eis quibus manûs impoſitio defuerit abeſt.*

OBSERV. VI. *ad ann.* 627. 41. Pœnitentiæ publicæ præclarum ſpecimen edidit S. Amatus Abbas Habendenſis, dum ſolidum annum ante obitum ſuum *in cinere & cilicio* jacere voluit. Qui homicidium perpetraverant, ferreis vinculis conſtricti, per loca ſancta peregrinari jubebantur. Neque enim quovis tempore pœnâ capitis plexa eſt hominis cædes. In lib. 3. Mirac. *ad ann. 653. num. 4.* S. Bavonis, *Duo nepotes inter ſe rixantes, correptis armis alter alterum oppreſſit. In ſe itaque reverſus fratricidium expavit, Epiſcopum adiit, ac more Chriſtianæ remiſſionis peregrinando pœnitentiam accepit.* Poſt varia loca perluſtrata, in quodam S. Bavonis Oratorio, *virtute Divina quibus erat ſtrictus ferrei crepuerunt circuli.* Et in lib. de Mirac. S. *ad ann. 646.* Galli cap. 34. *pauperculus quidam propter homicidii reatum circulis ferreis tam in collo quàm in utroque conſtrictus brachio*, in Baſilica S. Galli *nexus quibus ſtringebatur amittere meruit.* Omittere non poſſum quod in cod. Mſ. de Mirac. SS. Floriani & Florentii legitur, huic rei illuſtrandæ aptiſſimum. *Conſuetudine antiqua partibus interioris Franciæ uſque hodie mos inolevit, ut quiſquis propinquiorem ſibi parentem gladio jugulaverit, & poſtea pœnitentiâ ductus, ad Pontificem crimen admiſſi facinoris detulerit, ipſo decernente Pontifice, ex ipſo gladio ferrei nexus componantur, & collum peccatoris venter atque brachia ſtrictim innectantur ex ipſis ferreis vinculis: ſicque de propria patria & ſolo patrio pellatur. Interim quouſque Divina pietas eadem vincula ſolvi præcipiat, primùm Romæ, dehinc per diverſa Sanctorum loca veniam criminis efflagitando peregrè proficiſci cogitur.* Poſthæc ſubjicitur miraculum in Monaſterio S. Florentii patratum erga quemdam Clericum Amelium nomine, qui avunculum occiderat: ob ídque *ab* ARTEARIO *Trajectenſium urbis Epiſcopo damnatus*, prædictam ſententiam exceperat. Solutus meritis S. Florentii, *quia Abbas tunc præſens non aderat, obnixè deprecatus eſt Fratres, ut ex nomine Abbatis ipſorum deprecatoriam epiſtolam jam præfato Epiſcopo, à quo in pœnitentiam miſſus fuerat, tranſſcriberent, quatinus eum in propria paroch amiſericorditer reciperet: utpote quem Divina benignitas ac meritum S. Florentii ſpecialiter abſolutum in ſolutione viſibilium vinculorum monſtraverat, ipſe quoque ſua Pontificali auctoritate omnimodis abſolutum eſſe decerneret.* Lege adnotationes in Mirac. S. Jo- *Append. Sæc. I. ad ann. 639. n. 7.* hannis Abbatis Reomaenſis Sæculo I.

OBSERV. VII. 42. Jam ut de Sanctorum Reliquiis nonnihil obſervemus, non otioſum erit adnotare ritum, quem Sæculi VII. homines in iis tranſferendis recondendíſve frequentare cœperunt. Ante iſtud ſæculum, Sanctorum corpora tangere aut loco movere, Occidentalibus religio erat. Inſignis eſt ea de re Gregorii Magni Epiſtola ad Conſtantiam

Auguſtam, quæ *propter eam quam in honore S. Pauli Apoſtoli in palatio ædificabat Eccleſiam, caput ejuſdem Apoſtoli aut aliud quid de corpore ipſius tranſmitti* ad ſe petierat. Reſpondet Gregorius id ſibi non licere, relatis variis prodigiis ad tumulos SS. Petri, Pauli ac Laurentii factis adverſus eos qui humum eorum ſepulcris contiguam effoderant. Tum ſubdit: *Cognoſcat autem tranquilliſſima Domina, quia Romanis conſuetudo non eſt, quando Sanctorum Reliquias dant, ut quidquam tangere præſumant de corpore: ſed tantummodò in pyxide brandeum mittitur, atque ad ſacratiſſima corpora Sanctorum ponitur: quod levatum, in Eccleſia quæ eſt dedicanda, debita cum veneratione reconditur, & tantæ per hoc ibidem virtutes fiunt, ac ſi illuc ſpecialiter eorum corpora deferantur.* Et infrà. *In Romanis namque vel totius Occidentis partibus omnino intolerabile eſt atque ſacrilegum, ſi Sanctorum corpora tangere quiſquam fortaſſe voluerit. Quod ſi præſumpſerit, certum eſt quia hæc temeritas impunita nullo modo remanebit. Pro qua re de Græcorum conſuetudine qui oſſa Sanctorum levare ſe aſſerunt, vehementer miramur & vix credimus.* Hinc patet, Gregorii pontificatu nefas fuiſſe in Occidente Sanctorum corpora contingere aut è tumulis levare; ſed Reliquiarum loco brandea fuiſſe tranſmiſſa. De brandeis ſeu linteis ejuſcemodi legendus Gregorius Turonicus Epiſc. tum in lib. 1. de Mirac. S. Martini cap. 11. tum in lib. 1. de Gl. Martyr. cap. 28. qui rurſus cap. 47. Reliquias SS. Gervaſii & Protaſii, id eſt *linteamina ſeu pallulas* eorum ſanguine intinctas à S. Martino in Galliam aſportatas aſſerit. Et lib. 2. capp. 34. & 35. Reliquias S. Juliani vocat *fimbrias pallæ quæ ſanctum tegit tumulum* à ſe detractas: & *parumper ceræ* à ſepulcro ſublatum capp. 40. & 44. Item Reliquias S. Martini appellat *ampullam olei* ab S. Aredio è S. Martini ſepulcro ablatam in lib. de Gl. Conf. cap. 9. item *uvam de vite quam Sanctus plantaverat* cap. 10. Id genus Reliquias ad Templorum dedicationes adhibebant illius temporis homines, qui Sanctorum membra diſtrahere, ſive huc illúcque circumferre, optimo conſilio non ſuſtinebant. Verùm per ſæculum VII. Sanctorum corpora è tumulis levari transferríque cœperunt. Quippe S. Audoënus Rotomagenſis Epiſcopus S. Marculfi Abbatis Nantenſis, Eligius Noviomagenſis Epiſcopus S. Quintini, Anſbertus itidem Rotomagenſis Antiſtes Audoëni deceſſoris ſui, Epiſcopus quidam S. Amandi Epiſcopi, Anſoaldus Pictavorum Epiſcopus S. Leodegarii Epiſcopi & Martyris, Sexburga Elienſis Abbatiſſa S. Ethildritæ Abbatiſſæ, Eadbertus Lindisfarnenſis Epiſcopus Cuthberti deceſſoris ſui, alii aliorum corpora ſollemni ritu levaverunt: quod etiam S. Hildefonſus Toletanus Pontifex erga S. Leocadiam præſtitit. Nec tamen eo animo id actitabatur, ut membra ſancta hinc inde diſtraherentur, ſed ut transferrentur in locum decentiorem. Certè S. Audoënus qui S. Marculfi caput auferre volebat, à conſilio ſuo divinitùs revocatus eſt. Et S. Hildefonſus S. Leocadiæ dumtaxat veli partem cultro præcidit. In Geſtis

Reg. lib. 3. Epiſt. 30. Ind. 12.

Sæculo 1. ad ann. 558. ad ann. 667.

quoque Regum Franc. quæ ante annos DCCC. L. ſcripta ſunt, cap. 44. & in Geſtis Dagoberti cap. 52. Chlodoveus qui anno DC. XL. regnavit apud Francos, *brachium S. Dionyſii Martyris abſcidiſſe inſtigante diabolo* dicitur, & *per idem tempus concidiſſe Regnum Francorum caſibus peſtiferis.*

OBSERV. VIII. 43. Fatendum eſt nihilominus, varias ante ſæculum VII. Elevationes (ut vocant) tranſlationéſque Sanctorum celebratas fuiſſe, cùm in Oriente, tum in Occidente. *Conſtantinus* Imp. teſte Hieronymo in lib. contra Vigilantium, *ſanctas Reliquias Andreæ, Lucæ & Timothei tranſtulit Conſtantinopolim; Arcadius oſſa B. Samuëlis de Judæa tranſtulit in Thraciam.* Et Pulcheria Auguſta SS. XL. Martyrum Reliquias è ruderibus eduxiſſe legitur apud Sozomenum in lib. 9. cap. 2. & Nicephorum Calliſtum in lib. 14. cap. 10. qui Nicephorus Stephani Protomartyris, Zachariæ Prophetæ, aliorúmque Sanctorum Reliquias tranſlatas commemorat ejuſdem libri capp. 9. 10. & 11. Denique *poſt Conſulatum Baſilii anno* XX. *corpus S. Antonii Eremitæ repertum, cum maximo honore Alexandriam perducitur, & in Baſilica S. Iohannis Bapt. honorificè collocatur*, ut Victor Tununenſis in Chron. auctor eſt. Neque id in Occidente inauditum. S. Ambroſius Mediolanenſis Epiſcopus SS. Gervaſii & Protaſii Reliquias loco movit. Perpetuus Turonicus S. Martini, Gregorius Lingonicus S. Benigni Martyris, Palladius Santonicus S. Eutropii Epiſcopi, Ebregiſilus Agrippinenſis S. Malloſi Martyris, Monulfus Trajectenſis S. Arvatii ejuſdem Sedis Antiſtitis, Germanus Pariſiorum Epiſcopus S. Urſini Biturigum Epiſcopi corpora è tumulis ſuſtulerunt, & convenientiori loco recondiderunt. Iſta ignorare non poterat Gregorius Magnus. Sed quia in detrimentum Religionis id nonnumquam fieri adverterunt Eccleſiæ Paſtores, parciùs ejuſmodi Tranſlationes pontificatu S. Gregorii peragebant, & mos antea inductus jam in deſuetudinem abierat, qui Gregorio mortuo revocari ac frequentari cœpit. Cur enim, quæſo, corpora SS. Pontificum haud ignobilium Germani utriuſque, Autiſſiodorenſis & Pariſiaci, Remigii Remenſis; cur Gregorii Magni, S. Albani Martyris, aliorúmque Sanctorum corpora in primariis tumulis ad ſæculum uſque octavum jacuerunt, niſi quia tum temporis Tranſlationes ferè inuſitatæ erant? Quid Eccleſiæ Paſtores impulerit, ut transferendarum Reliquiarum morem abrogaverint, conjicimus ex S. Auguſtino in lib. de Opere Monach. cap. 8. ubi redarguit perſonatos quoſdam ac fictos Monachos, qui *circumeuntes provincias, membra Martyrum (ſi tamen Martyrum membra) venditabant.* Quæ Theodoſio Imperatori ſanciendæ hujuſce legis fuit occaſio: *Humatum corpus nemo ad alterum locum transferat, nemo Martyrem diſtrahat, nemo mercetur*, uti Acherius in Guiberti Abbatis lib. 1. cap. 4. de Pignerib. Sanctor. adnotavit. Quod poſtea Patres Concilii Maguntiacenſis cap. 50. anno DCCC. XIII. iteraverunt. *Certè ſi Sanctorum corpora*, inquit Guibertus eodem

Greg. Turon. de Gl. Mart. lib. 1. capp. 51. & 3. de Gl. Conf. c. 72. & 80.

C. l. ult. de Sepulc. viol. C. Theodoſ.

eodem loco, *ſua juxta naturæ debitum loca, id eſt ſepulcra ſervâſſent, hujuſmodi quos recenſui errores*, nimirum SS. Reliquiarum nundinationes ac *falſificationes, ceſsâſſent. Per hoc enim quòd è tumulis eruuntur, membratim huc illúcque feruntur: & cùm pietatis obtentus occaſio circumlationis exſtiterit, ad hoc ſubeunte nequitia detorqueri cœpta eſt intentionis rectitudo, ut pæne quæ ſimpliciter fieri conſueverant, corrumperet univerſa cupido.* Deinde relatâ Gregorii Magni auctoritate ſuperiùs adductâ ſubinfert: *Dicat quiſque quod ſentit: ſecurus planè ego inferam, non Deo, non Sanctis ipſis umquam fuiſſe placitum, ut eorum cujuſpiam debuerit reſerari ſepulcrum, aut dirimi per fruſta corpuſculum.*

44. Et quidem per ſeptimum ſæculum tametſi Sanctorum corpora frequentiùs loco moveri cœperunt; tamen, ut jam dixi, religio erat ſacra corpora membratim diſtrahere: nec illa ita è tumulis levabantur, ut ſacris altaribus (id quod nunc fit) ſublimi loco imponerentur. Quod antequàm explicare incipio, juvat deſcribere modum, quem antiquiores Patres in recondendis colendíſve Sanctorum Reliquiis obſervabant. Euſebius Pamphilus Cæſareæ Epiſcopus in Hiſt. Eccleſ. lib. 4. cap. 15. refert Smyrnenſis Eccleſiæ Epiſtolam ad Eccleſias Ponti de Polycarpi Epiſcopi martyrio ſcriptam, in qua quidam dicuntur ſuggeſſiſſe Nicetæ Herodis patri, ut Proconſulem adiret monerétque, ne cadaver illius donaret, ne fortè (ut aiebant) relicto « Crucifixo hunc deinceps Chriſtiani colere inciperent. Porro cùm « Centurio pertinaciam Judæorum animadverteret, corpus in medio « collocatum, ut moris eſt, concremavit: atque ita nos demum oſſa « illius gemmis pretioſiſſimis cariora & quovis auro puriora colligentes, « ubi decebat condidimus. Quo etiam in loco ſi fieri poterit, (in- « quiunt Smyrnenſes) convenientibus, concedet Deus natalem ejus « martyrii diem cum hilaritate & gaudio celebrare, tum in memoriam « eorum qui defuncti ſunt, tum ad poſteros hujuſmodi exemplo eru- « diendos & confirmandos. Lege V. C. Henrici Valeſii adnotationem in « hunc locum, ubi ex eodem Euſebio in Serm. 2. de Reſurrect. obſervat, fuiſſe & alium morem ſecutis temporibus, ut ſinguli Fidelium « Reliquias Martyrum quaſcumque nanciſci potuerant, domi honori- « ficè ſervarent. Huc etiam, inquit, referendus eſt mos Ægyptiorum, « qui Martyrum corpora non humabant, ſed domi in lectulis repoſita « ſervabant, ut refert Athanaſius in Vita B. Antonii. Verùm in cœmeteriis paſſim humabantur colebantúrque. Lege Epiſtolam Dionyſii Alexandrini Epiſcopi ad Germanum Epiſc. in qua Æmilianum Præfectum inducit ſibi comminantem: Nullatenus licebit vobis nec qui- « buſcumq; aliis conventus agere, aut ea quę vocantur cœmeteria adire, « ſicuti Euſebius in lib. 7. cap. 11, commemorat: qui rurſus lib. 9. cap. 2. meminit interdicti, quo Maximinus Imp. Chriſtianos à conventibus qui in cœmeteriis fieri ſolebant, arcere aggreſſus eſt. Corpora XI.

OBSERV. IX.

Martyrum qui regnante Licinio paſſi ſunt, Euſebia Diaconiſſa ſepe-livit in Oratorio ſubterraneo, & in duabus pyxidibus argenteis collocavit, teſte Sozomeno in lib. 9. Hiſt. cap. 2. Omnino audiendus Gregorius Turonicus Epiſc. in lib. 1. de Mirac. Martyr. cap. 28. de S. Petri tumulo agens in hunc modum: *Septultus eſt in Templo quod vocabatur antiquitùs Vaticanum, quatuor ordines columnarum valde mirabilium numero nonaginta ſex habens. Habet etiam quatuor in altari, quæ ſunt ſimul centum, præter illas quæ ciborium ſepulcri ſuſtentant. Hoc enim ſepulcrum ſub altari collocatum valdè rarum habetur. Sed qui orare deſiderat, reſeratis cancellis quibus locus ille ambitur, accedit ſuper ſepulcrum: & ſic feneſtellâ parvulâ patefactâ*, immiſſo introrſum capite, quæ neceſſitas promit efflagitat. Nec moratur effectus, ſi petitionis tantùm juſta proferatur oratio. Quòd ſi beata auferre deſiderat pignora, palliolum aliquod momentanâ penſatum jacet intrinſecùs. Deinde vigilans ac jejunans devotiſſimè deprecatur, ut devotioni ſuæ virtus Apoſtolica ſuffragetur. Mirum dictu! ſi fides hominis prævaluerit, à tumulo palliolum elevatum ita imbuitur Divina virtute, ut multo ampliùs quàm penſaverat ponderet: & tunc ſcit qui levaverit, cum ejus gratia ſumpſiſſe quod petiit. Multi enim & claves aureas ad reſerandos cancellos beati ſepulcri faciunt, quas ferentes pro benedictione priores accipiunt, quibus infirmitati tribulatorum medeantur. Omnia enim fides integra præſtat.* En quales Reliquias majores noſtri inquirebant! Subdit Gregorius: *Sunt ibi & columnæ miræ elegantiæ, candore niveo, quatuor numero, quæ ciborium ſepulcri ſuſtinere dicuntur.* Hunc locum paullo fuſiùs retuli, quòd rei quam tractamus illuſtrandæ aptiſſimus videatur. Nec abs re erit, etiam conſulere adnotationem Henrici Valeſii in Sozomeni lib. 9. cap. 2. Duplex, inquit, » erat foramen ſuper Martyrum Reliquias: alterum exterius, in altari » vel in pavimento, ſub quo conditæ erant Reliquiæ: alterum interius, » in capſa ſeu arca, quâ Reliquiæ claudebantur. Per hæc autem fora» mina quæ è regione ſibi invicem reſpondebant, Chriſtiani ſolebant » demittere velamina, ut Sanctorum Reliquias contingerent, quæ pro » magna benedictione accipiebant, &c.

* lege de Gl. Conf. c. 37. de ſe. eſtella ad Veneran di Ep. ſe. ſepulcrum.

OBSERV. X.

45. Hinc etiam colligimus, Sanctorum corpora antiquitùs vel ſub altari, vel ſubtus apſidem recondi ſolita eſſe. Ambroſius in Epiſt. 85. ad Marcellinam ſororem de SS. Gervaſio & Protaſio agens; *Succedant*, inquit, *victimæ triumphales in locum ubi Chriſtus hoſtia eſt: ſed ille ſuper altare qui pro omnibus paſſus eſt, iſti ſub altari qui illius redempti ſunt paſſione. Hunc ergo locum prædeſtinaveram mihi. Dignum eſt enim ut ibi requieſcat Sacerdos, ubi offerre conſuevit.* Super Sanctorum Reliquias quæ intra apſidem recondebantur, erigebantur ciboria ſeu turritæ ædiculæ, quatuor columnis innixæ, columbâ aureâ decoratæ, uti Gregorius Turon. Epiſc. tumulum S. Dionyſii in lib. 1. de Gl. Mart. cap. 72. depingit, cruce in ſummo appoſita, in lib. 2. cap. 20. Qualia ferè ciboria altaribus imponebantur, de quibus Chronographus

Centulenſis in lib. 3. cap. 3. hæc habet: *Super illa tria altaria habentur tria ciboria ex argento & auro parata, in quibus tres dependent coronæ, ſingulæ per ſingula ex auro gemmíſque paratæ cum aureis cruciculis aliíſque ornamentis.* Non tamen Sanctorum corpora in ſuperna ciborii parte collocabantur, ut quidam exiſtimant: ſed cùm in terram recondita eſſent, eorum tumuli turritis illis ædiculis exornabantur, eo ferè modo quo antiqui Baſilicas ſuper Sanctorum ſepulcra ædificabant. *Guntramnus Rex* teſte Paulo Diacono Warnefridi filio in lib. 3. de Geſt. Lang. cap. 35. *ciborium ſolidum ex auro miræ magnitudinis & magni ponderis fecit, multíſque illud pretioſiſſimis gemmis decoratum ad ſepulcrum Domini Hieroſolymam tranſmittere voluit. Sed cùm minimè potuiſſet, idem ſupra corpus B. Marcelli Martyris, quod in civitate Cavallono ſitum eſt, poni fecit.* Ejuſmodi ciboria ſeu turritas ædiculas etiam *fredas* appellabant. Chlotharius Chlodovei M. filius, ut Herricus Monachus in lib. 1. de Mirac. S. Germani Autiſſ. cap. 27. auctor eſt, *ſuper adorandam beatiſſimi Germani Memoriam per manus S. Deſiderii ejuſdem tunc urbis Epiſcopi, Regalibus expenſis fredam compoſuit.* Aliis nominibus *lectos, lecticas, tumbas, mauſolea*, ædiculas illas deſignabant, quarum tectum *repa* ſeu *crepa* dicebatur. Denique Gregorius Turon. Epiſc. in lib. de Gl. Conf. cap 96. S. Albini membra *intra vitream apſidem* concluſa fuiſſe docet. *Tom. Spicil. Acherii.*

46. Hoc ritu veteres illi Chriſtiani Sanctorum corpora venerabantur. Sæculo VII. quamvis ſæpiùs è tumulis levarentur, tamen etiam tum humo recondebantur, more haud omnino diſſimili. S. Amandi corpus paucis poſt obitum annis è ſepulcro levatum, iterum ſæculo IX. cùm moveret Lotharius ædituus, *urnam ſepulcri non, ut antea fuerat, in profundioribus poſuit, ſed in ſuperioribus, itaut fundamentum illius videri, & lumen ſub illo accendi poſſet.* Ergo in primaria illa Elevatione corpus *in profundioribus* repoſitum fuerat. S. Ethildritæ corpus itidem *in urnam marmoream* ſextodecimo anno ab obitu illatum, ſub terra collocatum eſt. S. Eligius Noviomagenſis Epiſcopus teſtante S. Audoëno in lib. 2. Vitæ cap. 6. B. Quintini corpus à ſe inventum *ſumma cum diligentia citra altare tranſpoſuit, tumbam denique ex auro argentóque & gemmis miro opere deſuper fabricavit.* Item S. Piatonis corpus *ſicut Martyrem decuit, eleganter compoſuit, atque mauſoleum urbanè deſuper fabricavit* cap. 7. Sic S. Balthildis Regina *juſſit crepam ex auro atque argento mirificè fabricari, quam ſupra Confeſſoris* (Eligii) *membra deponeret*, cap. 39. Paullo aliter S. Cuthberti Tranſlationem factam Venerabilis Beda commemorat. Fratres Lindisfarnenſes involutum novo amictu corpus novâque in theca reconditum *ſupra pavimentum ſanctuarii poſuerunt.* Eadberti verò ſucceſſoris *corpus in ſepulcro benedicti Patris Cuthberti ponentes, appoſuerunt deſuper arcam, in qua incorrupta ejuſdem Patris membra locaverant.* *Miloniis Supplem. c. 7. ad ann. 679.*

47. Sæculo VIII. S. Germani Pariſiaci Epiſcopi corpus, cujus

Tranſlatio ſpectante Pippino Rege facta dicitur, *depoſitum eſt in foſſam ſibi præparatam.* B. Johannis Baptiſtæ (ut putant) caput *in ciborio* unà cum quibuſdam SS. Innocentium Reliquiis concluſum fuiſſe legitur in Chron. Malleacenſi. Ad quem modum S. Emmeramni Epiſcopi corpus *in ciborio quadrato, auro tecto & gemmis redimito, octo columnis innixo* ſuſtentabatur, cum quo incluſi erant Evangeliorum libri, ſicuti Arnolfus in lib. de Mirac. ejuſdem cap. 5. refert. Eſt hujuſce ritûs inſigne monumentum in Chron. Fontanell. cap. 13. de turricula, in qua capſa Reliquiarum S. Georgii collocata eſt, quam deſcribit hoc modo eſtis oculatus: *Eſt formæ quadratæ, ex quatuor videlicet angulis ab imo adſurgens, & ita omne opus paullatim minuendo in latitudine, in ſummo anguſtum redditur, ut pyramidem in altitudine reddat, uniúſque mali parvi concluſione ſolidetur. Habet quoque in medio ſui ſolariolum**, *in quo codex ille Evangelicus cum capſa illa ſervabatur, cui deſuper aptatum eſt laquear. Eminet in altitudine pedum circiter octo, in latitudine plus minúſque trium.* Qualiter ſæculo IX. Reliquiæ Sanctorum adſervarentur, diſcimus tum ex Walafrido Strabo, tum ex Lupo Abbate Ferrarienſi. Ille in lib. de Mirac. S Galli cap. 2. rem ita deſcribit. Boſo Conſtantienſis Eccleſiæ Præſul *ſumens loculum in quo ſanctum corpus erat, poſuit ſuper terram inter parietem & altare, & deſuper (ut moris eſt) arcam altiorem conſtruxit, foſſam verò terrâ replevit.* Lupus verò in lib. de Vita S. Wigberti cap. 25. agens de Reliquiis ejuſdem Sancti Monaſterio Herolfesfelt conceſſis, *à reliquis*, inquit, *Dei ſervis illic exceptum, magnificè primo loco eſt in Eccleſia conditum: atque Lullus annuente Magno Carolo, monumentum illius, quo more per Gallias Germaniámque ceterorum Sanctorum viſuntur, auro & argento, necnon reliquis congruentibus metallis exornandum curavit.* Lotharius Elnonenſis ædituus *urnam Sepulcri* S. Amandi *non ut antea fuerat in profundioribus poſuit, ſed in ſuperioribus, itaut fundamentum illius videri, & lumen ſub illo accendi poſſet.* Attamen per ſæculum nonum pleraque Sanctorum corpora in ſubterraneis locis etiam quieſcebant, ut ex Adrevaldo in lib. de Mirac. S. Bened. cap. 34. item ex lib. 1. Mirac. S. Filiberti Abbatis, hîc tum ex Mirac. S. Martini Abb. Vertavenſis in Appendice Sæculi 1. relatis manifeſtum eſt. Quinetiam Sæculo XI. adhuc conſuetudo illa vigebat. Id apparet ex lib. 1. Mirac. S. Agili cap. 7. Nam *tempore Roberti Abbatis quædam Emelina nomine perturbatione ſpiritûs immundi vexata, in pavimentum ſacratum, quo continetur ſub terræ latibulo gleba hujus ſanctiſſimi viri, recubuiſſe*, ibíque ſanata fuiſſe dicitur. Et Petrus Damiani in lib. de Vita S. Romualdi narrat, poſt quinquennium ab ſancti viri obitu datam fuiſſe Monachis ab Apoſtolica Sede licentiam, non ut corpus levarent, ſed *ut ſupra venerabile corpus ejus altare conſtruerent.* Subdit Petrus: *Azo quidam Frater ſilvam petiit, quatenus modicam capſam faceret, quæ S. Confeſſoris oſſa & pulverem tantummodò capere potuiſſet.* Poſtea thecarum aurearum & argen-

Tom. 1. Bibl. Labbe

Tom. 2. Caniſii.

* *eadem voce utitur Chronographus cap. 12.*

ad ann. 646.

ad ann. 650.

tearum uſus, ſanctorúmque corporum diſtractiones in morem abierunt. Qua de re Guibertus Abbas Novigenti, propter abuſus inde enatos, graviter ac vehementer conqueritur: tametſi jam principatu Ludovici Pij Auguſti in Monaſterio Centulenſi erant *capſæ Reliquiarum aureæ & argenteæ, vel eburneæ triginta*, teſte Hariulfo in Chron. lib. 3. cap. 3. Et S. Hugo Rotomagenſis Epiſcopus dimiſit inter alia Cœnobio Fontanellenſi *capſam auro & gemmis decoratam, continentem pignora diverſorum Sanctorum*, quæ tamen non alia fuiſſe quàm brandea ſuſpicari licet. Hæc prolixiori oratione perſecutus ſum, quòd iſtud argumentum à nemine hactenus ex profeſſo expoſitum legerim. *Guib. de pignerib. SS.* *Chron. Fōt. cap. 8.*

48. Si quid furti in Oratoriis, in quibus Sanctorum Reliquiæ continebantur accidiſſet, ſolebant antiqui Sanctos ipſos ad rei amiſſæ reſtitutionem non tam oratione quàm piâ violentiâ adigere. Alij id præſtabant altarium nudatione, ut S. Fructuoſus Bracarenſis Epiſcopus, qui ob prædia Monaſterio ſuo ablata, *ſancta nudavit altaria, & ciliciis induit ea.* Alij luminum exſtinctione, ut Chriſtianus ædituus Floriacenſis in lib. Mirac. S. P. Benedicti cap. 26. ob armillas ab Eccleſia ſublatas. Egregium eſt hanc in rem exemplum Leonis Epiſcopi Agathenſis. Is ob agrum quemdam ab hæretico homine ſubtractum Eccleſiæ S. Andreæ, *proſternitur in oratione, celebrat vigilias, ac noctem totam in lacrymis & pſallentio ducit. Mane autem facto accedit ad lychnos qui de camera Eccleſiæ dependebant, extendénſque virgam quam tenebat, effregit cunctos &c.* ut apud Gregorium Turon. Epiſc. lib. 1. de Gl. Mart. cap. 79. legitur. Alij vel Reliquias ſacras, vel Sanctorum imagines in terram aut in ſpinas deponebant. Chronographus Senonienſis in lib. 5. c. 7. *Quum Dominus de Salmis res Eccleſiæ Senonienſis diriperet, Monachi conſilio Gilonis Epiſcopi Tullenſis imagines Redemptoris noſtri & etiam beatiſſimi Simeonis Confeſſoris de locis ſuis ad terram ſuper ſpinas depoſuerunt.* Denique S. Eligius inſtar comminantis ad ſanctam Columbam, cui Oratorium conſtruxerat, ſic orationem direxiſſe legitur in lib. 2. Vitæ cap. 30. *Niſi citò ornamenta tabernaculi hujus furata reduxeris, equidem ſpinis allatis faciam hanc januam ita obſerari, ut numquam tibi in hoc loco veneratio præbeatur ab hodie.* Sæculo IX. aut inſequenti alius inductus eſt ritus, ut ſcilicet Sanctorum Reliquiæ adverſus pervaſores deferrentur: quod ſexcentis exemplis conſtat. Lugdunenſe Concilium generale ſub Gregorio X. relatum in VI. Decretal. de Off. ord. c. *Si Canonici*, reprobavit *deteſtabilem abuſum horrendæ indevotionis illorum, qui Crucis, B. Mariæ Virginis, aliorúmque Sanctorum imagines ſeu ſtatuas irreverenti auſu tractantes, eas in aggravationem ceſſationis (à divinis) proſternunt in terram, & urticis ſpiniſque ſupponunt.* OBSERV. XI. *ad ann. 670.* *ad ann. 653.* *To. 3. Spicil.*

49. His obſervationibus ſuccedant quædam animadverſiones de Epiſcoporum deſtitutione, quam nimirum ob cauſam, & quo ritu OBSERV. XII.

isthoc sæculo VII. perageretur. Episcopos aliósque ministros sacros ob lapsum carnalem perpetua depositione feriebant Canones. Id S. Amando districtè observandum præcipit Martinus Papa in Epistola ad ipsum Amandum, relata in Supplem. Milonis cap. 2. iis sanè verbis quæ hîc integra transscribere conveniret. *Qui semel post suam ordinationem in lapsu ceciderit, deinceps jam depositus erit, nullúmque gradum Sacerdotij poterit adipisci: sed sufficiat ei lamentationibus fletibúsque assiduis quousque advixerit in eadem pœnitentia perdurare, ut commissum delictum valeat extinguere &c.* Unde illa Isidori Hispalensis eximia sententia ad Helladium Toletanum Episcopum: *Sciat se amisisse nomen & officium Sacerdotis, qui meritum perdidit sanctitatis.* Lege Elogium S. Helladij ad ann. 632. Iisdem legibus præivit Gregorius Magnus, quemadmodum ex lib. 7. Epist. 25. Indict. 1. & lib. 10. Epist. 8. intelligitur. Quare non immeritò viris eruditis suppositicia videtur illa pars Epistolæ S. Doctoris *ad Secundinum servum Dei*, quæ lapsis Sacerdotibus veniam gradúmque non adimit: maximè cùm pars illa Epistolæ in nonnullis exemplaribus MSS. desideretur. Attamen genuinam Gregorij scriptionem esse appendicem illam epistolæ ad Secundinum, multa persuadere videntur: stilus ubique æqualis; Pauli Warnefridi Diaconi ac Monachi Cassinensis exemplar ad S. Adelardum Abbatem Corbeiensem, cujus autographum penes non habemus, in quo hæc epistolæ pars legitur. Nec minùs favent Hincmarus Remensis Antistes in Capitulari 2. Art. ult. ubi totam ferè illam epistolæ controversæ partem refert; & Anselmus Cantuariæ Episcopus in lib. 1. Epist. 56. ad Guillelmum Abbatem, in qua hæc verba: *Qui autem huic sententiæ quæ ad sacri Ordinis officium reditum post lapsum concedit, nequaquam aliqua ratione nisi auctoritate fulciatur scripturarum, vult consensum attribuere; legat Epistolam B. Callisti Papæ, decretum universis Episcopis per Galliam constitutis, & B. Gregorij ad Secundinum Iucluſum... sed quoniam idem B. Gregorius idipsum in aliis suis quibusdam Epistolis studiosè prohibet; ne sibi ipse contrarius sit, de apertis quidem prohibuisse, de occultis verò per occultam pœnitentiam concessisse intelligitur.* Hincmari testimonium hac in parte eo majoris est auctoritatis, quòd accusaretur à quibusdam, quasi faveret Novatianis, dum restitutionem Presbyteris & Diaconis lapsis denegabat. Quòd si tum temporis variâssent Gregorianæ Epistolæ exemplaria, id certè dissimulaturus non fuisset, quod causæ suæ futurum erat opportunum. Verùm istud quodcumque est controversiæ, dirimendum relinquo doctissimo viro, qui Gregorij Operum editionem accuratam molitur.

ad ann. 679.

Regest. lib. 7. Epist. 53. Ind. 2.

To. 1. op. Hincm. circ. fin.

OBSERV. XIII.

50. Alias causas ob quas ministri sacri in ordinem, immo extra ordinem redigebantur, persequi non est hujus loci. Superest ut quo ritu id fieret, ex his Actis depromamus. In Vita S. Leodegarij primaria ab anonymo scripta cap. 14. *Theodericus & Hebroinus Di-*

ad ann. 678.

donem, qui ſanctum virum Leodegarium cum Waimero expulit de ſede ſui Epiſcopatûs, & tradidit pœnæ illectus, condemnatum ab ipſâ Synodo, calvariâ acceptâ in capite, expulſum à ſancta congregatione ſegregâſſe dicuntur. Et Hebroini invidentiâ *factum eſt, ut Epiſcoporum conſilio, Leodegarij diſrumperet veſtimentum, quatenus ob hoc eſſet ei interdictum, ut ultrà non præſumeret offerre ſacrificium.* Qui deſtitutionis ritus ex Gregorio Turon. Epiſc. lib. 5. Hiſt. cap. 19. in cauſa Prætextati Rotomagenſis Epiſcopi confirmatur. In Actis S. Theodardi Narbonenſis Epiſcopi qui nono ſæculo florebat, Selva aliique Epiſcopi hoc modo abjecti feruntur. *Truncatis in conſpectu omnium ac penitùs ſciſſis Epiſcopalibus indumentis, baculiſque ſuper eorum capita confractis, necnon annulis ſingulorum ab eorum digitis dedecore cum magno avulſis, ab omni ordine Clericatûs penitùs dejecti ſunt ac depoſiti.* Nulla hîc mentio de Mitra, (ſic pileum Epiſcopalem vocant) uti neque in Concilio Toletano IV. c. 27. neque in Ordine Romano: quamquam Sulpicius Pius Biturigum Epiſcopus *Pontificale petalum* geſtâſſe memoratur. A rebus Eccleſiaſticis ad Monaſticas tranſeamus.

Catel in Hiſt. Occitan. pag. 769.

ad ann. 644. n. 37.

51. Abbates Monachorum per ſæculum VII. ab Epiſcopis ordinabantur. Huc facit Venerabilis Beda in Hiſt. Abbatum Monaſterij ſui lib. 1. num. 11. Benedicti Biſcopi referens hæc verba: *Quemcumque omnes unanimi caritatis inquiſitione optimum cognoſcentes elegeritis, hunc vobis accito Epiſcopo rogetis Abbatem conſueta benedictione firmare.* Et lib. 2. num. 19. *Reverſò autem domo Huvetberto advocatur Epiſcopus Acca, & ſolita illum in Abbatis officium benedictione confirmat.* Hinc Ordo Romanus de ordinatione Abbatis. *Incipit capitulum ex canone Theodori* Epiſcopi Cantuarienſis. *In ordinatione Abbatis Epiſcopus debet Miſſam cantare, & eum benedicere inclinato capite cum duobus vel tribus de Fratribus ſuis, & dat ei baculum & pedules. Poſt Antiphonam ad Introitum & dictam orationem, adnuntiat Epiſcopus in populum dicens: Eccleſiæ noſtræ, Fratres cariſſimi, Pater electus ſuum adeſt ordinem ad ſuſcipiendum. Vnde Apoſtolicâ priùs cenſemus eum auctoritate examinandum, ſuum propoſitum & S.* BENEDICTI *Regulam ſi velit obſervare &c.* Denique ex Gregorio Magno in lib. 7. Epiſt. 7. Indict. 2. conſtat, Abbatiſſas tum *ſollemni more ab Epiſcopo ordinatas* fuiſſe: quod etiam meritò de Abbatibus dicere poſſumus.

OBSERV. XIV.

ad ann. 690.

52. Privilegium immunitatis Cœnobij Bobienſis adſtruit Jonas Monachus Auctor æqualis in Vita S. Bertulfi Abbatis, & qui librum de Mirac. S. Columbani Abbatis compoſuit Monachus Bobienſis anonymus cap. 23. Quod non eo animo obſervo, quaſi de ejuſmodi Privilegiis diſceptare velim: ſed quò appareat, rem haud novitiam eſſe, eámque à viris piis ac Sanctis Attala & Bertulfo comparatam. Lege S. Anſelmi lib. 2. Epiſt. 33. ad Urbanum Papam.

OBSERV. XV.

53. In Prafatione ad Sæculum I. obſervavimus, Eccleſias Monachorum feminis quondam inacceſſas fuiſſe. Cujus rei exempla etiam

OBSERV. XVI.

hîc habes in Actis S. Geremari Abbatis num. 24. de Monaſterio Flaviacenſi. *Mulieribus*, inquit Geremarus, *nullus umquam acceſſus patebit.* In Mirac. S. Remacli num. 21. de Monaſterio Stabulenſi. In Supplemento Milonis Monachi cap. 6. de Cœnobio Elnonenſi: item de Eccleſia Lindisfarnenſi in Vita S. Cuthberti Epiſcopi. Ejuſdem ritûs inſigne exemplum de Romano S. Pauli Monaſterio Baronius ad ann. 713. commemorat. Lege Leonis Papæ Epiſtolam ad Hugonem Abbatem de Monaſterio S. Martini. Eccleſiæ Pontiniacenſis *ſolis Anglicanis mulieribus*, teſte Matthæo Pariſio ad ann. 1250. conceſſus erat aditus ob S. Edmundum popularem ſuum. At in Monaſteria S. Columbano ſubjecta, Luxovium & alia, nequidem ſæculares homines ingredi permittebantur. Quam ob cauſam Theodericus Rex Columbanum in calumniam rapuiſſe & vexaviſſe dicitur in Vita S. Columbani num. 33. Prætermittere non poſſum Monachorum ſancti Galli egregium factum huic loco opportunum, ab Ekkehardo Juniore in lib. de Caſib. Monaſt. S. Galli cap. 1. fusè relatum, cujus hæc ſumma. *Petiit Salomon adoleſcens bene educatus, ut Frater conſcriptus fieri mereretur.* (Illi in partem ac ſocietatem precum & piarum actionum adlegebantur.) *Aulam Regis Ludowici adiit, Capellanus factus, ejus fit intimus, & prælibatis Abbatiis proclivè eſt prælatus. Locum autem S. Galli ſibi præ omnibus habitum ſubinde adiit, Clauſtrúmque ille quia potens erat, abſque duce & (quod magnæ confuſionis tunc erat) cum lineis veſtibus dietim introiit.* Increpitus à Monachis, *abſtinuit tandem abſque aliquo Patrum, ut moris eſt, præduce Clauſtrum introire. Poſt aliquantum temporis à palatio veniens, Quadrageſimam in eo loco agere elegit. Ingreditur clam penetralia Clauſtri nudipes, cappâ quidem (uti Fratrum unus putaretur) indutus. Vigiles cum lumine confeſtim adproperant, agnitus eſt, atque ilico Ruggerus Pater; Per S. Galli, inquit, meritum (ſic enim Patres jurabant) hunc in Clauſtro ejus his horis non patiemur habitum. In proceſſu temporis habitum S. Galli ſumere pollicetur: tantùm interim propter Clauſtri reverentiam talis habitus ſibimet rogat ſit licitus. Variis Fratrum hinc inde tractatibus vix tandem conceditur: deſignatúrque ei locus, quem hodie lapidibus quadris notatum videmus, quibus intrans habitum indueret, exiens exueret.* Scilicet ea Majorum noſtrorum religio erat. Quod ſi religiosè poſteri ſervâſſent, Clauſtra Monaſtica, quæ olim ſtudentium ac Deo vacantium Monachorum latibula erant, non fuiſſent converſa in diverticula & deambulatoria hominum ſæcularium.

ad ann. 658.
ad ann. 664.
Tom. 2. Spicil. pag. 375.

§. V. *Obſervationes hiſtoricæ & chronologicæ.*

OBSERV. XVII.

54. QUAM inclinata fuerint in Occidente per ſæculum VII. ſtudia litterarum, docet Agatho Pontifex Romanus in Epiſtola ad Conſtantinum Auguſtum, dum Legatorum quos Conſtantinopolim ad Concilium dirigebat, imperitiam excuſat his verbis: *Apud homines*

homines in medio Gentium poſitos, & de labore corporis cotidianum victum cum ſumma exercitatione conquirentes, quomodo ad plenum poterit inveniri ſcripturarum ſcientia, niſi quæ regulariter à Sanctis atque Apoſtolicis prædeceſſoribus & venerabilibus quinque Conciliis definita ſunt, cum ſimplicitate cordis & ſine ambiguitate à Patribus traditæ Fidei conſervamus. Et in alia Epiſtola tam ſuo quàm Patrum Synodi Romanæ miſſa nomine; *Non æſtimamus quemquam temporibus noſtris reperiri poſſe, qui de ſummitate ſcientiæ glorietur: quandoquidem in noſtris regionibus diverſarum Gentium cotidie æſtuat furor, nunc confligendo, nunc diſcurrendo, nunc rapiendo. Vnde tota vita noſtra ſollicitudinibus plena eſt, quos Gentium manus circumdat: & quibus de labore corporis victus eſt, eoquòd priſtina Eccleſiarum ſubſtantia paullatim per diverſas calamitates deficiendo ſuccubuit. Et ſola eſt noſtra ſubſtantia fides noſtra, cum qua nobis vivere ſumma eſt gloria.* Aurea ſanè ferrei ſæculi verba! Ex illa ſtudiorum inclinatione natum eſt & aliud malum, negligentia ſcilicet & incuria librorum: adeò ut Taïus Cæſaraugustanus Epiſcopus, qui poſtremam partem Moralium Gregorij Magni apud Hiſpanos fruſtra perquiſierat, Romam ea de cauſa Chindaſuindi Regis juſſu profectus, eam non aliter quàm Divina revelatione recuperare potuerit. Cujus rei exſtat monumentum in Append. ad Conc. Tolet. VII. & apud Baronium ad ann. 649.

55. Idem Taïus in Epiſtola nuncupatoria ad Quiricum Toletanum Epiſcopum, qua libros quinque de rebus Divinis ex Gregorij Magni operibus collectos dedicavit, ſui temporis calamitates deflet in hunc modum.

DOMNO venerabili ſanctiſſimóque viro QUIRICO Epiſcopo » TAIUS indignus Cæſaraugustanæ urbis Epiſcopus cognomento SAMUHEL. Memor veſtræ benigniſſimæ petitionis, noſtræque » devotiſſimæ promiſſionis, hujus textum libelli comptis ſententiarum titulis prænotatum veſtræ Sanctitati malui dirigendum: ut ſicut unius ſanctæ caritatis vinculo nectimur, ita quoque laboris ac » lectionis gratia merito participemur. Ordo namque rationis expoſcit, ut priùs cauſas originum, immo potiùs calamitatum, qualiter » editus, vel in quibus ſit anxietatibus diffloratus atque conſcriptus, » brevitate qua poſſum veſtris auditibus pandam, & ita demum ad » reliqua orationis ſermo percurrat. Optimè novit Beatitudo veſtra » tempus illud, quo tortuoſus anguis ore peſtifero in quorumdam » mentibus virulenta ſeminum ſuorum ſparſerit zizania, fraudulentáque deceptione à tramite recti itineris greſſum removerit mentium » perditarum. In quo quidam homo peſtifer atque inſani capitis » FROIA tyrannidem ſumens, adſumptis ſceleris ſui perverſis fautoribus adverſum orthodoxum magnúmque Dei cultorem RECCESUINTHUM Principem fraudulenta prætendens molimina, ſuperbo »

" adniſu Chriſtianos debellàturus adgreditur patriam. Hujus itaque " ſceleris causâ gens effera Vaſconum Pyrenæis montibus promota, " diverſis vaſtationibus Hiberiæ patriam populando craſſatur. Heu " prô dolor! diſcendi ſtudium calamitatis intercipit magnitudo. Sed " tandem veniendum eſt ad id quod formidat oratio. Innoxius quip- " pe multorum Chriſtianorum ſanguis effunditur: alij jugulis, non- " nulli miſſilibus, plerique diverſis jaculis ſauciantur, innumerabilis " multitudo captivorum abducitur; immenſa ſpolia ſubtrahuntur. " Templis Dei infauſtum bellum infertur, ſacra altaria deſtruuntur, " plerique ex Clericatûs officio enſibus obtruncantur, atque inhu- " mata canibus avibúſque multorum exponuntur cadavera occiſo- " rum: itaut 78. Pſalmi non immeritò illi calamitati congrua videa- " tur inſcriptio. Cúmque nos hujuſcemodi causâ Cæſarauguſtæ urbis " circumſeptos murorum ambitus contineret, adventúmque ſuprà " taxati Principis præſtularemur, omnipotentis Domini miſericor- " diam promptiſſimè exorantes efflagitabamus, ut tyrannicæ jugum " dominationis nequaquam cervicibus noſtris ſineret imponi, auxi- " liúmque dexteræ ſuæ piiſſimo Principi contra impiiſſimum hoſtem " quantociùs impertiret. Sed orationes pauperum & deprecationem " miſericordiſſimi Principis protinùs exaudivit Dominus. Miſſo igi- " tur cælitùs propugnatore fortiſſimo, hunc auxilio omnipotentiæ " ſuæ ſublevat, illum verò tyrannicæ ſuperſtitionis auctorem repen- " tino caſu condemnat: iſti tribuens palmam victoriæ copioſam, illi " verò inferens atrociſſimæ mortis infamiam. In hoc igitur ſuprà ta- " xatæ tempeſtatis turbine, licèt diebus continuis periculis circum- " quaque ſęvientibus minimè quippiam agere liceret, nec uſpiam " progrediendi aut alicujus ruris libera eſſet facultas excolendi; noc- " tium tamen otia laborum ſpiritualium incrementis congeſſimus, " ac de ſacris voluminibus ſcilicet S. Papæ GREGORII Romenſis ſen- " tentiarum capitula in quinque libellis diſcreta, uno codicis textu " concluſa auxiliante Domino colligendo decerpſimus... Sumentes igi- " tur exordium ab omnipotentis Domini immutablis eſſentiæ Trini- " tate atque ab origine mundi hominúmque plaſmatione uſque ad " hujus ſęculi conſummationem &c. Hæc ex MS. cod. Thuaneæ Bi- bliothecæ per cuſtodem humaniſſimum D. Queſnelium benignè communicato fuſiùs excerpſi, tum quia hæc epiſtola optimè re- rum Hiſpanicarum ſtatum exponit, tum quia Taij lucubrationem hactenus ignotam in apertam lucem exhibet.

56. Nec meliori loco tum erat res litteraria in partibus Gallica- nis, quemadmodum ex vetuſtis monumentis nobis relictis intelli- gitur. *Mundus ſeneſcit* (inquit Fredegarius Scholaſticus in Prologo Chronici ſui) *ideóque prudentiæ acumen in nobis tepeſcit: nec quiſ- quam poteſt hujus temporis nec præſumit, Oratoribus eſſe ſimilis.* Bri- tannia inſula hominibus piis & Chriſtianæ diſciplinæ amantiſſimis

abundavit, paucos litteratos habuit ante Venerabilem Bedam: si fortè Theodorum Cantuariæ Episcopum excipias. Germania armis quàm litteris valentior fuit. Non defuêre tamen aliquot viri docti, Isidorus & Hildefonsus, in Hispania; Columbanus, Jonas, Audoënus & Eligius in Gallia & Italia: quales sanè ferebat ætas illa.

57. Quod attinet ad res chronologicas, cùm Romani Indictione & annis Pontificum, Galli annis Regum, Hispani ærâ suâ vulgatâ, venerabilis Beda in rebus Britannicis ærâ Christianâ, in historicis libris sæculi VII. usi sint; operæ pretium fuerit quasdam difficultates, quæ remoram in subsequentibus Actis facere possent, hoc lôco explanare, maximè circa Regum Francorum annos, qui non facilè cum vulgato æræ Dionysianæ calculo conciliari possunt.

58. Prima ac maxima difficultas est de regno Dagoberti Senioris, quem annos sexdecim regnavisse constat. Verùm hos annos alij à tempore quo vivente patre Chlothario Rex Austriæ constitutus est, alij dumtaxat à patris obitu numerandos existimant. Posteriorem sententiam quam secuti sunt ferè omnes recentiores uno aut altero excepto, primus omnium validè confutavit V. C. Hadrianus Valesius in Rer. Franc. lib. 18. ubi multis docet præferendam prioris calculi rationem. Valesio accedit Carolus Cointius in Annal. Eccl. Franc. Tom. 2. & 3. quibus subscribere me cogunt validissima argumenta: tametsi socij Bollandiani posteriori sententiæ hactenus inhærent. OBSERV. XIX.

59. Antequam Valesiani calculi argumenta consideremus, præfigendi sunt anni Chlotharij Regis auctoritate Fredegarij Scholastici, quem unicum habemus istius controversiæ auctorem & interpretem. Anno Guntramni Regis XXIV. *quum Guntramno perlatum fuisset quòd frater suus Chilpericus esset interfectus, Chlotharium* puerum *in Regno* Neustriæ *firmavit*, inquit Fredegarius in Chron. cap. 3. *Anno Guntramni* XXVI. *Levichildus Rex Spaniæ moritur, & obtinuit Regnum Recaredus filius ejus* cap. 6. Atqui ex Chronico Isidori Hispalensis Episc. *ærâ sexcentesimâ vigesimâ quartâ*, hoc est anno Domini concepti D. XCVI. *Lewigildo defuncto Recaredus Regno est coronatus:* quo anno Guntramnus regni annum XXVI. Chlotharius nepos tertium agebat. Chlotharius *anno XXX. regni sui*, teste Fredegario cap. 43. hoc est anno DC. XIII. *in Burgundia & Austria Regnum arripuit*: & cap. 47. anno XXXVIIII. * regni sui seu anno Christi DC. XXII. aut ineunte insequenti *Dagobertum filium suum consortem Regni feciſſe, eúmque super Austrasios Regem constituisse* legitur. Denique *anno XLV. regni sui*, Christi DC. XXVIII. *Chlotharius moritur* cap. 56. Dagobertus verò ut Fredegarius cap. 79. auctor est, consentítque liber de Gestis Dagoberti, *anno XVI. regni sui emisit spiritum*, & quidem XV. Kalend. Februarias, quem diem Monachi nostri Dionysiani anniversaria precatione & ritu sollemni etiamnunc celebrant. Si

* *sic Valesius restituit ex MSS.*

ergo regnum Dagoberti numeres ab ejus principatu in Auſtria, annum Chriſti DC. XXXVIII. Dagoberti ſupremum conſtituere debes: at ſi à morte patris ineas, anno Chriſti DC. XLIV. Dagoberti obitum collocabis. Cur autem priorem ſententiam præferamus, paucis accipe.

60. Primum argumentum eſt, quòd Fredegarius ſtatim poſt Chlotharij mortem ſubjicit annum ſeptimũ Dagoberti Regis, quo is *Burgundiam ingreſſus, maximam partem Regni paterni adſumpſerit.* Quis putet Dagobertum ſex annos à morte patris dormitâſſe, & nequaquam de ineundo paterno Regno cogitâſſe? Et quidem Hermannus Contractus in Chron. Fredegarij mentem clariùs exprimit, quàm ut commentario egeat. LOTHARIUS *Rex Francorum fortis, pius & religioſus, anno regni XLV. defunctus, & Pariſiis in Baſilica S. Vincentij ſepultus eſt. Ejus Regnum* DAGOBERTUS *accipiens, quum jam ſex annis regnaret, decem annis poſtea rexit.* Alterum argumentum eſt, quòd Fredegarius exordium regni Sigiberti Dagoberti filij, non à patris obitu, ſed à tempore quo Rex Auſtriæ ab eo impoſitus eſt, modo prorſus ſimili deducit. Siquidem annum X. regni Sigiberti cum anno IV. regni Chlodovei ejus fratris comparat capp. 88. & 89. Propterea Fredegarius (ut Valeſius obſervat) caput XLVII. inſcribit *de initio regni Dagoberti*, & caput LXXV. *de initio regni Sigiberti in Auſter*, tum ſcilicet quum Dagobertus à patre Chlothario, & Sigibertus à Dagoberto genitore Reges Auſtraſiorum ſunt conſtituti. His duo-
Le Cointe ad ann. 640. num. 22. bus Valeſij argumentis tertium adjicit Carolus Cointius, petitum ex Jonæ Prologo in Vitam S. Columbani cum Actis S. Euſtaſij collato. Nimirum Jonas Prologum ſcribebat triennio vixdum elapſo à morte S. Bertulfi Abbatis anno DC. XL. demortui. Et tamen ſcribebat Euſtaſij Vitam Columbani Actis continenter ſubjectam, quum jam *Eccleſiæ Veromandenſi præerat Elegius*, qui *anno tertio Chlodovei* Dagoberti filij ordinatus eſt Epiſcopus. Tribus illis argumentis ſuperaddo alia duo, quæ Fredegarij Chronicon ſuppeditat. Nimirum cap. 73. dicitur Siſenandus Senzilam ſeu Suinthilam Hiſpanorum Regem ſolio deturbâſſe ac Regnum occupâſſe *anno IX. regni* Dagoberti. At verò Siſenandus regnare cœpit anno DC. XXXI. quandoquidem Concilium Toletanum IV. convocatum eſt *anno tertio regnante glorioſiſſimo Principe Siſenando*, ut habent ipſius Concilij Acta; & quidem *ærâ ſexcenteſimâ ſeptuageſimâ primâ*, ut ex vetuſtis monumentis eruit Garſias Loaiſa. Anno proinde Chriſti DC. XXXIII. aut certè inſequenti: ſicuti reponit Johannes Mariana in lib. 6. Hiſt. cap. 5. qui Suinthilam anno DC. XXXI. expulſum, eodémque Siſenandum ſubrogatum fuiſſe docet. Denique (quod poſtremum noſtræ ſententiæ argumentum eſt) Fredegarius cap. 82. teſtatur, *Sentilam*, quem alij Chintilam appellant, *qui Siſenando in Regnum ſucceſſerat, defunctum eſſe anno ſecundo Chlodovei Regis* Dagoberti filij:

id quod Hermannus Contractus etiam ex Fredegario docet. Chintila ſub finem anni DC. xxxv. Siſenando ſucceſſit, regnavítque annis tribus, menſibus XI. diebus ſedecim, ſicuti numerat Johannes Mariana, qui Chintilæ obitum anno DC. XXXIX. conſignat. Certè in brevi Serie Regum Gothorum (quæ à V. C. Andrea Cheſnio ſine auctoris nomine edita, Juliano Toletano Epiſcopo in Mſ. cod. Thuaneo tribuitur) *Siſenandus annis quatuor, Chintila annis tribus regnaviſſe* leguntur. Hinc corrigendus Rudericus Toletanus Epiſcopus, qui Chintilano regni annos quinque adſignat. Ergo Chintila vivere deſiit anno Chriſti DC. XXXIX. & tamen anno ſecundo Chlodovei Regis, ſeu anno ſecundo poſt mortem Dagoberti ejus patris: qui proinde anno DC. XXXVIII. obiiſſe dicendus eſt. *Cheſn. To. 1. Hiſt. Franc. pag. 818.*

61. Opponitur epocha ordinationis SS. Eligii & Audoëni, qui teſte ipſo Audoëno in lib. 2. de Vita S. Eligii cap. 1. *Convenientes ſimul in civitatem Rotomagenſem* XIV. *die menſis tertii*, id eſt Maii, *tertio anno Chlodovei juvenculi adhuc Regis, die Dominico ante Litanias conſecrati ſunt Epiſcopi.* Qui characteres chronologici (inquiunt adverſarii) conveniunt cum anno Domini DC. XLVI. quo anno dies Dominica ante Adſcenſionem Chriſti ſeu ante Litanias Majores in diem 14. menſis Maii incidebat. Ex quo inferunt, regni Chlodovei exordium deſumendum eſſe ab anno DC. XLIV. quo Dagobertum deceſſiſſe colligunt. Hunc nodum optimè, ut quidem ego exiſtimo, ſolvit Carolus Cointius, qui verſus prædictos ita diſpungit, ut Audoënum & Eligium dicat Rotomagum acceſſiſſe die 14. Maii, non verò eodem die, ſed inſequenti Dominica, quæ Adſcenſionem Domini præcedebat, fuiſſe ordinatos, anno ſcilicet DC. XL. quo Paſcha in 16. Aprilis, Dominica ante Adſcenſionem in 21. Maii incidebat. *ad ann. 640. n. 20. & ſeqq.*

62. His de annis Dagoberti præmiſſis, dubia quædam de aliis Regibus breviter elucidanda ſunt: CHLODOVEO Dagoberti filio *regni annos* XVIII. tribuit Fredegarii continuator, Chronica Moiſacenſe & Beſvenſe, Scriptor Vitæ ſecundæ S. Wandregiſili, aliíque; quidam annos tantùm XVII. tribuunt. Obiit igitur Chlodoveus anno DC. LIV. aut certè inſequenti. Succeſſit CHOTHARIUS filius, quem regnaviſſe annis XIV. (non verò dumtaxat annis IV. uti in Fredegarii Append. & apud Hermannum Contractum ſcribitur) conſtat tum ex prædictis S. Wandregiſili Actis, tũ hoc argumento, quòd Auſtraſii poſt ejus obitum ei Chlotharium filium ſuppoſuerunt. Quod certè de puero octenni (nam Chlotharius ſucceſſerat quadrimus Chlodoveo patri) nullatenus fingi, minus perſuaderi vulgo potuiſſet. Chlotharius anno DC. LXIX. ſucceſſorem habuit Childericum fratrem, qui jam in Auſtria annis circà novem regnaverat. Exſtinctus eſt poſt annos quatuor, ut in Actis Waningi legitur: ſceptrúmque reliquit Theodorico fratri, quem priùs in Dionyſianum Monaſterium relegaverat. Theodoricus monarchiam tenuit annis XVII. integris, ab anno ſcilicet DC. LXXIII. ad OBSERV. XX.

DC. XC. nam Autumno anni DC. LXXIII. Childericus frater oppreſſus fuit. Liber de Geſtis Reg. Franc. & Hermannus Contractus Theodorico regni annos XIX. adſignant: quæ diverſitas in annos cavos rejicienda eſt. Theodorici anno XVI. habitum eſt Concilium Rotomagenſe, præſidente Anſberto Metropolita, cujus corpus *anno regni Childeberti decimo, Chriſti* DCC. IV. tranſlatum legitur in veterrimo Chron. Fontanell. cap. 2. Et in fine veteris Chronici Euſebiani, quod Jacobi Bongarſii fuit, ſcriptum inveniſſe ſe ait Joſephus Scaliger „ anno V. Childeberti Regis Franc. Pippino jubente, fuiſſe Paſcha X. „ Kalend. April. Adſcenſionem Kalendis Maiis: quæ notæ in annum DC. XCIX. conveniunt: quod Hadrianus Valeſius obſervavit. Ex quibus intelligitur, Childebertum anno DC. XCV. regnum iniiſſe: proindéque Chlodoveum ejus fratrem ac deceſſorem, cui plerique Auctores & libri Mſſ. regni annos IV. tribuunt, Theodorico patri anno DC. XCI. ſucceſſiſſe. Porro Childebertum Theodorici filium, Chlodovei fratrem & ſucceſſorem anno DCC. XI. obiiſſe, nunc conſtat inter eruditos. De Regibus Francorum hæc ſe habent.

OBSERV. XXI. 63. In annis Pontificum Romanorum vulgatum ſequimur calculum, præterquam in Martino, Eugenio, Vitaliano & ſucceſſoribus uſque ad Agathonem, de quorum pontificatu pauca obſervanda. Martinus auctore Hermanno Contracto, *anno* DC. XLIX. ſedere cœpit. Sedit autem *annis ſex, menſibus ferè duobus*, ſeu ut Anaſtaſius ſcribit, *annos ſex menſem unum, dies viginti ſex.* Anno igitur DC. LV. ejus martyrium accidit, non verò anno DC. LIV. ut Baronio videtur, qui etiam in exſilio Martini deſignando lapſus eſt. Siquidem Martino decretum eſt exſilium *feriâ ſecundâ*, XV. *Kalend. Iulias*; ejectio verò contigit *feriâ quartâ*, XIII. *eaſdem Kalend.* id quod ipſius Martini epiſtola teſtatum facit. Proinde non anno DC. L. ut Baronius putat, ſed anno DC. LIII. currente littera Dominica F, Martinus ex urbe Roma abductus eſt. Id jam antea obſervavit Carolus Cointius ad ann. 658. num. 6. & ſeqq. qui etiam rectè corrigit Baronium in deſignandis annis Eugenii & Vitaliani Pontificum Romanorum, aliósque ſucceſſores ſummovet, donec tandem in Agathone Papa cum Baronio in concordiam redit. *Anno* DC. LV. inquit Hermannus, *Martinus Papa in exſilio migravit ad Dominum, pro quo Romæ Eugenius ordinatus, ſedit annis duobus, menſibus ferè decem. Anno* DC. LVII. *Romæ Eugenio Papa defuncto ceſſavit Epiſcopatus menſibus ferè duobus. Anno* DC. LVIII. *Vitalianus Papa ſedit annis* XIV. Anaſtaſius Bibliothecarius paullo diligentiùs tempus cujuſque pontificatûs deſignat, ſicuti in Tabula noſtra chronologica inferiùs deſignabimus. At Hermanni calculo in deſignando pontificatûs initio omnino ſtandum eſt. Certè Milo Monachus Elnonenſis in Supplem. ad Vitam S. Amandi cap. 5. num. 8. annum Domini DC. LXI. illigat anno epiſcopatûs Vitaliani Papæ tertio, qui proinde non anno (ut apud Baronium) DC. LV. ſed anno DC. LVIII.

ſedere cœpit. Hinc annos ſequentium Pontificum uſque ad Agathonem ſummovemus.

64 Antequàm has obſervationes finio, nonnihil de Frodoardo Canonico Remenſi dicendum occurrit. V. C. Antonius Wionius Herovallius, quem rei antiquariæ Genium meritò appellaveris, pro ſuâ in litteratos omnes providentia me monuit, exſtare in Bibliotheca RR. PP. Carmelitarum Excalceatorum Conventûs Pariſiaci Acta Sanctorum manu deſcripta, ex quibus non parum utilitatis accepi. In his deprehendi Frodoardi Canonici Remenſis libros XIV. de variis Sanctis metricè compoſitos, in quibus Pontificum Romanorum aliorúmque virorum illuſtrium egregia facta ſecundũ temporis rationem deſcribuntur. Iſtos libros numero XV. jam è Bibliotheca Trevirenſi indicaverat Johannes Bonderius in Indic. Mſſ. codd. Belgic. & ex eo Gerardus Voſſius in lib. 2. de Hiſt. Lat. cap. 40. tametſi libros dumtaxat quatuordecim præfert exemplar Pariſienſe, detractis duobus primis libris cum capite 1. tertii. Præter Acta nonnulla Sanctorum ex his Frodoardi libris à me eruta, duo veniunt obſervanda, nempe ſilentium Frodoardi hominis ſupparis de Johanna fabuloſa illa Papiſſa, quæ à nonnullis inter Leonem IV. & Benedictum III. inſulſè inſeritur. Sic enim Leonis mortem & Benedicti electionem deſcribit Frodoardus in lib. 12. Epigr. 1. OBSERV. XXII.

Hinc rebus bene diſpoſitis, portu, urbe, ſolóque
Auſoniæ tuto, digna mercede potitur, (Leo ſcil.)
Se deflens, Patribus claris cum milite junctis,
JESUM *corde petit prono ſe munere digno*
Solari. Nec abeſt Dominus haurire paratus
Servorum gemitus, dum ſpirat mentibus, uno
Ore ſimul cunctos BENEDICTUM *poſcere Patrem:*
Æthereo qui rore ferax, &c.
His radians meritis, in ſancto clara Senatu
Iura capit, &c.

Idem Auctor (quod alterum obſervatu dignum) ſcribit ſe Romam fuiſſe profectum Leone VII. Pontifice, ab eóque benignè exceptum: quo Pontifice etiamtum ſuperſtite librum ſuum XII. abſolvit. Sic enim canit:

Qui me viſentem ætherei pia limina Petri
Iocundè excipiens, animo quæſita benigno
Admiſit, favítque piè, ſtuduítque modeſtè.

Et poſt paucos verſus:

Quem Pater omnipotens alacrem cultúque venuſtum
Attollat ſervétque diu, &c.

Hinc patet, libros iſtos à Frodoardo ſcriptos fuiſſe ante annum CM. XXXIX. quo Leoni VII. ſucceſſit Stephanus octavus. Frodoardus in neutra hiſtoria ſua, ſcilicet in Hiſtoria Remenſis Eccleſiæ libris 4.

exarata aut in Chronico, (nam utriuſque eumdem eſſe auctorem conſtat) Romanæ ſuæ peregrinationis meminit. Unde forſitan ſuſpicari quis poſſet, an libri xiv. Carminum prælaudati ejuſdem ſint Auctoris, an potiùs Frodoardi nepotis ejus, de quo in Chron. ad ann. 963. agit. At certè Frodoardum ſeniorem & hiſtoricum verſibus delectatum fuiſſe probat liber de Miraculis S. Mariæ in Eccleſia Remenſi, quæ miracula *verſibus* à ſe exarata fuiſſe, in lib. 3. hiſt. cap. 6. teſtatur. Ejus epitaphium in exemplari Carmelitano libro 14. Carminum ſubjicitur, quod aliàs Deo dante referemus.

65. Jam res poſtulat ut noſtra claudatur Præfatio, ne juſtos limites excedat. Nec convenientiùs à me claudi poteſt, quàm ſi gratiam retulero iis, quos hujus operis adjutores habuimus. Viris humaniſſimis & clariſſimis, quos in Præfatione Sæculi 1. commemoravi, hócque loco iterum cum honoris nomine tamquam commemoratos haberi jubemus, adjungendus eſt V. C. Emericus Bigotius, qui nobis è locupletiſſima ſua Bibliotheca plures libros Mſſ. communicavit, ut ſuo loco teſtabimur. Aliis qui codices vel operam ſuam nobis præſtiterunt, quum occaſio ſeſe offeret, debitam gratiam perſolvemus. Verùm id mutuæ gratiæ beneficium poſtulo ab iis, quibus hic labor qualiſcumque noſter uſui futurus eſt, ut me & eos omnes qui quoquo modo huic operi adlaboraverint, precibus ſuis juvent: quò Deus Opt. Max. labores noſtros fortunet, & Eccleſiæ ſanctæ cui potiſſimùm hac in re conſultum volumus, haud inutiles eſſe concedat.

CHRONOLOGIA BREVIS
AD SECUNDUM SÆCULUM BENEDICTINUM.
SUMMI PONTIFICES.

ANNO

DC. IV. SABINIANUS post Gregorium M. sedit menses quinque, dies novemdecim. sic Baronius. nam Anastasius habet ann. 1. mens. 5. dies 9.

DC. VI. BONIFACIUS III. post annum ferè integrum vacationis, mens. 8. dies 23. Anast. 28.

DC. VII. BONIFACIUS IV. ann. 6. mens. 8. dies 13. sic Baron. & Anast.

DC. XIV. DEUSDEDIT ann. 2. mens. 11. dies 26. at Anast. ann. 3. dies 24.

DC. XVII. BONIFACIUS V. ann. 7. mens. 10. diem 1. Anast. ann. 5. dies 13.

DC. XXVI. HONORIUS I. ann. 12. mens. 4. dies 27. Anast. ann. 12. mens. 11. dies 17.

DC. XXXIX. SEVERINUS mens. 2. dies 4.

DC. XXXIX. JOHANNES IV. ann. 1. mens. 9. dies 6. Anast. (dies 18.)

DC. XLI. THEODORUS ann. 7. mens. 5. dies 20. Anast. (dies 10.)

* DC. XLIX. MARTINUS I. ann. VI. mens. 1. dies 26. *ita Anastasius, hic & in sequentibus præferendus, uti mox probatum est.*

* DC. LV. EUGENIUS ann. 2. mens. 8. dies 24.

* DC. LVIII. VITALIANUS ann. 14. mens. 6.

* DC. LXXIII. ADEODATUS ann. 4. mens. 2. dies 25.

* DC. LXXVII. DONUS ann. 1. mens. 5. dies 10.

DC. LXXIX. AGATHO ann. 3. mens. 6. dies 25. Anast. ann. 2. mens. 6. dies 3.

DC. XXCIII. LEO II. mens. 10. dies 24. Anast. (dies 17.)

DC. XXCIV. BENEDICTUS II. mens. 8. dies 17. Anast. mens. 10. dies 12.

DC. XXCV. JOHANNES V. ann. 1. dies 11. Anast. (dies 9.)

DC. XXCVI. CONO mens. 11. dies 23. Petro & Theodoro schismaticis.

DD. XXCVII. SERGIUS I. ann. 13. mens. 8. dies 24. Anast. (dies 23.)

DCC. I. JOHANNES VI. ann. 3. mens. 2. dies 12.

FRANCORUM REGES.

D. XXCIV. CHLOTHARIUS Chilperico patri succedit, regnantibus in Burgundia GUNTRAMNO, CHILDEBERTO in Austria; succedentibus in Regna Childeberti patris & Guntramni patrui THEODEBERTO in Austria & Theodorico in Burgundia: quibus anno DC. XIII. exstinctis monarchiam obtinet Chlotharius, ad annum DC. XXVIII. superstes.

DC. XXII. DAGOBERTUS Chlotharij filius anno paterni regni tricesimo nono Rex Austriæ salutatus, patre mortuo monarchiam obtinet, Chariberto fratre solâ Aquitaniæ portione per annum potiri jusso.

DC. XXXVIII. CHLODOVÆUS patri succedit mense Januario, cùm jam ab anno DC. XXXIII. Austriæ Rex fuisset renuntiatus SIGIBERTUS major ejus frater. Qui anno circâ DC. L. mortuus Austriæ Regnum reliquit Dagoberto filio, paullò post per Grimoaldum Majorem domus regnandi cupidum in Hiberniam pulso: ac deinde anno circâ DC. LXXV. restituto, demúmque post quinque aut sex annos defuncto.

DC. LV. CHLOTHARIUS Chlodovei filius, sub matris Balthildis disciplina educatus, Francis imperat, annis XIV.

DC. LIX. CHILDERICUS vivo fratre Chlothario Austrasiæ annis aliquot præfuit: eóque mortuo, fratre verò Theodorico in Monasterium Dionysianum relegato, monarchiam occupat annis IV.

DC. LXXIII. THEODORICUS, Chlodovei filius tertius, exstincto fratre Childerico Imperium capessit tenétque annis XVII.

DC. XCI. CHLODOVEUS Theodorici filius regnat annis IV.

DC. XCV. CHILDEBERTUS alter Theodorici filius ad annum DCC. XI.

MAJORES DOMUS FRANCIÆ, S. ARNULFI ET PIPPINORUM POSTERI.

Majores domus sub CHLOTHARIO fuêre LANDERICUS, ejúsque successor GUNDOALDUS seu Gundolandus, qui S. Aldegundis avunculus fuisse videtur. Chlotharius monarchiam adeptus, VVARNACHARIO Præfecturam Palatij in Burgundia restituit, Austrasiis RADONEM, cui successit PIPPINUS, præposuit, usus plurimùm S. ARNULFI consilio.

Gundoaldo principatu Dagoberti defuncto successisse videtur ÆGA; Ægæ ERCHINOALDUS *anno tertio regni* CHLODOVEI, inquit Fredegarius, in Neustria scilicet: nam in Burgundia FLAOCATUS vix solido anno eamdem dignitatem obtinuit. Porro GRIMOALDUS Pippino patre mortuo Majordomus in Austriæ Regno est constitutus.

CHLOTHARIUS, Chlodovei filius natu major, mortuo Erchinoaldo EBROÏNUM; CHILDERICUS Frater VVLFOALDUM Majoresdomus habuêre. Vulfoaldus MARTINUM & PIPPINUM secundum suæ Præfecturæ successores sortitus est. THEODERICO utriusque Regis fratre postea regnante LEUDESIUS Erchinoaldi filius Palatio præfectus est, eóque paullo pòst occiso EBROÏNUS restitutus: cui etiam interfecto VVARATTO substituitur. Vvaratto à GISLEMARO filio dignitate spoliatus, eo necato eamdem recepit. Successit Vvarattoni BERTHARIUS gener, à quo contempti Neustrasiorum Proceres ex Austrasiâ evocavêrunt Pippinum secundum Haristalliensem dictum, qui Præfecturam Palatij per Austrasiam GRIMOALDO filio cessit, & *Princeps* ipse appellatus Regiam dignitatem ad posteros transmisit. Is anno circâ DC. XXC. mortuo VVlfoaldo palatinam Præfecturâ in Austrasia consecutus est cum Martino fratre patruëli, quo

ante duos annos è medio ſublato ſolus in Auſtraſia dominatur, in tota verò Francia anno circà DC. XXCVII. obiitque anno DCC. XIV. eodem fere tempore quo filius Grimoaldus.

Pippinus I. Majordomus vocatus, ex Itta ſeu Iduberga ſanctiſſima uxore ſuſcepit GRIMOALDUM dignitatis ſuæ heredem, S. GERTRUDEM Abbatiſſam Nivialenſem, & BEGGAM Anſigiſili conjugem futuram. Huic Pippino ſoror fuit AMALBERGA, quæ Vvalberto SS. VVALDETRUDEM & Aldegundē genuit. Anſigiſilus ſeu Anſigiſus Anchiſeſve patrem habuit S. ARNULFUM poſtea Mettenſem Epiſcopum; matrem verò DODAM, ſi Actis S. Chlodulfi credimus. Qui Arnulfo tribuunt ARNOALDUM patrem, ANSBERTUM avum, BLITHILDEM Chlotharij majoris Francorum Regis aviam; rem Paulo Vvarnefridi in lib. de Mettenſ. Epiſc. & Scriptori Vitæ S. Arnulfi perantiquo incognitam dicunt, nec ante Caroli Calvi principatum adinventam. In Actis S. Odæ viduæ Arnulfus patrem BOTGISUM, matrem S. ODAM habuiſſe fertur. Quidquid ſit, certum eſt, Arnulfum *nobiliſſimo Francorum genere* ortum fuiſſe ac procreaviſſe duos filios, ANSIGISILUM modò laudatum & CHLODULFUM Mettenſem Epiſcopum, de quo plura in ejus Vita infrà ad ann. 696. Sunt qui tertium Arnulfo filium tribuunt VVALTCHISUM S. Vvandregiſili Abbatis Fontanellenſis patrem: qua de re in Actis S. Vvandregiſili ad ann. 667. agemus. De S. Arnulfi genere lege Hadrianum Valeſium in rer. Franc. lib. 18. & Ludovicum Fabrum diſputantes in Anſbertinæ familiæ aſſertores.

Ergo Anſigiſilus S. Arnulfi filius ex Begga Pippini Landinenſis filia procreavit PIPPINUM Brevem, à villa Hariſtallio Hariſtallienſem dictum: Pippinus ex Plectrude religioſiſſima conjuge DROGONEM S. Hugonis Archiepiſcopi Rotomagenſis parentem, & GRIMOALDUM Majoremdomus in Auſtria; ex Alpaïde verò CAROLUM Martellum PIPPINI Regis patrem; ex alterutra CHILDEBRANDUM Ducem.

Fuēre igitur PIPPINI plures, nempe 1. PIPPINUS ſenior Landinenſis & Majordomus appellatus: 2. PIPPINUS Hariſtallienſis & Princeps Franciæ, ſenioris ex Begga nepos: 3. PIPPINUS Rex, Caroli Martelli filius. Præter iſtos, 4. PIPPINUS fuit Grimoaldi junioris filius: 5. PIPPINUS Caroli Magni, Rex Italiæ & 6. Pippinus ejus nothus, Piumiæ Monachus; 7. Pippinus Ludovici Auguſti, Aquitaniæ Rex: 8. denique PIPPINUS Pippini ſeptimi filius, cum Carolo fratre Monachus.

ITALIÆ REGES LANGOBARDI.

ANNO	
D. XCII.	AGILULFUS Italiæ Regnum occupat annis 24.
DC. XVI.	ADALVUALDUS filius ejectus anno DC. XXVI.
DC. XXVI.	ARIOVUALDUS regnat ad annum DC. XXXVII.
DC. XXXVII.	ROTHARIS filius Ajonis Ducis Brixienſis ad ann. DC. LII.
DC. LIII.	RODOALDUS ſeu Chrodoaldus ad ann. DC. LVII.
DC. LVII.	PERTHARITUS & GODEBERTUS fratres Regno ſpoliati ann. DC. LXII.
DC. LXIII.	GRIMOALDUS cæſo Godeberto, Pertharito fugato, Regnum iniit, tenuitque annis 10.
DC. LXXIII.	Pertharitus mortuo Grimoaldo reſtitutus, imperat annis XVIII. cum Chuniberto filio annis 10.
DC. XXCIX.	Chunibertus mortuo patre annis 12.
DCC. I.	Luitbertus filius.

HISPANIÆ REGES VESIGOTHI.

ANNO	
DC. I.	Reccaredo ſuccedit Liuva filius, regnavitque annis fere duobus.
DC. III.	VITERICUS Regni invaſor ad ann. DC. X.
DC. X.	GUNDEMARUS annis duobus ac menſ. 10.
DC. XII.	SISEBUTUS ad ann. DC. XXI.
DC. XXI.	RECCAREDUS filius menſ. 3. SUINTILA ſeu Sentila ſucceſſor pellitur anno DC. XXXI.
DC. XXXI.	SISENANDUS qui Concilium Toletanum IV. coëgit, cui ſucceſſit
DC. XXXV.	CHINTILANUS annis 4. quo regnante Concilia Tolet. V. & VI. celebrata ſunt.
DC. XXXIX.	TULGA annis 2. menſ. 4.
DC. XLI.	CHINDASUINTHUS annis 10. ſub quo Concilium Tolet. VII.
DC. LI.	RECESUINTHUS, anno DC. XLVIII. Rex à patre dictus, Regno potitur ad ann. DC. LXXII. cujus tempore Concilia Tolet. VIII. IX. & X. celebrantur.
DC. LXXII.	VUAMBA Regnum abdicavit anno DC. XXC. quo ERVIGIUS in ejus locum ſubſtitutus eſt per annos 7.
DC. XXCVII.	EGICA Ervigij gener ad ann. DCC. I.

BRITANNIÆ INSULÆ REGES.

Britannia inſula per ſæculum VII. *in heptarchiam diviſa fuit, ſæculo* VIII. *in monarchiam reducta. In Auſtrali inſulæ parte* Cantij Regnum *Comitatum Cantij*; Regnum Auſtralium Saxonum *Comitatus Suthſexia & Suthreia continebat. In parte Boreali* Northumbriæ Regnum *Bernicios qui modò Scotti; & Deïros qui Eboracenſes, Dunelmenſes & Lancaſtrenſes, ſuo ambitu complectebatur.* Eaſtangliæ Regnum *obtinebat Orientales Anglos Northumbris*; Eaſtſexia *Orientales Saxones Cantiis finitimos: utrique Regno Occidentem verſùs Mercia Regnum reſpondebat. Vveſtſexia verò ſeu Occiduorum Saxonum Principatus Cantia & Suthſexia Occidentalis erat. Singulorum Regnorum Principes hic exhibere longum ac pane otioſum foret: Cantij Reges hiſtoricis rebus noſtris magis familiares commemorare ſatis erit.*

CANTII REGES.

„ ETHELBERTUS Cantuariorum Rex, teſte Beda in lib. 2. Hiſt. cap. 5. anno ab Incar. Domini DC. XIII.
„ poſt Regnum temporale quod quinquaginta & ſex annis glorioſiſſimè tenuerat, æterna cæleſtis regni
„ gaudia ſubiit. Is eſt qui Fidem catholicam docente Auguſtino primus amplexus eſt.

DC. XIII. „ EADBALDUS ejus filius anno Dominicæ Inc. DC. XL. tranſiens ex hac vita, Earconberto filio Regni gu-
„ bernacula reliquit, inquit idem Auctor lib. 3. cap. 8.

DC. XL. „ EARCONBERTUS piiſſimus Princeps, S. Earcongothæ pater, ſuſcepta Regni gubernacula viginti quatuor
„ annis & aliquot menſibus nobiliſſimè tenuit.

DC. LXIV. „ Earconbertus pridie Iduum Juliarum defunctus, ECGBERTO filio ſedem Regni reliquit, quam ille ſuſ-
„ ceptam per novem annos tenuit. Idem lib. 4. cap. 1.

DC. LXXIII. „ Ecgberto mortuo menſe Julio LOTHARIUS ſucceſſit in Regnum, quod ipſe annos XI. & menſes ſeptem
„ tenuit. lib. 4. cap. 5.

DC.XXCIV. „ Defuncto Lotherio Regnum illud per aliquod temporis ſpatium Reges dubij vel externi diſperdiderunt:
„ donec legitimus Rex VVICTREDUS, id eſt filius Ecgberti, conſortatus in Regno religione ſimul & induſtria gentem ſuam ab extranea invaſione liberaret. ibid. cap. 26. qui Vvictredus uti lib. 5. cap. 24. dicitur, anno Dominicæ Incarn. DCC. XXV. (Matthæus habet DCC. XXII.) defunctus eſt nono die Kalend. Maïarum: & Regni quod per triginta quatnor & ſemis annos tenebat, Æthilbertum, Eadberctum, & Alricum reliquit heredes.

SANCTI ET MONASTERIORUM ORIGINES.

ANNO

DC. IV. GREGORIUS Papa I. cognomento Magnus
DC. V. PETRUS ejus Diaconus.
DC. VII. S. AUGUSTINUS Cantuarienſis Epiſcopus.
} *Acta exſtant ſæculo* I.

DC. VIII. S. PETRUS Abbas primus Monaſterij S. Petri in ſuburbio Cantuarienſi, quod S. Auguſtinus juvante Ethelberto Rege condiderat.
DC. X. S. GLODESINDIS Abbatiſſa & conditrix Monaſterij Mettenſis quod nunc ejus nomine inſignitur.
DC. XV. S. COLUMBANUS Abbas, multorum Monachorum Pater, varia conſtruxit Monaſteria, Anagratenſe, Luxovienſe, & Fontanenſe circiter ann. 690. Bobienſe verò anno 613.
DC. XVI. S. VIRGILIUS Arelatenſis Epiſcopus ex Monacho Luxovienſi.
DC. XIX. LAURENTIUS Epiſcopus Cantuarienſis, S. Auguſtini ſocius.
DC. XX. S. VVALDRADA Abbatiſſa Parthenonis S. Petri in civitate Mettenſi quod etiamnunc exſtat.
S. BASOLUS Confeſſor in Monaſterio Viriziacenſi prope Remos.
DC. XXII. S. VVALARICUS Abbas & auctor Monaſterij Leuconaëſis, quod ad Somenæ oſtia an. circà DC. XIII. inchoavit.
DC. XXIV. S. MELLITUS ex S. Auguſtini ſocio primùm Epiſcopus Londinenſis, deinde Cantuarienſis, quo curante Vveſtmonaſterium in ſuburbio Londinenſi exſtructum eſt.
S. AUSTREGISILUS Biturices Epiſcopus ex Abbate Monaſterij S. Nicetij Lugduni.
DC. XXV. S. DEICOLUS Abbas primus Monaſterij Lutrenſis circiter an. 615. conſtructi.
S. EUSTASIUS Abbas Luxovienſis poſt S. Columbanum.
DC. XXVII. S. ATTALA Abbas ſecundus Bobienſis.
S. AMATUS Abbas primus Monaſterij Habendenſis anno circa 620. à S. Romarico ædificati.
DC. XXXII. S. HELLADIUS Toletanus Epiſcopus ex Abbate Agalienſi.
S. RUSTICULA Abbatiſſa Parthenonis S. Cæſarij Arelate.
DC. XXXV. S. JUSTUS Toletanus Epiſcopus ex Monacho Agalienſi.
DC. XL. S. ARNULFUS Mettenſis Epiſcopus, poſt Anachoreta in Monaſterio Habendenſi.
S. BERTULFUS tertius Abbas Bobienſis.
DC. XLIV. S. SULPICIUS Bituricenſis Epiſcopus ex Abbate Caſtrenſi, auctor Cœnobij Navenſis, nunc S. Sulpicij, in ſuburbio Biturico.
DC. XLV. S. RICHARIUS Abbas primus Centulenſis Monaſterij anno circà 625. conditi, & Cellæ Criſciacenſis.
DC. XLVI. S. GALLUS Abbas in Alamannia, diſcipulus S. Columbani.
DC. XLVII. S. PAULUS Verodunenſis Epiſcopus ex Monacho Theologienſi.
DC. XLIX. S. GOAR Confeſſor & Anachoreta prope Treviros.
DC. L. S. FURSEUS Abbas primus Latiniacenſis Monaſterij anno fere 644. ab Erchinoaldo conſtructi.
S. AGILUS Abbas primus Cœnobij Reſbacenſis, quod S. Audoënus in Briegio tractu anno 636. exſtruxit.
DC. LI. S. Donatus Veſontionenſis Epiſcopus ex Monacho Luxovienſi.
DC. LIII. Tranſlatio Reliquiarum S. P. BENEDICTI & S. SCHOLASTICÆ in Galliam.
S. BAVO Confeſſor in Monaſterio Gandenſi, poſtea S. Bavonis appellato.
S. ROMARICUS Abbas ſecundus & conditor Monaſterij Habendenſis.
DC. LV. S. SALABERGA Abbatiſſa & conditrix Parthenonis S. Johannis Bapt. in urbe Laudunenſi.
S. SIGIRANNUS Abbas qui Monaſteria Longoretenſe anno 641. & Millebeccenſe ædificavit.
S. BURGUNDOFARA ſeu Fara Abbatiſſa prima Parthenonis Eboriacenſis anno 615. inchoati.
DC. LVI. S. LIVINUS Epiſcopus Hibernus & Martyr in Belgio.
DC. LVIII. S. GERTRUDIS Abbatiſſa prima Nivialenſis Cœnobij anno circa 644. ædificati.
S. GEREMARUS Abbas Flaviacenſis Monaſterij ab ipſo conditi primus.
DC. LX. S. CLARUS Abbas Vienenſis in Gallia.
S. THEODECHILDIS Abbatiſſa Jotrenſis Parthenonis, quod Ado in Briegio ſaltu anno fere 630. excitavit.
DC. LXIV. S. REMACLUS Trajecti Epiſcopus ex Abbate Stabulenſi, qui poſtquam Sollemniacum aliquot annis rexit, Stabulenſe & Malmundarienſe in Arduenna ſilva juvante Sigiberto Rege conſtruere cœpit anno 658.
DC. LXV. S. VUALDEBERTUS Abbas tertius Luxovienſis.
S. Magnus Abbas Fuſſenſis, S. Galli diſcipulus.
DC. LXVI. S. GERMANUS Abbas primus Monaſterij Grandivallenſis.
DC. LXVII. S. HILDEFONSUS Toletanus Epiſcopus ex Abbate Agalienſi.
S. VVANDREGISILUS Abbas primus Cœnobij Fontanellenſis anno 648. incepti.
S. AUDOMARUS Tarvennenſis Epiſcopus ex Monacho Luxovienſi, Monaſterij Sithivenſis auctor anno circa 650.
DC. LXVIII. S. JUDOCUS Anachoreta in Pontivo, ubi nunc Cœnobium Judocenſe.
DC. LXIX. SS. SERENICUS & SERENEDUS fratres Spoletini, hic in pago Cenomannico, ille in Oximenſi Monaſteriorum conditores.
DC. LXX. S. FRUCTUOSUS Bracarenſis Epiſcopus, multorum Monachorum Pater & Cœnobiorum auctor.
S. BABOLENUS Abbas Foſſatenſis Monaſterij prope Lureciam Pariſiorum anno circà 640. exſtructi.
S. FIACRIUS Anachoreta in pago Meldenſi, Monaſterio Brolienſi.
S. ADELPHIUS Abbas Habendenſis ſeu Romaricenſis.
DC. LXXI. S. EREMBERTUS Toloſanus Epiſcopus ex Monacho Fontanellenſi.
DC. LXXII. S. FARO Epiſcopus Meldicenſis, Cœnobij S. Crucis in ejuſdem urbis ſuburbio conditor.
DC. LXXIII. S. FRODOBERTUS Abbas primus Monaſterij Cellenſis in ſuburbio Tricaſſino.
DC. LXXIV. S. PRÆJECTUS Arvernorum Epiſcopus Martyr cum B. Amarino Abbate.
DC. LXXV. SS. EMMIANUS, MUMBOLUS & ELOQUIUS Abbates Latiniacenſes.

S. AIGULFUS Abbas Lerinenſis & Martyr.

DC. LXXVII. S. Vincentius ſeu Madelgarius Sonegiis in Hannonia exſtructor Altimontenſis & Sonegienſis Monaſteriorum.

DC. LXXVIII. S. MUMMOLUS Abbas Floriacenſis Monaſterij anno circa 645. conditi.

S. LEODEGARIUS Auguſtodunenſis Epiſcopus ex Abbate Monaſterij S. Maxentij apud Pictones.

DC. LXXIX. S. Amandus Trajectenſis Epiſcopus ex Monacho Abbatiæ S. Martini Turonis: qui varia Monaſteria, in his Elnonenſe famoſiſſimum anno 632. Gandenſe & Blandinienſe in Belgio excitavit.

S. Ethildrita ex Regina Abbatiſſa prima & conditrix Parthenonis Elienſis anno 673. ubi de Abbatiſſis ſubſequentibus.

DC. XXC. S. BALTHILDIS ex Regina Monacha & auctor Cœnobij Kalenſis in agro Pariſiaco circ. ann. 667. eodémque tempore Monaſterij Corbeïenſis.

S. ULTANUS Abbas Monaſterij Perronenſis ab Erchinoaldo exſtructi anno 650.

DC. XXCI. S. Giſlenus Confeſſor & conditor Cellæ in Hannonia.

DC. XXCII. S. HUMBERTUS Confeſſor, qui Maricolenſe Monaſterium ædificavit.

DC. XXCIV. S. ALDEGUNDIS Abbatiſſa prima Melbodienſis in Hannonia.

S. FILIBERTUS Abbas primus Gemeticenſis & Herienſis Monaſteriorum conditórque, & aliorum: Gemerici quidem anno circà 654. Herienſis verò anno fere 675.

DC. XXCV. S. Barontus Monachus Longoretenſis, poſt Anachoreta Piſtorij cum S. Deſiderio.

S. BERCHARIUS Abbas primus Monaſteriorum Altivillarenſis à S. Nivardo Remenſi Epiſcopo ad Matronam conditi, & Dervenſis in Partenſi Campaniæ pago.

S. CONDEDUS Monachus Fontanellæ & Anachoreta.

DC. XXCVI. S. VVALDETRUDIS Abbatiſſa & conditrix Parthenonis Caſtrilocenſis in Hannonia.

S. LANDELINUS Abbas primus Criſpinienſis itidem in Hannonia.

DC. XXCVII. S. CUTHBERTUS Lindisfarnenſis Epiſcopus & Anachoreta in inſula Farne.

S. RICTRUDIS Abbatiſſa Marcianenſis Cœnobij in Flandria.

S. AICADRUS Abbas Gemeticenſis & auctor Cœnobij Quinciacenſis prope Auguſtoritum Pictonum.

DC. XXCVIII. S. VVANINGUS Confeſſor, conditor Parthenonis Fiſcamnenſis in Caletis.

S. ANSTRUDIS Abbatiſſa Laudunenſis poſt matrem S. Salabergam.

DC. XXCIX. S. EUSEBIA Abbatiſſa Parthenonis Hamaticenſis in Flandria poſt amitam S. Gertrudem.

S. KILIANUS Epiſcopus & Martyr Herbipoli.

DC. XC. S. TILLO Monachus Sollemniacenſis.

S. BENEDICTUS Biſcopus Abbas primus Vviremuthenſis & Girvenſis & cum eo SS. SIGFRIDUS & CEOLFRIDUS ibidem Abbates.

S. HADALINUS Confeſſor & conditor Cellæ ad Moſam.

S. HUNEGUNDIS Sanctimonialis Humolarienſis in Veromanduis.

S. THEODORUS Epiſcopus Cantuarienſis & cum eo S. HADRIANUS Abbas Monaſterij S. Petri Cantuariæ.

S. THEODEFRIDUS Abbas primus Corbeienſis Cœnobij à S. Balthilde Regina exſtructi anno fere 657.

DC. XCV. S. VALERIUS Abbas Monaſterij S. Petri de Montibus in Hiſpania.

DC. XCVI. S. Chlodulfus Epiſcopus Mettenſis, S. Arnulfi filius.

DC. XCVIII. S. Anſbertus Rotomagenſis Epiſcopus ex Monacho & Abbate Fontanellenſi.

S. ANGADRISMA Abbatiſſa Oratorij prope civitatem Bellovacorum, S. Anſberto deſponſata.

S. CLAUDIUS Epiſcopus Veſontionenſis, dein Abbas Monaſterij S. Eugendi.

S. TRUDO Confeſſor & conditor Cœnobij quod nunc S. Trudonis dicitur, in Haſbania.

In Supplemento Sæculi I. Benedict. habes Vitam S. P. BENEDICTI à FRODOARDO *metricè ſcriptam, & Acta S. Paterni auctore* VENANTIO FORTUNATO.

INDEX SANCTORVM SECVNDI SÆCVLI BENEDICTINI.

A.

ACHARIUS Noviorum Epiſcopus memoratur in Vita S. Euſtaſij, pag. 118.

ADALSENDIS filia S. Rictrudis, Monacha Marcianenſis, cum S. Rictrude, 945.

ADAMNANUS Monachus Coludenſis cum S. Ethildrita, 753.

ADELINUS Abbas Criſpinienſis cum S. Landelino, 875. 876.

ADELPHIUS Abbas Habendenſis ſeu Romaricenſis. Vita, auctore anonymo æquali, 602. virtutes ejus & morbus, *ibid.* ſeceſſus Luxovium, mors, Tranſlatio & ſepultura, 603. voces in ejus tumulo auditæ, *ibid. & ſeq.*

ADRIANUS Abbas Italus, dein Monaſterij S. Petri Cantuariæ, cum Theodoro Epiſcopo, 1031. *& ſeqq.*

ÆDILVUALDUS Monachus Lindisfarnenſis cum S. Cuthberto, 914. 935. 936. vivit in Cella S. Cuthberti, *ibid.*

ÆMILIANUS Abbas Latiniacenſis, *Vide* Emmianus,

AGIBODUS Monachus Bobienſis cum S. Bertulfo 164. pius ejus obitus, 165.

AGILUS Abbas Reſbacenſis. Obſervationes prævias, 315. 316. Vita auctore anonymo antiquo, 317. parentes ejus nobiles Agnoaldus & Deuteria, *ibid.* ipſe à S. Columbano benedicitur & eruditur Luxovij, 317. 318. ad Brunechildem dirigitur, 318. 319. Vvaraſcis Fidem cum Euſtaſio prædicat, 319. miracula patrat, 320. Monaſterio Reſbacenſi præficitur, 321. *& ſeqq.* ejus caritas miraculo illuſtrata, 323. hoſpitalitas, 324. centenarius moritur, 325.

Libri duo de miraculis ejuſdem *ex MSS. Resbacenſi & Vticenſi*, 324. *& ſeqq.* Philippum Flandriæ Comitem curat, 330. item Adelam Comitiſſam, 331. Fons S. Agili celebratur, 333. 334.

Agletrudis filia S. Bavonis cum S. Bavone, 397.

AGILBERTA Abbatiſſa Jotrenſis cum S. Theodechilde, 487. 488.

AICADRUS Abbas Gemeticenſis. Obſervationes prævias de Vitæ auctoribus &c. 952. Vita auctore anonymo *ex MSS. codd. Gemet.* 953. Aicadrus educatur Pictavis in Monaſterio S. Hilarij, 954. Monachus Anſionenſis, 955. Quinciacenſe Monaſterium condit, 956. S. Filiberto carus, 957. *& ſeqq.* Gemetico præficitur, 960. *& ſeqq.* ob tonſuram veſperâ ſabbati factam arguitur à dæmone, 964. futuram ſuorum ſtragem cælitus diſcit & luget, 966. *& ſeqq.*

AIDANUS Epiſcopus Lindisfarnenſis cum S. Cuthberto,

881. 883. ejus animam in cælum ferri videt Cuthbertus, *ibid. Lege de eo Bedam in Hiſt. lib. 3. cap. 3. 5. 17. & 26.*

AIGULFUS Abbas Lerinenſis. Vita auctore ADREVALDO Monacho Floriacenſi, *reſtituta ad apog. Floriac. 656.* Aigulfus Bleſæus Mummoli Abbatis diſciplinæ ſe tradit Floriaci, 657. S. Benedicti Reliquias defert in Galliam, fit Abbas Lerinenſis, 658. ob mores ſeveros à nonnullis è ſuis exagitatur & martyrio cum aliis afficitur, 659. *& ſeqq.* Reliquiæ ejus Lirinum allatæ, 663. 664.

Obſervationes de ejus Tranſlatione Pruvinum, 666. Liber Mirac. Pruvini patratorum *ex MS. cod. V.C. Antonij Herovallij*, 667 *& ſeqq.*

ALDEGUNDIS Abbatiſſa Melbodienſis. Obſervationes prævіæ, 806. Vita Auctore æquali *ex MS. cod. RR. PP. Fulienſ. Pariſ.* 807. Aldegundis Vvaldeberti & Bertilanæ nobiliſſimorum filia, nuptias reſpuit, *ibid.* Vvaldetrudis ſororis exemplo Monacha efficitur, variis viſionibus hac de re admonita, 808. *& ſeqq.* S. Amandi gloriam videt, 811. obitum ſuum prædiſcit, 811. 812. dæmonem in exitu videt, exanimem ſanat, 812. pia ejus facta & miracula, 813. 814. Tranſlationes variæ, 815.

ALDETRUDIS Abbatiſſa Melbodienſis cum S. Aldegunde matertera, 814.

AMANDUS Epiſcopus Trajectenſis. Obſervationes prævіæ de variis Amandis, Scriptoribus Vitæ, & Monaſterio Elnonenſi, 709. 710. Vita auctore BAUDEMUNDO, 710. *Tituli capitum præmittuntur. ibid.*

Supplementum MILONIS Monachi, 719. Amandus Concilij Romani exemplum & epiſtolam à Martino P. accipit, 720. *& ſeqq.* quo tempore obierit, 723. 724. Tranſlatio corporis, 725. 726. quo die ordinatus Epiſcopus, 727. Elevatio corporis. 728. *& ſeqq.* Igne cæleſti cereus accenſus, 730. *& ſeq.* Sancti miracula per Franciam, 732. *& ſeq.* per Brachantum & Rotomagi, 734. Teſtamentum ejus, Reliquiæ ubi? 735. *& ſeqq.*

AMARINUS Abbas cum S. Præjecto afficitur martyrio, 644. 649. Reliquiæ Volovici, 652.

AMATUS Epiſcopus Senonenſis cum S. Rictrude, 947.

AMATUS Abbas Habendenſis primus. Obſervationes prævіæ de Vitæ auctore & Monaſterij Habendenſis initiis, 129. Vita auctore anonymo ſubpari, reſtituta, *ibid.* Amatus Monachus Agauni, eremum petit, 130. pecuniam rejicit, auſtere vivit in Quadrageſima, Luxovium abducitur ab Euſtaſio, 131. Romarico ad meliora converſo Habendenſe Parthenona condit, 132. ibi præpoſita Mactefleda jugem pſalmodiam inſtituit, in antrum ſe recipit, ſuos hortatur & corrigit, 133. ante mortem publicam pœnitentiam agit, 134. mortuus Romarico commendat Monaſterium, 135.

ANDREAS Abbas Elnonenſis cum S. Amando, 710.

ANGADRISMA Abbatiſſa Bellovacenſis, an diſtincta ab Angariſma, 604. deſponſata S. Anſberto, velatur, 1063. fit Abbatiſſa Oratorij, *ibid.*

ANSBERTUS Epiſcopus Rotomagenſis. Obſervatio prævia & Vita auctore AIGRADO Monacho, 1048. Anſbertus Vilcaſſinas Angadriſmæ nuptiis cedit, 1049. Cancellarius in aula, pòſt Fontanellam ſecedit, 1050. laborem manualem exercet, 1051. Lantberto Abbati ſucceſſor deſignatus à S. Vvandregiſilo, 1052. ſuccedit, 1053. deinde Audoëno Epiſcopo Rotomagenſi, 1054. Fontanellæ Privilegium in Synodo condit, 1056. S. Audoëni tranſlationem curat, 1057. juſſu Pippini exſulat, 1058. mortuus Fontanellam transfertur, 1059. *& ſeqq. * Tranſlatio Blandiniam Sæculo* V. *Bened.*

ANSTRUDIS Abbatiſſa Laudunenſis. Vita *ex MS. cod. Laudun.* 975. Anſtrudis nuptias fugiens, ad matrem ſuam Salabergam ſe recipit Laudunum, 976. poſt matrem illic Abbatiſſa *ibid. & ſeq.* Balduini fratris necem luget, 977. 978. apud Ebroinum accuſata, divinitus ſervatur, 979. Necem effugit, *ibid.* inimici exſequias celebrat, Maldegarij Epiſc. infeſtationes vincit, piè vivit, 980. miraculis clara obit, 981. miracula poſt mortem, 982. *& ſeq.* altare, 982.

ARNULFUS Epiſcopus Metenſis. Obſervationes prævіæ de Vitæ Scriptoribus ejuſque genere, 149. Vita auctore æquali, reſtituta, 150. Arnulfus Aulicus Theodeberti, uxorem ducit, *ibid.* Lirinum cogitat, fit Epiſcopus, 151. miracula patrat, 152. res ſuas in pauperes expendit, ſolitudinem frequentat, 153. Succeſſore randem obtento Goërico in eremum ſecedit, *ibid. & ſeq.* morti proximus de peccatis ſuis fit anxius, 155. corpus Metas transfertur, 156. 157.

Fragmentum ex PAULO Diacono de eodem, 158. 159.

ARNUVALIS Martyr cum S. Kiliano, 991. *& ſeqq.*

ATTALA Abbas Luxovij tertius. Vita auctore JONA Monacho, reſtituta, 123. Attala Lirinum, poſtea Luxovium ſe recipit, *ibid.* Abbas à ſuis exagitatur, *ibid.* miracula patrat, 124. 125. obitum ſuum prædiſcit, 125. piè moritur cruce ſalutata, 126.

Alia Vita metricè ſcripta à FRODOARDO, *ex MS. cod. RR. PP. Carmelit. Excalc. Pariſ.* 127.

AUDOMARUS Epiſcopus Tarvennenſis. Vita reſtituta, 559. Audomarus Conſtantienſis Luxovium à patre ducitur, *ibid.* Epiſcopus Tarvennæ factus, multos ad Fidem adducit, 560. diſcipulum naufragio liberat, 561. ſocios tres, Mummolinum, Ebertramnum & Bertinum obtinet, 562. Sithivenſe Monaſterium condit, *ibid.* Mummolinus Abbas primus, Bertinus ſucceſſor, 563. Audomarus cæcus percepto Viatico moritur, *ibid.* miracula, 564.

AUGUSTINUS Epiſcopus Cantuarienſis *primo Sæculo*, 498.

AUSTREGISILUS Epiſcopus Bituricenſis. Vita auctore æquali, 95. Auſtregiſilus Guntramni Mapparius, prædiſcit ſe fore Epiſcopum, *ibid.* calumniam patitur, fit Subdiaconus & Abbas Lugduni, 96. Sedi Bituricæ præficitur, 97. miraculis illuſtris obit, 98.

Liber miraculorum, 99. *& ſeqq.* Biturices exactionibus liberat, *ibid. Vide Addenda pag.* 1090. *in.*

B.

BABOLENUS Abbas Bobienſis cum S. Babolene Abbate Foſſatenſi, 591. 593.

BABOLENUS Abbas Foſſatenſis. Elogium hiſtoricum, 590.

Liber miraculorum *ex apog. Sancti-Germanenſi*, 593. *& ſeqq.*

BALDA Abbatiſſa Jotri memoratur cum S. Theodechilde, 487.

BALSEMIUS Eremita cum S. Baſolo avunculo, 67.

BALTHILDIS Regina & Sanctimonialis Kalenſis. Obſervationes prævіæ, de patria, genere, Monaſterio Kalenſi, & nece Dalſini ipſi impoſita, 775. *& ſeqq.* Vita auctore æquali, 777. Erchinoaldo ſervit Balthildis, Chlodoveo nubit, 778. mortuo Rege recte adminiſtrat Regnum, 779. Monaſteria Kalenſe & Corbeienſe ædificat, *ibid.* Kalæ fit Monacha, 781. piè moritur, 782. Reginis ſanctis comparatur, 783. 784. * *Tranſlatio ad ann.* 833. *Sæculo* IV.

BARONTUS cum Deſiderio Anachoreta. Vita, 826. Barontus Monachus Longoretenſis ſub S. Sigiranno, Piſtorij cum Deſiderio ſolitariè vivit, *ibid.* mors & Tranſlatio, 827. Viſio & raptus S. Baronti, 828. *& ſeqq.*

BASOLUS Eremita Remenſis. Obſervationes prævіæ de Scriptoribus Vitæ & Monaſterio Viriziacenſi, 64. 65. Vita *ex MS.* 64. Baſolus Aquitanus Ægidium Epiſcopum Remenſem adit, fit Monachus Viriziaci, 65. ſecedit in eremum, 66. Balſemium nepotem cellæ ſucceſſorem deſignat, 67.

Alia Vita auctore ADSONE Abbate Derventi, 65. *& ſeqq. * Tranſlatio Sæculo* IV.

BAUDACHARIUS Monachus Bobienſis piè obit, 165.

BAVO Monachus Gandenſis. Obſervationes prævіæ de Vitæ Scriptoribus & Monaſterio Ganda, 394. *& ſeqq.* Vita antiqua *ex MSS. codd. Compend. & Conchenſi*, 396. Bavo nobilis Agletrudem Virginem procreat, ſecundis nuptiis renuntiat, Amandi hortatu fit melior, 397. Gandæ Monachus, Amando adhæret, 398. Gandavum reverſus recluditur, 399. *& ſeqq.* mori-

tur, 402. funereas veſtes præbet Gertrudis, 403.
Epitaphium à S. Liviño compoſitum, 404. 405.
Libri duo miraculorum, 406. & ſeqq.
Begga vidua & Abbatiſſa prima Monaſterij Andanenſis, cum S. Gertrude Abb. Nivialenſi, 471.
Benedicta Sanctimonialis in Hiſpania cum S. Fructuoſo, 387. 388.
Benedicti S. N. Legiſlatoris Tranſlatio Reliquiarum in Galliam. Diſſertatio prævia, 337. & ſeqq. *Vide Addenda pag.* 1091. a.
Hiſtoria Tranſlationis auctore Adrevaldo, 353. & ſeqq. Appendix de Tranſlatione S. Scholaſticæ, 338.
Alia ab Aimoino metricè ſcripta, 359. & ſeqq.
Sermo S. Odonis Abbatis de eadem Tranſlatione, 363. & ſeqq.
Liber miracula in Gallia ante ſæculum x. patrata complectens, auctore Adrevaldo, 369. & ſeqq. Appendix Adelerii Monachi, 392. & ſeqq. * *Hiſtoria Tranſlationis & alia Miracula Sæculo* IV.
Benedictus Biſcopus Abbas Vviremuthenſis ac Girvenſis cum ſucceſſoribus ſuis. Obſervationes prævie, 1001. 1002. Vita auctore Beda duobus libris, 1002. & ſeqq. Benedictus Romam quinquies profectus, varia inde refert, 1004. & ſeqq. Monachus Lerinenſis, dein Abbas Cantuarienſis, 1003. Cœnobia Vviremuthenſe & Girvenſe condit, 1004. 1005. Eaſtervuinum Girvenſi præficit, 1005. ægrotat cum Sigfrido, 1007. piè moritur, 1008.
Bercharius Abbas Dervenſis. Obſervationes prævie, 831. Vita auctore Adsone Abbate Dervenſi, 832. Bercharius Aquitanus litteris invitatur Nivardo Epiſc. Remenſi curante, *ibid.* ad eumdem ſe recipit, 833. deinde Luxovium, 834. Remos reverſus; cum Nivardo Monaſterium Altivillarenſe conſtruit, 835. & ſeqq. poſtea Monaſterium Dervenſe; 840. & ſeqq. à filiolo ſuo cæditur, 842. corpus ejus tranſlatum, 843.
Liber Mirac. S. Bercharij, 844. & ſeqq. Monaſterij Dervenſis reformatio per Odonem Abbatem Strabulenſem, 845. Bercharij corpus in Burgundiam delatum graſſantibus Normannis, 845. 846. refertur Dervum, 847. Dervenſis Cœnobij miſera facies; *ibid.* in melius reſtituitur, 847. 848. Abbates Dervenſes; 848. & ſeqq. 861. Heribertus Comes ſanatur, 850. 851. Monachi apoſtatæ converſio, 855. 856. Bercharius corpus ſuum altari ſuperponi non patitur, 858. in Concilium Aixeyenſe defertur ejus corpus, 859. peſtis ejuſdem delatione ſedatur, *ibid.* pluvia obtinetur, 860.
Berlerius Monachus Cellenſis cum S. Giſleno, 791.
Bertulfus Bobienſis Abbas tertius. Obſervationes prævie, 160. Vita auctore Jona Monacho reſtituta, *ibid* Bertulfus S. Arnulfi conſanguineus, *ibid.* Bobium cum Attala profectus, Abbas annis tredecim, exagitatus ab Epiſcopo Terdonenſi, ad Honorium P. confugit, Privilegia impetrat, 161. miracula patrat, 162. pij Monachi Bobienſes ejus tempore, 163. & ſeqq.
Carmen Frodoardi de S. Bertulfo *ex MS. cod. Carmel.* 166.
Blidulfus Monachus Bobienſis piè moritur, 163.
Blitmundus Leuconaënſis Abbas ſecundus, cum S. Vvalarico, 82. & ſeqq. ſanatur à S. Vvalarico, 82. Bobij Monachus in Monaſterium Leuconaënſe redit, 89. fit Abbas, 90.
Bodo Epiſcopus Tullenſis cum S. Salaberga, 428.
Boisilus Præpoſitus Mailroſenſis cum S. Cuthbertho, 884. Cuthbertum excipit in Mailros, *ibid.* piè decedit, 886.
Burgundofara Abbatiſſa Eboriacenſis prima. Obſervationes prævie de ejus nomine Fara & Monaſterio, 438. 439. miracula ejus tempore iſthic facta à Jona deſcripta, 439. & ſeqq. obit, 449. ejus Epitaphium, *ex MS. cod. ibid.*

C.

Cæcilia ſeu Clara Abbatiſſa Habendenſis: huic vita S. Romarici dedicatur, 416.
Cassianus, Abbas S. Fructuoſi diſcipulus, cum S. Fructuoſo, 589.
Ceadda Epiſcopus Merciorum & Lindisfarorum laudatur à Beda cum Theodoro, 1033. item lib. 3. Hiſt. cap. 28. & lib. 4. cap. 3.
Ceolfridus Abbas Vviremuthenſis cum S. Benedicto Biſcopo, 1009. 1010. in itinere Romano moritur in ſuburbio Lingonico, 1011. 1012.
Chagnoaldus Epiſcopus Landunenſis, cum S. Columbano, 17. num. 30. 27. num. 50. cum S. Euſtaſio, 117. num. 2. 118. num. 5. cum S. Farone, 614. num. 36. confunditur cum S. Magnoaldo, 506. 507. *In Epiſtola Pauli Epiſcopi Verodunenſis ad Deſiderium Cadurcorum Epiſcoporum To.* 1. *Hiſt. Franc. Cheſnij, Epiſt.* 74. *at* 12. *ex iis quæ ad Deſiderium ſcripta ſunt To.* 5. *Caniſij:* Cognoſcatis Chainoaldum Epiſcopum ictuatum etiam fatì munus impleſſe, *nimirum anno circà* DC. XXXII. *Colitur* 13. *Auguſti &* 6. *Septemb. Concilio Remenſi ſub Sonnatio ſubſcripſit.*
Chillenus Epiſcopus apud Atrabatas; cum S. Farone, 619.
Chlodulfus Epiſcopus Mettenſis. Obſervationes prævie & ejus Vita *ex MS. cod. Cheſniano,* 1043. Chlodulfus S. Arnulfi filius & Dodæ, 1044. fit Mettenſis Epiſcopus, 1045. S. Trudonem eruditi curat, 1046. Vitam S. Arnulfi deſcribi jubet, 1047. In Vita S. Trudonis, 1076. & ſeqq.
Clarus Abbas Viennenſis. Vita, 483. varia miracula operatur, 483. 484. Paganorum cladem prædicit, 484.
Claudius Epiſcopus Veſontionenſis. Obſervatio prævia & Vita, 1065. Claudius Epiſcopus Veſontionenſis, 1066. ad Monaſterium S. Eugendi ſe recipit, 1067. Injurioſo Abbati ſuccedit, *ibid.* corpus ejus incorruptum. 1069.
Clotsendis Abbatiſſa Marcianenſis memoratur in Vita S. Rictrudis matris ſuæ, 942.
Colomannus ſocius S. Kiliani, cum S. Kiliano, 991. 992.
Columbanus Abbas Luxovienſis. Obſervationes prævie, 5. Vita auctore Jona Monacho reſtituta, *ibid.* Columbanus Hibernus cœlitùs præſignatus, 7. à Silene Abbate informatur, 8. in Bancorenſi Monaſterio excipitur, 9. in Galliam venit, *ibid.* & ſeq. alimenta Deo providente accipit, 11. Luxovienſe Monaſterium condit, 12. 13. varia miracula facit, 13. & ſeqq. Theodoricum Regem objurgat, 17. 18. Veſontionem relegatur, 19. Luxovium reverſus, loco cedere cogitur, 20. per varia loca circumducitur, 21. & ſeqq. Chlothario monarchiam prædicit, 24. à Theodeberto ſuſcipitur, 25. Maguntiæ accipit neceſſaria ab Epiſcopo, *ibid.* Suevos ad Fidem reducit, 26. Theodeberto excidium prænuntiat, 27. in Italia Bobienſe Monaſterium condit, 28. illic moritur, 29.
Alia Vita à Frodoardo metricè ſcripta, 30. & ſeqq.
Liber mirac. 40. & ſeqq. delatio corporis ejus Papiam, 47. & ſeqq. Privilegia Cœnobij Bobienſis, 50. & ſeqq. *Vide Addenda* pag. 1090.
Columbanus Monachus Luxovienſis cum S. Columbano Abbate, 17.
Columbinus Abbas Lutrenſis cum S. Deicolo, 108. num. 16. & 116. num. 36.
Condedus Monachus Fontanellæ, Vita *ex MS. cod. Fontanell.* 862. Condedus Britto in Galliam ſe recipit, Fontanellæ fit Monachus, dein Anachoreta, 862. 863. Epitaphium ejus, 865.
Cuthbertus Epiſcopus Lindisfarnenſis. Obſervationes prævie, de Vitæ ſcriptoribus, feſto die, Monaſtica profeſſione, 877. 878. Vita auctore Beda, 879. Cuthbertus puer de Epiſcopatûs futura dignitate admonetur, 880. S. Aidani animam in cœlum ferri jubet, 881. Mailroſenſe Monaſterium petit, 884. apud In-Hripum hoſpitem Angelum excipit, 885. à Boiſilo futura diſcit, 886. varia miracula operatur, 886. & ſeqq. in Lindisfarnenſi Monaſterio degit, 892. in inſula Farne recluditur, 893. Ecgfridi Regis necem &c. prædicit, 898. fit Epiſcopus Lindisfarnenſis, 899. iterum Farne repetit, ibique ægrotans moritur, 906. & ſeqq. corpus ejus poſt undecim annos incorruptum levatur, 911. mi-

racula ad tumulum, 911. & ſeqq.
Alia Vita à BEDA metricè compoſita, 915. & ſeqq. *Vide errata, pag.* 1094.* *Variæ ejus Tranſlationes Sæculo* IV. *Bened.*

D.

DEICOLUS Abbas Lutrenſis. Obſervatio prævia, 102. Vita, 103. Deicolus Columbini diſcipulus in Burgundia remanet, *ibid.* Lutram ſe recipit, 104. adverſarios patitur, 105. Lutrenſe Monaſterium condit, 106. prædia largiente Chlothario, Privilegia Papa, 107. Columbino Abbate ſubſtituto ſecedit in ſolitudinem, moritur, 108. Lutrenſis Monaſterij varij ſtatus, *ibid.* & ſeqq.
DESIDERIUS Monachus & Anachoreta cum S. Baronto, 826. 827. an diſtinctus à Deſiderio Abbate Blavianenſi, *Vide in Indice prætermiſſorum.*
DOMITIANUS Abbas Criſpinij, cum S. Landelino, 875. 876.

E.

EADBERTUS Epiſcopus Lindisfarnenſis cum S. Cuthberto ſepelitur, 912. 913. 934.
EARTONGOTHA Abbatiſſa Ebotiacenſis in Obſervat. prævia de S. Burgundofara, 438.
EASTERVUINUS Abbas Girvenſis. Vita cum S. Benedicto Biſcopo, 1005. 1006.
EATTA Epiſcopus Lindisfarnenſis cum S. Cuthberto, 884. 885. 886. & Epiſcopus Haguſtaldenſis. 899.
EBBA Abbatiſſa Coludenſis cum S. Ethildrita, 753. & cum S. Cuthberto, 887.
EBERTRAMNUS Abbas Monaſterij S. Quintini, cum S. Audomaro, 562.
EDILTRUDIS *Vide* Ethildrita
ELOQUIUS Abbas Latiniacenſis. Acta ejus examinata, 653. Tranſlatio corporis Valciodorum, 654. & ſeqq.
EMMIANUS Abbas Latiniaci poſt. S. Furſeum, 653.
ERCHANTRUDIS *Vide* Hercantrudis.
Erembertus Epiſcopus Toletanus. Vita, *ex MS. cod. Fontanell.* 604. ex Monacho Fontanellenſi Epiſcopus, *ibid.* Fontanellæ obit, 605.
ERMEMBURGA Regina laudatur in Vita S. Ethildritæ, 756.
ERMENILDA Abbatiſſa Elienſis cum S. Ethildrita, 767. 768
ETHILDRITA Regina & Abbatiſſa Elienſis prima. Obſervationes prævia, de Vitæ ſcriptoribus, memoria & Monaſterio Elienſi, 738. Vita auctore THOMA Elienſi Monacho, *ex MS. cod. Anglic.* 739. Ethildritæ parentes, *ibid.* Ethildrita piè educata, 740. in conjugio virginitatem ſervat, 741. 742. 745. & ſeqq. S. Vvilfridum familiarem habet, 746. & ſeqq. in Monaſterium Coludenſe ſe recipit, 749. Regem fugit, 749. 750. in Ely ſecedit, 752. duplex ibi Monaſterium conſtruit, 754. Abbatiſſa à S. Vvilfrido ordinatur, 755. prophetiæ ſpiritu prædita, obit, 757. 758. 759. Corpus ejus poſt ſexdecim annos incorruptum levatur, 761. & ſeqq. Miracula, 764. & ſeqq. Verſus de ea à Beda conditi, 765. 766. Dani Monaſterium devaſtant, 768. & ſeqq. ſacri Ethildritæ tumuli violatores puniti, 770. & ſeqq. * *Tranſlatio ad ann.* 1106. *Sæculo* VII. *Bened.*
EUGENIUS Epiſcopus Toletanus cum S. Hildefonſo, 516.
EUSEBIA Abbatiſſa Marcianenſis. Vita & miracula, 984. & ſeqq.
EUSTASIUS Abbas Luxovienſis ſecundus. Vita auctore JONA Monacho reſtituta, 116. Euſtaſius Burgundofaram Deo ſacrat, Vvaraſcos & Boïos ad Chriſtum convertit, 117. Salabergam & Agilum ſanat, Luxovium redit, Agreſtium corripit, 118. & confutat in Synodo, 119. 120. moritur ſumpto Viatico, 122.

F.

FARA *Vide* Burgundofara.
FARO Epiſc. Meldicenſis. Obſervationes prævia, 606. 607. Vita *ex MS. cod. Faroniano*, 610. Vitæ Capitula præmittuntur, 607. & ſeqq.
FIACRIUS Anachoreta. Elogium ejus hiſtoricum, 598. Fiacrius Feſtus dictus, Hibernus in Galliam venit, Broilum ſe recepit, *ibid.* ab Oratorio ſuo feminas arcet, cur, 599. 600. miraculis celebris præcipuè in curandis viſceribus, 600. Monaſterij ejus ſtatus, 601.
FILIBERTUS Abbas Gemeticenſis. Obſervationes prævia de Monaſterio Gemeticenſi &c. 816. 817. Vita, 817. Filibertus Aquitanus, Reſbaci Monachus, 818. Abbas, Gemeticenſe Monaſterium condit, 819. Auſtrebertam Pauliacenſi Monaſterio præficit, Ebroinum arguit, incarceratur, 821. ad Anſoaldum Epiſc. Pictavenſem ſe recipit, Herienſe Monaſterium exſtruit, 823. item Villare. Aicadrum Gemetico ſubſtituit, 824. * *Tranſlationes & miracula Sæculo* IV. *Bened.*
FLORBERTUS Abbas Gandavi, cum S. Bavone, 399. 404. 405. & cum S. Livino, 457.
FOILLANUS Abbas Foſſenſis in Belgio, cum S. Furſeo, 308. & cum S. Gertrude, 466.
FRODOBERTUS Abbas Cellenſis prope Trecas. Obſervationes prævia, 627. Carmen de eo; *ex MS. cod. ibid.* Vita, 627. Frodobertus Tricaſſinus, *ibid.* Luxovij Monachus, 629. Trecas reverſus auſterè vivit, 630. Cellenſe Monaſterium condit, 631. miracula facit, *ibid.* & ſeqq. Evangelij lectione infirmus ſe recreat, 634. moritur, 635. Tranſlatio, 637. & ſeqq.
FRUCTUOSUS Epiſcopus Bracarenſis. Obſervationes de Fructuoſi Regulis & aliis Fructuoſis, 581. Vita auctore S. VALERIO ſubpari, 582. Fructuoſus Regio genere ortus, *ibid.* Complutenſe Monaſterium exſtruit, 583. item alia, 584. 587. 589. Benedictæ Cellam parat, 587. Pontifex factus Monachi mores retinet, 589. moritur, *ibid.*
FURSEUS Abbas Latiniacenſis. Obſervationes prævia de Vitæ ſcriptoribus & Monaſterio Latiniacenſi, 299. 300. Vita auctore æquali, 300. Furſeus Hibernus Monachus ecſtaſin patitur, 301. & ſeqq. in Saxonia Monaſterium exſtruit, 308. in Gallia Latiniacum, *ibid.* & ſeqq. Perronæ ſepelitur, 309. & ſeqq.
Liber Miraculorum, 309. & ſeqq.

G.

GALLUS Abbas in Alamannia. Obſervationes prævia, 227. Vita auctore VVALAFRIDO STRABONE, 228. Gallus Hibernus in Galliam venit, 230. in Alamanniam cum Columbano ſe recipit, 231. Brigantij conſidet, 232. Oratorium ibi reſtaurat, 233. Columbanum infirmus in Italiam comitari non valet, 234. Solitarium locum petit, 235. locum jejunio dedicat, 237. Ducis filiam à dæmone liberat, 240. Epiſcopatum recuſat, 241. 243. Columbani tranſitum abſens videt, 246. Luxovij Abbas eſſe negat, 246. apud Arbonam moritur, 247. ſepelitur à Johanne Epiſcopo, 248. & ſeqq.
Liber Miraculorum eodem Auctore, 250. & ſeqq. S. Galli Monaſterium inſtauratur, 255. varia loci fortuna, 257. & ſeqq.
GENEROSUS Abbas Anſionenſis cum S. Paterno, 1100. & ſeqq.
GENESIUS Epiſcopus Lugdunenſis cum S. Balthilde, 778. 782. & cum S. Anſberto, 1053.
GEREMARUS Abbas Flaviacenſis. Obſervatio prævia & Vita, 475. Geremarus Bellovacenſis, *ibid.* à Dagoberto conſiliis præfectus, 476. Inſulenſe Monaſterium condit, 477. Pentallenſe Cœnobium petit, 478. curam paſtoralem deſerit, & in ſpeluncam ſecedit, 478. Sacerdos mortem filij diſcit, 480. Flaviacenſe Monaſterium ædificat, 481. 482.
GERMANUS Abbas Grandivallenſis Martyr. Vita, 511. Germanus Treviri à S. Modoaldo eruditur, *ibid.* Arnulfum convenit in Monaſtero Romaricenſi, 512. Grandivalli præficitur, *ibid.* lanceâ cum Randoaldo Præpoſito tranſverberatur, 513.
GERTRUDIS Abbatiſſa Hamaticenſis cum S. Rictrude, 947. 948. & cum S. Euſebia, 984.
GERTRUDIS Abbatiſſa Nivialenſis. Obſervationes prævia, de variis Gertrudibus & Monaſtica Gertrudis hu-

jus institutione ac de duplici Niviallæ Monasterio, 462. 463. Vita auctore æquali, *ibid.* Gertrudis velum nuptias præfert, 464. Nivialense Monasterium regit, 465. Vvilfetrudem sibi substituit, 466. S. Ultanum de sui obitûs die consulit, 467.

Liber miraculorum 468. *& seqq.*

Gislenus Confessor & conditor Cellæ in Hannonia. Observationes præviæ de Vitæ Scriptoribus & Monasterio Cellensi, 788. 789. Vita *ex MS. cod. Cellensi*, 790. Gislenus Græcus, Monachus, Romam petit, *ibid.* inde Galliam, 791. Cellense Monasterium excitat, 792. Vvaldetrudem ad sæculi contemptum adducit, 793 item Aldegundem, 794. Cellam Melbodio adsociat, 795.

Liber Miraculorum auctore Rainero Monacho Cellensi *ex MS. cod. Coll.* 796. *& seqq.* Reliquiæ Gisleni restitutæ, 797. Canonicis Monachi in Cellam succedunt, 798. corpus S. Gisleni pro rebus Monasterij delatum, 799.

Glodesindis Abbatissa Metcensis. Observationes præviæ, & Vita, auctore Johanne Abbate Gorziensi, 1087. Glodesindis Vvinetrone patre, Gudila matre orta, *ibid.* nuptias semel & iterum declinat, 1088. divinitùs pascitur & velatur, *ibid.* Treviri informata Metis Cœnobium condit, 1089. * *Translatio Saculo* IV. *Bened.*

Goar Confessor & Anachoreta. Observationes præviæ, 275. Vita auctore anonymo *ex MS. cod. V. C. Antonij Herovallij*, 276. Goar Aquitanus in Trevirorum pagum secedit, apud Episcopum accusatur, *ibid.* Treviros citatus, 277. mores suos omnibus approbat, 278. Episcopatum recusat, 279. moritur, 280.

Alia Vita auctore Vvandalberto Diacono Prumiensi, restituta, 281.

Liber Mirac. eodem Auctore, 288. Translatio corporis S. Goaris, 289. Carolus Imp. periclitatur ob neglectum S. Goaris cultum, 291. Fastrada Augusta sanatur, 292. item Ludovicus Pius, 297. Cella S. Goaris Prumiæ unita, 298.

Godo Monachus Fontanellensis cum S. Vvandregisilo, 539. 540. *Lege errata pag.* 1094.

H.

Hadalinus Confessor in Monasterio Cellensi ad Molam. Vita, 1013. Hadalinus Aquitanus, S. Remacli socius, Solis radio illustratur, *ibid.* Oratorium constituit, 1014. à Pippino prædia accipit, fontem oratione impetrat, 1015.

Helladius Episcopus Toletanus. Elogium ejus historicum, 136. *& seqq.*

Hercantrudis Monacha Eboriacensis cum S. Burgundofara, 441.

Heresvita Sanctimonialis Kalensis cum S. Balthilde, 776.

Hilda Abbatissa Streaneshalhensis cum S. Balthilde, *ibid.*

Hildefonsus Episcopus Toletanus. Observationes præviæ, de Auctore Vitæ, 515. Vita auctore Juliano Episcopo, 516. Hildefonsus ex Monacho Agaliensi Abbas, dein Episcopus, *ibid.*

Alia Vita à Zizilane scripta, 517. Hildefonsus Isidorum habuit præceptorem, Reliquias S. Leocadiæ transtulit, 517. munus à B. Maria accipit, 518.

Observationes de ejus scriptis, 519. *& seqq.*

Translatio Zamoram, 523. 524. *Lege errata seu additiones pag.* 1093.

Hildemarcha Abbatissa Fiscamnensis cum S. Vvandregisilo, 542. & cum S. Vvaningo, 973. 974.

Humbertus Confessor, & conditor Abbatiæ Maricolensis. Observationes præviæ, 800. Humbertus Lauduni Monachus Cœnobium Maricolense condit, 801. S. Aldegundi fontem impetrat, *ibid.* corporis ejus elevatio & translatio. 802. 803.

Huna Monachus Elicensis cum S. Ethildrita, 759. 769.

Hunegundis virgo Humolariensis. Observatio prævia & Vita auctore Bernero Abbate Humolariensi, restituta, 1018. Hunegundis Veromandensis desponsata, 1019. Romam petit, 1020. 1021. à Papa velum accipit, 1022. reversa in patriam, fit Monacha Humolariensis, item sponsus, *ibid.* ægrotans unctionem & Viaticum petit, 1024. Diplomata de Monachorum substitutione, 1025. 1026. * *Translatio Saculo* V. *Bened.*

I.

Johannes Abbas Italus in Angliam missus, cum S. Theodoro, 1037.

Jonatus Abbas Marcianensis cum S. Rictrude, 938. 944. 951.

Itta seu Iduberga, Vidua cum S. Gertrude filia, 464. 465.

Judicail Rex & Monachus cum Judoco, 566.

Judocus Anachorita in Pontivo. Observationes præviæ de Vitæ scriptoribus & Cella S. Judoci, 565. Vita auctore perantiquo *ex MS. cod. Gemeticensi*, 566. Judocus Regnum respuit, *ibid.* in Pontivo ab Haimone Duce excipitur, 567. in solitudine degit, *ibid. & seqq.* Translatio, 571.

Justus Episcopus Toletanus. Elogium historicum, 147. S. Justus distinctus à Justo Diacono, 148.

K.

Kilianus Episcopus & martyr Herbipoli. Observationes præviæ, 991. Vita, *ibid.* Kilianus Hibernus, *ibid.* Vvirzburgum, deinde Romam petit, pòst Gozbertum Ducem ad Fidem adducit, ob id à pellice necatus cum suis, 992. corpus à S. Burchardo translatum, 993.

L.

Landelinus Abbas primus Crispinij in Hannonia. Vita restituta, 873. Landelinus à S. Autberto institutus, tum seductus à suis malè vivit, *ibid.* resipiscens in Monasterium secedit, Romam petit semel & iterum, 874. 875. Monasteria tria ædificat, 875. Adelinum Crispinio, Domitianum Laubiis præficit, 876.

Lantbertus Episcopus Lugdunensis cum S. Vvandregisilo, 545. cum S. Eremberto, 605. cum S. Condedo, 862. Ansberto, 1050. *& seqq.*

Lantbertus & Berlerius Monachi Cellenses cum S. Gisleno, 791. 797.

Laurentius Episcopus Cantuariensis. Elogium historicum, 60. Laurentius Augustini discipulus & successor, Scottos reducere ad meliora conatur, 61. Gregem relicturus à S. Petro corripitur, 62.

Leodegarius Episcopus Augustodunensis. Observationes præviæ, de Vitæ scriptoribus & Monastica professione, 679. 680. Vita auctore anonymo æquali, 680. Leodegarius à Didone Pictavorum Episcopo instructus, *ibid.* Archidiaconus, pòst Episcopus Æduensis, Ebroinum adversarium patitur, 681. à Rege Childerico exagitatus, 683. Luxovium relegatur, 684. Childerico mortuo egressus Luxovio, 685. rursùs vexatur ab Ebroini satellitibus, 686. 687. Theodorico fidem violare negans, oculis privatur, 688. in custodiam datur Vvaimero, 689. tum Vvaningo, linguâ ac labiis mutilatis, 690. loquitur expeditè sine lingua, 691. Regi multa prædicit, mortis sententiam excipit, 691. impiè cæditur, 693. miraculis tumulus illustratur, 694. corpus in Monasterium S. Maxentij defertur, 695. *& seqq.* in itinere plurima fiunt miracula, *ibid.*

Alia Vita auctore Ursino etiam æquali, 698. *& seqq.*

Observationes de S. Leodegarij Reliquiis, 706. Epistola ad matrem Siagriam, 707.

Leopardus Monachus Bobiensis, cum S. Bertulfo, 165. 166.

Leudebirta Sanctimonialis Eboriacensis, cum S. Burgundofara, 445.

Livinus Episcopus & Martyr. Observationes præviæ, de Bonifacio Vitæ scriptore, 448. Vita, 450. Livinus Scottus ab Augustino Episcopo baptizatur, 451. ab eodem

eôdem eruditur, 454. Episcopus ordinatur in Menalchij locum, 455. Gandavum petit, 457. inde Bracbantum, 458. martyrio afficitur, *ibid. & seqq.*

M.

MACTEFLEDIS Abbatissa Habendensis cum S. Amato, 133.

MAGNOALDUS seu MAGNUS Abbas Fussensis. Vita ejus examinatur, 505. *& seqq.*

MALDEBERTA Abbatissa Melbodiensis memoratur in Vita S. Aldegundis, 814.

MAURONTUS Abbas Broïlensis, cum S. Rictrude, 946. 947.

Mellitus Episcopus Cantuariensis. Elogium ejus historicum, 90. *& seqq.*

Meroveus Monachus Bobiensis, cum S. Bertulfo, 164. 165.

MILDREDA & MILGIDRA memorantur in Vita S. Ethildritæ, 756.

MODESTA Abbatissa Trevirensis, memoratur in Vita S. Gertrudis Abb. Nivialensis, 468.

Mumbolus Abbas Latiniacensis. Acta ejus confusa, 653. Translatio, 654.

MUMMOLENUS Episcopus Noviomagensis cum S. Audomaro, 562. 563.

MUMMOLUS Abbas Floriacensis. Elogium ejus historicum, 674. *& seqq.*

O.

OVUINUS Monachus Anglus cum S. Ethildrita, 746. 749.

P.

PAULUS Episcopus Verodunensis. Vita ejus, 268. Anachoreta in Vosago, 269. post Monachus Theologiensis, 270. 271. Episcopatum Verodunensem invitus accipit, 272. 273.

PETRUS Abbas primus Monasterij S. Petri Cantuariæ. Elogium ejus historicum, 3. & 4.

PHILIBERTUS. *Vide* Filibertus.

PRÆJECTUS Episcopus Arvernensis & Martyr. Observationes præviæ & Vita, 640. Præjectus Episcopus Monasterium & Xenodochium ædificat, 641. Childericum semel & iterum adit, 642. 643. ab adversariis cum Amarino Abbate necatur, 644.

Alia Vita, 645. Observationes de Reliquiis S. Præjecti, 651. 652.

R.

RAGNACHARIUS Episcopus Basileensis, memoratur in Vita S. Eustasij, 118.

REMACLUS Episcopus Trajectensis. Observationes præviæ, de Vitæ Scriptoribus & primordiis Monasterij Sollemniacensis, 488. 489. Vita *ex MS. cod. Cisterc. erutа à R. P. D. Iacobo Lannoio*, 489. Remaclus ex Abbate Sollemniacensi Episcopus Trajectensis, 490. S. Trudonem informat, 491. Monasteria Stabulense & Malmundariense per Sigibertum condi curat, 492. Ithuc abdicato Episcopatu se recipit, 493. In Vita S. Trudonis, 1074. *& seq. Lege Addit. pag.* 1091. *& seqq.*

Liber Miraculorum, 494. *& seqq.* * *Alia miracula Sæculo* VI. *Bened.*

RICHARIUS Abbas Centulensis primus. Observationes præviæ, de Vitæ Scriptoribus & Monasterio Centulensi, 187. *& seqq.* Vita auctore ALCUINO, restituta, 189. Richarius Pontivensis, 190. hortatoribus Caidoco & Frichorio ad meliorem frugem se recipit, 191. verbum Divinum prædicat etiam Britannis, 191. 192. Rictrudem invisit, 193. Dagoberto salutaria dat monita, 194. in silva Chrisciacensi cellam construit, 195. Viatico sumpto moritur, Centulam corpus ejus transfertur, 196. Appendix ex interpolatore, 197. *& seqq.* Carolus Magnus corpus S. Richarij integrum reperit, 199. Versus ANGILBERTI de SS. Richario, Caidoco & Frichorio, 200. *Vide corrigenda pag.* 1090.

Alia Vita ab INGELRAMNO Abbate Centulensi meliorè composita, *ex MS. cod. Centul.* 201. *& seqq.*

Libri duo Mirac. scripti ante annos octingentos, *ex MS. cod. Centul.* 213. *& seqq.* Nortmannorum metu S. Richarij corpus circumfertur, 217. refertur, 218. iterum Nortmanni fugant Monachos Centulenses, 221. 222. S. Richarij caput thecæ argenteæ includitur, 224. Danorum conversio, 226.

RICTRUDIS Abbatissa Marcianensis. Observationes præviæ, de Vitæ Scriptoribus & Monasterio Marcianensi, 937. 938. Vita auctore HUCBALDO restituta, 939. Rictrudis nobilis, 940. Adalbaldo nubit, 941. marito cæso nuptiis secundis nuntium remittit, 942. velum suscipit, 943. Marcianis recluditur, 944. Adalsendem filiam amittit, 945. Eusebiam corripit, 947. moritur, 950.

Observationes de Translationibus & miraculis S. Rictrudis, 951. 952.

ROMARICUS Abbas Habendensis secundus. Observationes præviæ, de Instituto Benedictino in Parthenone Habendensi, 415. 416. Vita auctore æquali, 416. Romaricus Luxovium petit, dein Monasterium Habendense cum S. Amato ædificat, 417. post Amatum Abbas, 418. Virginibus centum in cælum præmissis obit Viatico munitus, 419. miracula, 420.

RUSTICULA Abbatissa Arelatensis. Observatio prævia & Vita auctore FLORENTIO Presbytero, 139. Rusticula Marcia etiam dicta in Monasterio S. Cæsarij eruditur, 140. Liliolæ Abbatissæ substituitur, 141. apud Chlotharium accusata, purgatur, 143. 144. moritur septuagenariâ major, 145. 146.

S.

SALABERGA Abbatissa Landunensis. Observationes præviæ, de Vitæ Scriptoribus & Parthenone Laudunensi, 421. 422. Vita auctore gravi & subpari, 422. Salaberga Tullensis, 423. ab Eustasio fanatur, 424. viro nubit, *ibid.* mortuo conjuge, alteri copulatur, 425. sterilis ope B. Remigij liberos procreat, *ibid.* In Cœnobio à se condito velatur, postea Laudunum demigrat, 426. 427. isthic Monasterio condito CCC. Virgines aggregat, 428. miracula patrat, 429. 430. Reliquiæ ejus Lauduni, 432. *Consule addenda pag.* 1091. a.

SERENEDUS & SERENICUS fratres. Vita, 572. Hi Spoleto orti, 572. Romæ Cardinales Diaconi creantur, 573. in Galliam veniunt, apud Cenomannos consistunt, 574. Serenicus in pagum Oximensem secedit, *ibid.* ibi Monasterio constructo moritur, 575. *& seqq.* Serenedus apud Cenomannos remanet, 579. *& seqq.*

SEXBURGA Abbatissa Elienſis secunda, cum S. Ethildrita sit Sanctimonialis Elienſis, 756. Ethildritæ sorori succedit, 761. moritur, 767.

SEXVULFUS Episcopus Lichefeldensis memoratur in Vita S. Ethildritæ, 756. a. & S. Theodori, 1035.

SIDONIUS Abbas Rotomagensis, cum S. Filiberto, Cellerarius, 824. & cum S. Aicadro, 957.

SIGFRIDUS Abbas Viremuthensis in Anglia, cum S. Benedicto Biscopo, 1007. 1008. distinctus à Sigfrido Monacho primùm Mailrosensi, deinde Girvensi, 884.

SIGIRANNUS Abbas Longoretensis. Vita ejus, 432. Is Bituricensis, *ibid.* Turonis tondetur, 433. Archidiaconus persecutionem patitur, 434. Romam petit, 435. reversus duo Cœnobia construit, 436. 437.

SIRA soror S. Fiacrij, cum S. Fiacrio, 602.

SULPICIUS Episcopus Bituricensis. Observationes præviæ, 167. Vita auctore fere æquali, 168. Sulpicius Bituricensis, *ibid.* Abbas Castrensis, 170. dein Episcopus Bituricensis, 171. miracula patrat, 172. *& seqq.* Regem exactionis auctorem ad pœnitentiam adducit, 174. Coadjutorem sibi adjungit, 175. pæne exanimem Eucharistiâ exsuscitat, 177. vasis fictilibus utitur, 178. moritur, 179. oleum ex lampade sepulcri manat, 180.

Liber Miraculorum, 181. *& seqq. Vide corrigenda pag.* 1090. m.

T.

THEODECHILDIS Abbatissa Jotrensis. Elogium ejus, 486. *& seqq.* laudatur in Vita S. Bertilæ Abb. Kalensis Sæculo inseq.

THEODEFRIDUS ex Abbate Corbeiensi Episcopus. Elogium ejus historicum, ubi de origine Corbeiensis Monasterij, 1039. *& seqq.*

THEODORUS Episcopus Cantuariensis. Observationes præviæ de Monastica ejus professione, & expulsione Vvilfridi, 1030. 1031. Vita ex Beda, *ibid.* Theodorus Tharsensis Româ in Britanniam missus cum Adriano Abbate, 1031. 1032. Ceaddam Episc. reordinat, 1033. Concilia celebrat, 1034. 1036. varios Episcopos ordinat, 1035. piè obit, 1031. 1038.

TILLO Monachus Sollemniacensis. Observationes præviæ & Vita *ex MS. cod. Sollemniac.* 994. Tillo Britto, venumdatus in Galliam abductus, *ibid.* à S. Eligio redimitur, 995. à S. Remaclo eruditus, *ibid.* fit Monachus Sollemniaci, & Sacerdos, 996. in eremo piè ac rigidè vivit, 996. 997. Paulum se vocari vult, 998. ab Ermeno Episcopo sepelitur, 999. & quidem Sollemniaci, 1001. 1002. illic miraculis fulget, 1002.

TRUDO Presbyter & Confessor in Hasbania. Observationes præviæ, de Vitæ Scriptoribus & Monastica ejus professione, déque Monasterio ab ipso condito, 1069. Vita auctore DONATO Diacono *ex MS. cod. Chesniano*, 1070. *Capitula præmittuntur*, 1071.

TRUMVUINUS Episcopus Pictorum Australium, memoratur in Vita S. Cuthberti, 880.

V.

VALERIUS Abbas Monasterij S. Petri de Montibus in Hispania. Elogium historicum, 1042. 1043.

VINCENTIUS cognomento Madelgarius Monachus Sonegiensis. Elogium ejus historicum, 672. S. Vvaldetrudis maritus Altimontense Monasterium constituit, ibique degit, 673. Sonegiense ædificat, ubi & moritur, 674.

VIRGILIUS Episcopus Arelatensis. Vita ejus, 55. fit Monachus & Abbas Lerinensis, *ibid.* pòst Episcopus, 56. dedicat Ecclesiam S. Honorati, 78. Cilicio perpetuo usus, 58. moritur, 59.

ULTANUS Abbas Perronensis. Elogium ejus historicum, 785. Ultanus S. Fursei frater, Abbas Perronæ, *ibid.* an Ecclesiæ S. Fursei Perronæ? 786. *& seqq.*

URSICINUS Monachus Luxoviensis, cum S. Germano Abb. 513. 514. Monasterium ejus Ecclesiæ adjungit Vvandregisilus, 537.

VVALARICUS Abbas Leuconaënsis. Observationes præviæ de Vitæ Auctore, & Monasterio Leuconaënsi, 76. Vita Theodino Abbati dicata ab Auctore perantiquo, 77. Vvalaricus Arvernensis, oves pascit, *ibid.* Monachus, in Monasterio Autumo & Autisiodori, 78. dein Luxovij, 79. Austasio Abbati fert opem, 80. cum Vvaldoleno aliò profectus, Ambiani mortuum suscitat, 81. Leuconaënsem locum incolit, Blitmundum sanat, 82. Miracula patrat, 83. *& seqq.* ante Missam bibentes increpat, 83. virgo ab utero, 86. lenis erga peccantes, 87. moritur, 88. Berchundus Episc. Ambianensis ejus corpus frustra cogitat transferre Ambianum, 89. Blitmundus Vvalarico succedit, 89. 90. Vvalaricus diversus à S. Valerico, 1090. V. *pag.* 862. 864. * *Translatio Sæculo* V. *Bened.*

VVALDEBERTUS Abbas Luxoviensis. Elogium ejus historicum., 503. non fuit S. Faræ frater, nec Episcopus Meldicensis, 504.

VVALDETRUDIS Abbatissa Castrilocensis prima. Vita ejus, 866. Vvaldetrudis Vincentio nupta, 867. ad sæculi contemptum cælitùs animatur, 868. Monasterio condito velatur à S. Autberto, 869. miraculis clara, 870. 871. obit, 872.

VVALDRADA Abbatissa Mertensis. Elogium ejus historicum, 63. 64. *Vide corrigenda pag.* 1090. m.

VVANDELENUS Abbas Theologiensis, in Vita S. Pauli Episc. 270.

VVANDREGISILUS Abbas Fontanellensis. Observationes præviæ, de Vitæ Scriptoribus & Monasterio Fontanellensi, 524. 525. Vita auctore æquali, 526. Vvandregisilus Verodunensis, *ibid.* uxori castitatem persuadet fitque Monachus, 527. à Dagoberto in aulam evocatur, 528. Bobium petit, *ibid.* in Monasterium Romanense se recipit, 529. Audoënum adit, 530. Fontanellense Monasterium constituit, *ibid.* monita egregia suis dat, 531. moritur, 533.

Alia Vita auctore æquali, 534.

Liber Mirac. *ex MS. cod. Fontanell.* 547. *& seqq.* Delatio corporis ejus & S. Ansberti per pagum Tarvennensem &c. 549. Miracula Carnuti facta, 557.

VVANINGUS Confessor Fiscamni. Vitæ ejus fragmenta, 971.

VVERBURGA Abbatissa Elensis, cum S. Ethildrita, 756. quibusdam Ecclesiis præficitur, 761. 767. demum Elensi Cœnobio, 768. *Lege Vvillelmum Malmesb. lib. 4. de Pontif. ubi de Episc. Licefeldensibus & de Elienſibus.*

VVILLESINDA Sanctimonialis Eboriacensis, cum S. Burgundofara, 444. 445.

Vvitburga Virgo Regia, soror S. Ethildritæ, cum S. Ethildrita, 740.

VVLFETRUDIS Abbatissa Nivialensis secunda, cum S. Gertrude, 466.

INDEX SANCTORVM PRÆTERMISSORVM, in hoc secundo Sæculo Benedictino.

ASTERISCUS * *designat eos qui germani Benedictini esse videntur.*

A.

* ADEODATUS Papa *ex Monachis*, inquit vulgatus Anastasius, *in Monasterio S. Erasmi sito in Celio monte, in quo concreviſſe visus est, prædictus sanctiſſimus vir, multa nova ædificia augmentavit, sed & casalia conquisivit, & in vita sua Abbatem vel congregationem ibidem instituit... Sepultus est ad B. Petrum sub die* VI. *Kalend. Iulias.*

* AGATHO Papa *ex Monachis*, ait idem Auctor, quo Pontifice sexta Synodus Universalis in Trullo adversus Monotheletas celebrata est anno DC. XXC. *Sepultus est ad B. Petrum Apost. sub die* IX. *Idus Ianuarij.*

* ALDEGUNDIS Sanctimonialis Truncinij, Flandricè *Drongene* prope Gandavum, nunc Ord. Præmonst. filia Basini Regis & Martyris, discipula S. Amandi, colitur 20. die Junij.

* AUREA Abbatissa Parisiaca laudatur in Vitæ S. Eligij lib. 1. capp. 17. & 18. & lib. 2. cap. 51. Quippe Eligius *Parisius dignum sanctarum Virginum construxit Archiſterium, ubi districtam Regulæ disciplinam constituens, usque ad trecentarum numerum Puellarum congregavit, quibus & Abbatissam Deo dignam puellam, nomine* AUREAM, *filiam scilicet Maurini & Quiriæ constituit*, inquit Audoënus lib. 1. cap. 17. & cap. 18. *Cuncto opere Monasterij peracto, atque omnibus ædificiis Ancillarum Dei expletis, ædificavit postremò Basilicam in honore S. Pauli Apostoli ad Ancillarum Dei corpora sepelienda: cujus tecta sublimia operuit plumbo cum elegantia: quæ in Basilica Beatus quoque* QUINTILIANUS *jacet Abbas humatus.* Denique lib. 2. cap. 51. quum nefanda clades depopularetur urbem *Parisiacam*, Eligio vocante, Aurea morte correpta est, pridie Nonas Octob. anno circa DC. LXVI. cujus corpus post quinquenniũ illatũ est in urbem. Nam Ecclesia S. Pauli ubi sepulta est, extra muros quondam erat dicebatúrque Ecclesia S. Pauli à Campis. Monasterium verò S. Aureæ muris inclusum complectebatur eam insulæ partem, quam nunc usque vulgus Circuitum S. Eligij, vulgò *la Ceinture S. Eloy* appellat. Ecclesia S. Martiali sacra etiamnunc perstat à Patribus

Barnabitis occupata, cujus media pars S. Eligio dedicata eſt. Cave confundas Aureamnoſtram cum S. Aurea de qua Anaſtaſius in Vita Sergij Papæ : & corrige vitioſiſſimum codicem manu deſcriptum Bibliothecæ noſtræ Pratenſis, qui Brulium in errorem induxit : quo in codice Aurea Pariſiaca fuiſſe Syra dicitur.

AUTBERTUS Epiſcopus Cameracenſis videtur non fuiſſe Monachus ex ejus Vita apud Surium 13. Decemb. In his Actis frequenter laudatur.

AVA Hidulfi Comitis (ut vocant) Hannoniæ uxor, Sanctimonialis haud fuiſſe videtur.

B.

* BALDERICUS Abbas Montisfalconis in Vita S. Vvandregiſili memoratus fusè laudatur à Frodoardo Canonico Remenſi in Hiſt. lib. 4. cap. 38. & ſeqq.

BALDOMERUS Subdiaconus Lugdunenſis, *in Monaſterio S. Juſti* exceptus à Viventio Abbate, à Gaudrico Epiſcopo ejuſdem urbis Subdiaconus ordinatus, ibidem mortuus eſt die 27. Febr. anno circà DC. LX. Lege ejus Acta apud Bollandum.

* BERTA Abbatiſſa Avennaci, *Avenay*, in pago Remenſi ad Matronam, de qua legendus Frodoardus in Hiſt. Rem. lib. 4. cap. 47. Hæc à viro ſuo ſanctiſſimo Guntberto relicta, *Cœnobium puellare apud Avennacum, Domino ſibi locum per Angelum demonſtrante, conſtruxit*, ubi ejus corpus cum S. Guntberti Reliquiis hactenus religiosè colitur. Diſtinguenda eſt ab alia Berta Abbatiſſa, Lotharij Imp. filia.

BRUNOUS Monachus Anglus laudatur in Martyrologio Benedictino-Angl. die 2. Novemb.

BIRINUS Epiſcopus Dorceſtrenſis, laudatur apud Bedam in lib. 3. Hiſt. cap. 7. & Vuillelmum Malmeſb. de Pontif. Dorceſt. atque Surium die 3. Decemb. an fuerit Monachus non conſtat.

BONIFACIUS Papa IV. Monachis Benedictinis impensè favit, dum eos anno DC. X. adverſus Clericos defendit in Concilio Romano, in quo Regulam S. Benedicti commendavit. *Hic domum ſuam Monaſterium fecit quod & dotavit*, inquit Anaſtaſius. An verò Monachus ipſe fuerit, non ſatis clarum.

* BOVA & DONA Sanctimoniales Remenſes laudantur à Frodoardo in Hiſt. lib. 4. capp. 38. & 39. Earum corpora adſervantur in celebri Parthenone Benedictino S. Petri in urbe Remorum, ubi die 24. Aprilis coluntur.

C.

CADEOLDUS Epiſcopus Viennenſis quod vitæ inſtitutum ante Epiſcopatum ſectatus ſit, quidve egerit, non conſtat. Lege Bollandum die 14. Janu.

CEADDA Epiſcopus Lindisfarnenſis laudatur apud Bedam lib. 3. Hiſt. cap. 28. & lib. 4. capp. 2. & 3. Lege Bollandum 2. Martij.

CEDDUS Epiſcopus Londonienſis, ſuperioris frater, colitur 7. Janu. Lege Bedam lib. 3. cap. 21. *& ſeqq.* Ceddus ejuſque frater Ceadda licet uterque Anglus, Scotorum mores Aidano præceptore ſectatus, ordinatus Epiſcopus à Scottis, teſte Beda lib. 3. cap. 25. tametſi poſt Concilium in Monaſterio S. Hildæ anno DC. LXIV. habitum, *relictis Scottorum* veſtigiis ad ſuam ſedem rediiſſe dicitur.

CONO Abbas Lerinenſis ad quem exſtat Gregorij M. epiſt. 8. lib. 9. colitur 29. Maij.

D.

* DESIDERIUS Abbas diſcipulus S. Sigiranni Abbatis, *ex Blavianenſi territorio* ad Garumnam *nobili ex progenie ortus*, in Longoretenſi Monaſterio à S. Sigiranno in Monachum attonſus eſt. Poſtea *contigit ut ab ipſo B. Sigiranno tranſmitteretur in partibus Niſſania in territorio Bituricenſi, in loco qui vocatur Ruziacus, in quo loco Oratorium conſtruxerat B. Sigirannus, atque in honore ſanctæ Dei Genitricis Virginis & B. Galli* Arvernenſis Epiſcopi *conſecraverat, & ibidem Monachos in Dei ſervitium delegaverat.* Illic Abbatis officium geſſiſſe videtur Deſiderius, qui eodem in loco *edidit cellulam parvulam in honore glorioſiſſimi Domni Martini, in qua non parvas eſt virtutes operatus. Dehinc à Fratrum contemplatione remotus ſolitariè ſe incluſit in cellula.* Mortuus XIV. *Kalend. Novemb. infra Oratorium S. Mariæ eſt ſepultus*, uti legimus in ejus Actis tum MSS. tum editis To. 2. Bibl. Labbeanæ, in quibus cetera non videntur luce digna. Hinc intelligitur, S. Deſiderium Abbatem alium eſſe à B. Deſiderio Monacho itidem Longoretenſi, ſocio S. Baronti, de quo in alio Indice.

DEUSDEDIT Epiſcopus Cantuarienſis poſtquam anno DC. LIII. mortuus eſt Honorius Doroverhenſis Epiſcopus, *ceſſante Epiſcopatu per annum & ſex menſes*, inquit Beda lib. 3. Hiſt. cap. 21. *electus eſt Archiepiſcopus Cathedræ Dorvuernenſis* VI. Deuſdedit de gente Occidentalium Saxonum, ordinatus ab Ithamar Roſenſi Antiſtite VII. Kalend. April. rexit Eccleſiam annos IX. menſes XV. duos dies. Succeſſorem habuit Damianum *de genere Auſtralium Saxonum.*

E.

EADBURGA Virgo Aleſburiæ in Anglia in Martyrol. Benedictino-Anglic. 18. Julij, & Eadita ejus ſocia eodem die.

* EANSVUIDA Virgo & Abbatiſſa Forkſtonienſis in Cantia, filia Eadbaldi Regis, in Martyrol. 31. Auguſti, circa ann. DC. XXX.

* EBREMUNDUS ſeu EVREMUNDUS Abbas primus Fontaneti ad Otnam fluvium, diœceſis Bajocenſis, vixit præſulatu Annoberti Epiſcopi Sagienſis, qui Concilio Rotomagenſi ſub S. Anſberto, anno DC. XXCIX. ſubſcripſit. Hinc corrigendus eorum calculus, qui Ebremundum ſæculo VI. floruiſſe ac deceſſiſſe affirmant. Corrigendum etiam vetus Lectionarium Monaſterij ſancti Petri Carnotenſis, in quo Ebremundus cum ſancto Ebrulfo poſtea Abbate Uticenſi in aula Chilperici Regis educatus fuiſſe dicitur. In eodem Lectionario legimus, Ebremundum aſſumpto Monachi habitu *convolâſſe ad eremum qui Excunicas vocatur*, ubi *Monaſteria Monachorum ac Sanctimonialium ædificaverit.* Deinde, ut ſubditur, *in villa quadam quæ hucuſque Fontanetum vocitatur, alias ſex Eccleſias conſtruxit, unam in honore S. Deſiderij, in qua etiam non minimam multitudinem Monachorum ſub Regulari jugo congregavit. Audiens ſancta Sagienſis Eccleſia Præſul* ANNOBERTUS *famam B. viri Ebremundi, feſtinatò Archidiaconum ſuum* FORTUNATUM *ad eum direxit, ad inquirendum ſi vera eſſent quæ de eo audierunt.* Epiſcopus auditis ejus virtutibus ad eum perrexit, *& S. Ebremundum ſetum deduxit ad Eccleſiam* (Cathedralem) *beatorum Gervaſij & Protaſij, & eum Abbatem conſecravit in loco qui vocatur Mons-majoris.* Cetera ejus geſta deſiderantur. Ebremundi corpus ſepultum fuit in Eccleſia Fontaneteſi, at everſo à Nortmannis Monaſterio tranſlatum eſt in Cœnobium Uticenſe S. Ebrulfi, ex quo in Aurelianorum urbem aſportatum fuit ab Hugone Duce, prout ex Orderico Vitali lib. 6. Hiſt. diſcimus : deinde in opidum diœceſis Bellovacenſis Credolium vulgò *Creil* delatum eſt, ac demùm à Calviniſtis combuſtum præter caput, quod in Collegiata ejuſdem opidi Eccleſia adſervatur. Radulfus *Taiſſon* Sæculo X. inſtauravit Monaſterium S. Stephani Fontaneti, quod hactenus exſtitit Ordini Benedictino ſubjectum.

* EDILBURGA Abbatiſſa Eboriacenſis poſt S. Earthongotam teſte Beda lib. 3. Hiſt. cap. 8. colitur die 7. Julij.

ELIGIUS Epiſcopus Noviomagenſis non fuit Monachus teſte Audoëno in Vitæ lib. 1. cap. 15. tametſi ante ordinationem ſuam *ſub Clericatûs normula aliqua temporis curricula exegiſſe* dicitur lib. 2. cap. 2.

ENIMIA Virgo in pago Mimatenſi, cujus Vitas tres legimus mendis & erroribus refertas, colitur die 6. Octobr. In 1. Vita hæc leguntur. ENIMIA *in provincia illa Germaniæ quæ Francia nuncupatur oriunda exſtitit, ſciliceſt progenita de patre Regè nomine* CHLODOVEO *filio*

Dagoberti, cujus atavus eodem nomine Chlodoveus inter Francorum Reges primus ſuſcepit Fidem. At Chlodoveus tres dumtaxat maſculos, nullam feminam procreavit. Enimia conjugij copulam fugiens, *lepra* divinitus percuſſa fuiſſe dicitur, &*in partes Gabalitanas* monitu Divino ſeceſſiſſe, & ad fontem *Burlam* prope alveum Tarni fluvij lepram depoſuiſſe : ubi Puellare Cœnobium exſtruxerit & Baſilicam *in honore ſanctæ Dei Genitricis ab Hilero ſeu Ilero Gabalitanæ Eccleſiæ Præſule* conſecratam. *Quo audito miſerit Rex* CHLODOVEUS *progenitor ejus ac* DAGOBERTUS *germanus ipſius curiales ac præfectorios Legatos, qui Monaſterium Virginis de propriis reditibus curarent.* Denique Enimiam poſt mortem ibidem fuiſſe ſepultam unà cum cognomine ac filiola ſua eodem die defuncta, cujus corpus DAGOBERTUS *Enimiæ germanus* (ſcilicet Dagobertus II. Sigiberti Auſtriæ Regis filius) nominis errore deceptus in Franciam pro germaniæ corpore detulerit. Fortean S. Enimia filia fuerit S. Bertæ, quæ filia dicitur Urſanæ ſororis S. Balthildis, quæ Balthildis Chlodoveo Dagoberti filio nupſit. Monaſterium S. Enimiæ converſum eſt in Prioratum, Abbatiæ S. Theofridi apud Vellavos ſubjectum, in quo S. Enimiæ Reliquiæ coluntur.

* ERCONVUALDUS Londinenſis Epiſcopus ſcriptorem Vitæ habuit Gotcelinum Monachum, ſed hactenus recuperare eam nobis non licuit. Interim lege Bedæ Hiſt. lib. 4. cap. 6. Vvillelmum Malmeſb. de Pontif. Angl. lib. 2. & Martyrol. Anglic. 30. April. & 14. Novemb.

* ETHILBURGA Abbatiſſa Berecinenſis, S. Erconvaldi ſoror, laudatur à Beda lib. 4. cap. 6. & ſeqq. qui cap. 7. citat librum de mirabilibus in Berecinenſi Monaſterio factis, in quibus nonnulla commemorat.

EUSTADIOLA Abbatiſſa Bituricenſis tempore Sulpicij Pij Epiſcopi floruit. Poſt mortem viri cui conjugata fuerat, conſtruxit Baſilicam S. Mariæ & Monaſterium Virginum, quibus ipſa præfuit. Sepulta eſt in Eccleſia S. Pauli extramurana, quam ipſa conſtruxerat. Lege ejus Vitam To. 2. Bibl. Labbeanæ.

EVUALDI duo an fuerint Monachi, incertum ex Beda lib. 5. cap. 11.

F.

*FLORENTINA Virgo & Abbatiſſa in Hiſpania, S. Leandri ſoror, laudatur in Elogio S. Leandri Sæculo 1. ad ann. 600. Quod attinet ad locum in quo Abbatiſſæ nomine pluribus Virginibus præfuit, illud exſtitiſſe creditur prope Aſtigim urbem ad Syngilis fluvij ripam, uti cenſent Johannes Mariana in Hiſt. Hiſp. lib. 6. cap. 1. aliſque. Quod Monaſterium à Saracenis everſum eſſe cæſis Sanctimonialibus haud paucis aiunt, quo loco S. Hieronymi nomine Cœnobium exſtat. *Obiit pia memoriæ S.* FLORENTINA *Deo devota Kalend. Septemb. Ærâ* DC. LXXI. id eſt anno Chriſti DC. XXXIII. ſi vulgato epitaphio fides eſt. Addit Breviarium Valliſoletanum, ejus corpus hodie Berzocanæ, quod eſt opidum Placentinæ diœceſis, marmoreo ſepulcro intra ſacellum crate ferrea occluſum magna religione adſervari : quod etiam Mariana loco ſuperiori memoravit. Illic ejus feſtus dies colitur prid. Idus Martij : & tamen in Martyrol. Bened. XII. Kal. Julij celebratur.

G.

GODOBERTA Virgo Noviomi in Gallia nata eſt *in villa Ambianenſi. Vir Dei S.* ELIGIUS *in conſpectu* CHLOTHARII *Regis eam annulo ſuo deſponſavit Domino. Inde perveniens ad Noviomenſem civitatem, Chlotharius Rex dedit illi palatium ſuum cum Oratorio S. Georgij Mart. & villas duas & duodecim feminas, quæ in illo Monaſterio ſedulò ſerviebant.* Hæc in ejus Vita mendosè ſcripta. Siquidem Eligius nondum præerat Sedi Noviomagenſi, quum Chlotharius Rex Dagoberti pater ſuperſtes erat : nec id de Chlothario Chlodovei II. filio intelligi poteſt. S. Godoberta colitur die 11. April.

GUDULA Vidua in Belgio, non fuit Sanctimonialis, uti ex ejus Actis apparet apud Bollandum 8. Janu.

H.

*HIGBALDUS Abbas Bardenienſis in Comitatu Lincolniæ *vir ſanctiſſimus ac continentiſſimus* vocatur à Beda lib. 4. Hiſt. cap. 3. Lege Martyrol. Anglic. die 21. Julij & Acta S. Suvitberti Sæculo ſeq.

* HILDEBERTUS ſeu Hildevertus, Epiſcopus Meldicenſis, quem Scriptor Vitæ ſancti Faronis DATLEVERTUM cap. 110. appellat; Aldebertum patrem habuiſſe dicitur, & ſuaſu S. Faronis præceptoris ſui in Monaſterium ſeceſſiſſe, priuſquam Faroni ſuccederet. Quæ de Romana ejus peregrinatione ad Bonifacium Papam & reverſione ad Furſeum Abbatem Latiniacenſem leguntur in ejus Actis, omnino cohærere nequeunt. Colitur 26. Maij.

HONORIUS Cantuarienſis Epiſcopus Juſto ſucceſſit, anno DC. XXXIV. Pallium & Epiſtolam ab Honorio Papa accepit apud Bedam lib. 2. cap. 18. *Metas ſui curſûs implevit anno ab Inc. Domini* DC. LIII. *prid. Kal. Octob.* inquit Beda lib. 3. cap. 21. *& ceſſante Epiſcopatu per annum & ſex menſes, electus eſt Epiſcopus Cathedræ Dorvuernenſis ſextus* DEUSDEDIT.

I. & K.

IRENE Virgo & Martyr in Luſitania commendatur ab Antonio Yepezio ad ann. 653. & à Menardo lib. 2. Obſervat. in Martyrol. Bened. ad 20. Octob.

ISIDORUS Epiſcopus Hiſpalenſis non fuit Monachus, ut cenſet Antonius Yepezius ad ann. 635. cap. 3. cui Arnoldus Vvion & Conſtantinus Cajetanus contradicunt. Lege ejus Acta apud Surium April. 4.

JULIANUS Epiſcopus Toletanus non videtur fuiſſe Monachus ex ejus elogio quod Felix Epiſcopus libro Ildefonſi de Viris illuſt. adjecit.

* KINEBURGA Regina & Abbatiſſa laudatur apud Bedam lib. 3. Hiſt. cap. 21. Lege Martyrologium Benedictino-Anglic. 3. Martij, & Bollandum.

L.

LANDRICUS Epiſcopus Meldenſis, malè Mettenſis, colitur in Martyrol. Bened. 17. April. at nihil de eo exploratum habetur. Lege Elogium S. Vincentij ſeu Madelgarij, qui ejus pater fuiſſe dicitur.

LAUTENUS Abbas Æduenſis LAURENTII *Abbatis magiſterio uſus* fuiſſe dicitur, deinde in eremum ſe recepiſſe, ubi *ſeptuaginta Monachorum Cœnobium*, Sieſtenſe dictum, conſtruxerit. Poſtea creſcente numero diſcipulorum, *aliud Cœnobium quadraginta Monachorum erexiſſe in loco qui Maximiacus dicitur.* *Annos natus amplius quinquaginta ab* AMANDO *Epiſcopo Presbyter ordinatus.* Pharadæus ejus diſcipulus ex obedientia ſe in ardentem rogum injeciſſe fertur. S. Lautenus colitur in veteri Breviario Valliſoletano die 25. Septemb. uti & in Cluniacenſi. Monaſteria ejus redacta ſunt in Prioratum, alterum S. Lauteni vulgò *S. Lautein*, alterum Maximiacum, vernaculè *Moiſnay* appellatum.

LEO Papa II. quantum ex libro Pontif. Roman. intelligitur, non videtur fuiſſe Monachus.

LEONEGISILUS ſeu Lenogiſilus Monachus in pago Cenomannenſi, natione Germanus, relictis parentibus paganis primò venit in urbem Arvernorum, ubi Baptiſmum ſuſcepit. Exin Romam profectus, poſtea in pagum Cenomannenſem acceſſit tempore Hadoindi Epiſcopi, qui ei vicum Rupiacum condendo Monaſterio conceſſit, ubi poſt mortem ſepultus eſt Leonegiſilus, cujus corpus tempore procedente in Monaſterium S. Vincentij ſub Verziaco diœceſis Æduenſis tranſlatum eſt. Conſule ejus Acta apud Bolland. in Append. Tom. 1. Janu.

LEOPARDINUS Monachus, Vivarenſis Monaſterij auctor, omiſſus in Martyrologiis Benedictino & Gallicano, locum fortaſſe hiſce in Actis obtinere deberet, niſi ejus Vita quam in MS. cod. & Tomo 2. Bibliothecæ Labbeanæ legimus, pluribus mendis eſſet reperſa.

Siquidem

Siquidem iſtius Vitæ conditor Leopardini ætatem componit cum S. Porciani Confeſſoris, Theodorici Regis & Sulpicij Pij Biturgum Epiſcopi tempore : cùm conſtet ex Gregorio Turonico Epiſcopo de Vitis PP. cap. 21. Porcianum vixiſſe principatu Theodorici, qui Chlodovei Magni filius natu-major fuit. Uno proinde ſæculo uterque anteceſſit Sulpicium Pium, qui anno circà DC.XXV. Bituricenſem cathedram iniit. Cetera ejus geſta Auctoris ferè verbis perſtringimus. LEOPARDINUS Arvernenſi patria *natus, audiens veridica relationis cotidianæ certitudine*, quia Biturigis præſideret in Archiepiſcopali Sede B. SULPICIUS PIUS *nomine; ad eum venit, & cum eo aliquandiu commoratus*, (in Navenſi ſcilicet Monaſterio, uti vetus Lectionarium Navenſe præfert) *una dierum S. Leopardinus cordis ſui deſiderium S. Sulpicio aperuit, ſe velle foras ejus Epiſcopij terminum habitationem eligere, vel alicubi remanere.* Adſentiente Sulpicio, *in Borbonenſi vico valde habilem & delectabilem locum* VIVARIS *nomine experiit, qui fundus erat cujuſdam Principis nomine* ARDEI *ſecundùm Deum & ſecundum ſæculum multâ reverentiâ digni. Leopardinus ſupplex eum adiit deprecatúſque eſt eum, ut in Oratorio quod erat in honore Dei & S. Symphoriani conſecratum, liceret ei perſolvere Domino cotidianæ laudationis canticum.* Annuit Ardeus, *& totum Vivaris fundum beato vivo tradidit ſub teſtamento legum & chartarum, & ſub principali ſtipulatione Regum.* Campum à Sancto excultum in Albinienſi parochia invaſit Blithildis Ardei conjux, à Leopardino eam ob rem diris addicta. Hinc verſa in furorem mulier, Placidum quemdam ſancti viri *nutricium* (fortè œconomum) in ejus necem impellit. Leopardinus in Eccleſiam *Colobero* Fratres viſitaturus pergit, & in regreſſu à quatuor ſicariis à Blithilde immenſis ſecuri percutitur. Quo ex vulnere cùm convaluiſſet, ex pago Nivernenſi ubi Viaticum piæ matronæ præbuerat revertens, *tranſmeato Aleris flumine* tandem ab impiis ſicariis à Blithilde iterum conductis capite feritur *Nonis Octobris.* Corpus ejus foſſâ reconditum, luce cælica indice detegitur à paſtoribus : ſed jubente Blithilde in *Aura amnis* profluentem, *qui non longè poſitus eſt ab Alerico flumine*; deinde ne ab Ardeo marito inde educeretur, *in Alerem fluvium* projicitur. Blithilde peſſimè Arij more exſtinctâ corpus ſacrum à quodam Monacho Sancti diſcipulo repertum, *in ſarcophago* ligneo componitur, & cum ampullâ ſanguine ejus plenâ in Vivarenſi S. Symphoriani Eccleſia ſepelitur. Monaſterium Vivarenſe nunc eſt Prioratus S. Leopardini nomine dictus, Abbatiæ S. Sulpicij Bituricæ ſubjectus in Archipreſbyteratu Bituricenſi.

LICINIUS Epiſcopus Andecavenſis fuerítne Monachus ex ejus Actis non eſt exploratum. *Ædificavit Monaſterium extra civitatem non longè à muris in honorem S. Iohannis Bapt. Dedit etiam quaſdam reculas & vineas Bertigranno Cenomannenſium Epiſcopo in adjutorium ad Apoſtolorum Monaſterium conſtruendum juxta prædictam Cenomannicam urbem. Sepultus eſt in Eccleſia S. Iohannis Bapt. quam ipſe à novo fundaverat, in qua agmina Monachorum congregaverat, & in ea regulariter militare conſtituerat.* Hæc ex ejus Vita apud Bolland. 13. Febr.

LIETFARDUS Epiſcopus (uti aiunt) Cantuarienſis, in Indicibus Antiſtitum Cantuarienſium non exſtat. Certè recentiori Auctori qui ejus geſta deſcripſit apud Bollandum 4. Februarij, eíque Epiſcopi Cantuarienſis nomen tribuit, hac de re non tuta fides. Nam Lietfardus tempore Dagoberti I. Francorum Regis, cùm è Romano itinere in Angliam rediret, interfectus eſt in ſilva Arteſiæ Arida-Gamantiana dicta; tunc temporis Sedi Cantuarienſi præerat Juſtus Epiſcopus, cui anno XXXIV. ſucceſſit Honorius anno DC. LIII. defunctus, Deuſdedit locum facturus.

LUPUS Epiſcopus Cabilenſis non fuit Monachus, ut colligitur ex ejus Actis apud Bollandum 27. Janu.

M.

MADELGISILUS quis qualiſve fuerit, incompertum eſt, ut paret ex Chron. Centul. lib. 3. cap. 29. To. 4. Spicil. ubi ejus Tranſlatio ex opido Monaſteriolo in Cœnobium Centulam memoratur.

MAGNOBODUS Epiſcopus Andecavenſis duos habuit Vitæ ſcriptores, unum anonymum perantiquum, alterum Marbodum ejuſdem ſedis Epiſcopum. Anonymi lucubratio capitulis 52. conſtat. Magnobodus cap. 1. natus dicitur *ex pago Andecavenſi.* Parentes habuit *admodùm exſpectabiles inter concives, ſub jure Hlotharij filij Chilperici conſiſtentes. A S.* LICINIO *Andecavenſium Epiſcopo, verticis ablata cæſarie, Eccleſiæ ſanctæ inſtituitur officiis* cap. 3. *Cùm prædictus Pontifex Licinius in ſuburbio prælibatæ civitatis Andecavenſis Baſilicam in honore S. Iohannis Bapt. à ſe conſtructam dedicare vellet, Magnobodum Romam direxit, ut Reliquias à ſummo Pontifice conſequi mereretur, quibus Baſilicam conſecrare poſſet* cap. 5. Licinio mortuo ſucceſſit *cum conſenſu Franc. Regis Dagoberti filij Hlotharij* cap. 6. Archidiaconum Pictavenſis Eccleſiæ nomine AGERICUM dolore dentium liberavit : qui Agericus poſtea *eligitur Pontifex plebis Deo dignus & actione conſpicuus* cap. 20. NIULFUM Abbatem *qui Cœnobium in quo S. Albinus olim Andecavenſium Antiſtites corpore quieſcit, ſecundùm normam ſacræ Religionis regere ſatagebat*, à podagra eximit cap. 27. *Baſilicam conſtruxit in honore glorioſi Martyris Saturnini primi Toloſanæ civitatis Epiſcopi & in honore omnium Martyrum plurimorúmque Sanctorum, Monaſterium ſummo apparatu ædificans, viros ſub ſancto propoſito aggregare curavit* cap. 41. Obiit XVII. *Kalend. Novemb.* anno circà DC. LIV. ſepultus in modò dicta Eccleſia, quæ nunc S. Magnobodi, vulgò *Saint Mainbeuf* cognominatur, éſtque Collegiata.

MAXIMUS Abbas Limonicenſis in pago Viennenſi non exſtat in Martyrologio Benedictino : pauca tamen de ejus Vita, quæ habetur apud Bollandum pluribus referta mendis obſervare juvat. *Ortus eſt in territorio Cadurcenſe in villa Margarita anno* VIII. *ſub Brunechilde Regina*, patre Gundoberto, Magnelde matre. Conjugium averſatus, cum Ambroſio ſocio receſſit *in locum ſuper fluvio Olta*, vulgò *Olt* ſeu *Lot* dictum *ſubtus Rocca.* Inde eductus conjugem adſumere cogitur : ſed ſponſalibus contractis Viennam aufugit, ac poſtea ſe recepit *in Limonicum Monaſterium, ſitum inter montuoſa loca ſuper amne Rhodano*, habens *ex latere Aquilonis Limonia fluenta, & ab Occidente montem minorem Terulium* appellatum. Illic ignotus, Samſoni Abbati ſufficitur. Quare Eldebodi Regij curſoris juſſu IV. *Nonas Ianu. anno* XII. *Chlotharij Regis* necatus, dicitur, eoquòd abſque ejus nutu Monaſterij regimen acceperat.

MONTANA Abbatiſſa ferè ignota eſt. Ejus Vita cum Actis S. Gertrudis Abbatiſſæ Nivialenſis confunditur, ut Menardus noſter in lib. 2. Obſervat. ad 1. Octob. obſervavit. Carolus Cointius ad ann. 659. num. 6. contulit utriuſque ſanctæ Acta, quæ de verbo reſpondent.

N. & O.

NIVARDUS Epiſcopus Remenſis laudatur in Actis S. Bercharij ad ann. 685. & apud Frodoardum lib. 2. cap. 7. quòd Monaſterium Altivillarenſe condiderit: at cum fuiſſe Monachum nuſpiam legitur.

ODA vidua, Boggis (ut aiunt) Aquitaniæ Ducis relicta, an fuerit Monacha ex ejus Actis MSS. non conſtat. Et tamen apud Ægidium Aureæ-Vallis Monachum in Addit. ad Anſelmum de Epiſc. Leod. cap. 10. *Monaſterium Amanienſe conſtruxiſſe*, ibíque in ſancto viduitatis propoſito Deo ſerviiſſe, ac requieviſſe dicitur. Colitur 23. Octob.

P.

PALLADIUS Epiſcopus Autiſſiodorenſis ex Abbate Monaſterij S. Germani Autiſſiodorenſis, tria conſtruxit Monaſteria, nempe *Monaſterium Virginum*, *Monaſterium S. Iuliani Martyris, ubi ædificavit Baſilicam alteram quam in honore ſanctæ Dei Genitricis* MARIÆ *collocavit, quod Monaſterium Virginum eſſe conſtituit, quod ante ipſum infra muros civitatis parvo ambitu conſtructum, virorum fuiſſe certiſſimum eſt. Fecit & Baſilicam prope muros civitatis in honore S. Euſebij Ver-*

cellenſis Pontif. & Martyr. quod etiam Monachorum eſſe conſtituit: qua *in Baſilica ſepultus eſt*. Vixit *temporibus Dagoberti Regis*, ut ex Hiſt. Pontif. Autiſſiod. diſcimus.

PAULINUS Epiſcopus Eboracenſis commendatur apud Bedam in Hiſt. lib. 2. cap. 9. & ſeqq. maximè quòd Northanumbrorum Regem cum Rege eorum Edruino ad Chriſti Fidem adduxerit. Is Mellito ſubſidiarius à Gregorio M. in Britanniam miſſus, ut patet ex Beda lib. 1. cap. 29. Epiſcopus ſacratus eſt Eboraci an. DC. XXV. ex lib. 2. cap. 9. anno verò DC. XXXIII. creatus eſt Eboracenſis Epiſcopus cap. 20. mortuus anno DC. XLIV. ex lib. 3. cap. 14. *Iduum Octob.* Eum fuiſſe Monachum probabile, at exploratum non eſt.

R.

RAINELDIS Virgo & Martyr in Belgio non videtur fuiſſe Monacha, uti nec S. Gudila ejus ſoror. Lege Molanum in Natal. SS. Belg. ad 16. Julij.

* REOLUS Epiſcopus Remenſis, *qui neptem* S. Nivardi deceſſoris ſui, *filiam Childerici habuit uxorem, filium ſuum nomine* GEDEONEM *de nepte S. Nivardi ſuſceptum*, in Altivillarenſi Monaſterio *Monachum fieri petiit*, inquit Frodoardus in Hiſt. lib. 2. cap. 7. *& rerum ſuarum partem ad idem Monaſterium condonavit. Beatus autem Nivardus... exhortatus B. Reolum, Religionis ei ſuaſit adſumere habitum.* Cetera ejus geſta legè apud eumdem Auctorem cap. 10. ubi dicitur *conſtruxiſſe Monaſterium Orbacenſe*, diœceſis Sueſſionenſis recèns Congregationi noſtræ unitum, *in loco quem promeruit dono Regis Theoderici*: atque *impetráſſe à Monaſterio Resbacenſi ſex Monachos, qui regimina ſancta Regulæ ibidem tenerent, & alios ea docerent. Ex quibus unum* LEUDEMARUM *nomine in eodem loco Abbatem conſtituit.* Interfuit ſubſcripsítque Synodo Rotomagenſi ſub S. Anſberto Antiſtite anno circà DC. XXCIX. ac poſt annos paucos deceſſit.

* RODINGUS Abbas primus Belliloci, in finibus Campaniæ & Lotharingiæ ex Monacho Theologienſi; Regulam S. P. N. Benedicti quam in Cœnobio Theologienſi didicerat, in Bellilocenſi Monaſterio ſervari voluit, ut legitur in ejus Vita MS. quam ex Bellilocenſi Monaſterio RR. PP. Benedictini Congregationis S. Victoni ſubjecto exſpectamus. Interim legendus Menardus lib. 2. Obſervat. in Martyrol. Bened. ad 17. Septemb. ubi S. Rodingi, vulgò *S. Rouyn* geſta perſtringit.

RUDBERTUS Epiſcopus Salzburgenſis Sæculo ſequenti.

S.

SALVIUS Epiſcopus Ambianenſis confunditur à nonnullis, immo ab ipſius Vitæ ſcriptore apud Bollandum die 11. Febr. cum Epiſcopo Albigenſi, dum ea quæ Gregorius Turonicus Epiſcopus de Albigenſis ecſtaſi narrat lib. 7. cap. 1. eadem omnino Ambianenſi tribuuntur. Honorato Ambianorum Epiſcopo ſucceſſiſſe dicitur, S. Salvius Theodorico Rege, Childeberti (ut Bollandus conjicit) filio, cujus Theodorici principatus cum Achatij Noviomagenſis Epiſcopi Pontificatu malè componitur. Niſi fortè dicas, Salvium vixiſſe principatu Theodorici Chlodovei II. filij, eúmque eſſe qui ſubſcripſit Concilio Rotomagenſi ſub Anſberto, nec proinde Honorato ſucceſſiſſe. S. Salvij Reliquiæ religioſè coluntur in Benedictino ejuſdem S. Cœnobio apud Monaſteriolum, *S. Saulve de Montreüil* appellato, quod ab eodem viro ſancto ædificatum videtur. Lege Menardum lib. 2. Obſervat. ad 11. Janu.

SEBBUS Orientalium Saxonum Rex, pluribus laudatur à Beda lib. 3. Hiſt. cap. 30. Vitam privatam & Monachicam *cunctis Regni divitiis præferens, ſi non obſtinatus conjugis animus negaret, relicto Regno ſubiiſſet. Infirmitate correptus permaxima quæ & mortuus eſt, venit ad Antiſtitem civitatis Londoniæ, nomine Valdhere, & per ejus benedictionem habitum Religionis quem diu deſideraverat accepit.*

* SÆTHRIDA & ETHILBERGA una poſt alteram Abbatiſſæ Eboriacenſes, laudantur apud Bedam lib. 3. cap. 8. S. Sethrida inſcribitur in Supplement. Martyrol. Gallicani die 10. Janu. quo Bollandus de ea agit.

* SEVERINUS Monachus Tiburtinus Kalendis Novembris celebratur in Martyrol. Benedict. Acta illius deſiderantur, inquit Ferrarius in Catal. SS. Ital. corpus verò in majori S. Laurentij Eccleſia Tibure ſub ara adſervatur.

SIGEBERTHUS Rex Orientalium Anglorum laudatur à Beda lib. 2. cap. 15. & lib. 3. cap. 18. & 19.

T.

* TETRICUS ex-Abbate Monaſterij S. Germani Autiſſiodorenſis Epiſcopus, *fuit temporibus Romanorum Præſulum Leonis, Benedicti, Iohannis, Cononis, Sergij, ſub Childeberto juniore Franc. Rege. Qui appellatus eſt juſtus, vir mitiſſimus & omni bonitate ornatus. Hic beatus vir primo anno ordinationis ſuæ habito Concilio conſtituit, qualiter Abbates vel Archipresbyteri in Eccleſia S. Stephani Divinum perſolverent officium.* Ab Archidiacono ſuo nomine *Ragenfredo, dum ſcamno ſopore reſolutus quieſceret, gladio verberatus, martyrio vitam finivit* XV. *Kal. April. & ſepultus eſt cum ſumma devotione Fidelium in Baſilica S. Euſebij Mart.* Lege librum de Epiſc. Autiſſiod. To. 1. Bibl. Labbeanæ.

* THEODARDUS Epiſcopus Trajectenſis, S. Remacli diſcipulus & in Sede Trajectenſi ſucceſſor, cùm Childericum Regem ad repetendas Eccleſiæ ſuæ res, quas nonnulli invaſerant, adiret, ab illis necatus eſt in Aleſatia, nempe in ſaltu Bevualt prope Nemetum, corpore in fruſta comminuto. Iſthic duo luminaria divinitus emicuiſſe, & mulieri cæcæ lumen fuiſſe reſtitutum legitur. Hæc ſola notatu ſunt digna in ejus Actis apud Surium ad 10. Septemb. ubi additur membra ejus per S. Lambertum in Tungrorum civitatem relata fuiſſe, Lege Acta S. Lamberti Sæculo proximo.

* THEORITHGITA ſeu Torchgyth Monacha Bereeingenſis in Orientali Saxonum provincia, laudatur apud Bedam lib. 4. cap. 9.

THURIAVUS Epiſcopus Dolenſis, *in Britannia minori eſt exortus juxta Monaſterium Vellone nuncupatum, quod ſubditum eſt poteſtati Monaſterij S. Samſonis.* Dolam ubi S. Samſonis corpus quieſcebat profectus, litteris inſtructus, à Tirmaïlo Clericis præficitur, ejuſdem ſucceſſor futurus. Jam Epiſcopus Rivallum qui Monaſterium & Eccleſiam S. Maochi flammis abſumpſerat, ad pœnitentiam adducit. Moritur III. Julij. Lege ejus Acta apud Surium, eruta è Bibliotheca Monaſterij S. Germani Pratenſis, ubi S. Thuriavi corpus à Normannorum tempore quieſcit.

TILBA Virgo & Sanctimonialis Dormanceſtriæ in Martyrol. Anglo-Bened. laudatur die 6. Martij.

V.

VALERIA Virgo & Abbatiſſa præfuit Monaſterio S. Petri, quod ſtruxit S. Vindicianus Epiſcopus in pago Cameracenſi ad Scaldim in Hunulfi-curte, inquit Molanus in Nat. SS. Belg. ad 8. Octob.

VVENEFRIDA Virgo Regia, ob tuendæ caſtitatis votum martyrio affecta pluribus laudatur in Martyrol. Anglo-Bened. die 3. Novemb.

VVINEBAUDUS Abbas Trecaſſinus natus fuit in vico Nogento diœceſis Trecenſis. Adoleſcens ſolitariam vitam amplexus, in notitiam venit GALLOMAGNI Epiſcopi Trecaſſini, ac mortuo AUDERICO Abbati ſuburbani Monaſterij S. Lupi ſuffectus eſt. S. Lupum Senonum Antiſtitem in exſilium à Chlotharío Rege ejectum operâ ſuâ revocavit. Mortuus eſt VIII. Idus Aprilis anno circà DC. XXIII. prout ejus Acta apud Camuzatum in Prompt. teſtatum faciunt. Monaſterio S. Lupi cui præfuit à Nortmannis everſo, alia Eccleſia S. Lupi nomine dicta intra urbis muros conſtructa eſt, quam primò Canonici ſæculares, tum ab anno M. C. IV. Canonici Auguſtini occupârunt.

KALENDARIVM SANCTORVM, QVORVM ACTA in hoc ſecundo Sæculo Benedictino exhibentur.

Ianuarius.

1. Viennæ in Gallia S. Clari Abbatis, pag. 483.
   In Inſula Germanica apud Trecas S. Frodoberti Abbatis Cellenſis, 627
2. In Monaſterio Bobienſi S. Blidulfi Monachi, *ibid.*
3. In Leuconaënſi S. Blitmundi Abbatis, 82. *& ſeqq.*
6. In portu Bononienſi S. Petri Abbatis Cantuarienſis, 3.
7. Apud Lemovices in Monaſterio Sollemniacenſi S. Tillonis Conf. 994.
8. Caletis in Monaſterio Fiſcamnenſi S. Vvaningi Conf. 971.
9. Cantiæ in Monaſterio S. Petri, S. Adriani Abbatis, 1030. *& ſeqq.*
10. Romæ S. Agathoni Papæ. *inter prætermiſſos.*
11. Ambianis S. Salvi Epiſcopi. *inter prætermiſſos.*
12. In Monaſterio Vviremuthenſi S. Benedicti Biſcopi Abbatis, 1001.
16. In Perronenſi S. Furſei Abbatis Latiniacenſis, 299.
17. Bituricis S. Sulpicij Epiſcopi cognomento Pij, 167.
18. In Monaſterio Lurenſi S. Deicoli Abbatis, 102.
23. Toleti Hildefonſi Epiſcopi, 515.
25. Arvernis SS. Martyrum Præjecti Epiſcopi, & Amarini Abbatis, 640.
27. Lichefildiæ in Anglia S. Sexvulfi Epiſcopi, 756. 1035.
28. In Monaſterio Kalenſi S. Balthildis Reginæ, 775.
    In Milbodienſi S. Aldegundis Abbatiſſæ, 806.

Februarius.

2. Cantuariæ S. Laurentij Epiſcopi, 60.
3. Cellæ ad Moſam S. Hadalini Confeſſ. 1013.
   In Monaſterio Elienſi S. Vverburgæ Abbatiſſæ, 756. 761. 767. 768.
5. In Elnonenſi S. Audreæ Abbatis, 710.
6. Ibidem S. Amandi Trajectenſis, 709.
8. Veroduni in Gallia S. Pauli Epiſcopi, 268.
9. In Monaſterio Altimontenſi in Hannonia S. Ansberti Epiſcopi Rotomagenſis, qui ibidem exſul deceſſit, 1048.
   In Anglia S. Trumvuini Pictorum Auſtralium Epiſcopi, 880.
13. In Monaſterio Elienſi S. Ermenildæ Abbatiſſæ, 767. 768.
18. Toleti S. Halladij Epiſcopi, 136.
25. In Monaſterio Melbodienſi S. Aldetrudis Abbatiſſæ, 814.

Martius.

2. In Anglia S. Ceaddæ Epiſcopi Merciorum & Lindisfarorum. *V. Indicem* 1.
3. In Anglia S. Ovuini Monachi, 746. 749.
5. Arelate in Gallia S. Virgilij Epiſcopi, 55.
7. In Monaſterio Girvenſi S. Eaſtervuini Abbatis, 1005. 1006.
10. In Bobienſi S. Attalæ Abbatis, 123.
    In Latiniacenſi S. Emmiani Abbatis, 653.
13. In Habendenſi S. Macteſledis Abbatiſſæ, 135.
16. In Hamaticenſi S. Euſebiæ Abbatiſſæ, 984.
18. In Nivialenſi S. Gertrudis Abbatiſſæ, 462.
20. Farne inſula S. Cuthberti Epiſcopi & Anachoritæ, 877.
25. Piſtorij SS. Baronti & Deſiderij Conf. 826.
    In Maricolenſi Monaſterio S. Humberti Confeſſ. 800.
27. In Dervenſi S. Bercharij Abbatis, 831.
    Oratorij apud Bellovacos S. Angadriſmæ Abbatiſſæ. 604.
29. Luxovij S. Euſtaſij Abbatis, 116.

Aprilis.

9. In Monaſterio Caſtrilocenſi S. Vvaldetrudis Abbatiſſæ, 866.
19. Gandavi in Cœnobio Blandinio S. Floeberti Abbatis, 399. 404. 405. 457.
24. Cantuariæ S. Melliti Epiſcopi, 90.
26. Centulæ S. Richarij Abbatis, 187.
30. Fontanellæ S. Eremberti Epiſcopi Toloſani, 604.

Maius.

1. Perronæ S. Ultani Abbatis, 785.
5. Mettis S. Vvaldradæ Abbatiſſæ, 63.
   Broïlo Monaſterio S. Mauronti Abbatis, 946. 947.
6. Lindisfarne ſancti Eadberti Epiſcopi, 912. 913. 934.
7. In pago Oximenſi ſancti Serenici Confeſſoris, 572.
8. In Monaſterio Nivialenſi S. Ittæ ſeu Idubergæ, matris S. Gertrudis, 464. 465.
9. Toleti S. Juſti Epiſcopi, 147.
12. Marcianis ſancti Rictrudis viduæ & Abbatiſſæ, 937.
20. Bituricis S. Auſtregili Epiſcopi, 95.
28. In Oïa Campaniæ inſula S. Godonis Abbatis, nepotis S. Vvandregiſili, 539. 540. 1093.
30. Cellæ in Hannonia SS. Lamberti & Berlerij Monachorum, & ſancti Geſleni, diſcipulorum, 791.

Iunius.

6. In Monaſterio S. Eugendi, S. Claudij Abbatis & Epiſcopi Veſontionenſis, 1065.
8. Mettis S. Chlodulphi Epiſcopi, filij ſancti Arnulfi, 1043.
15. In Monaſterio Criſpinienſi S. Landelini Abbatis, 873.
22. Ibidem S. Domitiani Abbatis, 875. 876.
23. In Monaſterio Elienſi S. Ethildritæ Reginæ & Abbatiſſæ, 738.
26. In Monaſterio Foſſatenſi S. Baboleni Abbatis, 590.
27. In Monaſterio Criſpinienſi S. Adelini Abbatis, 875. 876.
30. Marcianis S. Clotſindis Abbatiſſæ, 942.

Iulius.

6. In pago Trevirenſi S. Goaris Conf. 275.
   In Monaſterio Elienſi S. Sexburgæ Abbatiſſæ, 756. 761. 767.
7. In Monaſterio Eboriacenſi SS. Eartongothæ & Edilburgæ, 438.
8. Herbipoli S. Kiliani Epiſcopi & Martyris cum ſociis, 991.
   In Anglia S. Vvirtburgæ Virginis, 740.
14. Sonegiis in Belgio S. Vincentij ſeu Madelgarij Conf. 672.
22. Fontanellæ S. Vvandregiſili Abbatis, 524.

Auguſtus.

1. Marcianis S. Jonati Abbatis, 938. 944. 951.
8. Burdigalæ in Monaſterio S. Crucis S. Mummoli ſeu Mummolini Abbatis, 674.
12. In Monaſterio Jotro S. Agilbertæ Abbatiſſæ, 487. 488.
15. In pago Remenſi S. Balſemij nepotis S. Baſoli, 67.
16. In eremo Habendenſi, S. Arnulfi Mettenſis Epiſcopi, 149.
19. In Monaſterio Bobienſi S. Bertulfi Abbatis, 160.
20. Herio inſula S. Filiberti Abbatis, 816.
22. In Monaſterio Vviremuthenſi S. Sigfredi Abbatis, 1007. 884.
24. Coludi in Anglia S. Ebbæ Abbatiſſæ, 753. 887.
25. In Monaſterio Humolarienſi S. Hunegundis Virginis, 1018.
29. In Monaſterio Habendenſi S. Adelphij Abbatis, 602.

30. Reſbaci S. Agili Abbatis, 315.
In pago Briegio S. Fiacrij Conf. 598.
31. In Monaſterio Bobienſi S. Baboleni Abbatis, 591. 593. & Monachorum Merove, Agibodi, Theodebaldi, Baudacharij & Leopardi, 163. *& ſeqq.*

September.

3. In Monaſterio Letinenſi S. Aigulfi Abbatis, 656.
In Strabulenſi S. Remacli Epiſcopi Trajectenſis, 488.
6. Lauduni S. Chagnoaldi Epiſcopi. *V. Indicem* 1.
Monaſterio Fuſſenſi S. Magni Abbatis, 505.
7. In Melbodij S. Maldebertæ Abbatiſſæ, 814.
9. In Monaſterio Sithivenſi S. Audomari Epiſcopi Tarvennenſis, 559.
In Mailroſenſi S. Boiſili Præpoſiti, 884. 886.
13. In Broïlenſi S. Amati Senonenſis Epiſcopi, 947.
In Lutrenſi S. Columbini Abbatis, 108. 116.
15. In Gemeticenſi S. Aicadri Abbatis, 952.
17. In Bellilocenſi S. Rodingi Abbatis. *inter omiſſos.*
22. Lauduni S. Salabergæ Abbatiſſæ, 421.
24. In Monaſterio Flaviacenſi S. Geremari Abbatis, 445.
25. Apud Lingonas in Monaſterio Geminorum S. Ceolfridi Abbatis Vviremuthenſis, 1009.

October.

1. Gandæ Monaſterio S. Bavonis Conf. 394.
2. Sarcingo vico Atrebatenſi S. Leodegarij Epiſcopi Auguſtodunenſis, 679.
4. Pariſiis S. Aureæ Abbatiſſæ. *inter omiſſos.*
6. Treviris in Monaſterio Horreenſi S. Modeſtæ Abbatiſſæ, 468.
8. Corbeïæ in Gallia S. Theodefridi Abbatis & Epiſcopi. *in nonnullis Martyrologiis MSS. die ſequenti.*
9. Cella Hannoniæ Monaſterio S. Giſleni Conf. 788.
10. In Monaſterio Jotro S. Theodechildis Abbatiſſæ, 486.
16. In Alamannia S. Galli Abbatis, 227.
Noviomi in Gallia S. Mummoli Epiſcopi, 562. 563.
17. Lauduni S. Anſtrudis Abbatiſſæ, 975.
19. In Monaſterio Blavianenſi S. Deſiderij Abbatis. *inter omiſſos.*
20. In Theologienſi S. Vvandeleni Abbatis, 270.
21. In Fontanellenſi S. Condedi Conf. 862.
25. In Fiſcamnenſi S. Hildemarchæ Abbatiſſæ, 542. 673. 974.
26. Haguſtaldi in Anglia S. Eatæ Epiſcopi, 884. *& ſeqq.* 889.
28. Meldis S. Faronis Epiſcopi, 606.
31. In Monaſterio Foſſuenſi S. Foillani Martyris, 308. 466.

November.

12. In Portu Gandenſi S. Livini Epiſcopi & Martyris, 448.
14. In agro Rotomagenſi S. Sidonij Abbatis, 824. 957.
17. In Monaſterio Streaneshalhenſi S. Hildæ Abbatiſſæ, 776.
21. In Monaſterio Bobienſi S. Columbani Abbatis, 5.
22. In Luxovienſi S. Columbani Monachi, 17.
23. Sarcinio Haſbaniæ vico S. Trudonis Conf. 1069.
In Nivialenſi S. Vvlfetrudis Abbatiſſæ, 466.
26. In pago Remenſi S. Baſoli Conf. 64.
27. Noviomi S. Acharij Epiſcopi, 118.

December.

4. In Monaſterio Longoretenſi S. Sigiranni Abbatis, 432.
6. In Hamaticenſi S. Gertrudis Abbatiſſæ, 947. 948. 984.
7. In Eboriacenſi S. Burgundofaræ ſeu Faræ Abbatiſſæ, 438.
8. In Habendenſi S. Romarici Abbatis, 415.
12. In Leuconaënſi S. Vvalarici Abbatis, 76.
13. In pago Pontivo S. Judoci Anachoritæ, 565.
16. In S. Mevennij Monaſterio S. Judicaëlis Regis, 566.
17. In Andanenſi S. Beggæ viduæ & Abbatiſſæ, 471.
25. Marcianis S. Adalſendis filiæ S. Rictrudis, 945.

INDEX TOPOGRAPHICVS SANCTORVM ſecundi Sæculi Benedictini.

ITALIA.

IN diœceſi Dertonenſi, *Bobio* Monaſterio Abbates SS. Columbanus, pag. 5. Attala, 123. Bertulfus, 160. Babolenus, 591. 593. Monachi SS. Meroveus, Agibodus, Theodebaldus, Baudacharius & Leopardus, 163. *& ſeqq.* Ibidem etiam vixerunt SS. Blitmundus, 89. *Piſtorij* SS. Deſiderius & Barontus, 826.

GALLIA.

In provincia Lugdunenſi prima, *Lugduni* S. Geneſius Epiſcopus, 778. 782. 1053. S. Lantbertus Epiſcopus, 545. 605. 862. 1050. *& ſeqq. Auguſtoduni* S. Leodegarius Epiſc. 679.

In provincia Lugdunenſi ſecunda, diœceſi Rotomagenſi *Fontanella* Abbates SS. Vvandregiſilus, 524. Lantbertus pòſt Epiſc. Lugdunenſis, *ſuprà.* Anſbertus, pòſt Epiſcopus Rotomagenſis, 1048. Monachi, SS. Godo pòſt Abbas in inſula Oïa, 539. 540. Erembertus, pòſt Epiſcopus Toloſanus, 604. Condedus, 862. *Gemetici* Abbates SS. Filibertus, 816. Aicadrus, 952. S. Sidonius Monachus, poſtea Abbas in agro Rotomagenſi, 824. 957. *Fiſcamni* S. Vvaningus Conf. 971. S. Hildemarcha Abbatiſſa, 542. 973. 974.

In diœceſi Bajocenſi *Fontaneti* S. Ebremundus Abbas, *inter omiſſos.*

In provincia Lugdunenſi tertia, *pago Cenomannico*, SS. Serenici & Serenedi, 572. *Turonis* S. Johannis Abbatis Itali, 1037.

In provincia Lugdunenſi quarta, diœceſi Aurelianenſi, *Floriaci* Tranſlatio S. P. Benedicti, 337. S. Mummolus Abbas, 674. S. Aigulfus Monachus, pòſt Abbas Lerinenſis, 656. *Trecis* S. Frodobertus Abbas Cellenſis, 627. *Meldis* S. Faro Epiſcopus, 696. S. Fiacrius Conf. 598. *Resbaci* S. Agilus Abbas, 315. Ibidem etiam vixit S. Filibertus Abbas Gemeticenſis, 816. In Monaſterio *Eboriacenſi* S. Burgundofara Abbatiſſa, 438. Eartſongotha Abbatiſſa, *ibid.* Sanctimoniales ſanctæ, *ibid. & ſeqq.* In *Iotrenſi*, S. Theodechildis Abbatiſſa, 486. Agilberta, 487. 488. *Autiſſiodori* SS. Palladius & Tetricus Epiſcopi, *inter omiſſos.*

In provincia Belgica prima, pago *Trevirenſi* S. Goar Anachorita, 275. Modeſta Abbatiſſa Treviris, 468. *Metris* S. Arnulfus Epiſcopus, 149. S. Chlodulphus Epiſcopus, 1043. S. Glodeſindis Abbatiſſa, 1087. Vvaldrada itidem Abbatiſſa, 63. In diœceſi Tullenſi, Habendi Abbates ſancti Amatus, 129. Romaricus, 415. Adelphius, 602. Abbatiſſæ SS. Macteſledis, 133. Cæcilia, 416. *Verodunì* S. Pauli Epiſcopi. *Bellilocì* S. Rodingus Abbas, *inter omiſſos.*

In provincia Belgica ſecunda, *Remis* S. Beolus Epiſcopus, *inter omiſſos.* Apud Arrabates, *Sarcingi* S. Leodegarius Epiſcopus Auguſtodunenſis, 679. Chillenus, 619. *Marcianis* S. Rictrudis Abbatiſſa cum S. Jonato, &c. 937. *Hamatici* SS. Gertrudis & Euſebiæ Abbatiſſarum 947. 984. Apud Camaracenſes *Cellæ* S. Giſleni Conf. cum ſociis, 788. *Melbodij* SS. Aldegundis, Aldetrudis & Maldeberta Abbatiſſæ, 806. *& ſeqq. Caſtriloci* S. Vvaldetrudis Abbatiſſa, 866. *Maricolis* S. Humbertus Conf. 800. *Criſpinij* S. Landelinus, 873. Apud Turnacenſes, *Elnone* S. Amandi Epiſcopi Trajectenſis, 709. Andreas Abbas, 710. Apud Bellovacos, *Flaviaci* S. Geremarus Abbas, 445. Oratorij S. Angadriſma Abbatiſſa, 1063. Apud Ambianenſes, *Corbeiæ* S. Theodefridus Abbas, 1039. Apud Tarvennenſes in Monaſterio *Sithivenſi* S. Audomarus Epiſcopus, 559. *Noviomi* ſanctus

Acharius,

Acharius, 118. Mummolenus, 562. 563. Gandavi S. Bavo Confeſſ. 394. Florbertus Abbas, 399. 404. 405. 457. *Auguſta Veromanduorum* S. Ebertramnus Abbas, 562. In Monaſterio *Humolarienſi* S. Hunegundis Virgo, 1018.

In provincia Germanica ſecunda, *Trajecti* S. Amandus Epiſcopus, 709. S. Remaclus Epiſcopus, 488. *Celle* ad Moſam S. Hadalinus Confeſſ. 1013. S. Trudo Conf. 1069. *Nivialle* S. Gertrudis Abbatiſſa cum parentibus ſuis, 462. *Andana* S. Begga Abbatiſſa, 471.

In provincia maxima Sequanorum, diœceſi Veſontionenſi, *Luxovij* Abbates SS. Columbanus, 5. Euſtaſius, 116. Vvaldebertus, 503. S. Columbanus Monachus, 17. Illic vixerunt SS. Audomarus, Acharius, Chagnoaldus, Epiſcopi; Agilus, Deicolus, Frodobertus, Gallus, Vvalaricus, Abbates; & Uiſicinus Monachus, *de quibus conſule Indicem* 1. *Lura* S. Deicolus Abbas, 102. Columbinus Abbas, 108. In Monaſterio *Iurenſi* S. Claudius Epiſcopus Veſontionenſis, 1065. *Baſilea* Ramacharius Epiſcopus, 118. *Grandival'e* S. Germanus Abbas Martyr cum Randoaldo, 511. In diœceſi Conſtantienſi, Arbonæ S. Gallus Abbas, 227. Magnus ſeu Magnoaldus poſt Abbas Fuſſenſis & Theodorus ejus diſcipuli, 505. Baſilij.

In provincia Viennenſi, *Vienna* S. Clarus Abbas, 483. *Arelate* S. Virgilius Epiſc. 55. S. Ruſticula Abbatiſſa, 139.

In provincia Aquitania prima, *Bituricis* S. Auſtregiſilus Epiſcopus, 95. Sulpicius Epiſcopus, 167. S. Amandus iſthic vixit, 712. *Longoreti* S. Sigirannus Abbas, 432. Deſiderius Monachus, 826. In territorio *Blavianenſi* S. Deſiderius Abbas, *inter omiſſos*. *Arvernis* S. Præjectus Epiſcopus Martyr cum Amarino Abbate, 640. In diœceſi Lemovicenſi, Sollemniaci S. Tillo Monachus, 994. Apud Vellavos S. Enimia Virgo Regia, *inter omiſſos*.

In provincia Aquitania ſecunda, Burdigale *in Monaſterio S. Crucis* S. Mummolus ſeu Mummolenus Abbas, 674. S. Hildemarcha Abbatiſſa Fiſcamnenſis in eadem urbe vixit, 542. 973. Apud Pictones *Herio* inſula, S. Filibertus Abbas, 816. *Quinciaci* S. Aicadrus Abbas, 952. *in Monaſterio S. Maxentij* S. Leodegarius Abbas, poſt Epiſc. 679.

In provincia Narbonenſi prima, *Toloſa* S. Erembertus Epiſcopus, 604.

IN HISPANIA.

Toleti Epiſcopi SS. Helladius, 136. Juſtus, 147. Hildefonſus, 515. *Bracara* S. Fructuoſus Epiſcopus, 581. In Bætica, *Monaſterio S. Petri de Montibus*, S. Valerius Abbas, 1042. *Hiſpali* Florentia Virgo, *inter omiſſos*.

IN ANGLIA.

Cantuaria Epiſcopi SS. Laurentius, 60. Mellitus, 90. Deuſſedit, *inter omiſſos*. Theodorus, 1030. Petrus Abbas Monaſterij S. Petri, 3. item Benedictus Biſcopus, 1001. Adrianus Abbas, 1030. Lindisfarne S. Aidanus Epiſcopus, 882. Eadbertus Epiſc. 912. Eatta Epiſcopus, 884. *& ſeqq.* In inſula *Farne* S. Cuthbertus Epiſcopus, 877. S. Ædilvualdus Anachorita, 914. 935. In diœceſi Dunelmenſi, Monaſteriis *Viremuthenſi* & Girvenſi, Abbates, SS. Benedictus Biſcopus, & cum eo Eaſtervuinus, Sigfridus & Ceolfridus, 1001. In agro Cantabrigienſi, Monaſterio Ælienſi S. Ethildrita Regina cum aliis, 738. Ovuinus Monachus, 746. 749. Adamnanus, 753. Huna, 759. Apus Bernicios in Monaſterio *Mailroſenſi* S. Boiſilus Præpoſitus, 884. Illic etiam vixit S. Cuthbertus, *ibid.*

NOMINA AVCTORVM PRÆCIPVORVM, Qui Secundi Sæculi Benedictini Acta ſcripſerunt.

ADREVALDUS Monachus Floriacenſis, Caroli Calvi æqualis, ſcripſit hiſtoriam Tranſlationis S. P. Benedicti in Galliam, *pag.* 353. Miracula in Gallia facta, 369. Vitam S. Aigulfi Abbatis, 656. An alius ſit Adrevaldus ab Adalberto Monacho qui hiſtoriam Tranſlationis S. Benedicti compoſuiſſe dicitur, non ſatis conſtat. Certè in brevi Chronico Floriacenſi apud Cheſnium To. 3. Hiſt. Fr. *pag.* 555. *Adalbertus bonæ memoriæ Monachus* XI. *Kalend. Iunij* memoratur *obiiſſe anno* DCCC. LIII. quo Adrevaldus adoleſcere cœperat, ad annum fere DCCC. XXC. ſuperſtes.

ADSO Abbas Dervenſis, anno 992. in itinere Hieroſolymitano mortuus compoſuit Vitam S. Baſoli, 67. & S. Bercharij Abb. 832.

AIGRADUS Monachus Fontanellenſis Vitam S. Ansberti Epiſcopi Rotomagenſis litteris mandavit ſæculo 8. *pag.* 1048.

AIMOINUS Monachus Floriacenſis hiſtoriam Translationis S. P. Benedicti metricè poſt annum milleſimum ſcripſit, 359.

ALBINUS Alcuinus Flaccus Vitam S. Richarij Abbatis expolivit, 189.

BAUDEMUNDUS Monachus Elnonenſis Vitam S. Amandi præceptoris ſui exaravit, 710.

BEDA Venerabilis S. Cuthberti Vitam deſcripſit ſoluta oratione, 879. & ſtricta, 915. item hiſtoriam Abbatum Monaſterij ſui, ſcilicet Benedicti Biſcopi, &c. 1001. Vitam ſancti Theodori Cantuarienſis, 1031.

BONIFACIUS, alius à S. Bonifacio Epiſcopo Maguntino, Vitam S. Livini Epiſcopi, 448.

DONATUS Diaconus Eccleſiæ Metenſis Vitam S. Trudonis Conf. 1069.

FLORENTIUS Preſbyter Tricaſtinus Acta S. Ruſticulæ Abbatiſſæ Arelatenſis, 139.

FORTUNATUS Pictavorum Epiſcopus (cujus Epitaphium cecinit Alcuinus Epigr. 154.) Vitam S. Paterni Abrincatenſis Epiſcopi, Martiano Abbati nuncupatam exaravit, 1100.

FRODOARDUS Canonicus Remenſis, dein Monachus, ut conſtat ex Epiſtola Adelagi Bremenſis Archiepiſcopi ad ipſum, metricè condidit Acta S. Columbani, 30. Attalæ, 127. Bertulfi, 161. S. P. Benedicti, 1095. *Lege Præfationem noſtram.*

FULBERTUS Monachus Rotomagenſis ſcripſit Vitam S. Aicadri Abb. 952. 953.

HILDEGARIUS Epiſcopus Meldenſis Vitam S. Faronis Epiſc. 610.

HUCBALDUS Monachus Elnonenſis deſinente ſæculo IX. ſcripſit Vitam S. Rictrudis, 937. Lege quæ de eo diximus *pag.* 710. & Frodoardum lib. 4. Hiſt. Rem. cap. 9.

INGELRAMNUS Abbas Centulenſis ſæculo X. cecinit geſta S. Richarij Abbatis, 201.

JOHANNES Abbas Gorzienſis Vitam S. Glodeſindis ſæculo X. exornavit, 1087.

JONAS Monachus Bobienſis ſcripſit Vitam S. Columbani præceptoris ſui, 5. Euſtaſij Abb. 116. Attalæ, 123. Bertulfi, 160. Burgundofaræ, 439. Alius eſt JONAS qui Vitam S. Hucberti Epiſcopi Leodicenſis; alius item JONAS Monachus Fontanellenſis qui Acta S. Vvlframni dictavit. Denique alius JONAS qui Caroli Calvi Notarius fuit Tomo 4. Spicil. *pag.* 496. Jonas S. Columbani diſcipulus; patria Seguſianus, ut patet ex Vita S. Attalæ *pag.* 126. In Vita S. Vvalarici Abbatis cap. 6. dicitur JONAS *Abba vir magnus, eloquentiâ plenus, dictandi peritus*: ut idem non immeritò videatur eſſe cum Jona illo, qui Acta S. Johannis Abbatis Reomaënſis interpolavit. Scribebat Jonas paullo poſt mortem S. Bertulfi, ut conſtat ex Præ-

fatione in Vitam S. Columbani ; & quidem Eligio jam Epiſcopo, ex Vita S. Euſtaſij num. 17.

JULIANUS Epiſcopus Toletanus S. Hildefonſum Epiſcopum laudavit, 516.

LIVINUS Epiſcopus ſanctus & Martyr Epitaphium S. Bavonis cecinit, 404.

MILO Monachus Elnonenſis principatu Caroli Calvi Supplementum Vitæ S. Amandi adjecit, 719.

ODO Abbas Cluniacenſis & Floriacēſis Sanctus Sermonem de Tranſlatione S. P. Benedicti habuit, 363.

RAINERUS Monachus Cellenſis Vitam & miracula S. Giſleni Confeſſ. medio ſæculo XI. ſcripſit, 788. 789. 796.

THEODERICUS Abbas Trudonianus exornavit Acta S. Bavonis, 394. & S. Trudonis, 1069.

THEODORI fetus de ſancto Magno ſpurius eſt, 505.

THOMAS Elienſis Monachus Vitam S. Ethildritæ conſarcinavit, 378.

VALERIUS Abbas S. Fructuoſi Epiſc. Bracarenſis Vitam deſcripſit, 581.

URSINUS S. Leodegarij Epiſcopi Auguſtodunenſis, 698.

VVALAFRIDUS Strabus Vitam & miracula ſancti Galli, 227.

VVANDALBERTUS Acta & miracula ſancti Goaris Anachoritæ, 281. 288.

Zixilanes Epiſcopus Toletanus Vitam ſancti Hildefonſi Epiſcopi, 517.

CORRIGENDA IN PRÆFATIONE.

PAg. XXIV. *num.* 32. *lin.* 27. *dele* Anſtrudis, *& lege* Salabergæ.

Pag. XXXIV. *lin.* 5. *l. ſepultus.*

SVMMA PRIVILEGII.

CHRISTIANISSIMI Francorum Regis LUDOVICI XIV. Privilegio prid. Nonas Iunij anni M. DC. LXIX. conceſſo, & ejuſdem menſis ejuſdem anni VIII. Idus in Typographiæ Pariſienſis Codicem relato cautum eſt, ut Congreg. S. Mauri R. P. SUPERIOR GENERALIS, *Acta Sanctor. Ord. S. Benedict. &c.* per quem maluerit Typographum, néve alius citra ejus conſenſum, edat: uti uberiùs Diploma ipſum explicat.

Idem R. P. Superior Generalis facultatem dedit Carolo Savreux Typographo ac Bibliopolæ Pariſienſi imprimendi Sæculum ſecundum Actor. SS. Ord. S. Benedicti, die 8. Junij 1669.

SI peregrinas palmas extraneáſque victorias & coronas ac tranſmarinos triumphos tanta nos oportet ſedulitate venerari, ut quod alienum eſt locis, noſtrum faciamus officiis; & illud quod includitur ſepulcris, ſit commune ſuffragiis: Quanto nos impenſiùs convenit in eorum recordatione *fervere ſtudio, excubare famulatu, quibus multiplicem Religio venerationem, Eccleſia honorem,* Ordo *caritatem? ut ſicut eorum per unius parentis gremium jure naſcendi cognati ſumus, ita nobis erga nos pietatis & gratiæ privilegium vindicemus, atque ad eos fidei devotione* & imitatione *priùs accedamus: ut quorum eſſe* diſcipuli *gratulamur in terris, cum his municipatum habere mereamur in cælis.* Euſebius Gallicanus Epiſcopus in homilia de SS. Martyr. Ephipodio & Alexandro To. 5. Bibl. PP.

SEmper quidem opera-pretium fuit illuſtres Sanctorum deſcribere Vitas, ut ſint in ſpeculum & exemplum, ac quoddam veluti condimentum vitæ hominum ſuper terram. Per hoc enim quodammodo apud nos etiam poſt mortem vivunt, multóſque ex his qui mortui ſunt, ad veram provocant & revocant vitam. Verùm nunc maximè id requirit caritas ſanctitatis, & noſtra planè ætas inops virorum. S. Bernardus Prol. in Vitam S. Malachiæ.

ACTA SANCTORVM ORDINIS S. BENEDICTI.

BIBLIOTHEQUE ROYALE

SÆCVLVM SECVNDVM,

Quod eſt à Chriſto nato Septimum.

SANCTI PETRI

CIRCA AN. DC. VIII. JANUAR. VI.

ABBATIS CANTVARIENSIS

ELOGIVM HISTORICVM.

1. *VSPICATÒ à* PETRO *S. Petri Cantuarienſis Abbate primo ducimus ſecundi iſtius Sæculi initium.* GREGORIUS *Pontifex dignitate & cognomento Magnus anno ab Incarnatione Domini* D. XCVI. Divino admonitus inſtinctu, *inquit Beda in Hiſt. lib. 1. cap. 23.* miſit ſervum Dei AUGUSTINUM & alios plures Monachos timentes Dominum, *quorum è numero* PETRUS *erat*, prædicare verbum Dei genti Anglorum. *Poſtea verò quàm Auguſtinus ab Antiſtite Arelatenſi* Archiepiſcopus genti Anglorum ordinatus eſt, reverſus Britanniam, miſit continuò Romam Laurentium Preſbyterum & Petrum Monachum, qui B. Pontifici Gregorio gentem Anglorum Fidem Chriſti accepiſſe, ac ſe Epiſcopum factum eſſe referrent: ſimul & de eis quæ neceſſaria videbantur quæſtionibus ejus conſulta flagitans. Nec mora, congrua quæſtionibus reſponſa recepit, *quæ idem Auctor cap. 27. refert. Inde intelligitur quanta apud Auguſtinum eſſet Petri exiſtimatio, quem talis legationis miniſtrum adhibuit.* Petrus cum Auguſtino in Angliam miſſus, Romam legatur.

2. At Auguſtinus, *ſubdit Beda cap. 33.* ubi in Regia civitate ſedem Epiſcopalem accepit, recuperavit in ea Regio fultus adminiculo Eccleſiam, quam ibi Romanorum antiquorum Fidelium opere factam fuiſſe didicerat, & eam in nomine S. Salvatoris Dei & Domini noſtri JESU-CHRISTI ſacravit, atque ibidem ſibi habitationem ſtatuit & cunctis ſucceſſoribus ſuis. Fecit autem & Monaſterium non longè ab ipſâ civitate ad Orientem, in quo ejus hortatu ETHELBERTUS Eccleſiam BB. Apoſtolorum Petri & Pauli à fundamentis conſtruxit, ac diverſis donis ditavit: in qua & ipſius Auguſtini & omnium Epiſcoporum Dorovernenſium ſimul & Regum Cantiæ poni corpora poſſent. Quam tamen Eccleſiam non ipſe Auguſtinus, ſed ſucceſſor ejus Laurentius conſecravit. Primus autem ejuſdem Monaſterii Abbas PETRUS Preſbyter fuit, qui Legatus Galliam miſſus, demerſus eſt in ſinu maris qui vocatur Amfleat, (*nunc* Ambleteau, *opidum Bononiæ portum obtendens*) & ab incolis loci ignobili traditur ſepulturæ. Fit Abbas S. Petri Cantuar. Mergitur oceano.

3. Sed omnipotens Deus ut qualis meriti vir fuerit demonſtraret, omni nocte ſupra ſepulcrum ejus lux cæleſtis apparuit: donec animadvertentes vicini, qui videbant ſanctum fuiſſe virum qui ibi eſſet ſepultus, & inveſtigantes unde & quis eſſet, abſtulerunt corpus, & in Bononia civitate juxta honorem tanto viro congruum in Eccleſia poſuerunt. Luce cœleſti ejus ſepultura illuſtratur. Bononiæ ſepelitur.

CIRCA AN. DC. VIII. JANU. VI.

4. *Juvat hoc loco referre quæ* GOTCELINUS *Cantuarienſis Monachus in lib. 2. Tranſlationis S. Auguſtini MS. cap. 28. de Petro commemorat in hunc modum.* Ethelbertus primum Abbatem huic ſancto contubernio à ſanctis inſtitutoribus ſuis electum præfecit PETRUM, quem in ſacra legationis obedientia martyrialiter mari ſubmerſum & ejectum æthereæ lucis radius ſingulis noctibus deſuper affuſus oſtendit civem ſupernum, donec digniori loco habeat ſepulcrum. Requieſcit celebriter Bononiæ in Eccleſia Canonicorum, ubi nuper factum prodigium videtur memorandum his, adeo qui ignotis Sanctis derogant in exemplum. Loci Æduus ipſius ſanctum corpus de Eccleſia ejecit in cimiterium, indignatus in Eccleſia honorari quem ipſe neſciſſet, cùm etiam neſciret quantus eſſet quem inhonorâſſet. Qui cùm cenſeret priores ſuos qui Sanctũ ſic honoraverant errâſſe, ſuo potiùs captus eſt errore. Sequenti enim nocte cùm lecto recubans arrogaret ſe magnificè feciſſe, qui Eccleſiam purgâſſet à tam ignobili funere, ſupervenit ei repentè Abbas in cuculla & cambutta* viſus manifeſtè. Quem increpans adſpectu terrifico ac minaci; Adeóne, inquit, placet tibi quòd me de Eccleſia projeciſti? Interrogante Æduo exterrito quis eſſet; Abbas, ait, ſum nomine Petrus, qui adſto Deo Sanctus inter Sanctos in cæleſtibus. Unde nunc ſcies quem elaboraveris antè deſtituere quàm cognoſcere. Inſequitur minas effera multa, percutit ac percutit ipsâ quam manu geſtabat paſtorali virga, ferit caput, tundit latera, conquaſſat omnia membra: tandem illo ſemimortuo & immobili relicto divinus ultor abſceſſit. Cúmque Matutinæ uſque in ortum ſolis morarentur ſonitore damnato, nec eſſet qui pulſantibus & clamantibus aperiret, tandem infractis oſtiis ad contritum prorupêre, auditáque ab eo querulosâ causâ ſuſceptum linteo exportavêre, poſtera die mortuum in cimiterio ſepelière de fratre gementes: Sanctum verò de ipſo cimiterio honorificè receptum in Eccleſia recondidêre, tanto prodigio proditum gaudentes. Hujus fidei teſtis eſt heſternus Abbas SCOLLANDUS, qui tunc aderat cùm hæc recenter facta celebrarentur.

Ædituum ſibi injurium ferit.

* *Id eſt*, pedo paſtorali.

Scollandus Abbas quis?

5. *Hactenus Gotcelinus coævus Scollando, qui Scollandus teſte Orderico in Hiſt. lib. 4. ad ann. 1069.* Cœnobio B. Petri Apoſtolorum Principis quod Anglorum primus Doctor conſtruxerat Auguſtinus, famoſus Abbas, ſcientiâ & bonitate pollens prælatus eſt. Hic ex nominato ſtemmate in Normannia natus, in Monte Michaëlis Archangeli ad periculum maris regulariter educatus, ad emendationem morum Cantuariis à Normannis eſt prælatus.

Status Monaſterii S. Petri.

6. *S. Petri Monaſterium in Orientali Cantuariæ ſuburbio ſitum, olim florentiſſimum fuit, ante ſæculum XI. S. Auguſtini dictum, æmulum Eccleſiæ Cathedrali S. Salvatoris, cui æquè adjunctum erat Benedictinorum Cœnobium quod Henricus VIII. diſſipavit. Nec meliorem ſortem obtinuit S. Petri ſeu S. Auguſtini ſuburbanum Monaſterium, cujus pars maxima ruinis involuta, reliqua in ædes regias converſa, uti Bollandus adnotavit, qui S. Petri Abbatis natalem cum Martyrologio Anglicano & Ferrario conſignat VIII. Id. Ianuarij, cùm in Martyrologio Benedictino & apud Molanum III. Kalend. Ianuarij collocetur. Fortè hic Tranſlationis, ille obitûs dies adſignandus. Petro in regimen ſuburbani Monaſterij Cantuarienſis Iohannes Abbas jam ſucceſſerat anno Phocæ Imp. VIII. Chriſti* DC. X. *ut conſtat ex litteris Bonifacij Papæ IV. à Clemente Reynero in Apoſtol. Bened. recitatis, & à Beda venerabili in lib. 2. Hiſt. cap. 4. laudatis. Anno proinde circà* DC. VIII. *Petri obitum collocamus, quem Auguſtino paullulò ſupervixiſſe veri ſimile eſt.*

VITA SANCTI COLVMBANI ABBATIS.

AN. CHR. DC. XV. Novemb. XXI.

Auctore JONA Monacho Bobienſi fere æquali.

Collata cum diverſis Codicibus MSS.

OBSERVATIONES PRÆVIÆ.

1. *HABES hîc, Lector, de S. Columbano plurimorum Patre Monachorum jam à Surio editam* JONÆ *Monachi Bobienſis lucubrationem, ac* FRODOARDI *Carmen numquam viſum: habes & librum Miraculorum ejuſdem Columbani, quem ex apographo S. Mariani Autiſſiodorenſis à noſtro Georgio Viollio Sacerdote deſcriptum, atque ad exemplar Ciſtercianum ab erudito Iacobo Lannöio collatum nunc primùm vulgamus.*

2. *De Iona Monacho & Frodoardo in iſtius Sæculi Præludiis ſatis dictū. Illud hoc loco obſervare convenit, Ionæ lucubrationes in MS. Cod. Compendienſi diſtinctas eſſe in libros tres, quorum primus Vitam S. Columbani, ſecundus B. Attalæ Geſta, tertius Parthenonis quod Evoriacas dicitur Virgines illuſtres commendat, cui libro continenter Vita S. Bertulfi adjuncta eſt. Verùm Ionas in ſubjecto Prologo opus ſuum divisit in libros duos.* Primus beati COLUMBÆ ſeu Columbani geſta perſtringit, ſecundus diſcipulorum ejus ATTALI & EUSTASII vel ceterorum quos meminimus, *inquit*, Vitam differit. *Quos inter numerat Burgundofaram in lib. 1. ſeu in Vita S. Columbani num. 50.* de qua *(Ionæ verba ſunt)* poſtea in ſubſequentibus narrabimus. *Et initio Vitæ Burgundofaræ*; Meminiſſe velim Lectorem, *ait Auctor*, me ſuperiùs fuiſſe narraturum pollicitum de Cœnobio ſupramemorato Burgundofaræ, quod Evoriacas vocant, *&c. Ex quibus apparet eos errare, qui Burgundofaræ Vitam Bedæ auctori tribuunt. Iſta Ionæ opuſcula exhibere continua ſerie nobis haud licuit, qui Sanctorum Acta quo quiſque deceſſit anno referre propoſitum habemus. Lectorem ea de re monuiſſe ſufficiat.*

3. *Præter Ionæ fetum de S. Columbano, legimus aliam ejuſdem Sancti Vitam Anonymi operâ compendioſiùs ſcriptam, à Iona diſcrepantem quibuſdam in locis, quæ pro narrationis opportunitate citato Anonymo ſuggeremus.*

4. *Liber Miraculorum Vitæ S. Columbani ſubjectus, exaratus eſt à Monacho Bobienſi, qui Hugonis Regis tempore paullo poſt Berengarium ejus deceſſorem, nimirum Sæculo X. ſe vixiſſe capp. 7. & 9. profitetur. In illis Miraculis nonnulla reperies notatu haud indigna. De S. Columbani Regula & Inſtituto legeſis Præfationem huic Tomo præmiſſam.*

PROLOGUS AUCTORIS AD BOBOLENUM & WALDEBERTUM Abbates.

1. *DOMINIS eximiis & ſacri culminis regimine decoratis religioniſque copiâ fultis* BOBOLENO *&* WALDEBERTO *Patribus* JONAS *peccator.* Memini me ante hoc ferme triennium Fratrum conniventia flagitante, vel B. BERTULFI Abbatis imperio jubente cùm apud eos Apenninis ruribus vacans in Ebobienſi[a] Cœnobio morarer fuiſſe pollicitum, ut almi Patris COLUMBANI meo ſtuderem ſtilo texere geſta: præſertim cùm hi qui eo fuerunt in tempore, & penes ipſum patrata viderunt, quamplurimi penes vos ſuperſtites ſint, qui nobis non audita ſed viſa narrarent, vel quæ etiam nos per venerabiles viros ATTALAM & EUSTASIUM didicimus: quorum primus Ebobienſis, ſecundus Luxovienſis Cœnobii, quo vos Præſules exſiſtitis[b], ejus ſucceſſores fuerunt, qui Magiſtri Inſtituta ſuis plebibus[c] ſervanda tradiderunt.

a Auctoris fides.

a Ita ſcribunt antiqui codd. MSS. pro quo libri editi præferunt Bobienſe. Eſt autem Bobium Monaſterium, multorum Cœnobiorum caput, poſitum in Alpibus Cottiis provincia Italiæ ad amniculum cognominem, non longè à flumine Trebia & Apennino, abéſtque ab urbe Ticino millia paſſuum XL. quo in loco accrevit opidum Epiſcopali Sede à Benedicto VIII. illuſtratum: Monaſterium verò Congregationi Caſſinenſi, aliàs S. Juſtinæ unitum eſt. Lege Italiæ Sacr. Tomum 4. ubi de Epiſc. Bobienſibus.

b Nempe Bobolenus poſt Bertulfum Attalæ ſucceſſorem Bobio, Vualdebertus poſt Euſtaſium Columbani ſucceſſorem Luxovio præerant. Eorum Acta conſule infrà.

c Id eſt diſcipulis, quo nomine Jonas non ratò Monachorum multitudinem appellat.

AN. CHR. DC. XV. NOV. XXI. Quorum vitam utcumque quivimus in poſtmodum deprompſimus, ſeu plurimorum quos cluentia memorabiles reddidit.

2. Sed quæ prædictorum Fratrum agapis vel Patris prædicti præcepto conjiciens rebar liquidò exuberari, multùm me ego ad hoc opus imparem reperio. Si enim me in hoc opere nequaquam indignum judicâſſem, olim jam ad ea texenda temerario quamvis conatu aggreſſus fuiſſem. Quamquam me & per triennium Oceani per ora vehat & ſcabra lintris adacta, has quoque ſcatens molles ſectando vias madefacit ſæpe & lenta palus Elnonis plantas ob venerabilis AMANDI Pontificis ferendum ſuffragium, qui his conſtitutus in locis veteres Sicambrorum errores Evangelico mucrone coërcet. Erit tamen commiſſi operis, venerandi Patres, veſtri arbitrii cultus, ut ſi aliqua minùs rite prompta decore facunditatis caruerint, veſtris phaleramentis decorentur, ut legentibus apta fiant, ne dum meam imperitiam in eloquio exhorrent, cùm dictis facta non exæquentur, Sanctorum virtutes faſtidiosè ferendo non imitentur: & cùm ad paratum opus ovantes manum tetenderint, mox ſentium aſperitate cruentatam nitantur ſubtrahere. Quibus dicendum eſt nantes ſolere poſt ima gurgitum fractis viribus ripæ redditos, cùm alia defuerint ſubſidia, feſtino conamine ſentes apprehendere; & divitum fauces cùm alię dapes redundent, ſępe agreſtia deſiderare; & pleroſque muſicorum omnium, organi ſcilicet, pſalterii, cytharę melos aures opletas, mollis ſæpe avenæ modulamini auditum accommodare.

a Auctor adulationis ſuſpicionem à ſe removet. * *fortè* ideo

3. Et ſi me quempiam laudare repererint qui adhuc ſuperis[a] junctus ſit, non me adulatorem putent, ſed rei bene geſtæ diſſertorem; nec favere cuiquam panegyrico carmine, ſed digna memoriæ commendare. Nec adeo* quiſquis ſupereſt tumeſcat, ſi à me largita Conditoris dona narrata videat, ne elationis ſtimulo ſinceræ mentis ſoliditatem corrumpat. Nulli quippe dubium eſt, quòd adulator polluat mentes decore plenas virtutum, ſicut ad Iſraël per Iſaiam Dominus loquitur: *Populę meus, qui beatum te dicunt, ipſi te decipiunt, & viam greſſuum tuorum diſſipant.* Sapientem enim, ut vulgò dicitur, falſa laus increpat, vera ad meliora tendere provocat. Adornet ergo eos in eo quod bene geſſerunt fama laudabilis, increpet ne maculet amittendo fervorem tepor vituperabilis. Caveant alii ſi dignum imitatione quid geſſerint, ne ſibi inpoſtmodum perniciosæ elationis damna attrahant ex commemoratione patratæ virtutis.

Iſa. 3.

Opus in duos libros partitur.

4. Inſerimus ergo illa quæ à veris aſſertoribus experti ſumus fuiſſe patrata, & prætermittere negligentiæ deputavimus; multáque prætermiſſa quæ ex toto nequaquam meminimus, & pro parte ſcribere nullatenus ratum duximus. Quæ ſunt ergo poſita duobus libellis interſcidi, ut uno volumine legentibus faſtidium amputarem. Primus B. COLUMBÆ geſta perſtringit, ſecundus diſcipulorum ejus ATTALI & EUSTASII, vel ceterorum quos meminimus vitam ediſſerit. Ergo ea veſtro libramine penſanda cenſemus, ut à vobis ſagaci examinatione probata, à ceteris ambiguitatem pellant. Nam ſi quippiam aliquis non ritè diſtinctum, ac de induſtria corrupta reperit, rejicienda judicabit: præſertim ſi doctorum facundiâ fultus, affatim ſcientiâ oppletus abundet. Noverit tamen nos non ad hoc veſtigia tendere, ut nos putemus doctorum greſſibus coęquari. Illi rore eloquentię madentes virides campos flore pinxerunt, nobis vix arida tellus arbuſta gignere novit. Illi ditis balſami lacrymam ex Engaddi, floréſque aromatum ex Arabia*; nobis ex Hibernia[b] vix butyrum pingueſcit. Illi piper nardúmque ſumunt ex India, nobis pennifera juga, Apennina juga, quo zephiris rigeſcunt frigora flabris, vix tandem ſaliuncam præbent. Illi pretioſi lapidis varietate glo-

b * *Supple* habent.

a Eadem dictione Jonas utitur infrà num. 18. & in Vita S. Euſtaſii num. 1. necnon in Vita S. Burgundofaræ cap. 2. Retinenda proinde eſt, nec ullatenus mutanda, ut nonnullis videtur. *Superos* Jonas intelligit ſuperſtites homines ſeu vivos, qui comparatione eorum qui jacent in tumulis, *ſuperi* appellari poſſunt. Unde idem Auctor in Vita S. Burgundofaræ cap. 9. de Leudebergæ obitu agens, *Superas*, inquit, *linquens auras, ad æterna gaudia eſt provecta.*

b Non quòd Jonas ex Hibernia prodierit, ut nonnulli putaverunt, ſed quòd magiſtros Hibernos habuerit. Eum enim Seguſiâ Liguriæ civitate ortum eſſe conſtat ex Vita S. Attalæ ab ipſo ſcripta, quam ad an. 627. referemus.

riantur, nobis temerarium videtur Galliæ ſuccino gloriari. Illi poma palmarum magnopere peregrina dirigunt, nobis Auſoniæ* juxta Poëtam ſunt mitia mollis caſtaneæ poma. Valete almi Patres veri vigoris atque roboris, Deo dicati æterno. Amen. AN. CHR. DC. XV. NOV. XXI.

* *Surio* Auſonium.

PRÆFATIO.

5. RUTILANS, atque eximio fulgore micans ſanctorum Præſulum atque Monachorum doctrina, Patrúmque ſollertia, nobilium virorum condidit Vitas doctorum, ſcilicet ut poſteris alma redolerent priſcorum exempla. Egit hoc à ſæculis rerum Sator æternus, ut ſuorum famulorum famam commendaret perennem, ut relinqueret futuris ſæculis de præcedentium meritis, vel imitanda exempla vel memoriæ commendanda, & ut ventura ſoboles gloriaretur de præcedentium meritis. Quorum Beatus Athanaſius Antonii, Hieronymus Pauli & Hilarionis, vel ceterorum quos cultus bonæ vitæ laudabiles reddebat; Poſthumianus verò, Severus, & Gallus Martini egregii Paſtoris noſtris eorum memoriam dimisêre ſæculis: plerique aliorum, quos aut fama, aut bonorum exempla operum, vel virtutum monimenta commendaverunt, ut ſunt columnæ Eccleſiarum, Hilarius, Ambroſius, Auguſtinus, qui inter tot ſæculi turbines, & fluctuante mundo ſtatum Eccleſiæ ſuſtentârunt, ne flatu adverſante iniquo, hæreticorum procellâ quatiente, veram Fidem hæretica adverſitas macularet. Quorum nos exempla, temerario licet conatu ſecuti, nec meritorum ſupplemento, ſed fidei favore ſuffulti, non elucubranti ſcientiæ fonte referti, tanti Patris noſtri vitam ſæculis refulgentem ſequentibus cupimus enarrare. Erit tamen noſtrorum arbiter dictorum virtutum Largitor immenſus, qui illi & gratiæ ſuæ munera & vitæ perennis largitus eſt coronam. Deus Sanctis Vitæ ſuæ Scriptores providit.

INCIPIT VITA.

6. COLUMBANUS igitur qui & COLUMBA dicitur, ortus eſt ex Hibernia inſulâ in extremo Oceani ſita[a] cujus inſulæ ſitus, ut ferunt, amœnus ac diverſarum capax nationum, ceterorum caret bellis populorum. Hanc Scottorum gens incolit, gens quamquam abſque reliquarum gentium legibus, tamen in Chriſtiani vigoris dogmate florens, omnium vicinarum gentium fide præpollet. Natus eſt ergo hic Columbanus inter primordia Fidei gentis illius, ut Fides quam infecundam ex parte gens illa habebat, ſuo ac ſodalium ſuorum munimine cultu uberi fecundaretur. Sed priuſquam lucem vitæ præſentis caperet, quid ante ejus ortum actum ſit, non eſt ſilendum. Nam cùm ejus genitrix jam conceptu alvo gravida teneretur, ſubitò per intempeſtam noctem ſopore depreſſa vidit ex ſinu ſuo rutilantem ſolem & nimio fulgore micantem procedere; & mundo magnum lumen præbere. Hæc genitrix poſtquam ſopore membra laxavit, & cæcas mundo ſurgens aurora repulit tenebras, apud ſemet intrà clauſo conamine penſare cœpit: & ex gaudio tantæ viſionis vim ſagaci animo trutinans, vicinorum ſolaminis ſupplementum petit, quos doctrina ſollertes reddebat, quærens ut tantæ viſionis vim ſapientum corda rimarentur. Tandem peritorum libramine reſponſa recepit, ſe egregiæ indolis utero tenere virum, qui & ſuæ ſaluti utilia, & proximorum provideret utilitati opportuna. Hunc mater poſtquam edidit, tantâ cuſtodiâ ſervavit, ut vix eum vel cognatis parentum reliquorum moribus crederet, quoadusque vita puberis ad boni cultus operis Chriſto duce ſine quo nihil boni agitur, adſpiraret. Nec immeritò ſolem fulgentem ſuo è ſinu procedere mater conſpexit, qui in matris univerſorum Eccleſiæ membris inſtar Phœbi claro fulgore micat, Domino dicente: *Tunc juſti fulgebunt ſicut ſol in regno Patris eorum.* Sic Debora precantis voce ad Dominum, Spiritu- Columbanus Hibernus per ſolem præſignatur. *a* Matth. 13.

a Et quidem in Lagenorum provincia, ex Jona infra num. 9. quæ provincia tota maritima ad Ortum jacet, incolis *Leighnich*, Britannis *Lein*, Anglis *Leinſter*, Latinis Lagenia dicta, olim erat una portio Pentarchiæ, in quam Hibernia inſula olim dividebatur.

AN CHR. DC. XV. Nov. XXI. *Iudic.* 15. * celebris.

ſancto monente olim loquebatur, dicens: *Qui autem diligunt te, ſicut ſol in ortu ſuo ſplendet, ſic rutilant.* Ætherea etenim axis ſiderum diſtinctione flaveſcens, de frequentia celebræ * lucis ſpecioſior eſt: ſicut diei lux Phœbi aucta ſplendore mundo amœna refulget; ita corpus Eccleſiæ Conditoris ditata opibus, Sanctorum augmentata numero, & ſcientiæ religione niteſcit, ut ex frequentia doctorum pullulent lucra ſubſequentium. Et ut ſol vel luna aſtráque omnia noctem diémque ſuo nitore nobilitant: ita ſanctorum merita Sacerdotum Eccleſiæ monimenta roborant.

Litteris imbuitur.

7. Peractis itaque infantiæ annis, in pueritiæ ætate pubeſcens, liberalium litterarum doctrinis & Grammaticorum ſtudiis, ingenio capaci dare operam cœpit: laboremque per omne pueritiæ vel adoleſcentiæ tempus exercens, uſque ad virilem ætatem uberi intentione defixit. Sed cùm eum formæ elegantia, præſertim corporis candore pubertas nobilis omnibus gratum redderet, cœpit contra eum tandem antiquus hoſtis letifera tela laxare: ut quem tanto ingenio creſcere cerneret, ſuis eum laqueis valuiſſet irretire. Aggreſſúſque laſcivarum puellarum in eum ſuſcitavit amores, præcipuè quas forma corporis perfunctorio decore, horrendo deſiderio in miſerorum animos ſolet immergere. Sed cùm ſe egregius miles tantis telis undique urgeri conſpiceret, & dimicantes ſecum callidi hoſtis verſutias ſe contra erigere conſpexiſſet, & per actus fragilitatis humanæ citò ad procliva poſſe labendo demergi; ut Livius ait, nullum eſſe tam ſanctum in religione, támque cuſtodiâ clauſum, quem penetrare libido nequeat; Evangelicum clypeum lævâ tenens, enſémque ancipitem dexterâ ferens, contra imminentes cuneos hoſtium pugnaturus paratur pergère, ne fruſtrato labore B. Columbanus quem potiſſimo ingenio deſudaverat in Grammatica, Rhetorica, Geometrica, vel divinarum Scripturarum ſerie, in ſæculi illecebris occuparet: datúrque adhuc locus ſtimulis urgendis.

Carnis tentationibus pulſatus, piæ feminę conſilio patriam deſerit.

8. Cùm jam hæc penes ſe volveret, venit ad cujuſdam religioſæ ac Deo dicatæ feminæ cellulam: quam cùm priùs humili voce ſalutâſſet, poſtea caſtigatione juvenili ut poterat hortari aggreſſus eſt. Quæ videns creſcentem in adoleſcente vigorem; Ego, ait, utcumque potui, ad bellum progreſſa exivi. En duodecim annorum tempora volvuntur, quibus & domo carui, & hunc peregrinationis locum expetivi, & numquam deinceps Chriſto præſule ſæculo militavi; aratrum manu tenens, retrò non reſpexi, & niſi fragilis ſexus obſtâſſet, mari tranſacto, potioris peregrinationis locum petîſſem. Tu verò adoleſcentiæ flammis æſtuans, natale ſolum incolis; ad fragiles voces, velis nolis, fragilitate attrahente, aurem accommodas, & vitare te femineum ſexum liberè credis? Non reminiſceris ſuaſum Evæ, Adę lapſum; Samſom à Dalila ſeductum, David à priſtina juſtitia pulchritudine Berſabee corruptum, ſapientiſſimum Salomonem mulierum amore deceptum? Perge, inquit, ô juvenis, perge, evade ruinam per quam multos comperis corruiſſe. Declina viam quę inferi ducit ad valvas. Hujus ergo dictis pavefactus adoleſcens, & ultrà quàm adoleſcentem terreri crederes, grates taliter increpanti refert, ſodalibúſque valedicens iter arripuit: matérque ejus dolore ſtimulata precatur ut non ſe relinquat. At ille: Nonne, inquit, audiſti, *Qui amat patrem aut matrem pluſquam me, non eſt me dignus*? Obſtanti matri & limini oſtii inhęrenti poſtulat ut ſe ire ſinat. Illa ejulans & pavimento proſtrata denegat ſe permiſſuram; ille limen matrémque tranſiliens, popoſcit matrem ne mærore ſolvatur, dicens ſe numquam deinceps in hac vita videndum, ſed quocumque ſalutis via iter pandat, ſe progreſſurum.

Matth. 10.

A Silene Abbate informatur.

9. Relicto ergo natali ſolo, quem Lagenorum terram incolę nuncupant, ad virum venerabilem nomine SILENEM perrexit, qui eo tempore ſingulari religione & Scripturarum ſacrarum ſcientiæ flore inter ſuos pollebat. Quem cùm vir ſanctus ingenii ſagacis eſſe videret, omnium divinarum Scripturarum ſtudiis eum imbuit: ita tamen, ut fieri adſolet, colludendo Magiſter diſcipulos ſciſcitari conatur, ut de ſuo ingenio cognoſceret vel flagrantem ubertatem ſenſuum, vel negligentiæ

negligentiæ ſomno torporem; cœpítque ab eo ex difficilium quæſtionum materiâ ſenſus quærere. At ille pavido, quamquam tamen ſagaci ex pectore, ne inobediens magiſtro appareret, non cœnodoxiæ tactus vitio, ſed magiſtro parendo, vice versâ objecta ſibi elucubrabat, memor illius Pſalmographi præconii: *Aperi os tuum, & ego adimplebo illud.* Tantum ejus in pectore Divinarum theſauri Scripturarum conditi tenebantur, ut intra adoleſcentiæ ætatem detentus, Pſalmorum librum elimato ſermone exponeret; multáque alia, quæ vel ad cantum digna, vel ad docendum utilia, condidit dicta. Dedit deinde operam ut Monachorum necteretur ſocietati, & Monaſterium cujus eſt vocabulum BANCHOR[a] petiit, in quo virtutum Præſul ubertate cluebat B. COMMOGELLUS, egregius inter ſuos Monachorum Pater, quíque religionis ſtudio & regularis diſciplinæ cultu præcipuus habebatur, ibíque orationibus & jejuniis vacare cœpit; & jugum Chriſti, quod deferentibus leve eſt, ſuper ſe ferre, ſemetipsúmque ſibi abnegando, ac crucem ſuam tollendo, Chriſtum ſequi: ut qui aliorum doctor futurus erat, ipſe quod doctrinâ didicerat, in ſui corporis mortificatione ferendo, uberiùs exemplo monſtraret; & qui aliis implenda fore docturus erat, ipſe priùs impleret. Peractis itaque annorum multorum in Monaſterio circulis, cœpit peregrinationem deſiderare, memor illius Dominici imperii ad Ahraham: *Exi de terra tua, & de cognatione tua, & de domo patris tui, & vade in terram quam tibi monſtravero.* Confeſſus igitur venerabili patri Commogello cordis ardorem, & ignitum igne Domini deſiderium, de quo igne Dominus loquitur: *Ignem veni mittere in terram, quem volo ut ardeat*; ardentem Patri patefaciebat affectum, ſed non ita in Patre reperiebat reſponſum, ut ſua petitio anhelabat. Erat enim venerabili Commogello durum, tanti ſolaminis pati diſpendium. Tandem tamen adſpirare cœpit & cordi anteponere, ut non plus ſuæ neceſſitati ſtuderet, quàm aliorum utilitati opportuna quæreret. Nec ſine Omnipotentis arbitrio fiebat, qui tironem ſuum ad bella futura erudierat, ut de ejus victoria glorioſos referret triumphos, lætáſque victorias de cæſorum hoſtium reportaret phalangis. Vocatúmque eum Abbas, triſtem licet ſibi, tamen aliis utilem depromit ſententiam, ſe & pacis vinculum, & ſolaminis ſupplementum comitéſque itineris, quos religio claros reddebat, largiturum.

AN. CHR. DC. XV. Nov. XXI.

Pſal. 80.

Pſalmos exponit.

[a] In Banchorenſi Monaſterio à Commogello excipitur.

Gen. 12.

Luc. 12.

10. Collecto ſanè Fratrum cœtu, omnium orationum ſuffragium poſtulat, ut venturo itineri ſolamen largiatur, pietatíſque tribuat affectum. Viceſimum[b] ergo ætatis annum agens, arrepto itinere cum duodecim comitibus Chriſto Duce ad litus maris accedunt. Ibi omnipotentis miſericordiam præſtolantur, ut ſi ſuæ voluntati inhæreret conceptum conſilium, effectus ejus nutu perficiatur: agnoſcúntque ſecum clementis Judicis voluntatem adeſſe, carinámque ingreſſi dubias per freta ingrediuntur vias, mitéque ſalum proſperantibus zephyrorum flabris ſecantes, pernici curſu ad Britannicos ſinus perveniunt. Paulliſper ibidem morantes, vires reſumunt ancipiti animo, anxiáque cordis conſilia trutinantur. Placet tandem arva Gallica plantâ terere, & mores hominum ferventi aſtu ſciſcitari, ut ſi ſalus ibi ſerenda ſit, quantiſper commorari; ſi obduratas caligine arrogantiæ mentes reperiant, ad vicinas nationes pertranſire.

[b] Cum ſociis 12. venit in Galliam.

11. A Britannicis ergo finibus progreſſi, ad Gallias, ubi tunc vel ob frequentiam hoſtium externorum, vel ob negligentiam Præſulum, Religionis virtus pæne abolita habebatur, tendunt. Fides tantùm manebat Chriſtiana, nam pœ-

Religionis ſtatus in Gallia.

[a] Hoc Monaſterium in Ulronia Hiberniæ provincia ſitum, à Bancorenſi Vualliæ Cœnobio diſtinguendum eſſe, Sæculo I. ad Vitæ S. Auguſtini cap. 34. pag. 522. probatum eſt.

[b] In MS. cod. San-Germanenſi legitur, *triceſimum*, uti etiam in Vitæ S. Columbani epitome apud Ferdinandum Ughellum relata Tomo 4. Ital. Sacr. ubi de Epiſc. & Abb. Bobienſ. Tricennem fuiſſe Columbanum quum Hiberniam reliquit, magis ſimile veri eſt. Nam *peractis infantiæ annis* liberales diſciplinas didicit, quo in ſtudio *omne pueritiæ vel adoleſcentiæ tempus exercens, uſque ad virilem ætatem* perſeveravit. Tum ſe tentationibus carnis appeti ſentiens, auctore pia femina primò Silenis Abbatis, poſtea Commogelli magiſterio in Banchor ſe ſubdidit, denique *peractis annorum multorum in Monaſterio circulis cœpit peregrinationem deſiderare.* Itaut vix ante annum ætatis viceſimum Monaſterium Banchorenſe petierit jam vir, in quo minùs decem annis perſiſtere non debuit, ſi annorum multorum curricula inibi peregit.

AN. CHR. DC. XV. NOV. XXI.

nitentiæ medicamenta, & mortificationis amor vix vel paucis in illis reperiebantur locis. Agebat venerandus vir ut per quæcumque loca progrederetur, verbum Evangelicum annunciaret. Erat enim gratum hominibus, ut quod facundiæ cultus adornabat, elucubratæ prædicationis doctrina, ſimul & exempla virtutum confirmabant. Tanta erat humilitatis ubertas, ut verſa vice, ſicut de honoribus homines ſæculi conantur quærere dignitates, ita iſte cum ſodalibus ſuis de humilitatis cultu alter alterum nitebatur prævenire, memores præcepti illius: *Qui ſe humiliat exaltabitur.* Et illud Iſaïæ: *Ad quem reſpiciam, niſi ad humilem, & quietum, & trementem ſermones meos?* Tanta pietas, tanta caritas omnibus inerat, ut unum velle, unum eſſet nolle; modeſtia atque ſobrietas, manſuetudo & lenitas in omnibus redolebat. Exſecrabantur deſidiæ atque diſcordiæ vitium, arrogantiæ atque elationis ſupercilium duris caſtigationibus ictuum feriebant, iræ ac livoris noxam ſagaci intentione pellebant. Tanta patientiæ virtus, caritatis affectus, lenitatis cultus aderat, ut mitem in medio eorum Deum patulè non ambigeres habitare. Si quempiam ex his labi in vitium reperiſſent, ſimul omnes æquo jure negligentem correptionibus cædere ſtudebant. Communia omnibus omnia erant: ſi quiſpiam proprium uſurpare aliquid tentâſſet, à ceterorum conſortio ſegregatus pœnitentiæ ultione vindicabatur. Nullus proximo contrarietatem rependere, nullus aſperum ſermonem proferre audebat, itaut in converſatione Angelicam agi vitam crederes. Tanta in beatum virum gratia redundabat, ut in quorumcumque domibus quantiſper commoraretur, omnium animos ad Religionis cultum defigeret.

Columbanus cum ſociis de humilitate certat. *Matth.* 23. *Iſa.* 66.

Eorum mores & virtutes.

12. Pervenit ergo fama Columbani SIGIBERTI[a] Regis ad aulam, qui eo tempore duobus Regnis Auſtraſiorum Burgundionúmque inclytus regnabat Francis; quorum eximium nomen præ ceteris gentibus, quæ Gallias incolunt habebatur. Ad quem cùm vir ſanctus cum ſuis acceſſiſſet, gratus Regi & Aulicis ob egregiæ doctrinæ copiam redditus eſt. Cœpit tandem ab eo Rex petere, ut intra terminos Galliarum reſideret, nec ad alias gentes tranſiens ſe relinqueret; omnia quæ ejus voluntas popoſciſſet, ſe paraturum. Tunc ille Regi ait, non ſe aliarum poſſeſſione opum fore ditandum, ſed Evangelici præconii, quantum carnis fragilitas non obſtabat, ſectaturum exemplum: *Qui vult*, inquit, *poſt me venire, abneget ſemetipſum ſibi, tollat crucem ſuam, & ſequatur me.* Cui talia objicienti Rex præbet reſponſa: Si Chriſti crucem tollere & ipſum ſequi deſideras, potioris eremi ſectare quietem: tantùm ne noſtræ ditionis ſolo relicto, ad vicinas pertranſeas nationes, ut & tui præmii augmentum, & noſtræ ſaluti provideas opportuna. Data itaque optione obtemperavit Regis perſuaſionibus, eremúmque petivit. Erat enim tunc vaſta eremus VOSAGUS[b] nomine, in qua caſtrum erat dirutum olim, quod antiquorum traditio ANAGRATES nuncupabant. Ad quem vir ſanctus cùm veniſſet, licet aſpera vaſtitate ſolitudinis & ſcopulo-

A Sigeberto excipitur.

Luc. 9.

[a] Anonymus in Vita S. Columbani, & qui S. Saldabergæ Acta ſcripſit gravis ac pæne coævus Auctor, Columbanum in Galliam advenisse affirmant Childeberto Auſtraſiis & Burgundionibus imperante: rectiùs Ordericus Vitalis ſub finem lib. 8. id accidiſſe Rege Childeberto Sigiberti filio refert. Columbanus paullò ante annum Chriſti D. XC. in Galliam appulſus eſt, uti infrà ad num. 38. probabimus: quo tempore Childebertus Auſtriæ, Guntramnus patruus Burgundiæ principatum gerebant. Guntramnus Childeberto nepoti Burgundiæ regnum anno D.XCIII. morte reſignavit. Unde levi errore Auctores prædicti acceſſum Columbani contigiſſe aiunt Childeberto Auſtraſios & Burgundiones regente, cùm utrumque regnum paullò poſt Columbani adventum ad ipſum Childebertum fuerit devolutum. Porro Jonas iterum hallucinatus eſt, dum *regnis Auſtraſiorum, Burgundionúmque regnâſſe* putavit Sigibertum, qui numquam Burgundiâ potitus eſt. Errandi occaſio inde nata eſt, quòd Burgundiæ principatus per Sigibertum ex paterna hereditate in Childeberti poteſtatem veniſſe falsò autumaverit. Nec quiſquam dicat Jonæ ſcriptionem à librariis vitiatam, ac pro Childeberto ſcriptum Sigibertum. Hanc enim germanam eſſe Jonæ de Sigiberto ſententiam conſtat ex num. 31. infrà.

[b] Voſagus, *la Voſge*, in Burgundiæ Comitatu, Burgundiam à Lotharingia & Aleſatia dirimit, Moſæ Moſellæque & Araris nobilium fluviorum origine inſignis. In loco Anagrates dicto, vernacule *Anegray*, conditum eſt Anagratenſe Monaſterium, quod ampliùs non exſtat. Fontanenſe redactum eſt in Prioratum Conventualē Luxovio ſubjectum. Huc referenda quæ in Vita S. Nicetii Veſontionenſis Epiſcopi in Veſontione Johannis Chiffletii parte 2 §. 22. leguntur, ubi Nicetius Anagrates & Luxovium & Fontanas adiiſſe, & Eccleſiarum altaria rogatu Columbani dedicâſſe dicitur. Quæ ſi vera ſunt, Anagratenſis Cœnobii primordia revocari non poſſunt ad annum (ut quibuſdam placet) D. LXX. cùm poſt annum D. XC. Nicetius ſedem Veſontionenſem obtinuerit.

rum interpoſitione loca aſpera eſſent, ibi cum ſuis reſedit parvo alimentorum ſolamine contentus, memor illius verbi, Non in ſolo pane hominem vivere, ſed verbo vitæ ſatiari, & affluenti dape abundare, quâ quiſquis ſumptâ eſuriem neſciat in ævum. AN. CHR. DC. XV. Nov. XXI. *Deut.* 8.

13. Eo verò in loco viro Dei cum ſuis commorante, ſubitò unus è Fratribus, vel ob probationem, vel quamlibet culpâ attrahentem vi febrium cœpit flagellari. Sed cùm nulla alimentorũ ſolamina adeſſent, uiſi corticum & herbarum pabula præberentur; tantummodo cœpit omnium animus adſpirare, ut pro ægri Fratris ſoſpitate, jejunio omnes & orationi vacarent. Tertia jam die peracto jejunio nihil habentes unde feſſa corpora reficerentur, ſubitò conſpiciunt virum quemdam cum panum ſupplemento vel pulmentorum equis oneratis ante fores adſtare, qui ſe referebat ſubitâ cordis admonitione actum, ut eis ex ſua ſubſtantia ſubveniret, qui tantam egeſtatem pro Chriſto in eremo ſuſtinerent. Oblatis itaque viro Dei quæ detulerat, cœpit cum cordis humilitate depoſcere, ut vir ſanctus pro conjuge ſua Dominum deprecaretur, quam per anni circulum tantus ignis febrium urebat, ut jam non crederetur ſuperis reddi. Humili ergo & anxio corde poſcenti noluit vir Dei denegare ſolamen, adhibitíſque ſimul Fratribus pro ea miſericordiam Domini deprecatur. Cúmque ille cum ſuis orationem complêſſet, ſtatim ea quæ periculum mortis in propatulo habebat, ſanitati eſt reddita. At verò cùm vir ejus largitâ ſibi à viro Dei benedictione domum remeâſſet, invenit conjugem ſuam domi ſedentem: ſciſcitatúſque qua hora eam febrium vis reliquiſſet, reperit eâ horâ ſanatam fuiſſe, qua hora vir Dei pro ea Dominum deprecatus eſſet. Alimoniæ ſuppetias Dei monitu accipit.

14. Tranſacto itaque deinceps parvo temporis intervallo, quo pia capiti Chriſto placamenta ac piamina mentis per contritionem carnis, injuriáſque famis mortificata Deo membra offerrent, ac inviolatum Religionis ſtatum ſervare ſtuderent; duris acerbitatibus omnis frangebatur carnis voluptas, ut videlicet prædo virtutum omnium & exſpoliator fugeret. Novem jam tranſierant dies, quo vir Dei cum ſuis non alias dapes caperet, quàm arborum cortices herbáſque ſaltûs: ſed temperavit eſcæ acerbitatem pietas virtutis Divinę. Monuítque per viſum Abbatem quemdam nomine CARAMTOCUM, qui Monaſterio, cui SALICIS[a] nomen eſt, præerat, ut famulo ſuo Columbano intra eremi vaſtitatem conſiſtenti neceſſaria deferret. Expergefactus igitur Caramtocus, Cellerarium ſuum MARCULFUM nomine vocat, reíque admonitę cauſam narrat. At ille; Fac, inquit, ut imperatum eſt tibi. Jubet ergo Caramtocus Marculfum ire, & omnia quę poſſit parare, Beatóque Columbano deferre. Oneratis ergo Marculfus vehiculis iter arripuit: ſed cùm ſolitudinis ora attigit, viam ſibi pandendi itineris nequaquam reperit. Fuit tandem conſilium ut ſi Dei eſſet imperium, prę̀miſſis equis imperantis potentia viam aperiret. Mira virtus! antecedentes equi ignotum iter ungulâ terunt, rectóque itinere ante fores B. Columbani ad Anagrates perveniunt. Mirans Marculfus, equorum veſtigia ſubſecutus ad virum Dei pervenit, & quę detulerat præſentavit. Ille grates Conditori rependit, quia ſic ſuis famulis in deſerto parare menſam non diſtulit. Acceptâ ergo ab eo benedictione Marculfus, calle quo venerat repedavit, omnibúſque rei geſtæ cauſam patefecit. Cœpit exinde frequentia populi & infirmantium cohortes ob ſanitatem redintegrandam ad eum frequentare, & omnium infirmitatum ſuffragium quærere: quorum vota cùm revocare à ſe nequiret, omnium petitionibus parens, orationum medicamine cunctorum ad ſe venientium infirmitatibus Divino fultus auxilio curando ſubveniebat.

[a] Nullum hoc nomine Monaſterium ampliùs illis in partibus ſupereſt, niſi fortè Salicis vocabulum tribuas caſtro Salinenſi, in quo eſt Prioratus Monaſterio Cluniacenſi ſubjectus.

AN. CHR. DC. XV. NOV. XXI.

15. His denique in locis evenit, ut per opaca ſaltûs interdum iſdem vir ſanctus deambularet, & librum humero ferens de Scripturis ſacris ſecum diſputaret; ſubitóque cogitatio in mentem ruit, quid eligeret melius in hominum injurias incidere, an ferarum ſævitiam ſuſtinere. Cúmque urgeret cogitationum illata ſeveritas, crebrò frontem ſigno Crucis armans atque orans intra ſe aiebat, melius eſſe ferocitatem beſtiarum abſque alieno peccato, quàm hominum rabiem ſuſtinere cum damno animarum. Dúmque hæc animo volveret, conſpicit duodecim lupos advenire, & dextrâ leváque ſe medium adſtare, manebátque immobilis atque dicens: Deus in adjutorium meum intende; Domine ad adjuvandum me feſtina. Propiùs illi accedunt, & ora veſtimentis ejus jungunt: cúmque ille conſtans adſtaret, interritum relinquunt, ſaltúmque pervagantur. Hac tentatione in ſecuritatem trajecta, iter per ſaltum carpit. Cúmque haud procul abiiſſet, audit vocem Suevorum multorum per avia oberrantium, qui eo in tempore iiſdem in locis latrocinia exercebant: ſícque demum trajecta per conſtantiam tentatione repulit adverſitatem. Sed hoc utrùm diaboli fallacia finxerit, an rei veritate geſtum ſit, patulè non agnovit. Rurſúmque receſſit à cellula, longioríque via vaſta eremi penetrans, reperit ſaxum immane præruptáque rupis latera, aſpera ſcopulis terga avia hominibus, ibíque conſpicit concavum incaute ſinum. Aggreſſúſque abdita perſcrutari, reperit in interiore ſinu urſi habitaculum, ipsúmque interiùs reſidentem. Mitem ergo feram abire jubet, nec deinceps hos, inquit, repetas calles. Abiit fera mitis, nec prorſus eſt auſa redire; diſtabátque ab Anagrate locus plus minúſve millibus ſeptem.

Dæmonum larvas eludit.

In eremum ſe abdit.

NOTA.

16. Quo in tempore cùm in eadem concava ſcopuli ſolitariam vitam duceret, ſicut erat ejus conſuetudinis, ut cùm Dominicis feſtis vel quorumlibet Sanctorum ſacratæ ſollemnitatis appropinquaret adventus, ab aliorum ſocietate ſegregatus, & abditis locis receptus, vel longiori ſpatio eremi ſecreta ſectabatur, ut ſolidâ mente & abſque curarum inquietudine ſolus orationi vacaret, & religioni omni conatu intenderet; erat cibo ita attenuatus, ut vix vivere crederetur: nec aliunde penitùs, quàm agreſtium herbarum exigua menſura, vel parvulorum pomorum, quæ eremus illa ferebat, quæ etiam Bollucas* vulgò appellant, veſcebatur. Potus aqua erat, ut qui ſemper in aliorum curis occupatus, hæc æquè agere nequiret, ſaltem per intervalla temporum pro parte mentis vota perageret. Erátque ejus in miniſterio puerulus quidam nomine DOMOALIS, qui cùm certę opportunitates Monaſterio eveniſſent, ſolus Patri renuntiaret, ac Fratribus obſervanda referret. Poſitus ergo in præfato ſinu eminentis ſaxi, qui aliunde penitùs aditum denegabat, multíſque jam diebus inibi reſediſſet; cœpit ſupradictus puerulus ſub ſilentii voce conqueri, cur in promptu aquàm non haberet, ſed cum grandi labore per montis ardua feſſis poplitibus deferret. Cui Columbanus, Fili, inquit, pauliſper ſaxi terga ſatage cavare; memento populo Iſraël Dominum de caute latices produxiſſe. At ille Patri obediens rupem cavare aggreſſus eſt. Sanctus itaque vir ſtatim genibus provolutus orationibus Dominum deprecatur, ut ſuę neceſſitati tribuat opportuna. Tandem ejus parens precibus, piè petenti larga ſubvenit poteſtas: móxque latex productus fons cœpit manare perennis, qui uſque in hodiernum manat. Nec immeritò miſericors Dominus ſuis Sanctis tribuit poſtulata, qui ob præceptorum ſuorum imperia proprias crucifixerunt voluntates, tanta fide pollentes, ut quę ab ejus miſericordia poſtulaverint, impetrare non dubitent; quia ipſe promiſit dicens: *Si habueritis fidem ſicut granum ſinapis, dicetis huic monti, tranſi, & tranſiet, & nihil impoſſibile erit vobis.* Et alibi: *Omnia quæcumque orantes petitis, credite quia accipietis, & fiet vobis.*

Ex rupe fontem ſcaturire facit.

* *al.* Bullucas, Bulgulas.

Matt. 17.

Marc. 11.

17. Cúmque jam multorum Monachorum ſocietate denſaretur, cœpit cogitare ut potiorem locum in eadem eremo quæreret, quo Monaſterium conſtrueret. Invenítque caſtrum firmiſſimo munimine olim fuiſſe cultum, à ſupradicto

Luxovienſe Monaſterium conſtruit.

loco diſtans plus minus octo millibus, quem priſca tempora Luxovium[a] nuncupabant: ibíque aquę callidæ cultu eximio conſtructæ habebantur. Ibi imaginum lapidearum denſitas vicina ſaltûs denſabat, quas cultu miſerabili ritúque profano vetuſta paganorum tempora honorabant. Ibi reſidens vir egregius Monaſterium conſtruere cœpit, ad cujus famam plebs undique concurrere, & ſe cultui Religionis dicare curabant; itaut plurima Monachorum multitudo adunata vix unius Cœnobii collegio conſiſtere valeret. Ibi Nobilium liberi undique concurrere nitebantur, ut & ſpreta phaleramenta ſæculi, & præſentium pompam facultatum contemnentes, ęterna præmia caperent. Quod B. Columbanus cernens, undique ad pœnitentiæ medicamenta plebes concurrere, & unius Cœnobii ſepta tantam converſantium cohortem abſque difficultate non tenere, quamvis mente una & corde uno, tamen converſationi tantæ multitudinis incongruum, alium experimento locum quęrit; quem aquarum irriguitas adornabat; aliúdque Monaſterium conſtruit, cui *Fontanas* nomen indidit, dedítque gubernatores Præpoſitos, de quorum religione nihil dubitabatur. His ergo in locis Monachorum plebibus conſtitutis ipſe viciſſim omnibus intererat; Regulámque quam tenerent Spiritu-ſancto repletus condidit, in qua qualis & quantæ diſciplinæ vir ſanctus fuerit, prudens lector vel auditor agnoſcit. An. Chr. dc. xv. Nov. xxi. a

18. Eo itaque tempore quidam Frater, nomine Autiernus, pulſare cœpit ut peregrinandi in Hiberniam causâ perveniret. Cui Columbanus ait: Pergentes in eremum, voluntatem Dei probemus, utrùm deſideratum iter arripias, an in cœtu Fratrum permaneas. Pergentes ergo ſimul, tertium adoleſcentem nomine Somarium, qui adhuc ſuperis* junctus eſt, in comitatu ſumunt, & ad deſtinatum in eremo locum pervenerunt, unius tantùm panis cibo contenti. Cúmque jam duodecimus tranſiſſet dies, nec quidquam de panis fragmento remanſiſſet, horáque refectionis appropinquaret; imperantur à Patre ut per prærupta ruris eant, atque ad ima vallis perveniant, & quidquid ad cibum opportunè reperiant, deferant. Ovantes illi per concava vallis Moſellatenus advenerunt, capturámque piſcium olim à piſcatoribus conſertam & undis oppoſitam cernunt. Accedentéſque, quinque magnos reperiunt piſces, ſumentéſque tres, quia viverent, Patri præſentandos vehunt. At ille; Cur, inquit, non quinque detuliſtis? Reſpondent, mortuos reperiſſe duos, proinde reliquiſſe. Et ille ait: Nequaquam ex his comedetis, niſi quos dimiſiſtis venerint. At illi miraculo perculſi de providentia Divinæ gratiæ, pernici curſu repetunt, increpantúrque cur repertam mannam reliquiſſent, & ſic cibum parare jubentur. Nempe Spiritu-ſancto repletus, noverat ſibi à Domino paſſim dapes paratas. In ſolitudine piſces miraculosè recuperat.

* *Id eſt*, ſupereſt. *V. Notas ad Prolog. Vitæ.*

19. Aliâ quoque vice cùm in eadem ſolitudine moraretur, non tamen eo loco, jam quinquaginta dies tranſierant, unúſque tantùm è Fratribus cum eo erat Gallus nomine; cui ille imperat ut ad Bruſcam* eat, piſcéſque capiat. Ille abiit, ratémque duxit, ut ad Lignonem* amnem pergeret. Quò cùm perveniſſet, retéque in alveum jactâſſet; adſpexit tantam multitudinem advenire nec prorſus rete teneri; ſed velut in parietem impingerent, retrò reverti. Laboravit itaque per totam diem, neque unum capere quivit; reverſúſque Patri renuntiat de fruſtrato labore. Ille inobedientem increpat, cur non ad denuntiatum locum properâſſet. Aítque denuo: Vade citò, ad denuntiatum locum perge. Pervenit itaque, & rete undis oppoſuit, tantáque piſcium copiâ rete eſt impletum, ut vix præ multitudine trahi potuiſſet.

* *La riviere de Bruſch.*
* *Loignon.*

Nota obedientiæ meritum.

a Luxovienſe Monaſterium, vulgò *Luxeu*, ante viceſimum annum, quàm inde pelleretur Columbanus, conſtructum eſt, ut patet ex num. 38. Cùm ergo Columbanus anno dc. x. exſulare juſſus ſit, ſicut eo loci probabimus; anno d. xc. collocanda ſunt initia Luxovienſis Cœnobii, ex quo tamquam ex facto Religionis Monaſticæ ſeminario prodierunt viri complures ſanctitate & Eccleſiaſticis dignitatibus illuſtres. Illic diu viguit laus Divina, quam perennem ſeu perpetuam vocant, nimirum ab ipſo conditu ad Vuandalorum ſtragem Abbate Mileto ſeu Mellino perpetratam. Floret etiamnunc Regulę Benedictinæ præcipuo cultu, quem RR. PP. Congregat. S. Vitoni feliciter ibidem reſtituerunt.

AN. CHR. DC. XV. Nov. XXI.

20. Morabatur alia vice in ſupradicto ſcopuli ſinu, à quo urſum expulerat, diúque ibi oratione & jejunio corpus afflixerat. Cognovit autem per revelationem Fratres, qui penes Luxovium erant, diverſis morborum generibus vexari, nec ampliùs remanſiſſe quàm qui ægrotis miniſtrabant. Egreſſus itaque de ſpecu ad Luxovium venit: cúmque omnes afflictos cerneret, imperat ut omnes ſurgant, atque meſſem in area virgâ cædant. Surrexerunt ergo quorum conſcientiam obedientiæ ignis urebat: ad areámque venientes, virgâ meſſem cædere cum fidei gratia aggreſſi ſunt. Videns ergo Pater fidem in filiis & obedientiæ gratiâ abundare; Sinite, inquit, feſſa ægritudine membra à labore refici. Mirantur de ſoſpitate obedientes, nullo doloris veſtigio in eis remanente: menſáſque parare jubet, ut uberi gaudio omnes reficerentur. Increpantur deinde inobedientes, ignavia fidei arguitur, longitudo ægritudinis denuntiatur. Mira ultio! nam ſuprema jam anni parte tranſactâ inobedientes ægritudinis pœna ita vehementer excuſſit, ut vix mortem evaderent. Impleverunt menſuram pœnitentiæ de ſuſcepto inobedientiæ tempore.

Fratres obedientes febre liberat.

21. Interea tempus evenerat, ut copia ſegetum horreis conderentur; nec prorſus vis ventorum nubes compilare ceſſabat. Urgebat ſanè neceſſitas, ne maturæ meſſis ſpicæ in ſtipulam germine emiſſo perirent. Erátque vir Dei apud Fontanas Cœnobium, ubi & meſſium copiam novus ager locupletem dederat. Irruebant ventorum flabra cum vehementia imbrium, nec omnino nubila cæli dare terris pluviam quieſcebant. Quid ad hæc vir Dei ageret anxio corde penſabat: armavit mentem fides, docuit impetrare opportuna, accerſivítque omnes, ac ſegetem præcîdi jubet. Mirantur illi Patris imperium; nec tamen quiſquam Patri cogitatum depromit. Venerunt omnes falcibúſque inter diffuſionẽ imbrium ſecant ſegetem, Patrémque quid agat conſpiciunt. Ille quatuor plenos religione viros per quatuor angulos meſſis præponit, COMININUM & EUNOCUM ac EQUANACUM ex Scottorum genere, quartúmque GURGANUM genere Britonem. His ordinatis ipſe cum reliquis meſſem medius præcidebat. Mira virtus! fugiebat imber à ſegete, & undique pluvia diffundebatur; medios tantùm meſſores ſolis ardor torrebat, æſtúſque vehemens quouſque meſſem conderent afflavit. Sic fides & oratio meruit, ut pulsâ pluviâ æſtum inter imbres haberet.

Pluviam à meſſe propellit.

22. Erat eo tempore Dux quidam nomine WALDELENUS qui gentes quæ intra Alpium ſepta & Jurani ſaltûs arva incolunt regebat. Huic ſoboles nulla erat, ut Juvencus de Zacharia & Elizabeth ait,

Gratius ut donum jam deſperantibus eſſet.

Sterili filios à Deo impetrat.

Hic cum conjuge ſua FLAVIA nomine, & genere & prudentiâ nobili, ad B. Columbanum ex Veſontionenſi opido pergit, precantes ſimul ut pro eis Dominum deprecaretur. Dicunt ſe multis opibus eſſe ditatos, ſed cui hereditatem poſt obitum relinquerent, heredem non haberent. Quibus vir ſanctus; Si voti, inquit, veſtri eſt, ut Largitori donum conſecretis, mihíque ex lavacro ſuſcipiendum tradatis; pro vobis ego Domini clementiam implorabo, ut non ſolùm quem Domino voveatis habeatis, verumetiam quanta voluerits poſt pignora ſuſcipiatis. At illi promittunt ſe ejus imperiis læto animo parituros; tantùm pro ipſis Domini miſericordiam non deſinat implorare. Spondet vir Dei muneribus plenus ſe in promptu habere; tantùm ne pacti fœdus ſtudeant violare. Mirum dictu! vix domum remeant, dono Creatoris alvo gravida mater futura exſpectat. Editum mox ad ſanctum virum defert, & ſuis orationibus largitum munus demonſtrat: grates Conditori agit, qui ſic ad petitiones famulorum ſuorum quæſita dona largitur. Quem vir ſanctus manibus receptum ſacravit, ſacró-que lavacro ablutum ipſe ſuſcepit, DONATÍque* nomen imponit, matríque ad nutriendum reddit. Qui pòſt alitus in eodem Monaſterio, ſapientiâ imbutus, Veſontionis Pontifex effectus, nunc uſque ſupereſt eamdem Cathedram regens. Qui pòſt pro amore B. Columbani ex ipſius Regula Monaſterium virorum

* *Legendus Viram ſi-ſiæ.*

conſtruxit, quod PALATIUM [a] nuncupant ob veterum monimenta murorum. AN. CHR. DC. XV. Addidit poſt eum bonitatis Largitor famuli ſui promiſſum, alium filium RAMELENUM nomine, qui nobilitate & ſapientiâ pollens, poſt Patris obitum in ejus honore eſt ſuffectus, quamvis in ſęculari habitu, tamen in Creatoris amore pervigil. Nam & ipſe in amore beati viri in ſaltu Jurenſe ſuper Noviſanam fluviolum Monaſterium ex ejus Regula conſtruxit, in quo SIAGRIUM Abbatem prępfecit. Addidítque Dominus duas filias adhuc priſtino muneri, & in ſęculo nobiles, & in Chriſti timore perfectas. Poſtiſta munera mater ipſorum Flavia poſt maritio bitum Monaſterium Puellarum [b] in ſupradicta urbe Veſontione conſtruxit, omníque munimine roborans, multarum Puellarum concionem adunavit. Tantùm in eis viri Dei gratia flagravit, ut omnia phaleramenta prępſentis vitę contemnentes ad omnipotentis Dei cultum anhelarent. Nov. XXI. *a* *b*

23. Si verò aliqua inſerere nitimur quæ parva hominibus videantur, erit obtrectatórum latratibus patens Conditoris largitio, qui ęquè in minimis ut in magnis miſericorditer adſpirat: nec differt in modicis aurem pietatis accommodare, ſicut in maximis exaudit vota petentis. Quâdam etenim die cùm vir Dei egregius ad prępcidendam meſſem cum Fratribus penes Calmem quam Baniariam vocant, veniſſent, flantéque Auſtro falce ſegetem ſecarent, evenit ut unus eorum THEUDEGISILUS nomine digitum falce præcideret; nec prorſus hęreret pręter pellis parvo retentaculo. Itaque vir Dei Theudegiſilum alongè cernens ſtantem, imperat ut cum ſodalibus cœptum opus perficiat. At ille rei geſtę cauſam promit: celer ille ad ipſum properat, digitúmque illitum ſalivâ priſtinæ ſanitati ſtatim reddit. Imperat ut acceleret cœptum opus, vires augeat. Cœpit cum gaudio geminare laborem, & præ ceteris ad præcidendam ſtipulam uberiùs urgere; qui dudum de præciſo membro animum mœrori ſubdebat. Hæc nobis ipſe Theudegiſilus narravit, digitúmque monſtravit, & in ſupradicto Monaſterio Luxovio tale quiddam vice aliâ ſimile geſſit. Digitum abſciſſum reſtituit.

24. Nam quidam Preſbyter ex parrochianis, pater BABOLENI, qui nunc Bobienſi Cœnobio præeſt, WINNOCUS nomine, ad B. Columbanum venit: erátque ille in ſaltu cum Fratribus ob lignorum opportunitates parandas. Cúmque ſupradictus Winnocus veniſſet, miránſque adſpiceret, quanta vi truncum quercûs cuneis arietéque partirent, elapſus è trunco cuneus mediam frontem ſecavit, ac venarum profluas ſanguinis undas produxit. Vidénſque vir Dei Columbanus detecto oſſe ſanguinem fluentem, ſtatim in terram orans ruit, ſurgénſque ſalivâ illitum ita ſanum reddidit, ut vix cicatricis veſtigium remaneret. Vuinoci frontem ſauciam curat.

25. Alia quoque vice cùm ad cibum capiendum veniret B. Columbanus in ſępefato Cœnobio Luxovio, tegumenta manuum, quæ Galli wantos vócant, quos ad operis laborem ſolitus erat habere, ſupra lapidem qui ante fores Refectorii erat, depoſuit; móxque quiete redditâ corvus ales rapax advolavit, unúmque ex eis roſtro ferens abſtulit. Peractâ refectionis horâ, foras vir Dei egrediens, tegumenta manuum requirit: cúmque omnes inter ſe conquirerent quis abſtuliſſet, vir ſanctus ait: Nullum alium eſſe, qui ſine commeatu aliquid attingere præſumpſiſſet, niſi alitem qui à Noë dimiſſus ad Arcam non remeâſſet. Addidítque ſe nullo modo ſuos pullos aliturum; ſi furtum celeri volatu non referret. Exſpectantibus Fratribus in medio omnium corvus advolat, male ſublatum furtum roſtro reportat: nec ſe pennigerâ conatur eripere fugâ, ſed mitis ante omnium conſpectum, oblitus ferocitatis, ultionem exſpectat, quem vir ſanctus abire imperat. O mira æterni Judicis virtus! qui tanta ſuis famulis præſtat, ut Corvo imperat.

a Palatium, nunc Monaſterium S. Pauli Ord. S. Bened. à mœnibus civitatis Veſontionum Dubi flumine dirimitur.

b Illius Parthenonis Virginibus, ac præcipuè Flaviæ matri S. Donatus Regulam à ſe conſarcinatam nuncupavit. Puellare Cœnobium iſtud à B. Maria nomen habet, ac vicinæ portæ civitatis nomen dedit. Appellari quoque ſolet Juſſanum Monaſterium, quod poſtea Balmenſibus ſeu Cluniacenſibus Monachis traditum, tandem anno Chriſti M. DC. VII. PP. Minimis ceſſit. Lege Veſontionem Chiffletii parte 2. in Donato.

AN. CHR. DC. XV. Nov. XXI. non ſolùm hominum honoribus, ſed etiam avium obedientiâ clareſcant.

Cerviſiam imperio ſiſtit. 26. Patratum eſt aliud miraculum, quod per B. Columbanum & ejus Cellerarium factum fuit referam. Cùm hora refectionis appropinquaret, & miniſter Refectorii cerviſiam adminiſtrare conaretur (quæ ex frumenti vel hordei ſucco excoquitur, quámque præ ceteris in orbe terrarum gentibus præter Scoticas & Barbaras gentes quæ Oceanum incolunt uſitantur, id eſt Gallia, Britannia, Hibernia, Germania, ceteræque quæ ab eorum moribus non deſciſcunt) vas quod tybrum[a] nuncupant, miniſter ad cellarium deportat, & ante vas quo cerviſia condita erat apponit: tractóque ſerraculo meatum in tybrum currere ſinit. Quem ſubitò Patris imperio alius è Fratribus vocavit. At ille obedientiæ igne ardens, oblitus meatũ obſerare, pernici curſu ad beatum pergit virũ, ſerraculum quod duciculũ vocant, manu deferens. Poſtquam ſibi vir Dei quæ voluerat imperata deprompſit, recordatus negligentiæ, celer ad cellarium rediit, conjiciens nihil in vaſe de quo cerviſia decurrebat remanſiſſe. Intuitúſque ſupra tybrum cerviſiam creviſſe, & nec minimam ſtillam foris cecidiſſe, ut crederes in longitudinem tybrum geminatum eſſe; ut qualis & quanta rotunditas infra tybrum inerat coronæ, talis in altum creviſſet urna. Quantum fuit imperantis meritum! quanta obedientia ſubſequentis! ut ſic utriuſque triſtitiam Dominus voluiſſet avertere; ne ſi Fratrum ſubſtantiam, & imperantis & obedientis ardor diminuiſſet, ambo ſe à licitis alimentis abdicâſſent. Sícque æquus Arbiter occurrit, ut utrorumque culpas ablueret, quas illi ſi caſu eveniente & Domino permittente fuiſſet patratum, ambo ſuis noxis eveniſſe aſſeruiſſent.

[a] Surius Typrum, Anonymus ſcribit Gillonem, quo nomine ampulla vitrea vel figulina ſignificatur.

Urſo imperat. 27. Eodémque tempore actum eſt, ut per denſa ſaltûs viburna fruticum, ſolitudinis amator[b] vir Dei ambularet; reperítque cadaver cervi, quem luporum feritas peremerat, urſum devorare velle, cujus ſanguinem lambens, antequam exiguam carnis partem voraviſſet, ad eum vir Dei acceſſit, imperans ne corium quod ad uſus calceamentorum neceſſarium erat lęderet. Tunc beſtia oblita ferocitatis, mitis eſſe cœpit: & contra naturam abſque murmure blandiens, atque colla ſubmittens cadaver reliquit. Quod vir Dei ad Fratres rediens indicavit, jubens ut irent, & ex cervi cadavere corium avellerent. Abeuntes ergo Fratres repererunt cadaver, viderúntque rapacium alitum procul multitudinem adeſſe, nec cadaver ſupra viri Dei interdictum contingere audere. Diúque exſpectantes alongè, ſi vel fera vel avis audaci conatu prohibitæ eſcæ urgeretur prædam capere, conſpiciunt ad odorem cadaveris adventare, & procul adſtantes ac ſi mortiferum aliquid ac letale deviare, & celeri fugâ omittere.

[b] Apud Surium verba hæc inſeruntur, *quæ propter Fredemungiacas calmen ſeu Calmen erat, vir Dei, &c.*

Annonam multiplicat. 28. Moránſque alia vice penes Luxovium Columbanus, WINNOCUS Preſbyter, cujus ſuperiùs mentionem fecimus, venit ad eum, ſequebatúrque Winnocus Columbani veſtigia quocumque iret. Venerúntque ad horreum quo frumenta condebantur. Adſpiciens Winnocus, & parvipendens copiæ exiguitatem, aiebat ſe non habere panis abundantiam, unde tanta multitudo aleretur: cúrque ſegnitiâ torpeat quærendi frumenta increpat. Cui B. Columbanus reſpondit: Si ritè Conditori ſuo deſerviant plebes, numquam eſuriem ſentient, ſic enim vox pręconantis Pſalmographi concelebrat: *Pſal. 36.* *Non vidi juſtum derelictum, nec ſemen ejus quærens panem.* Perfacilè farre horreum replet, qui de quinque panibus hominum quinque millia ſatiavit. Manente denique nocte illa ibi Winnoco, viri Dei fide & oratione horreum repletum eſt. Manéque conſurgens Winnocus, & juxta horreum tranſiens, inopinatè horreum apertum cernit, clavigerúmque ſimul ante oſtium adſtantem ſciſcitatur quis hoc direxerit, aut quæ plauſtrorum congeries hæc frumenta devexerit. Cui horrei cuſtos ait: Non ita eſt ut putas, nam cerne ſi veſtigia plauſtrorum vel jumentorum telluri impreſſa pareant? nequaquam enim claves à me hac nocte diſceſſerunt; ſed obſerato hor-

rei oſtio

rei oſtio, Divino ſolamine frumento repletum eſt horreum. Cœpit de induſtria ille intentis oculis in terram reſpicere, & deferentium veſtigia diligenti examinatione cognoſcere. Cúmque nihil horum ſimile quid reperiſſet, ait: Potens eſt Dominus ſervis ſuis parare menſam in deſerto. Trajecto exin temporis intervallo venit iſdem Columbanus ad Fontanas Cœnobium, reperítque Fratres ſexaginta ſarculo terram excolere, & ſemini futuro confectis glebis arva parare. Cúmque vidiſſet eos magno labore glebas ſcindere, ait: Sit vobis, ô Fratres à Domino collata refectio. Quo audito, miniſter ait: Pater crede mihi, non ſunt nobis ampliùs quàm duo panes, & paullulùm cerviſiæ. Ille, Vade, inquit, & defer huc. Concito ille gradu perrexit, duóſque panes & parum cerviſiæ detulit. Intuēs in cælos Columbanus ait: Chriſte Jesu unica ſpes orbis, tu hos panes & hunc potum multiplica, qui de quinque panibus quinque millia hominum ſatiaſti in eremo. Mira fides! ſatiati ſunt omnes, potúque hauſto prout voluntas cuique fuit, dupla miniſter fragminum ſpolia revexit, potúſque duplicavit menſuram; ſícque intellexit plus mereri fidem digna divini muneris lucra, quàm deſperationem quæ ſolet diminuere etiam collata.

An. Chr. nc. xv. Nov. xxi.

29. Cùm quodam tempore in eodē Cœnobio Luxovio vir Dei commoraretur, accidit ut unus è Fratribus nomine & ipſe Columbanus febre correptus, atque in extremis poſitus felicem præſtolabatur exitum. Cúmque jam ultimo halitu carere vellet, fidus de cæleſti munere quod longo famulatu quęſierat, vidit ad ſe virum fulva luce amictum accedere, ſibíque dicere: Non te modò à corpore ducere poſſum, quia orationibus & lacrymis Patris tui Columbani prępedior. Cúmque hæc Columbanus audîſſet, mærens acſi è ſomno evigilâſſet, ſuum miniſtrum Theudegesilum cujus ſuperiùs* mentionem fecimus, clamare cœpit: Feſtinè, inquit, perge, Patrem communem Columbanum ad me venire compelle. Concito ille gradu venit, ac B. Columbanum in Eccleſia poſitum flentem reperit, poſtulat ut ad ægrotum feſtinus accedat. Venit ergo perniciter, & quid vellet interrogavit. At ille cauſam objicit: Cur me, inquit, tuis orationibus in hac ęrumnoſa vita detines? nam adſunt qui me ducere volunt, ſi tuis fletibus, & precibus non prępedirentur. Retentationis quæſo ſolve obſtacula, ut mihi jam pateant cęleſtia regna. Tum metu Columbanus percuſſus, ſigno tacto omnes adeſſe imperavit, ſancti ſodalis amiſſionem gaudio temperavit; Corpus Chriſti abeunti de hac vita Viaticum præbuit, & poſt extrema oſcula defunctionis cantus implevit[a]. Erat enim ex eodem genere, quo & B. Columbanus, unóque comitatu & nomine ex Hibernia proceſſerant.

Mortem Monachi impedit.

* *Num.* 22.

a

30. Nec mireris cur ſic beſtiæ ac volucres viri Dei parerent imperio. Nam Chamnoaldo Lugduno Clavato Pontifice, qui ejus & miniſter & diſcipulus fuit, cognovimus referente, qui ſe teſtabatur ſæpe vidiſſe, cùm in eremo vel jejunio vel orationi vacans deambularet, ſæpe ſolitum feras, beſtias ac aves accerſire, quæ ad imperium ejus ſtatim veniebant, quas manu blandiens attrectabat: ita feræ avéſque gaudentes ac ludentes lætitia uberi, velut catuli ſolent dominis exſultare, exſultabant. Feruſculam, quam vulgò homines Squirium* vocant, ſæpe de arduis arborum culminibus accerſitam, manúque perceptam, ſuo collo impoſitam ſinúmque ingredientem ac exeuntem ſæpe vidiſſe ſupradictus vir teſtabatur.

Feras ciurres habet.

* *Vn Eſcurieux.*

31. Creverat jam paſſim fama ſancti viri in univerſas Galliæ vel Germaniæ provincias, erátque omnium cultu venerabilis, rumore laudabilis, intantum ut Theodericus Rex qui eo in tempore regnabat, ad eum ſæpe veniret, & orationum ejus ſuffragium omni cum humilitate depoſceret. Sigebertus etenim, cujus ſuperiùs mentionem fecimus, apud Victoriacum* villam publicam, quæ in ſuburbano Attrebatenſis urbis ſita eſt, Hilperici germani ſui dolo, qui apud Tornacum opidum tunc erat, quem Sigebertus uſque ad mortem perſequebatur, interfectus eſt. Perempto itaque Sigeberto, Hildebertus filius ejus Re-

Theodericum objurgat.

* *Vitry.*

a Iſte Columbanus Monachus in Martyrol. Bened. x. Kal. Decemb. memoratur.

An. Chr. dc. xv. Nov. xxi. gni ſceptra ſuſcepit, annuente matre Brunechilde. Mortuo deinde Hildeberto intra adoleſcentiæ annos, regnaverunt filij Hildeberti duo Theodebertus & Theodericus cum avia Brunechilde. Regno Burgundionum Theodericus potitus eſt, & Regnum Auſtraſiorum Theodebertus ſuſcepit regendum. Theodericus ergo quia in termino regni ſui B. Columbanum haberet, gratulabatur. Ad quem cùm ſæpiſſime veniret, cœpit vir Dei eum increpare, cur concubinarum adulteriis miſceretur, & non potiùs legitimæ conjugis ſolamine frueretur; ut Regalis proles ex honorabili Regina[a] prodiret, & non potiùs ex lupanaribus videretur emergi. Cúmque jam ad viri Dei imperium Regis ſermo obtemperaret, & ſe ab omnibus illicitis ſegregare reſponderet, mentem Brunechildis aviæ, ſecundæ ut erat Jezabelis, antiquus anguis adiit; eámque contra virum Dei ſtimulatam ſuperbiæ aculeo excitat, quia cerneret viro Dei Theodericum obedire. Verebatur enim ne ſi abjectis concubinis Reginam aulæ præfeciſſet, dignitatis atque honoris ſui modum amputâſſet.

Ejus filios benedicere recuſat. 32. Evenit ergo ut quadam die B. Columbanus ad Brunechildem veniret. Erat enim tunc apud Brocariacam villam. Cúmque illa eum in aulam veniſſe cerneret, filios Theoderici, quos de adulterinis permixtionibus habebat, ad virum Dei adducit: quos cùm vidiſſet, ſciſcitatur quid ſibi vellent. Cui Brunechildis ait: Regis ſunt filij, hos tu benedictione robora. At ille, Nequaquã, inquit, iſtos regalia ſceptra ſuſcepturos ſcias, quia de lupanaribus emerſerunt. Illa furens parvulos abire jubet. Egrediens ergo vir Dei regiam aulam, dum limitẽ tranſiliret, fragor exortus totam domum quatiens omnibus terrorem incuſſit, nec tamen miſeræ feminæ furorem compeſcuit. Parátq; deinde inſidias moliri vicinis Monaſteriis, & per nuntios imperat, ut nulli eorum extra Monaſterii terminos iter pantlatur, neque receptacula Monachis ejus, vel quælibet ſubſidia tribuãtur. Cernens B. Columbanus Regios animos adverſum ſe permutatos, ad eos properat ut ſuis monitis miſeræ pertinaciæ intentum frangat. Erat enim tunc temporis apud Spiſſiam villam publicam: quò cùm ſole jam occumbente veniſſet, Regi nuntiant virum Dei inibi eſſe, nec in Regiis domibus intrare velle. Tunc Theodericus ait: Melius eſſe virum Dei opportunis ſubſidiis honorare, quàm Dominum ex ſervorum ejus offenſa ad iracundiam provocare. Jubet ergo Regio cultu opportuna parare, Deíque famulo dirigi. Itaque venerunt, & juxta imperium Regis oblata offerunt. Qui cùm vidiſſet dapes & pocula cultu Regio adminiſtrata, inquirit quid ſibi iſta vellent. Aiunt illi, Tibi ſcias à Rege fore* directa. Abominatus ea, ait: Scriptum eſt: *Munera impiorum reprobat Altiſſimus*; non enim dignum eſt, ut famulorum Dei ora cibis ejus polluantur, qui non ſolùm ſuis, verumetiam aliorum habitaculis famulis Dei aditum denegat. His dictis vaſcula omnia in fruſta dirupta ſunt, vináque ac ſicera ſolo diffuſa, ceteráque ſeparatim diſperſa. Pavefacti miniſtri rei geſtæ cauſam Regi nuntiant. Ille pavore perculſus cum avia diluculo ad virum Dei properat, precantur de commiſſo veniam, ſe poſtmodum emendare pollicentur. His placatus promiſſis, ad Monaſterium rediit. Sed polliciti vadimonii juramenta non diu ſervata violantur. Exercentur miſeriarum incrementa, ſolitáque à Rege adulteria patrantur. Quo audito Columbanus litteras ad eum verberibus plenas direxit, comminatúrque excommunicationem, ſi emendare dilatando non vellet.

Regios cibos rejicit.

* eſſe.

Eccl. 34.

33. Ad hæc rurſum permota Brunechildis, Regis animum adverſus Columbanum excitat, omníque conatu intendit perturbare, hortatúrque Proceres, Aulicos & Optimates omnes, ut Regis animum contra virum Dei perturbarent, Epiſcopóſque ſollicitare aggreſſa eſt, ut ejus Religionem detrahendo, & ſtatum Regulæ quem ſuis cuſtodiendum Monachis indiderat, macularent. Obtemperantes igitur Aulici perſuaſionibus miſeræ Reginæ, Regis animum

[a] Si Fredegario in cap. 30. fides eſt, Theodericus anno Regni ſui XII. Emengardam Betterici Hiſpaniæ Regis filiam uxorem duxit, & poſt annum ſuaſu Brunechildis turpiter ad patrem remiſit.

contra virum Dei perturbant, cogentes ut aut cederet, aut Religionem probaret. Coactus itaque Rex ad virum Dei Luxovium venit; conqueſtúſque eſt cum eo, cur à comprovincialium moribus deſciſceret, & intra ſepta ſecretiora omnibus Chriſtianis aditus non pateret*. Beatus itaque Columbanus, ut erat audax atque animo vigens, talia objicienti Regi reſpondit, ſe conſuetudinem non habere, ut ſæcularibus hominibus & à religione alienis famulorũ Dei habitationis pandat introitum: ſed opportuna aptáque loca ad hoc habere parata, quo omnium hoſpitum adventus ſuſcipiatur. Ad hæc Rex: Si, inquit, largitatis noſtræ munera & ſolaminis ſupplementum capere cupis, omnibus in locis omnium patebit introitus. Vir Dei reſpondit: Si ſicut nuncuſque ſub regularis diſciplinæ habenis conſtrictum fuit, violare conaris; nec tuis muneribus, nec quibuſcumque ſubſidiis me fore à te ſcias ſuſtentandum. Et ſi ob hanc cauſam hoc in loco veniſti ut Servorum Dei Cœnobia deſtruas, & regularem diſciplinam macules, citò noveris tuum regnum funditus ruiturum, & cum omni propagine regia demergendum. Quod poſtea rei probavit eventus. Jam enim temerario conatu Rex Refectorium ingreſſus fuerat. His ergo territus dictis, foras celerrimè repedat. Duris, poſthæc viri Dei increpationibus Rex urgebatur. Contra quæ Theodericus ait: Martyrii coronam me tibi illaturum ſperas: non eſſe me tantæ dementiæ ſcias, ut hoc tantum perpetrem ſcelus; ſed potioris conſilii tibi ſcias utilia paraturum, ut qui ab omnium ſæcularium more deſciſcis, quâ veneras, eâ viâ repedare ſtudeas. Aulicorum ſimul conſona voce vota prorumpunt, ſe habere non velle his in locis, qui omnibus non ſocietur. Ad hæc Columbanus ſe dicit Cœnobii ſepta non egreſſurum, niſi violenter abſtrahatur.

An. Chr. dc. xv. Nov. xxi.

* *Confer Vitam S. Agili Abb. num. 6. & 7. infrà.*

34. Diſceſſit ergo Rex relinquens virum quemdam Procerem nomine Baudulfum. Is enim cùm remanſiſſet, virum Dei à Monaſterio pellere, & penes Veſontionenſe opidum ad exſulandum perducit, quoaduſque regalis ſententia, quod voluiſſet decerneret. Commorans ergo inibi audivit carcerem eo in loco plenum eſſe damnatorum hominum mortis pœnam exſpectantium. Ad quem vir Dei properat: ingreſſúſque oſtium, nullo obſtante, verbum Dei damnatis depromit: ſpondéntque illi ſe ſi liberarentur emendaturos, & de commiſſa noxa pœnitentiam acturos. Beatus itaque Columbanus poſt hæc miniſtro domûs, cujus ſuperiùs fecimus mentionem*, imperat ut manu ferrum quo compedes irretiti erant atque innexi, apprehendat ac trahat. Quod cùm ille apprehenſum traheret, veluti frutex putrefacta per partes comminuitur; egredi carcerem damnatos ſolutis compedibus jubet, peractóque Evangelici cultûs officio pedes lavit, linteóque abſterſit. Imperat deinde ut Eccleſiam petant & commiſſi ſceleris pœnitentiam agant, ac fletibus abluendo culpas lavent. Properantes ergo illi Eccleſiæ fores obſeratas reperiunt. Tribunus ergo militum cùm vidiſſet virtute Dei per B. Columbanum damnatorum compedes fractas, & vacuum ſibi tantummodò relinqui ergaſtulum; inſequi calces damnatorum, acſi ex ſomno excitatus cum militibus cœpit. Illi verò poſt tergum appropinquare ſatellites videntes, & fores Eccleſiæ obſeratas cernentes, geminâ vallati anguſtiâ, virum Dei compellant ut eruantur. Anxio ille anhelitu ſurſum caput attollit, precatúrque Dominum ut ſua virtute ereptos è ferro, non ſinat denuò tradi ſatellitum nexui. Nec morata Auctoris bonitas fores firmis obſeratas clauſtris reſerat, in anguſtia poſitis aditum pandit, pernicíque curſu ingrediuntur Eccleſiam: fores verò poſt damnatorum introitum in oculis militum abſque humana manu obſerantur, acſi cuſtos uſu clavigero perniciter & reſerâſſet & obſerâſſet. Perveniens ergo Columbanus cum ſuis ſimúlque & Tribunus cum militibus, fores obſeratas reperiunt, Aspasiúmque nomine cuſtodem quærunt, ut claves largiatur. Quò cùm veniſſet claviger, oſtii fores reſerare volens, ait ſe numquam diligentiùs obſerata clauſtra inveniſſe. Nec quiſquam pòſt auſus eſt damnatis injuriam inferre, quos divina virtus eruiſſet.

Veſontionem relegatur.

Reos è carcere & Tribuni manibus liberat.

* *Num. 16.*

AN. CHR. DC. XV. Nov. XXI. 35. Poſt hæc vir Dei cernens quòd nullis cuſtodiis angeretur, à nullóque moleſtia ſibi inferretur, (videbant enim omnes in eo Dei virtutem flagrare, ideóque omnes ab ejus injurijs ſegregabantur, ne ſocij culparum forent) adſcendit Dominicâ die in verticem arduum ad cacumen montis illius, (ita enim ſitus urbis habetur, cùm domorum denſitas in diffuſo latere proclivi montis ſita ſit, prorumpant ardua in ſublimibus cacumina, quæ undique abſciſſi fluminis Douæ* alveo vallante nullatenus commeantibus viam pandit) ibíque uſque ad medium diem exſpectat, ſi aliquis iter ad Monaſterium revertendi prohiheat. Et cùm nullus contrarius exſiſteret, ipſe per mediam urbem cum ſuis ad Monaſterium regreditur. Quo audito Brunechildis ac Theodericus, quòd ſcilicet ab exſilio revertiſſet, acrioribus iræ aculeis ſtimulantur, jubéntque militum cohortem, ut rurſum virum Dei vi abſtrahant, & ad priſtinum revocent prorſus exſilium. Venientes ergo milites cum Tribuno peragrantur ſepta Monaſterii, virum Dei perquirunt. Reſidebat enim ille in atrio Eccleſiæ, librúmque legebat: ubi cùm ſæpè veniſſent, & prope eum tranſirent, itaut nonnulli in eum pedibus ſuis offenderent, & veſtimentis ſuis ejus veſtimenta tangerent, obcæcatis luminibus ipſum nequaquam videbant. Erátque ſpectaculum pulcherrimum: ille ovans cernebat, quærebatur, nec omninò inveniebatur; illum in medio eorum poſitum cùm videret non videbant. Venítque Tribunus, intuitúſque per feneſtram, vidit virum Dei inter ipſos lætum reſidere, & legere. Cernénſque virtutem Dei, ait: Quid tantùm intrantes atria Eccleſiæ peragratis, nec omnino reperitis? nequaquam ampliùs inſaniæ errore cor veſtrum decipiatur · non enim poteritis vos invenire, quem virtus tegit Divina. Recedite ab hac intentione, & Regi properemus nuntiare, quia eum minimè reperiſtis. Datúrque manifeſtè intelligi Tribunum militum non ſponte ad faciendam viro Dei injuriam veniſſe, & ideo ad eum videndum lumen habere meruiſſe.

* *Le Doux.*

A Regis Satellitibus iterum diſcedere cogitur. 36. Renuntiantibus illis auribus Regiis, ille aucto furore miſeræ intentionis; BERTARIUM Comitem ad eum attentiùs perquirendum virorum cum præſidio, ſimúlque & Baudulfum quem ſuperiùs direxerat deſtinavit. Qui cùm veniſſent, B. Columbanum in Eccleſia poſitum cum pſallentium choro, atque orationi deditum cum omni congregatione Fratrum reperiunt, ſícque virum Dei alloquuntur: Vir Dei, precamur ut tam Regiis quàm etiam noſtris obedias præceptis: egreſſúſque pergas eo itinere quo primùm his adventaſti in locis. At ille; Non enim, inquit, reor placere Conditori, ſemel natali ſolo ob Chriſti timorem relicto, denuò repetere. Cúmque nullatenus cernerent ſibi virum Dei obaudire, relictis quibuſdam quibus ferocitas animi inerat, Bertarius abſceſſit. Hi verò qui remanſerant, virum Dei hortantur ut illis miſereatur, qui ad tale opus patrandum infideliter fuerant relicti, eorúmque periculo conſuleret: qui ſi eum violenter non abſtraherent, mortis periculum incurrerent. At ille ut jam ſæpiùs teſtatus eſt, niſi vi abſtraheretur ſe non diſceſſurum ait. Illi gemino vallati periculo, undique urgente formidine, pallium quo indutus erat attingunt, alii genibus provoluti cum lacrymis precantur, ut tanti ſceleris culpa illis ignoſceretur, qui non ſuis deſideriis, ſed regiis obtemperarent præceptis.

Loco cedit Fratribus ejulantibus. 37. Videns ergo vir Dei periculum aliorum fore ſi in ſua ſententia perduraret, cum omni ejulatu atque mærore egreditur, deputatis cuſtodibus, qui quouſque ditionis regno pelleretur, non eum relinquerent. Inter quos RAGAMUNDUS erat primus, qui eum Namnetis uſque perduxit, univerſis Fratribus velut funus ſubſequentibus: nam mæror omnium corda repleverat. Anxius Pater tantorum membrorum diſpendio, cælos reſpicit: Æterne, inquit, Conditor rerum, tu nobis præpara cibum opportunum, quo tibi tuæ famulentur in Eccleſia plebes. Conſolatur deinde univerſam cohortem, ſimul ut ſpem in Deum ponant, & omnipotenti Deo immenſas laudes rependant: ſe hoc non ob diſpendium ſuum vel ſuorum habere, ſed ob multiplicandas Monachorum plebes hanc eſſe datam occaſionem. Quicumque enim ſequi vellent promptiſſimo animo ad ſu-

ſtinendas ſecum injurias, venirent; qui verò in ſupradicto Cœnobio remanere voluerint, ſecuri in hoc loco remanerent, ſcientes citò Dominum de eorum mærore ultionem daturum. Sed cùm æquo animo de cuſtodia Paſtoris ſegregari non vellent, cuſtodes Regii inquiunt nequaquam hunc ſequi alios permiſſuros, niſi quos ſui ortûs terra dederat, vel qui è Britannico arvo ipſum ſecuti fuerant; ceteros, qui alio eſſent orti ſolo, præceptis regiis ibi eſſe remanſuros. Hoc cùm egregius Pater cerneret vi à ſe ſua membra diſcerpi, tam ſuus quàm etiam membrorum ſuorum dolor multiplicatur: pro tanti ſceleris pondere Dominum conſolatorem omnium deprecatur, ut quos à ſe regia pertinacia ſegregabat, ipſe ſuâ cuſtodiâ tueretur. Inter quos Venerabilis vir, qui pòſt in eodem Monaſterio Pater exſtitit EUSTASIUS, diſcipulus & miniſter ſancti viri, violenter avellitur; intendente ſuper eum MIETIO avunculo ejus, qui Lingonicæ Eccleſiæ Pontifex erat. AN CHR. DC. XV. Nov. XXI.

38. Egreſſus ergo vir ſanctus cum ſuis viceſimo anno[a] poſt incolatum eremi illius per urbem Veſontionum Auguſtoduno uſque ad Cavalonem[b] caſtrum pervenit. Sed priuſquam ad Cavalonem perveniſſet, in viam cuſtos equorum Theoderici occurrit, lanceáque virum Dei trajicere voluit, ſed malivolam animam ultio mox Divina prævenit. Nam dexterâ quam adverſum virum Dei levaverat corruente lanceam ante ſuos pedes humi defixit, ipſe dæmone correptus ante veſtigia viri Dei ruit. Quem cernens ille ſe coram ultione percuſſum, die illâ noctéque penes ſe tenuit. Cúmque ſequens rurſum dies illuxit, ad ſe accerſivit, Deóque favente curatus à peſte ad propria remeavit. *a b* Hominem ſibi injuriũ à dæmone correptum liberat.

39. Deinde ad Choram[c] fluviũ properans, ad domum cujuſdam nobilis & religioſæ feminæ THEODEMANDÆ pervenit: quò cùm eſſet, duodecim occurrũt viri pleni rabido dæmone, furentes atque ruentes in terrã, quos vir Dei protinus oratione curavit. Eadémque die ad vicum quem Choram vocant venerunt, ibíque quinque phreneſi vexati obviàm venerunt, ubi & mox ſanati ſunt. Exin Autiſſiodorum properavit, ibíque RAGAMUNDUM allocutus eſt, quia ipſe eum viâ quâ ibat duceret: Memento, inquit, ô Ragamunde, Chlotharium, quem nunc ſpernitis, intra triennium dominum habebitis. At ille: Cur, inquit, talia domine mi ais. Illéque: Videbitis prorſus quæ dixi, ſi tunc vitam cum ſuperis feras. *c* Item energumenos 12.

40. Progreſſus exin ab Autiſſiodoro, conſpicit juvenem à dæmone correptum pernici ex adverſo currere curſu, viginti enim millibus totis viribus cucurrerat. Quo viſo ſubſtitit, quouſque ſaucius homo dæmonis arte veniret, veniénſque ante pedes viri Dei ruit, quem ſtatim orationibus curavit, patentérque ſoſpitem reddidit. Deinde ad Nivernis opidum venit, cuſtodibus antecedentibus & ſubſequentibus, ut Ligeris ſcaphâ reciperetur, Britannicóque ſinui redderetur. Ubi etiam cùm veniſſent, & lento conamine ſcapham inſilirent, unus de cuſtodibus arrepto remo unum eorum, qui Lita dicebatur, percuſſit, virum ſanctiſſimum & omni religioni deditum. Quod vir Dei intuens, ſua coram ſe membra cædi: Cur, inquit, crudelis addis mihi mærorem? an non ſufficit ad veſtram In reliquo itinere varia miracula patrat.

a Qui Columbani adventum in Galliam ante annum D. LXX collocant Auctores recentiores, hos viginti annos computant, non ab ingreſſu Columbani in Voſagi ſolitudinem, in qua diutiùs eum perſtitiſſe aſſerunt, ſed à primo conditu Monaſterii Luxovienſis, quem anno Chriſti D. XC. illigant, quum priùs Anagratenſe & Fontanenſe Cœnobia ædificâſſet Columbanus. Verùm Jonas diſertè loquitur hoc in loco de Columbani mora in Voſagi eremo, ad quam Anagrates & Fontanæ æquè ac Luxovium pertinebant. Acceſſit ergo Columbanus in Galliam paullò ante annum D. XC. & locis nonnullis brevi perluſtratis ſedem fixit in Voſagi ſolitudine, ubi tria hæc Cœnobia conſtruxit. Deinde è Burgundia ejectus eſt anno poſt eremi illius incolatum viceſimo, Chriſti DC. X. Nam ex num. ſeq. & num. 43. conſtat, triennio pòſt Theodeberto & Theoderico occiſis Monarchiam ceſſiſſe Chlothario, quod anno DC. XIII. accidit. Certè eodem fere tempore, quo in Britanniam Auguſtinus à B. Gregorio miſſus eſt, Columbanum in Galliam acceſſiſſe, colligitur ex Epiſtola Laurentii Doroberneníis Epiſc. & aliorum apud Bedam in lib. 2. H ſt. cap. 4. in hæc verba: *Columbanum Abbatem in Gallis venientem nihil diſcrepare à Britonibus in eorum converſatione didicimus.*

b Anonymus ſcribit, Avallonem, quod eſt Burgundiæ opidum inter Auguſtodunum & Autiſſiodorum.

c Petrus Franc. Chiffletius in Probat. Hiſt. Trenorcienſis pag. 163. legit Icaunum Burgundiæ fluvium, vulgò *l'Yonne*; Choram verò vicum de quo paullo pòſt, interpretatur Crepantium, *Crevant*, quod eſt opidum ad Icaunam. Et tamen Jonas ſcripſit Choram fluvium, rectiùs amnem, qui in Icaunam influit.

AN. CHR. DC XV. NOV. XXI. ruinam patrati ſceleris malum? cur contra mitem immitis appares? cur feſſa Chriſti membra cædis? cur ſævitiam in manſuetis prætendis? memento te à Divinitate ultionem in hoc loco recepturum, in quo Chriſti membra furens percuſſiſti. Probavit illatæ ſententiæ pœnam ultio mox ſubſecuta: nam ut ſubſequenti vice rediens, ad eumdem portum tranſiturus venit, divinitus percuſſus in eodem loco eſt demerſus. Quid enim fuerat ut juſtus Arbiter eamdem ultionem inpoſtmodum dilatâſſet, niſi ut tunc Sancti obtutus de ejus vindicta non macularentur?

Aurelix, 41. Indéque ad Aurelianenſem urbem venerunt: quò cùm nec aditum Eccleſiarum ſibi ex Regis præceptis pandi videret, cum grandi mærore ſuper ripam Ligeris tentoriis contentus paulliſper quieſcit. Cúmque jam ſumptuum neceſſaria indigerent, duos in urbem direxit ut neceſſaria quærerent, quorum unus erat POTENTINUS nomine qui adhuc ſupereſt, & Armoricana in loca in ſuburbio Conſtantiæ urbis Monachorum cohortem adunavit. Cúmque luſtrantes urbem nihil reperiſſent (quia regio timore aut vendere aut dare nihil audebant) viâ quâ urbem intraverant repedabant, obviámque habent mulierem in platea ex genere Syrorum. Quos cùm vidiſſet, ſciſcitata eſt quinam eſſent. Illi veritate rei digeſtâ, aiunt ſe neceſſaria quæſiſſe, nec prorſus inveniſſe. Illa infit: Accedite domini mei ad domum famulæ veſtræ, & quæ ſunt neceſſaria vobiſcum vehite. Nam & ego advena ſum ex longinquo Orientis ſolo. Illi ovantes eam ſunt ex calce ſecuti, venerunt ad domum ejus, & ſellâ ſuppoſitâ quieverunt; donec tulit quod ab eis quæſitum eſſet. Erat ſimul in conſeſſu vir ejus, olim jam luminibus orbatus, de quo ſciſcitati ſunt quis eſſet. Et illa inquit: Vir meus ex eodem genere Syrorum ſicut & ego, quem per multorum curricula annorum luminibus privatum traho. Illi inquiunt: Si Chriſti famuli Columbæ obtutibus præſentetur, ſuarum interventu orationum lumen poſſe recipere. At illi promiſſi muneris fidem exhibens mentẽ roborat, ſurgénſque proſecutus eſt eorum cum duce veſtigia. Narraverunt ergo hoſpitalitatis munus in peregrinis: nec prorſus verba impleverant, & cæcus adſtabat, precatúrque Dei virum ut ſuis orationibus ei lumen reſtituat. Videns ille fidem ejus, omnes popoſcit ut pro cæco orarent, pronúſque diu ſuper humum jacuit, ſurgénſque manu oculos attigit, & poſt Crucis ſignum poſtulatum lumen recepit. Gaudet ille recuperato lumine, ut videlicet qui interius lumen in hoſpites habere non omiſerat, exteriori non careret. Sícque exinde turba obſeſſorum quos dæmones horrendo furore torquebant, ad virum Dei curandi gratiâ properant; datúrque ſalus largita à Domino: omnes enim ibi à viro Dei curati ſunt. His virtutibus populus urbis permotus, virum Dei ſuis honoribus latenter fulciebat: non enim patulè propter cuſtodes quidquam præbere audebant, ne Regis iram incurrerent. Deinde arreptum iter peragunt.

Turonibus, 42. Navigantes ergo per Ligerim ad Turonenſem perveniunt urbem, ubi vir ſanctus cuſtodes precatur, ut ſcapham ponto appropinquent, ſéque ad ſepulcrum B. Martini ire ſinant. Quod abnuentes cuſtodes, navigare veloci conatu compellunt, remigeros urgent ut omni virtute curſu celeri portum tranſeant, gubernatori imperant ut medio fluminis alveo ſcapham teneat. Quod videns B. Columbanus, mæſtos vultus ad cælum erigit, compellans ſe tantæ mæſtitiæ ſubdi, ut nec Sanctorum ſepulcra viſere permitteretur. Urgentibus ergo omnibus, mox ut contra portum ventum eſt, velut quibuſdam anchoris defixa ſcapha ſtare cœpit, & ad portum caput dirigere. Quod cùm cuſtodes obſtare non valerent, inviti ſcapham quò velit ire ſinunt. Mirum in modum medio è fluviolo ad portum pennigero ceu volatu pervenit, portúque recepto viro Dei viam pandit. Ille verò gratias Regi offert æterno, qui ſuis ſic obtemperare non dedignatur ſervis. Egreſſus ſanè ad ſepulcrum B. Martini accedit: & tota ibi nocte in oratione excubat. Illuceſcente verò die à LEOPARIO illius urbis Epiſcopo invitatur ad eſum: ire non abnuit, præſertim ob ſuorum requiem Fratrum; moratúſque

eſt eo die cum ſupradicto Pontifice. Qui cùm horâ refectionis cum eo ad menſam reſideret, interrogatus cur ad patriam repedaret, reſpondit: Canis me Theodericus meis à Fratribus abegit. AN. CHR. DC. XV. Nov. XXI.

43. Tunc unus è convivis CHRODOUALDUS nomine, qui amitam Theodeberti Regis in conjugium habebat, Regi tamen Theoderico fidelis erat, viro Dei humili voce reſpondit: ſi melius eſſet lacte potari, quàm abſynthio? Cui vir Dei: Cognoſco, ait, te Regis Theoderici fœderis jura ſervare velle. At ille fatetur ſe fœdus fidei promiſiſſe, & quandiu valeret, obſervaret. Si Regis, inquit, Theoderici junctus es fœderi, amico tuo & domino lætus eris à me Legatus directus. Hæc ergo auribus ejus infer, & ipſum & ſuos liberos intra triennij eſſe circulum delendos, radicitúſque ſtirpem ejus Dominum eradicaturum. Cur, inquit, ſupradictus vir, talia famule Dei promis? At ille: Non enim queo ſilere, quæ mihi Dominus loquenda tradidit. Quod poſtmodum omnes Galliæ nationes ſenſêre impletum, confirmavítque ſuperiùs ad Ragamundum ſententiam illatam. Theoderici necem prædicit.

44. Sublato deinde prandio vir Dei ad ſcapham remeat, reperítque ſuos multâ triſtitiâ depreſſos: & inquirens quid evenit, præterita nocte quæ in ſcapha habuiſſent furto perdidiſſe invenit, ſimúlque aureos quos in pauperes non erogaverat furto ablatos. Quo audito, ad ſepulcrum B. Confeſſoris repedat, queſtúſque eſt non idcirco ad ejus excubâſſe Reliquias, ut ille ſua ac ſuorum ſineret damna patrare Fratrum. Nec mora, is qui ſacculum cum aureis furatus fuerat, cœpit inter flagella corporis ac pœnas acclamare & dicere, illo & illo in loco aureos ſe occultatos habere. Quod videntes ſocii omnes currunt, furtóque ſublata omnia reddunt, virúmque Dei precantur ut tanti ſceleris culpas ignoſcat. Quod miraculum omnibus terrorem incuſſit, ut deinceps qui iſta audierint, velut ſacrata omnia quæ ad virum Dei pertinebant attingere non auderent. Præbens itaque neceſſaria Leoparius, viro Dei vale dixit.

45. Navali ergo itinere ovans uſque ad Namnetis opidum venit, & ibi aliquantiſper moratus eſt. Quòd cùm quadam die quidam egenus ante fores cellulæ in qua vir Dei meditabatur clamaret, vocato ille miniſtro: Præbe, inquit, cibi alimoniam petenti. Et ille: Non eſt nobis, ait, panis niſi paullulum farinæ tantùm. At ille ait: Quantum habes? Teſtatúrque ille ſe ampliùs non habere, ut rebatur, quàm farinæ modium. Da ergo, dicit, totum, nec quidquam reſerves in craſtinum. Obediens miniſter ſimul totum pauperi tribuit, nihil ad neceſſitatem communem reſervans. Jejunantibus ergo illis tertia jam dies illuxerat nihil penes ſe habentibus præter ſpei & fidei gratiam, unde feſſis jejunio membris ſubvenirent; cùm ſubitò audiunt fores ſigno terere. Cúmque oſtiarius ſciſcitaretur, cujus rei neceſſitas poſceret ſono fragoris aures Fratrum inquietare: is qui fores terebat, ait, ſe à domina ſua PROCULA nomine directum eſſe, quæ ſe divinitus admonitam dicebat, ut ſumptus viro Dei Columbano atque comitibus ejus qui apud Namnetis opidum morarentur, dirigeret, haberíque in proximo: & ſe ideo prævenisſe ut vaſa quo reciperent prępararent; centum modios eſſe vini, ducentóſque frumenti, ſed & bracis[a] centum modios: quod oſtiarius celeri curſu Patri indicanda properat. At ille; Sine, inquit: ſe dicens ſcire, Fratrúmque cœtum adunari jubet, ut ſimul poſiti pro largitrice Dominum deprecarentur, ſimúlque grates referrent Conditori, qui ſuos ſolari non deſinit in omnibus famulos neceſſitatibus, & pòſt munus oblatum reciperent. O mira Conditoris pietas! egere nos ſinit, ut ſua dona egentibus largiendo demonſtret: tentari permittit, ut in tentatione ſubveniens ſuorum uberiùs in ſe corda excitet famulorum; ſua membra ſævis laceranda tradit, ut circa ſanatorum medicum multiplicata dilectio confirmetur. Namnetis.

46. Aliáque ſimul nobilis & religioſa femina DODA nomine direxit ducentos frumenti ac promiſcuæ* modios centum. Quæ cauſa maximam verecundiam

* *Supple*, annonæ.

a In alia vita ſic legitur, *& braci unde ceruiſiam faciunt centum.*

AN. CHR. DC. XV. NOV. XXI. urbis illius Pontifici excitavit, nomine SUFFRONIO, à quo nihil muneris impetrare, nec quidquam commutando capere potuêre. Quo cùm moraretur quædam mulier dæmonis peſte plena cum filia, itémque alia truci morbo repleta venit: quas cùm Columbanus vidiſſet, communem pro eis Dominum exoravit, ſanitatíque pòſt redditas, comitatui ſuo* redire præcepit.

* *al.* ad metas ſuas.

47. Poſt hæc Suffronius Namnetenſis urbis Epiſcopus unà cum TEUDOALDO Comite juxta Regis imperium B. Columbanum navi ſuſceptum ad Hiberniam deſtinare præparabat. Sed vir Dei inquit: Si navis quæ finibus Hiberniæ redditur adeſt, ſuppellectilem comitéſque ſuſcipiat; ego interim ſcaphâ receptus Ligeris undâ vehor, quouſque maris ad alta deferar. Reperta ergo navi quę Scottorum commercia vexerat, omnem ſupellectilem comitéſque recipit. Cùm jam remigera arte proſperantibus zephyris navis ad alta pelagi tenderet, undarũ moles advenit, navémque ad litus redire coëgit, planóque terræ ſolo defixam reliquit: collectóque fluctu in finibus æquor quievit. Manſit ergo per triduum abſque undis carina. Intellexit ergo dominus navis ob viri Dei ſupellectilem comitéſque receptos ſe ſic eſſe detentum. Fuit tandem conſilium rejici omnia à navis finibus quæ ad virum Dei pertinebant. Nec mora, undarum moles affuit, carinámque ad alta provexit. Mirantes itaque omnes cognoverunt non eſſe voluntatẽ Dei, ut retro amplius repedaret. Ad metatum* ergo ſuum, quo prius fuerat rediit, nullo obſtante quò vellet ire; ſed magis prout quiſque poterat virum Dei honoribus ac ſumptibus fulciebat: nec defuit quidquam præſidij, dum in omnibus Conditoris manebat auxilium: quia numquam prorſus obdormiet, qui ſub alarum ſuarum umbra Iſraël tegit. Sic nempe omnibus omnia largiendo demonſtrat, ut ab omnibus pro munerum ſuorum glorificetur largitione.

* *Id eſt*, manſionem.

Chlotharium adit & corrigit.

48. Moratus ergo ibi paullulùm, pòſt ad Chlotharium Hilperici filium, qui Neuſtraſiis Francis regnabat extremâ Galliâ ad Oceanum poſitis pergit. Porro Chlotharius audierat quantis qualibúſque injuriis virum Dei Brunechildis ac Theodericus fatigaverant. Quem cùm vidiſſet, velut cęleſte munus recepit; ovánſque precatur, ut ſi vellet intra ſui regni terminos reſideret, ſéque ei prout voluerit famulaturum. At ille ait, nequaquam ſe his in locis conſiſtere velle, vel ob ſuam peregrinationem augendam, vel illius inimicitiarum occaſionem ſedandam. Tenuit ergo eum Chlotharius quantis potuit penes ſe diebus, caſtigatúſque ab eo eſt de quibuſdam erroribus, quibus vix aula Regia caret. Spondet ſe Chlotharius juxta ejus imperium omnia emendaturum. Erat enim Chlotharius ſollers in amore ſapientiæ. Inventum ergo optatum munus gratificabatur.

Prædicit ei monarchiã brevi ceſſuram.

Morante autem eo penes Chlotharium, lis oritur inter Theodebertum & Theodericum, & diſceptantibus utriſque de regni termino uterque ad Chlotharium Legatos dirigunt, uterque adverſus parem auxilium poſtulat. Quod Chlotharius B. Columbano inſinuare procurat, conſulens ut ſi videretur ejus conſilio, ſe uni conſentiendo contra alium dimicare. Ad quem ille prophetico repletus ſpiritu ait, neutris ſe fore pariturum conſiliis, ſuam intra triennii tempus in ditionem utrorum regna venire. Videns ergo Chlotharius à viro Dei talia ſibi prophetico ore dici, neutri parere voluit; ſed promiſſum ſibi tempus fideliter exſpectans pòſt potitus eſt triumpho victoriæ.

Lutetiæ energumenum liberat.

49. Poſt hæc coëgit Chlotharium vir Dei ut ſibi ſolamen largiretur, útque per Theodeberti regnum, ſi valeret, ad Italiam Alpium juga tranſcendens perveniret. Datis ergo comitibus qui eum uſque ad Theodebertum perducerent, itinere arrepto ad Pariſius urbem pervenit: quò cùm veniſſet, occurrit ei homo in porta habens ſpiritum immundum, debacchans & diſcerpens & garrulans: querulóque ſciſcitatur virum Dei affamine: Quid his vir Dei agis in locis? raucóque anhelitu alongè virum Dei Columbanum advenire dudum jam clamitabat. Quem cùm vir Dei vidiſſet ait: Egredere peſtifer, egredere, nec corpus Chriſti lavacro ablutum diu obſidere præſumas: cede virtuti Dei, & Chriſti nomine invocato contremiſce. Sed cùm diu ſævis atríſque viribus obſtaret, vir

Dei

Dei manum ori ejus injecit, linguámque obtrectat, in virtute Dei imperat ut egrediatur. Tunc horrida vi discerpens eum ut vix nexibus teneretur, cum viscerum motione ac vomitu multo progressus, tantum fœtorem adstantibus dedit, ut sulphureos se crederent facilius tolerare odores. AN. CHR. DC. XV. Nov. XXI.

50. Deinde ad Meldense opidum properat: quò cùm venisset, quidam vir nobilis HAGNERICUS Theodeberti conviva, vir sapiens, & consiliis Regis gratus, & nobilitate ac sapientia vallatus erat. Is virum Dei miro gaudio recepit, séque habere curam ejus spopondit, qualiter ad Theodeberti accederet aulam, & non esse necesse alios comites è regio latere habere. Ad hoc enim aliorum differebat subsidium, ut virum Dei secum quamdiu valeret tenere potuisset, & ejus doctrinâ domus sua nobilitaretur. Benedixit ergo vir Dei domum ejus, filiámque ejus nomine BURGUNDOFARAM, quæ infra infantiles annos erat, benedicens eam Domino vovit, de qua postea in subsequentibus narrabimus*. Progressúsque inde venit ad villam quamdam Wltiacum, quæ supra amnem Maternam sita est. Ibi receptus est à quodam viro AUTHARIO nomine, cujus conjux AIGA dicebatur; erántque his filii[a] infra infantiæ annos decennes*, quos mater ad benedicendum viro Dei obtulit. Videns ille matris fidem, infantulos suæ benedictione sacravit, qui pòst, mox ut pubescere cœperunt, Chlothario Regi primùm ac deinceps Dagoberto gratissimi sunt habiti; qui postquam sæculi gloriâ illustrati fuerunt, accelerare cœperunt, ut pro gloria sæculi non carerent æternâ. Quorum major natu, ADO nomine, semet suis voluntatibus abdicavit, postquam intra Jurani saltûs arva Monasterium ex beati Regula Columbani construxit: juniórq; nomine DADO intra Briegensem saltum supra fluviolum* Resbacenum ex supradicti viri Regula Monasterium construxit. Tanta in virum Dei gratia redundabat, ut quoscumque sacravit, in boni cultûs perseverantia dies suprema invenit: & quos de industria monuit, gavisi sunt se postea impunitatem meruisse; nec immeritò tanti viri fultus adminiculo partem gratiæ potitus est supplemento, qui doctrinis ejus innexus, noluit à justæ vitæ tramite deviare.

Apud Meldas Agnerici & Autharici domum benedicit.

* *Lege Vitam S. Burgundofaræ infrà.*

a

* *Surio* decenti.

51. Exinde ad Theodebertum venit: quem cùm Theodebertus vidisset, ovans suis sedibus recepit. Jam enim multi Fratrum post eum ex Luxovio venerant, quos velut ex hostium præda recipiebat. Pollicitúsque est Theodebertus se reperire intra terminos suos loca venusta, & famulis Dei ad omnem opportunitatem congrua, proximásque ad prædicandum nationes undique haberi. Ad hæc vir Dei inquit: Si pollicitationis tuæ adminiculum præbueris, & demùm falsitatis noxam non opposueris, quantisper me moraturum scias ac probaturum si in cordibus gentium vicinarum Fidem serere valuero. Dedit ergo Rex optionem quacumque in parte voluisset experimento quærere locum, qui sibi & suis placuisset. Inde requisivit locum, quem favor omnium laudabilem reddebat intta Germaniæ terminos Rheno tamen transmisso, opidum olim dirutum, quod Brigantias* nuncupabatur. Sed quid tunc vir Dei egerit dum per Rheni alveum navigaret, silendum non est.

Suscipitur à Theodeberto.

Brigantii condit.

* *Brigance.*

52. Dum quodam die per Rheni alveum, ut diximus, scaphâ veherentur, ad urbem quam Maguntiacum veteres appellârunt, perveniunt. Quò cùm venisset, remigeri qui in comitatu viri Dei à Rege directi fuerant, viro Dei aiunt se in urbe amicos habere, qui necessarios sumptus præberent, jam enim defecerant in itinere longo stipendia sumptuum. Quibus vir Dei ait: Ite. Qui cùm abiissent nihil repererunt. Reversíque à viro Dei interrogati, respondent se nullatenus impetrare ab amicis aliquid potuisse. At ille: Sinite me, inquit, paullulùm ad meum abire amicum. Mirantibus illis unde illo in loco, quo ante non fuerat,

Maguntiæ ab Episcopo necessaria accipit.

a Codex Conchensis scribit, *erántque his filii tres.* Anonymus qui Vitam S. Columbani compendio scripsit: *Inde in villa quadam quæ supra Matronam fluvium posita erat, à viro quodam & ejus conjuge honorificè susciputur, quibus erant duo filii, qui adhuc infantiæ annis detinebantur.* Et quidem hoc ad mentem Jonæ magis accedit. Lege Frodoardi Carmen & Vitam S. Agili Abbatis infrà.

AN. CHR. DC. XV. Nov. XXI. amicum haberet. Progreſſus ille ad Eccleſiam pergit : quam ingreſſus, pavimento inhærens longæ orationis protectione Dominum ſuum & pietatis poſtulat auctorem. Nec mora, Epiſcopus urbis illius[a] domo progreſſus ad Eccleſiam venit, repertúmque B. Columbanum ſciſcitatur quis ſit. At ille fatetur ſe peregrinum eſſe. Cui ille ait : Si neceſſe eſt ſumptuum copiam capere, propera domum, & quantum neceſſe fuerit tecum defer. At ille cùm gratias egiſſet ei, ſimúlque & Conditori qui inſpiraverat, pueros feſtinus ad navem ipſe dirigit ut omnes veniant cuſtode uno dimiſſo, & quæ vellent ſecum deportarent. Quod ne cui caſu eveniſſe videatur, ſolitus erat poſtea idem Epiſcopus proteſtari, numquam ſe antea ſic attonitum in tribuendo neceſſaria fuiſſe abſque alia opportunitate. Ad beati enim Columbani meritum, Divina admonitione ad Eccleſiam ſe veniſſe teſtabatur.

a

Suevos plures ad Fidem convertit. 53. Deinde perveniunt ad locum[b], quem peragrans vir Dei non ſuis placere animis ait, ſed tamen ob Fidem in eis ferendam inibi paulliſper moraturum ſe ſpopondit. Sunt etenim inibi vicinæ nationes Suevorum. Quò cùm moraretur, & inter habitatores loci illius progrederetur, reperit eos ſacrificium profanum litare velle, váſque magnum, quod vulgò Cupam vocant, quod viginti & ſex modios ampliùs minúſve capiebat, cerviſiâ plenum in medio habebant poſitum. Ad quod vir Dei acceſſit, & ſciſcitatur quid de illo fieri vellent. Illi aiunt Deo ſuo Vodano[c], quem Mercurium vocant alii ſe velle litare. Ille peſtiferum opus audiens, vas eminus ſufflat, miróque modo vas cum fragore diſſolvitur, & in fruſta dividitur, víſque rapida cum fragore cerviſiæ prorumpit: manifeſtéque datur intelligi diabolum in eo vaſe fuiſſe occultatum, qui per profanum litatorem caperet animas ſacrificantium. Videntes Barbari obſtupefacti aiunt, magnum virum Dei habere anhelitum, qui ſic poſſit diſſolvere vas ligaminibus munitum : caſtigatóſque dictis Evangelicis, ut ab his ſegregarentur ſacrificiis, domibus redire imperat. Multi ergo eorum tunc per beati viri ſuaſum ad doctrinam, & ad Chriſti Fidem converſi, Baptiſmum conſecuti ſunt; alióſque etiam, quos jam lavacro ablutos error detinebat profanus, ad cultum Evangelicæ doctrinæ monitis ſuis ut bonus paſtor Eccleſiæ ſeminibus reducebat ſparſis.

b

c

Deſiderii Epiſcopi martyrium an. DC. VII. 54. Eo itaque tempore Theodericus atque Brunechildis non ſolùm adverſum Columbanum inſaniebant, verumetiam & contra ſanctiſſimum DESIDERIUM Viennenſis urbis Epiſcopum adverſabantur; quem primùm exſilio damnatum multis injuriis affligere nitebantur, ad poſtremum verò glorioſo martyrio coronârunt : cujus geſta ſcripta habentur, quibus & quantis adverſitatibus glorioſum apud Dominum meruit habere triumphum. Vacante * itaque Columbano cum ſuis penes Brigantiam urbem, duræ egeſtatis tempus obvenit. Sed quamvis alimoniæ deeſſent, manebat intemerata atque inconcuſſa fides, quæ neceſſaria apud Dominum impetraret. Cúmque jam triduo jejunio feſſa corpora eſſent, repererunt tantam copiam alitum, velut Iſraëlitarum caſtra coturnix olim operuit; itaut omnem pagum loci illius alitum multitudo oppleret. Intellexit vir Dei ſuam ſuorúmque ob ſalutem has dapes terræ diffundi, nec prorſus alibi evenire, præter eo quo ipſe moraretur in loco. Jubet ſuos priùs grates laudéſque rependere Conditori, ſícque alitum dapes capere. Etátque mirum & ſtupendum miraculum, capiebantur aves prout Patris imperium urgebat, nec abſcedere pennigerâ fugâ nitebantur. Manſit ergo alitum manna per triduum diffuſa : quarto deinde die quidam Pontifex ex vicinis urbibus frumenti copiam Divina admonitus adſpiratione ad beatum Columbanum direxit; ſed mox Omnipotens qui penuriam patientibus aligeros præbuerat cibos, ut farris adeps ad-

* *Surio* vagante.

Columbanus cum ſuis tempore famis divinitus paſcitur.

a Tunc Maguntiæ Sedem tenebat Leoniſius, de quo legendum Fredegarii Chronicon cap. 38.

b Nempe in locum qui Tucconia dicebatur, in capite lacûs Tigurini, uti ex Vualafrido Strabone infrà in Vita S. Galli cap. 4. memoratur.

c Apud Anonymum ita legitur : *qui apud eos Vuotant vocatur, Latini autem Martem illum appellant.*

venit, alitum phalanges imperavit abire. Nam EUSTASIUM hoc cognovimus referente, qui eo tempore inter reliquos ſub viri Dei obedientia ibidem tenebatur adnexus, quòd nullus fuerit in caterva, qui antè talium genera alitum ſe vidiſſe referret: & tantus ſapor in cibo aderat, ut regias dapes vinceret. O mirum divinæ potentiæ donum! quando terrenæ dapes cultoribus Chriſti deſunt, tunc demum cæleſtia tribuuntur, ſicut de Iſraël dictum eſt: *Panem cœli dedit eis*: cùm terrenæ opes ſubvenerint, tunc gratis amoventur illatæ. AN. CHR. DC XV. NOV. XXI. *Pſal.* 77.

55. Ipſo itaq; tempore cùm ſub quodam ſcopulo inter vaſta eremi jejunio corpus conficeret, & nihil aliud præter ruris poma, quorum ſuperiùs fecimus mentionem, in cibos caperet; venit aſſueta abditæ voracitatis fera urſus, cœpítque neceſſarios delambere cibos, ac poma ore detrahere. Cúmque hora refectionis adveniſſet, CHAGNOALDUM [a] miniſtrum ſuum dirigit, ut conſuetam menſuram pomorum deferret. Qui cùm abiiſſet, urſum interiorēs frutices rubóſque pervagari perſpexit, ac poma lambendo carpere. Feſtinus redit, Patríque indicat: ille imperat ut eat, partémque fruticum in cibos feræ dimittat, aliámque partem ſibi reſervare jubet. Abiítque Chagnoaldus, ac juſſa implevit, divisítque virgâ frutices rubóſque, quæ poma ferebant, & partem ſuam juxta viri Dei imperium egit ut fera comedat, aliámque partem in uſus viri Dei reſervat. Mira in fera obedientia! nequaquam ex prohibita parte auſa eſt capere cibos, ſed in ſegregata permiſſáque ſibi fruticum parte tantummodò pabula requiſivit, quoaduſque vir Dei eo in loco commoratus eſt. a

56. Interea cogitatio in mentem ruit, ut Venetiorum, qui & Sclavi dicuntur, terminos adiret, cæcáſque mentes Evangelicâ luce illuſtraret, ac ab origine per avia oberrantibus veritatis viam panderet. Cúmque hæc votis patrandum eſſet, Angelus Domini ei per viſum apparuit; parvóque ambitu, velut in paginali ſolent ſtylo orbis deſcribere circulum, mundi compagem monſtravit. Cernis, inquit, quòd maneat totus orbis deſcriptus? perge dextera, læváque qua eligis, ut laboris tui fructus comedas. Intellexit ergo ille non eſſe gentis illius in promptu Fidei profectum, quievítque in loco illo, donec aditus ad Italiam panderetur. Sclavorum converſionem meditatur.

57. Interea inter Theodebertum & Theodericum pacis pactum infirmatur, ac quiſque adverſus fratrem uſque ad internecionem deſævit, utriſque gentium robore ſuperbientibus: & interim vir Dei ad Theodebertum accedit, eúmque ſuadet ut cœptæ arrogantiæ ſupercilium deponeret, ſéque Clericum * faceret, & in Eccleſiæ poſitus gremio ſacræ ſubderetur Religioni, ne ſimul cum damno præſentis regni, æternæ pateretur vitæ diſpendium. Quod & Regi & omnibus circumadaſtantibus ridiculum excitavit: aiebant enim numquam ſe audiiſſe Merovingum, in regno ſublimatum, voluntarium Clericum fuiſſe. Deteſtantibus ergo omnibus Columbanus ait: Si voluntarius nullatenus Clericatûs honorem ſumat, in brevi Clericus invitus exſiſtet. His ergo dictis vir Dei ad cellulam rediit, móxque prophetici dicti eventum res habuit. Nec mora, Theodericus Theodebertum ad bellum coëgit, & prope Tullum bello devictum fugat; póſtque collecto magno robore exercitus perſequitur. Simili modo gentium multarum Theodebertus robore vallatus, ad Tulbiacenſe [b] caſtrum pugnaturus venit: ibi prœlio inito innumeraræ hominum phalanges ex utroque exercitu perierunt. Victus tandem Theodebertus fugit. Eo igitur tempore vir Dei in eremo morabatur, contentus tantùm unius miniſtri Chagnoaldi famulatu. Eâ ergo horâ, quâ apud Tulbiacum commiſſum eſt bellum, ſupra quercûs putrefactæ truncum vir Dei librum legens reſide- Theodeberto prædicit excidium. * *id eſt* Monachum b

a Sic MS. codd. quibus uſi ſumus. Et tamen Surius legit Magnoaldum, cujus Vitam ſuo loco exhibebimus.

b Tulbiacum, Vulgò *Zulpich*, Chlodouei de Alemannis victoriâ nobile, abeſt à Colonia Agrippina versùs Treviros millibus paſſuum viginti quatuor: quo in loco Theodebertus à fratre utrobique victus ac poſtmodùm interfectus eſt, regni Theoderici anno XVII. Chriſti DCXII. ſecundùm Fredegarij calculum cap. 37.

AN. CHR. DC. XV. NOV. XXI.

bat : quem ſubitus ſopor oppreſſit, & quid inter duos Reges ageretur vidit. Móxque excitatus miniſtrum vocat, cruentámque Regum pugnam indicat, multum humanum ſanguinem fundi ſuſpirans. Cui temerario conatu miniſter ait : Pater mi, Theodeberto tuis præbe precibus ſuffragium, ut communem debellet hoſtem Theodericum. Ad hæc Columbanus : Stultum ac religioni alienum conſilium adminiſtras, non enim ita Dominus voluit, qui nos pro inimicis noſtris orare præcepit : in arbitrio eſt jam juſti Judicis quid de eis fieri velit. Inquirens ergo pòſt miniſter eam temporis diem & horam, reperit ita fuiſſe ſicut viro Dei revelatum fuerat. Perſecutus eſt Theodebertum Theodericus, & ſuorum proditione captum ad aviam Brunechildem direxit : quem cùm avia recepiſſet, quia Theoderici parti Brunechildis favens erat, furens Theodebertum fieri Clericum rogavit : at non poſt multos dies, impiè nimis poſt Clericatum perimi juſſit.

58. Porro Theodericus penes Mettenſe morans opidum, divinitus percuſſus inter flagrantis ignis incendia mortuus eſt [a] : poſt quem Brunechildis filium ejus SIGEBERTUM in Regno ſuffecit. Itaque Chlotharius memor prophetiæ viri Dei, collecto exercitu fines regni, quæ ſuæ ditioni debebantur, conatur recipere. Contra quem Sigebertus cum hoſtium cuneis pugnaturus advenit, quem Chlotharius captum peremit, fratréſque ejus quinque [b] Theoderici filios cum proavia Brunechide cepit, pueros ſeparatim peremit : Brunechildem verò primò ignobiliter camelo impoſitam hoſtibus gyrando monſtravit, pòſt indomitorum equorum caudis ligatam miſerabiliter vitâ privavit [c]. Funditùs ergo radicitúſque deletâ Theoderici ſtirpe Chlotharius potitus eſt trium regnorum ſolus monarchiâ : quo facto B. Columbani prophetia in omnibus impleta eſt. Unus enim intra triennium cum omni ſtirpe funditùs deletus, alius violenter Clericus factus, tertius regnorum poſſeſſione ac dominatione dilatatus eſt.

a Chlotharius poſt Theoderici ac filiorum interitum monarchiâ obtinet.

b

c

59. Beatus ergo Columbanus cùm vidiſſet (ut ſuperiùs diximus) devictum à Theoderico Theodebertum, redactâ Galliâ atque Germaniâ ſub Theoderico, Italiam ingreditur, ubi ab AGILULFO Langobardorum Rege honorificè ſuſceptus eſt, qui largitâ optione ut intra Italiam, quocumque in loco voluiſſet, habitaret, Dei conſultu actum eſt, dum ille penes Mediolanum urbem moraretur, ut hæreticorum fraudes, id eſt Arrianæ perfidiæ, Scripturarum cauterio diſcerpere ac deſecare vellet. Contra quos etiam libellum florenti ſcientia edidit.

Columbanus ab Agilulfo in Italia exceptus contra Arianos ſcribit.

60. Dúmque hæc aguntur, vir quidam nomine JOCUNDUS ad Regem venit, qui Regi indicavit ſe in ſolitudine ruribus Apenninis Baſilicam B. Petri Apoſtolorum Principis ſcire, in qua virtutes expertus ſit fieri, loca ubertate fecunda, aquis irrigua cum piſcium copia, quem locum veterum traditio BOBIUM nuncupabat, ob rivum in eo loco hoc nomine fluentem ; amnémque alium profluentem nomine Triveam* ; ſuper quem olim Hannibal hiemans, hominum, equorum, elephantorum atrociſſima damna ſenſit. Ubi cùm veniſſet, omni cum intentione Baſilicam inibi ſemirutam reperiens, priſco decori renovans reddidit. In cujus reſtauratione mira Domini virtus panditur. Nam cùm per prærupta ſaxorum ſcopula trabes ex abietibus inter denſa ſaltûs locis inacceſſibilibus cæderentur, vel alibi cæſæ inibi caſu elapſæ aſpero, aditum plauſtrorum denegarent ; mirum in modum trabem quam vix triginta vel quadraginta homines plano terræ ſolo poſitam vehere non valebant, ibi cum duobus vel tribus (prout ardui callis meatus patebat) vir Dei accedens, ſuis ac ſuorum humeris immane pondus imponebat : & ubi antea præ aſperitate itineris libero greſſu vix gradiebantur, onerati mox trabis pondere feſtini gra-

Bobienſe Monaſterium condit.

* vulgò *la Trebia.*

a Et tamen Fredegarius cap. 39. ſcribit Theodericum Mettis profluvio ventris interiiſſe anno regni ſui XVIII. Chriſti DC. XIII.

b Legendum duos. Nam ex quatuor Theoderici filiis Childebertus equo fugâ lapſus mortem evaſit, Sigiberto, Corbo, Merovebque peremptis.

c Idem refert anonymus coævus in Append. ad Marium, qui anonymus Brunechildis interitum cum Heraclij Imp. anno XIV. conjungit.

diebantur: ut versâ vice qui onera ferrent, acſi ab aliis veherentur, firmis veſtigiis velut otio vacantes ovantéſque irent. Videns itaque vir Dei tanti auxilij ſupplementum, ſuos hortatur ut cœptum opus læti perficiant, animóque roborati eâ conſiſtere in eremo ſtudeant, Dei in hoc voluntatem eſſe affirmans. Tecta itaque Templi culmina*, & murorum reſtaurat ruinas, ceteráque quæ ad Monaſterij neceſſitatem pertinent, conſtruere parat. AN. CHR. DC. XV. Nov. XXI. *pro tectis culminibus.

61. Interea memoratus Rex Chlotharius viri Dei prophetiæ effectum in ſe fuiſſe impletum cernens, Venerabilem EUSTASIUM qui ejus in locum Luxovienſe Monaſterium regebat, ad ſe venire imperat: quem pio affamine rogat, ut ſibi cum ſupplemento publico legationem fungi curet, ſociósque quos vellet, nobilium virorum haberet, qui ſui vadimonij arbitri eſſent: poſt B. Columbanum pergerent, & quocumque eum reperiſſent in loco, eleganti ſuaſu ad ſe venire hortarentur. Perrexit itaque Venerabilis diſcipulus [a], Magiſtri veſtigia proſecutus: qui cùm ad eum veniſſet, Chlotharij verba depromit. Viſo ergo Euſtaſio B. Columbanus gaviſus recepti muneris aditu gratulatur, retentúmque penes ſe tantiſper hortatur, ut ſui laboris reminiſceretur, cohortem Fratrum diſciplinæ habenis erudiret, multorúmque collegio Chriſti plebem adunaret, ſuíſque Inſtitutis educaret. Dimiſſus poſthæc ad Chlotharium remeare jubetur, talibúſque reſponſis Regias mulcere imperat aures, ſéque retrò repedare nullatenus ratum duceret: tantummodò poſcere ut ſodales ſuos, qui Luxovium incolebant, regali adminiculo ac præſidio foveret. Litteras caſtigationum affamine plenas Regi dirigit gratiſſimum munus. Rex velut pignus fœderis viri Dei ovans litteras recepit: nec ejus petitioni oblivionis noxam præponit. Omni denique præſidio ſupradictum Monaſterium munire ſtudet, annuis cenſibus ditat, terminos undique, prout voluntas Venerabilis Euſtaſij erat, auget; omníque conatu ad auxilium inibi habitantium ob viri Dei amorem intendit. Porro B. Columbanus expleto anni circulo in antedicto Monaſterio Bobienſe, vitâ beatâ functus, animam membris ſolutam cælo reddidit, XI. Kalend. Decembris [b]. Cujus ſtrenuitatem ſi quis noſſe velit, in ejus dictis [c] reperiet. Reliquiæque ejus eo habentur in loco conditæ, ubi & virtutum decore pollent præſule Chriſto cui eſt gloria per omnia ſæcula ſæculorum, Amen. A Chlothario in Galliam fruſtra revocatur.

a In itinere Agaunenſe Monaſterium luſtrans, Amatum vidit, & in reditu ſecum Luxovium perduxit, ex Vita S. Amati infrà, ubi Euſtachius dicitur.

b Apud Uſuardum, Adonẽ & Surium legitur IX. *Kal. Decemb.* aſt XI. Kal. Dec. S. Columbani memoria conſignatur in Martyrologiis Vvandalberti, & Bened. quibus Vitæ S. Columbani exemplaria MSS. quæ vidimus ſuffragantur. Anno Chriſti DC. XV. S. Columbanum ad Superos abiiſſe, inde colligitur, quòd annum integrum poſt ſuum è Gallia diſceſſum, & Theoderici Regis interitum in Monaſterio Bobienſi expleverit.

c Præter B. Columbani Regulam ejúſque Pœnitentiale, exſtant opuſcula ejus nonnulla Melchioris Goldaſti operâ Inſulæ anno 1604. edita. Et tamen Regulam Columbani, qualis typis vulgata eſt, integram non eſſe conſtat, ſi caput in Concord. Regul. cap. 74. §. 10. citatum ex Regulæ Columbani cap. 33. ad Columbani Regulam pertinet. Columbani Opus contra Arrianos num. 19. memoratum non exſtat. Lege adnotata ad Vitæ S. Sadlabergæ exordium.

AN. CHR. DC. XV. NOV. XXI.

ALIA VITA

Auctore FRODOARDO Canonico Remensi, posteà Monacho in lib. 14. Carm. cap. 18.

Ex MS. cod. RR. PP. Carmelitarum Excalceat. Conventûs Paris.

DIVERSÆ Hesperiâ patriæ radiante vitescunt,
Diversis simul hostibus illustratur & ipsa.
AMBROSIO insignem Vates petit inclytus urbem *
Gente COLUMBANUS Scottorum & sanguine cretus.
Qui pius à puero vixit mirabilis ævo,
Christi Castra * locans, multóque hæc milite replens.
Propositi metas hujus virtutis odorem
Nare sequens avidâ, paullò excessisse videbor.
Finis at hunc Italis quoniam impertivit agonis *,
Ausoniis tandem placuit junxisse tropęis.
Quem genitrix dum utero gestat procedere solem
Adspiciens gremiis, lumen prænoscere prolis
Illustrata datur sparsuræ lumine terras.
Artibus imbutus claris, documenta palęstræ
Aggreditur superæ, virtutibus optimè fultus
Gallica rura petit, Divina his semina portans,
Ore manúque vocans cælorum ad culmina cunctos.
Celsa petens gradibus, eremi secreta requirit,
Atque columbinis scandens subit ardua pennis.
Nec Divæ * frustratur opis solamine servus,
Crastina præceptis innixus commoda temnens.
Quærentis Deus ægroto solatia Fratri
Allevat angorem, legans optata vehentem
Defessis alimenta virum, nec missus inanis
Aut mercede carens iteris [a] solator abire.
Ægri subventor medicamina conjugis orat,
Subsidiúmque refert, quæsitáque dona reportat
Et patris ad votum reperit viguisse jugalem.
Inde CARANTOCUS secretis visibus Abbas
Admonitus Sancto suffragia ferre laboris,
Accito famulo cælestia jussa retexit,
Expleat imperitans. Properat MARCULFUS, onustis
Lata * ministrat equis, sed quò se tramite ducat
Inscius ignoránsque petendus ubi incola degat.
Atque ita nutanti quid agat dum corde volutat,
Consilium menti ingeritur, jumenta viandi
Destinet officio, præeant quò quæ acta sequatur.
Vis recto Divina regens animalia calle,
Ducit in optati Patris ora sequente magistro.
Sícque Dei famulum ductantibus ille veredis
Inveniens præsentat onus: gratésque Tonanti
Laudis utrimque datæ: ditat benedictio Vatis
Ac revocat * gerulum præconia digna ferentem.

* *id est* Mediolanum
* Monasteria
* vitæ
* Divinæ
* allata
* reducit ad sua

[a] Iter Iteris, sicut Itiner Itineris non rarò habent Veteres. Lege adnotata ad Vitam S. Cuthberti metricè à Beda descriptam ad ann. 687.

AN. CHR. DC. XV. NOV. XXI.

Inviſunt refugam mundi jam deinde frequentes,
Atque colunt plebes, pietatis honore petentes
Ditari, verbo refici, precibúſque levari.
Ille favet votis, morbiſque medetur anhelis,
Mirificat pellítque feras, procul effugat hoſtes
Septus, & intactus perſtat feritate lupina,
Miti pace truces auſus rabiémque ſerenans.
Urſum quo pepulit, ſcopuli legit atra minacis,
Incolit hæc ſolus, puero viſente miniſtro.
Agreſte hunc ſuſtentat olus, fert pocula lympha.
Quam procul inde petens, longum puer ipſe laborem
Ut queritur, ſaxi ſcrutari terga jubetur.
Dum Patris precibus cæli ſecreta petuntur,
Factum, & cum votis latices funduntur opimi,
Fons rupe exoritur montis hinc perpete lapſu,
Jam devexa rigans, & commoda munera præbens.
Caſtra replere Dei properantibus undique turmis,
Agmina metator cogens, loca providet apta,
Diſtribuit cœtus, certans præmonſtrat agonem,
Munia diſponens, leges dat, juráque tractat,
Quæ deſcripta docent qualis radiaverit auctor.
Ipſe eremum peragrans gemino comitatus alumno
Indiguúſque cibi, ſocios jubet ire petitum,
Signatóque loco victum deferre repertum.
Deproperant, loca dicta ineunt, fluvialia cernunt
Munera, non proprio terris adſtrata elemento.
Sumunt tres de quinque eſoces*, ad prandia tollunt.
Increpantur ut ingrati, qui prona refutent
Dona Patris, miſſi redeunt, contempta reportant.
Mandat item quondam capturæ inſtare ſodalem*,
Atque locum ſignat, laxata ubi retia pandat.
Illi viſum aliàs, nec cærula* juſſa laceſſit,
Nec prædæ conceſſa petens, miratur adactos
Inſtantéſque haud poſſe capi ſinuamine* piſces.
Impactos ſpectat maculis*, nullum eximit undis:
Conſumptáque die caſſo ſudore laboris
Regreditur fructu vacuus contemptor alumnus.
Arguitur ſpretis vano conamine juſſis,
Et vada jam tandem decreta ſubire jubetur.
Paret abinde cliens & & lina capacia ſolvens
Vix revocare valet capturæ pondere farta*.
Sícque hilaris Patrem reperit, data dona rependit.
Urſi ſpelæo quondam ipſe remotior hærens,
Languorum ſecreta teri per famina Fratres
Addiſcit ſtimulis, ſolùm ſupereſſe miniſtros
Ægrotis ſervire datos. Horum ipſe miſertus
Peſte repellenda petit hac Luſſovia caſtra.
Attritis jubet exſurgant, famulatibus inſtent,
Immineant* meſſi fervente labore terendæ.
Surgunt præcepto ſoliti gaudere paterno,
Accedunt monitis, trituræ inſiſtere certant.
Virtuti ſuplici fugiens vis morbida cedit,
Roboréque implentur pulſo marcore medullæ.
Adgaudens Pater obſequiis, recreare laborem

* Salmones
* Gallum
* *id eſt*, amnem
* retium finibus
* referta
* inſiſtant

AN. CHR. DC. XV. NOV. XXI.

Mirantûm jam poſſe ſuum decernit, ovanter
Inſtaurat menſas, dapibúſque venuſtat opimis.
Gaudia concelebrat nullo reſidente dolore,
Nî ſolùm infidis ſectari juſſa moratis.
Quorum deſidia arguitur, pigredo notatur,
Atque animæ languor carnis languore piatur:
Ac peſtis mora præcinitur*, longúmque rotata
Volvitur anxietas, annus dum limina claudit.
Siccatis quondam ſtipulis ſub tempore meſſis
Inſurgant, inhibéntque legi* dona annua nimbi.
Inſiſtunt pluviæ, ſpes ipſa ablata metendi
Mentibus attonitis, iterum ne germina culmis
Inſurgunt fetis famis in diſcrimina granis.
Ille ſub hæc Domino committere vota benigno,
Spémque librans Chriſto, ſociis jubet arma* capeſſant,
Meſſem ineant, curvis invadant falcibus arva.
Mirari comites, nemo audet promere contrà
Quin faveant juſſis, ruraliáque arma ferentes
Appellunt ſegeti: cuſtodes ille per oras
Diſtribuit ruri, quos vita excelſior ornat
Quattuor excipiens CONIMINUM, EUNOCUM, ECONAMUM
Sanguine Scottorum, GURGANUM gente Britannum.
His ita diſpoſitis operi cum Fratribus Abbas
Inſiſtit: prô mira fides! toto æthere rores
Funduntur circà, ſicco cadit hæc ſeges agro,
Toſtáque* mirando ſic cuncta reconditur æſtu.
Primates ſteriles virtutem pauperis hujus
Sentiſcunt, adeunt, quæſitáque gaudia prolis
Accipiunt, celebri lætantur honore parentum.
WANDALENUS ovans DONATO nomine & actu
Pignore floreſcit, ſacer at Pater expiat undis,
Enutrítque datum cæleſti lacte clientem.
Quem pòſt Pontificis Veſontio culmine tollit,
Quíque Monaſterium normáque & honore Patroni*
Conſtituens Chriſto, certantia caſtra coaptat.
Fenora natorum genitor pro pignore lato*
Tutoris recipit meritis, ipsíque parentes
Se obſtringunt Domino: mater turmam aggregat almam
Caſtarum gaudens comitum ſe his eſſe ſodalem.
Sufficitur Patri CRAMELENUS, & ipſe beati
Abbatis ſplendore datus devotus amori,
Inſtituit cœtum Patris hujus regmine cultum.
Inclytus iſte Pater probitatis munere pollens
Quàm locuples operum vixit, quàm lucis abundans,
Afflictis impenſa docent ſolamina crebra.
THEUDEGISOLUS hoc digito ſibi falce reciſo
Comperit*, excipiens ſubitam medicante ſalutem
Ore Patris, fusâ plagæ per aperta ſalivâ:
Fortior & cœptum repetens ſine labe laborem,
Membro crediderat quod ſe amiſiſſe recepto.
Nec minùs egregiæ perfunctus honore medelæ
Pernicem conquirit opem cladíſque levamen
Otia ſectatus ſenior WINOCUS agreſte,
Dum miratur opus Patrum terrena gerentûm,

* prædicitur
* colligi
* falces
* ficca
* Columbani
* collato
* expertus eſt

Militiæque

Militiæque viros ſuperæ ſudare labore — AN. CHR. DC. XV. NOV. XXI.
Adſtupet agricolæ; cuneo ſaliente petitus
Frontis aperta gemit, fuſóque cruore madeſcit.
At miſerans Pater angorem, celeránſque juvamen,
In-que-cubans votis, properat purgare ſalivis,
Oréque conſperſum reddit poſt ſputa piatum.
Dúmque fovens facili ſævum linit unguine vulnus,
Curat, víxque cicatricum veſtigia ſervat,
Salvificum digno hic ſectatus tramite Patrem.
Frumenti dolet ærumnâ fracceſcere* Fratres, — * animo frangi
Sollicitum fidis comitem Pater erigit orſis:
Non linqui Juſtum, ſubolem nec quærere panem.
Dictis vota fidem faciunt, vacua horrea ſolo
Largitore Deo facili virtute replentur.
Nox ſubiit totum, vector niſi nemo repertus
Conditor immenſus, largè dans omnibus unus.
Sic quondam glebas raſtro ſarientibus adſtans,
Sexaginta jubet geminorum munera panum
Cum potûs quod parvum aderat ſolamine ferri.
Mirantur creviſſe dapes veſcentibus illis
Ruricolæ, duplúmque ſtupet legiſſe* miniſter — * collegiſſe
Convivis ſaturis, eſcarum & fenora potûs.
Nec ſolùm proprios clemens ita ſervat alumnos:
Quin ſuccurrit & externis, & vincula ſolvit
Ætheria, tactu famuli contrita fatiſcunt
Ad juſſum æra Patris, velluntur* crimina fantes — * eripiuntur
Se purgaturos lacrymis jam ſponte litandis.
Nexibus eductis* lavat, ac veſtigia tergit, — * *f.* eductos
Et lotis agit Eccleſiam, ſed limine clauſo
Non patet introitus trepidis, jamjámque propinquo
Agmine cuſtodum repetentûm ad tormina raptos*. — * ereptos
Vincula qui juſſis, precibus quoque limina pandit,
Clauſtráque cum votis referat nutantibus ægris,
Ac ſimul ingreſſis ſolitis ſtruit oſtia ſeptis.
Clavier* hæc hoſtéſque ſuo munita vigore — * *f.* Claviger
Cernentes, metuunt divino numine tutos
Appetere, humanis aut ſubdere legibus actos.
Adverſis etiam ille bonus, ſævíſque benignus
Excipitur, percuſſoris tormenta revincti
Nexibus internis ferro torpente relapſo
Dejecti dextrâ, ante pedes miſeratus, ademptum
Dæmonico redhibet virtuti animúſque furori.
Obvia bis ſævi quondam atro flamine pleni
Ora tulêre viri, prece mox quos ille redemit.
Vexati rabidâ veniunt ita quinque phreneſi,
Ilico quîs præbet pulſa quoque peſte ſalutem
Sic Patri juvenem viginti millibus actum
Currere pernici volucris virtute chelydri* — * ſerpentis *ſeu* dæmonis
Reſtituit precibus fixum votíſque receptum.
Mater item cum prole ruit hac labe referta,
Nec mora, purgatas pariter Pater iſte remittit.
Sícque Pariſiacæ bacchans in limine portæ,
Húcque venire querens, mæſtis ſibi vocibus hoſtem*, — * Columbanum
Atque Dei famulum vulgato nomine prodens:

AN. CHR. DC. XV. Nov. XXI.

Fortibus imperiis diris dum viribus obſtat,
Oremanum capit innocuo, linguáque repreſsâ
Almifici digitis, juſſus fœtore ſequente
Sulphuris Ætnæi affectum lacerúmque relinquit.
Tempore jam multo Phœbæi muneris expers
Hoſpite clarifico rutilantia dona reſumit,
Fruſtratúſque diu revocato lumine gaudet,
Ipſe peregrinus peregrinum ut lumine captat.
Hic vir præpollens Chriſtíque Columba renidens,
Lumine quàm clarus ſuperóque nitore coruſcus
Fulſerit, innumeris radiantia culmina donis
Virtutum retegunt, volucréſque feræque loquuntur
Saltibus* accitæ, niſúque adulante receptæ.
An non hæc* furto corvus clamâſſe relato,
Imperiíque tremens viſus terrere potentis,
Pergere nî juſſus poſt reddita damna, nec auſus?
Urſus an inſolito reboat non iſta pavore
Jam prælibatâ verbo depulſus ab eſca,
Tergora cervinæ ſervans illæſa rapinæ,
Et famulans ſanctis Sanctorum ad commoda juſſis?
Nec ſolus notat hæc teſtis*, diverſa feruntur
Huc attracta olidis* animantia, nare ſagaci
Nutibus atque repulſa Patris; dum pelle revulſa
Pabula nudatum ſinitur præſtare cadaver.
Sed nec diſſimili regitur moderamine, pomis
Qui per diſcipulum ceſſis inſiſtere parens
Parcere ſcit vetitis, ceſſátque inhiare rapinis,
Vivere decretis*, eſcíſque abſiſtere partis*.
Quàm virtute patens verbi quàm culmine præſtans
Hic Pater enituit, & juſſa & facta reſignant.
Id quoque caſtorum retegit famulatus alumnûm,
Et quondam liquor emiſſus famulante cliente,
Nec tamen effuſus pervadens clauſtra coronæ
Spargit humum, quin inſueto petit agmine* cælum,
Tollitur in vacuum, duplicátque cacumine trullum*,
Juſſa Patris decorans, famulíque patrata venuſtans.
Sic farris modius ſupereſt quíque uſibus unus,
Dum ſimul indiguo fertur mandante Patrono,
Divite rebus ACRA[a] monitis parente ſupernis,
Tertia jejunis redit expectantibus ut lux,
Quadringentenos potúſque cibíque rependit
Spem prætérque fidem vacuis fulcimine cuncto:
Gratiáque augetur cumulat dum DODA trecentos.
Quondam inopi victus cælis alimenta ſeruntur:
Deſtinat æthra cibos orantibus alite multo,
Plumigeram ſeriem non diffugiente volucre
Abſque labore ferunt, epulis dant fervere menſas
Ditibus, atque palatinas dulcedine viſis
Exſuperare dapes, triduóque hoc dapſile terris
Manna manet, frugum accedit dum copia quarto

* è ſaltibus ſeu ſilvis

* miracula

* Urſus

* *id eſt*, olentibus carnibus

* permiſſis

* præſentibus

* impetu

* vas vinarium

a

a In MS. codice legitur Aëra. Nomen eſt proprium uti & Doda infrà, quæ nomina in Jona deſiderantur.

Lata die, ſupero ſpiramine, Præſule [a] juſſo — AN. CHR. DC. XV. Nov. XXI.
Vicinas habitante plagas dare fercula Sancto.
Sic & amicorum ſociis ſolamine caſſis
Ipſe animo fidens fidum perquirit amicum *, — *Chriſtum
Eccleſiámque petens aperiri munere dextram
Expoſcit Domini: nec amicus vota moratus,
Pontificem mittit repletum ardore ferendi
Quæ libeant Vati, gratis data ſumere poſcit.
Ille bono grates Domino fert pectore prono,
Accitíſque ſuis devotè oblata capeſſit.
Inde fluenta legens Rheni, loca barbara viſit,
Sarmaticâ Sævos * adiens regione ſuetos. — *f. Suevos
Progrediens quoque ſacrificos offendit, inanes
Luminis æterni lyphantia * liba parentes. — * f. lymphatica
Dolium erat magnum ſacris gremíque capacis
Turbida cerviſiæ retinens libamina tetræ:
Quod Domini miles leni ſufflamine ſolvens
Diſſipat, erumpit paritérque fragórque liquórque:
Ut videas Sanctum fugere horrida flamina * flatum. — * dæmones
Barbaries pavefacta ſtupet, falsíſque recedens
Pars non parva Dei recipit juga ſuavia veri,
Inque fide infirmi firmantur robore facti.
Cogitat interea Sclavorum viſere fines,
Luce pia luſtrare animas ab origine cæcas.
Angelus at viſis adſtans, depingit in orbis
Schemate deſertum tenui ſub imagine mundum;
Ut dextram lævámve petat, fructúſque labore
Quæſitos ineat. Sancto hæc ſpiramine plenus
Viridimens *, nec adeſſe videns quo vincula gentis — * diſcutiens
Solvantur Domino tempus laqueata, quieſcit.
Cælicolis equidem qualis quantúſque probetur,
Æquivoci * caſſo pandit conamine cuſtos. — * Columbani alterius
Militiæ optanti metam palmámque laboris
Quæſitam oranti fulvâ ſe luce revelans;
Corpore non, inquit, modò te producere poſſum;
Patre Columbano poſcente, & flente repulſus.
Ociùs ille jubet mærens properare miniſtrum,
Flagitet accitum raptim decurrere Patrem
Viſere marcentem. Sacrâ flens Æde repertus
Poſcitur, accedit, cauſámque & vota requirit.
Ingratè * precibus queritur ſeſe ille teneri, — * invitò
Ductori obſtari lacrymis, retinacula ſolvat,
Jámque aditum cæli ſitienti regna recludat.
Ille metu attonitus, Fratres ciet ære petitos,
Atque recedenti quæſita viatica præbet,
Oſcula fert, funus cognati * complet amici. — * populatis
Ipſi jam Reges hujus ſua ſubdere colla
Non renuunt monitis, hinc lividus hoſtis adactus
Invidiæ ſtimulis molimina nota reviſit,
Pectora ſceptriferæ * ſupplens Regúmque parentis. — * Brunechildis
Et quia vir Domini Regis * benedicere cretam — * Theoderici
Crimine contemnit ſobolem, regalia ſceptra
Haud ſuſcepturam memorans; Regina furore
Hunc agitat diro, prohibens pia munera ferri,

[a] Epiſcopo ſcilicet Maguntino, nomine Leoniſio. Hoc factum ac ſequens per anticipationem referuntur.

AN. CHR. DC. XV. NOV. XXI.

Hoſpitióve capi ſocios, vel dote juvari.
Arguere infeſſos monitor, vel frangere motus
Regis it irati, nec linquit dura magiſtri,
Nec probat hoſpitium, recipit nec munera Regum,
Improba dona abicit, nutu data vaſcula rumpit
Intuitûs virtute, dapes & pocula fundit.
Auditis ſtupidus tremebundo horrore tyrannus
Supplex adproperat, veniam ſibi criminis orat,
Emendare admiſſa vovet, compeſcere ſpondet
Sollicitus labem, placátque hoc fœdere Patrem.
Aſt ubi Caſtra * Pater repetit, mox pacta ſoluta
Flagitium cumulant, conſueta piacla retractat.
Almiſator contrà verborum verbera legat,
Grammata * plena minis, acríque notamine mittit,
Quîs mulier veteris repleta furore veneni
Ad furibunda Palatinos ipſúmque nepotem
Inſtimulat Regem, pellat quò Caſtra colentem,
Publica compellens ad jura vacare calentem.
Impulſus ſtimulis leges temerare Toparcha
Attentat: contrà invictus pius incola perſtat,
Vaticinans omni procerem cum ſtirpe libandum *.
Territus hoc celer egreditur Rex famine ſacris
Quæ violatum ierat, non ſe, ſectante * coronam
Martyrij teſtans hujus contingere votis.
Quin eat, offendit quæ ritu examina linquat,
Ad natale ſolum, venit quo calle, recedat.
Ille negat Chriſti ſe ſponte relinquere Caſtra.
Rex abiens ſævum quem novit ad iſta miniſtrum
Deputat, hócque Patrem pulſum Veſontio captat.
Hæc quoque mira gerens verbo vincimina * ſolvit,
Eccleſiæ reſerat valvas prece, munit apertas,
Liberat exemptos, vertítque regítque redemptos.
Vim ſuperam cives ipſi renitere tuentes,
Ejus ab aporia * ſeſe compeſcere cenſent.
Ille videns ſe nullo angi cuſtode, reverti
Ad data Caſtra petit, mediíque in ſole diei
Regreditur, mediam populo ſpectante per urbem.
Nec mora concutiunt Proceres hæc nuntia diros,
Inſtigántque initum paſſim cumulare furorem.
Legatur furiata cohors comitante Tribuno
Vellere ductorem, exſiliíque reducere multam.
Accedens truculenta manus cæcatur in uno *,
Cætera conſpiciens, præſentem quærit & ambit.
Impingunt in eum pedibus, velamine veſtem
Contingunt, ſe cernentem neque cernere poſſunt.
Sidit * ovans inter trepidi anxia flabra tumultus,
Sed datur hoc ſpectare Duci, qui fortè renutans
Venerat ac nolens, ſolus reſidere legentem
In medio videt errantûm, ſed tegmine * lætum.
Quos revocans repedare jubet, Regíque referre
Fruſtra agitare virum Divo tutamine tectum.
Infremit hæc capiens, auctóque furore tyrannus
Accumulat facinus,..... ad peſſima legans
Crudelis famulos peragenda negotia juſſos.

* Monaſterium
* Litteras
* reſecandum
* perſequente
* reorum
* injuria
* Columbano
* reſidet
* vultu

Pſallentem cœtu inveniunt ſtipante canoro, AN. CHR. DC. XV. Nov. XXI.
Exeat inſinuant, venit quo tramite pergat.
Rennuit ille greges caróſque relinquere natos.
Lictores utrimque timor conturbat & horror,
Hinc Regis furor, hinc tanti reverentia Patris.
Compatiens pius indultor diſcrimine ſeptis,
Egreditur, lamentantes comitantur alumni,
Avulſi quidam luctu potiore tenentur.
Hos ſolatori Domino tamen ille tuendos
Allegans, laudare monet ſine fine Tonantem,
Altorem húncque patrem valeant ut habere foventem.
Ducitur exſilio, ferróque petitus inani
Vi tegitur ſuperâ, captum tortoribus * hoſtem *à dæmonibus
Eripit, hunc priſcæ redhibens pluréſque ſaluti.
Affatus quoque ductorem, quem ſpernat haberet
Ociùs ut dominatorem, tempúſque reſignat,
LOTHARIO careat dominis ſub Principe caris.
Tandem actus Ligeris fluctus jam lintre ſubire
Oceaníque petiturus pervertere campos,
Dum lento * ſcapham ſubeunt molimine Fratres, *utpote inviti
Egregium Sancti comitem cognomine LUAM
Cuſtodum remo quidam audaciſſimus haurit *. *percutit
Increpat atrocem ductor * pro crimine dignam, *Columbanus
Præcinit & Chriſto luiturum vindice multam.
Famina lata ſequens certi probat ultio Vatis:
Moxque reviſentem portum vorat unda protervum.
Ac Pius arradens fluvialia terga carinâ,
Sicubi metatur, pronis fert lumina cæcis,
Horrida ſpirituum depellit monſtra nigrorum.
Puppe ſecans undas Turoni delabitur oris,
Viſere ſacra volens Martini avertitur aulâ,
Cum mærore gemens votis portum obtinet imis:
Remis acta avidis moderans ſe ſcapha reſiſtit,
Arma gubernantûm ſpreto rectore triumphans,
Litora ſponte petens fert invito arva magiſtro.
Ductori ſupero grates pius advena pangens
Templa optata ſubit, Sanctis noctem excubat aris,
Séque ſuóſque Deo Martini munere legans,
Papa [a] LEUPARIO convivia inire rogatus.
Obſequitur ſociis curans relevare dolorem,
Prandendúmque inter replicans oracula firmat,
Pulſorem fuerat quæ jam jaculatus in hoſtem:
Ante triennales memorans Hyperionis * orbes *Solis
Cum natis pariter ruiturum THEODERICUM.
Hinc navem repetens Fratres angore teneri
Invenit, addiſcens furtum caligine * paſſos. *nocte
Nec mora, Martini jacturam queſtus ad urnam
Regreditur, non ſe hîc vigilâſſe fatetur
Ille ſuos ſineret tolerare ut damna ſodales.
Concutitur mox latro gravi quatiente flagello,
Exclamátque palam qua tecta nomiſmata celet.

[a] Ergo adhuc ſæculo x. Epiſcopi dicebantur Papæ: item Summi Pontifices ſaltem ij qui Metropolitæ erant, uti ex Odone Glannafolienſi Abbate in Hiſt. Tranſl. S. Mauri Abb. conſtat.

AN. CHR. DC. XV. Nov. XXI.

Cernentes ſocij currunt, ſublata rependunt,
Flagitio parci poſcunt, horrore tremiſcunt,
Rémque Patris verè ut ſacram tractare paveſcunt.
Omnia pauperibus largito ac ferre parato
Indiguóque dapis, cæleſtia dona feruntur,
Gratificúſque capit, peſtéſque & livida* pellit.
Æquoreas tandem Ligeri delatus in oras,
Ad patriam revehi, Oceanúmque ſubire jubetur.
Scottica návis adeſt quæ res comitéſque capeſſit
Licta Patris refugæ nativa reviſere rura.
Remigiis igitur zephyríſque faventibus acta
Findit terga maris, fluctúſque adnititur altos:
Cùm ſubitò mare nolle viri ſentiſcit, & imo
Exſiliens pelago ſævis conatibus obſtat,
Fluctibus atque ratim propellens reddit arenis.
Cœrula ſubducens retegit, ſiccátque carinam,
Collectúmque ſibi finibus requieſcit adactis.
Siſtere ſic triduo cogens ſine gurgite cumbam
Nauclero cernente Dei quo numina caſu
Res Patris exhauſta, ſocióſque à puppe remittit.
Æquora mox adſunt, properántque reſumere lintrem,
Optatíſque vehunt per plana liquentia flabris,
Laudantes placitum cuncti præferre Tonantis,
Mirari factum, Vatem quo vellet abire
Mittere ſponte ſuum, famulatu opibúſque levare.
Miſſus Lotharij devotam competit aulam,
Quem Rex munus ovans acſi cæleſte receptat.
Flagitat ut maneat degendi habitacula præſtat.
Regibus ille cavens lites augere, recuſat,
Increpat errorem, regit apte regmine Regem.
Interea bellum gemino meditante tyranno
Poſcitur alterutro, neutro parêre jubetur
Rex Patris imperio, ſceptra* utriuſque canuntur*
Hujus regminibus terna intra tempora ſubdi.
Obſequitur Princeps monitis, fidóque fidelis
Exſpectat promiſſa animo, ſpes figitur æthræ,
Et patiens ſervat donec data culmina ſumat.
Applicitis Vatis ſociis, ſolatia cœpti
Fert iteris * gelidas ſuperare volentibus Alpes.
Quáque venit Pater egregius, virtute coruſcat,
Horrida deturbat, ſacratu mitia firmat.
Meldenſi comitem ſe CHAGNERICUS ab urbe
Ultro offert, ejúſque dicat benedictio natam
Cum laribus BURGUNDO-FARAM Chriſto indole junctam.
Quam pater infido tentans abſcindere niſu,
Lumine percuſſam febribúſque extrema trahentem
Ingemit, EUSTASIÓQUE petit Patris hujus alumno
Hoſpite ſuſcepto ſanari peſte remota.
Ille rogans iterat * votum, fert inde medelam.
Quo pergente, necem legit * hæc quàm frangere pactum,
Dum promiſſa ferat, ſacra dum velamina captet,
Candida Caſtra * locat ſponſo quîs militet Agno,
Agmina ſiderei coëant quo florida regni.
Matronam ipſe means excepit * honore Columba,

* Dæmones

* *Supple* ac predicuntur

* itineris.

* iterari facit

* eligit

* Monaſterium Evoriacas

* *f.* exceptus

AUTHARII colitur devoti munere amici. AN. CHR. DC. XV. Nov. XXI.
Cujus & hic ſubolem gemino ſplendore micantem
Matre ferente ſacrans, fidei benedicit honore.
Regibus accepti, regali munere clari
Hinc adſpirantes ſuperis Chriſtóque flagrantes,
Vitantéſque voluptatum diſcrimina, cælum
Mente petunt, cæleſtiáque agmina cogunt,
Caſtra beata locant, Juranis ſaltibus arunt*, * f. alter
Alter Reſbacis Briegenſis margine rivi.
Sic quoſcumque Patris locuples benedictio munit,
Obtinus * attollit cælorum in culmina finis. * f. Optimus
Conſiliis quicumque hujus parêre faventes
Non renuêre regi, gaudent ſibi proſpera ferri.
At conſulta animi qui poſthabuêre paterni,
Expertes voti vacuo flevêre dolore:
Ut Rex ille repulſoris frater* Patris almi, * Theodebertus
Servitiis ſubici Chriſti qui ſponte ſalubri
Dum vitat parendo Patri, ſubſternitur hoſti.
Nec dilata diu res, bella cientur utrimque,
Diverſæ alterutrum coëunt in prœlia gentes.
Vir Domini ſolus vaſtam comitante miniſtro
Inierat tum fortè eremum, reſidénſque legénſque
Appetitur ſubitò, Domino moderante, ſopore,
Atque videt Reges inter quæ bella caleſcant.
Excitus adſtanti famulo arma flagrantia pandit,
Effundi nimium ſuſpirat utrimque cruorem.
Pulſorem * contrà monet exorare miniſter: * Theodericum
Conſilium Pater inſulſum notat improba faſſum,
Dum magis hoſtilem decernat amare ſalutem,
Atque rogare Deum, cujus hæc bella librantur,
Numine qui juſtâ diſponit lance duellum.
Jam qui conſultis renuit ſervire benignis
Terga parat fratri, captúſque aviáque ſubactus
Ponit gemmiferos muliebri forfice crines:
Et quæ non voluit Chriſti ſubſtratus amori
Sumere, ludibrio præmonſtrat ſigna coronæ.
Nec mora, mactatus rabie laceratur Hyenæ*: * Brunechildis
Ætherio frater * tactus conſumitur igne. * Theodericus
Atque ita LOTHARIUS cernens ſibi ſceptra parari
Sancto dicta Columbano ſubit, arma prehendit,
Debita cum turmis properans ſibi regna capeſſit.
Regis adulterio genitam facili agmine prolem
Cum ſcelerum incentrice capit, necat, excipit aulæ
Criminis altricem expoſtam, vectámque camelo
Indomitis innectit equis, terit impete raptis.
Sic ſic veridici complentur famina Vatis.
Ergo Columbanus pennis animíſque columbæ
Regna ſuperna petens, Gallorum tranſvolat Alpes,
Auſoniam ingrediens, AGILULFO Rege decenter
Excipitur, ſubiens pia mœnia, Mediolanum
Incolit, expurgátque hereſes, atque arma miniſtrans
Eccleſiæ, recti meditatur dogmata callis.
Accipiénſque * à ſe rupti juga montis aceto* * Audiens *f. acuta
Mirifici ſplendore Petri comíque colíque:

AN. CHR. DC. XV. NOV. XXI.

Ociùs hæc ſuperans, avido petit alta volatu:
Semirutámque aulam neglectu monticolarum
Offendens, priſco accelerat reparare decore,
Succiſáſque trabes ſcopulis per devia collis
Pondera quadragenorum per plana virorum,
Cum tribus aut geminis ſine fuſte vehebat alumnis.
Nec pondus veluti veherent, quin pondere vecti.
Sícque pio Fratrum mentes hortamine firmans,
Incepto lætis operi perſiſtere votis,
Ut qui velle Dei patulo fulcimine captent.
Culmina reſtaurat properè, ſarcítque ruinas,
Atque Monaſterij diverſa habitacula condit.
LOTHARIUS Vatis completa oracula cernens,
EUSTASIUM monitis Luſſovia Caſtra regentem
Dirigit, almifici veſtigia ſacra Magiſtri
Cum prece ſectari latâ ſuplicamine Regis,
Quò redeat, votis degat, quæſitáque ſumat.
Gaudet hic adventu geniti, ſuadétque morari
Quantiſper ſecum claræ pietatis alumnum,
Ad requiem comitum, doctrinæ ad regimina Fratrum:
Se repedare negans, retróque redirè recuſans.
Regi gratifico monitum pòſt pergere legat,
Corrigat ut propriam morum moderamine vitam,
Suſtentet ſocios Luſſovia Caſtra colentes,
Præſidiis foveat, regali munere comat.
Fœdera grata hilaris Rex captans honore venuſtat,
Caſtra ſuperna fovet, delegata agmina fulcit,
Subſidiis explet, dominandi finibus auget.
At Pater ipſe Columbanus dum clauditur annus,
* Regulis Mandatis * nova ſepta colit Cellæ Ebobienſis.
Nexibus hinc animam carnis tenebríſque ſolutam
Almifico cælis infert ſplendore decoram.
Pignera reſtructi per eum Templi æde locantur.
Quàm celſæ meritum vitæ, data ſigna loquuntur:
Strenuitatem animi præſtans doctrina profatur.

MIRACVLA S. COLVMBANI,

SCRIPTA A MONACHO BOBIENSI

anonymo, qui ſæculo x. vixit, ut conſtat ex capp. 7. 9. & ſeqq.

Ex MSS. codd. Ciſterc. & Autiſſiod.

PRÆFATIO AUCTORIS.

I. QUÆ Dominus noſter per merita Patroni noſtri ſanctiſſimi COLUMBANI pandere dignatus eſt ab ortu nativitatis ejus uſque ad adventum ipſius in partibus Ebobienſis, ſeu & de conſtructione ipſius Cœnobij, vel obitu ejus, JONÆ cujuſdam ſtudio tranſcripta reperimus. Cetera quæ adhuc ipſe vivens geſſit in ſupradicto loco, quia præfatus vir ſilendo præteriit, ut ne tanti viri geſta vel miracula oblivioni traderentur, juſſum eſt mihi à quodam Præceptore meo, ut proprio ſtilo quomodo valerem tranſcriberem.

berem. Quod ego denegare non ausus sum, quia vapulare metuebam: & cùm esſem indoctus, inchoare timebam. Qua de re undique me premebant angustiæ. Sperans tamen in eum qui linguas infantium disertas facit, & qui per Prophetam clamat, *Aperi os tuum & ego adimplebo illud*, quòd ille mihi minimo intellectum posset tribuere per misericordiam quod deerat per ætatem, ad ea juxta meam parvitatem recitanda toto me desiderio mancipavi. Nec cogitet quisquam quòd audacter vel propriis viribus confisus sarcinam tantæ molis arripuerim; sed quia jussio Præceptoris me ad hoc opus impulit, nec fas fuit ejus (sicut jam retuli) jussionibus non parêre. Nihil itaque mihi conscius, sed priùs ad Deum mente conversus, suppliciter postulavi, ut vel scintillam sancti sui Spiritus mihi parvulo non negaret ad ea narranda quæ jussus fueram: aliter enim nequibam, sicut ipse dicit: *Sine me nihil potestis facere.* Discant etiam æmuli non me irridere, quia non sponte, sed coactus hoc opus aggressus sum. Ab exordio enim ædificationis Ecclesiæ, misericordia * in jam fato loco, & ipsius dilectissimæ speluncæ hæc enarrare cœpi, & pauca de ejus virtutibus disserere quæ à veracissimis viris didici: & postea ad ea me contuli quæ temporibus præcellentissimi Hugonis Regis acta sunt, quia necesse fuit aliquid immorari. Titulos etiam uniuscujusque virtutis suppositi, quo facilius eluceret in capite quidquid esset requirendum in corpore.

An. Chr. dc. xv. Nov. xxi.

Pſ. 80. 11.

Auctoris consilium. *Ioh.* 15. 5.

* *fortè*, miracula facta

I. *De adventu ipsius in Italia & de constructione Ecclesiæ in loco Ebobiensi.*

2. Columbanus igitur Hiberniâ ortus, post alia Cœnobia in partibus Galliarum structa, seu & post nonnulla adversa quæ à Theoderico Rege, & Brunichilde perpessus est, monitu Angelico Italiam veniens, ab Agilulfo Longobardorum Rege honorificè susceptus est, sicut in sacris ejus reperimus gestis: datáque ei optione loci Ebobiensis, Monasterium inibi construere cœpit: ubi etiam Ecclesiam in honore almæ Dei genitricis sempérque Virginis Mariæ ex lignis construxit ad magnitudinem sanctissimi corporis sui. Inter ceteras denique virtutes quas Dominus in ipsa operatus est Ecclesia, hæc præcipuè viguit, sicut ab antecessoribus nostris audivimus, quòd si aliquis tristis illic adveniebat, si ibi aliquam morulam haberet, interventu sanctæ Virginis supradictíque viri, lætus exinde revertebatur. Ante ipsam denique Ecclesiam sanctus Attalus Crucem affixit, ubi & meruit cælos videre apertos: ipsámque Ecclesiam venerabilis Abbas Agilulfus[a] ex lapidibus struxit, turrémque super eam ædificavit, & campanas fecit in ea pendêre sicut nunc cernitur.

II. *De vestigio pedum ipsius in terra expresso.*

3. Venerabilis etenim Columbanus secretiorem locum exquirens, sicut ejus mos erat, ut videretur aliquantulum segregatus à Fratribus vacare orationibus, & jejuniis immorari; egressúsque à Monasterio transitóque flumine Trevia, juxta illud pergens devenit ad fluviolum qui vocatur *Coriasca:* Indéque juxta alveum ipsius fluminis iter agens, rupes illas circumquaque pervidens advenit inter duos montes unde illud decurrit; ex quibus unus qui est ad dexteram partem vocatur Telectum, alter verò qui est ad lævam nuncupatur rusticâ linguâ Groppoaltum: in illam verò ripam quæ est ad sinistram partem adscendens, devenit ad quamdam petram quæ videtur in eminentiore rupe esse posita, & exinde circumquaque rupes hinc & inde conspicere poterat: mirabiléque dictu! in ipsa petra vestigium sanctissimi pedis ejus dextri sic expressum est sicut hodiéque apparet, quasi si aliquis sigillum in cera expresse-

[a] Aigulfus seu Agilulfus Bobiense Monasterium rexit anno dccc. lxxxiii. & reliquo sæculo ix, sicuti videre licet in Ital. Sac. Tom. 4.

AN. CHR. DC. XV. Nov. XXI. rit, & ablato illo cujuſcumque figuram demonſtret, ſic & ipſa petra, ſicut ſuprà diximus, veſtigium ipſius demonſtrat Sancti. Ex illa enim die ille locus ob reverentiam venerandi viri, linguâ ruſticâ AD URNAM S. COLUMBANI vocatur. Sed in temporibus noſtris unus ruſticus qui in illa rupe capellas cuſtodiebat, ipſam petram adſcendens (ſicut mos eſt paſtorum in illam adſcendere propter calorem ſolis, vel ob cuſtodiam caprarum) non dedit honorem Deo neque S. Columbano: ipſam pariter à corpore totius petræ ſeparavit, & in fluviolum quod prædiximus devolvit. Idem verò ruſticus ipſo die percuſſus eſt, & poſtea non meruit ſanari. Quo comperto venerabilis Sacerdos THEODERULFUS nomine, qui eidem ſpeluncæ tunc præerat, ipſam perquiri fecit, & ad ſe deportari rogavit, dignóque loco repoſuit.

III. *De inventa ſpelunca & petra in ſuo loco appoſita.*

4. SANCTUS denique Columbanus in jamdictam rupem locum ſibi aptum non inveniens, ipſam relinquens, in rupem aliam quæ eſt juxta montem prædictum adſcendens, ſubtiliſſimè perluſtrans, devenit ad radicem ſaxi, cui ſupereminet magna rupis. In ea itaque locum ſibi cernens congruum mundánſque, Eccleſiam inibi conſtruxit in honore beatæ Dei genitricis ſempérque Virginis MARIÆ, ea menſura quam ſuprà oſtendimus. Solitariam verò ibi agens vitam ſoli Deo vacabat in jejuniis & orationibus, tántúmque Sabbato vel diebus feſtis ad Monaſterium revertebatur: totáque Quadrageſima illic manſiſſe perhibetur. Cúmque ſemitam illic requireret unde venire vel redire poſſet, tranſitum habuit ſecus ſaxum de quo olim magna pars diviſa fuerat, & in ipſo itinere jacebat. Denique cùm ex nulla parte locum divertendi inveniret, humano deſtitutus auxilio, ad divinum recurrit, orans virtutem ſibi à Deo dari, quatenus ipſam partem in ſuo loco poſſet reſtituere. Tanta autem adminiculans Dei pietas Electo ſuo virtutem tribuit, ut ipſam loco ſuo reſtitueret unde viſa fuerat cecidiſſe, liberum greſſum omnibus illic tendentibus dans. Ob venerationem itaque tanti miraculi, à fidelibus Crux juxta eam poſita eſt, ſicut & hodie cernitur.

IV. *De Cruce juxta ſaxum poſita.*

5. SANCTUS Columbanus non longè ab Eccleſia quam ſuprà diximus locum alium eligens, ubi ſaxum erat aliquantulum concavum, crucem ſibi affixit. Conſuetudo eſt enim hominibus hujus gentis, unumquemque per diem centies & eo plus genuflectere: ad quod opus locum eumdem ab eo credimus expetitum. Quidam autem Francigena orationum causâ iter agens, tranſitum habuit juxta jamfatam ſpeluncam. Ut cognovit autem à dicentibus in illis partibus Eccleſiam à B. Columbano conſtructam, orationis causâ illic pervenit. Cúmque veniſſet ad oſtium, & ſicut mos eſt pulsâſſet, receptus ductúſque eſt ad orationem, reſumptíſque paullulum viribus, perrexit ad jamdictam Crucem: ibíque flexis poplitibus orans, Crucem illam adſpiciens, ſollicitéque inquirens quis illic eam appoſuerit, ut didicit à S. Columbano factam & illic appoſitam, opportunum tempus exquirens, partem ex ea latenter abſtulit, & ob amorem ſancti viri ſemper ſecum deportavit. Romam itaque pergens locáque Sanctorum circuiens, reverſus poſtea in Franciam, inter cetera verò narrationis ſuæ colloquia virtutes S. Columbani quas à cuſtode prædictæ ſpeluncæ didicerat narrabat, gloriabatúrque ſe habere partem Crucis quam ſua fabricaverat manu, & per quam non paucas virtutes factas narrabat. Poſt multum verò temporis ex ipſis partibus veniens ad prędictam ſpeluncam, partem Crucis quam deportaverat & virtutes quas per eam Dominus egerat narravit, de quibus virtutibus videtur nobis rectum eſſe, noſtro operi unam inſerere. Dicebat enim prædictus Francigena fratrem ſuum longo tempore caduca paſſione vexatum, hauſtu ipſius Crucis ſanitati priſtinæ reſtitutum, ceſſante jam

NOTA.

omni pene induſtria Medicorum. Nullus enim ejus potuit incommoditati aliqua medendi arte ſuccurrere, quia ad laudem ſui nominis ſervo ſuo Columbæ Dominus hujus prærogativam contulerat ſanitatis. In eodem verò loco in quo prædicta Crux à S. Columbano poſita fuerat, Eccleſia in honore ſanctæ Crucis conſtructa eſt, ſicut nunc cernitur, ubi etiam ipſa Crux pro amore inclyti viri honeſtiſſimè ſervatur. AN. CHR. DC. XV. NOV. XXI.

v. *De legumine quod nunquam ſeritur, ſed ex ſe profert ſemen.*

6. QUIA de conſtructione, dilectiſſimi, ſpeluncæ loqui cœpimus, libet de virtutibus S. Columbani inſerere, de quibus ipſe locus uſque nunc floret. Nam legumen Pis, quod ruſtici *Herbiliam vocant*, ex adventus ſui tempore per ſingulos annos ſponte naſcitur per illas rupes quas ipſe perambulavit, nullo ſerente, & quod nobis majus miraculum videtur, per ſciſſuras petrarum ubi nullus humor adeſt. Non æqualiter tamen per ſingulos annos naſcitur. In multis enim locis ubi præſenti anno orta fuerit, in alio deerit. Sed in hoc Domini noſtri virtutem eſſe credimus, quòd ipſe per ſervum ſuum quotidie operatur. Nam ſi in uno loco per ſingulos annos naſceretur, forſan multi putarent non eſſe virtutem Sancti, ſed de illius ſemine ubi caderet, & inde oriretur. Mos enim eſt cuſtodi ipſius ſpeluncæ quando apparuerit, ibi ſignum mittere, quouſque ad maturitatem pervenerit, diligenterque tunc colligere, & Abbati tranſmittere. Abbas verò Regibus, ſive Principibus ſolitus eſt pro benedictione S. Columbani dare.

VI. *De puero quodam ferrario.*

7. QUIDAM vir ferrarius, nomine Petrus, & in ipſa arte bene inſtructus, omnibúſque nobis notiſſimus, nuper excæcatus eſt. Habens denique uxorem & filios, contriſtari cœpit quomodo eos gubernare vel regere poſſet, qui humanum lumen amiſerat. At ille videns ſe eſſe privatum lumine, humanam medicinam reſpuens, ad Divinam recurrit. Præcepit namque uxori ſuæ ut ceram in luminaribus præpararet, & homines qui eum ducerent ad prædictam ſpeluncam acquireret. Veniente ergo illo ad jamdictam ſpeluncam, ingreſſus Oratorium cum luminaribus deprecabatur S. Columbanum, quatinus intercederet pro eo ad Dominum, ut ei priſtinum lumen reddere dignaretur. Meritis itaque S. Columbani meruit amiſſum lumen recipere, & gratias agens Deo, cum gaudio reverſus eſt domum ſuam. Deníque adhuc ſupereſt, & valet, & bonum teſtimonium habet ab his qui eum norunt.

VII. *De contracto in ſollemnitate S. Columbani ſanato.*

8. MIRACULUM quod geſtum eſt in ſupramemorato Cœnobio Ebobienſi tempore BERENGARII Imperatoris [a] videtur nobis non eſſe commodum ſilentio tegere, quia ſicut Raphaël Angelus Tobiæ dixit, Opera Dei revelare honorificum & decentiſſimum eſt. Hujus ergo miraculi qui adhuc ſuperſunt teſtes ſunt, qui in ipſa ſollemnitate ibi adfuerunt. Fuit quidam pauperculus nomine Gaudinus ex Francia ortus, omníque corpore contractus, itaut vaſcula in quibus ſolebat cibum vel potum ſumere, nullomodo aliter portare poſſet niſi ſuper collum poneret, & ſic reptando cum bacillis properaret. Adveniens igitur in jamdictum locum, receptus ductúſque eſt ad Hoſpitale, ſicut mos eſt, ibíque hoſpitium & victum inveniens plures illic manſit annos. Quodam itaque anno in vigilia ſollemnitatis ſanctiſſimi Columbani, omnibus membris dolere cœpit. In ipſa autem nocte ſonatis ſignis ad vigilias omnes accurrunt, ipſe verò inter eos adfuit nimis dolendo atque lamentando, itaut in ipſis

[a] Berengarius Dux Forojulienſis anno Chriſti CM. Regnum Italiæ occupat, Imperij coronâ poſtea violenter extortâ occiditur anno CM. XXIV. Lege Baronium.

AN. CHR. DC. XV. NOV. XXI. vigiliis magnas voces emitteret, vocésque nonnullorum psallentium vel legentium interrumperet. Multi verò sperabant * eum tunc exire de sæculo, condolentes ei. Finitis vero Matutinis, & ad minorem Missam venientibus, ipse (sicut jam dixi) advenit. Diaconus verò in ambonem adscendens, Evangeliúmque pronuntians, ipse nihilominus magnis clamoribus agebatur, & cœperunt ossa ejus sonare quasi dum virgulta franguntur, cœpítque se extendere. At illi qui juxta eum erant, videntes quod fiebat, levantes eum adducunt ante cancellos. Videntes autem omnes qui aderant, virtutem Dei per meritum S. Columbani in ipso fieri, in lacrymis resoluti sunt, itaut Diaconus qui Evangelium legens inchoaverat, vix propter luctum finire valeret · & levantes eum deportaverunt in cryptam ante sacratissimum S. Columbani sepulcrum, laudantes Dominum qui per servum suum eo tempore tantum miraculum declarare dignatus est. Ipse autem Gaudinus aiebat se videre duas columbas pulcherrimas sedere super sacratissimum corpus: his tamen qui ibi aderant, non est datum eas videre. Credimus enim in tanta virtute non defuisse præsentiam sanctissimi viri. Ipse verò in omnibus recuperata sanitate per aliquot menses ibidem mansit, & postea discessit. De his ita. Nunc veniamus ad ea quæ superiùs promisimus.

* *id est*, credebant

VIII. *De Principibus qui res S. Columbani invaserunt.*

9. TEMPORE excellentissimi Regis HUGONIS [a], erant Principes in Italia, qui nec recta facere neque etiam consentire cupiebant, de quibus sapientissimus Salomon nos admonet: Ne æmuleris, inquit, viros malos, nec desideres esse cum iis: quia rapinas mens illorum meditatur, & fraudes labia eorum loquuntur: & ipse in Ecclesiastico; *Interdum dominatur homo homini in malum suum.* Vidi impios sepultos qui etiam cùm adviverent, in loco suo erant, & laudabantur in civitate quasi justorum operum. Etenim quoniam non profertur citò contra malos sententia, absque ullo timore, & filij hominum perpetrant mala. Inter quos erant & GUIDO Episcopus Placentinæ urbis, & RAINERIUS, & non pauci alij qui res Ecclesiæ Ebobiensis abstractas habebant, & injustè suo juri conjunctas. SILVERADUS [b] autem illo tempore regebat supradictam Abbatiam. Contigit autem ut ALDA nobilissima Regina duceret secum sapientissimum castissimúmque atque nobilissimum virum nomine GERLANNUM, cupiens eum Episcopali fastigio sublimare. Videns autem eum Rex sapientiæ florere virtutibus, suum sigillum ei tribuit summúmque Cancellarium esse prœcepit. Mortuo autem Silverado Abbate, tribuit ei supramemoratam Abbatiam, in qua veniens invenit eam sua possessione privatam. Unde multùm tristis effectus, cogitare cœpit qualiter ipsam terram ab illo dominatu abstraheret. Unde sæpiùs interpellavit supradictum Regem, sed Rex potestativè eam non valebat ab iis auferre. Metuebat enim eos, ne si aliquid contra eorum voluntatem ageret, Regni damnum incurreret: quia scimus etiam contra eum sæpiùs rebellâsse. Consilium autem prædicto Patri Rex Gerlanno tribuit, ut corpus B. Columbani cautè de tumulo levaret, & quando ipse colloquium cum suis Principibus ageret Papiæ, deferret, ut videntes ipsum sacratissimum corpus propter suas res illuc delatum esse, vel sic ab illarum rapacitate cessarent.

* *Eccli.* 8. 9.

a

b

IX. *De Magistris ad sepulcrum S. Columbani frustra laborantibus.*

10. NON multo pòst itaque ad Monasterium reversus, paucis Senioribus secretum hoc indicavit; jussítque uno ex magistris nomine CHRISTIANO, ut de lignis abiegnis arcam faceret aptam tanto pignori ad portandum.

a Hugo Provinciæ Comes, anno CM. XXVI. Italiæ Rex creatus, fit Monachus anno CM. XLV.

b Silveradus in Catalogo Abbatum Bobiensium To. 4. Ital. Sac. desideratur, uti & Gerlannus hoc in capite memoratus.

Nos autem qui eramus in illo tempore, arcam fabricare videbamus, ſed ad quod tempus * fieret ignorabamus. Appropinquante autem die quo ſanctum corpus levandum erat, juſſit ſupradicto magiſtro ut ad ſacratiſſimum corpus cum magna reverentia accederet, menſámque ſublevaret, quod & factum eſt. Cùm autem vellent lapides deſuper ſacrum ſepulcrum levare, tota die fruſtra laborantibus, nec unam quiverunt amovere: pavore autem perterriti indicaverunt hoc Abbati. Quo audito nimio terrore percuſſus, ad ſacratiſſimum ſepulcrum devenit, proſtratóque toto corpore in terra cum lacrymis, adſerens ſe non ob aliam cauſam levare velle niſi neceſſitate ſibi ſervientium compellente: diúque ibi orante, ut ſineret ſe levari cum magno gemitu obſecrabat. Illóque ad ſuam domum reverſo tanta celeritate levaverunt, ut omnes apertè cognoſcerent antea ſe levari non velle. Ad lapidem autem venientibus qui tegebat ſanctum corpus, non ſunt auſi levare, ſed nuntiaverunt Abbati ut veniret, & indicaret quid exinde vellet. Veniente ergo illo cum religioſis Fratribus, ſublato lapide ſanctum corpus adſpicientes ſubtiliſſimo pallio circumdatum, perfuſi lacrymis proſtratíque in terra diu oraverunt, coopertóque ſepulcro, & ſigillo appoſito uſque in craſtino dimiſerunt. AN. CHR. DC. XV. Nov. XXI. * *lege* opus

X. *Qualiter Sancti corpus de tumulo eſt elevatum, vel de ſanitate cujuſdam Preſbyteri.*

11. MANE autem peracto, venientibus omnibus Fratribus cum Clericis de circumadjacentibus plebibus quaſi horâ tertiâ in majori Eccleſia, & ipſe venerabilis Abbas cum quatuor religioſis Monachis ſacerdotalibus veſtibus indutis, proſtrati in terra cum magno rugitu & lacrymis oraverunt, ſanctúmque corpus adſpicientes alio pallio circumdederunt, & in arcam quam prædiximus condiderunt. Coopertâ itaque arcâ, ferríſque obfirmatis, aliíque ante fores ipſius cryptæ exſpectantes cum cereis & lampadibus atque thymiamate, rurſus reliqui omnes in majori Eccleſia litanias perſonabant. Levatum itaque pretioſiſſimum corpus delatum eſt in throno ante altare almi clavigeríque Petri, & qui adſtabant magno fletu permoti grandibus clamoribus aiunt: Sancte Columbane adjuva nos: tui ſumus, obſecra Dominum ne pereamus. Et cuſtodibus deputatis perrexerunt omnes ad menſam. Sed quid in ipſo ſpatio Dominus per ſervum ſuum operatus eſt, videtur nobis non eſſe ſilendum. GRIMALDUS quidam Preſbyter cuſtos Eccleſiæ S. Martini graviſſimo languore per multum tempus percuſſus, itaut omnium membrorum careret officiis, ad Monaſterium adductus eſt. Auditóque quòd ſanctum corpus à tumulo eductum, & ante altare Sancti Petri poſitum eſſet, rogavit ut illic portaretur. Quò delatus ſubtus arcam, niſu quo valuit toto ſe corpore proſtravit. Mira virtus! ipſe enim qui tanto tempore caruit officio omnium membrorum, in parvo ſpatio adeptus eſt tantam virtutem, ut quando Fratres ſurrexerunt à menſa, repererunt eum ante arcam ſtantem, baculóque ſuo ſe ſuſtentantem, Deum glorificantem, ſanctóque Columbano gratias agentem, & non poſt modicum, cum aliis ipſum inclytum corpus ſequentem.

XI. *Quo ordine iter agere cœperunt, vel quomodo candelæ accenſæ ſunt.*

12. DENIQUE venerabilis Abbas convocavit duos Preſbyteros, unus ex illis nomine RAINERIUS, qui poſtea cuſtos ſpeluncæ prædicti Sancti effectus eſt; præcepítque illis, ut quamdiu arca veheretur, ſemper ante ipſam duo tintinnabula perſonarent: juſsítque antecedere cruces cum cereis & thuribulis cuppámque ſuam necnon & peram, ubi adſuetus erat dum adviveret Evangelia portare. Signis verò concrepantibus, & in Eccleſia convenientes, non modica caterva populorum, diúque cum lacrymis clamante, ipſe venerabilis Abbas prior acceſſit cum tribus Senioribus ad arcam: imponentéſque humeris NOTA.

AN. CHR. DC. XV. Nov. XXI.

ſuis, ire cœperunt eo ordine quo ſuprà diximus. Monachi verò Antiphonas canentes, populíque *Kyrie eleiſon* acclamantes, egreſſi à Monaſterio venerunt in pratum quod nuncupatur *Ad pontem*, ibíque ſubter condenſam arborem depoſuerunt. Juſſit denique ut cortex ipſius arboris abſtraheretur, quatinus ſignum Crucis appareret: & ubicumque illud corpus deponeretur, ob memoriam ipſius cruces fierent. Illic verò moram agentibus, multi venerunt ex vicinis villulis & ad arcam venientes, baculis dimiſſis, humo proſtrati adorârunt Sanctum, indéque pergentibus pervenerunt in quamdam poſſeſſionem prædicti Cœnobij, quæ nominatur Sarcurianum *, jam adverperaſcente die: arcáque in Eccleſia ante altare poſitâ, candelabris cum cereis accenſis ad caput pedéſque appoſitis, & deputatis Fratribus, qui illic Pſalmos cantarent, reliquis qui ad hoc officium erant deputati, quæ neceſſaria erant Fratribus præparantibus, ſubitò ventus irrupit, & candelas omnes exſtinxit: turbatíque illi qui ad almum corpus excubabant, per vicinas domos ignem quærere aggreſſi ſunt, ut poſſent exinde candelas accendere. Denique revertentes inveniunt candelas Divino nutu accenſas, lætioréſque effecti gratias egerunt Deo, ſanctóque Columbano. Diſpoſitis ergo qui vigilias erga ſacrum corpus Pſalmóſque pernoctantes canerent, alij ſe ſopori dederunt, mane autem facto finitis Matutinis iter arripiunt.

* *al.* Saturianum

XII. *De puero à nativitate muto & loquela ei reddita.*

13. QUIDAM itaque ruſticus habitans in pago *Cannavim*, habens filium ab ortu nativitatis mutum, ipſa die agrum colens unà cum filio ſuo repentè exclamavit puer ad patrem: Pater, pater, ecce S. Columbanus adeſt. Illéque valde admirans & gaudens ait: Quid ais fili? Et ille: Non audis, pater, ecce inde veniunt famuli S. Columbani afferentes eum. Ille verò adſcendens ſuper excelſiorem locum, intentis auribus auſcultans, intuénſque oculis adſpiciebat, ſi aliquod ſignum videret de hoc quod à filio audierat: diúque exſpectans audivit à longè per montem qui vocatur Longus, ſonitus venientium, vocéſque *Kyrie eleiſon* acclamantium. Ille itaque cernens quod à filio audierat verum eſſe, currens ad Eccleſiam nuntiavit hoc Sacerdoti: Sacerdos autem hoc audiens ſacris veſtibus indutus, juſſit urnas impleri vino, exiénſque in viam per quam venturi erant, præſtolabatur eorum adventum. Illis verò appropinquantibus ſupplex ac ſubmiſſus obſecrabat Sanctum, narravítque omnibus quod factum fuerat, & potum tribuens omnibus, gratias agentes Deo, iter quod cœperant proſequuntur.

XIII. *De tranſitu Padi & percuſſorio tintinnabuli invento.*

14. DEHINC pervenerunt ad portum qui vocatur Periculoſus, illícque præparatam navim invenerunt. In ea itaq; corpus ſanctum deponentes cum his qui tintinnabula vel cereos, ſeu & cruces portabant, recto itinere ad aliam delati ſunt ripam. Mirantibus verò nautis, virtutem eſſe Sancti acclamabant, quòd in neutram partem divertiſſet: & cunctis narrabant numquam eis ita accidiſſe. Sed Rainerius Sacerdos portitor unius tintinnabuli, illo neſciente percuſſorium ſui tintinnabuli in flumine cecidit. Exſpectante verò illo cum aliis donec omnes tranſirent, ad eamdem horam venientes quo ſanctum corpus levare deberent, & tintinnabula juxta morem ſonarent, prædictus Rainerius ſuum movens, nullum ſonum reddebat: miránſque adſpiciens in eum, vidénſque quòd percuſſorium in eo deeſſet, nimis triſtis effectus eſt, & hoc ſuæ negligentiæ deputans, lacrymando interpellabat S. Columbanum, quatenus illud ſibi reddatur. Fratres verò videntes eum nimis triſtem eſſe & plorantem, interrogant quid ei accidiſſet, quòd tantæ mæſtitiæ ſe ſubderet. At ille retulit eis quod ei evenerat, adſerens ut quando in navim introiſſet, juxta conſuetudinem tintinnabulum percuſſiſſet, ſed neſciens qua hora ei cecidiſſet.

Adſpicientéſque ubi ille ſteterat vel ſederat, eum minimè invenerunt. Jam verò omnes eum deſperantes, aiunt ſe non poſſe eum invenire eoquòd in profundum dimerſum fuerit Piadi. Ipſe verò nullomodo poterat conſolari, ſed revertens ad ripam fluminis, multùm mærens, ſicut jam dixi, aiebat: Deus pius & miſericors, eſto propitius mihi peccatori. Tu ſcis quia multum deliqui, nequiter egi, ſed non impediant hodie peccata mea ut deficiat obſequium quod debeo domino meo Patri Columbano. Sed omnipotens & miſericors Deus per meritum S. Columbani affuit precibus ejus. Adſpiciens verò in flumine, videt ipſum non longè ad pedes ſuos in aquam jacentem: & gaudio plenus currens ipſum levavit, & in ipſum tintinnabulum inſerens, gratias agens Deo & S. Columbano, mærorem in lætitiam convertens cœptum officium bene adimplevit. AN. CHR. DC. XV. NOV. XXII.

XIV. *De ſcyniphes ſeu & de cereis ardentibus divinitus accenſis.*

15. TRANSITIS itaque omnibus, jam veſpere appropinquante, non longè à via divertentes nocte illa manſerunt, ibíque candelæ exſtinctæ & divinitus accenſæ ſunt, ſicut in alio loco jam diximus, aliáque virtus eſt ibi ſubſecuta. Nocte illa aër immutatus eſt, & parva pluvia emiſſa eſt, ſcyniphéſque multæ apparuerunt, itaut illi qui procul ab arca manſerunt, tanta perpeſſi ſunt, ut nocte illa quieſcere non valerent, & in craſtino facies oculíque eorum tumefacti apparuerunt, ut etiam rectè videre non poſſent, pœnituerúntque ipſa nocte ſe longè feceſſiſſe ab arca. Illi verò qui ad arcam excubabant, nihil mali perpeſſi ſunt. Nonnulli autem alii cognoſcentes quòd hi qui circa arcam erant nihil mali paterentur, confugerunt illuc.

XV. *De ingreſſu ejus in civitate & feminabus à dæmonio arreptis.*

16. DENIQUE illuceſcente craſtina iter peragunt ad civitatem. Ante ergo quàm appropinquarent ad ſanctum Petrum qui dicitur Leproſorum, candelæ exſtinctæ ſunt, & data ſunt thuribula duobus ex viris prædicti Abbatis, ut adſcenderent equos, ignémque citiùs deferrent, ut non deeſſent luminaria ſacratiſſimo corpori ingredienti civitatem. At illi currentes, antequam reverterentur, hi qui cereos portabant repentè ceram ſuper ſe fluere conſpicientes, erectis oculis videntes cereos jamdictos accenſos, poſt illos clamare cœperunt. Ad ſanctum autem Petrum venientibus multitudo populi obviam illis advenit, quatuórque feminę à dæmonibus vexatæ occurrerunt, quæ non poſt modicum juxta ſacratiſſimum corpus meritis S. Columbani à peſte qua tentæ fuerant mundatæ ſunt: ibíque nuntius Regis advenit, rogans illos ex parte Regis ut ad ſe in palatio non deferant, non ſe eſſe dignum dicens ut tam pretioſiſſimum corpus ad ſe venire debeat, ſed ipſe magis ad eum veniret, ſuíſque ſe precibus commendaret, & ut ſui miſereretur expoſceret. Juſsítque ut ad Eccleſiam ſancti Michaëlis quæ eſt infra mœnia civitatis conſtructa deportaretur. Ad portam autem civitatis quæ vocatur S. Johannis venientes, tanta multitudo utriuſque ſexus occurrit, ut in plateis ſe non caperent, ſed adſcendentes ſupra muros & tecta, ipſum ſacratiſſimum corpus videre cupiebant: quod cum grandi labore ad ſupradictam Eccleſiam perductum eſt. Illa quoque nocte diéque vigilias exſequentes, quæ neceſſaria erant Fratribus, viri nobiléſque feminæ omnia adminiſtrabant.

XVI. *De Lothario filio Hugonis Regis à febribus ſanato.*

17. IGITUR virtutes quas Dominus in ipſa Eccleſia per ſervum ſuum operatus eſt, quantum ad memoriam Dominus reducere dignatus eſt, videtur nobis non eſſe rectum ſilentio tegere. LOTHARIUS bonæ indolis puer, filius prædicti Regis quem ALDA Regina ſua genuit, magnis febribus urebatur; qui jubente patre ad ſupradictam Eccleſiam in ulnis adductus eſt, nutriciúſque ſuus veſtitum

AN. CHR. DC. XV. NOV. XXI. quo erat indutus abſtrahens, & ſuper arcam extendens, collocavit eum ſubtus arcam, quatinus illuc quieſceret. Fratribus denique Litanias Miſſáſque pro eo celebrantibus, ipſe ſomno depreſſus jacebat. Orationibúſque pro eo finitis à ſomno excitatus eſt: & cum cuppa ei prædicti Sancti potum tribuentes, integerrimam adeptus eſt ſanitatem. Illum verò ad palatium reducentes, patri matrique ſanum repræſentant. At illi gratias egerunt Deo Sanctóque Columbano, quia filium quem infirmum miſerant, ſanum receperunt.

XVII. *De adventu Regis & Reginæ ad ſacratiſſimum corpus.*

18. REGINA autem poſt recuperatam filii ſanitatem, ad corpus ſanctum veniens, gratiáſque agens pro filio, ſupplex exorat, ut pro ſe etiam intercedere ad Dominum dignetur. Pallium ergo ſuper ſanctum corpus ſumens, Fratres blandè alloquitur, conſolabatúrque eos ne abundantiori triſtitia abſorberentur, promittens eis ſe inquantum valeret apud Regem ſuóſque Optimates intervenire. Et deprecans eos pro ſe orare ad palatium rediit. At Rex opportunum tempus exquirit, cupiens illic ſecretè venire. Quadam itaque nocte cum paucis admodum veniens Regiámque Eccleſiæ intrans, timens ſancto appropinquare corpori, illic humo proſternitur. Oratione verò finita, occultè exiens ad aulam ſuam rediit. Poſtea verò veniens cum ſuis Principibus locutus eſt Fratribus & pallium unum offerens receſſit.

XVIII. *De muliere brachium habente aridum.*

19. NONNULLI verò promiſcui ſexûs & ætatis quotidie orationis causâ cum luminaribus adveniebant. Quædam namque mulier advenit habens manum aridam. Subtus arcam ergo ſe proſternens, orat ut ſanitatem mereretur accipere. Precibus autem S. Columbani obtinuit ut ſana reverteretur domi. Vir autem ejus domum rediens, ſanam eam & ſedentem invenit, filáque trahentem. Mirans ait ad illam: Quid eſt hoc mulier? Et illa: Deo gratias, bene. Et ille inquit: Quomodo ſana facta es? Et infit: Fui ad S. Columbanum, & precibus ejus obtinui ut ſana exinde reverterer, ſicuti vides. At ille gaudens & tremens ait: Cui hoc indicâſti? Et illa: Nemini. At ille: Malè, inquit, feciſti, quòd Monachis hoc non indicáſti. Surge & præpara panem & vinum, ſeu & carnes & ceram in luminaribus & veni mecum, & illis indicabo quid erga te geſtum ſit. Metuo enim ſi ſiluerimus, ne crimen incurramus. At ille feſtinans detulit eis quæ ſuprà diximus, & indicavit quid erga uxorem ſuam actum fuerit. Illi verò accipientes quæ detulerant, gratias egerunt Deo & S. Columbano.

XIX. *De muliere quæ partem pedis arcæ dentibus ſilenter abſtraxit.*

20. ALIA itaque mulier veniens neſcio quo inſtinctu, ſed (ſicut rei exitus probat) non recta fide, ſeſéque ſubtus arcam ſternens, particulam arcæ dentibus abſconsè abſtrahens, nullique indicans, domi ſecum detulit. Nocte verò ſubſecuta, cùm ſe unà cum viro ſuo ſopori dediſſet, repentina morte defuncta eſt. Vir autem ejus à ſomno excitatus mulierem alloquitur ſperans* eam vivere. Comperto denique quòd mortua eſſet, valde expavit: accenſóque lumine intuens eam, partem ligni quam pridie ab arca abſtraxerat, ad caput ejus invenit. Sciebat enim ille præterita die illic eam fuiſſe. Itaque adſumens partem quam ſuprà diximus illuc deportat, cunctis nuntians quod ſuæ evenit uxori. Notum autem factum eſt omnibus; ſed non modicus timor invaſit omnes, maximéque mulieres, dicebántque ad invicem: Non vult S. Columbanus ut ad ejus arcam appropinquemus. Ab illo autem die nulla auſa eſt accedere ad arcam.

* credens

PER

XX. *De muto & loquela ei reddita ipſius manu ſanata.*

21. PER idem itaque tempus homo quidam nomine MALDEBERTUS, à partibus Mediolanenſium revertens, invenit quemdam adoleſcentem nomine Andream, mutum à nativitate ſua, medióque corpore præmortuum. Auditóque quòd corpus S. Columbani Papiæ delatum eſſet, & magnis floreret virtutibus, miſericordiâ motus ſuper eum, imponénſque eum ſuper aſinum ſuum Papiam duxit; indéque ad ſanctum corpus deferens illic depoſuit & abſceſſit. Illa verò die & altera ſicut erat ibi permanens, tertia die jam ſubtus arcam jacens ſubitò exclamavit: Date mihi aliquid ut manducem. Illi verò qui circumſtabant audientes quod loqueretur, cupientes eum audire loquentem, interrogabant quid vellet. Illéque manum dexteram ſanam oſtendens aiebat: Modò me S. Columbanus loqui fecit, manúmque meam ſanavit quam videtis. At illi magno attoniti gaudio, venerabili Abbati hoc indicaverunt. Audiens autem quod factum erat, feſtinus ad corpus venit, ipsúmque alloquens, manum ipſius quæ ſanata erat plorando oſculans, ſigna Eccleſiæ ſonare præcepit, ſed & omnia ſigna aliarum Eccleſiarum perſonuerunt. Et hoc habebant in ſignum ut quando Dominus per S. Columbanum aliquam ageret virtutem, illius Eccleſiæ ſigna primitùs ſonarent, & poſteà aliarum ſigna Eccleſiarum perſtreperent. Auditóque hoc miraculo maxima multitudo utriuſque ſexûs advenit, ſed & Regina quam prædiximus cum magna turba nobilium accurrit. Venerabilis autem Abbas ſuis manibus eum levavit, & ſuper cancellos eum poſuit, ut ab omnibus poſſet videri & audiri, & elevata voce *Te Deum laudamus* cum omnibus proclamant, ſed & in omnibus virtutibus ſimiliter agentes. Finitóque hymno admonent illum ut altè loqueretur, quatinus poſſent omnes eum audire. Et accedebant omnes qui poterant nobiles & ignobiles, plorando manum ipſius oſculantes: & valde admirantes unuſquiſque cum gaudio ad propriam reverſi ſunt domum.

XXI. *De Fratribus ad Archiepiſcopum directis, & cuppa cum juſſu Regali ante ſe deportata, ſeu & de fuga Widonis ipſius fratris.*

22. HIS ita peractis, ſupradictus venerabilis Abbas duos ſeniores ad Mediolanum miſit ad LAMBERTUM Archiepiſcopum qui eo tempore regebat ſupradictam Eccleſiam, mandans precando quatinus ei adjutorium ferret ut res S. Columbani abſtrahere poſſet de manibus ſupradictorum Principum. Poſt non multa colloquia ad extremum hoc dedit eis in mandatum, ut ſi ipſam terram acquirere non poſſent, corpus Sancti illuc deferrent, & ipſe de ſuis rebus eis tantum tribuere promiſit quantum ad neceſſaria ſufficere poſſet, quouſque ſupradictum Cœnobium ad priſtinum ſtatum rediret. Igitur ad colloquium quod ſuprà diximus prædicti Principes venientes, una die ſedente Rege unà cum ipſis in aula Regia, de ſupradictis rebus colloquentes juſſit afferri Cuppam S. Columbani. Qua cùm magna reverentia allata bibit in ea Rex & Optimates ejus. Sed cùm ante ſupradictum WIDONEM & fratrem ejus RAINERIUM perducta fuiſſet, indignati noluerunt cum ea bibere, ſed ſicut ſcriptum eſt, indurata ſunt corda eorum ut non viderent cælum, neque recordarentur judiciorum juſtorum. Obliti ſunt enim fœdus quod pepigerant Regi, ipſáque nocte de civitate aufugerunt. Sed Rainerius divina ultione de equo cecidit; itaut omnes qui ibi aderant, putarent eum mortuum: ſed noluit Deus qui neminem vult perire, ſed omnes ad pœnitentiam reverti.

XXII. *De eo qui rabidus effectus eſt.*

23. DENIQUE ſcimus eſſe ſcriptum, incompoſitos judices, incompoſitos habere milites; & ideò non ſufficiebat ad ruïnam illorum quòd res ſupra-

An. Chr. dc. xv. Nov. xxi. dicti Cœnobij invaſerant, verumetiam virulentis linguis ſancto corpori cœperunt detrahere, dicebántque ex eis quidam: Nolumus dimittere poſſeſſiones quas quæritis propter oſſa caballina vel aſinina quæ huc attuliſtis. Inter quos unus nomine Alveus qui hoc apertè inclamitabat, ſubitò rabidus effectus, ad corpus Sancti magno cum labore adducitur; ibíque diu huc illúcq; cum grandi dolore divertens, adſerebat ſe in Sanctum deliquiſſe & nimis peccáſſe: clamabátque, quòd niſi ejus precibus juvaretur, continuò ſe eſſe moriturum. Habebat quoque ipſe ſecum ſororem ſacris veſtibus indutam, cum magno rugitu & lacrymis procidentem ad ſupradictorum pedes Fratrum, quæ indulgentiam poſcebat germano. At illi cœperunt pro ereptione ipſius prædictum Sanctum obſecrare cum lacrymis, & litaniis omnes inſiſtere. Qui à circumſtantibus corrigiam ſibi dari poſcens, ſuóque in collo mittens, ad pedem prædictæ arcæ ſe ligavit, & non poſt multum ſomno ſopitus jacuit. Excitatus denique à ſomno ſanus & incolumis ſurrexit, agens gratias Deo ſanctóque Columbano; & ſigna omnium Eccleſiarum percutientes, ſicut ſuprà, & *Te Deum Laudamus* omnes exclamantes, quíque redierunt in ſua.

XXIII. *De rebus S. Columbani redditis, vel quæ in Privilegiis eorum continentur; ſeu & admonitione quondam ad Epiſcopum.*

24. His itaque peractis videntes omnes qui ibi aderant viri Dei injurias Divina ultione vindicari, nonnulli ex ſupradictis Principibus venientes ad ſacratiſſimum corpus, mittebant in peram Sancti ſingulos fuſtes [a]: ut per hoc cunctis clareſceret, res S. Columbani quas antea injuſtè invaſas habebant, ipſi Sancto reſtitutas. Rex denique Privilegia [b] ſanctæ Sedis Apoſtolicæ, Honorii, Theodori, Martini, Sergii, Gregorii, Zachariæ, & ceterorum Epiſcoporum ante ſe recitari præcepit.

Privilegia Immunitatis ſeu Exemptionis Monaſterio Bobienſi conceſſa.

25. Viſum eſt ergo huic noſtro operi aliquid ex ipſis inſerere, ut audiant temeratores, quid cavere eis conveniat. Interdicunt enim omnibus Epiſcopis vicinis, procúlque ab ipſo Monaſterio conſtitutis, ut nihil uſúrpent, nihílque præſumant contra hæc quæ eorum Privilegia inſtituta decernunt, videlicet ut Epiſcopus quem Pater Monaſterij vel tota Congregatio invitaverit ad Miſſarum ſollemnia celebranda, aut conſecrationes Preſbyterorum ſeu Diaconorum, vel etiam tabularum in quibus Miſſæ debeant celebrari, ipſe habeat facultatem in eodem Monaſterio ingrediendi, tantùm ad pij opus miniſterij peragendum: quo peracto nihil contingat, ſed gratis omnia peragens, ad propria mox regredi non moretur. Nihil verò uſurpet de rebus Monaſterij, non de ſacris altaribus, non de ornamentis, neque de vaſis, neque de ſacris voluminibus; nec quidquam majus vel exiguum, ſed nec concupiſcere attentet. Quia ſi prohibita concupiſcere ſatis eſt noxium, quanto magis ſacra auferre vel deſiderare, & juri ſuo mancipare videtur eſſe contrarium? Prohibent etiam Epiſcopis in quorum Parochia videtur prædictum Monaſterium conſtructum, ut nihil contra tenorem præſentium Decretorum pia poſtulatione indultorum quidquam attentent, neque ullo modo ejus Baptiſmales Eccleſias, vel decimas de rebus ad ipſum Monaſterium pertinentibus ſibi vindicent, neque ipſi ſuorúmque ſucceſſores præſumant prohibita contingere. Chriſma igitur vel quidquid ad ſacra myſteria pertinet, ſi à Patre Monaſterij fuerit poſtulatum, à quibuſcumque ipſe præviderit, concedant Præſulibus tribuendum: & ut ſuperiùs dictum eſt, nullam poteſtatem permittunt habere Epiſcopos in eodem Monaſterio, neque in rebus, neque in ordinandis perſonis, niſi eum quem tota Congregatio regulariter elegerit, & ſecundum ejuſdem congregationis electionem domi-

[a] Fuſtis ſeu virgæ ac feſtucæ traditione ſolebant Veteres dominium cujuſque rei in alium transferre. Virga enim ſemper dominij ſymbolum fuit. Lege Spelmanni Gloſſarium verbo *Fiſtucæ*.

[b] De iſtis Privilegiis lege Vitam S. Bertulfi Abbatis Bobienſis à Jona deſcriptam, infrà.

nus Imperator in tempore qui eo fuerit, ordinare conceſſerit, ut in eodem Monaſterio debeat ordinari. Super hæc, neque Preſbyteros, neque Diacones, nec quamlibet perſonam in eodem Monaſterio habere ullo modo poteſtatem, immutare quidquam vel agere permittunt; ut cognoſcant quia ſub Apoſtolica Sede, id eſt B. Petri defenſione & tuitione eſſe videatur. Rogatus verò Epiſcopus à Patre Monaſterij vel à cuncta Congregatione, ſuam debet exhibere præſentiam: non autem petitus ad ſecreta Monaſterij non accedat, ne quietam vitam Monachorum, qui ſolitaria peragere propter Deum ſtudia decreverunt, frequens Sacerdotum inſolentia * inrumpat; ut in laudibus Dei converſantes, pro incolumitate ſanctæ Sedis Apoſtolicæ, & pro excellentiſſimis Regibus pia gubernatione regnantibus aſſiduè Dominum deprecari non ceſſent. Si autem, quod abſit, Monachi in eodem Monaſterio conſtituti, tepidi in Dei amore, & in Inſtitutis Patrum torpentes quandoque conſpiciuntur exſiſtere, ſecundùm Regulam ab Abbate, id eſt à Patre Monaſterij corrigi debent. Si autem & ipſe Abbas in ignavia aliqua contra Inſtituta Patrum & Regulæ tenorem fuerit deprehenſus, & in aliquam ſiniſtram partem inclinatus à Sede Apoſtolica ſub cujus conſtitutione conſiſtit, inſtituunt corrigendum. Nec enim cuiquam Epiſcopo dant licentiam, ſub obtentu reprehenſionis aliquam in Monaſterio ſuam oſtendere poteſtatem, ſed ejus Capiti, id eſt Sedi Apoſtolicæ.

AN. CHR. DC. XV. NOV. XXI.

* *durè*

25. Et poſt pauca, contradicunt etiam Præſulibus, maximeque ſanctæ Terdonenſis Eccleſiæ atque Placentinæ, quæ viciniores eſſe videntur, ut nullus umquam, quod moderno tempore eſt tentatum, prædictum Monaſterium, vel quæ ad ipſum pertinent, à ſancta Sede Apoſtolica ſubtrahere, & ſuæ Diœceſi ſubjugare appetat, ſed in libertate ſecundùm conceſſionem Apoſtolicam, ut fuit priſcis temporibus, nullique ſubjectum, niſi ſanctæ Sedi Apoſtolicæ, cui pertinere cognoſcitur. Et ſi quædam invidiosè contra Privilegia jamdictorum Præſulum moderno tempore præſumptivè ſubrepta ſunt, nullam firmitatem obtineant, ſed ſint evacuata & irrita cum ſuis auctoribus, & Inſtituta legitima ſanctæ Sedis Apoſtolicæ multis temporibus obſervata, inviolata & indiſrupta permaneant. Quòd ſi (quod abſit) calliditate aliqua vel avaritiæ inſtigatione aliquis quidquam de prohibitis præſumpſerit attentandum, vel contra illorum Decreta quoquomodo obviandum; primùm ſui ordinis gradu & dignitate privetur, & ex B. Petri Apoſtoli auctoritate, qui ligandi in cælo & in terra meruit poteſtatem, ſit excommunicatus, & à participatione Domini noſtri JESU-CHRISTI corporis & ſanguinis immunis, ac ab illorum conſortio ſecluſus, necnon ab excellentiſſimis qui in tempore illo fuerint Regibus nihilominus ſubmovendus: quatinus ſtatuta poſſint perpetua definitione manere, & temeratores præſentium decretorum de ſuorum temeritatibus pœnis multiplicibus ſubjacere. Fiat.

26. Velim ſcire, ô Epiſcope, qui Decreta prædictorũ Prę ſulum conaris inrumpere; quid ad hæc quæ audiſti reſpondere cupis? quod rogo tibi melius eſſe videtur? Si melius eſt tibi ſocietas prædictorum, quos ſcimus ſummos Paſtores, & optimos fuiſſe viros & magni meriti apud Deum, ſicut in Geſtis eorum invenimus, quos etiam & Vicarios in ſede almi Clavigeri Petri fore * certiſſimè ſcimus; an à ſocietate eorum ſecludi, & ab eo cui data eſt à Domino poteſtas in cælo & in terra ligandi atque ſolvendi, excommunicari, & quod ſummum & magnum malum eſt, à corpore & ſanguine Domini noſtri JESU-CHRISTI, alienari? Forſitan dicis: Nolo ſegregari ab illorum ſocietate, neque à B. Petro excommunicari, neque à corpore Domini noſtri JESU-CHRISTI, quod ſcimus veraciter mortem eſſe animæ, ſicut ipſe dicit; Qui non manducat meam carnem & non bibit meum ſanguinem, *non habet vitam in ſemetipſo*; nec etiam Decreta illorum diſrumpere volo, ſed quia video ipſum Cœnobium pænè deſtructum eſſe, & cupio ut per me ad priſtinum redeat ſtatum. O Epiſcope, noli te fallere. Cave quod dicis. Audi quod ipſi tibi dicunt. Non tibi permittimus ingredi in ipſo Cœnobio, niſi invitatus fueris à Patre Monaſterij vel à cunc-

* *id eſt* fuiſſe

Ioh. 6. 53.

AN. CHR. DC. XV. NOV. XXI. tis Fratribus: & ſi invitatus veneris, interdicimus tibi ex auctoritate S. Petri, ut nihil uſurpes, nihilque contingas nec etiam concupiſcas, ſed ad quod vocatus es, gratis omnia peragas, ad propria regredi mox non moreris. Dicis enim quòd pænè deſtructum eſt. Verum dicis; ſed ſi verum eſt quod ais, per te ad priſtinum redeat ſtatum, ut Abbatem ſecundum Regulam habeat, qui adimpleat hoc quod tu adſeris te velle adimplere: & tunc apparebit quod zelo Dei utaris, & illa vera ſint quæ dicis: quia ſicut ſcriptum eſt: *Non poteſtis duobus Dominis ſervire*, ita & tu non vales tuum Epiſcopatum regere, & Monachos ſecundùm Regulam S. BENEDICTI [a] gubernare. De his iſta ſufficiant. Cùm autem venerimus ante conſpectum Domini, tunc manifeſta erunt abſcondita cordis noſtri, & recipiemus juxta quod geſſimus. Nunc verò ad cœpta redeamus.

Matt. 6. 24.

[a]

XXIV. *Quid in Edictis Regum contineatur.*

27. SUPRADICTUS verò Rex auditis Privilegiis, Præceptum quod bonæ memoriæ AIGULPHUS Sancto Columbano tradidit, ſeu & ADULGUALDI, GRIMOALDI, CUNIBERTI, LIUTPRANDI, RATCHISI, AISTULPHI, DESIDERII, KAROLI Auguſti, LUDOVICI, atque item LUDOVICI filij ejus, KAROLOMAGNI*, etiam KAROLI Imperatoris, necnon ARNULFI, BERENGARIIque Imperatoris, ſeu & ceterorum Regum ante ſe legere juſſit: in quibus legebatur quomodo præfatum Monaſterum Ebobienſe de reditibus ſuiſque poſſeſſionibus ditaverunt, & eum omnibus ad eumdem ſanctum & venerabilem locum pertinentibus, cum hominibus, liberis, ſive ſervis coloníſque, & familiis utriuſque ſexûs in ſua tuitione receperunt, & poſt non multa alia hoc ad ultimum infertur: Ut ſi aliquis Privilegia ſanctæ Sedis Apoſtolicæ in eodem loco conceſſa, vel confirmationes Præceptorum ſuorum infringere tentaverit, ſcire debet ſe compoſiturum auri optimi libras trecentas, medietatémque cameræ ipſorum, & medietatem parti prædicti Cœnobij. Et quid magis cavendum eſt, quàm ſi umquam ullo in tempore quis ex ſucceſſoribus ipſorum aut Princeps, aut aliquis homo, eorum ſtatuta aut teſtamenta ipſorum, vel ſupradicta Privilegia diſrumpere conatus fuerit, quòd anathematis ultione multatus, partem cum Juda traditore, in fine extremi examinis habere imprecantur?

* Carolomanni

XXV. *Ad eos qui res S. Columbani injuſtè ſuis obſequiis deputant.*

28. VOLO denique cœpta proſequi: ſed quod ſuperiùs legitur, indiſcuſſa præterire non queo. Scimus enim ſcriptum eſſe, omne quod ſemel oblatum eſt Deo, ſive homo, ſive quodlibet animal, vel quæcumque res fuerit, nullo pacto poſſe poſtea redimi; & miror quid illi cogitant qui res S. Columbani invadunt & ſuis obſequiis deputant. Poſſeſſiones enim quas nunc ſanctus iſte locus poſſidet, à quibuſcumque oblatæ fuerunt, ſive à Regibus ſeu & à ceteris Fidelibus, non propter hoc obtulerunt, ut aliquando optarent, quatinus in poſſeſſiones ſæcularium devenirent, ſed ad neceſſaria Fratrum domino ſanctóque Columbano hîc ſervientium, ſeu & ad ſuſtentationes pauperum & peregrinorum permanerent. Hunc verò econtrario illis ſubtrahitur, ſæcularibúſque defertur. Hi namque fame cruciantur, illi verò affluentiſſimè exinde aluntur. Hi nudi frigore & gelu uruntur, illi tamen exinde pretioſiſſimis veſtibus induuntur. Hi diſcalceati nudíſque pedibus incedunt, illi verò pinguiſſimos equos exinde equitant. Unde enim pauperes & infirmos alere debuerant, inde canes eorum ſaginantur: unde hoſpites & peregrinos ſuſcipere & nutrire debuerant, inde ſuorum famuli vel famulæ inflantur: unde Eccleſias vel domos Fratrum inſtaurare debuerant, ſui homines ditantur. Et quidem, qui propria jubentur tribuere, non timent quod aliorum eſt auferre. Et ubi tunc habent quod Dominus eis præcipit in Evangelio, eſurientes paſcere, infirmos

Matth. 5.

[a] Ergo longè ante Lucij II. Romani Pontificis tempora S. Benedicti Regula (quidquid dicat Ferdinandus Ughellus in Ital. Sac. To. 4.) in Bobienſi Monaſterio ſervabatur.

visitare, nudos vestire, & cetera quæ ibi leguntur? Et si in igne mittendus est qui non largitur propria, putas ubi mittendus est qui aufert aliena? A quo enim acceperunt omnia quæ possident? Credo enim quòd non intelligant ab omnipotente Deo se accepisse. Nónne omnes divites facere poterat si vellet? utique potest. Numquid solos divites pretio sui sancti sanguinis redemit? Certè pro omnibus mortuus est Christus, & resurrexit. Res enim vel pecunias quoquomodo acquisitas quas nunc habent, filiis vel nepotibus in hereditatem dimittere cupiunt, & res quas Domino oblatas sciunt, abstrahere non timent. Et quomodo possunt quod olim à Fidelibus oblatum fuerat Deo, ab ipso abstrahere & suo juri mancipare? Certè nemo justè neque legitimè potest. Audituri enim sunt illi à Domino in judicio: Servi mali & pigri, quare non dedistis omnia mea pauperibus quæ vobis ad erogandum dedi, & nunc unà cum ipsis recipere tis regnum æternum? Non solùm autem illa fraudâstis, sed etiam quod alij dederunt vos abstuliſtis. Proinde quia noluistis perfrui sempiterno regno cum Fidelibus, abhinc cum diabolo habete supplicium æternum. Legimus enim nonnulla Testamenta supradictorum offerentium, in quibus invitant omnes qui res quas S. Columbano tradiderunt, tulerit vel subtraxerit, in extremi judicij die, ante tremendum Judicem affore cum eis, & exinde rationem redditurum, & (quod superiùs in privilegiis & præceptis retinetur), cum proditore Juda in perpetuum optant habere portionem. Quod non sine magno gemitu vel suspirio audire vel legere possumus. Certè multò melius fuisset illis non nasci quàm propter cupiditatem humanæ gloriæ cum illo Juda damnari. Quid ad hæc possumus dicere tam magnæ cupiditati? O insatiabilis cupiditas, quid cogis amatores tuos! Magis vis ut ipsi in extremo examine cum Juda traditore in inferno inferiori, sine fine inextinguibili igne crementur, quàm cum Domino, & Sanctis omnibus in perpetuum felici gaudio perfruantur. O miseri homines, qui supradicta agitis. Quare non consideratis quibus pœnis nunc vexatur Judas, vel quid in extremo examine ipsi patientur, qui cum eo societatem merebuntur habere? O infelicissima miseria, quis umquam lætus ad mortem pergit? quis umquam ad decollandum, vel ad jugulandum lubens ducitur? Cessate miseri, parcite cupiditati, nolite animas vestras perdere pro nihilo. Totus mundus vobis erit alienus, nudi nati estis, nudi sepeliemini. Cogitate itaque mortem quæ finem dat mundi voluptatibus; & dum tempus est, à rapinis cessate: & larga manu propria Dei pauperibus vel Fidelibus porrigite, pœnitentiámque agite, quatinus regnum cælorum Deo auxiliante acquirere, & à perpetuis pœnis eripi possitis. Dehinc ad ordinem redeamus.

AN. CHR. DC. XV. NOV. XXI.

XXVI. *De Præcepto à Rege Hugone accepto, & de aqua in puteo restituta.*

29. AUDITIS itaq; Rex Præceptis antecessorum suorum excellentissimorum Regum visum est illi rectum & æquum, ut juxta morem prædictorum Regum Præceptum sancto loco venerandóque Abbati GERLANNO, cunctisque Fratribus tribueret: quod & fecit. Si quis velit scire quod in eo legitur, in textu illius agnoscere poterit. Acceptâ ergo licentiâ à Rege, unà cum sancto corpore ad propria reverti jussi sunt. Egressi denique à Ticinensi urbe ad curticellam S. Columbani, quæ vocatur Barbadam venientes, ibi nocte illa manserunt. Mane autem facto iter peragunt ad curtem prædicti Monasterij Ebobiensis, quæ vocatur Memoriola, quam GANDULFUS unus de prædictis Principibus olim invaserat. In quam venientes, aquam ad potandum minimè invenerunt: erátque ibi puteus altus, sed aqua deerat. In quo nonnulli intrantes, sperantes illic invenire aquam ad refocillandam sitim quam patiebantur, minimè repererunt, nisi parvam & ipsam fœtidam. Ille verò qui Cuppam Sancti portabat, paullulum aquæ in ea mittens, in ipsum puteum projecit & absceſſit. Ipsam denique curtem recipientes, ad Monasterium redeunt. Post ternum verò diem ad Monasterium aliqui ex ipsis partibus advenientes, puteum quem sine aqua dimiserant, plenum esse affirmant.

AN. CHR. DC. XV. NOV. XXI.

XXVII. *De puero ſanitati reddito.*

30. IGITUR quidam ruſticus, Martinus nomine, habitabat in poſſeſſiuncula jamfatæ ſpeluncæ, habens filium ſex annorum nomine Andream. Hic quadam die egreſſus ad agrum colendum, juſſit prædicto filio ut ei ferramentum quod vulgò Manuariam vocant afferret, quatinus arbuſculas ipſius agri ſuccideret. Ducens ſupradictus puer ferramentum quod juſſus fuerat, tranſitum habuit juxta quamdam maceriam, in qua propinquans pavore magno perterritus eſt, & ferramento patri tributo, ad domum rediit. Ibíque ſedens adſpicit ad ſe venientes duas formas in ſpecie mulierum tam teterrimas & deformes, ut ſicut ipſe adhuc adſerit, nec antea nec poſtea ſimiles formas vidiſſet: & colloquentes cum eo receſſerunt. Ex illa die omnium membrorum amiſit officium; & ſic per circulum anni in lecto decubans, ſine aliqua virtute manſit. Notans itaque ſupradictus vir diem in qua beati viri corpus ad Monaſterium reverti deberet, ipſe ſuum filium ſuo in collo mittens, ad jamdictum Monaſterium ipſi Sancto occurrit pro ſuo filio rogaturus. Supradicto verò corpore ante altare S. Petri poſito, ipſe filium ſuum ad arcam deportans, manúmque ipſius involvens in palla quæ erat ſuper arcam extenſa, infit: Sancte Columbane, tibi offero filium meum, ut tuus maneat ſervus in perpetuum: tantummodò deprecare Dominum, quatinus ſanitati reſtituatur. Et hæc dicens, ſubter arcam collocat exſpectans quid accideret. At ille ſoporatus venit: à ſomno autem excitatus ſanus ſurrexit. At ille videns filium ſuum ſanitati reſtitutum, gratias agens Deo ſanctóque Columbano, nullíque hoc indicans, ad domum ſuam reverſus eſt gaudens. Hoc denique miraculum per idem tempus Fratribus incognitum manſit: ſed longo pòſt tempore Rainerius cujus ſuperiùs memoriam fecimus, cuſtos effectus S. Columbani ſpeluncæ, à quodam narrante cognovit. Ille verò rogans ad ſe venire jamdictum patrem pueri, ſubtiliter inquirit, ſi verum eſſet quod de puero audierat miraculum factum. Ipſe denique recitavit ei omnia, ſicut ſuperiùs diximus. Prædictus verò Rainerius gaudio repletus agens gratias Deo cum lacrymis, increpavit eum valde, quare tanto tempore Fratribus hoc indicare noluit: & eum ad ſe ducere rogans, ſecum per decem annos retinuit, & Fratribus omnibus qui ad eum viſitandi causâ, ſicut mos eſt, veniebant, rei geſtæ cauſam patefecit. Nunc verò in ſupradicto Monaſterio manet, & eſt. Fuit enim ſutor pellium, & Fratribus omnibus exinde libentiſſimè ſervivit.

XXVIII. *De eo qui mutus fuerat ad Monaſterium deducto & feminabus in pedibus conſtitutis.*

31. VENERABILIS autem Abbas juvenem qui fuerat mutus pro amore S. Columbani ejúſque reverentiæ ſecum adducens ad Monaſterium, & ut illic in teſtimonium omnibus afforet, juſſit ut in Hoſpitali maneret & exinde quotidie victum acciperet. Ipſe denique veſtimenta quæ ei ſufficere poſſent, annualiter adminiſtrare promiſit. Poſteà ipſe multis annis in Monaſterio manſit; omnibus nobilioribus illic advenientibus manum ſuam quæ ſanata fuerat oſtendens, rogabátque illos ut pro amore S. Columbani qui ei manum loquelámque reſtituit, aliquod ſubſidium tribuerent. Quod & nonnulli pro amore ſupradicti Sancti ejus favebant petitionibus. Supradictas verò feminas quæ à dæmoniis liberatæ fuerant, in plebibus manere conſtituit, præcipiens Archipreſbyteris ut victum & veſtimenta annualiter eis pro amore S. Columbani tribuerent. His itaque peractis accipientes ſacratiſſimum corpus, in præfato ſepulcro eum honorificè collocaverunt: ubi floret virtutibus uſque in hodiernum diem[a]. Venerabilis au-

[a] Corpus S. Columbani cum SS. Attalæ & Berulfi Reliquiis in Monaſterio Bobienſi hodie quoque adſervari adſerit Ferdinandus Ughellus Ital. Sacræ Tom. 4. tametſi Britones Armorici in urbe *Lacmené* diœceſis Venetenſis corpus S. Columbani ſe poſſidere gloriantur, quo jure? ipſi viderint. In Martyrol. Bened. prid. Kalend. Septemb. celebratur S. Columbani aliorúmque Sanctorum Bobienſium Tranſlatio, quo nomine corporum elevationem ſignificatam arbitramur.

tem Abbas convocans omnes Fratres, admonénſque eos ut gratias agerent Deo, qui illis temporibus tantis florere fecit virtutibus ſanctiſſimum dominúmque Columbanum, conſtituit ut dies ipſius Relationis quod eſt tertio Kalendas Auguſti, celeberrimus ab ipſis haberetur. Quod & factum eſt, & uſque nunc peragitur ad laudem Domini noſtri JESU-CHRISTI, qui vivit & regnat per omnia ſæcula ſæculorum, Amen.

VITA SANCTI VIRGILII

CIRCA AN. DC. XVI. MARTII V.

EPISCOPI ARELATENSIS,

Auctore anonymo Scriptore gravi, quem ſub ſæculi VIII. initium vixiſſe ex num. 7. colligitur.

Ex Chronologia Lerinenſi ad MS. cod. emendata.

I. IGITUR beatiſſimi VIRGILII Arelatenſis urbis Antiſtitis hodie dies ſanctæ ſollemnitatis recolitur, cujus nos geſta pandere devotio fidelis admonet, & mos priſcus conſtringit: quia niſi evidens comperta relatio tenacibus litteris cuſtodita ſervetur, variatur actio veteris* per novos ſæpiùs relatores. Nam ut de ejus myſticæ actionis inſignia* nihil ſit dubium, nihilque faciat vulgaris adſertio fabuloſum; quæ ab ipſo facta ſunt & probata, veridico ſunt ſermone narranda. Verumtamen ne audientibus faceret prolixitas inepta faſtidium, ſtuduimus ſilere plurima, pauca diſſerere. Hic igitur in vico proprio cui vocabulum eſt SAMON, qui eſt in partibus Aquitaniæ, vitæ ſumpſit exordium, Chriſtianis parentibus editus, factus ilicò Chriſtianus. Qui ab ipſis infantiæ rudimentis erecta ſemper humilitate creſcebat, ita teneros ætatis annos morum maturitate caſtigans, ut proprietatem ſui nominis impleret gratiâ ſanctitatis.

* *f.* vetus
* *l.* inſignibus

Virgilius Aquitanicus.

2. Poſtquam verò adoleſcentiæ ritu corporeo cœpit robore pubeſcere, blandimenta luxuriæ animo incidente caſtrabat, ut pollicitæ virginitatis palmam pro incorrupta integritate perciperet, & in regnis cæleſtibus triumpharet. Fuit itaque bonorum omnium præditus ornamentis, & dignis ſuffragiis præferendus, ſpecioſus vultu, blandus adſpectu; ore placidus, mente ſerenus; patientiâ fortis, magnanimitate laudabilis; amicus pacis, largus inimicis; pulvereum faſtidiens ſolum, accenſus in amore cælorum; de temporalibus æterna comparans, contemnens temporalia pro æternis. Qui ut interiùs Divinæ legis præcepta agnoſceret, ita naturaliter capax acumine litterarum eſt ſtudiis eruditus, ut paſtum animæ legendi aviditate colligeret, & more apum æternæ dulcedinis nectar hauriret. Sed quàmlibet cuncta à ſe vitiorum carnalium incrementa ſuccidens omni in parte digna meritorum converſatione fulgeret, virtutem tamen ſui corporis abſtinentiæ aſſiduitate frangebat, in ſe incentiva delicti antequam naſceretur ulciſcens, cui tantùm percuſſor dignoſcitur defuiſſe martyrio; nam ipſe ſe procul dubio Martyrem & cruciatu fecit & merito.

Virtutibus fulget.

3. Cunctam quinetiam facultatum ſuarum copiam derelinquens, Inſulam S. Monaſterii Lerinenſis expetiit, ubi æternas juſtus divitias inveniret: Evangelica in omnibus miles Chriſti præcepta ſecutus, quòd niſi cunctis opibus redderetur extraneus, non poſſet eſſe perfectus: nec aliter regni cæleſtis præmia compararet, niſi univerſa contemneret. In qua Congregatione dum cunctos caritate perfecta diligeret, diligebatur à cunctis: qui eatenus raptim novi amoris ſtudio antiquam eſt regulam conſecutus, vel myſtica apparuit converſatione præcipuus, ut S. HONORATO præceſſori ſuo ſummis virtutibus præferendo, qui in eodem loco Abbatis nomen dignè geſſerat, & honorificè ſuccederet [a], & meritis coæquaret.

Fit Monachus Lerinenſis.

4. Ubi dum commiſſum gregem cuſtodiret ſollertia paſtorali, & ſolus ex more ſingulis noctibus cùm genus humanum depoſiti ſoporis imago comprimeret, Monaſterii ſepta luſtraret, ab inſolito contigit, ut illum quidam ſollicitudine Monachus in annis puerilibus conſtitutus veſtigiò ſequeretur. Tunc beatiſſimi viri conſpectibus forma ingenti atque terribili diabolus inſidiator apparuit, ſed ſicut Chriſti Athletam ſpiritualibus armis indutum non valuit

Tum Abbas.

Diaboli territamẽta ludit.

a Nempe in regimen Monaſterii Lerinenſis, non tamen continenter, cùm Honoratus circa an. CD. XXXV. deceſſerit. Et tamen Gregorius Turon. Epiſc. loco infrà citando Virgilium ex Abbate Auguſtodunenſi creatum ſcribit Sedis Arelatenſis Epiſcopum. Certè in vulgato Abbatum Lerinenſium Indice S. Virgilii nomen deſideratur.

CIRCA AN. DC. XVI. MART. V. terrere, ita inopinantem Monachum iſtu formidinis ſauciavit: qui ad cellulam ilicò vix greſſu trepidante confugiens, igneis eſt febribus violenter accenſus. Rurſus tamen pertinax ille deceptor exiſtimans ſe poſſe ſanctum Dei Virgilium vel in aliquo perturbare, igneo ſe draccone formatum oſtendit: ſed raptim territus Crucis armis evanuit, quoniam jam invictus athleta hoſtem quem ſæpiùs vicerat non timebat; qui cùm totius Inſulæ ambitum peragrâſſet, concitus ad ſtratum Monachi rediit ægrotantis: ubi dum orationum preces intra arcana pectoris ſui clauſtra diffunderet, mox & priſtinæ incolumitati redditur languidus, & prædâ caruit latro deceptus. Ac proinde obtinuit geminam virtus invicta victoriam: quoniam dum vires ægroto reddidit, adverſarium ſuperavit. Deflet inimicus quod perdidit, gaudet Monachus quod recepit.

Monachũ oratione ſalvat.

Dæmonis actus & figmenta diſſipat.

5. Dum ſingulis ſimiliter noctibus Paſtor egregius ne aliquid adverſi contingeret ovile Dominicum circuiret, ad litus æquoris quod vocatur Molis acceſſit, ubi inſidiator ille quaſi navem oneratam adveniſſe, fallacis ſpeciem imaginis ante oculos auſus eſt confingere Sacerdotis: oſtendens nautas ſolito ritu fervere, vel navis inſtrumenta colligere, ex quibus duo ad ipſius Sancti latera pervenêre dicentes: In his quidem partibus negotiandi nos cauſa perduxit, quibus te ingens compendium rei eventus exhibuit. Virgilium te eſſe novimus non minùs ſanctitate quàm nomine, quem univerſitas in tranſmarinis partibus tanta aviditate videre deſiderat, ut ſi hoc obtinere poſſit, nihil pretioſius eſſe cenſeret. Nullum nobis ergo utile lucrum quocumque labore præſtabitur, niſi ut te Hieroſolymam impoſitum navi ducamus, quem ſucceſſu proſpero inopinantem invenimus, quod & tibi proculdubio ad culmen immodicum pertinebit, ſi felici curſu ibidem adveheris, quo votis omnium exſpectaris. Vir itaque Dei inſidias inimici cognoſcens, ſanctæ Crucis armatus auxilio, præſidia ſuperna invocans, ſpirituali hac auctoritate reſpondit: Decipere non poteſt Chriſti milites nequitia deceptoris, nec fraudibus valetis illudere, quos adverſa Deus admonet prævidere; quoniam ita præſentem Inſulam beatiſſimi Honorati munivit oratio, per quem ex ea draco eſt habitator ejectus, ut nullum huic ulteriùs nocendi aditum poſſit habere diabolus. Evanuit inter hæc navis fictilis ab oculis pernoctantis. Vir autem Sanctus protinùs feſtinans ad Oratorium remeavit, & ut ad vigilias ſurgerent admonuit: ubi cum omni ſancta Congregatione ipſi celeberrimas ſtuduit reddere laudes, per quem illi ſucceſſerat victoria triumphalis.

Pontifex Arelatenſis creatur.

[a]

6. Quem dum tantis virtutum myſteriis eſſe præcipuum per univerſum orbem velox fama vulgaret, ad Pontificium Arelatenſis urbis amore omnium Sacerdotum vel civium non minùs raptus quàm electus adducitur, & reluctans protinus conſecratur [a]. Qui licet jam Virgilius ubi ampliùs creſceret non haberet, attamen nihil de nominis ſui proprietate minorans, dum vigil permanſit in opere, claruit in honore. Inter cetera igitur quæ in eodem fulgebant bonorum actuum ornamenta, monſtrabat illum patientia fortem, benevolentia patientem, libertas alacrem, liberalitas abundantem, magnanimitas liberalem, pietas mitem, ſedulitas diligentem, caritas dulcem, largitas generalem, doctrina laudabilem, æquitas ſingularem, humilitas pauperem, dignitas affluentem.

Eccleſiam S Stephani Arelate condit.

[b]

7. Qui cùm eſſet omnibus virtutibus adornatus, Scripturis quoque divinis nulli priorum infimus, Baſilicam in honore S. Stephani Protomartyris Chriſti [b] intra urbem Arelatenſem fideli qua poterat devotione conſtruxit. Sed nec hoc ad confortanda corda Arelatenſium eſſe cenſuimus omittendum, quòd dum Beatiſſimus Antiſtes ad ipſius Baſilicæ Templum, quod cum magna devotione conſtruxerat, cum ceteris Epiſcopis qui ad dedicationem Templi convenerant, pſallendo ſacras cum honore maximo Reliquias Beati Stephani vel aliorum Sanctorum adveheret, in ipſius urbis porta improviſò verſus iſte ex ordine ſic venit: *Hæc porta Domini, Juſti intrabunt per eam* [c]. Quod proculdubio intelligendum eſt, urbis memoratæ portam ſic ejus orationibus munitam, ut ſicut hactenus per longinqua ſpatia temporum propitiante Deo numquam eſſe comprobatur inrupta [d], ita nec in poſterum poſſe inrumpi Divinitate propitia cenſeatur: quoniam facillimè Paſtor ille præcipuus, quem viventem monſtrant geſta poſt tranſitum, apud Dominum obtinere potuit, ut glorioſam ejus meritis ur-

Protector perpetuus civitatis Arelatenſis.

[c]

[d]

a Gregorius Turon. in lib. 9. cap. 23. ad Childeberti II. annum XIII. Chriſti D. LXXXVIII. ita ſcribit: *Obiit & LICERIUS Arelatenſis Epiſcopus, in cujus loco VIRGILIUS Abba Auguſtodunenſis opitulante Syagrio Epiſcopo ſubſtitutus eſt.* Et tamen Petrus Saxius in Pontif. Arelat. Indices Arelatenſes ſecutus, Licerium inter & Virgilium reponit Paſchaſium, quem quia breviſſimo tempore ſedit, à Gregorio prætermiſſum cenſet. Deinde Virgilium non ex Auguſtodunenſi ſed Lerinenſi Abbate factum contendit Epiſcopum, iſtius Vitæ Scriptoris fultus auctoritate. Aliis potior eſt Gregorio fides. Æquo Lectori permittimus judicium: tametſi auctori domeſtico ac ſuppari non facilè repugnare licet.

b Nunc Baſilica S. Trophimi, à ſacris quos continet S. Trophimi cineribus appellatur, éſtque Eccleſia Major civitatis Arelatenſium.

c In Proprio Sanctorum Arelat. per Claretum olim Archidiaconum ordinato, iſte verſus in pariete nulla manu humana exaratus repentè apparuiſſe dicitur.

d Et tamen Saraceni anno DCC. XXXVIII. Arelatem urbem obſidione ceperunt labefactarúntque. Hinc colligas iſtius Vitæ Scriptorem ſub initium ſeculi VIII. vixiſſe, quod etiam ex ſtili gravitate aliiſque characteribus ſatis intelligitur. Nec refert, quòd ipſe Auctor ſe *longinquis ſpatiis temporum* Virgilio poſteriorem indicet: cùm antiquis Scriptoribus familiare ſit, annos quinquaginta ſexagintáve longinquorum temporum nomine exprimere.

bem

bem hanc, in qua Pontificium emeruit, perpetuis temporibus defenſaret, aforis per virtutem ſui corporis, & infrà per Templum ſacratiſſimum quod conſtruxit, undique per beneficia indulta quæ meruit. Omnes ergo Divinitate propitia noverunt, ſicut pſallentium turba prædixit, urbem Arelatenſem per defenſorem Virgilium in omnibus eſſe munitam: nec permitti poteſt ut locum illum hoſtiles cunei valeant inrumpere, ubi ille Chriſto dignoſcitur militâſſe. Unde nec reliqui Antiſtites præceſſores illius, qui in omnibus ejus æquantur meritis, cenſendi ſunt minores. CIRCA AN. DC. XVI. MARTII V.

8. Dum in Baſilica igitur ipſa quam ad effectum perduxerat inſtantia paſtorali Vigilias celebraret, & inter reliqua ex hoc Deo gratias ageret, quia ſuum deſiderium adimplêſſet; quod miraculum dignoſcitur contigiſſe, non putamus ſilentio præterire. AURELIANUS itaque quidam Arelatenſis Diaconus fratris filium, quem parvulum parentum tranſitus dereliquerat, nutriendum excipiens, pluſquam filium diligebat, qui dum per murum ejuſdem urbis cum reliquis infantibus veſpere Sabbati luderet, interveniente caſu lapſus corruit, & ſpiritum cervicibus fractis amiſit. A quo nuntio Diaconus ille perculſus nimio dolore, percurrens corpus exanime veſtimentis ſuis coopertum rapuit, & ad ſacrum Pontificem ubi celebrabat vigilias ſecretiùs deportavit, tractans qualiter eum publicè pedibus ipſius proſterneret, & ut ipſi vitam deberet reddere ſupplicaret. Sed quia probatiſſimus Chriſti miles omninò jactantiam fugere noverat, ad cubiculum ipſius eum ſtuduit deportare, vel in lectulo proſtratum ejuſdem lectaribus operire, ſciens & tota mente confidens quòd illum vivificare poterat ſpiritalis Medicus, qui conſueverat ſuſcitare defunctos. Unde cum multo mœrore, ſpem tamen de confidentia capiens, ad vigilias remeavit, & in loco ubi ſtare conſueverat, dubitanter acceſſit: quo viſo clementiſſimus Pontifex ſilentium pſallentibus quæ geſta fuerant replicaturus indicens, cùm conſueto devotionis ſtudio orationem impleſſet, Diaconem illum ex hoc quod fecerat fortiter increpavit: quem non ſolùm removere nequivit territum, ſed etiam ampliùs ſtuduit incitare compunctum. Tunc ad ipſius proſtratus pedes clamare cœpit, quòd niſi vitam defuncto redderet, ejus veſtigia non laxaret: addens etiam quia facillimè illum poterat ſuſcitare, de quo meruerat quæ fuerant acta nuntio nullo indicante cognoſcere. Qua improbitate compulſus & ratione conſtrictus, ipſo tamen comitante qui precabatur, ad lectulum ſuum ſecretiùs decrevit accedere, ſed turbam populi nec vitare quivit, quin ad ipſius rei miraculum conveniret. Ad quod corpuſculum cùm fuiſſet ingreſſus, auxilia Divina tota mentis aviditate depoſcens, manum ejus qui functus fuerat fiducialiter apprehendit, & priſtinæ ſanitati reſtituit. Tunc omnis conſtipatio populi circumſepta clamat: Gloria tibi Deus, nec nullatenus removeri poterant ſinguli, quin viderent motum & audirent eloquium ſuſcitati: de quâ ſeditione vix ad vigilias Clericorum ſuorum auxilio ereptus revocari poterat, quem concurſus Fidelium obſidebat. In hoc miraculo paullò minor apparuit confidentis Diaconi fides, quàm virtus ſancti Pontificis. Mortuum ſuſcitat.

9. Intereà de plurimis pauca videamur ut dinumerare, ad ſuperiora quæ prætermiſimus ſtilo ſcribendi redeamus. Quadam itaque die dum vir beatiſſimus Baſilicam extra muros urbis hujus miro opere conderet, viſum eſt ei, ut columnæ marmoreæ, quæ ibidem nunc videntur adſiſtere, in altum deductæ erigi deberent. Contigit autem ut vir Domini abſens*, omnes nimio labore fatigarentur, & moles lapidum movere non poſſent. Sed in nullo gravabatur tanti onus ponderis, quod ejus præcedebant auxilia ſanctitatis. Dum ille tamen ad Templi illius ſepta operarios indeſinenter inſiſteret, ita eodem abſente diabolicæ artis obviante nequitia univerſam multitudinem virorum occulta prægravavit objectio. Cúmque nullis rebus accedere poruiſſent, alios quamplures juvencos etiam adjunxerunt, quibus vis major eſſe poterat, & robur validius immineba. Sed nihil proficere poterant, quibus ſpiritalis adverſitas reſiſtebat, & tamquam ſi totam urbem illam (quod impoſſibile eſſe dignoſcitur) trahere niterentur, ita pondus mobile fraus inimica reſiſtens fecerat non poſſe moveri. Cujus rei geſtum beatiſſimo Antiſtiti anhelans ilico nuntius perturbatus exhibuit; ille verò ad locum indubitanter acceſſit, nec terrore trepidus, nec mœrore confuſus: cujus tantùm adſpectibus inſidiator ille latêre non potuit, qui populo univerſo latebat. Tunc clamoſa voce dicere cœpit: Fruſtra per ignorantiam laboratis, dum videre inimici hoſtis obſtacula non poteſtis. Nam ego conſpicio Æthiopem parvulum in quo diabolicæ virtutis conſiſtit immanitas, juvenculis certantibus obviantem. Tunc genu flexo devotus adorans ut inſidiatoris adverſitatem vinceret, auxilia Divina popoſcit, & converſus ad funebrem dixit: O omnis dolor*, & inimice humani generis, quomodo auſus es opus Dei inſidiari? ad hanc vocem territus adverſarius ilico (quia ampliùs ſub præſentia ſacri Pontificis nocere non licuit) cum nimio fœtore diſceſſit, & remotis columnis quæ ab ejus inſidiis prægravatæ fuerant, ad diſpoſitum locum ubi videbantur apponi abſque ulla difficultate erectæ ſunt: quoniam nihil illi inſidiator adverſari poterat, cui Dei arbitrio dæmonia ſubjecta eſſe videbantur. Dedicavit autem idem beatus Antiſtes Baſilicam quam conſtruxit in honore Salvatoris Domini noſtri JESU-CHRISTI & Beati Honorati Dæmonem Baſilicæ ædificio adverſantem fugat. * *pro* viro Dei abſente * *lege* ô plene omni dolo Dedicat Eccleſiam in honorem Salvatoris & S. Honorati.

CIRCA AN. DC. XVI. MART. V. Confeſſoris * atque ibidem Ordinem conſtituit Monachorum ſervientium Deo.

Puellam mortuam vitæ reſtituit.

10. Cúmque à beato Pontifice ſacra Miſſarum ſollemnia celebrarentur, contigit ut cujuſdam viduæ unica filia in annis adoleſcentiæ conſtituta à maligno ſpiritu raperetur. Quam cùm piiſſima genitrix infelici caſu decepta, non minùs miſeranda quàm miſera, ex uſu geſtanda feretro collocaverat, ad ſacrum trepida concurrit Antiſtitem, cum lacrymis potiùs quàm verbis cauſam improbi doloris adſignans, ut ſupra corpus exanime orationem funderet ſupplicavit. Quod vir Dei pietate victus nec differre potuit, nec negare: ſed ad feretrum confidenter acceſſit, ibique pronus adorans, vel in ſublime geminas manuum ſuarum palmas attollens, precibus beatis obtinuit, ut mortuam ſuſcitaret. Quæ raptim tamquam poſt nimium ſoporem evigilans, oculos rediviva prægravatos aperuit, & advocata ſurrexit. Longum itaque eſt gaudia materna differere, & ſtuporem admirantis populi replicare. Poſt quæ tamen miracula à cujus mortis jura * virtus meritis armata reſolverat, dum jactantiam Pontifex ille fugeret, concitus remeavit: ſed devotio populi quæ ſuffragia in divinis laudibus intonabat, tanta eum aviditate præcinxerat, ut maximam partem indumenti ſui in Reliquiarum patrocinia civili violentia rapuiſſet: unde pro ejus virtutibus declarandis, quod vix circa ſcapulas remanere potuit, hodierna devotio reſervavit.

* *ſ.* à puella, cujus vitam à mortis jure.

Item hominem exanimem. * *ſupple* eſſe.

11. Erat itaque in eadem urbe immaniſſimus ſerpens qui multos è populo laniaverat, dum quidam adoleſcens morſu ejus ſuffocatus fuiſſet exſtinctus, turbam populi quam præſentem* contigerat, ſupplicantem obtinuit, ut ad locum quo jacebat corpus exanime perveniret. Ille verò ſacratiſſimus Paſtor ancipiti reddebatur cogitatione ſuſpenſus, dum hinc fletibus quæ poſcebant negare non poterat, inde ne jactantiam incurreret metuebat. Aſt tamen pietate victus & multorum obſequiis ut ad locum accederet, vota populi ſupplicantis implevit: ubi manus ſuas ad cælum elevavit, paritérque oculos lacrymis ſtillantibus, defuncto ſalutem priſtinam reddidit, quem teſte populo ſuſcitavit. Sed ita eum parentes proprii pugnis pectora conciſa tundentes, ululatibus & fletibus obſidebant, ut conſurgere non valeret, quàmlibet ſalutem priſtinam recepiſſet. Unam tamen manum ad genitorem, aliam ad genitricem attollens, membris inter utrumque titubantibus elevatur, & populo Deo gratias acclamante ad hoſpitium revertitur proprium, cui jam cœperant parare ſepulcrum. Unde piiſſimi genitores arbitrandum eſt quale gaudium potuerint habere poſt luctum, dum hinc exſultabant de præſentia redivivæ ſobolis, inde quòd ad integrum viveret vix credebant.

Serpentem necat.

12. Perrexit itaque ſacratiſſimus Pontifex ad locum ubi latebat ille ſæviſſimus coluber qui multos jam ex populo peremerat, & viſo eo animi indignatione commotus, projecto baculo quem in manu gerebat, erectis ſurſum manibus cæleſtem Actorem invocans, exſtinctum calor vitæ deſeruit, atque per medium crepuit. Congregata denique copioſa lignorum ſtrue ignem ſupponi juſſit. Nec mirum eſt qualiter ſpiritalis athleta dum gregem humani generis defenderet, hoſtem ejus ictu letifero perculiſſet, qui quod expedire gaudio manus armata conſueverat, flatu operante ſupplebat: & forſitan ferientis ictum fallere potuit, qui obtutum Pontificis non fefellit. Inflicta verò vulnera ita orationis medicamento & Crucis ſanavit auxilio, ut ſubitò pariter & livorem abſtergeret & dolorem: nec quidem quod dirus ſerpens rabidis dentibus & aviditate inſana corruperat, apparebat.

Hominem ſaucium ſanat.

13. Alia verò die bos quemdam petulcus cornu ferienti jugulaverat, vel extrinſecùs intranea ejus expulerat: quem dum ilico ad eumdem Medicum famulantûm devotio deduxiſſet, licet in omnibus virtutibus incurrere ſe jactantiam formidaret, clementer tamen vulneratum excepit: cujus manus diligenter attractans, fomentis ſalutiferis oblectavit, & per vulnus intromiſit: quod ipſe ſuperpoſita ſpongia leviter alligans, ne aliquis ſolvere præter illum auderet, inſtanter admonuit. Quod cùm die ſeptima laxâſſet, ita in integrum fuiſſe ſanatum apparuit, ut vix ibidem vel cicatricis veſtigium remanſiſſet.

Cilicio ſemper & unicâ uſus tunicâ.

14. Ejus verò ſemper artus teneros cilicii edomabat aſperitas, unde interiorem tunicam induebat, quam de corpore ſuo crucis ſtudio numquam abſtulit: ſed ſe etiam cum eadem ſepeliri præcepit. Nec umquam uti voluit lavacris, ne fortè animorum ſuorum conſtantia, quam calcatis carnalibus vitiis monſtrabat ſuſtinere, etiam martyrio mollior redderetur.

Cæco lumen reddit.

15. Quidam igitur cæcus dum per quindecim annos naturali lumine captus, vel ſoſpita cæcitate damnatus jugi tenebrarum caligine teneretur obnoxius, ſanctiſſimum indeſinenter precabatur Antiſtitem, ut ipſi lumen amiſſum ſuis interceſſionibus redderet, & videndi aciem reſtauraret. Qui dum arrogantiam vitando differret, FULGENTIUM quemdam Subdiaconem qui ei obſequi conſueverat, ſtatuit deprecari, ut quando nocturnis horis beatiſſimus Pontifex ſolus Baſilicas circuibat, eum pro mercede ſua ſecretiùs traheret, & ad Templi veſtibu-

a Iſta Eccleſia extra muros Arelatenſes eo in loco quem ob magnam ſepulcrorum multitudinem Campos Elyſios vocant, conſtituta, Seculo XI. unà cum adjuncta Cella Monachis S. Victoris Maſſilienſis ceſſit dono Raiambaldi & laudatione Gibelini Arelatenſium Pontificum: ſed lapſu temporis reſtituta, poſtmodùm annexa eſt Taraſconenſi Parthenoni Ord. S. Bened. donec anno M. DC. XVI. Religioſæ PP. Minimorum familiæ obvenit. In cujus Eccleſiæ crypta viſuntur marmorea monumenta Sanctorum, ipſiuſque B. Virgilii, quorum lyplana in urbem poſtea invecta ſunt.

lum quo egredi conſueverat deportaret. Quod quadam nocte dum mane myſticum ad altare S. Stephani ex more vir Dei pſallendo ſacras excubias celebraret, præfatus Subdiaconus implere non diſtulit: ubi dum cæcus ille ſolo proſtratus exſpectans Sacerdotis adventum quieſceret, Medicus quem deſiderabat advenit; in quo dum improviſo molliter gradiendo pedem impuliſſet, veneranda ejus veſtigia ſupplex amplectitur, & ut viſum illi redderet deprecatur. Qui orationem * confidenter factam ſignaculum Crucis ſuper ejus oculos impoſuit, & diu clauſa lumina ſubitò reſeravit: quem oſculans conteſtatus eſt ei, ut nulli panderet quod ipſi per illum Deus viſum reſtituiſſet. Et licet hoc ſpoponderit, pro magnitudine gaudii non potuit occultare. Sed quàmlibet operatio ſecreta fuiſſet, opus tamen ſupplicum* nequit eſſe ſecretum: & qui viſum per tot annorum curricula non habuerat, non latêre potuit quod videbat, ſed etiam fugata tenebrarum caligine ſplendebat Actor, redditor luminis, & gratia fulgebat Actoris.

CIRCA AN. DC. XVI. MART. V.

* *pro* oratione facta.

* *f.* publicum

16. Et licet Divina largitas in amorem Sanctorum audientium vota ſemper amplificet, non tamen ad integrum cuncta rerum miracula expleri poſſunt, quàmlibet in longum protenta lectio perducatur: aut quando inter tanta operum Sanctorum inſignia invenienda eſt finis ejus operis, in quo cæleſtis gratia præfulſit Actoris, & cui facillimè conſtitit illuminare cæcos, ſanare claudos, ſuſcitare defunctos? Quidquid ampliùs dicitur, invenitur. Quid plura? Incunctanter omnia implere poterat, in quo Spiritus-ſanctus præfulgebat.

Miracula plura prætermiſſa.

17. Cœpit verò quandoquidem interhęc immenſa myſteria diem ſui obitûs eſſe vicinam ſacratiſſima revelatione cognoſcere. Tunc palàm omnibus humilitate ſanctiſſima ſtuduit judicare quòd de hac luce migraturus eſſet. Unde licèt omnes ſubitò mærore turbati in hoc quod ſe jam migraturum eſſe prædixerat, intuitu proprio quid ageret præſtolati fuerunt. Tunc cùm in ſtratu proprio tamquam ſoporem capiens recubâſſet, dum divinum impleret Officium, & Hymnos vel Cantica pſalleret, amittens ſpiritum ad cæleſtia migravit anno centeſimo vigeſimo-ſeptimo ætatis ſuæ [a]. In quo loco eadem hora tam ſuaviſſimus odor fragravit veluti ſi univerſos verni temporis flores in unum divina proviſio congregaſſet. Unde quid aliud cenſendum eſt, niſi amœnitatem Paradiſi ad cultum ipſius funeris reſpirâſſe? nec mirum quòd tranſitûs ſui nuntium, non ſolùm ad privata mœnia velox fama provexit, ſed & per univerſum ſæculi ambitum divulgavit. Occurrunt undique per diverſos viarum acceſſus fideles cunei populorum, optantes ſinguli vel vehiculi velamenta contingere pro munimine ſalutari.

Virgilius obitu prænuntiato moritur.

[a]

18. Tunc quædam adoleſcentula in vico qui vocatur Gallica [b] funus naturæ reddiderat, cujus corpuſculum afferens dilectio propinquorum deportavit ad tumulum, quem jam in ipſius ſepulturæ arca depoſita, necdum tamen ut tumulandi mos eſt tegmine cooperta, ſubitò illis pſallentium turba inſonuit, à quibus ſacrum corpus offerebatur: ſub quo monumento amatores ipſius puellæ, quæ ad ſepeliendum evecta fuerat, amnem Rhodani fluvij tranſmeantes à Clero vel populo fuſis precibus vel lachrymis popoſcerunt, ut deponentes feretrum quod geſtabant, ſubtus puellæ corpus exanime traheretur. Cunctis igitur fidei ardor inhæſit, ac de effectu non dubij, tam ſanctæ petitioni nihilominùs denegarunt: & ſubmittentes defunctæ corpus projecerunt, colloquentes ad invicem quòd vir ille Apoſtolicus cui numquam Divina defuerat gratia, quàmlibet naturæ debitum reddidiſſet, virtutibus tamen ac meritis viveret. Ilico igitur univerſus populus devotione fideliſſima ſeſe in diutina oratione proſternit, atque conſurgens dum unanimiter *Kyrie eleiſon* ſepties proclamâſſent, mortua puella ſurrexit. Omnes ſubitò terror invaſit, & amentiæ more gaudium cum ſtupore miſcentes, uno morabantur adſpectu. Jam quidem luctum exſultatio oborta compreſſerat, cuncti tamen ſuper tam inſigni myſterio obſtupeſcebant. Quid plura? Ad integrum tunc & qui funus puellæ detulerant convenerunt: ipſâque cultum funebrem congratulatione reſpuens, vitalibus eſt rurſus indumentis induta, & præcedentibus ſequentibúſque populis velox adjungitur, de ſe in ſancti præconij teſtimonio, ſalutem publica voce proclamans: O ſanctiſſima merita Sacerdotis! ô beatum meritum vitámque Pontificis! qui ut ſe remuneratione divina in æternum viventem oſtenderet, poſt mortem mortuam ſuſcitavit.

b

Ipſius feretri contactu mortua puella reviviſcit.

19. Quas tamen terras * vix amor populi Arelatenſis exuberans arcet, ad Eccleſiam S. Salvatoris detulerunt, habentes de funere luctum, gaudium de virtute. Tunc in ipſa Baſilica ſupra

In Eccleſia S. Salvatoris ſepelitur.

* *id eſt* ſacrum corpus, *antiquis* glebam.

[a] Quibuſdam ſuſpecta non immeritò videtur tam longæ ætatis menſura. Sedebat adhuc Virgilius anno DC. I. ut conſtat ex lib. 9. Epiſt. 63. Gregorij M. qui plures alias Epiſtolas, adeóque Pallium Pontificale ad ipſum tranſmiſit: quod mirum eſt ab hoc Auctore fuiſſe prætermiſſum. Idem ipſe Virgilius S. Auguſtinum Anglorum Apoſtolum ordinavit Archiepiſcopum, quamquam Venerabilis Beda in lib. I. Hiſt. cap. 27. deſignat Ætherium, qui tum Lugdunenſi non Arelatenſi Eccleſiæ præerat. Quamdiu Virgilius poſt annum DC. I. ſuperſtes fuerit, incertum. Ipſum inter & Theodoſium, à quo B. Ruſticulæ funus ann. DC. XXXII. curatum inferiùs in Ruſticulæ Vita dicemus, unus interceſſit Florianus Epiſcopus Arelatenſis: ideóq; anno circa DC. XVI. accidiſſe putamus S. Virgilij mortem, cujus memoriam antiqui Martyrologiorum Scriptores omiſerunt, celebrant verò Arelatenſes VII. Id. Octob. Lerinenſes Monachi Benedictini III. Non. Martias.

[b] Locus eſt in inſula trans Rhodanum, qui vulgò nunc dicitur *Galleque*, ut Vincentius Barralis in Chronol. Lerin. adnotavit.

CIRCA AN. DC. XVI. MART. V. nominata quam ipſe conſtruxerat, tumulum cum magna ſollemnitate percepit, ubi auxiliante Chriſto quidquid confidenter petitur invenitur: ubi non proculdubio fides ſit dubia, non * virtus permanet infinita. Non poſt longa igitur ſpatia temporis dum in hujus commemoratione Paſtoris multa narrarentur à multis, Subdiaconus quidam nomine ARISTARCHUS converſatione ſanctiſſimus circumſtantibus palàm rei geſtæ tenorem expoſuit dicens: Nullus »noſtrûm dubitet Beatiſſimum Virgilium, de cujus tanta virtutibus velut ipſa veritas ſuggerit replicatis, dum in hujus ſæculi manſit ſpatiis, non minùs cum Angelis quàm cum homi»nibus habitâſſe, quem nobiſcum humana conditio tenebat aſſiduum, cum Sanctis dignitas »meritorum.

Teſtimonium Ariſtarchi de S. Virgilio.

* *lege* nam

20. Contigit autem quadam nocte ut in hac urbe, ubi illi Pontificium proviſio ſuperna commiſerat, S. Stephani celeberrima Inventio, quæ eſt III. Nonas Auguſti immineret, quo ad celebrandas excubias admonitor fuerat deputatus [a].

[a] Cetera deſunt in exemplaribus MSS. tum eo quod Vincentius Barralis Chronologiæ Lerinenſis compilator à Franciſco Claretto Arelatenſis Eccleſiæ Archidiacono accepit; tum alio (ſi tamen aliud eſt) quod venerabilis dominus Saxius ejuſdem Eccleſiæ Canonicus V. C. Petri Saxij nepos communicavit noſtro Andreæ *Geneſt*, qui editam S. Virgilij Vitam iſtius codicis ope emendatam & reſtituram ad nos tranſmiſit. Is etiam rogatus nos monuit, videri quidem ſancti Virgilij tumulum in cryptis Eccleſiæ S. Honorati ab ipſo B. Virgilio (ut ſuperiùs dictum eſt) exſtructæ; at verò Arelatenſibus incompertum eſſe, quo in loco B. Virgilij Reliquiæ habeantur: niſi ſi cum aliis Sanctorum corporibus ex eadem S. Honorati Eccleſia in majorem Baſilicam illatæ, adiverentur in quadam theca (Sanctam Arcam vocant) quæ ignotas Reliquias plures continet.

AN. CHR. DC. XIX. FEBRU. II.

SANCTI LAVRENTII EPISCOPI CANTUARIENSIS ELOGIVM HISTORICVM.

Beda & Gotcelinus de Laurentio ſcripſerunt.

I. PRÆTER *Venerabilem Bedam, S. Laurentij Vitam æquè ac ejus deceſſoris Auguſtini deſcripſit* GOTCELINUS *Monachus Bertinianus, qui in Angliam à S. Anſelmo Cantuarienſi Antiſtite evocatus, Rameſiæ primùm, tum Doroberniæ habitavit, ubi varias Sanctorum ſcripſit Vitas, uti ex Willelmo Malmesburienſi ad S. Auguſtini Acta Sæculo I. prænotavimus. Gotcelini de Laurentio lucubrationem cùm reperire non licuerit, juvat quæ de ipſo idem Auctor in hiſt. Tranſl. S. Auguſtini cap. 16. commemoravit hìc inſerere.*

Laurentij facta ex Gotcelino.

2. Quartâ tandem die quæ eſt quarta feria, quaſi expediti ad beatiſſimos contubernales & ſucceſſores ſuos LAURENTIUM ac Mellitum ad ipſum Principem *(Auguſtinum)* devehendos acceſsêre. Laurentius cum ipſo duce Auguſtino primus venit, cum quo & diaboli aciem primus rupit, primúſque ab ipſo adhuc vivente ordinatus Archipontifex, ut quondam S. Clemens ſummo Petro ſuperſtiti ſucceſſit. *Et infrà.* De B. Laurentio dulce eſſet memorare, quomodo mortuum ſuſcitaverit, ſuper undas maris pedibus cucurrerit, igne de cælo evocato virtute Eliæ impios conflagraverit, quomodo fontem aridis locis productum in perpetuum rivum effuderit, quâ pœnâ arceatur omnis feminarum acceſſus ab Eccleſia quæ ejus Apoſtolatui exſtructa & conſecrata eſt in Scottia, ut nuper Regina Scottiæ inclyta MARGARETA cum oblationibus aditum tentare auſa, ſubitò ſit percuſſa atque repulſa, ſed Clericorum prece reſtituta. Verùm hæc loci artitudine excluſivè prætermitto, alibi Deo adſpirante retexenda.

2. *Quam hìc promittit Auctor S. Laurentij Vitam, edidit ſine dubio, teſte Willelmo Malmesburienſi in lib. de Pontif. Angl. his verbis:* Huic *(Auguſtino)* ſucceſſit Laurentius annis quinque, cujus virtutes & cæterorum (de quibus Beda narrans breviter perſtringit omnia, tædij ſcilicet offenſam veritus) GOSCELINUS quidam quantum veterum relatione addiſcere potuit, ſcripſit, miras prorſus & prædicandas adjiciens quas oculata fide perſpexerat virtutes. *Hunc*

Gotcelini de Laurentio fetum legerat Molanus, qui iſtius fetûs exordium refert in Add. ad Vſuardum 2. Febr. Dominis cariſſimis & paternæ, &c. *Gotcelinum Iohannes Capgravius in compendium redegit. Sufficiunt quæ ex ipſo Gotcelino ſuperiùs delibavimus.* AN. CHR. DC. XIX. FEBRU. II.

3. *Dubitant nonnulli, an Laurentius ex Italia cum Auguſtino, an ex Gallia in Britanniam ab ipſo evocatus profectus ſit. Dubitant etiam fueritne Monachus, quem Gregorius * paſſim & Beda* Preſbyterum *appellant. De primo explorata videtur eſſe res, tum ex Gotcelino ſuprà, tum ex ipſo facto Auguſtini qui* Archiepiſcopus genti Anglorum ordinatus, *inquit Beda in Hiſt. lib. 1. c. 26.* miſit continuò Romam Laurentium Preſbyterum & Petrum Monachum, qui B. Pontifici Gregorio gentem Anglorum Fidem Chriſti acecpiſſe, ac ſe Epiſcopum factum eſſe referrent; *non miſſurus profectò niſi quos Romà ſecum adductos, Gregorio notos habebat. Ex quo apparet etiam Laurentium Monachum fuiſſe, cùm nonniſi* Monachos timentes Deum * *ex Italia Gregorius in Angliam miſerit. Quoniam verò rariores tum erant in Monaſteriis Presbyteri, hos Prebyteros non Monachos appellare ſolebant, quo nomine* Beda Preſbyter *celebrari conſuevit. Adde in Eccleſia Cantuarienſi ab Auguſtino ad longa uſque tempora, nullos Antiſtites niſi Monachos præfuiſſe. Bedam de Laurentio dicentem audiamus.* Laurentius Preſbyter & Monachus. * *Greg. lib. 9. Epiſt. 52. 55. 56.* * *Beda lib. 1. c. 25.*

4. Succeſſit AUGUSTINO, *inquit lib. 1. cap. 4.* in Epiſcopatum LAURENTIUS: quem ipſe idcirco adhuc vivens ordinaverat, ne ſe defuncto ſtatus Eccleſiæ tam rudis vel ad horam Paſtore deſtitutus vacillare inciperet. In quo & exemplum ſequebatur primi Paſtoris Eccleſiæ, hoc eſt beatiſſimi Apoſtolorum Principis Petri: qui fundatâ Romæ Eccleſiâ Chriſti, Clementem ſibi adjutorem Evangelizandi ſimul & ſucceſſorem conſecrâſſe perhibetur. *Hoc & Valerium Hipponenſem* contra morem Eccleſiæ *præſtitiſſe in Magnum Auguſtinum Poſſidius in Auguſtini Vita cap. 8. auctor eſt.* Laurentius Archiepiſcopatûs gradu potitus, ſtrenuiſſimè fundamenta Eccleſiæ quæ nobiliter jacta vidit, augmentare atque ad perfectum debiti culminis & crebra voce ſanctæ exhortationis & continuis piæ operationibus exemplis provehere curavit. Denique non ſolùm novæ quæ de Angelis erat collecta Eccleſiæ curam gerebat, ſed & veterum Britanniæ incolarum, necnon & Scottorum, qui Hiberniam inſulam Britanniæ proximam incolunt, populis paſtoralem impendere curabat ſollicitudinem. Laurentius ſucceſſor ab Auguſtino deſignatus, ſtrenuè officium exſequitur.

5. Siquidem ubi Scottorum in prefata ipſorum patria, quomodo & Brittonum in ipſa Britannia, vitam ac profeſſionem minùs Eccleſiaſticam in multis eſſe cognovit, maximè quod Paſchæ ſollemnitatem non ſuo tempore celebrarent, ſed, ut ſuprà docuimus *, à quarta-decima luna uſque ad viceſimam Dominicæ Reſurrectionis diem obſervandum eſſe putarent; ſcripſit cum Coëpiſcopis ſuis exhortatoriam ad eos epiſtolam, obſecrans eos & conteſtans, unitatem pacis & Catholicæ obſervationis cum ea quæ toto orbe diffuſa eſt Chriſti Eccleſia tenere: cujus videlicet Epiſtolæ principium hoc eſt. Scotos ad ritus Catholicos adducere conatur. * *cap. 2.*

„ Dominis cariſſimis Fratribus, Epiſcopis vel Abbatibus per univerſam Scot-
„tiam, LAURENTIUS, MELLITUS & JUSTUS Epiſcopi, ſervi ſervorum Dei.
„Dum nos Sedes Apoſtolica more ſuo, ſicut in univerſo orbe terrarum, in
„his Occiduis partibus ad prędicandum gentibus paganis dirigeret, atque
„in hanc inſulam quæ Britannia nuncupatur contigit introiſſe; antequam
„cognoſceremus, credentes quòd juxta morem univerſalis Eccleſiæ ingrede-
„rentur, in magna reverentia ſanctitatis tam Brittones quàm Scottos vene-
„rati ſumus. Sed cognoſcentes Brittones, Scottos meliores putavimus. Scot-
„tos verò per DAGANUM Epiſcopum, in hanc quam ſuperiùs memoravimus
„inſulam, & COLUMBANUM Abbatem in Galliis venientem, nihil diſcrepare à
„Brittonibus in eorum converſatione didicimus. Nam Daganus Epiſcopus ad
„nos veniens, non ſolùm cibum nobiſcum, ſed nec in eodem hoſpitio quo
„veſcebamur, ſumere voluit. Epiſtolam ad eos ſcribit.

AN. CHR. DC. XIX. FEBRU 11.

Miſit enim Laurentius cum Coëpiſcopis ſuis, etiam Brittonum Sacerdotibus litteras ſuo gradu condignas, quibus eos in unitate Catholica confirmare ſategit. Sed quantum hæc agendo profecerit adhuc præſentia tempora declarant. *Reliquum Epiſtolæ deſideratur. Non caruit fructu illa Epiſtola, uti conſtat ex Vitæ S. Laurentij per Gotcelinum ſcriptæ fragmento, quod Vſſerius in Notis ad Epiſt.* 7. *Hibern. ſic reddit:* S. TERENANUS ARCHIPONTIFEX HIBERNIÆ ad eum tranſiit, vir tantæ ſanctitatis ut tres mortuos ſuſcitâſſe perhibeatur. Qui audiens B. Laurentium de Paſchæ obſervatione aliiſque Apoſtolicis inſtitutionibus mutuo conventu diſputantem, dedit manus veritati, ſuóſque diſcipulos indignantes quòd tam divinus vir tali advenæ ſubjaceret, ad veritatis lineam ſuo exemplo cum ſua gente correxit, *id eſt arguit. Hæc enim quæſtio agente S. Wilfrido anno Chriſti* DC. LXIV. *definita ac pænè ſopita eſt, ut in Vita S. Wilfridi ſæculo ſequente videbimus. Lege Bedæ Hiſt. lib. 3. cap. 25. & 26.*

Gregem relicturus à B. Petro corripitur.

6. Cùm verò Laurentius, *ait Beda cap. 6.* Mellitum Juſtúmque ſecuturus, ac Britanniam eſſet relicturus, juſſit ipſa ſibi nocte in Eccleſia beatorum Apoſtorum Petri & Pauli, de qua frequenter jam diximus, ſtratum parari: in quo cùm poſt multas preces ac lacrymas ad Deum pro ſtatu Eccleſiæ fuſas ad quieſcendum membra poſuiſſet atque obdormiſſet, apparuit ei beatiſſimus Apoſtolorum Princeps, & multo illum tempore ſecretæ noctis flagellis acrioribus afficiens, ſciſcitabatur Apoſtolica diſtrictione, quare gregem quem ſibi ipſe crediderat relinqueret, vel cui Paſtorum oves Chriſti, in medio luporum poſitas fugiens ipſe dimitteret. „ An mei, inquit, oblitus es exempli, qui pro „ parvulis Chriſti, quos mihi in indicium ſuæ dilectionis commendaverat, „ vincula, verbera, carceres, afflictiones, ipſam poſtremò mortem, mortem „ autem Crucis, ab infidelibus & inimicis Chriſti, ipſe cum Chriſto coronan- „ dus, pertuli?

Oſtenſis plagis Regem ad Fidem reducit.

7. His beati Petri flagellis ſimul & exhortationibus animatus famulus Chriſti Laurentius, mox mane facto venit ad Regem *, & retecto veſtimento, quantis eſſet verberibus laceratus, ei oſtendit. Qui multum miratus, & inquirens quis tanto viro tales auſus eſſet plagas infligere, ut audivit, quia causâ ſuæ ſalutis Epiſcopus ab Apoſtolo Chriſti tanta eſſet tormenta plagáſque perpeſſus, extimuit multùm, atque anathematizato omni idololatriæ cultu, abdicato connubio non legitimo, ſuſcepit Fidem Chriſti, & baptizatus Eccleſiæ rebus quantum valuit in omnibus conſulere ac favere curavit.

* *ſcilicet*, Eadbaldum

Mellitum & Juſtum è Gallia revocat.

8. Miſit etiam in Galliam, & revocavit Mellitum & Juſtum, eóſque ad ſuas Eccleſias liberè inſtituendas redire præcepit. Qui poſt annum ex quo abierant reverſi ſunt. Et Juſtus quidem ad civitatem Roffi * cui præfuerat rediit: Mellitum verò Londonienſes Epiſcopum recipere noluerunt, idololatris Pontificibus magis ſervire gaudentes. Non enim tanta erat ei *, quanta patri ipſius, regni poteſtas, ut etiam nolentibus ac contradicentibus paganis Antiſtitem ſuæ poſſet Eccleſiæ reddere. Verumtamen ipſe cum ſua gente ex quo ad Dominum converſus eſt, Divinis ſe ſtuduit mancipare præceptis. Denique & in Monaſterio beatiſſimi Apoſtolorum Principis, Eccleſiam ſanctæ Dei Genitricis fecit, quam conſecravit Archiepiſcopus Mellitus.

* *Rocheſter*

* Eadbaldo

9. *Idem Auctor paullo pòſt S. Laurentii obitum perſtringit his verbis*: Hoc enim regnante Rege beatus Archiepiſcopus Laurentius regnum cæleſte conſcendit, atque in Eccleſia & Monaſterio S. Apoſtoli Petri, juxta prædeceſſorem ſuum Auguſtinum ſepultus eſt, die quarto Nonarum Februariarum, *nempe anno* DC. XIX. *uti colligitur ex Beda in fine hujus capitis dum Mellitum Laurentii ſucceſſorem poſt regiminis annos quinque affirmat obiiſſe anno* DC. XXIV. *quo anno de Mellito agemus. Laurentius prope S. Auguſtinum in ſuburbana S. Petri Baſilica ſepultus, tale meruit Epitaphium, ſi Harphsfeldio credimus.*

HIc ſacra, LAURENTI, ſunt ſigna tui monumenti
Tu quoque jocundus Pater Antiſtéſque ſecundus
Pro populo Chriſti ſcapulas dorſúmque dediſti,
Artubus hui! laceris multa vibice mederis.

Verùm hi verſus Leonini poſteriorem longè ætatem ſapiunt, & fortaſſe ad Sæculi XI finem, quando ſacrum ejus corpus unà cum aliis levatum eſt, referendi ſunt.

SANCTÆ WALDRADÆ

CIRCA AN. DC. XX. MAII V.

ABBATISSÆ METTENSIS

ELOGIUM HISTORICUM.

Varia apud Mettenſes Cœnobia.

1. *APUD Mettas, urbem Galliæ Belgicæ celeberrimam, plura hoc ipſo de quo tractamus ævo erecta fuêre Cœnobia. Quippe* PAPPOLUS *ejuſdem civitatis Epiſcopus S. Symphoriani Abbatiam extra muros ædificavit, quam* ADALBERO *Antiſtes hoc nomine ſecundus jam longo tempore deſtructam anno* CM. XCII. *reſtituit, ſed bellorum neceſſitas poſtcà in urbem transferri coëgit.* GLODESINDIS *piiſſima virgo adſumpto velo propriam ædem in Parthenonum collegium eodem tempore convertit, ut in ipſius Vita uberiùs declarabimus. Nec multo pòſt* SIGIBERTUS *Rex Cœnobium S. Martini in Campis dictum, ubi primò ſepultus eſt, condidiſſe fertur. Erat etiam in ſuburbio Mettenſi S. Iohannis Evangeliſtæ Eccleſia, quæ S. Arnulfi Reliquiis decorata, eodem ſæculo in Monaſterium accrevit. Sedente Pappolo ſuperiùs laudato* ELEUTHERIUS Francorum Dux *appellatus præclaram Sanctimonialium exſtruxit domum, cui B.* VALDRADAM **, quam præ manibus habemus, præficiendam curavit. Mittimus Abbatiam Gorzienſem à* PIPPINO *&* CHRODEGANDO *non ita procul ab urbe inſtitutam; S. Clementis itidem Abbatiam B. Arnulfi Eccleſiæ olim ſubjectam, aliáſque. Vnum hoc loco adnotare convenit, in nulla fortè alia urbe plura ſupereſſe decora Benedictini Ordinis, qui apud Mettas Cœnobia ſeptem, quatuor ſcilicet virorum, Virginum tria etiamnunc poſſidet. Abbatiæ virorum à RR. PP. Congregationis S. Vitoni primævo ſplendori reſtitutæ, SS. Vincentii, Arnulfi, Clementis ac Symphoriani; Feminarum verò B. Mariæ, S. Glodeſindis, ac S. Petri nominibus celebrantur, ut de Gorzia aliiſque illius diœceſis Cœnobiis interim taceamus.*

* *S. Vualdrée*

S. Vualdradæ elogiũ.

2. *Illuſtris Meuriſſius Madaurenſis Epiſcopus ex Archivis Monaſterij S. Petri excepit de S. Vualdrada quæ ſequuntur.* Temporibus THEODERICI & THEODEBERTI Galliæ Regũ & Childeberti Regis filiorum, B. VUALDRADA famula Chriſti devotiſſima in Dei cultu ac Divina Religione clariſſima emicuit. Quæ carnis nobilitate ſplendidiſſima, utpote prædictorum Regum affinitati connexa, divitiis & opibus inclyta, mundo renuntians Monachicam vitam elegit. Cùm itaque in hoc ſanctitatis propoſito famula Chriſti excreſcens proficeret, dominus ELEUTHERIUS Francorum Dux glorioſus ſanctæ Vualdradæ ſanguine proximus, fortè tunc Monaſterium Deo & S. Petro infra muros Mediomatricorum propriis ex divitiis ædificans, ex prædiis ſuperantibus numerum ditiſſimè ampliavit Puellarum religioſiſſimarum, quibus primùm præfecit S. Vualdradam Abbatiſſam. Hæc verò ut divinè humanéque ſubditis prodeſſe ſimul ac præeſſe valeret, prædia ſua quæ ex patrum ſucceſſione multa ſuſceperat, Deo & S. Petro tradidit, támque firmè ac ſtabiliter id facere curavit, ut inconvulſum per cuncta futurorum tempora permaneret. Egit hoc anno ſecundo Theoderici Francorum Regis, teſtamento ab eodem Rege & cunctis ſuis Principibus, Galliarum Pontificibus optimè firmato, & ita firmato decreto, ut ſi quis heredum aut parentum S. Vualdradæ ductus cupiditate data Deo auferre tentaverit, legali decreto ſua perdat, & quod aggredietur nullo modo implere valeat.

Dubia in iſta relatione.

3. *Hæc quidem, tametſi recentioris videntur Auctoris, retulimus, quòd potiora de B. Vualdrada nos deficiant monimenta. Theodericus Childeberti Regis filius, non Auſtraſiano regno, ad quod Mediomatricum opidum pertinebat; ſed Burgundiæ imperabat. Quorſum ergo Vualdradæ donationem confirmat? nec ad Theodericum III. Chlodovei II. filium recurras. Hoc enim prohibet ætas B. Vualdradæ,* quæ jam temporibus Theoderici & Theodeberti Childeberti filiorum religione clariſſima emicabat. *Proinde reponendus videtur Theodebertus loco Theoderici, qui licet poſt fratris necem paullulùm ſuperſtes, Auſtriæ principatum occupaverit, non tamen ad annum regni Auſtraſiani ſecundum pervenit.*

AN CHR. DC. XIX. FEBRU II.

Miſit enim Laurentius cum Coëpiſcopis ſuis, etiam Brittonum Sacerdotibus litteras ſuo gradu condignas, quibus eos in unitate Catholica confirmare ſategit. Sed quantum hæc agendo profecerit adhuc præſentia tempora declarant. *Reliquum Epiſtolæ deſideratur. Non caruit fructu illa Epiſtola, uti conſtat ex Vitæ S. Laurentij per Gotcelinum ſcriptæ fragmento, quod Vſſerius in Notis ad Epiſt. 7. Hibern. ſic reddit:* S. TERENANUS ARCHIPONTIFEX HIBERNIÆ ad eum tranſiit, vir tantæ ſanctitatis ut tres mortuos ſuſcitâſſe perhibeatur. Qui audiens B. Laurentium de Paſchæ obſervatione aliiſque Apoſtolicis inſtitutionibus mutuo conventu diſputantem, dedit manus veritati, ſuóſque diſcipulos indignantes quòd tam divinus vir tali advenæ ſubjaceret, ad veritatis lineam ſuo exemplo cum ſua gente correxit, *id eſt arguit. Hæc enim quæſtio agente S. Wilfrido anno Chriſti* DC. LXIV. *definita ac pænè ſopita eſt, ut in Vita S. Wilfridi ſæculo ſequente videbimus. Lege Bedæ Hiſt. lib. 3. cap. 25. & 26.*

Gregem relicturus à B. Petro corripitur.

6. Cùm verò Laurentius, *ait Beda cap. 6.* Mellitum Juſtúmque ſecuturus, ac Britanniam eſſet relicturus, juſſit ipſa ſibi nocte in Eccleſia beatorum Apoſtorum Petri & Pauli, de qua frequenter jam diximus, ſtratum parari: in quo cùm poſt multas preces ac lacrymas ad Deum pro ſtatu Eccleſiæ fuſas ad quieſcendum membra poſuiſſet atque obdormiſſet, apparuit ei beatiſſimus Apoſtolorum Princeps, & multo illum tempore ſecretæ noctis flagellis acrioribus afficiens, ſciſcitabatur Apoſtolica diſtrictione, quare gregem quem ſibi ipſe crediderat relinqueret, vel cui Paſtorum oves Chriſti, in medio luporum poſitas fugiens ipſe dimitteret. „ An mei, inquit, oblitus es exempli, qui pro „ parvulis Chriſti, quos mihi in indicium ſuæ dilectionis commendaverat, „ vincula, verbera, carceres, afflictiones, ipſam poſtremò mortem, mortem „ autem Crucis, ab infidelibus & inimicis Chriſti, ipſe cum Chriſto coronan- „ dus, pertuli?

Oſtenſis plagis Regem ad Fidem reducit.

7. His beati Petri flagellis ſimul & exhortationibus animatus famulus Chriſti Laurentius, mox mane facto venit ad Regem *, & retecto veſtimento, quantis eſſet verberibus laceratus, ei oſtendit. Qui multum miratus, & inquirens quis tanto viro tales auſus eſſet plagas infligere, ut audivit, quia causâ ſuæ ſalutis Epiſcopus ab Apoſtolo Chriſti tanta eſſet tormenta plagáſque perpeſſus, extimuit multùm, atque anathematizato omni idololatriæ cultu, abdicato connubio non legitimo, ſuſcepit Fidem Chriſti, & baptizatus Eccleſiæ rebus quantum valuit in omnibus conſulere ac favere curavit.

* *ſcilicet*, Eadbaldum

Mellitum & Juſtum è Gallia revocat.

8. Miſit etiam in Galliam, & revocavit Mellitum & Juſtum, eóſque ad ſuas Eccleſias liberè inſtituendas redire præcepit. Qui poſt annum ex quo abierant reverſi ſunt. Et Juſtus quidem ad civitatem Roffi * cui præfuerat rediit: Mellitum verò Londonienſes Epiſcopum recipere noluerunt, idololatris Pontificibus magis ſervire gaudentes. Non enim tanta erat ei *, quanta patri ipſius, regni poteſtas, ut etiam nolentibus ac contradicentibus paganis Antiſtitem ſuæ poſſet Eccleſiæ reddere. Verumtamen ipſe cum ſua gente ex quo ad Dominum converſus eſt, Divinis ſe ſtuduit mancipare præceptis. Denique & in Monaſterio beatiſſimi Apoſtolorum Principis, Eccleſiam ſanctæ Dei Genitricis fecit, quam conſecravit Archiepiſcopus Mellitus.

* *Rocheſter*

* Eadbaldo

9. *Idem Auctor paullo pòſt S. Laurentii obitum perſtringit his verbis*: Hoc enim regnante Rege beatus Archiepiſcopus Laurentius regnum cæleſte conſcendit, atque in Eccleſia & Monaſterio S. Apoſtoli Petri, juxta prædeceſſorem ſuum Auguſtinum ſepultus eſt, die quarto Nonarum Februariarum, *nempe anno* DC. XIX. *uti colligitur ex Beda infine hujus capitis dum Mellitum Laurentii ſucceſſorem poſt regiminis annos quinque affirmat obiiſſe anno* DC. XXIV. *quo anno de Mellito agemus. Laurentius prope S. Auguſtinum in ſuburbana S. Petri Baſilica ſepultus, tale meruit Epitaphium, ſi Harphsfeldio credimus.*

HIc ſacra, LAURENTI, ſunt ſigna tui monumenti
Tu quoque jocundus Pater Antiſtéſque ſecundus
Pro populo Chriſti ſcapulas dorſúmque dediſti,
Artubus hui! laceris multa vibice mederis.

Verùm hi verſus Leonini poſteriorem longè ætatem ſapiunt, & fortaſſe ad Sæculi XI finem, quando ſacrum ejus corpus unà cum aliis levatum eſt, referendi ſunt.

SANCTÆ WALDRADÆ

CIRCA AN. DC. XX. MAII V.

ABBATISSÆ METTENSIS

ELOGIUM HISTORICUM.

1. *APUD Mettas, urbem Galliæ Belgicæ celeberrimam, plura hoc ipſo de quo tractamus ævo erecta fuêre Cœnobia. Quippe* PAPPOLUS *ejuſdem civitatis Epiſcopus S. Symphoriani Abbatiam extra muros ædificavit, quam* ADALBERO *Antiſtes hoc nomine ſecundus jam longo tempore deſtructam anno* CM. XCII. *reſtituit, ſed bellorum neceſſitas poſteà in urbem transferri coëgit.* GLODESINDIS *piiſſima virgo adſumpto velo propriam ædem in Parthenonum collegium eodem tempore convertit, ut in ipſius Vita uberiùs declarabimus. Nec multo pòſt* SIGIBERTUS *Rex Cœnobium S. Martini in Campis dictum, ubi primò ſepultus eſt, condidiſſe fertur. Erat etiam in ſuburbio Mettenſi S. Iohannis Evangeliſtæ Eccleſia, quæ S. Arnulfi Reliquiis decorata, eodem ſæculo in Monaſterium accrevit. Sedente Pappolo ſuperiùs laudato* ELEUTHERIUS Francorum Dux *appellatus præclaram Sanctimonialium exſtruxit domum, cui B.* VALDRADAM **, quam præ manibus habemus, præficiendam curavit. Mittimus Abbatiam Gorzienſem à* PIPPINO *&* CHRODEGANDO *non ita procul ab urbe inſtitutam; S. Clementis itidem Abbatiam B. Arnulfi Eccleſiæ olim ſubjectam, aliáſque. Unum hoc loco adnotare convenit, in nulla fortè alia urbe plura ſupereſſe decora Benedictini Ordinis, qui apud Mettas Cœnobia ſeptem, quatuor ſcilicet virorum, Virginum tria etiamnunc poſſidet. Abbatiæ virorum à RR. PP. Congregationis S. Vitoni primævo ſplendori reſtitutæ, SS. Vincentii, Armulfi, Clementis ac Symphoriani; Feminarum verò B. Mariæ, S. Glodeſindis, ac S. Petri nominibus celebrantur, ut de Gorzia aliiſque illius diœceſis Cœnobiis interim taceamus.*

Varia apud Mettenſes Cœnobia.

* *S. Vualdrée*

2. *Illuſtris Meuriſſius Madaurenſis Epiſcopus ex Archivis Monaſterij S. Petri excepit de S. Vualdrada quæ ſequuntur.* Temporibus THEODERICI & THEODEBERTI Galliæ Regũ & Childeberti Regis filiorum, B. VUALDRADA famula Chriſti devotiſſima in Dei cultu ac Divina Religione clariſſima emicuit. Quæ carnis nobilitate ſplendidiſſima, utpote prædictorum Regum affinitati connexa, divitiis & opibus inclyta, mundo renuntians Monachicam vitam elegit. Cùm itaque in hoc ſanctitatis propoſito famula Chriſti excreſcens proficeret, dominus ELEUTHERIUS Francorum Dux glorioſus ſanctæ Vualdradæ ſanguine proximus, fortè tunc Monaſterium Deo & S. Petro infra muros Mediomatricorum propriis ex divitiis ædificans, ex prædiis ſuperantibus numerum ditiſſimè ampliavit Puellarum religioſiſſimarum, quibus primùm præfecit S. Vualdradam Abbatiſſam. Hæc verò ut divinè humanéque ſubditis prodeſſe ſimul ac præeſſe valeret, prædia ſua quæ ex patrum ſucceſſione multa ſuſceperat, Deo & S. Petro tradidit, támque firmè ac ſtabiliter id facere curavit, ut inconvulſum per cuncta futurorum tempora permaneret. Egit hoc anno ſecundo Theoderici Francorum Regis, teſtamento ab eodem Rege & cunctis ſuis Principibus, Galliarum Pontificibus optimè firmato, & ita firmato decreto, ut ſi quis heredum aut parentum S. Vualdradæ ductus cupiditate data Deo auferre tentaverit, legali decreto ſua perdat, & quod aggredietur nullo modo implere valeat.

S. Vualdradæ elogiũ.

3. *Hæc quidem, tametſi recentioris videntur Auctoris, retulimus, quòd potiora de B. Vualdrada nos deficiant monimenta. Theodericus Childeberti Regis filius, non Auſtraſiano regno, ad quod Mediomatricum opidum pertinebat; ſed Burgundiæ imperabat. Quorſum ergo Vualdradæ donationem confirmat? nec ad Theodericum III. Chlodovei II. filium recurras. Hoc enim prohibet ætas B. Vualdradæ, quæ jam temporibus Theoderici & Theodeberti Childeberti filiorum religione clariſſima emicabat. Proinde reponendus videtur Theodebertus loco Theoderici, qui licet poſt fratris necem paullulùm ſuperſtes, Auſtriæ principatum occupaverit, non tamen ad annum regni Auſtraſiani ſecundum pervenit.*

Dubia in iſta relatione.

4. *S. Vualdrada in Martyrologiis Benedictino & Gallicano III. Non. Maij celebratur, utrobique* miraculis clara *dicitur. Colitur præcipuè in Monasterio S. Petri ab ipsa dotato, quod Adalbero Mettensium Episcopus hujus nominis secundus ineunte sæculo XI. reparavit, adjuncto Parthenone S. Mariæ, in quod Monachorum examina apud S. Petrum redundantium immigrarent.*

CIRCA AN. DC. XX. NOV. XXI.

VITA SANCTI BASOLI CONFESSORIS,

Auctore Monacho anonymo, qui circa initium Sæculi X. vixit.

Ex MS. codice Monasterij Altivillarensis à R. P. Martino Thys communicato.

OBSERVATIONES PRÆVIÆ.

1. *EN tibi, Lector, duplicem de S.* BASOLI* *gestis lucubrationem, alteram ab anonymo Cœnobij S. Basoli Monacho, alteram ab* ADSONE *Dervensi Abbate exaratam: cui idcirco præponimus Anonymum, quòd hunc Adsone superiorem existimemus.*

* S. Basile

2. *S. Basoli Vitam ab* ADSONE *Dervensi Abbate scriptam fuisse, fidem facit liber secundus ad Vitam* S. Bercharii Abb. in Promptuario Tricass. adjectus, his verbis:* Gesta quoque S. Confessoris BASOLI præfationibus facundis antepositis cum subsequentia miraculorum lepidè edita digessit ad liquidum (Adso,) hócque non præsumptivè, sed interpellatus à sapiente GERBERTO tunc Remensis urbis Archiepiscopo, atque à sibi cognomine præclarissimo viro scilicet ADSONE Abbate Monasterii prædicti Confessoris. *Eam Adsonis Dervensis lucubrationem non aliam esse ab ea, quam ex Monasterii S. Basoli codice, Auctoris licet nomine destitutam, secundo loco proferimus, nonnulla persuadere videntur. Primò enim Auctor duplicem adhibet Præfationem, quod mox relato consonat testimonio. Deinde in Præfatione prima adserit,* quòd non hoc proprius quidlibet faciendi impetus, sed præceptum venerabilium Patrum (*Gerberti scilicet & Adsonis alterius*) nos duxerit, sub quorum imperio militamus.... qui post longam Monasticæ Institutionis abolitam honestatem hac nostra ætate Regularis militiæ sunt reparatores atque recreatores. *At Gerbertus Remensis Archiepisc. & Adso S. Basoli Abbas proximè postrestitutam inibi Monasticam disciplinam florebant, uti eò loci dicturi sumus. Adde in eodem exemplari, ex quo Vitam posteriori loco positam eruimus, subsequi librum de Translatione & miraculis S. Basoli, quem librum sine dubio laudatus Vitæ S. Bercharii textus satis indicat, à nobis Benedictino Sæculo IV. evulgandum. Profectus in Terram sanctam Adso Dervensis, anno* CM.XCII. *mortuus dicitur*, cui mortuo Adsonem Viriziacensem scripto Epitaphio parentâsse perperam putavit Guillelmus Marlottus, vir alioqui doctus, cùm econtrario Adso Dervensis cognomini suo Abbati Viriziacensi epitaphium posuerit, ut ex jam laudati Camuzati Promptuario constat.*

* in Promptuar. Trec. ibid. fol. 94.

3. *Quòd verò Vitam ab anonymo conditam Adsonis opusculo prætulerimus, illud in causa fuit, quòd Adsonem eâ usum fuisse credimus. Certè Adso ipse in Præfatione prima alium Auctorem ob oculos habuisse se fatetur.* Quædam igitur, *inquit*, tradita ex antiquorum memoria copiosiùs retulimus, quædam verò ab ore Fidelium relata stilo proprio commendavimus, *&c. Iisdem autem verbis sæpissimè utitur Adso, quibus auctor anonymus, ut vitæ prioris numeros 2. 3. 4. &c. cum posterioris num. 10. 13. 14. &c. conferenti patebit. Porro anonymus Monachus S. Basoli, quem identidem* Patronum nostrum *vocat, vixit paullò post factam ab Hincmaro S. Basoli Translationem, cujus in fine vitæ meminit.*

3. *His quædam addere juvat de ortu, situ, ac mutatione Viriziacensis Monasterij, in quo B. Basolus tirocinium peregit. Istius Cœnobij primordia Suavegottæ Reginæ & filiæ ejus Theudechildi auctoribus tribuit Albericus in Chronico, adductus fortean auctoritate Frodoardi, apud quem in lib. 2. Hist. Rem. c. 1. Mapingij Episc. Rem.* temporibus Suavegotta Regina Remensi Ecclesiæ tertiam partem villæ Viriziaci per testamenti paginam delegâsse reperitur: quam partem quoque Præsul Theudechildi præfatæ Reginæ filiis usu fructuario per precariam salvo Ecclesiæ jure concessit. *Ex quibus conjicere licet, jam tum exstitisse Monasterium in vico Viriziaco, cujus tertiam dumtaxat partem adsignat Ecclesiæ Remensi Suavegotta, cùm antea forsitan duas partes Monasterio ædificando unà cum filia impendisset. Certè Theudechildis, quam Theoderici Chlodovei Magni filij ex Suavegotta posteriori uxore nonnulli filiam adserunt, ad urbem Senonas Monasterium Apostolorum, hodie S. Petri Vivi nomine appellatum exstruxisse & prædiis locupletâsse, ab Odoranno*

ab Odoramno & Roberto Monacho in Chronicis dicitur : ut non immeritò eam ſuſpiceris auctorem Cœnobij Viriziacenſis, quod S. Reolus Remorum Epiſc. apud Frodoardum lib. 2. cap. 10. ſuo opere reſtruxiſſe *fertur. Viriziacum, vernaculè* Verzy, *vicus eſt ad urbis Remorum Auſtralem partem, inter Remos & Catalaunum urbes medius, ad radices montis & initia Rigetij ſilvæ, vulgò* la Foreſt de la Route, *in cujus montis devexo latere nunc ſitum eſt S. Baſoli Monaſterium, vulgò* S. Baſle, *locus equidem religioſa ſolitudine jucundiſſimus, in quo B. Confeſſor annis xl. recluſus ſepultuſque eſt. Quæ Monaſterij tranſlatio facta eſt ante Hincmari Remenſis Præſulis tempora, cùm aliud* partim propter incurſus barbaricos, partim propter frequentes & perpetes in regno Principum diſcordias, *ut Adſo in S. Baſoli hiſtoria Tranſlationis teſtatur, omnino* deperiiſſet..... In eadem verò die, *idem inquit Auctor,* qua honorificentiſſimum tranſlatum eſt ejus corpus, ipſa etiam dedicatur Eccleſia in honore B. Martini Chriſti Domini Confeſſoris ac ſanctiſſimi Basoli noſtri per ſæcula Patroni ſpecialis. *Quo ex tempore Monaſterium S. Baſoli nomine vulgari cœpit, variùs Viriziacenſe appellatum, in quo Ebbo Remorum Antiſtes, exauctorati Ludovici Pij accuſatus, aliquamdiu delituit. De S. Baſolo agit Frodoardus in lib. 1. hiſt. cap. 3. qui rurſus cap. 7. ita de S. Nivardo Epiſcopo Remenſi ſcribit:* Dedit quoque ſub Privilegij jure ad Monaſterium S. Basoli Eccleſiam in Viriziaco, in honore S. Mariæ conſtructam cum omnibus ad ipſam pertinentibus, ſimúlque locellum qui Waſſiacus dicitur. Immunitatem quoque ipſis Monachis ſub Perrone Abbate ibidem Deo ſervientibus inſtituit, &c.

Circ. An. dc. xx. Nov. xxvi.

I. In temporibus Sigiberti, Chilperici Regum Franciæ fuit vir Dei Basolus nomine, utroque parente Aquitanicus, ſpectabili proſapia exortus, qui ab ætatis primævæ tirociniis totum ſe diſciplinis mancipavit cæleſtibus, caſtitate præditus, caritate profuſus, in vigiliis ſedulus, in oratione devotus, in fide perfectus, abſtinentiæ deditus, humanitate refertus, ſapientiâ redimitus, juſtitiâ inſignitus, in ſermone veraciſſimus. Qui cùm in adoleſcentia creſcens tranſiſſet pueritiam, videns mundi iſtius divitias fallaces eſſe, reſpuens eas, plus Chriſtum diligere cupiens, quàm inanes delicias appetere nitens, relicta paterna hereditate cum omni parentum affinitate, peregre profectus eſt in exteram regionem, Patriarcharum exempla complens, quæ olim in libro Geneſeos legerat dicente Domino ad Abraham: *Exi de terra tua & de cognatione tua ac de domo patris tui, & vade in terram quam monſtravero tibi.*

Baſolus ex Aquitania in Campaniam ſecedit.

Gen. 12. 1.

2. Divinitùs ergo provocatus vir ſummæ nobilitatis, Armoricana[a] à regione, ex territorio videlicet Lemovicino, B. Baſolus Remenſem ad urbem peregrè profectus eſt, patrocinia almi Remigii deſiderabiliter appetens, relictis magnis copiis Aquitaniæ ſanctam ſibi paupertatem elegit Remenſis Campaniæ: præclarus terrigena ſublimitate, ſed nobilior cæleſti dignitate; generoſus humana propinquitate, ſed generoſior Angelica ſocietate. Cui ſicut ab initio divina providentia Sanctis ſuis peregre proficiſcentibus benignum comitem contulit Angelum, ita & iſti cæleſtem meritò aptavit cuſtodem, ut quò tendebat pede vel mente, æthereum ſecum haberet ducem, quem & meruerat habere beata intentione conſortem. Apparuit ergo Angelus Domini B. Baſolo ſocius itineris, qui erat jam particeps effectus vero cultu Divinæ majeſtatis, ſicut ſcriptum eſt de cunctis veri Dei cultoribus, quòd cùm inhæremus Deo, non eſt Angelus noſtra mente potentior, teſtante Domino de reſurgentium dignitate: *Erunt ſicut Angeli Dei in cælo.*

Angelo duce.

a

Matth. 22.

3. Denique cùm beatiſſimus puer egregiæ indolis Baſolus Remenſem ingrederetur, ut præmiſſum eſt, urbem, plurimi è populo gratulantes ei occurrerunt devoto animo. Quem digniſſimè ſuſcipiens Ægidius[b] tunc temporis Remorum urbis inſignis Pontifex, cujus rei gratiâ nativum ſolum relinqueret, quámve ob cauſam peregrinaretur, per omnia eum prudenter ſciſcitavit. Cui ilico omnem rei veritatem dixit. Cognito ergo hujus ſanctiſſimi viri exſulantis deſiderio venerandus Præſul Ægidius, ingenti animæ alacritate gratanter repletus, magnis præconiis benedicebat Dominum, qui ſalvos facit ſperantes in ſe.

ab Ægidio Epiſcopo excipitur

b

4. Cùm igitur præfatæ rei aviditate flagraret vir Domini Baſolus, petiit memoratum Antiſtitem, ut ſecretius ei gratiâ converſationis concederet habitaculum, quoniam nolebat videri in publico, cùm propoſitum haberet turbas vitare populorum. Cui ſpatium & optionem ad hoc perquirendum venerabilis Præſul libentiſſimè ceſſit, ſi fortè talem in ſuo Epiſcopio locum potuiſſet reperire, qui aptus & competens foret ſuæ efficaciæ. Tandem ſuperna diſponente gratia reperit quemdam locum juſtum ac timoratum ſibíque per omnia beneplacitum in vico nuncupante *Viriziaco** ſitum ad radices montis Remorum, quem nemus

In Viriziacenſe Monaſterium ſe recipit.

* *Verzy*

a Aquitania, inquit Plinius lib. 4. cap. 17. *Aremorica antè dicta.* Nam teſte Jul. Cæſ. lib. 7. de Bello Gall. cap. 14. *Univerſis civitatibus quæ Oceanum attinguni*, Gallorum *conſuetudine Armorica appellantur. Armor* enim ad mare vel ſupra mare ſignificat. Inde aviti idiomatis memores medij ſæculi homines, Lemovicum, quod eſt Aquitaniæ primæ opidum, etſi in interiori ejus parte, in Armoricana regione ſitum dixêre. Lege Dandinum in lib. 1. Rer. Aquitanic. cap. 1.

b Ægidium ad Lemovices profectum hoſpitio exceptum aliquando fuiſſe à S. Baſoli parentibus, traditur in alia Vita num. 11.

CIRC. AN. DC. XX. Nov. XXVI.

Rigetij ſua frondium denſitate obumbrat dum ibi inchoat. Eo loco erat tunc temporis Cœnobiolum numero duodecim Monachorum conſtitutum: quò cum perveniſſet Divino, ut creditur, inſtinctu prædictus Domini famulus, ejúſque deſiderium Fratres comperiſſent, mox ab omnibus unanimiter in ſocietate fraternitatis ſuſcipitur, & ut ſervus Dei eximius à cunctis viſcerabiliter veneratur & colitur.

Litteris ſacris & virtutibus informatur.

5. Suſceptus igitur intra ſepta Monaſterij benignè à Fratribus noſter Patronus B. Baſolus traditur KOMARCO à DIOMERO ejuſdem loci venerabili Abbate ſacris litteris imbuendus. In didaſcalia divina ſibi inſpirante gratia die noctúque in lege Domini meditans, ſic doctrinâ emicuit, ut non ſolùm coætaneos, verumetiam contubernales ſuos majoris ætatis ſapientia præferretur*. Nulla illi ex omnibus propenſior cura, niſi aut de Deo in lectione atque ſermone, aut cum Deo in oratione loqueretur. Qui contrita continuatis jejuniis oſſa, ſtudebat quotidie erogare pauperibus ſtatutum ſibi generali Regulæ pensâ victum ex parte maxima, pauxillum dumtaxat ſibi reſervans quo aleretur anima, cor púſque ne deficeret famis inopiâ. Præter vitam nil eſuriebat, præter juſtitiam nihil ſitiebat. Præſentia tamquam inania atque tranſacta abſente ſpiritu non videbat, & in futuro repoſita quaſi oculis ſubdita concupiſcebat. Et verè felix terra quæ talem* ſed felicior quæ erudivit, & de alumno nobis patronum, de homine Angelum ac doctorem remiſit.

* *l.* præcederet

* *pro* contritis oſſibus

* *ſupple* peperit

Baſoli elogium.

Ex S. Petro Chryſologo

6. Bene igitur & congruè ſecundum Prophetam hodie dicimus: *In memoria æterna erit juſtus.* Dignè enim in memoriam verſatur hominum, qui ad gaudium tranſiit Angelorum; qui ideo gratiam Dei clarificatus invenit quia mundi gloriam non quæſivit. Qui gubernaculum fidei viriliter tenens, anchoram ſpei tranquilla jam in ſtatione compoſuit. Qui contra impetum diaboli ſcutum Dei ita infatigabiliter tenuit, ut ad victoriam perveniret. Internorum autem bonorum ſuorum formas ac ſpecies ſicut nemo ad plenum inſpicere potuit, ita nemo ſufficit explicare: quas ſicut ille excolere ſtuduit, ita elaboravit occulere; & cùm hæc veller augeri, nolebat agnoſci. Et quidem hæc eſt natura juſtitiæ, ut quanto ſtudioſiùs abſcondi optat, tanto clariùs innoteſcat, & occultatio ipſa prædicatio ſit. Per populos tantorum bonorum fama volitabat. Eminebat in admiratione omnium velut civitas ſuper verticem montis expoſita, nec jam lucerna poterat latère ſub modio. Glorioſa illa anima aperuit latentes in ſe divitias cæleſtium munerum, & de armario ſuaveolentium virtutum aromata ſanctificationis, & gratiarum ſuarum ſuper omnem hanc Eccleſiam effudit. Neglector quietis, refuga voluptatis*, appetitor laboris; patiens abjectionis, impatiens honoris; pauper in pecunia, dives in conſcientia; humilis ad merita, ſuperbus ad vitia.

* *f.* voluptatis

Secedit in eremum. *Apocal.* 22. 11.

7. Quid plura? nam ut merita illi magis accreſcerent, juxta quod ſcriptum eſt, ut *Juſtus juſtificetur adhuc, & Sanctus ſanctificetur adhuc*, volens humanam per omnia vitare converſationem & arripere ſolitariam, elegit ſibi rurſus alterum locum in faſtigio contigui montis nemoroſi tanto ſibi aptiorem, quanto ab humana cohabitatione ſecretiorem, in quo cellulam cum Oratorio conſtruxit, quò liberiùs contemplativos carperet fructus. In qua reclusione quadraginta annis Deo aptiſſimè militans, & contra antiquum hoſtem ut fortis Chriſti Athleta viriliter atque inſuperabiliter dimicans, abſtinentiis atque eleemoſynis, vigiliis & orationibus freno corporali ſe conſtringebat: die verò noctúque orationi & lectioni indeſinenter vacabat, & cunctos ad ſe venientes doctrinâ gratiæ illuſtrabat.

Fontem cœlitùs obtinet.

8. Dum in hoc loco hic inclytus Domini Confeſſor almifica converſatione degeret, placuit Divinæ pietati oſtendere populis virtutem ſui Confeſſoris. Nam orante illo ut Dominus aquam de terra ei produceret, veluti quondam filiis Iſraël in deſerto penuriâ ſitis deficientibus aquam produxit è petra, mox dicto citiùs ab ipſis terræ viſceribus fons in eodem loco effluere cœpit cui vetus nomen eſt, LEGIT OSSA: qui ut arbitramur, pro eo quòd ex officio medicaminis depulſa infirmitate ligat oſſa, id eſt firmat & ſanat ſua ſalubri potatione, nomen accepit. Qui olim ſub Sancti ſepulcro exſiliens, per Eccleſiæ nunc fundamentum quaſi de vaſculo ſeſe prorumpit, hauſtu dulcis & ad potandum ſalubris. De quo videlicet fonte ſicut multis ſanitatum experimentis compertum eſt, ſi quis ægrotus cujuſlibet invalitudinis deſiderium potandi ex illo habuerit, & ex eo potaverit, aut corpus ſuum in balneo abluerit; fiſus ejus meritis qui hoc veneratur in loco, protinus ſanitati priſtinæ Dei gratiâ reſtituitur.

Cæco lumen reſtituit.

9. Illud quoque miraculum quod in eodem loco per ſervum Domini eſt patratum, nequaquam ſilentio eſt prætermittendum. Nam cùm quidam puer ab ipſo lucis exortu luminibus privatus nomine Aunegiſelus excubaret ante ædes illius, duodecimo ætatis ſuæ anno lapſa virtute cœlitus orante viro Dei lumine eſt donatus. Hujus divinæ operationis miraculum audientes venerabiles Monachi meritis & interceſſionibus fore conceſſum B. Baſoli, venerunt cum crucibus & ceroferariis pſallentes magnis laudum vocibus cum gratiarum actionibus.

Aprũ à venatoribus liberat,

10. Placuit etiam Omnipotentiæ huic miraculo aliud adjungere. Cùm enim quidam homo prepotens ATELA* nomine, juſtus ac timoratus inſequeretur aprinam venationem in proximo nemore contiguo illius cellulæ, contigit aprum miræ magnitudinis dilapſum præſentiâ canum eidem cellulæ appropinquare. Quò cùm vix fugiendo perveniret, intelligens quodam-

* *al.* Attila

modo ſe meritis Sancti liberandum & à morte preſenti evadendum, depoſita belluina feritate ad pedes illius ceu veniam poſtulans proſternitur, & ejus obtentu ab inſecutoribus liberatur. Exinde quaſi mos inoleviſſe extunc & nunc creditur, & uſque hodie pro Sancti veneratione obſervatur, ut ſi fuerit in preſato ſaltu promota quælibet venatio, & intra aggeſtum illius ſilvulæ hinc & inde prominentem ingreſſa fuerit, nec canis nec venator quilibet poſtea illam proſequi audebit: quod meritis Sancti actitari nemo Fidelium eſt qui dubitet. CIRC. AN. DC. XX. NOV. XXVI.

11. Eſt & aliud non contemnendæ rei miraculum, quod proculdubio meritis Confeſſoris ſui conſtat à Domino prærogatum. Nam ſuſpenſus laqueo ab adverſariis quidam homo nomine Ragenulfus, cùm in extremo funere mortis oculos jugiter tenderet ad cælum, lacrymabili voce invocato B. Baſolo, à dira morte meruit rupto laqueo liberari continuò. Suſpenſum à laqueo.

12. Nec illud quoque ſilere debemus in tempore, quod de Patrono noſtro B. Baſolo, de ejus vita vel virtutibus à veracibus noſtris ſenioribus audivimus, ut ad laudem ſui nominis aliquid breviter de ejus operibus ſcribere non pigeamus. Fuit itaque miſericordiâ benignus, honeſtate morum præcipuus, jocundus in ſermone, devotus in prædicatione, pietate laudabilis, ſuavitate amabilis, nudos veſtimentis tegens, ſurdis auditum reddens, cæcos illuminans, dæmonia ab obſeſſis corporibus eliminans. Virtutum ejus recapitulatio.

13. Denique prænoſcens prophetiæ ſpiritu imminere ſibi tempus ſuæ reſolutionis, convocatis fidelibus ſuis direxit ad ſuum nepotem BALSEMIUM legatos, qui eum ad ſe de ſua regione Lemovicina perducerent, intimans ei ſuis litteris, quòd poſt ſuum obitum in eadem recluſione debeat converſari, ſicut à Domino revelatum fuerat ſibi. Cujus ſalutaribus præceptis ut bonus filius protinus obtemperans, utpote ad ſupernam hereditatem pervenire deſiderans, uſque ad exitûs ſui diem in ea recluſione permanſit [a]. Deceſſit autem B. Patronus noſter Baſolus ab hac luce VI. Kal. Decemb. [b] ſuperaggregatus cœtibus Angelorum. Ejus autem celebrior feſtivitas, quia propter confluentiâ populi famoſior, celebratur Idus Octobris, quo etiam die ſanctiſſimum ejus corpus tranſlatum eſt ab HINCMARO venerabili Remorum Archiepiſcopo, in quo loco ex die ſui obitûs plurimæ virtutes patratæ ſunt quæ per negligentiam non ſunt ſcriptæ. Eſt ibi pax Dei & laus Domini cum gaudio, & benedicitur Chriſtus Filius Dei, qui cum Patre regnat in unitate Spiritus ſancti in ſæcula ſæculorum, Amen. Balſemio ad ſe vocato moritur. a b Tranſlatio corporis.

a Cùm Balſemius S. Baſoli nepos uſque ad mortem in patrui ſui cella permanſerit, diſtinguendus omnino eſt ab alio Balſemio Martyre, quem apud Arcetas in territorio Trecenſi à Vvandalis martyrio affectum ferunt. Balſemium martyrem à Vvandalis occiſum ſæculo quinto, Balſemium recluſum in cella ſua mortuum ſæculo ſeptimo adſcribe. Hic in Martyrologio Benedictino & Breviario Remenſi XVIII. Kal. Septemb. ille XVII. eaſdem Kal. colitur. Unde non immeritò reprehendas Colvenerium, qui in Notis ad Frodoardi lib. 2. cap. 3. unum cum alio ex duobus conflavit.

b Nempe anno circà DC. XX. Nam S. Baſolus ab Ægidio Epiſcopo Remis exceptus eſt circiter annum D. LXXV. Vixit aliquot annis in Cœnobio Virizianenſi, priuſquam ſe recluderet in privata cellula, in qua annis XL. exactis deceſſit ac ſepultus eſt. Ejus mentionem fecit Uſuardus genuinus Idib. Octob. qui dies Tranſlationis eſt, his verbis: *In territorio Remenſi S.* BASOLI *Confeſ.* Ado verò ad eamdem diem: *Natalis S.* BASULI PRESBYTERI *Confeſ. qui in loco ubi nunc requieſcit Eremiticam vitam ducens, etiam miraculis claruit. Hic Natalis* nomine intellige feſtum quodlibet, quo vocabulo Veteres illi etiam Cathedram S. Petri deſignabant. Sic quippe in quodam veterrimo Corbeiæ Martyrologio legitur: *Natalis Cathedræ S. Petri.* Lege Menardum noſtrum in Sacrament. lib. pag. 170. Obſervandum inſuper S. Baſoli Tranſlationem ab Hincmaro primos in Pontificatu annos agente factam eſſe: ſiquidem Uſuardus tempore Caroli Calvi Martyrologium ſuum ſcribens, S. Baſoli memoriam in ipſius Tranſlationis die celebravit. Certè Frodoardus in lib. 2. cap. 3. Baſolum VI. Kalendas Decembris deceſſiſſe affirmat.

ALIA VITA

Auctore ADSONE Dervenſi Abbate, qui anno CM. XCII. obiit.

Ex membranis Monaſterij S. Baſoli eruta à noſtro Philippo Romagny.

PROLOGUS AUCTORIS.

QUONIAM deſcribenda ſanctiſſimi Confeſſoris Chriſti BASOLI vitæ actuúmque inſignia præ manibus habemus, os & cor noſtrum in cælum dirigimus: quia teſtante Scriptura, omne datum optimum & omne donum perfectum deſurſum eſſe cognoſcimus. Ad hoc autem opus trepidi omnino manum extendimus, quia tantæ materiæ meritis & ingenio impares viribus fracti ſuccumbimus, quam uni ex antiqui temporis primoribus ſatis condignam eſſe perpendimus. Cui etiamſi, ut gentilium figmenta referunt, Homerus aut Tullius Cicero rediret ab inferis, non poſſet verbis inclu- I. *Iacobi* I. 17.

CIRC. AN. DC. XX. NOV. XXVI.

dere omne ut geſtum eſt opus divinæ virtutis; quantò minùs ego ſolus homuncio, cui nec ſcientia preſtò eſt, nec meritorum ulla decuſat ratio, nec ea quæ in rebus excellentibus eſt valde neceſſaria docti ſermonis oratio? Quid ergo? etſi indigni ſumus omnino tacebimus? Forſitan enim culpam incurrimus, ſi ejus de quo ſemper dignè loqui poſſumus, virtutes & opera ſilemus. Quòd ſi ex nobis nullam ſufficientiam habemus, credimus tamen, ut Gregorius Romanæ rex eloquentiæ ſcribit, quia vires quas imperitia denegat, caritas miniſtrat. Et fortaſſe eò facundiores erimus, quò propria virtute nil fidimus: quia quantò quis humiliter intra ſuam ſe deprimit ignorantiam, tantò ſublevatur interiùs per ſpiritum illuminantem: & auditoribus animo utiliùs ſolet prodeſſe quod procedit exteriùs ex vera humilitate. At verò oratio quæ ex faſtu ſuperbiæ prodit, audientem non adjuvat, ſed faſtidit. Ergo quia mentis ariditate conſtricti ſumus, tantò vehementiùs ad fontem aquarum viventium ſitientes recurrimus, quantò inardeſcente ſiti intus æſtuamus, in illum ſuſpirantes, in illum noſtra præcordia ponentes, de quo veraciter ſcriptum tenemus, quia in cœlo habet cathedram qui docet corda hominum.

Aug. tract. 3. in 1. Epiſt. Iohan. circa finem.

2. Inde itaque accipere volumus, unde innumerabilium fluenta paginarum emanâſſe cognoſcimus, cujus gratiæ totum profectò adſcribimus, quo docente egreditur quidquid profertur. Sed & ſi poſt nos ſubitò proſiliat, qui opus hoc noſtrum veſtigio remordeat, ut & ipſe his venuſtiùs componendis eloquij ſui torrentes influat, quæ nos minus idoneè vel temerè compoſuiſſe redarguat; reducat ad memoriam, quòd non hoc proprius quidlibet faciendi impetus, ſed præceptum venerabilium Patrum nos duxerit, ſub quorum imperio militamus: quibus ſi contradiceremus, majoris dementiæ nefas eſſe putavimus. Ipſorum ergo contra omnia inopinatæ objectionis jacula defenſione confidimus, quibus obedientiæ onus auctoribus tolerandum eſſe ſuſcepimus, qui poſt longam Monaſticæ inſtitutionis abolitam honeſtatem hac noſtra ætate regularis militiæ ſunt reparatores atque recreatores [a]. Quibus cùm obedimus, vitæ noſtræ ordinem honoramus ac noſtræ ſervitutis propoſitum illæſum conſervamus. Cùm verò ab eorum obedientia temerè declinamus, Deum offendimus, animas noſtras lædimus, pro mercede inobedientiæ damnationis judicium ſuſtinemus. Ergo in hac parte nemo mordaci præjudicio in nos jacula contorqueat, quia vituperari non debemus ſi inſtitutæ ſervitutis humiliter officium implemus.

Quibus auctoribus ſcriptor hāc vitam componat.

a

Auctoris modeſtia.

3. Sed neque econtra laudationis cujuſque funes innectimus, quia omnino laudari à quoquam recuſamus, qui laudandum numquam aliquid nos egiſſe meminimus. In hoc namque tali negotio non eſt à dictante quærenda laudatio, ſed virtutum imitanda proportio, & rerum geſtarum cum veritate proferenda aſſertio. Si igitur debet quis laudari, ille laudetur de quo nos famuli loquimur, ille lauderur qui virtutes operatur, ille qui jam triumphaliter pervenit ad portum, non ille qui adhuc in incerto, inter fluctus dirigit remum. Unus eſt igitur ex principibus Monachorum ſublimium, quem nos Monaſticæ vitæ profeſſores indigniſſimos qui nec minimam meritorum particulam attigimus, oportet laudare & recolere devotis pectoribus. Juſtum quippe eſt, ut quem habemus præ oculis noſtri Ordinis ducem præcipuum, quo regente, per varios caſus & tot diſcrimina rerum tendimus ad patriam, noſtri devotionem exhibeamus obſequij ritúmque colendi, ut tunc ſuos eſſe recognoſcat, cùm in judicio veniens à ſervitute ſua non fuiſſe extraneos conſiderat. Qui hæc autem legerit, intelligat, quòd noſtra exactio ad legendum eum non compellat, ſciátque quia alia pro aliis non introducere voluimus; ſed rei geſtæ ordinem diligentiſſimè inveſtigantes, quantum ſtudium noſtrum pertingere potuit, ne tantus domini Confeſſor in populo lateret, effecit; qui his Franciæ partibus & Monachorum imitator egregius exſtitit, totius populi ſui apud Dominum ſemper piiſſimus mediator erit.

Fides hujus hiſtoriæ.

4. Quædam igitur tradita ex antiquorum memoria copioſiùs retulimus, quædam verò ab ore fidelium relata ſtilo proprio commendavimus, nonnulla quoque addere libuit quibus & ipſi interfuimus, ſed & illa brevirer exſecuti ſumus quæ rebus teſtimonio præſentium adſtipulante didicimus. In deſcriptione autem noſtra ordinem ſervare ſuperſedimus; dummodo id ageremus, ut quæ ſe noſtræ inferrent notitiæ, ſurda ore non tranſeundum eſſe judicaremus; quamvis quoque à pluribus affirmari ſoleat, quòd ſollers antiquitas ex beati viri actibus poſterorum memoriæ non modicæ quantitatis librum reliquerit, qui tamen adhuc noſtris conſpectibus uſque in præſens deprehendi non potuit. Sed ſive illud eſt, ſive ut Poëta canit: Audieras ſed fama fuit; ſpecialis Paſtoris noſtri virtutes & opera nos ſilere minimè convenit, qui & ante corpus ejus excubias agimus [b], & patrocinij ſingularitate gaudemus. Nec

Auctor rerum ordinem non ſervat.

a Frodoardus in Chron. ad ann. CM. LII. *Artoldus*, inquit, *Archiepiſcopus in Monaſterio S. Baſoli Monachos mittit expulſis Clericis qui ſerviebant ibi, committens illud Hincmaro & Rotmaro Abbatibus.* Hincmarus Abbas S. Remigij apud Remos, & Rotmarus Altivillacenſis fortè Abbas, Monachis apud Baſolum reſtitutis præficiendum curarunt Odoleum Abbatem, cui Adso Gerberto Remorum Antiſtiti coævus ſucceſſit, ædificavítque Baſilicam qualis etiamnunc ſupereſt, ut Gerbertus in Epiſt. 7. teſtatur. Lege Guillelmum *Marloi* in lib. 4. Metrop. Rem. cap. 25. & 26.

b Hîc nomine Monachorum S. Baſoli loquitur Adſo Abbas Dervenſis Cœnobij, vulgò *Monſtier-en-Der*, diœceſis Catalaunenſis, in tractu Partenſi, *le Parthois*.

nobis erit oneri quantumcumque ipſius prœconia ſcimus ab aliis dilatari: immo potiùs ſurgent incrementa gaudij, ſi ubi nos deficimus, contigerit per alium adimpleri; quia virtutes ejus quas cœlo teſte eſt operatus, ſicut nullus mortalium potuit pleniter agnoſcere, ita ſermo plurimorum non valet omnimodis explicare. CIRCA AN. DC. XX. NOV. XXVI.

ALIA PRÆFATIO.

5. EX longo hujus peregrinationis tædio felicem ad patriam revertentes, habemus neceſſaria SS. Patrum exempla, quos novimus promeruiſſe virtutibus glorioſum ad cælos adſcenſum. Hic namque, ut dicitur, inter Charibdim Syllámque navigantes, non ſine magno periculo iter medium ducimus, & valde formidandum, ne in dexteram ſive in partem ſiniſtram vela relaxemus. Præſtò ſunt enim utrimque truculentæ beſtiæ, quæ ſi nos ad ſe declinantes adſpexerint, patenti baratro ſorbeant, atque profundis gurgitibus immergant. Quia igitur hæc mortis latibula per nos cautè evitare non poſſumus, ideo curioſè lumine Sanctorum præcedentium ſemitas exploremus, ut iter tutum inter tot diſcrimina teneamus. Quod tunc convenienter agimus, ſi eorum virtutes & opera conſideremus, nobiſque ex eorum imitatione ſalutis exempla capiamus: ſi mores componimus, vitam emendamus, & quidquid eſt in nobis Deo diſplicens, per ſanctæ converſationis ſtudium fiat Redemptori placens. Bono etenim fructu Sanctorum memoriam recolimus, ſi faſtidium non ſit imitari quod auribus audimus. Bono fructu Sanctorum celebramus feſta, ſi condimentum innocentiæ accipit his infelix conſcientia noſtra. Feſtiva namque gaudia non ciborum viníque affluentiæ, ſed mentem purificans deſiderium de Spiritu-ſancto componit lætitia. Exempla Sanctorum quàm utilia.

6. Ideo ergo nos beati Paſtoris noſtri ac præclari Confeſſoris Chriſti Baſoli vitam actúſque deſcribimus, ut per quod iter ad gloriam pervenerit in memoriam reducamus. Ecce etenim ſi quanta ſit ejus gloria in cælo conſideremus, ad ea tamen quæ antè pertulit viſum reflectamus: quia nihil mihi prodeſt, cùm de cæleſtibus audio, ſi hæc quibus ad cæleſtia tenditur, ad manus non evolvo. Unde ſanctiſſimi hujus Patris vitam fidelibus ducimus in exemplum, qui quod diaboli tentamenta fortiter evicit, ſe profectò in ardua ſequendum filios edocuit. Et quoniam gentiles Philoſophi præclaris ſuorum facinoribus provocati, ipſi perditi perditos quæſivêre memoriæ mandare perenni, ut in ore hominum viverent qui anima & corpore pariter deceſſiſſent; quantò nos glorioſos Sanctorum triumphos digniùs attollimus, quos in æternitate cum Deo regnare non dubitamus? Hi namque poſt mortem meliùs vivunt, illic ubi vivunt: cùm exſtincta quoque eorum corpora tantis quotidie miraculis coruſcant, illic etiam ubi temporaliter non vivunt. Patientiùs enim actionem recito, quæ Confeſſorem meum Beatiſſimum Baſolum æternæ jocunditati adſcriptum cum civibus narrat, quàm eam quæ Herculem gigantea olim enormitate præditum in cælum tranſlatum eſſe mendaciter affirmat. Iſte itaque dum ſol mundum ſuo lumine cinxerit, apud homines perenni vivet in gloria; illum verò, ut fertur, æternæ morti ſemper apud interos torquebit Ixionea rota. Ipſius ergo geſta breviter in notitiam deducimus hominum, qui laudibus honoratur Angelorum. Præſtabit, ut credimus, Lectori ſuo non minimam in cæleſtibus gloriam, quicumque cum dilectione ſuam recitaverit lectionem. Sed ne ſtili ruſticitate ſancti viri actibus vilitatis injuriam ſubminiſtret, ſolam tantùm præferat materiam, ſed tamen Auctoris occultet pagina nomen. Auctor nomen ſuum premit.

INCIPIT VITA.

7. IGITUR Beatiſſimus BASOLUS Aquitania provincia inclyto parentum germine exortus teritorio urbis Lemovicinæ, natu & genere fuit nobiliſſimus. Qui felici auſpicio metas infantiæ ſupergreſſus, cùm tempora adoleſcentiæ ſacri tirocinij incremento contigiſſet, ad divinæ ſervitutis opus totum ſe convertit. Ac primùm terrenæ militiæ ſpecie detentus, illos primævæ ætatis annos inter populares turmas ſub ſtudio pietatis exſolverat. Qui licet communiter in ſeculo aliquamdiu converſatus, non tamen ſacram adoleſcentiam vitiis ſubdiderat, quibus illa ætas nimiùm implicari ſolet. Jam tum quidem æſtuans amore cœleſtium, ſempérque tendens in augmenta virtutum. Et quamvis ſecularis rei ſuperducta ſpecie teneretur, diſciplinis tamèn cœleſtibus animum inſerebat, Evangelicam perfectionem in illa etiam infirmitate ſibi præ oculis inferens, patrem matrémque minùs dilexerat, ut Deo ſe approbante fieri dignior potuiſſet. Eccleſiis Dei aut Monaſteriis animus pervigilans in adoleſcentia meditabatur, quod poſtmodum altiùs impleretur. Fides in ejus pectore amplum regebat imperium, caritas atque dilectio apud eum perpetui fomitis perurgebat incendium: caſtitatis autem candore in ſe eminente, non fixit pedem in lubrico ne maculam traheret ab occulto. Vigilias ac ſacras orationes ſibi perpetuans, quantum intelligere poterat, non ſegniter agebat: abſtinentiæ autem diſtrictionibus deditus, cibo potúque temperans, juventutis inſolentiam duris nexibus infrenaverat. Patientiam quoque in adverſis inter ſeculares quantum excoluit, exponere nemo ſufficit. Circa pauperes tanta ei liberalitas erat, S. Baſoli patria & nobilitas. Virtutes ejus adhuc laici

CIRCA AN. DC. XX. NOV. XXVI. ut quidquid conceſſæ facultatis fuerat, id totum præter quotidianum victum, ſtipendiis effunderet miſerorum. Erat autem inter hæc animo piiſſimus, ſermone veraciſſimus, juſtitiâ inſignis, ſpe longanimis, motu acceptus, inceſſu verecundus, moribus gravis, lenitate amabilis, verbo communis, omnibus affabilis, gratus alloquio, honeſtus in domo, tardus in publico, lacrymantium dulcedo, imbecillium fortitudo, ſtantium beatitudo, omniúmque in eo bonorum decentiſſima claritudo. Tanta etiam ſe vi coartaverat, ut Eccleſiaſticæ diſciplinæ nonnullos exercitio præditos animi virtutibus ſub illo quoque habitu tranſcenderet.

Ad S. Remigij ſepulcrum devotus accedit.

8. Cùm denique prædictos hos omnes bonorum gradus pertranſiret florida beatiſſimi Baſoli juventus, Dei præventus dono accenditur ejus animus, ut jam plenius renuntiare debuiſſet mundo, ſua omnia deſereret, de finibus ſuis exiret, regnum Franciæ penetraret, Remenſem urbem ſpecialiter expeteret, ac beati REMIGII de cujus ſanctis actibus mira & egregia jam olim multa cognoviſſet, tumulum corporaliter inviſeret, ibique ſacris vigiliis & orationibus excubaret. Et quotidie quantò gratia major in eo excreverat, tantò altiùs animo revoluebat, quia ad claritatem viſionis Dei aliter adſcendere non poſſet, niſi liber omnibus ſæculi impedimentis, diſcipulum ſe faciat Salvatoris, qui cunctis ſuis veris ſequacibus dicit: *Diſcite à me quia mitis ſum & humilis corde, & invenietis requiem animabus veſtris.* Cujus vocem Beatiſſimus vir Baſolus diligenter amplectens, metuebat ſe inter turbines ſæculi poſitum animæ ſuæ facilè incurriſſe jacturam. Feliciſſimum vincendi genus eſſe, fallaces mundi divitias contemnere, aurum atque argentum nec habere nec quærere, veram paupertatem ambire, quæ cælorum tribuat ampla palatia poſſidere. Hæc igitur ſecum verſans in pectore, fidem atque conſtantiam Abrahæ antiqui ac nobilis Patriarchæ præ oculis revocat, qui derelicto nativitatis ſolo atque paternæ cognationis domo, ignota ſibi fidenter expetiit, & quò eſt juſſus exivit.

Matth. 11. 29.

Omnia relinquere ſtatuit.

9. Hinc itaque vir ſanctus altiùs cœpit ingemiſcere, quòd hoc præcepti genus, necdum fuerat expertus. Qui ſi mente nativum jam ceſpitem reliquerat, reputabat tamen quia adhuc corpore intereſſet. Tandem igitur ſumpta, ut ferunt, tantummodo illa ſua re militari, qua primos flores caſta juventus non voluptate ſæculi, ſed perfunctorio exercitio agere conſueverat, nudatus parentibus, Dei protectione veſtitus, lætus jam ſuam peregrinationem aggreditur: atque ita qui antè ſuorum fultus blandimentis fuerat, longæ peregrinationis hoſpes factus, egregium habendi genus elegerat, ut ſaltem ubi caput reclinaret cum Chriſto omnino non haberet. Nam ut non arbitreris hanc viri laudabilem peregrinationem ſupernæ mercedis gloriâ vacuatam, attende paullulum, & quiddam tibi in ea invenies valde admirandum.

Angelum itineris ducem meretur.

10. Cùm enim ſanctiſſimus Chriſti Confeſſor extra regni ſui fines pedem peregrinaturus extenderet, ut quantus eſſet in cælo qui peregrinabatur in terra divina virtus oſtenderet, ſicut & ab initio ſæculi omnibus Sanctis ſuis peregrè proficiſcentibus, ita & iſti meritò aptavit ductorem, ut quo tendebat pede vel mente ærhereum ſecum haberet cuſtodem, quem & meruerat interna intentione conſortem, itaut de eo ſcriptum eſſe videatur: *Ecce ego mitto Angelum meum qui præcedat te & cuſtodiat ſemper.* Apparuit ſiquidem ei Angelus Domini ſocius itineris, qui erat jam particeps effectus vero cultu divinæ majeſtatis, ſicut ſcriptum eſt de veris Dei cultoribus: quia cùm inhæremus Deo, non eſt Angelus noſtra mente potentior, domino etiam alibi teſtante de innocentium non ætate ſed puritate: *Angeli*, inquit, *eorum ſemper vident faciem Patris mei qui in cælis eſt.* Etenim qui quondam Iſraëlitico populo Pharaonis imperium declinanti vias maris Rubri aperuit, atque eum per terribiles ſolitudines gradientem columnam ignis in nocte, & columnam nubis in die præcedere juſſit, necnon à loco nativitatis uſque in promiſſionis terram feſtinantem magnis de cælo ſignis comitantibus introduxit; ipſe nunc non diſſimilibus miraculorum cauſis beato viro BASOLO ducem Angelicum per totum illud piæ peregrinationis delegavit exſilium. Quo fretus ductore viæ, ad Remenſem pervenit urbem, longo viæ labori finem daturus. Divinitus ergo, ut creditur, beatus BASOLUS à regione Armoricana atque ex territorio Lemovicino provocatus, has eſt partes ingreſſus: qui relictis magnis copiis Aquitaniæ, ſanctam ſibi paupertatem elegit Remenſis Campaniæ; nobilis terrigena ſublimitate, ſed nobilior cæleſti dignitate, generoſus humana proſapia, ſed generoſior ſocietate Angelica: quem ſic ideo Deus exaltavit, quia ipſe in conſpectu divinæ majeſtatis, ſeipſum ſemper humiliare ſtuduit.

Exod. 23. 20.

Matth. 18. 10.

Multi ſanctitate illuſtres florent Remis.

11. Eodem autem tempore urbis Remorum florente concivio, ita tota refulgebat civitas diſtinctis Sanctorum fulgoribus adhuc in carne degentium, tamquam quidam cæleſtis circulus ſtellarum adornatur micantium compoſitis ordinibus. Quorum tunc erat vir admirandæ ſanctitatis ſummus Paſtor ÆGIDIUS, qui eodem Remorum Pontificio ſublimatus, poſt dignæ

& laudabilis vitæ Antiſtitem Remigium, ea Sede claruit quartus[a]. Qui ſcilicet venerabilis Pontifex viribus ſuis & ingenio plurima addidit eidem Epiſcopio. Moribus & vitâ Pontificis dignitatem implebat, rebus Epiſcopium ſublimaverat, terminos dilataverat, Eccleſiaſticæ familiæ copiâ quantum fuit poſſibile ditaverat, multis ſe laboribus tradens atque vigiliis, ne ſui ſentiret diſpendia gregis: qui quantis floruit bonorum exercitiis, FORTUNATUS Preſbyter Doctor egregius ac Poëta facundiſſimus ab ipſo Ægidio partibus, ut legitur, Italiæ in Gallias provocatus, vitam, mores, prædicationem ac paſtoralem ejus ſollicitudinem metrica ratione breviter, ſed eloquenter complexus eſt. Hunc ergo valde diligebant Francorum Proceres. Rex etiam CHILPERICUS qui tunc temporis Francorum potiebatur imperio, quique adminiſtrationem regni poſt patris obitum viribus obtinuerat, quoniam & ejus partibus faveret, & myſterio regalis conſilii intereſſet. In ea quoque altercatione quæ inter CHILPERICUM ac CHILDEBERTUM Reges de principatu regni fuerat oborta, hic idem Præſul à Chilperici Regis auxilio non defecit & copia, unde multa poſtea legitur ſuſtinuiſſe adverſa.

CIRCA AN. DC. XX. Nov. XXVI.

In his Ægidius Remorũ Epiſcopus. Fortunatus illius geſta metro conſcripſit.

12. Intereà dum frequentibus regiis expeditionibus non deeſſet Ægidius, Chilperico Francorum Rege Aquitaniæ partes ſæpè expetente, cum aliis illius regni urbibus, tum etiam Lemovico territorio clarus & notus erat Epiſcopus pro ſuæ bonitatis merito omnibus venerandus. Et cùm per multa bonorum exercitia curreret, quibus haud immeritò Juſtorum judicio laudari debuiſſet; in hoc præcipuè etiam à Deo ſublimari meruit, quando ſuo tempore Remorum urbem adventu beatiſſimi Baſoli divina gratia illuſtravit. Qui ſcilicet vir in omnibus Deo acceptiſſimus, licet egreſſus de terra ſua his Franciæ noſtræ ſe intulerit partibus, tamen ſicut ex his poteſt Lector cognoſcere, prædictus Præſul in has oras beato viro adventûs cauſa fuit, quia videlicet ab ipſius nobiliſſimis parentibus, regium comitatum ſecutus, ut traditur officioſa liberalitate fuerit Lemovicis ſuſceptus, atque apud eos familiaritatis gratiâ per aliquod tempus diverſatus.

Ægidius à parentibus S. Baſoli hoſpitio exceptus.

13. Denique cùm devotiſſimus Chriſti cultor S. Baſolus Remenſem urbem per Dei diſpenſationem fuiſſet ingreſſus, cognito tanti viri adventu, jam dici non poteſt quanta devotione plurimi civium ei currunt obviàm. Nec defuit inter ceteros civitatem ingreſſo dilectus Paſtor Ægidius, qui digniſſimo ſicut competebat homini, Sanctum Dei ſuſcipiens, cujus in hoc quoque erat ſtudium, ut religioſas ac Deo acceptas perſonas undecumque ſuæ urbi adſciſceret, lætatur & gaudet, quòd de longinquis terrarum finibus hanc ſibi perfectæ virtutis columnam Deus deſtinaviſſet. Chriſti verò fidelis ſervus ac devotus quis poteſt cogitare quanto interiùs replebatur gaudio, cùm Dominus in conſpectu ſuo viam peregrinationis ejus dirigeret? Poſthæc itaque venerabilis Pontifex interrogat, cur ſummæ nobilitatis vir nativum ſolum reliquerat, cur tantus peregrinandi ardor ſibi placuiſſet? Cui ſicut veritas expetebat, dilectus Dei famulus ſuum propoſitum per ordinem indicavit, Deo ſe in paupertate velle ſervire, ac pro cognatione patria hujus regni exſilium ſponte commutaſſe, non jam ſua repetere, ſed ſicut multi Sanctorum priori ævo fecerant, peregrè vitam finire. Cognito ergo pio exſulantis viri deſiderio, Præſul clariſſimus ingenti alacritate repletus, magnis præconiis benedicebat Dominum, qui in ſe confidentibus benignum ſemper confert auxilium, & ad ſe ſerviendum animos attrahit plurimorum.

S. Baſolus Remis ab Ægidio reverenter excipitur.

14. Poſt hæc igitur vir Domini Baſolus memoratum Antiſtitem petiit, ut ſecretius ei converſandi gratia concederet habitaculum, quoniam videri nolebat in publico, cùm haberet propoſitum turbas vitare populorum: ad hoc ſe teſtatus adveniſſe, ut cultum divinæ religionis, quem liber inter ſuos non ſibi fuiſſet licitum expedire, inter ignotas terras potuiſſet forſitan perfectiùs adimplere. Inde quoque venerabilis Præſul magis gaudere & glorificare Dei miſericordiam, cùm audiſſet tantum virum ſe præ omnibus elegiſſe, atque intra Epiſcopii ſui fines habitare velle. Sed cùm potiùs optaret penes ſe eum retinendum, niſi viro Dei à populi frequentia remotiùs vivendi intentio eſſet, ei ſpatium perquirendi & optionem libenti conceſſit animo, aptum ſibi & competentem ad habitandum locum in toto Remenſi territorio. Tandẽ itaq; Deo providente reperit quemdam locum in vico cui antiquus ille & primus indigena Viriziaco* nomen impoſuit, ſitum ad radices montis Remorum. Quod quidem ſuarum denſitate frondium nemus obumbrat Rigetium*, dum inchoationis ſuæ illic ſumit exordium. Hic olim à primis temporibus Cœnobium habuit vitæ regularis, hìc competentia Monachorum habitacula prioris ævi ſagax induſtria procuravit. Inhabitantes Monachi collegium ſuum intra duo-

Ab eodem obtinet locum à turba remotũ.

* *Vertz*

* *les bois de la Route* Verziacenſium Monachorum ſocietati adjungitur.

[a] Frodoardus in libri 2. Hiſtoriæ cap. 1. *Beato Remigio*, inquit, *ſucceſſiſſe traditur Romanus, Romano Flavius, poſt quos Mapinius.* Et cap. 2. *Præſul Ægidius Mapinium legitur ſecutus*, anno ſcilicet D. LXIX. Ægidii elogium à Fortunato conditum refertur apud eumdem Frodoardum in cap. 2. ſuprà citato. De Ægidii depoſitione quæ anno D. XC. in Concilio Mettenſi agente Childeberto Rege facta eſt, legendus Gregorius Turon. in lib. 10. cap. 19. & 20. Hujus Vitæ Auctor in Ægidio laudando nimius videtur. Cur enim Childeberto proprio Rege neglecto immoderatiùs favebat Chilperico?

CIRCA AN. DC. XX. Nov. XXVI.

denum numerum contraxerant, mores & actus militantium beati COLUMBANI [a], ſicut in antiquariis reperimus, tunc temporis Inſtituta regebant: unius Patris ſpiritualis cuncti parebant imperio. Agebatur cæleſtis militia ſtudii ac præclaris exercitiis Dominici diſciplina ſervitii, ubi nullus communis Regulæ tranſcendebat terminum, niſi Abbatis judicio cauſa obedientiæ conſtitutum vel corporis infirmitate conceſſum. Huc igitur cum gratia & auctoritate dilecti Præſulis Ægidii perveniens, comperto à Fratribus ejus deſiderio, mox omnium unanimitate ac ſummæ devotionis alacritate, in ſocietatem fraternitatis ſuſcipitur; atque pro ſuæ religionis merito ab univerſis reverenter amatur & colitur.

Sacris litteris imbuitur.

15. Suſceptus itaque à Fratribus intra ſepta Monaſterii B. Baſolus Congregationi Monachorum addictus, cuidam Monacho Komarcho nomine à DIOMERO ejuſdem loci venerabili Abbate, ſacris litteris traditur imbuendus. Qui ſanctæ diſciplinæ ſtudia ingreſſus, divina ſe perluſtrante gratia, die noctúque in lege Domini meditando in eo doctrinæ perfectionis in brevi culmen emicuit. Nec mirum cùm per ſancti Spiritus magiſterium edoctus, id ejus conſequeretur gratiâ, pro cujus amore ſe tanta libertate privaverat cognatione paterna.

Virtutum ejus catalogus.

16. Jam verò quantæ humilitatis, quantæ fuerit patientiæ, quantæ lenitatis, quantæ manſuetudinis, quantæ benivolentiæ, quis dignè poterit ſermone perſtringere? Sollers in lectione, ſtudioſus in retractatione, devotus in oratione, compunctus in lacrymis, intentus Pſalmorum oraculis, verax in verbis, aſſiduus in divinis rebus. Abſtinentiæ rigore carnem macerans, ſtatutum ſibi generali regula victum minuendo ſubtrahens, ut plus eſſet quod pauperi poſſet erogari, quàm corporis uſibus indulgeri, potiùs deſiderans animæ ſemper cibum quærere quàm timens per famis inopiam corpus deperire, ſententiam Evangelii ſemper habens præ oculis, per quam ſciebat à Domino repromiſſum: *Beati qui eſuriunt & ſitiunt juſtitiam, quoniam ipſi ſaturabuntur.* Ad obediendum verò ſemper Seniorum decretis ita in omnibus promptiſſimus & paratus, ut etiam in abjectis & viliſſimis rebus ſummo gaudio excurreret explendis. In omni verò vita ſua, in toto ſuo illo primario tirocinio, nihil plus dilexit, plus amavit, plus ſecutus eſt, quàm pietatis habere virtutem, in qua adeo ſtuduit, adeo operatus eſt, ut cùm aliis multis floruerit, hanc tamen tamquam omnium bonarum virtutum ſuarum optimum ſalſamentum in cunctis ſibi adhibuit. Qui ab illo pietatum fonte primario plenè decoratus, nil aliud foris oſtendere potuit, quàm quod intus donum pietatis infudit. Fuit namque ubique piiſſimus, ubique clementiæ ubertate profuſus: pius in opulentia, pius in mediocri ſubſtantia: pius circa ditiores, pius nihilominus circa pauperiores. Et ſi coartatos atque extrema neceſſitate poſſeſſos manu ſublevante inſtantibus non poſſet anguſtiis eruere, precibus inſiſtebat quò ſuperna potentia levamen afferret. Unde uſque hodie quilibet aut rerum pulſus incommodis, aut alicujus malefactoris fatigatione conſtrictus, aut morbo urgente vexatus, ſi plena fide ad Sancti hujus acceſſerit tumulum, quia pium quæſierit, largitate pietatis indulgentiam lætus reportabit. Sæpè quoque & nos turbas populares ad ſacrum corpus ejus, coacto grege veniſſe adſpeximus, contra adverſarios ſuos voto ac lacrymis adjutorium implorâſſe: quorum precibus ſanctus Dei Confeſſor pietate permotus ſemineces erexit, miſeris occurrit, vexatos abſolvit, hoſtes abjecit, triſtes in gaudia commutavit, & dolentibus felicia provenire fecit. Hinc igitur facilè cognoſce, quia quicumque ad eum cum pietate acceſſit, à munere pietatis vacuus non receſſit: quia quod vir iſte beatus accepit, gratis dedit; quod poſſedit, libenter tribuit; quod obtineri decuit, numquam negavit.

Matth. 5. 6.

Pietatem præ ceteris virtutibus coluit maximè erga afflictos.

Ad perfectionem jugiter adſpirat.

17. Hic ſiquidem longo inter Fratres in Monaſterio tempore vivens, ac ſub monaſticæ inſtitutionis diſciplina cum ceteris Deo militans, ita ſe ſpiritualibus ſubdidit inſtitutis, ut moribus conſocios ſuos antecederet, atque prudentiæ decore inter alios ipſe reſplenderet. Et cùm de virtute in virtutem fidelis Domini miles ſublimiter excreviſſet, perfectiſſimis ipſe cœpit haberi perfectior: & cùm caveret ne de fervoris atque conſtantiæ ſuæ gratia, divina in ſtatera juſtitiæ examinatio minus aliquid inveniſſet; per quotidiana incrementa ſemper tendebat ad altiora, ſemper in ſanctitate ferventior ac ſeipſo ſublimior. Nam cùm diuturna examinatione in Congregatione Fratrum communis exercitio pugnæ benè probatus & undique perfectè fuiſſet elimatus, ut ſecundùm Scripturam juſtior eſſet, & magis adhuc ſanctificari poſſet; ad ſingulare certamen properat contra diabolum pugnaturus, Domini virtute ſapienter armatus.

18. Volens itaque humanam per omnia vitare converſationem & ingredi vitam ſolitariam, in nemoroſi montis cacumine locum rurſus ſibi elegit alterum, in quo cellam cum Oratorio

[a] Si noſtra de tempore adventûs S. Columbani in Galliam ſententia probatur, priùs in Cœnobium Viziacenſe admiſſus eſt Baſolus, quàm S. Columbanus Inſtitutum ſuum in has partes intulerat. Immo in aliorum opinione qui S. Columbanum anno circa D. LXX. huc advenisse dicunt, Columbani Regula nondum invaluerat ante Ægidii Remorum Antiſtitis, qui S. Baſolum excepit, exauctorationem anno D. XC. factam: quo anno Columbanus fundamenta jecit Luxovienſis Monaſterii, ex quo Religionem à ſe inductam propagavit. At *Regula ſancta* ut loquitur Frodoardus lib. 2. cap. 7. à B. Nivardo Remorum Epiſcopo S. Baſoli Monaſterio impoſita eſt ſæculo VII. eóque nomine paſſim intelligit Frodoardus Regulam SS. Benedicti & Columbani inſimul in Monaſteriis illo ſæculo receptam, ad quod finc dubio Sæculum *antiquaria* illa Inſtrumenta referenda ſunt.

conſtruxit,

conſtruxit, ſingulariter converſari deſiderans, quò mandatis cæleſtibus perfectiùs eſſet intentus, & contemplativos ſuaviùs & puriùs poſſet decerpere fructus. Quo in loco ſecretiùs per quadraginta annos habitans, & contra antiquum ſerpentem ut fortis athleta viriliter atque inſuperabiliter dimicans, Imperatori ſuo fideliter militavit. Ubi quantos ſudores, quantos ſubierit pro Chriſtò labores, quantáſve ſpiritualium certaminum ſibi indixerit paſſiones, ſolo teſte cælo, ſolo decertans cæleſtis Arbitri cuncta penetrante ſecreto atque inviſibili judicio, quia non valet noſtro ſermone revolvi, decernendum relinquimus fidelium æſtimationi: quia Sancti non minuitur gloria, ubi noſtræ deficit copia linguæ. Vigiliis nimirum & orationibus jugiter intentus, aut legebat ſemper, aut vir Sanctus orabat. Nullum tempus à meditatione legis Dei præteriens, nullo momento à ſalutis operibus ceſſans, laſſata continuis afflictionibus membra in ſervitutem ſpiritûs redigebat, carnem ſpiritui, ſpiritum curvabat Salvatori: totus in lectione, totus in oratione: ſemper in ejus ore Chriſtus, ſemper in ejus corde Spiritus-Sanctus, ſemper ab ejus pectore æternæ vitæ monita procedebant. CIRC. AN DC. XX. NOV. XXVI.

19. Cùm autem ejus opinio cœpiſſet ire per populos, quia prefectò tanti viri religioſa vita occultari diu non poterat, cœperunt ad eum populorum confluere multitudines, ſalutis & vitæ auxilium ab ipſo expetentes. Qui Beatiſſimus Dei ſervus per ſancti Spiritus gratiam ſapienter edoctus, venientium ad ſe frequentias hominum effugere non valens, eas ſanctarum prædicationum radiis illuſtrabat, eloquiis Domini inflammabat, atque ad amorem cæleſtium quos dictis provocabat, exemplis informabat. Gaudebat populus univerſus ad doctrinam ipſius benedicendo ſimul & laudando Dominum, qui ſibi ad ſalutem multorum in fines ſuos liberaliſſimum direxerat patronum. Populum verbo & exemplo ad melioris vitæ inſtitutum hortatur.

20. Non verò eſt ullo modo dubitandum, quòd B. BASOLUS qui tantorum bonorum priùs radices fixerat, atque intimis virtutibus Dei ſoli ſibíque cognitus fuerat per ſignorum ramos exteriùs diffuſus, non etiam hominibus demonſtratus inſigniter miraculis coruſcaret. Qui dum in prædicto loco in ſanctæ converſationis culmen eminere cœpiſſet, placuit clementiæ Divinitatis oſtendere, quantæ apud ſe eſſet virtutis & meriti, qui tantum in terra coram populis viſus fuiſſet humiliari. Nam cùm in ſummo montis vertice, ſicut prædiximus, reconditioris habitaculi cellulam erexiſſet, & aquæ penuriâ vir ſanctus nimiùm laboraret; quadam die in illo monte niſus eſt de terræ viſceribus ad ſuos uſus aquam educere. Qui cùm ad fodiendam terram accederet, & aquam ſibi deeſſe anxius ferret, devotis precibus ad Dominum converſus eum invocat, qui quondam populo ſuo per deſerta ſitis inopiâ fatigato, aquam de duro dignatus eſt producere ſaxo. Mox dicto citiùs fons in eodem loco cœpit abundantiſſimus fluere, qui uſque in præſens tempus de ſuperioribus ad ima delabitur; cui videlicet fonti ad viri Dei obſequium in monte emananti, vetus nomen eſt Legit oſſa. Qui tamen non abſque ratione ſic appellari creditur: nam pro eo quòd ex officio medicaminis depulſa infirmitate humana ligat oſſa, id eſt firmat & ſolidat, ab ipſa ſua ſalubri potatione nomen ei fuiſſe impoſitum non dubitamus. Qui fons olim ſub Sancti ſepulcro exſiliens, nunc quodam quaſi de vaſculo per Eccleſiæ ſe fundamenta prorumpit[a], hauſtu dulcis & ad potandum ſalubris. De quo ſcilicet ſicut multis ſanitatum experimentis compertum tenemus, ſi quis ægrotus quacumque infirmitate detentus deſiderium potandi, vel corpus ex eo habuerit abluendi, de virtutis ſancti Confeſſoris confiſus, adeptione ſperatæ ſalutis non erit ullo modo Divina pietate fruſtratus. Fontem in montis vertice calitùs impetrat.

21. Aliud quoque non præterimus inſigne virtutis miraculum, quod ad oſtendendum B. Confeſſoris Chriſti Baſoli meritum conſtat in eodem loco Divinâ fuiſſe potentiâ declaratum. Nam quidam puer ſicut ab ipſo portantis utero in mundum naſcendo prodierat, perpetua luminis orbitate privatus nomine Aunegiſelus, oculorum male ingenita cæcitate tenebatur damnatus: cui cælum & terra per ſuæ naturæ qualitatem incognita fuerant, niſi tantùm quod auditu vel tactu potuiſſet advertere. Hic igitur cæcitatis ſuæ damna non ſponte ferens, ad montis ſuperiora per alterum ductus, ante illius viri Dei cellulam excubare conſueverat cæcus. Cujus injuriæ Sanctus Domini miſericorditer compaſſus, ad cæleſtem recurrens Medicum, orando ſtudebat obtinere remedium. Nec Divina dignatio audire diſtulit proximi pro ſalute infirmi certantem. Nam mox expleta oratione, inter medias tenebras diu negata lux patuit, atque ad novæ claritatis gratiam reſerata fronte novum ſibi mundum quem numquam viderat recognovit: qui duodecimo ſuæ ætatis anno meliori ducatu lumen ad propria lætus reportavit. Quo venerabiles Monachi in inferiori montis ſitu, ſicut ſuprà oſtendimus, habitantes audito, inſolitæ rei admiranda novitate perculſi, accenſis cereis Dominicæ Crucis in manibus ſignum ferentes triumphale, magnis laudum vocibus uſque ad eum locum venerunt pſallentes, Deo gratias unanimiter agentes. Cæco nato lumen reſtituit.

22. Ab eo igitur tempore nomen beati viri omnem circa regionem, per plures cœpit diffundi, quia ſicut ſcriptum eſt; *Non poteſt civitas abſcondi ſupra montem conſtituta.* Ad mul- *Matt.* 5. 14.

[a] Viſitur hodie quoque fons ipſe in crypta B. MARIÆ ſacra ſub majori altari, diſtinctus ab eo qui ex proximo loco per tubos plumbeos in Monaſterium derivatur.

CIRC. AN. DC. XX. NOV. XXVI.

torum quoque notitiam ipſius fama ſanctitatis illata, ad laudem Conditoris & gloriam plurimorum provocaverat corda. In Septemtrionali autem ipſius montis eminentiori parte quæ urbem reſpicit, antequam in eo loco cellam ſibi conſtrueret, inter condenſa ſilvarum fruteta orandi ſibi frequentiam fecerat. In quo ſcilicet loco orationis ac ſacræ lectionis vota quantò ſecretiùs tantò puriùs perſolvebat. Ubi etiam Crux erat poſita lapidea, quia vir Dei nimis indignum ferebat quemquam diutiùs inhabitare locum, niſi hoc ſalutis ſignum continentem. Quæ etiam Crux integerrima ibi permanet uſque in præſentem diem [a]. Lectoriolum quoque quoddam ligneum ſculptoriæ artis pulcherrima ſpecie compoſitum ſecum Dei famulus ferre conſueverat, altitudine palmo à terra prominenti; cui ſive ſedens, ſive etiam in terra jacens, Pſalmorum vel ſacrarum Scripturarum ſuppoſita volumina ſæpè recitabat. De qua videlicet menſula, exciſas ad fidem Divinæ virtutis ſparſim particulas morbiſque & maximè dentium æſtibus interpoſitas, multas novimus effeciſſe virtutes, ſicut loco ſuo poterit cognoſcere Lector.

Crucem lapideam in eremo erigere curavit.

a

23. Jam igitur Divina potentia ſecundùm ineffabiles Divinitatis & gloriæ ſuæ divitias, hunc beatum virum terrenæ etiam ſublimitatis hominibus conſtituens haberi reverendum, locum quoque propter inhabitantis meritum temporalibus rebus, ad præſens quidem ſub hac occaſione decreverat fulciendum. Erat namque quidam præpotens ATTILA nomine; hic venandi gratiâ (ut illud genus eſt hominum) contiguam viri Dei cellulæ ſilvam ſuam intraverat. Nec ſpe fruſtratâ agreſtis præda defuit. Nam miræ magnitudinis aprum, recentibus veſtigiis fugientem inſequitur anhelantibus equis. At illa immanis beſtia, ut cunctis viventibus eſt natura mortis horrere interitum, montem in quo vir Dei reſederat adſcendit, ad cellam ejus recto greſſu pervenit, ſenſúmque quodammodo rationis habens, depoſita feritate ante pedes Sancti hiſpida bellua provolvitur, quaſi vitæ ſuæ imploratura præſidium. At ille miſertus irrationabili pecudi, ſicut erat plenus pietatis & gratiæ, tanta inſecutores virtute uno fixit in loco, ut & viderent oculis ſibi proximam beſtiam, & tamen hianti ore non poſſent omnino contingere. Prædictus itaque Attila ſicut erat vir bonus, manifeſtè cognita Dei virtute, præſumptionis ſuæ flagitans veniam, quidquid circa locum ſui juris erat, nonnulla etiam propriæ poſſeſſionis prædia, villam quoque ubi uſu ruſtico Septem-ſalices dicitur, ſancto viro contulit, locúmque ejus traditis facultatibus primus ipſe ditavit. Atque extunc quaſi mos inoleviſſe creditur, & uſque hodie venerationi ex illo obſervatur, ut ſi in prædicto Rigeti ſaltu quælibet fuerit promota venatio, poſtquam illius intra aggeſtum ſilvulæ, cui hinc inde prominet, ingreſſa pervenerit, nec canis, nec venator ulteriùs audeat inſequi.

Aprũ à venatoribus ruetur.

Nota inſigne miraculum

**Sept-ſaux*, ad Vidulam amnem

24. Et quoniam ſe præbuit rei geſtæ occaſio, dicemus & aliud quod longe poſt ſancti viri tranſitum tempore in re ſimili, ſed diſſimiliter accedit; quæ res pæne tota geſta eſt in circuitu * regionis. Quidam ex Francorum Ducibus, non longè à ſancti viri Baſoli Cœnobio illum ſuum domeſticum collocaverat apparatum: in cujus ſuperbi divitis geſtu, vultu & habitu nihil quàm ſecularis potentiæ tumor inſederat. Erat igitur ea dies, qua ſancti Confeſſoris hujus exſpectabatur ventura ſollemnitas. Ait igitur ſuis: Ante diluculum eſtote parati, quia cras venatum ire diſpoſui. Inter quos, qui ſanioris mentis exſtiterant, ab hac intentione Principem conabantur avertere, dicentes ſacras vigilias adeſſe: à tali potiùs opere parcendum, tantæ diei ſervare reverentiam, ſibi magis quieſcendum & eſſe feriatum. Contra quæ ille obſtinatior ſua verba rotat, quod dixerat ſe impleturum firmat. Craſtinum tempus advenerat, equi ſternuntur, quæ talibus fuerant officiis apta præparantur, capturis ſilveſtribus tendunt frenos committere. Nec mora, ſpumantis apri curſum ille inſequens uſque ad prædictum ſilvulæ aggeſtum pervolaverat. Hic mox equo labente ad terram graviter confractus devolvitur: ita correptus non jam equo, ſed humeris hominum impoſitus ad ſua deportatur, diem illum venerari de cetero, ſi vitæ redderetur, pollicitus.

Ultio divina in eum qui in S. Baſoli feſto venationi vacabat.

* *f.* intuitu

25. Referimus & aliud non contemnendæ rei miraculum, in quo uno ſolo liquidò pateat, quantæ fuerit virtutis & meriti, cujus ſolummodò invocato nomine mors jus ſuum perdidit, & prædam quam intra fauces pænè contraxerat ut penitus abſorbens inglutiret, virtute ſancti Baſoli ſuperata non potuit. Dicant alij quid ſentiant & velint, ego autem profiteor & teſtor, quia ubicumque ſe opportunitas dedit, ſi vera ex fide rogatus eſt ſicut rogandus fuit, miſerorum neceſſitates juvit, atque in mortibus frequenter poſitis occurrit. Homo quidam erat vocabulo Ragenulfus: hic quadam admiſſi interveniente factione ab adverſariis fuerat comprehenſus. Qui cùm morti ejus nullatenus parcere voluiſſent, ad medium deductus, diſcuſſus, dijudicatus, tandem mox eſt patibulo affixus. Hic ergo ſicut erat inter cælum terrámque ſuſpenſus, cùm anima jam in extremis ageret, ac propè miſerrimam animam nodis exactus evomere debuiſſet, inter laqueos (quod aliis eſt mortibus nequius) hujus ſanctiſſimi Confeſſoris Chriſti ſubitò ſibi memoria incidit. Voce itaque qua poterat, adſtrictus ut erat faucibus, omni conamine ſpiritum colligens, totis præcordiis ſanctum Dei Baſolum invocat,

Suſpenſum in patibulo incolumem ſervat.

a In ipſo loco Crux etiamnunc viſitur, cui exigua cella ante annos paucos adjuncta erat.

& ut ſibi in extrema neceſſitate ſuccurrat, lacrymabiliter expoſtulat. Nec privatus eſt ereptoris auxilio: nam laqueus mox rumpitur, ille ab alto labitur, pœnale tormentum ſolvitur. Super omnes timor & admiratio ruit, ille ſolutus & liber à morte recedit. Plures quoque alij per diverſa locorum ad ejus invocationem ſacri nominis letale periculum evaſerunt. CIRCA AN. DC. XX. NOV. XXVI.

26. Fuit autem inter hæc S. Baſolus vitâ perfectiſſimus, miſericordiâ benigniſſimus, morum honeſtate præcipuus, jocundus in ſermone, devotus in prædicatione, pietate laudabilis, ſuavitate amabilis, nudos veſtimento tegens, ſurdis auditum reddens, cæcos illuminans, dæmonia ab obſeſſis corporibus eliminans. Denique ſuæ reſolutionis diem ſpiritu prophetiæ ſibi prævidens imminere, in Aquitaniam dirigens, nepotem ſuum ad ſe ſanctum convocat ab urbe Lemovica BALSEMIUM*: qui ſtatim hujus Patris legatione ſuſcepta ab illis egreditur finibus atque ipſius ſe præſentat gratanter adſpectibus. Cui B. Baſolus adſerit per ſpiritum ſibi fuiſſe revelatum, quòd ipſe in ejuſdem habitatione cellæ converſari debeat poſt obitum ſuum; cujus ſalutaria præcepta, ut bonus filius obedienter amplectitur. Itaque quamdiu poſthæc in corpore ſanctiſſimus ſupervixit Baſolus, hi duo viri nobiliſſimi in timore Domini religioſiſſimè ſunt converſati. Balſemium nepotem ex Aquitania ad ſe vocat. * *V. aliam Vitam*

27. Denique cùm jam Divina clementia tot labores æternæ retributionis dignos decerneret, quia non aliter immortalitatis gloriâ veſtiri poterat, niſi pro debito carnis mortali exutus tegmine fuiſſet; per quadraginta annos Deo probatus ac perfectus inventus, onus deponens corporis cælum ingreditur beatis Angelicis ſpiritibus ſociandus, atque in æternum ſine fine victurus: in quo modò lætatur, modò gaudet, modò bonorum omnium felici jocunditate perfruitur, qui numquam in hac vita requiem habuit, numquam ceſſavit donec ad eum perveniret quem quæſierat, quem optaverat, quem & diu de toto corde in hac lacrymarum convalle ſuſpirans deſiderabat. Si quis ergo plenius hunc virum noſſe deſiderat, quàm fortiter fide mundum vicerit, legat illud ubi inſcribitur ei nomen novum & nomen civitatis novæ Jeruſalem: & cùm intellexerit quibus illa civitas fulgeat ornamentis, hoc totum illi conferat, eoquòd ibidem quodammodo ipſe civis & poſſeſſor hujus civitatis à Deo conditore creditur inperpetuum conſtitutus, factus jam ſuavis inter Paradiſi delicias, nec eſt in eo macula. Quem dextera Chriſti amplectitur, & lævam ſub capite, pacis ſomno dormiens premit, ideo coram eo in æternum factus eſt in pace locus & habitatio ejus in Sion. Dum igitur ſecula manent & nox cum die partitur vices, fama prædicabitur in eo ſanctiſſimæ vitæ, & nos numquam immunes erimus ab ipſius laude. Deceſſit autem hic Patronus noſter ab hac luce ad Dominum die ſexto Kalendarum Decembrium in eo loco quem ſibi compoſuerat ad agendum ſanctæ vitæ propoſitum. Nepos verò ejus BALSEMIUS & ipſe ſanctiſſimus in eadem cella uſque ad exitum ſuum manſit, bene Patris ſui per omnia veſtigia ſecutus. Felix ejus obitus. Dies obitus.

MONITUM.

SANCTI *Baſoli corpus ab Hincmaro Remorum Epiſcopo è tumulo levatum eſt medio Sæculo IX. cujus rei hiſtoriam à Frodoardo prætermiſſam Benedictino Sæculo IV. recitabimus. Interim monitum Lectorem volumus, S. Baſoli corpus præter ipſius Baculum in proprio Monaſterio à Noſtris honorificentiſſimè adſervari in argentea theca, quam Hugo Abbas hujus nominis ſecundus fieri juſſit, ſacráſque B. Baſoli Reliquias in ea recondidit* anno Inc. Verbi M. C. XXI. regnante Ludovico Rege Francor. anno regni XIII. Archiepiſcopatûs verò D. Rodulfi XIV. *uti in capſæ ſuppedaneo legitur.*



AN. CHR. DC. XXII. DECEMBR. XII.

VITA SANCTI WALARICI ABBATIS LEUCONAENSIS PRIMI,

Auctore gravi anonymo, qui sæculo VIII. vixit.

Ad MSS. codd. Monasterij S. Walarici, S. Audoëni, & S. Petri de Conchis restituta.

OBSERVATIONES PRÆVIÆ.

*S. Vuallery

1. *QVI primus Acta S.* WALARICI *, quem antiqui Gualaricum sæpissimè vocant, litteris commendavit* RAIMBERTUS *seu* RAGIMBERTUS *Abbas Leuconaënsis, labente Sæculo* VII. *floruisse videtur. Raimberti lucubrationem impolitam ac prolixiorem exornavit contraxitque Auctor anonymus, jubente* HUGONE *Archiepiscopo &* THEODINO *Abbate Leuconaënsi petente, uti anonymus in sequenti Prologo testatur. Raimberti fetus excidit omnino, superestque solus ejus expolitor, cujus ætas ex Hugonis Archiepiscopi & Theodini Abbatis tempore investiganda est.*

2. *Monasterio Leuconaënsi anno Christi* CM. LXXXI. *ab Hugone Magno restituto quatuor præfuêre Abbates, qui in historia Relationis S. Vualarici Benedictino Sæculo* V. *à nobis referendâ recensentur hoc ordine:* RESTOLDUS ex Monacho S. Luciani Bellovacensis, primus Abbas *post Monachorum restitutionem. Secundus* FULCRADUS, *cui successit* ADHELMUS S. Vedasti Monachus. *Quartus* THEODINUS S. Dionysij Monachus. *Theodinus è vivis abierat ante annum* M. LII. *quo* WALO *S. Vualarici Abbas B. Bertini elevationi interfuit. Huic Theodino nuncupatam ab anonymo fuisse S. Vualarici Vitam inficiari nos cogunt hæc argumenta. Anonymus in Prologo suo dicit se fuisse interpellatum de edenda* succincto & polito sermone *S. Vualarici Vitâ,* quam ante aliquot annos venerandus vir Raimbertus Abbas summo quidem studio, sed nimis prolixo & simplici sermone dictaverat. *Præfuit autem Raimbertus ante Monasterij sui cladem à Normannis anno* DCCC. LIX. *patratam, (ut ex præmisso Abbatum catalogo colligitur) immo ante Sæculi* VIII. *initium. Quippe ipsius interpolator in Vitæ cap. 13. num. 17. protestatur, se eas tantùm B. Vualarici virtutes descripsisse,* quas à veridicis & bene compertis viris audierat, quos ipse edocuit & enutrivit, & quosdam ex ipsis de diversis languoribus sanitati restituit. *Et cap. 29. num. 36.* Non ea, *inquit,* quæ à plurimis fabulosè, sed ipsa quæ à veridicis testibus comprobata esse didicimus, & illa maximè quæ à venerabili viro RAIMBERTO erudito Abbate... conscripta reperimus. *Quæ sanè verba Auctorem propè æqualem designant: ut veri sit simile, Raimbertum post Blitmundum Vualarico successisse, Raimberto Theodinum hujusce nominis primum.*

3. *Quis verò Hugo Archiepiscopus, cujus jussione Vita S. Vualarici ab anonymo expolita est? Nimirum Hugo Antistes Rotomagensis, æquè Fontanellensis ac Gemmeticensis Abbas, in cujus diœcesi fortean residebat anonymus, qui apud Vualaricenses aliquando exceptus hospitio, prout in Prologo suo commemorat, S. Vualarici Vitam renovare compulsus est. Neque enim inter Antistites Remensis Metropolis, ad quam pertinet S. Vualarici Monasterium in diœcesi Ambianensi positum, invenimus ullum ante Hugonem Heriberti Comitis filium, qui anno circà* CM. XXXV. *Remensem Ecclesiam regebat, S. Vualarici Abbatiâ nondum restitutâ. Porro Hugo de Arceiis anno* M. CCC. L. *Remorum Archiepiscopus extra lineas temporum longiùs abest.*

4. *Vsuardus meminit B. Vualarici pridie Idus Decembris, qui est dies ejus obitûs, his verbis:* In pago Wimnacensi * S. Walerici Presbyteri & Confessoris. *Item Ado:* In pago Wimnacense Natalis S. Walerici, qui super Somnam fluvium eremiticam vitam ducens, etiam miraculis claruit. *Neuter Vualaricum Abbatem nominat: sed hunc ei titulum deberi constat ex Vitæ Scriptore anonymo, qui in fine opusculi sui Blitmundum Vualarici successorem vocat* secundum *Monasterij Leuconaënsis* Abbatem. *Duplici alia celebritate colitur idem Sanctus in suo Monasterio: Nempe Kalend. April. (quo die in nonnullis Martyrologiis locum habet) commemoratur ejus Translatio à* BERCUNDO *Ambianensium Episcopo, facta è Capella in qua sacrum ipsius corpus sepultum fuerat, in Ecclesiam Monasterij principalem, quod ex cap. 29. num. 39. colligitur. Alia celebritas incidit in diem secundam Junij, quando ejusdem corpus ex Bertiniano Monasterio relatum est, ut suo tempore dicemus. Porro locus in quo vir Sanctus supremos annos absolvit, antiquis* Leuconaus *seu* Leucanaus & Legonaus *appellatus, diœcesis Ambianensis, in pago* Witmacensi *ad ostia Some-*

* le pays de Vimeux

næ * *fluminis, nunc Monaſterio & opido S. Vualarici dictis illuſtratur, quod Monaſterium Noſtrates regunt.* AN. CHR. DC. XXII. Dec. XII.

* *la Sôme*

PROLOGUS AUCTORIS.

I. DOMINO *meo ſemper proprio & inſolubili caritatis vinculo, retinendo Domno & Patri* THEODINO *Abbati, & omni ſanctæ Congregationi veſtræ quæ vobiſcum Domino deſervit & ſub regulari cura vivere gaudet, Amicus veſter proprius*[a] *& omnium Chriſticolarum ſervus, perpetuam vobis in Chriſto ſalutem.* Inprimis quaſi provolutus veſtris veſtigiis humili prece depoſco, vt adſiſtentes vos ſacris altaribus, qui ſedulas & dignas Deo quotidie ſolvitis preces, me etſi indignum famulum veſtrum in alta memoria cordis veſtri ſemper dignemini habere. Decetero verò ut ſcitis cùm ante plures dies in veſtro Cœnobio poſitus, vobiſcum ut convenerat loqui cupiſſem, veſtra tunc Fraternitas noſtram parvitatem ſumma cum humilitate poſtulabat, ut Vitam Patroni veſtri beati GUALARICI ſuccincto & compto ſermone ederem, quam ante aliquot annos venerandus vir RAIMBERTUS Abbas ſummo quidem ſtudio, ſed nimis prolixo & ſimplici ſermone dictaverat. Sed & hoc mihi ipſum addebatis, quòd Hugo Archiepiſcopus noſter[b] ipſe hoc juſſerat, ut mediocritas mea præfatam Vitam quaſi apertiùs ac luculentiùs vobis deberet conſcribere: cujus juſſionibus inquantum valemus contradicere non debemus. Et duplex exinde nos cauſa hortatur, dum & veſtra me delectat caritas, & ille qui eſt ſummus Pontifex hoc fieri jubet. Et ideò nos ita calamum temperavimus, ut ſermo brevis & admodum planus ſimplicioribus Fratribus intelligentiam augeret, & nec nimis ruſticus & indoctus eſſet, ne ſtudioſis præberet faſtidium.

a

b

INCIPIT VITA.

2. FUIT vir vitæ venerabilis GUALARICUS nomine, mediocris quidem genere, ſed nobiliſſimus fide. Hujus beati viri infantia divina ut erat inſpiratione afflata, (ut poſtmodum eventus rerum ipſarúmque virtutum ejus fama edocuit) ſacris quidem Monaſticis à Domino erudiebatur diſciplinis. Nam cùm eſſet in Alvernica regione ortus, & adhuc puerulus, ſed mente tamen grandævus, oviculas patris ſui ibidem per paſcua lata circumagens & per amœna virecta eas conſervans, audivit in locis vicinorum propinquis qualiter nobilium parvulorum mos eſt Doctoribus inſtruere ſcholas.

I. *Qualiter didicit Alphabetum & notitiam litterarum.*

3. EXIN tali deſiderio provocatus, tabellam ſibi faciens, cum ſumma veneratione humili prece à præceptore infantium depopoſcit, ut ſibi alphabetum ſcriberet & notitiam litterarum inſinuaret. Qui mox adeptus quod poſtulaverat, lætus valde ad opus ſibi injunctum à quo diſceſſerat remeavit. Sed cùm hæc agerentur, res admiranda atque memoriâ digna evenit.

II. *Quomodo in cuſtodia gregum totum per ſe paravit Pſalterium.*

4. CUM enim puerulus hic bonæ indolis patris ſui gregem ſervaret in agris, aſſidua meditatione Divino fultus auxilio abſque nutu genitoris ſui non ſolùm, ut diximus, notitiam litterarum, ſed & parvo intervallo totum paraverat Pſalterium. Exinde cœpit Eccleſiam frequentare: & dum ibi acie mentis

a Proprius non eſt nomen Auctoris, ſed is alludens ad id quod ſuperiùs dixit: *Domino meo proprio*, ſubjicit, *Amicus veſter proprius.*

a Nempe Rotomagenſis, ad cujus diœceſim fortè Auctor attinebat, ut in Obſervat. prævia diximus. Hugo ex Monacho Fontanellenſi Epiſcopus Sedi Rotomagenſi ab anno DCC. XXII. ad DCC. XXX. præfuiſſe dicitur: quem calculum Sæculo proximo diſcutiemus.

AN. CHR. DC.XXII. DEC. XII. choros pſallentium intenderet, magis ac magis igne timoris Dei accendebatur, & compunctione cordis ampliùs roborabatur, de quo igne Dominus dicit: *Ignem veni mittere in terram quem volo ut ardeat.* Sed & illud quod quidam ait: *Et feriunt ſummos fulgura montes.* Luc. 12. 49.

III. *Qualiter Autumo ſequitur avunculum, & patri poſcenti & Abbati minanti denegat reditum.*

5. DEINDE exardeſcente in animo ejus calore fidei in majus, audivit non longè eſſe quoddam Monaſterium nomine AUTUMO*, ubi cujuſdam avunculi ſui ſubſequitur veſtigia. Cui cùm præfatus Pater ut de Monaſterio egrederetur ediceret, ille beatus puer fertur reſpondiſſe, jam ſe ulteriùs patris domum non eſſe viſurum. Tunc pater in ſtuporem & mærorem animi converſus cœpit plura argumenta perquirere & molimine mētis ſuæ pertractare, adſumens ſecum Patris Monaſterii immo & omnium Fratrum conſilium, qualiter poſſent ejus animum ad ſe reducere, ut ad propria voluiſſet remeare. Tunc Fratres unà cum conſenſu Abbatis conſentientes precibus genitoris, cœperunt beatum puerulum perurgere, ut ad parentes ſuos reverteretur, & quandocumque vellet iterum ad ſepta Monaſterii repedaret, addentes etiam terroribus blandimenta, offerentes oſcula, & verbera minitantes, & jejunium ei duorum vel trium dierum imponentes. Sed ille inſtinctus conſilio potiori, quaſi fundamentum ut erat ſupra petram, immobilis atque interritus in percepta animi ſui voluntate perduravit, illius præcepti non immemor: *Qui amat patrem aut matrem pluſquàm me, non eſt me dignus.* Matth. 10. Et illius Apoſtoli dicti: *Quis nos ſeparabit à caritate Chriſti? tribulatio, an anguſtia, an perſecutio, an fames?* Rom. 8.

* *Monaſterium ignotum.*

IV. *Abbas habito conſilio cum Monachis, ſuſcepit eum in Monaſterio permiſſione patris.*

6. TUNC præfatus Abbas victus jam cùm eſſet adoleſcentis animi inſtantia *, perſpiciens bonum ejus atque immobile deſiderium, ſecum hæc tandem pertractans Fratribus dixit: Non abjiciamus hoc quod nobis à Deo datum eſſe videmus. Tunc omnes unanimiter cum bona voluntate & gaudio ſpirituali infra ſepta Monaſterii ad Clericatûs officium * illum provocant; & intra paucos dies adveniente ſæpedicto patre ejus ſub regulari eum ordine conſtituunt. Creſcente autem ætate & gratia providentiæ Dei erga illum omnium affectus quotidie creſcebat. Erat enim corpore caſtus, mente devotus, affabilis colloquio, amabilis adſpectu, prudentiâ præditus, temperantiâ clarus, interna fortitudine firmus, cenſurâ juſtitiæ ſtabilis, longanimitate largus, patientiâ robuſtus, caritate ſollicitus, bonorum operum pluſquàm ætas permitteret gratiâ plenus, ſtabilis inerat moribus, ut ſuis Confratribus regula & norma eſſet virtutum.

* *al.* conſtantia

* *nempe per tonſuram Monachilem.*

V. *Vbi peregrinationem elegit &* UNACHARIUM *Autiſſiodorenſem Epiſcopum expetiit.*

7. SED inter hæc animus ad altiora faſtigia & ad potiora ingenia ſemper adſcendens, cœpit peregrinationem Dei amore appetere, & patriam parentéſque ſuos deſerere. Tunc ad Monaſterium beati quondam Antiſtitis UNACHARII[a] Autiſſiodorenſis Epiſcopi perrexit, quod in ſuburbano ipſius civitatis in quodam eſt viridario conſtructum: & ibi à præfato Pontifice benignè eſt ſuſceptus. Quamplurimum itaque tempus artiſſimis jejuniis orationibúſque & vigiliis cæleſtem ibi vitam agebat in terris.

[a]

[a] Aunacharius ſeu Aunarius Eccleſiæ Autiſſiodorenſi præfuit ab anno DC. LXXI. ad DC. V. *Baſilicam B. Germani*, inquit Hericus Monachus de Mirac. S. Germani Autiſſiodorenſis Epiſc. cap. 15. *magnificis prædiis locupletavit*, cujus Baſilicæ à B. Chrothilde Regina ædificatæ Abbas primus fuiſſe creditur, ibique ſine dubio Vualaricum excepit.

VI. BOBONEM *convertit & converſum Luxovium perducit ſecum.* AN. CHR. DC. XXII. Dec. XII.

8. ET cùm longè latéque per diverſa loca fama virtutis ejus ſe ſpargeret, quidam vir nobilis & opibus plenus nomine BOBO ad eum viſitandi gratiâ & ſuæ inſtructionis causâ devotè acceſſit, ſed ab ipſo Dei famulo devotiùs eſt ſuſceptus. Nam intantum eum Divinis inſtruxerat eloquiis & oratione ſua jam muniverat, ut omni etiam mundi curâ poſtpoſitâ voluntariam paupertatem pro Deo eligens, & ad domum propriam ulteriùs non regrediens, nec retro adſpiciens, ſed manum in ſtipite ponens, unà cum magiſtro ſuo ſancto Gualarico pari religionis fervore Luxovium uſque pervenit. Ubi venerandus & admodum ſanctus & ſanctæ religionis cultor B. COLUMBANUS ex Hibernia inſula ortus his quidem in locis fermè ducentorum viginti, ut fertur, Monachorum Pater præerat Cœnobiis, in quibus nullus ſibi aliquid dicebat proprium præter diurnos labores, nocturnáſque vigilias. Omnibus etiam omnia erant communia, unúmque velle & unum nolle, quibus cor unum & anima una erat in Deo. Et nihil quidem mundiale ſecum habebant, niſi parciſſimum & mediocrem cibum, & humillimum ſimplicémque veſtitum, ſed tamen ſibi in Chriſto omnia poſſidebant. Et his quidem deliciis atque his divitiis contenti vitam tunc Angelicam ducebant in terris. Quales verò vel quanti tales tunc uno regebantur Paſtore, non eſt nunc noſtræ, ut puto, parvitatis edicere, ne prolixa oratio vel ruſticus ſermo dictandi faſtidium inferat legentibus. Ne videamur tamen omnia præteriſſe, primam ejus* virtutem qualiter in Geſtis ipſius invenimus, breviſſimè in medio proferamus.

* *nempe* Columbani

9. Etenim priuſquàm mater eum in lucis auras ederet, in ſinu ſuo ſolem proſpexit terris lumen effundere, quod rerum eventus ita poſtmodùm probavit, quia quaſi ſol ab Occidente ortus retrogradiens, ſic ille partes Europæ ſparſim gyrando ſuâ doctrinâ ſplendidâ & clarâ illuſtravit. Si quis verò curioſiùs & pleniùs hoc ſcire voluerit, qualis & quantus in virtutibus miraculorum vir iſte beatus exſtiterit, vel in ſcientia & doctrina Divinarum humanarúmque ſcripturarum, aut præſagio futurorum, ſeu quot & quales gentes ad Fidem Chriſti adquiſierit, Monaſteria utriuſque ſexus conſtruxerit, in dictandi peritia vel exponendi qualis fuerit; facillimè hoc poterit invenire ſi opuſcula illa perquirat, quæ eruditus diſcipulorum illius JONAS Abba vir magnus, eloquentiâ plenus & dictandi peritus, polito & limato ſatis ſermone de vita ejus compoſuit. Sed dum magiſtrum & confratrem beati Gualarici quis vel qualis fuerit breviter ac ſuccinctè perſtrinximus, longiùs pauliſper à propoſito noſtro diſceſſimus. Sed ad hiſtoriam auxiliante Domino & ipſo intercedente redeamus.

VII. *Vbi olera per obedientiam à vermibus liberavit, & ob hoc habitum promeruit.*

10. CUM autem hic Dei famulus præfato Cœnobio Luxovio inhabitaret, in primis humilitatis causâ & ritu Novitiorum hortum excolere cœpit, in quo admiranda & ultra modum olera creſcebant. Sed cùm contigiſſet, ſicut ſolet aliquando, ut à vermibus ubique olera devaſtarentur, B. Columbanus hortum ingrediens & non ſolùm ibi læſionem à vermibus non inveniens, ſed magis cuncta virentia, jocunda & amœna atque intacta conſpiciens, intellexit vir Deo plenus hoc non eſſe rei eventum, ſed humilitatem & obedientiam & meritum fidei B. Gualarici. Ille verò econtrariò non ſuo facto hoc deputabat, ſed meritis Fratrum omnia eſſe defenſata dicebat. Poſtquàm autem in illo tantam gratiam beatus Pater inſpexit, juſſit eum inter condignos probatóſque Monachos conſtitui, quem Fratres adhuc quaſi Novitium inter modernos eſſe judicandum æſtimabant.

AN. CHR. DC. XXII. DCC. XII.

VIII. *Vbi cellam Columbani intravit, & odor ſuaviſſimus prædicantem afflavit.*

11. INTEREA dum prædictus Pater more ſolito ad inſtruendos Fratres Divinæ lectioni inſiſteret, & inter illos ſacri verbi ſemina ſpiritualibus ſeminaret eloquiis, eúmque Fratres undique concurrentes ad audiendum verbum Dei ſe invicem antecederent; dum inter illos veſtibulum ipſius domûs beatus Gualaricus ſubintraret, ad illius ingreſſum B. Columbanus mirum in modum odorem magnæ fragrantiæ & mirandæ ſuavitatis ad ſe veniſſe perſenſit. Cúmque hoc ſenſiſſet, & quis tunc ad eum fuerat ingreſſus comperiſſet, fertur hunc ſermonem Divino ut erat ſpiritu plenus ſubjunxiſſe: Tu es merito Abbas Monaſterii & ſenior, mihi diligende.

IX. *Expulſo Columbano ab Eccleſia, iterum cum ſancto* AUSTASIO *eam reædificat.*

12. POSTQUAM verò præfatus Columbanus cum Fratribus ſuis de prædicto Cœnobio fuit expulſus inſequente illum THEODERICO & ſtimulante adverſario & avia ejus BRUNICHILDE, qui hoc tempore regnum Burgundianorum tenebant, Auſtraſiorum verò germanus THEODEBERTUS regebat; cùm adhuc ſolummodò ſolium regni Auſtraſiorum vir valde idoneus & beneplacitus Deo Rex CHLOTHARIUS ſibi vindicabat, quem ſæpedictus B. Colombanus ſuâ ſancta doctrinâ monuerat, & tam de amplificando ei regno quàm de prædictis Regibus ſibi invicem rebellibus unà cum ſtirpe eorum juſto Dei judicio à regno quidem malè uſurpato infra triennium penitùs eſſe perituros, & Monarchiam eorum hoc ipſo glorioſo Chlothario adunandam eſſe; hæc Sacerdos Dei vaticinando omnia ſæpè prædixerat. In præfato verò Luxovio poſt diſceſſum beati viri nonnulli paſtores ad manendum ibidem convenerant, & B. Gualaricus de quadam cellula regrediens, juxta Domini virtutem expulſis Sæcularibus cœpit ipſum ſanctum locum reſtruere.

* *lege ejus Vitam ad ann. 625. infrà.*

13. Inter hæc beatus AUSTASIUS * à B. Columbano fuerat deſtinatus ad hoc ipſum Cœnobium regendum, cùm adhuc quadam ex parte fines ipſius Monaſterii quidam utique Sæculares poſſiderent. Cùm autem de ipſis Sæcularibus dejiciendis calumnia & lis inſurgere conaretur, tunc B. Auſtaſius cùm eſſet & ipſe nobilitate generis & moribus decoratus, unà cum famulo Dei Gualarico, ſic illos ſuaſoriis & ſuis mellifluis eloquiis auxiliante Domino de prædictis finibus Monaſterii promoverunt, ut de ipſorum Sæcularium controverſia nullum inter eos ſcandalum exſurgeret. Sed dum quidam ex Fratribus levi animo permotus vellet eos impatienter ſubſequi, vir Domini blandis ut erat verbis ne iret coërcebat. Sed ille cùm juſſa ſibi magis ac magis contemneret, tunc ei famulus Dei inquit: Fili non eos ſubſequaris, ne fortè etiam cum notato tibi ſigno ad nos uſque redeas. Cúmque tantùm prædictus Frater cum aliis comitibus ſuis illos ſubſequeretur, orta eſt contentio inter illos, & lapidis ictu in manu eſt percuſſus: unde etiam tamdiu magno dolore eſt afflictus, ut juxta ſententiam ſervi Dei in ſigno, quamdiu adviveret, culpa ipſius appareret. Nam articulus ille quem medici auricularem, vulgus verò minimellum nuncupant, ex vehementia nimii doloris ita ſe contraxerat, ut etiam radicitus exſiccaretur.

X. *Vbi* WALDOLENUS *à S. Columbano petiit, ut comes eſſet ſanctus Gualaricus ſuæ prædicationis.*

14. QUIDAM verò è Fratribus nomine GUALDOLENUS deſiderio quodam accenſus petiit à beato Columbano, ut licentiam ei prædicandi inter gentes concederet, & venerabilem virum Gualaricum pro ſolatio fovendæ religionis

ligionis ſecum abire permitteret. Cui beatus Pater reſpondiſſe fertur: Etſi pro bono, Fili, properare diſponis, ſed hoc ſcias, quòd ille ſervus Dei magnus eſt quem tecum ire perquiris. Hoc autem cave ne ei aliquid moleſtiæ ingeras, ne per hoc ſcandali machinamenta incurras. Cúmque ei ut poſtulaverat hoc B. Columbanus permiſiſſet, cum dicto factum venit inpoſterum ſicut à Sancto Dei fuerat prædictum. Cúmque pari comitatu in Neuſtriam perveniſſent, acceſſerunt ad quemdam præcelſum Regem Chlotharium, cui remotum locum reſidendi petierunt. AN. CHR. DC.XXII. DEC. XII.

XI. *Vbi mortuum reſuſcitavit.*

15. ADVENIENTES verò ad quemdam locum Ambianenſium, perveniunt *Gualiniago*, ubi quidam Comes nomine SIGOBARDUS juxta morem ſæculi concioni præſidebat, quod ruſtici mallum vocant. Et cùm ibidem, ut ſolet adeſſe, malis geſtis juſta vel injuſta ſententia unicuique proderetur, contigit ut quidam reus ob meritum cuidem reatûs ſui morte damnatus, in equuleo jam eſſet ſuſpenſus atque defunctus. Cúmque eum alongè beatus Gualaricus inſpexiſſet, permotus viſceribus ut erat pietate plenus, concito curſu pervenit ad ſtipitem: & prohibentibus cum carnificibus ne cadaver jam mortuum ullo modo tetigiſſet, ille quidem intrepidus, ut quidam ait: *Perfecta dilectio foras mittit timorem*, vinculum incidit, & corpus defuncti manibus propriis ad terram depoſuit, & ſuper ſupinata membra ejus ſummo ſtudio caritatis ſeſe cum lacrymis admodùm profuſis in oratione proſternit, itaut facie ſua faciem illius imprimeret, & quantum promptior in prece fuerat, tantum citiùs à Domino obtinuit quod popoſcit. Nam adſtantibus cunctis immóque ſtupentibus, quaſi ex profundo ſomno paullatim caleficientibus membris, qui mortuus fuerat ſtatim incolumis revixit[a]. Cúmq; tam magnum miraculum in conventu populi, in præſentia Præſidis præſentatum fuiſſet, tunc vir Domini ſupplicare cœpit, ut quem Dei pietas reſuſcitaverat, bonitas ipſius Judicis ubicumque liberum ire permitteret: ſed ille ſævo furore accenſus, iterum eum in patibulum ſuſpendi jubet. At inquit illi ſervus Dei: Homo, conſtat te jam illum interfeciſſe, quem potentia Dei reſuſcitavit: & niſi meipſum cum illo ſuſpenderis, aliter eum mihi tollere non prævalebis. Et ſitu me exiguum Chriſti ſervulum audire contemnis, eſt utique mundi Creator qui ſe invocantem neminem ſpernit, & nos pro ſuis legibus certantes ſua ſolita pietate modò dignabitur exaudire. Cúmque his dictis & precibus victus fuiſſet tyrannus, juſſit reum ſolvi: qui multa per tempora vixit. 1. *Iohan.* 4.

XII. *Quòd quædam* BERTILA *ab eo petiit, ut ſepulturæ mereretur tradere corpus ipſius.*

16. NEc illud dignum memoriæ æſtimamus eſſe prætereundum, quòd illuſtris & Deo devota BERTILA matrona quæ multa eis bona largita eſt, ut erat ſagacis ingenii, providens futura, inſpiciens virum admodum eſſe ſanctum, ſupplici prece poſtulat ab eo dicens: Hoc peto & humillima prece ſatis expoſco, ut ſi umquam vobis Deo volente ego miſerrima ſuperſtes exſtitero, corpus tuum pro ſancto pignore ſepelire merear. Et ipſe reſpondiſſe fertur: In Dei hoc agitur arbitrio, & fiat ubi vel ſicut placuerit ei.

[a] In urbe Ambianenſi nuper viſebatur Capella S. Vualarico ſacra, eo ut creditur in loco, ubi vir Sanctus hominem ſuſpendio exſtinctum vitæ reddiderat.

AN. CHR. DC. XXII. DEC. XII.

XIII. *Vbi à Rege cum conſenſu Ambianenſis Epiſcopi locum Leucanaus ad habitandum accepit.*

17. TUNC verò præfatus Rex unà cum conſenſu Pontificis Ambianenſis juxta eorum petitionem locum eis ſecretum & remotioris vitæ & habitatui Monachorum ſatis aptum qui LEUCANAÜS antiquo vocabulo dicebatur, regio Præcepto ceſſit. In eodem verò loco prædictus Antiſtes Ambianenſis beatus BERCHUNDUS * diebus Quadrageſimæ contemplationi Divinæ ſolebat adeſſe remotus. Ibi autem ſe beatus Gualaricus in quadam cellula ſegregatus à Fratribus incluſit, ut omni mundi cura poſtpoſita ſuo ſolito more tantummodò Divinæ meditationi inſiſteret: ceteri verò Fratres conſtruentes ſibi cellulam [a] de eleëmoſyna Regis videbantur habere ſubſtantiam. Situs verò loci illius valde congruus. Nam uno ex latere vicinitate maris eſt amœnus, alio autem ex latere torridus diſcurrit fluvius piſciferæ Somenæ *, pars autem quæ ſuper ſcopulos & ingentia ſaxa ab imis ad ſumma ac præcelſa erigitur, aularum vel ædium fabricam in excelſa aëris faſtigia & magnum ac mirandum mundo vel vicinæ regioni præbet ſpectaculum. Nec minùs illa regio tertia quæ ceteris præcellit glebis, optima atque frugifera, & tam pomiferis quàm pulcherrimis arboribus denſa undique magno ambitu circumcingitur ſilvis In ipſo itaque eodémque loco B. Gualaricus à tumultu circumhabitantis populi voluiſſet ſe latêre: ſed felix fama virtutum & exempla bonorum operum usique eum clarum & inſignem plurimùm reddebant juxta illam Dominican ſententiam: *Non poteſt civitas abſcondi ſupra montem poſita, neque accendunt lucernam & ponunt eam ſub modio, ſed ſuper candelabrum ut luceat omnibus qui in domo ſunt: ſic luceat lux veſtra coram hominibus ut videant opera veſtra bona & glorificent patrem veſtrum qui in cœlis eſt.* Hic ergo Sacerdos juxta Prophetam in Templo Dei lapis eſt vivus in ædificio Dei appellatus, qui rectè, ut audio, Adamanti lapidi pretioſo comparatur cujus natura talis eſt, ut quidquid adſpexerit, ipſum etiam ferrum ad ſe ſubtrahat. Immo etiam & huic famulo Dei gratia, quæ in vultu verbíſque micabat, quamplures ei adſociabat in opere. Vita verò ipſius vel virtutes quas per eum Dominus geſſit & cotidie facit à nobis modò vix enumerari queunt: ſed illas tantummodo in hac paginula breviſſimo & compendioſo planóque ſtilo deſcripſimus, quas à veridicis & benè compertis viris audivimus quos ipſe edocuit & enutrivit, & quoſdam ex ipſis de diverſis languoribus ſanitati reſtituit, ex quibus unum in medio nunc proferamus.

* *Surio* Bernardus

* *la Somme*

Matth. 5.

XIV. *Quomodo* BLITMUNDUM *ſanavit & ſanum ſibi filium adoptavit.*

18. QUIDAM enim ex eis erga Iſeræ * alveum erat oriundus nomine BLITMUNDUS ſive GOGUS, qui ab antiquo adverſario fuerat percuſſus & compaginibus omnium membrorum ita erat diſſolutus, ut ſurſum ſurgere omnino non valeret. Cùmque famulo Dei adductus & præſentatus fuiſſet, adſpiciens in eum ait: Hoc opus, ô inimice, tuum eſt: & ſegregatum in Oratorium ſuum duxit. Cúmque ei manum impoſuiſſet & oculos ad cælum elevaſſet, (ut poſtea referebat ipſe qui debilis fuerat) continuò immanis dolor cœpit ſeſe exſpargere, ubicumque ille famulus Dei manum impoſuiſſet, & quaſi per quoſdam meatus à corpore illius, ipſa infirmitas undique dejecta, auxiliante Domino ſtatim ita receſſit, ut in ipſa eademque hora ſolutis nervis qui exſiccaverant, manu ſua porrecta in proprium ſtatum erigeret eum, & integram illi ſanitatem opitulante Domino reſtitueret. Tunc qui pro foribus aderant, nimio timore ac ſtupore perculſi cœperunt ſimul Sacerdotem Dei ſummo honore venerari, dignáſque

* *l'Iſere* in Delphinatu

[a] Hæc Monaſterij Leuconaënſis primordia referenda ſunt ad annum circà DC. XIII. poſt tres annos quàm Columbanus Luxovio expulſus eſt.

Deo laudes & gratias referre, ſed & ipſum de quo prædiximus Blitmundum in tantum plenè ſua ſacra doctrina poſtmodum edocuit & enutrivit, ut ad ipſum ſanctum locum regendum ac ædificandum ſecundus, & dignus in loco Abbas mereretur ſuccedere. AN. CHR. DC. XXII. DEC. XII. Blitmundus Vualarici ſucceſſor.

XV. *Vbi Fratribus* WALDOLENI *farinam dare præcepit & datam citiùs referendam eſſe prædixit.*

19. WALDOLENUS verò, cujus ſuperiùs fecimus mentionem, acceptâ ſibi annonâ & copiâ cibariorum quæ eis regio munere fuerat conceſſa, contigit interveniente aliqua neceſſitate ut Fratres ipſius Waldoleni à B. Gualarico partem farinæ expeterent. At ille ut ſolitus cui nihil deerat, concitè petentibus benigno animo poſtulata dari præcepit ſecundum illud Evangelicum: *Omni petenti te da, & omni habenti dabitur & abundabit.* Et illud Pſalmographi: *Sperantes autem in Domino non deficient omni bono.* Sed illis eam gerentibus in reſponſo hoc addidit: Petita quidem à nobis portabitis, ſed mihi credite, recipienda non erunt. Cúmque geruli impetratam farinam ſuo quidem Seniori præſentaſſent, ita invenerunt ut vir Dei renuenda prædixerat. Nam nimis concitè eis præcipitur, ut hoc ipſum unde venerat ſumma cum velocitate reportent. LUC. 6.

XVI. *Quòd dæmonia ab obſeſſis corporibus jejunio & oratione ejiciebat.*

20. DE obſeſſis corporibus dæmonia multa ejiciebat, inter quos erat unus infremens in corio incluſus. Cúmque ad pedes ejus illum projeciſſent, peracto quidem jejunio & oratione priſtinæ eum reddidit ſanitati. Ad eum autem quoties tales deferebantur, ſegregabat eos in cellula ſeparatim: & afflictus jejunio & oratione, ſic illos favente Domino integræ ſaluti reſtituebat. Sed plures erant quibus eulogias mittebat, qui verò ei præſentati aderant, cum terrore magno vocis exclamabant & dicebant: Heu, heu! jam nos ille adverſarius noſter torquet, jam nos Gualaricus incendit.

XVII. *Quòd ſpiritu prophetiæ claruerit.*

21. SED nec illud prætereundum eſt, quòd inter ceteras virtutes non minùs ſpiritu prophetiæ claruiſſe dignoſcitur. Nam acta & occulta vel culpas abſentium frequenter in publico coërcebat, ut tantum illos cautiores & erubeſcentes de reliquis culpis efficeret, quantum conſtabat eum nil latuiſſe ſi quid contrarium Dei voluntati in ejus abſentia egiſſent. Sed hoc miraculo à plurimis invento cogebantur diſcipuli & auditores verbi, ut interrogati ab eo nihil ei ſuarum culparum tegerent, ſed cui hoc protinus abſcondere non poterant, omnia ipſi in publico referebant.

XIX. *Quòd duos germanos quia ante auditam Miſſam biberant increpavit.*

22. INTER hæc duo germani erant qui ad eum in feſtivitate B. Martini advenerant, quibus increpando ait: Admiror cur ante Miſſarum ſollemnia bibere præſumpſiſtis. Qui confitentes commiſſum ſuum veniam poſtulant, & de reliquo ſeſe emendaturos ſpondent. Alium verò die Dominico ad ſe venientem admonebat dicens: Fili hoc facere non debueras quod hodie feciſti. Nónne cùm adhuc in domo propria veſtimentis tuis te juxta morem indueres, inſpexiſti conjugem tuam, & illa tibi ſecundum voluntatem tuam heminam plenam porrexit, & tu incontinens & incautus ante Miſſam bibere præſumpſiſti? Sed immo & ipſe veniam poſtulans, & hoc coram eo pœnituit quod illicitè commiſit. NOTA.

AN. CHR. DC.XXII. DEC. XII.

XX. *Quòd puerum fidelis matronæ de furto caſtigavit, & in flaſcone ſerpentem & in pane venenum eſſe docuit.*

23. NEc minùs eſt illud factum mirabile. Dum quædam illuſtris matrona per quemdam puerum eulogias in hora prandij, id eſt panem & flaſcones ei miſiſſet, præfatus puer aviditate cibi potúſque circumventus partem ſibi retinuit, partémque aliam ſervo Dei præſentavit. Qui cùm hoc factum Divino numine cognoviſſet, ait: Quod nobis nunc allatum eſt, inde Deo gratias referimus: ſed tu fili hoc prævide ne quid incautè ſumas de illo pane vel illo flaſcone quod tibi in quodam loco abſcondere voluiſti: quia ſerpens etiam in illo vaſculo, & in pane illo venenum etiam habetur mortiferum *. Tunc ſtupefactus puer ilico obriguit terrore, móxque reverſus ſicut ſervus Dei prædixerat, ita invenit. Nam vaſculum illud cùm aperuiſſet & exinde anguem exire vidiſſet, illum panem contingere nullatenus audebat: ſed tremefactus & confuſus de eo quod geſſerat, ad Dei ſervum rediens pœnitentiam de facto gerebat.

* *Idem de S. Benedicto Vitæ cap.* 18.

XXI. *Quomodo cuidam ſignum Crucis impoſuit, & ab ejus oculo morbum puſtulæ ejecit.*

24. SEd & illud adjungendum eſt miraculum. Quidam ad eum venit habens venenoſum atque mortiferum illum languorem ſecus oculum, quem puſtulam vocant. Cúmque ſignum Dei impoſuiſſet, juſſit eum diſcedere & proprium opus ſuum ſibi exercere. Sed adhuc in fide dubitanti infert: Equidem ut video minùs te de ſalute tua confidere cognoſco. Et addidit ei hæc futura prædicens: Sed tu verò cùm ad domum veneris, jus tibi ſumendum conjux tua porriget, ſed tu illud omnino non accipias: & vide ne alia medicamenta præter hoc ſignum de hac infirmitate requiras. Quod ſi feceris, de iſta quidem nunc evades, ſed dum advixeris, quoddam ex illa ſignum habebis. Quæ ita ut dixerat rei eventus probavit. Nam offerente ei conjuge juſſellum ſumpſit, & adhuc cornu requiſivit vel aliquod genus extrahendi veneni quidquid invenire potuiſſet. Et licet juxta ſententiam ſervi Dei mortem tunc evaſerit, ſed tamen oculum quidem amiſit & luſcus per tempora vixit. De prædicta autem infirmitate quales & quamplures exinde per illum Dominus curaverit, quia nimis eſt prolixum ſingula percurrere, & ut puto non eſt neceſſarium cuncta vobis referre; ſed hoc tamen innoteſci curabimus, quia quiqui ad Dei famulum cum ipſa acceſſiſſent, ſolummodo ſigno Crucis impreſſo & ſalivâ oris ſui linitos, ſtatim illos incolumes reddebat, & in ipſa eadémque hora opus quod ſibi vellent exercere imperabat.

XXII. *Quomodo ſtips ejus præcepto impulſus cecidit, & gentem ad Fidem convertit.*

25. SEd & aliud pandimus vobis miraculum. Cùm de quodam Principe, pedeſtri ut ſolebat itinere ad cellam rediret, pervenit ad locum qui dicitur Auguſta [a] juxta Auvæ fluvium: nam pro humilitate aſſellum in itinere ſedere conſueverat, ſed magis adhuc causâ majoris adſumendi laboris pedibus frequenter gradiebatur. Et juxta ripam ipſius fluminis ſtips erat magnus, diverſis imaginibus figuratus atque ibi in terram magna virtute immiſſus, qui nimio cultu

a Auguſta videtur eſſe illud opidulum, quod Noſtrates *le Bourg d'Augſt* appellant, poſitum ad mare, medio fere itinere ab Augo urbe (vulgo *la ville d'Eu*) ad S. Vualarici Monaſterium. Fluvium Auvæ interpretamur rivulum illum, qui per paludes eidem Monaſterio vicinas in vicum *Onival*, cujus Eccleſia B. Vualarico ſacra ac ſubjecta eſt, excurrit, ac deinde in Oceanum influit.

more Gentilium à ruſticis colebatur. Cúmque hoc Confeſſor Domini vidiſſet, confeſtim zelo Dei accenſus ad puerum dixit: Fili mi, impinge hunc in ruinam cadendum. Qui nihil hæſitans nec moratus, manu hoc tantummodò contigit, & pondus immenſum quod vix multitudo hominum magna vi poſſet evellere vel ſecuribus incidere, à tactu unius obedientis Monachi quaſi madidus & putrefactus nimio fragore & magno impetu ſubitò ad terram cecidit, atque in ſemetipſum totus confractus apparuit. Et his quidem ruſticis habitantibus in locis non parvum tam mærorem quàm & ſtuporem omnibus præbuit. Sed undique illis certatim concurrentibus cum armis & fuſtibus, indignè hoc ferentes invicem ut quaſi injuriam Dei ſui vindicarent; cùm in eum unanimiter magno furore erupiſſent & extenſis brachiis colaphos ictúſque ſuos in aëre ſuſpendiſſent, ille ut erat ſemper animo intrepidus atque robuſtus, fertur eis illud dixiſſe: Si Dominus hoc permittit, nullus eis reſiſtere valebit. At illi econtrariò perterriti, ab intentione animi ſui ſtatim Divino nutu repreſſi ab eo receſſerunt. Sed his ita dimiſſis cœpit Sacerdos Divino ſpiritu afflatus eos inſtruere, ut relictis idolis omnipotenti Deo deſervirent, & in ipſo eodémque loco poſtea in honorem B. Gualarici Baſilicam conſtruxerunt juxta fontem aliquem, ex quo fertur ipſe ſe lavaſſe, ubi plurima beneficia recta fide petentibus à Domino præſtantur. AN. CHR. DC.XXII. DEC. XII.

XXIII. *Vrſinum germanum* MAURONTI *manibus tetigit & eum priſtinæ ſanitati reſtituit.*

26. NEc illud à nobis prætereundum eſt quod de quodam puerulo fecit URSINO, qui de alta ſatis fuerat proſapia. Germanus quidam erat cujuſdam nobiliſſimi MAURONTI*, qui & ipſe ſummus inter Proceres palatij & dignitatem aulæ regiæ illo in tempore cunctos ſuo ingenio præcellebat. Sed majora tamen his potitus eſt, dum formoſam ſibi valde pro Chriſto reliquerat ſponſam, ſed & cuncta dignitate ſæculi poſtpoſita cæleſtis Domini ſequebatur veſtigia. Sed de prædicto Urſino quid fecerit proſequamur. Cui cùm juxta clunem vulnus excreviſſet, magnum mortis jam ei periculum imminebat. Genitor verò ejus ad credendum ſatis admodùm duram & incredibilem mentem gerebat: ſed parentes tamen curaverunt, quorum mens tum ſanior & fides robuſtior inerat, ut puerulum illum ante ſæpedicti beati viri præſentiam præſentarent. Cúmque vulnus illud propriis manibus contigiſſet, ſtatim ab illo infirmitas illa receſſit.

* *de eo cum S. Mauronto.*

XXIV. *Quomodo tactu ſuarum manuum quemdam jam morientem ſanavit puerum.*

27. QUIDAM verò vir nobilis venit ad eum, ſupplicans ab eo ut ſanaret filium ſuum nomine Audobertum, qui languore diſenteriæ longo jam tædio afflictus, magis jam infelici pœna quàm vita tenebatur, cùm tantummodo extremam & optatam ſibi exſpectabat horam. Etſi hoc forſitan non vellet, vel hoc ſaltem mereretur ut ab ipſo ſepulturæ traderetur. At ipſe Beatus ait: Qui quatriduanum illum jam fœtidum ſuſcitavit de tumulo, & huic ſpiritu adhuc vitali in ſummo pectuſculo anhelanti valet utique ſalutem reſtituere. Cúmque eum ſuis ſacris manibus contigiſſet, tunc ipſe qui ſemivivus aderat, & longè antè nullam carnis alimoniam ſumpſerat, fertur clamaſſe & poſtulaſſe à patre, ut quantociùs cibum ſumeret. Et non longâ morâ interpoſitâ, qui manibus parentum ſervo Dei fuerat allatus, lætus jam unà cum patre divina interveniente medela, equo vehebatur ad propria, qui poſtea longam & religioſam vitam fertur duxiſſe per tempora.

ANN. CHR. DC. XXII. DEC. XII.

XXV. *Quòd eum irridentibus Presbytero & Judice, unus eorum lumen amisit, & virilia sua emarcuerunt alteri.*

28. NEc hoc à nobis prætereundum est, quid pro eo adhuc in hac mortali vita degente superna & divina ultio gesserit. Et nobis per hoc patenter datur intelligi, quia qui Christi famulos irritat, non solùm illos, sed & ipsum habitatorem illorum Dominum ad iracundiam provocat, qui ait: *Qui vos audit me audit, & qui vos spernit me spernit.* Et item dicit: *Qui manet in me, & ego in eo.* Et ideo intantum omninò metuenda est ira Justorum, quantum jam in eis omnipotentem Judicem & Dominum præsentialiter inesse cognoscimus. Nam cùm præfatus amicus Dei de quodam loco Caldis [a] ad septa Monasterij tempore hiemis repedaret, contigit ut præ nimia austeritate frigoris in domicilium cujusdam Presbyteri cum suis sodalibus ad se calefaciendum declinaret. At illi qui talem quidem & tam magnum hospitem eximio cultu venerari debuerant, ut hujus sacro eloquio (ut ei mos erat) instrui mererentur, magis turpia ac inhonesta, immo luxuriosa atque muliebria verba unà cum Judice loci ipsius famulo Dei loqui audacter atque contumaciter cœperunt. Sed ipse econtrà ut consueverat, putridis & corruptis cicatricibus semper hominum salubria medicamenta Divini verbi imponebat. Aiebat enim ad eos: Filij, numquid illud in Evangelio non audistis, De omni verbo otioso rationem reddituri sumus in die judicij? Sed illi contempto ejus præcepto magis ac magis incongruis ac impudicissimis sermonibus ebulliebant, ut est illud: *Ex abundantia cordis os loquitur.* At ille subjungens inquit: Volui utique propter rigorem frigoris corpusculum meum ab igne paullisper refovere, sed vestris prohibeor sceleratissimis verbis, immo nunc etiam exire non calefactus à vobis compellor. Cúmque de domo illa egrederetur, illud non obliviscitur præceptum, pulverem ibi pedibus suis excutit & ad locum destinatum iter direxit. Sed illos infelices & procaces verborum quos * sæpè diximus ultio Divina mox subsequitur. Nam ille Presbyter qui rectè sibi vel aliis prævidere neglexerat, oculorum subitò lumen amisit, & loci ipsius prædicto Judici sua emarcuerunt statim virilia. Cúmque hoc persensissent Dei jam judicio se esse percussos, licet sera pœnitentia ducti summa cum humilitate per verba precantia supplicabant, ut iterum famulus Dei in domum illam vellet intrare. Sed ille nihil illorum precibus adsensit. Nam unus in sua cæcitate permansit, at verò alius contracto corpore & putrescentibus genitalibus ibi de hoc caduco migravit sæculo.

Luc. 10. 16. Joh. 15. 5. Matth. 12. Mat. 12. 14. * f. quæ

XXVI. *Quòd virgo ab utero matris fuit, & omnibus virtutibus excrevit.*

29. MERITÒ ergo tantis & talibus virtutibus eminebat, cujus vitam & Divinâ gratiâ plenam fuisse comperimus, ut quinta paginula hujus libelli brevissimo relatu perstrinximus & computatione. Ab utero enim matris virgo manebat corpore: humilitas verò ejus & benignitas ultra humanum modum excedebat. Tantum enim Divinâ gratiâ & compunctione erat plenus, ut quot vicibus talentum sibi creditum Divinæ intelligentiæ auribus discipulorum erogaverat, quótve cælum spiritu psallens & mente adspexerat, vel humo prostratus orationem direxit, tot etiam vicibus lacrymatus est. Quis enumerare queat pernoctatas vigilias, profusas furtivásque orationes, quas inter condensa veprium & per convexa vallium plurimùm amabat? Quídve dicam illas peculiares & profusas admodùm orationes, quas pro hoc in cubiculo clausus Deo soli meditans frequenter excedebat?

Vestes ejus & caritas.

30. Cujus lectulus ex virgis contextus vili satis lectariolâ tegebatur, tunicâ cum capella [b] tantùm utens, & linea vestimenta non requirens. Cur-

[a] Fortè *Cayeux*, qui vicus S. Vualarici opido proximus est versùs Occidentem.

[b] Capellam hoc loco caputium interpretamur, quasi dicas capam seu cappam, quæ vox etiam capitis tegimen significat.

ſum [a] verò tam Monaſterialem quàm & Gallicanum magno ſtudio indeſinenter celebrabat: & cùm hoc dupliciter explicaret, tunc quidem imbecillia membra parvo ſopori tandem laxabat. Animi autem ejus intentio talis erat, ut per nullum tempus vacaret otio, quo non aut lectioni ſeu orationi vel operibus manuum ſuarum inſiſteret. Et cùm omnino in omnes largus & humanus eſſet, magis tamen in pauperes & egenos & in domeſticos fidei hoc exercebat, intantum etiam ut de propriis humeris veſtimentum ſuum eis tribueret. Sed & alimoniam & ceteram ſubſtantiam Fratrum de craſtino nihil cogitans omni petenti ſe dabat: & ut Fratres exinde non contriſtarentur, blandis & conſolatoriis verbis eos refovebat dicens: Filij hoc ſectamini, & pro certo ſcitote atque probatum habete, quia quicumque hilari animo neceſſaria petentibus tribuerit, quidquid & ipſe neceſſarium poſtulaverit, citiùs à Domino impetrabit. Sed & hoc ipſum non ſolùm verbis ſed etiam factis confirmabat. Nam prædictis ſuis Fratribus affluenter adminiſtrante Domino & ipſo orante undique eis afferebantur omnia. ANN. CHR. DC. XXII. DEC. XII.

XXVII. *Aviculas ſuis manibus paſcebat, & paſtas ad propria redire permittebat.*

31. TANTA verò manſuetudo Divinæ miſericordiæ erat in eo, ut aviculæ in manu ejus frequenter ſine formidine cibum ſumerent, & articulis ſuis quandocumque vellet, oblitas ſuæ feritatis & quaſi domeſticas eas palparet. Cúmque Fratres ad eum venientes expaveſcerent & circumquaque volitantes aves adeſſent, ille dicebat ad eos: Filij non faciamus eis injuriam, ſed permittamus eas paullulùm ſatiari de micis. Et cùm Fratres juxta Patris imperium retrograderentur, illæ pennigero volatu undique certatim adventabant, ut more ſuo ſolito annonam ſibi allatam de manu Dei famuli iterum atque iterum adſumerent.

XXVIII. *Quòd erga delinquentes nimia pietate uſus fuerit.*

32. CIRCA etiam ipſos Fratres tam ei benigna pietas inerat, ut ſi quempiam de junioribus pro quibuſlibet culpis juſſiſſet flagellare, & hoc ipſum ne fieret frequenter jubebat, ſed convocato illo ad ſe blandè lenitérque admonebat dicens: Fili hoc cave & tibimetpſi jam attende qualem & quantam injuriam nunc perpeti poteras, ſed modò ad emendandum iſta tibi ſola verecundia ſufficiat ut ulteriùs jam hoc vitium non admittas. Et quamplures hoc modo ſuâ mellifluâ doctrinâ magis prohibebat à crimine, quàm aliorum iraſcentium dira verba coërcebant.

33. Et cùm eſſet vultu hilaris, ſermone compoſitus, ſtatura optima, longa & exili, palmæ tenues & extentæ, graciliſſimis digitis & prolixis, oculis pulcherrimis, adſpectúque delectabili, facies ejus valde pallida & macie erat confecta: quia frequenter in tota hebdomada niſi in die Dominico nihil in cibo ſumebat, non vinum, non ſiceram, neque aliud quod inebriare poteſt uſitans, cùm in adventu quidem hoſpitum in dilectione caritatis de omnibus his poculis prægustaret. Et ſic tabe corporis animam ſuam pavit, ut de officio tamen ſibi commiſſo nihil umquam præteriret. Quando verò per eum Dominus diverſis languoribus gratiam curationum dabat, vel futura & occulta prænuntiabat, tunc colore roſeo malæ genarum ejus nimio fulgore viſu mirabili emicabant: ut per hoc palam omnibus daretur intelligi, quia ea quæ facta vel dicta per eum dicimus, auxiliante Domino & cooperante Spiritu ſancto fiebant. Et his ita geſtis ad beatum ac felicem proſperè jam properabat finem. Corporis forma & victus.

[a] Cursûs nomine intelligi nonnumquam ſtatas & horarias Eccleſiæ preces, eoquòd quotidie recurrant, Sæculo 1. ad Vitam S. Germani pag. 244. probavimus. Sanè vox hæc Auctorem veterrimum ſapit, & paucos qui eâ uſi ſint poſt Caroli Magni tempora reperias. Lege adnotata in Vitam S. Goaris per Vuandalbertum num. 10.

ANN. CHR. DC. XXII. DEC. XII.

XXIX. *Incipit tranſitus S. Gualarici Abbatis.*

Locum ſuæ ſepulturæ deſignat.

34. QUADAM verò die cùm S. Gualaricus de quadam cellula adveniens & clauſtra Monaſterij ſui Dominico die fuiſſet ingreſſus, accedens in verticem montis ad quamdam arborem quæ undique vepribus erat circumſepta, ubi vir Deo plenus furtivas illas & dignas Deo orationes quas ſæpè diximus ſolebat exercere remotus; cúmque ibi coram illo aliqui adſtarent Fratres, infixis coram ipſis duobus paxillis deſignabat menſuram unius capacem ſtaturæ, & ait illis: Cùm de hac præſenti vita tandem volente Deo à vobis migravero, vos me in hoc loco ſepelire curate. Et ut ab eo dictum fuerat, ita factum citò evenit.

Moritur.

35. Nam in altero die Dominico hunc quem diximus ſubſequente proximo ſarcinâ carnis depoſitâ, cum victoria migravit ad cæleſtia regna [a]. Juxta illam itaque quam diximus arborem, in qua B. Epiſcopus BERCHUNDUS, ut ipſe referebat, Sanctorum Reliquias ſolebat ſuſpendere, (quod huic Dei famulo fuerat incognitum niſi fuiſſet à Divino ſpiritu nuntiatum) in ipſo eodémque loco, qualiter ipſe prædixerat ac deſignaverat, ſummo cum honore ſancta ac felicia ibidem reconduntur membra [b]. Et ex hoc nobis apertè datur intelligi, quòd eidem obitus ſuus, immo & locus qui jam erat Reliquiis Apoſtolicis conſecratus, Divino quidem numine ante aliquos dies hoc fuerat revelatum.

a

b

Miracula à Raimberto Abb. deſcripta.

36. Sed his ita peractis, quæ vel qualia miraculorum ſigna poſt ſuum de hac vita obitum Divina per eum geſſit potentia, ne cuncta videamur præteriſſe, vel pauca ex multis breviſſimo quidem relatu, ut diſpoſuimus, ſcire hoc volentibus referamus, non ea quæ à plurimis fabulosè, ſed ipſa quæ à veridicis teſtibus comprobata eſſe didicimus: & illa maximè quæ à venerabili viro RAIMBERTO erudito Abbate, pio licet ſtudio ac religioſo labore & prolixo ſermone, ſed tamen ſatis ſimplici & incompoſita editione conſcripta reperimus.

Cæca videt.

37. Quædam autem puella per tria fermè annorum curricula, oculorum fuerat luce orbata, quam parentes ad antedictum locum ſervi Dei perducere curabant. Sed cùm ejus finibus appropinquaſſet, ait ad illos: Quid eſt hoc quod ſic eminus luce clarius video reſplendere? At illi reſponderunt: Oratorium eſt domni Gualarici. Et ſic laudes Deo referebat & grates, luménque recepit ſerenum.

Puella Sancto injuria punitur.

* *ſupple* factum eſt

38. Sed & illud quoque miraculum adhuc ſitientibus referamus, quod * in quodam loco nomine Auguſta, ubi ſtips idoli ille (ut ſuperiùs diximus) juſſu Dei fuerat confractus, & Baſilicam ibidem jam in Dei nomine accolæ loci illius præfato Dei famulo conſtruxerant; juxta quam dum quadam die quædam feminæ iter agerent, una ex eis præceſſit alias; atque lucrata ſibi oratione ad ſubſequentes ſe ſocias hortando ait: Deſcendite de his veſtris in loco ſancto vehiculis, & pro noſtris poſtulate cum prece facinoribus: & paullulùm reſumptis viribus veſtris, nunc potate de poculis, & ſic tandem cum gaudio auxiliante Domino ad deſtinata pergamus loca. At illa quæ ex his prior eſſe videbatur, contemnens ibidem orationi incumbere, ſed ſuper ſeſſis vehiculis unà cum filia ad locum quò deſtinaverant ſine mora properabat. Cúmque inter

a Nempe pridie Idus Decemb. uti Uſuardus & Ado in ſuis Martyrologiis teſtantur, & quidem die Dominico, vivente adhuc Chlotharío Rege, quemadmodum Auctor hîc & num. 41. ſcribit. Qui characteres chronologici anno Chriſti DC. XXII. reſpondent, nec ulli alij anno intra Chlotharij Monarchæ principatum competit littera Dominicalis C, niſi annis Biſſextilibus DC. XVI. & DC. XXVIII. Aſt anno DC. XXVIII. Littera Dominicalis B, poſt Biſſextum Kalendas Martias uſque ad anni finem quo Vualaricus mortuus eſt, excurrebat: anno verò DC. XVI. vix Leuconaum locum vir ſanctus inhabitare cœperat.

b Exſtat etiamnunc eodem in loco Capella ſeſquilapide à Monaſterio, à nautis plurimùm frequentata, ubi navigium ſuſcepturi B. Vualarico ſe commendant: quod quidem ab antiqua religione profectum eſt. Nam Vuillelmus primus Anglicam expeditionem ſuſcepturus, cùm *menſe Auguſto ad S. Vualericum veniſſet, facto cum ſenioribus conſilio*, inquit Vuillelmus Malmeſbur. in lib. 3. de Geſt. Angl. *corpus S. Vualerici foras efferri, & pro vento deprecando ſub divo exponi juſſit. Nec mora interceſſit, quin proſper flatus carbaſa impleret.* Quod anno M. LXVI. factum Matthæus Pariſ. refert.

ſe invicem

ſe invicem ſermocinarentur, tunc filia cum indignatione matri ſic oritur fari: O dulciſſima genitrix, ô mea ſpes unica ſemper, numquid illo in loco habitatores venerari conantur illum quem ante hos annos aſello inſidentem deſpicabili habitu cernebamus? Cui illa reſpondens ait: Huic verò ut ais filia, ruſtici volunt fieri Memoriam [a], cujus opera apud nos vilia & contemptu digna videbantur. Tunc inter ipſarum ſtulta & vana colloquia cœperunt crura natæ quaſi more paralyſis rigore nimij doloris conſtringi. Et cùm hoc contriſtata matri ſuæ innotuiſſet, at illa ſtupefacta obriguit quid hoc erat quídve vellet eſſe interrogans. Tunc ſimul ſecum pertractabant, & mente ſua ſibi invicem revolvebant, quid de præfata oratione ſancti viri die eadem feciſſent, quídve dixiſſent. Tunc primùm licet coactè magna tamen humilitate, immò & nimio terrore perculſæ, ad prædictum Oratorium viri Dei ſumma jam cum feſtinatione repedabant, & ibi depoſita elatione & cervice mentis, tandem in fletu & planctu proſtratæ jacuerunt poſtulantes ſibi veniam de commiſſo, uſquedum favente Domino qui prope eſt omnibus invocantibus eum, integram ſanitatem ſæpedicta ſua filia reciperet. An. Chr. DC.XXII. Dec. XII.

[a]

39. Sed poſt ſuum, ut præfati ſumus, de hac luce beatum obitum tantum ſe ſancto Cœnobio humanæ importunitatis merſit conditio, ut illa neceſſitas illos Monachos inde ire urgeret, quæ piis animis prodeſſe ſolet, ut eſt illud: Qui volunt in Chriſto piè vivere, oportet eos tribulationes ſuſtinere. Ad tempus igitur deſerentes locum, illud etiam Evangelicum ſectantes; Si perſequentur vos in una civitate fugite in aliam, & cùm in ſolitudinem locus ille redactus fuiſſet, B. Pontifex Berchundus Divino inſtinctus amore conabatur ſanctum illud depoſitum ad ſuam civitatem magno cum triumpho deferre: ſed cùm facta oratione juſſiſſet ſanctum effodere corpus, proficere non valebant. Tunc præfatus Pontifex, Oremus, inquit, ad Dominum, vereor enim ne impoſſibilitas operis aliquo modo nobis accedat. Cúmque orationi incubuiſſent intentiùs, & bis & ter impetum levandi tentaſſent, nihil tamen profecerunt. Sicut enim in corpore vivens eremum, ita & defunctus eumdem diligebat locum. Berchundus Epiſc. ſanctum corpus Ambianum deferre cogitat, ſed fruſtra. 2. *Tim.* 3. 12.

40. Ibidem etiam eum Blitmundus diſcipulus ejus depoſuerat, quem famulus Dei de ſua infirmitate (ut ſuperiùs diximus) curaverat. Qui tunc in illo tempore cùm eſſet in Bobio ſub obedientia B. Athalæ Abbatis, cujus geſta ſcripta habentur*, frequenter ab illo humiliter poſtulabat, ut ad locum illum in Francia ubi B. Gualaricus in eremo ibidem eſt ſepultus, converſandi vel viſitandi gratiâ ei concederet demorari: quæ ab illo minimè tunc illo in tempore impetravit. Sed illo perſeverante in precibus, B. Athala peracto quodam annorum curriculo quadam infirmitate afflictus infirmatus jacebat. Dehinc cùm quadam die B. Athala ad Eccleſiam iret, ſuſtentabat imbecillia membra Monachus ille præfatus, qui Cellam S. Gualarici ſæpe ei petierat viſitare. At ipſe hoc referebat, dum pariter ambularent, viſum eſſe ei non ſolùm mentem, ſed etiam ipſa membra ab eo ſuſtentata aliquantulo ſpatio à terra, quaſi trium pedum in aëre ſuſpendi cum ipſo. Tunc ait ad eum: Fili mi, quam antea à nobis expetieras, modò habeas ambulandi & viſitandi licentiam. Cúmque ille ſtatim minùs hoc intelligens dixiſſet: Domine mi, quò me ire præcipis? At S. Athala ſubjunxit: Tu ad locum S. Gualarici quo ſæpe poſtulaveras, ſume nunc à nobis volente Deo licentiam pergendi. Video enim eum in nimia claritate, & mihi hoc ipſum evenit expetere, ut utinam ipſe merear in tantam gloriam introire. Et per hoc apertè datur intelligi, dum adhuc in corpore ipſe vivebat, alius poſitus in æterna gloria videbatur. Et tranſacto verborum colloquio, pauco intervallo migravit ad Dominum. Blitmundus è Bobio in Leuconaënſe Monaſterium reditum poſtulat. * *infrà.*

[a] Id eſt Oratorium Sancti memoriæ conſecratum.

AN. CHR. DC. XXII. DEC. XII.

41. Tunc ſæpedictus ille Monachus quem beatus edocuerat Gualaricus, ad antedictum locum Leuconao ut admonitus fuerat à ſancto viro acceſſit [a], in quo pænè anni ſpatio eremitalem ac ſterilem vitam duxit. Tunc petiit præfatus vir Blitmundus tam à glorioſo Rege CHLOTHARIO, quàm à Pontifice qui tunc erat Ambianenſium, ut tale Præceptum daret ac licentiam ut ibi conſtrueret Monaſterium. Tunc deſtructis idolis & ritibus Gentilium, vir Domini Blitmundus qui & ſecundus Abbas in loco eodem exſtitit, auxiliante omnipotente Domino & Chriſtianorum vicinorum adminiculis, conſtruere *ibi curaverat tam Monaſterium quàm Eccleſiam miræ magnitudinis & cultu nimio decoratam. Concurrentibus ergo undique populis recta fide petentibus, merita ejus ibidem magnis virtutibus clareſcunt præſtante Domino noſtro Jeſu Chriſto, qui cum æterno Deo Patre & cum Spiritu-ſancto vivit & regnat Deus per infinita ſæculorum ſæcula, Amen.

[a] *id eſt* reſtituere curavit, *ut ex num. 39. colligitur.*

[a] Nempe anno DC. XXVII. quo Attalam in cælum migrâſſe inferiùs dicemus. Quamdiu Lenconaënſe Monaſterium rexerit Blitmundus, incertum. Ejus Reliquiæ cum B. Vualarici corpore necnon Sanctorum Sevoldi Martyris, Ribberti & Vulganij Confeſſor. ſacris exuviis inibi adſervantur. Blitmundus colitur III. Nonas Ianuarias, tum in prædicto Monaſterio, tum in vico proximo, ab ipſius nomine *S. Blimond* appellato.

MONITUM.

DE Tranſlatione corporis S. Vualarici in caſtrum Monſtrolium, deinde in Monaſterium Bertinianum per ARNULFUM *Magnum Flandriæ Comitem factâ, ac de ejuſdem Relatione per* HUGONEM *Ducem cognomento Capetum anno* CM. LXXXI. *agemus Benedictino Sæculo* V. *Paullò pòſt* INGELRAMNUS *Abbas Centulenſis* Sanctorum WALARICI Abbatis & Wlframni Archiepiſcopi honori proprios cantus coaptavit, *ut Hariulfus in Chron. Centul. lib. 4. cap. 11. teſtatur. Nec omittendum quod Matthæus uterque, Pariſius & Weſtmonaſterienſis, ad annum 1197. referunt de Rege Richardo, qui comperto* quòd naves ex Anglia convenire conſueverant ad S. Walericum, deferrentes inimicis victualia; in ejus injuriæ ultionem villam combuſſit, Monachos diſperſit, feretrúmque S. Walerici cum Reliquiis in Normanniam tranſvexit, *fortè in opidum S. Vualarici dictum in Caletis, Diepam inter & Fiſcamnum, unde nomen loco relictum. Hîc obſervare convenit, in Chronicis Gaufredi Prioris Voſienſis To. 2. Bibl. Labbeanæ frequentem S.* VALERICI *Conf. ac Cœnobij apud Arvernos hoc nomine dicti fieri mentionem, & cap. 15. iſta haberi:* Apud S. Valericum corpus ipſius Confeſſoris quieſcit, cujus ope incolæ terræ illius ab imminentibus periculis ſæpe liberantur. *Et fortaſſe illud ipſum Monaſterium fuerit, in quo S. Vualaricus Arvernus vitæ Monaſticæ elementa didicit, cui poſtea nomen dederit. At ipſius corpus numquam illuc tranſlatum fuiſſe, certiſſimis conſtat argumentis. Certè Gaufredus modò laudatus Chronica ſua ſcribebat anno* M. C. LXXXIII. *uti ipſe teſtatur, quo tempore B. Vualarici Reliquiæ à Richardo Rege nondum in Neuſtriam illatæ ex proprio Monaſterio fuerant.*

AN. CHR. DC. XXIV. APR. XXIV.

S. MELLITI LONDONIENSIS EPISCOPI PRIMI, DEIN ARCHIEPISCOPI CANTUARIENSIS III.

ELOGIUM HISTORICUM.

Vitæ Scriptores.

1. SANCTI MELLITI *Vitam compendio excepit* BEDA *in l. 1. Hiſt. c. 29. & l. 2. c. 3. & ſeqq.* GOTSELINUS *deinde Bertinianus Monachus, quas Beda* breviter perſtrinxerat tædii ſcilicet offenſam veritus, *inquit Vuillelmus Malmesb. in l. 1. de Pont. Angl.* quantum veterum relatione addiſcere potuit, miras prorſus & prædicandas ſcripſit virtutes, adjiciens quas oculata fide perſpexerat novas. *At cùm Gotſelini integrum opus de Melliti geſtis reperire non licuerit, S. Antiſtitis Acta ex venerabili Beda, Vuillelmo Malmesb. aliiſque monumentis fide dignis colligemus.*

* *Extat fragmentum in To. 1. Monaſt. Angl. p. 56.*

AN. CHR. DC. XXIV. APR. XXIV.

2. MELLITUS Romæ Abbas, *uti Vuillelmus Malmesb. in lib. 2. de Pontif. Angl. auctor est*, non cum Auguſtino Angliam venerat, ſed poſtmodùm ad Prædicatorum ſupplementum miſſus fuerat. *Cùm enim Auguſtinus ab Epiſcopo Arelatenſi Archiepiſcopus ordinatus, per Laurentium & Petrum B. Gregorio Summo Pontifici ſuggeſſiſſet*, multam quidem ſibi eſſe meſſem, ſed operarios paucos, miſit *(ait Beda in lib. 1. Hiſt. cap. 29.)* cum præfatis Legatariis ſuis plures cooperatores ac verbi miniſtros, in quibus primi & præcipui erant MELLITUS, Juſtus, Paulinus, Rufinianus: & per eos generaliter univerſa, quæ ad cultum erant ac miniſterium Eccleſiæ neceſſaria. *Abbatem fuiſſe Mellitum antequam à Gregorio in Angliam directus eſſet, conſtat etiam ex his litteris, quibus Gregorius abeuntem proſecutus eſt.* Dilectiſſimo filio MELLITO Abbati Greg. ſervus ſervorum Dei. Poſt diſceſſum Congregationis noſtræ quæ tecum eſt, valde ſumus ſuſpenſi redditi, quia nihil de proſperitate veſtri itineris audîſſe nos contigit, *&c.* Data die XV. Kalend. Jul. imperante domino noſtro Mauritio Tiberio piiſſimo Auguſto anno XIX. Indict. IV. *qui characteres chronologici anno Chriſti* DC. I. *reſpondent. Erat ergo Abbas Mellitus, Monaſterii S. Andreæ, an Patriarchii Lateranenſis Monachis Caſſinatibus attributi, an tantùm Abbas ſeu Prælatus eorum quos Gregorius Auguſtino ſubſidiarios delegabat, incertum.*

Mellitus Abbas in Angliam miſſus.

Apud Bed. l. 1. c. 30.

3. Anno Incarnationis ſexcenteſimo quarto, *teſte Beda in lib. 2. cap. 3.* Auguſtinus Britanniarum Archiepiſcopus ordinavit duos Epiſcopos, Mellitum videlicet & Juſtum: Mellitum quidem ad prædicandum provinciæ Orientalium Saxonum, qui Thameſi* fluvio dirimuntur à Cantio, & ipſi Orientali mari contigui, quorum metropolis Londonia civitas eſt ſuper ripam præfati fluminis poſita, & ipſa multorum emporium populorum terrâ marîque venientium: in qua videlicet gente tunc temporis SEBERHTUS nepos ETHELBERTI ex ſorore RICULA regnabat, quamvis ſub poteſtate poſitus ejuſdem Ethelberti, qui omnibus uſque ad terminum Humbri fluminis imperabat. Ubi verò & hæc provincia verbum veritatis prædicante Mellito accepit, fecit Rex Ethelbertus in civitate Londonia Eccleſiam S. Pauli Apoſtoli, in qua locum Sedis Epiſcopalis & ipſe & ſucceſſores ejus haberent. *Londonia jam tunc florentiſsima civitas, nunc ſedes Regia, à B. Gregorio Auguſtini Archiepiſcopi ſedes deſignata fuerat, ut apparet ex ipſius Gregorij epiſtola ad Auguſtinum miſſa, quam Beda in lib. 1. cap. 29. refert.* Verumtamen, *ait Malmesburienſis Monachus in lib. 1. de Pont.* quia primus Doctor *(Auguſtinus)* ſedulitate Regis hoſpitis & civium caritate captus, Cantuariæ incolatum vivens throno annis XV. & mortuus tumulo fovit, omnis eò in poſterum honor tranſlatus eſt.

Mellitus London. Epiſc. creatur.

* *la Thamiſe*

Greg. l. 12. Epiſt. 15. Ind. 4.

4. *Poſtquam Beda S. Auguſtini obitum in lib. 2. cap. 3. deſcripſit, addit iſta cap. 4.* His temporibus venit Mellitus Londoniæ Epiſcopus Romam de neceſſariis Eccleſiæ Anglorum cauſis cum Apoſtolico Papa BONEFACIO tractaturus. Et cùm idem Papa reverendiſſimus cogeret Synodum Epiſcoporum Italiæ de vita Monachorum & quiete ordinaturus, & ipſe Mellitus inter eos adſedit anno octavo imperii Phocatis Principis Indict. XIII. tertia die Kalend. Mart. *id eſt anno Chriſti* DC. X. ut quæque erant regulariter decreta, ſuâ quoque auctoritate ſubſcribens confirmaret, ac Britanniam rediens, ſecum Anglorum Eccleſiis mandata atque obſervanda deferret unà cum epiſtolis quas idem Pontifex Deo dilecto Archiepiſcopo Laurentio & Clero univerſo, ſimiliter & Ethelberto Regi atque genti Anglorum direxit.

Romam petit.

5. *Cauſam ſeu occaſionem Romani itineris Baronius Mellito fuiſſe ſuſpicatur inſolitam (ut credunt) Eccleſiæ Vueſtmonaſterienſis dedicationem, de qua audiendus Vuillelmus Malmesb. in lib. 2. de Pont. Angl.* Tunc verò Mellitus Deo cooperante & Ethelberti adjutus adminiculo, Chriſtianitatis Fidem egregiè in illa provincia propagavit. Nam & Monaſterium B. Perro in Occidentali civitatis parte fecit, ipſius Apoſtoli (ut fertur) admonitus nuntio: qui & coram viſis Eccleſiam recèns factam per ſe dedicaverit, & per ruſticum Epiſcopo xenium

Dedicatio Eccleſiæ Vueſtmonaſterij miraculoſa.

Baron. ad an. 610.

AN. CHR. DC. XXIV. APR. XXIV.

gratiſſimum, grandem ſcilicet piſcem deſtinaverit. Nec verò de dicto dubitare voluit, qui videret agreſtis fatuitatis hominem, qui nec Chriſtianus eſſet, de Petro afferentem nuntium, ejuſdémque corporis lineamenta quæ Mellitus noſſet, ex pictura veraciter pronuntiantem. Creditum ergo, nec conſecrationis myſterium repetitum, quam perfectam monſtrarent candelæ per totam Eccleſiam accenſæ, cruces factæ, nec minùs aquæ adſperſæ, & ſacrati olei locis debitis non frivola veſtigia. Ceſſit divino officio humana ſedulitas, pronuntiavítque voce prophetica momenti magni futurum Monaſterium, in quo Apoſtolus Pontificale exercuiſſet obſequium.

Vueſtmonaſterii inſtauratio & prærogativæ.

6. *Iſtius dedicationis Beda non meminit, eam verò incunctanter adſeruerunt Osbernus in Vita S. Dunſtani, Sulcardus Monachus Vueſtmonaſterienſis in Chronico, aliique Anglorum Hiſtorici, quibus Nicolaus Papa II. in litteris ad Edvuardum Regem datis adſentire videtur, ut in Monaſt. Anglic. Tom. 1. legere licet.* Præterea, *inquit Nicolaus*, illi loco quem ſub nomine ſanctæ Pœnitentiæ conſtruendum & meliorandum ſuſcepiſti, quoniam *(ut fertur)* primam antiquitùs conſecrationem à B. Petro accepit, cujus licet indigni Vicarii ſumus, & quia regia antiquitùs ſedes eſt; ex auctoritate Dei & dictorum Apoſtolorum atque hujus Romanæ Sedis & noſtra concedimus, permittimus & ſolidiſſimè confirmamus, ut ampliùs in perpetuum regiæ conſtitutionis & conſecrationis locus ſit atque repoſitorium regalium inſignium, & habitatio perpetua Monachorum, qui nulli omninò perſonæ niſi Regi ſubdantur, habeántque poteſtatem ſecundùm Regulam B. BENEDICTI per ſucceſſiones eligere ſibi dignos Abbates. *Quippe S. Petri Monaſterium, quod*, propter vetuſtatem & frequentes bellorum tumultus *(ut habet charta reſtaurationis)* pænè videbatur deſtructum, EDWARDUS *Rex piiſſimus Ethelredi filius inſtauraverat.* Nec minùs, *inquit Malmesbur. in lib. 2. de Pont.* ſed multo etiam magis Rex WILLELMUS extulit locum magnis redditibus prædiorum, quòd ibi regni ſuſceperit inſignia. Conſuetudo igitur apud poſteros invaluit, ut ptopter Edvuardi inibi ſepulti memoriam, regiam regnaturi accipiant coronam.

Nuperus ejus ſtatus. *Lege Annal. Bened. Antonii Yepez. ad an. 605. cap. 2.*

7. *Situm erat Monaſterium in ſuburbana Thameſis inſula, Thorneia dicta, ad Occidentalem Londoniæ plagam, unde Vueſtmonaſteriũ, Anglis* Weſtminſter *dictum, toto regno celeberrimum poſt S. Edvuardi principatum. Iam inde, ait Anonymus in libro ſingulari de monumentis Eccleſiæ Vueſtmonaſterienſis, hoc Monaſterium cùm Regum Angliæ inauguratione & coronatione, tum etiam ſepulturâ & Regalium repoſitione longè fuit celeberrimum. Verùm poſt* C. LX. *annos hanc Edvuardi fabricam ſubvertit Henricus III. novámque Eccleſiam ſpeciosâ ſtructurâ, multiplici marmorearum columnarum ordine, tecto laminis plumbeis conveſtito, quinquaginta annorum opere ipſe primum ponens lapidem anno* M. CC. XX. *exædificavit, & palatio regio illuſtravit. Abbates Baſilicam ad Occaſum plurimùm auxerunt: Henricus VII. anno* M. D. II. *in ſuam ſuorúmque ſepulturam, ad Ortum, ſacrarium admirandæ elegantiæ impenſis 14000. librarum adjecit, in quo ſepulcrum ejus ſplendidiſſimum & maximum ex ære ſolido cernitur. Expulſis poſtea ab Henrico VIII. Monachis, Eccleſia ad varias ſubinde vices revoluta fuit. Primùm Decanum habuit & Præbendarios, mox Epiſcopum unicum Thomam Thurlbeium anno* M. D. XLI. *qui patrimonio Eccleſiæ acciſo ceſſit & Decano reliquit. Statimque nimirum anno* M. D. LVI. *Monachi illic reſtituti ſunt cum ſuo Abbate Iohanne Feckenano, invicliſſimo Fidei pugile: quibus paullò pòſt auctoritate Parlamentaria ejectis & variè divexatis Eccleſiam in Collegiatam heterodoxorum nefaria Regina Elizabetha convertit. Iohannis Feckenani Abbatis clariſſimos agones, quos tandem anno* M. D. LXXXV. *feliciter complevit, aliorumque ipſius diſcipulorum ſuo loco Deo dante referemus.*

8. Poſt mortem Ethelberti, quæ anno ab Incarn. Dominica DC. XIII. accidit, *ut Beda in lib. 2. cap. 5. auctor eſt*, cùm filius ejus Eadbaldus regni gubernacula ſuſcepiſſet, magno tenellis adhuc Eccleſiæ incrementis detrimento

fuit. Siquidem non ſolùm Chriſti Fidem recipere noluerat, ſed & fornicatione pollutus eſt tali, qualem nec inter Gentes auditam Apoſtolus teſtatur, itaut uxorem patris haberet. Quo utroque ſcelere occaſionem dedit ad priorem vomitum revertendi iis, qui ſub imperio ſui parentis, vel favore vel timore regio, Fidei & caſtimonię jura ſuſceperant. Nec ſupernæ flagella diſtrictionis perfido Regi caſtigando vel corrigendo defuêre. Nam crebrâ mentis veſaniâ & ſpiritûs immundi invaſione premebatur. Auxit autem procellam hujuſmodi perturbationis etiam mors SEBERHTI Regis Orientalium Saxonum: qui ubi regna perennia petens, tres filios ſuos qui pagani perduraverant, regni temporalis heredes reliquit, cœperunt illi mox idololatriæ quam vivente eo aliquantulùm intermiſiſſe videbantur palam ſervire, ſubjectiſque populis idola colendi liberam dare licentiam. A N. CHR. DC. XXIV. APR. XXIV.

9. Cúmque viderent Pontificem (*Mellitum*) celebratis in Eccleſia Miſſarum ſollemniis Euchariſtiam populo dare, dicebant (ut vulgò fertur) ad eum barbara inflati ſtultitia: Quare non & nobis porrigis panem nitidum, quem & Patri noſtro Saba (ſic namque eum appellare conſueverant) dabas, & populo adhuc in Eccleſia dare non deſiſtis? Quibus ille reſpondebat: Si vultis ablui fonte illo ſalutari quo pater veſter ablutus eſt, poteſtis etiam panis ſancti cui ille participabat eſſe participes. Sin autem lavacrum vitæ contemnitis, nullatenus valetis panem vitæ percipere. At illi; Nolumus, inquiunt, fontem illum intrare, quia nec opus illo nos habere novimus: ſed tamen pane illo refici volumus. Cúmque diligenter ac ſæpe ab illo eſſent admoniti nequaquam ita fieri poſſe, ut abſque purgatione ſacro-ſancta quis oblationi ſacro-ſanctæ communicet; ad ultimum furore commoti aiebant: Si non vis adſentire nobis in tam facili cauſa quam petimus, non poteris jam in noſtra provincia demorari. Et expulerunt eum, ac de ſuo regno cum ſuis abire juſſerunt. Mellitus à paganis ob negatam Euchariſtiam expellitur.

10. *Priuſquam cetera perſequamur, duo hoc in loco obſervanda ſunt. Vnum, Euchariſtiam tunc temporis ex* pane nitido, *id eſt ultra morem candido, qualis modò adhibetur, confici ſolitam fuiſſe. Concilium Calchutenſe in Anglia anno* DCC.XXCVII. *celebratum cap. 10. ſic ſtatuit*: Oblationes etiam Fidelium tales ſint, ut panis ſit, non cruſta. *Quærit Algerus in lib. 2. de Sacram. cap. 9.* quare in candido pane conſecretur magis corpus Chriſti quàm in nigro vel cujuſcumque coloris? *Reſpondet*: Pane quidem cujuſcumque annonæ ſive coloris non prohibetur fieri corpus Chriſti ſi neceſſitas fuerit: ſed decet revera eum candidiſſimum eſſe & mundiſſimum ſi facultas non defuerit, qui transferri debet in ſplendidiſſimum corpus Agni immaculati. *Lege Vicecomitem in lib. 2. de antiq. Miſſæ ritib. cap. 9. & ſeq. Modum quem priſci Cluniacenſes Monachi in conficiendis hoſtiis ſervabant, expreſſum habes in lib.* 3. *Conſuetud. Cluniac. cap. 13. Alterum hic obſervandum eſt, Gentiles ſeu Infideles illos Anglos rei ſacræ intereſſe fuiſſe permiſſos: quod primæva non ſuſtinebat religio. Pergit Beda in eodem loco*: Duo notanda.

11. Qui expulſus inde venit Cantiam, tractaturus cum Laurentio & Juſto Coëpiſcopis quid in his eſſet agendum: decretúmque eſt communi conſilio, quia ſatius eſſet ut omnes patriam redeuntes libera ibi mente Dominum deſerirent, quàm inter rebelles Fidei Barbaros ſine fructu reſiderent. Diſceſsêre itaque primò Mellitus ac Juſtus, atque ad partes Galliæ receſsêre, ibi rerum finem exſpectare diſponentes. Sed non multo tempore Reges qui præconem veritatis à ſe expulerant, dæmoniacis cultibus impunè ſerviebant. Nam egreſſi contra gentem Geviſſorum in prælium, omnes pariter cum ſua militia corruerunt: nec licet auctoribus perditis, excitatum ad ſcelera vulgus potuit corrigi, atque ad ſimplicitatem Fidei & caritatis quæ eſt in Chriſto revocari. Mellitus cum Juſto Britanniam deſerit.

12. *Verùm Eadbaldus Rex cùm inſpectis Laurentij Epiſcopi plagis à B. Petro eoquòd etiam è Britannia diſcedere ac oves deſerere vellet infligtis, idololatriam inceſtúmque connubium abdicaſſet, prout Beda in lib. 2. cap. 6. fuſiùs commemorat*: Miſit etiã, *inquit*, in Galliam & revocavit Mellitum & Juſtum, eóſque ad ſuas Ec- A Rege revocatur.

AN. CHR. DC. XXIV. APR. XXIV. cleſias liberè inſtituendas liberè redire præcepit: qui poſt annum ex quo abierant reverſi ſunt. Et Juſtus quidem ad civitatem Roſi cui præfuerat rediit: Mellitum verò Londonienſes Epiſcopum recipere noluerunt, idololatris Pontificibus magis ſervire gaudentes. Non enim tanta erat ei (*Eadbaldo*) quanta patri ipſius regni poteſtas, ut etiam nolentibus ac contradicentibus paganis Antiſtitem ſuæ poſſet Eccleſiæ reddere. Verumtamen ipſe cum ſua gente ex quo ad Dominum converſus eſt, Divinis ſe ſtuduit mancipare præceptis. Denique & in Monaſterio beatiſſimi Apoſtolorum Principis (*nimirum in Vueſtmonaſterio*) Eccleſiam ſanctæ Dei Genitricis fecit, quam conſecravit Archiepiſcopus Mellitus. *Subdit Beda cap. 7.*

A Londonienſibus rejicitur.

Laurentio ſuccedit.

13. Hoc enim regnante Rege B. Archiepiſcopus Laurentius regnum cæleſte conſcendit, atque in Eccleſia & Monaſterio S. Apoſtoli Petri juxta prædeceſſorem ſuum Auguſtinum ſepultus eſt die quarto Nonarum Februarii. Poſt quem Mellitus qui erat Londoniæ Epiſcopus Sedem Dorvuernenſis Eccleſiæ tertius ab Auguſtino ſuſcepit: Juſtus autem adhuc ſuperſtes Roſenſem regebat Eccleſiam. Qui cùm magnâ Eccleſiam Anglorum curâ ac labore gubernarent, ſuſceperunt ſcripta exhortatoria à Pontifice Romanæ & Apoſtolicæ Sedis BONEFACIO, qui poſt DEUSDEDIT Eccleſiæ præfuit anno Incarnationis Dominicæ ſexcenteſimo nonodecimo.

Commendatur.

14. Erat autem Mellitus corporis infirmitate, id eſt podagrâ gravatus, ſed mentis greſſibus ſanus, alacriter terrena quæque tranſſiliens, atque ad cæleſtia ſemper amanda, petenda & quærenda pervolans. Erat carnis origine nobilis, ſed culmine mentis nobilior. Denique ut unum virtutis ejus unde cetera intelligi poſſunt, teſtimonium referam; tempore quodam civitas Dorvuernenſis per culpam incuriæ igne correpta, crebreſcentibus cœpit flammis conſumi. Quibus cùm nullo aquarum injectu poſſet aliquis obſiſtere, jámque civitatis eſſet pars vaſtata non minima, atque ad Epiſcopum furens ſe flamma dilataret; confidens Epiſcopus in Divinum ubi humanum deerat auxilium, juſſit ſe obviam ſævientibus & huc illúcque volantibus efferri ignium globis. Erat autem eo loco ubi flammarum impetus maximè incumbebat Martyrium (*id eſt Eccleſia*) beatorum quatuor Coronatorum. Ibi ergo perlatus obſequentûm manibus Epiſcopus, cœpit orando periculum infirmus abigere, quod firma fortium manus multùm laborando nequiverat. Nec mora, ventus qui à Meridie flans urbi incendium ſparſerat, contra Meridiem reflexus primò vim furoris ſui à læſione locorum quæ contra erant abſtraxit, ac mox funditùs quieſcendo flammis pariter ſopitis atque exſtinctis compeſcuit. Et quia vir Dei igne Divinæ caritatis fortiter ardebat, qui tempeſtates poteſtatum aëriarum à ſua ſuorúmque læſione crebris orationibus vel exhortationibus repellere conſueverat; meritò ventis flammíſque mundialibus prævalere, & ne ſibi ſuíſque nocerent, obtinere poterat.

Moritur, ſepelitur, transfertur.

15. Et hic ergo poſtquàm annis quinque rexit Eccleſiam, Eadbaldo regnante migravit ad cælos, ſepultúſque eſt cum Patribus ſuis in ſæpedicto Monaſterio & Eccleſia beatiſſimi Apoſtolorum Principis anno ab Incarnatione Domini ſexcenteſimo vigeſimo quarto, die octava Kalendarum Maiarum. Cui ſtatim ſucceſſit in Pontificatum Juſtus qui erat Roffenſis Eccleſiæ Epiſcopus. *Melliti ipſo die mentionem faciunt vetuſti Martyrologiorum Scriptores: Gotſelinus verò Bertinianus Monachus in hiſtoria Tranſlationis S. Auguſtini Anglorum Apoſtoli, quam ad ann. 1091. referemus. S. Melliti Reliquiæ quædam in Eccleſia S. Pauli apud Londoniam in brachiis argenteis olim adſervabantur, uti ex Inventariis ut vocant anno* M. CC. XCVIII. *factis & à Vuillia Dugdalio in Hiſt. Eccleſiæ S. Pauli relatis conſtat.*

AN. CHR. DC. XXIV. MAII XX.

VITA S. AVSTREGISILI EPISCOPI BITURICENSIS,

Auctore anonymo coævo, ut ex num. 11. & 13. conſtat.

Ad MSS. codd. & Labbeanam editionem ſtilo genuino reſtituta.

1. IGITUR AUSTREGISILUS * natus [a] AGUNDINO patre Bituricæ civitatis indigena fuit. Parentum quidem clara progenies, tamen opulentiâ rerum nec multùm dives nec indigens, ſed ſufficiens erat ex omnibus rerum ſubſtantiis. Cúmque in puericia ſacris litteris fuiſſet inſtitutus, & à minore ad robuſtiorem tranſiſſet ætatem, in obſequio glorioſi Regis GUNTRAMNI deputatur à patre, ubi non modicum temporis ſpatium ſub ſæculari diſciplina prudenter militavit. Erat Regi gratiſſimus & univerſis commilitonibus amantiſſimus, intantum ut linteum quo Rex lotis manibus tergere ſolitus erat ipſe proferret, & ob hoc Mapparius vocabatur. Tunc verò jam in ſæculari habitu, eleemoſynis, orationibus, & vigiliis, die noctúque vigilantiſſimè inſiſtebat, & ad cæleſtem patriam ineffabili gaudio anhelabat. Jam in hoc ſæculo fideliter videbatur illi ſervire, cui inhianter in cæleſtibus inſeparabiliter inhærere cupiebat. Aliquando cœpit à parentibus cogi ut uxorem duceret. Ille amore pudicitiæ caſus & moleſtias nuptiarum devitans, differebat nuptias dicens: In hac cauſa opperienda eſt Dei voluntas & poteſtas: quia dubium eſt bonam an malam ducam. Si bonam, timeo perdere: Si malam, timeo ne poſſim carere. Quid me in dubium vultis venire & ſub vacua ſollicitudine quæ uſibus mulierum ſunt implicari? cùm poſſim liber vivere, cur me alterius mancipabo ſervitio? Hæc audientes parentes contriſtati cœperunt eum intentiùs urgere, ut eorum faceret in hac parte voluntatem. Ille ne contriſtare eos videretur, quos potiùs ovantes habere cupiebat, ita facturum ſe promiſit, ut ſi eſſet Domini voluntas faceret quod hortabantur.

S. Auſtrille

[a] Auſtregiſilus Biturix, Guntramni Mapparius.

Conjugem reſpuit.

2. Igitur cùm eſſet in miniſterio antedicti Regis, cœpit ſecum volvere de hac cauſa, ut quæreret quidnam eſſet ei condignius. Occurrit in mente tres viros è vicino aut longè æquales natione, & rerum familiarium pari ſubſtantia. Quorum nomina ſcribens in tria pittacia *, miſit ea ſuper altare ſub palla in Baſilica S. Johannis cominùs ab urbe Cabilloni ſita [b]; votum faciens ut tres noctes ſine ſomni perceptione in oratione perſiſteret. Et expletis trium noctium ſpatiis, mittens manum, quale Dominus ei admoveri pittacium dignaretur arriperet, & cujus in ipſo ſcriptum nomen inveniret, ejus filiam petere deberet. Tranſacta una nocte abſque digeſtione ſomni, adveniente altera cœpit ſomno gravari. Et circiter mediæ noctis tempore cùm jam ferre non poſſet ſomni torporem; flexo genu incubuit formulæ [c] & obdormivit. Et ecce in viſu adſtiterunt ei duo viri ante altare ſenes decori vultu. Et ait unus ad alterum: Cujus filiam hic Auſtregiſilus ſponſabit? At ille interroganti dicit: Ignoras quia jam ſponſatus eſt? Ait: Cujus filiam? Reſpondit: Juſti Judicis. In hac viſione expergefactus cœpit deliberabundus hærere, quiſnam hic juſtus eſſet, qui & judex fuerit, & filiam haberet innuptam. Cùm non inveniſſet, dubius de petitione, ibat ſolitò ad aulam Regis. Pervenit in burgo ubi diverſorium habebat. Inerant ibi hoſpites congregati, pauper veteranus cum muliercula ſua. Quo viſo cœpit illa feminola dicere: Hoſpes, ſubſiſte pauliſper, & referam tibi ſomnium quod nunc diluculo de te vidi. Videbar mihi audire magni ſoni fragorem quaſi pſallentium voces, & aio hoſpiti tuo: Homo quid eſt iſtud quod audio? Num aliqua feſtivitas hodie à Sacerdotibus celebratur ubi proceſſio fiat? Et dixit mihi: Hoſpes noſter Auſtregiſilus uxorem ducit. Et ego gaviſa ſumma alacritate, progreſſus ſum videre puellam, ut conſiderarem vultum & ſpeciem ejus. Cúmque præterirent Clerici per hanc plateam in albis veſtibus deferentes cruces, & pſalmos ex more procedentium canentes, ulti-

Dei voluntatem hac de re explorat.

* *id eſt* ſchedas

[b]

[c]

Eccleſiæ ſponſum ſe fore intelligit.

[a] In elogio S. Auſtregiſili tumulo olim affixo hæc legebantur: *Tertio Decembrium Kalendarum proles edita procedens ab alvo, abſolvit genitricis viſcera, bis vicenis & primo Childeberto regnante in anno. Feriâ hîc quartâ tempus ſignatur, & quartadecimæ quoque Luna fertur per alta Scorpij*, &c. quæ To. 2. Bibl. Labbeanæ habentur. Proinde Auſtregiſilus natus eſt anno Chriſti D. LI. quo Dominicali littera A currente, dies tertius Kal. Decemb. in feriam quartam incidebat, regni verò Childeberti annus XLI. incipiebat.

[b] Nunc mœnibus urbis inclusa eſt, *Saint Jean Baptiſte de Maiſel* dicta, qua in Eccleſia anno DCCC. XCIV. Concilium in cauſa Gerfordi Monachi Flaviniacenſis habitum eſt.

[c] Formula pro ſedili hîc uſurpatur, Gallicè *une forme*, quo nomine intelliguntur ſedilia qualia in Templis viſuntur, quæ pro libitu deprimuntur & eriguntur.

AN. CHR. DC.XXIV. MAII XX.

mus eorum veniens tu & reliquum vulgus ſequebatur poſt tergum. Et ego curioſiùs conſiderabam, & nullam videbam noſtri ſexûs adeſſe perſonam, nec puellam quam duceres. Et dico hoſpiti tuo: Ubi eſt puella quam hoſpes noſter accepit? At ille: Nónne vides eam in manibus ſuis? Et ego adſpexi: aliud non vidi niſi librum Evangelij in manibus tuis. Tunc ille Beatus intellexit juxta ſuam viſionem & ſomnium mulierculæ Domini vocatione ad Sacerdotale officium ſeſe provocari. Cùm in palatium perveniſſet, pulſanti oſtium oſtiarius aperuit. Et cùm introiret in domum Regis, ſolitò ipſe Rex reſponſum impoſuit his verbis & eo ordine magna voce: *Poſuiſti in capite ejus coronam de lapide pretioſo*, & cetera quæ ſequuntur. Jam extunc confirmata eſt in ipſo ſpes fidei de Domini vocatione, & cœpit enixiùs de bonis operibus proficere, & de nuptiis ultra ceſſavit cogitare quid ageret.

Pſal. 20.

Exactionũ falsò accuſatur.

3. Tunc totius malitiæ artifex & invidus callidúſque hoſtis humani generis cùm videret eum ingenti ardore beatam ſitire gloriam & æternam, cœpit ſuis deceptionibus ſcandala parare qualiter ab iſto ſancto propoſito Dei famulum inhibere poſſet. Erat tunc in palatio Regis quidam poteſtate præditus, homo ferus & ſuperbiæ nimiæ deditus BETHELENUS nomine, qui temerario ordine quiddam de fiſcalibus rebus fraudulenter occuparet. Unde dum argueretur à Rege, oſtendit illi falſam auctoritatem. Quis, inquit, Rex hanc præceptionem dedit? Dixit: Auſtregiſilus Mapparius. Accerſitus Auſtregiſilus, interrogatus, quod non fecerat denegavit. Illos deceptantes Rex in furorem verſus juſſit eos ex hoc in campo certare, ut quis falleret Domini judicio monſtraretur. Jam advenerat dies inſtitutus certandi. Mane ſurgens Auſtregiſilus, clypeum cum jaculo per pueros ſuos direxit in campum, ubi Rex agoniſtas exſpectare ſolitus erat. Ipſe autem cùm ad Baſilicam S. Marcelli [a] orandi gratiâ pergeret, habuit quemdam pauperem obvium, & quid ei ampliùs largiretur non habebat quàm unum trientem. Nam etſi fuerant, in ſimile opus abierant. Venit enim in mente illud propheticum: *Beatus qui intelligit ſuper egenum & pauperem, in die mala liberabit eum Dominus, & non tradet eum in manus inimici ejus.* Dato triente ingreditur Baſilicam, præmiſſa oratione vexillo Crucis ſe munivit, quod eſt armatura Dei, fidus de ſua juſtitia & de Domini juſto judicio imperterritus feſtinúſque ad certamen pergebat. Cùm ibidem præſtolaretur adverſarij adventum, ecce veniens quidam ex miniſtris Betheleni, anhelabundus & lugubri vultu nuntians Regi mortuum eſſe Bethelenum. Rex indagare cœpit tam celerem ejus interitum, qualiter contigiſſet. Ille his verbis & eo ordine exponebat Regi. Cùm veniret Bethelenus ſervus tuus heſterno ad Placitum [b], manſit ſub Auriaco. Et hodiè cùm illuceſceret dies, juſſit ſibi parari equum manſuetiſſimum. Quo adſcenſo, tamquam fixus manſit immobilis. Cujus cùm calcaribus latera perforaret, exſiliens ſumma velocitate, ingenti impetu cœpit in diverſa flectere membra, caput jungere pedibus, pedes ſuperiores in ſublime excutere. Tamdiu memoratum Bethelenum ventilavit atque concuſſit, donec tamquam præciſa arbor ut ab impetu turbinis evulſa, ab alto præceps in terram rueret. Et nec hoc ſatis fuit, vertens ſe equus ille junctis pedibus percuſſit eum in cerebro, itaut cruor per aures & nares prorumperet, uſque adeo ut antequam levaretur à terra ſpiritum exhalaret. Completum eſt in eo quod ſcriptum eſt: *Perdes omnes qui loquuntur mendacium*; Et *Teſtis falſus non erit impunitus.* Hoc audito Rex accerſivit ad ſe Auſtregiſilum, & ait ei: Pugnavit pro te Dominus, cujus auxilium fideliter popoſciſti. Mortuus eſt, inquiens, Bethelenus Divina ultione punitus. Ille verò non gaudens in interitu inimici, gratias agebat Deo quòd ab ejus ſanguine impollutas Dominus ſuas ſervâſſet manus, memorans verſiculum Pſalmi: Domine reſpexiſti humilitatem meam, & ſalvam feciſti de neceſſitatibus animam meam, nec concluſiſti me in manus inimici, & fidelem famulum ſuum ſervavit illæſum. Jam tunc ſuperna pietas & Divina potentia famulum quem ſibi dignum Sacerdotem fore prædeſtinaverat, adhuc in ſæculari habitu ab ingruentibus tempeſtatibus diaboli ſervabat.

Duellopurgare ſe jubetur.

a

Pſal. 40.

Bethelenus calumniator pœnas luit.

b

Pſal. 3.

Prov. 19. 5.

Pſal. 30.

Subdiaconus & Abbas ordinatur Auſtregiſilus.

4. Poſt hæc cœpit ipſe Auſtregiſilus in amore & dilectione Dei attentiùs in bonis operibus proficere, & Clericatûs onus inhianter deſiderare. Per quem hoc Regem peteret dubitabat. Erat tunc in domo Regis inter ceteros Senatores præſtantiſſimus, ÆTHEREUS nomine, vir prudentiſſimus & ſingulari cautelæ deditus, cui Rex omnia tractatûs ſui præcipua arcana pandebat, qui tunc dignus Epiſcopatu, poſtea Lugduno Galliæ nobiliſſima civitate Epiſcopus ordinatus eſt, qui memoratum famulum Dei ſingulariter diligebat. Quem Auſtregiſilus rogavit ut Regis permiſſu peteret ſe ad Clericatûs onus venire debere. Qui ſuggeſſit & impetravit. Adeptis epiſtolis perrexit Autiſiodorum civitatem, ibique ab AUNARIO B. Epiſcopo deciſa cæſarie Clericus effectus & Subdiaconus ordinatus eſt. Receſſit inde ad memoratum Æthereum: ille jam Epiſcopatu accepto, benigniſſimè eum cum magno gaudio recepit, Preſbyterum & Abbatem B. Nicetij Epiſcopi & Confeſſoris ordinavit, & ob hanc dilectionem perfectionis dedit ei de rebus Eccleſiæ Coloniam Albiano nomine, uſibus ſuis profuturam.

a Eccleſia S. Marcelli à Guntramno Rege condita eſt unà cum Monaſterio, quod Cluniacenſi Cœnobio ſubjacet.

b Placitum, locus ubi cauſæ aguntur, Gallicè *les Plaix*.

5. Cùm

5. Cùm tempus venit vindemiæ &, jam uvæ erant præcoquæ, ivit B. Auſtregiſilus vindemiam colligere, & juſſit priùs parari vaſa quibus muſtum reconderet. Quod & factum eſt. Repleto vaſe muſto, unum quod illi vocant cupam [a], ferme viginti metra capiens reſedit vacuum. Eadem nocte ex torculari machina adhuc exortum eſt muſtum, ferè amphora una. Cùm non eſſet alibi ubi reconderetur, juſſit illud in illa majore quæ vacua erat recondi. Ille in eumdem cellarium ingreſſus, facta oratione ſignum Crucis figuravit: mane ipſo regreſſus ad Baſilicam cuſtos cupæ illius cùm introiſſet cellarium conſiderare ſi ſalva eſſent vaſa cum muſto, adſpexit & illam quæ vacua remanſerat, ſicut & reliqua vaſa ſuperexundabat, ebulliebátque tanta repletione, ut deſuper plurimum muſtum laberetur in terra. Ille tanto myſterio obſtupefactus, eveſtigiò ad Baſilicam ad ſanctum Dei hominem cucurrit, nuntians ei quod factum fuerat. Ille ſilentium imponens aiebat: Vide nemini dixeris. Nulli dubium quod Dominus pro merito & oratione præfati famuli ſui operari dignatus eſt. AN. CHR. DC. XXIV. MAII XX. Vinum auget. a

6. Poſt hæc cùm Dominus vellet eum juxta ſanctum propoſitum ſuum demonſtrare, eo tempore cùm eſſet memoratus Dei homo cum beatiſſimo Ætherio Epiſcopo in quadam villa in Genevenſi territorio ſuper lacum, erat haud procul ab ipſa villa caſtellum deſertum & ab univerſis habitatoribus vacuum. Inerant ibi Eccleſiæ & ipſæ ferè ſemirutæ. Cùm orandi gratia in ipſo loco præfatus B. Auſtregiſilus perrexiſſet, & nullum cuſtodem nec aliquem Clericum ibidem reperiſſet vigilantem, patentibus oſtiis & ſacrariolo clauſo & ſeris obfirmato, voluit Miſſas [b] in illa Baſilica celebrare. Deerat aqua quâ aut manus ablueret, aut in ſacrificium miſceret. Dicit ad amicum ſuum MARCULFUM eo tempore Lectorem, nunc Abbatem in ipſius Baſilica, ubi corpus ipſius conditum eſſe videtur; Requirite pauxillum aquæ, ut hîc celebremus Miſſas. Qui cùm quæſiſſent non invenerunt. Regreſſi ad eum in illam Eccleſiam invenerunt oſtia de ſacrario illo aperta, quæ antè ſerata viderant. Et cùm introiſſent, invenerunt ipſum virum Dei adſtantem, & ante ſe habentem duas crateras plenas, unam aquâ, aliam vino. Illi obſtupefacti hoc miraculum intuentes, in pavorem non modicum converſi ſunt. Vinum & aquam in ſacrificium divinitus accipit. b

7. Cùm Dominus eum ad ſublimiorem gradûs honorem provehere vellet, decedente Bituricas APOLLINARE Epiſcopo S. Auſtregiſilus in loco ejus electus ab omnibus ex conſenſu Regis Epiſcopus ſubrogatur. In quo gradu dignitatis duodecim annos rexit Eccleſiam, ſicut ipſe Angelo revelante cognoverat. Nam cùm primum terminum memoratæ urbis ingreſſus fuiſſet, manſit in villa Germaniaco nocte illa, factóque diluculo, vocavit SULPICIUM Diaconem [c] qui ei poſtea ſucceſſor fuit, & DESIDERIUM item Diaconem & dixit eis: Hac nocte mihi Dominus dignatus eſt revelare duodecim annos in iſto gradu dignitatis regere Eccleſiam Bituricam. Sedi Biturícæ præeſt 12. annis. c

8. Eo tempore erat mulier aliqua in ſuburbio ipſius civitatis, longo jam tempore aridis membris, nervis contractis, morbo paralyſi affecta, ut nullum fermè membrorum ad officium ſuum movere poſſet, niſi cùm neceſſe fuiſſet ceterorum manibus ubi neceſſitas exigebat deferretur. Petiit ſe à vicinis ad virum ſanctum deportari. Cúmque ad altare delata fuiſſet, & vir Sanctus ſolitò officium Divinum in Eccleſiam exſolvere adveniſſet, vidit miſellam incurvatam ad ipſum altare jacentem & dicentem: Sancte Auſtregiſile adjuva me. At ille: Domini pietas & poteſtas te ſalvare poteſt. Ille manus oculóſque tollens ad cælum dixit: Extende mihi manum tuam. At illa ait: Nequeo. Ille apprehenſâ illius dexterâ & digitum inferens in ſua palma, digitos ejus qui olim per ipſum morbum manibus adhæſerant direxit. Similiter & omnia membra fecit, donec erexit eam ſuper pedes. Et reſtituta eſt priſtinæ ſanitati, & membra ſua, ut ſana ſolita erant, officium receperunt. Et ait ad eam: Cave ne tu ad priſtina vitia devolvaris, ne fortè deterius tibi contingat. Quia ferebatur illa antequam in iſta infirmitate laberetur, voluptati dedita luxuriosè vixiſſe. Paralyticam ſanat.

9. Per idem tempus in urbe Biturica erat nobiliſſima mente & natalibus illuſtris BERTOARA ſacrata Dei famula [d]. Et cùm ſolito more ipſa nocturno tempore vigilare properabat, invenit in platea ſub ſtillicidio cujuſdam domûs jacentem pauperem nomine Beroaldum pannis obſitum, omnibus membris contractum. Cœpit inquirere ejus caſus miſeriæ, & cur ibi jaceret. At ille dixit: Jamdiu in iſto morbo cruciatus jaceo, & non eſt qui mihi auxilietur. Volente me ad Eccleſiam ire nequeo, ut S. Auſtregiſili conſpectui deducar. At illa hæc audiens ingemuit, & compaſſione ipſius pauperis compuncta, præcepit pueros ſuos eum le- Item contractum. d

a Cupa ſeu Caupa, vas vinarium ſeu dolium, unde caupones dicti. Noſtrates calicem vinarium vocant cupam, *une coupe*, item dolium majus in quo racemi teruntur, vulgò *une cuve*. Cupæ nomine non ſemel uſus eſt Varro teſte Nonnio.

b Apud Veteres Miſſa pro ſacrificio Chriſtianorum ſemper in plurali efferebatur. Trita res apud Gregorium Turon. Illud fortè inde factum eſt quòd in uno ſacrificio plures dicerentur orationes, quas Collectas vocant, Miſſæ non rarò olim appellatæ.

c Et tamen Sulpicius in propriis Actis inferiùs referendis Diaconus à S. Auſtregiſilo ordinatus dicitur.

d Bertoara Parthenon B. Mariæ de Salis prope Biturícas condidit ac rexit, qua de re agit Jonas in Vita S. Euſtaſij infrà. Iſtud Cœnobium per Gaufridium Vice-comitem ineunte ſæculo XI. ſub Dagberto Epiſcopo ad Seculares Canonicos converſum legitur in Patriarchio Bituric. To. 2. Bibl. Labbeanæ.

AN. CHR. DC.XXIV. MAII XX.

vare à terra, & ſubpoſitis manibus quaſi funus exanime ad Eccleſiam deferre, & coram altario rogavit deponi, ubi adveherat ſæpefatus vir Dei. Intuens debilem contractum, ſenſit in ſpiritu ob cauſam peccati nequiſſimum ſpiritum poteſtate accepta iſtam contractionem pauperi inflixiſſe, præcepit eum in loco remotiori deferri. Et ille in oratione proſtratus aliquamdiu, poſtea ad pauperem illum acceſſit. Et (niſi fallor) in balneum eum juſſit mitti, & contrectans manibus omnia membra extendens deprecatus Domini auxilium impetravit quod petiit. Adfuit ſuperna gratia, & pauper ille priſtinæ ſanitati reſtitutus, poſtea ab omnibus viſus & nullo claudicante membrorum plures vixit annos.

Cæcam illuminat.

10. Eo tempore erat quædam matrona nomine PATERNA, habens ad miniſterium familiarem puellam ſuis *creditam nomine Auguſtam. Accidit autem ut ab interpolatore totius immunditiæ percuſſa, lumine claritatis amiſſo, torporem cæcitatis incurriſſet. Propter quod memorata domina ipſius puellæ ſcripſit epiſtolam, & miſit eam ad ſæpefatum Dei hominem, petens ut ſuis orationibus ab ipſa cæcitate curaretur. Quam ille intuens ſuſpexit ad cælos, Domini auxilium poſtulans: & accipiens oleum benedixit & linivit cæcæ oculos. Oratione facta, cæca quæ dudum fuerat, protinus apertis oculis copiam videndi recepit.

*f. ſibi

Infirmum pane benedicto ſanitati reſtituit.

11. Poſt idem tempus illuſtris matrona & Deo dicata AUSTROBERTA[a], relicta ab illuſtriſſimo viro CHRONOALDO, refert quid ipſa præſente actum fuit. Unus de pictoribus ſuis nomine Leodemarus, morbo atrociſſimo vexabatur, & illa habebat repoſitum panem quem memoratus Auſtregiſilus benedixerat, & ei eulogias tranſmiſerat. Quem illa ad hoc reſervabat, ut ſi quis videretur aliquo tædio affici, cum integra fide ſumendi dare deberet. Rogavit memoratum piſtorem apprehendi, & de illo pane in os ejus mitti præcepit, quem ille penitus accipere recuſabat. Sed apprehendentes invitum & coactum, aperto ore ingeſſerunt de ipſo pane in ejus faucibus. Poſthæc nec mora evomuit omnem amaritudinem qua vexabatur, & ſanus effectus hodiéque officium ſuum facere videtur.

Auctoris ætas.

Pœna hominis Dominicæ dici religionem violantis.

12. Quidam molendinarius eo tempore nomine Monulfus, die Dominico temerario ſpiritu volens juxta ſui induſtriam molam emendare, accepto ancipiti ferro, quod vulgò Scottam vocant, cœpit terere molam. Ex quo peccato adhæſit manui ejus manubrium ferri illius, quod nullus poterat de manu ejus auferre. Et tanta diſtrictione artatus eſt, ut inter digitos illius jam cœpiſſet ſanguis prorumpere, & adſpicientibus ob fœtorem faſtidium facere, venítque ad præfatum Dei hominem. Ille poſtulans Dei auxilium, accepit manum ejus ubi adhæſerat malleus, digitos primùm extendens: & tulit illud ferrum & manum illius attrectavit, & omnem doloris atrocitatem expulit, & ſanus factus homo ille receſſit.

Auſtregiſilus dæmoniacam liberat.

13. Erat tunc procul ab urbe Biturica juxta vicum Brioderum puella adoleſcentula parentibus amantiſſima, nomine FRIOVALA, quam nequiſſimus ſpiritus oppreſſam crudeli cruciatu vexabat, itaut acſi phrenetico morbo die noctúque nulla ei eſſet requies vociferandi; intantum ut in amentiam delapſa, nec ſe nec parentes agnoſceret, & diverſarum ferarum voces, mugitúſque & avium querulas voces ingenti vociferatione geminaret. Lugebant parentes, vicini condolebant, & mirabantur in tam tenera ætate tantæ crudelitatis contritionem infelicem poſſe ſuſtinere. Adducitur ad ſæpefatum virum Dei: Ille intuens eam cognovit ob callidi hoſtis contritionem afflictam, & præcepit eam propiùs altari admoveri. Et accepto pane & calice more ſolito ſpirituales hoſtias Domino offerens, myſticum prece conficit corpus Domini. Ipſe priùs percepit, deditque puellæ. At illa ubi accepit, protinus à vociferatione reticuit. Benedixit veſtimenta ejus & velari eam parentibus religioſa veſte præcepit, & à vino & carnibus abſtinere debere dixit: Quod & factum eſt. Ex illa hora fugato dæmonio puella illa priſtinæ ſanitati reſtituta, hodiéque in Monaſterio B. BERTOARÆ recluſa, inter reliquas Dei famulas laudabili converſatione degere videtur.

Conſecratio corporis Chriſti.

Auctoris ætas.

Contractus erigitur.

14. Erat tunc in ipſa civitate Biturica quidam pauperrimus juvenis nomine Leonaſtus, & longo jam tempore debilitate contractus, itaut plantæ ejus ad poplites adhærerent: & deportabatur humeris alterius per ſingulorum oſtia, & victitando eleemoſynam quærebat. Cùm vir beatiſſimus Auſtregiſilus obdormivit in Domino, geſtatorium ubi ſanctum corpus illius ferebatur, pauper ille ſequebatur, & ad Baſilicam ubi ſepultus eſt pervenit, jacens ante ſepulcrum ejus eadem nocte. Qui relaxatis membris quæ erant arida, officium pedum conſecutus, poſtea viſus eſt per ſemetipſum in eadem civitate rectus ambulare.

Angelus in ejus ſepultura apparet.

15. Nec illud præterire debemus quod venerabilis JANUARIUS Preſbyter refert, qui & quando ſepultus eſt à B. RAURECO[b] Epiſcopo memoratus vir Dei, inibi erat. Et cùm corpus ipſius Sancti appoſitum in ſepulcro illo fuiſſet, & eum præfatus Pontifex ſepeliſſet, cùm ex more tumulus ille componitur, ſtans præfatus Epiſcopus Raurecus ad pedes eius & memoratus Preſbyter Januarius, adſpexit quaſi ſæpefatus S. Auſtregiſilus ad dexteram ipſius Raureci in candidis veſtibus & decoro vultu adſiſtere videretur. Quem cùm ille miraretur, ſubitò hæc viſio ab oculis ipſius ablata eſt. Nulli dubium quin Angelus Dei cuſtos ipſius Auſtregiſili,

b Alias Rauraco, qui Epiſcopus Nivernenſis fuit.

a Diſtinguenda eſt à S. Auſtraberta Virgine Tarvanenſi, cujus Vitam in conſequentibus referemus.

qui cum illo uſque ad ſepulcrum ſemper fuit, ipſe memorato Preſbytero apparuit. AN. CHR. DC.XXIV. MAII XX.

16. Longum eſt ut univerſa ſigillatim evolvam ſigna & ſanitates, quas Dominus per ipſum ſervum ſuum fecit, quanti ejus oratione & actu de diverſis infirmitatibus ſanati ſunt, quanti mortalium ſententiâ damnati in carceribus retruſi ſua oratione laxati à vinculis, nullius cuſtodis obſtaculo ad Eccleſiam confugerunt. Quanti pauperes, viduæ, orphani ſua elemoſyna ſuſtentati ſunt, teſtis eſt Deus & ſancti Angeli ejus, & illi qui viderunt. Sed jam propter nimiam prolixitatem terminus ſit operis ſchedulæ. Plenus dierum in bona confeſſione obiit, anima ejus migravit ad Dominum [a], terræ terra reddita eſt. Cujus interceſſione ſi meritis æquari non poſſumus, ſaltim vel imitatores eſſe mereamur, præſtante illo qui in Trinitate perfecta, vivit & regnat Deus unus per omnia ſæcula ſæculorum, Amen.

a Nempe XIII. Kalend. Junij (quo die ejus memoria in Martyrol. Uſuardi & Adonis celebratur) & quidem anno Chriſti DC. XXIV. Natus eſt Auſtregiſilus anno D. LI. Poſtea Guntramni Regis Mapparius, aulæ perſefus à B. Aunario Epiſcopo Autiſſiodorenſi Subdiaconus ordinatus. Factus deinde Abbas juſſu Ætherij Epiſc. Lugdunenſis, poſtmodùm Apollinari in Sedem Bituricam ſucceſſit anno DC. XII. inauguratus die XIII. Feb. qui eo an. in Dominicam incidebat. Vixit in Pontificatu annos XII. ac ſucceſſorem habuit Sulpicium Pium, qui anno DC. XXV. Concilio Remenſi ſub Sonnatio ſubſcripſit, ut ſuo loco dicemus. S. Auſtregiſili Reliquiæ in propria Eccleſia Collegiata ſuburbij Biturici adſervantur.

LIBER MIRACVLORVM.

Auctore anonymo, qui ſæculo VIII. vixiſſe videtur.

1. DE virtutibus B. Auſtregiſili Epiſcopi & Confeſſoris licet ruſtico ſermone, tamen devoto, pauca narremus, quæ Dominus poſt ejus obitum geſſit. Dum adhuc ipſe beatus viveret, ut pius Paſtor ſemper curam Eccleſiæ plebiſque ſibi commiſſæ quotidie gerebat, & de faucibus luporum eruere certabat. Tunc veniebat è Palatio THEODERICI Regis ſuo permiſſu homo fæviſſimus GUARNERIUS nomine, avaritiæ turpis lucri cupidus, ſuperbiæ deditus, ut urbem vel pagum Bituricum ditioni Regis ſubditum, ipſe tributa vel quæque exigenda erant juſſu Regis exigeret & ei referret. Tunc vadunt omnes cives ad B. Auſtregiſilum ut eos ab hac inconſueta violentia liberaret. Tunc ipſe Beatus pro tanti periculi inſtantia ſe die noctúque in oratione proſtravit, ut Domini pietate ab hoſtium incurſionibus eruerentur. Appropinquante verò eodem infelici Guarnerio ad civitatem, beatus Epiſcopus contra eum exiit, & pro plebe ſibi commiſſa quaſi murus ſalutis interfuit. Erat etiam paratus boni Paſtoris ſequens exemplum, mori ſi neceſſe eſſet pro ovibus commiſſis. Accedens autem ad præfatum Guarnerium ait ei: Unde huc adveniſti, iniquè? Quò pergis? Quid agere cupis? Reſiſtat Dominus iniquæ voluntati tuæ, nec te ingredi civitatem permittat, nec deſcriptionem populi facere. Tunc ibidem Guarnerius iracundiâ vehementer accenſus, quòd contra voluntatem Epiſcopi non poſſet implere quod Rex vel ipſe cupiverant, cum grandi furore reverſus eſt ad palatium, nuntians Regi Auſtregiſilo Epiſcopo repugnante non poſſe impleri juſſa ejus. Biturices ab exactionibus liberat.

2. Interea B. Auſtregiſilus beato fine quievit in pace. Tunc B. SULPICIUS ejus Diaconus Dei prædeſtinatione electus à populo, in loco ejus conſecratus eſt Epiſcopus. Poſt paucum verò tempus ſupradictus Guarnerius reverſus à palatio opus malum quod dudum cogitaverat B. Auſtregiſilo vivente, iterum urgente ſuo interventu & Regis [a] permiſſu veniens ad urbem Bituricam implere diſponit. Tunc B. Sulpicius anxius apud ſemetipſum quid de hac re facere deberet, à Domino poſtulabat auxilium. Cùm eſſet ipſe B. Sulpicius totus manſuetus & mitis, ejus violentiæ reſiſtere trepidabat. Sed quod humana manu non poterat, de Domino confidebat. Accedénſque ad ipſum Guarnerium cœpit orare, ut quos tempore beati prædeceſſoris ſui tributarios non habuerat, ſuo tempore liberos eſſe ſineret. At ille utpote crudelis, verba viri Dei audire contempſit. Tunc B. Sulpicius conteſtatus eſt eum, quia ſi contra fas Divinum quæ cupiebat impleret, longo tempore ex hoc non gauderet. At ille poſtquam urbem ingreſſus, ea quæ à Rege juſſa fuerant adimplêſſet, & momentaneo fortunæ dato gauderet, ad Baſilicam S. Auſtregiſili corpore non corde quaſi oraturus advenit, pervenítque ad locum ubi B. Auſtregiſilus à fidelibus Chriſtianis cum maximo decore ſepultus erat, adſpexit incryptam & vidit eam auro argenteóque mirè adornatam, dixítque cum nimia arrogantia: Auſtregiſilus debuerat aurum & argentum ſuum pauperibus erogare, non ſuper tumulum ſuum jubere poni. Nec propter hoc dicebat quaſi de pauperibus curaret, ſed ſimilis Judæ Scarioth avaritia anhelabat. De illo ſepulcro regreſſus, orandi causâ circumibat altaria. Id etiam præſtat mortuus per B. Sulpicium. a

NOTA.

a Non jam Theodorici, ſiquidem longè ante exſtinctus fuerat, quàm Sulpicius Bituricam Sedem conſcenderet. An verò id de Chlothario, optimo utique Principe credendum ſit, judicent alij.

AN. CHR. DC.XXIV. MAII XX. Guarnerij exactoris infelix exitus.

3. Dum ambularet per ipſam Baſilicam, lignum quoddam in quo vela pendebant, ruens cecidit ſuper cerebrum ejus. Qui ita percuſſus eſt, ut cruor per oculos & barbas ejus defluereț & ſanguis ad terram laberetur. Tunc ipſe Guarnerius clamavit voce qua poterat, dicens; Auſtregiſilus dum viveret ſemper mihi inimicus fuit & contrarius, & adhuc jam mortuus morti vicinæ me tradidit. Sic ipſe Divina virtute percuſſus, nec facinus ſuum recognovit, nec veniam à Sancto Dei poſtulavit, ſed adhuc malitiâ fervens ad Auguſtudunenſem urbem voluit ire, ut Epiſcopum loci illius deſtrueret & condemnaret. Et pergens manſit non longè ab urbe in villa Anlatiaco. Cùm omnes recubuiſſent, ſurrexit ipſe Guarnerius petens ſeceſſum ut purgaret ventrem. Cúmque ſederet ibi obdormivit. Et cùm evigilâſſet, dixit his qui adſiſtebant ſibi: Auſtregiſilus & Sulpicius hac hora urceum aureum cum manili miſerunt mihi. Quis ex vobis illud recepit? Negantibus illis quod non viderant, eadem verba repetere neſciens quid diceret. Statim inteſtina vel omnia interiora ejus in ſeceſſum proruerunt. Qui indignus ut erat indigna morte vitam finivit. Poſtea nullus umquam auſus eſt virorum regalium urbem Bituricam hujuſcemodi tributis ſummittere [a], quia miſer qui cœperat pro tali culpa vitâ privatus erat. Tunc impletum eſt in illo quod dicit Propheta: *Theſaurizat & ignorat cui congregat ea*; Et, *In verticem ipſius iniquitas ejus deſcendet.*

Pſal. 38. *Pſal.* 7.

Incendiarij domûs ejus puniuntur.

4. Poſt idem tempus cùm PIPPINUS Princeps Francorum adverſus EUDONEM Aquitaniæ Principem volens dimicare, ad urbem Bituricam advenisſet; Barbari de ipſo exercitu poſiti cùm in villa quæ vocatur Carobrias domum quamdam quæ B. Auſtregiſili fuerat, & in qua ipſe frequenter manens jacuerat vel dormierat, igne vellent ſuccendere, dixerunt ex vicinis quidam qui ibidem commanebant: Nolite ſuccendere domum iſtam, quia domus eſt S. Auſtregiſili, ubi ipſe ſæpe manſit vel jacuit, & ideò Dominus plures virtutes inibi operatur. At illi parvipendentes quæ audiebant, totam domum illam vallaverunt incendio. Statim horâ quâ ignem accenderunt, arrepti ſunt à dæmonio. Unus autem ex ipſis qui ignem ſuppoſuerant, abſtracto oſtio de ipſa domo quæ vehementer ardebat, in ipſam flammam ſe projecit, ibíque vitam finivit. Alij ſeſe dentibus laniabant, nonnulli verò ſibi invicem membra truncabant. Pervenerunt ad caſtra ubi Pippinus cum Francorum exercitu morabatur. At illi ut cognoverunt quod eis acciderat, pavore magno ſunt perterriti. Mandavit Rex ut nullus auderet villas vel res S. Auſtregiſili contingere.

Monaſterij direptor percutitur. *b*

5. Nec multo pòſt tempore cùm EUDO Princeps Biturícas civitatem obſidione circumvallatam haberet, unum de Optimatibus ſuis AGNUM nomine in [b] Monaſterio B. Auſtregiſili juſſit manere. At ille quidquid invenire potuit in ipſo Cœnobio, ſuis comitibus tradidit diſpenſandum, itaut nulla Fratribus remaneret ſubſtantia. Cùm autem ipſa civitas tradita fuiſſet præfato Principi & pax denuntiata in omnibus, Abbas ex ipſo Monaſterio BERCORIALIS nomine, exiens de urbe cum eulogiis & munere venit ad præfatum Agnum & dixit ei: Accipe parvum munuſculum argenti quod Fratribus S. Auſtregiſilo ſervientibus de præda remanſit indireptum, & miſerere ſervis Dei ut vivere poſſint & pro te orare. At ille nimis ſuperbus, nolens præſtare quæ petebantur, ſed deridens, ait Abbati: Dominus meus Eudo juſſit mihi ut te ipſum in cuſtodiam mittam, vel in captivitatem ducam, & tu mihi ſuggeris pro Monachis tuis? Reverſus Abbas nuntiat Fratribus nihil profeciſſe preces ſuas coram præfato Agno: ideóque admonuit Dominum vel B. Epiſcopum exorare. Tunc ipſi Monachi accedentes ad ſepulcrum B. Auſtregiſili cum dolore & lacrymis cœperunt orare & dicere: Eripe nos Domine ſervos tuos de inimico noſtro, quia ad te confugimus. Vides Domine quia quæ dediſti nobis ad tibi ſerviendum & ſupplicandum, homo iniquus ſuis uſibus deputat. Ille verò infelix Agnus perluſtrans omnes villas S. Auſtregiſili quidquid reperit ſecum ducebat, pecora, jumenta, & multa alia, ut duceret omnia in patriam qua venerat. Dum verò iter ageret, apparuit ei S. Auſtregiſilus per ſomnium dicens: Cur me tam graviter prædatus es, & mihi ſervientes tam triſtes reliquiſti? Et hæc dicens, percuſſit eum in cerebro. At ipſe evigilans clamavit voce magna dicens: Succurrite mihi, quia Auſtregiſilus Epiſcopus percuſſit me in capite, & nullatenus me vivere ſpero. Ad Eudonem Principem pergite feſtinanter, qui me juſſit res Auſtregiſili poſſidere, & precamini eum ut me de propriis ſuis facultatibus redimat, quia ego in ſervitio illius poſitus feci malum iſtud, unde ſpero * me vitâ privari. Hæc audiens Rex Eudo magno pavore concuſſus eſt, juſsítque omnia ilico reddere, quæ infelix Agnus de villis S. Auſtregiſili deprædatus fuerat, præcipiens cunctis comitibus ſuis ut ulteriùs nemo præſumeret res Sancti contingere. Qui Rex dum ſederet ad menſam, recordatus præfati Agni, direxit ei vaſculum quoddam argenteum, ut hoc quaſi pro emendatione ſuorum ſcelerum Deo offerret. Qui Agnus ut vidit tam parvum donum ait: Valde parum eſt hoc ut conferam pro innumerorum ſcelerum emendatione. Et hæc dicens, exſpiravit. Impletum eſt in illo

* puto

a Et tamen Dagobertus hoc etiam tentâſſe per Lullonem exactorem, in Vita S. Sulpicij dicitur.

b Iſtud Monaſterium ad ſæculares Canonicos tranſiit tempore Dagberti Archiepiſcopi Bituricenſis, qui ab anno CM. XXCVII, ad M. XII. Sedem tenuit. Certè aliquando Monachos in S. Auſtregiſili Cœnobio degiſſe, ex verbis proximè ſequentibus conſtat. Supereſt hodie quoque iſta Eccleſia S. Auſtregiſilo ſacra, nunc Collegiata, extra urbem, diverſa ab alia parochiali, quæ diminutiva appellatione *S. Auſtrillet* dicitur.

quod Propheta teſtatur : *Qui iniquè agunt , exterminabuntur : & qui juſtè , ipſi hereditabunt terram.* ANN. CHR. DC. XXIV. MAII XX.

6. Nec mora , poſt tempus illud unus ex Optimatibus Eudonis Principis nomine FREDEGISILUS prædatus eſt jumenta ab Monaſterio S. Auſtregiſili. Cúmque ea deduxiſſet ad propria cum alia præda quamplurima , & cum multa elatione eam dividere vellet ſociis ſuis , ſtatim febre valida accenſus eſt , ut ſemper mori timeret. Recordatus autem virtutem S. Auſtregiſili quia ſervientes ſibi nullatenus à ſæcularibus injuriari permittit , ſed abſque dilatione vindicat , miſit ad SALOMONEM ipſius Monaſterii Abbatem, vel ad reliquos Fratres reddens omnia quæ ab eis tulerat , inſuper rogans multùm ut pro ſe Dominum deprecarentur , quatinus & ſanitatem reciperet , & abſolutionem peccati. Nec mora , Pater Monaſterii cum eulogiis Legatos direxit , qui ipſum ægrum viſitarent , & benedictionem S. Auſtregiſili præſentarent. At illi cùm veniſſent ubi Fredegiſilus de vita diffidens jacebat, benedictionem quam afferebant præſentaverunt. Ipſe gratias agens invocat nomen B. Auſtregiſili , & cum ſumma reverentia communicans ex ipſis eulogiis ſtatim vigore recepto à miniſtris ſuis ſe portari juſſit ubi erant ipſa jumenta , ut ipſe manibus redderet quod malè tulerat. Cúmque ea reddidiſſet , ſtatim ſanus effectus gaudens & exſiliens remeavit domum , unde antea æger exierat manibus deportatus alienis. Impletum eſt in illo quod Dominus per Prophetam dicit : *Nolo mortem peccatoris , ſed ut convertatur , & vivat.* Et item : *Cùm converſus ingemueris , ſalvus eris.* *Pſal. 36.* Alius reſipiſcens ſanatur.

7. In ipſo quoque tempore unus ex Comitibus Eudonis Principis ADROALDUS nomine, cùm caſtellum editum in ipſo pago Biturico violenter acquiſiſſet , ibique comprehendens Abbatem Monaſterii S. Auſtregiſili BERTRADUM nominè teneret captivum , exigerétque ut collatione auri & argenti ſe redimeret ; Abbas compulſus quidquid habere potuit in auro & argento dedit pro redemptione ſua , & adhuc coactus & invitus calicem unum aureum & alia vaſa ſacrata ex ipſo Cœnobio præfato Comiti tradidit , & cum dolore multo remeavit ad Fratres. Qui cum dolore & gemitu vel ſuſpirio in orationibus ſuis die noctúque à S. Auſtregiſilo poſtulabat ſolatium , ut quod cupiditas humana ei abſtulerat , Domini pietas redderet. Nec mora fuit , cùm ipſum Adroaldum magnus timor invaſit , ut nec cibum ſumeret , nec biberet , nec valeret dormire , neque ſtare vel ſedere poterat , & quid agere deberet ignorabat. Aderat ibidem ſervus Dei VUILICHRAMNUS nomine. Requiſivit ab eo conſilium quid agere deberet , indicans ei omnem infirmitatem ſuam. At ille doctiſſimus & ſapientiâ plenus , requiſivit ab eo ſi aliquid de rebus S. Auſtregiſili poſſideret iniquè. At ille confeſſus eſt , quia calicem aureum S. Auſtregiſili & alias plurimas res ſecum haberet. Audiens autem hæc idem ſervus Dei dixit : Non audiſti famam B. Auſtregiſili quid adverſantibus ſibi fecerit , aut quòd occiderit multos & flagellaverit ? Si vis vivere vel uſque mane , redde omnia quæ injuſtè ab eo tuliſti. Hæc audiens ipſe pavore multo perterritus , omnia quæ exinde accepit ad S. Auſtregiſilum reddenda tranſmiſit , & mox priſtinam ſanitatem recepit ; & quamdiu vixit , ipſi Sancto pro caſtigatione ſua vota perſolvens gratias egit. Item alius.

8. Erat ipſis temporibus homo in Biturica civitate LUPUS nomine, bonis moribus deditus , humilis atque ſapiens , ſobriam & caſtam vitam ducens , qui ardenti deſiderio orandi gratiâ perrexit ad urbem Turonicam. Cúmque diutiſſimè in Baſilica S. Martini orâſſet , tandem ſurrexit ab oratione. Tunc unus ex Dei ſervis cùm vidiſſet eum diu orantem , mitem atque honeſtum , accerſivit eum ad ſe , & dixit ei : Quod eſt tibi nomen , vel unde es , aut pro qua cauſa huc adveniſti ? Ille reſpondit : Lupus vocor , Bituricas maneo , & huc pro peccatis meis orandi gratiâ adveni. Ille reſpondit : Habeo aliquid ſervientibus S. Auſtregiſili dicere. Ego in ſpiritu Bituricas alia die fui , in corpore numquam fui. Crede mihi quia ego iſtis diebus in Eccleſia B. Auſtregiſili in ſpiritu fui , & quid ibi viderim narrabo tibi. Vidi in ipſa Eccleſia intra ſancta ſanctorum B. Petrum ad invitationem B. Auſtregiſili adſtantem , & cum eo SULPICIUM & S. LANDRIANUM [a] , aliósque multos ſanctos viros ipſius pagi incolas & corpore requieſcentes , & ante eos à longè ſtabant ADROALDUS , BLADEGISILUS , SUFFRONIUS , GUNTALDUS , & alii quamplures qui caſas Dei deprædati fuerant & deſtruxerant. Tunc vidi beatum Auſtregiſilum proſtrare ſe ad pedes beati Petri & dicere ; Fac nobis , Domine Petre , juſtitiam de iſtis malignis pervaſoribus , qui caſas noſtras diripiunt , & ſervientibus nobis quæ poſſidere videntur auferunt. Hæc Auſtregiſilo precante , juſſit Apoſtolus Petrus omnes punire , quoſdam verò in æternis tormentis deſtinare. Noviſſimè autem Adroaldum virgâ quàm manu tenebat B. Petrus in capite percuſſit , ut eum morti traderet. Tunc B. Sulpicius ut vir mitis cœpit rogare ne moreretur. Beatus autem Auſtregiſilus contrariatus ait : Non tibi rectum videtur , Frater , ut exaudiantur Fratres nobis ſervientes injuriam patientes ? Et hæc dicens , viſio quam videbam ablata eſt ab oculis meis. Audiens hæc ipſe Lupus , rediens ad urbem Bituricam indicavit omnia Fratribus Monaſterii S. Auſtregiſili. Memoratus verò Adroaldus non Viſio de pœna eorũ qui res S. Auſtregiſili deprædati erant.

[a] Lege Laurianum Epiſcopum Hiſpalenſem, qui in vico Vaſtino, *Vatan*, diœceſis Bituricenſis morte affectus eſt , cujus Vitam Philippus Labbe Tom. 2. Bibl. refert.

AN. CHR. DC. XXIV. MAII XX.

parvo pòſt tempore febri immani correptus, vitam finivit. Reliqui verò omnes inemendati ut accuſati fuerant à domino Auſtregiſilo perierunt. Qui vitâ privati ſententiam debitam ſuis ſceleribus ſine dubio protulerunt.

Sacramentum ad S. ſepulcrum factũ violans moritur.

9. Cùm EUDO Rex orandi gratiâ ad Monaſterium S. Auſtregiſili adveniſſet, facta oratione cœpit conqueri cum Fratribus dicens; Quis ex vobis, ô Domini, faciet juſtitiam mihi de S. Auſtregiſilo? Ipſi credidi, & eum fidejuſſorem recepi, quando CHUTIANUS in iſto loco fecit mihi ſacramentum. Et aiebat ad S. Auſtregiſilum: Sancte Auſtregiſile, fac mihi de temetipſo juſtitiam. Si tibi non credidiſſem, Chutianus me non fugiſſet. Nunc verò judica juſtè de illo, & ego tuis ſervientibus multa bona dabo. Ipſe enim Chutianus poſtquàm ad ſepulcrum Beati Auſtregiſili Eudoni Regi fidem juravit, in Franciam ad CAROLUM Regem fugit. Eodem tempore quo præfatus Princeps à B. Auſtregiſilo de ipſo juſtitiam popoſcit, prædictus Chutianus vehementi plaga fuit percuſſus, itaut uſque ad mortem veniens clamaret & diceret: Auſtregiſilus me flagellat pro ſacramento quod ad ſepulcrum ejus dedi, & propter hoc quod Eudoni mentitus ſum, Auſtregiſilus me diverſis cruciatibus conſtrinxit. Et niſi fallor ſeipſum laniare dentibus volebat, niſi catenis vinciretur, donec tandem gravi cruciatu vitam finivit.

Naves ad ejus invocationem cælitus adducuntur. * *la Vienne*

10. Alio tempore Vice-dominus ex ipſo Cœnobio S. Auſtregiſili Vuidomarus nomine, pro cauſa utilitatis Monaſterii voluit ire ad urbem Pictavorum. Accepta itaque benedictione Fratrum, deſtinatum legebat iter. Cùm autem veniſſent ad Vigennæ * fluvium, volentes illum tranſire, neminem repererunt qui eos navigio citra flumen exponeret. Et veſperante jam die diverſorium manendi non habebant. Dum verò ſuper ripam adſtarent, viderunt ultra navigia poſita. At ipſe Vuidomarus fide non dubius cœpit invocare nomen Domini, & merita S. Auſtregiſili, ut ſicut ſciret eos illud flumen tranſire faceret. Dum hæc orando ſecum volverent, motæ ſunt omnes naves à loco ulterioris ripæ, & ſine remigio hominis venerunt ad ipſos. Qui videntes hæc immenſis laudibus glorificaverunt Deum & S. Auſtregiſilum. Et adſcendentes eaſdem naves, ſine dilatione tranſeuntes flumen, venerunt ad villam quò hoſpitari ſolito more diſpoſuerant.

Muto linguæ ſolvitur.

11. Alio nihilominus tempore quidam homo Britannicus mutus, venit eurationis gratiâ ad Monaſterium S. Auſtregiſili: qui aliquo tempore ſuſtentatus eleëmoſynis Fratrum, permanſit mutus in eodem loco. Veniente verò die feſto ipſius Sancti, dum ante ſepulcrum ejus ſtaret, cœpit ſanguinem ore rejicere. Quod videns cuſtos Eccleſiæ, indignatus cœpit increpare eum dicens: Egredere foras, quia quòd Eccleſiam cruore tuo commaculas noxium eſt. At ille jam valens loqui, Britannicâ ſicut poterat linguâ cœpit dicere ei: Liberatus ſum, liberatus ſum. Statim ſolutum eſt vinculum linguæ ejus, & cœpit uti omnibus audientibus planis verbis, & interrogantibus quo nomine vocaretur, dixit quia Emmo vocabatur. Qui poſteà ibi deſerviens plurimis vixit annis.

a

12. Multas præterea operatur Dominus virtutes[a] per merita Auſtregiſili, & operabitur in ſæculum, qui cum unigenito Filio ſuo & Spiritu-Sancto vivit & regnat Deus per omnia ſæcula ſæculorum, Amen.

a Philippus Labbeus in Tom. 2. Bibl. alium Miraculorum librum refert, quem quia nihil ſingulare continet, omittendum cenſuimus.

VITA SANCTI DEICOLI

ABBATIS LUTRENSIS I.

Auctore Monacho Anonymo, qui ſæculo x. vixit.

Ex MS. cod. Ciſterc. & Bollando.

CIRCA AN. DC. XXV. JAN. XVIII.

OBSERVATIO PRÆVIA.

* *S. Dicy*

SANCTVS DEICOLUS, *recentioribus* DEICOLA*, *Lutrenſis Abbas primus, ignotus fuiſſe videtur Bedæ, Vuandalberto, Vſuardo & Adoni, aliiſque Martyrologiorum Scriptoribus qui media ætate vixerunt: ſiquidem in recentioribus dumtaxat Kalendariis (ſi Luxovienſes ac Lutrenſes fortaſſe membranas excipias) inter Cælites locum habet. Ejus Vitam primus ſcripſiſſe videtur Monachus anonymus hîc relatus, jubente* VUERDOLFO *Abbate ſucceſſore B.* BALTHRAMNI, *qui annuente Othone I. necdum Imperatore, Lutrenſe Monaſterium circa annum* CM. XX. *reſtauravit, infrà num. 28. & 29. Dubitat Iohannes Bollandus, an hujus Vitæ Scriptor Monachus fuerit, quòd profeſſionem ſuam in Prologo obſcuriùs exprimat. At ſe Monachum Benedictinum ſa-*

tis prodit, dum num. 23. Beatiſſimum Patrem noſtrum Benedictum *vocat. Porro Lutra, ſeu (ut MSS. codices ſcribunt) Luthra, vernaculè* Lure, *diœceſis Biſuntinæ, non longè à Luxovio ad Lignonem amnem, vulgo* Loignon, *hodie quoque celebris eſt Ord. S. Bened. Abbatia.* CIRCA AN. DC. XXV. JAN. XVIII.

PROLOGUS AUCTORIS AD WERDOLFUM ABABTEM LUTRENSEM.

I. QUi ſe mundúmque floccipendere veri deliberatione comprobatur, uranicæ crementum ſcholæ vicatim oportet felici ſatis commercio augmentare. Quin inſuper inextricabili pręguſtatæ dulcedinis pignore, remotâ fluctivæ funditùs morulâ impeditionis, utpotè in carne non ambulans ſed in ſpiritu, in omnibus ſpiritûs fructibus impertæſus operam dare. Qua pia ſed utinam integra ſecundum ſeſe ſuſpicione percitus dignoſceris, immodicæ venerationis haud immerite Pater WERDOLFE*, indefatigatis humeris vigilum vallatus frequentiâ per tot ſolis in Zodiaco reditus inoffenſo articulo cœlibatum ferente mandas, rogas, ſupplicas, quatinus obedientiam ego haud non aliter ſecus ac Monachorum qualiſcumque licet aſſecla, ſpiritale opus ſpiritali tentare debeam imitatione. Ad quod ego ſine mora inquam parco, ſed marcore inſcitiæ vix queo, utputa qui nullo theolatriæ tenore hactenus gradum fixi, ſed econtra. Bona, inquiens, voluntas ſit tibi, non deerit caritas Dei, per quam omnia bona efficaciam inveniunt, pium cœptum ſine dubio ducit ad effectum [a].

* *de eo infra num. 27. 29*

a

INCIPIT VITA.

2. CUM Monarches atque auriga Domini Columbanus de Cœnobio Luxovienſium fuiſſet exturbatus, peregrinationem quam Evangelicâ obedientiâ ſuſcepit, ad augendum opus Divinum, nil metuens inimici verſutiam, Italiam properans augmentare curavit. Et quia civitas non poteſt abſcondi ſupra montem poſita, quatinus lucerna Domini omnibus ſanè per orbem Eccleſiis in propatulo luceret; eductis ſecum quos perfectiores eſſe noverat quibuſdam diſcipulis ſuis, Divina clementia præeunte, comitante ac ſubſequente læti profecti ſunt. Cúmque ad duo milliaria progreſſi fuiſſent, & veniſſent ad locum qui *Vepras* dicitur, beatus Deicolus ſancti Patris Monachus jam provectioris ætatis exſiſtens, pedibus vehementer debilitari cœpit. Nec mora, provolutus genibus Patris licentiam remanendi devotè ſupplicat. At ille mitiſſimo affectu condolens imbecillitati Fratris, licentiam non negavit, atque Divinæ miſericordiæ illum paterna voce commendavit dicens: Deus omnipotens pro cujus amore patrium ſolum reliquiſti & in omnibus mihi ſemper obediens fuiſti, faciat nos inſimul gaudere in præſentia majeſtatis ſuæ. Et cùm ſe diu præ caritatis magnitudine invicem amplexarentur & pias lacrymas copiosè funderent, tandem pius Pater benedictionem diſcipulo his verbis præoptavit dicens: Benedicat tibi Dominus ex Sion, ut videas quæ ſunt bona in Jeruſalem omnibus diebus vitæ tuæ. His dictis Pater tantus viam ociùs arripuit cœptam, diſcipulus autem ſicut Divinitas ante ſæcula diſpoſuit, ob multorum ſalutem apud Burgundiones remanſit.

Deicolus Columbanum in Italiam recedentem ſequi non valens in Burgundia remanet.

3. Poſtquam verò B. Deicolus ſe ſolum coram Deo relictum cognovit, omnigenæ devotioni niſum precibúſque operam dedit, ut quidquid Divinæ voluntati de ſe complaceret, in proximo ſibi propalaret. Decurſis autem paſſim incertis ſilvarum diverticulis intentè quæritans atque veſtigans opportuna humanæ habitationi loca, tandem venit ad locum quemdam aridum ſatis ſitis angore depreſſus. Cúmque flexis poplitibus diu ibidem rerum Inventori ſup-

Fontem defixo in terram baculo elicit.

a Poſt hunc Prologum ſequitur apud Bollandum alius prolixior in bina diſtinctus capita, qui in pleriſque S. Deicoli Vitæ exemplaribus MSS. omittitur. In primo capite Sancti qui in Gallia coluntur celebriores memorantur, ubi inter alios SS. Benedicti, Scholaſticæ & Sebaſtiani corpora in Gallia ſervari dicuntur. In ſecundo adventus S. Columbani in Galliam, ejuſdémque exſilium deſcribitur.

CIRCA AN. DC. XXV. JAN. XVIII.

plicâſſet, fulciatorio * quo utebatur terram paullulum egerens, ſubitò fideli famulo ſuo largam fonticuli undam donavit, qui limpidiſſimo rivulo exinde loca vicina irrigat, & uſquedum humus erit ab univerſis incolis ejuſdem Patris nomine & vocitatur & amatur & habilis colitur. Tanto autem talíque munere vir Domini conſolatus Divinitati gratias egit, & ipſe abundè refecit, & omnibus poſt ſe ſæculis memoriæ ſuæ evidenter reliquit benedictionem. Et hoc eſt primum virtutis miraculum quod Dominus fecit per B. Deicolum. Verè mirabilis Deus in Sanctis ſuis & fidelis in omnibus verbis ſuis, ipſe qui in Evangelio ait: *Amen Dico vobis, quidquid orantes petitis, credite quia accipietis, & fiet vobis.* Fecit quod promiſit, & fidem ſervi ſui claro honore ditavit: & qui quondam Iſraëlitico * cothurno aquam de rupe produxit, ipſe ad precem famuli ſui locum peraridum abundare juſſit rivis aquarum.

* *id eſt* fulcro *ſeu* baculo

Marc. 11. 24.

* *al.* contubernio

Lutram ſe recipit Subulco duce.

4. Cúmque vir ſanctus per eremum quaſi erraticus viator convenientia manendi loca diſquireret, quippe cui Pater ſuus ſub obedientiæ titulo denuntiavit ne Luxovienſe Monaſterium ulteriùs intraret, inſperatò contigit ut ſuillum gregem offenderet. Subulcus verò videns tam proceræ ſtaturæ virum, & antea inviſi habitûs veſte circumdatum, ſtupore perculſus inquirere cœpit quiſnam eſſet, aut unde veniſſet, quídve voti habuiſſet, quòd in tam vaſta eremo ſine ductore aut conviatore incedere voluiſſet. Cui vir Dei blando ſermone reſpondit: Ne paveas frater, peregrinus ego ſum & Monachicum propoſitum gero: vellem autem ſi tuo ſediſſet animo, quatinus propter caritatem oſtendere mihi debuiſſes ociùs ſi in vicinia aliquis locus humanæ ſit converſationi proficuus. Cui porcarius ait: Neſcio quidem in iſta parte locum habitabilem niſi haud longè hinc quemdam, qui *Luthra* vocatur, paluſtrem & fontibus ſatis creberrimis irriguum, ſitum in prædio cujuſdam præpotentis vaſſalli nomine WERFARII. Cui vir ſanctus: Potéſne, inquit, mihi, frater, ducatum præbere, quo poſſim locum ipſum videre? At ille reſpondit: Poſſem utique aliquomodo, ſed gregem meum abſque proviſore dimittere non præſumo. Cui B. Deicolus; Noli, inquit, mihi, fili, tenaciter negare tantillum ſpatij: veraciter ſcias quia ſi mecum pergere diſponis, nec minimum porciculum interim perdes. Et ſi aliquid diſcredis, ego tibi fuſtem meum conſtituo cuſtodem vicarium, ut in redeundo cognoſcas quantum fides mea valeat cum caritate tua. Hoc dicto fuſtem quem manu gerebat ſolo radicitus fixit, & præcedente ductore ad locum tetendit nominatum. Cúmque poſt longum horæ ſpatium porcarius eâdem repedaſſet viâ gregem videre ſollicitus, invenit ſecundum pollicitationem viri gregem ſuum circa fuſtem gyratum ſaturatúmque accubâſſe, nec unum quidem ex illo deeſſe. O verè beati viri meritum, cui & bruta animalia obediunt, dum ille rationabiliter Deum quærit! Ipſe ſupra homines fideles ſuos elevat qui cùm Deus eſſet ſuper omnia homo fieri voluit.

Fores Sacelli ei ultro aperiuntur.

5. Inter omnia vir venerabilis Deicolus ad locum deſideratum perveniens, Divino ſemper operi indefeſſus inſiſtens, utpote is cui crucifixus erat mundo, totúmque ſemetipſum obtulit Deo; invenit Eccleſiam in clivo cujuſdam montis ſitam in honore S. Martini conſecratam, in qua præſcriptus miles certis temporibus unà cum ſuis Divini cultûs offerebat officium. Idem verò locellus in quo nunc ſacratiſſima gleba in pace quieſcit, necdum alicui aditum intrandi præbuit, ſed erat undique præmunitus ſilvarum denſitate ac fontium irriguitate. Vir autem Domini Evangelici memor præcepti, attendit ne juſtitiam ſuam faceret coram hominibus ne videretur ab eis: ſed ſecretum horæ ſpatium exſpectavit, quando ſolus ſoli Deo ſe ſubſternere potuiſſet. Mirum dictu & humano inveſtigabile ingenio! quoties Eccleſiæ ejuſdem januas ad implendam divinæ ſinaxis horam ſolus adiit, abſque mora nullo reſeratore largum illi præbuêre ingreſſum.

Presbyteri ob hoc indignationē incurrit.

6. Quæ res à Preſbytero agnita, his verbis ſe conqueri in publico cœpit: Heu mihi, propter unum Monachum jam hîc vivere non poſſum. Cúmque populatio

populatio non modica quæ ad Eccleſiam convenerat percunctaretur quid ſibi talia vellent. Preſbyter adjecit: Latitat quidem in iſta ſilvula Monachus quidam peregrinus, qui neſcio quibus incantationibus utitur, & mediis noctibus orationis gratiâ huc frequenter venire ſolitus januas diligenter obfirmatas dictu citiùs reſerat & intus orationibus vacat. Teſtor Deum cæli & terræ, quia ſi poſthac illum in Eccleſia invenero noſtra, dignis verberibus affectum rejiciam & injuriatum. Cui adſtantes conſultè dixerunt: Patientiam interim habe, quoad dominus noſter veniat & ipſe veritatem diſcutiat: & ſi ex Deo eſt talis virtus non poſſumus prohibere illum; ſin autem aliter ut unum decet impoſtorem de finibus noſtris eliminemus eum. Ecce qui omnipotenti Deo devotè adhærent quomodo elementis imperant nec reſiſtunt. Ille qui poſt reſurrectionem ſuam clauſis januis ad diſcipulos intravit, ipſe famulo ſuo Deicolo clauſa oſtia aperiri juſſit. CIRC. AN. DC. XXV. JAN. XVIII.

7. Beatus verò Deicolus diu noctuque Divinæ præſentiæ ſtrenuè ſupplicans, minas hominum minimè verens, quippe qui cuſtodiâ ſemper erat ſeptus Angelicâ, more ſolito Eccleſiam intrabat, quouſque Preſbyter cum officialibus acriter illum inſequeretur. Sed cùm Deus omnipotens ſervum ſuum à manibus impiorum ſervaret innocuum, fraudulenti malitia iterum adducti feneſtras Eccleſiæ aperuerunt, januas autem patefactas maxima congerie veprium, ſpinarum, ac tribulorum poſtes & liminaria uſque ad ſummum obſtruxeruntdicentes: Fortaſſis ſi Monachus ille modò nititur ingredi, abſque ſigno non evadet infortunij. Sed quia nec ſapentia, nec prudentia, nec conſilium poteſt eſſe contra Deum; malivolentia illa virum Dei non nocuit, verùm quoties ille commodum duxit potenter intravit. Ruſtici fruſtrà ſpinis obſtruunt Oratorij aditum.

8. Qua de re viri ſtolidiſſimi ultra modum debacchati legationem queſtuoſam domino ſuo qui tunc temporis in alodio [a] ſuo manebat in loco qui dicitur *Villa Callonis* tranſmiſerunt dicentes: Placet tibi ut Monachus quidam capellulam tuam ſibi vendicet in Oratorium, nec ullus eum ejicere poſſit? His auditis Werfarius furore præcipiti arreptus crudelem nimis ſententiam in virum Dei ſanxit dicens: Ite cum feſtinatione, & ſi quis illum fidelium meorum capere poſſit, ſine audientia caſtretur. Vix ille mandatum dedit, unâ eadémque horâ laqueum quem ſervo Dei injuſtè paravit, juſto Dei judicio ipſe mirabiliter incidit. Nam idem membrum quod famulo Dei præcidi juſſit, mox illi in tumorem verſum eſt, itaut omnia viſcera ejus in eumdem locum violenter inſiderent, mortémque vicinam pararent. Cúmque vehementi dolore vexari videretur, uxor ejus BERTILDIS nomine memor ſententiæ quam viro Dei temerè impoſuit, cum luctu gravi illum admonuit dicens: Certè credo quia propter illum peregrinum quem ſine cauſa caſtrari juſſiſti, dolor ipſe in te retorſus eſt: mittam ergo velociùs & accerſiam illum, ſi fortè per orationes ejus dolor tantus effugetur à te. Sed quia nihil fit in terra ſine cauſa, antequam nuntij ad virum Dei pervenirent, iſdem Werfarius morti ſubactus finem vivendi fecit. Werfarius in Sanctum injurius divini ùs punitur. a

9. Quibus auditis B. Deicolus non injuriam irreligioſi militis, ſed fidem devotæ mulieris inſpiciens, pedetentim iter arripuit. Cúmque ad locum veniſſet, religioſa fœmina jam vidua effecta maximo cum honore ſicut tantum Patrem decuit ſuſcepit: ipſe verò utpote de itinere laſſus antequam ſeſſum pergeret, birrum [b] ſuum quem Græci amphibalum vocant, deponere voluit cau- Deicolus in domo Werfarij mortui quid egerit. b

a Alodium eſt prædium liberum nulli ſervituti obnoxium.

b Birrus ſeu Byrrum multa ſignificat, nempe lacernam, palliolum Sacerdotale, pileum. Quadrat huic loco Papiæ interpretatio: *Birrus à Græco fit veſtis, amphibalus villoſus*. quamquam non apparet, ex qua voce Græca Papias derivet hocce verbum, quod alij à πυῤῥὸς deducunt, eoquòd birri rufi ac rutili coloris principio eſſe ſolerent. Birri formam fuiſſe lacernam ſeu pallium cum cucullo cenſet Ferrarius *de Re veſtiaria* parte 2. lib. 1. c. 20. cujus pallij uſus etiam ad Monachos traductus, tametſi Iſidorus in Regulæ cap 13. hoc genus indumenti Monachis interdicit. Amphibalum lacerna utrimque villoſa.

CIRC. AN. DC. XXV. JAN. XVIII.

ſa refrigerandi. Quod ſervitores quamplurimi qui aderant videntes undique accurrerunt ut viri veſtimentum diligenter mitterent in ſalvum. Quibus ille; Non ita, inquit, erit filioli, nam ego ſervitorem invenio qui veſtimentum mihi fideliter ſervet. Peregrinus ſum pro Chriſto, quidquid de ſervo ſuo illi placet, faciat. Mira res atque ſtupenda: vir venerandus adſpiciens radium ſolis per feneſtram domûs ad inſtar trabis ingredientem (quod nihil aliud eſt juxta definitionem Philoſophorum niſi craſſitudo aëris & illuſtratio Solis) acceſſit & veſtimentum ſuperpoſuit. Ibi quippe ferme duarum aut trium horarum ſpatium abſque terreno ſuſtentaculo pependit, & virum Dei exſpectavit quando ſe reinduere vellet. Ad hoc miraculum ſtupefacti qui aderant, gloriam Deo dederunt, qui ſic famulum ſuum inaudito more dignatus eſt honorificare.

Prædia Monaſterio conſtruendo accipit.

10. Videns autem venerabilis femina tam evidens miraculum per ſervum Dei fieri, pedibus ejus provoluta cœpit luctum geminare & magnis vocibus virum Dei appellare dicens: O ſerve Dei ſummi, miſerere famuli tui ſenioris mei: quia in te ignoranter peccavit, & ſic eum ultio Divina ampliùs vivere non permiſit. Nunc autem plus doleo ſuper peccatum ejus ne apud inferos crucietur, quàm de morte ejus temporali qua infeliciter ſum orbata. Quapropter, Pater mi & domine, pietati tuæ terra tenus ſupplico, quatinus omnipotentem Deum, cujus ſervus eſſe comprobaris, pio voto pro illius animæ abſolutione intercedere digneris, ne vitæ æternæ expers efficiatur: & qualecumque ſit prædium noſtrum apud Vivarium & ipſum locum in quo S. Martini Eccleſia eſt conſtructa, cum omnibus appendiciis ſuis, inſuper & iſtam villam cum omnibus ad ſe pertinentibus Paternitati tuæ libens trado jure perpetuo poſſidendum. Cui ille reſpondit: Noli timere; credo Deo meo, quia propter fidem tuam non ſolùm liberabitur anima ejus de manu inferni *, ſed etiam in proximo potietur gaudio paradiſi: quia in te video Apoſtoli ſententiam veraciter impletam qua dicit: *Salvabitur vir infidelis per mulierem fidelem.* Sicque vir Deo plenus per inſigne miraculum quod patravit, multorum animos ad amorem religionis convertit.

* *id eſt* Purgatorij.

1. Cor. 7. 14.

Monaſterium Lutrenſe cum duobus Oratoriis condit.

11. Cúmque vir ſanctus futura per ſpiritum prævidens, nominata prædia manu poteſtativa in multorum præſentia ſuſciperet, cum maxima Fidelium turma Luthram ingreditur. Cúmque diutiſſimè ſolus locum ipſum luſtraret, tandem intravit quo nunc requieſcit. Ibi quippe ſe in orationem dedit, atque donorum Largitori gratias egit, & poſtea ait: Hæc requies mea in ſæculum ſæculi, hîc habitabo quoniam elegi eam. Quod audientes circumcircà Fideles viſitandi gratiâ ſervum Dei adierunt, & copioſis donariis illum ditaverunt: ipſe verò maximo ſtudio niſum dedit, qualiter eumdem locum ad ſacræ religionis uſum efficeret aptum. Tantam autem proſperitatem Divina illi largitas præſtitit, quatinus ibidem parva intercapedine duo Oratoria formoſo opere compleret, unum in honore beatiſſimi Principis Apoſtolorum, aliud verò in honore Doctoris Gentium. Quibus patratis cœpêre undique religioſi viri ad tanti Patris magiſterium confluere, & colla ſua ſuavi jugo Chriſti devotè ſubmittere: & factus eſt locus ille ſecundum voluntatem Domini paradiſus Monachorum, qui hactenus patuit latibulis ferarum. Et ut totum dicam, videres ibi evidenter Iſaïæ compleri prophetiam quæ dicit: *In cubilibus in quibus priùs dracones habitabant, orietur viror calami & junci.* Sed quia Propheta metonimicôs loquebatur, calamum ponens pro eo quod per calamum fit, id eſt ſacra Scriptura intelligitur; per juncum autem ſpes & lætitia auditorum deſignatur. Quid vir ſanctus unà cum Fratribus & diſcipulis ageret, niſi ut ſacra eloquia meditando, prædicando, legendo impleret? Ergo ſecundum perfectionem diſciplinæ Domini, qua ille beatus ad liquidum uſque evaſit, conſtituta eſt ibi Divini ſchola ſervitij, ut ſecundum Actus Apoſtolorum omnibus eſſet cor unum & anima una, nec quiſquam illorum proprium aliquid haberet, ſed eſſent illis omnia communia.

Iſa. 35. 7.

Act. 4. 32.

12. Quadam die dum beatus vir vigilanti ſtudio operi Divino cum Fratribus inſiſteret, contigit ut inclytus rex CHLOTHARIUS qui ſecundum quod ei Pater Columbanus prophetiæ ſpiritu plenus prædixit jam erat trium regnorum ſoliditate roboratus, in viciniam ejuſdem Monaſterij gratiâ adveniſſet venandi. Habuit namque curtem fiſcúmque regalem prope Monaſterium, qui adhuc ad virum Dei nihil pertinebat. Quadam vice cùm multi optimatum venatu nobili ſingularem maximúmque aprum inſequerentur, extimplo fera ferales fugiens homines ſpiritualium virorum confugit ad ædes, mitíſque viri Dei cellam ingreditur. Vir autem ſanctus qui ſemper erat totus in Deo ſuſpenſus, videns ferocitatem beſtiæ in manſuetudinem converſam, manum miſericorditer ei præbuit, & ait: Crede mihi, quia ad caritatem confugiſti, hodie vitâ non privaberis. Cùm ecce undique venatores beſtiæ veſtigia inſectantes ad viri Dei cellam uſque pervenerunt. Illi autem qui perfectioris ſensûs erant, cùm Oratorium viri Dei fuiſſent ingreſſi, & beſtiam inveniſſent ferocitate poſtpoſita ante altare accubare, pænè ſpiritum præ ſtupore non habebant: & cum celeritate maxima legatos direxerunt, qui magnificum Regem ad tantæ virtutis ſpectaculum vocarent.

CIRC. AN. DC. XXV. JAN. XVIII. Aprum ad ſe confugientem miratur.

13. Qui cùm regaliter veniſſet, oratione facta, maxima virum humilitate interrogare ſtuduit unde eſſet, vel quid ſibi ſtudij habuiſſet. Cui cùm vir ſanctus ſecundum quod ſe veritas habuit narraſſet, Rex ſubjunxit: Et unde, Pater venerande, vivis vel hi qui tecum ſunt? Vir Domini reſpondit: Scriptum eſt, quia timentibus Dominum nihil deeſt. Hoc autem te non lateat, quia pauperem vitam gerimus, ſed ſufficit nobis ſi timuerimus Deum. Et cùm Rex agnoviſſet quia beati Columbani diſcipulus eſſet, ait: Cettè, Pater mi, tantùm ſta nobiſcum & ne derelinquas nos: ego ſatis penſabo qualiter locus iſte propter paternitatem tuam inpoſterum abſque penuria ſtabilietur. Omnia quæ hucuſque ad mei arbitrium in iſta vicinia pertinebant ſive in ſilvis ſive in piſcationibus regalibus, pratis quoque vel paſcuis, ab hodierna die & deinceps tradens tibi trado, & huic ſacro loco perpetualiter poſſidendum. Quin inſuper apud villam quę *Bredanas* vocatur, cum Eccleſia & omnibus quæ ibi habentur firmiter delego, & quia hîc cuncta deſunt, omnia quæ apud ſanctum Antonium juris mei dicuntur, libera traditione ut Patri digniſſimo liberaliter trado. His itaque firmatis vidente Rege & omnibus qui aderant, viri Dei juſſione aper abſque ullius læſione conſueta cum impetu petiit luſtra, ſícque devotus Rex benedictione Patris devotè percepta cum gaudio remeavit ad propria.

Prædia multa à Chlothario accipit.

Pſal. 33. 10.

14. His ſanè peractis cœpit vir Domini anxiè apud ſemetipſum meditari, qualiter locum quem illi Deus omnipotens in peregrinatione ſua donare dignum duxit, ſub defenſione principali muniret, ut nequaquam poſt ejus felicem obitum patuiſſet infandis raptoribus pacíſque ſemper inimicis. Tandem inſpiratione ſuperna ſapienti uſus conſilio, collecto cœtu Fratrum ac ſervitorum Romanam petiit Celſitudinem. Cúmque à Romano Pontifice ſatis honorificè ſuſceptus fuiſſet, poſtquàm limina Apoſtolorum viſitavit orationémque complevit, ſubtili inquiſitione Papa requirit, quænam cauſa ſit tanto Patri tam grandem itineris laborem ſuſcepiſſe. Cui vir Domini; Scottigena, inquit, Frater ſum, pro Chriſto ſum peregrinus. Contigit autem me ſubſiſtere & juxta voluntatem Domini in partibus Galliarum apud Burgundiones in loco qui Luthra vocatur, ubi jam Divino adminiculo Principibus Apoſtolorum qui hanc Romanam poſſident arcem, duo Oratoria pro poſſe meo conſtruxi. Et nunc Dominus ditavit locum illum per Principes terræ illius prædiis quamoptimis & fiſcis regalibus & pænè in omnibus quæ ad uſum Fratrum noſtrorum ſufficere poſſunt. Eſt autem gens illa effera & rapacitati ſupra modum dedita. Quapropter, Præſul, capitalem placet mihi locum ipſum & omnia quæ ſubjacent illi, Apoſtolorum Principi firma traditione delegare ſub teſtificatione perpetuæ memoriæ, eo videlicet tenore ut ſucceſſores mei qui amodò & deinceps ipſum diſciplinabili-

Romam profectus, Cœnobium ſuum Romano Pontifici ſubjicit.

CIRC. AN. DC. XXV. JAN. XVIII. ter gubernaturi ſunt locum, annis ſingulis huic præſentiæ Apoſtolicæ pro cenſu deferant decem ſolidos argenti.

Privilegiũ & Reliquias obtinet. 15. Patratíſque omnibus pro quibus perrexerat juxta firmæ petitionis rationem, accepit chartam Apoſtolica auctoritate ſigillatam, ut quamdiu mundus ſteterit, ejuſdem loci Abbas, qui ſecundum electionem Fratrum ibi commorantium ordinatus fuerit, in omnibus habeat liberum arbitrium diſponendi quæ Dei ſunt abſque ullius contradictione. Quin inſuper clavigera manu ſub anathematis vinculo præceptum dedit, ut nulli Regum vel Optimatum umquam liceat loco præfato moleſtiam inferre vel vi vel poteſtate, niſi qui Romanum imperium miniſtrat, & advocationem Apoſtolicæ Sedis ſortitur, ſemper eumdem locum defenſione ſua fideliter tueatur. Beatus verò Deicolus Apoſtolica donatione valde lætificatus, Romanis mœnibus dorſum dans, curſu retrogrado Galliam celer repedat cæleſtibus oneratus muneribus, id eſt pretioſis Martyrum Reliquiis & ornamentis Eccleſiaſticis ſimul cum Privilegio ſuo, Apoſtolico obfirmato ſigillo.

Columbino Abbate inſtituto ſecedit in ſolitudinem. 16. Poſtquàm ſe læto peracto labore domi recepit, & omnia quæ ad Deum pertinent religioſiſſimè in Monaſterio ordinavit, quemdam diſcipulum ſuum nomine COLUMBINUM, quem & de ſacro fonte levavit, & per ſemetipſum inſtituit, de cujus vita & moribus valde erat ſecurus, cum electione Fratrum in locum ſuum Abbatem conſtituit, atque regimen animarum commiſit. Quo ordinato ipſe ad ſecretiorem locum atque artiorem vitam anhelans, ſeorſum ſibi Oratorium parvum conſtruxit, & in nomine ſanctæ Trinitatis conſecrari fecit: ut qui hactenus cum Martha ſatagebat circa frequens miniſterium, jam poſthæc cum Maria ſecus pedes Domini ſedere & verbum ejus intentè audire decrevit. Sícque vir Sanctus quia in practica, id eſt in activa vita pro Domino fideliter deſudavit, graduali ordine ad theoricam, id eſt contemplativam vitam dignè conſcendit, non jam ſicut priùs de multis ſollicitus, ſed unum quod neceſſarium eſt cum Pſalmiſta quærens & dicens: Unam petii à Domino, hanc requiram, ut inhabitem in domo Domini omnibus diebus vitæ meæ. Et quia optimam partem ſibi elegit, non auferetur ab eo in æternum.

Pſal. 26. 4.

Moritur ſuſcepto Viatico. 17. Poſtquàm autem vir venerandus jam ætate provectus multimodis meritis plenus cælibatum finivit in terris, de ergaſtulo carnis lætus egrediens civium ſupernorum frequentiis circumſeptus, in cæleſtibus eſt collocatus manſionibus. Obiit autem egregius Pater die quinto-decimo Kalendarum Februariarum[a], in quo ſolet Phœbus tropicum Capricornium exire, & primam partem Aquarii per Zodiaticum circulum præripere. Sed hora illa qua ejus felix appropinquavit deceſſus, Columbinum Abbatem cum Fratribus accerſivit, & commonens de omnibus quæ Dei ſunt, & ut pacem ac caritatem in invicem ſervarent, cúmque noſtræ redemptionis Viaticum percepiſſet, oſculum dedit Fratribus, & valedicens omnibus inter ipſa verba orationis & laudis lætiſſimam animam reddidit cælis. Sepultus verò eſt in Oratorio quod ipſe ſibi conſtruxit, & in quo annis multis angelica m vitam duxit: ibíque ejus ſacra lipſana in pace tumulata gloriam reſurrectionis ibi exſpectant, quouſque Dominus revertatur à nuptiis & mors abſorbeatur in victoria, ut in conventu omnium Electorum cum Chriſto appareat in gloria.

a

Lutrenſis Monaſterii florens ſtatus. 18. Poſtquàm venerabilis Pater Deicolus orbe deceſſit, & vitæ æternæ paſcua feliciter intravit, beatus Columbinus in omnibus operam dedit qualiter unà cum Fratribus ſuis paterna veſtigia inerratò ſequi potuiſſet. Dedit autem Dominus per merita ſervi ſui Deicoli eidem loco tantum profectum ut multi nobilium atque potentûm, relicto vertiginis ſpiritu ſæcularis cum omnibus quæ habere poterant, Monachicam diſciplinam eligerent, & Monaſterium ſatis ditarent, ipſi quoque ſacræ ſubjacerent Regulæ*.

* *Bolland.* rubricæ

a Nimirum circa annum DC. XXV. annis circiter decem poſt S. Columbani deceſſum ut conjicimus. In quodam Floriario MS. à Bollando citato refertur ejus Tranſlatio XXI. Novemb. his verbis: *Tranſlatio SS. Ambroſii Mediolan. Epiſc. Brendani & Deicoli Abbatum.* S. COLUMBINUS colitur Idib. Septemb.

19. Cúmque ibidem ſpiritalis ſchola vigeret per multa annorum curricula, ſubitò orta eſt tempeſtas lacrymabilis, cujus immanitatem pænè ſenſit totus orbis. Gens quippe Hungrorum [a] ferociſſima, cujus rabiem per ſæculum clamant urbium mœnia diruta, Eccleſiæ ædificia conſumpta, ultione Divina, ad afficiendam Eccleſiam quæ falſis Chriſtianis exuberavit, ideóque Dominum in multis exacerbavit, numeroſis pugnatorum copiis erupit, & veluti acerrima belua quæcumque invaſit dentibus ſuis comminuit, cetera verò pedibus conculcavit. Cúmque Burgundionum regnum exercitus invaderet copioſus, omnéſque indigenæ à minimo uſque ad maximum per juga montium, per anfractus vallium, per prærupta ſcopulorum, vivendi cupidine latitâſſent, contigit ut viri diabolici Monaſterium intrarent B. Deicoli: quod cùm fuiſſent diligenter perſcrutati & neminem reperirent, omnia ſecundum ſolitam dementiam igni tradere decernentes, abſque duobus Apoſtolorum Oratoriis, Divina clementia eorum profana annihilavit molimina. Ad ſepulcrum verò S. Deicoli dum furibundi accedere conarentur, ita ſunt Divino timore perculſi, ut æſtimarent ſe ſub celeritate periclitari. Tandem egredientes, concremare tanti Patris pauſatorium ſtudentes, ſuperna eis repugnante potentia nec unam quidem tegulam perurere valuerunt. Tunc inſaniæ naturali furorem adjicientes, Oratorium ſtramine ad ſummum uſque repleverunt, & focum pervalidum ſuperpoſuerunt, ut voluntatem ſuam malignam ſatiarent. Mira virtus! quanto magis conati ſunt, tanto magis ſe ſtramina ſpreverunt & ſupremum tectum illæſum ſervaverunt. Quod videntes homines iniqui pavefacti foras fugerunt. Ecce quomodo Domini clementia contra inſenſatos pugnavit, & famuli ſui tumbam intemeratam ſervavit. Tunc liquidò patuit qualis vir eſſet, qui locum illum in hereditatem à Domino promeruiſſet. Cùmque viri barbarici omni ferâ crudeliores totam pęnè Galliam atque Germaniam partim ferro partim incendio conſumpſiſſent, nullúſque Chriſtianus exſiſteret qui illis occurreret contóque minaretur, infelices impunitate ſui lætati in ſua ſunt reverſi multis opibus onerati. Lamentabile dictu! videres in ſacris locis ubi antea Monachorum floruit religio, Clericorum militavit devotio, urticas, ſentes atque omnigena arbuſta hac in ſolitudine ſuccreſcere: & quia pauci habitatores remanſerant, in ſolitudinem agri ubique redacti ſunt.

CIRC. AN. DC. XXV. JAN. XVIII.

[a] Hungari Galliam incurſantes S. Deicoli ſepulcrum comburere nequeunt.

20. Cúmque & locus beati Deicoli tanti perſenſiſſet infortunium diſpendii, ut jam nec Monachus ibi nec Clericus haberetur, Comes quidam bellipotens de Alſatiæ partibus nomine HEBERARDUS, qui regnum Burgundionum frequentare erat ſolitus, locum illum invaſit, & in hereditatem ſibi nefariò vendicavit. Et quia non inventus eſt qui illi obſtitiſſet, omni tempore quo pòſt advixit, manu tyrannica contra fas retinuit. Heu proh dolor! ſanctus Confeſſor Domini Deicolus numquam cogitavit Comites habere loci ſui heredes, ſed Monachos Deo amabiles: nec umquam ſtuduit caballos aut canes venaticos paſcere, ſed pauperes & peregrinos colligere. O mira Dei patientia! eſto, numquid non tacens ſemper tacebo? dicit Dominus. Nequaquam. Eodem verò Comite in tanta mentis obſtinatione vitâ decedente filius ejus HUGO nomine, qui & ipſe jam Comes effectus fuit, omnia quæ patris ſui eſſe videbantur ſive jure ſive injuriâ poteſtativè invaſit, tenacitérque ſibi advendicavit, inter quæ omnia & locum ſancti Patris Deicoli. Qui cum maſculæ prolis fortitudine in omnibus propemodùm regnis famoſus haberetur, & in multis negotiis acſi miles caſtrenſis invictus exſiſteret, aliquamdiu impunè potitus eſt prædio S. Deicoli.

Lutrenſe Monaſterium invadit Alſatiæ Comes Heberardus.

Hugo deinde.

21. Cúmque ſacer locus diatim ſæcularibus eſſet occupatus ſordibus, quadam

Tres Hugonis filii

[a] Hîc per anticipationem commemoratut Hungarorum in Galliam incurſio, quæ ab anno CM. ad CM. XXXVII. non ſemel contigit, ac proinde poſt factam à Vualdrada Lotharii pellice invaſionẽ Monaſterii Lutr. inferiùs referendam. Albertus Abbas Stadenſis: *Anno* CM. XXI. *Hungri non ſolùm Saxoniam aliáſque cis Rhenum provincias, verumetiam trans Rhenum Lotharingiam & Franciam demoliti ſunt.* Et *anno Domini* CM. XXXVII. *Hungari Franciam & Alemanniam & Galliam Burgundiámq; devaſtantes, per Italiam redierunt.*

CIRC. AN. DC. XXV. JAN. XVIII. mẽbrorum contractione puniuntur.

vice dum tres filii ejus feſſi ac veſpertini in eumdem deveniſſent locum, peractis omnibus quæ ad manum neceſſaria erant, ſani atque incolumes incautè ſe prope beati Patris ſepulcrum collocaverunt. Et quia gloriam Deo nec ſancto ſuo Deicolo honorem dederunt, impune eis (Deo gratias) non ceſſit. Cuinam ampliùs paream? Sed quia veritas odium parit, mei autem propoſiti eſt perſonam non reſpicere, qui gratus * ducat gratum, qui ingratus * ingratum; ego verò viam regiam tenens nec favorem populi ſpectans, nec modulum alicujus reculæ ſperans, à dextris & à ſiniſtris ſecundum Apoſtolum tenens veritatem, non ſilere optimum judico. Nónne omnes qui Martyrum nomine cenſentur, pro veritate ſunt proſtrati in morte? Quoniam autem Veritas Chriſtus eſt, ipſam teſtor omnéſque ſequaces ejus, eadem nocte tres filii ejus quorum primogenitus HEBERARDUS erat, ſecundus HUGO, tertius GUNTRAMNUS, cùm poſt dulcedinem ſomni evigilaſſent ad exercitium venandi, ſemetipſos invenerunt diſſimiles ſibi. Videres certè viros Conſulares adeo contractos & imbecilles, ut putares eos genuino more omnium membrorum impotentes & totius valetudinis enerves: & ut fere totum dicam ad laudem Chriſti & Sancti ſui, niſi linguæ ſolæ quæ pœnitentiam & reatûs confeſſionem palpitabant, membra cetera omnimodis erant inutilia: manus non, pedes verò nihil: deceteris non dubitabitur.

* *Bolland.* gratum
* *Bol.* ingratum

Comes ſuum crimen agnoſcit cum filiis.

22. Cúmque egregii milites diu captivi tenerentur in vinculis piaculi, pater jam maturæ ætatis ad ſuæ damnationis ſpectaculum non ſegnis venit accerſitus, lacrymis plenus, variis vicatim objicientibus pro talibus incommodis ſe eſſe reos, ſe in multis peccaſſe teſtantes. Tandem pater ſenex filiorum dolore intolerabili compulſus his verbis in veritatem prorupit: Audite me, inquit, filii, intendite verba patris veſtri. Scitote pro certo quia non caſu aliquo iſtud vobis evenit infortunium, ſed juſto Dei judicio atque ultione Dominica. Nam pater meus multoties mihi narrare ſolitus fuit qualiter locum poſſideret; & quia locus iſte ſanctus ſancti Domini fuiſſet Deicoli. Sed ut video, iniquitas illa modò venit ſuper capita veſtra, quia omnipotens Deus inultam abire non ſinit injuriam Electorum ſuorum, ſed reddet filiis iniquitatem patrum in quartam & quintam generationem. Credo tamen quia miſericordia more paterno caſtigat nos, ne morti inperpetuum tradat, quia neminem vult perire, ſed omnes ſalvos facere. Quapropter pura confeſſione & dignis pœnitentiæ lamentis confugiamus ad Dominum & Sanctum ſuum in quem peccavimus: & fortaſſis non modò reſtituemini vos priſtinis formis, verumetiam (quod majus eſt) animarum veſtrarum remedium perfectum promerebimur. Ad hæc filii unanimes dixerunt: Optimum conſilium inveniſti pater, parati ſumus corde perfecto noſmetipſos in ſervos tradere ſancto Deicolo. Pœniteat igitur factorum: ſi pœniteat haud nocet error. Conemur omnimodis ut carnis generoſitatem mutemus in mentis nobilitatem. Abrenuntiemus mundo qui in maligno poſitus eſt; demus operam qualiter poſthac ſoli Deo vacare valeamus. Monachicam profeſſionem aggrediamur, voveamus Deo & reddamus nos: ambulemus dum lucem hujus vitæ habemus, ne nos æternæ mortis tenebræ comprehendant.

Pater cum filiis ſanatis Monachûs efficitur.

23. Quibus dictis ſatellites perciti accurrunt triſtem ejulatum agentes funebríque more bacchantes. Flebile dictu! cerneres Præfectorios Barones paullò antè aquilis velociores, leonibus ferociores, alienis uti ſolatiis, & quaſi vinctos ferro ante beati Patris ſepulcrum deportari. Cúmque ibidem diutiſſimè Divinæ ſupplicarent clementiæ ſe peccaſſe*, ſe meritò in hanc miſeriam deveniſſe, lacrymabiliter acclamantes interventu ſancti Patris cælitùs ſunt reſpecti ac priſtinæ integritati redditi. Quid ampliùs agerent? pater cum filiis ſurgens communi voto communíque conſenſu tradiderunt ſe Deo & ſancto ſuo Deicolo, non ad ſervitium militare, ſed ad obſequium monachile: quo facto ſacramento jusjurandi ſuper tanti Patris ſepulcrum ſe unanimiter tricaverunt*, quatinus eorum nullus ſe ſubtraheret quin inproximo ſæculo funditùs abrenuntiaret, ac beatiſſimi Patris noſtri* BENEDICTI Regulæ tonſurâ, habitu, profeſſione

* *al.* erraſſe
* *id eſt*, obſtrinxerunt
* *Bolland.* *deeſt* noſtri

obedientialiter ſe ſubderet, & ejuſdem loci ſtabilitatem ſine tenus cuſtodiret. Circ. An. DC. XXV. Jan. XVIII. Qua pactione peracta iterum iterúmque juramento terribili firmitudinem ſuper ſanctum Patrem fecerunt, ne ab illa die & uſquequo cælum volvitur, locum ipſum & omnia quæ ſubjacent illi, vel ipſi pro hereditate cuperent poſſidere, vel quiſpiam uſquam de parentelæ eorum ſucceſſione habiturus eſſet, vel quantum eſt pedis ſpatium jure hereditario poſſidendum. Et facta ſtipulatione coram multis regreſſi ſunt in ſua cum lætitia non modica [a].

a

24. Silere integrum paginam non cenſeo, quòd pænè omnes Europæ incolas neceſſariò præſentiſcere contigit. Poſtquàm Hugo Comes & filii ejus quos ſuprà titulavimus, vellent nollent, ſicut voveruut Deo & ſancto Deicolo locum ſanctum liberum reddiderunt, curioſè quærere cœperunt per multas eremi cellulas, ſi uſquam invenire poſſent amicum Chriſti aliquem & veræ converſationis inſtitutorem, qui & locum paterno more & Monaſtico ordine fulciret, & ipſi ſub ejus imperio vexillum ſacræ ferrent obedientiæ. Exſtitit autem tunc temporis quidam omnipotentis Dei amicus familiaris nomine Baltrannus vitæ per omnia laudabilis, qui jam tunc per decem quinquennia vitam eremiticam irreprehenſibiliter ab omnibus duxiſſe ferebatur: tantáſque jam virtutes per illum Dominus operatus eſt, ut nec Adriaticus ſinus nomen ejus recludere poſſet, ſed etiam apud Danaos præconium ejus celebre haberetur, nempe pro cælibatûs ejus magnitudine. Taceo de Regibus terræ & Optimatibus: ipſe famoſiſſimus Princeps Otto [b] qui tunc agebat in ſceptro, frequentare illum ſolitus erat, & maximis donariis locum ejus abundanter extulit: adeout ipſe venerabilis Pater ob frequentiam hoſpitum ſecretum ſibi tuguriolum in quo ſecum verſari poſſet conſtrueret: locum autem quem primitùs probavit, Monaſticæ diſciplinæ collectâ non minimâ Monachorum catervâ devotè aptaret.

Baltranni Abbatis ſanctitas.

b

25. Cúmque ſanctus vir lucrandis animabus aliquot annos invigilaret, antiquus hoſtis per ſatellites ſuos multis injuriis exturbare illum cœpit, dolens ſibi quotidie detrimentum fieri de animabus quas vir Domini ejus dentibus eripuit, & Deo reddere ſtuduit. Occaſione ejus accepta duo Epiſcopi avaritia ſtimulati, hianti fauce, eumdem locum cœperunt invadere, non ut illis curæ eſſet de loco, ſed ut res quas Fidelium largitas ad ſtabiliendum Divinæ ſcholæ ſervitium loco conceſſit, de ejus ſacro obitu interim ſuſpenſi ſtudio rapaci penitus ſibi autumarent*: quorum alter Mettenſis erat Eccleſiæ proviſor, alter verò Argentinenſis * exſtitit œconomos ovilis. Cúmque tales Eccleſiarum arietes propter res cælitus coacervatas diu altercarentur, (nam unus illorum parrochiæ occaſione, alter verò loci ſubjectione ſuo juri cedere contendit) vice quadam omnipotentis Dei famulus maxima invalitudine captus eſt, atque fini propinquus effectus: cujus opinio infirmitatis dum vicinas pervolaret provincias, utrique Epiſcopi quaſi vultures roſtro famelico viri Dei Cellam invadunt, ejuſque felicem tranſitum præſtolantur ſuſpecti. Quod cùm ille comperiſſet, ſubitò ſuperna medicante clementia confortari cœpit ac meliorari: & convocans iniquorum hominum aliquot perſonales ad ſe, diligenter inquiſivit cauſam opperiendi eorum. Cúmque illi ſecundum quod ſe res habuit narraſſent, vir Domini reſpondit: Sed & ego non ignoro voluntatis veſtræ niſum & inimici generis humani machinamentum. Recedite quantociùs, nam non morior modò, & credite mihi quia non continget vobis quod cupitis, ut oblationes Fidelium quas me contigit habere, vos debeatis poſt obitum meum exſtirpare. Tali concrepitu omnis ille conventus valde receſſit inde confuſus.

Epiſcopi duo ejus rebus inhiant, ſed fruſtrà.

* *Bolland.* autumnarent

* *Straſbourg*

26. Vir autem Domini plus cupiens rerum ſuarum ipſum qui dedit Deum habere heredem quàm ſæculum, larga manu cœpit omnia quæ habuit pauperi-

Ab Hugone & filiis ejus Lutram invitatur.

a Quæ ſequentibus numeris uſque ad num. 30. comprehenduntur, præpoſtero ordine apud Bollandum referuntur.

b Otto, nimirum I. cognomento Magnus, ab anno CM. XXXVI. ad CM. LXXIII. imperavit.

CIRC. AN. DC. XXV. JAN. XVIII.

bus & Clericis prodigè expendere, volens ſemetipſum funditus expedire, etiam ſenex peregrinationem pro Chriſto accipere, & dies ſibi conceſſos apud beatiſſimum Apoſtolorum Principem Romæ clauſarius & privatus ſacro inſiſtere otio. Quod cùm denundinatum percrebuiſſet apud Hugonem ac filios ejus, lacrymabili precatu virum Domini non ſegnes petierunt, ne illos deſereret quaſi orphanos & orbatos. Quibus vir Domini reſpondit nullo modo ſe ibi ampliùs durare, ſed invidiæ locum dare velle, atque ita ſibi à Domino deſtinatum fuiſſe. Illi autem luminibus perudis ampliùs virum Dei perurgere cœperunt dicentes: O amice Dei ſpecialis & columna ſanctæ Eccleſiæ inconcuſſibilis, audi ſervos tuos, & ne derelinquas nos deſolatos. Sciat Paternitas tua nos Monachili vita moribúſque voto diu exſiſtere, ſed ducem ac Patrem non poſſe hactenùs invenire. Qua de re, Pater ſancte, placeat tibi nobiſcum pergere huc prope ad locum quemdam ſanctum & Monaſticæ converſationi convenientiſſimum qui Luthra vocatur. Quibus vir Domini reſpondit: Quid vobis locus ipſe contigit? Aiunt illi: Nihil quippe ad nos pertinet, ſed vir quidam beatiſſimus nomine Deicolus qui & S. Columbani fuit diſcipulus, à Domino promeruit in hereditatem. Ipſe quippe locum conſtruxit & Monaſticæ diſciplinæ ſubegit, & ſua ſancta præſentia cotidie ibi miraculis coruſcat. Accidit autem occaſione quadam ut parentes noſtri locum ipſum non ante plures annos invaderent & quaſi proprium poſſiderent: nunc autem adeo ſumus ibi divinitus perterriti, ut in præſentia tanti Patris ſacramentis horrificis nuperrimè nos obligatos habeamus in proximo Monachicam profeſſionem arripere, & perpetuò ibi ſtabilitatem cuſtodire.

Mittit qui locum explorent.

27. Ad hæc vir pius reſpondit: Scriptum eſt, Omnia quæ facis fac cum conſilio & poſt factum non pœnitebis. Si Divinæ providentiæ placet ut moveam de loco iſto, & veſtro cedam hortamento, talem facite credentiam mihi in conſpectu Fratrum noſtrorum ceterorúmque Fidelium, ut omnia Divini officij ornamenta quæ penes me habeo ſalva atque intacta illuc deferatis, & ibi mihi inconvulſa reconſignetis. Ea dumtaxat conditione ut priùs illuc dirigam aliquem de Fratribus noſtris fidelem virum qui diligenter locum probet in ſilvis, in agris, in pratis, in piſcationibus & in omnibus quæ Monachorum utilitas exigit: quia ſolus non veniam, ſed Fratres meos ac ſervitores mecum deducam. Ad hæc illi: Fiat, inquiunt, juxta voluntatem tuam, Pater. Et ſacramento facto in conventu multorum, ſicut Sancto viro placuit, direxit cum illis nepotem ſuum nomine WERDOLFUM quem per ſe inſtituit, & in quo tota ſpes ſua poſt Deum exſtitit, qui cum omni diligentia veritatem comprobaret. Ad virum Dei reverſus lætum nuntium retulit: & poſtquam illi locum ſecretò prodidit, addidit: Cavendum eſt, inquiens, ne hominibus iſtis facilè fidem præbeamus. Locus verò ipſe, ut omnes fatentur indigenæ, Romanæ ſubjectus eſt dominationi & ſubſcripto cenſu ſummo ſubjacet Pontifici. Quapropter ſi in præſentia Principis Ottonis locum redhibere noluerint & priſtinæ libertati reddere, ab ipſa Imperatoria manu recipiamus illum, tali videlicet certitudine, ut uſque inperpetuum nemini liceat violare quod ſceptrigera majeſtas diffinivit illibatum permanere.

Locum ab Imperatore obtinet.

28. Vir Domini ad hæc: Acceptabile, inquit, ſit Deo omnipotenti conſilium tuum. Nunc ergo accingere, viam obedientiæ arripe, & hæc omnia ex parte mea innoteſcere Imperatori accelera. Qui ilico Patris præcepto parere ſtudens, adſcenſis caballis proſpero itinere Imperatorem adiit, & de quo agebatur innotuit. Quòd ſi quis mihi liventi objiciat oculo eumdem Principem tunc temporis Imperatorem non exſtitiſſe; facilè per ſtrophatum illum revincam ſyllogiſmum, accidens eſſe honorem ſuperadditum, eſſentiam verò in idemtitate perſiſtere. Et quia effici potuit quod effectus eſt, poteſtas illi ſemper adfuit, actus autem ad horam ſucceſſit. Sed hæc per exceſſum, jam cœpta proſequamur. Cúmque piiſſimus Princeps hæc omnia comperiſſet, rerum Repertori grates

ri grates egit, & poſt hæc ait: Audite omnes conſiliarij æquitatis & amici fideles, cogitavi multoties illum Patrem noſtrum beatum virum Baltrannum, quia præcordialiter illum diligo, ſi mihi vellet conſentire, Pontificali honore ſublimare: nunc autem ut video magis eligit pauper Chriſti perſiſtere in agone certaminis ſacri, quàm hujus ſæculi phaleramentis proſperari. Et ecce nuntius ejus certiſſimus per quem mihi fideliter mandat in peregrinatione ſe velle mori pro Chriſto, & locum quem hactenus incoluit invidiæ relinquere. Eſt autem locus in Burgundiæ partibus ſacræ converſationi ſatis aptus, quem hucuſque Hugo Comes & filij ejus uſurpativè poſſederunt: quem Sanctus à dominatione noſtri ſibi rogitat liberaliter delegari, & omnia quæ Deus omnipotens illi ad ſervitium ſuum ſtabiliendum conceſſit, imperij noſtri auctoritate eidem loco perpetualiter ſubclinare. Nam locus ipſe ſub advocatione Imperij noſtri Romanæ atque Apoſtolicæ ſubjacet Sedi. Reſponderunt Aulici atque Conſiliarij Imperatoris: Si placet majeſtati tuæ, accerſiantur ante conſpectum tuum viri illi qui hucuſque contra fas & jus ejuſdem locum ſibi vendicaverunt, & lege publica coràm reddant, & ſacramento firmiſſimo credentiam talem faciant cunctis militantibus atque privatis fidelibus tuis, quatinus ex hoc nunc & uſque in ſæculum, nec ipſi, nec aliquis ſucceſſionis illorum iniquitatem illam præſumat renovare, aut locum ipſum vi aut poteſtate audeat inquietare, ſed firmiter atque inconvulsè, ſicut ab initio conſtructionis loci fuit, Fratribus Deo ibidem & S. Deicolo ſervientibus liberum maneat arbitrium eligendi Abbatem ſecundum Deum, qui loco potentialiter præſit abſque contradictione aliqua. Quininſuper Imperialis Celſitudo intimare curet Apoſtolico Epiſcopo, quatinus cæleſtium auctoritate clavium privilegij Præcepta componat, faciátque ſigillo Apoſtolici nominis firma. Quid tantum morari in ſingulis neceſſe eſt? omnia ſecundum quod Divinitati placuit, Imperator devotus fidelium conſultum implevit: ſacri invaſores loci iniquos vocavit, jure univerſali locum recepit, atque mille ſub teſtibus beato viro, ſecundum quod ſuperiùs dictum eſt, poteſtativè contradidit, ipſum quoque RODULFO Duci atque præfatis Comitibus ad cuſtodiendum ſub fidelitatis ſuæ condictione commiſit, atque res ſancto viro cælitus collatas.

CIRC. AN. DC.XXV. JAN.XVIII.

29. Tali igitur tenore vir Domini in lŏcum deſtructum B. Deicoli inthronizatus eſt cum Monachis ſuis ac ſervitoribus & omnibus quæ divina largitas illi conceſſit. Et valde neceſſe fuit, ut ſecum ſubſidium ſumptuum deferret, quia omnibus humanæ vitæ rebus locum deſtitutum lamentabiliter invenit. Tunc omnimodis niſum dedit, qualiter locum renovare ſpiritualiter poſſet. Monaſterium ſanctiſſimæ Dei genitricis ſempérque Virginis MARIÆ, quod antè permodicum fuit honorificè ampliavit, exaltavit, & ad perfectum uſque perduxit. Officinas pro poſſe in brevi conſtruxit, ut Monaſtica diſciplina quæ ſemper apud illum viguit, à Monachis cuſtodiri inviolatè poſſet. Intravit autem Pater venerandus locum eumdem in vigiliis Apoſtolorum Simonis & Judæ, atque eodem anno in Aſſumptionis die perpetuæ Virginis MARIÆ, ſicut illi ante plures annos divinitus præſignatum fuit, plenus Spiritu-ſancto obiit ac ſepultus eſt in dextris altaris Monaſterij, quod ipſe in melius renovavit. Ibi quippe frequentiùs cùm fides credentium exigit miraculis coruſcat. Ipſo verò regna cæleſtia petente, in regimine Monaſterij nepos ejus WERDOLFUS illi ſucceſſit qui adhuc ſupereſt, & cælibem vitam ipſe ducit, & omnibus rectè converſari volentibus ut lampas emicat.

Monaſterio reſtaurato piè moritur.

Werdolfus ſuccedit.

30. Sed quia adhuc ſuperſunt nonnulli qui mirantur & ſcire geſtiunt, qualiter locus ſancti Patris devenerit in iniquã manum HEBERARDI Comitis & filij ejus; non piget qualitercumque veraci ſtilo prodere. Sed dum nitor hoc, videor temporibus præpoſterum ordinem imponere, quem Græci Anaſtrophen vocant, rationi autem & paginæ quæ ſubjacet præſumptionem, vel præoccupationem

Poſt Ichæ Abbatis mortis Luthra Lotharij pellici data.

CIRC. AN. DC.XXV. JAN. XVIII.

quam Græci Prolepſim nominant. Poſtquam verò beatus COLUMBINUS[a] peracto boris ſui curſu cæleſtia regna petivit, in locum ejus venerabilis ICHA [b] Abbas ſucceſſit. Qui cùm annis multis ſtrenuè eumdem locum gubernaret & magna vigilantia gregem ſibi commiſſum provideret, cerneres ſubitò propter novæ Herodiadis fraudulentiam Abbatem cum Monachis expelli, & omnia divinæ ſcholæ arma (heu!) perditum iri. Hæc autem exſtitit cauſa eo tempore quo LOTHARIUS Rex [c] in Alſatia provincia morabatur, in fiſco ſuo nobili qui *Marelegia* vocatur, cujus adhuc dignitatem miri operis mœnia excelſa teſtantur, repentè antiqui hoſtis cauterio inuſtus eſt & in tantam præcipitatæ mentis inſaniam perductus, ut uxorem ſuam religioſam Reginam BERTHSINDAM dimitteret, & lupam quamdam nomine WALDERALDAM duceret. Quæ quia præſtigiatrix erat opinatiſſima, ita maleficiis multigenis Regis animum faſcinavit, ut omnia quæ ab illo peteret, facilè impetraret. Cùmque nefas tale creſceret, & nemo eſſet qui facillaret *, quaſi licenter miſerum caput tanto utebatur inceſtu. Tamen verecundia agente, quia in Palatio verſari cum illa nequivit, Abbatiam S. Deicoli illi tradidit, atque infernali dote ditavit. Tunc meretrix lætiſſima effecta ſacrum locum ſibi uſurpavit, & in locum qui dicitur ſancti Quintini conſedit, ibíque omnia quæ ſancti Patris erant funeſto more depopulavit. Abbatem injuriavit, Monachos omnes pepulit, ideo proculdubio in amaritudine erit anima ejus inæternum.

a
b
c
* *id eſt* fauces aperiret.

Lotharius legitimæ conjugi reconciliatur.

31. Venerabilis autem Regina poſtquam divortium ſenſit, ſcortúmque Regis deprehenſit, noluit eum ad palam traducere, ſed ſalubri correptione corrigere: initóque conſilio cum familiaribus, reclamationis gratiâ Romam quantocius adiit. Quæ cùm immodica veneratione ab omni cœtu Romano ſuſcepta fuiſſet, ſecretò Apoſtolicum Pontificem convenit, ſui ſenioríſque diſſidium plena lacrymis aperuit. Quod cùm Paſtor Eccleſiæ comperiſſet, Apoſtolicis litteris Regem accerſivit ociùs, quatinus tanto ſceleri finem imponeret, & de cetero emendaret. Cúmque Rex accerſitus veniret, uti Regem decuit honorificè ſuſceptus eſt. Peracta oratione in conſiſtorio Lateranenſi Papa cum Rege colloquium habuit, atque digna cauſatione caſtigavit. Tunc Rex corde compunctus, terræ proſtratus veniam petiit & ſe culpabilem reddidit. Acceptáque pœnitentia Papa Reginam in præſentia Regis vocavit, & in Chriſto reconciliavit, & Reginæ dexteram Regis dexteræ reddidit, atque terribili anathemate illum obſtrinxit, ut ſecundum Apoſtolum ſicut Chriſtus Eccleſiam, ita & ipſe diligeret amodò uxorem ſuam.

Epheſ. 5. 25.

A pellice iterum ſeductus divinitus punitur.

32. Quo peracto Rex ad Galliam regreditur, Regina autem, ſicut femineum iter exigit, protractiùs viam carpſit, adeout illam Rex nunc duobus, nunc uno die præcederet. At præfata Maga audiens quia Rex Eccleſiaſtico tenore reconciliatus eſſet Reginæ, colubrino ſibilo Regem abſente Regina aggreditur denuo. Cúmque jam ſuperato monte Pardorum quadam nocte Rex hoſpitaretur apud

a In Martyrologiis recentioribus Columbinus Idibus Septembris colitur.

b Bollandus legit ICHO. In Diplomate Lotharij Regis dato prid. Non. Maii Indict. XIII. adeóque anno DCCC. LXV. HICCA Abbas Lutrenſis memoratur, ut Sammarthani in Gall. Chriſt. adnotarunt. Ergo ſi Icha noſter idem eſt cum illo Hicca, (quod quidem veriſimile videtur) non immediatè ſucceſſit Columbino, qui ad ſæculi VIII. initium pertingere vix potuit.

c Nonnulla hîc ab antiquis variant monimentis circa hanc hiſtoriam, quam ex Reginone & Baronio ſic breviter accipe. Lotharius Rex Lotharij Imper. filius, ab anno DCCC. LV. ad DCCC. LXVIII. regno potitus, uxorem duxit THEUTPERGAM, hîc BERTHSINDAM, quam in Synodis Aquiſgranenſi anno DCCC. LXII. & Mettenſi anno DCCC. LXIII. probantibus, quaſi inceſtuoſam & illegitimam conjugem abjecit, ut Vualderadam ſibi copularet. Quæ Conciliabula, ſeu (ut aiunt) proſtibula cùm reſcidiſſet Nicolaus Papa I. poſtea anno DCCC. LXV. in Galliam direxit Arſenium Epiſcopum Hortenſem, qui Theutpergam Reginam Lothario reſtituit. Nec tamen ab infami Vualderadæ conſortio omnino temperavit Lotharius, qui poſt Nicolai mortem anno proximo, Chriſti DCCC. LXVIII. Romam adiit cum Hadriani Papæ venia: ab cóque interrogatus, ſervaſſétne Nicolai Papæ monita, haberétve animum numquam ad Vualdradam in poſterum accedendi; ſacrâ Dominici corporis communionem de manu Pontificis ſub conteſtatione malo animo ſumpſit. *Porrò*, inquit Rhegino, *Lotharius Româ egreſſus morbo corripitur, & Placentiam perveniens diem clauſit extremum* VI. *Id. Aug.* cum pleriſque Proceribus, quos perjurij ac comu unionis ſacrilegæ ſocios ac conſcios habuit.

caſtrum ſancti Domnini [a], Præfatæ lupæ Miſſatici Noto agiliores ſupervenêre, veſtimenta ejus proſtibularia Regis oculis inferentes. Quibus inſpectis ita furoris & invidiæ ignibus in Reginam confeſtim exarſit, ut irrevocabili cenſura ſecum deliberaret non antè repatriare, quàm illam videret decapitari. Sed prævenit voluntatem ejus Divina ſeveritas atque diſpoſitionis ejus juſtiſſima æquitas. Nam cùm in craſtinum de hoſpitio moveret incolumis, priuſquam cibi aliquid attingeret, ita cum ſuis omnibus ſubitâ aurâ contagiatus atque plagatus eſt, ut de tanta multitudine nec inventus ſit unus cui inhæreret cibus aut pilus. Tandem reatum cognoſcentes Placentinam * urbem ſubintrant moribundi. Ibi quippe miſerabilis Rex cum ſuis omnibus ſine redemptionis Viatico vitam finivit, exceptis quodam Clerico & ſervitore morbido, qui veritatem rei vix nuntiarent evaſi. Quis apud ſemetipſum conſtitutus non videat hanc evidentem ultionem per merita S. Deicoli fuiſſe exortam? Cúmque devota Regina ad memoratam urbem perveniret, & tantam ſtragem mortuorum lacrymolenta videret; Chriſtum Domini ſeniorem ſuum tumulari fecit, ceteros verò prout facultas dedit ſubterrari juſſit, & poſthæc in pace repatriavit.

CIRC. AN. DC. XXV. JAN. XVIII. *a*

* *Plaiſance*, in Æmilia ad Padum

33. Audiens autem Walderalda femina nequiſſima omnia quæ acciderant in via Romana, timore venerabilis Reginæ plus territa quàm proprij ſceleris reatu compuncta, quippe quæ de Chriſtianitate quidquam præter ſolum vocabulum non habuit, fugâ potiùs quàm voluntate lapſa Deum quærere ſimulavit, Monaſteriúmque S. Romarici [b] hypocrita intravit. Cúmque ibi aliquamdiu velo potiùs quàm mente converſaretur, poſt tergum reſpiciens doluit locum S. Deicoli ſibi penitus auferri & quaſi ſe exheredatam more femineo cœpit conqueri. Accitóque Heberardo Comite conſanguinitatis occaſione ſcelus adhuc immane præſumpſit, eíque locum ſanctum ſub advocationis tuitione commiſit. Ille autem ut erat cupidus & ſacrorum invaſor locorum, occaſione tali locum invaſit B. Deicoli, & poſt infandæ mulieris deceſſum unca manu ſibi in hereditate adſcivit. Et feciſſet. Nam nec ipſi impunè ceſſit, nempe ſecundum Propheram ſanguinem admiſcuit ſanguini, id eſt ſcelus addidit ſceleri. ADALLINDAM verò legitimam uxorem ſuam dimiſit, repudij libellum dedit, ſemetipſum autem lupanaribus immiſcuit. Nam quamdam Nonnam apud Monaſterium *Etheſtehin* [c] ſibi applicavit, & iniquitatem illam ad mortem uſque pertraxit. Adallindis autem poſthæc quid fecerit, paginæ inferendum honeſtas non ſinit. Comes verò ipſe quali morte vitam finierit, propalare exempli cauſâ non piget.

Vualderada in montem S. Romaraci cõfugit. *b*

S. Deicoli Monaſterium Heberardo tradit.

Oſea 4. 2.

Heberardus Nonnam ſibi copulat. *c*

34. Audenter dico quæ perſonis fidelibus adſerentibus noſſe me luce clariùs contigit. Crederes videlicet ipſum pænè triennio Herodiana peſte percuſſum, qui ſecundum Actus Apoſtolorum percuſſus ab Angelo ſcatens vermibus exſpiravit. Vermes quippe ita ſibi à vertice uſque ad talos ebulliebant, ut frequentanei ejus maximum inde putorem tolerarent, ſícque miſerabiliter cum Herode vitam miſerabilem finivit. Nec dubitandum quin in tormentis æqualem ſortiatur pœnam, cujus in omni ſcelere imitatus eſt vitam. Et quia B. Deicolo præjudicialiter hereditatem ſuam tulit in terris, ipſe ſe quodammodo æterna hereditate privavit in cælis.

Malè petit.

35. Sed quia jam in ſuperiori capitulo ſatis memoravimus, qualiter Comes Hugo iniquus heres S. Deicoli ſit effectus; nunc reſtat ut & aliqua mira ſancti Patris opera propenſiùs calamo pandamus. HILDEGARDIS namque Comitiſſa ejuſdem Hugonis conjunx vice quadam curioſitatis cauſâ illecta, ſancti Patris

Hildegardis Comitiſſa S. Deicoli Reliquias fruſtra rapere tentat.

a Burgum S. Domnini, vulgò *Burgo San-Donnino*, inter Parmam & Placentiam, olim Julia Fidentia dicta, Epiſcopali Sede à Clemente VIII. donata, & à Paulo V. Bononienſi Eccleſiæ ſubjecta.

b De Monaſterio S. Romarici, vulgò *Remirement*, agemus infra in Vita ipſius ac SS. Amati & Romarici.

c Bollando *Ereſtein*, aliis *Heſtehin*, Sanctimonialium Cœnobium à Ludovico Pio & Hermengarde ejus conjuge ædificatum ad Illum flumen inter Argentoratum & Benfeldiam.

CIRC. AN. DC. XXV. JAN. XVIII

Oratorium cum Preſbyteris & cetera fidelium turmula temerè intravit, ut aliquid de gleba tanti Patris ſecum maximo pro munere Alſatiam aſportaret. Cúmque multo conamine ſacri cooperculum ſarcophagi levare ſudarent, tantus terræ motus ſubitò omnia ædificia concuſſit ſequentibus tonitruis quammaximis & fulminum terroribus, ut omnes amentes effecti cæcitate denſiſſima quaterentur: adeout nemo fere duabus horis proximum ſuum videre valuiſſet. Tunc Comitiſſa corde compuncta experta eſt in brevi, quantum valeant apud Deum glorioſa merita Deicoli ſui.

S. Columbini dentem raptum indevotè tractans punitur.

36. Sed quia nequicquam ad tumulum ſancti Patris laborare comprobata eſt, ad tumulum S. Columbini audacter acceſſit, ut vel diſcipuli aliquid carperet, cui divinitus magiſter fuit negatus. O mira Dei judicia! Cum paucis acceſſit, facilè tumbam aperuit, unúmque tantummodo dentem magna cum feſtinatione ſibi arripuit, iterúmque tumulum clauſit. At poſtquam dentem .diſpexit, more femineo dubitare cœpit an pro Reliquiis venerari debuiſſet, quod tam facilè & ſine reſiſtentia promeruiſſet. Et ut fidem illi aliqua virtus oſtenſa daret, prunas ardentes in Oratorio cumulari juſſit, dentémque in medium projecit. Quid plura? dictu citiùs dens ſtrepitum maximum dedit, ſaltum quouſque materia obſtitiſſet victor & innocens fecit. Tandem credula effecta pretioſum pignus recolligere ſtuduit, magnáque diligentia ſecum collocavit. Ex illa hora & quamdiu ſuperis* convixit, dolor dentium ab ea vel ad horam non receſſit. Tunc ſerâ pœnitentiâ ducta dentem tumulo reſtituit, dolor tamen immobilis remanſit. Et quare Sanctus Domini tumulum permitteret aperiri, nollet tamen aſportari, dicat qui velit, mihi verò non lucet. Unum tantùm patet, ut quia Monachi feminarum conſortia declinare ſolent, quod perfectus Pater in vita ſua cuſtodire ſtuduit, hoc & poſt mortem violari noluit. Tunc apertè omnibus innotuit quantum valeant merita Magiſtri, ſi tantum diſcipuli.

* *id eſt* ſuperſtitibus *V. Prol. Vitæ S. Columbani.*

AN. CHR. DC. XXV. MARTII XXIX.

VITA SANCTI EVSTASII
ABBATIS LUXOVIENSIS SECUNDI,

A JONA Monacho Bobienſi auctore coævo, inſtar ſecundi libri, Vitæ S. Columbani unà cum B. Attalæ Geſtis adjecta.

Ad MSS. codd. Ciſterc. alióſque emendata.

a * *Vitæ ſancti Columbani num.* 61. Euſtaſius venit ad Chagnericum. * *la Brie*

I. IGITUR venerabilis EUSTASIUS [a], ut ſuperiùs diximus*, à B. Columbano ab Italia paterno affectu directus, dum æquo jure ſubditas regeret catervas Monachorum, evenit ut pro communi neceſſitate ad Regem CHLOTHARIUM pergeret, qui eo tempore in ultimis Galliæ finibus Oceani maris habitabat. Fuit ergo arrepti itineris via per ſaltum pagúmque Briegium *: perventúmque eſt ad quamdam villam CHAGNERICI quo dudum aliquantiſper moratus fuerat. Villæ vocabulum Pipimiſium [b] dicitur, diſtans ab urbe Meldorum * circiter millibus duobus. Ibi nunc Chagne-

b * *Meaux*

a In Prologo Anonymi qui huic Jonæ lucubrationi apud Henſchenium præmittitur, EUSTASIUS dicitur *ex Burgundionum genere* procreatus. In Vitæ S. Vualarici cap. 9. B. AUSTASIUS *nobilitate generis & moribus decoratus* prædicatur. Denique Jonas in Vita S. Columbani num. 37. Mictium Lingonicæ Eccleſiæ Pontificem Euſtaſij avunculum fuiſſe teſtatur.

b Pipimiſium habent tum Jonæ quotquot vidimus exemplaria. tum Hildegarius in Vita S. Faronis cap. 36. Pippimiſium nonnulli interpretantur *Oppigny*: ſed ubinam gentium in Brigia ſit ille locus *Oppigny*, ab ipſis Brigiæ incolis diſcere nō potuimus. Exſtat duabus fere leucis ſupra Meldas vicus quidam ad Marionam vernaculè *Changy*, quem vicum non alium eſſe putamus à Pipimiſio, ſic poſteris appellatum à Chagnerico ſeu Chaugerico S. Burgundofaræ patre. Certè intervallum à Meldis opido hîc per Jonam adſignatum prædicto vico non malè reſpondet; & vicinia Vultiaci villæ, vulgò *Euſſy*, in qua S. Autharius Audoëni pater à Columbano conventus eſt, conjecturæ noſtræ favere videtur.

ricus cum conjuge ſua LEUDEGUNDE nomine, Chriſtiana & ſanæ mentis femina morabatur, & ſuum filium CHAGNOALDUM, cujus ſuperiùs *fecimus mentionem, penes ſe habebant. Viſo itaque Euſtaſio Chagnericus miro cum gaudio recepit: erátque ſimul cum patre matréque filia BURGUNDOFARA nomine, quam (ut ſuperiùs diximus*) B. COLUMBANUS Domino ſacraverat. Quam pater cùm jam deſponsâſſet ac nuptiis adverſum voluntatem puellæ tradi voluiſſet, dolore oculorum percuſſa & febrium igne ita ſuccenſa eſt, ut vix jam ſuperis[a] reddi crederetur. Hanc in extremis anhelitibus poſitam B. Euſtaſius videns patrem increpat dicens, ſuæ noxæ eſſe quòd hæc tantis ureretur pœnis: quia viri Dei interdictum violare vellet. At ille diſſimulans; Utinam, inquit, ſoſpitati redderetur, & Divinis famularetur obſequiis: Non ſe talibus votis obſtare debere ait. Accedens itaque ad ſtratum puellæ, ſciſcitatur ſi ſuæ fuerit adſentationis, quòd contra B. Columbani interdictum poſt vota cæleſtia rurſus iteraverit terrena. At puella deteſtatur* ſe talibus votis numquam paruiſſe, ut terrenis cæleſtia commutaret; ſed paratam fuiſſe beati viri parere præconiis, ſéq; ait præterita vidiſſe nocte ſimili figura virum quâ ipſe eſt, qui oculorum ſuorum lumen redderet, vocémque ſimul audiſſe dicentem: Quodcumque tibi hic vir dixerit fac; & ſanaberis. Infer ergo auribus meis quæ mihi ſint cuſtodienda, & tuis orationibus pelle dolorem à Domino illatum. Proſtratus itaque humo cum lacrymis venerandus vir Dominum poſtulat, ut pollicitum munus infundat: ſurgénſque crucem ſupra oculos exprimit, & manu oculos palpando Domini præſidium adeſſe deplorat*. Protinùs ſalute ſecuta lumen redditur, febrium ignis fugatur: redditámque ſoſpitati matri commendat, ut ab CHLOTHARIO rediens religioſis veſtibus induat.

AN. CHR. DC XXV. MARTII XXIX.

*ibid. n. 30. & 55. Burgundofaram ſanat & Deo ſacrari jubet.

*ibid. n. 50. a

* *id eſt* proteſtatur

* *id eſt* implorat

2. Cúmque pater cerneret ſoſpitati filiam redditam, ſponſo tradi decernit, pollicitationi priſtinæ cæcam oblivionis foveam inferens. Quo puella comperto credidit uni ſodali conſilium, cum qua fugam inire queat. Cúmque illa adſenſum præbuiſſet, felici fuga clàm elapſæ arreptâ, ad Baſilicam B. Petri Apoſtolorum Principis pervenerunt. Quo pater comperto poſt eas furens dirigit pueros, atque jubet ut apprehenſam filiam crudeliter perimant. Pergentes pueri finibus* Eccleſiæ puellam receptam reperiunt: & pauliſper morati ut genitoris ira frangeretur, comminantur mortis periculum At illa inquit: Mortem me formidare putatis? In hoc Eccleſiæ pavimento probate: ob talem etenim cauſam ovans mortem recipio pro eo qui pro me non dedignatus eſt mori. Nec mora B. Euſtaſius remeat, puellam à cuſtodia liberat, patrem terribiliter increpat: Religionis veſte per Pontificem urbis illius GUNDOALDUM nomine induit, ſacravítque ſalutaribus ſacramentis. Monaſterium quoque Virginum Chriſti ſupra paternum ſolum inter fluvios Mugram & Albam ædificat, Fratréſque qui ædificandi curam habeant deputat, germanum puellæ CHAGNOALDUM & WALBERTUM qui ei poſtea ſucceſſit [b], ut Regulam doceant decernit. In quo quantæ virtutes poſtea factæ fuerint, ſi vita comes fuerit, proſequi nitemur*.

A Patris ira eam liberat ac Deo ſacrat.

* *al.* finibus

b

**legè Vitam S. Burgundofaræ ad ann. 650.*

3. Reverſus ergo venerabilis vir Euſtaſius ad Luxovium, Magiſtri præceptum implere parat: ut gentes quæ vicinæ erant, Fidei pabulo alerentur. Progreſſus igitur Waraſcis [c] prædicat: quorum alij idololatriæ cultibus dediti, alij Fotini vel Bonoſi errore maculati erant. His ad Fidem converſis, ad Boïos qui nunc Bavocarij vocantur tendit, eóſque multo labore imbutos Fideíque liniamento* correptos, plurimos eorum ad Fidem convertit: ubi cùm aliquantiſper mo-

Vuaraſcos & Boïos ad rectam Fidem convertit.

c

**ſic MS.*

a Superis, id eſt ſuperſtitibus ſeu vivis, prout ad Prologum Vitæ S. Columbani interpretati ſumus.

b Nempe Euſtaſio in regimen Cœnobij Luxovienſis, ut in Vvaldeberti Elogio ad annum 665. dicemus.

c Mugra ſeu Mucra. Duplex eſt amnis ejuſdem nominis, uterque in Matronam influens, alter ſupra Meldas qui minor; infra idem opidum alter qui Mucra abſolutè, vulgò *le Morin* dicitur. Ille paullò infra Jotrenſe Parthenona, ad Orientem; hic itidem paullò infra S. Faræ Monaſterium olim Evoriacas appellatum, ad Aquilonem præterlabitur, recipítque ex parte Orientali rivulum prope idem Cœnobium decurrentem, quem Jonas ſine dubio *Albæ* nomine intelligit.

AN. CHR. DC. XXV. MARTII XXIX. ratus fuiſſet, dimiſit ſagaces viros qui cœpti laboris in ſtudio deſudarent; ipſe verò ad Luxovium remeare ſtudet.

Salabergam à cæcitate liberat.

4. Cúmque iter carperet, venit ad quemdam virum nomine GODOINUM [a], qui eo tempore ad villam quam Moſam * vocant ob amnem eo in loco fluentem morabatur. Is ergo cùm vidiſſet Euſtaſium, velut gratiſſimum munus domi recepit. Ingreſſus ergo Euſtaſius domum, præmiſſa benedictione poſcit ut liberos quos habebat repræſentet. Ille obediens, duos bonæ indolis liberos repręſentat. Quem vir Dei interrogans; Eſt, inquit, tibi adhuc proles? Ille fatetur præter unam filiam luminibus orbatam nomine ADALBERGAM *, ſe ampliùs non habere. Veniat, inquit, illa. Quam cùm vidiſſet, ſciſcitatus eſt, utrum juvenilis animus ad cultum Divini timoris adſpiraret. Affatim ut tenera quiverat ætas, ait ſe paratam eſſe ſacris præconiis obtemperare. Dedit ille operam & per duos dies jejunio corpus affecit, mẽtem fide armavit, ſuper oculos benedictionis oleum effudit: meruit tandem per interventum Sancti viri cæcitas lumen habere. Redintegravit ergo Divina pietas interventu famuli ſui luminis damna, ut hæc quæ lumen receperat, poſt Divina munera ad cultum timoris Dei uberiùs adſpiraret. Quæ nuncuſque ſupereſt Divinis obſequiis dedita: nec ſolùm ſuæ utilitati, ſed & aliis providet opportuna.

a * *Menſe*

* Salabergam, *lege Vitam infrà.*

Agilum ſanat.

5. Cùm progreſſus inde cœptum iter perageret, quemdam Fratrem AGILEM nomine, qui modò Reſbacenſi Cœnobio Præſul exſiſtit, vehemens febrium ignis arripuit. Quem Euſtaſius attigit, interventúque orationum ſanavit, & priſtinæ ſtatim ſoſpitati reddidit. Deinde perveniens ad ſupradictum Cœnobium *, ibi tam plebem interiùs, quàm vicinos populos ad Chriſtianum vigorem excitare ſtuduit: multóſque eorum ad pœnitentiæ medicamenta pertraxit: fuítque ejus ſtudii, ut multos ſuâ facundiâ erudiret. Nam multi eorum pòſt Eccleſiarum Præſules exſtiterunt, CHAGNOALDUS Lugduni Clavati *, ACHARIUS Viromandorum & Noviomenſis ac Tornacenſis Epiſcopus, RAGNACHARIUS Auguſtanæ [b] & Baſileæ, AUDOMARUS Boloniæ & Tervanenſis opidi.

Rediit Luxium *.

Diſcipulos Præſules habuit.

* *Laon*

b

6. Cúmque jam haberetur ab hominibus gratus, adeout nullus ſe B. Columbanum perdidiſſe gemeret qui ejus doctrinis imbutus fuiſſet, præſertim cùm cernerent in diſcipulo Magiſtri inſtituta manere, omniúmque Francorum Procerum honore fulciretur, & Chlotharii Regis amore ac veneratione clueret; exarſit ſolitò lividus adverſus Sanctorum famam hydrus *: excitátque ex ſinibus matris novum Caïn qui fratrem zelo velit exſtinguere; vel etiam novum proditorem qui Magiſtri dicta ſcinderet, & collidendo ſolida ad fragiles turbarum aures fragilem mentem accommodaret. Excitat unum è ſubditis AGRESTIUM nomine, qui quondam THEODERICI Regis Notarius fuerat, & quadam cordis compunctione tactus, omnia quæ poſſederat relinquens & ad Luxovium veniens, ſe & ſua omnia ſupradicto Patri tradiderat. Quid cuncta replicem? Religionis ſpeciem in Monaſterio geſtans, pòſt commeatum * poſtulat, ut Gentium eſſe prædicator permitteretur. Quem vir ſanctus diu objurgans increpat ſe ad tale opus minimè idoneum, rudem adhuc in religione putare, vel dignum dicens omnibus Eccleſiaſticis phaleramentis decoratum eſſe debere qui tale opus ſuſciperet. Hieremias enim Domini electione præmiſſus ſe dignum denegat dicens: *A, a, a, Domine Deus, ego puer ſum, neſcio loqui.* Moyſes electus à Domino ſe tardum linguâ teſtatur.

Agreſtium Monachũ à prędicatione compeſcit.

* diabolus

* *id eſt* licentiam

Ierem. 1.

Gen. 5.

7. His dictis cùm nihil proficeret, quem tenere non valet ire ſinit. Qui cùm

Agreſtius tandem ex-

a Vuataſcos in provincia Sequanorum *ad utramque Duvij ripam* ſediſſe, Scriptor Vitæ S. Salabergæ teſtatur. Imbuti erant erroribus Photini Sirmienſis quondam Epiſcopi, qui teſte Epiphanio Hęreſi 71. docebat Chriſtum ab initio non eſſe, ſed à Maria & hucuſque ipſum exſiſtere: quem in errorem impegit etiam Bonoſus Narſitanus in Dacia Epiſcopus. De Boïorum gente ad Vitam S. Salabergæ inferiùs agemus.

b Sic legendum cum MSS. non verò *Auguſtoduni*, ut apud Bollandum. *Auguſtana* nomine intellige Auguſtam Rauracorum, vulgo *Augſt*, (prope Baſileam, *Baſle*) urbem quondam, hodie in vicum redactam.

ad Bavocarios tendens veniſſet, paullulùm moratus nullum fructum exercens, velut alta platanus garrula ventorum folia tremulas quatit ad auras, ſed fructuum copiam neſcit. Deinde ad Aquileïam pertranſit. Aquileienſes etenim diſſentiunt à communione Sedis Apoſtolicæ (de qua Dominus in Evangelio ad B. Apoſtolorum Principem Petrum loquitur: *Tu es Petrus & ſuper hanc Petram ædificabo Eccleſiam meam, & portæ inferi non prævalebunt adverſus eam*) ob trium Capitulorum[a] diſſenſionem, ex qua diſcordiæ in longum incrementa manârunt, quod præſenti operi non eſt inſerendum. Itaque veniens Aquileïam, ſocius ſtatim ſchiſmatis effectus, à Romanæ Sedis communione ſejunctus, ac diviſus à totius orbis communione: qui cùm Romanæ Sedi jungeretur, damnabat inſulam Aquileïam Orthodoxam Fidem non tenere. Quo ſchiſmate imbutus epiſtolam venenoſam & increpationibus plenam ad B. ATTALAM per AURELIUM ADALVALDI Regis Longobardorum Notarium dirigit. Quam per multorum annorum ſpatia abditam habui, & poſteà meâ negligentiâ perdidi. Nec alius quilibet eam, ſed ipſe proprio ſtilo ſcripſerat.

A N. CHR. DC. XXV. MARTII XXIX. tortâ licentiâ ab Aquileïenſibus ſeducitur.

Matth. 16. a

Attalæ Abbati Bobienſi Epiſtolam venenoſam ſcribit.

8. Directâ itaque ad B. Attalam epiſtolâ ipſe ad Luxovium properat, & poſtea B. Euſtaſium ſchiſmatis aculeis tentat, ſi ſanam mentem ſuis veſaniis corrumpere queat. Quo venerandus vir comperto, diu paternis affaminibus errantem monet. Sed poſtquam ſalutaribus monitis mentem peſte corruptam & ſalubri antidoto curare nequiviſſet, à ſuo ſuorúmque collegio ſegregavit.

Luxovium reverſus, Euſtaſium pervertere tentat.

9. Refutatus ergo à B. Euſtaſio ſe huc illúcque vertit, ut nonnullos adſentationis ſuæ fautores facere queat. Sed cùm nihil ejus imperitia facere quiviſſet, B. Columbani Religionem offendit, adverſus Regulam ejus canino dente garriens, ac veluti cœnoſa ſus grunniens per quos potuit garrulitatis ſuæ murmur excitavit, annuente ſibi ABELLENO Genevenſis* urbis Epiſcopo, qui conſanguinitati ſuæ proximus erat. Is itaque Abellenus vicinos catervatim Epiſcopos ſibi jungere in Agreſtii auxilio omni ſtudio niſus eſt, itaut Regem CHLOTHARIUM tentarent, ſi eorum partis adſentator futurus eſſet. At ille ſciens & cognitam experimento habens B. Columbani ſanctitatem & diſcipulorum doctrinam, adverſus ſanctam doctrinam grunnientes ſuis ſtudet redarguere reſponſis. Cúmque nihil profeciſſet, ſtatuit ut Synodali examinatione probaretur, non ambigens de B. Euſtaſii auctoritate & doctrina, quòd omnes adverſantes Sanctę Regulæ prudentiâ & facunditate adminiſtrante ſibi Spiritu-ſancto ſuperaret.

Rejectus Epiſcopos in S. Columbani Regulam accendit.

* *Genevæ*

10. Emanante ergo regali auctoritate multi Burgundiæ Epiſcopi in ſuburbano Matiſconenſis urbis conveniunt: inter quos reſidebat maximus hæreticus, qui maximè Synodum fieri urgebat WARNACHARIUS, qui erat B. Euſtaſii adverſarius. Sed prevaluit B. Euſtaſii deprecatio, ut qui auctor miſeræ intentionis & adſentator fieri vellet, correptus à Domino per eum omnium vires frangeret. Prædicto ergo & ſtatuto die quando adverſus Euſtaſium altercatio oriretur, ipſe morte præventus interiit[b]. Fractis itaque in eo Agreſtianæ partis viribus turbantur omnes, & ſciſcitantur Agreſtium, quid adverſus Regulam B. Columbani vel venerabilem Euſtaſium objiceret. At ille trementibus labiis, & nihil auctoritatis ac elucubrati eloquii habens ait, ſuperflua quædam & canonicæ inſtitutioni aliena eorum ſtudiis teneri. Cúmque illum urgerent, tandem criminis

Refutatur in Synodo Matiſconenſi *anno* DC. XXIV.

b

a Quæſtio trium Capitulorum, quæ ampliùs uno ſęculo Eccleſiam exagitavit, exinde ſumpſit originem, quòd cùm Ibas Edeſſenus ac Theodoretus Cyrenſis Epiſcopi unà cùm Theodori Mopſueſteni in Cilicia ſecunda Antiſtitis recepti eſſent in Concil. Chalced. Act. 10. Conſulatu Martiani, Chriſti anno cccc. LI. habita VI Kal. Novembris; uno fere poſt ſæculo agente Theodoro Cæſareæ Cappadociæ Epiſcopo damnati ſunt à Juſtiniano Imp. quòd Neſtorio favere viderentur. Coactum eſt ea de cauſa Conſtantinopoli Concilium anno D. LIII. juſſu Imperatoris, in quo Concilio damnatio iterata, cui ſummi Pontifices primò repugnantes poſteà adſenſi ſunt, cùm multi Epiſcopi inprimis Aquileienſes in defenſione Trium Capitulorum perſiſterent. Lege Baron. Tom. 8. ad ann. 538. & ſeqq. Aquileienſes tandem ſub Sergio Papa reſipuiſſe, auctor eſt Paul. Diac. lib. 5. cap. 14. Hiſt. Longob.

b Hic ergo Vuarnacharius alius eſt à Vuarnachario Majore-domus, qui poſt Euſtaſium mortuus eſt, nimirum Chlotharii regni anno XLIII. Chriſti DC. XXVI. teſte Fredegario in Chron. cap. 54.

AN. CHR. DC. XXV. MARTII XXIX.

cauſam depromit: ſe ſuæ Regulæ habere, cochleam [a] quam lamberent crebrò crucis ſigno ſignari, & in ingreſſu cujuſlibet domûs intra Cœnobium tam introëundo quàm egrediendo benedictionem poſtulare. Cúmque illi nil dignum ſynodalibus diſſertionibus objici cernerent; Alia, inquiunt, ſi habet opponat. At ille prorupit dicens ſe ſcire Columbanum à ceterorum more deſciſcere, & ipſe Miſſarum ſollemnia multiplicatione Orationum vel Collectarum celebrare: & multa alia ſuperflua quæ cum auctore acſi hæreſes tradita exſecrari deberent.

a

Euſtaſius objectis calumniis ſatisfacit.

11. Audito beatus Euſtaſius hæreſeo nomine ſe cum ſuo magiſtro notari, ait: „Vos ô decus Sacerdotum, probare debetis, qui in Eccleſiis veritatis ac juſti„tiæ ſeminarium diſtribuant, & qui veritati ac veræ religioni aliena tradant. „Quidquid enim à norma veri tramitis diſſentit, extra Eccleſiæ corpus habe„ri debet. Veſtrûm eſt diſcernere objecta, an ſint Scripturarum ſerie aliena. At „illi aiunt: Tuo ore noſſe volumus quid dignum ex hoc in reſponſionibus reddas. „At ille; Nequaquam, inquit, reor contrarium eſſe Religioni, ſi cochlea quam „Chriſtianus lambit, vel quodcumque vas aut poculum ſigno Crucis munitur: „cùm per adventum ſigni Dominici pellatur peſtis adverſantis inimici. In„troëunte verò cellulam Monacho vel exeunte, benedictione Domini armari
Pſal. 120. „ratum duco juxta Pſalmiſtæ vocem: *Dominus cuſtodit te ab omni malo: cuſto„diat animam tuam Dominus. Dominus cuſtodiat introitum tuum, & exitum tuum „ex hoc nunc & uſque in ſæculum.* Licet hoc ad unumquemque Chriſtianum „referatur, ut gratia Baptiſmi per Fidem in Eccleſia introeunte ſervetur; ta„men quotidie manu ſua ſive in ingreſſu, ſive egreſſu, ſive progreſſu unum„quemque noſtrûm ſigno Crucis armari vel benedictione ſodalium roborari „fas duco. Multiplicationem verò Orationum in ſacris officiis credo omnibus „proficere Eccleſiis. Cùm enim plus Dominus quæritur, plus invenitur; & „cùm uberiùs oratione pulſatur, ad miſericordiam pœnitentium citiùs exci„tatur; nihil aliud plus deſudare debemus, quàm orationi incumbere. Sic enim
Matth. 26. „à Domino ſub Apoſtolorum numero hortamur: *Vigilate & orate ne intretis*
1. Theſſ. 5. „*in tentationem.* Sic enim nos & Apoſtolus ſine intermiſſione orare rogat: ſic „omnis Scripturarum ordo jubet clamare: qui enim clamare negligit, negle„ctus & abſciſus à Chriſti membris abjicitur. Nihil enim tam utile támque „ſalubre, quàm Creatorem multiplicatione precum & aſſiduitate orationum „pulſare.

Ob novam calumniam de tonſura, Agreſtium ad Dei judicium provocat.

12. His & horum ſimilibus reſponſis confuſus Agreſtius addit garrulitatis noxam calumniator, capitis comam aliter tondi [b], alio charactere exprimi, & ab omnium more deſciſci. Comperendinatim Agreſtio talia loquenti & frivola garrulanti, Euſtaſius ſagax, ut erat virtute patientiæ & ſcientiæ compertus, reſpondit: Horum, inquit, in præſentia Sacerdotum te ego ejus diſcipulus & ſucceſſor cujus tu diſciplinam & inſtituta damnas, ad Divinum judicium cum eo intra præſentis anni circulum cauſas dicturum invito, ut juſti judicij examine vindictam ſentias, cujus famulum tuis detractionibus maculare procuras. His dictis mentes quorumdam qui Agreſtij antè partis fautores erant perculit, hortantúrque omnes ut pacis nexu corda jungerent: & iſte præſumptæ temeritatis audaciam tolleret, & ille paterno affectu labentem piis correptionibus foveret. Ad quos B. Euſtaſius: Veſtris libens ſatisfacerem precibus, ſi mi-

b

a Iſta repetuntur ex Pœnitentiali S. Columbani, in quo qui non ſignaverit cochleare quod lambit, ſex percuſſionibus; egrediens vel ingrediens domum ſine ſigno Crucis, duodecim plagis ſubjacere tenebatur.

b Legendum tonderi. Nempe diſcipuli S Columbani tonſuram gerebant Hibernicam, quæ dimidiatam coronam reddebat: ſcilicet ab aure ad aurem per frontem in coronam ceſus erat capillus, ab aure ad aurem per occipitium capillus intonſus dependebat. *Ceterùm tonſuram eam quam magum ferunt habuiſſe Simonem, quis rogo Fidelium non ſtatim cum ipſa magia primò deteſtetur & meritò exſufflet? Quæ adſpectu in frontis quidem ſuperficie, coronæ videtur ſpeciem præferre, ſed ubi ad cervicem conſiderando perveneris, decurtatam eam quam te videre putabas invenies coronam*, inquit Ceolfridus Abbas in Epiſtola ſua apud Bedam lib. 5. Hiſt. cap. 22.

ſera

ſera mens duritiam vecordis molliret, & correctis cauterio mortis vel antidoto viſceribus deſectis, ad ſalutiferum caritatis fraternæ ſtatum remeare niteretur. Cogentibus ergo cunctis Agreſtius ſimulatè pacem poſtulat, quod poſtea actis depromiſit. Euſtaſius mitis animi & mentis virtutum conſciæ, favet ſuaſioni poſcentium, pacem tribuit, oſculum porrigit. ANN. CHR. DC. XXV. MARTII XXIX.

13. Attamen Agreſtius manifeſtam veſaniam verecundiæ metu pepulit, non tamen omnibus à malis abſceſſit. Cœpit namque deinceps Monaſteria tentare, & ſub ſpecie diſcipuli pretium proditionis taxare. Ad quemdam enim virum venerabilem ROMARICUM * veniens, qui primus inter nobiles fuerat apud THEODEBERTUM habitus, priuſquam per B. Columbani exemplum ac Euſtaſij prædicationem monitus, ad Luxovium veniens Monaſticæ inſtitutioni ſe ſubdidit. Quo diu ſub regulari tenore vitam agente, poſtea Euſtaſio annuente Puellarum Monaſterium in propria exſtruxit poſſeſſione: in quo & Regulam B. Columbani cuſtodiendam indidit. Cúmque jam multa religione polleret, ad eum Agreſtius pergit, ſeſéque ſubditum atque obedientem ſimulat: ſimúlque AMATUM quem ibi Euſtaſius ad imbuendam Regulam præfecerat, mollibus ſuggillationibus tentat. Nam eo in tempore ob quemdam neglectum tam Amatus quàm Romaricus ab Euſtaſio objurgati fuerant. Læſos ergo ut ſenſit, quò faciliùs exaſperatas mentes ſuis adſertionibus jungeret, ſtimulavit paullatim venenata verba ſanas mentes recipere, & in contemptum Regulæ B. Columbani propriam veſaniam propagare. Prô dolor! exſecrabili ſuaſu ac letifera imbutione monita ſana inſaniens maculavit. Qui abjectis inſtitutis priſtinis, rudibus conati fuerant inſtruere plebem doctrinis: & ſeducto juxta Job angue, manu obſtetricante Divina, rurſum zelo invidiæ reducere non metuunt. Romaricum & Amatum ſeducit. * *lege Acta infra.* *Job 26. 13.*

14. Deinde ad BURGUNDOFARAM iter dirigit, ut eam ſuis ſtimulationibus ſi valuiſſet commacularet. Quem Chriſti Virgo non femineo more, ſed virili confodit reſponſione. Num tu, inquiens, confoſſor veritatis & novorum introductor argumentorum, ad hoc huc acceſſiſti, ut veneno tuo dulcia melle perfunderes, & vitalia alimenta letali amaritudine commutares? Eis tu detrahis quorum ego virtutes experta cognovi, quorum doctrinam ſalubrem recepi, ex quorum eruditione multos cæleſtia regna penetrâſſe comperi. Meminiſſe te velim Iſaïæ dictum: *Væ qui dicunt malum bonum, & bonum malum.* Accelera, & prorſus ab hac veſania feſtinus recede. Confutatus ergo his Chriſti famulæ reſponſis, rurſus ad Romaricum vel Amatum repedat, ut cœptam deceptionis rugam contrahat. Burgundofaram fruſtra tentat. *Iſa. 5.*

15. Nec defuit Divina ultio. Cùm ad hoc jam omnes adſpirarent ut contemptûs priſtinarum adſentatores forent Inſtitutionum, primùm lupi rabiei morbo detenti duos ex his qui fautores erant hujus adſertionis per intempeſtam noctem intra Monaſterij ſepta inrumpentes morſibus laniârunt, atque cum rabiei peſte derelictos miſerabiliter morti tradiderunt. Alium PLAURELIUM nomine qui adhuc diſcordiæ fomitem vehementer adſpirabat, dæmonum rabies pervaſit, atque ignobiliter morti tradidit, nam propria manu ipſe ſe laqueo ſuſpendit. Sed cùm hæc ultio nequaquam fieret correptio delinquentium, protinùs major ſecuta eſt. Nam ſubitò fulgur è cælo elapſum terribili fragore percutit locum, Eccleſiam pervagatur, ſubvertit tegumenta, plebem urit, examinat: ut ſcilicet præſens correptio, qui ſimplicitate nimia, præveniente calliditate jam permixta ignavæ perſuaſioni adſenſum præbuerant, monſtraret futuram debere fugere iram. Mortui ſunt ad præſens viginti: deinde metu perculſos paullatim mors rapit: itaut ex ea ultione, ſicut aiunt, ampliùs quàm quinquaginta morerentur, nempe auctore criminis reſervato ad pœnitentiam, ut ſi agnoſcat culpam & redeat ad veniam, proculdubio ſanitatem recipiat. Nullum etenim Dominus perire deſiderat, ſed ſemper quamgravibus delictis obrutum per pœnitentiæ fomenta redire exſpectat. Ejus fautores puniti.

16. Cúmque iſdem Agreſtius ſæpiùs ſibi pœnitentiæ locum datum non co- Agreſtius & ipſe mala morte perit.

AN. CHR. DC. XXV. MARTII XXIX.

gnoviſſet, ut Euſtaſij ſententia ad judicium invitantis prævaleret, ante triginta dierum circulum quàm vertentis anni meta compleretur, à ſervo ſuo quem ipſe redemerat ſecuri percuſſus interiit. Occaſio criminis dicebatur permixtio uxoris: quod quamvis multi dixerint, & verum adſerere velint, noſtrûm tamen hoc affirmare non eſt. Cuncta enim juxta Salamonem adducet Dominus in judicium pro omni erratu, ſive bonum ſive malum. Et Apoſtolus: *Vniuſcujuſque opus quale ſit, ignis probabit.* A nobis tamen dicendum eſt, quòd juſta eum ſententia Divini judicij ideo ferire non diſtulit, ut & adſentatoribus fugere à lacerationibus ſanctorum famulorum Dei monſtraret, & ille contumaciæ commiſſa per meritam ultionem lueret. Amatus verò ac Romaricus venerabilis Euſtaſij convenientiam poſtulantes recipiunt, atque deſidiâ ſubmotâ fruuntur.

Eccl. 12.

1. *Cor.* 3.

Amatus & Romaricus reſipiſcunt.

Multi ſub Regula S. Columbani Monaſteria conſtruunt.

17. Abellenus verò vel ceteri Galliarum Epiſcopi pòſt ad roboranda Columbani Inſtituta adſpirant. Quammulti jam in amore Columbani & ejus Regulæ Monaſteria conſtruunt, plebes adunant, gregem Chriſti congregant. Inter quos inluſter tunc vir ELEGIUS, qui modò Virimandenſis Eccleſiæ Pontifex præeſt, (de quo quia ſupereſt, non meo judicio quod ſupereſt fulciendus eſt, ne adulationis noxa reprehendar) juxta Lemovicenſem urbem Monaſterium nobile Solemniacum [a] nomine conſtruxit ſupra fluvium Vicennam *, diſtans à ſupradicta urbe millibus quatuor, & alia multa in iiſdem locis Cœnobia: ſed & in Pariſius Puellarum Monaſterium quod de Regio munere ſuſceperat, ædificat, in quo Chriſti Virginem AUREAM * nomine præfecit. In Bituricenſi verò urbe, Puellarum Monaſterium [b] ex B. Columbani Regula BERTHOARA nobilis genere & religione femina conſtruxit. Itémque in ſuburbano [c] Bituricenſis urbis vir venerabilis THEODULFUS cognomento BOBOLENUS Monaſteria ex Regula Columbani omni religione pollentia conſtruxit, primum in Inſula ſupra fluvium Milmandram, ubi Religioſorum adunavit catervam; alium Gaudiacum nomine, haud procul à fluviolo Albeta; tertium Chriſti Virginum congregationi, loco nuncupato Carantomo ſupra fluvium jamdictum Milmandram; itémque aliud Chriſti Virginum, juxta Nivernenſe opidum ſub eadem Regula conſtruxit.

a * *la Vienne*

* *lege ejus Vitam infrà.*

b

c

Euſtaſius ad mortem ſe præparat.

18. Beatus verò Euſtaſius has poſt victorias corrigere delinquentes ſtudet ac ſuæ parti adunare decernit. Deinde Monachorum ſub ejus obedientia in ſæpefato Cœnobio concio maxima erat, ut ex hoc jam multa per vicina loca Monaſteria conſtruerentur: quæ ejus ſucceſſor B. Wandelbertus firmavit atque ædificavit. Jamque beatum de hac vita exitum præſtolans, omni intentione ad contemplanda myſticorum præconiorum documenta deſudat, ſoli-que Deo mente intenta preces fundens dirigit preces. Cúmque jam per multorum curricula annorum in hoc opere intentè vacaret, evenit tempus vocationis ejus: datúrque ſententia juſti Judicis, ut quod minùs annorum circuli diverſis afflictionibus peracti purgaverant, paucorum dierum corporis infirmitas curaret. Interrogatus inter pœnæ incendia per viſionem nocturnam, ſi quadraginta dierum ſpatio leviori pœna curari vellet, aut potiùs triginta ferventiori incendio purgatus vita beata functus cælos penetrare, reſpondit ille: „Melius eſſe quamvis durioribus in brevi ſubjici flagellis, quàm lenioribus longis conſumi pœnis. Explevit ergo proviſam atque electam pœnam corporis triceſimo die: omnibúſque valedicens, triſte remanentibus promiſſum depro-

Dies 30. ægrotat.

Moritur ſumpto Viatico.

a De Solemniaco (*Solignac*) Cœnobio Ord. S. Bened. lege Vitam S. Remacli infrà.

b Monaſterium à Berthoara conſtructum, nunc redactum eſt in Eccleſiam Collegiatam, quæ B. Mariæ de Salis, vulgo *Noſtre-Dame de Sales* dicitur.

c Loci ſuburbani nomine intellige urbis territorium ſeu tractum urbi ſubjectum, quem aliàs pagum vocant, unde ſuburbicariæ regiones. Certè Milmandra fluviolus, vulgò *la Marmande*, & Albeta *l'Aubois*, de quibus hîc, decem fere milliaribus Gallicis ab Avarico Bituricum diſtant. Ex Monaſteriis à Boboleno conſtructis primum deſtructum eſt, uti & Gaudiacum, tertium *Charenton* dictum Puellarum Ord. S. Bened. adhuc ſubſiſtit, æquè ac quartum ejuſdem Ordinis ſub nomine B. Mariæ.

mit, atque ſui exitûs horam eadem eſſe die denuntiat. Viatico itaque ſumpto animam cælo reddidit, ſolúmque deſideriúmque ſupernorum & paternum regimen viventibus & religionis exemplum dimiſit. Ipſe autem cum victoriæ pace tertio Kalendas Maij [a] ætherea penetravit regna [b] duce Chriſto, cui eſt virtus & honor in ſæcula ſæculorum, Amen. AN. CHR. DC. XXV. MARTII XXIX.

a Anno ſcilicet Chriſti DC. XXV. Nam in Vita *S.* Salabergæ num. 7. cutam Fratrum Luxovienſium *tribus non parum minùs egiſſe luſtris* dicitur poſt Columbanum, qui anno DC. X. Luxovio pulſus eſt. Euſtaſio ſucceſſit VUALBERTUS ſeu VUALDEBERTUS, cujus geſta ad annum DC. LXV. referemus.

b Legendum IV. Kalend. Maij, quemadmodum conſtat ex antiquis Martyrologiis Vuandalberti & Adonis, qui Ado Euſtaſium primo loco ita commendat: IV. *Kalend. Maij Depoſitio S. Euſtaſij Abb. diſcipuli S. Columbani, qui Pater fere ſexcentorum exſtitit Monachorum, & vitæ ſanctitate conſpicuus, etiam miraculis claruit.* Corpus S. Euſtaſij (ut doctiſſimus Henſchenius adnotavit) adſervatur Vuargavillæ, vulgo *Vergaville* in Lotharingia, in Abbatia Sanctimonialium Ord. S. Bened. diœceſis Mettenſis prope Dieuzam opidum (*Dieuze*) aquis Salariis percelebre, quo in loco S. Euſtaſius maximè in liberandis energumenis & amentibus reſtituendis elucet.

VITA S. ATTALÆ ABBATIS BOBIENSIS SECUNDI, AN. CHR. DC. XXVII. MARTII X.

Vitæ S. Columbani inſtar ſecundi libri ab JONA Monacho Bobienſi addita.

Ex Chronologia Lirinenſi, Henſchenio & codd. MSS.

I. Attala Columbani ſucceſſor ab Arigio inſtructus Lerinum petit.

UM ergo venerabilis Columbanus de hac luce migrâſſet, ejus in locum Attala ſuffectus eſt [a] omni religione laudabilis: cujus poſt magiſtrum virtutes claræ fulſerunt. Hic ex Burgundionum genere nobilis natione fuit, ſed nobilior ſanctitate per veſtigia magiſtrum ſecutus. Sed qualiter rudimenta illius inter ipſa primordia uberem profectum adquiſierint, prætermittendum non eſt. Itaque cùm patris ſtudio nobili liberalibus litteris imbutus fuiſſet, ARIGIO [b] cuidam Pontifici à genitore commendatus eſt. Sed cùm ſe nihil utilitatis agere cerneret, cœpit rudis affectus ad potiora anhelare, dedítque operam ut poſtpoſitis phaleramentis ſæculi Monachorum jungeretur cohorti. Clam ergo à ſodalibus progreſſus duobus pueris contentus ad Lirinenſe Cœnobium venit: quo diu vitam degens cùm nequaquam cerneret Regularis diſciplinæ habenis ceteros colla ſubmittere, cœpit anxio animo trutinare, quo potioris conſilij aditûs viam panderet. Progreſſus ergo inde ad B. Columbanum Luxovio tenus venit. Quem vir ſanctus cùm ingenij ſagacis ſollertem eſſe cerneret, ſuo miniſterio junxit, ac in omnibus divinis monitis erudire tentavit. Poſtea Luxovium.

II. Abbas factus à ſuis exagitatur.

Ergo cùm egregiè poſt B. Columbanum ſupradictum Cœnobium regeret, & in omni diſciplina Regularis tenoris erudiret; contra eum antiqui anguis verſutia letiferum diſcordiæ virus noxiis retibus laxare cœpit, excitans aliquorum contra eum corda ſubditorum, qui ſe aiebant nimij fervoris auſteritatem ferre non poſſe, & arduæ diſciplinæ pondera portare non valere. At ille ſagaci ut erat animo pia fomenta prębere, & ſalutaris antidoti quo ſanies putrefacta abſcideretur potum dare ſtudens, mollire tumentia corda nitebatur. Denique caſtigatos cùm ſecum tenere non valeret, mærore animi turbatus multis precibus cum pietatis obſequio proſequebatur ut ſe non relinquerent, & ab

a Nempe apud Bobienſe Monaſterium, ut ad Præfationem Vitæ S. Columbani dictum eſt, quod etiam ex Art. 3. ſequenti conſtat.

b Is eſt S. Arigius ſeu Aridius Vapincenſis Epiſcopus, qui Concil. Valentino & Matiſconenſi II. anno D. LXXXV. interfuit, & Dalmaticarum uſum à Gregorio M. obtinuit, Regeſt. lib. 7. Ep. 113. Ejus Vitam lege apud Philippum Labbeum To. 1. Biblioth.

An. Chr. dc. xxvii. Martii x.

ardui itineris calle non deviarent, reminiſcerentúrque Patres per mortificationem & contemptum præſentis vitæ regna cælorum poſſidere. Cúmque ſe nihil jam proficere cerneret, nec alibi trahentes animos ſuæ ſocietatis habenis irretiri poſſe vidiſſet, pertinaces ire ſinit: qui poſtquam ſegregati ſunt ab eo, alij eorum marinis ſunt ſinibus recepti, alij locum eremi ob libertatem habendam petiêre. Qui temeritatis ſuæ atque arrogantiæ inibi poſiti, mox in obtutu damna ſenſêre. Nam cùm his in locis morarentur, & virum Dei ſuis detractionibus laniarent, unus eorum qui Rocolenus dicebatur, qui & jurgiorum, ut credebatur, incrementa miniſtrabat, ſubito igne febrium accenſus inter pœnas incendij clamare cœpit, ſe ſi valuiſſet ad B. Attalam venire velle & admiſſi criminis damna pœnitentiæ medicamento lenire. Nec mora, vix hæc dicere ei licuit obmutuit, ac extremum halitum dimiſit. At hi qui aderant, videntes viri Dei injurias Divina ultione vindicari, plurimi eorum ad virum Dei remeant, ſuáſque noxas confitentes ſe in omnibus ſi recipiantur emendaturos pollicentur. Quos vir ſanctus miro gaudio acſi è luporum ore ereptas oves recepit, ſuíſque locis ſuas agnoſcentes culpas reſtituit. At verò alij qui verecundia prævenientè vel temeritate ac arrogantiæ vitio maculati redire noluerunt & datum pœnitentiæ locum non redeundo contempſerunt, diverſis mortibus ſunt direpti: ut manifeſtè daretur intelligi, ſocios eos fuiſſe ejus in excitanda contumaciæ incrementa, quem ultio Divina percuſſerat, & propterea cum ceteris veniam non meruiſſe. Nam unus eorum Theodemundus nomine ſecuri percuſſus interiit: alius dum parvi fluminis alveum tranſmearet, irretitis poplitibus per parvulam fluvij undam necatus eſt: tertius verò qui Theutarius dicebatur, cùm ſe in mare portaturum carinæ tradidiſſet, dimerſus eſt. Videntes hæc qui adhuc ſupererant, verecundia ſummota poſt ſocios ad B. Attalam repedant. Qui ab ipſo ut ſuperiùs alij recepti & ſalvati ſunt.

Pœna rebellium Monachorum.

III. Fluvij inundationem compeſcit.

Alia ab eo patrata miracula omnium in ſupradicto Monaſterio Fratrum teſtimonio approbantur: inter quos ego poſitus & Beati viri miniſterio deputatus tenebar, cùm quodam in tempore fluviolus cujus ſuperiùs mentionem fecimus Bobius nomine, turgidis aquarum molibus violenter ac rapaci curſu defluens, ut ſolent torrentes ex Alpium cacuminibus dilapſi & imbrium effuſione aucti, ita iſte ſaxorum rupes & arborum congeries nimia vi tumeſcens coacervaret, molinum Monaſterij rapido curſu ſuffodere ac totam officinam ociùs demergere nitebatur. Quo fragore audito cuſtos molini nomine Agebodus ad molinum pergit, ut videret ſi tanti fragoris moles inibi diſpendij damna generaret: ubi cùm veniſſet, vidit niſi celeri auxilio ſubvenirent, cuncta fore diripienda; feſtinúſque Patri nuntianda credit, ut ſolamen præbeat, quo oportunè neceſſaria ex aquarum fluctibus liberarent. Ad quem vir Dei: Vade, inquit, voca mihi Sinoaldum Diaconem, tu verò ſtratu receptus ſomnum cape, nec metu aliquo detentus mœrori corda ſummittas. Erat enim mane, priuſquam aurora funderet grata lumina terris. Venit ergo Sinoaldus ad virum Dei, cui B. Attala ait: Apprehenſo baculo quo ſuſtentor vade ad Bobium, imperantíſque voce dicito ſigno Dominicæ Crucis prælato, ut iſtas deſinat perfodere ripas, nec præſumptæ audaciæ modos ſuppleat, ſed alia cedens latera iſta ſinat eſſe illæſa, imperiíſque ſe cognoſcat Domini receſſurum. Quo viri Dei imperio ſupradictus vir obediens, cum fidei adminiculo pergit, & impoſito ripæ baculo imperat, ut ſe ex viri Dei præceptis, annuente Divina potentia, illo promoveret à loco, aliáque collis latera violento conatu cedat: móxque obediens fluvius relicto alveo collis latera cedens, fluenta per ardua collis latera velut ales ſtrictos latices ſuſtentabat, quoaduſque alvei concava paterent, quo ſuſtentante liquidò fluerent. Jámque prorumpens aurora mundo ut lumen panderet ſurgebat, & cœpit intra ſemetipſum cogitans Sinoaldus dicere: Vadam & videbo ſi viro Dei violenti fluctus obedierint. Venítque ad ripam alvei, & vacuum cernens, ſpectabat qualiter alterius collis latera cederet, ut ſibi alveum quo flueret ape-

riret. Feſtinúſque ad virum Dei venit, pearactæ victoriæ trophæum nuntiavit. Cui vir Dei: Nullatenus me, inquit, in hoc ſæculo vivente ulli dicere præſumas. Proculdubio ut ne favor adulatorum cor plenum virtutibus macularet. Quod vitium quamvis diverſis ſint virtutibus ditati, ab omnibus eſt Sanctis ſtudiosè fugiendum. Nam hoc callidus hoſtis malitiosè ſtudet, ut dum in majoribus ac certis culpis Sanctos Dei maculare non valet, ſaltem vel in occultis quæ minora videntur polluat. AN CHR. DC. XXVII. MART. X.

Factúmque eſt deinceps, cùm aliquo in tempore unus Monachorum nomine FRAIMERICUS ad frumenta ſerenda vomere tellurem excoleret, ſubitò ſtivæ firmitatem duræ glebæ aſperitas peremit atque confregit. Quam cùm ſupradictus Frater componere conaretur, ſubito & inopinato ictu ferramenti pollicem ex læva præcidit, ſulcóque conditum ſuperpoſita gleba velut funus ſepulturę tradit, relictóque vomere ad Monaſterium pergit, Patríque confeſſione humo proſtratus prodit. Quod videns vir Dei; Ubi eſt, inquit, pars abſciſi pollicis? At ille fatetur à ſe terræ conditum, ſulcóque ſepultum. Malè, ille ait, feciſti, cur mihi non detuliſti? concito ergo gradu nulli cauſam indicans perge, ſumptóque eo huc deporta. Ille itaque egreſſus pergit; imperatúmque pollicis damnum deportat. Erat enim ſpatium per ardui montis dorſa flexuoſo itinere tendentia vel interfluentis Triviæ* alveum quaſi milliarii unius. Porro vir Dei ſuſcipiens fruſta pollicis, ſuis ſalivis illitum manui junxit, conjunctúſque pollex carnis glutino velut antea fuerat adhæſit, tacitóque ſilentio ut abeat imperat. O mira virtus omnipotentis! qua ſic ſuos in terris glorificat, ut frigida abſciſáque membra eorum interventu priſtino decori reddat.

IV. Digitum Monacho abſciſſum reſtituit.

NOTA.

* *la Trebia* flumen

Iſdem etenim vir cùm quodam in tempore ad Mediolanum urbem veniſſet, ibi quidam puerulus in extremis febrium anxietatibus poſitus, vitæ tantùm exſpectabat exitum: cujus parentes audito B. Attalæ adventu feſtino ad eum properant curſu, eúmque precantur ut illis ſubveniat. Quod cùm vir Dei diſſimulare voluiſſet, fletibus ac terribilibus ſacramentis eum compellant, ut priùs non eat quàm noxius ardor ſe ſupprimat, ne iſdem languidus eo abſcedente vitalibus privetur auris. Anxius ergo & popularis favoris tumores fugiens; Ite, inquit, ego utpotero vos proſequar. Veniens ergo Baſilicas & Sanctorum loca circuit, próque infirmo precatur ut protinus ſoſpitati reddatur. Deinde ut promiſſæ fidei impleret effectum, ad infirmum feſtinus venit, & ne quis largitoris hujus muneris præco exſiſteret, domum latenter ingreſſus infirmum attigit, móxque virtus Divina ſanctis ejus precibus favens ſoſpitati priſtinæ ægrum reddidit. Grates ſimul parentes Conditori referunt, qui ſic ſuorum ad petitiones famulorum pietatis ſuæ accommodat aures. Erat enim iſdem vir gtatus omnibus, ſingularis fervoris, ſingularis lenitatis in peregrinis & pauperibus: noverat & ſuperbiæ reſiſtere, & humilibus ſubditus eſſe; ſapientibus condigna rependere, & ſimplicibus myſtica aperire. In ſolvendis ac diſponendis quæſtionibus ſagax, adverſus hæreticorum procellas vigens ac ſolidus, fortis in adverſis, ſobrius in proſperis, temperans in omnibus, diſcretus in cunctis. Redundabat amor & timor in ſubditis, redolebat doctrina in diſcipulis; nullus juxta eum vel mærore tenebatur, vel nimia lætitia extollebatur.

V. Puerum moribundum ſanat.

Ejus virtutes.

Cúmque jam eum ab ærumnis hujus ſæculi rerum Reparator liberare vellet, monſtrare ei per viſionem voluit ut de mundo egreſſurus paratum in omnibus iter haberet, quinquaginta dierum ſpatio ſuſpenſo, quo iter pararet venturum: ſed non apertè viri Dei animus cognoverat iter iſtud exitum eſſe vitæ, an ad alium quemcumque locum eſſet progreſſurus. Utrumque tamen vir Dei præparat. Septa Monaſterii denſat, tegumenta renovat, omnia roborat, ut ſi abeat nihil imbecille dimittat: vehicula quoque refovet, libros ligaminibus firmat: ſupellectilia ablui, diſſuta conſui, corrupta componi, calciamenta parari, ut omnia præſtò ſint jubet. Ipſe verò jejunio & vigiliis atque orationibus corpus afficit, itaut numquam intentiùs antea in oratione viſus fuiſſet deſudare. Et ne

VI. Obitum ſuum divinitus prædiſcit.

An. Chr. DC.XXVII. Mart. X.

cui ridiculum videatur, referam quid in me iſdem vir egerit. Cùm jam novem annorum per circulum in Monaſterio converſatus fuiſſem, & ſæpe parentibus poſtulantibus ut eos ex permiſſu ſuo viſerem, nec impetraviſſent; nullo exinde mentionem faciente ait: Vade feſtinus, fili, & matrem fratrémque viſita, & nulla mora præpediente revertere. Cúmque differrem & temporis opportunitatem evenire in proximo dicerem; (erat enim tempus nimii frigoris, tempus ſcilicet Februarii) at ille ait: Accelera aggredi iter quod tibi dixi. Neſcis utrum inpoſtmodum liceat agere. Datis ergo comitibus Blidulfo preſbytero & Hermenoaldo Diacono, de quorum religione nihil dubitabatur, ad deſtinatum pervenimus locum[a]. Erat enim locus Siguſia, urbs nobilis, quondam Taurinatum colonia, à Monaſterio diſtans centum quadraginta millibus, ubi ut pervenimus, gratuitè à genitrice poſt tantorum intervalla annorum ſuſcepti ſumus, ſed non diu optato genitrix fruitur dono. Nam eadem nocte febre correptus inter incendia clamare cœpi, me viri Dei precibus torqueri, ne inibi contra interdictum quantiſper morarer: ſi non me citò moveant, quocumque potuiſſem conamine ad Monaſterium repedare, me citò morte præveniendum. Mater ad hæc: Melius mihi eſſet, fili, ut te ibi ſanum ſcirem, quàm hîc mortuum deflerem. Fateor longum fuit diei exſpectare adventum. Vix erumpente aurora, retro repedare ſtuduimus, me nec quidquam cibi capiente, donec medii pænè itineris loca pertingeremus. Feſtinantibus ergo ac iter urgentibus ſoſpitatem rurſum recepi, venientéſque ad Monaſterium Patrem jam febribus detentum reperimus, ac morti proximum: quibus viſis gratulatus eſt. Sícque apertè cognovimus viri Dei in hoc prævaluiſſe preces, ut me vis febrium urgeret citò ad Monaſterium ante ejus exitum redire.

Jonæ ex patria reditum accelerare facit.

VII. Crucem ſalutat.

Cui cùm jam in ſupremis vitæ præſentis hora fungeretur, cùm adhuc vigens halitus ſupereſſet, ſe foras cellulam protrahi jubet: ſurgénſque de ſtratu quo valebat conamine, ſuſtentantibus undique Fratribus foris cellulam progreſſus, adſpiciens Crucem quam ipſe in eodem loco poni præceperat, ut egrediens ingrediénſque cellulam, tactu ejus ſuam frontem muniret, cœpit mæſtas lacry-
» mas fundere ac trophæum Crucis memorare: Ave, inquit, alma Crux quæ
» mundi pretium portâſti, quæ vexilla ferens æterna tu noſtrorum vulnerum me-
» dicinam attuliſti: tu cruore ejus illita es, qui ut genus humanum ſalvaret, è cæ-
» lo in hanc lacrymarum vallem deſcendit, qui in te primi Adæ rugam extendit
» dudum, geminámque ſecundus Adam lavacro maculam abluit. Dúmque hæc agerèt, precatur omnes ut abeant, ſeſéque cellulæ reddant, ſibíque pauliſper locum quietum præbeant. Abeuntibus ergo omnibus unus tantummodò nomine Blidemundus poſt tergum viri Dei tacito anhelitu ſtetit, cogitans viri Dei poplites feſſi ut erant, fractis conatibus caſum ſi incidiſſent, ſe ad ſuſcipiendum eum paratum fore. Cùm ergo nullum ſupereſſe putaret, cœpit Conditoris clementiam cum lacrymarum ubertate conquirere, ut largitatis ſuæ ſibi acſi indigno dona largiri dignaretur, & veteres maculas delens, omnia ſaluti redintegraret, háncque antiquã miſericordiam exercens ſe cæleſti munere non abdicaret. Tum inter mæſta ſuſpiria & fluentes lacrymas cælos intuens, vidit ſibi ſubitò eoſdem apertos, quos per multarum horarum ſpatia intuens uberes cordis rugitus promebat. Gratias deinde refert Omnipotenti, qui ſibi januas cęli apertas monſtraret, quas poſt paullulùm corporis membris anima exuta penetratura eſſet. Facto inde ſigno juſſit ut Fratres advenirent, qui eum cellulæ redderent. Hæc nobis ſupradictus Frater eadem die retulit. Hanc quippe conſolationem famulo ſuo Chriſtus oſtendit, ut extremos halitus ſecurus de futura venia, immò gloria ovans dimitteret. Quod vir Dei occultare voluiſſet, ſi ſupradictus Blidemun-

De ſua ſalute certus factus moritur.

[a] Apud Bedam & Vincentium Barralem in Chronol. Lerin. hæc leguntur: *ad deſtinatum pervenimus locum, à Monaſterio diſtantem centum & quadraginta millibus. Vbi cùm venimus, gratuita pietate à genitrice, &c.* Ex noſtra verò lectione, quam ex MSS. Compendienſi & Regniacenſi edimus, apparet quæ fuerit Jonæ patria, quem nonnulli Scotum ſeu Hibernum perperam fingunt.

dus abditè poſt ejus dorſum non remanſiſſet. Altera verò die valedicens Fratribus omnibus, exhortans eos ut cœptum iter non relinquerent, ſed in melioribus actibus roborati quotidie perſeverando firmarentur. Conſolatus ergo cunctos, vitæ præſentis nexibus abſolutus, animam cælo reddidit[a]. Meritò enim rerum Reparator Sanctos ſuos virtutum copiâ adornat ſicut ſcriptum eſt: *Spiritus ejus ornavit cælos*: quia illi ad cæleſtem vitam anhelantes, ejus præceptis parere ſtudent, ut de labore fructus recipiant vitæ æternæ. A N. CHR. DC. XXVII. MART. X. Iob. 26. 13.

a Nimirum anno DC. XXVII. Nam Ariovaldo Langobardorum Rege in Adalvaldi locum ſubrogato (quod anno DC. XXVI. contigiſſe ex Paulo Diacono in lib. 4. Hiſt. Lang. cap. 5. conſtat) adhuc in vivis erat Attala, à quo Blidulfus Monachus Ticinum miſſus *obvium habuit Ariovaldum Regem Langobardorum*, inquit Jonas in Vita S. Bertulfi infrà. At Honorius Papa Bertulfo Attalæ ſucceſſori Privilegium conceſſiſſe tertiò Idus Ianuarias Indict. 1. ſeu anno DC. XXVIII. legitur in Italiæ Sacræ To. 4. Ubi de Epiſc. Bob. Et S. Blitmundus Attalâ mortuo in Monaſterium Leuconaënſe reverſus eſt vivente adhuc Chlothario Rege, ut ex fine Vitæ S. Vualarici probatur. Anno proinde Chlotharij mortem præcedente, Chriſti DC. XXVII. B. Attala mortuus eſt, & quidem VI. Idus Martias teſte Uſuardo, qui eum Attalum vocat.

DE SANCTO ATTALA

CARMEN,

Auctore FRODOARDO Remenſi Canonico, poſtea Monacho, in lib. 14. Carm. 19.

Ex MS. codice RR. PP. Carmelitarum Excalceatorum Conventûs Pariſienſis.

MAGNIFICO Patri* magnus ſuccedit alumnus
ATTALA, cui celſam peperit Burgundia ſtirpem.
Pontifici datur hic genitore ferente colendus*,
Artior anguſtum ferveſcit ſcandere callem.
Sic clam progrediens, Monachorum Caſtra peragrat,
Et potiora calens*, dicto fert colla Patrono,
Atque COLUMBANO tradit ſe luce regendum.
Ille ſibi nectens, quæſito lumine flammat,
Dum* petitur virtute vicem ſupplere Magiſtri,
Dignus ubi egregiè pro Caſtris prælia ſanctis
Exercens, anguiva* doli fert bella furentis.
Carpitur auſterus tepidis durúſque remiſſis,
Avellit teneros* lateri fera lingua Sodales,
Diripit, atque eremi per devia raptat operta.
Incentor doctórque mali ſævo uritur igne*,
Supplicii clamans meritam ſe pendere pœnam.
Nec facilem quit adire Patrem captando piamen,
Quin rapitur, mutúſque animam dimittit in auras.
His pavidi comites repetunt Patris atria plures,
Atque ut oves tritâ capiuntur fauce lupina.
Aſt qui tutorem faſtu tempsêre ſuperbo,
Convulſi variis conſumunt cladibus auſus.
Hi ferro plexi, rapidis hi fluctibus hauſti,
Inveniúntque piam quotquot rediêre medelam.
Prævalidis Patris iſtius modò vota patrantur,
Imperiis clarent, precibus modò digna profuſis.
Hæc Bobius quondam violentis imbribus auctus
Molibus effuſus, lymphâque tumente rotatus

* Columbano

* erudiendus

* deſiderãs

* Donec

* diabolica

* imperfectos

* febris

AN. CHR. DC. XXVII. MART. X.

Approbat, indictus * ſacris removere furorem,
Vellere farriteri fabricam vexare molini
Inhibitus, poſito leges ſtatuente bacillo,
Et Crucis ad ſignum monitis parente fluento,
Arduáque aggreſſo facilem fugiendo meatum.
Viſa tropæa redit SINOALDUS prodere Patri.
Virtutem quoque magnifici probat ille Magiſtri,
Ruricolæ inſiſtens operi, ſtifáque* medendæ,
Cui lęvæ pollex dextrâ reſecatur iniquâ.
Jámque datus glebis, Patri dum promitur actum,
Educi tumulo ac paſſus per mille jubetur
Deferri, imbutúſque ſacris moderante ſalivis
Fracturæ Medico vitámque ferente ſepultis,
Jungitur unifico viduatæ glutine palmæ,
Præcipitúrque datam tacitè tractare ſalutem.
Sic quondam puerum ſpirare ſuprema putatum
Viſere, ſolatiis votíſque juvare rogatus,
Adventu incolumem precibúſque dat ire vigentem.
Inter plura dein virtutum geſta piarum
Hunc Deus ærumnis cenſens abſolvere anhelis,
Lumine luſtrari pacis, fotúque quietis,
Tempora certa iteris * ſignat jamjámque petendi.
Et licet ipſe dies poſt quinquaginta meandum
Quò ſit, non adeò monitis dicatur apertis;
Præparat apta remanſuris tamen, atque migranti
Septa Monaſterii denſans tegmenta reformat,
Ac ſtudet invalidum nihil ut lapſúmve reſidat.
Emunit reparátque libros, nexátque ſolutos.
Excubiis precibúſque vacans jejunia ductat,
Corpus contribulans animam cæleſtibus aptat.
Diſcipulo * poſt nona novæ reparamina meſſis
Viſere flagrantes ſeſe ſpectare parentes
Pręcipit, atque morâ nullâ impediente reverti.
In geminíſque viam ſectans cuſtodibus auctus,
Complecti genitrice datur ſub luce diurna,
Nox equidem repedare monet, febríſque perurgens
Compellit clamare Patris ſe ardere querelis,
Exitióque rapi, mora ſi teneat redeundi.
Móxque die callem repetens remeante cupitum,
Salvatur remeans, febrium vis linquit euntem,
Sanatus Patrem reperit ſuprema trahentem.
Adventu tamen exhilarat, funúſque paternum
Tormentum * videt eſſe ſuum celerémque regreſſum.
At Pater extremos monitus pangénſque notánſque
Se Cruce communit, Crucis edita * pronus adorat,
Attollénſque Crucem lacrymis & laudibus ornat.
Tum ſecreta petens veterum delicta proborum
Abſtergi rogitat, fletúque rigante repurgat.
Sic inter gemitus triti & ſuſpiria cordis
Attollens oculos, cælum ſibi cernit apertum:
Glorificánſque Deum grates dependit & odas.
Subſtiterat ſe clam teſtis qui viſa referret,
Panderet acceptæ qui diva levamina vocis.
Altera lux terris jam cælica dona ferebat,

* ſtivæ

* Jonæ

* *id eſt* cauſa tormenti &c.

Ille

* julius

* itineris

* alta

Ille vocans ſummúmque vale dans Fratribus, addit
Exhortans, cœptis maneant, potiora capeſſant.
Sic verbo genitos ſolans abſolvitur imis,
Et pia ſidereæ mentis fert flamina cælis.

VITA SANCTI AMATI

Circ. An. dc. xxvii. Sept. xiii.

ABBATIS HABENDENSIS I.

Auctore Monacho Anonymo ſuppari, qui etiam SS. Romarici & Adelphi Acta conſcripſit.

Aucta & reſtituta ad MS. cod. V. C. Andreæ Cheſnij.

OBSERVATIONES PRÆVIÆ.

1. AMATOS *duos, Luxovienſem unum, Montiſ-Romarici alterum, diſtinguit perperàm Trithemius, cùm* S. AMATUS*, *cujus Acta hic ſubjicimus, primùm fuerit Monachus Agaunenſis, deinde Luxovienſis, ac poſtmodùm Montis Romarici Abbas; non confundendus cum Amato Abbate Agaunenſi, quem Theodorico Rege, Chlodovei junioris filio, Sedunenſi Eccleſiæ præfuiſſe Franciſcus Auguſtinus in Hiſt. Chronolog. Pedemont. advertit. Quo etiam tempore S. Amatus Senonum Epiſcopus florebat.* * S. Amé

2. *S. Amati Vitam ſcripſit Monachus anonymus ac ſubæqualis, à Surio phraſi mutata ſine Præfatione editus, idémque ipſe, ut videtur, qui SS. Romarici & Adelphi Abbatum Geſta litteris commendavit. Ætatem ſuam indicat in ſubjecta Vita num. 5. dum B. Amati Cellam & trabem miraculo auctam ſe vidiſſe teſtatur: & in Vita S. Romarici* ſe ejus diſcipulis æqualem vixiſſe num. 9. & ult. prodit, ac demum Adelphi Abbatis Acta* poſt tres annos ab ejus morte à ſe ſcripta innuit num. 2. S. Amati Vita ſcripta eſt ad* CLYDONEM, *fortè Abbatem Montiſ-Romarici poſt Adelphum.* * ad ann. 658. * ad ann. 670.

3. *S. Amati meminit Ado in Martyrol. Idib. Septemb. his verbis:* Eodem die S. AMATI Preſbyteri & Abb. Monaſterio Romarici. *Addit Vſuardus in ſincero apographo:* qui miræ abſtinentiæ & Anachoriticæ vitæ ſectator, virtutum & miraculorum gratiâ illuſtrem converſationem duxit. *Uterque eum* Preſbyterum *vocat, quod quidem ex Vita num. 10. conſtat: uterque Monaſterium cui Amatus præfuit,* Monaſterium Romarici *appellat, quod ab hujus Vitæ Scriptore num. 28.* Monaſterium Habenſe *dicitur, legendum* Habendenſe, *ſeu* Habundenſe, *uti in Vita S. Adelphi num. 6. ſic dictum à caſtro Habundi ſeu Habendi* quod Romaricus in Cœnobium duplex, Virorum ſcilicet ac Virginum, convertit, ſitum in Voſago haud procul à Moſella in arduo monte, unde* Monſ-Romarici, Monsſanctus, *vulgò* Remiremont *à poſteris dictus eſt. Illic plures Eccleſias* conſtructas aiunt, in quibus jugem pſalmodiam à Virginibus ſeptem in turmas diſtinctis decantandam B. Amatus inſtituit, ad quem modum S. Salaberga idem in Cœnobio Laudunenſi præſtitit*. Illic Monachis Abbates præfuerunt* AMATUS, ROMARICUS, ADELPHUS, *&* GARICHRAMNUS, *de quo in Vita S. Adelphi; Virginibus verò* MACTEFLEDIS *ſeu* MACTEFREDIS *(quam primam fuiſſe Abbatiſſam, non Gertrudem, conſtat ex Vita S. Amati num. 18. & ex notatis ad Vitam S. Romarici num. 5.)* S. CLARA *ſeu Cacilia,* GEGOBERGA *antè dicta, (cui Vita S. Romarici nuncupata eſt) &* TECTA *ſeu Tetta, quæ alio nomine Cebetrudis ſeu Gebetrudis dicitur in Vita S. Adelphi, cui* S. PERPETUA *ſucceſſiſſe dicitur.* Num. 28. * Romberg * Eccleſia S. Mariæ in Vita S. Amati nu. 25. Eccleſia S. Petri in Vita S. Adelphi num. 6.

4. *Iſtud Cœnobium primò quidem in vertice montis ædificatum, ſed poſtea ab Hunnis everſum, à Ludovico III. Imp. in radice montis trans Moſellæ fluvium reſtitutum accrevit in opidum, quod vernaculè* Remiremont *appellatur: ubi Sanctimoniales adſumpto pridem Canonicarum nomine & habitu, Regulæ Benedictinæ ſubjectæ manent, etſi ſola Abbatiſſa noſtris temporibus Vota ſollemniter profiteatur. Fallitur Marnavitius, dum in Notis ad S. Columbani Opera, S. Benedicti Regulam in Parthenone Romaricenſi nuſquam obſervatam adſerit, quod vetuſtis Cœnoby Inſtrumentis in Obſervationibus prævis ad S. Romarici Vitam refellemus.* * Vita ad ann. 655. Monaſterii Romarici ſtatus præſens.

1. IMPERIIS tuis, beatiſſime CLYDO*, eloquio quidem exiguo, ſed voto uberrimo parêre diſpoſui. Præcipis itaque, ut ſancta illa opera quæ in hac luce egit B. AMATUS, litterarum paginis in proceſſu temporis mandare debeam, nec ſilentio magis fore prætereundum, quod dignum eſt ſummis laudi- Præfatio Auctoris ad Clydonem. * al. Dido

CIRCA AN. DC. XXVII. SEPT. XIII. bus celebrandum. Nunc igitur annuente Domino & te jubente pauca de multis expediam, tamquam ſcilicet litteratis viam hujus itineris oſtendens.

Amatus nobilis Grationonopolita, Monaſterio infans traditur. 2. Hic denique temporibus DAGOBERTI Regis, ſicut moribus egregius, ita in cunctis ſanctitate, nomine & actu Amatus fuit. Nobilibus natus parentibus ex Romana oriundus ſtirpe in ſuburbano Grationopolitanæ* civitatis præclaræ indolis puer exortus eſt, patre videlicet nomine HELIODORO, ſummæ Chriſtianitati innixo. Cùm ergo eſſet vir devotiſſimus, filium Amatum ut Monaſticis traderet excubiis devovit, atque beati Mauricii* liminibus mancipandus adoleſcens tamquam munus Deo acceptabile offertur. Haud mora poſt temporis ſpatium à primævo inter Scholares imbutus, primus in bonis habetur.

* *Grenoble*, in Provincia.

* *nimirum* in Agaunenſi Monaſterio, *infrà nu.* 12.

Eremum clam petit. 3. Nam cùm Monaſticis normis jugiter incumbens, ut fere per annos triginta ſeſe totum dediſſet, majoris eremi ſecretum expetens clam à ſeptis Monaſterii egreſſus, paullulùm procul in devexa excelſiſſimi montis rupe ſemet athleta contra diabolum pugnaturus dedit. Nam cùm ab Abbate ſui Monaſterii vel à Fratribus anxio & ſollerti quæreretur ſtudio, triduano ille cum jejunio peracto, vix tandem per obliqua montis ſaxoſi inter periculoſos ſcopulos ſancta reperiuntur veſtigia, & perventum eſt ubi Sanctus latitabat quidem hominibus, ſed præſtò erat Deo. Cúmque repertus fuiſſet, ut ad Monaſterium remearet depoſcunt, quia Abbas Fratréſque anxii mærentéſque eſſent pro illo, vel quid ſibi vellet iſta abſceſſio ſciſcitarentur. Ilico ait: Sinite me, Fratres, obſecro in hoc arto locello mea admiſſa deflere, atque Redemptori meo ſedulo deſervire obſequio.

Inventus in Monaſterium redire recuſat.

Pane & aqua poſt triduum veſcitur. 4. Nam cùm ex his eum evellere non potuiſſent, tunc aiunt: Quid vis ut tuæ ſit ſuſtentationis alimentum? Saltem indica nobis. Tum ille; Panis, inquit, & aqua poſt triduum, quouſque Dominus voluerit ſuppletum jejunium: ut tribuantur mihi potiora non flagito, nec egeo, & hic * hordei ſit. Hæc dicta illúmque inventum narrant Abbati. Tunc unus deinceps eligitur ab Abbate miniſter è Fratribus cui nomen BERINUS, qui continuis ei famularetur obſequiis. Acceptóque igitur pane urceóque aquâ repleto pergit ad virum Dei: híſque datis diſceſſit. Cúmque vir Dei orationi incumberet, tentator in corvo adfuit, furatóque pane aquam effudit. Sed ſurgens Amatus his contemplatis ait: Gratias tibi ago, Domine JESU-CHRISTE, quia meum augeri jubes jejunium. Et hoc perpetuum aderit ſuffragium, quoniam nihil eſt in hoc mundo quod abſque tuo geratur arbitrio.

* *nempe* panis

Dæmon ei panem furatur.

Trabem breviorem auget in cellæ ædificium. 5. Poſt aliquod igitur tempus parvum eidem conſtruitur antrum. Sed artifex menſuram cubiculi non tenens, accedit ad virum Dei dicens: Sine me, vir Dei, ad locum quo cęditur lignum, quoniam trabis duorum manubriorum menſura brevior eſſe videtur. Tunc ille: Noli, inquit, Fili, ſed revertere & metire: habeo fidem. Revertens igitur metiénſque lignum reperit tot largius, quot dudum fuerat brevius. Ilico remeans ad virum Dei narrat quod actum eſt. Tum ille: Sile, inquit, & noli illud recidere, quoniam donum Dei eſt. Ego enim teſtis ſum, quia forinſecùs tegimen ceteris eminentem ſupraſcriptam menſuram vidi.

Auctor miraculi teſtis.

Fontem orando è ſaxo elicit. 6. Aliud denique miraculum per eumdem virum Dominus fecit. Cúmque jam per anni ſpatium eidem aqua de vallium amnibus à miniſtro deferretur, condolens injuriæ Fratribus ait: Accedamus, Fratres, & eamus ad ſaxum hoc & oremus, quoniam potens eſt Deus aquam de petra producere. Oratione igitur completa ſurgunt utrique, atque baculo quem vir Dei manu geſtabat ſilicem percuſſit. Egreſſáque mox lympha perennis manat, ibíque parare juſſit ciſternam plumbeam. Hanc ergo repletam aquâ foras eructantem jugiter vidi.

Labore proprio vivit. 7. Poſthæc autem in eadem rupe parvulum ſpatium terræ reperiens abſciſo nemore campellum fecit, utpote capientem quartam partem modii, in quo hordeum ſerere ſolebat. Juſtum quippe eſt, dicens, ut proprio unuſquiſque vivat labore.

8. Habuit autem & infra cellulam molam[a], quam tunc manu agebat, cùm canenti ei feſsíſque membris ſomnus obreperet. Calciamentis nullo ibidémque tempore utebatur. Locellus autem in quo ad molendum pedes extendere conſueverat, minutis & acutiſſimis lapillis repletus erat. Itaque mos illius exſtitit, ut tentationem carnis vel ſomnum corporis per laborem molæ abigeret. CIRC. AN. DC. XXVII. SEPT. XIII.

[a] Molam vertit ad excutiendum ſoporem.

9. Quodam autem tempore cùm in campello quem excolere vir Dei ſolitus erat foderet, de excelſa montis rupe ſaxo immani ruente cellulæ ſuæ intuitus mox imminere ruinam, quod reor diabolica compuliſſet aſtutia; ſícque ſignum crucis depingens ait: In nomine Domini JESU-CHRISTI præcipio tibi ne ampliùs deſcendas. Cúmque jam in propinquo tegmine manſiunculę eſſet, ſtatim ſiſtens monti inhæſit. Pendet autem ex latere & monti inhæret, nec omnino ſpeluncam lædit. Crebrò autem diabolus cum ſuis ſatellitibus accedens, concutiendam & evertendam cellulam à monte funditus minabatur. Ille verò in Domino fortiſſimus prœliator inconcuſſum & intrepidum geſtabat pectus dicens: Dominus mihi adjutor eſt, non timebo, quid faciat mihi homo. Saxi molę à dæmone impulſam à cella avertit.

10. Denique illius loci Epiſcopus[b] familiariſſima ei erat devinctus caritate. Qui cùm crebra viſitatione delectaretur adeſſe virum Dei propter Chriſti amorem paupertatem ſectantem, decrevit auri quantitate ſolari, utrum ſibi an pauperibus voluiſſet decernere. Ipſe verò ait: O bone Prę ſul, hæc quæ à te offeruntur, illis tribuenda ſunt quibus major neceſſitas incumbit. Ego autem ſpretis retinaculis mundi, nudus egreſſus ſum de terra, nudus revertar in pulverem. Is namque cùm hæc importuno precatu inferre vellet nec potuiſſet, clam cùm egrederetur altariolo quo Miſſas celebrare adſuetus erat, aurum ſuperpoſuit. Cúmque ex more nocte ſubacta ad ſacra Myſteria horâ legitimâ famulus Chriſti veniſſet, repertos ſolidos tamquam inimici exſecrans inſidias, in vallium ima præcipiti demerſit jactatu dicens: Dominus pars hereditatis meæ; ego his non indigeo. [b] Epiſcopi ſui pecuniam rejicit.

11. Vervecum quippe pellibus membra tegebat. Temporibus namque Quadrageſimæ, quinque nucleis nucum cum parvo poculo aquæ in quotidiana refectione illius, pòſt veſpertinis laudibus peractis, vilis quidem ſed Deo placita menſa parabatur. Interdum quippe triduana crebróque prolixiora protrahens jejunia, feſſus membris, ſed Spiritu-ſancto repletus, Chriſto jugi famulabatur obſequio. Balnearum fomentis bis tantùm ibidem utebatur in anno, ante ſanctum videlicet Domini Natalis diem, ejúſque ſacræ Reſurrectionis Paſchæ. Hæc erat illius ſui corporis cura. De cetero verò pleraque latent occulta quæ tunc geſta ſunt miracula. Veſtis ejus ac cibus in Quadrageſima. Balneum bis in anno.

12. Temporibus autem illis in partibus Voſagi vir egregius & religione celeberrimus Abbas EUSTACHIUS conſtabat. Tunc fortè accidit ut egreſſus, metas penetraret Italiæ[c], introiénſque Cœnobium Agaunenſe ſciſcitari cœpit, quis inter primos ſanctitate primus ibidem haberetur. Tunc aiunt: An fortaſſis ignoras ſanctum virum Amatum, qui in hac excelſiſſima rupe jam fere per triennium duram gerit vitam? Illéque his auditis confeſtim montis perartam & pæne greſſu labentem conſcendit ſemitam: inventóque viro tanta caritate amplexus eſt, ut nullatenus pateretur eum ſibi deeſſe. Quid plura? Revertens igitur ab Italia ablatum ſanctum hominem Luxovium uſque perduxit, affirmans lucernam non eſſe ſub modio occultandam, quin potiùs illis qui in domo Domini ſunt lumen præbendum, & illum perfectiorem viam poſſe tenere qui proprias ſedes reliquerit. Amatus à S. Euſtaſio viſitatur. Luxovium abducitur.

13. Denique converſatus aliquod temporis ſpatium in Monaſterio illo ſanctus Omnibus carus.

[a] B. Germanus Pariſiorum Epiſcopus & S. Radegundis molę vertendæ in Quadrageſima præcipuè inſudâſſe leguntur in primo ſæculo Benedictino pag. 322.

[b] Nempe Epiſcopus Sedunenſis, fortè Leudemundus, de quo Fredegarius in Chron. cap. 44.

[c] Anno ſcilicet Chriſti DC. XIII. cùm Euſtachius ſeu Euſtaſius juſſu Chlotharii ad S. Columbanum profectus eſt. Lege Vitam S. Columbani auctore Jona in fine, ſuprà ad an. 615.

CIRC. AN. DC. XXVII. SEPT. XIII. Amatus ab omnibus amatus effectus eſt. Erat utique ſerenus vultu, hilaris adſpectu, præclarus & celer eloquio, cautus & firmus conſilio, compunctioni deditus, profuſus in lacrymis, temperatus in proſperis, mitis & lætus in adverſis, moribus egregius, ſanctitate fulgentiſſimus, caritate in omnibus præditus, abſtinentiæ diſcretioni innixus. Sic utique omnibus bonis ditatus tamquam lumen magnum in mundo renitebat. Factum eſt autem in illis temporibus directus à Fratribus ut quaſdam urbes Auſtraſiorum luſtraret: multa enim gratia prædicationis in illo vigebat.

Verbum Dei prædicat.

Romaricum ad ſæculi contemptum adducit.

14. Vir autem nobilis erat in palatio & honorabilis in populo, cui nomen ROMARICUS*, ſub laïco habitu, ſed jam tunc mentem gerebat religioſam. Nutu ergo Divino, ut credo, annuente, ad hujus domum hoſpitalitatis gratiâ ſanctus adfuit Amatus. Intuitus autem virum Dei, cum multa reverentia & honore ſuſcepit eum. Cúmque jam menſa poſita eſſet, cœpit inter epulas flagitare, ut ſibimet deſideranti verbum ſalutis nuntiaret. Mox ille cùm velox & cautus eſſet in verbo exorſus ait: » Cernis hunc diſcum argenteum, quantos iſte dudum ſervos habuit, quantóſque deinceps habiturus eſt. Et tu velis nolis nunc ſuus ſervus es, » quoniam ad ſervandum eum poſſides. Sed nunc æquum ſuper ſe edentibus reddidit ſuffragium, de quo à te qui eum nunc ſervas ratio in futuro requirenda » exigetur. Scriptum namque eſt: *Aurum & argentum veſtrum æruginabit, & æruginis eorum in teſtimonium vobis erit.* Unde Dominus ait: *Væ vobis divitibus qui habetis conſolationem veſtram.* His denique auditis Romaricus ait: Obſecro Sanctitatem veſtram aliquantulùm dierum mecum facite, & narrate quid faciam, quoniam id ſolùm quod olim angens geſtiebam, modernis nunc annuente Domino congratulor adfore temporibus. Tunc Amatus exorſus ait: » Auſcultа » paullulùm vir bone. Cùm ſis nobilitate parentum excelſus & divitiis inclytus, » ingenióque ſagax, miror ſi non noſti reſponſum Domini. Cùm quidam eum » interrogaſſet quomodo vitam æternam capere poſſet dicens: Magiſter bone, quid faciam ut habeam vitam æternam? Et paucis interpoſitis eidem dicitur: *Si vis ad vitam ingredi ſerva mandata.* Dicit illi adoleſcens: Omnia hæc cuſtodivi à juventute mea, quid mihi adhuc deeſt? Ait illi JESUS: *Si vis perfectus eſſe, vade, vende omnia quæ habes & da pauperibus, & habebis theſaurum in cælo, & veni ſequere me.* Audiens autem hoc vir Domini Romaricus deſiderio & amore Dei refertus, non multis poſtactis diebus ſpretis divitiis & rebus ſæcularibus detonſum ſervitio Domini ſui caput ſe ſe Monaſticis imbuendum tradidit normis.

* *Vita ad ann. 653.*

Luc. 5.

Luc. 6.

Matth. 19.

Puellare Cœnobiũ cum Romarico condit.

15. His ritè edoctus per idem tempus, conſilio proculdubio Omnipotentis Dei agente, ſanctus magiſter Amatus & diſcipulus ejus Romaricus ſub magna ſanctitate atque ſummæ perfectionis religioſiſſima intentione Monaſterium Puellarum condunt.

Debilem pedibus curat.

16. Hoc autem dum ædificaretur, quidam contractus pedibus, ablato greſſu quatiebatur infelix. Adfuit igitur ſancto Amato obſecrans ſibimet priſtinæ virtutis incolumitatem præbendam. Tunc almificus vir ait: Domini mei JESU CHRISTI eſt tibi dare quæ poſcis, Fili mi. Sed miſericordiâ motus rurſus dixit: Et quia video his te indigere, eſto nobiſcum ſaltem paucis diebus, oremúſque pariter Dominum. Habeto ergo fidem & dabitur tibi à Domino quod poſtulas, quomodo affatim benigna eſt miſericordia ejus. Quid plura? In proximo temporis tribuitur debili greſſus, atque rurſus arva plantas dudum peregrinas terenda exſultantes recipiunt, & graditur deinceps homo pedibus propriis, qui pridem pedibus geſtabatur alienis.

Dæmonem à Monacha pellit.

17. Puella ſanctimonialis in eodem Cœnobio abſque licentia Senioris pomum edendum præſumpſit, ſed mox diabolus ingreſſus, eamdem diſcerpere cœpit. Tunc nuntio præpeti Amatus adeſt & mox adſtantibus ait: Numquid non prædixi vobis quòd inimicus noſter diabolus tamquam leo rugiens circuit quem devoret? Denique Puellis ait: Oportet, ô Filiæ, ut iſte immundus ſpiritus vigiliis

& orationibus, jejuniis atque oratione pellatur. Et his finitis Dæmon aufugit. Cúmque incolumis fuiſſet reddita Sororibus, vir almificus dixit: Intuemini, dulciſſimæ Sorores, quid vobis præſtiterit Dominus, ſicut ſcriptum eſt: *Reſiſtite diabolo, & fugiet à vobis.* Conſuetudo utique illius erat, ut id quod ſuis orationibus Dominus tribuebat, aliorum meritis actum fuiſſe adſcriberet. CIRC. AN. DC. XXVII. SEPT. XIII. *Iac.* 4. 3.

18. In hoc eodémque Cœnobio hic vir elegit unam quæ Sororibus præeſſet, & hæc erat deſiderio Domini plena & religione præcipua, cujus nomen erat MACTEFLEDIS [a]. Hanc ad exemplum ſummæ ſanctitatis ceteris imitandam propoſuit: ſed omnipotens Dominus qui ſuorum ſemper eſt fidelium ſuffragator, volens ejus laboribus & ſancto deſiderio quantociùs æterna præmia reddere, priuſquam in hac ſollicitudine duorum annorum curricula ut conjicio peregiſſet, ad finem hujus vitæ pervenit. Mactefledem Abbatiſſam inſtituit. *a* Illa poſt biennium moritur.

19. Sed una ex Sororibus præcedenti nocte per viſum miræ magnitudinis ſtellam egredientem de Monaſterio vidit cælóſque introëuntem conſpexit. Præfata autem Mactefledis cùm in ipſo articulo ſuæ vitæ jam in ingreſſu anima eſſet, quædam Soror ait: Canite Pſalmos, quoniam jam Mater noſtra nos reliquit. Illa inter hæc ait: Silete paullulùm, quoniam S. Paulus nondum adeſt. Et poſt puſillum annuit ut canerent. Sicque ſancta illa anima de hac luce lęta properavit ad Dominum.

20. Porro S. Amatus ſemper eremi ſecretum diligens, infra profunda vaſtaque Voſagi caſtrum reperiens, ſicut inpræſentiarum cernitur Monaſterium, tranſmigravit: ibíque opitulante Domino multis Virginibus pſallentium per ſeptem turmas in unaquaque turma duodenis pſallentibus die noctúque jugiter inſtituit. Sed ipſe in obliqua montis parte concavum reperiens ſaxum, anguſtum ſibi ſoli habitaculum [b] præparavit, habuítque lectulum in alveolo ad ſtatûs ſui menſurã factum. Siquidem & ſpecus ampliùs longiúſque non eminebat, & deſuper immanis rupis dependebat, atque per hanc miniſter funi tintinnabulum ligatum parvam particulam panis cum modico aquæ poculo homini Dei Amato præbebat. Dominicis verò diebus egrediens, Fratribus vel Sororibus jugiter ſanctas Scripturas relegebat, admonens illos ad æterna gaudia & ad cæleſtem patriam quantociùs properare. Totus enim erat dulcis conſilio, totus amabilis eloquio: plenus quippe erat Spiritu-ſancto, cæleſte ſemper meditans opus. Moris ſui fuit, ut dum jugiter hilarem vultum gerebat, ad inſtar racemi guttas lacrymarum ab illius oculis defluere videres. Sæpe enim præſago ſpiritu etiam quorumdam cogitationes prodebat. Amatus jugem pſalmodiam inſtituit. In antrum ſe recipit. *b* Dominicis diebus ad ſuos verba facit.

21. Quadam itaque die dum quidam Frater in præſentia ſui graderetur; Siſte, inquit, Frater mi, quò loquar tecum. Vereor dulciſſime meus, ait, ne fortè inimici veſania ac ſubtilitas aliquid tibi cupiditatis malum contra Regulæ decretum proprium habere injiciat. Tunc ille ait: Abſit à me ſecùs quippiam agere, niſi id quod tua Sanctitas prædicat, & noſtra continet Regula. Inter has igitur confabulationes, ſanctus vir oram cucullæ tenens, utroque digito hinc inde complexus conſutum infra trientem reperit, móxque dixit: Hîc ergo quid habes Frater mi? Confeſtim ille pavore percuſſus pedibus ſancti viri ſeſe proſtravit dicens: Heu mihi miſero, tremiſſem furatus ſum. Tum ille; Surge, inquit, & age pœnitentiam: qui furabatur jam non furetur. Fratrem proprietatis reum benigne ad pœnitentiam provocat.

22. Quodam denique die Puellæ Sanctimoniales dum apum examen recipere geſtiunt, ſanctus vir adfuit. Erant autem ibi duo vaſa apibus parata. Quibus ait: Vultis hoc examen recipere? Dicunt ei: Iſtud vas lacte & bona herba linivimus, in hoc recipiendæ ſunt apes. Nolite, ait, ſed in aliud vas recipiantur. Et his dictis abiit. Illæ ergo poſtponentes ſancti viri mandatum, in vas quod pa- Sanctimoniales ab apibus obedientiam diſcunt.

a Sammarthani primam illius Cœnobij Abbatiſſam vocant Gertrud m. Addit Johannes Ruyrius in lib. Antiq. Voſagi cap. 14. in Recap. Gertrudem & Clatam Romarici filias fuiſſe, nixus charta quadam Romarico adſcriptâ.

b Illic Eccleſia parœcialis S. Amato ſacra hodie cernitur.

CIRC. AN. DC. XXVII. SEPT. XIII. raverant apes aptaverunt. Sed contra juſſum viri Dei capturam intromiſſæ fere per quinque dies nec volatum capiunt, nec ſuarum neceſſitudini florigeras decerpunt ſilvas. Crebrò autem advenientes puellæ pulſant vas. Illæ quidem vivæ intromurmurant, nec tamen foras egrediuntur. Tandem Puellæ juſſa hominis Dei ad memoriam revocantes, ad eumdem pergunt & narrant ei omnia. Tum ille; Ite, inquit, & migrate eas in vas de quo dixeram. Quod cùm factum fuiſſet, tamquam de cuſtodia carceris exeuntes, mox lætæ & volatum capiunt & eſum, atque omnibus ibi laborantibus ampliora illæ lucra fecerunt. Multa quidem miracula in hac vita vir iſte peregit, quæ nunc ut ſtilo pandantur, affatim ſatiſque prolixum volumen facient. Nunc ergo ad illa narranda properemus quæ propinquante die obitus ſui laudabiliter fecit.

Amatus moriturus pœnitentiam publicam agit.

23. Amatus igitur ante anni peracti circulum imminere obitûs ſui diem quibuſdam Fratribus prænuntiavit. Erat itaque Frater quidam quem familiari retinebat amore, quo accito ait: Si noſti ab ineunte ætate ſub quanto ſtudio & caritate te nutrierim, volo ut ea quæ tibi præcipio facias ſecreta, & cautè peragas, quoniam apropinquare jam meæ mortis exitum proculdubio credas. Habeto igitur ſocium ad hoc opus CASTORIUM noſtrum Preſbyterum, pergéſque in ſilvam hanc, atque cinere evecto facite de cilicio culcitam meam, quam repletam cinere in lectulo ſtratus mei ponite, quoniam de quibuſdam factis meis me oportet pœnitere & libet. Tunc Frater ille; O Domine, inquit, quomodo hoc poteſt fieri ut ſuſtineas talia, quoniam pro longa abſtinentia & tribulationibus multis jam feſſus es membris. At ille: His, Frater, te ignorante olim uſus ſum, ſed robuſtum me fecit Dominus ſemper in illis eſſe. Confeſſionem, inquit, meam coram omnibus facere diſpoſui & pœnitentiam legitimam accipiens, ita opto de ſæculo quandoque exire. Tu verò age quæ dixi. Factum eſt igitur quod præcepit. Jam non pòſt exactis multis diebus, accitis Fratribus, ſi qua ſe meminit deliquiſſe, proſtratus cilicio & cinere in eorum præſentia publica voce confeſſus eſt. Hanc igitur dum gereret pœnitentiam, inæqualitatem corporis paſſus jugi quatiebatur dolore. Sed vir Sanctus cognoſcens peccatorum ſuorum purgationem * tempus adveniſſe, in his infirmitatibus multipliciter exſultabat.

NOTA.

* *l.* purgationis.

Salutaria ſuis dat monita.

24. Aderant denique qui coram eo ſanctas Scripturas legerent. Veniebant namque catervatim & Fratres qui verbum ſalutis ab eo audirent. Cúmque jam iſti imbuti recederent, alij imbuendi accedebant. Similiter Ancillæ Dei horis competentibus turmatim commeantes plenam ab eo de vita ventura capiebant doctrinam. Cúmque jam propè anno peracto in hoc cilicio & cinere membris infirmitate plenis, diebus ac noctibus jugiter orationibus incumberet, cute & carnibus ſublatis oſſa pura patebant. Sed vox illius perſeverans cum fletibus ſemper erat ad Chriſtum. Venit ergo ultimus dies lætus quidem animæ ſuæ, ſed Fratribus & Sororibus amarus. Paſſim tunc per omnes cellulas illas fletus & mæror regnabat. Lugebant igitur ſemetipſos à tanto viro deſertos eſſe, ſed congratulabantur illi jam Angelorum contubernia adeptum fuiſſe. Mox itaque cùm ad finem veniſſet, cuidam Fratri præcepit dicens: Affer, inquit, epiſtolam Leonis Papæ miſſam ad S. Flavianum, quoniam in ipſa pleniſſima ratio Fidei Catholicæ continetur. Allatáque epiſtola coram eo legebatur. Cúmque in præſenti recenſeretur, ſanctus vir dicebat: „ Sic credo, Trinitas „ ineffabilis; ita confiteor, Deus omnipotens; ita de te ſentio, Filius Dei JESU„ CHRISTE qui pro noſtra ſalute dignatus es in hunc mundum venire; ſic de „ te intelligo, Deus æterne Spiritus-ſancte: unum Deum in Trinitate, trinúm„ que in unitate confiteor; ita edoctus de tua ſentio Incarnatione, piiſſime „ Chriſte. Quid plura? Per univerſas ſententias ſuam ſemper aptabat confeſſionem [a], ſcilicet ut vir Sanctus ſe in omnibus orthodoxum comprobaret.

Solidum annum in cinere ac cilicio agit.

S. Leonis epiſtolam ſibi legi jubet.

a

a Hanc confeſſionem & pœnitentiam egiſſe videtur Amatus, eoquòd Agreſtio ſeu Agreſtino ſchiſmatico paulumper cum Romarico adhæſerat.

25. Denique cùm eſſet in ſancta humilitate prę cipuus, indignum ſe reputans infra valvas Baſilicæ ſepeliendum, in introitu oſtij Baſilicæ S. MARIÆ ſuum parari ſepulcrum juſſit, ſcribens deſuper titulum quem ipſe edidit hoc modo dicens: „ Omnis homo Dei qui in hunc locum ſanctum ad orandum introieris, „ ſi merueris obtinere quæ poſtulas, pro anima AMATI pœnitentis hîc ſepulti „ Domini miſericordiam deprecari digneris: ut ſi quid mea parvitas de meis „ peccatis obtinere non potuit tepidè pœnitendo, obtineat veſtra tantorum „ caritas ſedulè Domini miſericordiam deprecando. CIRC. AN. DC. XXVII. SEPT. XIII. Extra Eccleſiam ſibi parat ſepulturam. Epitaphiũ ſuum dictat.

26. Congregati ergo Fratres atque Sorores, univerſuſque ſexus, lugentes prę ſtolabantur exitum ſancti viri, Evangelia ſcilicet legentes, atque Pſalmos hymnóſque coram lectulo decantantes. Inter has igitur voces veniam ab univerſis petens atque eis valedicens, ita emiſit ſpiritum [a]. Tunc exſultare magis ibi libet, ſed flere potiùs compellitur. Flent ergo Monachi, plangunt devotæ Puellæ, lugent univerſi populi, ſexus uterque, adoleſcentes atque infantes, ſanctum virum defunctum fuiſſe, ſéque orphanos ac angentes relictas eſſe. Nota modum juvandi moribundum. *a* Amatus moritur.

27. Sepultus eſt ergo loco [b] quo ipſe præceperat, ſed in die tertio cuidam Fratri Matutinis dictis per viſum apparuit dicens: Quid agitis ô Fratres? Tum ille: Lugentes atque triſtes ſumus de tua abſentia, Pater piiſſime, quia orphanos nos dereliquiſti. Ad hæc ille: Ne contriſtemini, ſcitote me abſolutum de meis peccatis, benéque receptum in conſpectum Domini mei. Vos autem nunc in hoc loco paupertatis caminus excoquit, ſed non poſt multum temporis ſpatium Dominus Deus omnipotens omnibus bonis iſthic vos abundare faciet. Dic interim Fratri ROMARICO ut æquo animo ſit, & de Monaſterio magnam ſollicitudinem gerat & memor ſit mei ſemper. Et his dictis abſceſſit. Confeſtim ſurgens Frater ille hęc univerſa cum lacrymis narravit homini Dei Romarico. Monacho cuidam apparet. *b* Romarico Monaſterium ac ſeipſum commendat.

28. Poſthæc Regis munificentia repentè circiter ducentos aureos ibidem deſtinavit. Nam & deinceps largiente Domino, ſicut in prę ſenti cernitur, plurima adjutoria Habenſis *Monaſterij mancipata ſunt uſibus. Hæc proculdubio obtinuit S. Amati oratio. Monaſterij res creſcunt. * Habendenſis

29. Denique cùm jam anni circulus peractus fuiſſet & ſub illo tumulo, ut ſuprà diximus, beati viri tegerentur membra, & ob illius ſollemnitatem nocte vigiliæ celebratæ fuiſſent, rurſus poſt Matutinos cuidam Fratri revelatum eſt, ut quantociùs beata membra illa infra Baſilicam ſanctæ Mariæ ponerentur. Quod confeſtim opitulante Domino ſub magna eſt reverentia celebratum, ubi annua revolutione populorum catervæ ad ipſius ſollemnia feſtinantes, per ejus interventum ſalvandos ſe eſſe non dubitant prę ſtante JESU-CHRISTO, qui vivit & regnat Deus per omnia ſæcula ſæculorum, Amen. Transfertur in Baſilicam & prę cipua ſollemnitate colitur.

a Mortuus eſt S. Amatus paullò ante ſeceſſum B. Arnulfi Mettenſis Epiſcopi in eremum: ſiquidem à Romarico illuc deductus fuiſſe dicitur Arnulfus in Vita ſua, nulla Amati mentione facta. Quod argumento eſt Romaricum jam Abbatis curam egiſſe. Cum ergo ſeceſſum Arnulfi anno Chriſti DC. XXIX. contigiſſe putemus, Amati obitum paullò poſt Concilium Matiſconenſe anno DC. XXIV. adversùs Agreſtium celebratum reponimus, anno ſcilicet DC. XXVII. Idib. Septemb. quo die ab Uſuardo & Adone memoratur.

b Ex eo loco S. Amati corpus unà cum SS. Romarici & Adelphi Reliquiis à Drogone Tullenſi Epiſcopo in Monaſterium Novum ad radices montis trans Moſellam reſtitutum circa annum CM. X. tranſlatum eſt: poſtea verò S. Leonis Papæ IX. manibus ibidem loco decentiori collocatum, prę cipuo honore colitur.

AN. CHR. DC.XXXII. FEB. XVIII.

SANCTI HELLADII EPISCOPI TOLETANI ELOGIVM HISTORICVM.

1. CUM *per hoc ſeptimum Æræ Chriſtianæ ſæculum Epiſcopi Toletani fere omnes è Monaſterio potiſſimùm Agalienſi adſumpti ſint; juvat antequam Helladij elogium conficiamus, pauca de Agalienſi Monaſterio, pauca item de Toletanæ Eccleſiæ Epiſcopis qui ſeptimo ſederunt ſæculo diſſerere.*

Agalienſis Monaſterij ſitus & eventus.

2. *Agalienſi Monaſterio nullum in Hiſpania illuſtrius quondam, nunc obſcurius nullum, à Mauris ſus dèque everſum. Situm erat in ſuburbio Toletano, villà Agalula: ſed modò Toletani villam Agalulam inquirunt. Si qua Pſeudo-Maximi Chronico fides*, Ærâ quingenteſimâ nonageſimâ ſecundâ, *ſeu anno Chriſti* D. LIV. ATHANAGILDUS Rex in planitie ſuburbij Toletani ædificavit Monaſterium Ord. S. BENEDICTI in honorem S. Juliani apud Arvernos paſſi, dictum Agalienſe ab Agalula villa propinqua, quod diſtat minùs quàm centum & quinquaginta paſſus ab Eccleſia Prętorienſi SS. Petri & Pauli, inter Occidentem & Septemtrionẽ ſitum: & ibi conſtituit primum Abbatẽ ſanctum virum EUPHEMIUM *(quem alio nomine alibi dictum ait Epiphaniũ cognomento Helladium)* natione Græcum ex Italia vocatum, qui poſtea fuit vocatus ad primam Toleti Sedem. *Et Pſeudo-Liutprandus in Chron. ad Æram 662. Agalienſe Monaſterium ſtatuit* in ſuburbio Toleti Septemtrionem versùs, non procul à Tago flumine & à Prætorienſi Templo S. Leocadiæ extra muros in planitie. *Quæ non eo animo relata eſſe volumus, quaſi corruptis illis Scriptoribus fidem imperemus: aſt Cretæ non ſemper mentiuntur. De Abbatibus qui Agalienſi Monaſterio præfuerunt, Pſeudo-Maximo haud credimus. Certè Auraſium, quem Euphemio ſeu Epiphanio in ipſius Cœnobij regimen ſucceſſiſſe ſcribit, Monachum non fuiſſe, ſatis ex S. Ildefonſo in lib. de Vir. illuſt. cap. 5. colligitur. Conſtat verò ex eodem S. Ildefonſo*, HELLADIUM *quo de nunc agere inſtituimus, illius Monaſterij* Patrem fuiſſe, *ac poſt eum tertio loco* JUSTUM, *etiam in Sede Toletana ſucceſſorem; qui* ad RICHILANEM Agalienſis Monaſterij *itidem* Patrem *ſeu Abbatem ſcripſiſſe cap. 8. dicitur. Mauri captâ Hiſpaniâ non continuò diruêre iſtud Monaſterium, quod ſub Gothis & Mauris annos omnino trecentos perſtitiſſe, auctor eſt Antonius Yepezius in Chr. Bened. ad an. 554. cap. 5. Hæc de Agalienſi Monaſterio dicta ſufficiant, in quo S. Benedicti Regulam à primo conditu viguiſſe conſentiunt Scriptores Hiſpanici, probátque puerorum educatio, quæ inibi ad S. Benedicti & Concilij Toletani IV. mentem fiebat, ut in ſanctis Iuſto, Eugenio priori (aliis ſecundo,) & Ildefonſo Epiſcopis Toletanis apparet.*

Epiſcopi Toletani. * Tajo

3. *Toletum, urbs Hiſpaniæ Tarraconenſis ad Tagum* fluvium circumfluentem, Metropolis florentiſſima, non tam illuſtrata eſt Gothorum Regum ſede, quàm Pontificum ſuorum ſanctitate. Nam ut ab eo quod tractamus ſæculo non recedamus, ſex Epiſcopos virtute clariſſimos ſibi continuò ſuccedentes habuit* AURASIUM, HELLADIUM, JUSTUM, EUGENIOS *duos, eorúmque præcipuam coronam & ornamentum B.* ILDEFONSUM: *ex quibus Iuſtus, Eugenius prior & Ildefonſus, Helladium magiſtrum & inſtitutorem habuêre.* AURASIUS Toletanæ Eccleſiæ præfuit poſt Adelphium, *inquit Ildefonſus de vir. illuſt. cap. 5.* Vixit in Sacerdotio temporibus Witterici, Gundemari & exordiis Siſebuti Regum, annis ferme duodecim, *nempe uſque ad Chriſti annum circà* DC. XIV. *ſiquidem Siſebutus anno* DC. XII. *regnare cœpit.* HELLADIUS poſt Auraſium, *teſte eodem Auctore cap. 7.* decem & octo annis ſacrum regimen tenuit, *ſcilicet ad annum* DC. XXXII. *Nam*

quo

quo tempore Siſenandi proditione, an rebellione Suinthila ſublatus eſt, & ipſe Helladius in vivis eſſe deſitit, inquit Iohannes Mariana, in lib. 6. Hiſt. cap. 4. Justus Helladij diſcipulus, *pergit Ildefonſus, cap. 8.* exſtitit Rector annis tribus. Eugenius diſcipulus Helladij, conlector & conſors Juſti, vixit in Sacerdotio fere undecim annis, *cap. 13. qui cum anno Chriſti* DC. XLVI. *conveniunt.* Item Eugenius *alter* poſt Eugenium ferè duodecim annis tenuit dignitatem, *cap. 14. ac demum* Ildefonsus novem annis & duobus fere menſibus clarus habitus fuit vitæ meritis & retentatione regiminis, *uti Iulianus Toletanus in Addit. ad Ildefonſum tradit. Ildefonſo* Cyriacus *ſeu Quiricus Abbas Agalienſis ſucceſſit, cui* Taïus *Cæſar-Auguſtæ Epiſcopus Collectanea ſua ex libris Moralium S. Gregorij Magni nuncupavit, ut in hujus ſæculi Præfatione notavimus. Denique* Julianus diſcipulus Eugenij ſecundi, *inquit Felix Toletanus itidem Epiſcopus*, poſt beatæ memoriæ Quiricum præſulatûs honorem & Sacerdotij dignitatem annis decem obtinuit menſe uno, diebus ſeptem, *atque Æra* DCC. XXVIII. *id eſt anno Chriſti* DC. XC. diem clauſit extremum, *&* Sisbertum *hominem turbulentum, poſtea* Felicem *ſucceſſores habuit. Ad Helladium veniamus.* ANN. CHR. DC. XXXII. FEB. XVIII.

4. *S.* Helladii *memoria duplicem paſſa eſt injuriam, nempe quòd ipſius geſta vix pauca ad nos Scriptorum penuriâ pervenerunt, & quòd publica veneratione in Eccleſia etiam Toletana diutiùs fruſtratus eſt. Quippe ſub finem ſæculi à nobis proximè elapſi, Martyrologio Romano primùm inſcribi, quod Cæſari Baronio accuranti, immo Gregorio XIII. approbanti debet; ac paullò pòſt in Eccleſia Toletana ritu ſemiduplici coli cœpit, ut ex Breviario juſſu Bernardi Sandovalij Archiepiſcopi Toletani & Cardinalis Zapatæ anno 1613. excuſo Iohannes Bollandus obſervavit. Quod certè poſterorum incuriâ factum credimus: ſiquidem tempore Roderici Toletani Antiſtitis, qui anno Domini concepti* M. CC. XLIII. *Hiſtoriam ſuam abſolvit*, venerabilem Helladium Toletanæ Sedis Metropolitanum Episcopum, ſanctitatis præconio præfulgentem Eccleſia venerabatur, *ſicut Rodericus ipſe in lib. 2. cap. 17. ſcribit. Audiendus Ildefonſus de vir. illuſt. cap. 7. ubi magiſtrum ſuum, à quo & Diaconus ordinatus eſt, commendat his verbis.* Helladij memoria & cultus neglecta.

5. Helladius poſt Aurasium Sedis ejus adeptus eſt locum. Hic cùm regiæ aulæ illuſtriſſimus, publicarúmque rector exſiſteret rerum, ſub ſæculari habitu Monachi votum explebat & opus. Nam ad Monaſterium noſtrum illud, Agalienſe dico, cujus me ſuſceptio Monachum fecit, (quod munere Dei perenniſque ac patentis ſanctitatis decore & opinabile cunctis & palam eſt totis) cùm ſæpe diſcurſantium negotiorum ductus itinere perveniret; remotâ clientum ſæculíque pompâ decoris, adeo Monachorum peculiaritatibus inhærebat, ut turmis junctus eorum, ſtipularum faſciculos ad clibanum deportaret Cúmque inter decorem inſolentiámque ſæculi, ſolitudinis & amaret & ſectaretur arcana; celeri fuga relictis omnibus quæ eſſe noverat mundi, adiit ſanctum Monaſterium quod frequentaverat voto, venit permanſurus optabili uſu. Ibi factus Monachis Pater, meritis ſtudiiſque ſanctis & vitam Monachorum debitè rexit; & ſtatum Monaſterij totius communis rei divitiis cumulavit. Ex hoc feſſis pænè ſenio artubus, ad Pontificatûs apicem evocatur: & quia vocaretur vi coactus pariter & ignotus, illic majora virtutum exempla quàm Monachus dedit: quia ſtatum mundi quem contempſit virtute, magna perhibetur rexiſſe diſcretione. Miſerationes eleemoſynarúmque copias tam largiter egenis intuliſſe probatur, acſi de illius ſtomacho putaſſet inopum & artus deſcendere & viſcera confoveri. Scribere renuit, (*Vnde corrigendus Vuion in Martyrol. Bened. ubi Helladium* ſcriptis clariſſimum *vocat*) quia quod ſcribendum fuit, quotidianæ operationis paginâ demonſtravit. Me ad Monaſterium rediens memoratum, ultimo vitæ ſuæ tempore Levitam fecit. Senex obiit, decem & octo annis ſacrum regimen tenuit temporibus Siſebuti, Suinthilani & exordiis Siſenandi Regum. Beatus habitus fuit, qui pòſt beatior gloriam cæleſtis regni bonâ plenus ſenectute promeruit. *Siſenandus Æra* DC. LXIX. *id eſt anno Chriſti* DC. XXXI. *teſte Iſidoro* Helladius ex pio aulico Monachus, Abbas, Epiſcopus.

AN. CHR. DC.XXXII. FEB. XVIII. *Pacenſi regnare cœpit: ut proinde anno inſequenti Helladius obiiſſe dicendus ſit. Id probatur ex Iuſti ſucceſſoris obitu, quem Ildefonſus poſt regiminis annos tres ait accidiſſe* tempore Siſenandi, qui Rex, *inquit*, poſt hunc die nonadecima defunctus abſceſſit. *Atqui Siſenandus ſecundum Iohannis Marianæ calculum, (cui tamen Rodericus Toletanus in lib. 2. cap. 19. non conſentit) annis tribus, menſibus undecim, diebus ſedecim regnavit. Lucas Tudenſis, numero abſoluto, regni dumtaxat annos tres Siſenando tribuit. Rodericus in lib. 2. cap. 15. Helladium Concilio III. Toletano interfuiſſe Rege Reccaredo ſcribit: quod non de Helladio noſtro, intelligendum, ſed de Euphemio, quem cognominatum Helladium ſuprà ex Pſeudo-Maximo vidimus.*

Vindicta de Juſto. 6. *Ildefonſus in Præfatione ad lib. de vir. illuſt. de S. Helladio hæc memorat:* Rursùs cùm Helladio Episcopo Sedis ejus, JUSTUS Diaconus *(alius à Iuſto Helladij diſcipulo de quo Ildefonſus cæp. 8.)* faſtu ſuperbiæ inſultaret, poſt mortem quidem ſui Pontificis vixit Episcopus & ipſe tabefactus: ſed in reprobum verſus ſenſum ob intemperantiam morum à miniſtris altaris ſui dormiens ſtrangulatus laqueo exſpiravit. Item cùm ſucceſſori ejus Juſto, &c. *ut videas de alio Iuſto Epiſcopo ſuprà haberi ſermonem.*

Iſidori Epiſtola ad Helladium de Epiſcopo lapſo. 7. *Exſtat Iſidori Hiſpalenſis Epiſcopi egregia epiſtola ad noſtram Helladium ceteròſque Coëpiſcopos, in qua eum diſtrictè monet de redigendo in ordinem Epiſcopo Cordubenſi, qui* in Pontificali culmine carnali labe dilapſus *fuerat, hæc inter cetera effatus:* Cum effuſione lacrymarum veſtram Sanctitatem depoſcimus, ut idem lapſus ſancto cœtui veſtro præſentatus, agnito à vobis confeſſionis eloquio, ſynodali ſententia à gradu Sacerdotali deponatur. Melius eſt illi ut temporaliter judicetur à vobis, quàm æterno damnetur judicio. Levior eſt illi præſentis temporis ignominia, quàm futuræ gehennæ tormenta. Sciat enim ſe amiſiſſe nomen & officium Sacerdotis, qui meritum perdidit ſanctitatis. Quapropter judicij veſtri decreto, pœnitentiæ perpetim flagitia perpetrata lamentatione deploret: plangat Sacerdotij cultum, quem malè vivendo perdidit: lugeat animæ ſuæ ſtatum, quem tanto putredinis cœno coïnquinavit: fortaſſe porriget illi manum quandoque Spiritus-ſanctus, ut per dignam ſatisfactionem mereatur peccatorum remiſſionem. *Hoc loco admonere liceat, apud Henricum Caniſium To. 5. antiq. Lect. in fine cujuſdam Pœnitentialis, poſt Halitgarij Epiſc. Camerac. libros quinque editi, reperiri epiſtolam quamdam Iſidori nomine ad Maſonem Epiſcopum, fortean Emeritenſem, ſcriptam* anno IV. Domini Witerici Regis, *id eſt anno Chriſti* DC. VI. *juxta ipſius Iſidori calculum in Chronico: qua in Epiſtola conſultus à Maſone Iſidorus, quo modo conciliandi eſſent diverſi in ſpeciem de Sacerdotum lapſorum reſtitutione Canones, ſic reſpondet:* Nulla eſt in hujuſmodi ſententia decretorum diverſitas intelligenda, quod alibi legitur, in lapſu corporali reſtaurandum honoris gradum poſt pœnitentiam; alibi poſt hujuſmodi delictum nequaquam reparandum antiqui Ordinis meritum. Hæc enim diverſitas hoc modo diſtinguitur: Illos enim ad priſtinos officij gradus redire Canon præcipit, quos præceſſerit pœnitentiæ ſatisfactio vel digna peccatorum confeſſio: at contrà hi qui neque à vitio corruptionis emendantur, at hoc ipſum carnale delictum quod admittunt, etiam vindicare quadam ſuperſtitioſa temeritate nituntur; nec gradum utique honoris, nec gratiam communionis recipiant, &c. *Id in tranſcurſu obſervavimus, quòd hæc Epiſtola in editis non habeatur. De Potamio Epiſcopo Bracarenſi in Concilio Toletano X. inſigne eſt hanc in rem exemplum. Verùm hæc aliàs.*

Iſidori alia hac de re epiſtola.

Helladii ſepultura & epitaphiũ. 8. *Helladius in S. Leocadiæ Martyris Templo celeberrimo per Siſebutum Regem exſtructo ſepultus eſt, cui ſanctus Ildefonſus hoc Epitaphium occinuiſſe fertur.*

PRæſulis HELLADII tumbâ requieſcit in iſta
Corpus, at illius ſpiritus aſtra tenet.
Toleti Rector fuit hic dum degit in aula,

Ex Monacho Rector Agalienſis erat. AN. CHR. DC.XXXII. FEB. XVIII.
Hinc Toletanam rapitur violenter ad urbem
Confectus ſenio, ſed pietate vigens.
Corporis exuvias Martyr Leocadia cepit:
Iſta domus Reges Pontificéſque capit.
Unde die extrema ſurget redivivus ad auras,
Ut capiat meritis præmia digna ſuis.
Jámque octoginta ſenior tranſegerat annos,
Gloria Pontificum fax animoſa Dei.
ILDEFONSUS ego quem fecerat ille Miniſtrum,
Perſolvi Sancto carmina pauca ſeni.

Et quidem S. Ildefonſus Epitaphia & quædam Epigrammata *condidit teſte Iuliano Toletano Epiſcopo in Addit. ad Ildefonſum de Vir. illuſt. ut veri ſimile ſit, iſtud in Magiſtri ſui honorem ab ipſo fuiſſe fabricatum, prout à Iohanne Tamaio in Martyrologio Hiſpan. & à Iohanne Bollando ad diem 18. Februarij refertur.*

VITA S. RVSTICVLÆ ABBATISSÆ ARELATENSIS,

AN. CHR. DC.XXXII. AUGUST. XI.

Auctore FLORENTIO Preſbytero Tricaſtinenſi fere coævo.

Ex variis codd. MSS.

OBSERVATIO PRÆVIA.

HÆc Vita cujus varia fragmenta V. C. Andreas Cheſnius in To. 1. Hiſt. Franc. publicavit, integra nunc primùm prodit ex ipſius Cheſnij cod. MS. aliiſque apographis, ſcripta ab auctore gravi FLORENTIO *Preſbytero Tricaſtinæ ſeu Tricaſtrinæ Eccleſiæ, (quæ urbs eſt Epiſcopalis ſub Metropolita Arelatenſi) ac dedicata* CELSÆ *Abbatiſſæ, quæ non multo poſt B. Ruſticulam in Monaſterij Arelatenſis regimen ſucceſſit. Nam auctor in Præfatione teſtatur, ſe ea ſcribere quæ* relatione fideli *ipſius Celſæ Abbatiſſæ, & quæ* de virtutibus præfatæ RUSTICULÆ quidam Fideles ſe ſimul noſſe & vidiſſe *adſerebant. Quid quod Florentius num. 29. & 32. Virginibus ſacris dolorem de B. Ruſticulæ morte refricare ſubterfugit, quod quidem novum fuiſſe vulnus ſatis arguit. In codd. MSS. huic Vitæ talis præfigitur titulus:* Incipit Prologus ad Vitam ſanctæ recordationis B. RUSTICULÆ ſive MARCIÆ civis Vaſionenſis, Abbatiſſæ ſacri Monaſterij S. Cæſarij Arelatenſis: *quod Monaſterium nunc S. Cæſarij dictum, vulgo* S. Ceſaire *ſeu* le Grand-Monaſtier, *ſub Regula S. P. Benedicti etiamnunc florere, Sæculo* 1. *Benedictino ad Vitam S. Cæſarij diximus.*

PRÆFATIO AD CELSAM ABBATISSAM.

1. DOMINÆ *venerabili in Chriſto Sorori Matri gregis Chriſto Præſule adgregati,* CELSÆ *Abbatiſſæ* FLORENTIUS *Presbyter Eccleſiæ civitatis Tricaſtrinæ* perpetuam in Domino ſalutem.* Meritò inter omnes virtutes obedientia ſibi vindicat principatum, dum conſiderata ſui poſſibilitate aliquid imperantibus obſequitur. Patrocinante ergo omnipotentia divina, ſimúlque precibus veſtris adjutus, ortum nativitatis ſanctæ recordationis Domnæ RUSTICULÆ ſive MARCIÆ, vitæque ejus qualitatem ac primordia religionis virtutíſque quam gratiâ Divinâ exercuiſſe perhibetur ex ordine profecutus, in unius libelli opuſculo conſcriptum ſancto cœtui veſtro obtuli lectitans*. Unde obſecro ut pro me veſtris orationibus impetretis, ne qui culpam contemptoris fugio, præſumptoris noxam incurram. Sed credo quòd orando me implere faciatis quod arripere jubendo feciſtis. Nam certiſſimum eſt, quia ſi quid in hoc ſcribendi ſtudio vituperationis exſtiterit, meæ erit audaciæ; veſtræ verò orationis, ſi non evaſero culpâ, ne aut quidquam ſuperfluè, aut non veraciter dictum eſſe videatur: cùm me noverit id procul dubio indidiſſe opuſculum, quod relatione fideli tu mi-

* *de Troischaſteaux*

* *f.* lectitandum.

An. Chr. DC.XXXII. Augusti XI.

hi, Venerabilis in Christo, scriptis simpliciter ac fideliter indicâsti, etiam & quidam fideles de virtutibus præfatæ se simul nosse & vidisse testificatione perspicua narraverunt. Orate ergo quæso, Virgines Christi, ut dum ego auctoritati vestræ pareo, quod ministerium in me obtineri non potest, vestra mereatur intercessione haberi.

INCIPIT VITA.

Rusticula nata mox patrem amittit.

2. Clarissimis igitur orta natalibus Valeriano & Clementia conjugibus Romanis[a] cultum Christianitatis cum summa veneratione colentibus, commorantibus eisdem in agro Hebocasiaco, qui est situs in territorio Vasionensi *, factum est ut nasceretur eis filius: serenim multo pòst tempore dedit eis Dominus hanc sacratissimam prolem Rusticulam. Contigit autem ut eadem die qua hæc nata est, pater ejus de hac luce migraverit. Transactis igitur non plurimis diebus defunctus est & parvulus: postmodùm verò mater viduitatis veste contecta, tristitiam quam conjugis amissione vel filij assumpserat, per hanc prolem fecunditatis suæ utero editam consolabatur. Quam genitrix ad sacri Baptismatis undam Christo obtulit sanciendam, eámque in regenerationis fonte ex suo genere Rusticulam vocitavit: ab omni verò domûs familia Marcia nuncupabatur. Erat itaque pulchra facie & eleganti corpore, tanta verò dilectione à notis & amicis vel à domûs familia habebatur, tamquam si cælesti jam sibi gratiâ condonatam omnes congauderent.

[a] Id est civibus in Provincia ortis, quæ Provincia Romanorum olim dicta est, vulgò *la Provence*, intra quam provinciam sita est Sedes Episcopalis Vasionensis sub Comitatu & Archiepiscopatu Arelatensi.

* de Vaison

Baptizatur. Binomia fuit.

S. Cæsarius Rusticulam Deo sacrari à matre in somnis petit.

3. Quadam igitur nocte cùm mater ejus sopori dedita obcubuisset, vidit in ecstasi quasi duos pullos columbarum suo affectu enutrire: & unum quidem niveo candore præfulgentem, alium varietatis tegimine tectum. Cúmque super eos nimio affectu congauderet, videtur sibi quòd domûs familia nuntiaret, quòd S. Cæsarius urbis Arelatensis Episcopus præ foribus adstaret. Quod ita audiens, sanctissimi viri gavisa adventu, in occursum ejus læta properat, atque officiosissimè eum salutans ut ingressu suo benedictionem suæ domui largiretur humili prece poscebat: ingressúsque domum benedixit eam. Cúmque illa honore debito deprecaretur, ut eulogias ejus accipere mereretur, dignaretur ipse potum vel cibum capere, hoc ab eo responsum accepit: Dominus tecum sit, filia mea; nam ego ut pullum illum columbarum quem tu dulciter tibi videris enutrire, ut mihi concedas exopto. At illa hæsitans circa semetipsam, cogitabat unde hoc sciret, quòd hæc illa apud se haberet, dicens se hujusmodi rem non habere. At ille dixit ad eam: Coram Deo dico, non hinc egrediar, priusquam petitioni meæ satisfacias. Mox illa negare non potuit, sed exhibuit, & statim viro sancto obtulit. Ille verò cum magno gaudio apprehendens eum qui nimio candore præfulgebat, ovans pectore suo collocavit & valefaciens abscessit. At illa expergefacta cogitabat intra semetipsam quid hoc esset, & revolvebat in animo suo quare ille qui defunctus fuerat sibi apparuisset: ignorans quòd famulam suam Christus sponsam sibi eligere adoptaret, qui ait: *Non potest civitas abscondi supra montem posita, sed neque accendunt lucernam ut ponant eam sub modio, sed super candelabrum ut luceat omnibus qui in domo sunt.*

Matt. 5. 15.

Rusticula quinquennis rapitur.

4. Igitur cùm esset hæc virgo annorum quinque, rapta est à quodam viro nobili nomine Cheraonio. Cúmque eam ad domum suam perduxisset, genitrici suæ eam obtulit ad enutriendam, ut cùm ad legitimam perveniset ætatem, sibi eam matrimonio copularet. Sed ille qui non dormit neque dormitat in ævo qui custodit Israël, revelavit Spiritu suo sancto beatissimæ Liliolæ Abbatissæ Monasterij quod sanctæ recordationis urbis Arelatensis Cæsarius Papa fundavit, ut peteret à venerabili Siagrio Episcopo * qualiter agere deberet apud gloriosissimum Gonderanum Regem, ut intra septa Monasterij faceret eam introire. Tunc suprascriptus Cheraonius cùm hoc factum comperisset, cœpit multis precibus & muneribus precari ut illa concederetur ei in matrimonium; sed divinâ concedente gratiâ ita ipsi Regi in suo corde largitus est Dominus, ut eam per quemdam Abbatem virum magnæ conversationis ad sanctam Liliolam dirigere deberet. Parabat denique jam illam sibi Dominus Christus vas electionis in sanctificationem honoris.

* Æduensi

Guntramni jussu restituta Liliolæ Abbatissæ committitur.

Piscem miraculo capit.

5. Qualem verò virtutem per eam Dominus, dum adhuc in rudimentis infantiæ esset, ipso in tempore fecerit intimabo. Igitur adimpletur jussio Regis. Venientibus ergo illis in itinere, cùm applicuissent ad ripam nobilissimi fluminis Rodani, cœperunt secum quærere qui cum ipsa erant, quòd alimenta ciborum minimè haberent. Sed Dominus qui non privat bonis eos qui ambulant in innocentia, ut eripiat animas eorum à morte & alat eos in fame, ipse per famulam suam tribuit egentibus donum misericordiæ suæ. Dum verò sic ambularet venerabilis puella cum una ex famulabus suis, comperit juxta marginem fluminis piscem miræ magnitudinis: & apprehendens pallium quo induebatur, extendit per ora fluminis, captúmque eum tenuit fortiter. At ille reluctari cœpit, & ad se eam trahere: Domini verò gratia præstitit virtutem famulæ suæ, & prædam quam ceperat omni cum velocitate extraxit. Tanta au-

tem fuit magnitudo piſcis illius, ut omnes qui cum ipſa erant ex eo ſatiarentur. Et admirantes ſuper hoc factum dicebant: Verè in hoc apparet, quia multas animas iſta per verbum Dei capiet, & Chriſto Domino conſecrabit. AN. CHR. DC. XXXII. AUGUST. XI.

6. Venientibus autem illis ad civitatem Arelatenſem, ubi Pontifex erat illis temporibus Apoſtolicus vir SAPAUDUS, introduxerunt eam ad ſanctam Liliolam Abbatiſſam: quæ gaviſa de adventu ejus, excepit illam cum gaudio magno intra ſepta ſancti Monaſterii [a]: & edocens illam omnem Fidei ſanctitatem adgregavit Virginibus Chriſti. Quod factum mater ejus comperit, cum nimio dolore & lacrymis mittit ad Pontificem civitatis: & cum magnis precibus atque muneribus ab eo popoſcit, ut qualicumque occaſione inventa proprium ei pignus quolibet modo redderetur, hujuſmodi preces ad eum dirigens: Miſerere quæſo humilitati meæ, ſanctiſſime Pater, & releva afflictam unico pignore orbatam. Adſpicio domûs facultates, familiæ innumeram multitudinem, & cui hæc derelinquam ignoro. Imple mihi ſpei meæ fructum. Quis nunc ætatem meam fovebit, unicâ quam habebam amiſsâ? Quæro ſobolem meam, & non invenio: ubi curram, ubi divertam, ignoro. Precor beatitudinis tuæ gratiam, & per Deum te obteſtor, ut miſerearis mihi tam intolerabili dolore percuſſæ, & viduitati meæ unicam filiam jubeas reddi. Ad hæc vir Deo plenus talia remandat: » Nobilitati tuæ quolibet »voto obtemperare cupio, ſed Divini nominis præceptum transgredi non audeo. Opes quas »tu ei dare promittis, momentaneo fine tranſeunt: Divitiæ verò quæ ipſi à Chriſto pateſactæ »ſunt, perpetuis gaudiis perfruuntur. Conſolare ergo quæſo jam, dulciſſima filia, & noli »flere amiſſam, quam credimus cum Chriſto eſſe regnaturam. In Monaſterium S. Cæſarii admittitur an. D. LXII. a. A matre repetitur.

7. Hæc audiens genitrix nullam conſolationem accepit; ſed majorem animi dolorem ſuſtinens dirigit quoſdam è ſuis cum diverſis generibus munerum, divitias atque ornamenta ſæculi ſecum portantes, quatenus poſſent Chriſti virginem à ſancto propoſito revocare. Sed illa cujus fidei fundamenta ſtabilita jam erant ſupra petram firmiſſimam, omnia tamquam ſtercus reſpuens, una eademque perſeverabat immobilis. Matris blandimenta reſpuit.

8. Tantam autem ei gratiam Dominus & memoriæ capacitatem dignatus eſt tribuere, ut intra pauca temporum ſpatia Pſalmos omnes diſceret, & omnes Scripturas Divinas memoriter retineret. Nam fertur aliquando dum infans Pſalmos pararet, & ut adſolet infantia, ſomno occuparetur, recumbens in genua unius de Sororibus Pſalmum & ipſa in aure dicebat. Quæ mox ut expergefacta fuiſſet, tamquam ſi eum legiſſet, ita memoriter recenſebat, implens illud Scripturæ dictum: *Ego dormio & cor meum vigilat.* Tanta autem caritate & humilitate circa ſanctam illam Congregationem ſe exhibebat, ut omnes eam nimio venerarentur affectu. Erat enim ſtrenua in omnibus, prudens in verbis, moribus bonis, elegans ſpecie, ætate conſpicua, in omnibus manſueta, præceptis Chriſti morigera, ut ſuis proprietatis nomine actibus demonſtraret, ut jam illo in tempore dignam Sponſi vocem mereretur audire: *Speciosa ſicut luna.* Scripturam ſacrã diſcit. *Cant. 5. 2.* Omnibus veneranda. *Cant. 6. 9.*

9. Itaque beatiſſima Liliola [b] de hac luce migrante ad Dominum, viſum eſt ad omnem illam ſanctam Congregationem, ut dilectam Dei Ruſticulam ſibi eligerent fieri Matrem. Illa autem refutabat, indignam ſe dicens eſſe ad hoc opus. Quid multa? favente Domino impletur devotio Ancillarum Dei: impoſitóque ſibi honore, Chriſti ſancto moderamine invigilabat pro animabus ad ſe pertinentibus. Erat autem tunc annorum circiter decem & octo. Et ita ſe cœpit in abſtinentiis & vigiliis dare, ut etiam tertio die cibum caperet & cilicio tegeretur, implens Apoſtoli dictum: *In vigiliis & jejuniis, in laboribus multis.* Reliquis verò Sororibus nocturnis horis quieſcentibus illa per totum noctis ſpatium in Eccleſiis, pſalmis, hymnis & orationibus inſiſtebat, & pro tradito ſibi grege, vel pro univerſo populo fletibus multis Dominum precabatur. *b* Liliolæ ſubſtituitur, *anno* D. LXXIV. Qualiter vixerit. *2. Cor. 6. 5.*

10. His igitur ſanctiſſima virgo florens concepit animo, Spiritu-ſancto inſtigante, ut ampliorem orationis locum Virginibus Chriſti inſtitueret. Interea conſtruxit Templa, munivit mœnia Sanctis. Ab inchoatione Eccleſiæ dum fundamenta ponerentur, manibus ſuis beatiſſima mater exſultans, lapides artificibus porrigebat: perfectóque opere Domino favente atque inſpirante, Eccleſiam in honore ſanctæ Crucis inſtruxit. Dehinc demonſtratum eſt eidem per revelationem ædificium miræ magnitudinis in cælo ædificatum, quod intuens jubetur à Domino ut ſimile fabricaret in terris. At illa fida feſtinabat gaudens implere juſſionem Domini ſui, perfecitque Templum micanti pulchritudine conſtructum. Cogitavit autem apud ſe ut in hoc ædificio, quod eminentius erat, Crucem Domini collocaret, & illam quam priùs fundaverat in honore S. Archangeli Michaëlis adoptaret. Ergo ſanctis Sacerdotibus Chriſti ſeptem altaria ibidem collocavit; primum in honore Crucis Chriſti, deinde ſanctorum Archangelorum Gabriëlis atque Raphaëlis, addens poſt aliquot annos S. Thomæ Apoſtoli, S. Mauricii, Eccleſias duas conſtruit.

a Sexennis tunc erat Ruſticula, aliàs ſecundùm B. Cæſarii Regulam cap. 5. *Nulla umquam in Monaſterio infantula parvula, niſi ab annis ſex & ſeptem, quæ jam & litteras diſcere & obedientiæ poſſit obtemperare, ſuſcipi* permittebatur.

b Liliola ſucceſſerat Cæſariæ juniori, quæ poſt Cęſariam ſeniorem S. Cæſarii ſororem prædicto Monaſterio præfuerat. Sic quarto loco Ruſticula illic Abbatiſſæ dignitatem geſſit.

AN. CHR. DC. XXII. AUGUST. XI. S. Sebaſtiani, & S. Pontii. Verè enim ſecundùm Apoſtoli dictum ut ſapiens architectus fundamentum poſuit: ædificavit in terris, quod poſteà invenit in cælis. Ipſi namque eidem fidereas manſiones paradiſi ſuis interpellationibus paraverunt, quos tanto amore venerabiliter excoluit in terris. 1. *Cor.* 3. 10.

Chriſto plures lucratur.

11. O quanta, Domine, diſpenſatio procurationis tuæ, quæ per famulam tuam Ruſticulam tantum gregem de luporum faucibus ereptum tuo ovili collocaſti! Quantæ Virgines crebreſcente fama ejus ſponſis relictis Chriſto ſe ſociaverunt! quantæ viduæ per ejus prædicationem laqueum ſæculi relinquentes clauſtrum Monaſterii expetierunt. Facta eſt ergo, ut Apoſtolus ait, omnibus omnia ut omnes ſalvaret. 1. *Cor.* 9. 9.

Curationes multas divinitus facit.

12. Tantam verò gratiam ei contulit Deus, ut quiſquis ægrotus ex devotione eulogias ei petiiſſet, protinus priſtinam reciperet ſanitatem. Quædam mulier ita diabolico tremore erat correpta, ut nec panis ori ejus niſi alienis manibus porrigeretur. Petens verò de veſtimentis beatiſſimæ, lavit illud aquâ mundiſſimâ & bibit, & ita mox priſtina recuperata eſt ſanitas, tamquam ſi nihil mali habuiſſet. Una de Sororibus graviſſimum dolorem ſuſtinens oculorum, dum non diebus, non noctibus quietem ullam haberet, revelante ei Divinâ clementiâ petiit, ut de aqua unde beatam * faciem laverat eidem donaretur. Statim verò ut oculos de aqua ipſa tetigit, maximam continuò conſequi promeruit ſanitatem, atque ad glorificandam Dei omnipotentiam, quæ in ſe fuerant geſta cum magno gaudio Sororibus indicavit.

* *f.* Beata

Energumenam liberat.

13. Quædam virgo habens ſpiritum malignum, videntes parentes ejus graviter eam fatigari à diabolo, rogaverunt beatiſſimam Matrem, ut filiam ipſorum intra ſepta Monaſterii recipi permitteret, non manifeſtantes quæ illi ab immundo ſpiritu eveniſſent. Illa ut erat plena Spiritus-ſancti dulcedine, recipit eam, ducitúrque ad Oratorium ſancti Antiſtitis Cæſarii, ſtatímque ſpiritus immundus, ut ſolitus erat, cœpit graviter ipſam puellam fatigare: nuntiatúmque eſt beatiſſimæ Matri. At illa veniens, mox genua flexit in oratione, & ſanitatem à Creatore proprio ut obtineat humili prece depoſcit. Cúmque ſurrexiſſet, in oratione ſignum Crucis in fronte ejus defixit: illa verò ſpumans & ululatum diræ vocis emittens lugebat dicens: Heu me miſeram! quia jam orbata ſine filiis remaneo, in uno die amitto quod tantis annis enutrivi. Dehinc beatiſſima Mater intentas dirigens ad Deum preces, ut memorata ſanitati priſtinæ reſtauraretur confidenter obtinuit: ad puellam verò ipſam numquam ſpiritus malignus ampliùs acceſſit, & perfectam poſtmodum Sanctimonialem ſibi eam Dominus conſecravit.

Radiis coruſcat.

14. Quadam die cùm faciem ſuam lavaret Chriſti ancilla, ex famulis quæ idem inſerviebant, nomine Onoridia, oculis elevatis, cùm vultum ejus conſpexiſſet, tantum ſplendorem in facie ejus ſe vidiſſe, aſſeruit tamquam ſi radius ſolis ibidem rutilaret: quæ tremens curſitans reliquit eam. At piiſſima Mater progreſſa poſt ipſam, ſollicitè inquirebat quid apud ſe vidiſſet, quòd ſic curſu rapidiſſimo fugere feſtinaret. Illa tremens indicavit quòd præclaram lucem micantem in oculis ejus conſpexiſſet. Beata verò hæc audiens, non jactantiæ tulit, ſed expanſis manibus ad Deum dicebat: Domine ne prævaleat famulæ tuæ inimicus, ſed ſcuto gratię tuæ dignare protegere ancillam tuam. Ipſe verò præfulgebat in facie ejus, cujus amorem tota intentione gerebat in pectore.

A S. Lucia de ſua ſalute fit certior.

15. Quadam nocte defatigato corpuſculo modicum quieti indulgens cùm ſopori dedita fuiſſet, apparuit ei quædam Virgo auro textis veſtibus induta, vultu fulgenti, nimio fulgore coruſcans, & pulſans latus ejus & inquirens ab ea utrum vigilaret, dixit: Marcia, cognoſce quia quando de hoc corpore migraveris, mecum vel cum reliquis Chriſti diſcipulis Virginibus quæ pro nomine Domini certaverunt, portionem habebis. Illa autem pavefacta ſciſcitabatur ab ea quiſnam eſſet qui hoc illi diceret. Tunc dixit ei: Ego ſum Lucia, quæ pro Chriſti nomine dimicavi. Fertur namque non poſt multos dies ſanctam Melaniam ei apparuiſſe & ſimilia dixiſſe.

Cum dæmone ter luctatur eúmque vincit.

16. Nec illud ſiquidem omittendum putabo quod ei Dominus revelare dignatus eſt. Nocte quadam cùm ſolita conſuetudine vigilias celebrâſſet, Matutinis jam expletis poſt nimium laborem corpúſque modicæ quieti dediſſet, quaſi in ecſtaſi poſita vidit de ſublimibus cæli virum præclarum & metuendum venientem. Cúmque intra ſe tanta revolveret quiſnam hic eſſet, locutus eſt ei dicens: Noli timere; Ego ſum Michaël Princeps militiæ Dei, & miſſus ſum à Domino JESU-CHRISTO ut videam certamen tuum quod depugnatura es. Hæc eo loquente, ecce apparuit ante oculos ejus perſona quædam horrenda & valde deteſtabilis atque viliſſima: altitudo autem ejus videbatur eminentior nubibus cæli. Cúmque eum vidiſſet tremens, Archangelum intuebatur auxilium ab eo petens. Qui converſus dixit ad illam: Ne timeas, ſed accedens dimica cum iſto, & ſcito quia ſi eum modò viceris, & uſque in æternum vinces. Illa autem cum grandi timore eum apprehendens adduxit uſque ad dexteram. Ipſe verò excutiens ſe de manibus ejus, iterum in altius erigebatur. Adſpiciens eam Angelus dixit: Viriliter age, quia adhuc depugnatura es. Auctoritate verò accepta ab Angelo, fecit ſicut & priùs. Cúmque in altitudinem erigeretur, dixit ad eam Angelus: Apprehendè eum tertiò, & pone pedem tuum ſuper cervicem ejus, & ſcito quia modò tibi numquam prevalebit. Cúmque feciſſet ſicut

ei præceptum fuerat, confuſus atque proſtratus ſpiritus nequam ab oculis ejus evanuit: Angelus verò Domini lætiſſimo vultu evolavit ad cælos. Expergefacta verò Beatiſſima, cùm ipſam adſtantes Virgines precarentur, ut quæ vidiſſet narraret, eoquòd ſic eam per ſoporem luctantem vidiſſent, cœpit cum grandi mœrore referre quæ ſibi revelata fuiſſent. Verè pius Dominus qui revelavit famulæ ſuæ ſecreta myſterii ſui, quod nunc vobis narrare perutile fore cognovi. AN. CHR. DC. XXXII. AUGUST. XI

17. Quadam die cùm in Baſilica S. Petri hora meridiei conveniſſet, vox ad eam facta eſt, & vocavit eam nomine ſuo dicens: Marcia imitare Dominum tuum in Cruce pendentem, imitare & conſervum tuum Stephanum quando à Judæis lapidabatur, dicentem: *Deus ignoſce illis quia neſciunt quid faciunt.* Evigilans verò in hoc ipſo mirabatur quæ eſſet viſio iſta. Diabolus verò bonis ſemper invidens, conſilio ſuo maligno ſuaſit cuidam Epiſcopo, MAXIMO nomine[a], (nam non opere) & cuidam Principi nobili ſecundum ſæculum (nam non apud Deum) nomine RICCIMIRO, ut falſum teſtimonium cogitarent adverſum famulam Chriſti, quòd illa occultè Regem nutriret: & abeuntes ad Regem CHLOTHARIUM accuſaverunt eam. Ille autem hæc audiens, commotus eſt ira vehementi, & juſſit ſuprafcripto Principi ut diligenter hæc inquiri juberet, & ſibi denuntiari. Ille verò cum multis Epiſcopis & reliquis ſimilibus ſuis ad civitatem Arelatenſem veniens, cœpit plus minas ingerere quàm rei veritatem inquirere. Congregatio verò ſancta cùm videret Matrem ſuam verbis fallentium nimiùm opprimi, illa ſuo ſolito more arma gratiæ cæleſtis arripiens, modulatis vocibus pſallentes illum poſcebant defenſorem è cælis, qui S. Suſannæ ab impiis condemnatæ S. Danielem præmiſit liberatorem. Quidam perditus ex amicis ſuprafcripti viri, nomine ANDOALDUS, voluntati Principis ſui parere cupiens, evaginato gladio verberare voluit famulam Chriſti. Sed Dominus qui per Prophetam ſuum dixit: *Gladius eorum intret in corda ipſorum, & arma eorum conteratur*, ipſe de manibus ejus reſupinum gladium ruere fecit, & innocentem liberavit à morte. Ipſe verò qui hoc conatus eſt facere, non multo pòſt tempore manibus pedibúſque truncatus has ejulans voces dabat: Heu me miſerum! quia tantum facinus admiſi, famulam Dei trucidare cupiens; & ideò in tam nefandis & amariſſimis cruciatibus mereor dari. Et ita ut dignus erat vitam finivit.

Apud Chlotharium accuſatur de occultato Rege, *an.* DC. XIV. *a*

Temerarii hominis pœna. *Pſal.* 16. 15.

18. Poſtmodum verò ſuprafcriptus vir Riccimirus direxit quoſdam è ſuis ad Regem, qui adſerere deberent quòd culpabilis inventa fuiſſet Beatiſſima virgo Chriſti in hoc falſo crimine. Et ampliùs furore accenſus Rex miſit quemdam de Optimatibus ſuis nomine FARAULFUM qui ſuis eam præſentaret obtutibus. Ipſe verò veniens cœpit graviter inſiſtere ut extraheret à ſancto ovili Virginem Chriſti. Illa autem cùm Regi cælorum pluſquàm terreno ſe obedire proteſtaretur, & magis ſe mori velle quàm tranſgredi præceptum S. Patris Cæſarii[b], videns ſuprafcriptus vir quia quod ſibi juſſum fuerat, ſi non adimpleret, periculum ſibi eſſet venturum; cœpit ex juſſione Regis Principi civitatis ipſius nomine NINFIDIO minacibus verbis adferere, quòd ſi eam ipſa die de Monaſterio non abſtraheret, periculum capitis ſui eſſet futurum. Ille verò eoquòd nimiùm veneraretur famulam Dei, cum lacrymis & humilitate qua decebat eam precabatur, ut abſque aliqua injuria voluntariè egrederetur: hoc cum juramento proteſtans, quòd ſi juſſio impia juberet ſanguinem ſuum cum ſanguine Chriſti ancillæ fundi, maximum ei gaudium eſſet futurum.

Iterum accuſatur. *b*

19. Igitur inſtigatione præſentium nec innocentiæ fides attenditur, nec accuſationis veritas flagitatur, ſed falſis aſſertionibus condemnata abſtrahitur à ſancto ovili, atque in cella Monaſterii quod eſt in civitate ſub cuſtodia mancipatur. Congregatio verò quæ ducatum ſuæ ſanctitatis gerebat, videns impiè direptam fuiſſe ſibi Paſtorem, non poteſt dici quali mœrore ſint afflictæ. Fundunt lacrymas, nec eſt qui opem præbeat pietatis, vel qui ferre valeat conſolationum ſolatia. Ovile Chriſti quod modulatis pſallentium vocibus in Dei laudibus reſultabat, pro Matris abſentia ululatibus & gemitibus reſonabat. Converſus eſt illis dies in nocte, dulcedo in amaritudine, cantica * in luctu, lux in tenebris, vita in morte: omnes omninò mori magis quàm piiſſima Matre abſente vivere cupiebant. Denique, ut ſuprà diximus, introgreſſa in cella Monaſterii ipſius, more conſueto dum pervigil in ſanctis orationibus inſiſteret, iniqui homines conſilio diabolico armati, lapidibus domum obruentes ſuper ipſam venerunt: ſed nihil illi nocere poterant quam Chriſti gratia protegebat.

Cuſtodiæ mancipatur.

* gallicè *chanſon*

20. Expletis igitur ſeptem diebus, adducitur de civitate itinere quo cœperat pergens. Dominus autem qui non derelinquit ſperantes in ſe, ſed exaltat humiles, ipſe miſit Angelum ſuum, & abſtulit opprobrium à filiis Iſraël, revelavítque per Spiritum ſuum ſanctum cuidam Apoſtolico viro Epiſcopo civitatis Viennenſis nomine meritíſque DOMNULO, ut protinus ad

Ad Regem honorificè deducitur, *anno* DC. XVIII.

a Et tamen Maximus Avenionenſis Epiſcopus colitur ut Sanctus, cujus Reliquiæ in Templo B. Mariæ de Domnis honorantur, qui in hoc facto id ſolùm reprehenſione dignum egiſſe videtur, quòd falſis delationibus deceptus, (quod ſanctiſſimis viris ſæpe contigit) Ruſticulam accuſavit apud Chlotharium, quaſi occultè Regem enutriret, nempe Childebertum Theodorici Regis filium, qui ex fratrum cæde à Chlothario patrata ſe ſubduxerat, ut in Vita S. Columbani ad ann. 615. legitur.

b Nempe Cæſarius in Regula Virg. cap. 1. ſtatuit ut Monacha *uſque ad mortem ſuam de Monaſterio non egrediatur, nec de Baſilica ubi oſtium eſſe videtur.*

AN. CHR. DC XXXII. AUGUST. XI.

Regem graderetur, & denuntiaret ipſi gravem ſe offenſionem Dei habere, eoquòd injuſto judicio condemnàſſet famulam Chriſti, & protinus ſe à filio orbari pro tam immiſericordi juſſione. Audiens autem hęc Rex timore nimio corripitur, & direxit duos Comites viros Deum timentes, qui cum honore & reverentia ad ſe eam deberent perducere, ſed & de ſingulis civitatibus quæ ei neceſſaria erant opes miniſtrari præcipiens.

Dæmones ex obſeſſis corporibus ejicit.

21. Quanta verò mirabilia in itinere ipſe Dominus per ejus operationes ſit operatus, planè referam. In civitatibus verò in quibus famula Dei ventura erat, vexati à ſpiritibus immundis, antè plurimis diebus adventum ejus prænuntiabant dicentes: Ecce famula Dei jam venit ut nos torqueat, & de habitatione noſtra ejiciat: & quaſi ſtadiis tribus aut quatuor venientes obviàm ei humiliter proſternebantur confitentes atque dicentes, Cur nos famula Chriſti torquere veniſti & de domiciliis noſtris expellere? Inquirenti verò Chriſti ancillæ quo caſu vel negligentiâ ſpiritus maligni in hominibus introiſſent confitebatur unuſquiſque per ſingula, unus quia poculum aquæ ſine ſignaculo hauſiſſet, alius quia per gulam, alius quia per perjurium, alius per furtum, alius per homicidium, vel reliquis malis. Unus autem ex ipſis dicebat, quia in fonte ſe poſuerat: cùm autem vellet bibere de aqua ipſa, infelix ipſe homo & ſignum Crucis ibidem minimè feciſſet, ita in eum fuiſſet ingreſſus ſpiritus malignus; & obteſtabantur eam per Crucem & clavos Domini, ut non eos juberet egredi de domiciliis ſuis. Illa autem ne vel modicum jactantiæ ſubiret, redemptionis Dominicæ Crucem quam ſecum deferebat ſuper capita eorum imponens & orans, protinus ſalvabantur.

NOTA.

Orando fores Baſilicæ aperit.

22. Cùm ad Baſilicam S. Deſiderij Martyris* maxima cum devotione veniſſet, & fores clauſas reperiſſet, ubi Sancti corpus erat poſitum, fidei alacritate repleta poſtulabat Martyrem Chriſti dicens: Beatiſſime amice Dei, adeſto mihi nunc tribulatæ, & permitte me accedere, ut procumbens exorem ad ſancta veſtigia tua. Hæc ea dicente, diſruptæ ſunt catenæ & reſerata ſunt clauſtra, & toto corpore proſtrata humo obtinuit precibus quod fidei alacritate poſcebat.

* *ſcilicet* Epiſcopi Viennenſis

Regi præſentatur.

23. Verùm quia longum eſt quæ & quanta mirabilia per ſingulas quaſque civitates ad laudem nominis ſui Dominus per eam ſit operatus per ordinem narrare, ad rerum exitus redeamus. Igitur cùm perducta fuiſſet ad Regem, Chriſto duce ſalutatura eum aggreditur. Interea famulam Chriſti non jam fama vulgante, ſed corporali præſentia comprobante tam Rex quàm Regina & Optimates ſui cum magno honore & reverentiâ venerari cœperunt. Inquirenti ergo Regi Principibus ſuis, ſi vera eſſent quæ ipſi de ea fuerant nuntiata; iſta cum juramento aſſeruit teſtificans Deum non ſolùm ſe non feciſſe, ſed nec cogitare potuiſſe hujuſmodi rem. Cúmque iſta agerentur, & Rex ipſe dubietatem in ſuo animo gereret, filius ſuus quem valde diligebat, extrema agere cœpit, & quod ei antea fuerat prędictum per injuſta judicia quæ in Dei famulam exercuerat, filium ſe amiſſurum [a], complevit in meritum. Defuncto itaque eo triſtis ac mærens Rex quidnam de Chriſti ancilla fieri juberet ignorabat. Accedentes verò ad eum palatij illius Primarij, hoc ei dederunt conſilium, ut dilectam Dei Ruſticulam quam cum injuria ad ſe fecerat venire, cum magno honore juberet ad propria remeare. Quod & factum eſt. Autoritate igitur acceptâ Beatiſſima revertendi ad propria, quantum gaudium illius provinciæ fuerit, quis valeat narrare?

Regis filio ęgritus per cuſſo Ruſticula abſoluta dimittitur.

a

Arreptitiũ à dæmone liberat.

24. Cùm autem veniſſet in civitatem Senonis*, quidam à diabolo correptus de altiori cenaculo ſe projecit, & ad baſternam [b] ubi Dei famula ducebatur, curſu rapidiſſimo properavit, detraxítque illud velum quo feneſtra baſternæ tegebatur, & intrinſecùs caput admittens manus Beatiſſimæ devorare conabatur. Quæ elevatâ confeſtim dexterâ Crucis vexillum in fronte ejus defixit, proſtratúſque in terram qui effigiem hominis ſanguine plenam evomuit, & continuò priſtinam recuperavit ſalutem.

* *Sens*

b

Suis cum gaudio reſtituitur.

25. Verùm quia longum eſſet cuncta de virtutibus ejus referre, illud referam cum quali gaudio vel exſultatione à ſuis civibus eſt recepta. Igitur cùm nuntiatum fuiſſet venerabilem Dei famulam reverti atque propiùs imminere civitati, egreditur in occurſum ejus omnis ætas, omníſque ſexus, Religioſi, laici nobiles & ignobiles, divites & pauperes, incolæ & advenæ, omnes gaudent, omnes lætantur, omnes Deo gratias referunt, quia talem exoratricem quam dudum ſe amiſiſſe lugebant, protinus ſibi Dei gratiâ redonatam eſſe gauderent. Interea adventus ejus Chriſti Virginibus nuntiatur, quæ mox inenarrabili lætitia repletæ hymnum exſultationis Domino canunt qui reddidit Paſtorem ovibus afflictis. Introgreſſa igitur in ſanctum ovile, unde abſtracta fuerat, excipitur à filiabus modulatis vocibus pſallentibus atque dicentibus: *Gloria in excelſis Deo, & in terra pax hominibus bonæ voluntatis.* Conſtipata igitur choris Virginum, ſolióque proprio reſidens, pia Magiſtra pari Domino voce gratias referebat: exhortánſque diſcipulas, quæ nimiùm afflictæ fuerant abſentiâ ſui, earum

Luc. 2, 14.

[a] Hunc Chlotharii Regis filium Hiſtorici omnes ignotum habuêre. An fortè id intelligendum de Meroveo Theodorici filio, quem Chlotharius è ſacro fonte excepit, & à nece quam duobus Theodorici filiis Sigiberto & Corbo intulit, utpote filiolum excepit, & Ingobodi Graphioni commendavit? Lege Fredegarii Chron. cap. 42. ubi Meroveus plures vixiſſe annos poſt fratrum cædem dicitur.

[b] Baſterna vehiculi genus ἀπὸ τῦ βαστάζειν, quod verbum *ferre* ſignificat.

orationibus

orationibus ſe in loco priſtino reſtauratam fuiſſe Mater ſancta fatebatur. Et in Pſalmiſtæ prorumpens vocem: Magnificate, inquit, Dominum mecum, dilectiſſimæ Filiæ, & exaltemus nomen ejus ininvicem, quia exquiſivi Dominum & exaudivit me, & de omnibus tribulationibus meis eripuit me; habitaréque fecit ſterilem in domum matrem filiorum lætantem. AN. CHR. DC.XXXII. AUGUST. XI

26. Non multo poſt tempore inimici illi homines qui crimen objecerant famulæ Chriſti, confuſi atque compuncti veniunt ad eam humiliter veniam poſtulantes, atque pro ſui culpa indulgentiam flagitantes. Illa verò quæ erat repleta dulcedine Spiritus-ſancti, alacri animo eos ſuſcipiens tamquam ſi magnis honoribus eam ſublimâſſent, ita dulciter alloquens, Dominum pro ipſis deprecabatur. Legerat enim ſanctum Evangelium quod ait: Si dimiſeritis hominibus peccata eorum, & Pater veſter cæleſtis dimittet veſtra. Vindicta cæleſtis in adverſarios. *Matt.* 6. 14.

27. Tranſacta hac tempeſtate, commorata eſt cum Filiabus, quas dulciter enutriebat annis quatuordecim, edocens illas omnem Fidei ſanctitatem. Nam una de Sororibus cùm graviter ab infeſtatione meridiani dæmonis [a] nimiam fatigationem ſuſtineret, & corpore tremebunda nullatenus ſe erigere poſſet, Divina clementia largiente aliæ fideli Sorori dignatus eſt Dominus incordari *, ut ex capillis beatiſſimæ Matris igne ſubpoſito ureret, & in aqua munda eidem bibere daret. Quæ ſtatim priſtinam recipiens ſanitatem ſimul pro recuperatione corporis maximas cum devotione gratias retulerunt. Monacha virtute capillorum ejus curatur à dæmonio meridiano.

a

* *id eſt* inſpirare.

28. Quodam tempore cùm nimia clade populus civitatis opprimeretur, etiam & Dei famulæ ſubitaneo fine ad Chriſtum migrarent, cœpit beatiſſima Mater graviter affligi pro eis. Contigit autem ut duæ ex Sororibus gladio ipſo percuſſæ invicem proſternerentur: & cùm vicinæ jam morti oculis obtenebratis lucem diei cernere non poſſent, Matrem ſanctam pro ſe oraturam vix jam languentes expoſcunt. Veniens verò Dei famula in loco Oratorij S. Cæſarij ubi ipſe jacebat, humi proſtrata cum lacrymis auctorem Deum ut morti jam proximas vitæ reſtituat deprecatur. Cúmque ſurrexiſſet ab orationis officio, credula quodammodo præſtitum ſibi fuiſſe à Domino quod poſtulaverat, ad viſitandas eas accedit, & de ſalute earum inquirit. Quæ protinus revaleſcentes gratias Deo & Matri referunt, ſuis ſe orationibus mox fuiſſe à mortis periculo liberatas. Monachas duas à morte imminente revocat.

29. Sunt præterea plurima quæ de virtutibus ejus ſcribi prolixiùs poſſent; ſed ne faſtidium legentibus prolixitatis meæ ſermo generare videatur, finem operi demus, ut & legentes verba lectionis reficiant, & audientes tali exemplo provocati intercedentibus bonis operibus vitâ potiantur æternâ. Sufficere ſanctis animabus veſtris credo, dilectiſſimæ Chriſti Virgines, quanta pro recordatione ſanctiſſimæ Matris Dominæ meæ Ruſticulæ ſive Marciæ, de virtutibus, inſtitutis, atque doctrinis ejus, ad laudem honoris Dei omnipotentis parviſſimo locutionis meæ ſermone prout fandi facultas conceſſit, fideliter explicavi. Sed quia jam nunc tempus exigit, ut qualiter ad illa beata præmia quæ Juſtis ſunt parata, eam Dominus vocaverit intimemus, licet mæſtitiam vobis ingeram, jam tamen accedam. Auctor multa omittit.

30. Septuageſimum ſeptimum agens ætatis ſuæ annum, cùm adverſum ſe diabolum jugiter dimicantem Chriſti juvamine roborata viriliter triumphare valuiſſet in terris, ad præmia parata læta evocatur ad cælos, ut recipiat quod oculus non vidit, nec auris audivit, nec in cor hominis adſcendit, quæ ſunt parata diligentibus Deum, eoquòd triticum horrei Dominici familiæ ſibi commiſſæ prudenter atque fideliter diſpenſaverit, zelóque Spiritus-ſancti ſuccenſa templa Dei nutantia juſtitiæ vigore ſtabilierit. Hæc illius jugis opera, jugis intentio fuit, ut ne quam illarum ſuperfluè triſtitiâ affligeret, neque nimio labore gravarentur aut quiete torpeſcerent, ſed ferventi ſpiritu omnes cogebat ad regimen. Mirandum eſt quomodo beatiſſima Mater tot officia compleverit, dum quotidie ægritudo ſuo corpori non deeſſet. Hinc illud erat quòd Congregatio ex diverſa terrarum parte collecta in illius amorem exardentes, omnes Dominam, omnes piam Matrem vocarent. Didicerant enim omnes ipſam ſibi comparientem dolores ipſius ſuos computare, ipſaque affligi, & reſpirante convaleſcere. Quando autem congregatæ fuiſſent omnes in unum ad opus ſanctum celebrandum, productis fontibus cæleſtium doctrinarum ſingularum corda rigabat. Cum quali Septuagenariâ major vocatur ad cælos Ruſticula. Quomodo Virgines rexerit.

a Quid ſit infeſtatio dæmonij meridiani, ex Gregorio Turon. Epiſc. in lib. 4. de Mirac. S. Martini cap. 36. utcumque intelligitur. *Conjux Serenati hominis*, inquit, *noſtri cùm de cultura viro præmiſſo rediret, ſubitò inter manus dilapſa comitantium terræ corruit, ligatáque lingua nullùm verbum ex ore potens proferre, obmutuit. Interea accedentibus accolis ac dicentibus eum* MERIDIANI DÆMONIS *incurſum pati; ligaminaque herbarum atque incantationum verba proferebant, ſed nil medicaminis juxta morem conferre poterant peritura.* Addit Gregorius, *ægrotam amotis ligaminibus* adhibito oleo de ſepulcro B. Martini, *ſermone reddito, nequitiæ dolo ſerempto convaluiſſe.* In miraculis MSS. S. Jovini Abbatis Enſionenſis hæc leguntur: *Erant duo pueri in via publica* CIRCA MERIDIEM *foris ſtantes, qui valido impulſi turbine graviter infirmati, quaſi inſanire cœperunt, & parentum ſuorum neminem recognoſcere valuerunt. Cúmque conſolationem eorum minime reciperent, furibundi ad ſepulcra Sanctorum,* (Jovini & Martini Abbatis Vertavenſis) *à ſuis parentibus ſunt ablati: qui vexillo Crucis à Monachis conſignati, meritis SS. Martini atque Iovini à* DÆMONIO MERIDIANO *ſunt liberati.* Ergo Dæmonium meridianum, ſeu incurſus dæmonij meridiani antiquis dicebatur ſubita & aperta quævis morbi violenti incurſio, qua quis ſenſuum mentiſve facultate derepentè privabatur: ſic dicta tum quòd à dæmone imprimi crederetur, tum quòd ſummo die proveniret.

AN. CHR. DC. XXXII. AUGUST. XI

verò dulcedine & pia caritate eas caſtigaverit, corripuerit, & iterum clementi affectu non ut domina, ſed quaſi pia genitrix monitis ſalubribus imbuerit, non dicam, differere, ſed nec cogitare me poſſe profiteor. O verè beata! quæ Chriſti amorem toto pectore gerens, dignè cum ſervo illo qui duplatis talentis à Domino mereretur audire, quia ſuper multa conſtituatur; audiatur & hæc propria & fideli deſcriptione quam circumſpectionem circa hunc gregem habuit: Euge ancilla bona & fidelis, intra in domum Domini tui.

Luc. 19.

Extremo laborans morbo quid egerit.

31. Factum eſt autem quadam die quæ eſt ſexta ſabbati, Veſperam cum Filiabus ex more decantans, adjunctâ etiam Duodenâ [a], valde ſe corpore jam fatigari ſentiens, ſuper viribus ſibi imponens ſolita conſuetudine lectiones fertur dixiſſe. Sciebat enim ſe jam celeriùs ad Dominum migraturam. Die itaque ſabbati illuceſcente cœpit modico frigore teneri, & membris omnibus diſſolvi. Poſthæc lectulo incumbens cùm nimia ægritudine febrium teneretur, non tamen à Dei laudibus os ejus ceſſavit, ſed oculis in cælo intentis invictum ab oratione ſpiritum non relaxans, commendabat Domino Filias quas orphanas relinquebat, flentéſque forti animo conſolabatur. Digna enim erat jam tunc cum Apoſtolo dicere: *Bonum certamen certavi, curſum conſummavi, fidem ſervavi; decetero mihi repoſita eſt corona juſtitiæ.* Tempus erat quo ad regimen convocata conſors fieret Dei electorum. Aliqua verò die Dominica graviùs tædiare cœpit: & quia conſuetudinis ſuæ erat ut lectulus ſuus nonniſi revoluto anni curriculo fieri deberet, poſcentibus famulis * Dei ut aliquantulum mollioribus ſtramentis ſibi indulgeret, eoquòd tam gravem fatigationem corporis ſuſtineret, penitùs adquieſcere noluit. Secundâ verò ſabbati, Natale S. Laurentij Martyris, cœpit viribus corporis ampliùs diſtendi, & validiſſimè fleuma * ejus pectori ſonare. Hæc videntes Virgines Chriſti, contriſtatæ omnes fletum gemitúmque reddebant. Cúmque hora diei tertia facta eſſet, & Congregatio præ nimia triſtitia ſub ſilentio pſalleret, contriſtata Mater ſancta inquirit, cur voces pſallentium minimè audiret. Reſpondent mæſtitiæ mærore ſe non poſſe. Clariùs, inquit, pſallant, ut & ego confortationem capiam, quia verè ſatis mihi dulce eſt. Alia verò die cùm nullus vitalis motus in ejus jam pænè corpore remanſiſſet, oculi tamen ejus in vigore quo fuerant perſiſtebant tamquam ſtellæ micantes: & huc illúcque circumſpiciens, minimè jam loqui potens, manu ſilentium flentibus, conſolationémque inſinuabat. Cúmque una de Sororibus pedes ejus attrectaret, ut utrum videret ſi calidi eſſent an frigidi, dixit: Adhuc non eſt hora. Poſt paullulùm verò horâ diei ſextâ lætiſſimo vultu, oculis præfulgentibus quaſi ſubridens, glorioſa anima felix ad cælum transfertur [b], innumeris ſociata choris Sanctorum.

NOTA.

* famulabus

* phlegma

Moritur.

a

b

Ingens ſui deſiderium relinquit.

32. Jam verò dici non poteſt, quali dolore ſint percuſſæ Famulæ Chriſti à gemitu: nulla à fletu, nulla ab ululatu ceſſare potuit, piiſſimam Matrem ſe amiſiſſe ingementes, itaut tecta Oratorij ipſius diſceſſu ruere putarentur. Parem luctum dilectio univerſalis indixerat, erátque veluti ſeminarium lacrymarum generalis dolor omnium diligentium, & deſinente voce gemitus reſonabat clamantium & dicentium: O, inquit, piiſſime Domine, quare avertiſti faciem tuam à nobis, ut non meruiſſemus ampliùs tali dulciſſima Matre educari vel ejus pio affectu enutriri? Et hæc quidem pro ſuis juſtis laboribus feliciter ſe congaudet migrâſſe in cælis: ſed nobis væ quas tam citò orphanas reliquit in terris. Quis enim in filios illam dulcedinem oſtendit quantum nobis piiſſima Mater? quis umquam poterit ore proprio promere, quo ingenio bajulabat exiguitatem noſtram diebus ac noctibus pro peccatis noſtris inceſſabiliter Deum deprecans? Sed quid multis morer? dum de tali Dei famula quidquid laudanti ore pro ejus recordatione dicetur, omnia vobis inter damna, Chriſti Virgines, computantes dolor vos plus vincit.

Corpus ejus ſepelitur ab Epiſcopo.

33. Sanctum verò illud corpus magna fidei ambitione ex more compoſitum lugentium orphanis frequentabatur officiis. Alia verò die veniens Epiſcopus civitatis THEODOSIUS Pontifex Clero omni aggregato accepit ſanctum corpus ſuper aurum & lapidem pretioſum Cruci-

a Intellige Completorium, ſic dictum aliquando ab antiquis, quòd horâ dici duodecimâ celebraretur. S. Aurelianus in Ordine pſalmodiæ ad ſuam ipſius Regulâ adjecto, poſt Lucernarium ſeu Veſperas *Duodecimæ* bis meminit. Primò agit de Duodecima tempore Paſchali, ubi poſt Duodecimam taxat Matutinos. At ſecundò dum agit de Duodecima tempore hiemali, inter Duodecimam & Matutinos interponit Completam. *Quando repauſaturi eſtis*, inquit, *in ſchola in qua manetis, Completa dicatur. Inprimis directaneus Pſalmus xc. dicatur.* Ergo in æſtate *Duodecima* Completorium erat Aureliano, in hieme non erat. Cùm enim horæ inæquales eſſent in uſu, horâ lucis duodecimâ in hieme ob diei brevitatem non ſtatim lectum petebant, ſed aliud officium inſtante ſomni tempore perſolvebant.

b Anno ſcilicet DC. XXXII. uti Carolus *le Cointe*, in Annal. ad ann. 556. num. 17. & ad ann. 632, num. 15. adverſus Johannem Columbium rectè probat. Quippe eo anno Natalis S. Laurentij in feriam ſecundam, quo die Ruſticula annos ſeptem & ſeptuaginta provecta deſiit, incidebat: & Ruſticula quinquennis à Cheraonio rapta, (ſuprà num. 4.) Guntramni juſſu ante annum Chriſti D. LXI. Guntramni primum, matri reſtitui non potuit. Nec Ruſticulæ obitus anno DC. XXVII. illigari poteſt, nec in annum DC. XXXVIII. differri, qui anni Littera Dominicali D ſimiliter præditi erant. Cùm enim ex num. 27. Ruſticula poſt regreſſum ex aula Chlotharij annis XIV. ſupervixerit, quo ante annum DC. XIV. profecta non eſt; annum DC. XXVII. exceſſit. Nec tamen attigit annum DC. XXXVIII. Sera enim fuiſſet ſuſpicio de occultato Childeberto, qui Brunechildis & Chlotharij manus anno DC. XIII. fugâ elapſus evaſerat, & non facilè jam grandævus in Feminarum Monaſterio contineri poterat. S. Ruſticula colitur III. Idus Auguſtas.

bus & columnis ardentibus cereorum. Ad obſequias * autem venerandas non ſolùm Fidelium, ſed etiam Judęorum concurrunt agmina populorum, omnium lacrymæ invicem ſe ſuperare certabant. Igitur dum præ multitudine plangentium Virginum vix funus elatum à Monaſterio pſallentium choris honoraretur, unus de Senioribus ſervientibus Monaſterij dum oculorum ſibimet perditum fuiſſe graviter defleret lumen, ſubmitti ſe ejus feretro petens, lumen ſibi ab omnium Domino ut reſtituatur cum ſumma fidei ambitione depoſcit; ſtatímque videndi uſum refuſa luce recepit. Deinde S. MARIÆ Baſilicæ [a] corpus venerandum infertur, & ſacri altaris myſteria celebrantes cum digno honore ſanctum illud corpus ſplendore nimio coruſcante ad dexteram partem altaris tumulo collocatur: nempe ut quæ decorem propriæ virginitatis Chriſto fide pleniſſima obtulit, choro Virginum, quarum principatum tenet glorioſa MARIA Virgo dextræ parti ſedens Agni, canticum illud novum decantans, niveo veſtimentorum tegimine, gemmiſque pretioſis decorata perpetuis laudum titulis honoretur. AN. CHR. DC.XXXII. AUGUST. XI. * exſequias. Cæcus lumen recipit. a

34. Ad declaranda verò merita virtutum ſuarum, quæ per ejus orationes poſt ejus tranſitum Dominus ſit operatus, nefas eſt ſilentio præterire. Una de Chriſti ancillabus tertianæ febris typo ingentibus ardoribus urgebatur. Accipiens autem linteum quo corpus beatiſſimæ Matris fuerat involutum, magna cum fide lavat illud aquâ mundâ, & bibens, illâm à febribus vel ab anguſtiis reſoluta ſalva effecta eſt. Ruſticula varias curationes patrat.

35. Unus de ſervientibus Monaſterij ipſius cum per ægritudinem greſſum ſibi ablatum graviter defleret, in ſopore poſitus jubetur petere à Chriſti ancillis ut de grabato ubi ſancta Mater quieverat quatuor anguli lavarentur, & ipſi bibere daretur. Id ubi factum eſt, maximam continuò promeruit conſequi ſanitatem. Quiſque verò ægrotus quamvis in gravi anguſtia poſitus ejus implorans ſanctitatem, qualemvis parvum linteum aut pannum de ipſius veſtimentis ſuo corpori fide pleniſſima collocaverit, promeretur à Domino & recuperationem corporis & animæ recipere ſanitatem.

36. Qualem verò curam vel ſollicitudinem de animabus ad ſe pertinentibus, dum adhuc ſuperſtes eſſet hæc beatiſſima Mater habuerit, ex hoc cognoſci poteſt, dum poſt diſceſſum pia ſollicitudine unamquamque earum viſitans monuerit, caſtigaverit, ut ferventi ſtudio ad opus ſanctum feſtinare deberent. Sollicita de ſuis.

37. O venerabilis famula Chriſti dum pro tuis laboribus juſtis paradiſo læta exſultas, preces gregis Deo Patri offerre dignare. Eſto advocatrix pro ipſis ad Dominum JESUM-CHRISTUM, ut mereantur omnes tecum in illa beatitudine gaudere, ubi eſt lætitia Angelorum, gaudium Prophetarum, laus Apoſtolorum, victoriæ Martyrum, exſultatio Virginum, gloria Sacerdotum, & omnium ſine fine laudantium Deum perpetua beatitudo. Auctoris invocatio.

38. Obſecro igitur bonitatem veſtram, Sanctæ Virginis Chriſti, per ineffabilem Dei omnipotentiam, ut quoties hæc à vobis recenſita fuerint geſta, ſemper memoriam mei in veſtris orationibus habeatis, cujus hæc ſtudio ſcripta ſunt: ut ipſe Dominus noſter JESUS-CHRISTUS, cui omne judicium Pater dedit, animam meam innumeris criminibus obligatam à morte liberet, & de profundo inferni gurgite extractam in illa gloria beatarum animarum largo indulgentiæ ſuæ munere jungat, qui cum Patre & Spiritu-ſancto vivit, dominatur & regnat Deus per cuncta ſæcula ſæculorum, Amen. Sanctimonialibus ſe commendat.

a Baſilica S. Mariæ una erat ex tribus quas in gratiam Sanctimonialium quibus Ruſticula præfuit, S. Cæſarius conſtruxiſſe dicitur in libro primo Vitæ Sæculo 1. Bened. pag. 664. num. 32. Illic S. Ruſticulæ corpus diu religioſè ſervatum, poſtea in Majorem Eccleſiam S. Trophimo ſacram illatum eſt, excepto capite quod in prædicto Parthenone, nunc S. Cæſarij dicto, condignè honoratur.

SANCTI IVSTI EPISCOPI TOLETANI

AN. CHR. DC.XXXV. SEPT. III.

ELOGIUM HISTORICUM.

1. DE S. JUSTO *ea ſolùm explorata habemus, quæ S. Ildefonſus in lib. de Vir. illuſtr. cap. 8. refert in hunc modum:* JUSTUS poſt HELLADIUM, diſcipulus ejus, illíque ſucceſſor innexus eſt, vir habitudine corporis ingeniíque meritis decorus atque ſubtilis, ab infantia Monachus, ab Helladio ad virtutem Monaſticæ inſtitutionis affatim educatus pariter & inſtructus, in Agalienſi Monaſterio tertius poſt illum Rector eſt factus. In Pontificatu autem mox illi ſucceſſor inductus, vir ingenio acer Juſti elogium.

AN. CHR. DC.XXXV. SEPT. III. & eloquio ſufficiens: magna ſpe profuturus, niſi hunc ante longævam vitam dies abſtuliſſet extrema. Scripſit ad RICHILANEM Agalienſis Monaſterij Patrem epiſtolam debita & ſufficienti proſecutione conſtructam: in qua patenter adſtruit, ſuſceptum gregem penitus relinquere non debere. Exſtitit Rector annis tribus, & tempore Siſenandi obiit: qui Rex poſt hunc die nonodecimo defunctus abſceſſit. *Hæc Ildefonſus.*

Alter à Justo Diac. 2. *De Agalienſi Monaſterio & Epiſcoporum Toletanorum ſucceſſione in S. Helladij Elogio ad ann. 632. dictum eſt. Iuſtum Toletanum Epiſcopum cum alio Iuſto Diacono, Helladij itidem diſcipulo nonnulli perperàm confundunt. Ildefonſi verba in Prologo ad lib. de Vir. illuſt. refutando commento ſufficiunt.* Rurſus, *inquit*, cùm Helladio Epiſcopo Sedis ejus JUSTUS Diaconus faſtu ſuperbiæ inſultaret, poſt mortem quidem ſui Pontificis vixit Epiſcopus & ipſe tabefactus: ſed in reprobum verſus ſenſum, ob intemperantiam morum à miniſtris altaris ſui dormiens ſtrangulatus laqueo exſpiravit. Item cùm ſucceſſori ejus *(nempe Helladij)* JUSTO Epiſcopo Gerontius Preſbyter Principis oblectamine fotus contemptum adverſitatémque deferret, tam repentino motu vim perdidit intellectus, ut multis medicorum curationibus quidquid in medelam fieret, totum in peſtis augmentum creſceret. Sícque invaluit commotio, ut uſque ad obitum ſuum terror eſſet homini ejus vel participatio viſionis, vel colloquium oris. *Quippe Iuſtus Toletanus ex Agalienſi Abbate Helladij ſucceſſor, Iuſtus ex Diacono ſæculari ignotæ Sedis Epiſcopus factus eſt. Poſterior* ob intemperantiam *morum à Clericis ſuis ſuffocatus dicitur: prior Gerontij Presbyteri Epiſcopum contemnentis dementatione vindicatur, & in ſucceſſoris Eugenij elogio Sanctus diſertè à B. Ildefonſo prædicatur.*

Memoria epitaphiũ. 3. *S. Iuſti nomen in Faſtis Romanis non habetur, neque in antiquis Martyrologiis, ſi fortè Toletanum excipias Kalendarium, in quo locum habuiſſe ab antiquo dicitur III. Non. Septemb. ut ex Thomæ Tamaij Notis ad Liutprandum Iohannes Tamaius in Martyrolog. Hiſp. ad ipſum diem obſervat. Et tamen in Benedictinis Tabulis S. Iuſtus VII. Id. Maij memoratur. In Hieronymi Higuerani adnotationibus ad vulgatum Liutprandi Chronicon reperitur hoc B. Iuſti Epitaphium à quodam neoterico prolatum.*

NONDUM note ſatis terris notiſſime cælo,
Heu! moreris gentis gloria, JUSTE tuæ.
A puero es Monachus BENEDICTI caſtra ſecutus,
Diſcipulus ſancti carior Helladij.
Iria *te genuit, Toletum nutrit in arctis
Ordinis obſequiis, & vocat ad Cathedram.
Agalienſis eras priùs in pietate palæſtræ,
Altus ad egregias inde vocaris oves.
Doctus, amans equi, caſtus, moderatus, honeſtus,
Sobrius, ingenio, relligione vales.
Ut fueras ſollers Abbas, ſic providus ipſe
Præſul, & officio ſic in utroque decens.
Te vocat Alfonſus Sanctum ſanctiſſimus idem:
Dignus es & compar Præſulis Helladij.
Tertia lux meritum Septembris te intulit aſtris,
Leucadiæ in Templo buſta parata tibi.
Diaconum qui te credunt vixiſſe beati
Helladij, falli arbitror hos nimiùm.
Hic Lector fuit Helladij; ſanctiſſimus Abbas
Dum regit Helladius, Agalienſis eras.
Hinc Toletanam Præſul conſcendis ad urbem,
Moribus & ſophiâ non minor Helladio.

* Urbs Calleiæ

Ora pro nobis, Præsul justissime JUSTE,
Note Deo, doctis note piisque viris.

AN. CHR. DC. XXXV. SEPT. III.

Prætermittimus ea quæ ex Pseudo-Liutprando de S. Iusto circumferuntur, nisi quòd beati viri obitus rectè cum anno Christi DC. XXXV. *componitur, quod in sancti Helladij Elogio expendimus.*

VITA S. ARNVLFI ESPISCOPI METTENSIS,

AN. CHR. DC. XL. AUG. XVI.

Auctore Monacho anonymo coævo.

Ex MS. cod. Chesniano & Surio.

OBSERVATIONES PRÆVIÆ.

1. PRIMUS *qui S.* ARNULFI * *Vitam scripsit auctor anonymus, coævum se non uno in loco prodit. Siquidem num. 2. Arnulfi* laudabilia facta nonnulla à familiaribus illius narrantibus, pleraque per semetipsum cognovisse *se adserit. Deinde hunc ipsum Auctorem interfuisse illi miraculo quo Arnulfus incendium exstinxit, constat ex num. 20. ubi se Romarici socium ac proinde Monachum satis declarat. Postremò in fine Vitæ alloquitur* CHLODULFUM *Mettensem Episcopum, Arnulfi filium, quo jubente eam scripserat: ut Chlodulfi Biographus num. 23. observavit. Quæ quidem Ionæ Bobiensi Monacho, quem Baronius istius lucubrationis conditorem suspicatur, convenire non possunt, qui nec Romarici socius, nec ad Chlodulfi Pontificatum superstes fuisse videtur. Certè Ionas principio Vitæ S. Bertulfi Abb. Bobiensis, mentionem facit Arnulfi, cujus consanguineus erat Bertulfus; nec tamen de Arnulfi Vita à se scripta aut scribenda quidquam loquitur. Paulus Diaconus in lib. 6. de Gest. Langob. cap. 16. libri de S. Arnulfi Vita & mirabilibus ejus gestis composuit meminit: de quo etiam* quædam miranda *in lib. de Episcopis Mettens. à se conscripta affirmat, à nobis post Vitam sequentem referenda.*

* *S. Arnoal.*

2. *Post anonymum* UMNO *quidam S. Arnulfi Vitam auxit, cui Vitæ hic titulus in MS. cod. Montis-Romarici præfixus est,* Vita S. ARNULFI Episcopi Mettensis jussu Caroli Magni scripta. *Suscepti operis rationem reddit Auctor his verbis:* Exhortatione plurimorum commonitus UMNO Dei gratiâ præventus ac impulsus, gesta B. Pontificis ARNULFI explananda suscepi, non ut aureo Babylonis poculo audientibus ficta propinarem, sed ut opera Dei quæ in suo dignatus est operari Sancto, ad ædificationem Fidelibus adsignarem. Priora siquidem de ipso adscripta, quibusdam videbantur minùs luculenta & ingrata: tum quia stemma ejus nobilitatis, tempus locúmque ipsius nativitatis, quæ sunt autentici fundamenta operis, quasi præ excellentia cunctis nota præteribant; tum quæ incipiebant proloqui, minùs adsignata relinquebant. Memorabile quoque annuli ejus insigne omnino reticebant, quod CAROLUS MAGNUS, cui fuerat tritavus, cum veritatis approbatione scribi jussit. *Et cap. 1. Arnulfi genus ita describit:* CHLODOVEUS primus Rex Francorum Christianus genuit præcelsum Regem CHLOTHARIUM, cujus filiam BHLITHILDEM nomine ANSBERTUS vir Aquitanicus præpotens divitiis & genere in matrimonium accepit, de qua BURTGISUM genuit, patrem beati hujus ARNULFI. *Denique cap. 3.* Natus est autem B. ARNULFUS Aquitanico patre, Suevia matre in castro Lacensi * in Comitatu Calvimontensi Imperatoris Mauritij temporibus, qui primus de genere Græcorum imperavit Romanis.

* Lacensi *Lay diœc. Tullens.*

3. *Hoc se auctore maximè tuetur Anshertinæ familiæ Defensor Antonius Dominicius parte 1. cap. 15. quasi Vmno jussu ac tempore Caroli Magni eam Vitam scripserit. At certè titulus illi Vitæ præfixus falsus esse vel inde convincitur, quòd Vmno ad id præstandum* exhortatione plurimorum se commonitum *præfatus, ambitiosum Caroli M. nomen non expressit. Librarium in errorem induxit Vmno his verbis:* Quod Carolus M. cui fuerat tritavus cum veritatis approbatione scribi jussit. *Cui id jusserit Carolus, non exprimit Vmno: fortasse Carolus id muneris imposuit Paulo Diacono, qui hoc de annulo miraculum primus in libro de Mettensib. Episc. scripsisse videtur, ut inferiùs referemus. Certè auctor Carolo Magno æqualis Arnulfum non in* Comitatu Lacensi, *sed in* pago Lacensi *natum dicturus fuisset. Postremò Paulus Diaconus Arnulfi genus ex regia Chlotharij stirpe non deducit, non eum patre* Aquitanico, matréve Suevia, *sed* nobilissimo fortissimóque Francorum stemmate ortum *dicit. S. Arnulfi stemma gentilicium initio hujus Tomi delineavimus.*

AN. CHR. DC. XL. AUG. XVI. Præfatio Auctoris.

IN omnipotentis Dei nomine, & Chriſti JESU Domini noſtri filij ejus Vitam vel Acta ſanctiſſimi Arnulfi Antiſtitis, auxiliante Spiritu-ſancto qui in ipſo requievit, ſtilo elicere aggrediar, præcipiente Domino de bonis, Aperi Domine os meum, & ego adimplebo illud. Ergo reticenda non ſunt quæque in exemplum bonæ actionis divulgata proficiunt, atque ſuis lectoribus proculdubio municipatum tribuunt cum Sanctis.

Pſal. 80.

1. Arnulfi genus nobile & nativitas.

2. Beatus igitur ARNULFUS Epiſcopus proſapiâ genitus Francorum, altus ſatis & nobilis parentibus [a] atque opulentiſſimus in rebus ſæculi fuit: ſed nobilior deinceps & ſubtilior in Fide Chriſti permanſit. Hujus itaque laudabilia facta quæ geſſit, nonnulla ego à familiaribus illius narrantibus, pleraque per memetipſum quæ ſcribenda ſunt cognovi. Qua de re operæpretium cenſeo, ut ab ipſius nativitatis die exordium loquendi ſumamus. Erat igitur quidam peregrinus contiguo illo in loco habitans, à partibus Italiæ veniens ſervus, nomine STEPHANUS. Huic cùm revelata fuiſſent hujus exordia, ſilentio paullìſper interpoſito, tamquam cælitus ſibi reſponſum datum præſaga voce exorſus ait: Scitote omnes, & attendite, quoniam puer iſte qui natus eſt, ſublimiſſimis atque ſummis honoribus geſtandus, magnus erit apud Deum & homines. Quod & deinceps verax probavit eventus.

a Auctoris fides.

3. Arnulfus litteras diſcit.

Poſthæc autem puer laudabilis indolis plenus gratiâ Dei, ut tempus advenit, litterarum ſtudiis imbuendus mandatur. Mox itaque traditus præceptori, inter ceteros contubernales ſuos ſagax ingenio & memoriæ capax amabilis fulſit. Erátque Chriſto in ſe habitante ſubditus cunctis, ſed fide & caritate celſior omnibus.

In aula Regis potens.

4. Cúmque jam bene edoctus ad roboratam perveniſſet ætatem, GUNDULFO Subregulo, ſeu etiam Rectori Palatij, vel Conſiliario Regis exercitandus in bonis actibus traditur. Hunc ille cùm accepiſſet, per multa deinceps probatum experimenta, jam THEODEBERTI Regis miniſterio dignum aptavit. Nam virtutem belli gerendi, ſeu potentiam illius deinceps in armis quis enarrare queat, præſertim cùm ſæpe phalanges adverſarum gentium ſuo ſubegerit mucrone? Quapropter effectus eſt demum Chriſto præſule omnium primus, qui dudum pæne cunctorum ultimus videbatur: itaut ſex provinciæ [b], quas & tunc & nunc totidem agunt domeſtici, ſub illius adminiſtratione ſolius regerentur arbitrio. Nam & ſedulus in oratione, in jejuniis, in miſericordia pauperum incumbebat: & ſicut ſcriptum eſt, Reddebat quæ Dei ſunt Deo, & quæ Cæſaris Cæſari reſtituebat.

b

Matth. 22.

Uxorem ducit.

5. Interea igitur vix cogentibus amicis atque parentibus, ab inclyta & nobiliſſima gente puellam, quia ſic Deus voluit, duxit uxorem [c]. Nam illud eidem

c

a De S. Arnulfi parentibus gravis eſt apud viros doctos controverſia. Johannes Bouchetius de Famil. Franc. orig. Thomas Aquinas Carmelita excalceatus & Marcus Antonius Dominicius in Opuſc. de Anſberti famil. B. Arnulfum ex Ferreolorum & Tonantiorum Senatorio genere per Blithildem Chlotharij Senioris filiam deducunt, aiúntque Anſbertum Tonantij Ferreoli III. filium ex Blithilde uxore ſuſcepiſſe præter alios Anſoaldum Ducem, quem alij Buorgiſum vocant, ex quo & ejus uxore Odâ natus ſit Arnulfus. Contra verò Ludovicus Faber in Diſquiſit. Hadrianus Valeſ. in Rer. Franc. lib. 8. & 17. ac præcipuè lib 18. pag. 23. aliíque nonnulli ſuperiorem de Arnulfi genere ſententiam validiſſimè impugnant, eámque ſæculo IX. in gratiam Carolovingiorum qui ex Arnulfo originem ſumpſêre, excogitatam demonſtrant. Unum addendum ſupereſt, Scriptorem Vitæ S. Clodulfi ſuo loco referendum, omnino de materna Arnulfi linea ſiluiſſe. Cererùm UDALRICUS ſeu ULRICUS Remorum Epiſcopus in charta de Prioratu Layo data an. 950. apud Meurtiſſium Madaurenſem Epiſc. in Hiſt. Epiſc. Metenſ. pag. 136. in Clodulfo adſerit in prædicta villa Layo, ſitâ *in Comitatu Calvomontiſſa* prope Nanceïum, Arnulfum genitum fuiſſe, (quod etiam Umnonem Abbatem dixiſſe, ſuprà obſervavimus) ob ídque ab Adalberone Metenſium Epiſcopo, juſſu Otthonis Imp. *Monachos ſub Regulâ S. Benedicti* ibi fuiſſe inſtitutos, ubi S. Clodulfi Reliquiæ aſſervantur.

b Id eſt, ſex villas regias in ſex provinciis regni Auſtriaci poſitas, prout Hadrianus Valeſius in lib. 18. Rer. Franc. interpretatur.

c DODAM vocant S. Arnulfi uxorem, quæ viro ad infulas electo, apud Treviros velata dicitur in Vita S. Clodulfi num. 2.

Dominus ſpeciale munus veluti duarum gemmarum ſplendidum decus in mundo indulſit, ut ex eadem egregia femina duorum filiorum gaudia ſuſcepiſſet[a]. Dum hęc itaque agerentur, ſicut jam ſuprà diximus, diverſis in palatio honoribus & miniſterio primus floruit. Sed jugis illius meditatio circa Monaſteria vel loca ſancta invigilabat. AN. CHR. DC. XL. Aug. XVI. a

6. Temporibus autem illis erat in miniſterio Regis vir egregius nomine ROMARICUS*, qui deſiderio illius ſancto ac familiari jungebatur affectu. Cum hoc igitur conſilio inito ſecundum præceptum Domini, qui dixit: *Vade, & vende omnia quæ habes & da pauperibus, & habebis theſaurum in cælo, & veni ſequere me*; relictis omnibus, Lerinum uſque Monaſterium peregrinando propter Chriſtum itinerare diſpoſuit. Sed utriuſque deſideriis in hac cauſa obfuit voluntas Altiſſimi. Neque enim fas omnipotens Deus fore cenſuit, ut hi duo viri qui demum veluti duæ lampades fulſerunt in ſæculo, ſub unius modii articulo occulerentur, dicente Domino: *Nemo accendit lucernam, & ponit eam ſub modio, ſed ſuper candelabrum, ut luceat omnibus qui in domo ſunt.* Lerinum cogitat cum Romarico. * *Vita ad ann. 653.*

7. Miracula[b] autem aliqua ſaltem de multis quæ geſſit narranda aggrediar. Sed illud quidem primum ponendum cenſeo, quod fertur idem egiſſe, antequam Epiſcopatûs ſolium conſcendiſſet. Hic equidem cum pro ſuis pœniteret exceſſibus, contigit ut cùm per Moſellæ amnis pontem tranſiret, cúmque ſubter fluminis alta nec viſui penetrabilia cerneret gurgitis immenſitate, annulum quem fortè ſecum habebat accepit, & his verbis in fluvium projecit: Tunc me, inquit, ſolutum nexibus peccatorum putabo, quando hunc quem projicio annulum recepero. Poſt aliquantos verò annos, jam Sacerdotali ſolio adſcenſo, allatus eſt ſibi à quodam piſcatore piſcis: quem cùm gratiarum actione vir ſanctus accepiſſet, præparari ſibi eumdem, quia ſolitò à carnibus abſtinebat, ad verſpertinam refectionem præcepit. Quem ſuſceptum miniſter, cùm ſecundùm morem exenteraſſet, eumdem annulum in extis ejuſdem reperit piſcis. Sed neſcius facti, rem admirans ſancto Pontifici detulit; quem ille recognoſcens, jam fidus gratias Deo pro ſuorum agens ſolutione peccatorum, vitam poſtmodùm in nullis remiſſiùs duxit, ſed plus etiam poſthæc jejuniis, vigiliis & orationibus ſe coartavit. Annulus quippe ille in palatio adhuc habetur. Mirari poteſt, & in his magnificè Deus laudatur, quomodo in præſenti effectu ſanctus vir certificari meruit adhuc caſibus ſubjectus de remiſſione peccatorum ſuorum. Quod procul dubio non fieret, niſi digniſſimus Deo foret. b Annulum in flúvium projectum in ſignum indulgentię cælitùs recuperat.

8. Incipit interea urbs Mettenſium indigere Pontifice, & vox conſona populi ut ſibi Arnulfus Pontifex[c] detur inſtare: quia & Principi acceptiſſimus haberetur, & ſacricolis actibus pollere noſceretur. Ille autem lacrymans & compulſus, quia ita Deo placitum fuit, urbem ad gubernandum ſuſcepit. Sic deinceps Mettenſis Epiſcopus creatur. c

* Nempe Chlodulfum poſtea Mettenſem Epiſcopum, cujus juſſu hæc Vita ſcripta eſt & Anchiſen. Falluntur ergo qui tertium fingunt S. Arnulfi filium, nomine Vualtchiſum, S. Vuandregiſili Abbatis patrem, de quo in Vita S. Vuandregiſili infrà agendum.

b Sequens miraculum in apographis Ciſterc. & Autiſſiod. legitur, in Surio & in pluribus codd. Mſſ. deſideratur. Et verò non à primario Auctore deſcriptum, ſed ab librariis adjectum patet ex dictis & ex Paulo Diacono in lib. de Mettenſibus Epiſcopis, cujus Pauli elogium de S. Arnulfo huic Vitæ ſubjiciemus. Porrò iſte Arnulfi annulus hodie quoque in S. Stephani Eccleſia apud Mettas aſſervatur, & quotannis Benedictinis Abbatiæ S. Arnulfi Monachis in ejus feſto ſollemniter oſtenditur.

c Arnulfus poſt Pappolum Sedem Mettenſem anno Chriſti DC. XIV. obtinuiſſe videtur, non principatu ac permiſſu Theodeberti Regis, uti Auctor Vitę S. Clodulfi num. 4. aliique recentiores exiſtimavêre; ſed Chlotharii monarchiæ anno ſecundo, regni anno XXXI. Certè Fredegarius dum *factione* ARNULFI & PIPPINI Chlotharium in Auſtriam anno ſuperiori vocatum ſcribit, Arnulfum non dicit Epiſcopum, quod aliàs non omittit capitibus 52. & 58. Deinde idem Fredegarius cap. 58. Dagoberti iter ex Burgundia Pariſios anno regni ejus ſeptimo recitans, ait ipſum Dagobertum *ab initio quo regnare cœperat, uſque eodem tempore, conſilio primitùs beatiſſimi Arnulfi Mettenſis urbis Pontificis & Pippini Majoriſ-domus uſum* fuiſſe: *poſt diſceſſum* (ſcilicet in eremum) *B. Arnulfi, adhuc conſilium Pippini Majoriſ-domus & Chuniberti Pontificis urbis Coloniæ* adhibuiſſe. Dagoberti regni annus VII. incidit in annum Chriſti DC. XXIX. qui annus fuit à Chlotharii patris morte proximus, quo Arnulfus licentiam petendę ſolitudinis à Dagoberto extorſit, quam à Chlothario obtinere non potuerat. Si ergo Arnulfus annos XV. dies X. Sedem Mettenſem tenuit, eam anno DC. XIV. iniiſſe dicendus eſt. Interfuit Concilio Remenſi anno DC. XXV. ſub Sonnatio, apud Frodoardum lib. 2. Hiſt. Remenſ. cap. 5.

AN CHR. DC. XL. AUG. XVI. Liberalis in pauperes & peregrinos.

Episcopales gestavit insulas, ut etiam domesticatûs sollicitudinem atque primatum palatii, acsi nolens teneret. Mox etiam tanta támque profusa magnificentia in eleëmosynis pauperum accrevit, ut etiam de longinquis regionibus atque civitatibus, fama currente, innumera caterva pauperum ad S. Arnulfum Pontificem refocillanda festinarent. Erat namq; jugiter sollicitus atque intentus in cunctis bonis actibus, præsertim in susceptione Monachorum seu peregrinantium devotissimus invigilabat, itaut quos hospitio recepisset, manibus propriis pedes ablueret: illósque vestitos ac refectos deducens, mox alios refocillandos

In seipsum rigidus.

susciperet. Porro abstinentiæ illius normam narrare quis valeat, vel maximè cùm interdum post triduana seu ampliùs protracta jejunia pane hordaceo, seu lymphæ poculo victitaret? Indutus namque jugiter intrinsecùs cilicio, sic exesis jam membris vigiliis atque jejuniis geminum ingerebat cruciatum.

Dæmoniacam liberat.

9. Cúmque in his atque diversis bonis atque actibus tamquam potentissimus auriga jugiter invigilaret, contigit eum in contiguis partibus Vosagi in prædio sancti Stephani affore: ibíque coram eo adducta est mulier quædam nomine Bettila, à dæmonio nequiter arrepta, & discrimine vitæ suæ sæpe fortiter quatiebatur. Cúmque hæc coram sancto Præsule debacchari cœpisset, is quippe pietate ut erat semper immensâ ductus ait: Heu miserrimum genus humanum! ut quid tantum prævaluit inimicus, ut ubi Christus debuit habitare, illó domicilium infelix possideat? Superventura igitur nocte mulierem in vigiliis persistere præcepit. Cúmque vix Sanctus sese in orationem dedisset, mox dæmonium clamans & ejulans à muliere discessit. Ilico gaudentibus omnibus jussit illam abire incolumem & lætam, quæ dudum fuerat ab inimico oppressa & infirma.

Rogationũ tempore aliam purgat.

10. Per idem namque tempus quo triduanum jejunium universalis celebrarè consuevit Ecclesia, vir sanctus extra civitatem cum crucibus atque promiscuo genere populi orandi gratiâ secundùm morem ex urbe processit: & ecce ex mediis catervis femina arrepta à dæmonio clamare cœpit. Hanc ille cùm vidisset, vexillo Crucis injecto, mox ab adversario ereptam sanavit. Alio quoque tem-

Itẽ aliam.

pore infra urbem ob orationis gratiam ad Basilicam sanctæ Crucis accessit, ibíque puellam nequiter debacchantem reperit: quam cùm vidisset, motus misericordiâ, Archidiacono suo ait: Nunc igitur, frater, hac nocte pro ista miserrima orationum vigilias celebremus, & superveniente diluculo, isthuc pariter revertamur. Cúmque crastina die secundum condictum inibi adfuissent, puellam ab hoste antiquo liberatam invenerunt: sícque factum est ut sanctitas hujus viri, etiam absentes longéque positos curaret.

Baptismo leprosum mundat.

11. Temporibus quoque DAGOBERTI Regis cùm in palatio esset, eidem quidam leprosus clamare cœpit, victum seu vestitum deposcens. At ille statim jussit eum in hospitium duci. Cúmque erga illum secundum morem suum solitam impenderet pietatem, sciscitari voluit, quia Barbarus erat, si sacrâ undâ Baptismatis ablutus esset. Repentè ille; Nequaquam, mi Domine, ait: nam ego infelix abjectus in populo, quis mihi gratiam Baptismi tribueret? Tum isdem inquit: Ne verearis frater, possibile est: tantummodo crede in Christum, & erit Domini voluntas, ut geminam, id est animæ & corporis tui capias medelam. Accepto ergo à sancto viro Baptismi sacramento, repentè de corpore illius lepra discessit, & factus est deinceps in utraque substantia sanus, qui priùs fuerat peccator & maculosus.

Semivivum restituit.

12. Postea autem cùm patrias Toringorũ cum eodem Rege invisendas intrâsset, fortè fuit ut quidam Procerũ nomine ODDILO, puerum atque parentẽ quem satis diligebat supremis funeraret fletibus. Nam & cõsanguinitate propinquo & amicitia eidem insolubili jungebatur affectu. Rege autem quantociùs ex eadem properante villa, nihil aliud angustianti consilii aderat, nisi languentis capite amputato, more gentilium cadaver ignibus comburendum traderetur. Sed credimus omnipotentis Dei tunc voluntate id actum esse, sanctum Arnulfum Episcopum à mansionibus nondum egressum fuisse. Quo comperto Oddilo, ad eum-

dem

dem veloci perrexit greſſu, & cauſam infelicitatis potiùs ſingultibus quàm verbis expoſuit. Vir igitur egregius cum feſtinatione perrexit ad languentis lectulum: ubi cùm humi fuiſſet proſtratus, diutiſſimè oravit. Tum demum ſemivivum hominem, utillius mos erat, alloquitur. Pœnite, inquit, fili, ſi quid fortè mali geſſiſti, ut duplicem accipias medicinam. Ille autem veniſſe hominem Dei exſultans, vix verbis affatur quod corde volvebat, quia extremis quatiebatur conatibus. Quid plura? calefacta affertur aqua, & manibus propriis vir ſanctus faciem ægroti, pedes & manus cum ingenti abluit diligentia, atque oleo corpus illius perunxit. Sicque factum eſt, ut eadem die tamquam nullam infirmitatem perpeſſus, cum ceteris villam egrediens incolumis, lætus & gaudens iter arriperet. AN. CHR. DC. XI. AUG. XVI.

13. Alio denique tempore quod geſſit miraculũ non ſilendum eſt. Quidam namque homo ſceleſtus nomine NODDO[a] quadam die alvo refertus, vino æſtuans, cum complicibus ſuis viro ſancto derogare auſus eſt, non eſſe ſcilicet cultorẽ Dei, ſed hominẽ potiùs voluptati deditum, ad cujus videlicet lectum nocturnis horis non ſolùm Rex, verumetiam & Regina tamquam conſiliũ flagitans properaret. Cùm ergo ſtratum unà cum detrahente ſocio petîſſet, jubente Domino caſu accidit, ut omnia veſtimenta illorum flamma circumdans vallaret; atque ilico exſilientes, aquam ingentibus depoſcebant vocibus, ſed aqua injecta flammam divinitus miſſam non exſtinguebat. Ardebant nequiter circa nates, vel genitalia loca camiſiæ illorum, nec à ſe ardentia veſtimenta exuere prævalebant. Quid plura? quia aliud facere non poterant, exſilientes & ad inſtar porcorum luto ſeſe vociferantes involvunt, ſed magis ac magis genitalia ipſorum ignis cremabat immenſus. Tunc quippe, ut reor, impletum eſt ſuper eos quod ſcriptum eſt: Detrahentem occultè proximo ſuo, hunc perſequebar: ſicque Divina cenſura jubente actum fuit, ut de quibus Pontificem ſanctum detraxerant, in ipſis pœnam ſentirent. Nam non poſt multum temporis in tantis tranſgreſſionibus præfatus Noddo deprehenſus eſt, ut ſcelera illius unà cum vita, quia juſtum erat, regalis gladius amputavit: ac ne ſolus moreretur, ipſius filius mox eadem ſententia percuſſus interiit. Ultio cæleſtis in ejus obtrectatores. *Pſal.* 100.

14. Per idem autem tempus, cùm jam pæne omnes theſauros in uſus pauperum erogâſſet, adhuc ſupererat ei diſcus argenti habens pondus libras ſeptuaginta duas. Hunc HUGO quidam inter primates Procerum datis alimoniis vel his quæ pauperibus neceſſaria erant comparavit. Sed omnipotens Deus non paſſus eſt ut illo frueretur homo laïcus, qui in honore B. Stephani Proto-martyris jam olim conſecratus fuiſſet. Nam ſupradicto Hugone repentina morte proſtrato, præfatus diſcus HLOTHARIO Regi adlatus eſt: qui cùm à narrantibus comperiſſet, hunc à S. Arnulfo ob alimoniam pauperum venumdatum fuiſſe, mox miro inſpiramine tamquam cælitus actus jubet eumdem velociter ſuprapoſitis centum aureis uſque Mettis deferri ſancto Pontifici. Sicque factum eſt ut & matricularii * ſeu ceteri pauperes Dei ſuſtentationem alimoniæ haberent, & res Sanctorum quibus data ſemel fuerat, abſque ullius redderetur diſpendio. Diſcum in pauperes erogatum recuperat. * *id eſt* pauperes in Eccleſiæ matricula deſcripti.

15. Cúmque hæ & ſimiles quamplures virtutes per illum cœpiſſent crebreſcere in populo, mox remotiora à fragoribus vulgi expetiit loca, in quibus ſæpe ergaſtulo retruſus, ſoli Deo orationibus ſacris ſtudioſiſſimè vacaret, monente Altiſſimo qui dixit: *Vacate & videte quoniam ego ſum Dominus.* Nam crebrò in villa Dodiniaca, quæ contigua eſt Voſagi, interdum Calciaco non multum longè ab urbe cellulâ retruſus, cælum diebus ac noctibus precibus pulſabat. Solitudinem frequentat. *Pſal.* 45.

16. Sed dum in his Athleta Chriſti contra diabolum ſanctiſſimè ac fortiter dimicaret, conſcientiâ tactus, ne plebs ſibi à Domino credita illo remoto æternæ vitæ pabula quiddam minus acciperet; repentè cœpit intentiſſimè à Principe flagitare, ut ſucceſſorem ſui Præſulem daret. Mittenſque epiſtolas per in- Succeſſorem poſtulat.

[a] Hæc hiſtoria à Grimlaïco deſcribitur in Regula Solitar. cap. 63. Noddo hîc memoratus alius erat à Noddone Duce, de quo infrà num. 25.

AN. CHR. DC. XL. AUG. XVI. Chlothario negante.

ternuntios, ſe indignum hujus operis, ſéque peccatorem clamitabat: & ut talem eligeret Pontificem, qui prædicationis verbum dignus ſeminaret in populum. Quibus relectis mox HLOTHARIUS Rex non modicis repletur angoribus, ab omni ſe auxilio deſtitutum queritans, ſi S. Arnulfus Epiſcopus à frequentia palatii ceſſâſſet. Cui inter cetera nihilominus remittit ſcripta dicens: Domne & Pater, quæ ſcripſiſtis per veſtram epiſtolam, ut in veſtro loco alium deberemus eligere ſucceſſorem, iſtud noſtra præſumptio facere nulla ratione præſumit. Hinc interim inter reliqua ait: Quantum de devotione veſtra, quam ex admonitione Divina eſſe confidimus, gaviſi ſumus, tantum iterum dolentes tractavimus, quòd non optavimus de veſtro conſpectu eſſe abſentes. Immo Domne & Pater ſi qualibet devotione compulſus pro bono operis actu alicubi deliberatis proficiſci, petimus ut nos ſine pace veſtra vel communione pro amore Divino nullatenus relinquatis. Nam præfatus Rex Hlotharius tanta eum fide & amore dilexit, ut cùm prolem ſuam DAGOBERTUM in principatûs culmine ſublimâſſet, eidem regnum ad gubernandum & filium ad erudiendum in manu tradidiſſet. Quem ille acceptum ita altiſſimâ & profundâ erudivit prudentiâ, ut in Sicambrorum natione Rex nullus illi ſimilis fuiſſe narraretur.

Dagobertũ inſtituit.

Dagoberti minis ab eremi deſiderio non vincitur. *al.* * ſolatio

17. Sed cùm indiſſolubili deſiderio ad eremum properare diſponeret, voluit, & ſuſpicatus eſt prudens Rex Dagobertus eum minis terreri: ſcilicet ut ab ipſius conſilio vel auxilio* non diſcederet, dicens ad eum: Dilectiſſimi filii tui (quia ita admiſſum habet) niſi nobiſcum conſiſtas, caput amputabo. Ad hoc ille reſpondens ait: Filii mei vita in manu Dei eſt: jam tu tuam vitam non poſſides, quando ab inſontibus vitam auferre diſponis. Tunc Rex iratus adverſus eum dependentem ex poplite mucronem manu arripuit. Tunc ſanctus Arnulfus Regis morituri parvi ducens iram, conſtanter dixit: Quid agis ô miſerrime? mala pro bonis mihi rependere vis? ecce me paratum, exere arma in ſanguinem meum, ut tuis libet animis. Ego pro illius mandatis mori non dubito, qui mihi & vitam dedit, & pro me mortuus eſt. Tunc unus Procerum ait: Noli impiè agere contra temetipſum, ô bone Rex: an non vides virum ſanctum deſtinatum & cupidum eſſe ad martyrium, aut cur non pertimeſcis Chriſti Domini ſervum laceſſere? At his dictis, jubente Domino ira ejus irrita pauliſper conticuit.

Rex annuit ejus receſſui pauperibus gementibus. * Gomarrudis

18. Interea adeſt & Regina*, & reminiſcentes culpæ ſuæ, uterque ad pedes S. Arnulfi corruunt, & ut illis miſereatur exorant dicentes: Perge, Domne, ad eremum quò vis: tantummodo placatum te habeamus, quem moleſtum uſurpantes exaggeravimus. Tunc ſanctus vir datâ illis veniâ à palatio egreditur: & ecce reperit pro foribus claudorum, cæcorum, atque univerſorum pauperum, viduarum & orphanorum pæne innumeram multitudinem adſtantem. Cúmque eum vidiſſent, omnes vociferare cœperunt dicentes: O ſancte Paſtor, cur nos miſeros derelinquis? aut quis miſerebitur noſtri? aut quis tribuet nobis victum & veſtitum? Nam te amoto moriemur omnes, nuditate atque fame conſumpti. Obſecramus pro Chriſto ne nos derelinquas. Tum ille lacrymans, blanda voce eos alloquens dixit: Dabit Deus vobis Paſtorem qui vos paſcat in miſeratione & miſericordia: nam faciem meam non longo tempore amodò videbitis. Vos autem quærite primùm regnum Dei, ſicut dicit Chriſtus, & juſtitiam ejus, & hæc omnia adjicientur vobis. Eſtote pacati in invicem, benigni, miſericordes: ut dum iſta nunc paupertate & miſeria anguſtiamini, in futura vita regnare mereamini cum Chriſto. Siquidem & Lazarus mendicus in ſinum Abrahæ tranſportatus eſt ab Angelis: ita & vos quærite Dominum, & hîc quoque in æternum vivet anima veſtra.

Goëricum habet ſucceſſorem.

19. Poſthæc autem paucis temporibus actis, viro juſto jugi intentione pulſanti ſanctus GOERICUS, cognomento ABBO, hujus ſucceſſor eligitur. Dignè quippe à Domino actum eſt, ut Sancto Sanctus ſuccederet. Quo audito vir egregius ROMARICUS à partibus Voſagi egreſſus ad beatum pergit Arnulfum; atque ex providentia utriuſque infra vaſta eremi aptum eidem præparavit locum.

AN. CHR. DC.XL. Aug. XVI. Incendium reſtinguit.

20. Sed mox eadem die ſuperventura nocte qua venerat, quid miraculi per hunc almificum Pontificem infra urbem geſtum fuerit, ſilere non valeo. Caſu contigit ut promptuarium Regis ignis vorans vexaret, atque eructuans excelſiſſima flamma domos circumquaque affines minaciter lamberet. Repentè exſurgens omnis civitas, videntes ſui exitium, in ejulatum atque clamorem converſa eſt. Quo audito nos veloci greſſu ad domum viri Dei pervenimus, & reperimus eumdem, ſicut illius jugiter mos erat, pſalmodiæ melos perſonantem: ſtatímque apprehenſa manu illius, ait Romarcius: Egredere, Domine, ecce, inquit, pro foribus equi noſtri, ne (quod abſit) te in hac urbe ignis iſte conſumat. Ad hæc ille inquit: Nequaquam, dilectiſſime, ſed deducite me illuc, & videamus hoc impium quod graſſatur incendium, & ponite me vicinum illius, ut ſi ita vult Deus ut ardeam, ecce in manu ejus ſum. Tum nos tenentes ſanctas manus illius, ad larem pervenimus, & mox jubente illo in oratione proſtrati Capitulo dicto ſurreximus omnes. Tunc ille elevans manum contra ingentes flammas, vexillum Crucis injecit: & mox miro in modo tamquam cælitùs percuſſus, nil alibi nocens, infra parietes in ſemetipſum totum retorſus ignis interiit; nos quoque deinceps ſecuri de periculo ſubacto, gratias agentes Deo, dictis Matutinis ad lectulos noſtros remeavimus. Ilico autem cuidam è Fratribus apparuit talis viſio. Intuens in cælum, vidit tamquam flammam ignis ſignaculum Crucis depictum: & ſtatim de cælo ex obliquo vox facta eſt dicens: Cernis hoc, inquit, ſignum? hac nocte Arnulfus Epiſcopus per ipſum totam civitatem iſtam ab incendio liberavit. Mirantibus nobis omnibus virtutem quam vidimus de igne proſtrato, Frater ille hanc viſionem narravit. Auctoris ætas

Eremum petit Arnulfus.

21. Poſthæc autem B. Arnulfus relictis cunctis ſæculi rebus, atque bene perfectéque pauperibus erogatis, jámque fidus & ſecurus de theſauro recondito in cælo, non multis delapſis diebus pauper quidem propter Chriſtum effectus in ſæculo, ſed jam dives virtute Domini, veluti novus Helias ad eremum [a] properans, & inter beſtias ac feras ſilvæ, parvulis manſiunculis patratis, cotidiana meditatione laudes Deo perſonabat, adſcitis quoque aliquantulis ſecum Monachulis, necnon & leproſis, manibus propriis fideliſſimam ſervitutem jugiter impendebat, calciamenta à pedibus detrahens atque detergens, capita & pedes illorum crebrò abluens, necnon & lectos ipſorum reciprocis diebus ſtudioſiſſimè compoſitos parabat. Nam & coquinæ officium non abhorrens idem Epiſcopus ſanctus & cocus, ſæpe eſuriens ipſe ſuos contubernales paſcebat. Sed & lectum ſtratûs ejus vile quidem in oculis hominum, ſed pulcherrimum in obtutibus Angelorum, ſpretis dumtaxat mollibus & pretioſis veſtibus cilicio exornabat. [a] Qualiter ibi vixerit

Morti proximus peccatorum metu anxiatur.

22. In his igitur atque innumerabilibus bonis dum Angelicam ageret vitam, jam omnipotens Deus ſuum Athletam ad deſtinatum volens vocare bravium, ad ultimum urgetur diem. Quo comperto adeſt vir religioſiſſimus Romaricus cum ceteris Monachis glorioſum ejus præſtolans egreſſum. Tunc electus Dei, & ſacratiſſimus Pontifex, eum alloquens ait: Bone vir & amabilis Deo, obſecra Chriſtum pro me, jam adeſt dies in quo Judici meo præſentandus apparebo. Quid faciam? nil boni geſſi in hoc ſæculo; & omnibus ſceleribus & peccatis vallatus coartor, pro quibus Dominum, ut merear veniam, obſecro ſupplicato. Hæc vir ſanctus ait, quia ſcriptum eſt: *Iuſtus in primordio ſermonis* Prov. 18.

[a] Nempe ad Montem-Sanctum ubi Romaricus degebat, quo in loco Cœnobitæ & Anachoretæ præter Virgines Deo ſacras conſiſtebant. Huc ſpectat fragmentum alterius Vitæ S. Arnulfi à Meurisſio Epiſcopo Madaurenſi relatum. *Conſtat quòd hic vir beatus Monachi habitum in eremo ſuſcepit, & B. Germanum in Abbatem conſtituit, &c.* Grimlaicus Presbyter in Regulæ Solitar. cap. 1. Arnulfum priùs Recluſum dicit quàm Eremitam. *B. Arnulfus*, inquit, *non ſolùm temporalia reliquit omnia, ſed etiam Epiſcopatum quem poſt amiſſionem bonorum temporalium Domino largiente ſuſcepit, ipſum dimiſit, & poſteà cellulam retruſionis expetiit, ibique multis diebus ſeſe ad exercitandum in Divinis cultibus Domino mancipavit. Deinde verò poſt multorum curricula annorum adſumpſit alas ſicut columba, hoc eſt virtutes ſpirituales, & ad eremum convolavit, &c.*

ANN. CHR. DC. XL. AUG. XVI.

accuſator ſui eſt. Interea venit hora, ut ſancta illa anima manibus ſanctorum Angelorum ad Chriſtum geſtaretur [a]. Fit autem ilico proculdubio magnum gaudium ſupernarum Virtutum in cælo, & ingens luctus pauperum Chriſti atque Monachorum in ſeculo. Adeſt mox juxta morem ſanctum & ſacrum Evangelium, quod Lector inter pſallentium luctus & cantus perſonat voce: ſícque demum vir egregius Romaricus allatum ſanctiſſimum corpus illius cum dignitate & honore quo valuit, in caſtello Habendo [b] ſepulturæ tradidit.

a Sepelitur in caſtro Habendenſi.

b Mettas opidum transfertur.

23. Poſt obitum Arnulfi anni fere jam acto tempore vir electiſſimus ſucceſſor ejus GOERICUS Epiſcopus conſilio inito, coacervata Clericorum ſeu etiam populorum caterva ingenti, adſcitis quoque duobus Epiſcopis [c] ſanctum unà pergunt ad eremum. Quo in loco excubias cum reverentia celebrantes, ſancta membra ab urna lapidis auferentes grabato imponunt, atque mox arripientes itinera cùm gaudio remeant ad urbem. Nam ſuavitatis odor ex his ſacris membris cunctos replebat evehentes: ſed qualia deinceps in itinere per eumdem claruerint miracula, ut valeo demonſtrabo.

c

Miracula in Tranſlatione facta.

* *f.* tellus reſciſſa

24. Dum autem geſtantes veniunt ad quemdam rivum cujus riparum tellure* ſciſſa euntibus convallem atque lubricum pandebat meatum, poſteriores qui feretrum portabant, caſu corruunt: ſed ut reor eumdem ſtatim Angeli ſuſceperunt. Nam priores evehentes nullo retardantes greſſu, grabato in aëre ſublato gradiuntur liberè; atque ſurgentes qui lapſi fuerant, jam tranſmeato convalle ſeſe jungunt ad collegas.

Inceſtuoſi pœna.

* *le Chaumontois*

25. Poſt iſtud denique in itinere mox aliud emicuit ſignum. Quidam homo in pago Calvomontenſe* nomine CUNTA inceſtuoſus fuit. Hunc ille ſæpius redarguens, cùm nec ad pœnitentiæ emendationem perducere potuiſſet, in hac vita impœnitentem reliquit. Fortè fuit ut in ejuſdem inceſtuoſi villa Oratorium eſſet, quo in loco iterantibus* illis, congruum erat, ut manſio pararetur, ideò vel maximè quia ſanctum corpus oportebat excubiis in Baſilica honorari. Venientes autem ad terminos inceſtuoſi, repentè figitur greſſus portantium, itaut ulteriùs vectandi ſacra membra facultatem non haberent. Et ecce anguſtia Sacerdotibus & univerſo populo: quoniam manſionem ad quam verterentur, ignorabant, præſertim cùm jam dies declinata eſſet ad veſperum. Tunc NODDO Dux qui erat ex euntibus unus ait: Videtis quia terram hujus inceſtuoſi deſpicit? Eſt autem procul villa mea, ſed nos antè nox includet, quàm illuc venire valeamus. Sed & deeſt inibi mihi potus vel apparatus, quo hanc multitudinem reficere poſſim, niſi tantummodo in uno vaſculo modicum quiddam cerviſiæ. Quibus auditis univerſus populus iter retorquens, in tanta velocitate pergunt, ut potiùs geruli ſemetipſos portari, quàm portare ſentirent: atque dici adhuc lucem habentes, ad deſtinatum pervenerunt locum. Tunc Noddo ait: Nunc igitur B. Arnulfus paſcat nos nocte iſta, quoniam quod deeſt nobis, ipſo intercedente adeſſe poterit. Statim in tanta exuberantia accrevit modicitas potûs illius, ut omnibus affatim ſatiatis adhuc in craſtinum ſupereſſet.

* itinerantibus

a Quo die & anno obierit S. Arnulfus, obſcurum videtur. Natalem ejus diem adſignant Beda in Martyrol. xv. Kal. Aug. his verbis: *Natale S.* ARNULFI *Confeſſoris*; item Ado: *Apud civitatem Mettenſium Natalis S.* ARNULFI *Epiſcopi, qui ſanctitate & miraculorum gloriâ inluſtris, Eremiticam vitam diligens, beato fine quievit*; & Martyrol. Romanum. Omnino verò præferenda ſententia finceri Uſuardi & Vuandalberti, qui Arnulfi obitum XVII. Kalend. Septemb. conſignant, cùm dies XV. Kal. Aug. ſit ejus dies Tranſlationis, de qua infrà. Scriptor Vitæ S. Goërici: *Datis oblationibus*, inquit, XV. *Kalend. Auguſti idem corpus S. Arnulfi ad Eccleſiam quæ tunc temporis ad SS. Apoſtolos vocabatur, deportant.* Conſentit Vitæ S. Arnulfi auctor, dum *anni fere jam acto tempore* à morte factam ait Tranſlationem. Nam ſi Arnulfi obitus in XV. Kal. Aug. Tranſlatio verò in XVII. Kal. Septemb. inciderat, non anno *fere* exacto, ſed præterlapſo facta Tranſlatio diceretur. De anno major difficultas. Sigibertus annum DC. XL. adſignat, quem ſequi ſtatuimus dum certior non occurrit. Et tamen Jonas qui anno tertio poſt S. Bertulfi Abbatis Bobienſis mortem, hoc eſt anno DC. XLIII. ſcribebat, initio Vitæ Arnulfum Mettenſem Epiſcopum *laudat*, necdum *Sanctum* appellat.

b De caſtro Habendo, vulgo *Remberg*, ubi Romaricus Monaſterium Habendenſe conſtruxit, legenda Acta SS. Amati & Romarici Abbatum.

c Tullenſi nimirum & Virdunenſi, ut in Vita S. Goërici dicitur. Tunc Virdunenſi Eccleſiæ præerat Paulus de quo ad ann. 647. Tullenſi Theodefredus.

26. Poſthæc autem cùm magna proſperitate & lætitia ad urbem perveniunt, & ecce mox omnis civitas, cum crucibus & cereis, atque ingenti gaudio & admiratione obviam currit: & Paſtorem ſuum, quem dudum veluti fugacem amiſerant, cælo jam regnantem recipiunt, atque ſacrum corpus illius in Baſilica ſanctorum Apoſtolorum [a] cùm reverentia & grandi exſultatione ſepulturæ recondunt. Mox quippe ſepultus, quid apud Chriſtum in eremo mercatus fuiſſet, ſuis civibus demonſtravit miraculis. AN. CHR. DC. XI. AUG. XVI. In Eccleſia B. Apoſtolorum deponitur. *lege Vitam S. Goërici.*

27. Nam mulier quædam nomine Julia, luminibus olim cæcata, ad ſepulcrum ejus acceſſit: ubi cùm proſtrata cum fide oraſſet, abſque mora lumen multorum annorum temporibus deſideratum recepit, atque exitus viarum quos externa auxilij antè manu calcare conſueverat, propriis cernens luminibus ad diverſorium læta remeabat. Miraculis fulget.

28. Aliud denique rurſus miraculum non ſileam, quod nuper narrante viro Religioſo ARENGISILO Abbate comperi. Siquidem mulier quædam nomine Ceucerella in ſuburbano Mediomatrici * degens, auſa fuit Dominica die operari; ſed mox divinitus verberata, utraque manu contracta eſt. Tunc magnis vallata angoribus, ad ſupraſcriptum Abbatem pervenit. At ille præcepit eidem, quantociùs ad ſepulcrum ſancti Antiſtis cum fide feſtinaret. Ubi cùm adfuiſſet, oſtia obſerata repagulis invenit, & ilico ante valvas ſanctæ Baſilicæ ſemetipſam proſternens, ſe in orationem dedit cum lacrymis vociferans, atque deprecans ſanctum Arnulfum Epiſcopum ut ſe ſanaret. Statímque digiti illius qui jamdudum fortiter palmis inhæſerant, reſoluto rigore priſtinam receperunt medelam, & remeat mox ad propria incolumis & læta, quæ venerat triſtis & contracta. Mulier ob violatam Dominicæ religionem contracta ſanatur. * *Metis.*

29. Per idem namque tempus homunculus fuit nomine Ciaro nequiter pedibus contractus, qui ex utroque latere auxiliantibus baculis vix pedetentim & cum ingenti injuria callem nitebatur contingere. Hic cum crocis * ſuis ad urnam ſancti viri ſemetipſum ſanandum in oratione proſtravit: ſtatímque reſolutis nervorum contractibus ſurrexit ſanus & lætus, atque ad domicilium pedibus propriis revertitur, qui ad ſanctum ſepulcrum fuſtibus ſuſtentatus venit ut ſanaretur. Claudus erigitur. * *id eſt* fulcris ſubalaribus, gallicè *croces.*

30. Hæc nos pauca de pluribus viri virtutibus vel operibus bonis, ut valuimus, ſcriptis indidimus. Ceterùm ſi omnia bona quæ egit ſtilo perſequentes membranis inſerere ſtuduiſſemus, enorme volumen & magnum legentibus adfuiſſet. Elegimus namque de multis ſaltim aliqua narrare, ne audientium auribus faſtidium faceremus, auxiliante Deo omnipotente, & JESU-CHRISTO Redemptore noſtro, cui eſt poteſtas & gloria per immortalia ſæcula ſæculorum, Amen.

31. Ecce, reverentiſſime Domine CHLODULFE Pontifex *, habeto conſcriptam quam popoſciſti Vitam & genitoris tui geſta. Juſtè quippe & perfectè cenſuiſti, ut cujus tenes Sedem, crebró relegas & acta. Auctor Clodulfum alloquitur. * *ſcil.* Mettenſis *V. ſupra.*

[a] Iſta Eccleſia poſteà S. Arnulfi dicta, extra muros Mettenſes, quam Meuriſſius Madaurenſis Epiſcopus beato Johanni Evangeliſtæ ſacram per incogitantiam ſcripſit, anno ſæculi ſuperioris M. D. LII. deſtructa eſt: Sanctum verò B. Arnulfi corpus tranſlatum eſt in Eccleſiam FF. Prædicatorum, quam Eccleſiam in Abbatiam erectam ejuſdem Sancti nomine inſignitam RR. Patres Benedictini Congregationis ſancti Vitoni poſſident unà cum pretioſis ſancti Arnulfi Reliquiis, quæ longè antè in argentea theca per Simonem Abbatem elaboratâ, anno Chriſti M. C. LXVII. præſentibus Frederico Imperatore & Theoderico Mettenſis Eccleſiæ electo reconditæ fuerant.

AN. CHR. DC. XL. AUG. XVI.

APPENDIX AD VITAM SANCTI ARNULFI

Ex Paulo Diacono, Monacho Caſſinenſi,

In libro de Epiſcopis Mettenſis Eccleſiæ apud Cheſnium To. 2. Hiſt. Franc. & MSS. codd.

VICESIMUS ac ſextus AGIULFUS, qui fertur patre ex nobili Senatorum familia ortus, ex Chlodovei Francorum Regis filia procreatus.

Poſt ipſum exſtitit nepos ipſius nomine ARNOALDUS, quem ſequutus eſt PAPPOLUS.

Poſt hos ad regimen Eccleſiæ beatiſſimus ARNULFUS adſcitus eſt, vir per omnia lumine ſanctitatis & ſplendore generis clarus. Qui ex nobiliſſimo fortiſſimóque Francorum ſtemmate ortus, ita Dei Eccleſiæ præfuit, ut & palatij moderator ſub honore Major-domatûs exſiſteret. Hic denique & in corpore permanens, ſimul & poſt vitæ exitum multa admiranda perpetravit, quæ ſi quis noſſe deſiderat, libellum qui de ejus ſpecialiter actibus conſcriptus eſt legat. Unum tamen ejus admirabile factum referam, quod ſatis miratus ſum quo ordine præterierit is qui ejus contexuit Vitam. Hic denique cùm pœnitentiam pro aliquibus exceſſibus ageret, contigit ut per Moſellæ fluminis pontem tranſiret. Cúmque ſubterfluentium aquarum profundos nec viſu penetrabiles gurgites cerneret, non dubiæ ſpei fiduciam mente gerens, extractum digito annulum in illarum aquarum profunditatem projecit. Tunc, inquiens, me putabo culparum nexibus abſolutum, quando iſtum quem projicio recepero annulum. Poſt aliquot verò annos cùm ad Epiſcopatûs adſcendiſſet officium, ei die quadam piſcator quidam piſcem attulit, quem ille ſibi (quia carnibus abſtinebat) ad refectionem veſpertinam juſſit præparari. Cúmque eum miniſter ejus officij more ſolito exenterâſſet, eumdem annulum intra ipſius piſcis inteſtinum reperit. Ille factum admiratus, ſed rem neſciens B. Arnulfo detulit, quem ille ut vidit, ſtatim recognovit, ac Deo omnipotenti jam de remiſſione delictorum fidus gratias retulit: ac deinceps non remiſſiùs vitam duxit, ſed majori ſe potiùs abſtinentia coartavit. Nec diſſimiliter Pater hic venerabilis quàm olim Gedeon ille ſignum à Domino popoſcit. Ille etenim indicium per vellus in area poſitum capere voluit, utrùm in bello victoriam de inimicis habere potuiſſet: iſte annulum in profundiſſimum fluminis gurgitem projiciens experiri cupit, utrùm de inimicis jam victoriam cepiſſet. Fortes quidem erant quos ille devicerat, ſed hi quos iſte ſuperaverat fortiores. Hoc ego non à qualibet mediocri perſona didici, ſed ipſo totius veritatis adſertore præcelſo Rege CAROLO referente cognovi, qui de ejuſdem B. Arnulfi deſcendens proſapia, & in generationis linea trinepos exſtabat.

Miraculum de annulo

Nam venerandus iſte vir (ut ad ſuperiora redeam) juventutis ſuæ tempore in matrimonij copula duos filios procreavit, id eſt ANCHISUM & CHLODULFUM, cujus Anchiſi nomen ab Anchiſe Patre Æneæ qui à Troia in Italia olim venerat creditur eſſe deductum. Nam gens Francorum, ſicut à veteribus eſt traditum, à Troiana proſapia trahit exordium. Cùm igitur hos duos de quibus præmiſimus venerabilis Arnulfus filios haberet, quoniam erat miſericors & ad pietatis opera ſemper intentus, utriſque ſuis filiis cœpit ſuadere ut ei adſenſum præberent, quatenùs omnes ſuas facultates ad uſus pauperum diſpertiret. Tunc major filius, id eſt CLODULFUS ſe hoc poſſe facere, id eſt ut portionem ſibi debitam patri largiretur, omnimodis denegavit. At verò minor filius ejus, id eſt Anchiſus, fidens de Chriſti pietate ſibi pluriora condonari, ad omnia quæ pater vellet libenter obedire promittit. Agit venerandus pater gratias filio, &

Anchiſo benedixit Arnulfus.

promittit ei pluriora eumdem quàm reliquerat habiturum. Insuper benedixit eum ejúsque cunctam progeniem nascituram inposterum. Factúmque est ita. Nam & pluriores Anchiso quàm reliquerat divitiæ accesserunt, & ita paterna est in eo constabilita benedictio, ut de ejus progenie tam strenui fortésque viri nascerentur, ut non immeritò ad ejus prosapiam Francorum translatum sit regnum. AN. CHR. DC. XL. AUG. XVI.

Et ut agnoscere possis, hoc paucis animadvertere docebo. ANCHISUS genuit Pippinum quo nihil umquam potuit esse audacius. PIPPINUS Brevis genuit KAROLUM Tuditem sive Martellum viris omnino fortissimis conferendum, qui inter cetera & magna bella quæ gessit, ita præcipuè Sarracenos detrivit, ut usque hodie gens illa truculenta & perfida Francorum arma formidet. Hic itaque genuit PIPPINUM sapientiâ & fortitudine satis clarum, qui inter reliqua quæ patravit, Wascones jamdudum Francorum ditioni rebelles cum Waifario suo Principe felicitate mira debellavit & subdidit. Item hujus filius magnus Rex KAROLUS exstitit, qui Francorum regnum sicut numquam fuerat dilatavit. Denique inter plura & miranda quæ gessit, Longobardorum gentem bis jam à Patre devictam, altero eorum Rege cui DESIDERIUS nomen erat capto, alteróque qui dicebatur ADELGISUS & cum genitore suo Constantinopolim pulso, universam Italiam sine gravi prœlio suæ subdidit ditioni, & (quod rarò fieri adsolet) clementi moderamine victoriam temperavit. Romanos præterea, ipsámque Romuleam urbem jampridem ejus præsentiam desiderantem, quæ aliquantociùs mundi domina fuerat, & tunc à Longobardis depressa gemebat, duris angustiis eximens suis addidit sceptris, cunctáque nihilominus Italiâ miti dominatione potitus est. De quo viro nescias, utrùm virtutem bellicam in eo, an sapientiæ claritatem, omniúmque liberalium artium magis admireris peritiam. Hic ex HILDEGRAD conjuge quatuor filios & quinque filias procreavit, habuit tamen ante legale connubium ex HIMILTRUDA nobili puella filium nomine PIPPINUM. Natorum sanè ejus quos Hildegrad ei peperit ista sunt nomina. Primus dictus est KAROLUS, scilicet Patris ac proavi vocabulo nuncupatus. Secundus item PIPPINUS fratri atque avo æquivocus. Tertius LODOHIC qui cum HLOTHARIO qui biennis occubuit uno partu est genitus, ex quibus jam minor Pippinus regnum Italiæ, Lodohic Aquitaniæ tenent. Mortua autem Hildegrad Rex excellentissimus Karolus FASTERADAM duxit uxorem. Quæ Hildegrad apud urbem Mettensem in B. Arnulfi Ecclesia requiescit. Pro eo denique quòd à B. Arnulfo jamfati Reges originem ducerent, suorum carorum ibi defuncta corpora posuêre. Nam ibi humatæ sunt duæ Regis Pippini filiæ, quarum una ROTAIL, altera ALDELAID appellata est. Ibi quoque & junioris Regis Karoli duæ nihilominus tumulatæ sunt natæ, scilicet ALDELAID & HILDEGRAD, quæ Hildegrad materno nuncupata nomine matrem morientem citiùs secuta est: quarum omnium epitaphia à nobis jussu glorioſi Regis Karoli edita ut de eis liquidò lectori satisfieret subtus annectere curavi, &c. *apud Chesnium.* Anchisi regia posteritas.

Post beatissimum denique Arnulfum Mettensi Ecclesiæ GOËRICUS tricesimus qui & ABBO vocitatus est præfuit.

Deinde GODO primus atque tricesimus Episcopalis officij curam gessit.

Quo de mundo excedente CHLODULFUS cujus suprà mentionem fecimus, B. Patris Arnulfi genitalis filius, Anchisi quoque à quo semen propagatum est Regium germanus, ad Episcopale culmen ob paternæ sanctitatis gloriam tricesimus atque secundus adscendit. De quo nihil ad nos ampliùs præter quod à tali radice exortus est, fama perduxit.

Quo decedente fidelem populum moderaturus tertius atque tricesimus ABBO adscitus est.

Post quem APTATUS, deinde FELIX gregi fideliter Domino Pastores exstiterunt.

AN. CHR. DC. XL. AUG. XVI. Dehinc SIGIBALDUS generosis ortus natalibus religioso cœtui Antistes effectus est, vir per omnia utilitatibus Ecclesiæ deditus, sacrorum quoque culminum sollertissimus restitutor. Hic de animarum statu sollicitus duo Monasteria condidit, è quibus unum Elanacum vel etiam Nova-cella dicitur, alterum quoque Nova-villa vocitatur. Hunc dirus podagræ dolor vehementer afflixit: sed ille in æternis gaudiis mentem figens, dolores corporeos patientissimè toleravit.

Jam hinc vir egregius & omnibus præconiis efferendus CHRODEGANDUS Antistes eligitur, &c.

AN. CHR. DC. XL. AUG. XIX.

VITA S. BERTVLFI ABBATIS BOBIENSIS TERTII,

Auctore JONA Monacho Bobiensi ipsius discipulo.

Ex MSS. cod. Compend. & Surio.

OBSERVATIONES PRÆVIÆ.

1. VITAM S. BERTULFI *Bobiensis Abbatis tertij, Venerabili Bedæ falsò adscriptam, à Surio expolitam restituere tentavimus. Eam reperimus, at mutilam, in quodam Monasterij nostri Compendiensis apographo, in quo Ionæ lucubrationes, excepta S. Eustasij Abbatis Vitâ, hoc modo dispositæ sunt, ut Vita S. Columbani unum librum, Vita S. Attalæ Abbatis alterum, narratio de rebus mirificis in Burgundofaræ Monasterio Eboriacensi patratis tertium constituat distinctum in* 18. *capitula; quorum tertiumdecimum S. Bertulfi Abbatis Bobiensis Acta qualia hîc subjiciuntur comprehendit, alia quinque (quæ quidem in MS. cod. lacero desiderata, ex Surio supplevimus) quorumdam Monachorum Bobiensium præclara facta mortémque egregiam perstringunt. Ionas auctor rebus pænè omnibus testis adfuit.*

2. *Ionæ adjecimus* FRODOARDI *Carmen de S. Bertulfo, ex cod. MS. RR. PP. Carmelitarum Excalceatorum Parisiensium acceptum, sicut & nonnulla alia de SS. Columbano & Attala, quæ ~~iis~~ suis locis jam suprà repræsentavimus.*

Prologus Auctoris

1. QUAM præclara sint monimenta Justorum, Doctorum ordo per temporum vicissitudines studuit posteritati declarare. Quæ ergo nunc nostris noscuntur patrata temporibus, nequaquam silentio negligentiæ somno torpente sunt prætermittenda: ut sicut nobis præcedentium exempla uberiùs religionis studia generant, ita postmodum posteritati nostrorum temporum augmenta pariant: dúmque aliis imitanda propagamus, nobis sæpiùs memoranda opponimus. Venerabilis etenim BERTULFUS Ebobiensis Cœnobij Præsul, cujus superiùs fecimus mentionem*, quis quantúsque fuerit, à nobis non est omittendum tradere memoriæ: sed priùs qualis conversatio in sæculo fuerit memorandum est.

* *in Prologo Vitæ S. Columbani, & in Vita S. Attalæ.*

Bertulfus S. Arnulfi consanguineus Luxovium petit.

2. Fuit enim genere nobilis, licèt gentilis, consanguineus ARNULFI Mettensis urbis Pontificis. Qui cùm præfatum Pontificem Arnulfum ad cultum Religionis post aulicos honores, infulas, pompásque sæculi ad Religionis studia anhelare perspexit, nisus est & ipse calcando terrena cælestia desiderare. Postposuit patrem, natale solum, pompas orbis juxta Evangelij vocem: postremùm amissione rerum nudus tollendo crucem ac semetipsum abnegando secutus est Christum. Junctus supradicto Pontifici Arnulfo [a], cum ipso tantisper

a Arnulfus nondum in solitudinem secesserat cùm ipsi junctus est Bertulfus, sed adhuc in Episcopatu degebat. Eustasius siquidem ad quem postea Bertulfus relicto Arnulfo se recepit, decessit anno DC. XXV. quo anno S. ARNULFUS *Mettensium Præsul*, inquit Frodoardus in lib. I. Hist. Rem. Synodo Remensi sub Sonnatio celebratę *interfuisse invenitur.*

moratus

moratus est. Deinde ad venerabilem virum EUSTASIUM perrexit, quo diu subjectus sanctæ Regulæ, religioníque gratus omnibus mansit. AN. CHR. DC. XL. AUG. XIX.

3. Exin adventante beato Attala ex Ausoniæ * partibus, cum voluntate & pacis vinculo venerabilis vir Eustasius ejus societati subjunctus est: quia erat illis cor unum & anima una, nec quidquam discordiæ manebat, sic* mutuò ac vicissim subjectos sibi commutarent. Abiit ergo post vestigia venerabilis Attalæ, Ausoniæque finibus receptus, in Ebobiensi Cœnobio sub obedientia beati Attalæ permansit. Cúmque Repertor rerum sæpefatum Patrem Attalam ad cæleſtia regna post ærumnas sæculi evexit, omnis concio Monachorum voce animóque unito; In paterno honore, aiunt, BERTULFUM sublimamus. Qui per tredecim annos omni diligentiæ studio plebem docere ac imbuere salubribus monitis non omisit. Sed quid in his temporibus gesserit, memoriæ tradendum est. Bobiũ cum Attala profectus. * Italiæ * *supple* ut Abbas fuit 13. annis.

4. Cùm jam egregiis moribus bonitate & disciplina, scientiáque moderante plebem regeret, cœpit antiquus anguis quietem adversitatis ictu quatere. Excitavit quemdam PROWM nomine Dertonensis [a] urbis Pontificem, qui ut subjectum sibi præfatum Abbatem cum Cœnobii supplemento faceret omni vi intendebat. Aggressus primùm aulicos vel Pontifices est vicinos muneribus tentare. Cúmque sibi junctos gauderet, Regi per eos suadere adiit. Regnabat enim eodem tempore ARIOWALDUS Longobardus. Sed cùm nihil aliud à Rege in responsis recepissent, nisi ut Ecclesiastico jure probarent, utrum Cœnobia procul ab urbibus ita Episcopali debeant ministrare dominio: ille omnes quos potuit suo intentui jungit. Ab Episcopo Dertonensi de immunitate exagitatur. *a*

5. Cúmque hæc agerentur, unus ex aulicis clam præfato Bertulfo quòd rei fomenta gestirent mandavit. Ille missos experiendi causâ ad Regem direxit, quibus Ariovualdus: »Non, inquit, meum est Sacerdotum causas discernere, quas Synodalis examinatio ad purum debet adducere. Scisitantur illi, si illorum sit fautor consilii. Nequaquam ait se eis favere, qui adversum Dei famulum molestias vellent generare. Cúmque illi quamvis à Barbaro & Arrianæ sectæ credulo talia fari cernerent, poscunt ut supplemento publico qualiter Romæ ad Sedem Apostolicam venire queant fulciantur. Regem habet benevolum.

6. Largito ergo beneficio, regio cultu Romam usque supradictus Abba, in cujus obsequio ego infui *, ad HONORIUM Papam accessit. Qui cùm rei causam patefeciſſet, ille deinduſtria quærit quæ sit consuetudinis * Regularis disciplinæ. Cúmque cuncta alacri animo in aures Præsulis digessisset, placuit Honorio Regularis series, religionis cultus, ac humilitatis indicia. Tenuit ergo eum tantisper, & quotidiano affamine Bertulfum roborare nisus, ut cœpti itineris laborem non relinqueret, & Arrianæ pestis perfidiam Evangelii mucrone ferire non abnueret. Erat enim venerabilis Præsul Honorius sagax animo, vigens consilio, doctrinâ clarens, dulcedine & humilitate pollens. Lætabatur à Gentibus socium reperisse, cum quo dulcia promeret affamina: nec prorsus delectabatur ut citò ab ejus consortio segregaretur. Honorium Papam adit Jona comite. * *f.* interfui * consuetudo

7. Sed cùm vehemens æstus quærendi longum prohiberet spatium, præbuit optatum munus, Privilegia [b] Sedis Apostolicæ largitus est, quatenus nullus Episcoporum in præfato Cœnobio quolibet jure dominari conaretur. Perceptum ergo optatum munus *, ad patriam remeare nisi sumus. Privilegia immunitatis impetrat. *b* * *pro* percepto munere

8. Cúmque peracto itineris spatio Tuscana arva postposita *, Apennina attigimus rura, & prope castrum cui *Bismantum* nomen est venissemus; tanta vis Ægrotans res sacras curat. * Tuscanis arvis postpositis

a Surio *Provum Cleronensis urbis Pontificem*, insigni mendâ, cùm scribendum sit *Dertonensis*. Est autem Dertona seu Tortona urbs Liguriæ Episcopalis sub Metropoli Mediolanensi, media inter Genuam & Placentiam. Codex Compendiensis distinctè habet PROVVM *nomine Dertonensis urbis Pontificem*, nec aliter prætulisse videtur codex quo usus est Surius: quamvis incertum sit num vitiatum non sit Episcopi nomen, qui in Italiæ Sacræ Tomo 4. PENUS sive PINUS & PROCULUS dicitur.

b In Tomo 4. Italiæ sacræ ubi de Abbatibus Bobiensi in Bertulfo, exstat Honorii Privilegium de immunitate Cœnobii Bobiensis, datum III. Idus Januarii, Imperii Heraclii Augusti anno VIII. Indict. I. quæ notæ anno Christi DC. XXVIII. conveniunt.

AN. CHR. DC. XL. AUG. XIX.

febrium Bertulfum oppreſſit, ut omnino morte præveniri crederetur. Æger enim ab urbe progreſſus fuerat. Oppreſſerat omnes mæſtitia tam longęvi itineris, quàm labor ægri Patris: nec prorſus de ejuſdem ſoſpitate ſpem habentes, tenſo tentorio, aſpero in loco, nec omnino de ſoſpitate paterna fidentes metati ſumus. Erat enim Vigilia paſſionis beatorum Petri & Pauli Apoſtolorum. Cúmque jam atra nox irrueret, ille inter ignes febrium me accerſivit, ac curis mens dedita de nocturna vigilia ſuſcitavit. Cúmque ego excubâſſem quouſque intempeſta nox rueret, tantus me ſopor oppreſſit, ut ſurſum caput attollere non valerem, omnéſque qui erga tentorium ſarcinas vel equos excubabant, ſimili ſunt ſopore depreſſi.

A B. Petro ſanatur.

9. Cúmque ergo cuncta ſilentia operiſſent, beatus Apoſtolorum Princeps Petrus advenit, ac ſuper ſtratum ægri Patris adſtitit; Surge, inquit, & ſoſpes tuos ad ſodales perge. Cúmque ille inquireret quis eſſet, ille ait: Petrus. Mea hodie clara in toto orbe celebrantur ſollemnia. Cúmque hæc dixiſſet, abiit. Ille timore perculſus anxio & trepido corde me ſciſcitari curat quid rei cauſa ineſſet. Putabat enim & audiſſe vocem & adſpectum vidiſſe. Cúmque ego aierem me nihil vidiſſe vel audiſſe: Non cernis, inquit, fulvam lucem quo Petrus Apoſtolus pergit? Cùmque aierem me nequaquam videre, ſilere cœpit. Cúmque ego cognoviſſem quid rei cauſæ geſtiret, vix tandem precibus obtinere merui, ut mihi rei panderet veritatem: quod ille omnino ſiluiſſet, ſi me & audiſſe & vidiſſe non putâſſet.

Dæmoniacos duos liberat.

* *Surio* Viatorem

10. Cùm quodam in tempore expleto pſallendi officio unà cum Fratribus ſecundâ diei horâ de Eccleſia B. Petri egrederetur, obvium habuit hominem in via Turinum* nomine, dæmonis rabie plenum. Quem intuens cælos inſpexit, Conditorémque poſtulavit, ut ſuæ voci favens adeſſet, ſauciúmque dæmonis peſte ſuis conſulendo precibus curaret. Deinde imperavit ut vis rabida dæmonis ab homine exiret, nec prorſus præſumeret Dei imaginem maculare. Mirabiliter diſcerpendo iniqua peſtis fugit ab homine, protinúſque ſalus ſecuta eſt, ſoſpéſque ab Eccleſia unà cum Fratribus egreſſus atque incolumis permanens, gratias Creatori rependit, qui ſic famulo ſuo citò favendo ejúſque orationibus obtemperando ſuo cruciátui ſubvenit. Deinde interpoſito temporum circulo, alius ſæva dæmonis peſte infantulus oppreſſus nomine Dominicus, filius cujuſdam nomine Orbani ad eum curandi gratiâ properavit. Quem diu increpans curavit, & ſævam peſtem ab homine exire fecit. Deinde alia virtus ſubſecuta eſt.

Leproſum mundat.

11. Quidam leproſus validâ leprâ perfuſus, nec prorſus ſoſpitatem recipiendam à Medicis fiduciam gerens, ad venerabilem virum Bertulfum venit, ſuiſque orationibus ut opem miſericordiæ mereretur poſtulavit. Quem cùm vir fiduciâ plenus adſpexiſſet, graviſſimæ ultioni hominem ſubjacere ſuſpiravit, imperátque ut ſecum quoaduſque ſoſpes redderetur maneret. Dedit operam ut mens virtutum conſcia cælos penetrans ad ſuas preces rerum Conditorem excitaret. Peractóque biduano jejunio, oleum ſupra membra ulceribus plena effudit: móxque didicêre membra poſt viſcerum putredinem ſanitatem recipere, & ad priſtinum decorem denuò reverti: & ita ſanus æger effectus eſt, ut nec veſtigium lepræ in ejus corpore appareret. Sícque Creator omnium ſuis favendo ſubvenit, ut uberiùs vigore virtutum roborati, calcando perfunctoria, cæleſtia ſemper ſtudeant adimplere præconia[a].

a Cetera S. Bertulfi geſta ſilentio preſſit Jonas, nec ea quidem pauca: ſiquidem ea quæ in itinere Romano facta hactenus deſcripſit, initio prælaturę S. Bertulfi contigiſſe ex citato Honorii Privilegio colligitur. Et tamen Jonas poſt ipſius Bertulfi obitum hæc ſcribebat, cùm ei annos regiminis tredecim ſuprà num. 3. tribuat, & lucubrationes has Boboieno Bertulfi ſucceſſori in Prologo Vitæ S. Columbani præmiſſo inſcribat. Porro S. Bertulfi memoria quæ in antiquis Martyrologiis deſideratur, in Benedictino celebratur XIV. Kalend. Septemb. quo die S. Bertulfus obiit, poſtquam Cœnobium Bobienſe poſt beatum Attalam annos tredecim rexerat.

AN. CHR. DC. XL. AUG. XIX.

De ultione Monachi ab Arrianis.

12. Plerumque etenim Monachorum experti ſumus virtutes flagrare: & ideò ratum ducimus ut ex his aliqua interſeramus. Cùm quodam tempore BLIDUFFUS Preſbyter, cujus ſuperiùs memoriam fecimus, à beato Attala ad Ticinum* urbem directus fuiſſet, ibíque perveniſſet, viáque mediæ civitatis ambulans obvium habuit ARIOVVALDUM Ducem Longobardorum, genere hominem nobiliſſimum, generum AGILULFI, cognatum ADALWALDI, ſectæ Arrianæ credulum, qui poſt Adawaldi obitum regnum Longobardorum regendum ſuſſcepit. Is ergo cùm Blidulfum vidiſſet, ait: Ex Columbani Monachis iſte eſt, qui nobis ſalutantibus denegant apta reſpondere. Cúmque jam haud procul abeſſet, deridens ſalutem præmiſit. Ad hæc Blidulfus; Salutem, inquit, optabam* tuam, ſi tu non tuis ſeductoribus & veritate alienis faveres doctrinis, quos & Sacerdotes adhuc vocatis mendacio ſibi allatum nomen uſurpantes. Porrò melius eſt te ineffabilem Trinitatem una Deitate confiteri, non tres poteſtates, ſed tres perſonas, nec unam trium nominum perſonam, ſed tres in veritate Patris & Filij & Spiritûs ſancti perſonas, una poteſtate, voluntate, eſſentiâ.

* *Pavie*

* *f. optatam*

13. Hæc cùm paulliſper audiens, progreſſus ait, cur ſe non habere hujus incredulitatis miniſtros, qui obruente noctis caligine redeuntem ſollicitarent, & fuſtibus vel ſudibus colliſum morti hunc Monachum traderent? Tunc unus veſanior ceteris ait, ad hoc ſe patrandum paratum eſſe ſi jubeat. Ille verò; Si hæc, inquit, feceris, muneribus te ſequenti die ditabo. Progreſſus ergo ſocium ſibi ſceleris alium ſimilem ſui jungit, viámque atris obruentibus tenebris cuſtodit. Commeans ergo per eamdem viam Monachus & Preſbyter, & à cœna ad quam à quodam Chriſtiano invitatus fuerat regreſſus, inopinatò in ſatellites incidit: percuſſúſque cerebro ac omni compage corporis colliſus magnis fuſtium ictibus, ac ſudibus pulſatus interiit, nullo è populo ſentiente, (erat enim abditus locus) ſed nec dare vocem quiverat anticipatus loco à talibus. Diu ergo exanime, ut putabant, cadaver cædentes abeunt, auctori ſceleris patratum facinus nuntiant.

14. Cúmque is ad cujus domum morabatur morari Preſbyterum & Monachum cerneret, eventum rei neſciens; (erat enim & ipſe Preſbyter JUSTUS nomine) veritus ne in Arrianos incidiſſet, arrepto baculo è parte dirigit iter, reperítque jacentem, acſi ſomno depreſſum ſuſcitare conatur. Ille verò velut ab ſtrato incolumis ſurgit, vix plagarum veſtigiis parentibus: pariter ad metatum pergunt. Conquirenti quid hoc fuiſſet, nihil ei reſpondit umquam ſuavius acceſſiſſe, nec ſomnum dulciorem habuiſſe teſtatur. Interrogat ſi dolor aliquot membrorum attingat, nequaquam plus ſoſpitem fuiſſe, & neſcire ſibi aliquid adverſi eveniſſe reſpondit. Peractis ergo neceſſariis ad Monaſterium repedat. Is ergo qui ſe ſpontaneum ad hoc patrandum opus indiderat, mox poſt diſceſſum Monachi ab Ticino à dæmone corripitur, & diverſis pœnarum incendiis flagellatur, admiſsúmque facinus exitiabiliter confitetur. Omnis populus clamat: Quicumque talia Ebobienſibus Monachis, quæ ipſe patraverat, commutat, ſimili ultioni ſubjaceat: & qui Arrianorum adquieſcat perſuaſionibus, talem iram juſti Judicis ſentiat.

15. Quod facinus videns ARIOWALDUS divinitùs manifeſtatum, confuſus & metuens ne ſibi aliquid ſimile eveniat; ipſum quem vis horrida torquebat, cum ſociis ad beatum Attalam dirigit, precatúrque pro ſe ut commiſſum malum ignoſcant: ſe multo famulatu paratum eſſe, ſi ejus dona vellent recipere. Videns B. Attala membri ſui injurias divinitùs vindicatas, rogat ut cuncti pro peſtifero orent, útque vis adverſæ poteſtatis miſero ab homine pellatur: nam munera impii ac hæretici hominis numquam in perpetuum ſe ſuſcipere reſpondit. Cunctorum ergo orationibus Dominus ad tempus pepercit, redditus ſanitati ſtatim homo ſoſpes rediit, ſed vitæ lucro non diu potitus eſt. Cúmque metatui ſuo re-

AN. CHR. DC. XL. AUG. XIX.

ſideret, & ab aliis increparetur cur hoc feciſſet; inſultantis voce dicit ſe hoc ſponte feciſſe quod exinde vellet. Mox correptus igne febrium & inter pœnas incendii clamans vitâ privatus eſt. Quem nequaquam juxta aliorum ſepulcra ſepelire auſi ſunt, ſed procul ab omnibus in quodam conſpicuo loco, quo præter-euntes dicerent: Hîc ille miſer tumulatus jacet, qui Ebobienſibus Monachis ſuâ laſciviâ crudelitatem adminiſtravit*.

* *Huc uſque ex codice Compend.*

De Monacho MEROVEO *& ultione ejus.*

Meroveus ſubmergi nequit.

16. Eodem tempore Monachus MEROVEUS nomine, à B. Attala Dertonam urbem miſſus, & causâ ejus negotii propter quod venerat, longiùs ab urbe progreſſus, ad quamdam villam Iriæ[a] fluvio adjacentem acceſſit: ubi fanum quoddam arboribus conſitum videns, allatum ignem ei admovit congeſtis in modum piræ lignis. Id verò cernentes fani cultores, Meroveum apprehenſum diúque fuſtibus cæſum & ictibus contuſum in flumen illud demergere conantur. Sed unda Monachum non auſa fuit ſuſcipere, licet ille ejus rei quam geſſerat nomine mori paratus eſſet. Cernentes ergo illi non poſſe eum mergi, quem Domini clementia ſervaret, manè inter ſe communicato conſilio ſuper undas eum proſternunt, materiámque ſuper eum coacervant, ut immani pondere deprimeretur. Cúmque id ſcelus ſe jam confeciſſe putarent, relicto (ut putabant) cadavere ad litus redeunt. Illis abeuntibus Meroveus nihil moleſtiæ ſentiens, incolumis à fluvio ſurgit diruptis nexibus, ſoſpes Dertonam ingreditur, ac poſtea ad Monaſterium redit. Ecce autem repentè Divina ultio in ejus adverſarios animadvertit. Quotquot enim in eo fuêre contubernio, diverſis ſunt calamitatibus affecti: alii cæcitate, alii ignis aduſtione, quidam publica contractione, plerique omnium membrorum debilitate, itaut diverſi diverſas ſentirent pœnas. At ubi comperêrunt Meroveum ſoſpitem ad Bobienſe Monaſterium revertiſſe, quidam ex iis eò addúcti ſunt: & perpaucis quidem pœnitentiæ medicina remedium attulit, reliqui omnes ea ultione periêre.

Divina ultio de perſecutoribus ejus.

De obitu AGIBODI *Monachi.*

17. Ita ſanè mirificum famulis ſuis Deus munus impertit, cùm poſt damna corporis & poſt irrogatas injurias, & in præſenti vita adjutorio ſuo eos roborat, & in futuro poſt certamina coronando glorificat, quos hîc propter nomen ſuum illatam injuriam ſponte excipere ſentit. Vidimus nos in eodem Bobienſi Monaſterio etiam aliorum Monachorum felicem vitam feliciorémque exitum, qui multa virtutum de ſe exempla præbuêre: è quibus nos ſaltem aliqua referemus, ut viventibus eorúmque vitam imitari cupientibus uberior adhortatio accedat.

18. Monachus quidam AGIBODUS nomine, qui beati Attalæ tempore Monialium Monaſterium gubernârat, in extremis angoribus poſitus, ſui exitûs exſpectabat horam. Cúmque jam Fratres adſtarent, qui animæ è mundo migranti ſuprema officia perſolverent, atque de more ad pſallendi munus ſeſe præpararent; elapſa è corpore anima vidit æternam lucem ſibi paratam, ſolémque miro fulgore micantem. Cùm autem ea viſione ſtuperet, dicerétque ſe numquam talem ſolem vidiſſe, vel claritatem quæ ei poſſet æquiparari; unus è Cælicolis accedens ſciſcitatur quid ſic attonita intueatur. Illa reſpondet, ſolem micantem ſe intueri, cui numquam alium ſimilem viderit. Ait Cælicola: Noveris te hodie venturam ad nos & in hac admirabili luce habitaturam ſeptiéſque vincentem ſolis lumen, Juſtorum choris inſerendam. Reverſa igitur vale dic Fratrum collegio, atque ita porro redibis ad nos.

a Surius ſcribit Yræ. Iria fluvius eſt Liguriæ ex Apennino monte apud Antilam, Dertonam & Caſtrum-novum fluens, poſtea in Padum influens, aliis Scripia, vulgò *la Scrivia* dictus, inquit Philippus Ferrarius in Lexino.

19. Reversâ igitur animâ in corpus, Agibodus Fratribus ultimum vale dixit. Quodam autem è Fratribus percontante quamdiu in eo ancipiti exitu moratus eſſet; ei indicavit quid vidiſſet, & quanta ipſi eſſet claritas promiſſa, quódque eâdem horâ obiturus ſit poſtquàm Viaticum perceperit, & Fratribus vale dixerit. Sumpto inde ſacratiſſimo Domini corpore, omnibus oſculo præbito, orat ut caritatis officia corpori impendant. Itaque promiſſionem cæleſtem mox finis proſecutus eſt, felicémque obtinuit exitum, magno ſuî deſiderio ſuperſtitibus derelicto. Hunc enim Sanctorum Remunerator poſteris voluit exemplo eſſe, ut qui ejus coronam ante exitum promiſſam cognoviſſent, ejus puritatis & religionis in omnibus imitatores ſe præberent. Fuerat is à puero ſub diſciplina Regulari eruditus, ſub Columbano à ſæculo converſus, ſimplex & omni bonitate inter Fratres conſpicuus, obedientiâ & religione pollens, denique juxta Pauli ſententiam malitiâ omnino parvulus. Quid enim ſibi vult quòd clementiſſimus Deus exeunti de mundo monſtrare voluit qualis poſteà futurus eſſet, niſi ut oſtendat eos qui ſimili ſimplicitate vivunt, & obedientiæ & mortificationi voluntariè ſubjiciuntur, ſimilem exſpectare remunerationem, & æterni luminis eſſe claritate potituros?

AN. CHR. DC. XL. AUG. XIX.

Viatico ſumpto Agibodus feliciter obit.

1. Cor. 4.

De obitu THEODALDI & BAUDACHARIO *Monachis*[a].

20. Vidimus & alium huic obedientia, pietate & manſuetudine ſimilem Theodaldum feliciter ex hac vita abeuntem, & ſumma animi exſultatione ad æterna animi gaudia properantem. Cùm enim lætus in ſuo ſtrato decumberet, rogat ut Fratres omnes ad ipſum veniant: iſſque omnibus ſupremum vale dicens, ſe eâdem horâ ait è corpore egreſſurum. Qua autem ratione exitum ſuum cognoverit, nobis haudquaquam voluit indicare. Cúmque omnibus vale dixiſſet, Viaticum popoſcit. Quo accepto Antiphonam ipſe impoſuit ita dicens: *Ibunt Sancti de virtute in virtutem, videbitur Deus deorum in Sion:* abſolutáque Antiphonæ melodiâ lætus & ſumma hilaritate refertus animam reddidit Creatori: ut nobis qui præſentes eramus apertè liceret intelligere, eum de gloria cæleſti & promiſſo præmio uſqueadeo exſultâſſe.

Viaticũ ſumit Theodaldus.

Pſal. 83.

21. Alius Monachus ſub Abbate Bertulfo, nomine BAUDACHARIUS, cùm tempore vindemiæ deputatus eſſet vineæ cuſtodiendæ, ne ea ab avibus & beſtiis aliquâ injuriâ vel detrimento afficeretur; evenit ut triginta Fratres ejuſdem vineæ tuendæ causâ eò advenirent. Ille ergo caritate plenus orat, ut illic poſt laborem feſſa membra reficiant, cùm nihil aliud haberet quàm parum panis quem in ſuos uſus ſecum attulerat. Objurgante autem eum Præpoſito dicentéque ne quid tale attentaret, quandoquidem panes conficere non poſſet; ille ait: Largę mecum dapes ſunt, quibus poſſint etiam plures ſatiari. Præpoſito ſciſcitante quænam illæ ſint dapes, reſpondet anatem ſibi à Domino datam. Tum verò Præpoſitus; Fac, inquit, ſicut dixiſti. Diviſit itaque anatem triginta Fratribus: atque adeo illi exſatiati ſunt, ut dicerent ſe numquam ita cibo expletos fuiſſe. Auxit enim fides quod dapibus deerat.

Baudacharius modicâ annonâ reficit 30. Fratres.

De LEOPARDO *Monacho.*

22. LEOPARDUS quoque Monachus alio tempore vineæ tuendæ deputatus invenit vulpeculam botrum vorantem. Quam objurgans minis intentat, juſſit ne ampliùs vineam attingeret. Sed cùm ille abiiſſet, furax beſtiola rediit ad carpendas uvas: quas ubi contra illius prohibitionem guſtavit, hærente in ore cibo vetito exſtincta eſt: móxque Leopardus Monachus vineam ſtudio circumiens, reperit vulpem mortuam in ore prohibitos tenentem cibos.

Vulpes vetitis uvis utens moritur.

[a] SS. Theodaldi & Baudacharii, duorúmque ſuperiorum, Merovei & Agibodi, nnenon Leobardi (de quo poſtea) Tranſlatio in Martyrol. Bened. celebratur prid. Kalend. Septemb. ubi pro LEOBARDI, corruptè Leompardi legitur.

AN. CHR. DC.XL. AUG. XIX. Truncum ingentem duo Fratres oratione facta levant.

23. Alio tempore eodem Leopardo cum Meroveo, cujus suprà fecimus mentionem, septa vineæ ex Abbatis imperio defendente, arborem securi succiderunt, ramis sepem densârunt. Dúmque arborem totam ramis nudâssent, inter se statuerunt humi prostrati Dominum rogare ut ipse vires suppeditet, quibus possint arboris truncum integrum ad sepem asportare. Inde ab oratione surgentes, invocato nomine omnipotentis Dei truncum corripiunt, & in locum destinatum perferre conantur: & ecce quem vix multi pertrahere potuissent, duo homines fide armati, levi motu portant. Postea verò multi Fratres simul collecti eumdem truncum movere volentes levare nequibant: atque ità Omnipotentis virtutem agnoverunt, quam duo illi Fratres nulli indicare voluerunt, sed secretò alii aliis patefecerunt.

Auctoris excusatio.

24. At nos fortassis rodet quispiam & carpet, quòd hæc inferere hoc loco voluimus: sed nos tamen quę ad Dei gloriam faciunt, silere nequivimus. Ille verò dijudicet recipiendáne sint vel rejicienda hæc Dei dona, qui talia non abnuit nec abjicienda sentit quæ Fidei canon admittit.

DE EODEM S. BERTVLFO

Carmen FRODOARDI Canonici Remensis, postea Monachi in lib. 14. Carm. 20.

Ex MS. cod. RR. PP. Carmelitarum Excalceatorum Paris.

HUNC * sequitur fervens sub Relligionis amore,
Francica progenies altum quem sanguinis edit,
ARNULFO celebri BERTULFUS stirpe cohærens
Pontifici, quem celsa videns fastigia mente
Spernere cælesti, sectatur, & ardua sæcli
Culmina contemnens, Crucis arripit alta tropæa,
EUSTASIÚMque petens Lussovia lege colentem
Castra Columbani, monitis attollitur almis,
Omnibus & gratus virtuti degit & aptus
ATTALA, sed Gallos* Lussovium & ut petit agmen,
Utriusque Patris* socia pietate favente,
Huic quoque se dedens Italos sortitur agones,
Permanet ac fidus. Postquam at Pater* emigrat astris,
Communi allegitur Fratrum fervore* Magister,
Perfovet atque regit divo moderamine sumptos.
Atra venena coquens impellit ad improba serpens
Corda propinquorum, vicino subdere suadens
Hunc* sibi Pontifici, fata nec sibi quærere cessa*.
Hinc Proceres adit, hinc Regem, nec vota facessit,
Nec cœptis resilit. Qua vi cogente beatus
Romulidam Pater aggreditur composcere Papam.
Quæsitus Normam recitat, Præcepta resignat.
Antistes monitis adgaudet HONÓRIUS aptis,
Amplexúsque virum, refovet, veneratur, honorat,
Juráque concedit, leges & regmina munit,
Invitúsque redire sinit. Thuscana terebat
Marcenti arva gradu: languor Patrem, angor alumnos

* Attalam

* Galliam
* Eustasii & Attalæ
* Attala
* desiderio

* Bertulfum
* concessa

Preſſerat hærentes, nec ſpem redeuntis habentes. AN. CHR. DC. XL. AUG. XIX.
Roboris excubias nox fert columis...
Juris Apoſtolici cultum Pater ordinat æger,
Ac ſolito diſponit agi ſollemnia ritu.
Qui ſibi qui ſociis ſtatuens inſomnia ſervent.
Nox curas ſubigit, cunctos ſopor obruit altus,
Cuſtodes etiam lethæa oblivia ſternit.
Aſſeculis lictus*, Chriſto cuſtode levatur, * à diſcipulis relictus
Solatúrque Petro* dum Principe viſitur Abbas; * à Petro
Surgere præcipitur, ſoſpéſque redire jubetur,
Accipit* & Petrum ſeſe petiiſſe Patronum. * audit
Attonitus rogat excitum dare viſa miniſtrum:
Ille negans illuſtratum ſe luce petita,
Hanc retegi poſcit, precibúſque extorquet anhelis;
Atque reperta notat, teſtíſque accedit adacter.
It Pater ipſe valens, alióſque dat ire valentes,
Dæmonicas pellit peſtes, purgat prece mentes.
VICTORINUS id expertus, datus obvius almo,
Nec mora curatus, grates ſtudet edere ſanus.
Sic puer oppreſſus ſævóque latrone voratus,
Abbatis nutu redit atra fauce receptus.
Tabem etiam lepræ ſupero depellit honore,
Et Medicis deſperatum, ſacro unguine ſalvum
Poſt pia vota facit, poſtquam jejunia ducit.
Atque ita labe cutem, ſanie ſic viſcera mundat,
Ut morbi pòſt nulla decus* veſtigia linquat. * *ſcil.* ſanitatis

VITA SANCTI SVLPICII PII EPISCOPI BITURICENSIS,

AN. CHR. DC. XLIV. JAN. XVII.

Auctore anonymo Monacho Sulpiciano fere coævo.

Ex codicib. Mſſ. & Iohanne Bollando.

OBSERVATIONES PRÆVIÆ.

1. *PRÆTER* SULPICIUM *cognomento* SEVERUM *Bituricenſem Epiſcopum, quem nonnulli cum Severo Sulpicio S. Martini diſcipulo perperam confundunt, habuit Eccleſia Biturica alium Antiſtitem cognominem* SULPICIUM* *dictum* PIUM, *cujus in præſenti Vitam exhibemus. Ille ſub finem Sæculi* VI. *hic initio Sæculi* VII. *floruit.* * *S. Sulpitie*

2. *Sulpicij Pij Vitam Scriptores duo coævi litteris commendârunt; fuſius alter iſque Monachus Cœnobij à Sulpicio conſtructi, quem ſuum utique Patronum identidem appellat: alter compendioſius, quem idcirco Abbreviatorem vocabimus. Utrumque edidit Iohannes Bollandus ad 17. Ianuarij: priorem dumtaxat hic dabimus, ſi quid in alio dignum obſervatu fuerit, ſuo loco adnotaturi. Ætatem ſuam indicat Monachus Sulpicianus numm. 4. 11. 16. 17. & 32. ac Vitæ à ſe ſcriptæ adjecit librum Miraculorum, quem in fine Vitæ S. Sulpicij promiſerat: quamvis ſtilus metricè cadens & paſſim languens libri miraculorum, alium omnino Auctorem ſapere videatur, uti & Prologus Vitæ præmiſſus, qui in membranis permultis deſideratur. Patriarchij Bituricenſis* Scriptor quinque libros de vita & miraculis ipſius S. SULPICII in Archivis Theſauri Cathedralis Eccleſiæ Bituricis adſervatos *affirmat: nec alium putes Auctorem à noſtro, cujus lucubrationem in nonnullis exemplaribus in libros quinque diſtinctam advertimus, prout in margine adnotatum obſervare licet.* * *Exſtat apud Philip. Labbe Tom. 2. Biblioth.*

3. *Monachi Sulpiciani lucubrationem exornavit* JOHANNES PHERNANDUS *Caſalis Benedicti Monachus à Trithemio in lib. de Scriptoribus Eccleſ. laudatus & Patriarchio Bituricenſi cap.* 31.

AN° CHR. DC. XLIV. JAN. XVII.

inſertus, à quo apices aliquot illuſtrando anonymo mutuabimur. Tacemus Vincentium Bellovacenſem & S. Antonium, qui unà cum Neotericis multis de S. Sulpicio egerunt.

4. *Sulpicium commendant in ſuis Martyrologiis Vſuardus & Ado ad diem XVI. Kalend. Febr. Notanda verba Adonis:* Bituricas depoſitio B. SULPICII Epiſcopi & Confeſſoris, qui à pueritia litteris eruditus & ſanctæ converſationis luce conſpicuus, etiam laïcus virtutibus claruit. Pòſt etiam comâ depoſitâ Monachorum Pater exſtitit: atque inde ad Epiſcopalem provectus Cathedram, vitâ clarus in pace quievit. *Quippe Sulpicius fuit Abbas Caſtrenſis, præfectus Monachis qui in caſtris regiis officia Divina nocte dieque perſolvebant.*

5. *Fuit ergo Monachus Sulpicius, & quidem ante & poſt Pontificatum: nam regimen paſtorale annis ante mortem aliquot abdicavit, ut Deo liberiùs in Navenſi Monaſterio à ſe condito vacaret. At cuius demum Inſtituti Monachus? Qui S. Columbani Regulæ à Benedictina divortium toto illo ſæculo contumax defendunt, non facilè Sulpicium nobis ſubducent. Tempore Vualdeberti Abbatis Luxovienſis, ac proinde Sulpicij, Monaſteria* ex Regula dumtaxat SS. BENEDICTI & COLUMBANI, *teſte Scriptore Vitæ S. Salabergæ gravi ac coævo, condebantur. Ionas Bobienſis Monachus in Vita S. Euſtaſij Abbatis ſuperiùs ad ann. 625. relatâ dum Cœnobia ad S. Columbani præſcriptum apud Biturigas conſtructa enumerat, Navenſis ſeu Sulpiciani Monaſterij tum exſiſtentis haud meminit: nempe quod ſinceris ac puris S. Benedicti Inſtitutis parebat.*

PROLOGUS AUCTORIS.

1. CLARA radiante congerie quâ dono Imperatoris æterni ob merita Præſulis almi aula repletur Eccleſiæ, virtutum lampade coruſcante, etſi minùs idoneè digna poſſumus eloqui, tamen vel ſermonem tenuem devotæ plebis auribus tentamus inferre, maximè cùm audientium ſit fructus, virorum geſta Fidelium revolvere calamo pro memoria populorum. Et licet nihil egeat mortalium Juſtus litterâ, cujus nomen cæleſti jam continetur in pagina; tamen fidei ſuccreſcunt augmenta, dum Sanctorum recentia replicantur exempla: cùm & cohorti Chriſticolæ Paſtor clauſus paradiſo terreno repræſentatur ſtilo, & grex exemplis accitus ad æthera tendat greſſu, quatinus juxta Danielis oraculum, & doctus Patroni magiſterio populus ut ſplendor Firmamenti rutilet, & Doctor ſiderea ſibi luce cumulata coruſcet: præſertim cùm ob ſui declarationem meriti in orbe vaſto Galliæ inter virtutum crebram materiem inſigni Chriſti munere ad ſacrum illius corpus aſſiduè fons olei * redundet rore cœleſti: & ſic ignis juge capiat pabulum, ut infuſione ſancti Spiritus continuatum liquor ſumat augmentum. Cui ſcilicet prudenti viro etſi naturæ debito mors exſtinxit corpuſculum, fulgent tamen viventia miracula polyandro [a].

Dan. 12. 3.

** de iſto oleo infra num. 43. & ſeqq.*

INCIPIT LIBER PRIMUS.

1. BEatus igitur SULPICIUS ortus claris parentibus [b], civium pænè primoribus caſtríſque regalibus altus, Bituricæ fuit urbis egregius Paſtor, & nunc glorioſo exceſſu Patronus eſt effectus. Qui in flore ætatis primævæ Chriſti militiam laqueis ſæculi ruptis perſeveranti definitione ſuſcepit: & intantum capeſſendæ religionis propoſito adhuc puerulus vir beatus exarſerat, ut (ita dicam) ſi perſecutionis tempus non defuiſſet, periculis ſe ſponte præceps ingereret. Hinc jam lectionibus cœpit Divinorum voluminum mancipari, & in eruditionibus Fidei ſemetipſum inſegniter exercere. Denique pro juvenilibus reprimendis cupiditatibus & ſapientiæ profectibus adipiſcendis, orationibus ſe & abſtinentiæ frenis conſtringebat: & ita ei ab ipſis cunabulis Eccleſiaſtica regula in obſervantia honorabilis fuit, ut multorum juvenum ac ſenum ad eum confluentium turbas de Fidei noſtræ re-

Sulpicius Biturix in virtute & litteris educatus

a Polyandrum ſeu Polyandrium ſignificat commune virorum diverſorium, Monaſterium, (quo ſenſu hîc ſumi videtur) & cœmiterium.

b Iohannes Phernandus hunc locum illuſtrat his verbis: *Huic Biturigum vicus cui Vaſtinio (Vatan) vocabulum eſt, natale ſolum exſtitit, genus autem illuſtre ex Optimatibus atque Primoribus iſtius provinciæ virisque eodémque tempore floruit quo* THEODERICUS, *deinde Chriſtianiſſimus Rex* CHLOTHARIUS *II. felices Gallicani regni prudenter moderabatur habenas.*

ligione

ligione ſciſcitantes, non ſolùm ad Fidem converteret, verumetiam perfectæ vitæ inſtitutionibus informaret. AN. CHR. DC.XLIV. JAN. XVII.

3. Manifeſtè autem ei aderat Divina gratia, per quam innumerabiles ad imitationem ſui in Fide Dei provocabat. Ante omnia, præcepta Evangelica & vocem Salvatoris ſummo amore & ſtudio implenda eſſe cenſebat. Nam etſi juvenilis quidem & minùs perfecti ſenſûs fortaſſe videretur, ſed perfectiſſimæ caſtitatis indicium continens, velut fundamentum quoddam primum in anima collocavit. Et ita demum reliquas ſuper hoc perrexit ædificare virtutes; & ſecundum Evangeliorum ſcilicet fidem, quâ voce Salvatoris depromitur exhortatio, quia *ſunt eunuchi qui ſe caſtraverunt pro regno Dei*, ſpretâ conjugij copulâ, propoſitum obtinuit caſtitatis. Caſtitatis amans. *Mat.* 19. 12.

4. Certè quantùm eorum relatione cognovimus, qui ei à pueritia uſque in tempora noſtra comites miniſtríve fuerunt, nihil aliud in ſæculari adhuc poſitus habitu viſus eſt agere, quàm Monaſteria conſtruere, Baſilicas extollere, opere novo Eccleſias reſtaurare dirutas, miſeris auxilium ferre, pauperibus egentibúſque è ſuis opibus neceſſaria miniſtrare, profligatis non ſolùm ſermone & exhortatione perfectæ & ſpiritualis doctrinæ, verùm ſuis officiis ac miniſteriis multos è vinculis, pœnis, & ſqualoribus liberare. Loca ſacra ornat.

5. Eccleſia erat quædam à parentum haud longè poſita domo, utpote ab hoſtibus pænè diruta, ubi Clericorum & populorum nulla erat frequentia. Ibi cùm beati viri crebra fierent orationum lucra, qui quidem jactantiæ vitans attingere fomitem, ſilentia noctium profunda cùm fierent, clam veſtimentis indutus quibus moris eſt uti pœnitentibus, armatus ſacris orationibus pernoctare pergebat: & labore ſancto ſomnis ſpretis inertibus, dulci meditatione tranſacta, cùm roſeæ lucis ſplendor mundum irradiaret, rurſum ſæcularium tegminibus ornabatur, & ita ſanctum elaborabat propoſitum occultare. Hæc prima puerilia rudimenta, hic ludus ejus infantiæ, talis in eo coadolevit erga Dominum affectus. In Eccleſia pernoctat.

6. Nocte quadam in Eccleſia de qua diximus, eo cum duobus pueris vigilante atque in oratione proniùs incumbente, cùm mentis in profundioribus tota dependeret delectatio, ſpiritus duo teterrimi immanes, Æthiopum vultui ſimiles, apprehenſos ſinguli pueros ab Eccleſia violenter trahere nitebantur. Tandem vir Dei poſt tergum magnis clamoribus ejulantes reperit ſuos. Intuetur tetros, manum elevat contra adverſarios, jamque pueros vi abſtrahentes cùm foras egreſſum præriperent, Dei ſacer vexillum depromit Crucis. Ilicò tetris cruentíſque elapſis, pueri ſoſpites remanſerunt. Ex eo igitur tempore ille totius bonitatis æmulus & veritatis inimicus, ſalutíſque humanæ hoſtis, omnia molimina contra Dei militem verſans, quem mente corrumpere non valuit, minis phantaſticis nititur deterrere. De quo ſi quis exploratiùs diſcere vult, breviter poſt pauca in ſuis oſtendemus locis. Dæmones fugat.

7. Clareſcere interea ſignis & virtutum cœpit miraculis adornari. Nam & ægros in ſæculari adhuc poſitus habitu oratione curabat, & dæmones verbo fugabat totis viribus Chriſti Athleta, deſudans ut à ſancto propoſito numquam diſcederet. Quod humanum favorem latêre cupiebat, ne qua ſæculi hujus aura favoris erumperet, & aures ſuas arrogantiæ pollutione macularet. Igitur cùm hæc ab eodem gererentur, & per geſtorum bonitatem tacita quadam prædicatione Dei noſtri veritas noſceretur; cúmque plerumque (ut adſolet) alios piè credentes ſplendor lucis accenderet, alios impiè derogantes perfidiæ nebuloſæ tetra caligo ſuffunderet, itaut completum videretur quod ſcriptum eſt in Geneſi, quia Ægyptiis erant tenebræ craſſæ & palpabiles, filiis autem Iſraël erat lux in omnibus ſuis; pergit nihilominùs Deus noſter magnificari in Sancto ſuo, & cœptæ virtutis opus proſperioribus ſucceſſibus propagare. In miraculis vanam gloriam fugit. *Exod.* 10. 20

8. Cúmque repente fama de eo longè latéque reſperſa, & præcipuè in partem quæ ſub axe ponitur Occidentis peragrans evolaſſet, poſcente AUSTREGI- Diaconus ordinatur.

AN. CHR. DC.XLIV. JAN. XVII. sito Bituricæ urbis Episcopo à THEODERICO Principe, ut sibi licentia daretur participationem docendi ei in Ecclesia tradere, eoquòd ad ipsum doctrinæ gratiâ multitudines convolarent; nec mora, Regia defertur auctoritas ut decisâ cæsarie clericatûs susciperet onus. Et succedentibus gradibus, anno & eo amplius præpositus ceteris, Leviticæ sortis indeptus officium, Ecclesiæ ministravit.

Abbas deinde Castrensis, in pauperes liberalis.

9. Intereà magis magísque signorum gratiâ cingebatur: & cùm à fidelibus CHLOTHARIO Principis fuisset suasum, ilico ab Episcopo poscit ut pro salute sua ac exercitûs sui, licentia daretur, ut vir beatus in suis castris Abbatis officio fungeretur. Denique cùm in suis suorúmque omnium sumptibus ministratio fieret triduana, sufficientiâ unius diei servatâ, reliqua indigentibus erogabat. Cúmque sui metu necessitatis muffitarent; Oculos, inquit, mentis vestræ, ô filij, in Domino figite Salvatore. Regnum ejus primùm quærite & justitiam
Psal. 33. 11. ejus, & hæc omnia apponentur vobis. Recordamini illud Propheticum: *Inquirentes autem Dominum non deficient omni bono.* Nimirum tanta ei subitò à Fideli-
Mat. 19. 29. bus ciborum opulentia mittebatur, ut non absurdè illud centuplicatum fenus quod suis discipulis Retributor fidelis promiserat, absque humana gloria se accepisse gauderet.

Regem sanitati restituit.

10. Tandem evolutis diebus paucis Rex crudeli afficitur morbo, & virus diffusum * per artus præceps ad mortē festinat. Interea Regina repentino luctu per-
* *pro* diffuso cussa, monilia projicit, vestimenta dirupit, crines genásque dilacerat, & jam amissum quasi conjugem deflet. Turbatur domus, junguntur planctibus Dominæ lacrymæ famularum. Ad beatissimum etenim virum concurrunt, genibus adhærent, sanctis lacrymis pedes rigant, ut regia pro salute pius Sacerdos orationem Domino funderet. Is autem cujus spes in omnipotente Deo consistebat, irrigat fletibus vultum, ac pectore tunso ægra suspiria protrahit, vigilias jejuniáque continuat, jugiter fundit preces pro ægro. Peractis diebus quinque Rex magis magísque procliviùs ad mortem dilabitur. Tum à consodalibus Sacerdos rogatur, ut nimiam ob temperandam inediam ciborum capiat parcitatem. Non comedam, inquit, donec sospitatem Principis obtinere queam à Christo Domino, cui servio. Hi verò cùm eum Principe jam spiritu deficiente & pænè exanimi, longævâ inediâ frustrà corpus insons clamitarent affligere; ille cujus salus in Deo fortiter perdurabat, pollicetur diebus septem expletis, Principem pristino recepto vigore, cum eodem ceterísque sodalibus cibum esse sumpturum. Itaque dies adest votis omnium exspectata: Sacerdotis promissa complentur, Principi velox medela tribuitur, omnium manibus glorioso triumpho Sacerdos attollitur, & regali convivio magnis honoribus evocatur. Erat quippe per hoc carus omnibus & acceptus.

Ætas & fides Auctoris.

11. Et quoniam quæ à Majoribus nostris coævis beati viri gesta didicimus, ea fide ut ad nos pervenerunt, stilo digessimus; nunc à nostri temporis parte quam inspeximus, parte verò à condiscipulis nostris nobis traditâ sumamus exordium, & ad posteritatis memoriam relinquamus.

Austregisilo succedit Simoniacis rejectis.

12. Cùm igitur de virtutum ejus floribus & gratia signorum atque gemmis aut la Regis pulchro decore vernaret, & velut splendor quidam luminis mundo huic effulsisset & odoris sui fragrantiam longè latéque complêsset, factum est ut Episcopus sacer (cujus paullò superiùs fecimus mentionem) glorioso excessu migraret ad Dominum. Et cùm universus Ecclesiæ populus pro Episcopo eligendo convenisset in unum, atque alius de alio, ut fieri solet * cum talibus, con-
* *al.* in talibus clamaret, & pars quædam insanioris vulgi clientis favore in quibusdam de Primoribus consensum præberent, & per mortalem protervúmque Præfectum cum infinitis ponderibus auri argentíque relationes intulissent Regi ad con-
Multi Sedem Biturícam Simoniacè ambiunt. sensum, ut secundùm illam sacrilegam infandi Simonis sectam, cælestem gratiam contra jus fásque præriperent: nostri verò, quibus Salvator loquitur:
Luc. 12. 32. *Nolite timere pusillus grex, quia complacuit Patri vestro dare vobis regnum*, ab

immortali Chriſto Deóque perfecto, beatum virum ſibi poſcerent Sacerdotem fore; nihilominus tenuem cum paucis verbis legationis formulam mittunt & per unum de quibus dicitur: *Beati pauperes ſpiritu, quoniam ipſum eſt regnum cœlorum*, Regis auribus patefaciunt. Cùmque is (ut ſolet plerumque) humanæ cupiditatis veneno infectus, ad copioſam illatam pecuniam animum haberet inflexum, uxor ejus amore ſuccenſa Divino, virum ſuum monebat, dignum juſtúmque clamitans fore, poſt talis tantíque viri exceſſum hunc ſuæ permittere Sedi, qui pari merito ac miraculorum ſignis & virtutum gratiâ, eſſet decore ſimili fultus. Et illud mulier glorioſa ad viri memoriam revocabat, quo labore, oratione ſuâ eum paullò antè de mortis traxerat præcipitio. Tandem cæleſti indulgentiâ Princeps altius ore traxit conſilium, cupiditatíſque repreſſo veneno, ſpretis malorum ſuaſionibus, ſine dilatione juſſit impleri quod Divinæ fuerat placitum providentiæ. Et ita Domino procurante Epiſcopalis apicis meruit primam Aquitaniæ Sedem. Dei enim fuit voluntatis, ut diverſantes inter ſe populos & animos diſſidentes ad amorem Pontificis velox converſio revocaret, & ſubitò in uno conſenſu fœderaret.

ANN. CHR. DC. XLIV. JAN. XVII. *Matth. 5.3.*

13. Decus igitur Pontificale nactus B. Sulpicius, oneri ſuccubuit non honori: factus eſt denique omnia omnibus, non quærens quæ ſibi utilia eſſent, ſed quæ multis, & ſalvi fierent. Et ſubitò velut lampadem quamdam Sacerdotem ſuum Dominus accendere properat. Integrè etenim vir beatus tradidit ſemetipſum in abſtinentia plurima, jejuniis indeſinentibus, in vigiliis pænè jugibus; itaut ſi quando parum aliquid ſomni neceſſitas naturalis exigeret, hunc non ſupra ſtrati mollitiem, quâ numquam uti conſueverat, ſed ſuper ſolius matulæ * ciliciſque dependeret ſuperficiem. Vir venerabilis & Deo dignus, cùm eſſet in omnibus puritate vitæ & animæ virtutibus clarus, non magnipendebat ſermonis ornatum, ſcilicet quia in eo erat anima Divinis ornata virtutibus, ſimul & ſignorum gratiâ, quæ ei à Domino JESU-CHRISTO fuerat conceſſa, augens quotidie prædicationem verbi Dei, & ſalutaria ſemina regni cælorum per omnem terram latiùs ſerens.

Vivit in Epiſcopatu ſanctiſſimè.

* *id eſt* ſtoreæ

14. Mox quidem intantum ad emendandum populum Judæorum vetuſtis infectum venenis profecit, ut quaſi novellam lucem veritatis ſibi adſpicere viderentur. Et cùm Religionis doctor multa quidem verbis, plura tamen doceret exemplis; nec viderent ab eo diſcipulis imperari, quod non priùs ipſe fecerit; nullum ſine mora abſque Baptiſmi gratia in urbe ſibi cælitùs tradita Judæum habitare permiſit. Nam cùm pro eorum converſione Dominum jugiter precaretur, ac doceret eos per Baptiſmum habere peccatorum remiſſionem, & non aliter eos poſſe intrare in regnum Dei; quaſi veri Solis in eorum corda reſplenduiſſent radij, obſtupeſcentes, ac revelata facie Dei gloriam contuentes, antiquos pœnitentes errores, fideli cum confeſſione venientes, ab ipſo Pontifice baptizati ſunt. Divino igitur munere bellator egregius prædam inimico abſtraxit, Auctori reſtituit, de penetralibus cordis Chriſti amore infidelitatis maculam expulit. Nonnulli ex ipſis ſub noſtræ Fidei religione hodie degunt.

Judæos ad Fidem adducit.

15. Breve etenim poſt tempus tanta in eo virtutum gratia augebatur, ut non minùs per eum ſigna quàm dudum per Apoſtolos fierent. Nam cùm paullò ſuperiùs dixerimus, quòd dæmones verbo fugaret, & ægros oratione curaret; addidit Deus noſter magnificari in Sancto ſuo, itaut in proceſſu temporis cæcis viſum, ſurdis auditum, locutionem redderet mutis, vitam mortuis, mancis dexteras, claudis greſſus reſtitueret, & alia quamplura, quæ longum eſt narrare per ſingula, de quibus, ſi Dei favor adjuverit, optamus perſtringere pauca. Eïa age ſermo quod ſpondes.

LIB. II. Apoſtolicis ſignis claret.

16. Gunthoaldus quidam filium ſuum annorum circiter decem, cujus gutturi ita adhæſerat lingua, ut ſermo formatus numquam de ore ejus fuiſſet prolatus, ante pedes beati viri expoſuit, cauſam innotuit omnem. At ille humano miſeratus affectu, cum gemitu & ſuſpiriis oculos ad cælum ſimul tetendit &

Elinguem curat.

AN. CHR. DC. XLIV. JAN. XVII.

palmas, Chriſtum qui eſt ſuper omnia Deus, tota fide fuſis lacrymis invocans, & , oratione prę miſſa, linguam pueri contrectavit, & ſignum ei Crucis impreſſit. Ilico lingua reſolvitur, & variis ſermonum reſponſis uſque hodie mirabiliter loquitur. Prę claris glorioſiſque ſignis ſtupenda miracula ſuccedunt.

Mortuum ad vitam revocat.

17. Eo tempore quo mortifera fames, utpote omnes provincias populata eſt, puer quidam fame præmortuus, genibus Sancti ſpiritu tenui provolvitur, & ut ſui miſereretur, exorat. Cujus miſertus vir pietate plenus, reſpiciens ad eum qui præerat domui: Hunc, inquit, ſummo ſtudio ſub teſtimonio Chriſti tibi commendo. Tum ille ſicut prę cipiebat adhibiturum ſe diligentiam pollicetur: & dum huc atque illuc occupationibus variis teneretur, paullò indiligentiùs habere inopem cœpit. Qui frigore inediáque conſumptus, in fornacem ſe balnearum injecit , & cùm ſpiritu tenui membra jam feſſa trahere nequiviſſet, tandem exanimatus interiit. Percunctatiſque omnibus aliquando miniſter, cuncta penetrat, & nuſquam indicia de puero reperit. Sed Antiſtes beatus à miniſtro repoſcit commendatum. At ille ejus genibus obvolutus, eum ſe perdidiſſe fatetur. Protinus vir beatus ingreditur cellulam, proſternitur terræ, fundit uberes fletus, geminat alta ſuſpiria, Dominum ſupplicat JESUM, ut ſuis obtutibus redderetur. Intantum enim durè acceperat quæ audierat, taléſque fletus cum vocibus emittebat, quaſi proprium facinus lugens, acſi jam ante tribunal æterni Judicis anima defuncti de ejus manibus requireretur. Intereà is cujus officium erat, ad fornacem properat ſuccendendam, & reperto cadavere rigida membra retrahere nititur: agnitóque exanimi, beato Pontifici nuntiat. Rurſum ille terræ proſtratus ingemuit, fundit preces, diu in ſuſpiriis permanet, elevatóque capite ſuper exanimis oſſa, calidam jubet perfundi aquam. Intereà Dei Sacerdos ſine intermiſſione pro eodem tunſo pectore Dominum poſtulabat. Cœperunt defuncti membra ſe movere paullatim, & famulantia uſibus in officium priſtinum oſſa redire. Et licet tenuis, in oratione durante Beato, pòſt ad pedes ejus evolvitur, & tacto veſtigio priſtinum collegit robur. Sic à famis pernicie hodie creditur ſupereſſe: etenim tempore multo apud nos commoratus eſt deinceps.

Chriſmate & aqua benedictis aquas purgat.

18. Nondum temporibus multis emenſis, memoratur etiam ab eo aliud divinitus geſtum. Gurges quidam erat in Viriſionenſium [a] ſitus agello, aquarum mole copioſus, utpote dæmonibus conſecratus: & ſi aliquis cauſa qualibet ingrederetur eumdem, repente funibus dæmonicis circumplexus amittebat crudeliter vitam. Sed Dei auxilium adfuit aliquando adventu B. Sulpicij. Tum indigenæ loci genibus adhærentes ſanctis exorant, ut ſuis Sacerdos ſubveniat, quia multos propinquos famulóſque ibidem ſe amiſiſſe plangebant. At ille, ut ſemper, ita toto affectu miſeratus, chriſma cum oleo & aqua commiſceri * modica jubet: & benedicens, diſcipulo tradidit, præcipiens, ut ad inſtar Eliſæi Prophetæ diceret: *Hæc dicit Dominus: Sanavi aquas has, & non erit in eis ultra mors, neque ſterilitas.* Quod cùm factum fuiſſet, ſubitò peſſimus hoſtis ita fugatus eſt, ut ſub felicitate extunc univerſi tranſeant, & piſcium copiam in litore trahant, & nemo periculum ſentiat. Reddita eſt igitur populo ſalus, ablata eſt infirmitas aquæ.

[a]

* *al.* modicum

4. *Reg.* 2. 21.

Aquis exſtinctum reſuſcitat.

19. Non longum poſt tempus ſequitur longè clarior virtus. Cùm unus ex ruſticis ob mitigandum æſtivum fervorem ultroneus ſe projeciſſet in flumen, ilico Satanæ laqueis vinctus, vitam violenter abrupit. Hic locus non longè à Baſilicæ ponitur domo, ubi Dei Sanctus in cujuſdam exedræ loco refectionis gratiâ cum Fratribus diſcumbebat. Intereà anus quædam eminùs conſiſtebat , & repentè

[a] Viriſio *Vierzon*, opidum in Biturigibus, in quo exſtat S. Petri Cœnobium Ord. S. Benedicti, Congregationi S. Mauri recèns unitum, Doverenſe olim dictum, quod Radulfus Bituricenſis Archiepiſcop. ſęculo IX. condidit, deinde per Gerontium ejuſdem Sedis Antiſtitem anno CM. III. in caſtrum ejuſdem opidi tranſlatum eſt. Lege Auctorem Patriarchij Bituric. To. 2. Bibl. Labbeanæ cap. 47. & 52. & Chronicon Virzionenſe ibid. pag. 737.

innuit manu miniſtris, qui conſpectu Antiſtitis ſiſtebant. At illi per unum ex conſervis indicium rei percunctari nituntur: & dum ventum eſt ad locum, indicat mulier quemdam in ima demerſum ſpiritu caruiſſe. Tum ſocios evocat, & Pontifici nuntiat: qui jubet abſtractum corpus ad Nonam uſque ſervari. Et refectis omnibus, orationis adiit locum. Et quidem ſtatim ut popoſcerat, vivificationem ex animis elicuerat; ſed ideo à Sexta tres credidit intercedere horas, ut nulli dubium eſſet verè fuiſſe defunctum. Tandem ab oratione ſurgit, & ſuo conſpectui exanimem præcepit ſiſti, elevatáque manu Crucis impreſſit imaginem, reſumptóque ſpiritu paſſim defuncti membra moventur: & ſic ad vocem Antiſtitis velociter ſurgit incolumis, & recepto vigore propriis remeat greſſibus. AN. CHR. DC. XLIV JAN. XVII.

20. Quodam tempore quidam de Optimatibus, nomine THEODEGISILUS, viſendi gratiâ ad beatum venit Antiſtitem. Dilectionem adhibet quam noverat omnibus impertiri: & cùm eſſet hiems, nimia congeruntur pabula igni. Miniſtrorum mentes fortaſſe detentæ erant in aliud, de caſu ignis nemo ſollicitus fuit. Tandem flamma velociter devorat tecta; jámque eâ reſpersâ cœperunt quati univerſa, & minante ruinâ validas reperiunt flammas: copioſus ignis in pavorem reddiderat univerſos. Ob difficultatem nimiam cùm nemo auderet adſcendere tecta, præſidio deſperati fugam arripiunt univerſi. Cum Crucis vexillo manu Sacerdos reſiſtere nititur flammis, & mirantibus omnibus ita flammarum globi extimplò reſtincti ſunt [a], antequam manum ſuam Dei ſervus retraheret, acſi aquarum magni fluminis impetu undique fuiſſent vallati. Crucis ſigno incendium reſtinguit.

21. Referamus huic ſimile geſtum. Infra mœnia urbis quædam de illuſtribus femina ſpicis ſegetum horreum repleverat magnum. Intempeſta nocte furtim ſceleſtus ingreditur, igníque conjecto mox flammæ circumdant. Nec latêre quivit, quod luctus omnium manifeſtat: tumultus increpuit, ubi vir beatus ſopore deprimitur conſueto. Tandem per diſcipulum cauſam reperit geſti, curſu præpeti pergens flammarum rogum cum canticis ſpiritualibus circuit. Miris modis cum baculo terminum defigit, igneus collis quem non tranſgredi queat. Omni ex parte vicinas adhærentes domos dum tangerent, ad ſe reverſæ reſtringuntur flammæ in unum, chaos fugiunt quò non tranſgredi audent. Tripudians Pater ad Eccleſiam remeat gaudens, matutinis horis debitas perſolvere laudes. Item aliud.

22. Addamus tertium miraculorum ſimile geſtum. Monaſterium quoddam in eadem urbe vir Dei ſummo conſtruxerat niſu, in quo Virginum ac continentium feminarum incluſerat agmen [b]: ubi ſtructuram lapidum grandęvis extulit ædibus. Caſu cujuſdam de incautis, cùm noctis ſilentia fierent, ab igne parieti prærepto paulatim creſcens extenditur: mox domo prærupta vicinas attingere præparat. Jámque moles flammarum in magnum excreverat montem. Tandem Dei Sacerdos ovium ſuarum accitu occurrit ad caulas; immenſæ altitudinis cum Crucis ſigno flammis reſiſtere parat. Ilicò medio rogo auxilium apparet ſanctum columbæ in ſpecie, in qua ſuper Dominum Spiritus-ſanctus deſcenderat baptizatum. Subitò flammæ reſtrictæ ceteras non audent contingere domos. Ereptas oves Paſtor ſalutaribus inſtruit monitis, per cujus doctrinam inter eaſdem hodie caſtitatis propoſitum fulget. Quæ dum ſapientiæ ſtudio ſemet geſtiunt, non ſolùm corpora, ſed & animas virginitatis gratiâ conſecrant, præparantes vaſa munda ad ſapientiam, ex quibus Divini verbi concubitus ſanctos & immortales expetunt, ex quibus poſteritas relinquatur nequaquam corrup- Item aliud.

a Ex hoc ſequentibúſque miraculis apparet, S. Sulpicij virtutem maximè in reſtinguendis incendiis enituiſſe. Hoc ipſo quo hæc ſcribimus ann. 1668. menſe Octobri, incendium in ſuburbio Sulpiciano caſu excitatum cùm ingentis conflagrationis periculum intentaret, allato S. Sulpicij capite derepentè extinctum eſt.

b In urbe Biturica antiquiſſimum eorum quæ ſuperſunt Sanctimonialium Cœnobium eſt S. Laurentij Parthenon Ordinis S. Benedicti, cujus initia Carolo Magno tribuuntur. An potiùs ad Sulpicium referenda, reſtitutio ad Carolum?

AN. CHR. DC. XLIV. JAN. XVII.

telæ mortalitatis obnoxia; abſtinentiæ verò ac ſobrietatis & honeſtatis gratia quanta inter eaſdem pulchro decore refulgeat, vires edicere ſuperant. Nunc ad narrationis noſtræ redeamus ſermonem.

Puerum ab interitu eripit.

23. Procul ab urbe, loco Anatra qui dicitur, ſecuribus præcepit arborem ſuccidi immanem: quo actu ſucciſa corruit velox, unus ex pueris mente detentus in aliud attonitus ſiſtens, mortem non refugit demens. Protinus Sacerdos manum cum Crucis elevat ſigno, arborémque vertit in alteram mirabiliter partem, puerúmque abſtraxit ſoſpitem de mortis periculo.

Tributum iniquum abrogat.

24. Et jam refulgentibus quemadmodum clariſſimorum ſiderum miraculis, vigente fide, quâ ubique cuncti pariter in Dominum crediderant Salvatorem, ille totius bonitatis æmulus & humani generis deceptor antiquus, malignis quibuſdam viris interno bello Eccleſiam in pace quieſcentem cum omni plebe nititur impugnare, & Principem[a] quemdam Galliarum provinciarum cupiditatis ardore flammat, & occultis perſuaſionibus urget, ut Bituricam plebem cum Eccleſiæ Sacerdotibus nefando cenſu conſcribat: & velut quamdam beſtiam bino ore ſibilantem, biníſque linguis diabolica venena vibrantem, ex ſuis factoribus unum, memoratam plebem quatere mittit. Sed quia Divina virtus & gratia in maximo certamine præcipuè numquam deſerit ſuos, multitudinem Chriſtianam permanentem à ſeculis liberam cùm nefandus miniſter ſub crudelitate regia cogeret deſervire; univerſi afflictionem impiam non ferentes, tanta multitudo ad pium confluxit Paſtorem, tantúſque plangentium elevatis vocibus increpuit fragor, ut putaretur audientium terribile eſſe tonitruum. Hoc ſolùm voces omnium conclamabant: Pie Paſtor, ſubveni gregi, quem uſque nunc paſtorali foviſti affectu. Age ne pereat grex tibi commiſſus à Deo: defende à lupo quem rabido lacerat dente. Unde ille nimia pietate permotus, univerſis indicto jejunio, Aſſeſſorem[b] alloquitur blandè, ut impiam deſinat proſequi juſſionem. Sed ubi mens dura faſtu non frangeretur, ac ſpretis affatibus Sacerdotis acrior magis magíſque ferveſceret, cellulam petit Beatus, terræ proſternitur, ſanctum tundit verbere pectus, petit à Domino quod à Præſide nequiverat obtinere. Et ſciens non minorem animi eſſe virtutem pro inimico exorare Dominum, quàm procumbere pro Domino; converſionem inimicorum potiùs petiit, quàm perniciem. Et quidem ilico ſi petîſſet, immoderati Principis & ſeviſſimi Aſſeſſoris digna præcellens adfuerat pœna: ſed erat vir beatus contra ſuos adverſarios mitis ſemper & pius.

Regem ad pœnitentiam per diſcipulum commovet.

25. Unum interea mittit è ſuis Solitarium quemdam, EBREGISILUM nomine, (qui renuntians omnibus, id eſt ſæculo cum ſuis omnibus, vita & ſermone ad exemplum beati viri erat præſtantior ceteris) ut ſævitiam Principis redargueret. Qui niſi melioris vitæ emendatione mutâſſet, interitum repentinum ei imminere nuntiaret. Addebat etiam Beati Sequipeda, Principem de commiſſis impietatibus ſcelerum monens, ſi fortè poſſet commiſſi pœnitudinem gerere, ſi poſſet flere pro ſcelere, & ultrices flammarum pœnas lacrymarum ubertate reſtinguere; quia non vult tantùm Deus mortem peccatorum, quantùm ut convertantur & vivant. Quo Rex audito, nimio deterretur metu, & tanto pavore concutitur, ut ſtatim agnitâ culpâ lugens delictum cum lacrymis, regali abſque faſtigio pœnitudinem gerens, libenter impleret quæ à tanto Sacerdote per diſcipulum fuerant intimata. Velociter inſuetus aboletur cenſus, deſcriptio reſcinditur impia, ſalus tribuitur populo; & velut poſt nimiam tempeſtatem Solis ſplendor redditus fuiſſet, pace Eccleſiæ datâ, Sacerdotum gaudia cumulantur. Mirabiliter quoque Rex adjecit, ut generalis daretur auctoritas, ne impoſterum impia executio iteraretur in plebe. Aſſeſſorem verò atrocem,

a Vita brevior Regem, Dagobertum; exactorem, Lullonem exprimit. Sulpicius ſimile quid adverſus Guarnerium Theoderici Regis adminiſtrum præſtitiſſe, in S. Auſtregiſili miraculis dicitur.

b Alij Aſſiſores vocant, qui aſſiſas ſeu taxationes imponunt, Gallicæ *Aſſiſes*, quod tributi impoſitionem ſignificat.

qui commendationi Regis adſenſum non præbuit, digna perculit ultio[a], & vitam quâ fruebatur indignè, amiſit ilicò cum dedecore. Nec enim poterat tanti piaculi miniſter impunitus evadere. O beatum per omnia virum! qui numquam ſe de adverſariorum furoribus manu defendebat aut telo, ſed jejuniis, continuiſque vigiliis, ſub altari poſitus, per obſecrationem defenſorem ſibi atque Eccleſiæ ſuæ Deum parabat. Et quis eum umquam ſuis machinis aut oppugnationibus quiverit deterrere, qui auxiliatrice dextrâ Chriſti ſemper tutus invictúſque manebat? AN. CHR. DC.XLIV. JAN. XVII. a

26. Per idem verò tempus per omnia vir Dei ſimplicitatem Apoſtolicam obſervans, nullo inferior, & in omnibus perfectus verè Sacerdos & Hoſtia Dei, cùm ſe ubique ſollicitum circa alentiam pauperum dudum ſuſceptum opus explere contenderet, & ætas jam perfecta ad ſenectutem decrepitam proclivis dependeret, cùm ſe vidiſſet ad omnia non ſufficere, vel in profundioribus vacare Divinis, vel in ſanctis orationibus ſicut optabat jugiter permanere, vel in eorum qui quotidie Fidei reddebantur inſtructionibus adimplendis, ex quibus omnibus nec reſpirare quidem & unius horæ ſaltem liberum tempus dabatur, dum ſemper in alia ex aliis vocaretur, itaut à prima luce uſque in profundam veſperam numquam ceſſaret in variis occupationibus detineri; cùm ergo ſe tanto onere vidiſſet gravari, utilius eſſe ratus eſt, ut uni ex fidelibus Chriſtianis primoribus regionis, plenè jam & optimè inſtructo viro WLFELENTO* traderet participationem officij ſui ac laboris, dumtaxat Divini verbi committeret miniſterium: & ita conhibito Clero, Sacerdotij inibi jura ſuſcepit. Coadjutorem ſibi adſcitcit. * al. Vulfolendo

27. Enarrare quis valeat, quâ humilitate, quâ caritate circa ſuorum comitum & miniſtrorum ac præſidia pauperum deinceps ſe exhibere contentus eſt? Qui ſemper Evangelicum illud mundiſſimo ore ruminabat, & totis viribus implere operè contendebat: *Qui vult eſſe veſter primus, ſit veſter ultimus: & qui vult eſſe veſter dominus, ſit veſter ſervus.* Et quia oculum mentis ſuæ totum habebat in Deo fixum, indeficienter conſiderabat Dominum noſtrum JESUM-CHRISTUM propter nos hominem factum, hoc nos docuiſſe; ut uſque ad mortem obluctemur adversùm peccatum. Siquidem & ipſe non rapinam arbitratus eſt æqualem ſe eſſe Deo, ſed ſemetipſum exinanivit formam ſervi accipiens, & habitu repertus ut homo: humiliavit ſemetipſum uſque ad mortem. Quem Sulpicius Dei Sanctus ſequutus, omnium profligationum labores & cruciatus carnis & mentis ſuſcepit, ne propoſitum fidei conſcientia macularet. Humilitati &c. vacat. *Mat.* 20. 26

28. Quoniam quidem ſi volumus nunc beatiſſimi Sulpicij Epiſcopi enarrare virtutes, & exponere robur conſtantiæ, nec nobis copia tanti ſermonis eſt, nec putamus aliis, niſi his ſolis qui oculis ſuis intuebantur videri credibilia; nunc ad illa quæ priùs cœperat ſermo percurrat, ut de miraculorum geſtis, quæ ſibi juncto participe deinceps cælitùs egerit, pauca perplectere contendamus. Tempore quodam unus de ſceleratis & utpote indigentibus, in promptuarium beati viri ſe noctu violentus injecit; ſtatim diripere nititur quod atroci mente facinus furti conceperat: & dum abire feſtinat, nullus remeandi patet exitus, & munimine omni conſtructo quaſi carcere ſeptus, reus undique ligatur. Noctis ergo totius itinere incaſſum conſumpto, facilis cui fuerat ingreſſus, nec tenuis patet regreſſus. Interea lucis ſplendor mundum irradiat, & vir Dei unum de cuſtodibus evocat, mittens ad ſocium mandat, ut quem errore laſſatum, & velut quibuſdam artatum vinculis ita innexum crimine in promptuario reperiſſet, attraheret. LIB. III. Furem cælitùs detegit.

29. Haud mora, miniſter ſocium properans adiit: quo vocato ſceleſtum reperiunt intra, & ut attraherent protinus comprehendunt. Inter horum manus lubricus repente elabitur: & cùm ſeſe criminibus cerneret circumſeptum & undique à turbis vallatum, malens ſubire celerem mortem, quàm longi faci- Eum è puteo præcipitio incolumem educit.

a Anonymus, *Vitione Divina*, inquit, *creditur & Regem & ſatellitem ſuum poſt breve ſpatium interiſſe.*

AN. CHR. DC.XLIV. JAN. XVII.

noris trahere cruciatus, in puteum cubitorum ferè octoginta, eminus qui aderat, interiturum ſe præceps injecit. Nihilominus cùm eum vorax terra * ſuſcepiſſet, Antiſtitis beati ſuffragia poſtulabat. Tum vir Dei occurſu veloci adventans, jubet poſt elapſum quemdam de pueris deſcendere innexum, ſatis monens diligentia ſumma ſceleſtum trahere circumplexum. Cúmque omnes non poſſe jam vivere clamitarent, quem tantæ altitudinis terræ hiatus voraverat, ſed potiùs ab omnibus jam interiiſſe crederetur, imperat puerum juſſis obedire velociter. Ingreditur famulus, nec cunctatus ſignaculo viri ſancti armatus, alacrem reperit quem omnes credebant eſſe exanimem. Connexum funibus captivum ad patrium revocat ſolum. Conſtipantur mœnia agminibus populorum: ad ſpectaculum tantæ rei pænè tota confluxerat civitas; complosſis manibus voces omnium perſtrepebant: mirantur ſoſpitem quem tantæ altitudinis merſum baratro jam putabant eſſe defunctum. Hactenus criminoſus alto mentis ſtupore diſcuſſus, ſanctis poſtratus veſtigiis poſtulat facinoris veniam. Ilicò vir pietate plenus indulget, & uſibus tribuit neceſſaria, monens ſæpe ut potiùs petat, quàm rapiat; munere ſibi optet conferri, non rapina. En quàm in eo fuit perfecta humilitas, prompta miſericordia, ſancta ſimplicitas: quantæ verò patientiæ fuerit & longanimitatis, quis dicere valeat?

* *f.* aqua

Diaconi inobedientia caſtigata.

30. Cùm unus ex diſcipulis de ordine Levitarum repedandi ad propria licentiam poſtularet, ille dilectionis affectu, ne aliquid caſu longævi itineris accideret, libertatem ei abeundi non tribuit. Hic verò ſpiritu armatus ſuperbiæ, cùm vix curarum oblivionem quies prima laxaverat, gradu concito cum vehiculo fugam facinore ſtimulante arripuit: qui ita digno cæcitatis percutitur ſupplicio, ut huc atque illuc per totam noctem incertus vacuo labore diſcurreret. Reddito terris die, curſu incaſſum conſumpto, in loco in quo feſtinus iter arripuit, ſe conſiſtere cernit. Ad Sacerdotem denique quem jam nihil puto lateret, veniam facinoris petit, genibus adhæret ſanctis, geſta per ordinem fatetur. Ignoſcit mens pietate promptiſſima, ilico tribuit veniam confitenti.

Infeſtationes dæmonum eliſæ.

31. Etenim quanta quibúſve contra eum peſſimus dæmon artibus cum univerſo exercitu ſuo intentione pugnaverit, atque ſuper omnes ceteros qui per illud tempus pro Chriſti nomine colluctabantur, nova protulerit, atque adverſus eum dæmonici furoris arma commoverit, agnoſcere cupientibus curavimus perſtringere pauca. Et quia de ejus pernoctationibus crebris paullò antè jam diximus; cùm in profundo cujuſdam noctis ſilentio Pſalmorum canora in Baptiſterio peregiſſet, perrexit cum paucis ad B. Martini Baſilicam, ut reliquo noctis ſpatio uſque ad Matutinas in Divinis laudibus inibi epularetur. Cúmque puero cum lucerna præunte jam fores Baſilicæ contigiſſet, ingerens ſe funeſtus dæmon formâ validâ & ſpecie avis teterrimæ & horribilis, primùm lucem quæ præibat nititur ſuffocare, deinde ſe in faciem oculóſque beati viri cum magno impetu injecit, & huc atque illuc eminus circumvolitans, ridiculoſis intentionibus, iterum atque iterum violentum infeſtúmque reddebat. Ad hæc vir Dei parvi geſta pendens; Scio, inquit, qui ſis, antiqui ſerpentis miniſter, nec te latêre permittis, cui perſecutorem nequiſſimum pænè jugiter te oſtendis. Tandem manum elevante eo cum Crucis ſigno, non ſolùm ſe ultra miſcere non auſus eſt, verùm * in ictu Crucis impreſſæ ita evanuit.

* *al.* injectu.

Famulus à dæmone multatus convaleſcit.

32. Ut erat impudens & deluſio miſerabilis, dein in injuria ſancti viri plurimum furorem ſtimulis ſeditioſus hoſtis accendit. Cùm itaque unum ex pueris mente & converſatione ſimplicem, Anſulfum nomine, pro Fratrum & pauperum victu neceſſario exhibendo locum ad quemdam ire præcepiſſet, haud mora, præceptis obedit, juſſa implet, ad propria remeare contendit. Cui ſæviſſimus Dæmon cum ſuis apparitoribus ſe ei obvium intulit: quem de vehiculo ejecit, eúmque malè multatum flagris reliquit exanimem, ſemivivus ſcilicet à proximis defertur ad domum. Et cùm ob injuriam S. Sulpicij, quæ geſta fuerant nemo referret, ad eum tandem per Spiritum quem Divinitatis gratiâ acceperat

perat prophetiæ, ſenſit miniſtrum, continuatis diebus decem mutum permanere & cæcum, omnibus præmortuis membris, & ita obſerato ore cum dentibus, ut nec aquæ guttam aliquis poſſet interiùs fundere. Interea vir Dei id quod ſpiritu ſenſerat, geſtorum ordine Fratribus indicat, afflictúmque dolens ex affectu, & lacrymas profundens ex pietate, pro ſe pius Paſtor ovem ſuſtinuiſſe cruciatûs lugebat. Ilicò tamen ſancta terræ membra proſternit, & poſt orationem ab humo conſurgens, panis buccellam cum vino exanimi jubet offerri: protinus in ore ejus reſeratis cum ferro dentibus ſtillam vini, de quo * miſerat, proximi perfuderunt. Mox jam magna ex parte præmortuo redduntur ſenſus amiſſi, & in vigorem priſtinum famulantia redeunt membra. Hæc quidem ab ipſo qui pertulit & fidelium teſtimonio agnovimus confirmatum. AN. CHR. DC. XLIV. JAN. XVII. * *al.* quod

33. Nec multo pòſt reddito terris occaſu diei B. Sulpicius in Eccleſiam cum paucis ingreditur pernoctare: & cùm alta quies adeſſet, tenui ſibilo ſerpentis aſtutia primùm demulcet in aura. Dein quies ubique cùm eſſet, Eccleſiæ ſepta valido impetu, arcus, aras, lucernas, ceteráque officia concutit, itaut jam putarent diſcipuli Eccleſiam funditus everti: & cum pavore nimio trementes, pallentéſq; relictis canticis, exſpectantes interitum, adhærent pavimento. Sed Beatus invictus per omnia ita fortiter in Divinis cãticis perſiſtebat, parvipendens quæ invidus perpetrabat, ut in proſperis numquam conſtantior fuiſſet nec clarior. Tandem invidus anguis cum ſuo exercitu in una ſe mole conglomerat, & putans gravioribus ictibus ſonitúque intemeratam conſtantiam deterrere, immenſo tumultu perſtrepens ante faciem B. viri ſe pavimento injecit, itaut putarent diſcipuli in fruſta magiſtrum fuiſſe contritum. Ipſi quidem diu attoniti permanſerunt: glorioſus verò Sacerdos divinis jaculis adverſarium vulnerans, in ſpiritualibus canticis perſeverat. Sanè diſcipulos arguit, cur relictis canticis minis phantaſticis deterriti fuiſſent. Sed quid mirum, ſi hic humani generis hoſtis tanti Sacerdotis necem expetiit, quippe qui dux & ſignifer erat in populo Dei; cùm etiam nefaria & impura flagitia ad ipſam quoque Divinitatis quondam tetendit injuriam? Sulpicius pſallens dæmonis terriculamenta ſpernit.

34. Et quia indeſinenter contra bonitatem malitia pugnat, & Sanctos Dei æmulatio inſequitur adverſarij; quanta peſſimus hoſtis diverſis illuſionibus ſe manifeſtans, ſtimulis furoris ſui adverſus Chriſti catervam, quam ejus dextera per Sacerdotem ſuum protegebat, exaggerâſſe dicatur, non ſufficimus loqui. Tamen unum de iis quæ crudeliter in quemdam de Chriſti famulis ſub tantis teſtibus geſſerit, brevi ſermone tradamus. Cùm unus ex turmis eorum, quorum officium eſt jugiter in Eccleſia Matre canere Deo, LEGONTIUS nomine, Curſu debito pernoctare ad Eccleſiam pergeret, humani generis hoſtem offendit ſibimet bellatorem: & irâ adverſarius frendens, ab itinere boni operis cœpto Dei ſervum nititur revocare, afflictúmque cædibus multis ſemivivum reliquit pæne & exanimem; & mane ſolo proſtrato reperto à pluribus, omnes ſenſus officij amiſerant famulatum. Tunc Sanctus Dei procul ab urbe diſceſſerat, & cùm poſt triduum fuiſſet regreſſus, reperit eum ſemivivum, & flagris malè multatum. Tum juxta membra Fratris ſe proſternens ingemuit fortiter, víque dentibus reſeratis, Sacrificium in ore ejus propriis manibus Dei Sacerdos infudit. Et miro ſtupore ſpectantibus omnibus ita repentè apprehenſa manu ejus in faciem Sacerdotis ſurrexit incolumis, acſi nihil mali habuiſſe putaretur: & ubique ſaliens benedicebat Dominum. Pænè examinem Eucharistiâ ſuſcitat.

35. Nec multum poſt tempus unus ex ruſticis arrepta manu ſecuri nefario polluit opere Reſurrectionis Dominicæ diem: ilicò manus areſcit ſacrilega, cute ſiccata cum nervis, ſecuris adhæſa recluditur. Repentè ad Dei properat Sanctum, veſtigiis obvolvitur Chriſti Athletæ: ſacrilegij auctorem manus arida prodit, & lugentem ad Eccleſiam potiùs reum monet pervenire. Sacerdos, orationes continuat ſub altare, tandem ut poſſit à Chriſto facinoris quod commiſerat veniam impetrare. Interea Dei Sanctus ad conſuetum recurrit præſi- Dominicæ Diei violatorem ſanat.

AN. CHR. DC.XLIV. JAN. XVII.

dium, ingreditur cellulam conſperſus cinere, in oratione fuſis lacrymis pernoctavit: & cùm ad Eccleſiam facto mane debitis laudibus exſolvendis Dei Sacerdos veniſſet, vulgi diverſitate cum ſecuri hominem intuente, in orationem vir Dei pronus incumbit: & ita repentè reus non ſuſtinens cruciatus, magnis clamoribus perſtrepebat, ut putaretur locus ille commotus. Nam & pavor immenſus arripuit univerſos. Interea ſacrilega manus in officio ſubitò reſtituitur priſtino, oſſa, cutis, & nervi ſuis replentur humoribus, ſecuris ex eadem manu in partem reſiluit mirabiliter: fundit criminoſus uberes fletus, peccatum fatetur & abſolvitur, domi remeat abſolutus. Itaque Divina providentia miſericordiâ præcellens, animæ morbos corporis afflictione componit, ſecundum illùd: *Viſitabo in virga iniquitates eorum: miſericordiam verò meam non auferam ab eis.*

Pſal. 88.33.

Aquâ manibus adhibitâ morbos curat.

36. Et quia dudum in terris poſitus Dominus & Salvator noſter diſcipulis dixerat: *Si crediderit is in me, opera quæ ego facio, & vos facietis, & majora horum facietis*; intantum poſtremò ad fidei amorem virum beatum ſpiritualis flamma ſuccenderat, ut ſi quiſpiam aquam diſtillantem è manibus ſuis dum lavaretur occultè præriperet, & languentis cujuſque corpus attingeret, pleriſque infirmitatibus caruiſſet, ſed præcipuè à tertianis & quartanis paſſionibus vexati, miro ſtupore reciperent priſtinam ſoſpitatem. Nam quanta aut quæque per eum Dominus ad ultimum egerit ſigna, ac virtutum novis ſtupendiſque miraculis declaraverit, non aliis niſi his ſolis qui oculis ſuis intuiti ſunt putamus eſſe credibilia.

Joh. 14.12.

Clerum informat.

37. Et quoniam conſortium vitæ & actuum non cum ceteris mortalibus, ſed cum Angelis immortalibus habere crederetur, intantum fallaciam ac blandimenta reſpuit mundi, ut rectè cum Apoſtolo diceret; *Mihi vivere Chriſtus eſt, & mori lucrum.* Et illud: *Optabam diſſolvi & eſſe cum Chriſto*, niſi propter eos optaret vivere, pro quibus & mori. Tamquam ſtercus denique pompam renuit ſæculi, aurum ſprevit, argentum reprobavit ut lutum. Concilia celebrat [a], Epiſcopos per Synodos evocat, monet crebrò ne Divina prætermittantur mandata, prorſus replicans illud Salvatoris mandatum: *Nolite poſſidere aurum neque argentum, &c.* ſed ſecundum Apoſtolum, *habentes*, inquit, *victum & veſtitum, his contenti ſimus*, & ea quæ ſequuntur fugienda. Ipſe verò totis viribus elaborabat, caſtigans corpus ſuum & ſervituti redigens, ne fortè cùm aliis prædicabat, ipſe reprobus efficeretur. Multo etenim tempore B. Sulpicius argentea vaſa non habuit, neque uſus eſt, ſed omnia in ſuis uſibus erant lignea, fictilia, & marmorea. O intemerata conſtantia! quæ vitia quibus pulſatur humana fragilitas, patientiæ virtute calcavit. Et quoniam ſecundùm Salvatoris vocem ea docuit quæ ipſe priùs per omnia fecerat, nulli dubium, quòd eſſet magnus in regno cælorum. Iſte fuit Sacerdos Dei pontificale Petalum [b] geſtans, qui in ſemetipſo crucifigendo corpus & perſequendo vitia, adeptus eſt novum, non morte, ſed carnis mortificatione martyrium.

Philipp. 1. 21.
Ibid. 23.

Clerum inſtruit, Concilia celebrat.

[a] *Matt.* 10. 9. 1. *Tim.* 6. 8.

Vaſis fictilibus utitur.

Matth. 5. 9.

[b]

Multis ſui exemplo ad perfectionem tendentibus loca congrua diſponit.

38. Et cùm jam ſatis abundéque Eccleſias, Monaſteria, Cellaſque conſtruxerat, innumerabilium Clericorum Pater ac Monachorum effectus, renuntiantibus quamplurimis facultatibus ſuis, qui ad ejuſmodi philoſophiam dediti, bonis ſuis quibuſque indigentibus erogatis, multáſque ſollicitudines etiam vitæ procul abjicientes, & extra urbem in hortulis vel exiguis quibuſque agellis degentes; alij verò, ſicuti in Actibus Apoſtolorum hi qui primitus credebant, vitam duxiſſe memorantur, poſſeſſiones ſuas & prædia vendentes, & pretia ponentes ante pedes ceterorum, diviſis unicuique prout opus erat; ut Evangelico facilè fungeretur officio, omnes quos optaverat in ſpiritualibus dogmatibus pleniſſimè inſtructos, & ita in ſtudiis Philoſophiæ Chriſtianæ ad imitationem Magiſtri deditos, ut nonnulli etiam poſt triduum non tam deſideratum quàm

[a] Sulpicius Synodo Remenſi ſub Sonnatio Epiſcopo anno (ut rectè Carolus *le Cointe* in Annal. probat) DC. XXV. habitæ ſubſcripſit.

[b] Petalum à Græco πίταλον bracteam ſeu laminam ſignificat fronti vel pectori Pontificis apponi ſolitam. Lege Iſidorum lib. 19. Orig. cap. 21.

neceſſarium corpori indulgerent cibum: videlicet dum in profundiore intelligentia ſacrorum voluminum plerique converſantes, tamquam copioſis dapibus inhiantes, expleri nequiverint, & contuendo acriùs inflammarentur, & jugi certamine ita adverſus carnem agonizarent, ut in nullo voluptati ejus ac libidini concedentes; animam verò alendam ſapientiæ paſtibus, & ſcientiæ cibis in majus ſemper agentes. Exſultans Pater de tali ſtudio filiorum, tandem fœnus repoſitum properat ab æterno exigere Patre. Et ſubitò adeſt Dominus conſolari ac munerari ſervum fidelem. AN. CHR. DC.XLIV. JAN. XVII.

39. Et dum his virtutum fulgeret miraculis, beatæ conſummationis glorioſum tempus advenit. Sed cùm fracta jam ævo membra deficerent, afflictum emortuúmque corpus onus abſtinentiæ roborabat: & quod natura neglexerat, meritum confirmabat. Itaque plenus dierum, ætatíſque ſuæ tempore conſummato, meritorum ſplendore coruſcans, terrena terris membra commendat [a], ſpiritus cæleſtis inter Angelorum choros celſa cæli conſcendit. Moritur

40. Igitur ex omni latere urbis innumerabilium populorum repente undique caterva confluxit: conſtipantur mœnia, atria, omnéſque plateæ, intantum denique ut niſi auxilium adfuiſſet B. Antiſtitis, pars maxima populi contrita ſub pedibus, vi obrupto ſpiritu, conſtipatione tantorum necarentur. Erat omnium planctus immenſus, mæror intolerabilis, tantóque gemitu lugentes erumpebant in voce, ut lapidea etiam pectora immenſos profunderent fletus. Neſcio an fuiſſet inibi quis tam crudelis & demens, qui ſe à lacrymis revocare potuiſſet. Tantus etenim vocum increpuit fragor, ut locus ille quaſi à magno tonitruo concuti putaretur. Et cùm eſſet omnium infinitus animæ mæror, Clericorum prorſus interrupti ſingultus, acedioſa lamentatio ſpirituales hymnos canere vix ſinebat: ea tantummodò inter ſingultuum verba dolentium gemitus extorquebat: Heu grex deſolate quid agis? en amiſſo Paſtore diſpergeris, & quis umquam te à luporum rabidis dentibus quiverit liberare? In morte denique tua, ô Paſtor bone, omnes nos interiiſſe quis ambigat? Omnibus ingens ſui deſiderium relinquit.

41. Interea ventum eſt ad Baſilicam, ubi nunc Dei Sacerdos glorioſo triumpho reſurrectionis tempus exſpectans, miro decore jacet humatus, quam quidem dudum ipſe ſummo conſtruxerat niſu [b]. Corpus illatum ſepulcro, plebs Corpus ipſius ſepelitur.

a Obiit S. Sulpicius XVI. Kal. Febr ut ex Martyrologiis initio prænotavimus, anno circà DC. XLIV. quod ita colligimus. Sulpicius Sedi Bituricæ poſt Auſtregiſilum impoſitus eſt anno DC. XXIV. vel inſequenti, quo Synodo Remenſi ſubſcripſit. Si Patriarchij Bituricenſis conſarcinatori fidem adhibemus, ſedit annos XIII. quibus expletis VULFOLENDUM ſibi Coadjutorem ac ſucceſſorem ordinavit. Vixit aliquot pòſt annis: nam DESIDERIUS Cadurcorum Epiſcopus in Epiſtola 10. ad Dadonem ſeu Audoënum recèns Epiſcopum Rotomagenſem, *amicum*, habere ſe gloriatur *præſtabilem meritis* SULPICIUM. Dado verò ante annum DC. XLI. ordinatus non fuit Epiſcopus. Certè ex ſuperioribus ſatis intelligitur, Sulpicium aliquamdiu ſubrogato Vulfolendo ſuperſtitem fuiſſe. Carus erat maximè Deſiderio prædicto, quem juſſu Dagoberti anno regni VIII. conſecrâſſe legitur apud Vitæ ipſius S. Deſiderij ſcriptorem, qui cap. 8. Epiſtolam refert Dagoberti nomine ad Sulpicium ſcriptam, in qua Sulpicium *Archimetropolitanum* Rex appellat. Et *Sanctum Patriarcham* Epiſtola 12. vocat Deſiderius ipſe, cui Sulpicius duas direxit Epiſtolas, quæ poſt Deſiderij litteras in To. 1. Hiſt. Franc. Cheſnij ordine 64. & 72. referuntur. S. Sulpicij Reliquiæ in proprio ſuburbij Biturici Monaſterio religioſè à Noſtris aſſervantur, caput verò in theca ſeparata ibidem videtur: ut planè falli neceſſe ſit Antonium Domenecum in lib. SS. Principatus Catalauniæ, alióſque, qui illud in Villæ-Francæ opido ditionis Confluentanæ ad Tethin haberi affirmant. Ado in ſincero Martyrologio nullam Sulpicij Tranſlationem memorat. In antiquo Martyrologio S. Laurentij Bituricenſis à Philippo Labbeo To. 2. Bibl. vulgato duplex notatur S. Sulpicij Tranſlatio, una VI. Kalend. Septemb. his verbis: *Biturica civitate Tranſlatio corporis S.* SULPICII *Epiſc. & Conf. magna ſanctitatis viri*; Altera XII. Kal. Novemb. *Biturica Tranſlatio S.* SULPICII *Epiſc. & Confeſſ.* Utraque ſollemnis ab antiquo fuit in Monaſterio Navenſi, ut ex vetuſto Diurnali MS. conſtat. Credere par eſt, eas repetendas eſſe à tempore Normannorum qui prædictum Monaſterium devaſtârunt: ob quorum metum corpus S. Sulpicij in tutiorem locum deportatum, inde verò relatum, duplici celebritati occaſionem dederit.

b *Locus ille*, inquit Abbreviator, *ubi ipſa Baſilica & ubi memoratus Dei vir ſepultus eſt, nominatur* NAVIS, (quod etiam infrà dicit iſte Auctor) *eoquòd ibidem portus navigij eſſe videtur: locus amœniſſimus, inter duos amnes* (Euram ſcilicet & Molum) *nemoribus & vineis copioſus, pratis fluminibus interfuſis: immenſa planities, ut ibidem habitantes ſimilitudinem paradiſi videantur poſſidere.* Nec omittenda hîc verba Johannis Phernandi. *Inter cetera quæ plurimo labore ſumptúque non parvo pius Pater erexerat Monaſteria, unum præſertim in deliciis habebat, quod in ſuburbio Biturica urbis ſitum, ac Deipara Virgini conſecratum,* NAVIS *cognomento placuerat appellari. Illic probatiſſimos Monaſtica converſationis viros habitare præceperat, quorum exactiſſima bene vivendi norma ſuam ipſorum ſalutem operari cupientibus lucidiſſima præberet exempla. Diligebat ex animo Fratres illos, quibus & Abbatem ſeſe exhibebat & ſocium, &c.* Iſtud Monaſterium jampridem S. Sulpicij nomine inſignitũ, cui præſidet Abbas Regularis è Noſtris, etiãnunc florentiſſimũ eſt.

AN. CHR. DC.XLIV. JAN. XVII.

univerſa Paſtoris abſentiam ſuſtinere non valens, ultra humanum modum mugitum pavimento proſtrati reddebant. Ita dumtaxat, ut etiam nec miniſtris Eccleſiæ permitteretur libertas officij perſolvendi. Lugebant quidem quaſi abſentem, quem non amiſerant, ſed præmiſerant; neſcientes planè, quòd legationem pro ipſis cælum penetrans Divinis obturibus fungi properat, ut ibi interpellaret pro plebe, quod hîc poſcenti redderet ac fideli; ibi funderet vota, quod hîc reſponderet votis.

Miraculis illuſtratur ejus ſepulctum.

42. Nec morâ à ſemet patitur eſſe abſentem, quem in terris poſitus labore foverat indeſinenti; ſed ilicò ſpiritu properat viſitare quem corpore reliquerat non affectu. Et ita repentè variis infirmitatibus ſalutem reddendo ſe prodidit eſſe præſentem, ut quaſi cælitus lumen oſtenſum, aut radius quidam ſolis erumpens, totum orbem claritate ſuperni luminis illuſtraret: ex quo per omnes civitates & vicos, immenſæ multitudines velut meſſium tempore ad areas triticum, ita ad Eccleſias populi congregabantur. Et non ſolùm de diverſis miraculis ſanitatum vicinas civitates, verumetiam univerſa regna terrarum, tamquam volatu pennifero fama clariſſima refulſiſſet. Et niſi Baſilica ipſa magna ex parte ampliata fuiſſet[a], capacitate ſua infirmantium multitudinem recipere nequiviſſet. Et ſi Deum meruero ducem, adhuc de iis quæ nunc triumphator egregius egerit, brevi ſermone oſtendere cupio. Dignè etiam planè ab antiquis præceſſoribus, ubi hæc geruntur, NAVIS ob portum navigij vocitatur, qui quaſi præſagio futurorum quodam hoc olim indicat nomen, quod nunc affectu manifeſtat Divino. Ea ſcilicet Navis eſt, in qua qui adhærent, hujus ſæculi tranſeunt mare, & ad patriam longè poſitam, videlicet regni cæleſtis, perveniunt liberi. Ibi nempe ab imminentibus malorum procellis viſibilium & inviſibilium, confugij efficitur portus, ibi à ſæculi fluctibus ſeu turbinum tempeſtatibus evadendi tribuitur gratia. Illic quotidie infundunt ſal ſcientiæ infirmis & ignaris: ibi per interceſſionem B. Patris noſtri ab æterno & inviſibili medico, gratis medela tribuitur infirmantium: per eam prorſus naufragi atque exſules priſtinam redeunt ad patriam.

a

Lampas jugi manat oleo.

43. Prætermiſſis igitur ceteris, in quibus poſt paullulum, ut ſuprà pollicitus ſum, operam dabo; nunc de illa lucerna, quæ ante ſepulcrum Beati ſuſpenditur, breviter dicam. Fertur à miniſtris oleo ſemel fuiſſe impleta & exundante ſancto liquore[b] multitudinem deſuper jugi effundere labe *, ex quo multi perunCti variis pleriſque caruiſſe dicuntur infirmitatibus. Et hoc non ſine admiratione fatendum, quòd ſemel tempore veſpertino Sacerdotalis cœtus, dum Divinis canticis perſonaret, repentè ictu fulmineo cæleſtis flamma lucernæ fomentum percutiens, cunctis intuentibus lumen præbuit mirabiliter, & numquam deinceps fulgorem amiſerit, quam Divino miniſterio uſque hodie inſtinctum fovet pabulum.

b

* *f.* lapſu

44. His geſtis clariſſimi viri, etſi indignis quibus explicata ſunt dictis, nunc tempore congruo terminum dare diſponimus, ori manum imponimus, introrſus ad conſcientiam redire feſtinamus. Et quidem quem imitari non poſſumus, Patronum nobis fieri poſtulemus; ut ſuis meritis adjuvemur, cujus natalitia celebramus, eo opitulante, qui cum Patre & Spiritu ſancto vivit & regnat Deus per omnia ſæcula ſæculorum, Amen.

a DOMIO Abbas *Baſilicam illam maxima ex parte ampliâſſe* dicitur ab alio Auctore anonymo coævo. Hinc Johannes Bollandus ſuſpicatur hujus Vitæ ſcriptorem fuiſſe ipſum Domionem, qui nomen ſuum modeſtiæ causâ reticuerit. Verùm ex libro ſequenti Miraculorum quem Bollandus non vidit, conſtat num. 3. alium tum temporis præfuiſſe Abbatem.

b Clariùs Scriptor vitæ brevioris: *Et exundante multitudine olei quod deſuper labebatur in terram, multi perunCti, de infirmitate ſua exuti ſunt.*

AN. CHR. DC.XLIV. JAN. XVII.

LIBER QUARTUS.

Complectens Miracula poſt S. Sulpicij obitum facta, eodem Auctore anonymo, ut ex num. 1. conſtat.

1. INSTAURAT noſtra molimina ad murmura renovanda B. SULPICIUS, dum vitam virtutibus probat. Quamvis lege obitûs depoſuerit carnem, tamen ſine carne ſuperſtes adhuc cernitur atque tenetur, quærenti adſiſtens, & ſe numquam abſcondens precanti. Et quoniam pollicitum me dudum in parte ſuperiori, quam de vita ipſius illuſtris Patroni indigno edidi ore, vobis fuiſſe reor, ut de inſignibus miraculorum, quæ poſt ſiderea penetralia fultus triumphator egregius geſſerit, brevi ſermone plura perſtringerem; nunc tempus adeſt de tanta mole potentûm virtutum exiguam ſaltem contingere partem. Quamquam univerſos fines ab ejus virtutibus acſi ſolis ſplendor miraculorum claritas refulſiſſet, tamen è multis geſtis pauciſſima tangam, ſcilicet non ornato politóque ſermone, ſed cauſis manifeſtis obſtupendíſque laudes aggrediar extollere tanti Patroni, & qualis ſigno virtutis primo claruerit, in fronte lectionis prætexam. *Ex MS. cod. Sulpiciano & Philippi Labbeo.*

2. Dum arte quorumdam opificum erga tumulum glorioſiſſimi viri, penetralia quæque opere celeri decoris gratiâ explerent, uti rutilante bractea, vel diverſorum coloribus lapidum refulgeret; ardentíque deſiderio labori inſiſterent jugi; dúmque unius diei ſpatium de patientia vel miraculis ipſius Sacerdotis, quæ in corpore Deo placito geſſerit, mutuò conferentes, peregiſſent jejunando diem, vigilando tenebras, tempus utrumque duxerunt, itaut facto mane canerent cum Propheta: *Oblitus ſum manducare panem meum à voce gemitus mei.* Et arripientes opera adſueta, talibus dictis preces fuderunt: Dei ſacer Sulpici, adeſto jam reviſere celeriter gregi derelicto, quem quondam pió affectu foviſti, & animas quas ob tui amoris contemplationem heſterno die jejunare feciſti, hodie jam refice feſſas. Necdum preces compleverant, & ecce inter marmorum fragmina reperiunt aureum * probum, in quo Cæſaris antiquiſſimi manebat expreſſa figura. Exſultantes ſubitò ac trementes, nemo interea audet cæleſtia attingere dona. Tandem indicant Monaſterij Patri; tum ille concito properat curſu, & cum Sacerdotali cœtu levat cęleſtia cum canticis dona. Jamque ſalutis perceptâ unciâ indulget ſanè in refectione artificum, reperit fermè pondus medij ſicli. Dum tumulus ornatur, aurum repertum. *Pſal.* 101.6. NOTA. * nummum

3. Cúmque ſalutis humanæ velut lucerna in ſublimi poſita fulgens, gratia reluceret, & penetralia urbis rumoris flamma luſtraret, ecce ſubitò Maurinus cæcus de Maceriaco fundo, dum præcedente duce infra mœnia ſtipem quæreret, ubi talia comperit, curſu veloci magis pendente de latere duce, quàm fronte præcedente properat, & ubi veneranda requieſcunt membra proſtratus occumbit, & mox de illo vaſculo ante tumulum B. Sulpicij ſuſpenſo, liquore huic cæco litis oculis cœperunt reſerata pateſcere lumina, & infuſa paullatim adſueſcere lucem, quam ætas amiſerat terrena. Et ſentiens percepiſſe egregia lumina, tantæ gratiæ fama reſperſit ubique per ora. Nam SENECEM quemdam de ordine Levitarum Monaſterij Pater qui hodie ſupereſt, ut ab ipſo didici, junctis comitibus fovit, à Monaſteriolo, quod SORBARIUS * dicitur, digreſſum; cui obducta nube oculorum latebat viſus, & infuſa tenebris fermè triginta per annos macularum tegmina privaverant luce. Ubi ſe miſerum clamitans Abbatis obtutibus intulit, tenui liquore oculis infuſo, ilicò tegmina ſuſpenſa, & vix fugata, didicit jam redditam captivam cernere lucem. Viſum recipiunt cæci. * *ignotum*

4. Poſtquam virtutum opus celeberrimum cœtu mœnia compleviſſet, certatim occurrentes cuncti, quorum vel mentes dæmones, vel corpora morbi obruerant, orantes medelam membris, hi greſſus ſtabiles, hi ſenſus recipientes, Quidam à dæmone liberatur.

AN. CHR. DC. XLIV. JAN. XVII.

exſultantes abibant. Præcipuè tamen è cunctis quid in uno Landegiſillo nomine, quem dæmonum turba totum captivum jure tenebat, per interceſſionem famuli ſui Chriſti contulerit gratia, dicam. Dum acerrimè more venantium bacchans, nemorum quodam die efferus ſecreta luſtraret, dæmonum telis improvidus ceſſit repentè, pectúſque fædatum legionum effecit templum, eúmque ſocij tandem Petulco reperiunt, nec valent pauci vincere furentem, qui cunctis debacchans, dentibus frendens, venenato ore efficiebatur ſodalium hoſtis. Interea undique vallatum catenis muniunt, tetrum ad urbem provehunt, ad locum pertrahunt tumuli ſacri. Tum dæmonum phalanx per obſeſſum corpus in modum organi varias exprimit voces, & nunc vibrans venena, ſerpentis ſibila perflat. At ubi ante ſacrum ſepulcrum ventum eſt, inter trahentium manus adjutus, dæmonum ope ſolutus, ferreis nodis ſepta ſancti ſepulcri ut penniger repentè tranſiliit. Nec mora, hoſtis enixiùs cœpit ſævire jam proditus, frendere maxillis, dentes nudare minaces, ingentem exercens morſibus iram, dum fugiunt trepidi, nec quiſquam obſiſtere audet. Quid moror? ubi tegnum* ſancti corporis molitur conſcendere, tactum è manibus noxiis artus nervique cœperunt rigeſcere protinus; & colliſus repentè poſt tergum terram corpore preſſit. Turbantur cuncta tumultu, ſpargens innumeros per credula corda pavores: ilico is cui officium erat, excurrit ex dicto liquore perfundere ſemianimem, & ſubitò ejecta dæmonum turba, per triduum contexuit ſolum. Tandem quaſi à ſopore excitus gravi, in ſemet paullulum reverſus, quidnam ſibi ignorans feciſſet acceſſum à ſociis percunctatur: & geſti notam agnoſcens, longa de pectore trahit ſuſpiria, & confeſtim advolutus genibus Sacerdotum, orat ut non ſolùm mentis, verùm quantociùs ſæcularem deponeret habitum: & arrepta forcipe, capitis ſui propriis abſcidit cæſariem manibus, mentéque alacri repedavit domum, & (ni fallor) incolumis hodie ſupereſt.

* *f.* tegmen

Impotentis membra firmantur.

5. Nec multùm ſanè poſthæc miracula fluxerat tempus, & ecce ab agello Prugnius plauſtro advectus ſe protinus offert, cujus languor cuncta diſſolverat membra, vitámque tenebat jam pœna ſuperſtes; & precibus projectus talibus orat, ut ſi non languoris crudelis ſarcinæ, vel vitæ finis finem faciat cruciatibus tantis. Sub quo languore bis ſenis currentibus menſibus, in atriis degens, augebat quotidie dolor, macerans ſine fine cruores. At ubi nihil medelæ afflictum corpus ſentiret, & deteriora prioribus poſteriora ſuccederent, ad ſuam molitur repedare domum, inter ſuorum dumtaxat efflare ſpiritum manus. Et cùm propinquorum humeris ulníſque evectus, ad locum ubi ſacrum corpus evectantium humeris quondam ſepoſitum fuerat ventum eſt, ilicò ſenſit quiddam in ſe veniſſe ſupernum: & confeſtim inter brachia ſuſtentantium depulſus fugatur morbus, & priſtino venæ ſubitò replentur humore, extentáque crura, arentes penetrat cæleſtis benedictio artus, & rigat exhauſtas divino rore medullas. Quid multa? Saliens æger pavore concutitur nimio, adytis refugit. Videntium turba interrogat: Quem tibi terribilis viſus concuſſit corde pavorem, cùm læti ſermonis gratia placet? E cæli, inquit, ſolio rerum omnium Pater mihi talia tribuit. Tum per mediam mirantis populi turbam abibat, humeris fortioribus ſuam ſupellectilem vectans.

Arrepticia liberatur.

6. Nec longo pòſt tempore de Baguriaco fundo, qui eſt in conſpectu Baſilicæ Sancti, uxorem ſuam quidam arreptam immundo ſpiritu, ardenti fide ad limina templi projicit, & his verbis intulit preces: Te, inquit, exoro, Antiſtes beate, Angelorum conſors, hominúmque ſalus, horribilem propellas de uxoris corpore morbum, reddáſque mariti natorúmque tenerum ſolatia vitæ. Nam curſus lunæ eadem torquet dæmonis arte, & dejectam in liquidas projicit undas, aut miſeram ſæpe volvit in ignem. Tunc ubi vinctam ante ſepulcrum glorioſum fecit ſtare colliſam, repentè procubuit ſimul convulſa venena. Ilicò dæmon purgato corde fugabatur. Tunc vir exſultans cum uxore, mente alacer domi remeat ovans.

7. Exin quidam à Seſedomno colonia, quæ duodecim milibus fermè à Baſilicæ atriis diſtat, vinctus offertur in templum, cujus ſpiritus acer mentem immundam impleverat, lacerans virtute furoris quoſcumque attingere valuiſſet: nec poterat rapidum quiſquam retinere furentem, niſi ferreis vinculis catenarum, & niſi à pluribus comprimeretur, inter manus trahentium vincla quæque rumpebat, & obvios quoſcumque laniabat. Cùmque dura cervix dæmonum adſtricta habenis orationi procumbere reluctaret, vi Sacerdotum & vulgi à quo ſequebatur oppreſſus, oleo ſancto perfuſus, ilicò ab eo acerrimus abiit dæmon, & ſeſe gravi pondere diſcuſſus, admirans exſultabat jam ſoſpes de donis ſupernæ ſalutis. Interea gratia plebis ſalúſque veneranda micabat, cuncta per ora fulgens dilatavit fama. Aderant populi hinc inde ruentes, complebant tecta, avidíque atria petebant: & cùm ſe innumeris cœpiſſet ſublimis Antiſtes ſignorum prodere miraculis, paſſim implebantur cæleſtia horrea farre, & per omnem terram melliſonis linguis præſentia Chriſti per tanta miracula terras illuſtrare credebatur, itaut cum Propheta plebs univerſa clamitaret: *Viſitaſti Domine terram, & inebriaſti eam.* Denique languoris tabe pereſus, diverſis malis nexus, certatim reddebat miranda gaudia ſanus. ANN. CHR. DC. XLIV. JAN. XVII. Furioſus menti redditur. *Pſal. 64. 9.*

8. Inter quos ecce ſub religionis habitu quidam Aurelianorum à finibus, quem totum obſeſſo fædaverat corpore lepra, horrida contexerat viſcera tabes, ad veneranda procubuit Antiſtitis membra. Precatur avidè tandem ut careat languoris pondere tanti, ſemet interea poſcit liquore perfundere ſancto: unctúſque lurida membra renovari paulliſper ſuam carnem miratur, niténſque cutis æquiparat gratiam puerorum, & ita demum exſultans properat reviſere incolumis patriam. O verè beatum per omnia virum, qui cùm ad aſtra volans cuncta tranſſcenderet ſidera, tam ſedulo ſtudio fovit Eccleſiam: Superna penetrat, terrena illuſtrat; in cælis regnat, & hîc triumphat. Leproſus curatur.

9. Nam ſub tenebris ab utero degens quædam puella, cùm parentum aures ob deſiderium lucis inflammaret, ſublimis famæ rumore comperto, eorum viſcera concutit jurgans. Cùm omnium, inquiens ſiderea dona variam morborum ſuffragiis B. Sulpicij medelam diſpertiunt, cur denſa caligine ſepta infelix reſideo truſa? Obſecro, inquit, evehite me ad ſepulcrum hominis Dei. At illi properant cum orbata quantociùs ad tumulum ſanctum, ubi projectam alligant tremulas inter ſuſpiria voces, pallentéſque rigant lacrymarum flumine malas; ſuffragia poſcunt fideli cum gemitu corde. Cæca videt.

10. Raris interea diebus excurſis, ex neceſſariis unus alumníſque Pontificis pænè omnium civium carus & notus, quem febris juge lege recurſa ad quartum reditura diem, ita ſemper reditura diem, ita ſemper repetendo ruinas conſumpſerat, ut afflictum corpus nihil medelæ ſentiret, dum ſtrepitando terræ proſtratus ventura patitur die: hæc * verò ſolo adhæſa, ſalutis ſuſtinet dona futuræ, adſunt utriſque ſubitò ætherea dona, & dum membra dolore feſſa proſtrata gemunt, dantur afflictis ſolatia vitæ. Iſte ſenſit paullatim mollito corpore ſuis medelam infundere venis: Hæc verò à tactu liquoris ſuſpenſa tegmina macularum, vix amota oculis, didicit jam reddita luce ferre acies, luménque novum mirata recepit; uterque jam ſoſpites redierunt ad propria læti. O atque utinam noſtri cordis tenebras medicina Patroni fugaret, & antiquam rurſum noſtram infunderet lucem! Febricitans convaleſcit. * cæca

11. Nec ſanè prætereundum eſt quòd juvenis quidam ad ſacrum dehinc ſepulcrum offertur, cui ſævitiâ dæmonis rapta fuerat visûs auditúſque ſubſtantia. At ubi perunctus eſt oleo, propulſus fuit de pectore dæmon. Sanè redierunt officia ſensûs, & rudis homo in ſermonibus, è quibus per duodenos ferme annos neque unum aures penetraverat ejus, per magiſterium comitum puerilia verba redactus quaſi in cunabulis fari nitebatur: & ita recepta dona ſalutis, permanſerunt in officio membra. Sermo & auditus cuidam conceduntur.

12. Exin Doda quædam ex Nevernenſium mœnibus, diverſorum humeris Contracta curatur.

AN. CHR. DC. XLIV. JAN. XVII.

evecta, cujus ita nervi marcuerant, ut genua genis, & plantæ adhærerent natibus, ubi curvato corpore, & conglomeratis artubus, illata ſepulcro manibus ulnísque trementibus adytis penetralia tangeret, medelæ cui cuncta deferant auxilia, ſancto perfuſa liquore, citò illabitur ſalus, & repentè artubus extenſis, paſſim greſſibus reſtitutis, bina per luſtra preſſit veſtigiis tellurem. Receptáque priſtina ſoſpitate nullo indigens adminiculo, ad ſuum remeat diverſorium. O verè ſine fine miſeratio prompta! qui in corpore poſitus mente humili diligebat omnes, nunc in cælum triumphans ſpernet nullum.

13. Nam quemdam ex Sapaugia pago, horrido morbo intexerat lepra, cuncta inficiens maculâ tegmina carne, & denſas ſparſerat in corpore vitiato guttas. Quem cùm ſanorum faſtidia abhorreſcerent, opinione agnita quæ Chriſti gratia per omnes ſparſerat fines, cupiens corpus fædatum de unguento ſancto habere linitum, curſu properans concito, inter populorum catervas adytis penetrat, & ante glorioſum ſepulcrum ſuper pavimento membra proſternit. Tum oratione præmiſſâ, exeſa carne oſtendit horridam cutem: & ſemet aptans ſub exundante lucerna, ſenſit à tactu ſucci, divini muneris dona, remeare raptim per membra ſalutem, & diſpergi celerem renovatam in carne nitorem. Tum ſanatus æger attollens ad ſancta myſteria vultum, grates refert pro tantæ dono ſalutis; conſpicatur ſuam cutem, & miratur niteſcere jam ſanam numquam ab eo fuiſſe tam præclaram.

LIB. V. Mulier oleo ſacro peruncta ſanatur.

14. Jam ſemel prolata in laudem tanti Patroni quidnam lingua ſiles, cùm tibi per interceſſionem glorioſi Antiſtitis, quamvis robur adſit, fontem virtutum ejus fatendo vacuare non vales? Ergo vel quantum vales age, & in ſanctam Domino committe favillam, ut rigor ingenii Chriſto adſpirante tepeſcat, & glaciem cordis Sulpicii oratio ſolvat. Nam ut præter ea obſcura quæ erga humiles geſta ſunt non taceam, certè quia nequaquam latent quæ erga CONSORTIAM quamdam eximio perfunctam honore, parentibus claram celſámque ſæculi dignitatibus, uxorem ESONIS, qui quondam culmine moderaminis Galliarum partem rexit, geſta ſunt: quæ etiam ipſius Sacerdotis caritatis lege ob probitatem morum cariſſima fuit. Nam cùm Maſſiliæ mœnibus conſumpta gravi morbo teneretur, atque omni motu torpentia membra cum officiis caruiſſent, jam carnem relinquens ſpirabat tenuis flagrante in pectore flatus. Pallebant vicina morte propinqui, arentes artus lacrymarum fonte rigabant. Interea irrumpit à proforibus quidam, & ſecum de oleo lætitiæ noſtræ parvum liquorem detuliſſe fatetur. Cúmque turba plangentium Deo gratias laudéſque de dono ſuperni muneris reſonaret, protinus allato liquore totis compagibus irroratis, propulſo vitiati fellis morbo, veterem expellit ſubita virtus dolorem. Reddita eſt igitur à corpore fugato veneno priſtina virtus. Et mox mirante populo mulier valida ſurgit, & ſtabiles greſſus divino munere ſiſtit, dat laudem Domino per ſancta altaria Chriſto.

Oleum in ampulla aſſervatum guttas cælitus emittit.

15. Nam quid feminas ſtudio fideli meruiſſe compererim, quemcumque dabit Chriſtus ſermone retexam. Cùm fidelis quædam, BELLAM nomine, ex Carentomago, flagrante in pectore fide, de dicto ſæpe liquore lenticulam ſuam à Baſilicæ millibus ferme triginta, abſque vehiculo, ſenile jam corpore, ad ſuum diverſorium deportâſſet, & cujuſdam in cellula ſublimiter candidis tecta linteaminibus collocâſſet; ilico cellulam ſacrans, ac venerabiliter donum quod detulerat ibi reponens, jugiter preces & jejunia geminat, excubia omnibus pænè noctibus celebrat. Tandem manibus ulnísque trementibus amota vela parumper attrectat lenticulam, & ecce denſæ refulgent aureæ undique ſparſæ per vaſculum guttæ, & fletum fundens præ gaudio, nunc ſuſpiria longa de pectore trahit, nunc arva corpore premit, nunc ad limina ſatagens, pergit propinquorum dumtaxat evocare catervam: & ne diutiùs morer, quoſdam de Fratribus de Monaſterio eminus ſito converſantibus protinus evocat, geſta cum lacrymis per ordinem fatur. Stupent mirantúrque pariter univerſi, adſpirant ſurſum credentium

dentium corda. Alii interea ſanctum liquorem vertiſſe* in aurum putant, alii induſtriâ artificum auri fragmenta in eodem vaſculo inſerta aïebant. Sed Dei Athletæ ad corda dubia roboranda lenticulam vacuant, liquorem in concava fundunt, infuſáque lymphis curioſiùs mundant, attrectant, nec quidquam ex auro in vitro reperiunt: repleto vaſculo oleo rurſum mirum in modum ſparguntur undique aureæ guttæ, & inſertæ rurſum vitreo crate uſque hodie permanent Fidelium in admiratione, &c. AN. CHR. DC. XLIV. JAN. XVII. * verſum eſſe

16. Nec multum poſt tempus Amphiolinas* prædio ipſius Pontificis quædam femina, cùm torpentia membra, quorum officia morbus diſſolverat acer, ad ejus in grabato evecta ſepulcrum, ex dicto liquore fuiſſent peruncta, nec mora ceperunt cuncta officium membra, & firmatis corporis uſibus ſtratum ſuum ad ſuam domum propriis humeris vectat. Tunc per pectora plebis miracula læta frequentant. Hinc è diverſis partibus certatim orbis agmina conveniunt, multiplicant preces, dat gratia velox optatæ pietatis opem. Lætantur ovantes, laudes complosis manibus ſonant. Paralytica oleo inuncta vegetatur. * *al.* à Phrotinas

17. Nec multùm pòſt à Lemovicorum urbe cæcorum ſe bis ſenus numerus offert in atriis templi, flexóque poplite curvis genibus magno murmure perſtrepunt. Sancta interea penetrant, tumulum vallant, genas lacrymis rigant, pectora verberibus tundunt. Quid multa? Nec mora, cœperunt Fidelium mentes poſt ſpatia longa novam cernere lucem, & paullò ſurgentes atque in ſe agnoſcentes dona ſuperna, prorſus texuerunt corpore arva. Et poſt paucos dies captivis ſplendore oculis infuſo incolumes ad propria repedârunt, &c. Cæci vident.

18. Duo viri ex Turonorum Pictavorúmque mœnibus, caritatis lege connexi; Chriſti juſſa complentes, omnibus renuntiatis ſuis, ad ſepulcrum B. Sulpicii orationis causâ properare crediderunt, ac de Memoria ejus ſuis humeris ardente fide imponentes, Orientalem ſub axem nituntur properare: ut quæ de religionis dogmate vel exemplis Fidelium arripuiſſent, ad ſuam inſtructionem vindicarent. Igitur cùm Maſſiliam aggreſſi, datis naulis his qui claſſibus præerant, puppem conſcendiſſent, & ſulcare jam freta molirentur, & Auſtri mox vento nave inflata, tumente fluctu, laxatis velis volat undique carina. Poſtquam conſurgit puppis in altum, & ad cælum rapidus cœpit pontus ſubtollere montes, interea Chriſti milites, paritérque nautæ, extorres ab arva præcipites ferebantur in altum: & cùm ad litus remigare moliuntur & nequeunt, effigies in quas more patrio Piratæ placare ſueverant, procumbentes exorant, ut ponti pericula mitigentur. Et cùm magis in ira conſurgeret æquor, immenſus hinc inde tumeſceret ventus, ſociis indicant Sancti, ut B. Sulpicii ſuffragia poſcant: forſan ejus interventu placidam ſternet Chriſtus ſub æquore pacem. Actóque repente laterna oleo plena, quæ ſuſpenſa ſiſtebat, divino accenditur miniſterio; at ubi miro ſtupore abſque humana notitia refulſiſſet, & tumente ſucco undis liquor adjectione Divina ſuperlabaret, hærentes nautæ ſummotis auſtris, placita freta ſubitò miteſcere cernunt. Tum illi inter ſe ſe timidis affatibus conferunt, qualis ſit quę tanta ſit ei præmiſſa gratia, ut ſola invocatione nominis ejus, etiam freta concita ventis ſummittant colla. Egreſſi igitur è claſſibus nautæ in Africanum larem, Templum in ejus nomine miro opere extulerunt, in quo ſignorum gratia variis modis Chriſto largiente refulget. Nam quid in ſacrilegis, infidis, Deíque pacta tranſgredientibus, ad ſui famuli gloriam minaci ſeveritate Chriſti contulerit dextera, pauca tangam. Tempeſtas ſedatur. Nautæ in Africa extruũt templum B. Sulpicio.

19. Cùm unus ex Maucironno* diœceſi de fenore ſuo ad quemdã repoſceret, tandem dementi temeritate is cui fenus creditum fuerat, reluctans, abnegat ac mutuata reddere temnit. Utrique jurgant, jusjurandum fenerator ab æmulo flagitat; locum eligit ad ſepulcrum venerabile: adverſarium advocat, viam cum eodem carpit; piè monet, ut indultam partem pecuniæ mediam, aliam ſolvat, & ſub ira cæleſti ne crudeliter ruat. Is autem cui mentem veſania totam captivã jure tenebat, perſiſtit negans, & cùm eminùs oculis infidelibus mœnia urbis circum- Perjuri plectuntur. * *al.* Mauritironno diœceſi, *id eſt* paroecia.

AN. CHR. DC. XLIV. JAN. XVII.

luſtraret, ubi intuitus eſt aulam Regis ſuperni, dentibus infrendens ſerpentis ſibila perflans, poſt tergum alliſus corruit, & protinus efflavit miſer ſpiramina vitæ. Etenim quàm celeri ſuffragio Sancti Fidelium medela diſpertitur, tam velox è ſuperis præcordiis infidelium digna illabitur ultio. Et quia interdum injuſtos juſto tremore divinitus cogit cæleſtis gratia virtute ſentire ſæpe rebelles, ſi nondum præcepta Regum ad verba cogunt.

Clericus dato ſacramento caſtitatem violans punitur. * contemptis &c.

20. Nam quidam adiit quondam Eccleſiæ ſanctæ ſe connectere membris, qui protinus Crucis ſanctæ vexilla ſecutus, contempta * mortalia gaudia, Clericatûs nomine, cùm jura repente arripuit, breve poſt tempus neglectâ militiâ, qui thalami jura ſociámque carnis ſpreverat, ubi laſcivia ſtimulare animum cœpit, craſſatus veneno libidinis, ad ſpurcitiam animo pergit. Ubi is qui illi præerat conſtuprâſſe eum cum ſcorta reperit, angit, verberat, correctum emendare molitur. Jámque cæſum ad Baſilicam evocat, promiſſa elicit, Sulpicius ſanctus proponitur teſtis. Et ne demum nefandæ mulieris amplexibus jungat, pollicetur ſacramentis. Rurſum poſt breve tempus rediviva voluptas ſtimulare animum cœpit. Nec mora, cuncta rejiciens ſacra, in amplexus nuptiarum & vota recurrit, & poſt Clericatûs titulum, nomen nititur capeſſere mariti. Sociatur interim ſcortæ, & captivatus vecors ilicò illabitur tartaro, & ſtimulante eum facinore, fugam cum ſocia arripuit. Et cùm procul jam curſu concito pergerent, ſenſerunt ſubitò ultricem vindictam in ſe veniſſe è cælis: & Divino repentè concuſſi terrore, rigentibus venis, membra humo preſſerunt. Reperti à proximis, tandem in plauſtro advecti, projiciunt ſemianimes in atriis Templi: fatentur peccatum, ſubitò & datur paſſim indulgentia reis. Quid multa? Divinis flagris multatus delictum lacrymis luens, geſſit pœnitudinem diu, & agnita melioris vitæ converſatione, revertenti Eccleſiæ ſinu, lætabatur cuncta fraternitas.

Divina ultio in exercitem violatorem feſti B. Sulpicii. * *pro* recurrente &c.

21. Nec multum pòſt, recurrentem * glorioſi Antiſtitis natalis diem, dum excuteret quidam purgarétque aream, à proximis arguebatur, cur ob metum ſancti Pontificis, cùm placita dies omnium quietem tribueret, ſervile auderet opus exercere ſolus. Non Deus eſt, inquit, ſed homo noſtræ conditionis par Sulpicius iſte. Subitò arentibus venis, obriguit nervorum cuncta compago, & virga quam ſacrilega manu tenebat adſtrictam, repentè & quaſi ferro retruſa fruſtrata innexis conamina gerens, reus pœnitudine ſera cum corpore membrorum ad ſanctum properat tumulum: & quem paullò antè ſuperba mens deſpexerat, nunc enixis vocibus humiliter invocat. Et ubi ſtipante agmine Sacerdotum contractione abſque ſucco manus extendere non valeret, ex liquore laudabili demulſa, paullatim arentes artus venarum humore rigantur, & extenſa manu virga adhæſa procul extimplò reſiliit. Divino igitur verbere cæſus repedavit ſoſpes ad propria & lætus.

[a] Solvuntur vincti & liberantur.

22. Ob ſeditionem quamdam [a] ex Reipublicæ prædio exhibentur vincti in urbe ſeptuaginta fermè, truduntur in vinculis rei, & adſtrictis nectuntur ergaſtula membris. Tunc caligo carceris tetra perfunditur vallo, traxerunt longa reorum ſupplicia membra: conſumpti fame continuata putredinis tabe, exeſa carne cœperunt palleſcere genæ. Afflictis inediâ diſſolvitur paſſim cuncta compago. Quid ampliùs? deferuntur regalia juſſa, ut omnium adſint diverſa ſupplicia. Tunc feralis infamia frendens intraverat urbem, & ſpiritu tenui flagrante in pectore, pallebat infelix ordo reorum, hærebant nexæ per ſqualida colla catenæ, incutiens fractis ſtridentia vincula membris. Statuitur tempus, in quo alij diſtentis

[a] Huc ſpectare videntur quæ refert S. Audoënus in Vitæ S. Eligii lib. 2. c. 14. *Eligius cùm in civitate Bituricâ ad Memoriam S. Sulpicij Confeſſoris oraret, audivit complures nuper mortis ſententiâ damnatos teneri in carcere fiſcali vinctos; interfecerant enim quemdam fiſcalem judicem, & idcirco habebantur in vinculis. Rogat ſe deduci ad eos, ſed cùm appropinquaſſet cuſtodia carceris, mox milites conſurgentes obſtiterunt ei vehementer, nec permiſerunt eum propiùs accedere. Tunc ille mœſtus admodùm indignatúſque animo diſceſſit, & cœptum iter peregit.* Regreſſus ex urbe Lemovica, meritis ac virtute ſua ſolvit reos, qui *ad Baſilicam S. Sulpicij* properantes, oſtium ſponte patefactum invenerunt.

membris mali pendula carne exponerent crucianda; alii artus facibus conſumpti, alii truncati interirent. Interea magis gemitu, quàm ſono verborum ſedulò proclamant ſuffragia Palæſtri noſtri. Tandem reorum rumor pias attigit aures S. Sulpicii, & ſubitò angelicus concutit reorum viſcera terror; mox etiam obſtupefactis ad aures irrumpit attonitas, ſolvuntur catenæ, vincla de collo proſiliunt: & cùm ſeſe rumore placito mutuò exhortarentur, cuſtos carceris eminus, qui obſervabat audito fragore, atra penetrat, reos innexos intuetur & pænè ſpiritum efflat. Et non ſuperno, ſed humano ingenio, aut per carmina mathematica, vincla tanta putans fuiſſe ſoluta, rursùm accerſiens miniſtrum, curioſiùs ſqualida membra circumſepit, nudos artus nectit, clauſtra munit, caput concutit, cædes ante tempus minatur. Interea dies adeſt exſpectata votis, & craſſa caligo urbem involvit obtectam. Grata quies blando ſparſerat ſopore per pectora militum, marcebant oculi ſomno cuſtodum, adſiſtunt humanæ votæ ſalutis: & laxatæ ereptim ceciderunt catenæ, quæ pallentium ſtringebant colla reorum, &c. AN. CHR. DC. XLIV. JAN. XVII.

23. Hæc pauca auſus properè percurrere verbis, ſignavi indoctus populo relegenda fideli, firmare credita grandia gaudia: qui quærit ſcriptum, parum mirabitur geſta. Hoc mirari ſatis eſt, quòd talem Antiſtitem poſt longa urbs Bituricа promeruit tempora, & perpetuo gaudet plebs univerſa patrono, eo largiente, qui cum Patre & Spiritu-ſancto vivit & regnat Deus in ſæcula ſæculorum, Amen.

VITA S. RICHARII ABBATIS CENTULENSIS PRIMI,

AN. CHR. DC. XLV. APR. XXVI.

Auctore ALBINO ALCUINO FLACCO, qui tempore Caroli Magni floruit.

Ex Surio & Pithœo ad MSS. codd. collatis.

OBSERVATIONES PRÆVIÆ.

1. *ANTEQUAM* ALCUINUS *petente* ANGILBERTO *Centulenſi Abbate, accedente etiam Caroli M. auctoritate, S. Richarij * geſta deſcriberet, jam alia ipſius Sancti Vita rudiori ſtilo digeſta cum libro Miraculorum exſtabat, ut ex ſubjecta Alcuini Præfatione conſtat: quam Vitam Alcuinus expolivit intacto Mirac. libro, qui unà cum primaria illa ſcriptione ſeu Vita intercidit. Alcuinus inſuper teſte Hariulfo Monacho in Chron. Centul. lib. 2. * cap. 11.* Antiphonas quoque & Reſponſoria vel Hymnos de eodem Sancto compoſuit, ut magni Patris feſtivitas nihil minus congrui officij habere videretur. Ubi notandum eſt quod quodam in Hymno ipſum Richarium laudando alloquens dicit:

* *S. Riquier* Alcuinus Vitæ S. Richarij ſecundus ſcriptor. * *Exſtat To. 4. Spicil. Acheriani.*

Tu ſtruxiſti Cœnobium
Loco prope Argubium,
Et aliud in Centulo,
Ambo perenni merito.

Quid ſit Argubium, ignoratur. Locus erat ſine dubio prope ſilvam Criſciacenſem, in qua Monaſterium à S. Richario exſtructum eſſe infrà cap. 12. videbimus. In Litteris Guidonis Ambianenſium Epiſcopi lib. 4. Chron. Centul. cap. 22. altaria villarum Argubij & Montis-Eliſij *exprimuntur.*

2. PASCHASIUM RATBERTUM *Corbeienſem Abbatem ſanctitate & doctrinâ clariſſimum putant nonnulli poſt Alcuinum exornandis ſeu amplificandis Richarij Actis dediſſe operam. Certè hoc apud Centulenſes noſtros traditione acceptum creditur: quamquam ne ſatis antiqua ac firma non ſit iſta perſuaſio, omnino vereor. Hariulfus Chronologus Centulenſis mox laudatus, qui anno* M.LXXXVIII. *Chronico ſuo ſupremam impoſuit manum, quidquid in S. Richarij commendationem reperire potuit, in ſuum retulit Chronicon: in quo majoris fidei paranda gratiâ, Auctores ex quibus ſua dicta hauſit, diligenter ſolitus eſt nominare. Alcuinum Richariana Vitæ Scriptorem paſſim commemorat,* Paſchaſius Ratbertus an inter Vitæ Richarianæ Scriptores adnumerandus.

AN. CHR. DC. XLV. APR. XXVI.

Mironis Monachi de S. Richario Verſus in lib. 1. cap. 24. aliòſque Angilberti Abb. lib. 2. cap. 11. citat, necnon lib. 4. cap. 8. ejuſdem Sancti Vitam metricè ab Ingelramno Abbate compoſitam: nuſquam verò Vitæ à Ratberto ſcriptæ meminit. Et tamen opportuna erat iſtius rei commemoratio in lib. 2. cap. 11. dum hæc ſcribit: XIV. Kalend. Junij obiit ALBINUS, qui ALCOINUS, Abbas Levita & Monachus, dictator Vitæ S. Richarij. His quoque temporibus florebat Corbeienſis Abbas S. ADELARDUS, qui nobilitatis & ſanctæ Religionis laude per totam Galliam colebatur. Hujus amator & auditor præclarus emicuit RATBERTUS, qui tanto caritatis fervore erga noſtrates Monachos agebatur, ut ea ipſa quæ noſtris miſit vel ſcripſit, non amoris verba, ſed totum amor & pura dilectio deprehendantur. *(Intelligit Commentarium in Matthæum, de quo infrà.)* Quique cùm ipſius S. Adelardi digereret Vitam; „ Gaude, inquit, Corbeïa, quia cùm „ cetera loca ſancta proprios emiſerint Patronos, Atrebas, Vedaſtum & Centula ſanctiſſimum „ RICHARIUM; tu quoque emittes Adelardum tuum. In quo ſtudiosè conſiderandum, quantâ reverentia extulerit magnificum Paſtorem & Patronum noſtrum, quem cum adjectione ſuperlativa nominavit, cùm illum inſignem Epiſcopum Vedaſtum nudo nomine deſignare contentus ſit. Fecit hoc ob aſſidua miraculorum quæ apud nos gerebantur magnalia, fecit & ob illam revera ſanctiſſimam ejus vitam, quæ non tam ſancta quàm ſanctitatis ſpeculum utique comprobatur. Hic ad noſtri Monaſterij Monachum GOLLANDUM ſcripſit Expoſitionem ſuper Evangelium Matthæi, tanti pendens Centulenſes, ut ſua eis mitteret ſcripta, quatenus eorum judicio deberent cum auctoritate quaquaversùm proferri. *Hîc probare modis omnibus nititur Hariulfus, quanti Ratbertus fecerit B. Richarium ac Monachos Centulenſes. Quis non videat aptiſſimum huic rei probandæ argumentum eſſe Vitam S. Richarij à Ratberto ſcriptam, ſi eam agnoviſſet? Et quidem iſtius opinionis à poſteris conceptæ originem videre mihi videor in relatis Hariulfi verbis:* Fecit & ob illam revera ſanctiſſimam ejus vitam, *quæ de Vita S. Richarij à Ratberto ſcripta quidam malè interpretati ſunt, in his* JOHANNES *de Capella Preſbyter & Curatus de Honneu, qui* mandato & juſſu Reverendi in Chriſto Patris ac domini D. EUSTACHII Divina permiſſione Centulenſis Abbatis, anno Domini M. CCCC. XCII. menſe Maij, *inchoavit* Chronica abbreviata * ſuper geſtis & factis dominorum ac ſanctorum Abbatum hujus ſacri Cœnobij ac ſacratiſſimæ Eccleſiæ Patroni (*inquit*) noſtri S. RICHARII de S. Richario, Ambianenſis diœceſis, Ord. S. Bened. ad Romanam Eccleſiam nullo medio pertinentis. *Sic enim Iohannes ille Auctores qui S. Richarij geſta litteris proſecuti ſunt commemorat:* Cujus vitâ deſcripſerunt quatuor excellentiſſimi Doctores, quorum primus fuit Magiſter ALBINUS ALCUINUS nationis Anglicanæ, Doctor & inſtructor Caroli M. qui impetravit Univerſitatem Pariſienſem. Secundus deſcriptor fuit PASCHASIUS ſollemnis Doctor & interpres legis Divinæ, qui pòſt fuit Abbas Corbeienſis & appellatus RATBERTUS ſanctus. *Tertius fuit INGRANNUS Monachus hujus Cœnobij & de Centula oriundus, &c. Quarti deſcribentis Vitam & geſta S. Richarij nomen ignoratur, quia deſcripſit Chronicon in lingua materna. *Menardus noſter in lib. 2. Obſervat. in Martyrol. Bened. ad diem 26. April. de S. Ratberto agens, recitat fragmentum Vitæ S. Richarij manuſcriptæ, à nobis infrà examinandæ, in hæc verba:* Quantâ itaque extunc & deinceps auſteritate B. RICHARIUS vitam duxerit, quámque fortiter ſua membra mortificaverit, preſentis opuſculi teſtatur narratio, à Reverendis viris RATBERTO Abbate, necnon Alcuino Albino ſtudiosè deſcripta. *Tam pertinax mentio de Richariana Ratberti Vita animum excitavit ad diſquirendam tanti viri lucubrationem, ſicubi deprehendi poſſet. Apud Centulenſes noſtros ejus apices nulli habentur. In præclaris Corbeienſis Bibliothecæ reliquiis MSS. plura ſuperſunt de Sanctorum geſtis volumina: in uno exſtat S. Richarij Vita Alcuino quidem inſcripta, ſed multis aucta interpolationibus, quas poſt Alcuini fetum genuinum referemus. Hac Vitâ inſpectâ venit in animum, eſſe ipſiſſimum Ratberti opus. At re attentiùs conſiderata conſtat, nihil aliud eſſe quàm Alcuini narrationem, auctam inſiticiis relationibus Chronographi Centulenſis Hariulfi: qui cùm Ratberti de S. Richario lucubrationem ignoraverit, non ipſe ex Ratberto, ſed anonymus quidam (quem Interpolatorem Corbeienſem in conſequentibus appellabimus) ex ipſius Hariulfi verbis vulgatum Alcuinum interpolavit. Cùm ergo nec Iohannis de Capella, nec anonymi à Menardo citati auctoritas tanti eſſe videatur, (quod de iſto anonymo infrà demonſtrabimus) ut S. Richarij vitam à Ratberto ſcriptam eſſe nos cogat fateri; traditioni quidem honorem habemus, ſed tamen incertum erit ſemper hac de re judicium, donec oculis res facta fuerit exploratior.*

* *nondum edita*

* *Ignatius-Ioſeph Carmelita Excalc. in lib. 1. Hiſt. Eccleſ. Abbav. Ilëſ. cap. 82. tertio loco ſcriptorem nominat S.* ETIKIUM, *qui* tam in proſa, quâ in cantu *Vitam S. Richarij compoſuerit. Sed unde id hauſerit, quiſve fuerit Etikius ille, nondum addiſcere licuit.*

3. *Poſt Alcuinum & anonymi Corbeienſis interpolationes adducimus* INGELRAMNUM *ſeu Angelramnum nuſquam editum, primùm Monachum, deinde Abbatem Centulenſem ineunte ſæculo XI. qui* præcipiente ſibi venerabili ſuo quondam Magiſtro Domno ſcilicet FULBERTO Carnotenſi Epiſcopo *(inquit Hariulfus in Chron. lib. 4. cap. 8.)* almiflui Confeſſoris Chriſti RICHARII Vitam ab antiquis compendiosè deſcriptam, verſu heroïco jocundiorem fecit, nihil pænè extrinſecùs addens, ſed eumdem ſenſum per omnia repreſentans. *Ingelramnus Carmen ſuum diviſit in libros quatuor. In primo purum putum Alcuinum (ſi metri formam excipias) exhibuit, ut Capita Capitibus conferenti perſpectum erit. Cur verò Ratbertum, ſi fortè de Richario ſcripſerat, prætermiſiſſet? In ſecundo ac tertio libris Miracula S. Richarij ab vetuſto Auctore exarata, in quarto Relationem S. Richarij verſibus reddidit.*

4. *Ingelramni hiſtoriâ Relationis in Benedictinum Sæculum v. rejectâ, ſola Capitula librorum ſecundi ac tertij repræſentamus. Cùm enim exhibeamus antiquum Scriptorem Miraculorum quæ Ingelramnus verſibus cecinit, ſuperfluum viſum eſt toties eadem recantare: ſed Ingelramni Capitula librorum ſecundi ac tertij edidimus, ut ipſius cum veterrimo illo Mirac. Scriptore conſenſus appareat. Porro antiquus Mirac. conſarcinator opus ſuum in libros partitus eſt duos: in primo miracula ante ſæculum nonum facta commemorat, & fortaſſe ea ipſa quæ jam ab alio Auctore ſcripta Alcuinus in Præfatione à ſe lecta & intacta dicit. In ſecundo libro refert ea quæ ſuo tempore, hoc eſt anno* DCCC. LX. *ac ſubſequentibus contigerunt.*

AN. CHR. DC. XLV. APR. XXVI. Libri duo Mirac. S. Richarij.

5. *His inſuper legimus aliam S. Richarij Vitam in apographo Centulenſi, ex quo Menardus noſter quoſdam verſus de Ratberto ſuperiùs adductos excepit. In iſta Vita Anonymus affirmat relationem ſuam eſſe ipſammet Ratberti & Alcuini narrationem. Sed quæ præter Alcuini dicta refert, nec probare, nec Ratberto tribuere eſt animus. Quippe Richarij ſtemma gentilicium ex Raganario Chlodovei Magni fratre per Alquarium ipſius Raganarij filium Ducem Pontivenſem deducit. Romanas Richarij peregrinationes duas ad Iohannem cognomento Mercurium & ad Silverium Pontifices deſcribit, aliáque nonnulla, quæ tam à veritate, quàm à Ratberto aliena eſſe certiſſimum eſt. Hunc anonymum non ſemel nomine Interpolatoris Centulenſis, ut ab Interpolatore Corbeienſi diſtinguatur, refellemus.*

Interpolator Centulenſis.

6. *S. Richarium* VI. *Kalend. Maij memorat præter* Wandalbertum *Vſuardus his verbis:* In Pago Pontivo S. RICHARII Preſbyteri & Confeſſoris. *Pontivenſium regio, vulgò* le Ponthieu, *tractus eſt Picardiæ intra fines Ambianenſium, Morinorum & Neuſtrianorum, cujus tractûs caput Abbavilla,* Abbeville, *à qua duabus leucis Orientem versùs diſtat Centula ſeu Centulum opidulum, ubi Centulenſe Monaſterium, utrumque nunc S. Richarij* nomine inſignitum, ad Scarduonem rivulum, quem loci incolæ vulgari nomine* la riviere aux Cardons *appellant. Magna fuit quondam iſtius Cœnobij dignitas, præcipuè à tempore S. Angilberti Abbatis, qui in ſuo Cœnobio* Monachos trecentos, centúmque pueros inibi erudiendos, *ac Laudem perennem inſtituit*. Illic floruêre Abbates dignitate ac religione præſtantiſſimi, S.* ANGILBERTUS *Caroli M. gener, qui tres Eccleſias* Laudi perpetuæ, primam in honorem S. Salvatoris ac S. Richarij, alteram S. Mariæ, tertiam in honorem S. Benedicti conſecravit;* NITHARDUS *Angilberti filius ac ſucceſſor aut certè Ludovici, ſi Petavio in Sintagmate Nithardi credimus;* HELIZACHAR *poſt Helricum* Abbas ſanctiſſimus; *poſt Ribbodonem* LUDOVICUS ex regali proſapia oriundus; HRUODOLFUS glorioſiſſimi Regis Caroli, *Calvi ſcilicet,* avunculus; *atque (ut taceamus Heligaudum ex Comite Monachum & Abbatem, ac Guelfonem* Abbatem ſanctiſſimum) KARLOMANNUS *ipſius glorioſiſſimi Regis Caroli filius. Paullò poſt regimen Karlomanni dirutum eſt à Barbaris Cœnobium: cui reſtaurato poſt Ingelardum Corbeiæ Monachum præfuit* INGELRAMNUS *rebus piè ac præclarè geſtis, immò & prophetiæ dono clarus; ac* GERVINUM *virum ſanctitate eximium habuit ſucceſſorem. Ceteros mittimus ac Monachos pietate inſignes, in his* ANSEGISUM *ad Nicolaum Papam à Carolo Calvo legatum*,* HIEREMIAM, *qui poſtea Senonenſium Antiſtes fuit, &* ODELGERUM *Monachum, quem Hariulfus in lib. 4. cap. 10. magnopere commendat. Ceterùm hodie quoque non ignobile eſt S. Richarij Monaſterium Centulenſe à Noſtris inhabitatum & excultum, cujus primordia à B. Richario circa annum* DC. XXV. *jacta eſſe credimus. S. Benedicti Regulam illic à primordiis aut certè non multo pòſt viguiſſe ex eo conſtat, quòd Centulenſi Monaſterio præfuerit tertio loco Coſchinus Abbas Gemmeticenſis Cœnobij, quòd Inſtituto Benedictino ab origine addictum fuiſſe ex SS. Filiberti & Aicadri Abbatum Actis perſpicuum eſt.*

Richarij mentio in faſtis ſacris.

* S. Riquier

* *Hariulfus in Chron. lib. c. 13.*

* *ibid. c. 8.*

lib. 3. c. 22.

ibid. c. 14. & 20.

PRÆFATIO ALCUINI
AD CAROLUM IMPERATOREM.

1. DOMINO *ſemper venerabili, ſempérque deſiderabili, piiſſimo ſanctæ Eccleſiæ Tutori, gratiâ Dei ſemper Auguſto* CAROLO, *veſtræ Excellentiæ perpes amicus* ALBINUS. Remorante veſtræ Excellentiæ pietate in loco ſancto & meritò venerabili Centula, cùm & ego veſtræ gloriæ ſervus, veſtræ pietatis ibidem proſecutus veſtigia aliquantiſper commorarer, oraverat meam parvitatem vir magnus in Chriſto Domnus & venerabilis Abbas ANGILBERTUS [a], quò in laudem Conditoris, qui mirabilis ſemper apparet in Electis ſuis, quemdam libellum ſtilo ſimpliciori

Albinus S. Richarij tam expolit, petente Angilberto, immo & Carolo M.

[a]

[a] Angilbertus ad Superos tranſit anno DCCC. XIV. duodecimo Kalend. Martias, quo tempore de eo agemus. Lege Notas infrà.

AN. CHR. DC.XLV. APR. XXVI.

digeſtum de vita ſanctiſſimi ac verè magnifici Confeſſoris RICHARII cultiùs adnotarem. Dúmque exauditis continuò precibus ejus, quæ ipſi Divinæ majeſtati exaudibiles & caræ noſcuntur, eumdem mihi exhiberi libellum petîſſem, non parum miratus ſum, cur tanti nominis Confeſſor, quem tantarum virtutum operatorem eſſe conſtabat, quémque priſca fama in miraculorum patratione poſt ipſos Apoſtolos nulli ferebat ſecundum, tam modico geſtorum volumine potiretur. Idque mihi ſtupeſcenti innotuit jam dictus memorabilis vir Angilbertus ac ſpirituales Fratres ejuſdem ſancti loci, haberi apud ſe, quin & apud diverſas Eccleſias, codicem alium grandioris quantitatis, in qua ſcilicet illa miracula [a] legebantur, quibus non immeritò ſanctum Chriſti Confeſſorem omnis Gallia attollebat. Cujus ſimplex & minùs polita locutio, quia Fratribus ad recitandum in populum apertior videbatur, ſufficere ſibi eamdem deſcriptionem conſenſerunt. Dúmque in iis quæ rogabant prænotandis jamjámque animos applicarem, repentè veſtræ pietatis nuntio ſum conventus, uti ea quæ tractabam ſic notarem, ſicut revera veſtræ ſapientiæ auribus inferenda. Hinc ego vocato Notario & fixo præ oculis jam dicto libello, ea quæ referre videbatur de converſione, de moribus, de continentia & ſanctitate verè incomparabili, necnon & glorioſo tranſitu ejus ad Chriſtum, ſeu de relatione pretioſi corporis in locum priorem, dictatu admodùm compendioſo, titulo Vitæ beatiſſimi Patris Richarij aptavimus: & niſi propriâ decipior imperitiâ, veluti pretioſum obrizum veſtræ prudentiſſimæ ſapientiæ ad ornandum diadema Chriſtianæ Philoſophiæ, fide humili devotiſſimè commendamus. Et quia in veſtri pectoris cubili glorîam Chriſti, & Sanctorum ejus honorem regnare cognoſcimus, hanc noſtri tam beati opuſculi Præfationem veſtræ in Domino beatæ honorificentiæ dedicamus.

[a] Liber Mirac. S. Richarij.

a Excidit liber iſte Miraculorum, quæ eadem à poſteriori Scriptore Miraculorum inferiùs evulgato in libro I. relata eſſe ſuſpicamur.

* *Hoc diſtichon non eſt Alcuini.*

* *Geſta Sacerdotis magni tenet iſta libellus*
RICHARII, *cujus Centula corpus habet.*

CAP. I. Richarius Pontivenſis.

IN EMPORIBUS glorioſiſſimi Regis Francorum DAGOBERTI [a], qui & ſæculari poteſtate præclarus, & Chriſtiana religione nobilis effulſit; (nam Optimates ſuos dignitatibus exaltavit, & ſervos Dei honoribus excoluit) in illis, inquam, diebus plurima ubique Monaſteria à ſanctis Patribus cœperunt conſtrui: necnon & multi ex Laïco habitu viri religioſi inventi ſunt. Ex quibus RICHARIUS quidam, natus in villa Centula provinciæ Pontivæ *, velut lucifer inter umbras oriens emicuit, non tam nobilibus juxta ſæculum parentibus ortus, quàm moribus honeſtus & omni probitate devotiſſimus: itaut in ruſtica vita quędam præſagia futuræ ſanctitatis gereret.

[a]

* *Le Ponthieu*

II. Caidocum & Frichorium excipit.

Contigit autem illo tempore [b] duos Sacerdotes ſanctitate florentes & vir-

[b]

a Cave putes Dagoberto regnante natum eſſe Richarium, qui ætate jam provectus ipſum Dagobertum apud Centulam excepiſſe dicitur infrà num. 11. Lege Chron. Centul. lib. 1. c. 5. Floruit igitur Richarius Dagoberto Rege, ortus nobili genere, quod quidem ex Alcuino non obſcurè, ex Angilberti verſibus poſt Vitam referendis clariùs intelligitur. Neque hîc audiendus Interpolator Centulenſis in Obſervat. præviis num. 5. deſignatus, aliíve poſt eum, qui Richarij genus derivant ex Chlodovei Magni fratre nomine Raganario, cujus filius ALQUARIUS DAMIANAM *Burgundiæ Ducis filiam Chrothildis Reginæ ſororem in matrimonium* duxerit, ex qua ſuſceptus Richarius. Fabuloſa eſt genealogia hæc, Hariulfo Centulenſi Chronographo ignota, quam Neotericorum aliquis Burgundiæ Duces præ oculis habens infeliciter commentus eſt. Certè ex Gregorij Turonici Epiſcopi lib. 2. Hiſt. cap. 28. conſtat, Chrothildi unicam fuiſſe ſororem MUCURANAM.

b Addit MS. cod. Compend. *quo Sigibertus Rex cum uxore Brunichilde ſtatuto Metis regni ſolio gubernabat Germaniam.* Quæ verba non ſunt Alcuini, ſed Hariulfi Chronographi in lib. 1. cap. 6. qui ut ſententiam ſuam de ætate Richarij cap. 5. expoſitam firmaret, illum verſum explicationis gratiâ adjecit.

tutum meritis fulgentes, quorum prior CAIDOCUS vocabatur, alter verò FRICHORIUS [a], de Hiberniæ partibus in Pontivas perveniſſe regiones, ſed à ruſticis & popularibus illius loci propter inſolentiam morum non ſunt ſuſcepti, nec digno eorum ſanctitate honore tractati: ſed magis injuriis afflictos & opprobriis caſtigatos à finibus ſuis cœperunt eos expellere. Quorum violentiæ & ſceleratis præſumptionibus futurus Dei famulus Richarius obviavit, Chriſtique ſervos de manibus impiorum eripuit, & cum omni benignitate eos deducere in domum ſuam, Deo providente, ut illi protegerentur & ipſe ſalvaretur, obtinuit. Nec lucerna gratiæ Dei accenſa diutiùs abſcondi potuit, ſed ut patefacta lumen ſanctitatis & prædicationis longè latéque ad ſalutem multorum ſparſit. Nam introductos hoſpites ſuos cum magno caritatis honore curavit, eóſque ſibi verbum Dei prędicantes, cum tota humilitate & intentione audivit. Nec fruſtra in terram bonam ſemen verbum Dei ſparſum eſt: ſed quod aure audiebat, hoc radicitus corde retinebat, & centenos in horrea Chriſti, ut poſtea luce clariùs & ſanctitate & miraculorum oſtenſione claruit, fructus germinavit [b]. AN. CHR. DC. XLV. APR. XXVI. *a*

III. Ad meliorem frugē ſe convertit.

Igitur ex prædicatione famulorum Dei & adſpiratione gratiæ Divinæ compunctus, ad lacrymas converſus, confeſſionem ſuorum fecit peccatorum, & in conſpectu omnipotentis Dei ardenter veniam petens, lacrymis abſolvit, quod ignoranter ab adoleſcentiæ illecebris peccavit: & qui Dominum ſuſcepit in famulis ſuis hoſpitalitatis gratiâ, ſuſceptus eſt à Domino miſericordiæ pietate. Nam ex eo tempore initium ſacræ Religionis ſumpſit, & ad altiora pietatis faſtigia gradibus quotidie humilitatis ſcandere nitebatur: & arreptum ſemel vitæ iter, fidei paſſibus peragere conatus eſt, atque poſteriora obliviſcens, ſe in anteriora cum Apoſtolo extendit, illiúſque verſiculi per ſingulos gradus memor: *Philipp. 3.* *Ibunt ſancti de virtute in virtutem:* quatenus perveniret ad id quod ſequitur: *Pſal. 33.* *videbitur Deus deorum in Sion.* Itaque mox ab initio converſionis ſuæ tam dura ſe caſtigatione conſtrinxit, ut poſt longa & diuturna jejunia, pane hordeaceo cinere commixto & aqua lacrymis temperata feſſum jejuniis corpuſculum refocillaret, omni deinceps vitæ ſuæ tempore nihil admittens lautioris edulij: & hujus cibi ſuſtentaculo bis tantùm in hebdomada ſumpto, die ſcilicet Dominicâ & quinta feriâ, devotus Chriſti athleta vigiliis & orationibus die noctúque Domino militabat, non aërem verberans, ſed corpus ſuum caſtigans, ne futurus Chriſti prædicator in aliquo reprobus inveniretur.

IV. Fit Sacerdos & concionator.

Sed his atque hujuſmodi virtutum gradibus & ſanctiſſimæ vitæ moribus Deo acceptabilis, dignis ſucceſſibus ad Sacerdotalem pervenit honorem: ut cui prædicationis devotio inerat, honoris dignitas non deeſſet. Quem honorem ut famulus Dei magna humilitate ornavit, & vera caritate excoluit, & verbi Dei prædicatione ampliavit, atque velut bonus agricola ſpinas peccatorum de agro Domini Evangelico vomere eradicavit, & arida corda ſuperno perpetuæ ſalutis rore irrigavit [c]. Sed & Divina clementia poſt ejus irrigationem, in iſto populo *c*

a Frichorij nomen deſideratur in pleriſque codicib. Notanda verba Chronographi Centul. lib. 1. cap. 6. *Alterius nomen coquòd victu linguæ barbaræ ineptum viſum eſt, à prioribus mutatum vocatur & ſcribitur* HADRIANUS... *Fertur verò quòd cum* COLUMBANO *illi quoque mariæ huc properando tranſmeârunt... Iamdicti præterea viri Dei poſt emenſum vitæ præſentis ſtadium, immortalitatis adepti bravium, calicas ſedes ſuo ingreſſu exhilarant, Centulenſem Eccleſiam... corporibus nobilitant... Verumtamen licet nos jam eorum tranſitum explicuerimus, noverit Lector eos uſquedum ſeneſcerent in Divinis operibus Centulo deguiſſe.* Eorum Epitaphia ſcripſit S. Angilbertus inferiùs referenda, & Gervinus Abbas *Sancti Confeſſoris Caidoci ſociique illius corpora à terra levavit, & eorum reliquias decentiùs collocans, fidelibus populis honorandas cenſuit*, inquit Chronographus lib. 4. cap. 33. Quæ Reliquiæ in Monaſterio Centulenſi hodie quoque coluntur.

b Hoc in loco Interpolator Centulenſis perperàm inſerit Richarij iter Romanum ad Johannem Mercurium Papam, & poſt aliquot annos iteratam ejuſdem profectionem ad Silverium, Romanæ Sedis Antiſtitem. Quæ quidem ſicut à Richarij ætate, ita prorſus à veritate aliena explodenda ſunt. Certè Johannes Mercurius ac Silverius Romani Pontifices uno fere ſæculo Richarium præcedebant.

c Addit Chronici Centul. Auctor lib. 1. cap. 6. *Ab illo denique tempore habitum Religionis ſumens, in dies de virtute in virtutem ſcandere geſtiebat.* Quod ſatis innuit Alcuinus, dum num. 3. ait Richarium peractâ peccatorum confeſſione *initium ſacræ Religionis* ſumpſiſſe.

AN. CHR. DC. XLV. APR. XXVI.

plurima fidei dedit incrementa. Unde & omnibus prædictus vir Dei Richarius honorabilis factus eſt & carus quia quod ore prædicavit, exemplo oſtendit, & viam vitæ quam aliis ſermone monſtravit, ipſe prior actu præcucurrit.

V. Miſericors in pauperes.

Quidquid verò ei populus in ſtipendia prædicationis ſponte obtulit, omnia pauperibus dividere feſtinavit: indignúmque ei viſum fuit de craſtino præſentis vitæ cogitare, qui divitias æternæ vitæ accipere anhelabat. Ideo oblata ab hominibus diſtribuit, ut promiſſa à Deo acciperet. Felix commercium, ut qui parva ac tranſitoria hilariter diſtribuerat, magna & æterna feliciter eſſet acceptarus. Nam ſtudioſiſſimus fuit pauperum conſolator, peregrinorum ſuſceptor, viduarum defenſor, pupillorum & orphanorum pater: itaut veriſſimè de eo ſanctiſſimi Job teſtimonium dici potuerit: *Oculus fui cæco, pes claudo, & pater orphano: & cauſam quam neſciebam, diligentiſſimè perſcrutabar.* Quapropter undique ad eum infirmi confluebant: quos læto ſuſcipiens animo, medelam eis conſolationis per ſanctas orationes præbebat. Nec leproſos vel elephantiacos exhorruit, ſed quaſi fratres amplexabatur, balneiſque eorum membra saucia fovebat: eadémque poſt ipſos ingreſſus eſt, magis ea pietate illos emundans, quàm ſe commaculans, prophetici ſermonis non ſurdus auditor, dicentis: *Egenos vagoſque induc in domum tuam, & nudum veſtimentis tuis cooperi, & carnem tuam ne deſpexeris.*

Iob 29.

VI. Omnibus verbum vitæ diſtribuit.

Nec ſolùm carnali refectione ad ſe venientes fovebat, ſed etiam ſpiritali ſanctæ prædicationis ſolatio reficere eos non ceſſavit. Et ſicut miſerorum idoneus ubique fuit conſolator, ita ſuperborum durus caſtigator eſſe non timuit. Illos pietatis clementiâ elevabat, hos ſeveræ invectionis cenſurâ deprimebat. Nec terrenæ poteſtatis iram foris metuebat, quem timor interiùs divinæ potentiæ totum corroborabat, parvipendens divitum minas, ut præco veritatis exſiſteret. Nec fuit arundo vento agitata, ut eum aura humanæ vel laudis, vel detractionis commoveret: ſed in arce ſolidæ veritatis conſiſtens, ab humano ore ſecundùm Apoſtolum judicari contempſit: viámque regiam incedens, nec à dextris propter terrores potentium, nec à ſiniſtris propter blanditias adulantium declinabat. Quapropter magnam plebem Domino Deo ſuo in hac præſenti provincia adquiſivit, & ſibi honorem perpetuum promeruit*.

1. *Cor.* 4.

* *Vide Append. num.* 1.

VII.

Unde populus ejus cernens in Chriſto devotionem religioſam, cœpit eum attentiùs honorare, & multa ei pro eleemoſynarum largitione afferre: quæ ille ut erat Dei & proximorum dilectione plenus, omnia in pauperum elargitus eſt ſolatia, maximéque in captivorum expendit redemptionem. Nam alios occultis diabolica fraude peccatorum vinculis obligatos per ſedulæ prædicationis hortamenta ſolvebat, alios ſeculari captivitate oppreſſos pecuniæ largitione redemit: ut illi ſpiritaliter abſoluti jucundarentur in Domino: & iſti carnali ſervitute liberati converterentur ad Deum.

VIII. Etiam Britannis.

Et non ſolùm in his regionibus per pietatis opera, vel per prædicationis lumina prædictus vir Domini clarus effulſit: ſed ut Lucifer æquoreos Oceani campos tranſiliens, præco diurni luminis nocturnas ſuo exortu diſcutit umbras: ſic ille in ultramarinas Britanniæ regiones, ad expellendas ignorantiæ tenebras, lumen veritatis ſuo ſparſit adventu, ſcilicet ut ſicut in iſtis regionibus, ſic & in illis alios à ſervitute diabolica, alios à captivitate carnali liberaret. Illis verbum Dei infudit, iſtis caritatis pretium impendit, ut pro temporali redemptione æternam reciperent libertatem*. Sic ergo bonus Dominicæ pecuniæ negotiator, duo duplicis caritatis Dei & proximi talenta multiplicare ſtuduit, quatenus cum multiplici laboris ſui fructu Domino ſuo obviare poſſet, & hanc vocem audire jucundiſſimam: Euge ſerve bone & fidelis: quia ſuper pauca fuiſti fidelis: ſupra multa te conſtituam: intra in gaudium Domini tui. Fertur verò, dum causâ prædicationis in Britannia diutiùs moraretur, ſubitò illi veniſſe in mentem, aliquos ſui juris ſub ſervitute ſe reliquiſſe in Gallia. Itaque dolore percuſſus,

* *Vide Append. num.* 2.

Matth. 25.

Servos ſuos manumittit.

cuſſus, dixit ad ſuos: Heu noſtros ſub ſervitute dimiſimus in patria, dum huc alios liberaturi venimus, maximéque ſcio eos citò eſſe morituros. Sed ite feſtinanter, navémque conſcendite, & eos facite ingenuos, priuſquàm moriantur. Illi haud ſegniter præceptum ſecuti paternum, in patriam venerunt, prædictóſque ſervos viri Dei ſalvos & incolumes invenerunt, eóſque veluti juſſi erant, manumittentes, fecerunt ingenuos: qui non poſt multum temporis, ſicuti ſanctus vir Dei prædixerat, defuncti ſunt. O quanta clementia eſt Dei Chriſti, qui famulo ſuo pietatis affectum inſeruit, & ſervorum ejus mortem futuram oſtendit: quatenus illi miſericordiæ merces de ſuis non periret, & illos morientes ſervitutis jugum non gravaret. Qui & ob alienos liberandos tanti itineris periculum ſubire non timuit, & ex eo tempore neminem ſui juris ſub ſervitutis jugo retinere voluit: ſed ubique omnes ad ſe pertinentes libertate propria perdonavit, ne in proprios durior eſſe videretur, qui in alienos mitiſſimus apparere geſtiebat, & mercedem quam ex aliis congregavit, de ſuis accumularet[a]. AN. CHR. DC. XLV. APR. XXVI

IX. Reverſus ad mortem ſe præparat.

Igitur prædicationis officio in Britannia peracto cum multiplici verbi Dei fructu reverſus eſt in patriam: ne dum in aliena meſſe quæreret mercedem, in propria perderet: & tantò ſe ardentiùs ſervituti Dei ſubegit, quantò viciniorem ſibi diem remunerationis eſſe præſenſit. Nam ſeipſum quotidianis jejuniis maceravit, mortificatione carnis conſtrinxit, vigiliis afflixit, orationibus munivit, caritate confirmavit, ſpe coroboravit, fide armavit, nulli malum pro malo reddens, nullius adulator, neminem contemnens, ut viam veritatis prior ipſe incederet, quam ceteris prædicando monſtraverat. Sic vir Dei galeâ ſalutis indutus, & gladio verbi Dei accinctus, & loricâ juſtitiæ undique circumdatus, atque ſcuto fidei armatus, calceatúſque in præparationem Evangelii pacis, proceſſit in prælium publicum contra antiquum hoſtem, omnia tela ejus ignea fortiſſimo fidei umbone repellens: quotidianíſque triumphis ſpolia multa victo hoſte reportavit in Eccleſiam Chriſti, tam metuendus humani generis inimico, quàm humano generi perneceſſarius: utpote qui non ſuam tantùm, ſed multorum quæſivit ſalutem. Ideo juſtum eſt, ut multorum ore in Chriſto laudetur multorum per Chriſtum redemptor: cujus non tanti eſt miracula narrare quæ ab eo geſta ſunt, quanti miraculorum cognoſcere virtutem, qua cæleſti Regi in diebus ſuis multum acquiſivit populum. Nam officium prædicationis omnium ſignorum oſtenſione majus eſſe non dubium eſt, licet non defuerit pro temporum opportunitate vel rerum convenientia ſignorum perpetratio, quæ per eum Divina peregit clementia.

X. Rictrudem inviſit. *b*

Quodam namque tempore maligni ſpiritûs tentatio ad verecundiam accidit viro Dei, quam Dei miſericordia ad laudem ei conceſſit evenire. Viſitavit enim equitando quamdam Deo devotam feminam RICHTRUDEM[b] nomine: & cùm jam poſt dulces vitę epulas & poſt colloquia ſalubria ipſe vir Dei adſcenſo equo ad propria remeare diſpoſuiſſet, femina prædicta, juxta morem, equitantis veſtigia Patris ſecuta eſt, habens in ulnis filiolum ſuum *, ut parvulus quoque benedictione hominis Dei roboraretur, quem ipſe antè ſacro baptiſmate Deo regeneraverat. Accipiente itaque infantem Equite venerando ſeu ad benedicendum, ſeu ad oſculandum, antiquus hoſtis omnibus bonis inimicus, immiſit equo ferocitatē, qui huc illúcque dentibus frendens pedibúſque calcitrans & toto corpore inſaniens, inconſueto impetu per campū diſcurrere cœpit. Quod pavida cernens mater oculos avertit, ne morientē videret filium, quem ſervus Dei ſęviente equo manu tenebat. Familia verò pro morte pueri vel caſu viri Dei ſtrepere, plangere, ejulare non deſtitit. Sed dextera Chriſti, quæ Petrū trepidantem levavit ne mergeretur in undis, puerum cadentem ſublevabat, ne allideretur in terris. Nam ora-

* *De quo infrà in Append. num. 2.*

Puerum ejus à periculo ſervat.

a Scriptor Chron. lib. 1. cap. 15. hîc agit de conſtructione Centulenſis Monaſterii, quod Richarius *in paterno ſolo conſtruxit, ubi ipſe fuerat mundo procreatus*, quod Interpolator Corbeïenſis poſt caput 4. retulit.

b Aliis RICHTRUDAM: quę an eadem ſit cum S. Rictrude Abbatiſſa Marcianenſi, in ipſius Rictrudis Vita diſcutiemus.

AN CHR. DC. XLV. APR. XXVI.

tione à famulo Dei facta, puer incolumis quasi avicula pervenit ad terram, & equus redditus est mansuetudini suæ. Et mater quidem filium suum super terram sanum & ridentem suscepit in ulnas suas; ipse tamen Sacerdos Dei non equo iter agere, sed asello mansuetissimo ex eo tempore voluit. Sic ergo miserante Deo tentatio maligni hostis illi versa est in laudis honorem; & superbia equi facta est humilitatis gratia & magistra. Nam non erat immemor Dominum Christum, dum ad redemptionem properaret humani generis, asello iter egisse, non equo. Sic & ipse propter salutiferam prædicationem dum per multa quotidie festinaret loca, asellum sibi portitorem sufficere judicavit. Quocumque autem iter agebat, aut Psalmi in ore ejus resonabant, aut salutis ex ore ejus prædicatio audiebatur. Nec mirum, si Christum semper prædicaret linguâ, quem semper gerebat in corde, per quem pius consolator miseris fuit, & durus invector potentibus: illorum inopiam clementi miseratione relevans, istorum superbiam severa castigatione reprimens.

Asello uti statuit.

XI. Dagoberto salutaria dat monita.

Nam quodam tempore Rex potentissimus DAGOBERTUS rogante viro inlustri GISLEMARO easdem venire in partes, & virum Dei ut se sacro-sanctis ejus orationibus commendaret, invisere contigit. Quem ipse famulus Dei & sanctitatis suæ benedictione roboravit, & Sacerdotali auctoritate libera voce castigavit, denuntians ei: ne in sæculari superbiret potentia, ne in fugitivis speraret divitiis, ne vanis adulantiũ extolleretur rumoribus, ne caducis gauderet honoribus: sed magis Dei timeret potentiam, illiúsque immensam laudaret gloriã, humanam verò potentiam vel gloriam nullam putaret, quæ subitò velut volatilis umbra recedat, & tamquam spuma super aquam, tentationis flante vento, evanescat: atque hoc potiùs timendo cogitaret, quia potentes potenter tormenta patientur: & cui plus datur, plus exigetur ab eo. Qui autem vix sufficit pro se solo rationem reddere Deo in die judicij, quomodo poterit supportare rationem reddere pro tantis millibus populi sibi commissi? Idcirco quisque magis timere potest præesse, quàm subesse: quia qui subest, pro se solo rationem reddet Deo; qui autem præsunt, pro omnibus rationem reddituri sunt, qui sub eorum sunt potestate constituti. Qua castigatione Rex, ut fuit sapientissimus, benignè suscepta, gaudens ejus liberâ veritatis fiduciâ, Sacerdotem Christi secum ad convivium venire rogavit. Qui Christi confortatus exemplo sæcularium non respuentis convivia, ut prædicationis sumeret occasionem, venit cum Rege ad mensam ejus, totáque die illa & nocte inter epulas lætitiæ, verbi Dei dapes salutiferas convivis suis ministravit. Cujus constantiâ morum & instantiâ prædicationis præfatus Rex delectatus, cœpit eum ex animo amare & honore prosequi, intantum ut ea ipsa die aliquid de censu suo ad luminaria domûs Dei [a] ei condonaret, ratum æstimans ut sicut ipse invisibili prædicationis lumine ab eo illuminatus esset, sic visibili luce per eum domus Domini illustraretur; & quod intus ei fulgebat in fide, hoc foris fulgesceret in Ecclesia, memor præcepti Dominici, quo dicitur: *Sic luceat lux vestra coram hominibus, ut videant opera vestra bona, & glorificent patrem vestrum, qui in cælis est.* Itémque in Psalmo: *In lumine tuo videbimus lumen*: id est in lumine fidei quod fulget in mente, lumen foris scintillat quod splendescit in opere.

Prandet cum eo.

[a] Censum à Rege in luminaria accipit.

Matth. 5.

Psal. 35.

XII. Eremum petit.

Exinde autem famulus Dei, quia ab hominibus honorabatur, homines fugere meditabatur, ut honores temporales declinando honores acciperet perpetuos: eremúmque concupivit, quatenus liberiùs soli Deo vacaret, & contemplativos carperet fructus, qui ad id usque temporis in actualibus haud segniter desudârat, sciens à Domino dictum de Maria sedente secus pedes ejus, & verbum vitæ attentiùs audiente: *Optimam partem elegit sibi Maria quæ non auferetur ab ea.* Hujúsque memor sententiæ, Monasticam * vitam petiit, quò secre-

Luc. 10.

* *id est* eremiticam.

[a] Nempè Ecclesiæ *quam in vico Centulo fundaverat*, ut dicitur cap. sequenti. In Chron. Centul. lib. 4. cap. 21. prædium à Dagoberto concessum *Campania* vocatur.

tiùs ſola cæleſtia mente rimaretur, Eccleſiæ regimen alteri[a] tradens, quam ipſe in Centulo vico Chriſto fundaverat. Porro GISLEMARUS vir inluſter & Chriſtianæ religionis devotus amator, ſimul & MAURONTUS, nobilis quidam vir, & terrarum vel ſilvarum ad Regem pertinentium ſervator, præbuerunt ei locum manendi in ſilva Criſciacenſe[b], qui & ipſe Maurontus poſtea ſæculari habitu depoſito Monachus factus eſt in eodem loco. Cúmque viro Dei manſionem ſolitariam præparâſſet, Chriſto Monaſterium conſtruere inchoavit. AN. CHR. DC. XLV. APR. XXVI.

a

b Mauronto adjuncto Monaſterium inchoat.

XIII.

Vir igitur Dei habitationem illam cum uno ſolo commilitone ingreſſus eſt, parvo tantùm tuguriunculo viliſſimo opere facto contentus, ut habitatio vitæ conveniret, ſuperfluum æſtimans ſæculi contemptorem aliquid ſæculi deliciarum habere velle. At inibi tanta ſe mortificatione carnis caſtigavit, tanta jejuniorum & vigiliarum aſſiduitate maceravit, ut vix oſſa arentia diſſipatis juncturis ſibi adhærerent, & trementia baculo regente veſtigia difficilè moveret. Jam mente ſæculo major, ſola cæleſtia ſemper cogitabat, quantúmque mundo alienus, tantùm Deo proximus erat, illum quotidie vincens in eremo, à quo Adam olim victus eſt in paradiſo: ſuper aſpidem & baſiliſcum ambulans, caput quotidie antiqui conterens ſerpentis, temporalia contemnens, æterna ſola ſuſpirans, ſcalam ſomniantis Jacob omni hora adſcendens, atque per anguſtam viam quæ ducit ad vitam incedens, iter ſuum aſſiduis munivit orationibus. Nec clausâ tamen eremi anguſtiâ lucis columna latere potuit, quin potiùs ſui fulgoris radiis longè latéque magis innotuit. Quapropter undique ad hominem Dei diverſis fatigati infirmitatibus confluxerunt, quos ſanctarum medicinis orationum ſanavit, omnéſque ad ſe quocumque morbo afflictos venientes, vel triſtitiæ cujuſlibet rancore anguſtiatos, ſanos & hilares domum remeare fecit, nec in domo ſalutis diu morbus manere valuit, ſed quanto propiùs acceſſit, tanto velociùs receſſit[c]. Mihi verò non ſingulas virtutum ejus ſpecies nominatim enarrare propoſitum eſt, ſed vitæ ſanctitatem paucis perſtringere verbis, ne eloquij mei tarditate multiplex ſignorum per eum geſtorum fama magis obſcuretur quàm laudetur. Doctioribus ergo illa relinquens, quo fine præſens hoc ſæculum ſancta illa anima deſeruerit, ſolùm mihi dicere ſufficiat.

" Multos infirmos curat.

c

Nam auctore Spiritu-ſancto quo ſemper vegetatus eſt, præſcius diem advocationis ſuæ, qua felicitatem diu deſideratam accepturus erat, & ſemper adjungi Chriſto quem ſemper amaverat, vocavit ad ſe SIGOBARDUM commilitonem ſuum, dixítque ei: Scio, fili mi, ſcio, quòd finis meus non tardat, & Regem meum quem diu concupivi, citiùs videbo, & utinam tam propitium mihi ſervo ſuo, quàm deſiderabilem Sanctis ſuis. Sed tu, fili mi, præpara vaſculum corpuſculo meo quo condatur, non ſuperfluo ſtudio, ſed neceſſario uſu: ut illic ſervetur in illum diem, quo corruptela hæc vertatur in incorruptionem, & mortale hoc induatur immortalitate: & para te cum omni diligentia, dulciſſime fili, ut ubi dies illa quæ mihi modò appropinquat, tibi advenerit, te paratum inveniat. Ego verò ingredior viam univerſæ carnis: tantùm mihi miſeri-

XIV. Sepulturæ ſuæ provident.

a Ocioaldo videlicet de quo infrà cap. 14. Sic enim Interpolator Corbeïenſis hoc loco, & Hariulfus in lib. 1. cap. 19. *Verùm quia Eccleſia in Centulo exſtructa abſque Abbate nec debebat eſſe, nec poterat, hoc officio ſeſe exonerans, unum è diſcipulis perfecta ac probata ſanctitatis nomine* OCIALDUM *jamdicto Cœnobio præfecit Abbatem.*

b In editis mendosè legitur *Triſtiacenſis*, cùm noſtra lectio in omnibus apographis habeatur. Eſt autem Criſciacenſis ſeu Chriſciacenſis ſilva *diſtans à Centula* Occidentem versùs *decem paſſuum millibus, ubi Richarius ſub honore noſtræ Dominæ* S. MARIÆ *Monaſterium conſtruere inchoavit, quod nunc Foreſtu-Cella dicitur*, inquiunt Interpolator Corbeïenſis & Chronographus Centul. in lib. 1. cap. 19. quaſi dicas *Silva-Cella*. Hinc corrigendus Jacobus Malbrancus, qui in lib. 3. de Morinis cap. 39. cùm hoc loco legiſſet in libris editis ſilvam Triſtiacenſem, eamdem eſſe putavit cum ſilva Nepienſi ad Liſiam fluvium, ubi Richarius Cœnobium Broilenſe hortante viro illuſtri Mauronto ædificaverit, tandémque vitam inibi finierit. In Foreſti Cella quondam habebantur *Eccleſia tres, prima* S. MARIÆ, *ſecunda S. Petri, tertia S. Richarij: ubi erant altaria auro argentóque ornata*, &c. Chron. Centul. lib. 3. cap. 3. idémque Abbas Centulenſi ac Foreſtenſi Monaſteriis præſidebat lib. 2. cap. 26. quod ad Hugonis Regis tempora obſervatum, lib. 4. cap. 12. Nunc Foreſte-Monaſterium, vernaculè *Foreſt-Monſtier*, etſi cenſu exiguo præditum multúmque detritum, proprium habet Abbatem, Monachos Ord. S. Bened. perpaucos.

c Poſt hæc Interpolator & Chronographus in lib. 1. cap. 20. inſerunt quiddam de avibus, quas Richarius familiares habuiſſe dicitur.

AN. CHR. DC. XLV. APR. XXVI.

cors ſit Salvator mundi, & me modò defendat ab hoſte, qui me olim redemit ab hoſte: & quem præſentis vitæ habui conſolatorem, æternæ vitæ mihi inveniam largitorem. Hæc diſcipulus à Patre audiens lacrymis perfuſus, tamen præcepta ſecutus, lignùm inveniens fidit, cavavit, & corpori Patris coaptavit, piíſque fletibus rigavit quod fecit, pænè priùs lacrymis implens amaris, quàm paternis membris: aptatúmque ut potuit ſarcophagum in loco præfinito à Patre compoſuit. Interim verò dum triſtia Patri filius pararet obſequia, validior Patrem coquebat infirmitas, & in frigido corpuſculo vix halitus remanſit extremus, nec tamen ab orationis ceſſavit officio vel Divinæ laudis obſequio: & dum ſalutifero Corporis & Sanguinis Chriſti Viatico ſuum iter munivit, inter gratiarum actiones & verba orationis, VI. Kalend. Maij ſpiritum emiſit [a]: poſitúſque eſt in ſepulcro à diſcipulo in loco ubi ipſe præceperat. Sed mirum dictu! inter exſequias paternas ſubito diſcipulus ſopore oppreſſus, vidit in viſu quaſi raptus eſſet in aulam ſplendidiſſimam omníque decore pulcherrimam, immo ſolis luce clariorem: in qua B. Richarium præclaro & hilari vultu vidit habitantem, ſibíque loquentem: Ecce, Frater Sigobarde, qualem manſionem præparavit mihi Deus, pro vili quam habui in terra, pulcherrimam in cælo: pro contemptibili glorioſam, pro obſcura lucidiſſimam, & pro fumoſa omni ſuavitate renidentem. Evigilans autem Sigobardus, lætior opus exſequiarum perfecit, Deo providente ut filius conſolaretur, & Patris ei gloria oſtenderetur. Conditus eſt ergo, ut prædixi, Miles Chriſti, ubi ſuo Regi militaverat. Sed non multo pòſt Fratres à Centulo Monaſterio cum ſuo Abbate OCIOALDO viro religioſo & Sancti ſucceſſore venerunt, & corpus S. Richarij tulerunt [b], poſuerúntque in loco, quo & nunc cum magna meritorum gloria requieſcit. Ibi enim præſtante Deo per ſervi ſui Reliquias nova ſæpiùs audiuntur miracula geri, ut fides precantium patefiat, merita ſancti viri oſtendantur, & in ſervo ſuo Chriſti laus celebretur ſicuti dictum eſt: *Laudate Dominum in Sanctis ejus.*

Viatico ſumpto moritur.

a Sigobardo glorioſus apparet.

Centulam ejus corpus transfertur.

b

Pſal. 150.

XV. Cõtractus aliíque ſanantur.

Quidam contractus corpore debilis, ſed fide robuſtus, frequentabat orando ſancti Dei ſepulcrum: qui optata ſanitate ſubitò recepta dedit gloriam Deo, quòd infirmus veniſſet, & ſanus recederet. In cujus miraculi memoriam uſque hodie ſuſtentacula infirmitatis illius pendent in Eccleſia S. Richarii. Sed & multoties dæmoniaci ad corpus Sancti Dei ſuorum obſequio deducti, Divina concedente clementia à vexatione maligni ſpiritûs liberantur.

XVI. Catenati ſolvuntur.

Quodam tempore vinculis & catenis conſtricti quidam per publicam ducebantur plateam, quæ eſt juxta B. Richarii Eccleſiam: qui cùm eminùs ad viri Dei propinquarent Templum, voce magna clamare cœperunt: Sancte Richari ſalva nos: & ſtatim ruptis vinculis abſoluti ſunt.

XVII. Peſtis curatur.

* *al.* panuculam.

Item clades magna quam venenoſam lacertam * vocant, longè latéque morte amara habitatores terræ interfecit, & vix ab ea tactus vivus evaſit. Percuſſúſque eſt ea peſte quidam è Fratribus S. Richarii: qui licèt mortem timeret propter cladem, vitam tamen non deſperavit propter Patronum. Ergo quaſi ad certa ſuffragia comitantibus Fratribus cucurrit ad ſepulcrum viri Dei: ibíque communiter oratione facta & ipſe liberatus eſt à morte, & omnes defenſi ſunt à plaga, nec aliquis ex illis Fratribus mortifera cladis ejus vaſtatione percuſſus eſt. Nec ſolùm illi liberati ſunt, ſed & ſi quis alongè veniens plagâ

a Videlicet Æræ Chriſtianæ anno DC. XLV. Nam ex Interpolatore Corbeïenſi & verſibus infrà referendis apparet S. Richarij corpus poſt annos ab ipſius morte *circiter centum & ſexaginta* tranſlatum fuiſſe præſente Carolo Magno, qui teſte Eginhardo in Caroli Vita *anno* DCCC *Paſcha apud S. Richarium celebravit*: quo anno indubiè S. Richarij Tranſlatio facta eſt. Ergo S. Richarij obitus circa annum DC. XL. eſt collocandus. Ut autem anno DC. XLV. conſignemus, inducit dies Illationis, quo ejuſdem Sancti corpus è Foreſti-Monaſterio poſt quinque menſes & dies XII. ab obitu elapſos Centulam delatum eſt VII. Idus Octob. (ut infrà legitur) hauddubiè Dominico die, qui anno DC. XLV. in diem nonum Octob. littera B præditum incidebat. Nec recedit ab hoc calculo Hariulfus in Chron. lib. 1. cap. 26. dum ait, Richarium *jam emeritum militiem & morti proximum* fuiſſe, *quando* B. FILIBERTUS *juveniles annos in Dei ſervitio exercebat, continentiſſimæ ſervitutis tirocinium gerens in Reſbacenſi Cœnobio ſub ſancto Abbate* AGILO. Confer Vitam S. Filiberti.

b Nempe VII. Idus Octob. ut Corbeïenſis Interpolator inferiùs docet.

tactus pestiferâ ad S. Richarii cum fide fugiat solatium, etiam cum clade mortis evadit periculum. AN. CHR. DC. XLV. APR. XXVI. XVIII.

Unde intelligi datur, quantam habeat apud Deum potestatem pro nostris intercedendi peccatis si cum fide clamemus ad illum, qui tanta est virtute præditus depellendi morbos ab illis qui cum fide veniunt ad eum. Nam patet ex miraculis qualis sit ex meritis, & anteacta vita fulgescit in opere subsequenti: itaut non sit opus dubitare de sanctitate, dum tantus est in virtute. Intelligite hinc, Fratres carissimi, qui pauper voluit esse pro Christo, quales modò habeat divitias cum Christo: & qui appetiit esse contemptibilis inter homines, quàm glorioſus regnet inter Angelos, honorem quem fugit in terris, nunc possidens felicissimè in cælis. Quapropter dignum est ut ab omnibus honorificetur, qui omnium Dominum semper amavit: propensiùs tamen à nobis qui ejus corpori quotidie adsistimus *: quatenus quos filios genuit in doctrinis, dignos possideat heredes in meritis. Nec illi tantum prodest nostra laudatio, quantum nobis ejus imitatio. Magis illa placet imitator devotus, quàm laudator otioſus. Unde Fratres carissimi & sanctissimi Patres & Filii jucundissimi totiúsque sanctæ Congregationis populus qui ad tanti Patroni festa convenistis, dignos vos facite, ut Deus omnipotens per ejus intercessiones, vestras exaudiat orationes. Ornate vosmetipsos spiritali pulchritudine, supereminentis caritatis gloriâ, victrici fidei fortitudine & spe suavissimâ de Christi bonitate, sequentes semper sanctorum Patrum vestigia: ut per eorum gradientes exempla, illorum societate digni efficiamini; & secundùm Apostolum abnegantes impietatem & sæcularia desideria, sobriè & justè & piè vivamus in hoc sæculo, exspectantes beatam spem & adventum gloriæ magni Dei & Salvatoris nostri JESU-CHRISTI, qui dedit semetipsum pro nobis, ut nos redimeret ab omni iniquitate & mundaret sibi populum acceptabilem, sectatorem bonorum operum: cui est gloria in sæcula sæculorum, Amen.

* *Alcuinus hæc dicit in persona Monachorum Centul.*

APPENDIX AD ALCUINVM,

Ex Interpolatore Corbeïensi, qui Vitæ S. Richarii ab Alcuino scriptæ nonnulla hinc inde ex Hariulfi Chronico inseruit.

In fine capitis 4. *post verbum* promeruit, *addit Interpolator:*

1. MUltas etiam per eamdem provinciam Ecclesias in iis quæ sibi ex paterna heredi- tate provenerant prædiis fundavit, quas speciali devotione in honorem beatæ Dei Genitricis & semper Virginis MARIÆ dicavit. Ex quibus præmaximam in loco nativo Centula ex paterna scilicet domo instituit: quam Monachorum agmine complens, Divinæ virtutis ubertate sanctificavit, præsidendo ibidem jure Abbatis. Richarius Ecclesias B. Mariæ nuncupat.

In cap. 8. post illa verba, reciperent libertatem, *multa inseruntur:*

2. Exstat igitur villa in pago Pontivo Sidrudis * vocata, in qua supradictus venerabilis Pater Richarius consueverat mansionis habere hospitium, quum æquoreos Oceani campos transfretare studeret, partim salutiferæ incumbens prædicationi regionis Britannicæ, partim captivorum studens redemptioni. Erat autem tunc ipsius villæ domina SIGEDRUDIS, à qua videlicet ipsum prædium metonimicè meruit nuncupari. Contigit itaque hiemali tempore de Britannia redeuntem Sanctum illò Richarium adventâsse, eúmque ibi positum cum turba redemptorum quam ducebat, nox oppressit. A Senatrice igitur jamdicta se suósque vir sanctus hospitio recipi poposcit: cui illa hanc munificentiam omnino denegavit. Cúmque vir Dei domicilium sibi quemquam præstare nolle vidisset, eúmque aliorsum progredi hora tardior prohiberet, cum redemptis suis quorum tunc ingentem secum habebat multitudinem, ejusdem vici situm peragravit, invenitque fossatum magnum, quo homines non pauci poterant clanculò congregari. In hoc itaque cum suis secessit, totiúsque noctis spatium inibi peregit, hymnisque divinis ac laudibus omnipotenti Deo se pervigilem exhibuit. Nocte igitur eadem cùm sanctus Pater suíque comites in fossato cubitarent, tantam è Intactus à nive.

* *V. lib. 1. Mirac. cap. 1. infrà.*

AN. CHR. DC. XLV. APR. XVII.

nubibus contigit defluere nivium magnitudinem, ut omnis patria vix ferre quiverit illarum denſitatem. Operta omnia & in ſubitum candorem univerſa mutata ſunt. Solum illud foſſati ſpatium quo Sanctus cum ſuis tenebatur, nix non invaſit: & quæ geſtu vel ventorum vel ſua ſubtilitate etiam interna tectorum penetrabat, ab ejus injuria ſeſe continuit, qui hominum carens domicilio ſuperna protectione tegebatur. Mane facto habitatores loci exſurgunt, & vel ſibi vel pecoribus ſuis per medias nives viam ſecare coguntur. Sole lucente dum omnia pervidentur, invenitur ſanctus Pater Richarius aquis nivium remanſiſſe intactus. Quo facto omnes obſtupeſcunt, admirantur: & verè hunc qui taliter ſit defenſus, Dei cultorem & amicum prædicant. Hanc ſancti viri erga Deum poſſibilitatem ut illa nobilis femina aure cordis percepit, in tanto caritatis glutino deinceps eum dilexit, ut ipſam ei villam perpetuò traderet habendam. Verè ergo mirabilis Deus in Sanctis ſuis, verè fidelis in promiſſis! Ipſe fidelem famulum humano ſemel auxilio deſtitutum in longum non deſeruit: ſed ubi ad horam non permiſit habere manſionem, fecit percipere ex toto hereditatem.

Fontem orando impetrat. *V. lib. I. Mirac. c. 3. infrà.*

Cùm itaque B. Richarius pro cæleſtis patriæ palma militarem adhuc duceret vitam in terris, in prædicto prædio hoſpitium ſæpe habebat apud memoratam Dei ancillam, cùm ſcilicet Britanniam pergeret, vel inde ad propria repedaret. Quæ cùm in magna familiaritate apud eum haberetur, utpote cujus vitam conſpiciebat in Dei opere aſſiduam; petiit eum ut ſuis ſacris precibus apud Omnipotentis clementiam obtineret, quatenus ditari mereretur in aquæ largitione. Erat enim ibi valde neceſſaria. Qua prece ejus coactus oravit. Poſt orationem autem ſuam in terram baculum fixit, atque mox fons erupit, qui uſque in præſens ibi perdurat, illud exhibens ad quod orationibus ſervi Dei primitùs emicuit. Qui cùm nulla umquam ſterilitate ſiccetur, numquam tamen ejuſdem villæ rura tranſgreditur, ſed poſt rarum curſum eâdem qua naſcitur terra ſorbetur. Multa miracula in remediis ægrotorum ex ejuſdem fontis aqua Divina peregit potentia: quæ tot ac tanta ſunt, ut ob nimiam pluralitatem omnino ſint reticenda.

Fluvium pedibus trajicit.

* *Authie.*

Nulla autem antiquitatis longiturnitas abolere umquam potuit ex ore poſterorum de eodem Patre noſtro inſigne miraculum: quod cùm beatiſſimus Pater ac vigilantiſſimus Paſtor poſt impenſam populis tranſmarinis divinæ gratiæ prædicationem, ſiquando accidiſſet tardius haberi vehiculum, quo in redeundo tranſmeandus eſſet Alteïæ* fluvius, abſque ullo humanæ opis adminiculo eamdem aquam pedibus non humectis tranſiſſet. Verè enim iſte vir Dominici atque Apoſtolici imitator exempli meritò omnium virtutum genere ſublimatur, quem non generis claritudo, non corporis proprii delectatio, non mundialis ambitio contraxit, quominùs ſæculi amorem parvipendens, ſibique mundum ac ſe mundo crucifigens, veſtigia Salvatoris abdicatis omnibus ad unguem ſequeretur. Et quid mirum ſi ex largitate Conditoris flumina ſicco pede tranſmeavit, qui alto mentis conamine fluxam mundi dignitatem cum ſuis illecebris per gratiam Redemptoris ſuperans conculcavit?

Piratarum manus effugit.

Contigit etiam aliquando, ut rediens de Britannia ingentem redemptorum deduceret multitudinem; cùm ſubitò reſpectans poſt tergum, vidit turbas hominum perverſorum piratico more omnes quos cepiſſent ſpoliantium, ac ſi quis fortè reſtitiſſet trucidantium. Intelligens verò eorum malam voluntatem, iis quos deducebat mortem vel rerum damna inferre enitentium, plúſque ſuis timens quàm ſibi, invocat Divinitatem, ut citò de manibus perſequentium erueretur. Cujus preci ſuperna virtus vicina citiſſimè tranſpoſuit eum cum ſuis omnibus ultra flumen ultráque ſilvam quæ flumini proxima erat: ac velut illum quondam Prophetam Abacuc, ineffabili modo portavit illum vis cæleſtis in locum ſecuritatis. Sícque perſecutoribus fruſtratis locus ille ubi Sanctus reſedit, mox ULTRUM* nomen accepit, ob Divinam ſcilicet virtutem, quæ illum poſt precem fuſam mox ultra tranſtulerat. Nec mirum ſi Moſaïco meruit honorari prodigio, qui non minùs Chriſtianis temporibus in domo Domini fidelis inventus eſt, quàm ille quondam Deo familiaris Moyſes ſub tempore datæ legis fidelis repertus eſt. Iſte dogmate Chriſtiano quum jam umbra præteriſſet, Fidelium pectora imbuebat: ille verò promiſſis bonorum mortalium Judæorum dura corda ne in idololatriam diffluerent, in ſpecie futurorum coërcere vix poterat. Moyſes conducebat populos efferatos, qui terras Chananæorum præliando pervaderent: & B. Richarius plebes pias deducebat, quæ Chriſtum imitando dejectorum ſpirituum ſedes cælicas perpetim poſſiderent. Et quamquam multùm diſtet inter umbram litteræ occidentis & gratiam Spiritûs vivificantis; nos tamen ſic admirabile meritum hujus Patris collaudamus, ut in Chriſti gloriam qui conditor eſt utriuſque Teſtamenti, virtutes amborum referamus.

* *Meſoultre.*

Cæco lumen reſtituit.

Quodam verò tempore Alteïæ litori aquam ipſam tranſire volens, cimbæ adventum operiendo inſidebat; cùm ecce quidam Pontivenſis indigena homo cæcus qui tanto cum reliquis contribulibus ſuis Patrono gloriabatur, inibi illum morari comperiens, alienis obtutibus deductus occurrit, & cariſſimum patrem patriæque dominum infinitis exaggerans clamoribus lumen proprium ſibi perdonari popoſcit. Cujus neceſſitati vir ſanctus miſericordiſſimo ut ſemper fuit corde compatiens, eum ad ſe propiùs accivit. Quo applicato digitos ſacræ dexteræ labris ſacratiſſimis appoſuit, indéque tollens ſalivam, orbati oculos linivit: ſtatímque

Dominicum exemplum virtus eadem profecuta, diu cæcatum luminatum reddidit. Quo loco villa conſiſtit, quæ ob ejus amorem miraculique memoriam, DOMNUS-RICHARIUS [a] dicitur. AN. CHR. DC. XLV. APR. XXVI.

Quædam illuſtris matrona nomine RICTRUDIS, tunc ſancto viro fide & nobilitate amica, nunc autem cæleſti ſede beata, aliquando ipſo ſanctiſſimo Sacerdoti ſuum deſtinaverat filium nomine MAURONTUM [b], quem ipſe Sanctus Baptiſmatis unda diluens, Chriſti cauterio notavit. At cùm puer iſdem jam renatus matri eſſet redditus, maligni ſpiritûs tentatio accidit viro Dei tali occaſione. Viſitavit enim equitando jamdictam Deo devotam feminam Rictrudem &c. *Hoc factum ab Alcuino ſuprà cap.* 10. *iiſdem verbis commemoratur.*

a

b

Poſt caput 13. *ſic habet Interpolator:*

3. Quia autem pro eximia ſanctitate clariſſimus atque celeberrimus habebatur, non diu eſt permiſſus eo loco requieſcere, ubi propter infrequens & remotiorem vitam ſemetipſum retruſerat. Jacuit tamen ejus ſanctiſſimi corporis gleba in loco ſupradicto in ligneo ſarcophago quod ſibi à diſcipulo præparari juſſerat, ſpatio quinque menſium & dierum duodecim, id eſt à VI. Kalend. Maii uſque ad VII. Idus Octob. Eo die vel tempore, videlicet VII. Idus Octob. Fratres à Centulo Monaſterio cum ſuo Abbate OCIALDO viro religioſo Sanctique ſucceſſore venerunt, & dilecti Patris venerandum corpus de ſarcophago ligneo levaverunt ita ab omni corruptione liberum, ſicuti ab omni dilectione ſæculi cor. Concurrentiâ ergo tanto Confeſſori debitâ glebam omni auro cariorem devotiſſimè humeris imponentes, præcedente& ſubſequente innumera Religioſorum plebialiúmque caterva, detulerunt Centulam, ut quæ ſancti viri gaudebat genitura, ejus conſequenter ornaretur ſepultura.

Sepultus eſt itaque cum magnifico honore in Eccleſia ſua, quam ſub honore ſanctæ Dei genitricis MARIÆ dudum ædificaverat, VII. Idus Octob. in quo loco à parte capitis ejus B. Petri Principis Apoſtolorum altare habetur, ubi longo quievit tempore uſque ad tempora KAROLI Magni Imperatoris. Iſdem verò præcellentiſſimus Princeps cùm propter frequentiſſima quæ per idem tempus Divina majeſtas meritis ejuſdem S. Patris noſtri operabatur miracula, quorum uſque hodie in ejus Eccleſia retinentur monumenta, ferventis erga eum fuiſſet dilectionis ac devotionis, everſa priori Eccleſia condignam ei ædificavit Baſilicam [c] omni venuſtate & divitiis pulcherrimam: quæ poſteà piratarum incurſione deſolata atque combuſta, vix aliqua priſci decoris repræſentat veſtigia. Carolus Magnus Baſilicâ ad ejus tumulum ædificat.

c

Sitiens autem præfatus Imperator & omni deſiderio concupiſcens ejus ſacratiſſima oſſa conſpicere, cujus carnes æſtimabat more ceterorum hominum in cinerem redactas eſſe; juſſit ei fieri ab aurifice capſam auream quò transferretur, ut deſiderii ſui effectu potiretur. Adveniente ergo optato tempore quo religioſum Principis adimpleretur deſiderium, pretioſum ſanctiſſimi Richarii corpus integrum inventum eſt atque incorruptum poſt C. LX. annos quo præſens reliquerat ſæculum. Et ne cui hoc videatur fabuloſum, atteſtantur verſus metrici juſſu ejuſdem Principis in eadem capſa aurea aureis litteris ſculpti, quorum exemplar uſque hodie inter antiqua Eccleſiæ illius habetur monumenta, quos huic operi dignum duximus adnectere ad confirmandam fidem narrationis noſtræ. B. Richarii corpus integrum reperit.

a Domnus-Richarius, vulgò *Dourier*, opidulum eſt ad Alteiam fluvium, à quo non longè abeſt Ultrum, *Meſoutre*, ſuperiùs memoratum.

b Alcuinus ſuprà cap. 10. Mauronti nomen reticuit. Et ſiquidem Rictrudis filius Maurontus fuerit appellatus, hinc oritur dubium duplex, an Maurontus Rictrudis filius idem fuerit cum Mauronto ſilvarum regiarum cuſtode cap. 12. memorato? tum an is ipſe Maurontus ſanctus qui Broïlenſe Monaſterium excitavit? Primum affirmat Harlulfus in Chron. lib. 1. cap. 19. utrumque Hucbaldus Elnonenſis Monachus in Vita S. Rictrudis: neutrum verò probare poſſumus. Maurontus enim ille *ſilvarum regiarum cuſtos* conjugatus erat, uti ex S. Vvalarici vita ad annum 612. relata conſtat; at Maurontus Abbas Broïlenſis in Actis S. Rictrudis & S. Amati Senonum Epiſcopi conjugium detrectaſſe dicitur. Ille in Foreſti-Cella Monachus factus eſt ex Alcuino ſuprà cap. 12. hic apud Broïlum. Sanè ſi Alcuinus Maurontum illum aulicum eumdem cum S. Richarii filio ſpirituali, Rictrudis libero fuiſſe credidiſſet, in cap. 12. non iis uſus eſſet verbis, MAURONTUS *nobilis quidam vir*, ſed Rictrudis filium jam à ſe cap. 10. memoratum appellaſſet. Lege infrà Mauronti Abbatis Elogium hiſtoricum.

c In Chron. Centul. lib. 2. cap. 7. & ſeq. Angilbertus Abbas adjuvante Carolo M. tres Baſilicas exſtruxiſſe dicitur, primam *in honore Salvatoris & S. Richarii*; alteram in honorem B. Mariæ *citra fluviolum Scarduonem* (vulgò *la riviere aux Cardons*) tertiam *S. Benedicto Abbati, quam ſuper ripam jamdicti fluvioli collocavit*: primam *ad Aquilonem*, ſecundam *ad Auſtrum*, tertiam *ad Orientem*; *Clauſtrum verò Monachorum triangulum factum eſt. Monaſterium igitur ſecundum decretum Regui. ſanctiſſimi* BENEDICTI *ita diſpoſitum fuit, ut omnis ars omnéque opus neceſſarium intra loci ambitum exerceretur.* Idem Angilbertus CCC. *Monachos & centum pueros ſcholis erudiendos ſub eodem habitu & victu* ibidem conſtituit ex cap. 11. ut laus perennis Deo perſolveretur. De his alias.

AN. CHR. DC. XLV. APR. XXVI.

In fronte ſepulcri S. Richarii:

Aurea cæleſtem theſaurum contegit urna,
Cultorem Domini nomine RICHARIUM:
Stemmate præcelſo quem Centula protulit iſta,
Quique loci Paſtor floruit egregius.

In dextro latere:

Poſtpoſito mundi quo grandi fulſit honore,
Amplas divitias ſprevit amore Dei.
Hic corpus proprium frangens certamine duro,
Vir pius & magnus ſemper in orbe cluit.

In culmine arcæ deſuper.

Hic vitam functis, reparavit lumina cæcis,
Leprosiſque ſalus hoc refovente redit.
Plenus Apoſtolicis virtutibus atque loquelis,
Cæleſtes tenuit ſemper in ore dapes.

In ſiniſtro latere.

Huic KAROLUS *Princeps condignum mente benigna*
Perficiens Templum condidit & tumulum,
Poſt ſexagenos & centum circiter annos,
Cùm Domini famulus integer exſtat adhuc.

In fronte pedum.

Ipſius ut meritis capiat cæleſtia regna,
Regnáque Francorum pace quietus agat.

EPITAPHIUM S. CAIDOCI * CONF.

Auctore eodem ANGILBERTO Abbate Centulenſi.

* *De quo in Vita S. Richarii cap. 2.*

* *Ex eod. Chron. loco citato.*

*MOLE ſub hac tegitur CHAÏDOCUS jure Sacerdos
Scotia quem genuit, Gallica terra tegit.
Hic Domini Chriſti gaudens præcepta ſecutus
Contempſit patrias mente beatus opes.
Hinc ſibi concrevit centeni copia fructûs,
Et metit ætherei præmia larga ſoli.
Huic Angilbertus fretus pietate magiſtra
Et tumulo carmen condidit & tumulum.

EPITAPHIUM S. FRICHORII CONF.

CORPORE terreno qui cernitur eſſe ſepultus,
Gaudia pro meritis cælica lætus habet.
Iſte fuit FRICORUS Chaidoco conſociatus,
Quem ſibi conceſſum Centula gaudet ovans.
Hic virtute valens deſpexit proſpera mundi,
Et modò viventi gloria magna patet.
Quando Deo placuit, cælorum regna petivit:
Nunc Angilberti carmine fulget. Amen.

ALIA

ALIA VITA SANCTI RICHARII

AN. CHR. DC. XLV. APR. XXVI.

Metricè descripta ab INGELRAMNO Scholastico, ipsius Sancti Monacho.

Ex MS. cod. Monast. Centulensis.

VITA Patris sancti versu descripta RICHARÎ,
Ipsius famulus quam sibi composuit
Abba INGELRAMNUS, necnon miracula plura
Vitâ actâ gessit quæ per eum Dominus.
Sollers, ô Lector, quamvis sint schemate vili,
Ne pigeat nostros versiculos legere.
Plurima perpendes fuerint quæ digna flagellis:
Attamen utile in his invenies aliquid.
Cùm vitium agnosces, ipse emendare memento,
Utile pertracta quò utilis ipse fias.
Ingenito Patri, genitæ sit gloria Proli,
Sit sancto amborum gloria Spiritui.

INGELRAMNUS Scholasticus FULBERTO Episcopo.

DONO totius prudentiæ, Divinæ scilicet atque humanæ, debriato sufficienter & sobriè, FULBERTO *Præceptori & domino* INGELRAMNUS *Monachus ipsius Scholasticorum vilissimus, ad quam vocamur Divinitatis cognitionem.* Super nostro profectu quem ampliùs te gaudere oporteat, qui nobis ut aggrediamur grandia, paterno affectu sollicitudinem impendere non cessas? Nos tamen dediti pigritiæ, quod utile sapiamus aliquid, vixdum valemus promere. Unde fit, ut quia ut lucretur talentum expendere nolumus, nedum mereamur audire *Euge* delectabile, cum inutili servo subimus damna defossæ pecuniæ. Nostris denique culpis promerentibus agitur, quòd præpeditus pluribus negotiis minùs te prębes nostris adspectibus. Qua in re licet tuæ Sanctitatis non minuatur constantia, nostra tamen justè punitur negligentia: ut qui proferēda occultamus, his quæ opus sunt scire careamus. Quod vitiū taciturnitatis formidans incurrere, nō parvæ materiæ mihi pondus imposui, videlicet Vitam S. RICHARII describere metricè: in qua quomodo fuerat edita rhetorico stilo diligenter & lucidè, nihil addere vel minuere decrevi, metro dumtaxat Scriptoris dicta rependens. Quod ut facerem, non me fingendi nova constrinxit impossibilitas, verùm persuasit imitatio carminis quorumdam venerabilium ex Divinitate canentium: qui refugientes adinventiones novas, sacræ Scripturæ simpliciter repræsentavêre sententias. Quorum labor meo judicio nequaquam deputandus est super alienum fundamentum ædificatio, sed magis Divinorum miraculorum officiosissima recitatio. Singulis igitur principiis quatuor librorum quos edidi, singulos Prologos inserui, ob hoc solùm ut in his postularem veniam mihi Poëtæ novo, cùm invenirentur multa quæ possent annotari vitio. Quod opusculum quia tuo labore faciente confinxi, tuæ correctioni devovi: neque id passus sum proferre palàm, donec tui favoris dignaretur clementiâ. Ergo munus oblatum suscipere ne renue, aures pias inutili carmini commodare ne refuge: ut in hoc etiam laudis tuæ cumulus adcrescat, dum futura noverit ætas habuisse te discipulos alicujus utilitatis idoneos. Quod si impetrare mereor, id negotij nostris conscholasticis manda: sunt etenim digni illorum quidam, quorum auctoritati præbeatur credulitas.

AN. CHR. DC. XLV. APR. XXVI.

PROLOGUS PROPOSITIONIS.

Laus sanctorum & scriptio Vitæ eorum commendatur.

EXPENDIT quoties devotio Christicolarum
In Sanctis laudes: quis laudatur nisi Christus?
Nempe quid ipsius dono fecêre refertur.
Ecclesiastica laus quapropter continuari
Debet, & assiduus fieri concentus in hymnis,
Non tantùm vocis, verùm modulamine cordis.
Hæc equidem Domino Sanctísque placere probatur.
Utile præterea Sanctorum scribere gesta.
Namque Beatorum dum transit vita per aures
Corporeas, animus Divino ardescit amore,
Ac se depositò consortem tegmine carnis
Exoptat, quorum miratur lucida facta.

Auctoris consilium.

Vitam RICHARII quapropter scribere Sancti
Aggredior metro, quo illi qui carmine gaudent
Hanc habeant: prosam quos plus delectat habere,
Illam quam nostri quondam fecêre priores.
Nec solùm scribam vivens quæ mira peregit.
Quinetiam postquam projecit pondera carnis,
Longo sed spatio Sancti caruit quia Claustrum
Scriptorum studio; quamvis perplura patrâsset,
Acsi non fuerint, omnino facta silentur.
At postquam ingenij nostri scintilla reluxit,
Gratia quam Domini succenderat omnipotentis;
Pastor præfatus fecit miracula si qua,
Juxta quod potui, curavi tradere chartis.
Pondera & ut nostri fierent majora libelli,
Hæc illis junxi quæ industria prisca notavit.
Nec cupidus laudis (mens est mihi conscia testis)
Hoc opus incœpi: cupiens sed scire futuros
Pastorem nostrum tales habuisse clientes,
Qui, etsi imperfectè, sapuerunt ludere versu.

[a] Opus in 4. libros partitum.

Sed tres antiquo quia sunt in codice libri [a],
Hunc numerum metrum contendit reddere nostrum:
Quas etiam metas illi noscuntur habere,
Me dare constitui quos sum scripturus & ipsis.
Insuper ex multis memorans miracula pauca,
Quæ Sancti meritis nostris sunt gesta diebus;
Aggredior librum reliquis superaddere quartum.

Ætas auctoris [b].

Non bene compositos notet & ne fortè quis illos,
In studio memet fateor cùm fingere cœpi,
Ternos annorum nondum impleviſſe dierum [b].

PROLOGUS INVOCATIONIS.

AUCTOR perpetuæ lucis largitor & index,
Æternum tibi qui Natum ingenitus genuisti,
Per quem fecisti quidquid subsistit in orbe,
Perlustras totum sancto qui Flamine mundum,
Quem credunt cuncti retinet quos Ordo fidelis;
Sic Personarum distinctum nomine terno,

[a] Nimirum liber Vitæ ab Alcuino, & duo libri Miraculorum inferiùs relati, ab anonymo editi.
[b] Hoc est nondum impleviſſe tres annorum hebdomadas, seu annos unum & viginti, si rectè divinamus.

Simplex ut Deitas maneat tibi ſemper & una; AN. CHR. DC.XCV. APR. XXVI
Monſtras antiquis typica qui Lege Beatis
Quæ reſerat ſumens JESUS de Virgine carnem;
Menti infunde meæ donum cæleſte benignus,
Oſque reple laude, ut poſſim cantare decenter
Quæ per RICHARIUM geſſiſti mira beatum.
Sicut enim errorem ſequitur cui tu via non es;
Sic quiſquam ſine te poterit nil dicere de te.
Voce quidem novi te commonuiſſe Prophetæ
Dilatetur ut os, quia ſis implere paratus.
Ad ſucclamandum quapropter præparo linguam:
Da guſtare mihi quàm ſis bonus atque ſuavis,
Ut valeam paſtus tanta dulcedine verbum
Eructare bonum, canere & magnalia Regis
Cuncta gubernantis, qui nos de fauce leonis
Eripuit tetri: cujus pietate ſoluti
A vinclis mortis, cæli ſuper aſtra levamur.
Nutu namque tuo cælum volvuntur & aſtra,
Tendit ad alta ignis, terrarum pondus ad ima,
In mare cunctarum curſus feſtinat aquarum:
Omnia claudit hiems, ſolvuntur & omnia Vere,
Æſtatis fervor terrarum ſemina ſiccat,
Decutit arboribus fructûs Autumnus honorem:
Noſcitur atque nihil naturæ in rebus haberi,
Quod præceptorum contemnat juſſa tuorum.
Errores cunctos da me vitare nocivos,
Ut pateat duce te ſemper mihi ſemita vitæ.

I. *Quòd Sanctum patres genuerunt relligioſi.*

SI quis Francorum ſtudiosè geſta priorum
Scrutatus fuerit, diſcet bellando frequenter
Primos barbaricas Reges ſuperâſſe catervas;
Sícque DAGOBERTM Regnum tenuiſſe quietè,
Dici ut pacificus poſſet Salomónque ſecundus.
Ipſe manu larga populis popularia dona
Præbuit, & dignum Chriſti ſervis famulatum.
Pluribus ínque locis terræ cœpêre coloni
Tunc Ædes fundare ſacras, & relligioſus
Accrevit Domino populus. Quo tempore fulgens
Lucifer aſtriferas ſicut reſplendet in auras,
Claruit in villa claris è patribus ortus,
Laribus à centum fuerat quæ Centula dicta,
Carum Richarius cunctis & amabile pignus:
In quo nobilitas generis nec ſola refulſit,
Moribus in ſanctis permanſit denique conſtans,
Ut laïcus vitæ gereret præſagia ſanctæ.

II. *Arripuit callem quibus erudientibus artum.*

TUNC & Pontivus meruit ſplendeſcere pagus
Fortè Sacerdotum radians fulgore duorum:
Nomen majoris quorum fuerat CAÏDOCUS,
Egregios meritis quos miſit Hibernia nobis.
Ex ipſis populus temnens audire ſalutem,
Non recipit dignè, digno nec tractat honore;

AN. CHR. DC. XLV. APR. XXVI.

Sed magis à propriis cœpit depellere metis.
Quorum crudelis ſanctum violentia movit
Richarium, & Juſtos rapiens à plebe feroci
Hoſpitium tribuit, tenuit, fovítque benignè,
Diſponente Deo, quo ſalvarentur utrique.
Succenſúſque diu Divino lumine lychnus
Nec claudi valuit, radios ſed in ampla tetendit.
Namque peregrinos poſtquam ſuſcepit in ædem,
Ipſis corporeos ſumptus largitur, ab ipſis
Sollicitus vitæ capiens compendia ſanctæ.
Nec tellus ſterilis percepit ſemina verbi:
Sed menti inſeruit, carnis quod ſumpſit ab aure,
Quamplura & Chriſti portavit ad horrea grana.

III. *Qualiter exactæ deflevit crimina vitæ.*

Sic quoque magniloquûm ſancta ratione virorum
Cæleſtíque ſimul tactus ſpiramine ſanctus,
Mente pia propriæ pandit peccamina vitæ:
Atque juventuti ſi quid vitioſa voluptas
Contulerit culpæ, lacrymarum flumine terſit,
Hoſpitiúmque Deo quia ſub ſpecie famulorum
Præſtitit, ipſius fuit à pietate receptus.
Extunc ſumpſit enim primordia Relligionis,
More & Apoſtolico poſtponens poſteriora
Prudenter ſeſe rapiebat in anteriora:
Verſiculíque memor Pſalmiſtæ vaticinantis,
Qui tranſire refert à virtute ad virtutem
Electos, Dominum ut quiviſſet adire deorum.

IV. *Quòd pollens multâ eſt factus virtute Sacerdos.*

Post ſe carnali tantum frenavit ab eſca,
Ut corpus potiùs nutriret quàm ſatiaret
Laſſatum longis jejunîs robore panis
Conjuncti cineri, lacrymis aucto quoque potu.
Hócque cibo tentus, carnem ſervire coëgit
Spiritui, pugnans aëris nec perculit auras,
Sed corpus fregit, ſub ſervitiúmque redegit:
Doctrinæ Chriſti lator ne fortè futurus,
A quoquam ex aliquo poſſet reprobarier actu.
His igitur multíſque aliis profectibus auctus,
Sancta Sacerdotis ſic ad faſtigia venit:
Chriſtum ut qui promptus fuerat per plura referre,
Congruus hoc tanto quo non caruiſſet honore,
Hunc famulus Chriſti fructu pietatis adornat,
Hunc præceptorum geminûm donavit honore,
Hunc quæ ſunt Domini demonſtrans amplificavit:
Cultor & ut ſapiens Divino vomere ſulcans,
Sentes peccati de Chriſti vulſit agello,
Atque ſalutiferum roravit mentibus imbrem.

V. *Quòd prior implevit, quæ alios facienda docebat.*

Quo fuſo, pietas Domini nec defuit alma:
Quippe Fidem noſtræ fecit ſuccreſcere gentis.
Unde Dei ſervus carus cunctis & amandus

Exſtitit & meritò. Quonam non dignus honore
Eſſet, mellifluo qui quod ſermone docebat,
Prævius hoc ſacro monſtrabat ſignifer actu?
Si quid & à populo doctrinæ in ſtipe recepit,
Illud egenorum delegit ſumptus ut eſſet.
Quinetiam vitæ venturæ ductus amore
Decrevit lucem non ſollicitare ſequentem.
Creditor ô felix, ô vir recolende per ævum,
Dum præſtas parvum, cæli qui regna lucraris!
Denique ſolamen miſeris, tectum peregrinis
Exhibuit, viduis tutor fuit atque pupillis:
Ut Job pes claudis, oculus quoque lumine demptis.

ANN. CHR. DC. XLV. APR. XXVI.

VI. *Quòd miſeros fovit, rigidos duréque domavit.*

NEc deſpexit opem laceris conferre leproſis:
Sed promptus lavacris ipſorum membra refovit,
Intrat in hæc etiam poſt illos ipſe lavandus.
Quídque Propheta pio quondam præceperat ore,
Frangere qui panem jubet eſurientibus, atque
In tectum Chriſti conducere mandat egenos:
Ille Deo plenus ſurdâ non ſumpſit ab aure.
Nec ſibi conjunctis tantùm ſolatia carnis,
Sed recreans animos, impendit verba ſalutis:
Et ſolabatur ſicut pietate miſellos,
Durâ ſic domuit ſub conditione ſuperbos.
Nec foris humanus valuit devincere terror,
Interiùs Chriſti quem perluſtraverat ardor.
Non fuit à vento quæ turbaretur arundo,
Poſſet ut ullius lingua fallente reflecti:
Semper ſed ſolidè ſiſtens bonitatis in arce,
Humano ſeſe tempſit reprehendier ore.
Sic Domino plebem, & Domini ſibi junxit amorem.

VII. *Quòd tribuit, ſibi nil retinens, oblata miſellis.*

HUjus & à populo Sancti devotio ſancta
Poſtquam conſpicitur; colitur, veneratur, amatur:
Donatur donis. In eum* dilectio duplex
Sed quoniam fuerat, partim diſperſit egenis
Hæc eadem, partim captos ex hiſque redemit.
Namque diabolicis alios erroribus actos
In culpam, ſolvit vitæ documenta miniſtrans.
Mundanis dominis retributo & munere digno
Plures ſervili poſitos ſub lege redemit,
Ut poſſent animæ primi gaudere ſalute,
Ferre jugum Domini fieret leve atque ſecundis.

* *lege* in eo

VIII. *More Prophetarum implevit quòd Spiritus illum.*

NEc ſolùm Divina docens in partibus iſtis
Innotuit magnus, clari ſed Solis ad inſtar
Oceani glaucis qui mox ut ſurgit ab undis
Depellit radiis tetræ veſtigia noctis;
Promptus ad indoctos ſatagit tranſire Britannos,
Illuſtrans patriam variis erroribus atram.
In qua per ſpatium dum longi temporis ipſe
Stat non ſegnis in his quæ ſunt Divina docendis;

AN. CHR. DC. XLV. APR. XXVI.

Illius in mentem fertur veniſſe repentè,
Servos in patria quoſdam quia liquerat iſtâ
Nondum libertos ex conſuetudine factos.
Ad ſocios inquit, ſe hoc percutiente dolore:
Heu! nos ſolliciti dum feſtinamus ad iſtos,
Servili proprios ſub conditione legatos
Liquimus in patria, novi citò quos morituros.
Litus quapropter quam feſtinanter adite,
Undas atque maris certatim carpite remis,
Mittentéſque manum famulos abſolvite noſtros.
Haud ſecùs ac juſſit patrantes rite miniſtri
In patriam veniunt, Sancti ſanóſque clientes
Inveniunt, donant ac libertatis honore.
Qui facti ingenui, revoluto tempore parvo,
Dixerat ut Sanctus, ponunt habitacula carnis.
Ingens ô Domini quanta eſt clementia Chriſti!
Qui famuli in mentem ſevit pietatis amorem,
Finem ſervorum monſtravit quíque propinquam.
Huic ne de propriis periiſſet opus miſerantis,
Nec gravitatis onus morientibus impoſuiſſet.
Extunc qui nullum ſub ſe retinere volebat,
Sed ſibi ſubjectos ſtuduit diſſolvere cunctos,
In propriis durus ne cenſeretur haberi,
Externis mitem qui ſe præbere parabat:
Quódque ſalute lucrum collegerat ex aliorum,
Per pietatis opus poſſet cumulare ſuorum.

IX. *Quàm fuerit conſtans rediens à parte Britannûm.*

DOCTRINÆ agreſti qui poſtquam pabula plebi
Contulit, ad patriam properat remeare relictam:
Meſſoris cupidi morem ne fortè ſequendo,
Quærere in alterius gaudet dum præmia meſſe,
Perderet ipſe manu propria quam ſeverat ipſam.
Chriſti & in obſequiis tanto flagravit anhelus,
Quanto diem propè cognovit ſibi muneris eſſe.
Denique jejunans vires carnis macerabat,
Afflixit ſemet vigilans, munivit & orans,
Conſolidavit ſpe, fidei præcinxit & armis;
Nullius atque malis motus maledicta rependit.
Non ſprevit quemquam, nullum decepit adulans.
Scilicet ut vitæ callem prior ingrederetur
Actu, quem plures ſancto ſermone docebat.
Sic galeâ tectus, cinctus gladióque ſalutis,
Undique juſtitiæ circumdatus atque loricâ,
Sanctæ etiam fidei tutus munimine ſcuti,
Ad bellum vivax antiquum vadit in hoſtem,
Illius ac pellens ardentia tela frequenter
Vicit, & Eccleſiæ Chriſti ſpolia ampla reduxit:
Ipſi tantò magis hoſti metuendus iniquo,
Utilis humanis quantum meruit fore * cauſis.
Nam ſibi non ſolùm ſed multis ſubveniebat.
Denique multorum juſtè celebratur ab ore,
Multos per Chriſtum qui defendebat ab hoſte.
Cujus virtutum non tanti eſt dicere geſta,

* eſſe

AN. CHR. DC. XLV. APR. XXVI.

Quanti quæ fuerit virtus cognoſcere tanta,
Multam qua plebem Domino dum vivit adunat.
Indoctos etenim cæleſti paſcere pane
Ne quiſquam dubitet, ſigno quod prævalet omni.
Quamvis dum tempus, dum convenientia rerum
Poſcunt, effectus non deeſſet mira operandi,
Vir ſanctus Domino quæ concedente peregit.

x *Orans tentantem ſe quòd proſtraverit hoſtem.*

DENIQUE ſuſtinuit tentatus ab hoſte ruborem,
Quem Domini pietas in laudis vertit honorem.
Viſens ſubſidio quamdam ſuffultus equino
Matronam, ſancta ſub relligione pudicam,
In cujus vitæ qui poſtquam pectora ſanctæ
Dogmata transfudit, diſponit fortè reverti.
At mulier nati deportans membra puſilli
Inſequitur Sanctum, quatinus benediceret illum,
De fontis ſacra quem jam ſuſceperat undâ.
A Sanctóque Dei jam vix infante recepto,
Antiquo inſidias hoſte exercente vetuſtas,
Dentibus infremuit ſonipes, pedibúſque relaxis
Vertitur in rabiem, currítque, ſalítque, meátque.
Quod cernens, ſtupidos genitrix avertit ocellos,
Interitum pueri videat ne fortè ruentis.
Aſt utriuſque timens damnum vulgus famulorum,
Non fletus, planctus, luctus emittere ceſſat.
Petrum cunctantem ſed quæ ſuſcepit in undis,
Dum cecidit puerum conſervat dextera Chriſti.
Munera namque precum poſtquam porrexit in altum
Vir Domini, inlæſus puer incolumíſque repentè
Ad terram venit, vector datur atque quieti,
Et mater lætis prolem amplexatur in ulnis:
Ad decus & famuli Dominus ſic tranſtulit hoſtis
Fraudes, ac humili doctrix fuit ala ſuperba.
Denique nullius voluit conſcendere poſthæc
Dorſa ferocis equi, potiùs ſed mitis aſelli:
Nempe tenens, mortem properat dum ſumere Vita,
Iſto quòd vili fuerit geſtamine vecta.
Causâ doctrinæ ſic dum loca plura peragrat,
Sedulus huic Sancto lator ſuffecit aſellus.
Et quocumque ſui greſſûs veſtigia flexit,
Aut reſonat Chriſto ſancto modulamine Pſalmos,
Illius aut verbum doctrinæ auditur ab ore.
Nec mirum linguâ Chriſtum ſi prędicat ipſe,
A cujus ſobria modicùm nec mente receſſit:
Per quem conſuluit miſeris, durúſque ſuperbis
Exſtitit, angorem ſolans clementer eorum,
In-que-crepans rigidè mores compreſſerat horum.

XI. *Quòd famâ motus hunc viſit Rex* DAGOBERTUS.

TEMPORE nam quodam Sancti rumore coactus
Militis atque ſui cujuſdam GISELEMARI
Suggeſtu, partes præfatus venit in illas
Rex DAGOBERTUS, famulum Dominíque reviſit,

AN. CHR. DC. XLV. APR. XXVI.

Se cupiens hominis precibus committere tanti.
Quem Sacer egregius gemino dignatur honore:
Roborat hunc ſanctæ ſancto ſignamine dextræ,
Corrigit audacter paſſus neſcire verenter,
Suadens mundanam penitùs contemnere pompam,
Credulus ac linguis diſcat non eſſe doloſis:
Nónque caducorum gradibus gauderet honorum,
Sed magis Æterni formidet poſſe potentis,
Illius atque ſuo maneat laus ſemper in ore:
Sedulus ac teneat, quia nulla potentia mundi eſt,
Quæ dum magna viget, tenuis vacuatur ut umbra:
Inſtar & exiguæ gignunt quam flumina ſpumæ
Labitur, ad modicum ſi flat tentatio venti.
Immo pati tractet Magnos tormenta potenter,
Cuíque datur multum, multum quæretur ab illo:
Qui vix atque Deo rationem reddere pro ſe
Sufficit, ex multis quo pacto ferre valebit?
Ut prę̨ſit potiùs quàm ſubdi quiſque vereri
Idcirco debet. Nam qui ſubjectus habetur
Pro ſe portabit ſolo pondus rationis:
At contrà regni qui ſublimatur honore,
Ante Deum proprio, multorum & faſce premetur.
Hęc ſobriam Regis penetrat correctio mentem,
Utque ſuus fiat poſcit conviva Sacerdos.
Normâ qui Chriſti fretus convivia mundi
Non aſpernantis, doctrinæ occaſio naſci
Ex hoc ut poſſet, regalem venit ad aulam,
Occupat atque diem totam cum nocte ſequente,
Vitæ cę̨leſtis præbens epulantibus eſcas.
Cujus & intantum mulſit conſtantia Regem,
Quædam de proprio cenſu ut concederet illi,
Unde Dei Templo poſſet lucere lucerna:
Omnino juſtum reputans, ut ſicut ab illo
Inluſtratus erat Divino lumine, Templum
Munere viſibili Domini inluſtraret & ipſe.

XII. *Quòd vitare volens homines, deſerta petivit.*

PLURIBUS à populis quia vir Domini veneratur,
Adſpectus hominum vitare exinde volebat:
Ut dum terrenos cautus devitat honores,
Contemplaretur ſecum cæleſtia tantùm.
Mundum deſeruit mundus, eremúmque cupivit,
Ad cultum Domini quò poſſet liber haberi,
Comtemplativos & quò decerpere fructus,
Dum tenet activos ad quos non ſegnis anhelat,
Pertractans Dominum partem laudâſſe Mariæ,
Optima quòd fuerit, quòd non raperetur ab illa.
Hoc memorans, vitam contendit adire remotam,
Quò rimaretur cæleſtia ſola frequenter.
Tradidit Eccleſiam necnon quam fecerat ipſe
Sub cura alterius Procuratoris habendam.
Cui GISELMARUS Divinæ legis amator
Editus & clarâ MAURONTUS ſtirpe parentum,
Terras & ſilvas Regis collata poteſtas

Cui

Cui tunc ſervandi fuerat, tribuêre manendi
In ſilva loculum devoti Chriſciacenſe.
Qui pòſt Maurontus Divino ductus amore,
Armis depoſitis habitum ſumpſit Monachilem.

AN. CHR. DC. XLV. APR. XXIX.

XIII. *Quòd Templum in loculo ſibi conceſſo ædificavit.*

QUo verò in loculo Sancto magale parârunt
Præfati heroës, jecit fundamina Templi
Sanctus, & hanc uno tantùm comitante miniſtro
Ingreditur cellam vili nimiùm ſtrue factam,
Congruè quò vitæ fieret habitatio ſanctæ:
Qui temnit mundum decernens, eſſe ſuperbum
Delicias mundi ſi conſpiciatur habere.
Duriter ac ſeſe tam mortificavit ibidem
Orans & vigilans, jejunia crebráque ſolvens *,
Ut vix juncturis hærerent oſſa relaxis,
Difficilè & trepidos baculo cuſtode movebat
Greſſus: ac ſcandens animi conamine mundum,
Semper mente pia tractat cæleſtia ſola.
Huic alienus erat ſæclo, Chriſtóque propinquus.
Illum pugnabat contra, expugnabat & illum,
Qui lætabatur quondam quòd vicerit Adam,
Aſpipedem ſuper incedens ſimul & baſiliſcum,
Antiqui caput aſſiduè contriverit hoſtis.
Deſpiciens terram, cæli ſuſpirat ad aulam,
Per ſcalámque Jacob jugiter ſcandebat ad illam:
Atque per anguſtum qui ducit ad æthera callem,
Continuis precibus munivit iter venerandum.
Nec ſtricturæ eremi lucis clausêre columnam:
Amplo quinetiam radians fulgore refulſit.
Quare multigenis plures angoribus acti
Ad ſanctum coïvêre virum, quos ipſe benignè
Suſcipiens, ſanare precum ſtuduit medicinis:
Et quo quiſque fuit morbo vexatus, ad ipſum
Accedens, ſanus propriam remeavit ad ædem.

* perſolvens

XIV. *Cum famulo Sanctus loquitur de morte futura.*

AST ego virtutes hujus non promere cunctas
Propoſui, vitæ ſed tantùm inſignia ſanctæ:
Ne nimiùm tardæ dum judicor eſſe loquelæ,
Quæ egit multorum ſignorum fama tepeſcat.
Spiritus hoc præſens ſęclum quo finè reliquit
Dicere jam ſatis eſt, doctis hæc ipſa relinquens.
Namque diem noſcens carnis quâ ponere tegmen
Deberet, longi munus capere atque laboris;
Accerſit famulum ſibi qui fuerat SIGOBARDUM;
Quem ſic demulcens affatur voce paterna:
O Fili, propriam carnem citò cerno ruendam,
Quémque diu cupij conſpectum Regis adibo.
Vas quo condatur corpus ſed perge parare,
Non nimio cultu, ſed carnis ut exigit uſus;
Tempus aduſque illud quo conſervetur ibidem,
Quo incorruptelam ſumet corruptio cuncta.
Téque para ſemper toto conamine, Frater,
Quæ mihi nunc inſtat tibi quo cùm venerit hora;

AN. CHR. DC. XLV. APR. XXVI.

Hoc fragile abſque metu poſſis deponere corpus.
Ipſe viam gradior tellus quam tota tenebit:
Subveniat mihi nunc Chriſti clementia tantùm,
Eruat atque modò tetri de fauce leonis,
Olim morte ſua qui me ſubtraxit ab illa.
Et qui præſentis tribuit ſolamina vitæ,
Largiter ipſe mihi concedat dona futuræ.
Hæc Pater: at fletus famulum ſolvebat amarus.
Sponte piâ tamen ipſius præcepta ſecutus,
Invento ligno, finditque, cavátque, parátque,
Utque valet, ſatagit membris aptare paternis:
Quódque opus effecit, mæſtus plorando rigavit.
Pæne priùs lacrymis implens quàm corpore Patris.
Interea à famulo Sancti dum juſſa fiebant,
Languoris gravior Sanctum decoxerat angor,
Et vix in gelido permanſit corpore fletus.
Os tamen à precibus Chriſti nec laude repreſſit.
Dúmque ſalutiferam Divini corporis eſcam
Sumeret, aſſiduis fundens rogitamina verbis,
Sexto dum Maïas mundum celebrare Kalendas
Cernebat Phœbus, tranſivit ad æthera Sanctus.
Quem ſervus poſuit vivens ubi juſſerat ipſe.
Sed mirum dictu! peragit dum funera Patris
Diſcipulus, ſubito ſe ſubripiente ſopore
Obdormivit, claram quaſi traheretur in aulam,
Vidit & in viſu, pulchram nimióque decore,
Quæque etiam rutili vincebat lumina Solis:
In qua Richarium cernens habitare beatum,
Audivit vocem ipſius ſibi talia fantem:
En, Frater, qualem Chriſtus mihi contulit ædem;
Pro vili caram, fulgentem pro tenebroſa,
Pro fumi plena tanto fulgore coruſcam.
Qui poſtquam ſomno fuit experrectus ab illo,
Lætior obſequium compleverit exſequiarum,
Diſponente Deo, talis tam grandis ut angor
Soletur famuli, & monſtretur gloria Sancti.
A Famulo Sanctus ſicut retuli ſepelitur,
Qua Chriſti Regis ſervibat maximè votis.
Nec diuturna quidem pòſt intervalla fuêre,
Abbas cum Monachis quos Centula fundus habebat
OCIOALDUS, vir non parvæ relligionis
Quòd venit, ſancti corpus tulit atque Richarî
Idibus Octobris, poſuítque ubi nunc requieſcit.
In quo ſæpe loco miranda Deo tribuente
Fiunt, ſancta fides orantûm quo patefiat,
Ac meritis cujus fuerit Sacer ille ſciatur,
Pſalmiſta útque canit, Chriſtus laudetur in illo.

XV. *Quidam contractus ſit ſanus Sancti apud antrum.*

CONTRACTUS membris, fidei ſed robore fortis,
Quidam ſæpe rogans Sancti veniebat ad antrum.
Hic ſubitò loculo diſcedens ſanus ab illo
Glorificat Dominum, quòd ſic ſuffultus abibat.
Nec tamen hic ſolus meruit ſentire juvamen,
Quinetiam multi ſimilis quos gratia viſit.

AN. CHR. DC.XLV. APR. XXVI.

XVI. *Quòd Sancti meritis ſolvuntur vincla reorum.*

QUIDAM conſtricti vinclis vinctique catenis
Per callem Templo vicinum fortè Richarî
Deducebantur: quod mox alongè videre
Ut poſſunt, clamant: Chriſti nos ſolve Sacerdos.
Ferrea tunc meritis rumpuntur vincula Sancti.

XVII. *Frater ſalvatur, plures quum peſte peribant.*

SED quid perpeſſus fuerit de Fratribus unus
Sancti Richarij, nunc exigit ordo referre.
Crudelis quondam clades multos perimebat
Indigenas terræ, dirâ quâ denique clade
Sancti percutitur Richarî è Fratribus unus:
Qui licet exitium mortis pro clade timeret,
Vitam ſub tanto didicit ſperare Patrono.
Ergo ad mauſoleum Fratrum comitante caterva
Sancti confugit velut ad ſolatia certa.
Dúmque preces ibi cunctorum funduntur ab ore,
Qui fuerat paſſus, gaudet diſcedere ſanus.

XVIII. *Vox exhortantis nexa eſt in fine libelli.*

COLLIGAT Auditor quid noſtra fides mereatur,
Interceſſorem ſi nobis quærimus illum,
Tam citò corporeos qui adſuevit pellere morbos.
Nam meritum Sancti monſtrant miracula geſta,
Cernitur atque ſequens vitam ſignare priorem:
Quódque fuit Sanctus, narrat poſt funera virtus.
En pauper Chriſti, Fratrum perpende caterva,
Ipſius conſors eſt factus divitiarum:
Qui ante oculos hominum deſpectus & eſſe cupivit,
Anglôrum * ſocias nunc gaudet habere cohortes:
Quique in præſenti mundo vitavit honores,
Lætatur, cælum meruit qui jure perenni.
Cunctorum dignus quapropter honore videtur,
Cunctorum Domino mitis qui ſemper adhæſit.
Expedit & nobis præ cunctis hunc venerari,
Illius membris qui cernimur eſſe propinqui:
Ut quos nutrivit Divini ſemine Verbi,
Noverit heredes ſibimet ſuccedere dignos.
Illi nec tantum Sancto laudatio noſtra,
Illius quantum confert imitatio nobis.
Denique plus gaudet ſi quis bonus illum imitatur,
Quàm ſi clamoſo vacuus quis prædicat ore.
Unde Patres ſancti Fratréſque cohórſque fidelis,
Feſtum devoti qui tanti Patris adiſtis,
Ut ſitis digni ſtudium exercere laborum,
Ipſius precibus veſtri quo vota rogatus
Conſcendant ſummi ſolij faſtigia Regis;
Spirituali vos ipſos ornate decore,
In vobis duplex vigeat dilectio ſemper,
Aſſiduè ac maneat ſpei fideíque lucerna.
Quámque Patres ſancti normam docuêre ſecuti,
Ipſis in cælo ut poſſitis conſociari.
Utque jubet Paulus mundi nocitura negantes,

* Angelorum

AN. CHR. DC. XLV. APR. XXVI.

Contenti juſto, ſæclo vivatis in iſto,
Adventum Domini ſpectantes ſpémque beatam,
Qui nos à vinclis mortis moriendo redemit,
Exutos culpâ populum ut faceret ſibi gratum,
Gloria cui par eſt cum Patre & Flamine ſancto.
Sit ſatis hæc Sancti de vita pauca tuliſſe,
Jam labor expoſcit primum finire libellum.

LIBRI II. CAPITULA.

PROLOGUS. In eo nihil ſingulare continetur: de Scriptore miraculorum hæc habentur:

Quæ quia rhetoricus Scriptor numeroſa videbat,
Cura fuit geminos illi facere inde libellos.

CAP. I. *VILLÆ Sidrudis quædam narratio mira.*
II. *De quadam tilia in villa quid contigit ipſa.*
III. *Erupit Sancti meritis quòd fons in eadem.*
IV. *Sanatur Sancti mulier Burgundio vino.*
V. *Contrahitur quædam meretrix, ſanatur & ipſa.*
VI. *Peſſima cujuſdam miſeri piſcatio furis.*
VII. *Femina contractis manibus ſanatur utriſque.*
VIII. *Qui fur non fuerat quidam pro fure tenetur.*

Hîc apud anonymum inſeritur contractæ feminæ curatio.

IX. *Ex utero matris ſanatur cæca puella.*
X. *Fratres Danorum tollunt formidine Sanctum.*
XI. *Dum referunt Sanctum, ſanatur languidus unus.*
XII. *Necnon hydropicus reditu ſalvatur & ejus.*
XIII. *Vnius pueri refovetur debile corpus.*
XIV. *De quodam cæco contracto & corpore toto.*
XV. *Donatur viſu quædam muliercula cæca.*
XVI. *Cujuſdam vincti rumpuntur vincula ferri.*
XVII. *Luditur inluſor quidam dum pervenit ad nos.*
XVIII. *Erigitur Sancti in feſto contracta puella.*
XIX. *Altera peſte pari quædam fit ſana puella.*

CAPITULA LIBRI III.

PROLOGUS. Nihil habet notatu dignum.

CAP. I. *IN viſu vidit mulier paupercula Sanctum.*
II. *Sanctus furantem quemdam increpat atque flagellat.*
III. *In Sancti feſto moritur muliercula texens.*
IV. *Erigitur quædam miſerè contracta puella.*
V. *Ad Sanctum ductus donatur lumine cæcus.*
VI. *Quidam contractus toto fit corpore ſanus.*
VII. *Salvatur quidam à miſero cruciatu oculorum.*
VIII. *Solvitur unius hominis contractio dira.*
IX. *Quidam ſanatur cunctos per corporis artus.*
X. *Fit ſanus cui damnârat contractio lævam.*
XI. *Cujuſdam erigitur contracta ſiniſtra puellæ.*
XII. *Lætatur quædam ſalvâ mulierecula dextrâ.*
XIII. *Contracti pueri ſanatur debile corpus.*
XIV. *Eloquium recipit primævo à tempore mutus.*
XV. *Contractus puer in cunis ſalvatur & unus.*
XVI. *Danus corrigitur Divino jure ſuperbus.*

MIRACULA ſuperioribus indicata Capitulis, ab INGELRAMNO deſcripta hîc prætermittimus, cùm præter metri formam nihil habeant diverſum ab iis quæ ex Auctore primario mox ſubjiciemus. Addidit Ingelramnus librum quartum de Relatione corporis S. Richarij & miraculis exinde conſecutis, quem librum Sæculo V. Benedictino referemus.

MIRACVLA S. RICHARII

AN. CHR. DC.XLV. APR. XXVI.

Scripta duobus libris à Monacho Centulensi anonymo, quem anno DCCC. LX. vixisse ex libro 2. apparet.

Ex Mss. codicib. Centul. & Compendiensi.

LIBER PRIMUS.

SANCTORUM sacra miracula operante Divina clementia Angelico didicimus oraculo esse propalanda, qui inter cetera loquitur ad beatum Tobiam: *Sacramentum*, inquiens, *Regis abscondere bonum est, opera autem Dei revelare & confiteri honorificum est.* Qua nos admonitione tacti, ea quæ pro meritis beati Richarii miracula divina peregit dignatio, litteris mandare studuimus: & quia incuriâ antiquorum omnia prætermissa videntur, nisi pauca quæ in vita ipsius attitulata sunt; operæ pretium duximus, ut quæ fidelium adstipulatione testium collegimus, incipere à moderamine regni piissimi Cæsaris LUDOVICI; & cetera usque in præsens, quantum facultas memoriæ suppetit illorum, deducentes. *Tob.* XII. 7.

CAP. I.

Anno sacræ Incarnationis Domini nostri JESU octingentesimo quartodecimo, Indictione septima, dum felix Francia sub glorioſissimi Cæsaris LUDOVICI moderamine omni venustate floreret, obtinuit beneficio ipsius Principis HERICUS Abbas regimen Monasterii B. Richarii: quod dum teneret, adeptus est quidam suis precibus ex vassallis ipsius, nomine HEUTO, villam Sidrudem quæ erat in sorte Fratrum deputata ad calciamenta & ad quædam illorum alia vestimenta. Ipsa est nimirum quam antiqua suis posteris intimavit industria per generationis ordinem, quam venerabilis Pater noster Richarius solebat mansionis hospitium tenere, cùm Oceani æquoreos transfretare campos studuerat: partim salutiferæ incumbens prædicationi regionis Britanniæ, partim etiam in captivorum desudabat redemptione. Fuit enim propè nemus, quod usque hodie aliquod sui dat indicium, ubi illum accolæ loci ipsius, & in iter carpendo & inde redeundo lassitudinem corporis temperare, & sacras fundere orationes, linea genealogiæ ducente prodiderunt. Inter quæ erat quædam fagus, juxta quam jugiter ipsum consuetæ insistere orationi iidem coloni tradiderunt, quæ postea ab illis inreverenti honore habita est. Quam animi devotionem sancti viri ut quædam nobilis femina ad cujus dominatum ipsa possessio pertinebat, aure cordis percepit, quæ vocabatur SYGETRUDIS, à qua postea ipsum territorium obtinuit nomen [a], in tanto caritatis glutino dilexit eum, ut ei ipsam villam traderet perpetuò habendam. Hanc dum consecutus esset prædictus Heuto, cœpit libera ea uti potestate. Quadam autem die dum rura illius circuiret, super jamdictam fagum venit: quam dum enormem esse intuitus esset, jussit incidi, & quia apta esset ad ministerium foci judicavit. Cui sui servi professi sunt se minimè hoc audere perpeti, eoquòd paterna traditione didicissent illum esse sacratum fustem, & ibi B. Richarium consuevisse orare cùm transmarinos peteret fines, & ei omne istius rei capitulum texuerunt. Quod ille superba mente contempsit, dicens hanc esse vanam observationem, & ob hoc non debere dimitti ut non inciderétur. Qua vi constricti fecerunt ut à suo domino acceperant mandatum. Sed dum incisa fuisset & per partes truncata, superiores findi potuerunt. Et cùm ventum esset ad penultimum, invenerunt ibi capillos, velut reliquias, & quasdam barbæ

* *Hæc de verbo in Chronicon suum retulit Hariulfus lib 3. cap. 1.*

Heuto arborem Richarii nomine famosam excidens punitur.

[a] Nomen loco per contractionem *Sidrudis*, vulgo *Sorres* prope Monasteriolum opidum vulgo *Montreüil*.

AN. CHR. DC. XLV. APR. XXVI.

inciſiones. Quod cùm ceteri in honore haberent, ille omne juſſit ſpargere, confirmans dementium opus eſſe. Cùm verò ultimum findere tentâſſent cum malleis & cuneis & omni hujus generis machinamento, reppulit omnia, & indiviſibilis permanſit. Et dum fatigarentur caſſo labore, itaut erat integer, juſſit carro imponi, & ad domum ubi ipſe habitabat deferri: & vocavit quemdam colonum nomine Herrardum, cui delegata eſt providentia illius, rogans ſibi equum adducere, & ut ipſe ſecum iret gratiâ leporini venatûs imperavit. Erat enim ipſe Herrardus hujus ludi ſciolus. Et ubi vix equitâſſent ſpatium quantum bis aut ter jactus eſt fundę, cœpit anxiari & ſe profiteri graviter infirmitate torqueri. Qui dum hortaretur à prædicto Herrardo, ut ſi deſcendiſſet equo, & paullatim in ſinu quieviſſet illius, ſperare ſe illum leviùs habere, conſenſit & nequaquam illi juvamen præſtitit, ſed infirmitate creſcente ut potuit ad villam unde diſceſſerat remeavit. Servi autem ut ab illo juſſi fuerant, detulerunt partem fagi inſectibilem, & ante januam domus illius projecerunt. Quæ dum ibi jaceret & nulla ſpes reſtaret fiſſuræ, in ipſo die quidam ex colonis; Iſtáne eſt, ait ſociis qui aderant, pars fagi quam noſtri tot molimina adjuncta findere nequiverunt? Cui cùm fidem rei darent; Videtur, inquit, mihi facili patere diviſioni. Et accepta ſecuri quaſi tentando, ad primum ictum ferientis ilico diviſa eſt, & inventa eſt quædam crux, quæ inſerta erat uni ex illis partibus, & in altera velut impreſſa videretur oſtendebat: quam an Sanctus ipſe incidiſſet dum illic orationi vacaret, & creſcente mole arboris circumcreta eſt; an divinitus pro miraculo tanti viri inſita, incertum habetur. Hoc illi qui aderant ut viderunt, nimio terrore perculſi ſunt. Initóque conſilio, itaut erant partes cum cruce, intulerunt in apothecam ſub cuſtodia cujuſdam Heroldi ad cujus curam ipſum miniſterium reſpiciebat. Qui oſtium ſera obfirmans non tantùm propter hujuſmodi rem, ſed etiam quia quoſdam ſui domini theſauros ibi ſervabat, receſſit. Noctéque ſubſequente cùm ſe in ipſa apotheca ſopori dediſſet, & adhuc partes cum cruce ibi eſſent, ſeris & vectibus munivit oſtium. Et mane facto nihil de illis partibus nec de cruce invenit, atque ingenti metu perterritus omnibus intimare ſtuduit tam mirabile hujuſcemodi factum. Quod illi audientes & omni ſollicitudine perſcrutantes minimè repererunt. Quod & uſque hodie manet incognitum. Prædictus verò Heuto quinto ferè die in infirmitate poſitus ſpiritum emiſit. Hæc autem ita ſe habere ex multis ipſius villę incolis præſertim Herrardi & Heroldi, quos ſuperiùs poſuimus qui interfuêre, teſtimonio confirmata ſunt.

II. Arbor item ſervata.

Nec illud ſilentio tegendum videtur quod temporibus ELIZACHARIS Abbatis ſucceſſoris HERICI[a] accidit in villa ſupradicta. Erat quædam tilia in manſo dominico quæ non parvam molem corporis præſtabat. Hæc autem quadam nocte vi ventorum tacta, uſque adeò concuſſa eſt, ut de ſummo uſque deorſum in quatuor ſectiones finderetur, terrę coæquata, radicibus tantùm fixa. Hanc dum die illuceſcente ita eſſe comperit quidam ex Fratribus Monaſterii S. Richarii nomine EGELVVINUS, cui ipſa obedientia erat impoſita, rogavit ſuos ut præpararent cuneos & malleos, quatinus in craſtino flaſcones & quęcumque eſſent neceſſaria inde fierent. Sed vanus labor eos fefellit. Nam ut primo mane expediti ad hoc peragendum opus venerunt, ita incolumem atque in priſtino ſtatu erectam conſpiciunt arborem, excepto quòd cicatrices à ſummo uſque ad ima parebant, acſi nullum iſtius rei damnum perpeſſa fuiſſet. Quæ multo poſtea duravit tempore eaſdem cicatrices in teſtimonio conſervans.

III. Fons à B. Richario cælitùs impetratus.

Fertur ab antiquis traditum eſſe, quòd beatus Richarius dum adhuc pro cæleſtis patriæ palma militarem duceret vitam in terris, in prædicto ſæpè territorio hoſpitium haberet apud memoratam Dei ancillam. Quæ cùm magna familiaritate ei jungeretur, utpote cujus vitam in Dei opere conſpiciebat aſſiduam,

[a] Addit Chronicon Centul. lib. 3. cap. 4. *quem ferunt Gemmetici quoque Monaſterii fuiſſe Rectorem.... Hic magna ſanctitatis ſtudiis pollebat, & in tantam profecit ſumma Religionis ſeveritatem, ut ab ingreſſu Monaſterii omnimodum arceret feminarum acceſſum.* Lege caput IV. infrà.

petiit eum ut ſuis ſacris precibus apud omnipotentis Dei clementiam obtineret, qualiter ditari mereretur in aquæ largitione. Erat enim ibi valdè neceſſaria. Qua prece ejus coactus, orâſſe perhibetur; poſt orationem autem ſuam in terram fixiſſe baculum atque mox erupiſſe fontem, qui uſque in præſens ibi perdurat, illud exhibens ad quod orationibus ſancti viri primitus enituit. Multa hinc dici poterant, ſed omittere illa decrevimus, quia ad ea tranſire feſtinamus, quæ ubi præclarum ejus corporis margaritum conditum habetur, omnipotens Deus ob ſui militis gloriam ad ſalutem hominum operari dignatus eſt. AN. CHR. DC. XLV. APR. XXVI.

IV. Paralytica ſanatur.

Quidam paterfamilias divitiis valde inclytus in Burgundionum regione poſitus honorificè degebat. Cui liberorum facultas erat ſublata, niſi tantùm in unius filiæ adſpectu, quæ in annis locata erat virgineis, ſpes ſola remanſerat ſuperſtitis. Quam diræ paſſio paralyſis adeo angebat, ut nec manus ad os valeret porrigere. Cúmque eam pater proprius per quæque loca Sanctorum congrua hujus circumduceret negotii, & nullum adipiſceretur medicamentum, contigit eam à ſuis deſperare poſſe nanciſci incolumitatem. Iſtis autem eos tenebris obvolutos accidit una noctium, ut per viſionem compellaretur pater illius à quodam ſibi ignoto talibus affaminibus: Vade, inquit, in Franciam regionem ad plagas Boreales, ducens tecum unicam filiam dilectam, & perquire venerabilis ſancti Richarii Monaſterium, quod ſitum eſt ſpatio quindecim leucarum à portu *Quentovvic*[a], ibíque ſcito ob ipſius merita illam priſtinam conſequi ſanitatem. Et quia tres ibi habentur Eccleſiæ, præpara quamplurimos cereos, ut unicuique altari proprium ſuperponas cereum. Nec multùm differre ſtude, quia in proximo ipſius Sancti magna aderit feſtivitas. Ille verò expergefactus congratulans viſioni quã celerè non diſtulit juſſa implere. Paratíſque omnibus itineri neceſſariis cum multo comitatu & filia lecticæ impoſita; utens interrogatorio calle ad ſupradictum pervenit Cœnobium. Et cùm ibi ante ferè duorum ſpatia dierum feſtivitatis illius adveniſſet, ſubſtitit ejus præſtolans adventum. Et quia mos in illo tempore inſtituente præclaro Abbate jamdicto ELIZACHAR deerat limina Monaſterii feminis tetigiſſe, à meridiei climate bina extendit tentoria. Cùm autem præclaræ feſtivitatis, quæ ſeptimo Idus Octobris colitur, vigilia adveniſſet, ſumptos unicuique altari ſuperpoſuit cereos: & quædam munuſcula obtulit B. Richario, necnon Fratribus largitus eſt ſuorum quantitatem aliquam theſaurorum: Fratres verò gratiâ mutuæ caritatis vicem rependere ſuæ humanitatis ſtuduerunt. Cùm igitur in ipſa venerabili die poſt peracta Miſſarum ſollemnia ex vinatico ſancti Richarii, & ex ſuarum apothecarum vino mitterent ei benedictionem, illa jamdicta illius filia, quam ſæva paralyſis poſſederat, audito ipſo vinatico petiit ſibi ex ipſo dari potum. Cúmque procuratrix illius vellet ſua manu vas adſumere, & ipſius ſolito ori porrigere, illa renuit, ſed extenſa inſolitò manu utcumque potum ori attulit, totúmque hauſit. Illo autem perhauſto ſurrexit incolumis, & convivas omnes in amore Confeſſoris Chriſti deprecata eſt bibere pergens in circuitu, & unicuique congruum dans poculum. Et pater omnéſque ſui in gloriam & laudem Dei verſi ſunt, quòd ſancti ſui nomen longinquis etiam manifeſtat regionibus. Quæ intantum ſanitatem adepta eſt, ut equitando ad ſua remearet.

a

NOTA.

V. Contracta erigitur.

Erat quædam meretrix, nomine Olgia, de territorio quod vocatur Villare[b], conſiſtens ſecus muros Monaſterii ad plagas Boreales, quæ multorum cauſa ruinæ fuit. Hæc dum in hujus fecis luto multo graſſaretur tempore, contigit eam omnium ſuorum membrorum contractionis damna ſubire, adeout ipſa facie non more hominum, ſed retrò reſpiceret. Hæc à ſuis cum cereis ad ſuffragia Patris noſtri adducta eſt, quæ ibi meritis illius propriam conſequuta eſt ſanitatem.

b

a Aliis *Quentavvic*, nunc portus Stapulæ, vulgò *Eſtaples*, ad oſtia Quantiæ, unde priſcum nomen *Quentavvic*.

b Hic vicus nunc deſtructus eſt, tametſi nomen loco reliquit, *les terres de Villers*. Alius eſt vicus ejuſdem appellationis uno milliari à Centula, verſùs Orientem.

AN. CHR. DC. XLV. APR. XXVI. Poſtquàm autem meruit opitulatione divina, perdita uti commoditate, non ſe erexit terere conſueta vitia libidinis, ſed magis ſervire ſtuduit. Nam ſi antea in cœno iſtius miſeriæ inſatiabilis fuit, poſtea multo magis deteriora addidit. Quam Dei clementia duriore virga caſtigavit. Nam quantum majora adjecit ſuperioribus, tantum copioſiùs ſecunda vice contracta eſt, ablata ſimul facultate loquendi. Quam iterum ſui ad conſueta præſidia ſtuduerunt deferre, quę illuc perducta eſt tempore veſpertini officii Dominici diei. Peracta verò oratione, ut ibi aliquantiſper ſubſtitit, vidit poma jacentia ſuper altare, quod eſt ante præclarum mauſoleum Patris noſtri, & innuit ſicut potuit ut ſibi daretur ex ipſis. Quæ ut ad primum guſtum tetigit, donum perditæ recepit loquelæ, ac deinde in ipſa nocte ex integro conſecuta eſt ſanitatem, quæ nequaquam ultrà appoſuit ſe volutare in iſtius calamitatis veneno, duobus caſtigata flagellis.

VI. Latro contractis membris curatur. * *Ergnie*

Venit quidam homo nomine Reſtoldus de pago Evercino* ad Monaſterium Chriſti Militis inter alios pedeſtres ſæpedicti Abbatis ELIZACHARIS utens tali comitatu gratiâ victum quęritandi. Qui ubi aliquamdiu commoratus ibidem fuiſſet, accidit ut in vigilia ſanctæ Pentecoſtes ſuggeſtus levitate mentis, piſcinam quæ ſecus eſt ſita Monaſterium, peteret causâ piſcandi. Quo fere tota nocte caſſum complente laborem nihil adeptus eſt, ſed ingenti frigore torpere cœpit. Sed dum taliter fatigaretur, relicto opere cœpto perrexit ubi piſtoria ars exercebatur, ut ibi reſiduo noctis tempore requieſceret. Erat enim jam imminens diluculum. Et quia ibi opere cæmentario clibanus tali ſchemate factus fuerat, ut ſuprà in circuitu ferme ſex hominum lectus ſufficeret, illic ſe inerti dedit quieti. Circa autem auroræ adventum Fratribus Deo hymnologiam perſolventibus, piſtoribúſque exterſa ſomni ignavia ſuccendentibus jamdictam fornacem ad humanitatis opus, cœpit ille ſomnificans cum magno gemitu voces emittere, quas auditas miniſtri primùm mirantur ſoni perſonam. Deinde glomerati adeunt hominem ſciſcitantes, quando aut cur illuc adveniſſet. At ille narravit eis rei geſtæ capitulum. Qui tollentes eum ante faciem ignis ponunt. Percunctari etiam cœperunt, cur tam diras priùs emitteret voces. Quibus ipſe; Videbam me, inquit, ſævi tempore ſomni à cuſtode apothecarum tam valde manibus genibúſque comprimi cum increpationis aſſiduitate, quare tantæ audaciæ fuiſſem deditus, ut illum lacum causâ meæ auſus eſſem petere rapinæ, itaut ad præſens cernitis, ſit mihi denegatus pedum inceſſus nervis contractis, & non valeo niſi manibus genibúſque volutis repere. Qua imbecillitate manſit biennio aut fere triennio occupatus, non diſcedens alicubi. Poſt tot temporum ſpatia menſe Auguſto die apta reſurrectionis Chriſti myſterio, dum vivifica laus in B. Richarii Eccleſia celebraretur tempore nocturnali, contigit illum adeſſe. Et cùm ex more inſtitutionis præclaræ S. BENEDICTI Regulæ ſacra lectio Evangelii calcetenus perduceretur, & vox una omnium adſtantium reſpondiſſet, Amen, & Sacerdos hymnum adjungeret Ambroſianum, *Te decet laus, te decet hymnus*; ille prorupit ingenti clamore in vocem. Et quidam ex Fratribus concitè currentes hujus rei gratiâ perculſi, invenerunt hominem pronum in terra jacentem, toto extenſo corpore ſecus mediam portam, quæ pervia eſt intrantibus ex parte Occidentis, & ſuffragines illius madefactas ſanguine, guttis adeo decurrentibus, ut in veſtigiis apparerent. Quæ ut ipſi poſtea adſeruerunt, multum putredinis fœtorem dabant. At ubi inviolabilis Dei laus expleta eſt, cum magna jocunditate & concinentibus omnibus hymnidica voce *Te Deum laudamus*, adjungentes dulcem campanarum melodiam, deferunt illum ante S. Richarii roriferum mauſoleum. Et quia nec ſedere poterat, nec ſe vertere in aliud latus, mattulam[a] ipſi ſuppoſuêre. Et ſic omnia expleta, omnes pariter ſuo ſe Clauſtro dederunt. Et poſtquam primæ diei horæ divina laus peracta eſt, Fratres adeunt ipſum,

a

a Matta, cujus diminutivum Mattula, eſt ſtratum durum, ſtratis plumæ & caprinis lodicibus appoſitum ab Auguſtino uſurpatum in lib. 5. contra Fauſt. c. 5. Unde Gallis noſtris *Mattelas*. Derivatur à Græco μάσσω, *ſubigo*, Gallis *matter*. Mattæ meminit S. P. Benedictus in Regulæ cap. 62.

percun-

percunctantes curiositate humana, si aliquid antè vidisset dignum dictu in ipso suæ vocis ictu. Tum ille : Cùm vobis almifici officii celebrantibus magnificas laudes ingressus fuissem hanc venerabilem domum, resedi ubi me postea prostratum inveniſtis jacere. Cúmque diu vigilarem ad opus intemerati officii, subitò ingens me invasit sopor. Et ecce duo venerabili canitie viri candidis induti vestibus his me vocibus alloquuntur : Cur piger dormitas & non audis ea quæ recitantur ? Et cùm ego horum timore perculsus, deponere somni inertiam tentâssem, apprehenderunt me unus per pedes, & alter per scapulas, & sic extenderunt ut me prostratum inveniſtis. Horum gratiâ, talem me scitote prorupisse in vocem. Et cùm interrogaretur quod illi visum fuit, qui poterant ij tales esse magnifici viri; respondit se ignorare. Et Fratres omnium Largitori bonorum qui Sanctum suum mirificat, consona voce cordis obtulerunt laudes fletibus consecrantes. Qui perfectam consecutus est sanitatem, & usque ad supremas finis sui metas permanens circa Monasterii limina, pastus est eleëmosynis Fratrum. AN. CHR. DC. XLV. APR. XXVI.

VII. Item femina contracta.

Femina nomine Bethania de villa vocabulo Altiswico [a] contractis manibus adeout ungues infigerentur mediæ palmæ, venit in vigilia sacræ Nativitatis Christi ad Monasterium S. Richarii ob sui medelam : ibique propter ipsius interceſſionem in Missarum celebratione ipsius diei propriarum recepit manuum sanitatem.

VIII. Item homo.

Homo quidam de villa prædicta, cùm casu accidisset eum potare cum quibusdam latronibus, ipse tamen dum inscius eorum malitiæ fuisset, comprehensus est cum eis, & in vila Dulcurio *, quæ circiter trium leucarum spatio distat à Monasterio, Pastoris nostri nervo mancipatus. Qui usquequo illic jacuit, nullum habens fidejussorem, donec omnia sua contraherentur membra. Quod custodes conspicientes & minimè suum in eo lucrum considerantes, custodiâ relaxârunt. Quem sui propinqui tollentes, secum ad prædictum prædium detulerunt. Post aliquod verò temporis spatium visum est illis, ad suffragia ut Patris nostri ferri debuisset, credentes illum inibi ipsius interceſſionibus obtinere sanitatem. Nec divina illos credulitas fefellit. Nam ponentes illum in carrucam, illuc perduxerunt. Cùm autem ibi ferè anni revolutionem duxisset, præcipuis meritis beati Richarij meruit congruam nanciſci sanitatem.

* *Donqueurre.*

IX. Et femina.

Quædam femina de possessione nuncupamine Longo * contractis manibus, in sollemnitate Christi Confessoris pristinam adepta est sospitatem.

* *Longuet.*

X. Cæca videt.

Puella cæca à nativitate trium pæne annorum continens metas, cui pater Justinus, mater verò Grimberta vocabatur, de villa *Prineres* allata est à suis parentibus ad celebrem B. Richarij festivitatem. Quam cùm illic in ipsius diei vigilia, inter mœnia quæ Paradisi [b] nomine vocantur, custos Ecclesiæ à suis tentam comperisset, cognitos scisitatur quid illi accidisset. Et ipsi rei ordinem pandunt. Quos ille hortatus est instanti Omnipotentem oratione deposcere, quatinus illorum pignori misericordiam sui præstare dignaretur. Et accenso candelæ lumine, ipsius dando obtulit adspectui. At illa porrecta manu apprehendit candelam. Cui subsequendo obtulit pomum, ipsúmque nihilominus eodem ordine sumpsit. Et ita his duobus indiciis perfectissimam consecuta est visionem. At illi nimio timore perculsi, unanimiter ex intimo cordis laudes dederunt Deo.

XI. Normannorum metu corpus S. Richarij effertur.

Dum Cœnobij Centulensis Abbas Ludovicus teneret regimina [c], ob malignorum timorem Danorum, quos Sequana illis alebat temporibus, quorum

a In Chron. Centul. lib. 3. cap. 3. nominatur Altisgnico.

b De Paradiso Ecclesiæ Centulensis, vulgò *le Parvy*, notanda verba Scriptoris Vitæ S. Angilberti Abb. *Ipsa mœnia quæ vocantur Paradisus, turrita mole surgentia, tribus altaris consecrata sunt : videlicet in porta Occidentali altare S. Michaëlis, in porta Australi altare S. Gabrielis, quæ venerabilis Hildiwardus Episcopus consecravit : in porta autem Septemtrionali altare S. Raphaelis dedicavit religiosus Ambianorum Episc. Ieſſe* II. *Non. Septemb.*

c *Anno Dominicæ Inc.* DCCC. XLIV. *regnante Carolo anno* IV. *Indict.* VI. *Præsule Ecclesiæ Romanæ Sergio Papa, Ribbodone Centulensi defuncto Abbate, ejusdem Cœnobij curam susceptt gloriosus vir* Ludovicus *tam Divina quàm sæculari prudentia ornatus. Iste ex regali prosapia oriundus fuit*, inquit Chronographus Centul. lib. 3. cap. 7. qui cap. 8. de ablatione & relatione corporis S. Richarij agit.

AN. CHR. DC. XLV. APR. XXVI.

Princeps fuit RAMERUS, multa Monaſteria circumjacentia affinitati ipſius litoris, necnon villæ fecundæ priſtinum amiſere decorem. Nam ſupradicto tempore templa Eccleſiarum ſuum depoſuerunt ornatum, & unà Deo ſervientium multitudo fugam expetunt, horum canina turbata rabie, univerſa auferens ſecum quæ ad venuſtatem pertinent altaris. Nec iſte ſolùm turbo fervorem ſui ſævi rheumatis propinquis quibuſque locis afflavit, ſed etiam longinquiora ipſius flatu commota ſunt. Eo enim peſtifero rumore & Monaſterium hoc concuſſum eſt. Quod intantum obtinuit, ut non ſolùm facultates Eccleſiæ, verum etiam ipſum intemerabilem theſaurum corporis S. Richarij contigit fugam inire. Nam Fratres qui ibi ad ſerviendum Deo aderant, tollentes illud diſceſſerunt, paucos loci cuſtodes relinquentes. Qua diſperſione circiter trium hebdomadarum tempus ſuſtinuerunt.

Illis diſcedentibus refertur.

Poſtquam autem placuit ei cui omnia bona ſubſtantialiter adſunt, accidens eminùs latet, conſuetam opem minime linquere, exercuit id quod illi ab æternitate inerat. Nam miniſtros ſuos, quibus utitur juſtitia ſua ad vindictam noſtram, quia in multis offendimus omnes, copioſa ſua clementia fecit petere aliarum ſedes regionum. Quod poſtquam geſtum eſt, viſum eſt Dei famulis iſtius Cœnobij non debere diu abeſſe tam honorabilem theſaurum à loco unde fuerat ſumptus, & in quadam die Dominica, qua à fidelibus Reſurrectio Chriſti celebratur, induti candidis ſericis veſtibus cum flaminibus & crucibus & omni decore compoſiti, gaudióque inenarrabili ſpiritalis lætitiæ repleti, in hymnis & laudibus Dei intulerunt beatiſſimi Richarij pretioſum corpus ubi antè noverant fuiſſe. Quo comitatu non minima pars Pontivæ adfuit regionis, congratulans de tam magni reditu ſui Patroni. In quo felici itinere, duo omnipotens Deus præclara miracula ob honorem ſui Militis oſtendere dignatus eſt.

XII. Paralyticus curatur.

Quidam enim homo nomine Gotſelinus, quem ſanguis nobilium genuerat parentum, à ſæva erat poſſeſſus clade paralyſis, itaut omnium illi uſus membrorum denegaretur. Qui poſtquam comperit Sanctum Dei deferri ad locum priſtinum, rogavit ſuos ut comitem ſe facerent hujus felicis itineris, credens ibi ſui nanciſci corporis per merita ipſius ſoſpitatem. Quem quia aliter proprij domeſtici iter agere non valebant, impoſuerunt mitiſſimo equo, & ex utraque parte tenentes duxerunt. Qui ubi eminùs conſpexit feretrum, in quo nobile illud margaritum à ſuis vehebatur Sacerdotibus cum omni fideli turba proſequente, ſtatim confeſſus eſt ſe leviùs habere. Cùm autem illum ſui ſervi de equo voluiſſent deponere, minimè conſenſit, ſed magis voluit per ſe deſcendere. Jam enim ſenſerat clementiam Dei in ſe factam orationibus B. Richarij, & pedibus ſicut valuit obvius inceſſit nullo ſe ſuſtentante. Et ubi appropiavit quantum eſt interſtitij jactûs fundæ, adoravit Deum in Sancti ſui gloria, toto corruens in terram extenſo corpore, crebrò Sanctum Dei invocans, ut ſuis meritis dignaretur illi conferre ſanitatem animæ & corporis. Ut autem ſurrexit de loco, ita ſanus effectus eſt, ut pedibus ſine ullius adminiculo ſecutus eſt tam optabilem theſaurum uſque in locum ſuæ depoſitionis. Et poſt Miſſarum ſollemnia expleta equitando ad ſua reverſus eſt ita incolumis, ut nullam læſionem ſuorum ſentiret membrorum.

XIII. Item hydropicus.

Cuidam Landrico nomine erat ſervus obtinens vocabulum Maginibertus, quem adeo dira paſſio angebat hydropica, ut inhabilis haberetur ad omne opus, vixque è loco moveri potuiſſet, poſitus in Monaſterio ubi tornale opus exercebatur. Poſtquam verò jamdictus pretioſus theſaurus mæniis Monaſterij appropinquavit, quidam è famulis qui ibi aderant, hortati ſunt eum ut ſecum procederet obviam corpori B. Richarij, ibſque ſperare ſe pro certo poſſe illum obtinere congruam ſanitatem. Quibus ipſe velut excuſando; Videtis, ait, quia de loco in quo nunc jaceo, non valeo me in gradus erigere, & quomodo cogitis me ire ubi non poſſum? Cui profeſſi ſunt ſe inferre juvamen, tantùm ut ipſe adſenſum præberet. Qua importunitate illorum convictus, illis ſuſtentantibus

utcumque valuit illuc ſuos direxit greſſus: ſed antequam ad portam perveniret quæ reſpicit Aquilonaria ſigna, obviàm habent chorum pſallentium ante intemerabilem theſaurum corporis Patris noſtri: procidentéſque adoraverunt. At ubi Sacerdotes, quibus cura erat delegata ferre jamdictum honorabile margaritum, è regione perveniſſent, ille hydropicus exclamavit dicens ſe à quodam Sacerdote calcari qui portabat feretrum. Quod aliter conſtat fuiſſe. Qui poſtquam ſe erexit de loco in quo jacuerat gratiâ orationis, viſum eſt ei ut perfunderetur quaſi de pleno caccabo atque bulliente à vertice uſque ad pedes, & ita priſtinam conſecutus eſt ſanitatem. Qui multo poſtea ibidem manſit tempore perfectiſſimè ſanus. AN. CHR. DC. XLV. APR. XXVI

XIV. Puer nobilis paralyſi detentus Deo à parentibus vovetur, & ſanus efficitur.

Miſerator & miſericors Dominus qui multiplici radio pietatis genus illuſtrat humanum, Divini medicaminis antidotum corpori atque animo adhibens conſecratum, ipſe quoſdam à peſte ægritudinis curatos unctione interiùs alloquitur, itaut in propatulo conſiſtat, quid interiùs egerit flamma ſupernæ accenſionis: quoſdam verò ſolo curationis intuitu reſpicit, unctionis præmio minimè conceſſo, qui cordis ſui pravitates ſequi videntur ingrediuntúrque quò ſe tentatio ducit. Nec eſt in his omnipotentia Dei deroganda, ſed potiùs miſericordia laudanda, ac juſta judicia tremenda. Denique & quòd Deum diximus miſericorditer quoſdam poſt curationis vulnus unctione alloqui, miraculo ſubſequente luce clariùs patebit. Tale eſt enim hoc cælitùs actum, quale nequaquam decet eſſe litteris prætermiſſum. Quidam generoſi ſecundum mundi hujus habitudinem parentes, ſepti non ſolùm obſequiis ac honoribus plurimis, ſed etiam Divinæ fidei imbuti ſacramentis, detulerunt in cunabulis filium unicè dilectum nomine ALBRICUM, ad almifica Patris noſtri ſuffragia. Qui puerulus quaſi paralyſeos paſſione angebatur, adeout incongruus ad omnia, quæ illa ætas ſuſcipit, haberetur. Qui etiam in vocis obſtaculo laborabat, & nec unius ſoni verbum percutere linguæ flagello valebat. Quem ante mauſoleum Chriſti Militis ponentes, votis ac promiſſionibus ſuppliciter devoventes, ut ſi priſtina incolumitate Dei auxilio ac Sancti ſui imploratu fungi mereretur, Domino mancipari atque loci ipſius patrono ſub Monachica norma deberet famulari. In cujus devotionis titulo ſumpta forcipe caput inſtar coronæ totonderunt ea conditione vel tenore, ne in reliquo ab hac profeſſione retro pedem vertere valuiſſet. Denique altaria, quæ in Eccleſia beati Richarij fuerant, necnon in Sanctæ MARIÆ, omnia palliis veſtierunt. Jacuit autem inibi tota nocte, in quo parviſſimo poſitus loculo, tum Chriſti clementiâ eum tangente ac miſericorditer eum proſpiciente per hujus ſancti ſuffragium adeptus eſt omnium artuum ſanitatem. Linguæ verò quædam connexio ſuperſtes exſtitit, qua tamen, veluti ſibi adjacet, verba ſolet proferre. Qui ad horam cujuſdam temporis ad domum parentum reductus, ac congruo ſuo equo tempore reductus, digniùs ac honorabiliùs Domini ſervitio eſt mancipatus; qui hactenus id votis necnon profeſſionibus exſequitur, ad quod ſuorum adſenſu primitus traditus fuerat parentum. Nam licet linguæ præpediatur obſtaculo, mens tamen ſedula geſtit habitare in cælis: & quod oris officio ex integro non utitur, cordis penetrale inde auctiùs cæleſtibus fruitur. Et hoc eſt quod ſuperiùs prælibavimus, quoniam qui unctione tangitur, neceſſe eſt ut mente ſupernis ſolidetur. Hoc autem credimus, ſi viſus non fallit, ea agere quæ Divina pietas creditur amare. Et ut in his fixo gradu perſiſtat, uſque ad finis ſui metas miſericordia Dei pro illo eſt imploranda. NOTA.

XV. Cæcus & debilis pedibus ſanatur.

Inops quoque quidam nomine Bertoldus duobus orbatus erat muneribus, videlicet viſûs & greſsûs. Qui aliquamdiu à Novæ-villæ * accolis, quæ ſita eſt ſecus muros Monaſterij, in quodam poſitus tugurulio parcimoniam victûs conſequebatur. Sed poſtquam deſeruit illam ſtationem, adiit mœnia Monaſterij, & ſimili ritu degere cœpit. Cùm autem illic fermè anfractum anni duxiſſet, unâ dierum, tempore jam imminente veſpertinæ ſynaxis, cœpit circumqua- * *Neuville.*

AN. CHR. DC. XLV. APR. XXVI.

que ſuis validiſſimè torqueri membris. Cùm verò veſpertini officij auretenus ſignum percepiſſet primum nolæ [a], velut quivit illuc ſuos direxit greſſus genuum. Et cùm in Eccleſiæ ſinu aliquantiſper ſubſiſteret, & quaternorum melodia Pſalmorum compleretur, ventúmque eſſet ad ſacri concentum Evangelij, ſtatim ille exclamavit voce magna corruens in terram extenſo corpore. Et ubi laus ipſius ore completa eſt, delatus eſt induſtriâ Fratrum concinentium *Te Deum laudamus* ex alto cordis ſuſpirio & ſignis concrepantibus ad nectareum ſpiritali flore ſepulcrum almifici Richarij. Qui pleniter greſſuum conſequutus eſt dignitatem, oculorum verò munus ex aliquanta parte. Nam intantum viſum recepit, ut iter ſuum de proximo valeret intendere, qui uſque ad terminum ſuæ mortis permanſit circa Monaſterij januas, utens eleëmoſynario pane Hoſpitalis.

a Durandus in Rational. lib. 1. cap. 4. Sex genera tintinnabulorum memorat. *Squilla pulſatur in triclinio, 1. in Refectorio, Cymbalum in Clauſtro, Nola in choro, Nolula ſeu dupla campanula in horologio, Campana in campanili, Signum in turri.*

XVI. Cæca illuminatur.

Quidam ex Fratribus noſtris, cujus induſtriâ multa alia ex virtutibus B. Richarij didicimus relatu, hæc nobis inter cetera intimavit, quòd quædam femina dum in conjugali maneret vita, oculorum lumine privatâ eſt. Hæc dum diu in hujus calamitatis eſſet ærumna, & ſe impotentem in ſervitio debito manſi conſpiceret, deprecata eſt virum ſuum ut eam relinqueret, licentiámque daret velum ſuo capiti imponere, affirmans ſe per viſionem monitam ut in Monaſterio S. Richarij apud S. MARIAM acciperet velum capitis more Monialium, & ut ab ipſo deinceps aleretur victu eleëmoſynario humiliter poſtulavit. Quod ut ille audivit, conſenſit: acceptáque congrua ſuæ manus exenia à domino ſuo, in cujus famulatu degebat, iſtius rei meruit nanciſci licentiam, & ſumpto ſibi quodam amico comite itineris ad prædictum pervenit Monaſterium. Et cùm ibi cum eulogiis pro ſua poſſibilitate ante Præpoſitum Monaſterij perveniſſet, omne ei ſuum deſiderium aperuit, & ut ſuo imperio velaretur ſuppliciter ſuggeſſit. Cujus ut vidit immobilem affectum Præpoſitus, aliquamdiu dubitans, hoc ſuum non eſſe dixit, tandem nec prohibuit. Ipſáque à ſuis adducta ad Baſilicam B. MARIÆ [b], ut ipſa petierat, jamdictum habitum ſuſcepit. Cùm verò in ipſa die reverteretur, ubi cœpit appropinquare villæ, quæ Mons-Angelorum [c] vocatur; Videtur mihi, ait, quòd ante nos ſit mons quidam & ſuper illum Eccleſia, cujus à me turricula conſpicitur. Quam cum deriſorio verbo ſuus jamdictus familiaris ſubſannaret, nec illam tantùm videre ut pedem de loco in alium poſſet mittere confirmaret; Dimitte me, inquit, & tunc aſſerta mea vera apparebunt. Ut autem dimiſſa eſt, rectiſſimè per callem inceſſit, illud aſſiduè ore volvens: Deum laudo quoniam per merita dominæ meæ S. MARIÆ & B. Richarij, lumen mihi reſtitutum eſt meorum oculorum. Intantum verò hoc munere ditata eſt, ut adinſtar priùs videret.

NOTA.

b Non tamen Monachæ habitabant in iſta Baſilica, quæ una erat ex illis quæ Laudi Perenni deſignata pro Monachis erat. Et tamen BERTHA Angilberti conjux velo adſumpto apud Centulam conſtitit in loco privato. Erat ergo mulier hæc, uti & alia infrà lib. 2. cap. 4. memorata, ex earum numero quas Devotas appellant.

c Nunc locus Nubiſ-mons, vulgò *Nuemont* ſeu *Nuelmont* appellatur, ob nubem quæ Centulenſes Monachos S. Richarij corpus Monaſteriolo referentes ab illius urbis civibus armatis diviſit ac protexit, ut in hiſtoria Relationis ſuo loco videbimus. Diſtat bino milliari à Monaſterio Centulenſi.

XVII. Vinctus ſolvitur.

Cùm quidam vinctus à ſuis duceretur cuſtodibus, contigit eos per Monaſterium ſancti viri tranſitum habere. Cúmque ibi facta oratione rurſus iter carpere tentâſſent, ille vinctus elevavit vocem his verbis: Domine Deus & ſancte Richari adjuva me. Quem ſuperba mente quidam cuſtodum compeſcuit dicens: Non te hodie adjuvabit ſanctus Richarius, quem tu invocas. Sed antequam atrium Monaſterij exirent, ſolutus eſt vinctus ſponte, & curſu rapidiſſimo aufugit in Baſilicam Chriſti Confeſſoris ibíque ſalvatus eſt, atque ilico tranſitoria vox ſuperbiæ corruit, humilitas verò interceſſionibus ſancti Richarij elevata eſt.

XVIII. Item alius.

Erat quidam peſtifer homo latrocinij operis, nomine Dierbertus, qui in villa ſupradicta Dulcurio vinculis publicis truſus eſt. Ubi dum prolixo crucia-

retur tempore, & nullum ſuæ relaxationis fidejuſſorem haberet, nullo de illo curante propter ſua crebra mala opera, cœpit relaxari aliquo modo à cuſtode ipſius ſupplicij nomine Goifrido. Nam ſumpto eo & catenato vinculis ligneis induſtriâ mechanicæ artis patratâ ut collum & manus implexæ illis eſſent, ducebat per metentes, per quáſq; etiam domos, non tantũ ob iſtius ſuſtentationem ſed potiùs ut ipſe inde aleretur. Cúmque aliquo hoc faceret tempore, contigit eum etiam ad Monaſterium S. Richarij hujuſmodi negotio venire. Erat enim illo tempore indictum jejunium, & Fratres cum ceteris Fidelibus cruces ſequebantur. Cùm verò reverterentur, & in mœnia quæ ſunt ſecus Eccleſiam ex parte Occidentis quæ obtinent vocabulum Paradiſi* perveniſſent, prædictus Goifridus unà ſecum illũ vinctum tenens affuit, ſperans in ipſius eleëmoſyna more conſueto ſibi furtivũ emolumentũ acquirere. Sed omnipotentis Dei clementia vertit illud reciproca voce. Nam qui antea plurimorum oculos fefellerat, ut ea quæ dabantur, non illi, ſed ſibi temerè uſurpabat, eo modo ipſe deluſus eſt. Cùm enim ad interiora iret Eccleſiæ gratiâ audiendi Divinum officium Miſſarum, & prædictum vinctum ante januas Baſilicæ reliquiſſet, interceſſionibus S. Confeſſoris ſoluta ſunt ſponte vincula, & celeri curſu ſeſe in Eccleſiam dedit, ibíque Dei protectione ſui quoque Militis imploratu liberatus eſt. AN. CHR. DC. XLV. APR. XXVI. * *le Parvis*

Puella de villa nomine Durcapto[a] contractis omnibus membris, delata eſt in parvis ſcalis ad Patris noſtri ſollemnitatem. Quæ dum myſteria Miſſarum ipſius celebrantur diei, meruit priſtinam adipiſci ſanitatem. XIX. *a*

Item puella ſimili morbo contractionis poſſeſſa, allata eſt ad beati Richarii feſtivitatem, quæ inibi propriam conſecuta eſt medelam. XX.

LIBER SECUNDUS.

HACTENUS quamquam ſtilo imperito veritatem harum exſecuti ſumus rerum: ea tamen nos conſtat poſuiſſe miracula, quæ fidelium relatione teſtium nequaquam ſcrupulum dubietatis cuilibet devotè legentium credimus afferre. Nunc deinceps ea ponenda ſunt, quæ coram poſiti vidimus, in quibus extrinſecùs perſona teſtimonii non quæritur, propriâ nos conſcientiâ in omnibus inſtruente. Exſiſtunt enim quædam his inſerta quæ diverſis in locis exſtitêre patrata, eo modo vel tenore nobis velociter relata, ut eorum dictis ita animus ſolidatur, acſi nobis fuiſſent præſentibus acta. Auctor ea quę vidit, hîc ſcribit.

ANNO Incarnationis Dominicæ DCCC. LIX. Indictione octava, depopulata eſt dira clades non minimam Franciæ partem. Nam mare eo tempore quamvis ſub quibuſdam aſſiduè obſcuris ſignificationibus illud minimè ceſſat exercere, nudum ſuum ſuis oſtendit vicinis affectum. Ea enim tempeſtate alumnos proprios quos ſui tabo nutrierat fellis, velut parturiendo evomuit. Heu quam ſæva illius gemina parturitio, id eſt ſignificativa & detecta! Quarum prior ſuum conſtituit eſſe in rapiendis animabus, & ad infimum ſui ſævi flaminis mergendo: ſequens autem jura ſuæ trangreſſa eſt naturæ, & pro affectu pio utitur homicidiis cruentis. Nam quæ aliquando ſuavem ſolebat ſuis finitimis deferre paſtum, nunc mortis præſtat interitum. Et unde olim enormis educta fuerat ſaturitas, inde nunc nigra egreditur fames. Nam tempore ſupradicto dira Danorum manus, latè maris æquora contexit ſuis de navibus, adeout feræ ſilveſtres putarentur malis ſurſum porrectis: quorum popularitate Monaſteria deſtructa, civitates diſſipatæ, villæ radicitus corruerunt: & (quod nequius eſt) ipſa hominum nec minùs popularium quàm ſervientium Deo multitudo turpibus traditur canibus. Et ipſos partim trucidant, partim prædæ dirigunt ſuarum navium, partim etiam trucibus necant flammis. Qua peſtilentia contigit obvolvi & Monaſterium S. Ri- CAP. I. Normanni Franciam devaſtant.

a Durcaptum vulgò *Drucat* nominatur in Indice poſſeſſionum Centulenſis Monaſterii apud Hariulfum lib. 3. cap. 3. Donatio verò à Carolo Calvo facta ibid. cap. 19.

AN. CHR. DC. XLV. APR. XXVI. Monachi Centulenſes fugiunt.

charii. Nam Monachi qui ibi theoricæ ſubtile arripuerant iter, diſperſi ſunt velut oves præſentiâ torvi lupi. Qui huc illúcque diffugiendo diverſas ſuarum viarum calamitates perpeſſi ſunt. At noviſſimè adepti ſunt habitationis locum in territorio cujuſdam Deo devotæ feminæ beneficio nomine HENGILRADÆ, obtinente vocabulum *Podervais*: ibíque ſupradictæ feminæ largitione non paucos duxêre dies. Et cùm ferè perageret bis trinos ſolaris gyrus menſes in iſtius ſævæ miſeriæ tempore, recordatus eſt Dominus per interceſſionē ſui militis ſuorum in magna anguſtia poſitorum ſervorum. Nam quadam nocte Dominica, qua tunc à Fidelibus Septuageſimus* colebatur, iſtiuſmodi declaratum eſt. Erat quædam anus in ſupradicta villa, quæ eleëmoſynis antedictæ feminæ paſcebatur, quæ talem ſe retulit viſionem vidiſſe. Cùm enim ſe, ait, ſilenti dediſſet quieti, nocte eadem adſtitit quidam veneranda canitie ſenex, veſtibus indutus candidis velut nix, ferens in manibus aureum baculum. Quam vir ſanctus pulſando interrogavit, ubi Centulenſes Monachi fuiſſent. At illa quamvis per viſum, ut poſtea retulit, timebat aliquem ſpeculatorem Danorum fuiſſe, & omnino ſe negavit ſcire. Cui ille ſecunda vice; Noli timere, ait, ſed indica mihi ubi ſunt. At illa reſpondit: Confiteor me nunc minimè ſcire illorum Conventum ob malignorum timorem Danorum, quos hac illac diſcurrendo fugiunt, ſed tamen quamſæpiſſimè huc ſoluti ſunt ad mœnia meæ dominæ convenire, cujus eleëmoſynis alor. Cui ille ſubjungendo, Vade, ait, & dic ſervis meis: Nolite timere. Ego protegam & cuſtodiam, nec ampliùs patiemini iſto tempore malorum inſidias Danorum, & loci mei defenſor exſtiti ab omnibus ingruentibus preſſuris. Nam ex eo tempore, quo vos illinc exiſtis, ego remanſi & cuſtodivi ab omnibus adverſis. Vóſque citò revertemini ad priſtinum veſtrum locum. Illa autem retulit quibuſdam Fratribus illam felicem viſionem. Quæ cùm ad aures plurimorum perveniſſet, repleti ſunt inenarrabili jocunditate, gratiarum Deo laudes offerentes, qui ſuorum ſemper ſervorum in anguſtia poſitorum recordari dignatus eſt per Sancti ſui interceſſionem. Quam viſionem rei exitus probavit. Nam poſtea nec adeo ſævit malitia Danorum, nec Fratres Centulenſes pavore eorum diverſas manſionum ſedes mutaverunt, ſed parvo tempore tranſacto, ſuo ſe mari dederunt diſcedentes. O quàm clemens exſiſtit beatus Richarius erga ſuos, qui dum adverſa patiuntur, adeſſe eis dignatur benignus conſolator. Cujus interceſſionibus Cláuſtra ſui Monaſterii cuſtodita ſunt, ſervi ſui famulatûs protecti, eminus inſidiæ Danorum fugatæ.

Revocantur à B. Richario.

* *f.* Septuageſima

II. Fur ſacrilegus punitur.

Nec illud videtur ſilentio tegendum, quid etiam in pago Belvacenſi Divina operata eſt clementia ob reverentiam B. Richarii. Eſt quoddam prædium illic nomine Civinocortis[a], quod ſubjacet Monaſterio illius & in Fratrum ſorte ſitum eſt. In hoc habetur Eccleſia in honore ipſius & manſus Dominicus ex una parte Eccleſiæ, & ex altera Preſbyteri, cui ipſius Eccleſiæ gubernacula committuntur. Hanc dum teneret WARICULFUS Preſbyter, pervius quoque locus haberetur per Eccleſiam ex manſo Dominico in Preſbyteri, erat illi famulus qui propter ſuæ parvitatis ſtaturam nomine utebatur diminutivo, hoc eſt Martinellus, qui horas ſui furti captabat congruas. Hoc domino ſuo ignorante nec omnino conſentiente, & quæque poterat ſuæ manui apta ex manſo dominico in ipſius deferebat. Quod dum aliquo faceret tempore, & ſeſe vellet ab hac temeritate minimè compeſcere, contigit ut quadam die cùm tranſiret per præfatam Eccleſiam ferens ligna, inveniret ibi ſenem veneranda canitie, ſtolâ indutum candidâ, cum baculo in manibus, qui eum caſtigatorio verbo prohibuit ne illud furtum ampliùs exerceret, nec illam Eccleſiam ſuo inceſto opere magis polluere. Quod ille mandatum pertimeſcens, ut ſolent qui noviter imperantur, implere ſtuduit. Cùm autem tres vel ferè quatuor menſes in iis obſervationibus ſe

a

a Civinocurtis, vulgò *Chevincourt* vicus eſt diœceſis Belvacenſis prope urbem Compendium ad Iſaram, Monaſterio Centulenſi hodie quoque ſubjectus. In Chron. Centul. lib. 3. cap. 13. exſtat *Hludovici Privilegium de Civinocurte.*

ſtrinxiſſet, & de die in diem paullatim hoc dimittere cœpiſſet, utpote qui præterita conſueverunt obliviſci, cœpit ut priùs conſuetum repetere opus, & iterum dum tranſiret per ſupradictam Eccleſiam ferens ſolitum furti emolumentum, ecce ſenex qui antè prohibuerat ne talia faceret adfuit, his eum vocibus durè compellans: Cur homo, inquit, non obſervâſti quæ tibi juſſeram ut non furareris quæ in iſta manſione habentur, tuíſque fœdis operibus non inquinares hanc Baſilicam? Et cum hac voce impreſſit illi manu ſua ingentem alapam, itaut deorſum caderet velut exanimis. Qui uſque ad vitæ ſuæ terminum nullo operi aptus fuit in egeſtate permanens, itaut cutis unà cum capillis illi defflueret. AN. CHR. DC. XLV. APR. XXVI.

III. Feſtum S. Richarii mulier violans punitur. * *Argentvillers*

Eſt etiam quædam villula nomine Argovillare* in pago Ambianenſe, ſubjecta Monaſterio Chriſti Militis. In hac dum annua celebraretur ipſius feſtivitas, contigit feminam nomine Avvndam illius poteſtatis in ſervitio textrino deſudare. Quam cùm ſua vicina increpatorio verbo caſtigaret quæ non erat ex ipſâ familia, cur non celebraret ſui Senioris ſollemnitatem, ſed extraneis turpe daret exemplum, tale reddidit reſponſum: Non, inquiens, mihi opus eſt hanc obſervare celebritatem, quoniam multi ſervi ſui famulatûs eam ſatagunt cuſtodire. Cui poſt hanc vocem morbus venenoſę lacertæ ſive panunculæ miſerabiliter inolevit, quo morbo tertia die vitæ præſenti terminum poſuit,

IV. Contracta curatur. * *Friancourt*

Puella nomine Gerheldis de Villare Gemmeticenſe, in territorio quod Froocortis* vocatur ſitum à meridiei cardine Monaſterii Patris noſtri, hoſpitium tenebat. Quæ cùm aliquo tempore ibi commoraretur, incidit in peſtiferæ languorem calamitatis, quam uſquequo perpeſſa eſt, donec omnium membrorum damna contractionis lueret. In quibus manſit ærumnis ferè integrum anni tempus. In quo ſuæ miſeriæ tempore multis vicibus per ſoporem noctis hortabatur à quodam ſibi ignoto, ut Baſilicam B. Richarii peteret causâ orationis, ferens candelam ob ſui medelam. Quod illa diſtulit obedire, maximè cùm non haberet ſolatium hoc peragere. Sed quot vicibus jubebatur ire, tot qualemcumque poterat invenire mittebat candelam. Cùm verò feſtivitas ſanctiſſimi Richarii adveniſſet, nocte præcedente apparuit illi quidam candido vultu, qui illam juſſit minimè dimittere, ut non veniret ad ſacram celebritatem ſupradictæ diei, ibíque ſe ſcire abſque ſcrupulo meritis ipſius Sancti congruam conſequi ſanitatem. Quæ nequaquam juſſa contempſit, ſed ut valuit implere ſtuduit. Cúmque tempus nocturni officii advenit, adfuit inter alios in Baſilica qui hujus Sancti amore ex multis convenerant locis. Cùm verò jam nocturni officii laus expleretur, & Matutinorum ſubſequeretur, cœpit ſororcula prædictæ puellæ dormitare. At illa ut ſedebat, pulſavit eam baculo rogans ut ſe adjuvaret, & quia omnia tremerent ſua membra indicavit. Et feminæ quæ juxta eam aderant, reclinaverunt eam in gremium cujuſdam. Ubi autem cœpit pæne exanimare, ſtatim projiciens ſe in terram ilico extenſa eſt. Poſt Matutinorum verò conſummata ſollemnia, cum ingenti alacritate animi, in hymnidicis melodiis & ſignis concrepantibus delata eſt ad honorabile ſepulcrum beatiſſimi Sacerdotis. Quæ intantum recepit ſanitatem, ut modò nihil appareat ſi umquam particeps illius fuiſſet languoris. Quæ uſque hodie viſitat orationes frequenter illius, ferens velum capitis inſtar Monialium.

NOTA. *V. l. 1. c. 16.*

V. Cæca videt.

Mulier quædam detulit parvulum ſuum filium cæcum ad ſuffragia Patroni noſtri in ipſius ſacra feſtivitate: & ubi Miſſarum illius diei ſollemnia agebantur, interceſſionibus Sancti Dei meruit luce frui oculorum.

VI. Adoleſcens curatur. * *Caours*

Puer nomine Dodo de villa Cathorto*, ferè duodecim ætatis continens curricula, dum quodam die reverteretur ſequens boves ab opere arandi, ecce ſæviſſimus turbo adfuit, & illum bovéſque intantum concuſſit, ut in illius turbinis violentia portaretur quaſi ſpatio jactûs lapidis. Nam duos boves eliſit, quorum alter damna mortis ſuſtinuit. At puerum multo tempore extra puritatem ſuæ mentis fecit eſſe, & ita contractum, ut ſe minimè poſſet de loco movere, niſi ab

AN. CHR. DC.XLV. APR. XXVI.

aliquo portaretur. Quod videns mater pueri, ſtuduit eum ferre ad Baſilicam Chriſti Confeſſoris: & ibi ſecus manſione accepta, id eſt in villa prædicta Froocortis, quandocumque illi poſſibilitas aderat, propter ſui medelam aliquando mittebat per alium, aliquando verò ipſe apportabat candelam. Et ubi trium tempus annorum peractum eſt, cœpit jam ſuſtentaculo iter ſuum agere, quod vulgari nomine Crocia* vocatur. Et iterum poſt expletionem trium annorum, cùm in feſtivitate S. Richarii Miſſarum ſollemnia celebraremus, præcipuis meritis ipſius meruit perditam invenire ſanitatem.

* vulgò *une croſſe*, fulcrum ſubalare

VII. S. Richarii caput in thecam argenteam infertur.

Anno Incarnationis Domini noſtri JESU-CHRISTI octingenteſimo ſexageſimo quarto[a], menſe Octobri, die ſexta Kalendarum Novembrium tranſlatum eſt à Fratribus glorioſum caput S. Richarii de capſa lignea, in qua conditum habebatur propter Normannorum imminentes preſſuras, in argenteam auro gemmíſque redimitam, cum honore debito ac reverentia. Ad quod Divinum dum fuiſſemus officium, convenit etiam non minima pars famulorum Monaſterii, qui in diverſis deſerviebant officinis, ad tam honorabile ſpectaculum, ſimul ſe ejus ſacris orationibus commendantes. Inter quos quidam è famulis nomine Geroldus adfuit, qui in officio coquinæ Fratrum uſque adhuc deſervit, qui adeo oculorum lumine privatus erat, ut vix quippiam videre valeret, & in illorum doloribus ſine ceſſatione diu noctúque cruciabatur. Cui Medicorum peritia nulla proficua erat; jamjámque ab omnibus deſperabatur poſſe illum priſtinum conſequi viſum. Qui cùm inter reliquos gratiâ hujus ſalutiferi ſpectaculi adveniſſet, jam in ea infirmitate poſitus circiter anno & dimidio, &, ut ipſe refert, ſemper ſibi veniſſe in mentem quòd per venerabilis Paſtoris noſtri vivifica merita deberetur ei viſus reddi, ſupplici voce Deum adoravit, & ut ſui meritis beati Richarij dignaretur miſereri, ex corde contrito poſtulavit. Qui antequam ſuam compleviſſet orationem, ſenſit ſe leviùs habere, & ante revolutionem circuli ſeptimanæ ita perfectiſſimè viſum recepit, ut numquam ſe perfectiùs videre teſtatur.

a

VIII. Item puer contractus.

Eſt quædam villa nomine Valcellas* circiter duarum ſpatio leugarum à Monaſterio B. Richarii, in qua fuit homo nomine Madewinus, ejúſque conjunx Biada, quorum filius vocabulo Hildradus ferè ſeptem continens annos in graviſſimam incidit egeſtatem, itaut nec ſe valuiſſet in aliud vertere latus. In qua dum laboraret, incurrit etiam in damna contractionis. Poſtquàm autem quaſi circulum anni in hac miſeria peregit, viſum eſt ſuis ut ad S. Albini ſuffragia ferri debuiſſet, quatinus ipſius meritis illi ſanitas Dei elementiâ donaretur. Eſt enim illius Oratorium non longè diſtans à prædicta poſſeſſione. Quem ſecum tollentes cum candelis detulerunt ad prædictam Baſilicam: ſed nihil ibi dignum voti ſui adepti ſunt. Deinde ut ſe viderunt hoc munere privatos, ad Monaſterium noſtri Patris illum duxerunt. Qui cùm illic pænè totam peregiſſet hebdomadam, & nullum ſuæ ſanitatis nanciſceretur remedium, parentes ſui in deſperationis tenebras verſi, rurſum ad ſua illum reduxerunt. Et ut illic aliquantulos duxiſſet dies, reſpexit eum clementia Divina, & fecit ei deſiderium ineſſe, ut iterum ſacras B. Richarii orationes adire debuiſſet. Móxque ut ipſe iſto radio Divinæ lucis tactus eſt, cœpit manibus pedibúſque veluti repere. Quod ſui conſiderantes, minimè moram fecerunt ad deſiderata Patrocinia eum perducere. Et breves illi anticulas facientes, ut in illis iter velut reptando valuiſſet habere, illic dimiſerunt. Cùm autem ibidem ferè ſeptem annorum curriculum peregiſſet, meruit priſtinam conſequi ſanitatem. Nam cùm in feſtivitate Patroni noſtri tempore nocturnali ad ſacrum fuiſſemus officium, & ſecunda lectio recitaretur, interceſſionibus ejuſdem priſcæ incolumitati redditus eſt. Quem Fratres quidam tollentes ad almificum beati Richarii mauſoleum deportaverunt, atque poſt expletionem Divinæ laudis devotam more Eccleſiaſtico hymnologiam pro illo Domino obtulimus, qui modò perfectè ſanus eſt.

* *Vauchelles*

a In MS. Compend. legitur, DCCC. LIX. at librarii errore, ut patet tum ex MS. cod. Centul. tum ex Hariulfo, qui in Chron. Centul. lib. 3. cap. 11. noſtram lectionem habet.

Homo

Homo nomine Lantfridus de villa, quæ nuncupatur nomine fluvioli Scalbacis * ſecus currentis, ferè leugâ diſtans à Monaſterio ſancti Walarici, ſubjectus fiſco Creſiacenſi, in graviſſimam cecidit ægritudinem. Qui cùm ſe gratiâ ſui remedii plurimis dediſſet Medicis, & illorum peritiâ inciſus ſive coctus fuiſſet, nihil illi contulit ſalutis: ſed potiùs unde ſibi arbitratus eſt incolumitatem provenire, inde majus ſuſtinuit detrimentum. Nam tantum medicorum ſuffragium exquiſivit, uſquequo contractionis luem incurreret, nec aliter valens callem ſuæ viæ incedere; niſi in carruca poſitus, nec ſe è loco movere, niſi à duobus levaretur hominibus. Qui ſerò ſui reminiſcens, rejecta* medicorum molimina, meliorem ſemitam arripuit tradens ſe orationibus Sanctorum. Qui cùm per multa ſacra Sanctorum duceretur Patrocinia, contigit per Dei diſpenſationem nullam ſuæ ſalutis nanciſci ſoſpitatem. At noviſſimè delatus eſt ſuorum ſagacitate ad Monaſterium Centulenſe in Patroni noſtri ſacra ſollemnitate. Qui cùm ibi oratione celebratâ, ad ſua reductus eſſet, cœperunt venæ ſuorum artuum aliquamdiu relaxari, & ipſe leviùs habere. Sed cùm prædicta feſtivitas poſt anni circulum adveniſſet, non ille (ut dignum erat) gratias referens pro ipſo aliquantulo ſuo remedio expetivit orationes B. Richarii, ſed verſus in ignaviæ tenebras domi remanſit. Intantúmque demum contractus eſt, ut nequaquam ſecunda primæ poſſet comparari contractioni. Quod ſui conſiderantes, ut iterum advenit ipſa ſollemnitas feria, in carrucam ponentes illuc eum detulêre, quoddam quoque animal S. Richario pro ipſius medela dantes. Ibíque oratione exacta ad propria demum reductus eſt. Qui poſtea menſe Februario priſtinæ ſanitati donatus eſt, ipſéque nobis omne iſtius rei capitulum compoſuit.

AN. CHR. DC.XLV. APR. XXVI.

IX. Item alius.

* *al.* Scalbaris, vulgò *Eſtrebeuf*

* *pro* rejectis molimínibus

Item homo nomine Hermenteus de pago Vilcaſſino * de villa Freneicortis à primæva pueritia contractus & mutus fuit. Qui cùm ferè ſexdecim eſſet annorum, apud S. Sebaſtianum Martyrem meruit adipiſci munera perditæ loquelæ, & manus dextræ extenſionem. Qui deinde Pontivam adiit regionem, & in villa, quæ *Longo* dicitur, & in circumjacentibus eleëmoſynario vitam inopem pane ſuſtentabat. Cùm autem circiter quadraginta eſſet annorum, cœpit illum quidam ſibi ignotus compellare per viſionem multis vicibus, ut iret ad Monaſterium Centulenſe, ibíque ſe pro certo ſciret propriam obtinere ſanitatem. Et ut celebritas Patris noſtri advenit, impoſitus aſello, quo uti itinere ſolebat, illuc delatus eſt. Cúmque ad nocturnale officium conveniſſemus, & laus primæ celebraretur nocturnę, opitulantibus meritis beati Richarii ilicò extenſus eſt, ſimúlque manus ſiniſtræ dono ſolutionis potitus eſt. Quem tollentes & ante mauſoleum Patroni noſtri ponentes, poſt expletos Matutinos more Eccleſiaſtico pro illo Domino laudes ſtuduimus celebrare.

X. Item alius.

* *le Vexin* diœc. Rotomag.

Puella nomine Angla de villa Botiono * ex familia S. Richarii cùm in Purificatione S. MARIÆ quiddam lini operaretur, manu ſiniſtra contracta eſt, itaut medius pollex inter indicis & impudici artus infigeretur ceteris deorſum ad palmæ radicem pendentibus. Quæ cùm prope in hac ærumna laboraret menſem integrum, ſpontanea ſuæ manus extenſione priſtinam ſanitatem adepta eſt. Cùm verò appropinquaret feſtivitas ſancti viri, ferè ſpatio antè unius menſis eo quo ſuprà ordine, ſed aliquantiſper graviùs prædicta læva contracta eſt. Et cùm ad ſollemnitatem ob ſui medelam inter alios ſuos vicinos qui hujus Sancti amore convenerunt iter carperet, & jam ex iſta eſſet parte villæ, quæ Hinwalthcortis dicitur, ſuæ manus meruit recipere ſanitatem.

XI. Mulier die feſto lanificio vacans punitur, tum ſanatur.

* *Buſſu*

Eſt vicus in pago Ambianenſi nomine Incra[a], pertinens ad Monaſterium B. Richarii, in quo dum vigilia ſacri feſti Paſchalis celebraretur, quoddam miraculum Divina peregit clementia. Eſt enim ibi Eccleſia in honore B. Gervaſii Martyris conſecrata, in quam delatæ ſunt Reliquiæ Patris noſtri cum ſupellectile ſuæ Eccleſiæ dicata propter imminentem Nortmannorum timorem,

XII. Contracta erigitur.

[a] Incra ſeu Enera, vulgò *Encre*, opidulum eſt ad amnem cognominè, quod poſt Marchionem de Enera capitis damnatum, *Albert* cœpit appellari. Illic erat quondam Cellula Monaſterio Centulenſi ſubjecta, nunc eſt Prioratus à Cluniaco dependens. Lege Chron. Centul. lib. 3. cap. 3.

AN. CHR. DC. XLV. APR. XXVI.

quem ſine ceſſatione patimur. Erat quædam femina inibi multo dextera contracta tempore, ungulis digitorum infixis mediæ palmæ, ut etiam ex altera parte parerent: quæ, ut diximus, cùm inter alios ob Chriſtianæ Fidei devotionem ſe auſcultatibus divinarum dediſſet lectionum, & ſextæ tenor haberetur lectionis, opitulante gratia Divina ſuæ meruit recipere manus ex integro ſanitatem. Quod quamvis miraculum in Eccleſia B. Gervaſij patratum ſit, non tamen credimus Paſtorem noſtrum illo privari, cujus Reliquiæ & Eccleſiaſtica ſupellex ibidem tunc fuit.

XIII. Item infantulus.

Femina ſecundum mundi hujus appetitum paupercula detulit parvulum filium ſuum circiter quatuor annorum metas continentem, nomine Theodericum, ad ſuffragia Patris noſtri, qui (ut ipſa aſſerit) fere biennio contractus fuit. Quem memorata genitrix cum portiuncula ceræ, quæ denarij pretio appenſa eſt, ad votivas ſuppetias Patris noſtri apportavit. Et ubi triduo ferme illic fuit, priſtinam conſecutus eſt ſanitatem.

XIV. Muto lingua ſolvitur. * *le Vexin* * *Fleury*

Homo quidam nomine Odelradus de pago Vilcaſſino * & de villa vocabulo Floriaco *, matura jam preſſus ſenectute ab ineunte ætate mutus fuit. Qui dum in prædicto pago vitam in opere ſuſtentaret, monebatur ſæpiùs per ſoporem à quodam ſibi ignoto ut Pontivam adiret regionem, ibíque munus tacentis linguæ meritis B. Richarij deberet adipiſci. Qui ut inter alios ad præfatam veniſſet ſollemnitatem, demptis linguæ obſtaculis loquacitatem meruit obtinere.

XV. Contractus erigitur. * *Roüen* * *Duclair*

Parvulus nomine Dodigerus duorum & quatuor ferè menſium ætatis, cujus pater vocatur Hildeboldus de pago Rodomago * & de prædio Durclaro * ſubjacens Monaſterio Gemmeticenſi, ex utero genitricis contractus exſtitit. Cujus genitor divæ fidei facultate ſuccenſus, ſtuduit eum ad feſtivitatem Patris noſtri deferre. Cui opitulantibus meritis Patris noſtri, inibi officium membrorum redditum eſt. Quem nos tollentes more Eccleſiaſtico ad mauſoleum Chriſti Confeſſoris detulimus, hymnologiam Domino pro illo perſolventes.

XVI. Danorum converſio.

Cùm prædicationis Apoſtolicæ facundia circumquaſque gyrando regiones, plures Fidei conciliaverit Chriſtianæ, gréxque quotidie propenſiùs Dominicus augeatur, quamvis olim jam in ipſorum Chriſti vicariorum tempore propheticus completus ſit verſiculus, *In omnem terram exivit ſonus eorum, & in fines orbis terræ verba eorum*: tamen auctiùs ac liberiùs in proceſſu noſtri accumulatur ævi, qui eos etiam, quorum enſe ſepe populamur, in multis videmus correctos ac colla ſanguinea jugo Chriſti, quod leve eſt, ſubmittere. Denique quidam ANSLEICUS de propagine Danorum progenitus, Chriſtianitatis ſumens inſignia, contubernalis palatij Domni CAROLI Regis piiſſimi munificentiâ effectus eſt. Qui dum legationem prædictorum Danorum, quos hactenus vis marina in Anglorum ſedibus detinet, pro ſuis negotiis Domni Regis orabundos clementiam duceret, ac deinde cum congruis reſponſis redirent, contigit eos per Cœnobium Chriſti Sacerdotis reverti. Cùm autem

Danus gentilis S. Richarij Baſilicæ honorem non deferens, morbo percutitur.

præfatus Anſleicus orationis gratiâ Baſilicæ limina adiſſet, ac ſingula ſupplicando altaria circuiſſet, unus ex Danis quos adhuc gentilis error ludificabat, curioſitate inſtinctus humana inter alios intravit, qui neque Deum pro ſe ſupplicans rigidæ cervicis flexit habenas, neque in aliquo honoris reverentiam Sancto Dei exhibuit. Poſtquam verò marinos tetigere fines, cœpit ille artuum viribus deſtitui, ac moleſtia corporis affatim gravari. Dehinc ut caſtra ſuorum adiit, ilico quaſi rebus human's eximi viſus eſt. Conſtipatíque ſui neceſſarij hujus ſiniſtræ fortunæ elogio ſciſcitaverunt ſi recolere quiviſſet, unde ipſis fomes iſtius angoris contigiſſet. Qui multa ſecum conferens, ac hujus incitamenti penitus peſtem non retinens, jam ab univerſis vitâ privari opinabatur. Cùm

In extremis pœnitens ſanatur. * *id eſt* credere

autem finis adeſſe putaretur, nulláque ſpes ſalutis ulterius crederetur, tandem ipſius ſubiit memoriæ, eoquòd tumidè beati Richarij Baſilicam intraſſet, & neque Deo Chriſtianorum neque ipſi Sancto cultus honorem dediſſet, ideóque ſperare * ſibi hujus cruciatûs caſus adeſſe. Quod fortiloga indagine veſti-

gantes, ut confessus est deprehenderunt: ac mox pollicitus est, ut si divinitus ei vita daretur, ac incolumitate uti mereretur, correctioris viæ semitam ducere, atque ab effusione Christianorum sanguinis quiescere. Jussítque tendere quatuor fila argentea & unum aureum suæ staturæ altitudinis parilia, disponens ea mittere pro suæ devotionis beneficio Basilicæ beati Richarij, unicuique etiam aræ candelam cum singulis nummis statuens imponere. Quod ut deliberavit, mox meruit levaminis sentire subsidium, itaut post triduum ferè ad omne sui operis negotium congruus fieret. AN. CHR. DC. XLV. APR. XXVI.

MONITUM.

HISTORIAM Translationis ac Relationis S. Richarij, cujus corpus in Centulensi Monasterio theca argentea inclusum adservatur, referemus Benedictino Sæculo v. ad annum 981.

VITA SANCTI GALLI ABBATIS IN ALAMANNIA,

CIRC. AN. DC. XLVI. OCT. XVI.

Auctore WALAFRIDO STRABO Abbate Augiensi, qui imperante Ludovico Pio floruit.

Ex Melchiore Goldasto & Surio.

OBSERVATIONES PRÆVIÆ.

1. VALAFRIDUM *Strabum seu Strabonem describendis S. Galli Abbatis gestis operam navâsse constat ex Hepidanno Gallensi Monacho his suorum Annalium verbis:* Anno DCCC. XLIX. WALAHFREDUS Abba Augensis obit. Iste vir litteratus Vitas SS. GALLI & OTHMARI ad petitionem GOZPERTI Abbatis compilavit eleganter. *Adhuc juvenis huic lucubrationi incubuit post alium Auctorem anonymum, cujus vestigiis insistere se in Præfatione * confitetur. Vitæ S. Galli adjecit librum Miraculorum, quæ* GOSBERTUS *Monachus * partim jam scriptis ediderat.* Vualafridus Vitæ S. Galli scriptor. * *num.* I. * *in fine Vitæ.*

2. *Præterea* Walafridus *S. Galli Vitam metricam Gozberto Abbati in fine subjectæ Præfationis promisit, præstitítque, cujus Vitæ necdum editæ hoc circumfertur initium:*

Promissi memor ecce mei, GOZBERTE, quod olim &c.

Hic est Gozbertus seu Gotzpertus Abbas Sancti-Gallensis, qui teste Ratperto in lib. de Casib. S. Galli c. 6. Werdoni anno ab Incarn. Domini DCCC. XVI. *successit, deinde* anno DCCC. XXX. novam S. Gallo cœpit ædificare Basilicam, quam spatio septem annorum ad plenum ædificando perduxit: *demum* tempore procedente, *ait idem Auctor. cap. 7.* cùm jam ætatis gravitatem corporísque infirmitatem non sufficere crederet ad instantium necessitatem negotiorum, à Hludovico clementissimo Augusto impetravit, ut BERNWICUS Monachus successor illi exsisteret: quod statim ut postulavit, effectum est..... anno Inc. Domini DCCC. XXXVII. Gozbertus Abbas quis?

3. *At verò* WALAFRIDUS *Strabus primùm in Monasterio S. Galli scholas frequentavit adolescens: inde Fuldam ablegatus audiendi Hrabani causâ, ibidem usque ad ipsius Hrabani promotionem in Sedem Magontinam perduravit: tum relictâ Fuldâ Augiam accedens, Abbatis dignitatem tenuit, tandémque anno* DCCC. XLIX. *fatis concessit. Hinc Gerardus Vossius in lib. 2. de Hist. Lat. c. 33. & Goldastus in Vitam S. Galli rectè arguunt Trithemium aliósque, qui* Walafridum *S. Galli Abbatem à Walafrido Fuldensi distinctum volunt. Certè nullus Walafridus inter Abbates Gallenses ab Hepidanno, Ratperto aliísque adnumeratur, licèt* Walafridus Strabus *primùm in Gallensibus scholis institutus, ibi Decanus fuisse à Metzlero & Vossio credatur. Est autem* Augia, *antiquis* Auva, Ouva, Sinthleohesƿa, *vulgò* Richenoƿ *&* Richenaƿ *dicta, Abbatia quondam insignis sanctitate, nobilitate ac divitiis, unde Dives nuncupata, (quo nomine ab Augia Majore seu Brigantina distinguitur) in insula Rheni paullò infrà Constantiam sita, quam S. Pirminius adjuvante Carolo Martello anno* DCC. XXIV. *condidisse fertur. Ab Augia insula non longè distat S. Galli Monasterium etiamnunc celeberrimum religione & dignitate, S. Galli opido nobilitatum, ad lacum Acronium in finibus Helvetiorum & Vindelicorum: cujus Monasterij Abbas inter Imperij Principes locum habet, inter Congregationis S. Galli Patres præeminet. In Vita* Quis Vualafridus? Augia Dives S. Galli Monasterium.

CIRC. AN. DC.XLVI. OCT. XVI. Notkerus S. Galli ſcripſit.

S. Othmari de Viris illuſtribus iſtius Monaſterij dicemus Sæculo ſequenti.

4. Poſt Walafridum NOTKERUS *Gallenſis Monachus cognomento Balbulus Patroni ſui Vitam tribus libris cecinit: qui auctor ſanctitatis nomine illuſtratus, anno* CM. XII. *deceſſiſſe apud Hepidannum legitur. Notkeri opus metricum ſiquidem nanciſci non licuit, unus ſupplebit Walafridus, cujus lucubrationem in Capita ab Auctore diſtinctam ex Goldaſti To. 1. parte 2. Hiſt. Alamann. repetemus. Exſtant Carmina quædam de S. Gallo apud Henricum Caniſium To. 5. & 6. Antiq. Lect. quæ conſultò prætermittimus.*

PRÆFATIO AUCTORIS AD GOZBERTUM Abbatem & Monachos S. Galli.

I. 1. Reg. 15. Ierem. 1.

NIſi me ſanctarum auctoritas Scripturarum, & præcipuè illa veridici Prophetæ ſententia, quâ ſacrificio obedientia præfertur, ad neceſſitatem obediendi conſtringeret, præceptis veſtris, ô ſanctiſſimi Patres, apologiæ hujuſmodi genus opponerem: Si Propheta, qui antequàm formaretur in utero, à Domino electus eſt, & priuſquam exiret de ventre, ſanctificatus eſt, dum eum Dominus Spiritu ſuo illuſtrans, verbi officio manciparet, de ætatis infirmitate & ignorantia conqueſtus eſt; quid ego peccator acturus ſum, qui in iniquitate conceptus & in delicto profuſus, propter ſordes vitæ incircumciſus ſum corde & auribus: quia videlicet nec ſcienda dignè percipio, nec audita devotè conſervo? Quomodo juſtitias Domini enarrabo, & adſumam teſtamentum ejus per os meum, cujus ætatem nec tempus adhuc implevit, nec ſcientia commendavit? cujus dicta nec doctrina corroborat, nec vita confirmat? præſertim cùm ea ſcribere jubeatis & ordinare, quorum dignitatem vix animo torpente conjicio. Tres tamen ob cauſas audendi talia viam invenio, ſcilicet quòd credo me à Domino ſublevandum, ob cujus juſſa pariter ac promiſſa, quod virium conſideratione exhorrui, obediendi cupiditate ſuſcepi. Deinde quòd me confido B. GALLI interceſſione veſtríſque precibus adjuvari, pro quorum veneratione ac amore grande onus humeris aptavi debilibus. Proſtremò quòd alienis inſiſto veſtigiis, veritatíſque tenendæ lineam novis tantummodo cogor paſſibus dimetiri. Vitam igitur ſancti Confeſſoris Chriſti Galli, Patroni noſtri, cujus corporis theſaurum fidelibus ſervatis excubiis, ſenſu nobilem, ſcripto degenerem vultis à me lumine rectæ locutionis ornari, & ſeriem confuſam Capitulorum diſtingui limitibus.

II. Ego autem cùm me non poſſim ab hoc excuſare negotio, eligo potiùs pro ignavia lacerari, quàm pro inobedientia condemnari. Porro dum pridem ipſum opus perlegerem, inveni ab Auctore ejuſdem conſcriptionis terram quam nos Alamanni vel Suevi incolimus, Altimanniam ſæpiùs nominari; ſed ipſius nominis originem [a] quærens, apud nullum Scriptorum, quorum adhuc notitia nos reſperſit, ejus reperi mentionem. Niſi fallor enim, ab alto ſitu provinciæ idem vocabulum à modernis confictum eſt. Nam juxta Scriptores authenticos, pars Alamanniæ vel [b] Sueviæ inter Alpes Penninas [& meridianum litus Danubij ſita, Rætia dicitur. Porro quod eſt ad ſeptemtrionalem plagam, Hiſtri Germaniæ deputatur. Et ut non noſtra dicere exiſtimemur, aliquos ipſius rei teſtes adſciſcimus. Paulus Oroſius, cujus dictis omnium fides concordat, » de ſitu terræ ſcribens, hæc inter cetera ponit. Pannonia, Noricus & Rætia » habent ab Oriente Moëſiam, à meridie Hiſtriam, ab Africo Alpes Penni» nas [c],] ab occaſu Galliam Belgicam, à Cærcio Danubij fontem, à Septemtrione » Danubium & Germaniam. Cùm Noricus Regio ſit Baioariorum, & ejus Septemtrionalis terminus Danubius & Germania; neceſſe eſt Rætiam, quæ ſimul ponitur, eiſdem finibus Aquilonem verſus terminari. Solinus quoque in Po-

a Non probat Vualafridus hanc Alamanniæ notionem, de qua litigant Auctores.

b Hoc in loco præpoſitio *vel* disjunctiva non eſt. Nam apud priſcos Auctores Alamanni ac Suevi, quòd finitimi eſſent, ſimul confuſi reperiuntur.

c Quæ hac clauſula continentur, deſiderantur apud Surium.

lyhiſtore, ubi Galliæ facit mentionem, has provincias unò terrarum tractu poſitas his verbis deſignat: Ex iſto ſinu, videlicet Galliæ, quaqua parte orbis velis exeas, ſi Thracia ſit petenda, excipit ager Ræticus, bonus frugibus, Brigantino lacu nobilis; inde Noricus frigidus, parciùs fructuoſus; quà ſubducitur à jugis Alpium, admodùm lætus. Dehinc Pannoniæ viro fortes, ſolo plano ubertóque, Dravo Savóque inclytis amnibus circumfluæ. Si Rætia ſolummodò infra Alpes eſt, ut multi volunt; quæ conſequentia eſt, ut Noricum à Gallia pergentes, aſperitatem Alpium tranſſcendamus, & non potiùs per majorem Rætiam recto itinere Noricum uſque tendamus? In qua etiam Rætia, ſecundùm ſupradictam ſententiam, Brigantium opidum jam vetuſtate collapſum, lacui qui Rheno interfluente efficitur, nomen dedit, qui alio nomine, juxta Græcam etymologiam, Potamicus appellatur. Igitur quia mixti Alamannis Suevi, partem Germaniæ ultra Danubium, partem Rætiæ inter Alpes & Hiſtrum, partémque Galliæ circa Ararim[a] obſederunt; antiquorum vocabulorum veritate ſervata, ab incolis nomen patriæ derivemus, & Alamanniam vel Sueviam nominemus. Nam cùm duo ſint vocabula unam gentem ſignificantia, priori nomine nos appellant circumpoſitæ gentes, quæ Latinum habent ſermonem; ſequenti, uſus nos nuncupat Barbarorum. Similiter ſcimus Francos partes Germaniæ vel Galliæ, non ſolùm poteſtati, ſed etiam ſuo nomini ſubjugâſſe.

CIRC. AN. DC. XLVI. OCT. XVI. *Solin. c. 24.*

a

Et quia Provinciarum deſcriptiones attigimus, liceat paucis Hiberniæ inſulæ, de qua nobis tantum decus emicuit, juxta eoſdem auctores ſitum commemorare. Hibernia inſula, ut ſcribit Oroſius, inter Britanniam & Hiſpaniam ſita, longiori ab Africo in Boream ſpatio porigitur. Hæc propior Britanniæ, ſpatio terrarum anguſtior, ſed cæli ſoliſque temperie magis utilis: & ut ſupradictus Solinus teſtatur, ita pabuloſa, ut pecua ibi, niſi interdum æſtate à paſtibus arceantur, in periculum agat ſatias. Illic nullus anguis, avis rara. Quam horrenda verò ipſe vel alij de moribus incolarum ejus teſtentur, Fide Chriſti jam lucente ſuperſedendum eſt; quia ubi abundavit peccatum, ſuperabundavit gratia; & à ſolis ortu Indis vel Æthiopibus uſque ad occaſum Britannis vel Scotis jam laudabile eſt nomen Domini. Excelſus enim eſt ſuper omnes gentes Dominus, & ſuper cælos gloria ejus.

III. Hiberniæ deſcriptio.

Obſecro itaque te, GOTZPERTE cariſſime, Abba Monaſterij S. Galli, cunctóſque Fratres, qui ſub te militiæ deſerviunt ſpiritali, ut me orationibus veſtris adjuvetis, quatenus & hoc opus, & alia deinceps dignè Deo merear explicare. Nam ſi grataner rectè à nobis poſita ſuſceperitis, clementer verò titubantia correxeritis, & ſi Dominus permiſerit; hujus operis agreſte pulmentum poſtmodùm aliquibus metrorum condimentis infundam. Dignum quippe eſt, ut noſtris laudibus per orbem celebretur, quem de extremis orbis finibus ad noſtram ſalutem Dominus deſtinavit. Bene valentem & noſtri memorem Paternitatem veſtram in æternum ſancta Trinitas conſervare dignetur, Amen.

IV. Auctor opus metricum promittit.

O Pater, ô Patris Proles, ô Spiritus alme,
Une & trine Deus, nos miſerate rege.
Me tua juſſa ligant, tua me promiſſa gubernent,
Luceat in dictis lux tua, quæſo, meis.
In te, GALLE, Deum in Domino te, Galle, fatebor;
Tu pro me ſacras funde preces Domino:
Ut veniam noxis, dictis moderamina præſtet,
Quod nocet, evellat; quod juvat, amplificet.

a Id eſt Arolam, vulgo *Arr*, fluvium Helvetiorum in Rhenum influentem. Sic enim apud antiquos nonnumquam Ararim, pro Arola ſumptum Hadrianus Valeſius in Hiſtor. Francor. libro 24. pag. 478. To. 3. obſervavit.

Sirc. An. DC.XLVI. Oct. XVI.

Caput I. *Quibus profectibus B. Gallus à pueritia ſub magiſterio S. Columbani uſque ad Sacerdotis profecerit dignitatem.*

CUM præclara ſanctiſſimi viri Columbani, qui & Columba, converſatio per omnem Hiberniam celebris haberetur, & veluti ſplendidum ignei ſolis jubar ſingulari decore omnium in ſe provocaret amorem, (ſicuti de eo priuſquam naſceretur proviſum eſſe liber geſtorum ipſius pleniter indicat;) inter ceteros, quos fama virtutum ejus attraxerat, parentes beati Galli, ſecundum Deum religioſi, ſecundum ſæculum nobiles [a], filium ſuum primæ ætatis flore nitentem cùm oblatione Domino offerentes, illius magiſterio commendaverunt, ut in regularis vitæ proficeret diſciplina, & inter plurimos ſpiritalis militiæ ſectatores, obedientiæ & artioris propoſiti imitaretur exempla. Dúmque bonæ indolis vir caro * nutriretur affectu, magno virtutum crevit augmento. Superna quoque gratia ſe præveniente, tanto ſtudio Divinas epotavit Scripturas, ut de theſauro ſuo nova proferre poſſet & vetera. Grammaticæ etiam regulas, metrorúmque ſubtilitates capaci conſequeretur ingenio. Obſcura autem Scripturarum tam ſapienter ſcire volentibus reſeravit, ut cuncti, qui ejus prudentiam & ſermones audierant, admiratione eum & laude digniſſimum judicarent. Qua ſapientiæ maturitate factum eſt, ut univerſorum communi conſilio, & juſſione Columbani Abbatis, per ſingulos ſacræ promotionis gradus adſcendens, invitus Sacerdotij ſuſciperet dignitatem. Ergo dum ſacris inſtaret officiis, die noctúque precibus Dominum placavit & lacrymis, & ſuperni Inſpectoris oculis placere deſiderans, pro virtutum & vitæ meritis amabatur ab omnibus, placuit univerſis.

[a] *al.* caſto

Caput II. *Qualiter S. Viri pro nomine Domini peregrinationem aggreſſi ad* Sigibertum *Regem pervenerint, & Luxovium cæperint incolere.*

DUM hæc agerentur, quotidie B. Columbanus Evangelicam cupiens adſequi perfectionem, ut videlicet omnibus quæ habebat relictis, crucem ſuam tolleret, & nudus Dominum ſequeretur; conſilio ſuo egit cum Fratribus, quorum animos idem fervor accenderat, ut ſpreta propinquorum & prædiorum dulcedine, mentis ardorem opere comprobarent. Adſcendentes igitur navim venerunt Britanniam, & inde ad Gallias transfretârunt. Cúmque vir Dei ad Sigibertum Regem cum ſuis perveniſſet, rogavit eum Rex ut infra Gallias reſideret, nec eis relictis ad gentes alias commigraret; ſe verò ſpopondit omnia, quæ ſanctus Pater peteret, præbiturum. Ad hæc vir Dei reſpondit: Qui noſtra reliquimus, ut ſecundum Evangelicam juſſionem Dominum ſequeremur, non debemus alienas amplecti divitias, ne fortè prævaricatores ſimus Divini mandati. Cujus objectioni Rex ita occurrens ait: Si Crucem tollere & Chriſtum ſequi deſideras, vaſtæ eremi ſectare quietem: tantùm ne ſolo noſtræ ditionis relicto, ad vicinas tranſeas nationes. Poteris enim hoc conſilio & tua præmia cumulare, & noſtræ ſaluti proſpicere. Itaque Regis perſuaſioni conſenſit, & accepta optione, eremum quæ Voſagus * dicitur, cum ſuis intravit. Invenerunt autem locum muris antiquitùs ſeptum, calidis aquis irriguum, ſed jam vetuſtate collapſum, qui vulgo Luxovium * vo-

* *la Voſge*

* *Luxeu*

[a] Quæ de Regia B. Galli proſapia referuntur à Goldaſto, non ſatis approbata videntur. Ex Rege Hiberniæ Unuchun procreatus dicitur Kethernach, pater B. Galli, qui patriâ linguâ Callach dictus regnum ſpreverit.

cabatur. Ibi Oratorium in honorem B Petri Apoſtoli conſtruentes, manſiuncu- CIRC. AN. DC XL. I. OCT. XVI.
las in quibus commanerent fecerunt. Illíſque ibi converſantibus & ipſum locum excolentibus, multi non ſolùm de genere Burgundionum, ſed etiam Francorum amore vitæ laudabilis ad ipſos confluxerunt; & monitis ſpiritualibus inſtituti, tantam compunctionis gratiam ex verbis eorum adepti ſunt; ut omnia ſua ad ipſum locum nonnulli contraderent, & comâ capitis depoſitâ Monaſticæ vitæ habitum voluntaria paupertate ſuſciperent [a].

CAPUT III. *Qua auctoritate B. Columbanus Theodoricum Regem corripuit, & quibus odiis eum Brunichildis de regno illo ejecerit, qualitérque ad Lotharium Regem, indéque ad Theodebertum cum ſuis pervenerit.*

CUMQUE hæc tam felix commanentium ſemper in melius proficeret diſciplina, ſingularis B. Columbani ſanctitas miraculis frequentibus comprobata per totas cœpit Galliæ vel Germaniæ diffamari provincias. Laudabatur ab omnibus, colebatur à cunctis, adeout THEODORICUS Rex filius HILDEBERTI, nepos SIGIBERTI, qui eo tempore Burgundionibus regnabat, ad eum ſæpe veniret, & precum ejus ſuffragia ſumma cum devotione depoſceret. Quem cùm Pater ſanctus increparet, cur concubinarum pollueretur amplexibus, & non potiùs legitimæ conjugis connubio frueretur, monitis ejus obtemperans, cuncta hujuſmodi illicita ſe vitaturum promiſit. Sed BRUNICHILDIS avia Regis, videns eum viri Dei conſiliis obedire, ſtimulo malitiæ concitata, mentem ſerpentino furoris armavit veneno. Verebatur enim, ne ſi abjectis concubinis Regina in conſortium regni adſumeretur, dignitas ſua honore ſubtracto vileſceret. Quo timore laborans, invidiam contra virum Dei cœpit habere; & poſt multas injurias quas illi machinata eſt (ut ſcriptura ſanctæ converſationis ejus teſtatur) conſilio cùm Rege inito, ut eum regno ſuo deturbaret, miſit legatarios ſuos cum Epiſtola ad ſanctum virum, denuntians ei, ne deinceps in regno ille conſiſteret. Ille Jezabelis inſidias vitans, iter cum ſuis aggreſſus, ad LOTARIUM Regem pervenit. Apud quem cùm aliquanto tempore moraretur, rogavit, ut illius ſolatio ad THEODEBERTUM Auſtraſiorum Regem pervenire potuiſſet. Ad quem cùm ſecundùm petitionem voluntatis ſuæ venerabiliter miſſus eſſet, ſuſceptus eſt ab eo cum omni honore & gaudio magno. Manſit itaque apud illum aliquot diebus, ſacras Scripturas aperiens, & inſinuans ei veritatem. Cúmque & ipſum rogaret, ut ad AGILOLFUM Regem Langobardorum ejus juſſu per Alamanniam duceretur; moleſtè ferens Rex tantorum diſceſſum virorum, pollicitus eſt eis intra terminos regni ſui ſe reperturum loca venuſta, quæ famulis Dei & ad incolendum eſſent commoda, & ad inſtruendas verbo veritatis circumpoſitas nationes opportuna. Vir Dei ſemen verbi in cordibus gentium plantare deſiderans, aliquantiſper moraturum ſe promiſit, ſi regia auctoritas factis dicta firmaret.

CAP. IV. *Quomodo optione data quærendæ habitationis, ad Tucconiam venerunt, & quid ibidem geſſerunt.*

ACCEPTA igitur à Rege licentiâ eligendi locum ubicumque voluiſſent, dum loca plurima perluſtrâſſent, venerunt infra partes Alamanniæ [b] ad

[a] Quæ de Galli piſcatione Jonas in Vita ſancti Columbani num. 16. refert, hîc ſupplere oportet.
[b] Alamanniam Helveticam Martinus Cruſius libro primo de Rep. Hel. appellat.

CIRC. AN. DC. XLVI. OCT. XVI. fluvium, qui LINDIMACUS[a] vocatur. Juxta quem ad ſuperiora tendentes, pervenerunt ad lacum Turicinum. Cúmque per litus ambulantes, veniſſent ad caput lacus ipſius in locum, qui Tucconia dicitur, placuit illis loci qualitas ad inhabitandum. Porro homines ibidem commanentes, crudeles erant & impij, ſimulacra colentes, idola ſacrificiis venerantes, obſervantes auguria & divinationes, & multa quæ contraria ſunt cultui divino ſuperſtitioſa ſectantes. Sancti igitur homines cùm cœpiſſent inter illos habitare, docebant eos adorare Patrem & Filium & Spiritum ſanctum, & cuſtodire Fidei veritatem. Beatus quoque Gallus ſancti viri diſcipulus, zelo pietatis armatus, fana, in quibus dæmoniis ſacrificabant, igni ſuccendit, & quæcumque invenit oblata, demerſit in lacum. Quâ causâ permoti, irâ & invidiâ Sanctos inſectabantur, & communi conſilio Gallum perimere voluerunt: Columbanum verò flagellis cæſum & contumeliis affectum de ſuis finibus proturbare. Beatus Pater cognito conſilio eorum, zelo juſtitiæ imprecatus eſt eis talia dicens. Deus cujus providentia mundus ſubſiſtit, & cuncta reguntur, fac ſuper caput generationis hujus reverti contumelias, quas famulis tuis paraverunt. Nati eorum facilè pereant, & antequam ſeneſcant, præ ſubitaneo ſtupore delirare cogantur: ipsíque cum terra quam incolunt, dura potentium dominatione premantur, ut cunctis ignominia eorum pateat in æternum, & ſicut ſcriptum eſt; Convertatur dolor eorum in caput ipſorum, & in verticem illorum iniquitas ab ipſis patrata deſcendat. *Pſal. 7.*

CAP. V. *Adventus eorum ad Vvillimarum Presbyterum apud Arbonam, & humanitas ejus, & Brigantij commoratio.*

POST hæc non timore perſecutionis perterritus, ſed amore ſpiritalis lucri perſuaſus, contumacium ſterilem turbam reliquit, ne inaniter arida corda diutiùs irrigaret, qui benevolis mentibus quamplurimum prodeſſe interim potuiſſet. Pergens ergo inde cum ſuis pervenit in caſtrum quod Arbona * vocatur: & invenit ibi Preſbyterum bonitate conſpicuum, nomine WILLIMARUM. Qui cùm intuitus eum fuiſſet, dixit: Benedictus qui venit in nomine Domini, & reliqua. Cui vir Dei ita reſpondit. De regionibus congregavit nos Dominus. Presbyter ergo apprehensâ dexterâ ejus, duxit eum in Oratorium: & poſtquam pariter oraverunt, introduxit eos in hoſpitium. Qui pacem domui imprecantes, depoſuerunt ſarcinulas ſuas. Poſtquam verò recubuerunt, juſſione Abbatis Gallus divina recitavit eloquia, profunda referans veritatis. Inter ſacra doctrinæ ſalutaris convivia, prudentiam viri Sacerdos miratus, à fletu ſe continere non potuit. Toto autem ſeptem dierum circulo cum ſummo honore & diligentia illis miniſtravit, & quos carnalibus fovit deliciis, ab ipſis quotidie paſtus eſt dapibus Scripturarum. Inter ſacræ igitur ædificationis colloquia, Columbanus Abba Presbyterum interrogavit, ſi ſciret aliquem in ſolitudine locum, in quo cellula fieri potuiſſet, cuſtodiis aliquantulum regularibus opportuna. Hoſpes Sanctorum huic inquiſitioni reſpondit: In hac ſolitudine locus quidam eſt antiquæ ſtructuræ ſervans inter ruinas veſtigia, ubi terra pinguis & fructuariis proventibus apta, montes per gyrum excelſi, eremus vaſta & imminens opido, planities copioſa victum quærentibus fructum laboris non negat. Et cùm loci ipſius ſitum per multa laudaſſet, indicavit nomen ejus Brigantium. * *Arbon*

a Surio Limagus dicitur, vulgo *la Limat*, hodiernæ Helvetiæ fluvius haud ignobilis, lacum Tigurinum, hîc Turicinum dictum ingreditur, alluit Tigurum Tigurinæ regionis urbem primariam, & poſtea in Arolam influens, inſimul in ſiniſtram Rheni ripam devolvitur. Porro in capite lacûs Tigurini Vvalafridus hîc ponit Tucconiam, vulgo *Tuggen*. Confer Vitam S. Columbani auctore Jona, à num. 49. Notat Goldaſtus Tucconiam hodie Tuggium, vernaculè *Zug* ideo appellatam, quod veteres Alamanni τὸ T mutare amarent in Z: unde Turicinum *Zurich*, Tabernæ *Zabern*, Duræque *Zurzach*, & id genus ſimilia.

Cap. VI. *Vt eumdem locum adierint, & quid in conventu populi B. Gallus fecerit: qualiter Oratorium reſtauraverint, & quamdiu ibidem conſtiterint.*

Circ. An. dc. xlvi. Oct. xvi.

Illis igitur illuc ire cupientibus, paravit Presbyter naviculam, & impoſuit remiges. Venerabilis autem Abba cum Comitibus Gallo & quodam Diacono navem conſcendens, invocato nomine Domini, ad locum deſideratum viâ rectâ pervenit. Egreſſi de navicula, Oratorium in honorem ſanctæ Aureliæ conſtructum adierunt, quod poſtmodùm B. Columbanus in priſcum renovavit honorem. Poſt orationem cùm per gyrum oculis cuncta luſtrâſſent, placuit illis qualitas & ſitus locorum. Deinde oratione præmiſſa, circa Oratorium manſiunculas ſibi fecerunt. Repererunt autem in Templo tres imagines æreas deauratas, parieti affixas, quas populus dimiſſo altâris ſacri cultu adorabat, & oblatis ſacrificiis dicere conſuevit: Iſti ſunt dij veteres, & antiqui hujus loci tutores, quorum ſolatio & nos & noſtra perdurant uſque in præſens. Columbanus itaque B. Gallo id injunxit officij, ut populum ab errore idololatriæ ad cultum Dei exhortatione ſalutari revocaret, quia ipſe hanc à Domino gratiam meruit, ut non ſolùm latinæ, ſed etiam barbaricæ locutionis cognitionem non parvam haberet. Cúmque ejuſdem Templi ſollemnitas ageretur, venit multitudo non minima promiſcui ſexûs & ætatis, non tantùm propter feſtivitatis honorem, verumetiam ad videndos peregrinos quos agnoverant adveniſſe. Ergo dum ad horam orationis concurrerent, juſſu venerandi Abbatis Gallus cœpit viam veritatis oſtendere populo, & ut ad Deum converterentur admonere, utque vanis abjectis adorarent Deum Patrem, creatorem omnium rerum, & unigenitum Filium ejus in quo eſt ſalus, vita & reſurrectio mortuorum. Et in conſpectu omnium arripiens ſimulacra, & lapidibus in fruſta comminuens, projecit in lacum. His viſis nonnulli converſi ſunt ad Dominum, & confitentes peccata ſua, laudes Domino pro ſua illuminatione dederunt. Alij propter imaginum comminutionem irâ & furore commoti, gravi indignationis rabie turbidi receſſerunt. Beatus autem Columbanus juſſit aquam afferri, & benedicens illam, adſperſit eâ templum, & dum circuirent pſallentes, dedicavit Eccleſiam. Deinde invocato nomine Domini, unxit altare, & beatæ Aureliæ Reliquias in eo collocavit, veſtitóque altari, Miſſas legitimè compleverunt. Omnibus itaque ritè peractis, reverſus eſt populus in ſua cum gaudio magno. Poſt hæc permanſit ibi B. Columbanus cum commilitonibus ſuis tribus annis [a]: & ædificata inibi cellula, alij hortum laboraverunt, alij arbores pomiferas excoluerunt: B. verò Gallus texebat retia, & miſericordia Dei cooperante, tantam piſcium copiam cepit, ut numquam Fratribus defuiſſent. Quinetiam adventantes peregrinos hujuſmodi juvit ſolatio, & de eodem labore aſſiduas populo benedictiones exhibuit.

Cap. VII. *Quas dæmonum voces Gallus audierit, & quomodo idem error abſceſſerit.*

At dum quodam tempore retia ſua mitteret in pelagus in ſilentio noctis, audivit dæmonem magno vocis ſtrepitu de vertice montis proximi vocantem quemdam alterum nominatim quaſi in pelago commorantem. Cúmque & is qui vocabatur præſtò ſe eſſe quaſi de lacu reſponderet; Conſurge, inquit ille, in adjutorium mihi, ut peregrinos iſtos ejiciamus de his ſedibus: quia ipſi delongè venientes, me de templo meo expulerunt, ſimulacra mea contriverunt, & populum qui me ſequebatur, poſt ſe averterunt. Commoveat te inju-

a

a Nimirum incompletis: nam anno dc. xii. *cùm* Columbanus *vidiſſet devictum à Theodorico Theodebertum, relictâ Italiâ atque Germaniâ Italiam ingreditur*, inquit Jonas in ejus Vita, num. 56.

Circ An. DC. XLVI. Oct. XVI. ria quam patior, & hoſtes communes unitis viribus à noſtris terminis arceamu Et ipſe reſpondit: Heu quod de tuis calamitatibus narras, ex meo contempt percipio. Nam unus ex illis me in pelago premit, & mea devaſtat, cujus ne retia unquam corrumpere poſſum, nec ipſum decipere, quia invocatio divi nominis de ore ejus numquam recedit: quia munitus continua vigilantia inſidi noſtras contemnit. Quapropter tam cautos bellatores fidei, noſtræ non ſupera bunt verſutiæ. His auditis, vir Dei munivit ſe undique ſigno ſanctæ Crucis, & dixit illis: In nomine Domini noſtri Jesu-Christi adjuro vos, ut recedat de loco iſto, & neminem hîc lædere præſumatis. Deinde cùm ad litus feſti nanter rediſſet, Abbati ſuo quæ audierat nuntiavit. Ille hęc auditu percipien Eccleſiam petiit, & ſigno pulſato Fratres convenire fecit. Priùs autem quàn initium pſallendi feciſſent, auditæ ſunt diræ voces dæmoniorum per montiun ſummitates, & quaſi diſcedentium ejulatus cum terrore confuſus. Hæc audien tes ſervi Dei, proſtraverunt ſe in orationem, Domini poſtulantes protectio nem, illíque laudes & gratias perſolventes, quia eos liberare dignatus eſt d terroribus malignorum.

Cap. VIII. *Machinatio & malitia incolarum adverſus ſanctos viros, & poſt præceptum Ducis conſilium diſcedendi.*

Interea nonnulli civium propter idolorum ſuorum abolitionem, prædi cationis eorum monita contemnentes, cœperunt contra eos odia concitare, inſidias machinari. Qua etiam intentione locorum ipſorum Ducem, nomine Gunzonem, adierunt, & apud eum accuſaverunt Sanctos, dicentes venatio nem publicam in eiſdem locis propter illorum infeſtationem peregrinorum eſſe turbatam. Quo audito Dux furore ſuccenſus, miſſis nuntiis famulos Dei de loco eodem diſcedere juſſit. Sed neque hoc ſufficit ſatellitibus dæmonum: quin etiam vaccam eorum furto abſtrahentes, in invia ducunt ſilvarum. Quos cùm duo de Fratribus eveſtigio inſequuntur, conſurgentes latrunculi interficiunt eos, & auferentes ſpolia eorum, diſcedunt. Mirati autem Fratres, cur tamdiu differant redire, mittunt alios qui eos requirant. Illi veſtigia eorum ſecuti, occiſos eos inveniunt, & cadavera ipſorum ſuis humeris imponentes, ad cellam reportant. Inter hos anguſtiarum & triſtitiæ fluctus, nuntius Ducis adveniens, de illo eos loco commeare præcepit, nec immeritò, quia non eſt ſocietas luci ad tenebras. Egit autem hoc arte ſua diabolus, ut populum, quem in præſentia lucis amittere cœpit, diſcedente ſanctitatis fulgore, tenebris occuparet antiquis. Sancti igitur viri moleſtè ferentes, quòd ſede pellerentur amabili, conſilio communi Italiam petere decreverunt; & dum nimio tenerentur dolore, ſanctus Pater Columbanus his verbis cœpit eos conſolari: Invenimus quidem, Fratres, his in partibus auream concham, ſed venenatis ſerpentibus plenam. Cedat tamen triſtitiæ languor exitialis, quia certa eſt fiducia de auxilio protectoris. Deus enim cui ſervimus, Angelum ſuum mittet nobiſcum, qui nos perducat ad Agilolphum Langobardorum Regem, ubi ejus clementia præparante humanos affectus & pace plenum habitationis locum inveniemus.

Cap. IX. *Qualiter diſcedentibus ceteris Gallus ob infirmitatem remanſerit, quaque ſedulitate à Vvillimaro Presbyteros receptus ſit.*

Posthæc igitur cùm proficiſcendi tempus inſtaret, B. Gallum repentina febris invaſit. Unde Abbatis ſui pedibus advolutus, indicavit ſe infirmitate vehementi laborare, & ideò iter propoſitum non poſſe perficere. Ille verò exiſtimans eum pro laboribus ibidem conſummandis amore loci detentum, viæ longioris detrectare laborem, dicit ei: Scio, Frater, jam tibi oneroſum eſſe tantis pro me laboribus fatigari: tamen hoc diſceſſurus denuntio, ne me vivente

in corpore, Miſſam celebrare præſumas. Et cùm ei licentiam per ſe converſandi dediſſet, viam ingreſſus eſt abeundi. Poſt diſceſſus Magiſtri & ſociorum, Gallus retia ſua & ſagenam navi imponens, ad Willimarum Presbyterum venit, & cùm obtuliſſet ei retia, inter lacrymas & ſuſpiria, retexuit omnia quæ geſta fuerant circa Fratres ſuos. Deinde infirmitatis ſuæ cauſas aperiens, rogavit eum, ut ſui curam dignaretur habere. Qui ſuſcipiens eum cum omni caritatis obſequio, domum vicinam Eccleſiæ ejus neceſſitati conceſſit, & duobus Clericis ſuis MAGNOALDO & THEODORO hanc ſollicitudinem commendavit, ut cum omni diligentia ejus recuperationi ſervirent. Exactis aliquot diebus, Domino qui medicus eſt verus medelam impertiente, cœpit ſumere cibos, & per incrementa temporum confortatus, perfectam indeptus eſt ſanitatem. O infirmitatem omni humano robore fortiorem! ô febrem omni laude colendam! ô languorem ſanitati & gaudiis adſcribendum! Exemplo enim Domini pro nobis Gallus doluit, ut animarum morbos prædicatione ſacra depelleret: ire cum magiſtro non potuit, ut nobis viam veritatis oſtenderet. Verè patiens & miſericors Dominus: in prædicatoribus ſuis jam pridem contemptus, dum converſionem peccatorum ſuſtinet, doctorem ne errantes deſerat retinet. CIRC. AN. DC. XLVI. OCT. XVI.

CAP. X. *Inſinuatio Hiltiboldi Diaconi de loco ſolitariæ habitationis, quam vir Domini deſiderabat.*

DIACONUS itaque ſæpedicti Preſbyteri, nomine HILTIBOLDUS, omnes eremi ſemitas notas habebat & receſſus, ſolebat enim piſcium & accipitrum causâ capiendorum ſæpiùs ſolitudinem pervagari, & ſecreta locorum uſu quotidiano perdiſcere. Huic cùm vir ſanctus familiaritatis ſuæ gratiam præſtitiſſet, quæſivit ab eo, an inveniſſet umquam in ſolitudine locum aquis abundantem puris & ſalubribus, planitie ſtratum, & humanis cultibus opportunum. Deſiderio, inquiens, animi ferventis exæſtuo, cupiens in ſolitudine ducere dies huic vitæ conceſſos, juxta quod Pſalmiſta pronuntiat dicens: *Ecce elongavi fugiens & manſi in ſolitudine. Exſpectabam eum qui ſalvum me faceret*, & reliqua. Diaconus reſpondit: Hæc, ô Pater, ſolitudo aquis eſt infuſa frequentibus, aſperitate terribilis, montibus plena præcelſis, anguſtis vallibus flexuoſa, beſtiis poſſeſſa ſæviſſimis. Nam præter cervos & innocuorum greges animalium, urſos gignit plurimos, apros innumerabiles, lupos numerum excedentes, rabie ſingulares. Timeo igitur, ne ſi te illuc induxero, ab hujuſmodi hoſtibus devoreris. Ad hæc vir ſanctus; Apoſtoli, inquit, ſententia eſt: *Si Deus pro nobis, quis contra nos?* Et, *Scimus quoniam diligentibus Deum omnia cooperantur in bonum.* Qui Danielem liberavit de lacu leonum, poteſt & me eripere de manu beſtiarum. Cui Diaconus hæc reſpondit: Mitte in peram tuam cibaria & rete parviſſimum, cras enim introducam te in eremum; & ſi inveneris locum tibi acceptabilem, age gratias Deo, & præcepti Dominici comple rigorem. Deus autem qui eduxit te de regione longinqua, ipſe ſicut Tobiæ famulo ſuo comitem cælitùs dedit, ita Angelum ſuum mittet nobiſcum, & oſtendet nobis locum deſideriis ſalutaribus aptum. Igitur vir beatus die eodem jejunus permanſit, & uſque ad alterius diei diluculum in orationibus pernoctavit. Dignum quippe erat, ut quod Divino inchoabat amore, inſtantiſſima prece Domino commendaret. PSAL. 54. ROM. 8.

CAP. XI. *Quomodo cum Diacono deſertum penetrans optatum repererit locum ſibique præelegerit, & obedientia urſi.*

DUM autem lucifer ſuo proceſſu noctis latibula detexiſſet, & ſol inferiora dimittens, curſu conſueto ſuperiores orbis plagas inviſeret, igneúmque jubar ab Orientis axe mortalibus demonſtraret; athleta Dei ea quæ ductor ſuus dixerat ſecum adſumens, cum orationis benedictione, illo præeunte viam ag-

Circe. An. DC. XLVI. Oct. XVI. greſſus eſt. Cúmque per totum diem iter agerent, circa horam nonam dixit Diaconus: Pater, hora refectionis jam inſtat, ſumamus paullulum panis & aquæ: quia ita confortati, viæ quod reſtat meliùs conſummare poterimus. Homo Dei reſpondit: Tu juxta neceſſitatem corporis refectionem percipe fili, ego non guſtabo quidquam, antequam Dominus mihi locum deſideratæ manſionis oſtendat. Et ille; Sicut, inquit, ſocii ſumus paſſionis, ſic erimus & conſolationis. His dictis, cœperunt iter agere feſtinatò, quia dies jam declinabat, & ſolaris fervor appropinquabat occaſui. Venerunt autem ad quemdam fluviolum, qui Stemaha * nominatur: ambulantéſque per decurſum ipſius, dum veniſſent ad rupem, de qua idem cum impetu deſcendens gurgitem facit ſpatioſum, ibi viderunt plurimos piſces, & imponentes retia ſua, ceperunt eos. Igne deinde ſuccenſo Diaconus piſces aſſavit, & panem poſuit ſuper peram. Beatus autem Gallus dum orandi gratiâ modicum ab illo divulſus eſſet, inter condenſa veprium frutecta ambulans, & pede hærens, ad terram corruit. Quod Diaconus videns, accurrit ut ſublevaret proſtratum. Sed vir Dei præſcius futurorum; Sine me, ait, hæc requies mea in ſæculum ſæculi; hîc habitabo, quoniam elegi eam. Et cùm poſt orationem ſurrexiſſet, ſumens virgam colurneam [a] fecit crucem, & fixit in terram. Habebat autem pendentem collo capſellam, in qua continebantur Reliquiæ beatæ Dei Genitricis MARIÆ & ſanctorum Martyrum Mauricii & Deſiderii. Quam cùm in ipſa cruce ſuſpendiſſet, vocavit Diaconum, & proſtraverunt ſe pariter in oratione. Tum vir venerabilis hujuſmodi preces emiſit: Domine JESU-CHRISTE, qui pro ſalute humani generis de Virgine naſci & mortem ſubire dignatus es, ne deſpicias deſiderium meum pro peccatis meis; ſed in honore ſanctæ Genitricis tuæ & Martyrum Confeſſorúmque tuorum præpara in hoc loco habitationem tuis aptam ſervitiis. Finita oratione, ſole occumbente finitus eſt dies, & ipſi tandem cum gratiarum actione cibum ſumpſerunt, rurſúmque Deo gratias exhibentes, ſtraverunt ſe in terra, ut aliquantulùm requieſcerent. Sed vir ſanctus cum comitem ſuum alto teneri ſomno putaret, ſurgens proſtravit ſe in figuram crucis ante capſellam, & preces Domino devotas effudit. Interea deſcendens urſus de monte micas & fragmenta quæ convivantibus deciderant, cautè legebat. Hoc factum ut vidit homo Dei, dixit ad feram: Præcipio tibi beſtia in nomine Domini, tolle lignum & mitte in ignem. Ad cujus præceptum bellua converſa, validiſſimum lignum attulit, & igni injecit. At vir benigniſſimus ad peram accedens, de parvo cellario panem integrum famulanti porrexit, & accipienti ita præcepit: In nomine Domini mei JESU-CHRISTI ab hac valle diſcede, & hoc pacto montes & colles circumpoſitos habeto communes, ut nullum hîc hominem, nil de pecoribus lædas. Dum hæc agerentur, Diaconus dormire ſe ſimulans, quod vir Deo carus geſſit cum beſtia conſiderabat: & ſurgens proſtravit ſe ad pedes ejus, & dixit: Nunc ſcio verè Dominum eſſe tecum, quoniam & beſtiæ eremi obediunt tibi. Ille autem dixit ei: Cave ne omninò hoc alicui dixeris, donec videas gloriam Dei.

* *Al* Stemiha, Staina,

a

CAP. XII. *Vt dæmonum phantaſmata in ſpecie mulierum oſtenſa eodem loco ſanctus Pater depulerit.*

NOCTE igitur exacta, cùm lux aurea ſilvarum illuſtraret opaca, Diaconus ait: Pater mi, quid facturi ſumus hodie? At ille reſpondit. Obſecro te fili, ne moleſtè feras quod dico. Quia Dominus nos fecit quod quæſivimus invenire, hunc etiam diem in hoc loco ducamus. Tolle rete, & ad gurgitem vade: ego quoque poſt te quantociùs ibo. Forſan Dominus ſolitam nobis largitatem oſtendet, ut regredientes ad caſtrum, offeramus patri noſtro Preſbytero de hoc loco benedictionem, quam Dominus nos invenire

a Id eſt Virgam ex corno factam ſeu ex frutice qui cornus ſeu coryllus vulgò *cornillier* dicitur.

donavit. Diaconus reſpondit: Gratum habeo quod præcipis Pater: Et ſurgens citò cum invocatione nominis Domini, adſumpto retiaculo perrexit ad fluvium. Cúmque illud in gurgitem mittere voluiſſet, diu dæmones in effigie mulierum ſteterunt in litore ita nudati, quaſi balneum intrare voluiſſent. Et cùm turpitudinem ſui corporis illi objicerent, tollentes lapides, jactaverunt contra eum, & dixerunt: Tu induxiſti virum iſtum in hanc eremum, virum iniquum & invidiâ plenum, qui ſuis maleficiis ſemper nos vincere conſuevit. Ille autem reverſus ad virum Dei indicavit illi quæ viderat & audierat. Electus Dei bellator pariter cum Diacono proſtravit ſe, & hujuſmodi verbis Dominum deprecatus eſt: Deus omnipotens, ineffabilis bonitas, inæſtimabilis majeſtas, ſecundum miſericordam tuam, non ſecundum merita mea, auditu placido has ſuſcipe preces, & jube hos dæmones hunc locum deſerere, ut ſit ſanctificatus in honore nominis tui. Surgentes ab oratione, venerunt ad gurgitem, & continuò dæmones in fugam converſi, ierunt per decurſum fluvioli contra proximum montem. Sanctus verò Gallus dixit illis: Præcipio vobis, phantaſmata, per immenſæ potentiam Trinitatis, ut hunc locum deſerentes, in montes deſertos eatis, & huc revertendi ulteriùs non habeatis fiduciam. Deinde mittentes in gurgitem rete, ceperunt piſces quantos volebant: & dum piſces de maculis lini abſolvunt, audiunt in ſummitate montis voces quaſi duarum mulierum defunctos plangentium, & dicebant ad invicem: Heu quid faciemus, aut quò pergemus? Peregrinus hic inter homines nos habitare non ſinit, in eremo quoque manere non patitur. Non ſolùm autem tunc hæ voces auditæ ſunt, verumetiam poſtmodùm tribus vicibus, dum ipſe diaconus ſaltum ad accipitres capiendos intraviſſet, audivit dæmonia de quodam monte qui *Himilmberg*[a] dicitur, clamantia & utrùm adhuc Gallus eſſet in eremo, ſciſcitantia; vel ſi jam diſceſſiſſet. Circ. An. DC. XLVI. Oct. XVI.

Cap. XIII. *Loci ipſius electio & ſerpentium diſceſſio.*

Igitur poſt diſceſſum dæmonum, dum fideles illi eremi dilectores vallem luſtrarent, videntes inter duos fluviolos multa deſiderabilia, ſilvam ſpecioſam, montes per gyrum, planitiem in medio, probaverunt locum ad ædificandum Cellulam optimum eſſe. Et recordatus vir ſanctus ſententiæ quam Jacob poſt viſionem ſcalæ & Angelorum adſcendentium & deſcendentium per eam protulit, dicens: *Verè Dominus eſt in loco iſto.* Erat autem uſque ad illud tempus in eadem valle plurima ſerpentium multitudo. Porrò ex illa die tam pleniter abſceſſerunt, ut poſtea ibi non comparerent. Congruit hoc miraculum cum prioribus. Nam diabolo inde expulſo, dignum erat, ut animal per quod hominem deceperat, habitationi cederet ſanctitatis. Gen. 28. Gen. 28.

Cap. XIV. *Qualiter locum eumdem jejunio dedicaverit, & ad caſtrum regreſſus mortem Epiſcopi cognoverit.*

Dumque reverſi fuiſſent ad locum primæ ſtationis, ubi pridem vir Dei cruciculam defixerat, Diaconus dixit ad eum: Sumentes peram & rete, regrediamur ad caſtrum. Et ille; Tu, inquit, fili, ut placet, ad propria revertere; ego verò his in locis aliquantiſper moratus, poſt triduum Domino duce te ſubſequar. Diaconus dixit: Nequaquam te abſente remeabo ad Patrem noſtrum, ne fortè dicas te propter ſpolia à me interemptum; vel ſi homicidium negare voluero, hæc mihi objiciat: Cur illum dimiſiſti in ſolitudine? citò reverſus educ eum ad me. Et erunt mihi duo pariter, & labor duplicatus, & manifeſta confuſio. Ad hæc vir ſanctus reſpondit: Vade fili, ego poſt veſtigia

[a] *Himilinberg*, Monachis interdum Mons-Cœli, olim *Monkelen*, nunc *Menkelen* dictus, ut Goldaſtus notavit.

CIRC. AN. DC. XLVI. OCT. XVI. tua quantociùs properabo. Quo abeunte, athleta Dei toto triduo ab omni victûs adjumento corporei jejunus permanſit, ut videlicet locum, quem ſpirituali militiæ providebat, parcimoniæ conſecraret initiis. Quarto itaque die eremo digrediens, domum reviſit Preſbyteri, & inter amicæ ſalutationis officia, gratias Deo pro omnibus bonis quæ ei oſtendit, cum debita laude perſolvit: Preſbyter autem ſuſcipiens illum cum gaudio, juſſit menſam apponi: & cùm conſediſſent benedicentes Deum, cum gratiarum actione cibum ſumpſerunt, & inter prandendum Diaconus dicit Preſbytero; Si urſus adeſſet, fortaſſis Gallus porrexiſſet illi benedictionem. Interrogantíque unde hujuſmodi verba proferret, narravit omnia, quæ geſta erant in eremo. Ex illo die & deinceps habuerunt eum ſicut Prophetam & virum ſanctum, quotidie meritorum ejus magnitudinem per vitæ illius aſperitatem & virtutum ſtudia metientes. Interea illis commanentibus, nuntius venit ad Preſbyterum, indicans Conſtantienſem Epiſcopum, GAUDENTIUM nomine, de hac vita migrâſſe. Hoc audito, unanimo fervore pro requie defuncti Paſtoris precibus & lacrymis inſtiterunt.

CAP. XV. *Quomodo ad Ducem cum Presbytero ſit evocatus, & illuc ire nolens Rætiam commeârit, & à Iohanne Diacono ſuſceptus ſit.*

SEPTIMA poſthæc die GUNZONIS Ducis Epiſtola venit ad Preſbyterum, præcipiens illi, ut die duodecimo ad Iburningas[a] villam veniret, & virum Dei ſecum adduceret. Nam filiam ejus, nomine FRIDIBURGAM, quæ illi erat unica, ſingulari pulcritudine fulgens, ſpiritus invaſit malignus: à quo dum diverſis torqueretur moleſtiis, pænè continuam toleravit inediam, & ſæpius terræ proſtrata, inter ſpumas horribiles miſerabili volutabatur inſania, adeout vix quatuor virorum teneri poſſet inſtantiâ. Poſt triginta autem dierum circulum, ex quo ei hoc accidit, cœpit ille habitator malignus per eam diras emittere voces. Hanc ob cauſam pater ejus nuntios miſit ad Regem SIGIBERTUM[b] THEODORICI filium, qui eam habuit deſponſatam, ut ei nuntiarent quidquid circa puellam agebatur. Rex verò cùm omni feſtinatione miſit duos Pontifices, de quorum meritis potiſſimùm præſumebat, cum donis regiis ad puellam, ut eam medicamine orationum à furoris veſani languore ſanarent. Igitur Willimarus Preſbyter volens tempore per Epiſtolam definito ad Ducem venire, dixit beatiſſimo Gallo: Scis Ducis mandatum: eamus ad illum. Et ille: Tuum eſt, inquit, hoc iter, non meum. Tu ergo proficiſcere. Quid mihi cum Principibus ſæculi? Nam in eremum unde exivi revertar. Noli, ait, ita agere, ſed perge mecum, ne fortè Dux qui in vexatione filiæ nimiùm contriſtatur, irâ commotus mittat ſatellites, téque vinctum illuc faciat perduci. Vir Deo plenus reſpondit: Vadam priùs ad cellulam meam, ut provideam utilitatem & neceſſaria Fratrum qui ibi ſunt Domino ſerviturí. Hoc idcircò dixit ne ad Principem iret. Et conſurgens, ad electæ pridém habitationis locum miles Domini tendebat egregius. Sequenti die Fratribus qui ſecum erant interdixit, ne quis eorum cuipiam quò pergeret, indicaret. Sed etſi curioſiùs interrogati fuiſſent à quoquam, juſſit ut eum per epiſtolam Magiſtri ſui ad Italiam dicerent invitatum. His dictis ſumens ſecum duos

a Iburningæ villa regia ſeu caſtrum in dextro latere lacûs Potamici, tum Alamanniæ ac Sueviæ Ducum Sedes, nunc libera Imperii Romani urbs *Oberlingen* dicta, ut Goldaſtus obſervavit.

b Hæc narratio ſi vera eſt, (eam enim moderni Auctores nonnulli in fabulas rejiciunt) convenire non poteſt Sigiberto Theodorici filio, qui teſte Fredegario in Chron. cap. 42. poſt Tulbiacenſem pugnam unà cum Corbo fratre juſſu Chlotharii Regis exſtinctus eſt vix duodennis; ſed vel Sigiberto Dagoberti filio (quemadmodum vetuſta Abbatiæ S. Martini Mettenſis inſtrumenta docent apud Meuriſſium Madaurenſem Epiſcopum in Hiſt. Mettenſ. Epiſc. in Pappolo) vel certè tribuenda eſt Sigiberto ſeu Sigberchto Orientalium Anglorum Regi, *homini bono ac religioſo, qui dudum in Gallia dum inimicitias Redwvaldi fugiens exſularet, lavacrum Baptiſmi percepit* regnante Dagoberto, ut Beda in lib. 3. Hiſt. cap. 18. auctor. eſt.

de discipulis suis, per solitudinem Rætiam Curiensem [a] commeavit. Cúmque proximum montem transscenderent, venerunt in eremum, quæ Sennia nominatur: indéque ad proximum vicum qui dicitur Quaradaves digressi, repererunt ibi JOHANNEM Diaconem, virum justum & Deum timentem: ísque recepit eos hospitio, & omni fovit humanitatis obsequio. Finxerunt enim se de longè tunc venisse, & apud eum manserunt septem diebus. CIRC. AN. DC.XLVI. OCT. XVI.

CAP. XVI. *Qualiter misso post virum Dei Presbytero Episcopi à Rege directi filiam Ducis liberare non valentes ad Regem cum confusione redierint, confesso dæmone B. Galli virtutem.*

PORRO cùm sæpedictus Presbyter hospes Sanctorum audisset virum Dei de cellula discessisse, navem conscendens, ad Ducem transfretavit, & quæ circa hominem Dei facta fuerant, indicavit. Dux verò ut citò reverteretur, illi imperavit, & missis post virum Dei legatis, eum advenire devotè rogaret. Et adjiciens; Si enim, inquit, per ejus orationem filiam meam Dominus à dæmonio liberaverit, dabo illi Pontificatum Constantiensis Ecclesiæ, & insuper eum copiosis præmiorum muneribus honorabo. Ille promittens se ut jubebatur acturum, sicubi eum qui desiderabatur invenire potuisset, ratem petens ad propria remeavit. Interea Pontifices à Rege transmissi venerunt, & invenerunt ipsam quidem puellam nimio laborantem furore, parentes autem ejus omnémque familiam & propinquos flentes super eam, & miserabili mærore depressos. Tota enim domus una clade contabuit. Puella vexabatur insaniâ, ceteri torquebantur tristitiâ. Postquam ergo ingressi Pontifices munera à Rege directa præsentârunt, preces in conspectu puellæ fuderunt ad Dominum. Illa verò tenentium manibus se excutiens, vi eorum gladium abstulit, volens Episcopos interficere: & cùm id non posset efficere, spiritus immundus uni eorum dixit: Si volueras me, sicut Regi promisisti, de hoc vasculo propulsare, cur filiam tuam, quam Nonna illa de te concepit & genuit, non fecisti tecum venire? Deinde ad alterum; Et tu, inquit, cum tribus feminis fornicationem commisisti. Vestro quidem imperio, quod nullo sanctitatis merito roboratur, nunquàm egrediar. Est verò quidam vir magnæ apud omnipotentem Deum virtutis, nomine Gallus, qui me de Tucconia, ubi diu optata quiete potitus sum potenter ejecit, domósque meas audenter destruxit: postmodùm inveniens me apud Brigantium commorantem, eadem virtute exheredavit. Porro quia Dux iste eum de eodem expulit loco, in ultionem ejus injuriæ puellam istam arripui: de qua possessione, nisi ipse advenerit, nullatenùs amovebor. Unus deinde Pontificum dedit furenti alapam, dicens: Obmutesce satana, desertor veritatis, falsitatis amator & auctor. Putavit enim eum de gallinacio dicere gallo. Et dum spiritus nequam pluribus eos verborum injuriis affeciisset, manserunt ibi tribus tantùm diebus: ac deinde ad sua reversi, nuntiaverunt omnia quæ gesta fuerant Regi.

CAP. XVII. *Ut vir Dei per Presbyterum ad Ducem venerit.*

PRESBYTER verò cùm secundum jussionem Ducis, virum Dei fuisset vestigio prosecutus, reperit eum in spelunca, animum suum lectionis consolatione pascentem: & accedens salutavit humiliter, & dixit ad eum: Ne timeas, serve Dei, ad Ducem venire. Sub testificatione enim jurisjurandi promisit, se nullam tibi irrogaturum injuriam. Sed & cùm posueris manum tuam super caput puellæ, & ab ea per orationes tuas spiritus immundus abscesserit, in Sede Constantiensi Pontificatûs te sublimabit honore. Dum de hujusce-

[a] Rætiam primam appellant, Italiæ contermi-nam, cujus Rætiæ caput est Curia opidum, *Chur.* Rætiam autem secundam vocant quæ à Curia usque ad Danubium porrigitur.

CIRC. AN. DC.XLVI. OCT. XVI. modi colloquium rebus haberent, ſuperveniens Johannes Diaconus, ſecundum conſuetudinem obtulit ei panes azymos & lagunculam vini, oleum & butyrum, & mel in vaſculis cum piſcibus aſſis. Vir Dei cùm eum venire cognoviſſet, gratias egit Deo, gaudio plenus, diſcubuerúntque tres convivæ fidiſſimi, & cum gratiarum actione dona Domini perceperunt. Inter hæc vir ſanctus Preſbytero; Duc, ait, nobiſcum noctem inſtantem, & craſtina die tecum Domino volente proficiſcar. Cúmque huic conſenſum perſuaſioni præbuiſſet, ad virum Dei Diaconus dixit: Mane primo diluculo huc veniam, & adducam mulum meum ſtratum, ut ſimul ire poſſitis. Ego verò cultor ero ſpeluncæ, & eam cura diligenti cuſtodiam. Sanctus Gallus reſpondit: Bene dixiſti, fili, & ego quidem via qua venerunt, per eremum regrediar ad cellulam meam, & viſitabo Fratres: poſtmodùm verò, quamcitiſſimè potuero, ad caſtrum properabo. Preſbyter ergo adjuratione valida conſtrinxit eum, ut nequaquam faceret contraria dictis. Et abſceſſerunt pariter. Johannes quoque accepta benedictione rediit in domum ſuam. Cúmque vir beatus recto itinere perveniſſet ad cellulam, requievit ibi nocte illa cum Fratribus. Mane autem ſequenti, ſumptis ſecum duobus Fratribus, perrexit ad caſtrum, reperítque inibi cum Preſbytero Ducis Miſſum, qui eos cum omni feſtinatione ire depoſceret; qui etiam indicavit puellam continuato jam triduo ſine alimonia perdurare. At illi navicula conſcenſa, totis niſibus ire feſtinantes, ligno natatili profundi terga ſulcante, nocte proxima pervenerunt ad Ducem.

CAP. XVIII. *Qualiter oratione & verbo filiam Ducis à dæmone liberaverit.*

DUMQUE devictis profundæ noctis tenebris ſol terris cum jucunditate ſerenum reſtitueret diem, juſſit eos Dux venire in cubiculum, in quo arreptitia ſervabatur. Jacebat autem tunc in ſinu matris ſuæ, oculis clauſis, ore hianti. Membra quoque ejus ita erant disjecta, ut quaſi mortua videretur. Fœtor verò tam gravis oris prorupit ex adyto, ut ſulphure locus ipſe adſperſus putaretur. Parer itaque cum domeſticis ſuis intravit, ut videret quid vir Dei eſſet acturus. Ille de Domini largitate certiſſimus, humiliter ſe proſternens, has preces Domino cum lacrymis fudit: Domine JESU-CHRISTE, qui pro ſalute humani generis carnem ſumere, & per Virginem naſci dignatus es; qui ventis & mari imperaſti, diabolum etiam, calliditatis ſuæ fraudibus inſiſtentem retrò ire juſſiſti, quíque Paſſione tua mundum redimere, & libertati reſtituere dignatus es; jube hunc immundiſſimum ſpiritum de puella hac pro tui gloria nominis exire, ut plaſma tuum ſuperbus invaſor deſerat, & tibi creatori ſuo creatura tua gaudens deſerviat. Et cùm ſurrexiſſet ab oratione, apprehensâ dexterâ ejus, allevavit eam, (ſpiritus enim malignus conturbaverat eam) & impoſita manu ſuper caput ejus, dixit: Impero tibi in nomine Domini noſtri JESU-CHRISTI, ſpiritus immunde, ut exeas & recedas ab hoc plaſmate Dei. Et cùm hæc dixiſſet, aperiens illa oculos reſpexit in eum, & ſpiritus malignus his verbis eum allocutuſeſt: Túne es, ait, Gallus, qui de habitationibus me expuliſti prioribus? Ego planè ob ultionem injuriæ quam Dux iſte tibi & ſociis tuis irrogavit, filiam ipſius invaſi, & ſic ejicis me? Si hinc exiero, quò vadam? Illuc, ait, ubi tibi paratur in abyſſo ſupplicium ſempiternum à Domino. Et ſtatim videntibus qui aderant, exivit de ore puellæ quaſi avis nigerrima & horrore terribilis. Hora eadem ſana ſurrexit, & à viro Dei gaudens gaudenti reddita eſt matri.

CIRC. AN. DC. XLVI. OCT. XVI.

CAP. XIX. *Qua ratione oblatum Episcopatûs honorem respuerit, & quomodo pauperibus dona Ducis distribuerit, discipulum ad eleemosynam hortatus sit.*

HIs ita patratis, Dux jussit ei offerri dona quæ Rex puellæ transmiserat, & insuper ut apicem Pontificatûs gradûs dignaretur adsumere postulavit. Ad quod vir beatus ita respondit: Vivente domino & Patre meo Columbano, interdictum altaris officium non usurpabo, nisi ab illo permissus. Quare hujus regiminis pondus quod offers subire non possum. Quod si hoc indubitanter fieri cupis, sustine interim, donec mittam epistolam ad Abbatem meum, ad insinuandam illi voluntatem tuam: & si ejus permissum cognovero, tunc demum oblatum curæ pastoralis onus suscipiam. Et Dux ad illum; Bene, inquit, dixisti, fiat secundum verbum tuum. Et dimisit eum cum pace. Ille sumptis quæ donata fuerant, remigando pelagus superavit; Dux autem sanctitatis ejus tam manifesto compunctus indicio, jussit Arbonensi Præfecto, ut cum omni plebis officio iret ad locum Cellæ *, & quæcumque necessitas poposcisset ædificia, juxta viri Dei dispositionem construeret. Venerabilis ergo Pater post celeuma celebratum cùm Arbonense castrum intraret, fecit convenire omnes pauperes & egenos, & dona quæ detulerat illis distribuit. Hæc videns quidam discipulus ejus nomine MAGNOALDUS dixit ad eum: Pater habeo vas argenteum pretiosum, cælaturis insigne. Si vis reservabo illud, ut sacri vasa ministerij ex eo faciamus. Ille respondit: Fili, memor sententiæ B. Petri Apostoli, quam paralytico speranti pecuniam protulit, *Argentum*, inquiens, *& aurum non est mihi*; ne contrarius exemplo inveniaris salubri, vas quod possides pauperibus conferre curato. Nam præceptor meus beatissimus Columbanus in vasis æneis Domino solet sacrificium offerre salutis: quia fertur & Salvator noster clavis æneis Cruci confixus. His omnibus expletis, reversus est ad dilectæ solitudinis aulam.

* *Cell.*

Act. 3.

NOTA.

CAP. XX. *Quo caritatis fervore Iohannem Diaconum litteris evocatum instituerit.*

DEINDE misit epistolã ad JOHANNEM Diaconem, rogãs eum ad se venire. Qui cùm dilecti Magistri litteras accepisset, tulit quod pro benedictione offerre poterat, & venit ad eum: & oblatis eulogiis salutavit Patrem, & salutatione paterna est honoratus. Cui interroganti virum sanctum de prosperitate itineris ejus, ille respondit: Divina nos præveniente misericordia & subsequente, cuncta prosperè provenerunt. Nam cum summa gratulatione suscepit nos Princeps, & eripuit Deus filiam ejus à dæmonio, & ipse dedit nobis dona non modica, & insuper obtulit mihi Episcopatûs honorem: ego verò non consensi suscipere ante præceptum Abbatis mei. Ergo, fili, adquiesce consiliis meis; esto mecum, & lege Divinæ libros scientiæ, & docebo te, cooperante gratia Dei, intelligentiam Scripturarum. Cecidit autem Diaconus ad pedes ejus gratias agens, fecitque redire in sua pueros qui secum venerunt; ipse verò remansit apud virum venerabilem, & ille cœpit eum introducere in cellaria Scripturarum, ostendens ei novi & veteris occulta Testamenti. Supernâ itaque illustratus clementiâ, tanti magisterij profecit instantia, adeout in omni Scripturæ Divinæ latitudine nobiliter eruditus laboris paterni fructus ostenderit.

CAP. XXI. *Quibus verbis Ducis filia vitam B. Galli & virtutes enarrans, Sigiberti Regis illi gratiam & solatium impetraverit.*

SIGIBERTUS igitur Rex cùm audisset puellæ redditam sanitatem, mandavit patri ejus ut eam suis conspectibus exhiberet. Qui sumens dona ingentia, & puerorum multitudinem ac puellarum, cum magno suorum comitatu duxit

CIRC. AN. DC.XLVI. OCT. XVI. eam uſque ad Rhenum, indéque per comites ad Regem tranſmiſit. A quo dum graciter ſuſcepta fuiſſet, & interrogata quomodo ſuæ remedium conſecuta eſſet infirmitatis, cùm per Pontifices ad hoc miſſos ſanitati non poſſet reſtitui, hanc reddidit rationem: Domine mi, inquiens, eſt vir quidam in provincia quam huc ducta reliqui, cujuſdam incola ſolitudinis de gente Scotorum, nomine Gallus, tantæ apud Deum virtutis & meriti, ut adverſus dæmones ſingulari quadam utatur potentia. Nam cùm ego ancilla tua gravi vexatoris inſtantia periculoſum vitæ nutantis finem pæne ſubirem, rogante patre meo idem vir Dei ſupervenit, & ſigno vexilli ſalutaris me muniens, imperioſa voce juſſit exire tyrannum. Et videntibus cunctis qui aderant, exivit de meo ore quaſi corvus colore piceus, horrore tartareus: cúmque ſacrificij cæleſtis me pabulo confirmaret, priſtinæ reſtituta ſum ſanitati. His ita relatis, puella procidens ad pedes Regis; Obſecro, ait, Domine, ut virum ipſum tuæ gratiæ foveas lenitate, & pro me dignas illi gratiarum actiones rependere non graveris. Interrogavit autem eam, in qua eremo vir manſitaret eximius. Et illa reſpondit: In ſaltu qui Arbonenſi territorio adjacet, & eſt publici poſſeſſio juris; ſitus autem inter Alpes Rætiarum & Brigantini marginem lacûs. Rex igitur ut audivit in publicis eum commorari poſſeſſionibus, juſſit fieri conſcriptionem firmitatis, ut vir ſanctus locum quem incolebat, per auctoritatem regiam obtineret. Auri quoque libras duas & argenti pondo totidem cum epiſtola conceſſionis jamdictæ per ſuos nuntios viro Dei deſtinavit, ſe ſacris ejus orationibus commendans attentiùs: Gunzoni autem Duci præcipiens, ut ſi ſolitudinis incola eſſe vellet, ſolatiorum ei copiam ad ædificandam Cellam ſubminiſtraret.

CAP. XXII. *Quo conſilio eadem puella talamos Regis evadens Divinæ ſe ſubdiderit ſervituti.*

NON multis in medio revolutis diebus, volens Rex idem puellam ſuis thalamis ſociare, celebri edicto Sacerdotum & Principum ſuorum ſenatum, nuptiarum præcepit adeſſe ſollemniis. Cúmque ſtipatus agmine Procerum introïſſet ubi ipſa manebat, dixit illi: Adſcendamus in palatium, nam nuptiæ paratæ ſunt; Sacerdotes & capita populorum cum benedictionibus * congruis advenerunt. Quibus illa auditis, cecidit ad pedes ejus, dicens: Mi Domine, quia præterita paſſio ſuo me pondere tabefecit, vires abſorbuit valetudo contraria, membrorum officia ægritudine ſunt reſoluta; da mihi vel ſeptem dierum inducias, ut aliquatenùs virium detrimenta recuperem, & ſic tuis poſſim applicari conſpectibus. Quam petitionem dum Rex piè ſuſciperet, ad palatium remeavit, illa in privato commorante cubiculo. Fiebat autem utroque in loco ingens apparatus lætitiæ, admirantibus multis, cur tamdiù diviſi, convivio diſtuliſſent connubia. Tranſactis interea ſeptem diebus, circa matutinum officium puella cum duobus viris totidémque puellis Eccleſiam B. Stephani Protomartyris introivit: & ſecedens poſt januas Templi, exuit ſe veſtimentis regalibus, & habitum propoſiti ſanctioris adſumpſit, neſcientibus hoc viris qui pariter cum illa advenerant. Depoſito ergo terrenæ dignitatis amictu, ſanctimoniæ nitorem cum quodam ſui ſecuta contemptu, acceſſit ad altare, & in faciem proruens, Dominum ſtudioſiùs adoravit: ac deinde cùm ſe erigeret, cornu comprehendit altaris, & hujuſcemodi voces emiſit: B. Stephane, qui ſanguine tuo teſtimonium Chriſto perhibuiſti, deprecationem meam tuis meritis Domino commendato, ut tua interceſſione hodie cor domini mei Regis convertat ſecundùm voluntatem meam, ne velamen quod amore Dei ſuſcepi, auferat de capite meo. Viri ergo qui erant cum illa hæc videntes venerunt ad Regem, & nuntiaverunt ei quæ facta fuerunt. Et ille advocans Sacerdotes & quoſdam Principes ſuos, cœpit inquirere ab eis, quid ſuper hac re faciendum

* *id eſt* muneribus

cenſerent. CYPRIANUS [a] Arelatenſis Regi reſpondit: Quia, ut liquidò claret, puella hęc cùm à dæmonio erueretur, hoc ſe voto, quod perfeciſſe videtur, conſtrinxit; cavendum tibi eſt, ne fortè ſi irritum feceris votum ejus, redivivo dæmonum comprimatur incurſu, & ſint illi noviſſima pejora prioribus; tu verò tanti criminis reatum incurras. Rex ergo juſtitiæ tenax, & timore Domini plenus, huic conſilio devotæ mentis pandit adſenſum: & ingreſſus Eccleſiam, fecit afferri veſtem nuptiis præparatam, & coronam ſponſæ nitoribus imponendam. His allatis, dum puellam ad ſe juſſiſſet accedere, ſponſa Dei jam Agni comitatibus hærens, avelli non potuit ab altari; quia ſe timebat de Eccleſia protrahendam. Cúmque inſtantiùs aræ cornibus inhæreret, Rex eam ne timeret admonuit: Hodie, inquiens, per omnia tuæ voluntatis videbis effectum. Porro illa inter ſpem & metum poſita, caput ſuper altare reclinans; Ecce, ait, ancilla Domini; fiat mihi ſecundum voluntatem ejus. Rex verò juſſit Sacerdotibus ut elevarent eam, & ad ſe perducerent. Quo facto, induta eſt, illo jubente, veſte regali, & ſacro velamine coronata. Intuitus autem eam Rex religioſus, dixit illi: Ecce meis te nuptiis præparatam, ſponſi cæleſtis Domini noſtri videlicet JESU-CHRISTI cedo complexibus. Et dexteram ejus comprehendens, poſuit in altari, deinde Eccleſiæ limen excedens, lacrymis abſconditum patefecit amorem. Poſt hæc vocavit eam, & juxta ſe fecit in palatio reſidere, & donis ingentibus honoratam prætulit Monaſterio [b] Ancillarum Dei, quod in honore B. Petri principis Apoſtolorum conſtructum eſt in Mettenſium civitate, ubi geſta ſunt univerſa, quæ proxima narratione retulimus. In his autem omnibus perficiendis ſecuta eſt puella conſilium beatiſſimi Galli, qui eam Domino auxiliante à dæmonio liberavit.

CIRC. AN. DC XLVI. OCT. XVI. a

CAP. XXIII. *Quantum ex viri Dei doctrina & exemplis ſupradictus Johannes triennio profecerit.*

PER idem tempus Johannes Diaconus perſeverans apud venerandum Patrem, prudentiam quæ in eo cælitùs abundabat, ſtudio ſitienti potavit, in abſolutione dumtaxat difficilium Scripturæ Divinæ quæſtionum, & intemeratæ Fidei ratione. Operis quoque quotidiani, quod idem egregius Apoſtolicæ diſtrictionis imitator ſedulâ accelerabat inſtantiâ, non ſolùm dilexit ſcientiam, verumetiam comprehendit. Gratiâ enim illuſtratus Divinâ, quidquid vel viſu vel auditu percepit, altæ memoriæ, & (ut ita dixerim) armario cordis celer inſeruit, & ſub hujus magiſterij diſciplina cum omni manſuetudinis & humilitatis cuſtodia triennium duxit.

CAP. XXIV. *Quomodo B. Gallus ab Epiſcopali ſe promotione excuſaverit in Concilio principali.*

POSTHÆC Dux ſæpe jamdictus per epiſtolam ſuam virum Dei rogavit, ut ad Conſtantiam opidum perveniret ad eligendum qui eidem Sedi præficeretur Antiſtitem. Advocavit autem Auguſtudunenſem & Viridunenſem Epiſcopos cum multitudine Clericorum. Nemidonæ etiam, quæ à modernis Spira vocatur, venire fecit Epiſcopum; necnon per nuntios & Epiſtolas ſuas totius Alamanniæ Preſbyteros, Diaconos, univerſáſque Clericorum copias generaliter die denominata, id eſt, proxima Paſchæ Dominica apud Conſtantiam convenire præcepit: ipſe quoque cum Principibus & Comitibus ſuis huic intererat conventui. Cúmque hæc ſynodus tantæ multitudinis celebraretur ac-

a Nullum hoc nomine Epiſcopum Sedi Arelatenſi præfuiſſe probat Saxius in Pontif. Arelat. num. 39.

b Monaſterium Puellare S. Petri ab Eleutherio Francorum Duce intra muros urbis Mettenſis conditum eſt, cui Cœnobio B. Vualdrada *temporibus Theoderici* & Theodeberti Galliæ Regum & Childeberti Regis filiorum præfuit. Lege quæ de B. Vualdrada diximus ad ann. 620.

Circ. An. Dc.xxvi. Oct. xvi. ceſſu, & trium ſpatio denuntiaretur futura dierum, beatiſſimus Gallus Divino plenus conſilio, adſumptis Johanne & Magnoaldo Diaconatûs officio ſublimatis perrexit ad opidum: ingreſſóque eo locum concilij, Dux hujuſmodi verba profudit: Deus omnipotens, cujus providentiâ totum corpus Eccleſiæ augmentatur & regitur, per interventionem & meritum B. Mariæ ſemper Virginis, in cujus honore locus iſte conſecratus eſt, effundat hodie ſuper nos Spiritum-ſanctum ad eligendum Pontificem qui ad regendam plebem fidelium ſit idoneus, & ad gubernandum Eccleſiam Dei Paſtorali ſit diligentia plenus. Admonuit deinde Pontifices & omnem Clerum, ut juxta ſaluberrima Canonum decreta Rectorem Eccleſiæ providerent. Cœperunt autem omnes Clerici ad invicem dicere: Gallus iſte teſtimonium habet bonum ab omnibus, qui ejus vitam noverunt. In Scripturis Divinis ſcientiæ culmen obtinet, & in omni vitæ honeſtate ſapientiæ luce refulget, juſtitiæ autem vitæ caſtitatem corporis ſociat, manſuetudinem cum humilitate poſſidet; continentiæ verò ſalutari patientiam jungit. Largitor eſt eleemoſynarum, orphanorum pater, in viduarum ſolatiis alacer. Hunc omnium ſectatorem virtutum decet eſſe Paſtorem populorum. His auditis Dux dixit ad illum: Audis, quid iſti loquuntur & affirmant? Sanctus Pater reſpondit: Bene quidem dicunt: utinam verum eſſet, quod fatentur. Cùm autem adinvicem talia tractant, neſciunt in Canonibus eſſe prohibitum, ne aliqui de locis ſuis commigrantes aliis facilè ordinentur in locis. Eſt verò mecum Diaconus quidam nomine Johannes vicinorum indigena locorum, cui meritò teſtimonium quod iſti mihi dederunt poteſt aptari. Hunc Divino credens electum judicio, vobis offero promovendum.

Cap. XXV. *Promotio & conſecratio Iohannis ſupradicti, & cura quam poſtmodùm ſibi exhibuerunt.*

Cumque hac atteſtatione vir ſanctiſſimus in Johannem cunctorum concitaret amorem; (neque enim aliud de illo credere poterant, quàm quod vir Deo carus adſeruit) Dux Diaconem venire fecit in medium. Tu es, inquiens, Johannes Diaconus? Et reſpondit: Ego planè. Unde ait, ducis propaginem generis? Et dixit: In Rætia Curienſi mediocri natalium dignitate ſum procreatus. Dux verò ad illum: Poteſne, inquit, Pontificalis infulæ pondus ſubire? Tunc venerabilis Gallus ſe pro filio reſponſurum promiſit. Et dum hæc mutuo ſermonum commercio pertractarent, ſubtraxit ſe Diaconus, & fugiens, latibulum quæſivit in Eccleſia S. Stephani Martyris, quæ eſt extra opidum. Secuti ſunt autem Sacerdotes cum plebe, & apprehenſum lacrymis perfuſum felicibus, licet renitentem in præſentiam Pontificum pertraxerunt & Ducis; & levaverunt omnes pariter vocem, dicentes. Johannem elegit ſibi Dominus Pontificem hodie. Et reſpondit omnis populus, Amen. Epiſcopi itaque duxerunt eum ad altare, & ſollemni benedictionis officio ordinaverunt Antiſtitem: conſummatóque ſacræ promotionis miniſterio, rogaverunt eum ſacrificij ſalutaris celebrare myſteria. Præmiſſis ergo ex more Divinæ libationis initiis, poſt lectionem Evangelij rogaverunt venerabilem Gallum, ut multitudini, quæ aderat, verbi officio ſacræ inſtructionis pabulum miniſtraret. Qui adſumpto Johanne Epiſcopo, gradum adſcendit, eo videlicet pacto, ut ipſe quidem ædificationis inſtrumenta colligeret, Epiſcopus verò ad utilitatem Barbarorum benè prolata interpretando transfunderet. Cœpit ergo verbum facere de initio creaturarum, & Adæ peccatum pro quo depulſus eſt de paradiſo commemorare. Tranſiens inde ad diluvium Patriarcharum conſequenter tempora perſtrinxit & actus. Egreſſum quoque filiorum Iſraël de Ægypto, & tranſitum per mare rubrum, legiſque lationem per Moyſen, & cæleſtis alimenti miracula replicavit. Regum deinde ſucceſſiones & tempora Prophetarum breviter attingens, adventus Dominici tempus retexuit. Baptiſmum etiam Salvatoris & mi-

rabilium ejus gloriam commemorans, Crucis ignominiam cum impiis infectationum generibus veraci relatione subjunxit. Hæc audientes Ecclesiæ Pastores, cum populi multitudine lacrymas fuderunt uberrimas; & ad invicem dixerunt: Verè Spiritus-sanctus locutus est hodie per os viri istius. Ille verò prædicationem perduxit usque ad resurrectionem Christi, & in commemoratione generalis judicij terminavit. Omnes ergo qui aderant alacri mentis exsultatione repleti, benedicebant Dominum, & ad sua cum gaudio remeabant. Doctor itaque venerabilis manens apud Johannem Episcopum septem diebus, inter multa salutiferæ consolationis verba, hæc sæpiùs inculcavit: Quem Deus elegit, homo non despiciet: sed erit omnium veneratione sublimis, quem Divinum commendat judicium. Deinde accepta ab eo benedictione, reversus est ad cellulam suam. Episcopus autem jussit his qui rebus Episcopij præerant, ut ad virum Dei cum sibi subjectis venirent, & ejus obtemperarent jussioni. Posthæc tanto studio caritas mutua servabatur utrimque, ut spiritalis glutino clientelæ sibi semper cohærentes, solo corpore viderentur divisi. Magister paterna sollicitudine, precibus & consilio salutari matheten refovebat; ille verò paterno honore & omni necessitatum subsidio didascalum sublevabat. Sicque sacra piorum societas aucto crescebat honore, & multiplicato commendabatur amore. CIRC. A H. DC.XLVI. OCT. XVI.

CAP. XXVI. *Vt transitum B. Columbani S. Gallus sicut priùs per visionem cognoverat, ita post discipuli legationem factam comperit.*

TEMPORE subsequenti cœpit virtutum cultor eximius Oratorium construere, mansiunculis per gyrum dispositis ad commanendum Fratribus; quorum jam duodecim Monastici sanctitate propositi roboratos doctrinâ & exemplis ad æternorum desideria concitavit. Quadam itaque die, dum post laborem matutinalis officij quiescendi gratiâ lectos suos revisèrent, primo diluculo vir Dei vocavit Magnoaldum Diaconem suum, dicens illi: Instrue sacræ oblationis ministerium, ut possim Divina sine dilatione celebrare mysteria. Et ille; Num, inquit, tu Pater Missam celebrabis? Dixit ergo ad illum: Post hujus Vigilias noctis cognovi per visionem dominum & Patrem meum Columbanum de hujus vitæ angustiis hodie ad paradisi gaudia commigrasse. Pro ejus itaque requie sacrificium salutis debeo immolare. Et signo pulsato, Oratorium ingressi, prostraverunt se in orationem, & cœperunt Missas agere & precibus insistere pro commemoratione B. Columbani. Finito sacræ devotionis officio, venerabilis Gallus dixit ad Magnoaldum Diaconem: Fili, non tibi grave videatur petitionis meæ pondus, sed arripe viam, & Italiam petito, pertransiénsque usque ad Monasterium, quod Bobium nominatur, diligenter perquirito, quid actum sit circa Abbatem meum. Nota ergo diem & horam, ut si eum compereris esse defunctum, possis agnoscere, utrùm visio mea veritatis fulciatur effectu. Hæc ergo omnia sollicita investigatione perdiscens, regressus nuntiabis mihi. Diaconus ad pedes Magistri provolutus, ignotum sibi iter esse conquestus est: sed vir beatus voce blanda eum ne timeret admonuit. Perge, inquiens, & Dominus diriget gressus tuos. Hac consolatione roboratus pij Doctoris alumnus præcepto paruit, & accepto benedictionis viatico, viam festinanter aggressus est. Cúmque perveniisset ad Monasterium ut volebat, invenit omnia ita contigisse, sicut Patri suo per visionem fuerant revelata. Mansit autem ibi una nocte, & accepit à Fratribus epistolam ad B. Gallum, continentem venerandi transitum Columbani. Qui & baculum ipsius, quem vulgò cambottam * vocant, per manum Diaconi transmiserunt, dicentes sanctum Abbatem ante transitum suum jussisse, ut per hoc notissimum pignus Gallus absolveretur. Dimissus autem ab illis, iter acceleravit, & prosperè in omnibus agens, die octava pervenit ad dominum suum & Patrem, ferens epistolam relationis, & absolu-

* *al.* cambuttam *id est*, baculum pastoralem

CIRC. AN. DC.XLVI. OCT. XVI. tionis indicium. Lectâ epistolâ, S. Gallus carissimi Patris amorem pleno retinens corde, lacrymas profudit uberrimas, & collectis Fratribus causas mæroris aperuit. Deinde tanti Patris memoriam precibus sacris & sacrificiis salutaribus frequentârunt.

CAP. XXVII. *Miraculum tabulæ incremento monstratum.*

CONTIGIT autem quadam die dum in construendo Oratorio cum Fratribus laboraret, ut tabula quædam parieti imponenda, brevior ceteris mensurâ palmorum quatuor appareret. Quam dum ejusdem operis artifices vellent adjicere, B. Gallus virtutis quam in Domino habebat sibi conscius, jussit eos ab opere disjungere, & domum ad percipiendam secum refectionem quam Dominus præparavit intrare. Quibus secundum jussionem ejus facientibus, benedictum panem manu sua porrexit. Post prandium autem cùm omnes pariter opus repeterent imperfectum, invenerunt tabulam, quam propter sui brevitatem pridem abjicere voluerunt, ceteris omnibus longiorem mensura dimidij pedis; & admiratione de eo quod evenerat habita, lignum quod mirabili creverat modo in loco suo parieti aptaverunt. Quod ipsum longo deinceps tempore à Fidelibus expetitum, Domino faciente, dentium doloribus efficaciter medebatur, præter antiqui commemorationem miraculi, novis semper effectibus honorandum. In quo facto meritorum ejus magnitudinem, & orationis possumus pensare virtutem; quia & lignum aridum contra naturam incrementis auctum est, & ne vetus aboleretur miraculum, rediviva signorum attestatione semper est repetitum.

CAP. XXVIII. *Qua ratione Fratribus Luxovio venientibus satisfecerit, & quàm mirabili eos doni cælestis ubertate refoverit.*

POSTHÆC Abba Monasterij quod Luxovium dicitur nomine EUSTASIUS, quem bonæ memoriæ Columbanus eidem loco præfecit, ab hujus exsilio vitæ ad supernam patriam commigravit. Fratres ergo in eodem Cœnobio constituti consilium inierunt, ut venerabilem Gallum revocarent, & ejus regimini se subdendo contraderent. Miserunt itaque sex Fratres ex his qui ab Hibernia venerunt, qui epistolam ferrent continentem causas ejusdem legationis. Igitur illi recto itinere cùm ad viri Dei Cellam pervenissent, nuntiati advenisse, ducti sunt ad orationem: qua expleta, domum ingressi porrexerunt epistolam. Quam ut vir sanctus perlegit, dixit illis: Ego quidem, ô Fratres, verba Prophe-
Psal. 68. 9. tæ cupiens imitari dicentis; *Extraneus factus sum fratribus meis, & peregrinus filiis matris meæ*, deserui notos meos & propinquos, & ut liberiùs Domino possem vacare, solitudinis elegi secreta; útque parentum & prædiorum dimissionem præteream, Episcopatûs honorem & divitias mundi susc ipere non consensi. Et quo pacto post hanc renuntiationem & voluntariam paupertatem sæculi implicabor negotiis, exaltabor honoribus, ponderibus aggravabor? Absit inquam, ut qui manum in aratrum misi, oculos ad relicta retorqueam, & sicut canis revertar ad vomitum. Scitis ipsi, me inter vos positum humilitati semper dedisse operam & subjectioni: & quomodò creditis ad tanti culminis me provocari posse fastigium? Innovate consilia, aliorsùm vos vertite: mihi quod animo semel infixum est, Dominus immutare non sinet. His & similibus verbis animos eorum ab spe impetrationis hujus amovit. Vocavit deinde unum è Fratribus, & eum interrogavit, quid essent tempore refectionis sumpturi. Cúmque responsum esset, tantummodò sextarium farinæ ad usum haberi cunctorum, jussit fieri panes, dicens: Potens est Deus parare mensam in deserto. Et cùm fecisset olera colligi, ipse sumens rete & unum ex discipulis suis cum Fratribus qui supervenerant, ivit ad gurgitem, dicens: Videamus, utrùm misericors Dominus aliquos nostris velit necessitatibus largiri piscículos. Cúmque perve-

niſſent ad gurgitem, viderunt piſcem magnum in aquæ collectione natantem, duósque illum inſequi lutros, quaſi capere fugientem volentes. Immiſſo reti, captum eum traxerunt ad litus. Habebat autem in longitudine palmos duodecim, & in latitudine quatuor. Quo facto lutri ſe profundis immergunt. Impoſito rurſum reti, cùm piſcatores ſancti piſcium latebras pulſando inquietarent, iterato lutri apparuerunt, piſcium tantam multitudinem propellentes in rete, ut id ſua pluralitate per loca diſrumperent. Prædâ itaque ad litus perductâ vir diſcretione pleniſſimus quoſdam piſces adjuvantibus qui aderant rurſus in aquam projecit, & Fratribus dixit: Hodie propter adventum veſtrum, mirabilem ſuæ largitatis evidentiam Dominus manifeſtare dignatus eſt. Illi econtrà meritis ejus quod factum fuerat imputantes, eo alacriter præeunte domum redierunt. Et ecce juxta introitum cellulæ vir unus apparuit, ferens duos utres vino plenos, & ternos farinæ modios ob ſuæ devotionis indicium. Quibus cum gratiarum actione ſuſceptis cibum ſumpſerunt, & poſt corporis refectionem, ſpiritalis colloquij dapibus animas ſuas paſcere ſtuduerunt. Detinuit autem eos B. Gallus aliquantis ſecum diebus, & caritatis intuitu omni humanitatis fovit obſequio. Narravit quoque de communi Patre, beato videlicet Columbano, quod certa relatione didicerat. Deinde oſculo pacis oblato, dimiſit eos; & illi benedictione tanti Patris armati ad ſua remearunt.

Circ. An. DC. XLVI. Oct. XVI.

Cap. XXIX. *Quomodo ſanctiſſimus Pater inter ædificationis ſtudia apud Arbonam migrarit ad Dominum.*

NEc multo poſt, cùm jam bonorum omnium auctor & propagator athletam ſuum de mundi agone ſublatum præmiorum laureis vellet perennibus adornare, Willimarus Preſbyter veniens ad cellam viri ſancti, rogavit eum, ut ſecum egrederetur ad caſtrum. Et ut obtineret quod voluit, huiuſmodi voce flebili querimoniam ſubmiſſus explicuit. Cur, inquiens, ô Pater, me, qui tuorum monitis dictorum invitor, quaſi deſpectum dereliquiſti, & doctrinæ tuæ ſalutaribus inſtitutis auditorem fraudâſti benevolum? Cui hanc objectionem adſcribere poſſim, niſi peccatorum meorum fœtoribus? Niſi enim vita mea tuo diſpliceret judicio, amabili me ædificationis tuæ non privares ſolatio. Nunc ergo noli nos pro peccatis noſtris abjicere, ſed Domini provocatus mandatis, viam veritatis deſiderantibus aperi, & ſolitæ nobis benignitatis munus impende. Motus igitur hoc ſupplicantis alloquio pietatis amator, deſcendit cum illo, & venerunt in caſtrum. Vocata autem multitudine in die ſollemni vir ſanctus prædicationis dulcedine avidorum * corda refecit, & tanta quæ dixerat ſapientiæ luce veſtivit, ut ſumma omnium gratulatione auditus, & plena cunctorum veneratione ſit honoratus. Biduo itaque ibidem ducto, tertia die febre correptus, tantum in brevi ejus violentiâ depreſſus eſt, ut nec ad Cellam redire, nec cibi ſuſtentaculum potuiſſet percipere. Cúmque hac infirmitate per dies quatuordecim laborâſſet, die ſextodecimo menſis Octobris, id eſt, XVII. Kalendas Novembris, expletis nonaginta quinque annis ſuæ ætatis, in ſenectute bona, hujus vitæ liberatus ergaſtulo, animam meritis plenam felicibus reddidit bonis inhæſuram perennibus [a].

* auditorum

[a] Ex dictis hujus capitis initio, B. Gallus obiit *non multo poſt* B. Euſtaſium, quem anno DC. XXV. ad ſuperos migraviſſe probavimus. In Vita S. Magni ſeu Magnoaldi, Gallus B. Columbano anno DC. XV. denato annis dumtaxat decem ſuperfuiſſe dicitur: ut proinde anno DC. XXV. mundo exceſſiſſe videatur. Verùm multa hunc calculum evertant. Si Gallus annos natus nonaginta quinque deceſſit, quis putet Conſtantienſi Clero ante annos decem veniſſe in mentem, ut hominem decrepitæ ætatis ultra annos quinque & octoginta provectum in Sedem vacuam (uti ſupra cap. 22. legitur) promoveret? Immo quis credat, Monachos Luxovienſes poſt Euſtaſij mortem de Gallo jam fere centenario cogitâſſe, ut illum ex remota regione Abbatem ſibi arceſſerent? Deinde jam grandævum fuiſſe Gallum ac B. Columbano Magiſtro ſuo ætate ſuperiorem dum in Galliam venit dicere neceſſe eſt, ſi nonagenario major anno DC. XXV. mortuus eſt. Denique Gallum B. Dagoberto Chlotharij filio ſupervixiſſe jam ad cap. 14. notavimus. Cui rei argumento eſt, quòd *Talto vir illuſtris, Tagoberti Regis Camerarius*, S. Gallum *cùm in corpore viveret*, *Ratpertus de caſib. S. Galli c. 1.*

Circ. An. Dc. xlvi. Oct. xvi.

coluiſſe dicitur. De auctoritate Scriptoris Vitæ S. Magni ſuo loco diſſeremus. Notandum porro eſt S. Galium in finceris Uſuardi & Adonis Martyrologiis, non xvii. Kalend. Novemb. quo die à Vvalafrido hîc & à Vvandalberto celebratur, ſed x. Kalend. Martij memorari. Sic enim Uſuardus: *Alemanniâ S. Galli Preſbyteri & Conf.* & Ado; *In Alemannia S. Galli Conf.* Vvalafridus ſiquidem & Vvandalbertus diem obitûs xvii. Kalend. Novemb. conſignârunt; Uſuardus & Ado x. Kalend. Martij collocant forſitan elevationis memoriam, dum S. Galli corpus à Boſone Conſtantienſi Epiſc. in decentiorem locum illatum eſt, quemadmodum in lib. ſeq. cap. 2. refertur. Obiit ergo S. Gallus xvii. Kalend. Novemb. circa ann. Dc. xlv. Lege Notkeri Martyrologium xvii. Kalend. Novemb. apud Henricum Canifium, To. 6.

Cap. XXX. *Vt funeri ejus Iohannes Epiſcopus interfuerit, & quemadmodum cognoverit non ibi eum debere recondi.*

Cum igitur audiſſet Johannes Conſtantienſis Eccleſiæ Præſul beatum Gallum apud Arbonam infirmari, adſcendens naviculam, potuum & ciborum ea ſecum genera tulit, quæ infirmitate laboranti noverat congruere: ut videlicet ſua viſitatione fideliſſimum refoveret amicum. Cumque portui propinquaret, audivit in domo Preſbyteri planctum magnum circa funus viri Dei celebrari, & interrogavit quæ tanti eſſet cauſa ploratûs. Audiens autem Gallum venerabilem, firmiſſimum ſuæ familiaritatis cuſtodem, de hujus ſæculi emigraſſe periculis, miſit ſe in aquam; (neque enim poterat propter nimium dolorem ſuſtinere, donec navicula litus attingeret) deſcendénſque cum his qui ſecum venerant, intravit in domum Preſbyteri, lugubri voce & corporis geſtu mærorem cordis inſinuans. Invenit autem corpus viri ſancti involutum & in loculo repoſitum: aperiénſque ſarcophagum, & exanime amici cadaver inſpiciens, amariores cum hac voce lacrymas dedit: Heu heu Pater amate, heu doctor egregie, cur me de domo patris eductum in his periculis quaſi orphanum dimiſiſti, & confidentiam meam, qua de tuis conſiliis plurimùm præſumebam, immatura morte rupiſti? Tibi quidem in perceptionem præmij, quod tam ardenter deſiderabas, hæc tua mors eſt fructuoſa; nobis autem in tot mundialium perturbationum procellis laborantibus multipliciter eſt luctuoſa. Sed qui de vitæ corporalis interruptione dolemus, de animæ immortalis libertate gaudere debemus, certi quia orationibus non deſinas adjuvare, quos conſilio & exemplis roborare conſueveras. Inter hæc verba Preſbyter eum ut ſurgeret monuit, ut pro requie defuncti ambitioſiùs Dominum precaretur. Intraverunt itaque Eccleſiam, & Epiſcopus pro cariſſimo ſalutares hoſtias immolavit amico. Finito autem fraternæ commemorationis obſequio, reſpiciens poſt tergum, vidit foſſam, in qua ſanctum corpus humare volebant. Acceptáque Cruce & his quæ exſequiis exhibentur, intraverunt domum, volentes theſaurum pretioſi corporis ad locum ſepulcri deducere. Cúmque arcam qua claudebatur cadaver feretro impoſitum, ad foſſam ſepulturæ conarentur deferre, nullis viribus uſquam potuit commoveri. Quod novi genus miraculi dum mutuis mirando colloquiis retractarent, Johannes Epiſcopus dixit: In veritate cognoſco hanc ſepulcri ſedem Patri meo Gallo non placere. Et juſſit Preſbytero, ut duos equos inveniret indomitos, & faceret introduci. Quòd cùm factum eſſet, ſtraverunt eos cum magno labore, & ad locum ubi corpus jacebat duxerunt, & Epiſcopus cum Clero hujuſmodi orationem dedit: Deus qui per potentiam majeſtatis tuæ ubique totus es, pro cujus amore vir iſte reliquit patriam ſuam, ut præcepta tua conſervaret; fac corpus ejus ab his equis indomitis ferri in locum, quem tua voluntas meritis ipſius prævidit. Cúmque finita eſſet oratio, cuncti qui aderant, Amen reſponderunt.

Circ. An. dc. xlvi. Oct. xvi.

Cap. XXXI. *Debilis per veſtimentorum S. Viri munus acceptum ſanatus.*

Congruum videtur in hoc loco retexere miraculum, quod Dominus inter ſui Confeſſoris exſequias exhibere dignatus eſt; quo liquidò cunctis oſtenderet, ſervum ſuum ſecum veraciter tunc vivere, dum carnis hujus carcere liberatur. Erat ibi quidam mendicus tanta per omnes membrorum junctúras debilitate contractus, ut penitùs inter alias ſuæ infirmitatis moleſtias inceſſu pedum careret. Huic dum Preſbyter indumenta viri Dei diſtribueret pauperibus, caligas ejus cum calceamentis dedit. Statímque debilis pro accepto munere, ſummo repletus gaudio, ut ſacras cruribus & plantis aptavit exuvias, per omnes artuum compages repentè ſolutus eſt; & exſiliens, voce clamavit ingenti, & gratias egit Domino & Gallo, per cujus merita redditam ſibi videbat ſanitatem. Videns autem Epiſcopus & cuncti qui aderant ſanitatis hujus miraculum, unanimiter glorificaverunt Deum, atque dixerunt: Manifeſta virtute dignatus eſt Dominus hodie gloriam ſervi ſui nobis oſtendere. Dederunt itaque ei qui ſanatus fuerat cereum, & proſecutus eſt funus cum cetero populo. Hoc primum ſignum poſt tranſitum ejus Dominus ad memoriam illius declaravit.

Cap. XXXII. *Signa mortificationis ejus poſt obitum deprehenſa.*

Inter eaſdem quoque beati Paſtoris exſequias, aliud non mediocre ſanctitatis ejus indicium apparuit. Habuit vir Dei capſellam de corio factam diligenter ſerratam, cujus clavem ſub tam vigili cuſtodia ipſe retinuit, ut nullus diſcipulorum ejus, quamdiu in corpore vixit, quid intùs ſervaretur cognoſcere potuiſſet. Hanc autem ex ſuis humeris pendentem ferre ſolebat, quocumque ambulavit. At ubi de hac vita migravit, ſumpta clave aperuerunt capſellam, & invenerunt in ea cilicium modicum, & catenam æream ſanguine adſperſam. Deinde corpus inſpicientes Magiſtri, invenerunt locum catenæ, ubi ſæpius præcingi ſolebat, carnémque ipſam in locis quatuor profundiùs catena ſulcatam, adeout de eiſdem vulneribus cruor decurrens, cilicium per loca perfuderit. Poſuerunt autem capſellam cum cilicio ad caput ejus in feretrum, & deportaverunt cum corpore ad locum monumenti, & ſuſpenderunt hæc tria mortificationis ejus indicia juxta tumulum ad caput ejus; per quæ deinceps ad oſtenſionem meritorum ipſius, plurimas Dominus virtutes piè quærentibus exhibuit. Qua ex re intelligere poſſumus, quia idem vir etſi à perſecutore ſanguinis effuſione non eſt immolatus, ſemetipſum tamen offerens Domino hoſtiam vivam in odorem ſuavitatis, & crucem ſuam tollens, quotidiéque Salvatorem ſecutus, martyrij laborem & palmam Confeſſor adeptus eſt.

Cap. XXXIII. *Quomodo ab equis indomitis ad locum ſepulturæ ejus delatum ſit.*

Postquam ſanctitas venerandi Patris & miraculi magnitudine, & horum manifeſtatione ſignorum cunctis qui funeris ejus intererant negotiis, patenter oſtenſa eſt, Epiſcopus ad feretrum acceſſit, & ex una parte illud ſublevans, Preſbytero altrinſecùs ſuſtollente, equis ſuperpoſuit, & adſtantibus dixit: Auferte frenos de capitibus eorum, ut libertate conceſſa, quò Dominus voluerit, pergant. Accepta ergo Cruce & candelis, pſalmos & melodias concinentes, iter agere cœperunt. Equi autem in neutram partem declinantes, recto itinere perrexerunt ad Cellam viri Dei. Quo cùm perveniſſent, depoſitum eſt feretrum ante Oratorium. Diſcipuli autem ejus, elevantes pij Doctoris Reliquias, intulerunt & ante altare poſuerunt. Deinde pariter cum Epiſcopo ora-

Circ. An. DC. XLVI. Oct. XVI

tionem pro illo facientes, fecerunt foſſam ſepulcri inter parietem & altare, ibíque precibus huic rei congruentibus præmiſſis, ſepelierunt eum; omnibúſque ritè conſummatis, multitudo quæ ad tanti viri concurrit exſequias, Epiſcopi benedictione communita, ad propria remeavit.

Cap. XXXIV. *Miraculum in cereis oſtenſum.*

Dum beati corporis theſaurum felix locus intra ſe ſuſcepiſſet, volens Dominus de morte famuli ſui mærentibus conſolationis præbere medelam, novitate miraculi patefecit, qua apud ſe claritate ſpiritus fulgeret amici. Nam duo cerei in caſtro dum corpus ejus elevaretur accenſi, ita ardentes delati ſunt uſque ad locum ſepulturæ. Poſiti autem unus ad caput, alter ad pedes, per triginta deinceps dies (mirabile dictu!) non deficiendo ardebant, & ardendo non deficiebant. Et ut monſtraretur has durandi vires ceræ liquenti cælitùs attributas, de hujus miraculi materia plurimæ in poſterum virtutes emanarunt. Nam quicumque dentium fatigati doloribus, vel oculorum lippitudine, vel aurium præcluſione laborantes, de eiſdem cereis quippiam ceræ tulerunt, & locis quæ hujuſmodi tenebantur incommodis aptaverunt, optatæ celeriter dona percepêre ſalutis. Poſthæc tanta virtus ad ſanandos variis infirmitatibus depreſſos, apud ſepulcrum beati Viri cunctis illuc venientibus, & orationum ejus ſuffragia fideliter poſtulantibus apparuit, ut & fama tanti meriti cunctis quæ circumpoſitæ erant regionibus innoteſceret, & locus ipſe non mediocriter frequentaretur à populis.

Cap. XXXV. *Concluſio libelli.*

Quia igitur, ô beatiſſimi Patres, Vita & virtutes S. Galli, ſi in unum compingantur librum, poſſunt ob ſui prolixitatem aliquod legenti ingerere faſtidium, ſtatui duobus hoc opus libellis diſtinguere, ut prior illorum Vitam ejus & Actus uſque ad ſepulturam illius veridica relatione perducat; ſequens, mirabilia quæ poſtmodùm pro meritis ejus Dominus oſtendit: primò videlicet ea quæ priorum ad nos ſcripto perlata ſunt retexat; deinde quæ à probatiſſimis teſtibus indicata, noſtra ætate à Gotzberto cariſſimo Fratre litteris ſunt mandata, ſubnectat: ne quod particulatim ſcriptum eſt, lacinioſa diviſione disjungatur, ſed potiùs quòd junctum eſt parilitate factorum, ſit etiam copulatum comprehenſione dictorum. Atque hic prioris libelli finis quæ præmiſſa ſunt terminet, & ſequenti quæ reſtant, ſine præjudicio comprehendenda reſervet.

Goſbertus miracula S. Galli deſcripſit.

LIBER SECUNDUS.

De Miraculis poſt mortem B. Galli patratis.

Caput I. *Quomodo hoſtes ſepulcrum B. Galli violaverunt.*

Meritis beatiſſimi Galli quotidie per miraculorum ſigna radiantibus & longè latéque circumpoſitorum aurea famæ ſuæ dulcedine mulcentibus, cùm jam poſt tranſitum ejus anni quadraginta [a] fuiſſent evoluti, venit Othwinus partium earumdem poteſtate præditus cum exercitu magno, & ira intolerabili concitatus devaſtavit non minimam partem pagi, qui ab interfluente fluvio Turgowe nominatur,

a In vulgatis S. Magni Actis id poſt triennium à morte S. Galli accidiſſe dicitur. Quæ Acta licèt vitioſiſſima ſint, rationem tamen præbent dubitandi, num librariorum hallucinatione in Vvalafridi textum menda irrepſerit. Certè cùm in capite proximo, Vvalafridus Magnoaldum ac Theodorum iſti impreſſioni ſuperſtites memoret, certúmque videatur (ſi quid in S. Magni hiſtoria veri eſt) eos longè poſteà devixiſſe; tantum intervallum à morte S. Galli ad cladem hîc deſcriptam effluxiſſe non poteſt. Confer ſequentem adnotationem.

Conſtantienſe quoque territorium & Arbonenſis pagi confinia depopulari cœpit & igne ſuccendere. Viros quicumque inveniri potuerunt gladio peremit, uxores & parvulos eorum in captivitatem egit. Peculiis quoque & omni ſupellectili ſublata fructus omnes penitùs demoliri fecit. Arbonenſes itaque hujus terroris immanitate compulſi, cum omnibus quæ habebant, fugerunt in ſolitudinem, & ad Cellam viri Dei ſe contulerunt. Deinde facta in agro fovea, abſconderunt ibi quidquid habebant, & foſſum terrâ cooperientes ne ſecretum eorum deprehenderetur, lini ſemen deſuper inſperſerunt. Cúmque jam Arbonenſem pagum hoſtes deſolaviſſent, veſtigia fugientium ſecuti, venerunt ad Cellam ſancti Patris, & fugitivos quos repererunt vinctos abduxerunt, & juvenes eorum in captivitatem miſerunt. Erchonaldus* autem Præfecti Vicarius, cùm vicina ſolitudini inhabitaret loca, habuit res ejuſdem Cellulæ notiſſimas. Is Oratorium ingreſſus invenit mendicum quemdam intùs ſedentem, quem bene noverat, & dixit illi: Indica mihi, ubi iſti quos tam nudos & miſeros invenimus, veſtes habeant repoſitas & utenſilia, aurúmque & argentum, quorum copiâ hactenus fruebantur. Ille reſpondit: Nónne mihi melius eſt illorum denudare ſecreta, quàm veſtræ ſeveritatis iram incurrere? Si ita, inquit, egeris, eris in conſortio noſtro, & participio ſocietatis noſtræ gaudebis. Qua promiſſione perſuaſus ſurrexit, & eum ad ſubterraneum duxit armarium. Quod cùm idem Vicarius aperiri feciſſet, ſpecies quas inibi reperit, his qui ſecum erant facta diviſione diſtribuit. His ita patratis, putantes paſſim tale quid occultari, diſcurrerunt loca ſingula ſignis quibuſdam ſollicitè explorantes. Ejuſdem rei gratiâ Erchonaldus, adſumptis ſecum ſeptem pueris introivit Oratorium. Cúmque clauſis oſtiis pavimenti planitiem pulſarent, ob ſpem videlicet inveniendæ pecuniæ, unus illorum poſt altare veniens, pavimentum percuſſit; & audiens à cavitate tumuli ſonitum reddi: Hic eſt, inquit, quod oppidò deſideratis. Accurrentes igitur pollinctores infeſti, cœperunt fodere; & cùm ad loculum perveniſſent, extulerunt illum, dicentes: Quia iſti Rætiani calliditate naturali abundant, videamus ne quippiam ſub hac arca occulti remaneat. Huic ſacrilegio inſervientes, invaſit eos horror immenſus. Qui in fugam converſi, dum oſtium Oratorij ſinguli præoccupare niterentur; inſaniâ agitati, evaginatis gladiis invicem ſe conciderunt. Erchonaldus verò hujus auctor ſceleris, timore cogente, volens exſilire per oſtium, caput ſuperliminari illiſit, & ad terram concidens, alienatus mente jacebat. Cúmque à ſuis perduceretur ad propria, nimia infirmitate & novis doloribus cœpit urgeri. Toto itaque ipſius anni curriculo fortiſſimis maceratus moleſtiis, capillorum honore & cutis ſuperficie ſpoliatus, etiam digitorum ungues amiſit. Et ut omnibus longo tempore ultionis in eum divinitus collatæ ſigna paterent, cunctis vitæ ſuæ diebus hac deformitate notabilis fuit.

CIRC. AN. DC. XLVI. OCT. XVI.

*al. Ervvinus.

CAP. II. *Qualiter Boſo Epiſcopus corpus ejus repoſuerit.*

AUDIENS Conſtantienſis Eccleſiæ Præſul, nomine Boſo[a], ſepulcrum beatiſſimi Galli violatum eſſe ab hoſtibus, nullúmque remanſiſſe in Cellula, præter duos Fratres MAGNOALDUM & THEODORUM, qui ſacri corporis Reliquias tumulo reſtituere potuiſſent, venit illuc cum Clericis ſuis, & invenit Cellulam deſolatam, ſancti Patris corpus de ſepulcro ejectum, altaria nudata, duoſque Fratres qui remanſerant ſpoliatos jacentes in Oratorio, & magni-

[a] Hìc adverſus Vvalafridi calculum Goldaſtus opponit Hermannum Contractum, ut qui Boſoni Conſtantienſi Epiſcopo Ernfidum dicat ſucceſſiſſe anno DCC. XXXVI, quo anno in vivis eſſe non potuit Boſo, ſi eladem ab Othvvino illatam jam Epiſcopus vidit. Longè validius argumentum deſumi poſſet ab ætate Magnoaldi & Theodori S. Galli diſcipulorum, qui ad octavum ſæculum pervenire nequiverunt. Verùm apud Hermannum non Boſo ſed Audonius Ernfridum habuiſſe ſucceſſorem legitur: nec ſi aliter legeretur, Vvalafrido præferenda eſſet Hermanni longè poſterioris auctoritas. In Epiſcoporum Conſtantienſium catalogo quem Gabriel Bucelinus Benedictinus, vir multorum librorum ordinavit, Boſſo alio nomine Obihardus (ſeu Obbaldus) poſt Johannem B. Galli diſcipulum recenſetur, atque inter Boſonem & Ernfridum Epiſcopi ſex, poſtremus Audoinus ſeu Auſonius inſeruntur.

CIRC. AN. DC XLVI. OCT. XVI. tudinem calamitatis gemitibus & lacrymis proteſtantes. Et miſericordiâ motus, cœpit eos conſolari multiplicibus verbis, illam replicans Pſalmiſtæ ſententiam qua dicit: *In tribulatione invocavi Dominum, & exaudivit me in latitudine. Dominus mihi adjutor, non timebo quid faciat mihi homo.* His dictis, ſumens loculum in quo ſanctum corpus erat, poſuit ſuper terram inter parietem & altare, & deſuper, ut moris eſt, arcam altiorem conſtruxit, foſſam verò terrâ replevit. De ſuo quoque Fratribus veſtimenta largitus eſt, & unde alerentur diſponens, ad Epiſcopium remeavit.

Pſal. 117.

CAP. III. *Quâ pœnâ multati ſint ejuſdem loci violatores.*

POST multum verò temporis miſit PIPPINUS Majordomus[a], exercitum copioſum ad devaſtandam Alamannorum provinciam, & iterato Francorum ditioni ſubjugandam. Cúmque terra tota hoſtili contereretur incurſu, avidi prædones Arbonenſem pagum percurrentes ad Cellam viri Dei venerunt, & quoſcumque ibidem invenerunt, (nam multi illuc confugerant) ſperantes in Dei miſericordia, & patrociniis Sancti illius, duxêre captivos. Quinque autem ſupramemorati Principis ſatellites ingreſſi Oratorium, repererunt ibi quaſdam ancillas ejuſdem loci cum parvulis earum, & quæ eſſent, percontati ſunt. Quæ dum ſe de familia ipſius Sancti eſſe proclamarent, hoc à prædonibus audierunt: Exite, egredimini, Sanctum quem dicitis ignoramus. Et abduxerunt eas captivas in Franciam. Eodem verò anno à malignis ſpiritibus arrepti & amentes effecti, nudi circumquaque diſcurrebant; & ubicumque urbes vel vicos ingreſſi ſunt, cruciatûs ſui cauſas retexebant, dicentes: Gallus Abba nos habet ligatos: & cum hac criminum miſera commemoratione ſuorum, vitam infeliciter ducentes flebiliter finierunt.

a

CAP. IV. *Quo miraculo palla ſuper lectum Sancti incenſâ redintegrata ſit.*

ALIO tempore Diaconus quidam nomine Stephanus, dum in ejuſdem Patris ſancti Eccleſia cuſtodis fungeretur officio, quadam veſpera incenſam Oratorio inferens candelam, poſuit eam ſupra candelabrum juxta beati viri ſepulcrum: quæ à rectitudine ſtatus vergens in partem, ardens cecidit ſuper aram ſepulcri. Cujus ardoris violentia unam comprehendens pallam, uſque ad medietatem exuſſit, & ita reſtincta eſt, nihil lecto, nihil baculo qui in eo pendebat, vel aliis linteaminibus ſuper ſepulcrum expanſis inferens læſionis. Qua ex re colligitur, ad declarationem virtutum beati viri potiùs, quàm ad damnum rebus ejus inferendum, idem eveniſſe incendium. Quia ut in ſequentibus apparet, pallam quam levis flamma diminuit, virtus manifeſta reſtituit. Mane itaque facto Fratres Oratorium ingreſſi, quid factum fuerat perviderunt, & admiratione non minima ſunt perculſi. Tertia verò die cùm ad matutinale convenirent officium, invenerunt in Oratorio cereos ardentes, & duos juvenes ſtantes, unum ad caput & alterum ad pedes diſtendentes inter ſe pallam, quæ pridem fuerat ignis attacta vaporibus. Hoc viſo timore nimio conterriti, cum celeritate egreſſi, ad lectulos redieruut. Cúmque ſe collocarent, Eccleſiæ campanum inſonuit, & auditi ſunt duo chori, incredibili alternantium perſonarum dulcedine perſtrepentes. Igitur die illa nequaquam auſi ſunt Oratorium introire. Die autem ſequenti ante oſtium ejus unanimiter conglobati, proſtraverunt ſe in orationem: & cùm ſurrexiſſent, cum magno timore intrantes invenerunt pallam, quam partim ignis abſumpſerat ſuper lectum expanſam, ſicut priùs expandi ſolebat, nulla imminutionis habentem indicia; ſed potiùs latitudinem vel longitudinem ejus trium auctam eſſe magnitudine cubitorum. Hujus perſpicuitate miraculi

a Nempe Pippinus Caroli Magni pater, qui anno DCC. XLV. Alamanniam oppugnâſſe fertur. Lege Hadrianum Valeſium in Rer. Franc. lib. 25.

hilares facti, benedixerunt Domino, qui tam manifeſtis gratiæ virtutibus ſervi ſui merita declarare dignatus eſt. CIRC. AN. DC. XLVI. OCT. XVI.

CAP. V. *Miraculum miſſæ avis.*

IDEM Stephanus dum quodam tempore cum his qui ſimul aderant, carnem ad percipiendum in cujuſdam acceſſu jejunij non haberet, reſedit in Cellula, de eadem penuria cum ceteris locuturus. Dúmque ſermone vario paupertatis ſolatia mutuò miniſtrarent, avis quædam ignotæ formæ conſedit in limine. Unus aſſidentium torrem de igne rapiens, alitem percuſſit. Cujus carnes dum ſuis uſibus præparâſſent, incredibilem ſaporis dulcedinem in guſtu earum deprehenderunt; facientibus hoc, ut credimus, beati viri meritis, ut ſicut famulis ejus in ſimilitudinem antiqui miraculi, quo populus Dei coturnicum carnibus in ſolitudine eſt refectus, avis incognita miſſa eſt; ita ſapor procuratæ cælitùs eſcæ, novæ dulcedinis delectamentum haberet.

CAP. VI. *De ſignorum S. Viri multiplicitate.*

TANTA autem eſt miraculorum copia, quæ Dominus apud tumulum ejus diverſis temporibus oſtendit, ut non facilè ſcribendi ſtudio comprehendi poſſit: ex quibus propter abundantiam multa omittuntur; pauca verò & eminentiora propter memoriam poſteris commendandam huic inſeruntur opuſculo. Præter mortuorum enim reſuſcitationem corporum, ceterarum infirmitatum remedia creberrima inibi largitate à Domino præſtita ſunt & præſtantur. Siquidem & dęmoniaci ibidem, & languentes ſunt recreati, aurium clauſtra reſerata, oculorum deterſę caligines, mutorum excluſa ſilentia, paralyticorum eliminata defectio. Sed & quicumque animæ vel corporis neceſſitate coactus fide integra apud ſepulcrum B. Galli inſtantiam orationis exſequitur, Domino Confeſſoris ſui merita comprobante, precum ſuarum nullatenus fructu privatur, verum etiam ſine tarditate Divinæ largitatis ſentiens dona lętatur.

CAP. VII. *Quomodo donariũ Sancto deferendum ab incendio ſit reſervatum.*

TEMPORE igitur CARLOMANNI Majoris-domus, miraculum memoriâ dignum per merita ſancti Patris effectum, huic operi inſerere utile judicamus. Vir quidam pauperculus in pago qui Perahtolteſpara dicitur, ex ſumma devotione cum uxore ſua ad Cellam B. Galli causâ orationis properare diſpoſuit. Cujus intentione devotionis dum mulier pallulam quam in loco oblatura erat, contextam paraviſſet, involvit eam formella [a] ceræ, quam ſimul oblatum ire cogitabat, & in arca ſua inter alia veſtimenta repoſuit. Contigit autem dum ire pararent, domum illorum cum omnibus quæ infra illam erant rebus igne cremari. Cúmque conſumptis omnibus flamma ceſſante ſopitum fuiſſet incendium, cœperunt inter favillarum cumulos ferramentorum reliquias quæritare. Et ecce inveniunt (mirum dictu!) ceram pallulâ involutam inter cineres & carbones, nihilque in eis læſionis apparuit, cùm ipſam arcam & quidquid aliud in illa repoſitum erat, penitùs conſumpſiſſet incendium. Viſo igitur tantæ virtutis miraculo, & benedixerunt Deo, & iter quod diſpoſuerant, peregerunt. Et narrantes Fratribus quæ geſta fuerant, obtulerunt donarium, quod huic voto conſecratum, in ſupremis non poterat perire periculis. Servatæ ſunt autem ibi eædem res in teſtimonium pòſt futuris, uſque ad tempora OTMARI Abbatis.

[a] Id eſt circulo cereo. Sic 1. Regum 17. v. 18. *decem formellas caſei.* Septuaginta habent πυραλίδας: quam vocem Gaza apud Ariſtotelem *formaginem* reddidit, qua voce Franci & Itali etiamnum caſeum appellant. Hæc Goldaſtus.

CIRC. AN. DC.XLVI. OCT. XVI.

CAP. VIII. *Correctio ejus qui caballum quem voverat fraude retinuit.*

NEQUE illud ſilentio prætereundum videtur, quod in ſupradicto pago temporibus Pippini Regis contigiſſe refertur. Quidam vir nomine Willimarus gravi infirmitate depreſſus ſub voto promiſit, ſe equum vivum duóſque boves ſi priſtinæ reſtitueretur ſanitati ad Eccleſiam B. Galli donaturum. Cúmque illa die confortaretur, & plenam recepiſſet ſoſpitatem, contigit ut cum Bicthilone domino ſuo causâ orationis ad Cellulam Sancti viri eodem vectus equo veniret. Igitur cùm poſt orationem omnes illi qui ſimul advenerant digreſſi non longè eſſent ab Eccleſia, equus quem ſponſor infidelis poſtquam voverat fraude retinuit, repentè ſubſtitit: & licet eum ſeſſor calcaribus urgeret ac verberibus fatigaret, nuſquam potuit commoveri. Videntes hoc qui aderant, cœperunt inquirere hujus miraculi cauſas. At ille confuſione digna correptus, prodidit reatum, & fraudem quam in voto fecerat, confeſſus aperuit. Reverſi autem omnes pariter, equum obtulerunt ad limen Eccleſiæ; & benedictione percepta, ad ſua ſine obſtaculo redierunt. In quo facto & Divina pietas, & S. viri virtus apparuit, dum is qui per ſe reſipiſcere noluit, per correptionem ad correctionem pervenit.

CAP. IX. *Cera de furto oblata in lapidem converſa.*

ILLUD quoque miraculum quod quarto anno CARLOMANNI Regis in pago cujus ſupra mentionem fecimus contigit, libet memoriæ commendare. Pauperculus quidam juxta regiam poſſeſſionem, quæ Rotenwila dicitur commanens, dum ad Cellam ſancti viri Galli pergere voluiſſet, nec haberet aliquid quod ob devotionis indicium illuc deferre potuiſſet, diabolo ſuadenti conſentiens, atrium cujuſdam divitis irrupit, & alvear cum melle & apibus furtim auferens, intulit domui ſuæ. Apibus deinde exſtinctis, ceram confecit, & non multò poſt inter vicinos & amicos cum hoc furtivo munere ad Eccleſiam venerabilis Galli perrexit. Cúmque ſinguli quod obtulerant attuliſſent, is qui contra fas offerre voluit de rapina donarium, ceram reperit in lapidis duriſſimi rigorem mutatam. Ingenti itaque timore perculſus, uni eorum qui ſecum venerant, reatum ſuum confeſſus eſt. Qui deinde cùm cuſtodibus Eccleſiæ quæ ~~facta~~ fuerant indicaret, fama hujus miraculi mira celeritate cunctis innotuit.

CAP. X. *Pronuntiatio Scriptoris de qualitate operis aſſumpti.*

DESCRIPTIS his quæ priſcorum ſollertia de vita, fine & virtutibus B. Galli ad nos uſque ſcripto tranſmiſit, hinc ea ſtylo comprehendere tentabimus, quæ à fideliſſimis teſtibus indicata, à cariſſimo Fratre Gotzperto litteris ſunt mandata. In quibus primò quomodò vel quando in Cœnobio B. Galli regularis vitæ inſtituta ſervari cœpiſſent, liquidò declaratur: deinde quibus miraculis ejuſdem Patris virtus cunctis effulſerit, probabiliter exponitur, commemoratis pariter ſingulorum quæ introducuntur aſſertoribus. Quæ idcirco novis dictionum poſitionibus ordinare voluimus, ut cum prioribus aliquam ſimilitudinem locutionis habeant, & brevitatis compendio ſuccincta, faſtidioſis lectoribus oneroſa non fiant. Siquidem nomina eorum, qui ſcribendorum teſtes ſunt vel fuerunt, propter ſui barbariem, ne latini ſermonis inficiant honorem, prætermittimus; ſcientes de veritate dictorum à fidelibus non eſſe dubitandum; quippe qui norunt, nihil horum quæ referimus, Deo impoſſibile eſſe, in quo fit, quidquid per Sanctos mirabiliter & laudabiliter fit. Sed & ſi quis earumdem rerum teſtes noſſe deſiderat, in conſcriptione quam ſequimur poterit invenire.

Inſeremus quoque huic operi nonnulla, quæ non ſcripturæ teſtimonio, ſed veracium virorum relatione didicimus. In quibus omnibus quantum ad nos attinet, veritatis lineam ſervare ſtudebimus, neque per amorem falſi aliquid de noſtro inſerentes, neque per invidiam veri quippiam ex voto celantes. Et quia nos ſcripta vel dicta ſequimur aliorum, ad illos veritas rerum, ad nos pertinet abbreviatio dictionum, & adunatio rationum. CIRC. AN. DCXLVI. OCT. XVI.

CAP. XI. *Quemadmodum Pippinus eumdem locum Othmaro cum Privilegio & donis commendârit.*

POST venerandi Patris, beati videlicet Galli Confeſſoris Chriſti glorioſam depoſitionem, quotidianas excubias apud ſacri corporis ejus Reliquias quidam religioſi Clerici, vel diſcipulatûs ejus memoria, vel divino amore ſuccenſi per multa annorum curricula, ſcilicet quaſi à temporibus DAGOBERTI Regis uſque ad CAROLUM Patrem CARLOMANNI & PIPPINI, ad laudem Chriſti adminiſtrabant. Igitur cùm fama virtutum quas Dominus per Confeſſoris ſui merita piè quærentibus exhibere dignatus eſt, longè latéque circumpoſitorum mulceret aures populorum, cœperunt undique alacri devotione ad tanti Patris ſuffragia poſtulanda concurrere, eumdémque locum ob ſuæ diuturnitatem memoriæ multiplicibus ſubſtantiæ & poſſeſſionum amplificare donariis. Cúmque res hac largitate Fidelium collatæ, aliquantulæ Monachorum Congregationi viderentur ſuppetere potuiſſe, WALDRAMNUS quidam, ad cujus paternam poſſeſſionem termini vaſtæ ſolitudinis, in quibus vir Dei Cellam conſtruxerat, pertinere videbantur, videns res collatas à quibuſdam præſumptoribus inordinatè tractari, religioſum quemdam Preſbyterum, OTHMARUM nomine, cui ſummam earumdem committeret rerum, à VICTORE tunc Curienſium Comite impetravit, & ei Cellulam cum omnibus ad eam pertinentibus commendavit[a]. Poſtmodùm conſilio cujuſdam Ducis nomine NEBI perſuaſus, ad præfatum Principem Carolum cum eodem Duce properavit, ipſíque eamdem Cellam proprietatis jure contradidit, & ut Othmarum Preſbyterum eidem loco præficeret, exoravit. Annuens petitioni ejus Princeps, Othmaro ad præſentiam ſuam vocato locum commendavit, & ut regularem inibi vitam inſtituere ſtuderet præcepit. Qui regreſſus arripuit ſtatim boni Paſtoris initia, & undiqueversùm habitacula Monachorum uſibus congrua diſpoſitè conſtruens, ejuſdem ſancti ſtatum loci utilitatibus diverſis aptavit. Sed cùm jamdictus Princeps temporaliter regnandi & vivendi finem feciſſet, duobus filiis Carlomanno & Pippino adminiſtrationem regni reliquit. Carlomannus itaque paucorum decurſibus evolutis annorum, ob amorem regni cæleſtis, ſæcularis gloriæ pompam depoſuit[b]; & cùm cauſa quietioris vitæ Romam tenderet, in viciniam ſupradicti loci deveniens, ad idem Monaſterium cauſâ orationis acceſſit: audiénſque aſſiduis ſignorum virtutibus eumdem locum pro beati viri meritis à Domino illuſtrari, dixiſſe fertur: Tenuis quidem hic locus eſt facultate, ſed pro meritis B. Galli celebri diffamatus rumore. Cúmque vellet ibidem degentibus aliquod ſuæ largitatis conferre ſolatium, ſed retractaret à negotiis ſe regni disjunctum explere non potuiſſe quod voluit; fratri reſcripſit, ut ſui amoris intuitu eidem Monaſterio aliquod regiæ largitatis ſolatium dignaretur impendere. Cùm igitur ab Othmaro Abbate præſentatam Pippinus Princeps accepiſſet epiſtolam, annuens peti-

a

b

a Anno DCC. X. id factum refert Hepidannus Monachus San-Gallenſis in Annal. Sic verò Ratpertus in lib. 1. de caſib. S. Galli cap. 2. *Taltonis filius fuit Thieltolt:* (Talto Dagoberti Regis Camerarius fuerat) *cujus* Thieronis *filius Pollo, Pollonis autem filius Vualdpertus qui genuit* VUALTRAMNUM, *ipſe verò Vualtramnus locum iſtum in omnibus ob amorem S. Galli augere deſiderans, regularemque inibi vitam inſtituere cupiens,* OTHMARUM *ſanctum virum à* VICTORE *Ratia Curienſis Comite impetravit, eique Cellam præfatam cum omnibus ad eam pertinëtibus commendavit, Abbatémque conſtituit. Poſteà verò tempore procedente atque ſtatu Monaſterij in melius proficiente, præfatus Vualtramnus eumdem Abbatem Othmarum Pippino Regi præſentavit, &c. qui idem Monaſterium per annos* XL. *feliciter rexit, Vualtramno prædicto* XX. *annis ſolatium illi præſtante.*

b An. ſcilicet DCC XLV. uti idem Hepidannus ſcribit,

Circ. An. Dc.xlvi. Oct. xvi. tioni fraternæ, Libellum quem Benedictus Pater de Cœnobitarum converſatione compoſuerat, eidem Abbati tradidit, & alia regiæ dignitatis impertiens dona, id ei ſub omni diligentia injunxit, ut in loco ſibi commendato, ad ſupplendas B. Galli excubias, regularis ordinem inſtitueret vitæ. Atque ut meliùs poſſet quod jubebatur efficere, conceſſit illi quoſdam tributarios de eodem pago, ut & illis collaborantibus officinas Fratrum uſibus neceſſarias conſtrueret, & vectigalia quæ annuatim regiis redditibus inferre debebant, ad ſuſtentationem Fratrum ſub commemoratione largitatis ejus haberet. Inter cetera quoque ſuæ munificentiæ donaria, rogante Abbate, unum campanum ad ſancti loci dedit ornatum; quod aduſque noſtræ ætatis tempora in Cœnobio eodem pro memoria beneficiorum ejus permanſit. Et ne cujuſquam avaritia tanti incrementis obſiſteret boni, diuturnæ firmitatis epiſtolam fecit conſcribi, & ut moris eſt, circumſpecta roborari cautela, quo deinceps tam ipſe qui aderat, quàm ſucceſſores ejus idem Monaſterium per regiam obtinerent auctoritatem, & nullius violentiâ preſſi, ſolis rerum Principibus ſubjacerent. His regiæ pietatis Othmarus Abba donatus ſolatiis & ſublimatus honoribus, Monaſterium lætus regreditur; & ex illo tempore Monaſticæ vitæ in Cœnobio S. Galli exordium quidem cœpit, augmentum autem & profectus hodiéque laudabiliter dilatari non deſinit.

Cap. XII. *Qualiter præcaventibus Victoris incurſum populis ſignum ſit divinitus datum.*

Præmissa narratione qua comprehenſum ſatis verè credimus, quomodò ſacer locus immunitatis Privilegium meruerit, & quo in tempore Cœnobiali dignitate ſit adornatus, liberiùs jam ad miraculorum B. Galli commemorationem ſtilum convertimus. Victor Curienſis Rætiæ Comes, cujus ſuperiùs fecimus mentionem, cùm innumerabiles apud tumulum S. Galli per merita ipſius virtutes oſtendi creberrimè didiciſſet, invidia perurgente tanta novarum generoſitate virtutum noſtram gentem inſigniri perdoluit; & ut tunc fama vulgaverat, latenter voluit per abdita eremi ſupervenire, & pretioſi theſaurum corporis, ſi quo pacto potuiſſet auferre. Qua malitioſi raptoris intentione comperta, hi qui in circuitu Cellæ viri Dei commanebant cuſtodibus viciſſim per turmas deputatis, eumdem locum ab hoſtili incurſione, ne videlicet tam cari fulgore margariti carerent, omni ſagacitate defenſare ſtudebant. Igitur cùm quadam nocte cuſtodes in ſummitate montis, qui Monaſterio ſuperimminet, ad ſuſpectos incurſus armati reſiderent præcavendos; caſu lucem è cælo venire, ac totius Eccleſiæ perfundere mœnia conſpexerunt. Immenſitatem itaque luminis admirati, ad Eccleſiam citiùs concurrerunt: & dum trepidi ſtupentéſque ibidem conſtituti eumdem intuerentur ſplendorem, paullatim ſe lux ſubmiſſa recolligens, aſtris inferitur. At illi viſo miraculo agentes Domino gratias, ſecuri ad propria remeârunt, credentes corpus viri Dei per vim ab eo loco minimè auferri poſſe, quem illi Dominus ante ſæcula prævidit, & ſuæ illuſtrationis honore temporibus iſtis decoravit. Unde datur intelligi, quanti apud Deum meriti vir iſte fuerit, cujus ſepulturæ locum cælitùs contigit illuſtrari: ut videlicet lumen quo ejus anima perfectè fruebatur in cælis, etiam mortuo corpori non deeſſet in terris.

Cap. XIII. *Qua animadverſione idem à ſua præſumptione ſit repreſſus.*

Audiens itaque Comes prædictus à Cella ſancti viri diſceſſiſſe cuſtodes, cupiens ſuos explere conatus, virorum turbam adſumpſit, ut quod malè cogitaverat, repentino & latenti perpetraret acceſſu. Verùm quia non ſuæ devotionis utilitati proſpiciens; ſed alienæ felicitatis profectibus invidens id moliebatur, Dei nutu citò repreſſus fuiſſe cognoſcitur. Nam eodem momento quo iter illud aggreſſus eſt, de equo cui inſidebat corruit, coxáque illius eo caſu confracta

fracta eſt, Domino beati viri merita in hoc quoque remunerante, ne à loco quem ipſe elegerat auferretur, quem de ultimis Hiberniæ finibus ad ſalutem multorum Rætiæ deſtinavit. Et vicini quidem exhibuerunt excubando ſuæ devotionis obſequia: Deus verò cunctorum cuſtos bonorum, ibi etiam ad coërcendum raptorem vigilavit, ubi ſollicitudo alternantium non adfuit populorum. Et hoc quidem egit, ut credimus, ne fideles populi theſauro quem ferventibus ſtudiis ambiebant fraudarentur, & ne is qui per malitiam hoc decus attingere voluit, ſuæ perverſitatis potiretur effectu; præcipuéque præcavens, ne ablatis ſancti viri Reliquiis, Monachorum catervas quæ inibi laudibus Dei ſervituræ erant, deeſſe contingeret. Itaque Comes correptus & domum à famulis reportatus, per multa tempora nimiis doloribus eſt agitatus: ut intelligeret ſaltem ex pœna, quàm ſuperbè id cogitaverit, quod ſuis viribus effici potuiſſe credebat. CIRC. AN. DC.XLVI. OCT. XVI.

CAP. XIV. *Paralyticus cæcus & ſurdus B. Galli meritis ſanatus.*

QUIA igitur Domino cuſtodiente, pij Paſtoris corpus à devotarum ſeptis ovium auferri non potuit, dignum fuit, ut miraculis fidem facientibus virtus meritorum ejus ibidem cunctis manifeſtè clareſceret. Quidam namque de vicino* territorio cùm diuturna ægrotatione vexatus lecto decumberet, ſubrepente humore nocivo, oculorum lumen auriúmque ſenſum amiſit. Deinde plantis pedum retortis ad nates, tanta depreſſus eſt infirmitate, ut de ſolo pectuſculo vitæ manarent fugacis indicia. Qui à ſuis ad Monaſterium vehiculo delatus, dum petentibus amicis in Eccleſia B. Galli unius ſpatium noctis ducere permiſſus à cuſtode fuiſſet, ſolúſque ibidem pernoctaret, circa gallorum cantum in ſubito mentis exceſſu quatuor viros candidiſſimis indutos veſtibus Oratorium introire conſpexit. Qui dum altari appropiantes, diutiſſimè dulci modulaminum alternatione concinerent, unus eorum laudibus finitis ad lecticam in qua clinicus decumbebat accedens; Quid, inquit, cauſæ eſt, ô homo, quòd hîc pernox, tenebrarum tranſigis ſolus horrorem? Crede tantùm, & ab hac infirmitate deinceps eris ſecurus. Ergo ſanus exſurge, liber egredere. Qui protinùs ſurgens, & omni debilitate ſubmota egreſſus, ad ſuos ſanus abſceſſit. *al. Tucino

CAP. XV. *Quomodo Othmarus Abba ab iniquis Primatibus ſit afflictus.*

IGITUR OTHMARUS Abba cùm multis annis idem Cœnobium ſtrenuè rexiſſet, poſſeſſiones ipſius loci religioſis quibuſque circumquaque degentibus, ob amorem mercedis æternæ, plurima ſuæ largitatis dona conferentibus intantùm amplificavit, ut infra paucos annos, ſuppetente exteriorum copia rerum & vitæ ejus clareſcente munditia, multorum Pater exſiſteret Monachorum. Comites verò quidam WARINUS & RUODHARDUS [a], qui totius ferè* Alamanniæ curam adminiſtrabant, cùm infra ditionis ſuæ terminos Eccleſiaſticarum non minimam partem rerum ſuæ proprietatis dominio per potentiam ſubjicere niterentur, maximam de ejuſdem Monaſterii poſſeſſionibus partem ſibimet vindicârunt. Nam tributa quæ bonæ memoriæ Pippinus eiſdem Fratribus conceſſerat, abſtulerunt, aliáque quamplurima, quæ ex donatione quorumdam religioſorum eidem Cœnobio fuerant contradita, ſuæ rapacitatis abſtraxêre protervîâ. Inſuper ipſum etiam Abbatem, cùm pro hac re apud Principem illos accuſâſſet, vinculis injecerunt, & in quamdam Rheni fluminis inſulam juxta locum, qui *Stein* dicitur, in cuſtodiam relegârunt. Ubi cùm aliquantum temporis ſub artiſſima diſtrictione manſiſſet, de carcere hujus vitæ ad lætitiam commigravit. *al. tunc

[a] Hepidannus ad an. DCC. LVIII. *Vvarinus*, inquit, *& Ruodhardus beatum & ſanctum virum Othmarum multis injuriis affligebant: ipſe verò plenus dierum, plenus etiam ſanctitate meritorum de anguſtiis hujus vitæ eripitur, atque in inſula Rheni fluminis quæ vocatur Stein ſepultus eſt.* De S. Othmaro ſuo loco.

CIRC. AN. DC. XLVI. OCT. XVI. cæleſtem, expletis non minùs quadraginta annis regiminis ſui, quo ſancti illius loci ſtatum & gloriam nobiliter amplificavit & auxit.

CAP. XVI. *Qualiter eorumdem inſtinctu Sidonius Epiſcopus eumdem locum invaſerit.*

HOc itaque ita rebus humanis ſubtracto, prædicti Comites ſublatas ſancti loci poſſeſſiones retinentes, Johannem quemdam Monachum de proximo Monaſterio in ejus locum ſubrogaverunt: ac deinde, ut ſuæ tyrannidis crimen augmentarent, SIDONIUM[a] Conſtantienſis Eccleſiæ Præſulem inſtigârunt, ut idem Monaſterium Epiſcopii partibus ſubjicere ſtuderet. Et hoc idcirco fecerunt, ut eo licentiùs, ipſo machinationibus eorum favente, ea quæ injuſtè abſtulerant, retinere potuiſſent. Pontifex igitur cùm ſuaſionibus eorum libenter præberet adſenſum, Monaſterium ingreſſus, Fratres opprimere & eumdem locum Epiſcopii rebus ſubjicere molitus eſt. Porrò Fratres dum potentiæ illius reſiſtere non auderent, maluerunt ejus ditioni parêre, quàm tot adverſitatibus implicari. Sed ſequentia probant, quàm perversè egerit, qui per avaritiæ morbum ſacri loci privilegium auſus eſt violare.

CAP. XVII. *Quòd damnum in rebus ſuis pro eadem temeritate incurrerit.*

FERTUR ſiquidem eumdem Epiſcopum aliquando ad iter hoſtile ſibi de ipſius Monaſterii ſumptibus viaticum præparari juſſiſſe. Quod dum Fratres prætermittere non auderent, ea quæ juſſa fuerant navi impoſita per quorumdam manus Fratrum ad Epiſcopum tranſmiſerunt. Cúmque qui miſſi fuerant navigare cœpiſſent, avis quædam, ut ſæpè ipſi teſtati ſunt, ante eos apparuit, & quaſi ducatûs eis officium eſſet præbitura, facili præibat volatu. Et dum per totius lacûs vaſtitatem ipſius incognito uterentur ducatu, proſpero tandem ſucceſſu ad portum venientes, quid hæc novę ducis obſequia portenderent mirabantur: illiſque quam partem peteret diligenter notantibus, domum quamdam litori contiguam, in qua res præfato itineri aptæ ſervabantur, intravit. Mirum dictu! mox eamdem cellam flamma corripiens, in altum prorupit, & omnia quæ ibidem congeſta fuerant, penitùs conſumpſit, ut nihil eorum omninò huic incendio ſupereſſet. Fiebátque juſto Dei judicio, ut qui aliena per potentiam rapuerat, ſuis per ſupernam juſtitiam fraudaretur.

CAP. XVIII. *Qua ſeveritate Fratribus inſtiterit, & quàm turpiter deceſſerit.*

TEMPORE quoque alio idem Epiſcopus ad Monaſterium veniens, dum quadam violentia eumdem locum Epiſcopio ſubjicere, ſuáque tyrannidi non conſentientes Monachos quaſi juſto rebelles injuriis multiformibus afficere tentaviſſet, TELLO quidam Curienſis Eccleſiæ Præſul miſit ad eum, humiliter deprecans, ut ſui amoris causâ, quoniam eorumdem Fratrum aliqui conſanguinitatis vinculo illi erant conjuncti, ab eorum ceſſaret injuriis, nihilque incommodi Dei famulis irrogaret. Quam petitionem furore dictante ſuperbè contemnens, remandavit ſe illius precibus nullo pacto conſenſurum, verùm reſiſtentibus celerem pro contemptu illaturum vindictam. Et mox Oratorium B. Galli Confeſſoris quaſi oraturus ingreditur, & ante aram ipſius nomini conſecratam conſiſtit; quíque ad ſalutem non merebatur audiri, afflictiones quas aliis ſe ir-

[a] De eo ita jam laudatus Hepidannus: *Anno* DCC. XLVI. SIDONIUS *Epiſcopus Conſtantienſis Eccleſiæ & Abbas Augiæ, B. Otmarum in Synodo de adulterio accuſatum damnavit, mox miſſum in exſilium*: qui Sidonius Othmaro Abbate mortuo *adminiſtrationem Cœnobii* S. Galli anno DCC. LVII. *per vim ſuſcepiſſe* dicitur.

rogaturum juraverat, convenienti ſatis talione recepit. Nam inteſtina ejus more ſartaginis igni ſuperpoſitæ fervere cœperunt, & tam diræ viſcerum torſiones illum invaſerunt extemplò, ut ſine aliorum adminiculo nequaquam egredi potuiſſet, ſed (quod dicere pudet) egeſtio naturæ turpi impetu prorumpens, cùm adſtantes nimio fœtore gravaret, ſine mora ab Eccleſia ejectus, vehiculo quo decedere Monaſterio poſſet, ſicut rogaverat, eſt impoſitus. Sícque immoderato fluore, naturæ conſuetudine carens, vaſi in quod egeſta defluerent ſuperſedens, egreſſus eſt, & ad vicinum Monaſterium, quod AUVA[a] nominatur, cui & tunc præerat, perductus eſt. Ubi etiam ingraveſcente languore, tantum ſibimet famulantibus ob nimium fœtorem intolerabilis factus eſt, ut ei jam pæne nullus obſequia impendere ſolitò potuiſſet. Tali itaque pœna multatus, cum hoc factionum ſuarum præmio poſt aliquot dies de cloaca corporis ſpiritum exhalavit. CIRC. AN. DC.XLVI. OCT. XVI.

[a]

CAP. XIX. *Miraculum in ſagina porcorum exhibitum.*

PERACTA ſuperioribus ſententiis relatione qua nos ſatis verè comprehendiſſe credimus, quomodo ſacer locus per merita B. Galli ſit diffamatus & poſſeſſionibus dilatatus, necnon quibus ſit malevorum quorumdam molitionibus impetitus, & quæ quoſdam humiliaverit ultio; nunc replicandum eſſe cenſemus, quanta beatus vir præſidia ſibi famulantibus, ad res ſuas cuſtodiendas vel defendendas accommodet, quáque auctoritate ſe poſtulantibus & de ſe præſumentibus multiformi genere virtutum ſuccurrat, Domino meritorum ejus magnitudinem ſignorum aſſiduitate mortalibus declarante. Quodam tempore dum ſterilitas terræ fructus arborum non ſolùm porcis, ſed etiam ſilveſtribus feris vel animantibus denegaret, itaut in proximis eremi partibus nuſquam ſagina poſſet inveniri, qua ſues qui in uſus Monaſterii nutriebantur, paſci potuiſſent, occulto quodam impulſu grex ſuillus per ſilvarum avia celeri curſu cœpit abſcedere: tranſvadatóque Rheni fluminis alveo, remotioris eremi ſecreta penetravit. Subulcus autem ſubitam ſui pecoris fugam miratus, eveſtigio inſequitur, & gregem quem peſſum ire putabat, reperit copioſiſſimis paſcuis immorantem. Cúmque viam redeundi neſciret, manſit ibi, fructibus arborum & carnibus victitans, donec grex totus affatim carnibus gravaretur obeſis. Itaque domum redire cupiens, cœpit anxiè cogitare, quo ingenio ignotum iter aggredi potuiſſet. Nocte igitur quadam vidit in ſomnio ſenem quemdam reverendi habitûs & vultûs, canitie venerabilem, dicentem ſibi: Quia, ut video, porci quos ſequeris, ubertim ſunt ſaginati, jam redire parato. Qui dum reſponderet ſe viam neſcire dixit illi: Scrofam quam totus grex quaſi ductricem ſequi ſolet, cædito, & quocumque illa præceſſerit, tendito greſſum. Quod dum ille faceret, & præeuntem diligenter ſequeretur, ſine errore ad Monaſterium, cunctis aliud ſuſpicantibus, exopinatò pervenit. Qua in re quid aliud quàm beati Galli merita claruerunt, dum ad uſus ſibi famulantium ignotum animantibus paſtum oſtendit, & ea rurſus mirabili ordine ad propria revocavit?

CAP. XX. *Qualiter deprehenſi ſint qui ſtabula incenderunt.*

FRATER quidam ejuſdem Monaſterii poſſeſſiones quaſdam ſub ſua cura habens, in quodam remotiori loco ob nutrimenta pecorum ſtabula conſtruxit, & illic quamplurimum feni recondidit. Duo itaque homines diabolica inſtigati perſuaſione, eadem repoſitoria cum omnibus quæ inibi congeſta erant, noctu igni appoſito ſuccenderunt. Sed dum jam pæne toto anno hujus auctores facti

[a] Auva Monaſterium ſeu Augia, vulgò *Richenouu*, de quo ſuprà in Obſervat. præviis. Ratpertus lib. 1. de caſib. Galli cap. 2. *Poſthæc verò*, inquit, SIDONIUS *Conſtantienſis Præſul, qui & Monaſterium quod Auva nominatur, in ſua poteſtate habebat, inſtigantibus Comitibus cœpit inquirere Monaſterium noſtrum & in poteſtatem Epiſcopatus redigere*, &c.

Circ. An. DC.XLVI. Oct. XVI. laterent, unus eorum arreptus à dæmonio, cœpit per vicina diſcurrere loca, publicè proclamans: Stabula pecorum B. Galli ſuccendi, & ideò verſa vice ab ipſo inviſibiliter incendor. Cùm itaque Divinum in eo continuatim judicium pateſceret, pluréſque importunis ejus clamoribus concitati per loca ſingula ad hoc miſerabile ſpectaculum convenirent, rogavit omnes ut ejus incendia reſtinguerent. Illis autem certatim in eum aquam mittentibus, pœna divinitus illata, humanis viribus exſtingui non potuit. Non paucis deinde diebus exactis in hoc miſerabili genere tormentorum inſanus vitam finivit. Alter verò cùm ſui ſceleris ſocium tali cruciatu vidiſſet damnatum, ad Præpoſitum ſupradictum venit, ultróque Divinum perhorreſcens judicium delictum confeſſus eſt, duóſque boves pro debito obtulit, ac ſe voto conſtrinxit, quòd deinceps numquam rebus S. Galli damnum inferret. Frater autem idem pœnitudinem ejus agnoſcens, boves non ſuſcepit, ſed abire eum cum ſuis ad ſua permiſit.

Cap. XXI. *Quomodo ille qui ſilvam publicè incenderat correptus ſit.*

In poſſeſſione quadam ejuſdem Monaſterij quædam ſilvula ob porcorum paſtum cuſtodiebatur ne paſſim à multis conſumeretur inciſa. Hanc pauper quidam occultè ſolebat adire, & furtim inibi multa præcidendo, grande damnum inferre. Itaque die quadam cùm juxta morem ſuum latenter intraret, & pauca ſuccideret arbuſta, gladius quem tenebat, tam validè manui ejus adhæſit, ut illum deponere nullatenus potuiſſet. Agnoſcens igitur cujus rei cauſa multatus ſit, ad Baſilicam in honore B. Galli conſtructam feſtinavit, diúque orationibus incumbens, manu reſoluta gladium ante altare dimiſit. Egreſſus verò cogitare cœpit nihil obeſſe, ſi ligna quæ præciderat domum deferret: non autem prodeſſe ſi putrefacta perirent. Subjunctis ergo bobus cárpento, ad ſilvam remeat, & præciſa in unum comportat. Quæ cùm vehiculo vellet imponere, dolore quodam prævalido ceu ſtimulis urgeretur, in poſterioribus attactus eſt. Quo cùm ſine mora manum protenderet, gladium quem coram altari dimiſerat, fortuitò recepit. Digitis autem manubrium conſtringens, deteſtabile munus tam validè retinuit, ut articulorum junctúræ invicem laxari putarentur. Tum miſer dolore compulſus, ad Eccleſiam recurrit, ibíque proſtratus, veniam pro commiſſo & abſolutionem manus depoſcit. Cúmque diu in oratione perſiſteret, & gladium nequaquam dimittere potuiſſet, juramento tandem ac voto promiſit, numquam deinceps ſe damnum beati Galli rebus illaturum. Mox manus aperta gladium depoſuit. Qui ob teſtimonium miraculi in eodem loco ſuſpenſus, multo tempore ibi permanſit, invaſoribus Eccleſiaſticarum rerum grande timoris pondus incutiens.

Cap. XXII. *Quàm perjurus vindictam pertulerit.*

Frumoldus quidam nomine, de poſſeſſione quadam ejuſdem Monaſterii ancillas duas vi abſtulit, & ſuæ ſervituti ſubjecit. Is ab Advocato pro eiſdem feminis ſæpius interpellatus, tandem cenſura Judicum coactus eſt, ut eas vel Monaſterio redderet, vel ſuo juri cum ſacramento in altari S. Galli peracto firmaret. Itaque avaritia impellente juramentum parvipendens, Monaſterium cum ſuis adiit, & ut dijudicatum fuerat, audacter peregit. Sed pro contemptu Sancti, ultio Dei eum feſtina prævenit. Nam juramento expleto ad propria iturus Baſilicam egreſſus eſt, jumentóque adducto, cùm ſuper illud ſaliendo vellet adſcendere, mente captus, faciem ſuam ad poſteriora equi inſidendo convertit. Æſtimans itaque id per famulorum contigiſſe neglectum, iratus valde reſiliit & caballum regyrari citiùs juſſit. Cúmque ſecunda ac tertia vice adſcendere cupiens pari luderetur errore, tandem clientum adminiculo equo ſuperpoſitus Monaſterio cum rubore diſceſſit. Non longè autem inde poſitum, ſubitò

eum dirus oculorum dolor invaſit, ac deinde per momenta ſingula decreſcente viſu, cæcitatis horrore damnatum, materiali funditùs luce privavit. CIRC. AN. DC. XLVI. OCT. XVI.

CAP. XXIII. *Quemadmodum invocatus vir Sanctus quemdam à nece liberaverit.*

INVOCATUS etiam venerabilis Gallus quàm promptum impendat auxilium, ſequenti liquebit exemplo. Quidam vir dum per ſilvam quamdam iter faceret, ac circumſpectè incurſus latronum qui in ea ſolebant commorari, multíſque nocere, feſtinando devitare conaretur, tantus eum ſubitò ſopor invaſit, ut vix incedere potuiſſet. Cúmque periculi metu ſuſpectos haberet itineris caſus, & dormiendi causâ paulliſper divertere vellet, ruſticum quemdam obvium habuit, eúmque rogare cœpit, ut interim cuſtos ſui exſiſteret, donec importunitatem ſomni parumper quieſcendo depelleret. At ille pacem ſimulans, fidem ſpopondit. Itaque modicum divertens, pallium capiti ſupponit, & ſe proſternens, B. viri ſuffragia his verbis implorat: Sancte Galle, tua me protectione cuſtodi. Signaculo Crucis deinde munitus cùm obdormiſſet, infidus cuſtos ſponſionis immemor, ſumptis armis ſoporatum quaſi perempturus aggreditur, de collo veſtem ſubtrahit, quo faciliùs uno ictu perimat dormientem. Sed cùm gladium in ictum vellet deponere, artubus rigore ſtupefactis inflecti brachia nequiverunt. Interea dormienti quidam adſtitit, & in ſomno dixit; Quid ſomno deprimeris, quem ab imminenti interfectione modò tutatus ſum? At ille evigilans, & fidelem ſocium nudato gladio cernens capiti imminere exſilit, & comprehenſum, qua pro cauſâ hoc ſcelus vellet admittere percontatur. Qui cùm pro ſpoliis illius excipiendis ſe id facere voluiſſe fateretur, continuò brachia, quæ Divina obriguerant juſſione, depoſuit. Perpendens itaque alter ſe Divinâ miſericordiâ per merita B. Galli à nece ſervatum, pacem cum illo fecit, & illæſum abire permiſit.

CAP. XXIV. *Puella à dæmonio liberata.*

PRÆTEREA tam multi à furore dæmonum per ejuſdem ſancti Patris merita ſunt liberati, ut ſi omnium curationem commemorare velimus, faſtidioſis lectoribus occaſionem murmurandi tribuamus. Unum ergo ex pluribus replicamus, ne hoc virtutum genus viro ſancto defuiſſe putetur. Puella quædam, ſæviſſima hoſtis antiqui vexatione detenta, & non ignobilium labore parentum ad Monaſterium perducta, cùm Oratorium B. Galli Confeſſoris intrâſſet, ſtatim horribili dæmonis infeſtatione agitata, ad terram concidit, & miſerabiliter ſe diſcerpens, horrendo clamore ſpurciſſima verba cœpit effundere. Qua cauſa unus è Fratribus STEPHANUS nomine, miſeriæ illius compaſſus, tamdiù ſuper eam exorciſmum recitavit, quoaduſque eadem vexatio finiretur. Reſipiſcenti autem puellæ modos pœnitentiæ indixit, ſeſéque pro illa in orationibus ac jejuniis exercere cœpit. At miſera femina ut de prohibitis eſcis quidlibet uſurpavit, tam acriter eam continuò dæmon invaſit, ut vix à multis teneri potuiſſet. Cúmque identidem ad eumdem locum perducta eſſet, & Stephanus ſupradictus iteratò ſuper eam exorciſmum recitaſſet, animal parvulum in modum bruchi nigerrimum ab ejus ore prolapſum eſt. Hoc viſo cùm idem Frater attentiùs adjurationi inſiſteret, tribus vicibus ſingulorum ſimilitudo bruchorum ore excidit feminæ. Quæ animalia dum adſtantes manu capere niterentur, ſubitò diſparuerunt. Puella autem eâdem horâ ſurrexit incolumis, & reliquum vitæ ſuæ tempus abſque ulla dæmonis infeſtatione peregit.

CIRC. AN. DCXLVI. OCT. XVI.

CAP. XXV. *Miraculo olei defluentis anxietas increpata cuſtodis.*

ILLUD quoque libet oſtendere evidenti miraculo, quomodo vir ſanctus quoſdam in ſuo ſervitio de penuria rerum trepidantes corripuerit, & modicæ fidei puſillanimitatem confortârit. Eccleſiæ ejus cuſtos dum quodam tempore olei copiam ad luminaria inſtruenda non haberet, lumen quod in crypta omnibus ardere noctibus ſolebat, quadam nocte exſtinxit, quia lumen quod ante ſuperius altare & tumbam ardebat, per quamdam feneſtram radios ſuos ad altare infra cryptam poſitum dirigebat, & ſufficere utrique loco credebatur. In eadem autem lampade vitrea, quam exſtinctam à cuſtode retulimus, aqua inferiùs & olei pinguedo deſuper erat. Mirabilem rem dicturus ſum, ita totum oleum per rimam in fundo repertam guttatim ad terram defluxit, ut nil aquæ deeſſe videretur. Idémque liquor per terram uſque ad altare decurrens, pallam ejus lineam adſcendendo occupavit, & ita uſque ad medietatem infecit, ut numquam deinceps ablui potuiſſet. In quo quid potiſſimum mirer, invenire non potero: utrúmne quòd oleum ſubtus aquam depreſſum eſt, an quòd aqua per eamdem fracturam non defluit, vel certè quod oleum de pavimento in pallam ſurſum adſcendit. In quibus tamen omnibus, & virtutem ſancti viri oſtenſam & ſtultam parcitatem miniſtri increpatam non ambigo.

CAP. XXVI. *Qualiter fugitivus Monachus revocatus ſit invitus.*

SILERI non debet qua virtute ſervitium ſuum dimittentes, & fraudulenter abſcedentes beatus Pater reprimat, & vel lapſos revocet, vel pertinaces in malo feriat. Frater quidam de eodem Monaſterio fugam molitus, equum furto rapuit, & per noctem abſceſſit. Cùmque ad Rheni fluenta fugax veniſſet, tranſvadare in equo tentavit: & à medio alvei neſcius ad locum ubi intravit caballo deferente reverſus, cum magna feſtinatione ad Monaſterium rediit, putans ſe in alias longè partes abſcedere. Mane facto cùm ſe recognoviſſet fruſtra laborâſſe, confuſus interdiu delituit: noctu verò fugam arripiens, in fluvio, ſicut priùs, ſalubriter errorem paſſus eſt, & ſtropha facta per eamdem viam neſciens remeavit. Confuſioni igitur obſtinationem jungens, ipſa etiam ſe die occuluit, & nocte inſecuta tertiò notum iter carpens, modo quo diximus itidem revocatur. Cúmque jam tædio victus, die tertio ſe ſopori in campo dediſſet, à quibuſdam equum cognoſcentibus captus eſt, & ſuo loco reſtitutus. Et quia effectum voluntatis ſuæ non invenit, etiam nolens ſancti viri virtute victus, ad viam pervenit. Solent autem plures teſtari, cunctos qui de ſancti ipſius familia aufugerint, aut emendationem quantociùs ſubire, aut manifeſtæ ultioni debere ſuccumbere: neque cuiquam impunè cedere, qui fidem illi plenam ſervare contempſerit.

CAP. XXVII. *Fulmine deformatus, partim Romæ, partim in hoc ſancto loco ſanatus.*

QUOD Dominus flagello ſuo quoſdam à peccatis coërceat, & pro commiſſis affligat, teſtis eſt paralyticus, cui ante ſanationem Salvator peccata dimittit. Sic autem aliquando percutit, ut eos Sanctorum ſuorum meritis ſuffragantibus ſanitati reſtituat: ut & Divinæ operationis ſit indicium, cùm interiùs homo per flagellum à peccato compeſcitur; & virtus Sanctorum liquidò comprobetur, cùm pro illorum meritis exteriùs ſanitas exhibetur. Fit etiam interdum, ut qui Dei occulto judicio non uni, ſed pluribus infirmitatibus ſubjacet, non pariter omnia, ſed diverſis temporibus & interceſſoribus, debilitatis amittat incommoda: ut dum alicujus remedium mali per unius merita Sancti conceditur; redintegratio ſanitatis, alterius precibus & honori ſervetur. Quarum omnium rerum evidens indicium dabit ſubjecta narratio. Quidam violen-

tia fulminis ictus, poſt ægrotationem diuturnam ita totius formam corporis & membrorum officia perdidit, ut monſtruoſum quiddam potiùs quàm hominem videretur exprimere. Siquidem & ſtatura flebili contractione depoſita, & gradiendi facultas ablata eſt: facies verò tanta combuſtionis eſt fœditate corrupta, & oculorum ſedes ita ſunt carne & cute ſuperductis complanatæ, ut inſpicientibus horribile ingereretur miraculum. Adminiculo igitur parentum Romam perductus, corporis quidem reliqui reſolutis nexibus priſtinum vigorem recepit & ſtatum, in cæcitatis autem ſqualore permanſit. Is à ſuis perductus cùm ad Cœnobium B. Galli veniſſet, & quadam Dominica nocturnis laudibus intereſſet, ſopore depreſſus, quaſi duas ardentes ſagittas ab altari vidit emiſſas, & ſibi in oculorum loca defixas. Statímque tanta viſione perterritus exclamavit, & tremens ad terram concidit. Cúmque diù in pavimento volutaretur, cute quæ oculis ſupercrevit, velut gladij ſectione reciſa, continuò de luminis amiſſi reſtitutione gaviſus eſt. Tempore deinde procedente oculorum ejus acies tam pura inſpectantibus apparuit, ut pueri perſpicaces vincere videretur obtutus. Potuit quidem, ut indubitanter credimus, ille Apoſtolorum eximius cui à Domino ligandi atque ſolvendi poteſtas collata eſt, meritis & precibus ſuis omni eum debilitatis genere liberare: ſed Divinæ providentiâ virtutis conſtat actitatum, ut in ejuſdem novitate miraculi venerabilis Gallus Apoſtolicis actibus æquaretur, quatenus hoc quoque modo meritorum ejus magnitudo clareſceret univerſis. CIRC. AN. DC.XLVI. OCT. XVI.

CAP. XXVIII. *Surdus & mutus ibidem ſanitati reſtitutus.*

INSEQUENTI quoque Dominica ſurdus quidam & mutus, multorum ibi Fratrum cognitioni notiſſimus, utpotè qui idem Monaſterium ſolitus fuerat frequentare, cùm nocturnis intereſſet excubiis, repentè impulſu valido in pavimentum dejectus eſt; ſtatímque cùm ab ejus ore & auribus plurimus ſanguis prorumperet, ſine mora utriuſque membri munia recepit, & ſanus abſceſſit.

CAP. XXIX. *Furtum per viſionem indicatum.*

VIDETUR huic operi inſerendum, quantum Dei famulus invigilet ad eorum res defendendas, qui ejus ſuffragia devotè poſtulare contendunt. Puer quidam, qui poſtmodùm corpori ejuſdem Congregationis inſertus, hæc eadem atteſtari ſolebat, cùm adhuc primævæ ætatis flore gaudens, inter ſcholaſticos Monaſterij cujuſdam Dominicæ noctis ſollemniis intereſſet, quidam è vicino territorio manſionem ejus irrupit, ipſiúſque codicem & quæcumque inibi reperire poterat, furatus abſceſſit. Puer de Baſilica regreſſus, damnum quod illatum eſt, largo fletu perdoluit. Porrò fratri illius foras Monaſterium poſito ſenex quidam eadem nocte vultu placido in ſomnis adſiſtens, cuncta quæ erga puerulum acta erant, indicavit. Nomen etiam furis locúmque ubi commoraretur edixit, tempus pariter ejuſdem furti depromens. Ille fidem viſioni accommodans, ad Monaſterium regreſſus, quod in ſomnis audierat, factum invenit: móxque indicia quæ perceperat ſecutus, abſque difficultate furem deprehendit, & omnia quæ ablata fuerant recepit.

CAP. XXX. *Qualiter ibi Sanctimonialis femina brachia receperit.*

ALIO quoque tempore Sanctimonialis quædam femina de Epiſcopio Conſtantienſi, cujus brachia ad mammillas cum rigore contorta, ad nullius operis uſum deflecti poterant, cùm adveniſſet, & ante ſepulcrum S. Galli aliquantiſper orâſſet, ſanitatem indepta, gaudens abſceſſit.

CIRC. AN. DC.XLVI. OCT. XVI.

CAP. XXXI. *Furtum in ferramentis factum quomodo ſit denudatum.*

QUIDAM non ſimplici, ut poſtmodùm claruit, animo adveniens, dum quoſdam Monaſterij operarios à Divino agricolandi labore disjungentes, ferramenta in aratris per noctem dimiſiſſe perſpiceret, tempus tenebroſum fraudibus ſuis opportunum ratus, tot ferramenta ſuſtulit, quot oneri ſufficere proprio credidit. Cúmque fugam celerans, tota nocte vacuo laboraret conatu, in ipſo lucis exortu ad portam Monaſterij eximproviſo pervenit. Et quia factum latêre non potuiſſe cognovit, confeſſione ſpontanea patefecit, quod præſumptione peſtifera in rebus S. Galli diabolo ſuadente commiſit. Sícque reddens quod auferre molitus eſt, petitâ veniâ vacuus repedavit.

CAP. XXXII. *Debilis reformatus.*

DEBILIS quidam ita membris omnibus contractus, ut nullo pacto per ſe quoquàm progredi potuiſſet, ad Memoriam B. Galli à ſuis perlatus, & quotidie juxta ſepulcrum in crypta collocatus, dum uſque ad veſperam ibidem orationibus inſiſteret, ab eiſdem ad hoſpitium reportabatur. Quod dum aliquot ageretur diebus, Preſbyter quidam ejuſdem Congregationis die quadam in ipſa Eccleſia non longè ſacris oblationibus operam dedit: ſubitóque præter illos cùm nullus adeſſet, æger cælitùs per merita, ut credimus, S. Galli cujus ſuffragia ſedulò flagitabat viſitatus, confuſa horribiliter cœpit voce perſtrepere, itaut idem Sacerdos intra ſacra Miſſarum ſollemnia, ſicut ſæpius teſtari ſolitus erat, non minimo quateretur terrore & metu. Cúmque circumſpiciens, oculis cuncta luſtrâſſet, & per alicujus præſentiam magnitudinem timoris deſideraret evincere, membris miſeri ad ſtatum ſuum redeuntibus, crepitum quaſi virgarum in ariditate fractarum audivit: & huc illúcque ſe præ anguſtia vertens, poſt paullulum eum qui debilis fuerat, ſanum de crypta prodire conſpexit. Cui etiam tanta mox ſanitatis acceſſit perfectio, ut ſine infirmitatis obſtaculo, optato deinceps potiretur inceſſu.

CAP. XXXIII. *Quidam à periculo faſtidij liberatus.*

IN eadem Alamannorum provincia quidam dives tantùm valetudine contraria tabefactus eſt, ut pæne per annum integrum faſtidio laborans deficeret, & ſolatia alimentorum, ut ſanitatis recuperatio poſcere videbatur, percipere vel continere non potuiſſet. Is ad Cœnobium B. Galli pro hac eadem cauſa perductus eſt. Poſt diuturnas igitur preces & ſuſpiria, cùm ſacræ oblationis conſummaretur officium, benedictionis panem de manu Sacerdotis accepit. Quo comeſto, caruit faſtidio, & deſiderio victualium congruè percepto, benedicens Domino, & merita S. Galli miratus, ſanus cum gaudio ad propria remeavit.

CAP. XXXIV. *Alter à ferri vinculis abſolutus.*

NOTA & *vide Præfationem.* * *Goldaſtus addit* Presbyter

PAUPERCULUS quidã * propter homicidij reatum circulis ferreis tam in collo, quàm in utroq; conſtrictus brachio, quàm gravibus quotidie ſuppliciis afficeretur, per ſulcos quos ferrum carnibus ejus inflixerat, videntibus fidem fecit. Qui cùm multa Sanctorũ loca pro ejuſdem cruciatûs remedio, & admiſſi ſceleris abolitione luſtrâſſet, Divina tandem miſeratione reſpectus, nexus quibus in collo vel uno brachio ſtringebatur, amittere meruit: & cùm fortè in viciniam Cœnobij S. Galli veniſſet, per viſionem ei, ſicut referre ſolitus erat, præceptum eſt, ut ſancti viri patrocinia quærens, Monaſterium adiret: paritérque indicatum, quòd ibidem circulum, quem uno adhuc ferebat in brachio, amiſſurus, & optatæ gratiam ſanitatis eſſet adepturus. At ille deſiderio promiſſæ ſanitatis ardeſcens, utpote qui tanto tenebatur cruciatu, ut totum jam brachium ferro immerſo in tumorem eſſet converſum, iter ad Monaſterium maturavit. Cúmque nocturnis

cturnis ibidem vigiliis intereſſet alto ſopore depreſſus, ſenem adſiſtere videt canitie venerandum, caſulâ indutum, ſibíque dicentem: Quid tu homo ceteris laudem Domini celebrantibus, ſomni torpore deprimeris? Cujus præſentiâ perterritus, cùm reſponſum reddere non auderet, baculo ſenex quem manu geſtabat, locum ei vulneris tetigit. Diſſiliente itaque longiùs ferro, præ dolore quem ex attactu perſenſit, horrendis vocibus adſtantes perterruit. Quibus percontantibus, qua pro cauſa pſallentes inquietaret, cuncta per ordinem quæ viderat retexuit; & licet recenti adhuc vulnere non careret, pro amiſſione tamen ferri cujus nexibus cruentabatur, quia ſanitas in promptu erat, gaudio replebatur ingenti. CIRC. AN. DC. XLVI. OCT. XVI.

CAP. XXXV. *Pharus cum lampadibus mirabiliter ſervata.*

ALIO quoque tempore Frater quidam qui in eadem Eccleſia cuſtodis fungebatur officio, cùm pharum [a] quæ ante altare S. Galli pendebat, proincendendis luminaribus ad inferiora deponere debuiſſet, incautè funem quo ipſa pharus dependebat, retraxit. Qui ſtatim è manu dilapſus, paxillum cui inſertus erat de pariete extraxit. Cúmque eadem pharus ſub nimia celeritate ſolo appropiâſſet, repentè ſubſtitit, & abſque ullo humanæ retinaculo artis in aëre ſuſpenſa remanſit. Cuſtos igitur miraculi ſtupore perculſus, allato igni lampades omnes accendit, & plurimis hoc factum cernentibus, abſque pinguedinis effuſione ſeu diminutione lucernarum, altiùs ipſam pharum quàm pendere ſolebat, retraxit. Deo itaque laudes à cunctis, gratiæ referuntur ab omnibus, qui ad declaranda Patris eximij merita, ſtupendi novitate miraculi, lumen ſanctis aptatum uſibus, vel ad horam loco venerabili deeeſſe paſſus non eſt.

CAP. XXXVI. *Lucernæ caſu non læſæ.*

IDEM Frater dum alio tempore lucernas vitreas in eadem lavaret Eccleſia, alius quidam incautè deambulans, cùm ſe alió repentè vertiſſet, quaſdam juxtà poſitas veſte attactas pavimento dejecit, itaut violento ejuſdem dejectionis impulſu uſque in Eccleſiæ cancellos ferrentur. Sed miro divinæ operationis modo abſque læſione repertæ ſuis continuò non ſine admiratione reſtitutæ ſunt locis.

CAP. XXXVII. *Quâ medelâ Medico periclitanti ſubventum ſit.*

FRATER quidam ejuſdem Congregationis medicinali ſcientia non ignobiliter inſtructus, dum quodam tempore incidi ſibi cum phlebotomo venam feciſſet, & præpropera feſtinatione poſt modicum quippiam operis incautè faceret; ſtatim non ſolùm brachium, cujus venam inciſio vulneraverat, verumetiam totum corpus ejus tumore diſtenſum eſt. Qua ex cauſa accidit, ut mortem ſuſpectam habere cœpiſſet, quippe quia viderat ſuæ ſibi artis induſtriam ſtudioſiùs adhibitam nihil prodeſſe. Sequenti itaque nocte vidit in ſomnio placidæ gravitatis ſenem ſibimet adſiſtere, cauſas infirmitatis blandis inquirentem ſermonibus. Cúmque interroganti totius ex ordine rei replicaret eventum, ſenex dixit ad eum; Memento fili, ut luce terris reddita, oleo quod in crypta ante altare conſuevit ardere, vulneris locum perungas: nam continuò ſanitatem recipies. Itaque facto mane, quod in ſomnio audierat, cuſtodi Eccleſiæ retulit; paritérque cum illo Baſilicam ingreſſus, ut edoctus fuerat, certus de promiſſione peregit. Nec mora, ſacro perunctus liquore, toto corpore detumuit, & integerrimam adſecutus eſt ſanitatem.

CAP. XXXVIII. *Puella à nativitate cæca illuminata.*

MULIER quædam unicam filiam, ab ipſa, ut referebat, cæcam nativitate, propriis humeris Monaſterio advexit, eámque ante altare S. Galli depo-

[a] Id eſt inſtrumentum penſile quo lampades ſuſpenduntur in Templis.

Circ. An. Dc.xlvi. Oct. xvi. nens, ſolo proſtrata, precibus pro illa diutiùs incubuit. Illáque orante devotiùs, ſubitò puella huc illúcque in pavimento volutata, miſerabiliter exclamat; & inter anguſtias ac gemitus optato viſu donata, gratiſſimum omnibus qui aderant præbet ſigni perſpicuitate ſpectaculum.

Cap. XXXIX. *Infirmus pulvere ſarcophagi & oleo recreatus.*

In eodem Monaſterio inter ſcholaſticos tunc temporis erat quidam puerulus, pauperculis licet parentibus oriundus, ſtudio tamen diſcendi ſatis intentus. Cúmque immatura morte utriuſque parentis ſolatio nudaretur, quamvis quotidianum victum ſuis laboribus aſſiduè quæritaret, nequaquam tamen boni ſtudij, etiam neceſſitate compellente, inſtantiam dereliquit. Is lateris quodam dolore percuſſus, uſque adeo gravi per longa temporum ſpatia infirmitate contabuit, ut in uno latere, ab humero videlicet uſque ad extremam corporis partem, ulcera ſaniem emittentia paterent quamplurima. Qua infirmitate intantum gravatus eſt, ut vix jam ſine aliorum adminiculo quoquam greſſum movere potuiſſet. Sed cùm corporale medicamentum quamvis ſæpiſſimè adhibitum nihil illi prodeſſet, & jamjámque deſperaretur à cunctis, cuſtos Eccleſiæ in feſtivitate B. Galli cineres de ſarcophago illius collegit, & oleum quod ante ipſum altare ardebat admiſcuit, adductíque corpus pueri ea parte perunxit, quam dolor poſſederat. Qui die altera ulceribus jam ſuperductis ſanus inventus, ob memoriam redditæ ſibi ſanitatis reliquum vitæ tempus in ejuſdem ſancti loci excubiis fideli devotione tranſegit.

Cap. XL. *Manus arida puellæ reſtituta.*

Post aliquantulum temporis puella quædam jam multos per annos manus aridæ & curvatæ pondus ferens inutile, ad Monaſterium cum matre pervenit. Cúmque pio voto manui torpenti globulum lini ſuperponens, ad altare ſancti Confeſſoris accederet, impoſitura quod attulit, continuò manus ipſa reſtituta eſt ſanitati.

Cap. XLI. *Cera quam ruſticus ab Eccleſia rapuit in lapidem converſa.*

Tempore verò alio ruſticus quidam in eadem B. Patris Baſilica ceræ particulam ſuis aptandam uſibus ab altari occultè diripuit. Inde regreſſus ad hoſpitium, dum de ſinu ceram ad quodlibet opus ex ea faciendum protraheret, in duritiam lapidis converſam invenit. Continuóque recurrens ad Eccleſiam, loco ſuo quod abſtulerat reſtituit, & adſtantibus ſuam ſalubriter confeſſus proterviam, quod factum fuerat indicavit. Qui rei novitate ſtupefacti, dum inter admirationem eamdem particulam, certiùs rem cogniturí, tollerent de altari, mirum, dictu! in priſtinam ſuæ naturæ mollitiem reperêre mutatam.

Cap. XLII. *Mutus vocis officio muneratus.*

Iuvenis quidam pauperculus orationis causâ Monaſterium adiens, fratrem ſuum jamdudum amiſſæ vocis diſpendia deplorantem ſecum adduxit. Cúmque altari S. Galli appropinquâſſet, Preſbyterum quemdam inibi ſacro-ſancta tractantem Myſteria conſpexit; & conſummationem ſacræ actionis opperiens, ejuſdem Sacerdotis ab officio redeuntis genibus advolvitur, & ut pro muto dignaretur aliquas fundere preces ad Dominum, inſtanter exorat. Et ille hujuſmodi deſiderio ſatisfaciens, primò orationem pro miſero fecit, deinde Crucis eum munivit ſignaculo, ac ſic Dominici corporis & ſanguinis ſacramento firmavit. Quo facto reſolutis linguæ vinculis, qui mutus advenerat, priſtinæ locutionis recepit officia.

CIRC. AN. DC. XLVI. OCT. XVI.

CAP. XLIII. *Puer contractus à debilitate liberatus.*

PUERUM quemdam membris omnibus ita contractum, ut per ſe nullatenus quoquam progredi potuiſſet, non longè in itinere quod ad Monaſterium ducit, hi qui eum ferre ſolebant, ſolum dimiſerunt. Armentarius autem quidam per eamdem viam de ſilva ad Monaſterium tendens, dum jacentem miſerum conſpexiſſet, ait ad eum: Quomodo & unde, ô flebilis, advenisti? quóve ſecuritatis genere in hoc ſolitudinis horrore non timuiſti remanere? quò itaq; venire deſiderâſti? Et ille, Pro his, inquit, calamitatibus, quarum me numeroſitate ſeptum vides, ad B. Galli patrocinia multo jam ex tempore pervenire cupiveram. Sed ecce hi quorum me labore illuc deferri ſperabam, modò vix longitudine fatigati, me miſerum in hac ſolitudine reliquerunt fame cruciandum, & beſtiis lacerandum. Hiſque ille queſtibus per compaſſionem ad miſericordiam flexus, puerum humeris impoſitum per unum milliarium ad Monaſterium portat. Quem deinde Frater, cui ſuſcipiendorum pauperum cura commiſſa eſt, adſumens, congrua manſione refovit. Nocte itaque quadam circa nocturnas vigilias ceteris qui ſimiliter ſuſcepti fuerant ad Eccleſiam feſtinantibus, cœpit idem puer omnes attentiùs exorare, ut ad Baſilicam deferretur; cunctiſque id quod petebat denegantibus, cœpit crebris B. Galli nomen invocare clamoribus: deinde etiam horribiliùs perſtrepere, itaut non parvum audientibus terrorem ingereret. Itaque quibuſdam ut cauſas anguſtiarum ejus agnoſcerent introeuntibus, ſanus inventus eſt, & cum gratiarum actione ad Eccleſiam properavit.

CAP. XLIV. *Paralytica ſanitati reſtituta.*

PUELLAM paralyſi multo tempore laborantem ſui ad Monaſterium detulerunt. Quæ in Eccleſiam deportata, ad lectionem Evangelij, quæ in nocturnis ſecundùm conſuetudinem regularis officij recitatur excubiis, circumſtantes, ut ſe à terra ſuſtollerent, & inter manus ſuſtentarent, cœpit rogare: cúmque ſublevata fuiſſet, dimitti ſe poſtulavit. Illis autem id facere metuentibus, ne fortè caſu ſubito læderetur, valere ſe confidentiùs affirmavit. Igitur dimiſſa, per ſe ſtetit, ac deinceps totius corporis reſumpto vigore, ſana receſſit.

CAP. XLV. *Cæca illuminata.*

CUJUSDAM patrisfamilias non longè à Monaſterio commanentis ancilla, dum furtivè domûs januas aperiret, turbo venti pulverem & paleas in faciem ejus & oculos projecit: ſtatímque creſcente moleſtia, paullatim ei uſus decrevit, donec horrendis penitùs tenebris cingeretur. Hæc ad Eccleſiam B. Galli perducta, cùm ejus ſuffragia primo ingreſſu devotiſſimè precaretur, recepto quod amiſerat lumine, gaudens abſceſſit.

CAP. XLVI. *Candela cælitùs incenſa.*

NON multo interjecto tempore, dum feſtivitas octavarum Epiphaniæ annuo celebraretur officio, cunctis tempore ſacrificij ad Eccleſiam convenientibus luminaria & candelæ incendebantur ex more. Una autem candela ſine lumine inter ceteras ardentes dimiſſa, inter ſacra Miſſæ ſollemnia principalis, primò cœpit paullatim fumo tenui vaporare: deinde videntibus non paucis flammam concipiens & ceteris clariùs rutilans, ſigni effectum ſplendoris ſingularitate commendavit.

CAP. XLVII. *Scottus à multiplici debilitate curatus.*

NUPER quoque de natione Scottorum, quibus conſuetudo peregrinandi jam pæne in naturam converſa eſt, quidam advenientes, unum è ſuis conviatoribus multiplici peſte poſſeſſum in eodem Monaſterio dimiſerunt. Qui cùm aliquantis ibidem moraretur diebus & quotidiè infirmitatis ſuæ reme-

Circ. An. dc xlvi. Oct. xvi. dum plena fide depoſceret, nocte quadam ſenem ſibi per ſomnium vidit adſiſtere, geſtu & habitu venerandum, quem quis eſſet interrogans, beatiſſimum Gallum fuiſſe perdidicit. Et protinùs ad illum: Cernis, inquit, ô Domine, toto me corpore diſſolutum, meritorum tuorum quotidie evidentiam præſtolari. Noli ergo quod te aliquando credo facturum differre diutiùs. Ad hoc enim hucuſque me reſervatum eſſe cognoſco, ut ſicut his Barbaris virtus tua latiſſimè claret, ita etiam gentis tuæ hominibus meritorum tuorum fulgor innoteſcat & claritas. Scis ipſe, ſcis, inquam, à natali ſolo quàm longè ſim disjunctus, quantáque inter peregrinationis anguſtias corporis debilitate compreſſus. Succurre citiùs, opitulare quantociùs. Qua ille motus querimonia, vultu placido paucis ita reſpondit: Die mortalibus reddita Eccleſiam petito, & videbis Divino te meliùs ſublevari conſilio, quàm patriæ vel parentum ſolatio. Mane facto, ſummo animi geſtiens ardore ad Baſilicam properat, & juxta tumulum B. Galli promiſſionis memor precibus inſiſtit. Poſt orationem & lacrymas angulo ſarcophagi adnixus, cœpit ſe ſenſim erigere; nec priùs lecti angulum cui innitebatur deſeruit, quàm ſtatura erecta & accepto robore per ſe ire & redire potuiſſet. Qui tempore procedenti plena ſanitate donatus, in eodem Monaſterio precibus & ſanctæ vitæ deſerviens, hactenùs converſatur.

Cap. XLVIII. *Concluſio Auctoris.*

HÆc de copioſiſſima ſegete B. Galli virtutum memoriæ horreis grana libuit commendare, & noſtris & aliorum paſtibus profutura. Poterunt hæc enim plurimùm diligentibus juſtitiam ædificationis conferre: quia & morum honeſtatem inſinuant, & ad laudem Domini, qui ita Sanctos ſuos glorificat, devoti lectoris animum vel auditoris inflammant. Ceterùm tot & tanta ſunt ejuſdem ſancti Patris miracula, ut nec à ſtudioſis ſcriptoribus propter copiam ſui poſſint comprehendi, nec à faſtidioſis lectoribus ſine tædio & rugata fronte percurri. Ea verò huic operi tantùm inſerta ſunt, quæ & veracium relatione teſtium veritatem cuſtodiant, & moderata brevitate nullius, quamvis etiam utilia nauſeantis, mentem offendant.

Oratio Walafridi.

OBSECRAMUS itaque te, B. Galle Chriſti Confeſſor, ut ſicut ſanitatem corporum meritis tuis multis te contuliſſe retulimus, ita noſtris mentibus Divinæ miſerationis medelam implorare digneris, Amen.

Circ. An. dc.xlvii. Febr. viii.

VITA SANCTI PAVLI EPISCOPI VERODUNENSIS,

Auctore anonymo qui poſt ſæculum x. vixiſſe videtur ex num. 8.

Ex MS. cod. S. Germani Pratenſis & Bollando.

Paulus Gallus, litteris inſtructus, piis operibus vacat. a

I HIc igitur venerandus Pater noſter Paulus, illius quondam admirabilis gentium prædicatoris Pauli imitator eximius, cujus & nominis vocabulo æquivocus & operis exhibitione exſtitit univocus, in inferioris Galliæ [a] partibus non vilium perſonarum dignitate originem ducens, è cunis & vagitibus exceptus, liberalium ſtudiis litterarum (ſicut olim

a De S. Pauli patria nihil certum ſtatui poteſt. Qui Belgam dicunt, hoc loco *inferioris Galliæ* nomine Belgium fortaſſe interpretantur: qui verò Auguſtodunenſem; fratrem S. Germani Pariſiorum Epiſcopi fuiſſe falsò credunt. Quî enim fieri potuit ut Germanus qui anno Chriſti n. lxxvi. *fere octogenarius* teſte Fortunato deceſſit, fratrem habuerit Paulum, poſt annos xxx. ſuperſtitem.

moris erat nobilibus) traditur imbuendus: quarum uſu & ſtudio ita brevi ſuccreverat, ut non eum Grammaticæ, ſeu Dialecticæ vel etiam Rhetoricæ, ceterarúmque diſciplinarum fugerent ingenia. Verùm ubi hæc ebiberat, ab introitu mundialis pompæ quæ curis & ſollicitudinibus, velut aureos montes coacervans, prima inter mortales putatur, ſemel illapſum retraxit pedem, ne nimio ejus illectus amore perferret ruinam immanis præcipitij, totúſque in Divina converſus, circa Eccleſias aut Monaſteria Divinis cultibus erat ſemper intentus. Inſtabat denique miſericordiæ operibus opem ferendo miſeris, nihil ſibi præter quotidiani victûs & veſtitûs neceſſitatem reſervans: Evangelici præcepti non immemor, infirmis, nudis, eſurientibus, carceribus incluſis, vel diverſis neceſſitatibus præventis, quidquid habere poterat largiebatur: illud Dominicum in conclavi cordis retinens inconvulsè, quo prohibemur de craſtino cogitare. Addiderat celerrimos his ad cælum jejunij & orationum volatus cum ſtudio pacis & ſanctimoniæ, ſine quibus (ut didicerat ab Apoſtolo) neminem poſſe Deum videre noverat. Et licet actualis vitæ negotiis miniſtraret Domino cum Evangelica Martha, tamen avidus Divinæ contemplationis inſpector, ſatagebat eligere optimam partem quæ ab eo non auferretur cum Maria.

CIRC. AN. DC.XLVII. FEBR. VIII.

Matt.6.34.

2. Cúmque hujus intentionis inſtantia dies noctéſque ſollicitus detineretur, ut ſi quo modo poſſet ad ſummum perfectionis apicem attingeret; Divino reſpectu incidit ei ſalutis noviſſimum, & præ ceteris utile conſilium: ſcilicet ut Patriarchæ Abrahæ fideliſſima credulitate ſubnixus, nativum ſolum relinquens, exteras nationes & ignota peteret loca: & beatæ paupertatis indigentiâ ditatus, pauperior vulpibus foveas & cæli volucribus nidos habentibus, ipſe cum Chriſto non habeat ubi caput reclinet. Incitabatur præterea à David Regis & Prophetæ non contemnendis dictis & exemplis; qui die palatium purpurâ nitens regebat, & nocte in cilicio & cineribus recubans, inſudando gemitibus rigabat ſtratum lacrymis, egenum & pauperem ſeſe clamitando, Deum in adjutorium ut ſe liberaret non diutiùs immorando expoſtulans. Ego, inquit, egenus & pauper ſum, Deus adjuva me, quoniam pater meus & mater mea dereliquerunt me: Dominus autem adſumpſit me: & extraneus factus ſum fratribus meis, & peregrinus filiis matris meæ. Et iterùm: Ecce elongavi fugiens, & manſi in ſolitudine: & mundi gloriam nihilum ratus, velut florem ſubitò eminentem móxque marcentem, cogitationi ſalutem ſuam impedienti Apoſtoli proſecutione ſatisfaciebat: *Nihil*, inquiens, *intulimus in hunc mundum, haud dubium quin nec auferre poſſumus.* Evangelicâ nihilominus tubâ (ubi ad ſummum perfectionis cuique attingere cupienti jubetur cuncta vendere & pauperibus erogare; quódque pro Chriſto relinquenti agros, patrimonia, uxorem, filios & cetera, centuplicatio, inſuper & vita æterna repromittitur; hoc quoque quòd niſi quis crucem tollat, quotidie Chriſtum ſequi non poſſit; ad hoc etiam non eſſe diſcipulum ejus qui parentes filios & fratres inſuper & animam non oderit) inſtigatus, inſuetæ peregrinationis & ignotæ viæ longinquitatem quò iret neſciens adſumit: ſuæque nobilitatis oblitus, parentum diligentiam odiendo & neſciendo fugiens, adverſario ſuo in via Dei conſentit: & Domino præduce tandem eremum, quæ Voſegus [a] nominatur, Chriſti ſervus Regi ſuo militaturus, cunctis mundi curis poſtpoſitis ad perficiendum quod animo conceperat lætus ingreditur. Hujus eremi ſolitudinem plurimi Anachoritarum cellulis diviſi feruntur inhabitâſſe, præter ſabbatum & Dominicam mutuis viſibus & alloquiis disjuncti, niſi quos aut corporalis infirmitas vel animæ ſalutis cauſa

Patrium ſolum vertit.

1.Tim. 6.7

Voſagum petit.

[a] Anachoretas illic degentes ſequi cupit.

[a] Voſagi ſeu Voſegi eremus tam latè patet quàm Voſagus mons, qui à Sequanorum finibus ad Belgicæ uſque limites protenditur. Quippe ex Alpibus Ræticis ortum ducens, primùm Sequanos ſeu Burgundiones à Lotharingia & Aleſatia, tum Lotharingiam à Germania dirimit, variis hinc inde diſcretus vallibus, ac varia pro locis ſortitus nomina; quà Treviros ſpectat, mons Gebenna olim dicebatur. Paulus *montem Gebennam in oppoſito civitatis Trevericæ cis pontem Moſellæ fluminis* poſitum, nunc ab eo *Paulsberg* ſeu *Polsberg* appellatum incoluiſſe apud Trithemium in lib. 4. de Vir. illuſt. Ord. S. Bened. cap. 201. legitur, antequam in Monaſterium Theologium ſe receperet.

CIRC. AN. DC.XLVII FEBR. VIII. viſitari per aliquos coëgiſſet. Quorum optabilem converſationem Paulus ut diu deſiderando animo deliberaverat, adipiſci ſatagebat.

Divino nutu Theologium divertit.

3. Sed quoniam non eſt in hominis poteſtate vita ejus, & non eſt conſilium contra Dominum, & neque currentis, neque volentis ſed miſerentis Dei eſt; longè aliter ac ratus erat, nutu pietatis Divinæ creditur eveniſſe, ut quandoque futurus Pontifex interim deliteſcens in Monaſterio cum Fratribus viveret, atque in ſchola virtutum attentiùs addiſceret, quod mox animarum ſaluti prædicatione conferret ſalutari. In eadem namque eremo erat Monaſterium quod uſque hodie miſerante Deo conſervatur, Monaſticæ religionis inſigne TABULEIUM antiquitus nominatum, ſic interpretatum eoquòd ſectis in modum tabularum lapidibus fuerit priùs ædificatum: quod moderni THEOLEGIUM [a] dicunt meliùs interpretantes, quòd de Deo frequentiùs inibi à cohabitantibus verſetur indiſputabilis ſermo. Cujus interpretationis contentionem ſapientibus quid quiſque melius viderit relinquentes, ad propoſita redeamus. Caſu ad idem Monaſterium hoſpitandi gratiâ cùm divertiſſet, à Patre & Fratribus libentiſſimè ut Chriſtus hoſpes excipitur, ac poſt orationem ad hoſpitium revertenti, Abbas [b] cum Fratribus Divinis obtemperando mandatis pedes manúſque lavant: & cum omni devotionis reverentia cuncta humanitatis præbent obſequia: & ut aliquantiſper remorando ob difficultatem longioris viæ fatigata inſolito labore membra refoveat, rogant & impetrant.

a

Benignè excipitur.

b *Lege Regulæ S. Bened. c. 53.*

Abbas eum ſecum retinere multis rationibus tentat.

4. Ubi aliquandiu immoratus, crebris cum Fratribus & Abbate alloquiis vir Deo carus cùm cœpiſſet agnoſci; reputans Abbas id divinitus actitari, quo ejus vita exemplo eſſet ceteris & ſaluti, cogitabat ſi poſſet eum Monaſticæ inſtitutionis mancipare unanimitati, ne fortè ad alia demigrante loca, ipſe ſanctitatis ejus perferret diſpendia. Quadam itaque die ſicut ſæpiùs cùm de mundi hujus contemptu ſermocinaretur, ſui animi intentionem & quis eſſet, utquídque veniſſet, vel quo ardore cordis detineretur, quódque magis eremi ſolitudinem, dummodo Chriſti gratiâ potiretur, quàm totius mundi amplitudinem diligeret, evidenriſſimis adſertionibus quærenti aperuit Abbati, ſatis per Deum obteſtans hoc habeat ſecretum, ſibíque ad inhabitandum Divinis aptum ſervitiis perquirat locum ac renuntiare feſtinet inventum. Adjuratus Abbas, ne credita ſibi denudet arcana neque votis ejus exſiſtat contrarius, ampliùs autem anxius ne tanti viri abſentiâ loci patiatur diſcrimina, jam non ex ſe neque ſua, ſed ipſius Domini cœpit opponere quo eum retineret exempla; qui ſuæ paſſionis hora dum humanitate mortem timeret, Patrem orabat: *Pater*, inquiens, *ſi vis transfer calicem hunc à me: attamen non mea voluntas, ſed tua fiat.* Et iterum: *Non veni facere voluntatem meam; ſed ejus qui miſit me.* Pro retentione viri hæc & cetera hujuſmodi Abbate proſequente, ille perdurabat immobilis, nec ab incepto removeri poterat, quin quod mente conceperat opere compleret. Cúmque videret Abbas in id propoſiti eum perſeverare, nec ullo modo valeret urgere, (quippe non erat adeò humilis fortunæ ut ad quod nollet cogi poſſet) ſumens ex Divinis ad ſuadendum exempla Scripturis, hæc per ordinem Abbas ſubſequitur: Si, inquit, cum Abraham Patriarcha pro Chriſto à natali ceſpite peregrinaris, (quod reputabitur tibi credenti ad juſtitiam;) ſi cum David Rege ac Propheta elongâſti fugiens ut maneas in ſolitudine, & ut vir Evangelicus patriam, parentes, agros, & cetera in Evangelio jubente Chriſto reliquiſti; tamen ut adhuc

Luc. 22. 42. *Ioh.* 6. 38.

a Theologium ſeu Theolegium & Deolegium, novè Tholeïa, *Tholey*, inſigne Ord. S. Ben. Cœnobium, hodie quoq; ſupereſt, ſitum *ad fluvium Sarram* in finibus Diœceſis Trevirenſis & Lotharingiæ, haud procul ab opido S. Vvandelini: cujus Monaſterij primordia referunt ad Dagoberti I. tempora, quando vivente adhuc Chlotharío patre regno Auſtriæ ab anno DC.XXIII. impoſitus eſt. Abbatia hæc S. Mauricio Thebæanæ legionis Duci ſacra plures Eccleſiæ Verodunenſi Pontifices egregios ſuppeditavit: & à primo conditu Regulæ S. P. Benedicti addicta fuiſſe videtur.

b Hunc Abbatem, à quo Paulus ſuſceptus eſt, ferunt fuiſſe S. Vuandalenum, quem natione Scotum, poſtquam apud Trevirenſes aliquamdiu delituit, Monaſterio Theologienſi Abbatem primum, aut certè ſecundum à Dagoberto fuiſſe aiunt impoſitum. In Faſtis Gallicanis, Benedictinis ac Trevirenſibus XII. Kalend. Novemb. colitur, habétque opidum ſuo nomine inſignitum, quod uno dumtaxat milliari à Theologio diſtat.

juſtus juſtificeris, quiddam tibi perfectionis deeſſe noveris. Unde ſi ad id inhianter properas, audi Plaſmiſtam ex perſona humilium proteſtantem: *Induxiſti nos*, inquit, *in laqueum, poſuiſti tribulationes in dorſo noſtro, impoſuiſti homines ſuper capita noſtra.* Laqueum, tribulationes dorſi, impoſitos homines ſuper capita noſtra, non noſtram voluntatem, ſed Prælatorum juſſa exſequi humiliter & obedienter debere præmonſtrans. Et ne parva videatur Prophetæ adſertio, quoniam hæc eadem à nemine pertulerit; ipſius Chriſti Domini quem ſequeris utamur exemplo. Denique vide quid Apoſtolus dicat de eo: *Chriſtus*, inquit, *factus eſt pro nobis obediens Patri uſque ad mortem.* Ergo ſi eum verè ſequi decernis, (ſequi autem imitari dixerim) obedientiæ tramitem ingredere: & in ea perſeverans ſi neceſſe fuerit obediens eſto uſque ad mortem. Non enim laudabitur exercitatio diſcipuli, quem non approbaverit reverenda eruditio magiſtri. Et auctoritas ſacri eloquii eſt; ut præeſſe non audeat, qui ſubeſſe non didicerit. Et Salvator ad diſcipulos de novellæ gratia inſtitutionis: *Si hæc*, inquit, *ſcitis, beati eritis ſi feceritis ea.* Et Apoſtolus Jacobus: *Non auditores, ſed factores legis juſtificabuntur.*

CIRC. AN. DC.XLVII. FEB. VIII. *Pſal.* 65.12. *Philip.* 2.8. *Joh.* 13.17. *Jac.* 1.22.

5. His auditis vir beatus quibus contradicere non valebat, adſenſum præbuit: & quoniam quod rogabatur ipſe priùs rogare debuerat, pro negligentia & ignorantia toto corpore terræ proſtrato veniam poſtulabat: ad omnia regularis vigoris præcepta Patris imperio ſe pollicens obtemperaturum. Votis itaque omnium cum benedictione Patris Monaſterii angelicum Monachici habitûs ſchema induitur: & ut verus Dei famulus congregationi Sanctorum adunatus, qualem quantumque ſe exhibuerit, nullius ut reor facultatis eſt evolvere. Ex die namque mutati habitûs in Religionis propoſitum in eodem loco permanendo, incredibile effatu videtur quas cruces corpus caſtigando, & in ſervitutem redigendo ſibi indixerit, quæ tormenta membris inflixerit: cùm nec ad modicum ſaluti corporis indulſerit, nec ſemel miſſam manum ad aratrum recordatione uxoris Loth retrorſum retorſerit. Fuit enim in eleemoſynis largus, caritate præcipuus, caſtitate mundiſſimus, humilitate ſanctus, prudentiâ ſollers; aſtutiam ſerpentis cum lege cuſtodiens, & puritatem ſimplicis animi non amittens; ad ſuaſum Salomonis cum timido de bello, cum ſuperbo de humilitate, cum injuſto de juſtitia, cum iracundo de manſuetudine, contráque omnium nequitiarum vel vitiorum genera quæ oppoſitis pelluntur virtutibus non arroganter increpando, ſed humiliter ac ſapienter quaſi compatiendo diſputans, quodam præſagio futurorum Paſtoris cura gregi advigilabat. Hac virtutum gratia pollens amabatur ab omnibus, venerabantur eum univerſi, placebat cunctis, nimióque affectu pro ſuæ ſanctitatis reverentia excepto nomine Paſtoris [a] colebatur vice magiſtri.

Paulus ægrè tandem cõſentiens, Monachum induit. Piè in Monaſterio vivit. *Eccl.* 37.12.

6. Sed ne tanta virtutum copia inanis eſſet & vacua, neque lucerna tot radiorum facibus accenſa ſub modio celaretur abdita, verùm cunctis in domo Dei luceret propoſita; cœperunt ad eum ex longinquis terræ partibus auditâ de eo famæ opinione multi confluere, & ſe ejus magiſterio non ſolùm mediocrium filii, ſed & præpotentium ac nobilium generoſitate progeniti unanimes convolare. GRIMO namque qui & ADALGISILUS nepos [b] DAGOBERTI Regis, pro amore cæleſtis patriæ cunctam hujus mundi gloriam pro nihilo ducens, illius ſe doctrinæ ſubdidit imbuendum: cujus vitam & actus velut agrum vernantem diverſorum varietate florum cuique benedixit Dominus, didicerat à compluribus odore omnium fragrare virtutum. Cujus dilectioni repentè ſic inhæſit, ut nullo modo niſi morte præventus ab eo poſſet divelli. A quo introductus in campos Scripturarum, intantùm brevi profecit; ut diſciplina &

Grimonem aliósque plures erudit.

a Et tamen Paulus à Neotericis in Abbatum Theologienſium ſyllabo poſt S. Vvandelinum collocatur: an potius ſcholæ præfectus dicendus?

b Alii Fratrem Dagoberti Grimonem dicunt, alii meliùs non fratrem nepotemve, ſed fortaſſe conſanguineum fuiſſe permittunt. Certè Dagobertus fratrem unicum legitur habuiſſe CHARIBERTUM, cujus nulla proles memoratur. Grimo inter Abbates Theologienſes poſt Paulum recenſetur.

CIRC. AN. DC. XLVII. FEB. VIII.

moribus æquipararet magiſtrum. Idem etenim Monaſterium Tabuleïum ſive Theolegium hereditario jure competebat Grimoni, in quo ut in proprio licentiùs cum magiſtro commorans de gramine virtutum centuplicatum retulit fructum, adeò ut ad Diaconatûs tunc temporis pertingeret gradum.

Verodunenſem Epiſcopatum recuſat.

7. Per idem tempus defuncto ERMENFRIDO [a] Virdunenſi Epiſcopo, quærebatur qui mox ſubrogaretur hoc officio dignus, ne per ſpatia temporum dilaniaretur abſque Paſtore grex Domini morſibus luporum. Nec defuit qui perferret ad aures Principum, degere infra regni ſui fines & in jamdicto Monaſterio quemdam Monachum nomine Paulum, cui ſatis condignè poſſet Paſtoralis cura committi. Continuò ad Regni edictum legantur qui hæc eadem ad Grimonem perferant: juſsúmque ut adſumptum Paulum quantociùs ad palatium adducat virum ſibi cariſſimum: ad honorem Virdunenſis Epiſcopatûs divinæ providentiæ nutu Palatinorum, Cleri plebíſque adſenſu, ac in reciprocatione ſui erga eum amoris à Rege promovendum. Qui nimio repletus gaudio nuntiat Patri cariſſimo Regis voluntatem, nobilium, mediocrium, ac omnium erga ſe unanimem deſiderantiſſimam devotionis electionem: ſuadétque ut celerius mandata Regis feſtinet exſequi. Cui ille: Licèt, inquit, me laude præferant, & ad Paſtoris curam quaſi dignum eligant; forſitan tamen in Canonibus prohibitum ignorant, ne aliqui de ſuis ſedibus commigrantes, aliis facilè ordinentur in locis [b]. Unde nec ad Regis juſſum nec ad populi votum noverint fas eſſe violare Divinarum decreta legum. Quapropter aliò Regis ac Principum ſe vertat intentio, ne ſi incognitum & ad rumores vulgi falſò laudatum Eccleſiæ Chriſti præfecerint; in futuro ſerâ pœnitentiâ perſentiant detrimentum. Hæc dicens legatos remittit vacuos; hac occaſione ſperans & ſe poſſe quieſcere, & Regem ab intentione propoſita ceſſare. Sed Dei omnipotentis ante ſæcula providentia quæ eum noverat futurum Præſulem ad dandam ſcientiam plebi ſuæ in remiſſione peccatorum eorum, quæque illum de remotis terrarum partibus ad hoc adduxerat; immiſit in cor Regis, ut tractum de Monaſterio, quamvis renitentem & invitum, jam non ſua pro libitu quærendo, ſed quæ Dei ſunt obedienter faciendo, Eccleſiæ ſuæ præficeret ſecundùm quod ſibi videretur judicio Regum audacter. Quod quomodo actum ſit, ſequens ſermo explicabit.

Frater S. Germani fuiſſe probatur.

8. Hunc verò beatum Paulum exſtitiſſe fratrem S. GERMANI Pariſiacenſis Eccleſiæ Pontificis, (ut in ſcriptis accepimus) meritorum ſanctitas, virtutum magnitudo liquidò teſtatur. Quod ne cui forſitan veniat in dubium, fatendo mendaciter confictum & huic operi inſertum, ideóque falſum ſi non ſit auctoris teſtimonio approbatum; operæ pretium videtur veterum affirmationibus confirmare: quorum antiquitati nemo quamvis verſutus valebit reſiſtere. Adſtipulatur huic adſertioni BERCHARIUS Preſbyter [c], qui à Domno DADONE ipſius urbis Epiſcopo rogatus omnium ante ſe Virdunenſium Epiſcopo-

[a] Carolus *le Cointe* ad ann. 631. num. 11. contendit Paulum non Ermenfrido ſucceſſiſſe, ſed Godoni Ermenfridi ſucceſſori, qui Godo anno DC. XXV. Concilio Remenſi ſubſcripſit: quod jam antè Bollandus ut dubium propoſuerat. An potiùs Godoni paullò poſt Concilium mortuo Ermenfridus, Ermenfrido Paulus anno circà DC. XXXI. ſucceſſit? an verò binomius erat Pauli deceſſor?

[b] Nempe in Canone ultimo Synodi Remenſis ſub Sonnatio habitæ ſtatutum fuerat, *ut decedente Epiſcopo in locum ejus non alius ſubrogetur niſi loci illius indigena, &c.* Vides hîc Canones *leges divinas* appellari.

[c] Ut B. Germani conſanguineus fuerit Paulus; certè frater eſſe non potuit ex dictis ſuprà. Bercharius ſeu Bertharius Verodunenſis Eccleſiæ Preſbyter ac Canonicus, poſt ejuſdem Eccleſiæ incendium Geſta Epiſcoporum iſtius Sedis ab ignis injuria vindicare aggreſſus eſt anno XXXVI. Pontificatûs Dadonis Antiſtitis, id eſt anno Chriſti CM. XVI. ſiquidem Dado ab anno DCCC. XXC. ad CM. XX. ſeu XXIII. ſediſſe dicitur. Quæ ex Vvaſſeburgii libro 3. Antiq. Belgic. fol. 172. & ſeqq. repetenda ſunt. Ex his inferre licet, iſtius Vitæ Scriptorem aliquanto vixiſſe tempore poſt Bertharium, quem *Antiquum* Auctorem non ſemel appellat. Vixiſſe tamen ante ſæculi XII. initium inde colligimus, quòd Hugonis Flaviniacenſis teſtimonium prætermiſerit. Hugo quippe primùm Cœnobii S. Vitoni apud Verodunum Monachus, deinde Flaviniacenſis Abbas, ſcripſit *Chronicon Virdunenſe* ab anno Chriſti primo ad M. C. II. quo in Chronico ad annum DC. XXX. Paulum Ermenfrido ſucceſſiſſe ait, ac S. GERMANI *Pariſienſis* fuiſſe fratrem: quod ſanè teſtimonium iſtius Vitæ conditor non omiſſurus erat, ſi fuiſſet Hugone poſterior. Bercharii Opus adhuc in tenebris delitéſcit, Hugonis Chronicon à Philippo Labbeo To. 1. Biblioth. novæ vulgatum eſt.

rum

rum nomina & actus, ut ſcire potuit, mira brevitate contexuit; intérque etiam hujus non immemor, hæc quæ prædicta ſunt ordinanter ſuo loco conſtituit. Et ne noſtra reputentur ut falſa, ipſius ſubnexuimus hujuſmodi dicta. Poſt Ermenfridum, inquit, tractus eſt de Monaſterio Tabuleio ſanctus Paulus qui fuit frater S. Germani Pariſiacenſis Eccleſiæ Epiſcopi, & in Eccleſia iſta Epiſcopus conſecratus: cujus memoria æterna eſt. Nam nepos Dagoberti Regis Grimo Diaconus qui & Aldagiſilus dicitur, cùm fuiſſet à S. Paulo ab infantia reverenter educatus, pro amore ipſius Antiſtitis ſuam proprietatem [a], id eſt Tabuleium Monaſterium ſanctæ Mariæ in Virduno ſuo ſcripto & multorum Fidelium ſcriptis ut in ſempiternum noſtra Eccleſia ipſum Monaſterium habuiſſet, tradidit, roboravit, & omni auctoritate firmavit. Fraſnidum * verò villam idem Grimo pro ſua pietate victui Fratrum noſtrorum delegavit. Sanctus verò Paulus Baſonis-Villare * de ſuis reditibus comparavit. Privilegium etenim noſtris Canonicis de antiquioribus villis fecit: & ſuis manibus & aliorum Epiſcoporum ſub Divina adteſtatione roboravit. De virtutibus autem iſtius ſancti Patris noſtri iſtud mirabile audivimus, quòd adhuc Monaſticam vitam ducens, cùm in piſtrino Fratrum obedientiam habuiſſet, & timeret ne horâ ſtatutâ Fratres panem habere non potuiſſent; ejecto igne de clibano ipſe intus ingreſſus cum cuculla ſua clibanum purgavit; & panem illic ad coquendum ordinavit, & ſanus foras egreſſus, panem ſanctum Fratribus in Refectorio ſtatuto diſtribuit. Legi & picta vidi multa miracula quæ vivens in Epiſcopatu egit, & poſt exceſſum poſitus in Baſilica S. Saturnini Deo cooperante ſatisfecit. Cæcos namque illuminavit, claudis greſſum præbuit, ægrotos à variis infirmitatibus curavit. Et quid plura? iſtam Eccleſiam rebus temporalibus dilatavit, & Deus omnipotens animam illius cum omnibus Sanctis in æterna gloria ſine fine gaudere facit.

Circ. An. DC.XLVII. Feb. VIII.

Tabuleium Verodunenſi Eccleſiæ attributū.

* *Fraijne*

* *Baſonville*

Paulus clibanum ardentem ingreditur.

9. Hæc ita ſe habere ipſius viri auctoritas & non ſpernenda antiquitas ſatis fidei ad id credendum videtur conferre. Sed quod ipſe proſequitur multa ſe legiſſe & picta vidiſſe quæ per negligentiam non ſunt ſcripta; ipſe quoque negligentiæ notâ redarguitur, cùm de ſcriptis & de viſis picturis ad ædificationem poſteriorum conſcribere neglexerit. At nos quod pictura docente addiſcere potuimus, ad laudem Creatoris & Sancti hujus venerationem pro captu ingenioli noſtri fidelibus legenda ſcripto detegere non piguit. Igitur illæſus è clibano egreſſus, impoſita humero corbe humiliter & obedienter (nec enim poterat non eſſe talis, cui tantum præſtitum ſit gratiæ divinitus) dum in Refectorium Fratrum accelerat panem inſperatum, ecce audit poſt ſe vocem pauperis alimoniæ auxilium petentis. Erat enim duplicis miſeriæ debilitate adſtrictus, rebúſque inops tantùm genibus & ſcabellulis repens, clamoribus quibus poterat ſatisfaciebat dolori. Cujus miſeriæ vir plenus pietatis compaſſus, ſumptum ex ſporta panem porrigit poſt terga clamanti: qui ſubitò Divina virtute adtactus in pedes conſtitit, annonam excipit: & qui aliorum venerat adjutorio, proprio redit ad ſua veſtigio.

Bercharii negligentiam ſupplet Auctor.

Paulus contractum erigit.

10. Legati, ut præmiſſum eſt, tanto fruſtrati labore itineris, nuntiant virum Regis non obedire mandatis: indignum & ignotum ſive Neophytum ad animarum regimen reſpondiſſe non promovendum; & ejuſmodi non eſſe qui poſſit blandimento ſeduci aut terrore concuti: Canonúmque decretis hæc eadem prohiberi. Hoc audito Rex furoris & amoris anxius, miſſis ſatellitibus extractum à Monaſterio coactum & invitum, omnium tamen applauſu digniſſimum acclamantium, onus Pontificalis dignitatis ſubire compulit, & ab Epiſcopis Epiſcopum ordinatum, ſuæ ſedi honorabiliter præeſſe inſtituit.

Rege compellente Paulus fit Epiſcopus.

11. Præfatus verò Grimo nepos Regis quod diu deſideraverat videns adimpletum, nimio plenus gaudio quidquid facultatis poſſidere videbatur, volenti

Grimo in ejus gratiam Verodunenſem Eccleſiam dotat.

[a] Hinc apparet, Grimonis parentes, aut certè Grimonem ipſum Monaſterii Theologienſis conditorem fuiſſe: Dagobertum ſuppetias tuliſſe affirmant.

CIRC. AN. DC XLVII. FEB. VIII. animo juri Virdunenſis Epiſcopii condonare feſtinabat. Erat autem ita temporibus illis ipſa Eccleſia rebus deſtituta [a], ut nemo Clericorum eſſet qui aſſiduè (ut ſic præcipit Eccleſiaſticus ordo) Miſſarum ſollemnia vel conſuetum Pſalmorum inibi compleret curſum: ſed præ inopia vix & cum magno labore per ſingulos dies adveniebat aliquis forenſis Preſbyter: & citiſſimè ſatiſque indecenter Horarum & Miſſæ ſimul complens officia, mercede accepta revertebatur ad propria. Similiter ſecundus & tertius, ceteríque, donec idem ordo confuſus à noviſſimo rediret ad primum. Quod cernens Epiſcopus, Grimonem ſibi dilectum advocat, & internum dolorem ſuper hac re multùm conqueſtus edocet. Cui eveſtigio ille verba conſilii rependit & auxilii. Negaveras te, inquit, priùs, Pater, obediturum Regi: ſed quia te invitum & quaſi regalis vigoris nexibus addictum in hanc Sedem impoſuit, juſtè apud eum de his quæ ad Eccleſiaſticum pertinent ritum, licet conqueri. Præterea quæ in ea ſunt vel eſſe poſſunt in prædiis vel poſſeſſionibus ſeu in pecuniis, tuæ concedo libens poteſtati, ut tuo voto & mearum rerum adminiculo inſerviat clericatûs ordo per ſucceſſiones te ordinante cultui Divino.

[a] Vide miſerum illius Eccleſiæ ſtatum.

12. Hæc dicens, Fraſnidum villam victui Fratrum [b] delegavit, móxque ſine dilatione palatium adeunt, & pro Eccleſiæ ſuæ incommodis Regis auribus querimoniam infundunt, orantes pariter ut ad honorem ſui & ſalutem impendat ſanctæ Virdunenſis Eccleſiæ rerum terrenarum quamlibet portionem. Qui libens petitioni eorum annuit, & poſſeſſionibus pecuniiſque locupletatos, ad urbem cum gaudio remittit. Quarum nomina rerum etſi non habentur propè inſcripta, tamen quia factum ſit præfatus Preſbyter * non tacet: cùm teſtatur eum ſuam Eccleſiam rebus ditâſſe quamplurimis. De quibus propria manu Privilegium conſcripſit, aliorúmque Epiſcoporum auctoritate ſub anathemate roboratum in Arcavio * ejuſdem Eccleſiæ in ſæcula conſervandum condidit; quod uſque ad noſtra tempora in eodem loco conſtat permanſiſſe. Memini me aliquos vidiſſe qui idem Privilegium ſe vidiſſe & legiſſe fatentur, & numquam characteres litterarum honeſtiùs præfiguratos, & orationem facundiæ ordinabiliorem uſquam conſpexiſſe. Sed hæc interim.

[b] Dagobertus eidem Eccleſiæ plurima confert.

* Berchārius *ſuprà num. 8.*

* Archivo

13. Adepto itaque quod optaverat Eccleſiaſticæ curæ negotio, Canonicos canonicè vivere inſtituit; & in ſua Sede perplures reſidens annos, ab incepto virtutum non deſtitit: cujus opera à ſcientibus neglecta ſæpedictus Preſbyter reprehendit. Et tamen quòd factor miraculorum fuerit, ſe legiſſe & in picturis cognoviſſe teſtatur, cùm eum dæmones fugâſſe, paralyticos curâſſe, cæcos illuminâſſe commemorando perhibet. Cum horum itaque & omnium bonorum exhibitione operum quæ nobis incognita Dei notitiæ ſunt manifeſta, de virtute in virtutem adſcendendo, Deum deorum in Sion videns, & ſimilitudine Patriarchæ Jacob eumdem Dominum ſcalæ innixum, per quam Angeli gradibus adſcendentes & deſcendentes viſi ſunt promeruit: ſibíque terram viventium ſi in hac convalle lacrymarum patienter peregrinaretur repromitti audivit: & depulſis poſt viſionem nocturnis tenebris, jam aurora irradiante, Evangelico videlicet præcepto intonante; *Venite ad me omnes qui laboratis & onerati eſtis & ego reficiam vos*: luctam cum Angelo iniit, id eſt viriliter ſpiritu ambulando ne deſideriis carnis inſerviret, angelico paruit oraculo: à quo nervus femoris ejus contactus emarcuit, cùm inſudando Divinis inſtitutis in ſe maceratione corporis ardorem exſtinxit libidinis: in hujuſque viæ ſolo claudicando numquum ſtabilem gradum poſſe firmare intellexit. Sed poſt longæ peregrinationis tædium qua cum Pſalmiſta deplorando cantabat; Heu mihi quia in-

Pluribus annis Eccleſiam egregiè regit.

Matth. 11. 18.

[a] Quod etiam Frodoardus in Hiſt. Rem. lib. 2. cap. 2. affirmat de Remenſi Eccleſia, tempore S. Rigoberti Antiſtitis, qui *Canonicam Clericis religionem reſtituit, ac ſufficientia victualia conſtituit.*

[b] Vides Canonicos hîc & à Berchario ſuprà num. 8. *Fratres* appellatos, tametſi Regulares non erant, quamvis canonicè vivere tenerentur, infrà. Sic fere Canonicos appellant mediæ ætatis Scriptores, & in Statutis Eccleſiæ Lugdunenſis anno 1251. à Philippo Francorum Rege confirmatis To. 9. Spicil. Acheriani, Canonici art. 21. Fratres dicuntur.

colatus meus prolongatus est; regionem suam per desertum hujus incertæ solitudinis multimoda passione requisivit: ac senio confectus plenúsque dierum in pace suæ Ecclesiæ valedicens Fratribus sexto Idus Februarii obiit [a], & in Ecclesia S. Saturnini (sicut jam dictum est) se sepeliri mandavit, ubi meritis ejus præstantur beneficia Domini nostri JESU-CHRISTI: qui vivit & regnat in sæcula sæculorum. Amen. CIRC. AN. DC. XLVII. FEB. VIII.

a Anno circà DC. XLVII. mortuus est Paulus, qui S. Arnulfi Translationi (ut ad Vitam S. Arnulfi suprà observatum) anno DC. XLI. interfuisse dicitur. Certè Desiderius Cadurcensis Episcopus in Epistola 10. ad Dadonem seu Audoënum Rotomagensem recèns Episcopum, Paulum nostrum cum Sulpicio Biturigum Episcopo inter amicos numerat: quam Epistolam non ante annum DC. XLI. scriptam fuisse constat. Paulus in Molani Addit. ad Usuardum VI. Id. Febr. ita celebratur: *Depositio S.* PAULI *Episc. Virdunensis & Monachi, ipsius Ecclesiæ restauratoris & Rectoris præcipui.* Sepultus est in Ecclesia suburbana S. Saturnini à se conditâ ac suo postea nomine insignitâ, quam GISLOALDUS ex Monacho itidem Theologiensi ipsius successor Canonicis attribuisse; Vvilgefridus verò qui ab anno CM. LXI. ad CM. XXCVII. Ecclesiæ Verodunensi præfuit, ad Monachos Benedictinos transtulisse apud Vvasseburgium leguntur. Verùm disciplinâ Monasticæ religionis inibi violatâ, Albero II. Verodunensis Antistes anno circà M. C. XXXV. prædictam S. Saturnini tum S. Pauli Ecclesiam è Monachorum manibus ad Præmonstratenses Canonicos transmisit, adnitente S. Bernardo Clarevallensi Abbate, ut testatur Epistola 178. ad Innocentium, qui reclamante licèt venerabili Petro Abbate Cluniacensi Epistolâ suâ 11. lib. 2. Alberoni postulationi fecit satis. S. Pauli Reliquiæ in ea ipsa Ecclesia adservantur excepto capite, quod Theologienses Monachi tempore Caroli Magni obtinuerunt. Quippe desolatam S. Saturnini Ecclesiam, neglectas S. Pauli Reliquias audientes, eas furtim ac secretò subripuerunt: ast duo circiter milliaria progressi, in silvæ loco, postea PAULI-CRUX, vulgò PALE-CROIX dicto ob memoriam Crucis illic erectæ deprehensi, pignus sublatum excepto capite restituere coacti sunt. Lege Vvassebargium in lib. 3. Antiq. Belg.

VITA S. GOARIS CONFESSORIS ET EREMITÆ,

CIRC. AN. DC. XLIX. JULII VI.

Auctore anonymo subæquali.

Ex MS. cod. V. C. D. d'Herouval.

OBSERVATIONES PRÆVIÆ.

1. VITÆ S. GOARIS * à WANDALBERTO *Monacho ac Diacono Prumiensi expolitæ præmittimus Anonymi lucubrationem, qua ipse* Wandalbertus *usus est. Is Scriptoris anonymi ætatem satis indicat in fine lib. 1. his verbis:* Hæc habui de vita S. viri Goaris quæ scripturæ mandarem, accepta EX VETUSTIS ET PERANTIQUIS EXEMPLARIBUS: quorum rerum gestarum narratione veritatem fide integra subsequens, solam sermonis quæ eruditos non parum offendere poterat simplicitatem.... corrigere studui. *Opus suum de S. Goaris actibus ac miraculis absolvebat* Wandalbertus *anno Christi Domini* DCCC. XXXIX. *ut constat ex lib. Mirac. cap. 34. quo tempore Auctoris anonymi* vetusta & perantiqua exemplaria *dici non poterant, nisi* Wandalbertus *uno minimùm sæculo junior fuisset.* * S. Gevver al. Gevver

2. Wandalbertus *Diaconus manum calamo admovit jussu* MARCUVARDI *Abb. Prumiensis*, cui fetum suum duobus libris distinctum, altero vitam, altero miracula post mortem facta continentem nuncupavit. Marcuvardo imperandæ scriptionis istius hæc occasio fuit. Prumiensi Monasterio diœcesis Trevirensis intra Arduennæ silvam per Pippinum Regem constructo ac Salvatori dedicato, idem Princeps S. Goaris Cellam seu Monasterium in generali conventu apud Attiniacum habito univit*, & Asuero Abbati Prumiensi primo commendavit. Asuero post Tancradum successit Marcuvardus, qui pro suo in S. Goarem studio & cultu,* Wandalbertum *Diaconum ac Monachum suum, Martyrologij opere aliisque clarissimum, compulit ad scribendum S. Goaris vitam & miracula Asueri, Tancradi, ipsiúsque Marcuvardi temporibus facta: quod* Wandalbertus *duobus libris explevit.* * de Prom. * V. lib. Mirac. cap. 35.

3. *S. Goaris Cella seu Monasterium paullo supra Confluentes Mosellæ & Rheni situm est in læva Rheni ripa Veselidam superiorem inter & Boppardiam, in diœcesi Trevirensi, ubi opidum haud ignobile, S. Goaris dictum, vulgò* Saint GoWer, Guern *accrevit. In designando loco differunt sincera exemplaria MSS. Martyrolog. Vsuardi & Adonis: Nam prid. Non. Julij Vsuardus sic habet:* In pago Maginensi S. GOARIS Presbyteri & Confessoris. *Ado verò;* In pago Threcarensi S. GOARIS

CIRC. AN. DC XLIX. JULII VI. Presbyteri & Confessoris. *Hìc pagi Threcarensis nomine intelligenda videtur Trichoria, Germaniæ superioris regiuncula, in qua S. Goaris opidum positum est.*

Goar Aquitanus in Germaniam secedit.

IN diebus CHILDEBERTI Regis Francorum filij [a] CHLODOVÆI erat vir venerabilis nomine GOAR homo Aquitanicus, cujus pater vocabatur GEORGIUS & mater ejus VALERIA. Hic erat vir gloriosus adspectúque decorus, mente humilis, corpore castus, perfectus fide, egregius in opere, in virtute summus, prodigiis clarus, mirabilis cognitor secretorum cælestium, præscius futurorum: qui continuatis jejuniis & orationibus instans, futura prænoscere meruit sacramenta. Hic itaque in quodam Germaniorum opido conveniens super fluvium Rhenum infra terminum Wasaliacinse *, suburbano Treverico, ubi fluvius Wocara vocatur, cum consensu Episcopi qui tunc temporis Treverorum Præsul esse dignoscitur, qui nuncupatur FELICIUS, Ecclesiolam fecit, multorúmque ibi Reliquias Sanctorum collocavit, id est S. Mariæ matris Domini, Sanctique Johannis Baptistæ & duodecim Apostolorum Christi & aliorum multorum Sanctorum: ibidémque ipse vir Dei S. Goar die noctúque serviebat in jejuniis, in vigiliis, in multa patientia, in longanimitate, in pura prædicatione, in oratione assidua, in caritate non ficta, juxta Apostolica præcepta per arma justitiæ à dextris & à sinistris, in virtute Dei.

[a] Filij nomine intellige pronepotẽ. Quippe hic locus de Childeberto Sigiberti Senioris filio intelligendus est, qui Childebertus Austriæ & Aquitaniæ parti post patrem imperavit ab anno D. LXXV. ad D. XCVI. uti Carolus *le Cointe* ad ann. 597. num. 10. jam observavit. Nam Sigiberto Dagoberti Senioris filio in Austria regnante S. Goarem obiisse, ex sequentibus patebit. Hunc textum rectè explicavit Vvandalbertus infrà: *Fuit autem in diebus* CHILDEBERTI *Regis Francorum, qui ortus est ex prosapia Regis famosissimi* HLUDOVICI *&c.*

* *Obs. vvc. fel.*

Paganos convertit.

2. Huic itaque Dominus tantam gratiam concedere dignatus est, ut multi paganorum per verbum ipsius ad salutem animarum suarum pervenirent, & multi ægroti Deo auxiliante & ipso Sancto intercedente pristinam sanitatem invenirent. Quod assiduè fieri manifestum est, ubi ipse Sanctus in corpore requiescit: quia ibi cæci illuminantur, surdi audiunt, dæmonia effugantur, & à febribus, vel aliis infirmitatibus multi curantur: & ad declaranda ejus merita fiunt magnæ virtutes, quas Dominus dignatur facere pro servis suis qui custodiunt præcepta ejus juxta Prophetam & Psalmographum David dicentem: *Nimis honorati sunt amici tui Deus, nimis confortatus est principatus eorum.*

Ps. 138. 17.

Missam quotidie celebrat, peregrinos & pauperes alit. *Matth.* 25.

3. Hic venerabilis S. Goar habuit consuetudinem omni die, excepto Parascéven, Missarum sollemnia celebrare populo, & peregrinos qui ibidem per illam semitam pergebant, libenter suscipiebat, & pauperes ibidem voluntariè & cum hilaritate alebat secundum vires suas, & prout illi Deus donabat juxta Domini dictum qui dicet benefactoribus pauperum in judicio: *Quod uni ex minimis meis feciſtis, mihi feciſtis.* Hæc & hujuscemodi vir Dei S. Goar adjuvante Domino faciebat.

Dæmone invidente, à Legatis Episc. Trevir. accusatur. *Act.* 14.

4. Sed seductor animarum diabolus ex hoc valde indignabatur, quòd tam pretiosa Dei gemma in opido Germaniorum consisteret, vel per verbum ejus tanta Gentilium multitudo a se recederet, atque ad culturam Creatoris sui corde credulo festinaret. Quapropter multas & magnas tribulationes tamquam leo rugiens ei ingerebat: sed athleta Christi in his nullo modo metuebat, quia considerabat quod dixit egregius Doctor Paulus: *Per multas tribulationes oportet nos introire in regnum Dei.* Interea contigit, ut aliqui Legati Treverici Episcopi (cui nomen erat RUSTICUS) videlicet ALBOINUS & ALMANNUS ad cellam viri Dei Goaris advenirent quasi speculatores, & ubi aliquam rem novam vel inanem invenire possent. Et quia ibidem non pro Dei amore venerant, sed pro vana opinione, ut aliquam accusationem adversus servum Dei reperire valerent, dicebant se luminaria ad partem S. Petri Trevericæ Ecclesiæ quærere: sed magis tenebras semetipsis conquirebant quàm lumen. Hi ergo viderunt quod faciebat B. Goar, quia videlicet solebat mane Cursu psalmodiæ suæ completo & Missarum sollemnitate celebrata cum peregrinis & pauperibus perfecta & Deo accepta caritate repletus cibum sumere, juxta quod Sanctus Johannes Apostolus dixit; *Qui manet in caritate in Deo manet & Deus in eo.* Et, *Perfecta caritas foras mittit timorem.* Hoc itaque opus caritatis illi furenti animo cogitantes, tractaverunt inter se maligna machinatione, qualiter eumdem bonorum operum sectatorem exinde apud Trevirensem Archiepiscopum accusarent. Quod & fecerunt quasi de substantia ejus aliquid lucrari vel conquirere deberent, dicentes se etiam vidisse sine temperamento mane comedere, vel potum sumere. Quod namque vir Dei S. Goar caritatis instinctu faciebat, hoc illi miseri mala consuetudine & vitio gulositatis fieri æstimabant, simúlque fingebant alia atque alia multa mala exempla se ibidem vidisse: quodque ad rectitudinem & regimen Trevericæ parrochiæ nihil proficeret nisi ad malum exemplum, quia falsa & inanis erat ejus loquela.

1. *Joh.* 4.

5. Hæc audiens Archiepiſcopus Treverorum, ſtatim ſine mora juſſit ipſos legatos illuc redire, & Sanctum Dei Goarem ſibi præſentari dicens; quòd inquiſitionem de ipſo facere vellet, ut poſſet ſcire quo ingenio vel arte talia præſumpſiſſet plebi ſibi commiſſæ exempla monſtrare. Qui venientes ad B. Goarem locuti ſunt ei dolosè, putantes quòd accuſationem illam per quam eum infamaverant poſſent blanditiis verborum obtegere. Archiepiſcopus, inquiunt, noſter Ruſticus ſalutem tibi mandat, jubétque ut ad colloquium ipſius Treveris feſtinanter venias. Hæc audiens homo Dei S. Goar cum gaudio dixit: Faciat mihi Dominus, faciat ut poſſim ei obedire, quia obedientia ſine mora eſt facienda. Nocte illa fecit illis cœnam ſecundum vires ſuas, & ipſe in Dei laudibus ſicut ſolebat fuit perſeverans. Mane autem facto poſtquam Curſum ſuum finivit *, Miſſarum ſollemnia celebravit. Cúmque compleſſet Divinum officium, die illo dixit miniſtro ſuo: Fili, fac nobis lætum diem de abundantia noſtra, ut iſti Legati Domni Archiepiſcopi ſimul nobiſcum faciant caritatem, quia in itinere ſunt, & forſitan Deus aliquem peregrinum aut pauperem adducet ut pariter epulemur. Quod audientes illi qui miſſi fuerant, malitiosè commoti non potuerunt malignitatem quam gerebant in cordibus abſcondere, dicentes ei: Nec tu bona ut æſtimas opera agis, nec nos tibi hæc conſentire volumus. S. Goar reſpondit: Mala domus eſt, in qua Dominus ejuſdem domus non timetur. Vos namque ſi Deum timeretis, caritatem non recuſaretis. Iterum verò hæc ſibi invicem colloquentibus, venit puer Sancti & dixit: Domine, ecce quidam peregrinus ſtat ante januam noſtram. Quo audito Sanctus cum gaudio dixit: Fili voca illum. Qui cùm vocatus fuiſſet, dixit ille Beatus ſpiritu Dei plenus: Ecce quàm bonum & quam jocundum habitare fratres in unum. Cúmque hæc famulus Domini dixiſſet, introduxit peregrinum in domum ſuam & poſita coram eo menſa pavit eum, immo Chriſtum, & per caritatem comedit cum illo. Hæc videntes prædicti Legati cum magna lætitia ſtraverunt equos ſuos dicentes inter ſe dolosè: Nunc manifeſtè vidimus, quòd domino noſtro Archiepiſcopo nuntiare poſſimus. Et cœperunt hominem Dei rogare, ut aliquid eis ad manducandum & bibendum juberet dari, quod portantes in vaſculis tali edulio laborem relevarent itineris. Vir autem Domini utpote hilaris dator libenti animo hoc fieri præcepit.

CIRC. AN. DC. XLIX. JULII VI.

Ad Epiſcopum Trevirenſem citatur.

6. Quod cùm factum fuiſſet, illi cum vociferatione cœperunt cogere illum ut feſtinanter arriperet iter. Aſt ipſe S. Goar cùm hæc audiſſet, ſtatim ſine mora juſſit ſterni mulum ſuum: & cœperunt ſæpedicti Legati cum B. Goar & ejus adminiculo ambulare. Sacerdos verò Chriſti in Pſalmis & hymnis laudes debitas perſolvebat ſanctæ Trinitati. Cúmque milliarium ſextum perambulâſſent, & veniſſent in locum qui Pauli-campus nuncupatur, dixit Alboinus ad Almannum: Gravem habeo famem, & nimium ſitis patior ardorem. Reſpondit Almannus: Si ego quantociùs non bibero, forſitan de præſenti moriar. Anguſtiati itaque eſurie & ſiti, tractaverunt mutuò ire ad aliquem rivulum aquæ, cujus hauſtu valerent ſuam ſitim exſtinguere. Cúmque veniſſent ad quemdam rivulum, guttam lymphæ non repererunt, cùm eatenus indeficientem habuiſſet decurſum. Miſerunt manus ad ſiſtarchiam & ad utrem, ſi fortè invenire poſſent in eis aliquid quod eſſet aptum ad manducandum & bibendum, & nihil invenerunt, cùm utique ad deprecationem ſuam dono Sancti Goaris de domo ipſius ſufficientem in eiſdem deportâſſent victûs alimoniam. Sed non mirum: Verax namque eſt ille qui dixit: *Mihi vindictam, ego retribuam.* Et quia ſervus ejus Goar opera caritatis implevit, detractoribus ſuis juxta præceptum Apoſtoli unumquemque monentis, *Si eſurierit*, inquit, *inimicus tuus, ciba illum, ſi ſitierit potum da illi: hoc enim faciens carbones ignis congeres ſuper caput ejus; & noli vinci à malo, ſed vince in bono malum*; ideo taliter vindicari promeruit à Judice omnium. Hanc nempe ſententiam ſine oblivione S. Goar retinebat. Inter hæc autem labor & defectio eorumdem legatorum magis ac magis creſcebat, & via prolixior valde eis erat, & ait Alboinus ad Almannum: Talem ego famem & ſitim numquam habui. Et hæc dicens, cecidit de equo ſuo quaſi mortuus. Almannus converſus ad famulum Dei Goarem; Succurre nobis, inquit, pie Sacerdos Chriſti, quia fame & ſiti morimur. S. Goar cùm hoc audiſſet, cum gaudio dixit: Filij, recordari oportet, quia ut teſtatur Apoſtolus & Evangeliſta Johannes: *Deus caritas eſt, & qui manet in caritate, in Deo manet & Deus in eo.* Hodie filij quando me indignum vidiſtis caritatem facere, non debuiſſetis recuſare. Iſta verò quæ nunc patimini, ad corripiendum vos Deus meus permittit fieri.

Treviros petit.

Accuſatores ejus fame torquentur.

Rom. 12. 19.

Ibid.

1. *Ioh.* 4.

7. Dum hæc illis diceret quos vehementer cruciabat fames, venerunt tres cervæ miræ magnitudinis quaſi ſanctam Trinitatem præfigurantes, ſteterúntque alongè ipſos qui loquebantur adſpicientes. Quas cùm vidiſſet vir Domini & invocaſſet ſanctam Trinitatem juſſit eas ſtare. Quæ cùm ſtetiſſent, apprehendens vaſculum ſuum mulſit illas. Quod cùm factum fuiſſet, præcepit eas abire, & ex ipſo lacte linivit membra prædictorum virorum, & ſtatim nullum dolorem laſſitudinis qui in eis de inedia acciderat ſenſerunt. Hoc remedio confortati, mox ut miſerunt manus ad ſacculos, invenerunt quæ apta erant ad manducandum & bibendum uſque ad abundantiam, & cœperunt epulari. Cúmque mirarentur de his quæ viderant & ſtupentes timerent, dixit vir Dei ad eos: Filij, qua pro cauſa mandavit mihi Archiepiſcopus ad ſe venire? Scio enim

Eos recreat S. Goar.

* Nota morem antiquum recitandi Curſum ſeu Officium Divinum ante Miſſæ celebrationem.

CIRC. AN. DC. XLIX. JULII VI.

ego quia hoc quod hodie vidiſtis non fuit ſine cauſa, & quæ Dominus oſtendit, mihi proficient ad præbendum credulitatis exemplum eis qui in ipſo confidunt, quia juxta Pſalmiſtam potens eſt Dominus parare menſam, & quia magnificata ſunt opera tua Domine. Ad hoc Sancti documentum timore & tremore concuſſi nullum auſi fuerunt ei dare reſponſum, ſed ſperaverunt ſe ſubitanea morte interire.

Legati Epiſcopo rem nuntiant.

8. Quamobrem cœperunt incitatis equis velociter itinerare, donec venirent Treveris civitatem. Servus autem Dei Goar per Oratoria & Eccleſias Sanctorum, ſicut ſolitus erat facere, pergebat, & ſæpedicti Legati feſtinanter venientes ad Epiſcopum Metropolitanum, invenerunt eum in Synodo ſedentem in ſolio ſuo unà cum Clero, narraveruntque ei omnia quæ eis contigerant vel quæ facta viderant ab ipſo S. Goar. Quæ cùm audiſſet, cum iracundia cœpit dicere: In quantum intelligentiâ cordis conſiderare valeo, conſuetudo iſtius pertinacis viri qui ſic mane comedit & beſtias mulget, ſine dubio potiùs deputanda eſt guloſitati, quàm caritati. Inquirendus eſt tamen quam ob rem vel quo humanæ laudis deſiderio hæc faciat, & utrum ex parte Dei ſit an ex deceptione adverſarij.

Goar miraculo facto de ſeipſo reddit Epiſcopo rationem.

9. Vix verba compleverat, & ecce vir Dei Goar intravit in domum in qua ipſe Archiepiſcopus reſidebat. Ingreſſus itaque cœpit quaquaverſùm adſpicere ſi fortè eſſet locus ubi ſtare poſſet diſcipulus ſuus, & cappam ſuam pendere vel abſcondere. Diu ergo circumſpiciens vidit in angulo domûs quaſi ſimilitudinem fuſtis qui certè non erat fuſtis ſed radius ſolis, qui per feneſtrellam penetrabat interiora manſionis. Cúmque appropiâſſet ad radium ſolis ſpeciem groſſioris perticæ prætendentis, appendit cappam ſuam ſuper ipſum radium, ibíque ſtare præcepit miniſtrum ſuum. Quod cùm vidiſſet Ruſticus Archiepiſcopus unà cum Clero ſuo dixit: Videtis nunc quid fecit? verè ſi hæc cauſa ex Deo fuiſſet, tam mane non comediſſet & bibiſſet, quia anteriores Sancti per eleemoſinas & jejùnia intraverunt in regnum Dei. Hoc autem mirabile factum quod video quid ſit omnimodis neſcio, ſed inde non mediocriter ſtupeo. Mane comedit & bibit, beſtias mulget, cappam etiam ſuam in radio ſolis ſuſpendit. Quid plura? Accedat propiùs & reddat rationem circumſedentibus, ut ſit notum omnibus ſi ex virtute Dei hæc facit, an ex immiſſione hoſtis antiqui. Cúmque interrogatus fuiſſet cultor Trinitatis, reſpondit: Deus qui es juſtus judex, fortis & patiens, & noſti omnia, tu ſcis quod conſentio nihil de adverſarij opere, neque conſentire cupio, neque cappam meam in radio ſolis pendere ſcio, niſi in fuſte roboreo, & illas cervas divinitus tranſmiſſas per nulla maleficia mulgere volui. Inſpiratio autem omnipotentis Dei, poſtquam ſolita fuit hora tranſacta, ita mihi inſpiravit facere, & mane caritativum cibum & potum cum his qui ſunt membra ejus ſumere, quatinus & lac cervarum officio meo relevaret à dolore veſtrorum corpora legatorum, & edulio jentaculo matutino tempore cum pauperibus participato adimplerem Chriſti præceptum, ſicut ipſe Dominus novit qui omnia judicat.

Infanti expoſiticio jubet parentes ſuos denuntiare.

10. Hæc viro Dei dicente venit puer de Clero Treverorum, nomine LEOBGISUS, portans in brachio ſuo infantem tres noctes habentem, qui fuerat projectus in illam concham marmoream, ſicut eſt conſuetudo Treverorum, ubi pauperculæ feminæ infantes ſuos ſolent jactare. Hæcque conſuetudo erat, ut quando aliquis homo de ipſis infantibus projectis miſericordiâ motus vellet curam habere, ab illis quos nutricarios vocant matriculariis S. Petri compararet, & illi Epiſcopo ipſum infantem præſentare deberent, & poſtea Epiſcopi auctoritas eumdem hominem de illo nutricario confirmabat. Videns autem Ruſticus Treverorum Archiepiſcopus illum infantem portari, dicebat: Modò inveſtigare poterimus ſagaci animo, ſi ex Deo ſunt ſapientia & virtutes quas facit Goar, an ex adverſario. Si ex Deo eſt, faciat nobis cognitum qui fuit pater iſtius infantuli & matrem ejus denominet: & credemus, quia non eſt ejus cauſa ex vitio pertinaciæ. Si verò hæc facere non prævaluerit, feriatur ſententia capitali. Hæc autem nequaquam dixit propter cauſam ſuam ut ipſe cognitor de ſemetipſo eſſet, ſed quia ſcelera ejus & crimina principalia jam latêre non poterant. Converſus ergo ad virum Dei dixit Goar. Qui reſpondens ait: Ecce adſum: Dixit Epiſcopus: Multa de te audivimus, ſimul & vidimus non ego ſolus ſed & tota plebs hîc congregata. Quapropter neceſſe eſt ut oſtendas nobis miniſterium modò tuum, ſi verum ſit an falſum. Si verum eſt, per veram obedientiam præcipio tibi ut facias iſtum infantem nobis innoteſcere genitorem ſuum & genitricem ſuam. Si hoc facere potes, credemus tibi & virtutibus tuis; ſin autem nihil tibi credere habemus.

11. Hæc audiens vir Dei ſuſpiravit graviter & lacrymas ſine ceſſatione fundebat vehementer, admirans quamobrem Pontifex ſuorum vituperator operum talem ſibi inanem atque ineptam obedientiam facere præcepiſſet. Et oravit Dominum dicens: Chriſte Fili Dei, qui temetipſum exinaniſti, & formam ſervi accipere dignatus es, fac mecum quamvis indignum, tamen tuum clientulum, miſericordiam tuam, ut cognoſcat iſte Epiſcopus vel plebs ejus quia te diligo, te adoro, tibi ſervire cupio, creator & redemptor meus. Et hæc dicens acceſſit ad illum hominem qui illum infantem in brachio gerebat, & dixit ad illum: Quot noctes habet infans iſte? Reſpondit: Tres. Vir Dei Goar elevatis oculis, ac manibus in cælum dixit: Trinitas ſancta te invoco, atque te infans in nomine ejuſdem Trinitatis conjuro, ut genitorem tuum per nomen denomines & genitricem tuam. Similiter reſpondens infans dixit: Iſte RUSTICUS Epiſcopus eſt pater meus, & ma-

ter mea AFFLAGIA nuncupatur. Quo audito Epiſcopus cecidit velociter ad pedes B. Goaris dicens : Nunc ſcio verè, & credo te ſanctum Dei ſervum fore*, cui ſcelera mea quæ ſic abſconſa putabam ut nullus alius præter me & illam mulierem & unum puerum meum umquam noſſe poſſet, ita ſunt tibi patefacta per ipſius nati mei verba. CIRC. AN. DC. XLIX. JULII VI. Epiſcopus ab infante accuſatur. * *id eſt* eſſe S. Goar

12. Hæc audiens B Goar ſtupore miraculi repletus, atque quaſi in exceſſu mentis factus, dixit ad eum : Heu, heu, Domine, quare per me miſerum peccata tua hactenus latentia facta ſunt manifeſta ! Melius quippe fuiſſet ſpontanea & ſecreta coram Deo confeſſio, quàm iſta contra votum tuum ignominioſa publicatio, quæ licet ſit notabilis, non eſt tamen uſquequaque inutilis. Nam & verba Domini qui dixit diſcipulis ſuis, Nihil opertum quod non reveletur, nec occultum quod non ſciatur, evidenter oſtendit eſſe veriſſima : & tu propitia divinitate ac ſalubri confuſione ſi pœnitueris, pro certo eripieris à maligni damnatione. Quocirca adquieſcens conſiliis meis, accipe duram & prolixam pœnitentiam ab auctoritate Sacerdotum ut ſalveris, & talem profectò pœnitentiam, quæ non ſolùm ſit in verbis, ſed etiam firmam radicem teneat in corde tuo contritionis, ut diabolus qui de abſconſo nequam opere tuo malè gaudebat, de tua publica & digna pœnitentia & ſatisfactione ingemiſcat. Ideóque aſſumens arma ſpei, de miſericordia Dei noli eſſe deſperans, ſed confidenter attende Dominica præcepta qui dignatus eſt dicere : *Non veni vocare juſtos, ſed peccatores in pœnitentiam.* Ejus ergo mandatis obtemperans & tu ſic age. Conſidera quoque admonitionem ſupernæ majeſtatis, qua per B. Johannem Apoſtolum & Evangeliſtam Angelum Epheſi Eccleſiæ admonet dicens : *Age pœnitentiam, & prima opera fac & pœnitenda dimitte.* Ipſe etiam Dominus per Prophetam Ezechielem dicit : *In quacumque die converſus fuerit peccator, omnia peccata ejus oblivioni tradentur.* Quantum enim Salvator noſter pius eſt ad dimittendum, tantum nos oportet paratos eſſe ad pœnitendum. Ego autem perpendens ut competit mediocritatem & poſſibilitatem meam, inquantum pietas divina me exaudire & vitam dignabitur condonare, ſeptem annis pœnitentiam pro te[a], compellente fraterna caritate, jam deliberavi facere. Non tamen propterea quòd te precibus vel pœnitentiâ meâ tantùm neceſſe ſit juvari, cùm multos & magnos Dei ſervos pro te oraturos & pœnitentiam acturos ſciam : ſed conſiderato quod dixit B. Jacobus Apoſtolus : *Orate pro invicem ut ſalvemini à peccatis veſtris.* Hanc juſſionem humilitas mea conabitur adimplere Chriſto opem ferente. *Luc. 5. 32.* *Apoc. 2. 5.* *Ezech. 18. 21. 22.* Septenam pro eo pœnitentiam promittit. [a] *Iac. 5. 6.*

13. Tantæ igitur ſanctitatis famam vel nova geſta audiens SIGIBERTUS Rex Francorum, ſtatim tranſmiſſis Legatis ſuis juſſit devotum Deo Sacerdotem Goar ad ſe venire. Qui cùm veniſſet, interrogavit eum per ordinem univerſa quæ fuerant geſta, tam de Legatis quàm de beſtiis ſeu de illo Trevirenſi Epiſcopo, vel de infante contra naturam ætatis loquente. Hæc Rege interrogante B. Goar cavens faſtum vanæ gloriæ, nihil voluit ei reſpondere. Tunc commotus Rex Sigibertus dixit ei : Per obedientiam quæ debetur ſublimitati Regum & Principum & auctoritati Epiſcoporum, tibi præcipio ut dicas mihi de his omnibus laude dignis actibus qui pervenerunt ad aures noſtras, ſi veri ſint, an non. Compulſus itaque ſanctus Dei regalibus præceptis, paritérque timens ne bona quæ fecerat auferret ventus elationis, oravit Dominum talibus verbis : Chriſte Fili Dei, qui temetipſum exinaniſti & humiliare dignatus es ut nos redimeres & exaltares, miſerere mei quamvis indigni, tamen de tua clementia confidentis. Et accedens ad Regem dixit : Quid vis ut dicam, aut quale reſponſum tibi reddam ? Ait Rex : De his quæ audivi de te, vel quæ tibi & Legatis Epiſcopi Treverorum, ſeu ipſi Pontifici contigerunt. Reſpondens homo Dei dixit : Dic modò, Domine mi Rex, quomodo dictum eſt tibi, ut audiam : ut per obedientiam quam præcepiſti mihi, dem tibi reſponſa. Tunc Sigibertus Rex univerſa ſicut contigerant vel facta fuerant, & per ordinem ei recitavit. Recognoſcens verò veritatis ſimul & humilitatis amator Goar & reſpondens Regi ; Obedientiam, inquit, negligere non debeo, neque aliud tibi dico : ſed omnia quæ dixiſti ore veridico feciſſe me fateor, & ab aliis ſic creditur factum, quemadmodum regiæ majeſtati tuæ eſt notificatum. Sigiberto Regi crimen Epiſcopi reſcire volenti attende quid reſpondeat.

14. Mirante autem Rege atque dicente omnia quæ facta fuerant à Sancto miracula, univerſus populus unanimiter clamabat ad Regem, quatinus ipſum Dei virum conſtitueret Trevericæ civitati Epiſcopum. Hæc audiens Rex, gratanti animo has preces plebis & univerſi Cleri civitatis Treverorum cupiebat adimplere : & unà cum conſenſu Sacerdotum petiit beatum Goar ut Epiſcopus fieret Treverorum. Statim autem ut vir Dei hæc audivit dixit : Melius eſt mihi magis mori, quàm ſuper Epiſcopum adhuc viventem [b] miniſterium illius accipere, & peccare in conſpectu Domini. Conſidera nunc ſi placet, Domine mi Rex, divinam ſententiam quæ dicit : *Non eſt diſcipulus ſuper magiſtrum, neque ſervus ſuper dominum ſuum. Et ſi Patrem familias Beelzebub* Epiſcopatum Trevirenſem recuſat. [b] *Matth. 10.*

[a] Ergo prodeſt pœnitentia in alterius gratiam facta, ſaltem per modum ſuffragii, immò & ſatisfactionis, ſi tamen reus ipſe dignos pœnitentiæ fructus exerceat.

[b] Quippe Epiſcopo vivente quemquam ſuperordinari Canones vetant, *niſi forſitan in ejus locum, quem capitalis culpa dejecerit*, habet Concil. Aurel. V. can. 2. An capitalis non erat Ruſtici Treverorum Epiſcopi culpa ? Planè omninò. Et Sacerdotes ſeu Epiſcopos ob carnis lapſum gradu dejectos reſtituere olim nefas erat. Diſpenſatum tamen aliquando. In decimo Concilio Toletano Potamius Bracarenſis Epiſcopus ſpontanea commixtionis carnalis confeſſione facta, non amiſit *nomen honoris*, ſed *perpetuæ pœnitentiæ officiis & erumnis* ex indulgentia addictus eſt. Fructuoſo in ejus locum ſubrogato.

CIRC. AN. DC.XLIX. JULII VI. *Marc. 6. 27.* *vocaverunt, quanto magis domesticos ejus?* Nunc igitur dimitte illum Episcopum pœnitentiam veram atque perfectam agere & consummare, Domino dicente: *Dimittite & dimittetur vobis.* Nam si te Deus Regem sæculi constituit, scito tamen Regem sempiternum te habere in cælis. Ideo dimitte Rusticum pœnitere facinora sua, sicut vis ut Dominus dimittat tibi peccata tua.

Instante Rege petit inducias.

15. Hæc audiens Rex suspiravit graviter, & ait: Per salutem Principum voluntariè obediam consiliis tuis: nam si Deus noster hoc non voluisset, per te tanta miracula non ostendisset. Attamen aliud non fiat nisi quod definivi cum voluntate totius populi, videlicet ut Episcopus Trevirorum efficiaris quamvis contra votum tuum. Cùm hoc audisset vir Dei ingemuit & dixit: Gloriose Princeps, sine me ad cellam meam priùs pergere, ut ad responsum tuæ celsitudini dandum præparem me. Ait ad eum Rex: Vade cum pace, & transactis viginti diebus induciarum iterum veni Mettis civitatem ad colloquium prædestinatum. Rex igitur Sigibertus disponebat desideranter beatum Goar otdinare Episcopum, sed humilis servus Christi aliud cogitabat. Volvebat namque in animo quod Dominus dixit in Evangelio: *Omnis qui se exaltat humiliabitur, & qui se humiliat exaltabitur.* Cúmque perveniisset ad cellam suam, cœpit tristari & à valida febre fatigari & nimium corporali afflictione conteri. Quid multa? die ac nocte Dominum deprecabatur ut ei donaret defensionis suæ auxilium, & eriperet eum de tam gravi jugo, quod præcellentissimus Rex Sigibertus ei imponere cupiebat. Cujus assiduæ orationis ita sunt ab eo qui voluntatem timentium se facit exauditæ, ut Trinitatis adoratorem quem Rex post viginti dies jusserat ad se redire, nec in septimo anno valeret præsentialiter videre.

Matth. 23. 12.

Ægrotans ad Sigibertum accedere non valet.

16. Transactis autem illis septem annis[a], recordatus Rex Goaris, præcepit Legatis suis, quatinus postposita omni excusationis occasione compellerent eum ad se quantociùs venire. Ipse verò Dei cultor & pro se & pro aliis cotidie magna & acceptabilia divinæ majestati offerebat munera, devotas scilicet orationes pro omnibus hominibus, pro Regibus & omnibus qui in sublimitate positi erant, ut tranquillam & quietam vitam agerent in omni pietate & castitate. Emenso itaque septem annorum spatio, tum maximè & instantiùs lacrymas fundebat, illud sibi evenire magnopere desiderans quod Psalmista David prædixerat: *Qui seminant in lacrymis, in gaudio metent.* Sciens enim diem obitus sui magis magisque imminere, nequaquam differebat duplici sacrificio assiduè per contritionem cordis & corporis semetipsum Deo placentem hostiam offerre. Præ nimietate autem ægritudinis cùm se cerneret nullo modo posse obtemperare jussioni Principis, conversus ad ipsius Legatos sic allocutus est eos: Filioli mei in Christo, dicite Regi nostro Sigiberto: Hæc tibi mandat Goar ultimus omnium servorum Dei servus. Faciem meam ampliùs non videbis, nisi ad cellulam nostram in qua decumbo veneris, quia à valida febre correptus sum, quamvis non tantum, quantum mala merita mea exigunt. Hoc audito illi Legati cuncta per ordinem suo renuntiaverunt Regi, qui contristatus valde cœpit dicere: Non est plebs digna talem habere Præsulem, neque ego tanti meriti & virtutis possidere Doctorem. Hæc cùm dixisset iterum transmisit alios Legatos, rogans eum omnimodis ad se venire. At illi venientes repererunt illum graviùs & prolixiùs febricitantem & in Dei laudibus persistentem. Quibus visis dixit eis: Filioli mei, nolo vos ulteriùs fatigari, neque Regem vestrum: quia nec pedibus propriis, nec ullius evectione animalis valeo properare ad ejus conspectum. Confido autem in misericordia Dei mei, quia nullius violentiâ de hac in qua habito cella me educet vel spatio milliarij, nisi ad sepulturam funeris mei.

Psal. 125. 5.

Sacerdotes duos sepulturæ suæ ministros à Rege petit.

17. Hæc eo dicente, cum gravi anxietate qui fuerant missi, cœperunt eum interrogare quid vellet per eos Regem de causa sua rogare. Qui respondens dixit eis: Petitio mea hæc est, quatinus de loco isto hereditatem æternæ possessionis in regno cælorum sibi conquirat, & quando mihi extrema dies finisque hujus temporalis vitæ advenerit, auctoritate sua dirigat duos Sacerdotes, AGGRIPPINUM videlicet atque EUSEBIUM, ad sepeliendum corpus meum, quandocumque Deus me de hoc labili sæculo evocaverit. Cùm audisset Rex præ tristitia & gemitu immutavit faciem suam, & mandans Aggrippinum & Eusebium ad se venire præcepit eis, ut cum summa diligentia certarent adimplere quod sanctus Domini Goar postulabat obnixè. Per annos verò tres & menses tres ipse Sanctus diutina febre maceratus, venientibus ad se Aggrippino & Eusebio multisque Sacerdotibus atque servis Dei in ipso Germaniorum opido, ubi cellulam suam construxerat, in senectute bona obiit in pace pridie Nonas Julij. Cujus corpus Aggrippinus & Eusebius necnon & alij multi Deo famulantes cum summo honore sepelierunt in ipso loco ubi fluviolus Vvocara nominatur super ripam Rheni maximi fluminis, ubi Dominus noster JESUS CHRISTUS Filius Dei beneficia innumera omnibus in se credentibus atque ibidem cum fide petentibus hactenus præstare dignatur, qui cum coæterno Patre & Spiritu-Sancto vivit & regnat Deus per omnia sæcula sæculorum, Amen.

Moritur.

[a] Hinc patet sermonem esse de Sigiberto Dagoberti Senioris filio Austriæ Rege, cujus principatu Sanctus Goar ampliùs annis septem floruit, cùm Sigibertus ex Theoderico natus paucis diebus Regis nomen obtinuerit. S. Goaris obitum referimus ad annum circà DC. XLIX. prid. Non. Julias, quo die in Martyroll. Bedæ, Usuardi, Vvandalberti & Adonis memoratur. Certè Sigibertus ante annum DC. XL. junior erat, quàm ut istud factum cum S. Goare ab ipso geri potuisse videatur.

ALIA

CIRC. AN. DC.XLIX. JULII VI.

ALIA VITA

Auctore WANDALBERTO Diacono & Monacho Prumienſi, qui ſæculo nono floruit.

Ex Surio ad MS. cod. S. Remigii Remenſ. auctо & emendato.

IN CHRISTI NOMINE PROLOGUS WANDALBERTI Diaconi in Vitam & actus atque miracula B. Goaris editus ad inluſtrem virum MARCUVARDUM Abbatem Monaſterii Prumiæ incipit feliciter.

1. MIRACULA divinorum operum humano generi fide ſemper integra eſſe ſuſpicienda & devota glorificatione narranda, Scriptura ſancta commonente & Angelo hoc ipſum Tobiæ ſancto præcipiente didicimus. Plurima tamen eorum quæ aut per ſemetipſam Chriſti potentia efficit, aut per ſanctos viros mundo in exemplum propoſitos operatur, propterea noſtro tempore minùs interdum nota & clara habentur, quòd aut caducis rebus intenti parum hæc & leviter contuemur, aut ea etiam quæ in admirationem ſui nos magnitudine permovent, non tam rerum ignorantiâ, quàm animi deſidiâ futuræ poſt nos ætati ſcribendo tranſmittere diſſimulamus. Qua in re longè eſt noſtra quàm Majorum noſtrorum cùm manifeſtior, tùm inexcuſabilior culpa. Quippe apud Gallias multos annos litterarum ſtudia jacuêre, nec facilè plures per tranſacta retrò ſpatia liberalium artium munere functi eſſe reperiuntur, quouſque ad noſtram ætatem Principum liberalitate & optimorum virorum ſollertiâ adeò diſciplinarum ſtudia profecerunt, ut invidiam criminis meritò nunc ſuſtinere cogamur, ſi geſta ſanctorum virorum, quæ quidem ad noſtram potuerint pervenire notitiam, poſterorum ſcientiæ deperire ſinamus. Neque verò audiendi ſunt qui tantum ætati præteritæ tribuunt, ut nunc quoque fieri quæ digna litteris æſtimentur abſoluto præjudicio negent: cùm Divina providentia ſingulis mundi temporibus ita ſemper quæ humano generi pro modo & ratione congruant ordinet, ut neque nos priſcorum hominum felicitatem deſiderare conveniat, neque illos noſtrorum temporum ſtatum ſi qualis nunc agitur præſcire potuiſſent damnaturos fuiſſe credibile ſit. Quippe nunc quoque ſunt in Eccleſia multi virtute vitæ clariſſimi, & ad merita declaranda Sanctorum in ſacratis Eccleſiarum domibus ſtupenda ſæpenumero miracula fiunt, quæ propterea pauci, aut propè nulli mirantur, quoniam ſui frequentiâ duris jam hominum cordibus viluerunt.

Sanctorum geſta antiquis ob inſcitiam neglecta.

Scribenda ait auctor florentibus tum ſtudiis.

Auctoris tempore multa fiebant miracula.

2. Quoniam itaque me, ſancte & amantiſſime Pater MARCUVARDE, novo operi manum imponere compellitis, ut actus ſancti Confeſſoris Chriſti GOARIS, qui hactenus vili admodum ſtilo & ſermone multorum auditus offendente conſtiterunt, accuratiùs debeam explanare, additis ex novo miraculis quæ apud ejus Memoriam à pluribus geſta fideliter referuntur; breviter eis quos hæc fortaſſis mea ſcripta movere poterunt ſatisfacio, me neque præſumptivè corrigendi ejus operis cui Majorum ſtudia ceſſerint auctoritatem adſumere, neque arroganter novæ condendæ ſcripturæ litterariam operam adhibere: ſed ut ſimpliciter obedientiæ debitum ſervem, quod in principio poſui, perpendere, quòd opera Dei ſecundum Scripturam glorioſum ſit enarrare & Sanctorum geſta ætati poſt nos hominum profutura mandare. Equidem in hoc opere ſuſcipiendo cùm ſancti viri meritis plurimùm confido, tum veſtro imperio cui totum quod poſſim debeo non leviter moveor, neque rumuſculos vel præjudicia quorumlibet mihi fore magnipendenda exiſtimo, habituro apud benivolos ſi res bene ceſſerit abſolutum veritatis & fidei teſtimonium. *Prov. 23. 4.*

Explicit in Chriſti nomine Prologus.

INCIPIT LIBELLVS

De Vita & actibus S. GOARIS, *cujus feſtivitas celebratur pridie Nonas Julias.*

GOAR igitur Aquitaniæ provinciæ, quæ eſt totius propemodum Galliæ pars tertia, indigena fuit, genere à majoribus clarus, patre GEORGIO, matre verò VALERIA. Fuit autem diebus CHILDEBERTI Regis Francorum, qui ortus eſt ex proſapia Regis famoſiſſimi HLUDOVVICI, quem primum cum exercitu ſuo ad Chriſtianam veritatem B. REMIGIUS Epiſcopus Remorum prædicando convertit, manſitque uſque ad SIGIBERTUM Regem, qui urbem Mediomatricum regni ſedem habuit, omni vita probus & nobilis, actu inſignis, vultu digniſſimus, adſpectúque jocundus, mente humilis, corpore

Goaris patria, parentes ac virtutes.

CIRC. AN. DC. XLIX. JULII VI.

caſtus, fide integer, opere conſpicuus : qui ab ineunte ætate religioſis piiſque actibus vitæ optimæ deditus, brevi in eum culmen ſanctitatis evaſit, ut & mirabilium operum patrator & ſecretorum cæleſtium cognitor fieret. Et cùm in eo quotidie amor & deſiderium patriæ cæleſtis excreſceret & bonorum operum fructus ſubinde exuberaret, cœpit ejus vita etiam aliis exemplum ad ſalutem exiſtere, ut multi ejus non ſolùm prædicatione, ſed exemplo quoque commoniti, ad meliorem vitam & correctiores actus à pravitate converterentur ; & qui diabolo priùs ſervierant, inciperent Chriſto poſtmodùm militare.

Sacerdos factus in Germaniam ſecedit.

4. Et quoniam non poteſt civitas abſcondi ſuper montem poſita, ſancti viri eò fama ac vita profecit, ut Sacerdotii gradu & honore Preſbyteratûs [a] accepto, diſpenſator myſteriorum Chriſti & Divini verbi in populum fieret erogator. Dehinc cùm in ampliorem ſupernorum bonorum concupiſcentiam mens ejus excreſceret, & viſibilia cuncta deſpiciens in inviſibilium appetitum ſe omni ex parte transfunderet, patriam parentéſque deſeruit, & in ultimos Galliæ fines peregrinus ſæculo & cæleſtis patriæ civis exceſſit. Veniens ergo in provinciam quæ ripis Rheni fluminis contigua Tricoria nuncupatur, atque ad diœceſim pertinet Treverorum infra terminos Vvaſaliacenſes * Deo liberè ſervire delegit. Ibi in quodam loco ſuper rivulum qui nunc Wocara dicitur, cum permiſſu & voluntate Epiſcopi qui tum urbi & populo Treverorum præerat, Felicis * nomine, Eccleſiam pro ſuis viribus conſtruens, Sanctorum in ea plurima pignora collocavit, videlicet ſanctæ Dei Genitricis & B. Baptiſtæ Johannis, aliorúmque ſanctorum, quos recenſere neceſſarium non putavi.

a

**Oberwveſel, Surio malè* Veſalienſes.

Eccleſiam condit.

* *in alia* Felicius.

Hoſpitalitate excellit.

5. In hoc itaque loco annis multis Deo ſervivit, vacans die noctúque vigiliis, orationibus & jejuniis, ſtudens patientiæ & præcipuè hoſpitalitati, quam ita omni tempore ſecundum vires ſuas exercuit, ut cùm virtutibus animi cunctis polleret, hanc ut propriam & ſingularem habere putaretur.

Paganos ad Fidem adducit.

6. Cœpit interea gentilibus per circuitum ſimulacrorum cultui deditis & vana idolorum ſuperſtitione deceptis verbum ſalutis annuntiare, ut tamquam bonus Evangeliſta qui pro Chriſto ſua omnia dimiſerat, multorum ad cognitionem vitæ perpetuæ doctor exſiſteret. Sic factum eſt, ut plures è vicino pagani qui ad ea uſque tempora in errore duraverant, ejus & verbo commoniti & provocati exemplo errorem ſpernerent, & ad vitæ viam Chriſtum converterentur. Ac ne prædicationis ejus ſignorum quoque deeſſet auctoritas, ut incredulæ mentes, quæ ratione non poterant, ad credendum miraculis moverentur, cœpit in virtute nominis Chriſti ſanitatum beneficia circa infirmos & membrorum debilitate multatos aliquoties operari. Quod hodiéque merita hujus multipliciter petentibus præſtare conſpicimus, cùm ad ejus Memoriam cæcos viſum, claudos greſſum, energuminos mentis ſanitatem, aliiſque preſſos languoribus incolumitatem recipere cernimus, ut illud in ſancto viro Pſalmographi conſtet impletum : *Nimis honorati ſunt amici tui Deus, nimis confortatus eſt principatus eorum.*

Pſalm. 138. 17.

7. Erat ei ſollemnis conſuetudo, ut omni die Miſſarum ſollemnia celebrans, ſacrificium corporis & ſanguinis Chriſti pro ſtatu Eccleſiæ offerret, Pſalteriúmque ex integro [b] orando intentè compleret, tum deinde cum peregrinis & pauperibus quibus ſine pæne numquam erat cibum officio caritatis acciperet, quos oratione Deo commendabat, corporeo nihilominus alimento reficiens, ut ab eo peregrinus qui caſu adveniſſet cum verbo ſalutis & ope interceſſionis cibum quoque perciperet carnis. Hæc autem agebat Apoſtolicæ ſententiæ memor, quoniam hilarem datorem diligit Deus: & Chriſtum in pauperibus & peregrinis ſuſcipere cupiens, ut ab eo mereretur audire : *Quod uni ex minimis meis feciſti, mihi feciſti.*

b

Matth. 25.

Diabolo invidiam faceſſit.

8. Sed quia antiquus hoſtis electorum ſemper profectibus invidens, eorum ſtudiis multipliciter nititur occurſare, & omnes qui piè volunt vivere in Chriſto perſecutionem patiuntur; hæc à viro ſancto caritatis & prædicationis opera fieri diabolus acriter doluit, cœpítque illi nunc occultè, nunc etiam manifeſtè tentationum fraudes intendere, ejúſque propoſitum ut averteret modis variis laborare: quæ tamen ille cuncta æquanimiter tolerabat, qui noſſet per multas tribulationes oportere ingredi regnum Dei. Quare neque à prædicatione potuit cohiberi, quin lucrandis Deo animabus operam ſemper impenderet; neque ab operibus caritatis, quæ permaximè Deo accepta noverat, ullatenus valuit impediri : itaut quotidie concurſus ad illum multorum fieret, qui aut à gentili vanitate ad Fidei ſinceritatem confugerent, aut ejus exemplo cuperent voluntariam Chriſto dependere ſervitutem.

Æmulorum vexationes patitur.

9 Sed ſicut bonorum hominum eſt aliorum actibus quos laude dignos adſpexerint gratulari, & eis ad ſuum uti profectum ; ita contrà reproborum mentes conantur ſemper recta Electorum opera offuſcare, & quæ imitari nolunt aut etiam nequeunt, malivolo detractionis ore & ſtudio carpere. Unde accidit ut quodam tempore ad beatum Goarem duo ſub falſa ſpecie pietatis clientes Epiſcopi qui tunc Treverorum præſidebat Eccleſiæ, Ruſtici nomine, venirent, quorum

a Goarem fuiſſe Preſbyterum ex priori Vita conſtat, an verò ante ſuum in Germaniam receſſum ordinatus ſit, nonniſi ex Vvandalberto diſcimus. In veterrimo Martyrologio Corbeïenſi ac in nonnullis Kalendariis S. Goar *Epiſcopus* dicitur, qui quidem ad Epiſcopi honorem coptatus eſt, non promotus.

b Hoc in priori Vita non exprimitur, ſed tantùm quòd *omni die Miſſam celebraret.*

alter ALBUINUS alter vocabatur ADALVVINUS *, dicentes ſe ea quæ ad luminaria Eccleſiæ B. Petri urbis jamdictæ neceſſaria eſſent quæſitum veniſſe. Qui dum corporei luminis fomenta requirunt, vel magis ſe quærere mentiuntur, quibus malivolentiæ tenebris cæcati eſſent celare minimè potuerunt. CIRC. AN. DC XLIX. JULII VI. * *in alia* Aimannus.

10. Nam hi videntes quæ ſervus Chriſti ageret, quòd ſcilicet Dei verbum ad ſe venientibus continuè prædicaret, quòd quotidie ab ortu lucis pſalmodiæ laudes [a] Chriſto perſolvens, & Miſſas deinde celebrans, poſtea cum peregrinis & pauperibus qui ad ſe veniſſent pranderet, quæ certè ille ſtudio caritatis & indefeſſo uſu benivolentiæ, non alicujus intemperantiæ vitio faciebat; ut malis eſt vita bonorum gravis, arbitrati ſunt ſe aliquam nactos occaſionem, qua ſervum Dei accuſare, vitámque illius poſſent aliquatenus infamare: ita ad Patronum redeuntes, cœperunt alia pro aliis mentientes dicere, vidiſſe ſe in illo quæ ad reprehenſionem & deſtructionem aliorum valerent plurimùm, ipſum eſſe Goarem magis edacem viníque potatorem, quàm Dei (quod putetur ab imprudentibus) Sacerdotem: quippe qui mane comedat, ac bibat, nec poſſit conſuetum aliis legitimúmque cibi ſumendi tempus & modum ſervare: & qui propterea prædicet, ut obtentu verborum vitia morum celet, aliáque perplura gerat quæ niſi fuerint auctoritate Pontificali cohibita, ipſi Epiſcopo ſint contumeliæ & vituperationis maculam illatura, tamquam qui hæc in ſua diœceſi ab homine alienigena & mente capto fieri ſinat. Debere Goarem publicis Eccleſiæ ſiſti judiciis, ſuorúmque actuum reddere rationem, ne inſolentia conceſſa creſcat in alios, & quo pluribus ita licuerit agere, hoc Pontificalis auctoritas ampliùs infirmetur. Hæc ab eis dicebantur: ſed dum ſervo Chriſti calumniam ſtruunt, Divino judicio & ſancti viri clariorem reliquis hominibus vitam fecerunt, & ipſi quàm eſſent damnabiles innotuerunt. Accuſatur apud Epiſcopum. [a]

11. Itaque Epiſcopus Trevirorum hæc à ſuis ſuper viro Dei audiens, ut eſt interdum animus Prælatorum, maximéque carnalium, diverſis occupationibus ſerviens, quóque circa multa dividitur, eo fit minor ad ſingula, nec diſcernere facilè valet quid qua ex cauſa à pl riſque dicatur; motus ſuorum ſermonibus eoſdem ad beatum Goarem cum feſtinatione redire præcepit, mandans uti eum ſibi quantociùs exhiberent habituro ſuper ejus actibus quæſtionem. Illi celeriter ad ſanctum virum, ut præceptum erat, reverſi, volentéſque ſimulatione callida dolos ſuos & accuſationem celare, cùm tamen hæc eum minimè laterent, ſalutant eum ex nomine ſui Pontificis, petere illum atque mandare ut ad ſe debeat ſub celeritate venire. Quo audito vir ſimplici animo circa omnes magna exſultatione repletus gratias egit Deo, & quòd viſitationem ſui Pontificis, mandatúmque ad eum properandi meruiſſet accipere gratulatus dicens; Faciat Dominus, faciat ut poſſim, quia obedientia ſine mora exhibenda eſt. Etſi enim ſuſpectam habere poterat Epiſcopi juſſionem, nec facilè quam ob cauſam accerſiretur poſſet latêre, conſiderabat tamen Domini ad Apoſtolos auctoritatem dicentis: *Qui vos ſpernit, me ſpernit, & qui vos audit me audit.* Et illud Apoſtoli Petri: *Subjecti eſtote omni humanæ creaturæ propter Deum.* Ad Epiſcopi judicium provocatur. *Luc.* 10. 1. *Petr.* 2.

12. Quoniam tamen diei terminus imminebat, nec iter ſtatim arripere poterat, exſecutores ſuos ea nocte detinuit, & qua circa omnes ſolitus erat uſus humanitate, cænam ſecundum vires ſuas inſtruens, pro labore illos viæ refecit, ipſe ut conſueverat in Dei laudibus hymniſque pernoctans. Orta prima luce ut quot diebus agebat, pſalmodiæ & orationum vota Deo perſolvere cœpit: tum demum ubi id peregit, Miſſarum ſollemnia e orſus implevit. Præcepit deinde diſcipulo ut exſecutoribus ſuis ſibíque prandium ſicut poſſet inſtrueret. Fili, inquiens, para nobis de ſubſtantia noſtra convivium, ut nobiſcum Legati noſtri Pontificis epulentur, forſitan addet Deus aliquem pauperem qui poſſit in Chriſti caritate cibum unà potúmque percipere. Id ut homines malivolæ mentis & jamdudum animo corrupti mandari audierunt, ultrà non valentes peſtem malitiæ internæ diſſimulare, quid mente gerant oſtendunt: & tamquam qui perversè viventem juſtè reprehenderent aiunt: Neque tu bene agis, qui legitimum tempus & canonicum ſumendi cibi contemnis: neque nos tibi hac in re conſentimus quin maturas diei horas in percipiendis cibis ſuſtineamus. Quaſi regnum Dei ſit eſca & potus, & non juſtitia & pax & caritas: vel in cibo ſumendo tarditas magis quàm modus & temperantia valeat; aut vir ſanctus hæc causâ ventris & non benivolentiæ ageret, qui propterea utique cibum apparari præceperat, ut quos maturiùs proficiſci velle putaret, propter itineris laborem mane reficeret, & ne jejunos abire hoſpites ſineret, in quibus licet indignis Chriſtum ſe ſuſcepiſſe gauderet. Ut ergo illos obſtinatè ſibi reſiſtere vidit immodeſtè, ut erat ſemper tranquillo animo dixit: Mala domus eſt, in qua Dominus non timetur. Vos autem ſi verè Deum timeretis, caritatem utique non recuſaretis. Dum hæc loquitur, venit ejus puer & indicat peregri- Episcopi nuntios noctu retinet. NOTA. Invidorum religionem.

[a] Hinc conjicere licet voces iſtas, *Pſalmodia Curſum*, quibus Anonymus in alia Vita hoc loco uſus eſt, tempore Vvandalberti jam fere in deſuetudinem abiiſſe: licet apud quoſdam Auctores Vvandalberto poſteriores nonnumquam occurrant. Ekkerardus junior in cap. 3. de Caſib. S. Galli de Ratperto qui ſub finem ſæculi IX. vivebat, hæc refert: *Plurumque Curſum & Miſſas negligebat, Bonas, inquiens, Miſſas audivimus, cùm eas agi docemus.* Et Hariulfus ſæculi XI. ſcriptor in Chron. Centul. lib. 4. cap 35 de Gervino Abbate in extremis poſito; *Curſum*, inquit, *ſpiritales coram eo inceſſanter recitabantur.* Obſervandum verò eſt, Auctores antiquiores qui ad Caroli M. tempora eâ voce uſi ſunt, *Curſum* ſine addito paſſim protuliſſe: poſteriores verò *Curſum Pſalmodiæ* ſeu *Curſus ſpirituales* vel quid ſimile adhibuiſſe.

CIRC. AN. DC. XLIX. JULII VI.

num ſtare pro foribus. Quo audito gaviſus eſt & recepto in domum peregrino ait: Ecce quàm bonum & quàm jucundum habitare fratres in unum! Appoſitáque menſa cibum unà cum peregrino & ipſe cepit.

Æmulis ſuis viaticum ſuppeditat B. Goar.

13. Exſecutores hæc videntes, cum ingenti feſtinatione & alacritate ſuos equos ſtraverunt, dicentes tum ſe pro certo cauſam inveniſſe, qua Goarem accuſare, & manifeſti criminis apud eum à quo miſſi fuerant inſimulare valerent. Rogaverunt tamen uti pro labore viæ & itineris neceſſitate aliquid eis cibi & potûs quod in via percipere poſſent tribueret. Id ille qui plenus ſemper caritatis eſſet, & omnibus etiam ingratis benefacere paratus jucundè accepit: eiſdémque ſuis exſecutoribus quæ petierant in vaſa poni præcepit. Sic accito in comitatum viæ quo utebatur ſemper miniſtro, unà iter ad urbem Trevirorum aggreſſus eſt.

Fame ac ſiti divinitus torquentur.

14. Jam advenerat diei medium tempus & illis euntibus ſol altiorem ſui curſus axem conſcenderat, cùm ecce in vindictam ſui ſervi adeſt ultio Divina, & qui paullo antè oblatam ſibi pro caritate cibi potúſque reſpuerant copiam, eſurire vehementer ac ſitire cœperunt, tum etiam tanta laſſitudine adfici, quantam eſſent experti numquam. Inter hæc vir ſanctus in laude Divina & Pſalmis meditabatur, illud Apoſtoli exſequens: *Sine intermiſſione orate, in omnibus gratias agite.* Cúmque jam ſextum viæ miliarium compleſſent & in eum locum veniſſent qui Pauli-campus dicitur, Albuinus collegæ Adalvvino dixit: Fames me ingens & ſitis habet. Cui ille: At ego niſi celeriùs bibero, eveſtigio moriar. Conſtiterunt itaque ad quemdam rivulum, quem in vicino noverant deſcendere, ut ex eo bibere & circa ripas ejus cibum ſumere deberent. Sed ubi eò ventum eſt, nihil aquæ penitùs invenerunt, quippe eis in quibus malitiæ vis exarſerat, aqua rivuli nutu Creatoris aruerat. Miſerunt deinde manus ut ex ſacculis eſcas quas à viro ſancto datas meminerant ſumerent: ſed & ipſi vacui ſunt reperti. Et rectè, qui caritate quæ bonorum omnium eſt plenitudo vacui erant, vacua invenerunt vaſa in quibus alimenta à viro caritate pleno perceperant.

1. Theſſ. 5.

S. Goar eos mirabiliter paſcit.

15. His perturbati, cùm necdum culpam ſuam plenè cognoſcerent, & quid circa ſe ageretur mirantes, iter in equis agerent; eouſque excrevit laſſitudo eorum, ut Albuinus de equo velut exanimis caderet, & Adalvvinus ad virum Dei ſe conferens, magnis precibus ut ſui & collegæ miſereretur expoſceret. Tum ille qui legiſſet, *Si eſurierit inimicus tuus ciba illum, ſi ſitit potum da illi, hoc enim faciens carbones ignis congeres ſuper caput ejus*; & Dominum præcipientem adtenderet, *Diligite inimicos veſtros, benefacite his qui oderunt vos*, ei qui ſe rogabat reſpondit: Fili recordari oportet quia Deus caritas eſt & qui manet in caritate in Deo manet, & Deus in eo. Proinde hodie cùm me vobis pro amore Chriſti cibum offerentem & ipſum percipientem vidiſtis, non debueratis caritatis officium recuſare. Nunc autem ad correctionem veſtram operatur hæc Deus, ut ejus admonitione correcti diſcatis caritatem quæ eſt vinculum perfectionis amplecti. Dum hæc loquitur, conſpicit eminus tres cervas ingentis formæ, tamquam ſuo numero Trinitatis myſterium præſignantes. Invocata mox Trinitatis virtute, cervas conſiſtere quoad vellet ipſe præcepit. Illis confeſtim obedientibus & bruto licet ſenſu nomini Divino cedentibus, ac tacitè hominum duritiam & inobedientiam accuſantibus, vaſculum accepit & ad cervas perveniens earum ubera mulſit. Tum eas abire permittens, lacte quod mulſerat illorum qui ut exanimes jacebant membra pertrectavit, ſtatímque eos priſtinæ virtuti & incolumitati reſtituit. Præcepit deinde ut ad rivulum reverſi aquam haurirent, ac de ſacculis cibos accipientes jejuna corpora relevarent. Sic factum eſt, ut qui priùs propter offenſam viri ſancti vacua vaſa & arentem rivum invenerant, ejus poſtmodum veniâ impetratâ & in rivo aquam ſufficientem & in vaſculis ſuis eſcas quas poſuerant reperirent.

Rom. 12.

1. Ioh. 3.

Prælatis obediendum eſſe probat.

16. Eis ergo manducantibus, & quæ erga ſe ipſos geſta viderant mirantibus atque ſtupentibus, cœpit beatus Goar exquirere, quid cauſæ eſſet quòd eum ad ſe Epiſcopus evocandum putáſſet, ſibi mirum videri quid negotii ſecum Pontifex habere velit. Nam nos, inquiens, obedientiam Prælatis exhibere debemus, nec ſine cauſa eſt quod Divina circa nos potentia per feras hodie monſtrare dignata eſt, ſed ut oſtenderet quàm gerat ſuorum ſervorum curam, & quàm non deſerat in ſe ſperantes, quoniam potens eſt Dominus parare menſam in deſerto, & quàm magnificata ſunt opera tua Domine. Hîc illi timore & metu depreſſi nihil reſpondere, ſed purare ſe repentè interituros, quòd in ſervo Chriſti tantam cernerent virtutis efficaciam, quem eſſent auſi aliquatenus contriſtare. Iter poſthæc agentes, multa die Treviros pervenerunt: quò ut ventum eſt, vir ſanctus ut illi perpetui moris erat Eccleſiam eſt ingreſſus, uti ſe & cauſam ſuam Domino commendaret.

Ab Epiſcopo in calumniam rapitur.

17. Qui autem illum deduxerant, ad Epiſcopum quantociùs venientes, cuncta quæ in itinere contigiſſent, quæque in Dei homine conſpexiſſent ex ordine retulerunt. Ille cùm debuerit in admirationem divinorum operum converti, & Deum in Sancto ejus laudare, in furorem accenſus cœpit ſibi adſtantibus dicere, ea quæ Goar egerit, non tam ope Divina, quàm magica arte & maleficiis ab eo eſſe patrata: nec in illo aliquod veræ virtutis indicium poſſe exſiſtere, qui carni & ventri ſubditus mane comedat ac bibat, & jejunij inediæque ſit impatiens: cùm antiqui Sancti & Juſti per jejunium & abſtinentiam atque eleemoſynas Deo placuerint. Hæc ita jactabantur, tamquam ſolâ abſtinentiâ quis aliquando, & non caritate ſincéroque in Deum amore ſanctus exſtiterit.

18. Dum hæc apud Epiſcopum geruntur, præſente Clero Eccleſiæ, venerabilis Sacerdos domum in qua cum ſuis Ruſticus Epiſcopus conſederat ingreſſus eſt, cœpítque proſpicere quam in partem vel diſcipulus quo comite venerat concederet, vel ipſe cucullum ſuum poſſet appendere: cùm ecce videt in angulo domûs tamquam veſtem ligneum parieti hærentem, (erat autem ſolis radius per modicam feneſtram ingrediens) ad quem accedens, quoniam ut dictum eſt, veſtem putabat, in eo cappam ſuam appendit, juxtáque diſcipulum ſtare præcepit. Neque mirandum eſt ſolis radium ad obſequium viri ſancti ligni duritiam præbuiſſe, cùm qui Creatori devotè famulatur, ei ſit etiam creatura ex Creatoris voluntate ſubjecta. CIRC. AN. DC XLIX. JULII VI. Cappam ad ſolis radium ſuſpendit.

19. Hoc dum Epiſcopus cerneret, queri cœpit quid ſibi vellet, quòd ad ſolis radium veſtem ſuam Goar appenderet: non eſſe id Divini miraculi, quòd homo infirmus tanta præſumat: magis illum hæc jactantia & præſtigiis artis magicæ, quàm virtutis merito facere. Proinde accederet propiùs & rationem ſuorum operum redderet: ſibi mirum videri, quòd in quo nulla ſit excellentia ſanctitatis, feras mulgeat, & ſolis radio pro ligno utatur. Hæc dum ex viro ſancto quæruntur, & in ſimplicem purámque hominis Dei conſcientiam calumniæ inſtruuntur, vir ſanctus qui ſibi bene eſſet conſcius nihil umquam ſe malarum artium didiciſſe ſimpliciter reſpondit: Deus judex juſtus fortis & longaminis, ſcrutator cordium & ſecretorum inſpector, novit me nihil prorsùs artis magicæ aut ſciſſe aliquando aut ſcire, neque parti adverſæ in aliquo velle præbere conſenſum. Feras autem mulſi non ullis incantationibus, quarum ſcio omnino nullam, ſed quòd ad ſalutem eorum qui me comitabantur pietas mihi Divina conceſſit & ordinavit implevi: neque veſtem meam de ſolis ut dicitur radio pendere ſcio, ſed de fuſte roboreo. Quòd autem mane comedere dicor & bibere, videat qui inſpicit omnia & judicet, gulæ vitio aliquando an caritatis officio egerim. Magicæ artis calumniam à ſe propellit.

20. Hæc illo dicente, ſupervenit puer quidam ex Clericis Eccleſiæ nomine LEODGISUS in ulnis infantulum geſtans, qui ab hora nativitatis tres tantùm noctes impleſſe putabatur, & cujus qui eſſent parentes ignorabatur. Moris quippe tunc Trevirorum erat, ut cùm caſu quælibet femina infantem peperiſſet cujus nollet ſciri parentes, aut certè quem pro inopia rei familiaris nequaquam nutrire ſufficeret, ortum parvulum in quadam marmorea concha quæ ad hoc ipſum ſtatuta erat exponeret: quæ etiam concha nunc in Monaſterio Prumia dono PIPPINI clariſſimi Regis aquæductui mancipata, Fratribus aquam coram Refectorio præbet; ut cùm expoſitus infans reperiretur, exiſteret aliquis qui eum provocatus miſeratione ſuſciperet & enutriret. Si quando igitur id contigiſſet, cuſtodes vel matricularij Eccleſiæ puerum accipientes, quærebant in populo, ſi quis fortè eum ſuſcipere nutriendum & pro ſuo deinceps habere vellet: ubi ad eam rem offerret ſe aliquis, infans qui eſſet expoſitus Epiſcopo deferebatur, & ejus privilegio auctoritas nutriendi, habendique parvuli ei qui à matricularijs ſuſceperat firmabatur. Trevirorum mos erga infantes expoſiticios.

21. Id ergo tunc accidit: & infans in concha repertus, à Clerico ſupraſcripto in præſentiam eſt Epiſcopi Eccleſiæque delatus. Quo viſo, Epiſcopus ad ſuos converſus; Nunc, inquit, probare facilè poterimus, ſi Goaris opera ex Deo ſint, an ex adverſario. Manifeſtet nunc nobis qui ſint hujus qui illatus eſt pueri parentes; & ſi Divina virtute nititur, ut contra naturæ uſum infans trium dierum loquatur, ſuorúmque parentum nomina indicet faciat. Artatur hac vir Domini conditione, imperatur ei ab Epiſcopo ut ad demonſtrandam ſuorum actuum innocentiam & ſimplicis animi ſanctitatem hoc miraculi opus exhibeat. Debere illum tale aliquid agere, quo ad audiendum illum imitandúmque dubitantium animus roboretur: qui ſi hoc agere vel nolit, vel minimè poſſit, futurum continuò, ut neque præteritis ejus actibus, neque ei quæ de ſe ferat innocentiæ puritatique credatur: & quæ egiſſet eatenus eſſent maleficiis penitùs adſcribenda: quare & in eum capitalis animadverſio, ut in magum & maleficum fieret. Tum vir beatiſſimus contriſtari vehementer & affligi cœpit, quòd talia ei à ſuo Pontifice mandarentur, in quibus & attentandis videretur eſſe nonnulla præſumptio, & recuſandis difficillima neceſſitudo: ſibi ſemper conſcientiam propriam & ſuperni judicij teſtimonium ſuffeciſſe, non oportere talia imperari, non hæc ſua qui ſe ſciret in omnibus peccatorem, ſed Sanctorum eſſe miracula. Quoniam tamen Epiſcopi præceptis reſiſtere non valebat, ſimul & ne eorum qui ſe audire ſoliti eſſent conſcientia infirma in ſui æſtimatione falleretur metuere poterat, ad preces converſus & Deo ſuppliciter manus extendens ait: Chriſte qui temetipſum pro redemptione hominum exinaniſti & formam ex ſervi dignatus accipere, fac mecum quamvis indigno tamen clientulo tuo miſericordiam, & virtutis tuæ in hac neceſſitate potentiam oſtende, ut cognoſcat præſens Epiſcopus & plebs ejus, quia te diligo, te adoro, tibi non fictè ſervire deſidero, creator omnium & redemptor. His dictis ad bajulum infantis acceſſit, quæſivítque quot noctes infans idem ab ortu implêſſet. Cùm tres illum jam à nativitate noctes habere dixiſſet, vir Domini ſubjunxit: Trinitas ſancta te invoco, atque te infans in nomine Trinitatis adjuro, ut genitores tuos nominatim & clarè deſignes. Tum infans protenta ad Epiſcopum manu, abſolutiſſimo ſermone reſpondit: Iſte eſt pater meus RUSTICUS Epiſcopus & mater mea FLAVIA nuncupatur. Sic juſtiſſimo Dei judicio dum in ſervum Domini iſdem Epiſcopus calumnias molitur, & opera quæ debuerat admirari maligno fraudis commento nititur Infantis loquelâ Goar innocentiam ſuam tuetur.

CIRC. AN. DC.XLIX. JULII VI.

offuſcare, quæ eſſent ejus facta, qualiſque in ſecretis ſuis exiſteret qui palam de aliis judicaret, manifeſtè cunctis innotuit.

Epiſcopum ad pœnitentiam hortatur.

22. Itaque ubi proditum ſe vidit Epiſcopus, & quæ celari poſſe crediderat, omnibus revelata conſpexit, confuſus ad beati viri pedes procidit: indubitanter tum ſe agnoſcere dicens ſanctum & Deo acceptum eſſe Goarem, cujus virtute, immò divina pro eo ultione crimen quod nullum præter ſe & eam cui illicitè fuiſſet admixtus, unúmque puerulum ſuum ſcire, aut ſciturum aliquando putaverat, per innocentem tunc & necdum ex uſu loquentem infantulum cerneret patefactum. Vir autem ſanctus rem geſtam perpendens, ſtabat ſtupefactus & hærens, atque ex imo cordis ſuſpiria graviſſima ducens, & verſus ad Epiſcopum plangere cœpit, quòd per ſe videretur Pontifex publicatus: fuiſſe dicens meliorem ſpontaneam ſecretámque confeſſionem; oportuiſſe eum antequam publicè notaretur, conſcientiæ reatum emendatione voluntaria & ſatisfactione congrua tergere: quippe veram, fixamque eſſe ſententiam; *Matth. 10.* *Nihil opertum quod non reveletur, & occultum quod non ſciatur.* Proinde ſuadere ſe, uti conſiliis ſalubribus adquieſcens ſuſcipiat pro reatu proprio duram prolixámque pœnitentiam ex judicio Sacerdotum, & talem quæ non verbis ſolummodo conſtet, ſed ex mentis ſecreto procedat, veriſque lacrymarum gemitibus atque contritione ſpiritûs Deo qui vitam cunctorum deſideret ſatisfaciat. Laboret intentè quemadmodum diabolo cui commiſſo tanto ſcelere lucrum de ſe & lætitiam fecerit, triſtitiam & confuſionem actâ condignè pœnitentiâ faciat: non eſſe cuiquam, nedum ipſi de venia deſperandum, quando ipſe Dominus per Prophetam clamet: *Ezech. 18.* *Nolo mortem peccatoris, ſed ut convertatur & vivat, & in quacumque die peccator converſus fuerit, omnium iniquitatum ejus oblivioſcar.* Et per ſe in Evangelio dicat: *Luc. 5. 32.* *Non veni vocare juſtos, ſed peccatores ad pœnitentiam.* Cúmque ad dimittendum ſuperna clementia ſit parata, oportere homines eſſe ad pœnitendum promptiſſimos: ſe verò eo in illum eſſe animo, ut juxta virium mediocritatem pro peccato ejus ſeptem annis pœnitentiam ſuſcipere & conſummare velit, aſſiduiſque precibus & lamentis Deum pro illo cupiat exorare: quamquam non ignoret futuros plures bonos & meliores viros qui ejus lapſum plangere & ſuis orationibus ſtudeant ſublevare juxta illud Apoſtoli Jacobi: *Jac. 5. 16.* *Orate pro invicem ut ſalvemini.* His verbis & ſimilibus ad pœnitentiam & ſatisfactionem Epiſcopum exhortatus eſt, & caritate qua erga cunctos fervebat illius caſui compatiens, veniam ei à Domino poſtulabat, memor ſententiæ apoſtolicæ: *ibid.* *Quoniam qui converti fecerit peccatorem ab errore viæ ſuæ, ſalvabit animam ejus à morte.*

Septenam pro eo pœnitentiam promittit.

Modeſtè de ſe ac de Epiſcopi crimine Sigiberto reſpondet.

23. Hæc poſtquam ita geſta ſunt, fama horum ad Regem SIGIBERTUM velociſſimè venit: ſtatimque ſuos ad beatum Goarem Legatos dirigens, eum ad ſe accerſiendum curavit. Móxque ut apud ſe eſſe cognovit accitum, interrogat ſuper his quorum ad ſe eſſet fama delata, Legatis ſcilicet Epiſcopi & feris quas mulſerat, Epiſcopo quoque ipſo & infante, qui præter tempus eſſet locutus ætatis. Ad hæc cùm ille nihil omnino reſponderet, ne quid de ſe paſſim jactare videretur, commotus Rex per obedientiam quam ipſe vir Dei Regibus, Principibúſque & Sacerdotibus debeat, præcipit, ut ſuper quibus interrogaretur, per ordinem aperiret. Tum demum neceſſitate compulſus, ex percunctante Rege quærit quæ ſint quæ à ſe velit audire. Cùm ille de Legatis & feris, atque Epiſcopo ſe quærere reſpondiſſet, Sanctus vir petiit ut ipſe Rex quemadmodum res geſtas audiſſet ediceret. Ut hoc à Rege factum eſt, & per ordinem, ut rerum geſtarum fides ad ſe perveniſſet, explicitum, beatus Goar ſubjunxit: Obedientiam negligere non debeo, nihil tamen aliud ex me audies quàm quod ipſe dixiſti, nam aliis ſic videtur factum quemadmodum tibi relatum eſt.

Epiſcopatum recuſat.

24. Tunc Rex admiratione repletus, cœpit palam omnibus enarrare quæ ipſe de viri ſancti actibus agnoviſſet. Cúmque hæc proſequeretur, univerſi acclamare, dignum eſſe Goarem qui expulſo Ruſtico Trevirorum Epiſcopus fieret: non id actum ſine ordinatione Divina, debere præeſſe Eccleſiæ eum qui ſignis & virtutibus, vitæque meritis paſtoralis officij dignitatem poſſet in omnibus adornare. Rex etiam læto & alacri animo acclamantium voces cupiebat implere. Itaque cum favore eorum qui aderant Sacerdotum & Primorum palatij præcepit, uti Epiſcopatum jamdictæ Eccleſiæ Goar acciperet. Ille verò qui non ſua quæreret, ſed quæ aliorum, & qui illud viri ſapientis ſervare ſciret; *Eccl. 3.* *Quanto magnus es, humilia te in omnibus:* & illud Dominicum; *Luc. 17.* *Cùm omnia feceritis, dicite, ſervi inutiles ſumus, quod debuimus facere fecimus:* mærere & contriſtari, Regíſque imperium graviter ferre, meliúſque dicere ſibi eſſe mori quàm Epiſcopi Sedem arripere, debere Regem in Sacerdote divinam conſiderare ſcientiam qua dicitur: *Non eſt diſcipulus ſuper magiſtrum, neque ſervus major domino ſuo. Et ſi patremfamilias Beelzebub vocaverunt, quanto magis domeſticos ejus?* non eſſe negandum Epiſcopo pœnitentiæ locum, omnium in cælis Regem eſſe qui de ſingulis judicet, à quo ut velit ipſe Rex ſibi peccata dimitti, ſic debeat Ruſticum permittere ut ex illo ſuorum actuum veniam ſedulus expetat: non eſſe tam facilè dejiciendum officio Sacerdotem, quando omnes mortales fragiles ſimus & ad peccandum ex carnis infirmitate proclives.

Rege urgente inducias petit.

25. Ad hæc quæ viſa ſunt Rex reſpondit: exitus tamen orationis fuit, ſe neque Epiſcopo pœnitentiam denegare, & conſiliis ejus per quem talia ſint patrata miracula velle in omnibus obedire: neque tamen poſſe Sacerdotum ſententiæ & judicio populi contraire, quin ipſum

ut petatur ad Episcopatum faciat promoveri. Tunc vir sanctissimus ubi obstinatè sibi Regem vidit obsistere, humiliter eum & cum lacrymis petiit, ut copiam sibi eundi ad cellulam propriam faceret, uti secum aliquamdiu liberiùs tractare, & sic demum illi quod videretur congruum respondere valeret. Id continuò Rege permittente & ut post xx. dies ad se Mediomatricum urbem, quæ nunc Mettis vocatur, redire præcipiente, recessit ad cellulam, aliud sine dubio interim agere disponens, quo possit Regis declinare propositum. Ut ergo pervenit ad cellam, se se in orationem prosternens Dominum cœpit intentè & cum gemitu deprecari, ut se à tanto onere curæ pastoralis misericorditer dignaretur eripere: sufficere sibi ut secretò & in abditis conscientiæ ipsi diebus vitæ suæ serviret, nec se posse onus quod Rex vellet imponere sustinere. Cúmque in his precibus persistens semetipsum affligeret, ex voluntate Dei febre valida correptus ægrotare cœpit, & longo corporis incommodo fatigari. Quid plura? Sic res accidit & eum habuit exitum, ut quem post viginti dierum excursum visurum se Rex æstimaverat, nec in septem annorum spatio videret. Atque eo modo circa famulum suum divina providentia egit, ut & instantiam Regis ad Episcopatum se cupientis promovere declinaret, & quod Episcopo pollicitus fuerat septem scilicet annorum pro eo supplicationem licet in infirmitate positus adimpleret. Nam cùm omni vitæ suæ tempore, tum maximè illis septem annis orationi vacavit, orans sicut Apostolus præcipit pro omnibus hominibus, pro Regibus & omnibus qui in sublimitate erant, ut quietam & tranquillam vitam agerent in omni pietate & castitate. Eisdem autem annis septem exactis sine cessatione lacrymas fundebat, & assiduè Dominum precabatur, memor ejus sententiæ: quoniam qui seminant in lacrymis in gaudio metent; & sciens finem vitæ suæ non multùm abesse, cupiénsque dissolvi & esse cum Christo.

CIRC. AN. DC.XLIX. JULII VI.

1. Tim. 2.

26. Itaque postquam annorum VII. spatium evolutum erat, Sigiberto Regi in mentem venit quid super sancto Goare tam sibi, quàm populo & Proceribus palatij placuisset: atque evestigiò Legatis ad illum missis orat uti ad se venire debeat. Sed vir spiritu Dei plenus, qui sciret dissolutionem sibi corporis imminere, Legatis prophetica voce respondit: Dicite, ô filioli, domino vestro, quoniam faciem meam non est in præsenti vita visurus, nisi fortè velit ad cellulam nostram ipse venire, quoniam infirmitate gravissima comprehensus, nusquam progredi valeo: quamquam hæc divinæ pietatis flagella longè sint meis meritis leviora. Hæc cùm Legati ad Regem responsa pertulissent, contristatus ille dicere cœpit: non esse se dignum talem habere doctorem, neque plebem quæ tantum mereretur possidere Pontificem. Misit tamen adhuc alios, per quos petiit obnixè, ut usque ad suam præsentiam vir sanctus fatigari dignaretur, neque se desideranti magnopere Principi denegaret. Qui ut venerunt servum Christi multo validiùs febre laborantem & prolixiùs ægrotántem, atque in Dei laudibus jugiter persistentem invenerunt. Quibus apud se positis vir sanctissimus ait: Nolite, ô filioli, aut vos ipsos, aut Regem vestrum ulteriùs fatigare, quoniam certum habeo & ita ex pietate superna confido, me neque extra spatium loci istius ampliùs egressurum, neque ullam evectionem aliam quàm ad sepulturam propriam subiturum. Ita in proposito permanens, fixus in Dei laudibus & oratione durabat.

Sigibertum præ infirmitate adire non potest.

27. Tum Missi illi qui ad eum venerant, quid sibi per ipsos ab Rege vellet impetrari percontabantur. Quibus ille respondit: Petitio mea sola hæc est, ut si ei placet, de hoc loco amplificationem meritorum & causam retributionis æternæ sibi in regno cælorum adquirat: & cùm extremus mihi in hac vita dies & debitus finis advenerit, auctoritate sua & imperio ad me AGRIPPINUM & EUSEBIUM Sacerdotes venire faciat, qui meum corpusculum debeant sepulturæ mandare. Hoc accepto responso ad Regem qui missi fuerant revertuntur, verba Sacerdotis & preces ex ordine referentes. Ea Rex ut cognovit graviter commotus ingemuit, faciésque ejus immutata est, quoniam tantum virum citò se amissurum videbat. Móxque suprascriptos ad se Sacerdotes accersiens, pro voluntate viri sancti eos proficisci ad cellam illius jubet, mandans ut quæ ille præciperet, cum omni diligentia & studio adimplerent.

Sepulturæ suæ locum & ministros à Rege postulat.

28. Itaque post illos[a], quos memoravimus suprà, septem annos, triennio & tribus mensibus in infirmitate & Dei laudibus exactis vir beatissimus plenus dierum & operibus bonis, actibúsque justitiæ consummatus, positis coràm supradictis Sacerdotibus & compluribus aliis bonis & honestis hominibus, in cellula sua in qua multos annos Deo serviens egerat, decessit pridie Nonas Julias, relinquens corpore sæculum, cujus voluptates & desideria olim pro amore patriæ supernæ reliquerat: & ad eum quem incessanter concupiverat Regem Christum felicitatémque cælestis vitæ perveniens, futurus ibi sine fine possessor æternorum bonorum, qui hic bona quæ putantur præsentis temporis cùm potuerit noluit possidere, & habiturus cum Christo domum non manufactam æternam in cælis, cui in suis membris domum suam pauperem & terrenam fecerat frequenter hospitium. Ejus jam exanime corpus Agrippinus & Eusebius, aliique qui aderant Sacerdotes & nobiles viri cum summo honore & reverentia

Moritur ac sepelitur.

[a] Immo ex primarij auctoris mente, tres anni quibus S. Goar afflicta fuit valetudine, inter septem annos illos computandi sunt.

CIRC. AN. DC. XLIX. JULII VI. curaverunt, atque in eodem loco & Eccleſia quam ipſe conſtruxerat, ſepulturæ mandarunt.

Auctoris fides & peroratio. 29. Hæc habui de vita ſancti viri Goaris quæ ſcripturæ mandarem, accepta ex vetuſtis & perantiquis exemplaribus, quorum rerum geſtarum narratione veritatem fide integra ſubſequens, ſolam ſermonis quæ eruditos non parum offendere poterat ſimplicitatem pro veſtra voluntate, vir clariſſime Patérque venerande, corrigere ſtudui, optans & meipſum & omnes qui hæc lecturi ſunt, tanti viri interceſſione & meritis apud Divinam ſemper adjuvari clementiam, ut qui ex infirmitate carnis humanæ & conditione mortalis vitæ multa quotidie contra leges Divinas agimus, ejus qui quoad vixit integrè legi Chriſti ſervivit interventu, & peccatorum pondere ſublevari & ad bene vivendum mereamur opitulari, præſtante Domino JESU-CHRISTO, cui eſt cum Patre & Spiritu ſancto honor & gloria in ſæcula ſæculorum, Amen.

Libellus de Vita & actibus Sancti ac beatiſſimi GOARIS *Confeſſoris editus à* WANDALBERTO *Diacono explicit feliciter.*

INCIPIT ALTER,

De Miraculis quæ geſta ſunt apud Memoriam S. Goaris, ex quo Eccleſia ejus ædificari cæpta eſt feliciter.

Auctoris Prologus. I. EXPLICITIS jam quæ de vita & actibus B. Goaris ſcripturæ à Majoribus utcumque mandata reperi, quæque hortatu veſtro, Pater in omnibus ampleCtende, ut potui corrigere ſtudui, aggrediendum mihi novum opus video: ut quemadmodum in prioris libelli præfatione promiſi, ea quæ de miraculis apud ſacratiſſimam Memoriam ſupradicti Confeſſoris divinitus geſtis à Fidelibus didici, memoriæ poſterorum ſcribendo proponere debeam. Quippe quæ tam eſſe clara pervideam, ut quod hactenus præter pauciſſimos quos eis intereſſe vel ab his qui interfuerint audiſſe contigit, reliquis [a] omnino latuerunt, non levi culpæ deputandum crederem, niſi hanc ſcriptorum excuſaret inopia, & uſus ille qui quorumdam deſidiâ & torpore ſurrepſit, quo negligentiùs Divina opera ſuſpicere & beneficia noſtris conceſſa temporibus ut levia parvi pendere conſuevimus. Ego verò in his deſcribendis fidem eorum qui hæc mihi retulêre pleniſſimè ſubſequens, ea tantummodo comprehendam quæ vel præſentes ſe ipſi vidiſſe, vel ab eis qui viderint accepiſſe confirmant. Quamquam ea quoque tot ſint ac tanta, ut ſi omnia litteris tradere cupiam, modum me videam juſti voluminis exceſſurum. Unde æſtimare facilè poſſumus, quanta illa fuerint, quæ per longa retro temporum ſpatia geri meritis ejus viri & virtute potuerint, cùm in tantam excreverint quantitatem quæ ab annis plus minus VI. & LXX, geſta & ad noſtram notitiam perlata noſcuntur. Neque enim credibile eſt ſancti viri merita in exhibitione miraculorum noſtris primùm diebus cœpiſſe clareſcere, & non etiam priori tempore eadem quæ nunc conferuntur credentibus & devotis per illum beneficia eſſe collata, tametſi ea quæ poſteris ſcripto traderent defuêre. Id etiam cunctos in quorum hæc manus venient ſcire velim, me in horum aſſertione non quibuſlibet fidem accommodâſſe, ſed viris fide dignis, & de quorum veraci relatione vos ipſi, venerabilis Pater, arbiter fueritis, præcipuéque HERIRADO veſtræ Congregationis Monacho atque Preſbytero, & THEODRADO Cellæ S. Goaris Clerico, qui & ævo jam maturiores eſſent, & à puero circa locum ipſum diverſati fuiſſent.

Scriptionis hujus auctoritas.

I. *De Tranſlatione corporis S. Goaris.*

Cella S. Goaris Aſuero Prumienſi Abbati à Pippino tribuitur. 2. SED ut ad narrationem veniam, cella S. Goaris poſt multos quàm ipſe deceſſerat annos, cùm in ea jam & Clerici qui Divina officia agerent alendi ſtipendiis Eccleſiæ haberentur, & populi frequentia major in dies excreſceret, à religioſo Francorum Principe PIPPINO patre auguſtæ memoriæ Imperatoris CAROLI, venerabili ASUERO qui tum Monaſterio Prumiæ quod tertius nunc ab illo, Pater optime, regitis, primus præerat, eſt commiſſa, ut ejus ſtudio & locus melioraretur, & qui in ipſo degerent Clerici in Religionis cultu & ſtudio docerentur. Quam ille ſuſceptam omni niſu excolere ac nobilitare deſiderans, Baſilicam ſupra corpus viri ſancti ædificare cœpit, quæ & amplitudine ſui populo recipiendo ſufficeret, & decore congruentior meritis B. Confeſſoris exſiſteret. Quippe priùs ibi duæ Eccleſiæ non multo à ſe ſpatio diſtantes erant, quarum quæ ſitu minor erat, corpus venerabile in terræ ſi-

[a] Ciceroniana planè oratio, in ſcholis alioqui ferulâ caſtiganda.

nu con-

nu continere credebatur, ſed locus ipſe ſepulcri incertus omnibus erat. Ea in ſui integritate relicta, fundamentis per circuitum jactis, hanc quæ nuncuſque manet ſupraſcriptus Abba conſtruxit, nec prior eſt antè diruta, quàm omne præſentis ædificium compleretur. Quo in tempore rem miram qui bene noverunt proveniſſe teſtantur: quòd donec ædificata eſt Baſilica omnis, nihil aquæ penitùs ex imbribus tametſi copioſiſſimis in omne loci ſpatium ſit delapſum: ſed cùm fortè pluviæ fierent, ad medium Rheni ſpatium & cacumen montis per circuitum pluvia decidens, reliquum quod intererat intactum penitus relinquebat. Ita Divino miraculo palam fiebat, quàm gratum illud ædificij opus ſuperno reſpectui foret, cujus inſtantiam imbres aliquatenus impedire prohibebantur.

CIRC. AN. DC. XLIX. JULII VI. Eccleſia non ſine miraculo inſtauratur.

3. Perfectâ Baſilicâ, ubi jam tempus quo divino nomini eſſet conſecranda ſucceſſit, miſſi ſunt ab excellentiſſimo principe Carolo Lul. * Mogontiaci Archiepiſcopus, vir ex Anglorum gente moribus & vita laudabilis, BASINUS Nemeti quæ civitas nunc Spira vocatur, & MEHINGODUS urbis quæ trans Rhenum ſita ſermone barbaro *Wirziburc* appellatur, Epiſcopi, qui omnes à B. BONEFACIO Pontifice & Martyre fuerant ordinati: ut per eos & Eccleſia conſecrari, & corpus viri beatiſſimi in eum quo nunc ſitum eſt locum transferri deberet.

Dedicatur. * Lullus

4. Ventum erat ad locum & conſecrata domo tranſlatio corporis parabatur, aderat Aſuerus Abba cum Monachis nonnullis, & infinitum vulgus undecumque confluxerat. Viſum eſt Epiſcopis triduano priùs jejunio Domini voluntatem quærendam, & ſic ad levandas Reliquias corporis accedendum. Eo igitur ab omnibus devotè peracto Lul. Archiepiſcopus in antiqua æde ſuos fodere præcepit, uti repentè Reliquiæ venerabiles levari, tranſportarique deberent. Sed cùm omne ejus ſolum defoſſum pertentatúmque eſſet, nec tamen ejus qui quærebatur theſauri aliquod repertum indicium; turbatus Epiſcopus ex Abbate quærit, ſi in loco aliqui qui Deo ſervirent Clerici haberentur. Cùm ille ſex eſſe tantummodo reſpondiſſet, eos ad ſe Pontifex accitos hortatur, uti pro inveniendo Patroni ſui corpore divinæ miſericordiæ ſupplicarent: alios qui aderant in ſua ad tempus ſe recipere mandans, ipſe cum Abbate & Coepiſcopis ad convivandum abſceſſit. Tum qui remanſerant Clerici ſollicitè Chriſtum rogare, ut ubinam venerandæ reliquiæ conditæ latêrent reperire valerent. Erat inter alios quidam, MADALBERTUS nomine, Clericus manu dextera greſſúque debilis. Is correpto ligone ſimpliciter; Nunc, inquit, ſi Deus volet, ubi meus Dominus ſitus ſit, palam erit. Confeſtimque extra ſpatium illius antiquæ ædis progreſſus & non longè ab Orientali ejus pariete terram ligone percutiens, laterem ictu motum levavit: quo levato & modico foramine patefacto, debilem manum adhibuit, & holoſericam veſtem qua infra ſeptum latericio pariete ſtructum ſarcophagum corporis tegebatur, comprehenſam traxit, moxquè manus ejus antehac debilis ſanitati eſt reſtituta. Itaque feſtinè detecto ſarcophago, & ad rem novam ſignorum commotione Epiſcopis & populo convocatis, omnibúſque qui aderant Deo laudes & gratias referentibus, corpus viri ſancti intra ſarcophagum in locello plumbeo repertum eſt. Quod ilico levatum, atque in feretro compoſitum, ex eo loco ad Oratorium B. MARIÆ, quod ex antiquo in vicino ſitum erat ſublatum eſt, referendum paullo pòſt ſpectante populo in Ædis novæ locum ei recipiendo paratum.

Reliquiæ S. Goaris triduano jejunio & oratione quæruntur. Inventæ Clericum manu debilem curant.

5. Viſum deinde Epiſcopis eſt, ut quoniam propter anguſtias loci (nam ex altera parte Rheno flumine, ex altera monte altiſſimo cingitur) vulgus omne coïre in unum non poterat, in longum circa radices montis diffunderetur: & ita Reliquiæ venerandæ propter frequentiam & deſiderium multitudinis paullo longiùs exportatæ per ſuperiorem viam quæ circa radices montis deducit, in Eccleſiam novam revocarentur. Hoc prolato conſilio cum levare feretrum Epiſcopi voluiſſent, ita eſt prægravatum, ut moveri omnino non poſſet. Hinc omnibus ſuſpenſis diutiſſimè & hærentibus, Archiepiſcopus Deo ut pòſt claruit inſpiratus, alloquitur plebem, beatum Goarem quoad vixerit inanem gloriam mundi, plauſúſque hominum & favores, ut rem fragilem & caducam amore bonorum perennium contempſiſſe: ea ipſa nihilominus eum poſt obitum quoque contemnere. Proinde oportere corpus ejus ſimpliciter & cum humili devotione levatum ab ipſa Eccleſia in novam domum per illud quod intererat ſpatij reportari, neque ad vulgi favorem longiùs ut ſtatuerant circumduci. Vix Pontifex verba finierat & motum continuò feretrum tanta facilitate levatum eſt, acſi oneris aliquid habuiſſet numquam: relatæque in Ædem novam per Epiſcopos & Abbatem Reliquiæ venerabiles, in eo quo nunc coluntur loco ſummo honore ſunt & reverentia conditæ. Denique pallium quod ſupra ſarcophagum repertum ſuprà diximus, hodiéque ſuper altare Eccleſiæ incorruptum perſeverat. Sic per longioris ævi tempora veſtis illius integra manet, cujus apud Deum merita ſemper indefecta perdurant. Conſummatâ in omni opere ſuo Baſilicâ, & Memoriâ Sancti viri ut oportebat ornatâ, cœperunt miracula ibi beneficiaque Divina ſubinde cumulari: de quibus hinc aliqua ſi poſſim tentabo perſtringere, quid ſub quo geſtum fuerit Abbate ordine ſervato commemorans.

Reliquiæ primò immobiles, in novam Eccleſiam deferuntur.

CIRC. AN. DC.XLIX. JULII VI.

II. *De vino quod excrevit in cupa ſub* ASUERO *Abbate.*

6. ASUERI qui primus Cœnobio Prumiæ præfuit tempore fortè accidit, ut adſolet ex terræ ſterilitate, minorem in Gallicis regionibus vini copiam proveniſſe. Jámque novæ vindemiæ tempora propinquabant, & Clericis in Cella viri ſancti degentibus, una ſolummodo vini cupa ſupererat. Ea cùm cœpiſſet expendi, & quotidie cùm eiſdem Clericis, tum hoſpitibus quorum ibi frequentia non minima ſemper exſiſtit, ex ea pocula præberentur, ſpatio novem ſive octo dierum tranſacto cùm vix media ejus parte vel tertia vinum contineri putaretur, repentè in ea ad ſummum uſque repertum eſt excreviſſe, ut ſubjacens quoque pavimentum vino excreſcente fuerit madefactum. Et meritò quoniam vir beatus hoſpitalitatem propriè & ſincerè quoad vixit exercuit, actum eſt, ne vel ipſis ſervientibus, vel hoſpitibus qui ſupervenirent unde vinum miniſtraretur deeſſet.

III. *De vino quod aperto cupæ cuniculo manſit.*

7. ET ut miraculum ſimile ſubdam; quodam tempore cùm Cellerarius loci nomine HORDUINUS imminente jam noctis quiete, vinum de cupa quadam hauſiſſet, caſu contigit ut cupæ cuniculum aliud fortè meditans infirmè clauderet & abiret. Cúmque ſequenti die regreſſus ad eamdem cupam veniſſet, cuniculum quidem apertum invenit, & ante illum ductam aranei telam: ſed ita vinum in cupa ſteterat, ut ne unius quidem guttæ de ea lapſæ indicium in pavimento reperiri valeret.

IV. *De ſervo Widonis cujuſdam claudo & ſanato.*

8. PER idem tempus cùm ad locum Widonis cujuſdam de nobilibus ſervus claudicans adveniſſet, meritis ſancti viri ſanatus, Eccleſiaſtico ſe ſervitio permittente ſuo domino mancipavit, ac non poſt multum temporis Preſbyter factus adhuc cùm hæc ſcribebantur in hac vita ſupererat.

V. *De quodam Freculfo mente capto.*

9. SUB eodem Aſuero quidam major regiæ villæ quæ non longè poſita Waſalia dicitur, Freculfus nomine mente captus, cùm eſſet à ſuis ad venerandam Memoriam deductus, mentis ſanitatem recepit.

VI. *De Waltario homine nobili dæmoniaco.*

10. WALTARIUS quidam homo ſecundum ſæculum nobilis, qui nunc uſque ſupereſt, cùm vexationem graviſſimam pateretur, & indubiè ſpiritu dæmonico ageretur, inſutus corio ad venerabilem tumulum eſt deportatus; ubi cùm aliquamdiu jacuiſſet, protenſis manibus ſeipſum, ſuáque omnia ſancto Goari magnæ vocis profeſſione ſubjecit, & optimam inſuper vineam dedit, quæ nunc uſque in ejuſdem Cellæ poſſeſſione perdurat: continuóque ea quam diutiſſimè paſſus fuerat amentiâ caruit. Is hodiéque licet in libertate propria maneat, & interdum avaritiæ æſtu ſuccenſus (ut à multis incuſatur) aliena quoque diripiat, ſervum ſe tamen ſancti Goaris & ab eo ſanatum eſſe voce liberrima proteſtatur.

VII. *De Reginario ejuſdem Waltarij patruo pro ſuperbia punito.*

11. EJUSDEM Waltarij patruus nomine REGINARIUS, homo licet nobilis, moribus tamen & actu crudelitati atque avaritiæ ſubditus, cùm locum ſanctum ſperneret, & omnes Romanæ[a] nationis ac linguæ homines ita quodam gentilicio odio exſecraretur, ut ne videre quidem eorum aliquem æquanimiter vellet, ac ſi quos fortè ex eadem familia comprehendere potuiſſet, crudeliter nonnumquam adficeret. Cúmque eodem ſtulto odio & animo barbaro venerabilem Aſuerum, ejuſque nonnullos Monachos deteſtaretur, caſu ipſo Abbate in Cella degente per locum coactus eſt itineris neceſſitate tranſire: & cùm jam Eccleſiæ propinquâſſet, rogat ſervum qui comitabatur, ut ſi poſſit ea ſe via ducat, qua conſpectum Baſilicæ Goaris Romanorúmq; hominum, Aſueri ſcilicet Abbatis & ejus comitum præſentiam valeat declinare: tanta ejus animum innata ex feritate barbarica ſtoliditas apprehenderat, ut ne in

a

a Id eſt Gallicanæ: nam Gallos antiquis Romanos dictos non ſemel obſervavimus. Et Lutzemburgum opidum, cui finitimi ſunt Trevirenſes Galliæ Belgicæ populi, Auguſta Romandorum à Ptolomæo appellatur.

tranſitu quidem Romanæ linguæ vel gentis homines & ipſos quoque bonos viros ac nobiles libenter adſpicere poſſet. Promittit ſervus ſe poſſe quod petebatur implere. Ut ergo itineris aliquantulum confecerunt & ad ipſum Monaſterij Baſilicæque locum perventum eſt, monet dominum ſervus, ſi conſpectus eorum quos horreat vitare velit, breviſſimo tempore pallio caput operiat. Ille cùm veſtigiò quod monebatur impleſſet, & extra loci ſpatium proceſſiſſet: Modò, inquit ſervus, retro cave reſpicias, nam aliter eorum quos ut poſſes declinare petiſti, conſpicies neminem. Vix ea ſervus impleverat, confeſtimque & ſub eodem pæne momento prædictum Reginarium ventris apprehendit effuſio, nec magnâ morâ ſecutâ poſt pauciſſimos dies vitam finivit. Ita qui ſtultiſſimo, immo ſuperbiſſimo animo loci venerandi, virorúmque bonorum conſpectus horruerat, juſto Dei judicio & luce mortalibus communiter attributa & vita caruit.

Circ. An. DC. XLIX. Julii VI.

VIII. *De piſcibus in feſtivitate S. Goaris divinitus datis.*

12. CUM ad feſtivitatem ſancti Goaris quodam anno ex Monaſterio Prumia Asuerus Abba veniſſet, unáque ex Monachis nonnulli, accidit ut propter Rheni fluminis inundationem piſces qui Abbati & Fratribus poſſent miniſtrari deeſſent. Cúmque jam ipſe ſollemnitatis dies illuxiſſet, & ante Eccleſiam mane pauci è Fratribus reſiderent, Ans egilus quidam bonæ vitæ Monachus unà reſidens per jocum locutus ait: O beate Goar, ecce quàm bonus es mercedis recompenſator, nos tibi ſervimus, & in vigiliis atque pſalmodia tuæ feſtivitatis gratiâ laboramus: hodie ne unum quidem nobis quo reficiamur piſciculum præbes. Vix hæc ille verba finierat, & non poſt longum temporis intervallum in vaſis ex vimine ſalicum ad piſcandum paratis, quæ nuper à piſcatore de quadam arbore in præripio [a] fluminis ſuſpenſa, excreſcente poſtea flumine in aqua remanſerant, duo non modici piſces, quos vulgò ſelures dicimus, reperti ſunt, atque in præſentiam Fratrum eo quo conſederant loco delati. Hoc autem piſce cáusâ infirmitatis Abba non utebatur. Tum ille qui & priùs; Pro nobis, inquit, nunc bene egiſti piſces noſtræ refectioni providens, ſed illum ſenem Abbatem tuum negligere non debes: non enim his ille poterit uti. Hæc Monachus: & modico tempore lapſo cùm à molendino farinam navicula piſtor deveheret, piſcis quem lucium vocamus, navem ſaltu ingreſſus comprehenſus eſt à piſtore, & in conſeſſu Monachorum (necdum quippe de loco ſurrexerant) expoſitus. Nunc, inquit Monachus, integrum munus, beate Goar, implêſti, cùm & nobis & ſeni tuo alimenta congrua providiſti. Res mira ludentis potiùs quàm rogantis voces tam facilè exauditas! ſed hæc meritis beati Confeſſoris non ſunt diſſimilia: quoniam qui in carne vivens indigentibus ſua pro Chriſto tribuerat, & hoſpitium refectionémque gratam ſemper habuerat, meritò poſt obitum quoque potuit ſibi ſervientibus talia procurare. Nam quantum apud Divina judicia meritum habeat virtus hoſpitalitatis quam vir beatus ſingulariter dum vixit excoluit, quantúmque reverentiæ loco illi in quo beata ejus membra quieſcunt ſit omni tempore dependendum, teſtantur ea quæ vel illum frequentantes Divino beneficio conſequuntur, vel negligentes & aliqua diſſimulatione præter-euntes Divino nihilominùs judicio patiuntur: quod ipſum manifeſtiùs exempla ſubjecta monſtrabunt.

[a]

IX. *De Heriwino Comite flagello divino commonito.*

13. COMES quidam nomine Heriwinus, cùm per locum tranſiens declinâſſet, & licet à ſuis ut oraret admonitus pro feſtinantia itineris diſtuliſſet, non longè profectus de equo cecidit, graviſſimóque lapſu contritus ad Eccleſiam ſuorum manibus reportatur: ibi brevi decumbens, apud Memoriam venerandam ſanitatis eſt beneficium adſecutus.

X. *De Euſimia Abbatiſſa ſimiliter emendata.*

14. EODEM modo Abbatiſſa nobilis ex urbe Mediomatricorum Euſimia cùm iter agens illuc deveniſſet, & nec oratum ut omnes conſueverant deſcendiſſet, paullo pòſt de equo cecidit, & effracto crure quæ ſponte noluerat ad Eccleſiam portatur invita, & ſanitatem quam ſuo perdiderat, merito beati viri recepit.

XI. *De Imperatore Carolo ob diſſimulationem periclitato.*

15. NEQUE diſſimilis meritorum ejus potentia in puniendis, monendiſq; etiam Regibus extitit. Nam Carolus excellentiſſimæ memoriæ Imperator Auguſtus à palatio ſuo quod

[a] Id eſt in loco ripæ proximo: quo vocabulo uſus eſt Odo Abbas Glannafolienſis in Epiſtola Vitæ S. Mauri Abb. præmiſſa: & Vvandalbertus iterum cap. II. & 18.

CIRC. AN. DC XLIX. JULII VI. in præripiis Rheni fluminis ab ipſo conſtructum *Ingilinheim* dicitur, quodam tempore navigabat in caſtellum quod ſitum eſt ſuper confluentem Moſellæ & Rheni deſcendere, ibique diſponens nocte manere, ſequentibus eum in ſingulis navibus filiis CAROLO atque PIPPINO. Cumque ad Monaſterium Confeſſoris ſancti Imperator navigio perveniſſet, obvius illi factus Abba ASUERUS rogat uti ad beatum Goarem exire & in Cella ejus caritatem (ut verbo uſitato loquar) faceredebeat. Negat ſuam præſentiam Imperator, & poſt ſe converſus manu cognomini filio annuit, ut navim ad Eccleſiam oraturus egrediatur, ipſe propoſito tendit itinere. Egreſſo ad terram Auguſti filio alter ejus filius Pippinus qui poſt fratrem navi veniebat, putans patris eſſe navim quam litori videret appulſam, egreſſus & ipſe eſt, fratríque neſciens in Eccleſia ſociatus. Ibi quod inter eos graves aliquamdiu ſimultates & inimicitiæ fuerant, inſpirante ſuperna clementia & opitulante Confeſſoris ſanctiſſimi merito in fraternam concordiam & fœdus amicitiæ coierunt. Cibo deinde potúque ſumpto, alacres & læti ad locum ſuprà nominatum quem cum patre petere cœperant, omnibus ſuis incolumibus pervenerunt. Imperator verò qui filiis egreſſis ſolus cum ſuis in navi remanſerat, cùm ad prædictum locum tendere vellet, coorta repentè denſiſſima nube & nebulis tenebroſiſſimis ſubſecutis ita in flumine deerravit, ut neque ipſe, neque comitum quiſpiam, ſed neque navis gubernator quo tenderent quóve navim agerent ullatenus ſcire, vel videre valerent. Sic per reliquum quod ſupererat diei in pelago fatigati, vix poſtquam ſuam culpam Imperator agnoſcere & beato Goari ſupplicare cœpit, multa jam die & ingruente nocte in continentem egreſſi ſunt, tribus tamen aut paullo ampliùs à loco in quem propoſuerant egredi millibus, ubi & ea manere nocte non ſine rerum neceſſariarum inopia compulſus eſt Imperator. Factóque die publicè teſtatus eſt, ſui eſſe peccati & meriti quòd periclitatus in flumine, quòd à commoditate itineris & apparatu regiæ manſionis ſit longiſſimè diſparatus: non fruſtra ſibi hæc accidiſſe, ſed beatum Goarem pœnas pro contemptu meritas repetiſſe, ſéque ſupplicia expendiſſe merentem. Vovere ſe & firmiſſimè polliceri numquam locum viri ſanctiſſimi ullâ quamvis magnâ itineris feſtinantiâ, ſi ad eum in vicino veniat, declinaturum, quem tali incommodo ſit expertus poſſe de his qui ſe negligendum putaverint expetere quam voluerit ultionem. His votis ad Cellam viginti libras argenti & pallia holoſerica duo miſit, nec deinceps omni vita ſua quod voverat aliqua ex cauſa neglexit. Denique is qui tum regiæ navis gubernator fuit nuncuſque ſupereſt, reíque geſtæ indubitabile teſtimonium perhibet. Nec immeritò Regum illi fides & devotio ſubjacet, qui pro Chriſto non ſolùm magnos & appetibiles, ſed omnes penitùs mundi honores & caducas dignitates contempſit: & cùm poſſet, Epiſcopus fieri noluit, potiúſque in humili ſtatu manere delegit, quàm honorum faſcibus prægravari. Quamquam in Chriſtianis Principibus hæc circa ſervos Dei affectio tam ſit ſpontanea & devota, quàm ſe noverunt tanto magis Deo gratiores forè, quanto qui ad tempus elevari per tumorem majeſtatis regiæ poterant, eligunt ſervis Chriſti ſe mente ſummittere.

De Regina Faſtrada ibi ſanata.

16. EJUSDEM Principis conjunx FASTRADA cùm vehementiſſimo dentium dolore torqueretur, & ad locum ob remedium ejus doloris oratum veniſſet, continuò ut ſupplex facta eſt, incommodo caruit; ob quam rem data eſt ab Imperatore villa quæ Naſonia nuncupatur, & in jure loci hactenus retinetur.

XII. *De eo qui ambulans ſuper glaciem periclitatus eſt & ſalvatus.*

17. PER idem tempus accidit Rheni fluminis aquam nimio frigore congelaſcere, itaut inceſſus quoque quorumlibet animalium & vehiculorum ferre valeret. Erat quidam regiæ villæ colonus quam ſupra Waſaliam diximus appellari, cujus vinea haud procul à Monaſterio vineis B. Goaris cohærebat: & ut nonnunquam evenit hac ille occaſione ſolebat interdum particulas aliquas earumdem prærípere vinearum, & ſuæ fraude humani ingenij ſociare. Is cùm die quadam ſuper glaciem fluminis ambularet, & ad ejus medium propè veniſſet, repentè in multiplices partes per latiſſimum fluminis ſpatium glacies eſt reſoluta, atque ille glaciei fractæ ſuperincumbens, ſecundum flumen ferri tremens & anxius cœpit. Erat res ſummi periculi & deſperationis extremæ, hominem in fluminis rapidiſſimi atque latiſſimi fragmento glaciei tenuiſſimæ ferri, nec eſſe remedij quidquam, quoniam illi, quemadmodum humano auxilio ſubvenire poſſet erat omnino nihil. Tum ille cui evadendi periculum nec ſpes ulla, nec aliquod conſilium ſupereſſet, Divinæ ſolummodo miſericordiæ ſupplicare, & B. Goaris merita in ſui liberationem expoſcere, magníſque vocibus veniam & auxilium flagitare. Ad ultimum cùm ſalutem penitùs deſperaſſet, eductam manicam de manu projecit, reſpiciénſque Baſilicam, vineam ſuam ſancti viri dominio tradidit. Nec mora acta, virtute Divina glacies inſtar naviculæ ad litus evexit hominem, & incolumem in con-

tinentem expoſuit: qui mox vineam, de qua diximus ſuprà, Eccleſiæ mancipavit, in cujus nunc etiam jure perſeverat. Sic B. Confeſſoris meritum hominem & pro culpa quemadmodum oportuit caſtigavit, & anxium de periculo mirabiliter eripuit. CIRC. AN. DC. XLIX. JULII VI.

XIII. *De quodam Iſanhardo Procuratore villæ regiæ cæſo & ſanato.*

18. ISANHARDUS fiſci Regij Procurator, cùm iniquè multa contra familiam B. Goaris ageret, viſitatus ab illo per ſomnium eſt, & poſt increpationem ſeveriſſimè cæſus: itaut die poſtero greſſu non valens incedere, navi ad Eccleſiam ducceretur. Ubi aliquamdiu decubans integram ſanitatem excepto genitalium pondere meruit: quæ etiam infirmitas indubitanter causâ ſalutis illi relicta cognoſcitur.

19. Hæc inter alia quæ compendij causâ ſuppreſſi, temporibus ASUERI Abbatis divina in loco virtute & confeſſoris beati merito provenerunt: diebus verò TANCRADI qui Aſuero feliciter ex hac vita ſubtracto in regimine Monaſterij Prumiæ ſimúlque Cellæ S. Goaris ſucceſſit, hæc quæ ſuperna miſericordia tribuente ſubjicere cupio contigerunt, quæ & illi quibus referentibus horum notitiam attigi maxima ex parte coràm poſiti adſpexerunt. Miracula facta Abbate Tancrado.

XIV. *De nimia rivuli exundatione & turriculæ ſalvatione mirabili.*

19. ACCIDIT aliquando ex pluviarum copia ſubitò rivulum quem Woccaram nominari in libello priori diximus, adeò exundaſſe, ut in magnam molem exſurgens, obvia quæque non ſine periculo & damno multorum eruerit. Quippe cùm exundare primò cœpiſſet, incertum quo obſtaculo à curſu ſuo prohibitus, deſcendentibus ex concavitate montium aquis intantum excrevit, ut ad ultimum ruptis obicibus profluens, etiam grandes & firmiſſimas domos à fundamentis erutas in Rhenum vi ſua dejecerit. Quo in tempore res miraculo digna provenit. Nam in quadam earum quæ erutæ ſunt domorum, turricula de qua ſigna penderent ſtabat exſtructa, quæ nuncuſque recto Eccleſiæ ſuperpoſita manet; quæ cùm multo infirmioris eſſet ſtructuræ quàm domus ipſa in qua parabatur, & aquis ſupervenientibus ad medium fermè curſus impetum eſſet obvia facta, penitùs tamen inlæſa duravit: quódque majoris miraculi fuit, domus in qua ſtabat integris compactiſque inter ſe parietibus erura, neque ſecum illam trahere potuit, & qua eam ſui apertura & ſolutione tranſierit nullus hominum deinceps ſcire vel deprehendere valuit. Denique poſtquam agmen illud aquarum præteriit, in imo ejus turriculæ duæ cum oleo ampullæ repertæ ſunt, quas qui hominum poſuerit vel unde proviſæ ſint nuncuſque neſcitur.

XV. *De muliere quadam Scotticæ nationis ibi ſanata.*

20. MULIER quædam de natione Scottorum nomine Brigida debilis greſſu à parentibus ſuis & civibus ab urbe redeuntibus ægra ibi relicta eſt. Et cùm aliquantulum ibi temporis tranſegiſſet, ſub die ſollemnitatis annuæ adſtante plebis multitudine ſanata eſt & erecta.

XVI. *De ancilla cujuſdam Hadebaldi bis ſanata.*

21. ITEM Hadebaldi cujuſdam noti hominis ancilla, quæ & cæca eſſet & muta, ad Memoriam venerandam populo teſte ſanata eſt. Sed cùm his agnitis dominus qui infirmam miſerat, ad ſuum ſervitium jam incolumem revocâſſet, mox in illam prior debilitas rediit. Coactus itaque evidenti miraculo ejus dominus manumiſſam ad locum reverti fecit: nec multo pòſt ſanitas quæ collata antè fuerat, ſed temeritate hominis præpedita, correcto domino ancillæ eſt reſtituta: quæ & reliquum vitæ ſuæ in eodem loco peregit. Denique adhuc ibi ſoror ejus degit, & certiſſima rei geſtæ teſtis adſiſtit.

XVII. *De alia cæca.*

22. PER idem tempus & alia mulier cæca ſub Abbatis Tancradi præſentia viſum recepit, pluréſque ibi poſtea vixit annos.

XVIII. *De cujuſdam ancillæ filio parvulo cæco & muto.*

23. QUODAM item tempore præſente eodem Abbate cum populo, quædam ex ancillis Monaſterij filium parvulum qui ab ortu cæcus manebat & mutus, ad Eccleſiam deportavit: quam ut eſt puer ingreſſus continuò cum matre loqui & Baſilicæ picturas ei digito cœpit oſtendere. Mirata rem mater, ſed propter repentinum eventum inſperati miraculi non

CIRC. AN. DC. XLIX. JULII VI.

eſt auſa publicè quod viderat confiteri. Quæ mox ut eſt domum regreſſa cum parvulo, confeſtim in illum debilitas priſtina rediit: ut palam fieret, non debuiſſe matrem quod Divino ſibi beneficio collatum eſſet ſilentio premere. Itaque cauſam illa pertractans culpámque intelligens, arreptum feſtinè filium ad Eccleſiam retulit, & rem omnem ut ſe haberet Abbati & populo patefecit. Nec dilatum eſt diu beneficium, cui ad horam fuerat impedimento timiditas matris: ſed ut illa finem narrandi fecit, incolumitatem ilico puer obtinuit.

XIX. *De muliere clauda ex urbe Mogontiaco.*

24. EX urbe Mogontiaco ad feſtivitatem B. Goaris mulier clauda poſito coràm Abbate Tancrado venit, & cùm in vigiliarum die veſpertini pſalmi à Clero complerentur, ſanata eſt.

XX. *De figulis ob contemptum punitis & infante liberato.*

25. SED ut ea nunc quoque commemorem, quibus palàm fiat qui beati viri meritum & reverentiam contemnere aliquatenus præſumſerunt, quemadmodum vel emendati ſint, vel puniti; quodam tempore cùm per Rhenum flumen quidam figuli ollas pretio diſtrahendas in navicula veherent, accidit unà cum illis feminam quamdam fidelem cum parvulo filio adverſo flumine navigare. Cúmque ad Monaſterium ventum eſſet, rogat mulier comites, uti aut omnes oratum in Eccleſiam pergant, aut ſi id nolint, appulsá litori naviculâ ſe in continentem exponant, paullulúmque in loco certo ſuſtineant, donec poſſit ipſa ab oratione reverti. Egreſſa itaque ſola pergit oratum, relicto in navi cum comitibus filio admodùm parvulo. Illi deducta in ſuperiorem locum navi, cùm eam aliquamdiu ſuſtinuiſſent, moras ejus non ferentes, abducta navi iter propoſitum perſequuntur: ſed ultio Divina mox conſecuta eſt, quâ manifeſtum fieret non debuiſſe illos vel abeunte illa opportunitatem orandi negligere, vel finem ſuſtinendi moras ejus præſertim breves contemnere. Nam cùm adverſo flumine navim agentes contra eum locum veniſſent, ubi ex latentium ſub aqua ſaxorum voragine & undarum conliſione rapidiſſima gravia ſæpe navigantes diſcrimina patiuntur, qui locus in flumine ab Eccleſia B. Goaris paſſibus fere centum aut paullò longiùs abeſt, raptâ ſubmerſáque naviculâ perierunt. Sed inutilis eſſe non potuit devotæ mulieris oratio, cujus etſi comites aquæ ſubmerſit, filium tamen Divina virtute ſalvatum & merito Sancti protectum nequaquam perdere valuit. Quippe illa ut ab oratione rediens ollas ſuper aquam ferri conſpexit, intellexit quod erat, ſocios navemque periſſe, ſollicitáque pro filio quem unà perditum ſuſpicabatur, oculos cum fletu maximo hac illácque circumtulit, ſed repentè videt undarum dorſo ſublatum parvulum ripæ fluminis propinquare. Tantaque fuit miraculi claritas, ut infantem mater excipiens invenerit eum à medio corpuſculi aquæ ſuperexſtantem litora attigiſſe, quod ne virorum quidem ullus aliquando natandi peritiâ & viribus corporis potuit obtinere,

XXI. *De infante qui equo trans Rhenum incolumis vectus eſt.*

26. IN DISSIMILI cauſa non diſſimile miraculum ſub eodem tempore exſtitit, quod propter ſimilitudinem rei geſtæ præcedenti ſubjunxi. Mater cujuſdam infantis fere quinquennis, cum eo qui ipſum infantem de ſacro fonte ſuſceperat navi circa ripas tracta per fluvium adſcendebat, puerúmque equo ſuperpoſitum (id enim ex matre & patrono puer ipſe petierat) juxta in litore parens uterque fecerat ambulare. Tum equus ut ſine rectore liber, navigantes præteriens ſponte ſe in flumen dedit cum puero, nec revocari ab aliquo potuit. Cúmque ſaluti infantis omnes timerent, quippe quem in rapidiſſimum altiſſimúmque fluvium ac latiſſimum equo quem retinere nequivit ferri conſpicerent, & Goaris ſuffragium magnis precibus poſtularent, equus cum incolumi puero tranſnato flumine in ulteriorem ripam exivit. Quæ res utique magno miraculo provenit, ut & equus ſine rectore tantum flumen loco præſertim propter ſaxa difficillimo & periculoſo tranſiret, & infans qui ne in arido quidem equo ſedere noſſet, ſine periculo ullo evaderet.

XXII. *De Willigelmo quodam dæmonio tradito & poſtea eruto.*

27. SED ut propoſitum perſequar, Vvilligelmus quidam, qui nuncuſque ſupereſt, cùm vineam à matre datam de jure & poſſeſſione Eccleſiæ S. Goaris ſubtraxiſſet, ſævo dæmonio eſt mancipatus. Denique ab eo vexatus vineam reddidit & curari continuò meruit, ut hoc exemplo ceteri monerentur, voto parentum res juri Eccleſiæ mancipatas ſubtrahi ab heredibus filiis non oportere.

CIRC. AN. DC.XLIX. JULII VI.

XXIII. *De quodam Wolvone Presbytero.*

28. WOLVO quidam ab ineunte ætate ibi à matre nutritus cùm posteà Presbyter esset, decimas quæ ex multo jam tempore Ecclesiæ B. Goaris agrorum jure competerent, suis usibus dolo malo conduxit. Nec magna subsequente mora cæcus & mutus effectus, ad Basilicam viri sanctissimi à suis perducitur; ibi res patrimonii sui cum restitutis decimis tradidit, & sanitatem placato eo quem offenderat meruit.

XXIV. *De negotiatore nomine Badoardo propter cæsum servum mortuo.*

29. NEGOTIATOR quidam Badoart dictus cùm Rhenum navi adscenderet, unus servorum qui illum fortè offenderat supplicium metuens de navi prosiliit, & concitus ad Ecclesiam fugit. Tum ille fugitivum secutus ab Ecclesia trahere cœpit, prohibente fieri & nomine Goaris rogante simul & comminante Monacho HERIRADO qui præsens fortè residebat, quo hæc ipsa referente cognovi. Sed negotiator furore succensus cùm Monachum rogantem æquè minantémque contemneret, pro foribus Ecclesiæ ad contemptûs augmentum tractum ab altari servum cecîdit. Nec multum spatii interceſſit, & cujus arbitrio paruisset quémve contempsisset agnosceret, immundo spiritui traditus, brevî vitam nimiis cruciatibus extortam finivit.

XXV. *De cujusdam Humfridi servo à vinculis mirabiliter soluto.*

30. ITEM Humfridi cujusdam Clerici Ecclesiæ servus cùm pro culpa in dominum commissa à tergo vinctus brachia traheretur, & supplicia quæ sibi inferenda sciret, animo perhorresceret, quoniam aliter domini præsentiam subterfugere non valebat, Ecclesiam respexit, & ad eam se cum prece tacitus inclinavit. Res digna miraculo! confestim vincula quibus ligatus ducebatur, dicto citiùs laxata sunt & soluta: exutúsque vinculis servus ad Ecclesiam se se proripuit, nec repetitus à domino offensam suppliciúmque vitavit. Tantum apud omnipotentem Deum supplicatio tacitè viro sancto fusa convaluit, nec passus est Christus eum manere ligatum, qui necessitate & animo ad sancti altaris auxilium confugisset, ut hinc quoque daretur intelligi, quantum interceſſio illius ad animarum solvenda vincula prævaleret, cujus invocatio tanta facilitate ligamenta corporis dissolvisset.

XXVI. *De Abbate Maximino ob dissimulationem periclitato, sed salvato.*

31. QUODAM tempore Abbate Tancrado in Cella posito MAXIMINUS Monasterii S. Gereonis [a], quod apud urbem Agrippinam, quæ nunc Colonia dicitur, situm est, Abba à provincia Vangionum * ex vindemiis cum onusta vino navi & non paucis comitibus descendebat: & cùm jam sancti Goaris Monasterio propinquâsset, suadetur à sociis, uti appulsa in continentem navi oratum ad sanctum Goarem adscendat. Ille moras sibi non necessarias hac in re fieri dicere, fore opportuniorem tempore alio orandi occasionem. Sic dehortatis comitibus propositum iter persequitur, sed non impunè illum ultio Divina transire permisit. Quippe ut in conspectum Cellæ navis acta pervenit, repentè ex maxima sui parte demersa, lapsísque in aquam quæ gestaverat vasis, præsentis jacturæ & periculi metum cunctis incussit. Clamare omnes & auxilium lacrymabiliter implorare, culpam Abba confiteri, & Goaris meritum exorare. Rem Abba Tancradus ex loco superiori conspiciens, & quanto in periculo versarentur cuncti considerans, suos vestigiò mittit, mandat subsidium laborantibus ferri. Deducuntur continuò naves, & subsidium modis quibus erat possibile ministratur. Ita cum Abbatis auxilio & sudore multorum, tum maximè B. Goaris opitulatione recuperata navi, vasísque receptis & opibus, incolumis ad litus Abba progreditur. Egressus navim oratum festinat, persuasum sibi perenniter adfirmans, ne locum tanti viri meritis insignem facilè umquam sine supplicationis munere transeundum existimet [b].

[a] Vvorms

XXVII. *De quodam Fresone similiter propè periclitato.*

32. CONSIMILI propè eventu cùm quidam ex Fresonum gente negotiator navem circa ripam ulteriorem ageret, neque litori in quo Monasterium situm est propinquare dis-

[a] Monasterium S. Gereonis intra muros Colonienses inclusum, in Collegiatam Ecclesiam jampridem conversum est: qua de Ecclesia legendus Ægidius Gelenius in lib. 3 de Colonia Syntagm. 2.

[b] Hic mos, inquit Gelenius mox citatus, in præsentem diem perseverat. Quippe nefas putant locum illum prætervehere, nisi injecto in collum vinculo, se se sancto Goari mancipaverint: quod etiam præstant Novatores, apud quos ipsúmque vulgus ignota hujusce religionis ratio.

CIRC. AN. DC.XLIX. JULII VI.

poneret, ubi ad ſcopulos illos de quibus ſuprà diximus navis acta pervenit, ſubitò rapta & in gurgitem undarum violentiâ tracta, præſenti cunctos diſcrimine perculit. Sed cùm dominus navis Goaris ſæpe nomen & meritum iterans ſubſidium expetîſſet, in portum continuò navis illæſa devehitur: ille ut continentem attigit, oratum perrexit, ac pro ſalutis munere veſtem holoſericam venerandæ Memoriæ tribuit, quæ etiam veſtis poſtea ab eo qui hæc mihi retulit THEODRADO Clerico ad Prumiam Monaſterium eſt delata.

XXVIII. *De negotiatoris ſervo ex aquæ periculo mirabiliter eruto.*

33. REM illaturus ſum præcedentibus quidem non omnino diſſimilem, ſed quæ miraculi aliquid ampliùs habeat, & cujus tot ſint pæne fideliſſimi teſtes, quot loci ipſius habitatores tempore quo geſta eſt eſſe potuerint. Negotiator ex ſupradicta Freſonum gente navem per Rhenum flumen agebat, & ut moris eſt, quia adverſo flumine navigabat, funè à ſuis navem circa litus trahendam curaverat. Cúmque jam Cellæ vicinia attigiſſet, monetur à ſuis aliiſque in fluminis præripio conſiſtentibus, uti ad orandum navim egredi debeat. Ille ſibi ejus tunc rei copiam non eſſe dicere, impediri morâ propoſitum curſum, nec ſe poſſe niſi continuato navigio quietis congruum locum attingere. Ita animo fixo navim agit & ipſe in ea clavum regens cum uno ſervorum reſidet, reliqui funè navim per litora trahunt. Erat inter eos unus qui cunctos antecedens extrema funis dorſo & ventri circumvoluta teneret. Ventum erat ad fluminis illam de qua in ſuperioribus egimus rapiditatem horribilem, cùm repentè navem undæ violentiſſimæ rapiunt, nec gubernatore ullo præſidio valente reſiſtere longiſſimè à litore ſubtrahunt. Eâ raptâ cùm ferre non poſſent funem qui per ripas trahebant, victi relinquunt: ſed is qui cunctos præceſſerat, tam citò explicare ſe funè non valens navim ſecutus in gurgitem trahitur, neque id dominus navis qui in puppi reſidens laborabat, animadvertere potuit: reliqui qui à funè refugerant magnis vocibus navi & ſocio qui ſub aqua trahebatur opem Divinam & B. Goaris merita ſuccurrere poſtulabant; tantáque tum aquæ vis & undarum vorago fuit, ut non antè navis in curſum dirigi poſſet, quàm longiſſimè pulſa in ulteriorem ripam non ſine magno plurimorum metu atque horrore exportaretur. Negotiator verò ut terram attigit, funem qui navi cohærens per aquam fuerat tractus, à ſervo colligi mandat, qui collecto in extrema ejus parte ſervus ſicut implicitus fuerat invenitur. Qui diligentiſſimè contrectatus & modis variis pertentatus, non aliud potuit deprehendi quàm mortuus. Denique adhibito plurimo ſtramine & igne circumcircà ſuccenſo, nihil caloris penitùs perſentire, vel aliquod vitæ indicium potuit edere. Quid plura? devehitur rurſus in citeriorem ripam ac de ſola ſepultura dominus ejus & comites agunt: rogatur Eccleſiæ cuſtos ut ad ſepeliendum mortuum loci alicujus copiam faciat. Eo obtento, dum ſepulturam aperiunt, interim cadaver ut verè putabatur exanime in cuſtodis ad horam manſione deponitur. Tùm non poſt longum temporis intervallum incipit racaleſcere, & paullatim os aperire, ac ſpiritum ducere. Dehinc totum ſe elevans parum ſanguinis ore rejecit, & confeſtim ſurrexit incolumis, itaut oratione facta & gratiarum actione ab omnibus reddita ad ducendam ſicut priùs navim cum ſociis feſtinârit. Ea negotiator ut vidit, emendatum ſe, & pro culpa caſtigatum magnopere gratulans argenti libram altari ſacro perſolvit, & cœpto dehinc itinere, ſuis omnibus incolumibus abiit. Viderint quid de re hujuſmodi ceteri ſentiant. Ego confidentiſſimè dixerim beati viri merita tantò eſſe poſt obitum clariora, quantò ſollicitiùs dum viveret humanas laudes & jactantiam fugerit; neque in hujuſmodi ſignis & miraculis exhibendis cuiquam ſanctorum, Apoſtolis & clariſſimis Eccleſiæ Martyribus dumtaxat exceptis, illum inferiorem videri: quippe qui in diligendo Deo & proximo non facilè quoquam illorum judicetur inferior, quique tametſi in vita non multis quæ homines noverint miraculis claruit, ſed ea quæ miraculis omnibus potior eſt caritate clariſſimus exſtitit; ideóque poſt obitum quotidie in viventium fide tot tantiſque virtutibus claret.

XXIX. *De lumine divinitùs in lucernis Eccleſiæ ſuccenſo.*

34. PRÆTEREA Heriradus Monachus, qui ut ſæpe dictum eſt, horum mihi miraculorum certiſſimus relator exſtitit & veriſſimus, bis ſe adfirmat nullo admonente extrinſecùs igne lampadem, quæ coram Memoria veneranda dependet, infuſo divinitus lumine ſplenduiſſe: quod ipſum præſenti anno quo iſta deſcripſimus & ſuperiori contigiſſe qui interfuerunt adfirmant. Sed id ſuo loco erit dicendum.

Miracula tempore Marcuvardi patrata.

35. Hactenus ea deſcripſerim quæ Abbate TANCRADO in hac vita ſuperſtite facta inter alia referuntur. Nunc adjutore Chriſto ad clariſſimi Patris MARCUVARDI tempora qui hoc ipſum mihi opus impoſuit, ſervato ut propoſui ordine veniam.

XXX. *De Imperatore Hludowico ibi à pedum dolore relevato.*

CIRC. AN. DC.XLIX. JULII VI.

36. ET ut hæc ipſa rerum geſtarum ordine aliquantulùm poſtpoſito exordio clariori inciam, excellentiſſimæ pietatis ſingulariſque clementiæ & erga Chriſtianam religionem omnium Imperatorum ſtudioſiſſimus HLUDOVVICUS, qui adhuc ſuperna miſericordia providente rerum ſummâ potitur, cum dolore pedum vehementiſſimo qua olim infirmitate vir ille etſi non continuè, frequenter tamen affligitur laboraret, atque ex palatio ſuo quod in litore fluminis Rheni ſitum *Ingilinheim* ſuprà diximus appellari, evectione navali deſcenderet, oratum ad S. Goarem exiit, vix in terram pedes præ dolore nimio ponere valens, & ſuſtentantium magis quàm ſuis greſſibus nitens. Cúmque in Eccleſiam perveniſſet, ante Memoriam venerandam humillimè ſe ac devotè depoſuit, & in terra ſtratus diutiùs peroravit. Ubi verò ſurrexit, ad Abbatem & clariſſimum virum GERUNGUM olim palatij Ædilem, nunc Monachum converſus; Deo, inquit, gratias, nunc meritis S. Goaris levamen mihi datum perſentio, neque eo jam cum quo huc veni dolore laboro. Sic à Memoria regreſſus lætus & alacer diem totum duxit. Hæc ipſo Abbate qui coràm adfuit referente cognovi: quamquam nec ego ipſe multum abfuerim, qui pridie ejus diei Imperatorem prædicto dolore graviſſimè laborantem in palatio viderim.

XXXI. *De muliere Scottica ibi à claudicatione ſanata.*

37. SED ut huic rei geſtæ tempore paullo ſuperiorem ſubjiciam, mulierem Scoticæ nationis cives ab urbe redeuntes ægram & greſſu debilem ibi reliquerunt. Ea poſtquam ſex in loco menſes egit, ſub die ſollemnitatis annuæ quæ agitur pridie nonas Julij inter veſpertinos Pſalmos greſſûs ſanitatem recepit.

XXXII. *De infante dæmoniaco apud Memoriam S. Goaris promiſſa à patre api curato.*

38. SUPERIORI anno poſt ea quæ de Imperatore retulimus, accidit ut quidam ex ruſtici filium parvulum dæmone plenum ad Eccleſiam cum fletu & ſupplicatione deferret. Quem cùm ante Memoriam ejulans multis præſentibus expoſuiſſet, Sancte Goar, inquit, redde nunc mihi meum filium & pulſo qui eum vexat dæmone ſana, ego tibi pro munere apim unam (ſic enim vocare ruſtici examen apum conſueverunt) huc protinus afferam. Non inanis fuit ſimplex hæc hominis ruſtici poſtulatio: ſed continuò ſanatum integerrimè parvulum lætus & gaudens pater domum revexit. Denique examen apum quod ut pollicitus fuerat obtulit, hodiéque in hortis Eccleſiæ permanet. Hæc cùm ſæpedicto THEODRADO tum EKKIBALDO ipſius loci Præpoſito viro ſanè docto atque veraci narrante cognovi.

XXXIII. *De lumine bis in lampade ſuccenſo divinitùs.*

39. ET ut illud inferam quod ſuprà leviter tetigi, anno præterito in die ſanctiſſimo Paſchæ, cùm Præpoſitus EKKIBALDUS ſub ipſo lucis exortu Miſſas agere vellet, itémque hoc eodem anno quo iſta conſcripſimus cùm idem in Quadrageſima Miſſas ageret, & lumen Eccleſiæ deeſſe quereretur, cuſtóſque depoſita lampade ac ſine igne reperta, pro eo deferendo feſtinaret; ſubitò cernentibus multis ſponte in lampade lumen accenſum enituit, quod ibi crebrò factum plures viri fideles qui interfuêre teſtantur.

XXXIV. *De infante claudo & ſurdo & item puella cæca ibi ſanatis.*

40. SED ut hæc miracula rerum nuperrimè geſtarum narratione de præſenti concludam, ſub idem tempus quo his deſcribendis manum impoſui, necdum libello edito cùm ad annuam beatæ depoſitionis ſollemnitatem magna undecumque ita uti ſolet hominum multitudo conflueret, nota ex vicino mulier advenit cum filio fere ſeptenni, qui ab ortu ipſo claudus, mutus, ſurdúſque permanens, infelici genitrici novos quotidie luctus & dolores afferret. Hunc mater fide devota cùm inter nocturnas vigilias coram ſepulcro venerabili expoſuiſſet, circa finem Pſalmorum matutinorum cùm canticum Evangelij Clerus Eccleſiæ caneret, infantulus lento adniſu repentè ſurrexit, ac pedibus quos uſque ad id temporis numquam terræ fixerat adſtans, matrem clamore iterato vocavit. Flens præ gaudio continuò mater accurrit, & filium quem tor preſſum incommodis depoſuerat, ambulantem ſimul & loquentem audientémque recepit. Neque fuit Chriſto difficile pro ſui merito Confeſſoris uno eodémque tempore & poſſibilitatem loquendi puero, & ſcientiam quam majores audiendo numquam perceperant dare, cùm ſit ipſe Sapientia Dei quæ aperit ora mutorum, & linguas infantium diſer-

CIRC. AN. DC. XLIX. JULII VI.

tas facit. Tum verò omnium qui aderant mentes tanti replet ſtupor miraculi, totam laudem Chriſti conclamat Eccleſia, & unius infantuli ſalus mirabilis multorum ad fidem corda ſuccendit.

41. Eodémque die cùm Miſſarum ſollemnia populus ſpectaret, & divina à Sacerdote myſteria agerentur, puella eadem propè quâ prædictus infans ætate diu cæca, quæ tum à parentibus fideliter fuiſſet illata, amiſſum lumen recepit. Ita gemino miraculo ſub uno die & Sancti viri meritum palam cunctis enituit, & præſentium fides Chriſti clementiâ quàm non deſit invocantibus ubique præſens, agnovit.

a NOTA Scriptionis tempus.

42. Hæc * de miraculis B. Goaris meritò oſtenſis atque exhibitis pauca brevi & aperto quantum potui ſermone digeſſi, narrationem ad annum DCCC. XXXIX. Incarnationis Dominicæ perducens, eáque tantùm (ut in libelli hujus principio adnotavi) ſcripturæ mandans, quæ relatu virorum fidelium didici, quæque non eis modò qui retulêre, ſed omnibus pæne locum frequentantibus haberi notiſſima comperi. Quamquam non omnia quæ ab eis ipſis quorum fidei ſpecialiter credendum putavi relata ſunt ſcripſerim, alioquin aut modum ſuſcepti operis exceſſiſſem, aut auditoribus longior juſto prolixiórque fuiſſem. Neque hoc opere facultatem aliis de his ſcribendi præripui, ſed & hæc ipſa quæ utcumque videntur à me eſſe propoſita, poterunt qui volent pro ratione digniùs explanare, & quæ in ſimilibus miraculis fortè provenient, exemplo à vobis, Pater ampliſſime Marcuvarde, & à me ſumpto deſcribere. Quippe ſi divina opera nobis glorificanda digniſſimè proponuntur, oportet ut non ceſſante virtutis divinæ beneficio etiam ſcribendi non ceſſet intentio: & donec qui explere poſſint exſiſtunt, litteris digna admiratione tradantur. Quare etiam vacantes pergamenas huic libello ſubjicere placuit, ut edito opere præſenti futuris poſthæc temporibus quæ inſerenda prudens aliquis æſtimaverit, opportunè poſſit inſerere.

XXXV. COMMEMORATIO *quemadmodum & à quo Cella ſancti Goaris fuerit Monaſterio Prumiæ ſociata incipit feliciter.*

43. DE CURSIS jam quæ de miraculis viri ſancti ſcribenda ſuſceperam, videtur mihi neceſſariò paucis eſſe monſtrandum & poſt editos libellos duos quodam extraliminio memorandum, quemadmodum & qua ex cauſa Cella B. Goaris Monaſterio Prumiæ fuerit ſociata, ut omni tempore ſub regimine & poteſtate Abbatis qui ei Monaſterio auctore Deo præfuerit, ipſa quoque eſſe deberet.

Prumienſis Monaſterij primordia.

44. Excellentiſſimæ memoriæ Rex Francorum PIPPINUS pater Imperatoris famoſiſſimi CAROLI, poſtquam ut omnibus propè notum eſt amore Chriſti & uxoris ſuæ ſanctæ recordationis BERTRADÆ rogatu provocatus Monaſterium ſupraſcriptum conſtruxit, conſtitutis in eo Monachis qui Deo ſub regulari ordine militarent venerabilem virum ASUERUM regiminis præfecit officio. Qui etiam eidem loco annis V. & XL. feliciſſimè præfuit. Hunc cùm pro ſuæ vitæ merito plurimùm coleret, ejuſmodi Conſtitutionis ei auctoritatem dedit, ut cùm iter agens ad aliquem juris regij locum veniſſet, licenter quæ itineris eſſent neceſſaria ſumeret. Cùm ergo quodam tempore iter à Monaſterio in Vangionum * provinciam ageret, & occaſione viæ ad ſanctum Goarem declinâſſet, ubi tum Rectoris nomine præerat quidam ERPINGUS nomine, neque commoditatem aliquam rerum neceſſariarum nanciſci potuiſſet, rem ut erat geſta paullo pòſt Principi retulit, peſſimum eſſe dicens eo loco humanitatem hoſpitalitatis omnem negari, ubi quondam ſub beato viro ſingulariter virtus eadem viguiſſet. Pollicetur Rex fore hæc emendanda cùm temporis opportunitas arriſiſſet. Itaque non multo pòſt poſitus in palatio quod Attiniacum * vocatur, cùm ad generalem populi conventum ſimul Abba Aſuerus veniſſet, evocatum ad ſe Princeps ſuper his quæ de Cella beati viri dicta ab eo fuerant commonefacit, eíque regendam committit, hortatus ut eam congruè diſponere, atque hoſpitalitati quam in ea non ſit expertus competentem efficere debeat.

* *Vvormes.*

* *Attigny* in Campania ad Axonam.

Contentio de Cella S. Goaris.

45. Hæc prima fuit Cellæ jamdictæ cum Monaſterio Prumia facta ex Regis Pippini mandato & voluntate conjunctio, quando non ipſi Monaſterio & Monachis ſubjecta, ſed Abbati tantùm eſt beneficij ad regendum jure commiſſa. Regnante verò poſt patris obitum Magno CAROLO, orta eſt inter Trevirorum Pontificem tunc WEOMADUM & Abbatem Aſuerum pro eadem Cella contentio, aſſerente Epiſcopo eam ad ſuæ Eccleſiæ jus pertinere, Abbate contrà dicente, eſſe illam Regis lege hereditaria poſſeſſionem, neque in ea poſſe ſibi aliquid Eccleſia vindicare, quæ & ſibi eſſet à Rege Pippino commiſſa, & in dominium clariſſimi Caroli ſucceſſionis jure tranſmiſſa. Ita eis diu multúmque certantibus & re ad controverſiam ſæpe deducta, directi ſunt ex latere Regis & ſemel & iterum ac tertiò Legati fidiſſimi & veraces, qui cauſam diligenter inquirerent, litémque congruè terminarent, quique rem examinantes, non aliud quàm quod Abba proteſtatus fuerat invenerunt, Regij ſcilicet, * quàm Eccleſiaſtici juris poſſeſſionem loci ſæpedicti exſiſtere.

* *Supple* potiùs

a Totus iſte articulus apud Surium deſideratur, quem ex cod. Remigiano deprompſimus. Confer. num. 36.

46. Sed cùm Epiſcopo hæc nequaquam ſufficerent, famoſiſſimus Princeps habito in Saxonia ſuper fontem qui Lippia* dicitur generali conventu, ſub præſentia totius propè regni Primatum, & utriuſque ordinis clariſſimorum virorum, rem per ſe examinandam ſuſcepit, omniúmque qui tum adfuêre judicio, jurisjurandi conditio Cauſidico Monaſterij, tunc RABERTO nomine eſt conſtituta, qua ille poſtea cum aliis duodecim firmavit, poſſeſſionem ſæpedictam non Eccleſiæ Trevirorum, ſed dominio regio tantùm competere. Hoc ergo modo re definita & Epiſcopo tandem adquieſcente, famoſiſſimus Rex cum ſuorum conſenſu Cellam ſancti viri Monaſterio Prumiæ tradidit, edito traditionis ejuſdem privilegio, quo firmavit teſtatúſque eſt, ſe pro amore Chriſti & eleemoſyna parentum ſuorum, Pippini videlicet Regis & Reginæ Bertradæ, Cellam ipſam hac lege jamdicto Monaſterio ſubdere, ut omni deinceps tempore Rectores Monaſterij ejuſdem eam tenere, & rebus ejus libera conditione in uſus ſuorum Deóque ſervientium Fratrum neceſſarios uti, ac ſine ulla cujuſquam contradictione, quæ utilitati communi competerent de ea facere & ordinare deberent: neque rebus ſolummodo quas tempore eodem Cellæ dominium retineret, ſed & illis quæ futuris ſucceſſionibus adquiſiſſet jure firmiſſimo uterentur. CIRC. AN. DC. XLIX. JULII VI. A Carolo Magno componitur. * *Surio* Lupia

47. Hæc quemadmodum ſint geſta atque ſtatuta poterit qui volet relecto eodem qui hodiéque in archivis ipſius Monaſterij integerrimus manet Privilegio ſcire. Nobis rem breviter commemorâſſe ſuffecerit, ne id quod eſſet utile cognitioni, penitùs filuiſſe, & in hac parte circa B. Goarem officio defuiſſe meritò redargueremur.

48. Denique cùm hæc ſcriberemus, ſicut in regimine Monaſterij Prumiæ, ſic etiam in poſſeſſione Cellæ S. Goaris ASUERO TANCRADUS, & ei MARCUVARDUS vicaria mutatione ſucceſſerant.

49. De Abbate porro Aſuero & Cella ſancti viri ea quæ primò retulimus ita eſſe geſta, quidam ex ſenioribus Fratribus non indignus fide ab eodem Abbate ſe audiſſe eſt proteſtatus.

VITA S. FURSEI ABBATIS LATINIACENSIS PRIMI.

CIRC. AN. DC. L. JANUAR. XIV.

Auctore anonymo ferè coævo.

Ex Bollando & Surio ad Mſſ. codd. collatis.

OBSERVATIONES PRÆVIÆ.

1. *SANCTI* FURSEI* *res geſtas antiqui Auctores tres duobus quiſque libris, altero vitæ, miraculorum altero deſcripſerunt: contraxit Venerabilis Beda in Hiſt. lib. 3. cap. 19. porro noſtro ſæculo Iacobus Deſmaius ſingulari libello gallicè reddidit.*

* *S. Furſy* Vitæ Scriptores.

2. PRIMUS *Scriptor anonymus non multo poſt S. Furſeum vixit, ſiquidem Beda loco citato ipſum laudat ac nonnumquam deverbo ſequitur. An liber Miraculorum qui in pleriſque codd. Mſſ. primariæ iſti ſcriptioni ſubjicitur, eumdem habeat auctorem, certò definire non auſim, cùm nonnullas res in Vita jam memoratas repetat.* SECUNDI *Auctoris itidem anonymi (quem in apographo RR. PP. Fulienſium Pariſienſis Monaſterij S. Bernardi legimus) ætas non facilè diſtingui poteſt. Sic verò incipit Vita:* Laudabilis Dei noſtri virtus & ſapientia; *& Liber Mirac.* Sacer Chriſti (*fortè* Sacerdotis Chriſti) ac venerabilis Furſei memoriam dignè omnis mundus eximia laude recolit &c. TERTIUS *Furſei Encomiaſtes* ARNULFUS *Abbas Latiniacenſis, qui vertente ſæculo* XI. *utriuſque anonymi geminam lucubrationem in duos, Vitæ ſcilicet ac Miraculorum, libros redegit, locíſque aliquot interpolavit.*

Arnulfus Abbas Latiniaci.

3. *Hanc poſtremam lucubrationem Auctoris nomine deſtitutam unà cum primario Biographo edidit Iohannes Bollandus. Vt verò illam Arnulfo tribuamus, ſuadet Catalogus librorum Mſſ. Bibliotheca Petavianæ, nunc Sereniſſimæ Chriſtinæ Reginæ Sueciæ, in quo catalogo hæc leguntur:* In cod. 568. Furſei Vita & Miracula per Arnulfum Abbatem Latiniaci ad Peronenſes. Item alia per Bedam. *At verò tertius Auctor à Bollando editus ſecundo loco, probandis iis quæ de Furſæo commemorat, duobus libris à ſe ſcriptis Bedæ teſtimonium de S. Furſeo ex integro ſupponit. Vt tamen hoc de Auctore certius ferre judicium liceret, litteras miſimus Romam (ubi modò Bibliotheca illa ſervatur) ad noſtrum Gabrielem* Flambart *Congregationis S. Mauri in Curia Romana Procuratorem generalem, qui libris Mſſ. diligenter perluſtratis ſignatum Arnulfi opus nanciſci non potuit. Tertia S. Furſei Vita quam Arnulfi eſſe putamus, hoc habet Proloquium apud Bollandum:* Conſiderans, Reverende Frater, interioribus oculis &c. *Liber Mirac.* Glorioſi Conf. Furſei, venerabilis Frater, calamo &c. *Quod utrumque concludit hoc Epilogo:* Elimatis, cariſſime Frater, Vitâ

CIRC. AN. DC. L. JANV. XVI.

& Miraculis egregij Conf. Furſei ſecundum quatuor ſchedulas *(id eſt ſecundum quatuor libros duorum priorum Auctorum)* prout potuimus, notari volumus, quoniam majorem ceteris viſionem propter nominum & verborum lapſus non attigimus: eoquòd venerabilem Bedam qui ejùs mentionem in Anglorum Geſtis pulcherrimè facit, eam ut eſt incompti calami pertranſiſſe cognovimus... Quæ autem præfatus ille prudens Hiſtoriographus exinde ſcripſit, exinde ſubter adnotavimus, quia teſtimonium ejus de ipſa viſione contra remordentes improbos pro ſcuto fidei opponere gaudemus. *De Arnulfo Abbate Latiniacenſi, S. Theobaldi Confeſſoris* fratre germano *notanda quædam ex Hiſtoria MS. S. Florentini Conf. in Monaſterium Latiniacum.* Acta ſunt hæc anno ab Inc. Domini milleſimo nonageſimo quarto, regnante Philippo Rege, anno imperij ſui triceſimo tertio, præſidente quoque in urbe Pariſiorum Gaufrido Epiſcopo, Arnulfo regente Eccleſiam Latiniacenſis Cœnobij * anno ſiquidem introitûs ejus vigeſimo octavo. *Quiſquis ſit tertiæ S. Furſei Vitæ Scriptor, qui ex duobus Scriptoribus primis narrationem ſuam plurimùm contexit, & S. Furſei genealogiam primus fortaſſe delineavit; quiſquis ſit, inquam, ille Auctor, eum cum ſecundo quamvis inedito prætermittimus, contenti primario Scriptore, quem Beda ſuo calculo omnibus approbavit. Porro ſi qua obſervatione digna in duobus poſterioribus occurrunt, in adnotationes referemus.*

* *Fuit etiã Abbas S. Columbæ prope Senonas, lege Chron. S. Petri Vivi an.* 1075. *To.* 2. *Spicil. Acher.*

Furſei memoria.

4. *Vſuardus Martyrologio ſuo Furſeum inſcribit* XVII. *Kal. Februarij his verbis:* Parronâ Monaſterio S. Furſei Conf. *Ado in veterrimo noſtro exemplari hæc addit:* Hic ſatis clarus & verbo exſtitit & exemplo; multíſque viam ſalutis oſtendens, confectus ſenectute bona feliciter migravit ad Chriſtum, ſepultus primò in Latiniaco Monaſterio, deinde tranſlatus Parronam, ubi multis miraculis clarus quieſcit. *Ado Vvioni & aliis fortaſſe nonnullis erroris auctor fuit, dum Furſeum Latiniaci primò ſepultum ſcribit: qui error ex ſubjecta Vita ac libro Mirac. ſatis refellitur. De ceteris Furſei diebus feſtis infrà.*

Latiniaci Monaſterij ſtatus & viri illuſtres.

5. LATINIACUM *Monaſterium, vulgo* Lagny, *in pago Briegio poſitum ad ripam fluminis Matronæ, ſex ſupra Lutetiam Pariſiorum milliaribus Gallicis, à Furſeo conſtrui cœptum eſt Erchinoaldo Palatij Præfecto prædium & ſubſidia conferente, ſub principatu Chlodovei Regis Dagoberti filij anno circà* DC. XLIV. *Rectorémque habuit Furſeum ad annum vitæ ipſius ſupremum, quo Furſeus ſubſtituto Emiliano ſeu Eminiano Britanniam repetens, in Pontivenſi vico Maceriis dicto mortem obiit. Poſtea Latiniacum Cœnobium in ejuſdem nominis opidum accrevit, & uſquemodò Ordini Benedictino ſub S. Mauri Congregatione addictum eſt. Floruere in iſto Cœnobio SS.* EMILIANUS *Abbas à B. Furſeo ſucceſſor deſignatus;* ELOQUIUS & MOMBOLUS *itidem Abbates, qui in Galliam venîſſe dicuntur unà cum Furſeo, Ettone, Bertuino ac Sidonio, quos poſtea Foillanus & Vltanus S. Furſei fratres germani ſecuti ſunt: de quibus omnibus infrà ſuis locis. His Latiniacenſibus viris piis addendus S.* MADELGARIUS, *vulgò* S. Mauger, *qui illic Prioris curam geſſiſſe creditur, &* V. *Idus Apriles colitur, alius à S. Madelgario ſeu Vincentio ex-Comite Monacho Altimontenſi, qui Altimontenſe ac Sonegienſe Monaſteria in Hannonia conſtruxit. Addendus etiam S.* ANSILIO *Latiniaci Monachus, qui in Eccleſia Latiniacenſi* V. *Idus Octob. honoratur. Hujus atque Madelgarij geſta ignota. Latiniacum à primævo conditu Regulæ Benedictinæ fuiſſe adſtrictum probabile videtur. S. Furſeus venit ex Hibernia, quum S. Benedicti Inſtitutum eò necdum propagatum fuerat, Scotis ſeu Hibernis Romanos ritus eatenus averſantibus. Deinde in Saxoniam Anglorum Orientalium provinciam acceſſit, ubi cum Felice Epiſcopo (de quo Beda in lib.* 3. *Hiſt. cap.* 18.*) Chriſtianam Religionem diſſeminavit & Monaſticas leges, quas nondum regio illa acceperat. Poſtea in Galliam appulſus, Latiniacum Monaſterium ædificavit eo tempore, quo in Gallia teſte Vitæ S. Salabergæ Auctore gravi Cœnobia ex præſcripto dumtaxat SS. Benedicti & Columbani inſtituebantur.*

Furſei genus & inſtitutio.

1. EXIIT vir vitæ venerabilis FURSEUS nomine, nobilis quidem genere [a], ſed nobilior fide: ſæculi dignitate inter ſuos clarus, & in Divinorum munerum gratia præcipuus. Hujus viri infantia ſacris quibuſdam miraculorum præſagiis ornabatur, ſummis etiam Sacerdotibus [b] per Divinam providentiam commiſſus ſacris litteris & Monaſticis erudiebatur diſciplinis.

Virtutes.

2. Creſcente verò ætate, gratia providentiæ Dei erga illum in bonorum affectuum opus quotidie creſcebat. Erat enim formâ præcipuus, corpore caſtus, mente devotus, affabilis collo-

a Ex Regia ſtirpe ortus creditur S. Furſeus. Arnulfus Latiniacenſis Abbas & poſt eum Jacobus Deſmaius Furſei lineam ex Fundloga Rege Mommonię (quæ Hibernię pars Auſtralis eſt) per Philtanum Fundlogæ filium & Gelgehem Ælfiudi filiam deducunt. Quæ quidem genealogia tanti non eſt, quanti Venerabilis Bedę auctoritas, qui Furſeum non quidem ex Regio, ſed ex *nobiliſſimo genere Scottorum* procreatum dicit. Lege librum Mirac. num. 1.

b Apud Arnulfum Latiniacenſem Brendano Antiſtiti venerando patruo ſuo apud Eſbrem inſulam commoranti Furſeus commiſſus dicitur. In alia Vita Auctoris anonymi nullus ſpeciatim exprimitur. Plura alia apud Arnulfum non ſatis firma reperias.

quio, amabilis adſpectu, prudentiâ præditus, temperantiâ clarus. In interna fortunatione* firmus, cenſurâ juſtitiæ ſtabilis, longanimitate aſſiduus, patientiâ robuſtus, humilitate manſuetus, caritate ſollicitus: & ita eum decor ſapientiæ adornabat, ut ſecundùm Apoſtolum ſermo illius ſemper in gratiæ ſale eſſet conditus. Bonorum ergo operum gratiâ plenus, patriam parentéſque relinquens, ſacræ Scripturæ ſtudiis aliquot vacabat annis. Inſtructus quidem dogmate Divino, Monaſterium in quodam conſtruxit loco, ubi undique religioſis confluentibus viris, aliquos etiam parentum pia ſollicitudine evocare curavit.

CIRC. AN. DC. L. JAN. XVI. * *al.* fortitudine *Coloſſ.* 4. 6. Relicta patria Monaſterium condit.

3. Hac ex cauſâ dum patriam parentéſque viſitare properaret, ut inter illos ſacri verbi ſemina ſpiritualibus ſeminaret eloquiis; quadam die corporis ægrotantis moleſtiâ corripitur, ac deinde ad paternam amicis ſuggerentibus commigravit domum. Illo verò ſuper alterius manum innitente, perrexit haud longè à domo ſua, veſpertinale exorſus pſalmodium, orationi intentus, tenebris ſubitò circumdatus ſtetit. Nec enim pedes movere infirmatus valebat, ſed quaſi jam mortuus ad proximam deportatus eſt caſam.

In paterna domo ægrotat.

4. Et cùm ſe tenebrarum caligine circumdari vidiſſet, quatuor manus deſuper ad ſe extenſas conſpexit [a], tenentéſque illum per brachia niveis ſubvolabant pennis. Manus quippe ſub pennis erant, quæ illum ex utraque parte ſuſtinebant, & quaſi per caliginem Angelica cernebat corpora. Altiùs verò perveniens, mirifico ſplendentes fulgore facies ſanctorum cernebat Angelorum, vel (ut certius dicam) claritatem eximiæ lucis ex ipſis Angelicis intuebatur conſpectibus, nec aliquid corporeum niſi luminis claritatem potuit videre. Tertium quoque Angelum armatum ſcuto candido & fulgoreo gladio, claritate præcipuum ſe præcedere conſpexit. Hi tres cælicolæ ſplendentes pari fulgore miræ ſuavitatis dulcedinem per alarum ſonitum & carminum modulamina conſpectúſque pulchritudinem illius animæ inferebant. Canebant autem uno incipiente: *Ibunt Sancti de virtute in virtutem, videbitur Deus deorum in Sion*: erátque in carmine elevatio, & ad finem poſitio. Audiebat quoque aliud quaſi ignotum canticum multorum millium Angelorum unde pauca vix poterat intelligere, hoc eſt, Exierunt autem obviam Chriſto. Facies verò omnium inquantum intelligere potuit Angelorum pari ſimilitudine videbat: quamvis propter nimiam claritatem luminis perſpicuè diſtinctionem corporeæ non poſſet videre formæ.

Angelos in raptu videt.

Eorũ cantus audit. *Pſal.* 83. 1.

5. Tunc unus ex ſupernis agminibus armatum præcedentémque Angelum juſſit ad corpus venerandum reducere virum, ſuámque ſecum deferre debere ſollicitudinem. Protinus ergo ſancti obedientes Angeli, quò venerant iter repedârunt. Tunc primò vir ſanctus ſe corpore exutum cognoſcens, à ſanctis comitibus quò ſe deferebant inquirit. Sanctúſque Angelus à dextris conſiſtens, dixit eum oportere proprium corpus ſuſcipere, quoadúſque debitam reportaret ſollicitudinem. Tunc vir ſanctus tædio affectus ſeparandæ ſocietatis Angelicæ dixit, ſe ab eis ſeparari noluiſſe. Angelus Domini ſanctus reſpondit: Ad te completa prædicta ſollicitudine ſuſcipiendum revertemur: Cantabántque dimidium verſiculum: *Videbitur Deus deorum in Sion.* Tunc qualiter anima intraverit in corpus pro hujus carminis ſuavitate lætificata intelligere non potuit.

Anima corpori redditur.

6. Túncque pullorum cantu, roſeo colore vultum perfuſus, in momento temporis angelicis ceſſantibus carminibus audivit verba admirantiũ ac plangentium, qui paullatim veſtimentis ſuperpoſitis moventibus denudaverunt faciem ejus. Tunc vir Dei circũſtantibus dixit: Quid ſtupentes ſonitus inquietos emittitis? At

Angelicæ admonitionis memor Communionem accipit.

a Has viſiones probat alter anonymus, expoſitiones ab hoc Auctore factas improbat his verbis: *Ejus namque viſionis quamplurima quidam confingunt frivola, quæ nos attingere non ſolùm ipſa B. viri laudabilis taciturnitas, qui ſemper magis operibus quàm ſermonibus laudes Domini innotuit: ſed etiam illius Prædicatoris Gentium non diſpar tranſmutatio prohibet, dum audita cæleſtia dicere non audet.* Et tamen Venerabilis Beda in lib. 3. Hiſt. cap. 19. *multum inde ſpiritalis profectûs* capi poſſe exiſtimat, aitque ſuo tempore ſuperfuiſſe *quemdam Fratrem ſeniorem Monaſterii ſui* qui narrare ſolebat, *dixiſſe ſibi quemdam multùm veracem ac religioſum hominem, quòd illas viſiones ex ipſius Furſei ore audierit.*

CIRC. AN. DC. I JAN. XVI. illi reſpondentes omnem rei referebant ei ordinem, qualiter veſpertinali hora tranſiſſet, & uſque ad gallorum cantum corpus exanime in medio ſervaſſent. At ille ſedens, Angelicamque claritatem ac dulcedinem mente revolvens, de qua ſollicitudine admonitus fuiſſet pertractat: mæſtúſque erat quòd non habebat ibidem hominem ſapientem, ut ea quæ viderat clarè exponere potuiſſet, ne revertentes Angeli eum inveniſſent imparatum. Petiítque & accepit ſacri Corporis & Sanguinis communionem: vixítque infirmus ipſo die & altero.

Rurſus rapitur. 7. Media verò nocte, tertiâ feriâ, parentibus & cognatis multíſque vicinis illuſtrem virum viſitantibus, tenebris irruentibus pedes ejus frigore ingravati duruerunt: manibúſque in oratione extenſis, lætus excepit mortem. Recordabatur enim jocundiſſimæ viſionis quam per eadem ſigna viderat antea: decidénſque in lectum quaſi ſomno gravatus, audivit horribiles magnæ multitudinis voces clamantium atque illum exire compellentium. Apertíſque oculis, nullum niſi tres ſupradictos ſanctos vidit Angelos, duos ex utroque latere poſitos, tertium verò armatum ad ſuum ſtetiſſe caput. Mirúmque in modum humanis conſpectibus ac vocibus privatus ſanctos Angelos vidit, ac illorum cantica cum omni ſuavitatis dulcedine audiebat. Tunc Angelus Domini qui à dextris ejus erat, conſolans eum dixit: Noli timere, defenſionem habebis.

Dæmonum incurſus patitur. 8. Levantibúſque eum Angelis, nihil tecti ac domûs adſpicit: ululatus & clamores dæmoniorum tranſiens, audivit unum ex illis dicentem: Antecedamus & ante faciem illius bella commoveamus. Tunc vidit nigram nubem à ſiniſtra parte criſpitantem ante faciem illius bellicam aciem conſtruentem. Corpora autem dæmoniorum inquantum animę illius apparere poterat, plena deformitate & nigretudine fuerunt, collo extento, macie ſqualentia, ac omni horrore plena, capite in ſimilitudinem caccabi intumeſcente. Quando verò volabant vel quando pugnabant, nullam corporis formam niſi horribilem & volaticam umbram videre poterat. Sed quis prudentium lectorum ignorat, hæc etiam de immundis ſpiritibus ad terrorem videntis animæ poſſe fieri? & tamen facies eorum numquam potuit videre propter horrorem tenebrarum, ſicut nec ſanctorum Angelorum propter nimiam claritatem.

Accuſatur in multis. 9. Bellicantia verò dæmonia ignitas ſagittas jactabant contra illos: ſed angelico ſcuto omnia tela nequiſſimi exſtinguebantur. Cadebant verò adverſarii ante conſpectum pugnantis Angeli: qui quaſi rationem poſuit cum eis, quando dixit: Nolite tardare iter noſtrum, quia hic homo non eſt particeps perditionis veſtræ. Contradicente adverſario ac blaſphemante injuſtum eſſe Deo hominem peccatoribus conſentientem nihil damnationis habere, cùm ſcriptum ſit: *Rom. 1, 32.* *Non ſolùm qui faciunt, ſed etiam qui conſentiunt facientibus digni ſunt morte.* Pugnante verò Angelo exiſtimabat vir Sanctus clamorem pugnæ & vociferantium dæmoniorum in omni terra audiri.

Ab Angelo defenditur. 10. Cúmque victus ſatanas ſicut contritus coluber caput relevâſſet venenoſum dixit: Otioſos ſermones ſæpe protulit, nec debere eum illæſum vita perfrui beata. Sanctus Angelus dixit: Niſi principalia protuleris crimina, propter minima *Matth. 11. 26.* non peribit. Accuſator antiquus dixit: Niſi remiſeritis hominibus peccata eorum, nec Pater veſter cæleſtis dimittet vobis peccata veſtra. Sanctus Angelus reſpondit: Ubi ſe vindicavit, vel cui injuriam fecit? Diabolus dixit: Non eſt ſcriptum ſi non vindicetis, ſed ſi non remiſeritis de cordibus veſtris. Sanctus Angelus excuſans dixit: Indulgentiam in corde habuit, ſed conſuetudine humana continuit. Diabolus reſpondit: Sicut accepit malum ex conſuetudine, ita accipiet vindictam à ſuperno Judice. Sanctus Angelus dixit: Judicabimus eum ante Dominum. Ter victus inimicus, viperea reſtaurat venena dicens: Si juſtus eſt Deus, hic homo non intrabit in regnum cælorum. Scriptum eſt enim: *Matth. 18. 13.* *Niſi converſi fueritis & efficiamini ſicut parvuli, non intrabitis in regnum cælorum.* Hoc verbum minimè implevit. Dixit Angelus Domini: Judicabimus eum ante Dominum. Præliante ſancto Angelo contriti ſunt adverſarii.

11. Tunc ſanctus Angelus qui à dextris ejus erat dixit: Reſpice mundum. Tunc vir Domini reſpexit & vidit vallem tenebroſam ſub ſe in imo poſitam. Tunc vidit quatuor ignes ibidem in aëre aliquibus ſpatiis à ſe diſtantes. Dixit rurſum ſanctus Angelus: Qui ſunt hi ignes? Vir Domini ſe neſcire reſpondit. Cui ſanctus Angelus dixit: Hi ſunt quatuor ignes qui mundum ſuccendunt, poſtquam in Baptiſmo omnia peccata dimittuntur per confeſſionem & abrenũtiationem diabolo & operibus ejus & pompis. Unus Mendacii, cùm hoc quod in Baptiſmo ſe abrenuntiare ſatanæ & omnibus operibus ejus promiſerunt, minimè implent. Alter Cupiditatis, cùm mundi divitias amori cæleſtium præponunt. Tertius Diſſenſionis cùm animas proximorum etiam in ſupervacuis rebus offendere non formidant. Quartus Impietatis, cùm infirmiores exſpoliare & eis fraudem facere pro nihilo ducunt. Ignis verò creſcens in majus effectus eſt unus, & illi appropinquabat. Timénſque ignem minacem, ſancto Angelo ſecum loquenti ait: Ignis mihi appropinquat. Cui reſpondit Angelus: Quod non accendiſti, non ardebit in te: licet enim terribilis ſit & grandis iſte ignis, tamen ſecundum merita operum ſingulos examinat, quia uniuſcujuſque cupiditas in iſto igne ardebit. Sicut corpus ardet per illicitam voluntatem, ita & anima ardebit per debitam pœnam. Tunc vidit ſanctum Angelum præcedentem ignem flammámque dividere in duos muros ex utroque latere, & duo ſancti Angeli utroque latere ab igne defendebant eum.

GIRC. AN. DC. I. JAN. XVI. Cernit ignes quatuor mundum inflammantes. Servatur ab igne.

12. Vidit quoque quatuor dæmonia immunda per ignem volantia, bellum horribile in medio ignis conſtruentia, & dixit unus ex illis: Servus qui ſcit voluntatem domini ſui & non facit, dignè plagis vapulabit multis. Sanctus Angelus reſpondit: Quid enim iſte de voluntate domini ſui non adimplevit? Sataras reſpondit: Dona iniquorum recepit. Sanctus Angelus reſpondit: Credidit enim quod unuſquiſque eorum egiſſet pœnitentiam. Diabolus dixit: Antè debuit probare pœnitentiæ perſeverantiam, & ſic fructum ſuſcipere. Munera enim excæcant oculos ſapientium & pervertunt verba Juſtorum. Sanctus Angelus reſpondit: Judicabimus eum ante Dominum.

Iterum accuſatus excuſatur. *Luc.* 12. 37. *Eccli.* 34. 23.

13. Fallax diabolus ſuccumbens in blaſphemias contra Auctorem erupit, dicens: Uſque nunc æſtimavimus Deum eſſe veracem. Sanctus Angelus reſpondit. Quid enim aliud eſt? Procaciſſimus dæmon dixit: Quia omne delictum quod non purgatur ſuper terram, in cælo eſſe vindicandum promiſit Eſaias Propheta clamans: *Quòd ſi volueritis & audieritis me, bona terræ comedetis. Quòd ſi nolueritis & me ad iracundiam provocaveritis, gladius devorabit vos.* Hic homo non purgavit delicta ſua in terra, nec vindictam hîc recipit. Ubi eſt ergo juſtitia Dei? Sanctus Angelus increpans eos dixit: Nolite blaſphemare dum neſcitis occulta Dei judicia. Diabolus reſpondit: Quid enim hîc occultum? Sanctus Angelus dixit: Quamdiu ſperatur pœnitentia, comitatur hominem divina miſericordia. Sataras reſpondit: Sed nullus tamen hîc locus pœnitentiæ. Angelus reſpondit: Profunditatem myſteriorum Dei ignoratis, fortaſſe etenim erit. Diabolus reſpondit: Diſcedamus ergo dum judicandi ratio non eſt.

Iſa. 1. 19. & 20.

14. Alius verò ſatellitum dixit: Adhuc reſtat illi anguſta porta per quam niſi pauci intrant, ibi illum ſuperare poterimus. *Diliges proximum tuum ſicut teipſum.* Sanctus Angelus reſpondit: Vir iſte in proximos ſuos operatus eſt bona. Adverſarius reſpondit: Non ſufficit bona operari, niſi etiam proximum ſicut ſemetipſum dilexerit. Sanctus Angelus reſpondit: Fructus dilectionis eſt bona operari, quia Deus reddet unicuique ſecundum opera ſua. Improbus dæmon dixit: Sed quia verbum Dei diligendo non implevit, damnandus erit. Pugnante turba nefanda ſancti Angeli victores fuêre.

Matth. 22. 39.

15. Victus ſex vicibus diabolus more ſuo in blaſphemiam erupit dicens: Si Deus iniquus non eſt, & ſi mendacium & verbi illius tranſgreſſio ei diſplicet, vir iſte pœnarum expers non erit. Promiſit enim ſæculo abrenuntiare, & econtrario ſæculum dilexit, contra Apoſtoli præceptum dicentis: *Nolite diligere mundum,*

1. Johan. 2. 15.

CIRC. AN. DC. L. JAM. XVI. *neque ea quæ in mundo ſunt.* Virum ergo hunc neque propriæ ſponſionis ſermo, nec Apoſtoli prohibuit ſententia. Sanctus Angelus reſpondit: Non ſibi ſoli ea quæ ſunt ſæculi, ſed omnibus indigentibus diſpenſanda dilexit. Nefandiſſimus diabolus dixit: Qualicumque modo diligatur, contra præceptum Divinum eſt & contra ſponſionem Chriſtianitatis in Baptiſmo.

16. Victos adverſarios Angelis vincentibus, rurſum diabolus ad callidas con-
Ezech.3.18. vertitur accuſationes dicens: Scriptum eſt enim: *Si non annuntiaveris iniquo iniquitatem ſuam, ſanguinem ejus de manu tua requiram.* Hic non annuntiavit dignam peccantibus pœnitentiam. Sanctus Angelus reſpondit: De hoc enim tem-
Amos 5.13. pore ſcriptum eſt: Prudens in tempore illo tacebit, quia tempus peſſimum eſt. Quando enim auditores deſpiciunt verbum, lingua etiam Doctoris loqui præpeditur, dum videt quòd audita prædicatio deſpicitur. Accuſator antiquus reſpondit: Ille tamen uſque ad paſſionem annuntiare debet, nec conſentire nec tacere:

Recreatur ab Angelis. 17. In omni verò contradictione dæmonum prævalida nimis exſtitit pugna, donec judicante Domino triumphantibus ejus Angelis, contritis devictiſque adverſariis immenſa claritate vir ſanctus circumfuſus eſt, ſanctorúmque Angelorum choris concinentibus: Nullus labor durus videri debet, nullum longum tempus, quo gloria æternitatis adquiritur: lætitiâ ſimul & dulcedine complebatur. Tunc ſurſum adſpiciens vidit immenſa agmina eximia claritate fulgentia Angelorum præcedentium ſanctorúmque hominum advolantia quaſi alis immenſæ coruſcationis circumdantibus eum, confuſionem formidinémque ignis ac dæmoniorum terrores procul abigentia. Conſpicítque duos venerabiles viros illius provinciæ, in qua vir Domini Furſeus notus erat, quos videns obiſſe credebat. Hos Præſules cunctorum memoria uſque ad noſtra tempora celebratos propiùs ad ſe accedentes vidit ac familiariter propria dicentes nomina, qui vocabantur BEOANUS * & MELDANUS, & loqui cum eo cœperunt.

Beoanum & Meldanum Epiſcopos videt.

* *de his in Mirac.n.15.*

18. Tunc adſpiciebat magnam cæli ſerenitatem, & duos Angelos proximam cæli jocunditatem repetentes quaſi per oſtium intrantes æthereum, ac repentè circa illos magnitudinem claritatis & quaſi per quatuor choros cantantium multitudines Angelorum ac dicentium: Sanctus, ſanctus, ſanctus Dominus Deus ſabaoth. Tunc anima illius dulcedinem ſuperni modulaminis ac ſonitum ineffabilis lætitiæ ultra cælum ſonantis intendente, circumfuderunt eum Angelorum agmina ſtantia etiam à dextris ejus. Tunc ſanctus Angelus ſtans à dextris ejus dixit: Scis ubi agitur hæc lætitia & gaudium? Illo reſpondente ſe neſcire, ſanctus Angelus ait: Ad ſupernum conventum unde & nos ſumus. Tunc mens ejus omnem laborem tribulationis obliviſcens, immenſa complebatur lætitia: quia ſuperna audiens carmina clariùs & modulatiùs reſonare, pro ſe ſolo decantari computabat, admiránſque ait: Magnum eſt gaudium hæc auſcultare carmina. Cui dixit Angelus Domini: Hoc auditu nos pro miniſterio diſpenſationis humanæ ſæpè privamur[a]: & quod nos adnuntiando laboramus, dæmonia humana corrumpendo corda diſſipant. Rurſúmque Angelus Domini beato viro ad carmina cæleſtia audienda intento loquitur: In hoc cæleſti regno nulla umquam juſtitia niſi de hominum perditione fieri poteſt.

Angelorum cantus audit.

19. Tunc prædictos Sacerdotes cum ingenti claritate à ſecreto cæli procedentes angelicáque formâ radiantes ad ſe venire conſpicit, ac ſibi ad ſæculum redire præcipiunt. At ille tacens & hujus nuntii triſtitiâ ſtupefactus in momento reverſus eſt: ſanctis autem Angelis eum reportantibus, præfati viri venerabiles ſpatium poſcunt cum eo loquendi & dicunt: Quid times? unius diei iter eſt quo laboraturus es. Prædicans ergo omnibus adnuntia quia eorum in proximo eſt vindicta. Beato Furſeo interroganti de mundi fine: Aiunt finem creaturæ etiam

Ad corpus redire juſſus multa à SS. Beoano & Meldano diſcit.

[a] Angeli rerum humanarum curam gerentes, nullum ſuæ beatitudinis detrimentum patiuntur, nec ulli triſtitiæ obnoxii ſunt. Hæc ergo humano modo dicta accipienda ſunt.

tunc

tunc non esse quamvis in proximo sit: sed famis & mortalitatis plagis humanum genus esse vexandum. Quod etiam signo solis cùm radios suos anno præterito abscondisset in modum lunæ jugiter splendentis significatum est. Duo verò genera sunt famis, unum in abundantia sapientiæ intelligendi verbum Dei & non implendi: aliud verò tenacia mentis in abundantia divitiarum. Sed de una radice amaritudinis generantur. Sicut enim avarus non impletur pecunia, quia avaritiæ amaritudo non sentit dulcedinem de perceptis bonis, inhiando ad ea quæ illicita sunt; sic etiam sermonis Domini dulcedinem malitiæ amaritudine occupatæ & detentæ non sentiunt animæ. Mortalitas verò propter Dei patientiam modicum quidem detenta est: sed quicumque hæc signa vidit, vel monita sanctæ Scripturæ despicit, si non egerit pœnitentiam, mors illius proxima est. CIRC. AN. DC. L. JAN. XVI. Nempe futuras calamitates.

20. Et quamvis omnibus Divina monita contemnentibus superni Judicis ira jam immineat, maximè tamen super Doctores Ecclesiæ ac Principes furor illius iratus est. Quia pereunt animæ Fidelium per hujus mundi illecebrosa vitia, per suggestionem militantis diaboli, per negligentiam Doctorum, per mala exempla pravorum Principum. Doctores namque Prophetarum libros considerantes intelligant, & quale sit hoc tempus cognoscant. Viri namque dimidii operis sunt, quia per omnipotentis Dei misericordiam, alii largitatis gratiam sunt adepti, sed carnis incontinentia sunt lubrici: Alii verò corpore quidem sunt casti, sed avaritiæ æstibus sunt cupidi. Alii quoque gratiam habent lenitatis, sed rancore animi sunt pusillanimes. Alii autem non recordando injurias suas citò ignoscunt, sed minùs cor cautè custodiendo, citiùs quoque irascendo rixas provocant. Alii ergo quod Deus singulis largiendo donavit, in hoc illi quasi proprio labore adquirentes gloriantur. Alii verò qui impugnantes eos devicerunt, corde vigili & bonorum operum instantia vincere omittunt. Ob peccata Doctorum & Principum.

21. Sunt quoque nonnulli, qui spiritualibus vitiis impugnantur. His omissis corpus in abstinentia affligunt, verbi gratiâ nocturnas illusiones, vel levia quæque crimina gravia existimantes; superbiam verò quæ Angelos de supernis dejecit pro nihilo computantes, vel avaritiam quæ primum hominem de paradisi expulit amœnitate non exsecrantur: nec invidiam per quam parricida Caïn fratrem suum Abel interfecit, falsum quoque testimonium per quod Salvator damnatus est, ac blasphemiam non exsecrantes non considerant quales vel quantæ super eos qui talia egerunt venturæ sunt plagæ. Multi enim à cibis quos Deus ad percipiendum cum gratiarum actione creavit abstinentes, hæc nefanda quasi licita sumunt; hoc est superbiam & avaritiam, invidiam, falsum testimonium, blasphemiam, per quæ detrahendo quasi carnes proximi cum sanguine illius comedunt: & quæ leviora sunt in Dei judicio, graviùs judicant; graviora verò leviora putant. Omnis ergo Doctor singulis vitiis congrua debet opponere medicamenta. Nam qui hæc vitia leviora esse aut gula aut fornicatione existimat, animarum inimicus potiùs quàm Doctor judicandus est. Spiritualia

22. Curatio ergo superbiæ est increpatio coram homnibus & humiliatio crebra in luto & cinere. Avaritiæ verò medicamentum est largitatis dispensatio, invidia verò per benevolentiam & benignitatem medicinatur, falsum autem testimonium humiliter confiteri ei in quem falsa congessit verba, & ab eo indulgentiam supplicari convenit. Blasphemiæ quoque malum medicamento sanatur per humilitatem subjectionis & linguæ ob omni inutili locutione refrenationem atque orationis instantiam. Contraria enim vitia contrariis virtutibus sanantur: nec satis est corpus affligere, si anima à malitia & nequitia non curatur. Principes ergo & Doctores Ecclesiæ Christi animas Fidelium ad pœnitentiæ lamentum post culpas provocent, & eas spirituali pastu doctrinę & sacri Corporis & Sanguinis participatione solidas reddant, nolentes excommunicent, ne reatum damnationis de neglectis sustineant, ulmum pro vite, & alnum pro oliva plantantes: dum plus terrenum & infructuosum laborem diligunt, quàm caritatem quæ omnium radix & culmen esse dignoscitur bonorum operum. Remedia eorum.

CIRC. AN. DC. I. JAN. XVI.

23. Contra Doctores Eccleſiæ iratus eſt Dominus eoquòd Divinos libros negligentes curas hujus mundi cum omni dilectione gerunt. Si enim legentes Prophetarum dicta intelligerent, nec is qui à mortuis reſurrexit, plus timoris atque compunctionis audientibus inferre potuit. Sed nemo eſt qui prohibeat aut qui propellat. Rex enim & Sacerdos unuſquiſque ſecundum hoc quod ſcriptum eſt, quod ſibi rectum videtur hoc facit. Cauſa verò & radix omnium malorum eſt ſuperbia: populus enim contra Regem erigitur, Clerus contra Sacerdotem, Monachi contra Abbatem, filii contra parentes, juvenes contra ſeniores ſuperbiendo diverſa ſentiunt. Sed ſicut unuſquiſque eorum ſubjectus prælato ſibi non didicit obedientiam humilitatis exhibere: ſic juſto Dei judicio agitur, ut illi ceteris prælato nullus humiliter ſubdatur, & quod ab illo ſuperbiente alius injuſtè ſuſtinuit, ille ab alio per diſtricti Judicis juſtitiam dolens ſufferat. Malum ergo ſuperbiæ quod ſupernam Angelorum curiam deſtruendo corruperat, præſens quoque ſæculum inordinatè pervertendo deſtruit.

Superbia omnium vitiorum cauſa.

Beoani ſalubria monita.

24. Converſus quoque ad B. Furſeum præfatus Sacerdos Beoanus qui hæc diligenter perorabat, ait: Vitam tuam creaturis Dei utendo ſerva, & omne quod malum eſt abnegando reſpue. Eſto ſicut fidelis diſpenſator, nihil tibi præter victum & veſtimentum vindicans, ſícque in auferendo lucro ſicut in augendo temperatus. Qui enim ſic libenter donum * ſicut datum ſuſceperit, os mutorum aperire poterit, nihil mendicans, nihil* negans. Deo odibile eſt aliena competere & propria retinere. Pauperibus enim & egenis convenit petere, habentibus autem indigentibus diſpenſare. Eleëmoſynæ verò nullo rogante diſpenſandæ ſunt pauperibus, bona quoque in omnes homines operanda ſunt, maximè in domeſticos Fidei. Iniquorum dona in pauperes & in omni ſolatio deſtitutos impertienda ſunt. Nulla ergo diſcordia in Eccleſia Dei ſit. Sed qui in plebe præſunt, Apoſtolico ordini & doctrinæ ſanctæ inſiſtant: qui verò in Monaſteriis degunt, cum ſilentio operantes ſuum panem manducent.

* *id eſt* donandi occaſionem
* *al.* nulli

In publico quomodo agendum.

25. Sunt verò nõnulli qui à doctrinæ officio ſe excuſant, & propter curas ſæculi in publico proſiliunt. Bonum igitur quod agunt in occulto ponentes, lucem boni exẽpli proximis abſcondunt: ſęculi verò cauſas ſeu contentiones in publico agentes, mortiferæ cupiditatis venenum publicè eorum cordibus infundunt. Te ergo ipſum nec ſemper remotũ, nec ſemper in publico decernas, ſed quando te remotũ eſſe volueris, omni cuſtodia ſerva teipſum, omnia Divina obſervando præcepta; & quando in publicum proceſſeris, ad animarum ſalutem non ad hujus mundi inhianda lucra animum intentum adhibeto. Sed & ſi quis tibi primâ horâ diei dona contulerit, & ante veſperum pœnituerit; ſicut libens ſuſcepiſti, ita hilaris ei reſtitue. Nullam quoque patrimonii cuſtodiam, nullam curis hujus ſæculi intenti cordis diligentiam adhibeas, ſed omnibus adverſantibus vel contrariis puri pectoris indulgentiâ bona pro malis rependens, pro inimicis ſummum ſupplica Deum. Qui enim pacati cordis lenitatem contrariis & ſibi reſiſtentibus illæſam ſervaverit, omnium ferarum & beſtiarum ferocitatem in manſuetudinem convertet. Nullum enim boni operis ſacrificium ſic Deo acceptabile & probatum eſt quàm patientiſſimi cordis contra omnes injurias lenitatis manſuetudo, per quam omnia adverſa ac damna quaſi lucra & proſpera ſpe futuræ remunerationis lætus Domino juvante ſuſcipit. Duo enim animæ inimici eſſe probantur, diabolus & mundus: & unuſquiſque eorum viciſſim alter alterius dilectionem inſinuat, ut per hoc quod anima mundi hujus illecebris ſubſternitur, ab adverſario victa & poſſeſſa teneatur.

Furſeus jubetur monere Antiſtites & Principes.

26. Vade ergo terræ hujus Hiberniæ Principibus verbum Domini adnuntians, ut relicta iniquitate per pœnitentiam ad ſalutem perveniant animarum. Tunc deinde excellentioribus ſanctæ Eccleſiæ Sacerdotibus hæc ipſa adnuntia, quòd omnipotens Deus zelotis eſt ſi plus amant ſæculum quàm ipſum. Negligentes enim animarum utilitates lucris hujus ſæculi deſerviunt, & ad mortem ſeram prædicant pœnitentiam, & tunc dona eorum ſuſcipientes ignem de illorum tormentis perferunt.

27. His dictis ſupernum illud Angelorum cælo receptum eſt agmen: Beato quoque Furſeo cum tribus Angelis ſolis ad terram reverſuro maximus appropinquabat ignis. Sed Angelus Domini, ſicut antè, medium dividens findebat ignem, virque unus ex igne proſiliens dæmonibus illum projicientibus ſuper humerum ejus, maxillam maxillæ ejus impreſſit. Cognoſcebátque virum qui ei veſtimentum proprium moriens perdonavit, humerúmque ejus ac maxillam incendens, ab Angelo ſancto in ignem unde exiit projectus eſt, Angelo qui à ſiniſtris volabat inter beatum virum & ignem ſtante, dexter illum Angelus in flammas projecit. Tunc diabolus antiquas repetens fallacias dixit: Noli repellere quem antea ſuſcepiſti: & ſicut ejus bona ſuſcepiſti, ſic de pœnis ejus particeps eſſe debes. Angelus Domini reſpondit: Non propter avaritiam, ſed propter animam illius liberandam ſuſcepit. Ceſſavítque ignis. Tunc dixit Angelus Domini: Quod accendiſti hoc arſit in te. Si enim hujus viri in peccatis ſuis mortui veſtimenta non ſuſcepiſſes, nec pœnæ illius in corpore tuo arderent. CIRC. AN. DC. L. JAN. XVI. Damnati hominis attactu aduritur. NOTA.

28. Prædica ergo omnibus, quòd pœnitentia agenda eſt, & à Sacerdotibus ſuſcipienda uſque in extremam horam, ſed tamen* nihil ſubſtantiæ ejus ſuſcipiendum, nec corpus ejus in ſancto ſepeliendum eſt loco[a]. Vivo tamen prædica acriùs, quatinus cor illius amaritudo compunctionis tangat, tangens quandoque purget, omnibus priſtinis renuntians iniquitatibus eleëmoſynas ubertim pauperibus diſtribuat. Nihil tamen exinde à Sacerdote ei prædicante ſuſcipiatur. ſed juxta ſepulcrum ejus bona illius pauperibus dividantur, ne in aliquo iniquitatis illius particeps ſit. Peccator in extremis pœnitens quî tractandus. [a] * *Bolland. addit* niſi pœnituerit

29. His atque aliis exhortationis ſermonibus inſtructus ſuper tectum Eccleſię inter ſanctos conſtitit Angelos, ſuúmque corpus conſiderans, nec parietes domûs, nec turbam lugentium, nec ipſa corporis indumenta videre potuit: jubetúrque ab Angelo proprium cognoſcere & reſumere corpus. Tunc ille quaſi ignotum cadaver timens noluit ſe ibidem appropinquare. Cui reſpondit Angelus: Noli timere, inquit, hoc ſuſcipere corpus, quod ſine ulla repugnatione infirmitatis vel vitiorum repugnantium quamvis invalidum habere poteris. Concupiſcentias enim illicitas in hac tribulatione ſuperâſti, ut ultra contra te non prævaleant. Tunc vidit à pectore illius corpus aperiri: dixítque ei Angelus: Reviviſcens corpus tuum aquâ fontis ſuperfundatur, & nullum dolorem niſi tantùm concrementionis ſentire poteris. Benefacies, omnémque greſſum tuum uſque in finem videbimus, & ſic te lætum bene operantem ſuſcipiemus. Exſurgens autem vir ſanctus quaſi ex profunda mortis quiete, conſpiciens multitudinem parentum vel vicinorum ſive etiam Clericorum, ingemiſcens magnitudinem humanæ ſtultitiæ, arduúmque & difficillimum tranſitum admirans, magnitudinem quoque remunerationis pervenientibus ad beatas ſedes ſingulis per ordinem adnuntiabat: atque vivâ ſuperfuſus aquâ, incendium inter ſcapulas illius quod de iniquo ſumpſit viro, in facie ejus apparuit. Mirúmque in modum quod anima ſola ſuſtinuit, in carne demonſtrabatur. Furſei anima expurgata redditur corpori.

30. Egreſſus inde verbum Dei prædicabat, & ea quæ viderat vel audierat omnibus populis Scottorum adnuntiabat. Erat verò in illo incomparabilis gratia nihil terrenum* uſquam competens, omni petenti ſe tribuens, Prælatis & ſubditis æqualis, Magnatibus & Regibus timendus, humilibus & contemptoribus ſæculi imitandus, omnibus bonis amabilis, iniquis & peccatoribus terribilis, Divinis virtutibus clarus. Ex obſeſſis enim corporibus dæmonia fugabat & pauperes recreabat. Pœnitentiam prędicat. * *al.* cuiquam petens

[a] Nota Eccleſiæ Hibernicæ cenſuram ſæculo VII. erga eos qui pœnitentiam in extrema differebant. Longè ſeverius in ejuſmodi homines animadvertebat primæva Eccleſia. *Prohibendos omnino cenſuimus à ſpe communionis & pacis, ſi in infirmitate atque periculo cœperint deprecari: quia rogare eos non delicti pœnitentia, ſed mortis urgentis admonitio compellit: nec dignus eſt accipere ſolatium, qui ſe non cogitavit eſſe moriturum*, inquit Cyprianus in Epiſt. ad Antonian. Lege Gabrielem Albaſpinæum in lib. 2. Obſervat. cap. 28. & in Notis in Epiſt. Innocentii ad Exuperium.

ANN. CHR. DC. L. JAN. XVI. Annos XII. sibi restare intelligit.

31. Dúmque unius anni spatio Hiberniæ insulæ populos per doctrinæ studium circumire studuit, instabat dies anniversarius, quo visiones à corpore sublatus viderat, memorans semper unius diei iter sibi fuisse injunctum. Multis enim sapientibus ac religiosis comitantibus viris eadem nocte molestia corporali correptus & in solo tantùm pectusculo vita palpitante vidit Angelum Domini ea quæ ad opus sunt prædicationis congrua sibi adnuntiantem, & unius diei iter exponentem ac duodecim annos in opere prædicationis completurum prædicentem. Quod ita factum est.

In solitudinem secedit.

32. Completis verò annis decem, omnibus sine personarum acceptione verbum Dei adnuntians, inruentium populorum multitudines non ferens, aliquantorum etiam animos invidia stimulante contra se commotos esse deprehendens, relictis omnibus quæ habere videbatur, paucis cum Fratribus ad insulam quamdam parvulam in mari positam profectus est, atque exinde non multum pòst de Hibernia peregrina litora petens per Britannias in Saxoniam[a] transvectus est, ubi honorificatus est à SIGEBERTO Rege & susceptus, & verbo Domini Barbarorum mitigabat cor.

Deinde in Saxoniam.

a

Monasterium construit.

33. Completis verò duodecim annis quos Angelus prædixerat, Sanctus quadam infirmitate correptus angelica fruitur visione: ubi etiam de prædicationis instantia admonitus, nullum vivendi finem audivit. Tertio die tacendo Evangelicum præceptum admonet: *Vigilate & orate, quia nescitis diem neque horam.* Quod vir Deo plenus intelligens, locum Monasterij à prædicto sibi Rege traditum acceleravit construere. Quod Monasterium[b] in quodam castro constructum, silvarum & maris vicinitate amœnum, Rex gentis illius ANNA ac nobiles quique tectis & muneribus adornârunt.

b

S Foillano illud committens, secedit in eremum.

34. His rite gestis vir sanctus ab omni sæculi atque ipsius Monasterij cura alienare se cupiens, cum sapientissimis Fratribus tractavit. Habuit enim secum reverentissimos & spirituales viros, qui exemplo tanti viri, & in Monasterij probatione, & in diversis laboribus vitæ & humilitatis & caritatis gratia proficerent. Inter quos etiam germanos proprios habuit FOILLANUM sanctum admodùm virum[c] cui etiam sortitam Monasterij & animarum dereliquit curam: Alter verò ULTANUS diuturna Monasterij probatione dimissa, ad eremitalem vitam multis jam annis ab eodem electam derelictis omnibus curis & rebus nudus ad fratrem suum qui jam theoricâ pascèbatur vitâ, solus profectus est. Labori quotidiano & orationibus continuis deservientes per annum integrum ibidem philosophantur.

c

Revocatus à Rege, postea in Franciam venit.

35. Tunc quibusdam causis ingruentibus à populo vel Rege vir altioris ingenij ad consilium vocatus: immò etiam compulsus desideratum sibi eremi dereliquit locum. Omniáque animo pervigili tractans ac turbatam esse provinciam Gentilium incursione perspiciens, nec ibidem diuturnum Monasterialem ordinem perpensans, ad Galliarum litora dimissis ordinatísque omnibus navigavit: ibíque à Francorum Rege CHLODOVEO & Patricio HERCHENALDO honorificè susce-

a Nempe in Saxoniam Britanniæ, non Germaniæ, ut ex Beda in lib. 3. Hist. cap. 18. constat.

b Bollandus sic habet: *Quod vir Deo plenus intelligens, locum Monasterij à prædicto sibi Rege Sigeberto traditum acceleravit construere, quod Monasterium vocabatur Cnoberesburch, in quodam castro constructum.* Beda paullò aliter, *constructum in quodam castro quod lingua Anglorum Cnobberesburg, id est urbs Cnobberi vocatur*, lib. 3. Hist. cap. 19.

c Addidit Bollandus: *cui etiam Sacerdoti cum SS. Gobbana & Tibulla Presbyteris Monasterij* &c. quæ eadem fere apud Bedam leguntur, & in veterrimo Compendiensi apographo desunt. S. Foillanus Fursei frater, alius à Foillano S. Livini discipulo, mortuo Furseo in Brabantiam cum fratre Ultano profectus, Fossense Monasterium ædificavit: ejúsq; curâ Ultano relictâ, in Nivialensi Parthenone S. Gertrudis Virginis *contubernalis* aliquamdiu vixit. Demum aliquando ad Fossense Monasterium Rhodio Cameracensis diœcesis opido proximum fratris visendi gratiâ tendens, in silva seu *villâ Soneſiâ*, à nefario homine cum tribus sociis interemptus est pridie Kalend. Novembr. anno circà DC. LVI Corpus ipsius post septuagesimum diem, hoc est XVII. Kal. Febr. repertum, sepelitur in Fossensi Monasterio, quod nunc est Collegium Canonicorum, ac III. Non. Septemb. è terra levatur. Corpora verò trium sociorum in Nivialensi Cœnobio condita sunt. Quæ de Foillani Pontificatu & itinere Romano tum in Vita MS. tum apud Molanum leguntur, omnino incerta sunt. Consule Vitam S. Gertrudis Abbatissæ Nivialensis ad ann. 658. & S. Ultani Elogium anno 680.

tus Monaſterium in loco quem nuncupant LATINIACUM [a] conſtruxit. Ac non multo pòſt Fratribus ordinatis cum Rege & Patricio iter agens, infirmitate corripitur: ibíque diu jacens, virorum nobilium & ipſius reverentiſſimi Regis viſitatione frequentatus, ab ore illius ſermones gratiæ & condimentum vitæ adſumebant æternæ: & ſic præſentia relinquens [b] ad æterna commigravit regna. AN. CHR. DC. L. JAN. XVI.

36. Corpus verò illius ab illuſtri viro Herchenaldo Patricio retentum causâ Eccleſiæ quam ſibi magnopere conſtruxerat, in villa cui Parona [c] vocabulum eſt ponitur: & quia ipſius Eccleſiæ dedicatio intra triginta * dies parabatur, in quodam loco in porticu interim corpus ſanctum ſumma cum diligentia cuſtoditur: ac poſt tantos dies ita illæſum invenitur, ac ſi eadem hora de hac luce fuiſſet egreſſus. Reverenter ergo [d] juxta morem prope altare conditur, ibíque fere annis quatuor demoratur. Conſtructâ verò ad Orientalem partem altaris domunculâ, ibi poſt tot annos immaculatum corpus à reverentiſſimis ſubvectum Epiſcopis ELIGIO & AUTBERTO [e] transfertur ſine ulla putredine: ubi etiam recta fide petentibus, merita illius clareſcunt Divinis virtutibus, adjuvante Domino noſtro JESU-CHRISTO qui cum Patre & Spiritu-ſancto vivit & regnat in ſæcula ſæculorum, Amen.

a Latiniacum
b Monaſterio conſtructo moritur.
c Perronæ ſepelitur.
d * Bollando XXVII.
e

DE VIRTUTIBUS S. FRUSEI.

1. REm actam atque geſtam, Fratres dilectiſſimi, ad memoriam concitemus Confeſſoris, ut cunctæ proles devulgantes reſtaurent Eccleſias, quia Paſtor gregis & Doctor iſtud deſpexit ſæculum, laudes terrenas, munera regalia, decus Principis: & aulam Chriſti diligens penetravit regna polorum cum Sanctorum millibus, & lætus Paſtor cum ovili lætos portans fructus. Nam quos elegit & amavit, non dereliquit poſt tergum. Pius utique Furſeus, largus & humilis, qui cùm eſſet regali ex regimine [f], ſermone affabilis, ad congregandum promptus, efficax in opere; omnia ſibi commendata Deo diligenter ſervans, ſe & omnia ſua propria in munus detulit Salvatori. Omnia hæc ut audivimus & credimus pro intuitu amoris Dei ultramarinis adimplevit documenta partibus, ac poſtremò meruit audire vocem Domini dicentis: *Venite ad me omnes qui laboratis & onerati eſtis & ego reficiam vos.* Et iterum: *Qui reliquerit propria, id eſt agros & propinquos & cetera omnia propter nomen meum, centuplum accipiet &* Mat. XI 28. Id. 19. 19.

f

a Latiniacum locum ita deſcribit alter anonymus, & ex eo Arnulfus. *Hinc ſilvâ peropacâ tegitur, hinc Matronâ aquâ honeſtatur: hinc multiplex & delectabilis pratorum planities, hinc fecundiſſimarum vinearum floret denſitas ... Eccleſiam in prædicto fundo adificat* Furſeus, *quarum unam in honore Domini Salvatoris, alteram verò in memoria B. Principis Apoſtolorum Petri conſecrat, tertiámque vili quidem conſtruit opere, ſed cotidiana uſque nunc miraculorum mirificat amplitudine: quæ in ejuſdem B. Furſei honore à poſteris dedicata, magna præbet tam animarum quàm corporum dona ſalutaria.* Exſtant in hunc uſque diem tres illæ Eccleſiæ, quarum prima S. Salvatoris, ac tertia S. Furſei paroeciales ſunt; ſecunda S. Petri, Baſilica Abbatialis eſt ac principalis.

b Bollandi editio inſerit hæc verba: *in loco Macerias nominato* XVIII. *Kalend. Febr. ad æterna* &c. quæ deſunt in antiquioribus Monaſterij S. Cornelij Compendienſis apographis, quamvis eo ipſo die Furſeum deceſſiſſe perſuaſum nobis ſit. Certè in alia Vita ab anonymo ſcripta uti & in libro ſequenti Mirac. *ſub die V. Id. Febr.* tumulo conditum dicitur B. Furſei corpus, quod diebus fere triginta inſepultum jacuit. Eccleſiæ dedicatio quæ *intra triginta dies hîc parata* dicitur, apud Bedam *poſt dies viginti ſeptem* facta memoratur, quo die S. Furſei corpus prope altare reconditum eſt. Et tamen dies dumtaxat quinque ſupra viginti inter XVII. Kal. Febr. & VI. Idus ejuſdem menſis numerantur.

c De Parona ſeu Parrona & Perrona, *Perrone*, opido munitiſſimo Veromanduorum ad Somenam, agemus in Elogio S. Ultani Abbatis.

d Interpolatoris manus addidit apud Bollandum, *die* VI. *Februarij*. De hoc infrà.

e Bollandi textus ſic habet: *Eligio ſcilicet & Autberto & à Foillano & Emiano Abbatibus, & aliis ſanctis viris transfertur.*

f An legendum *germine*? Certè Bollandus legit *ex regali ſemine*. An fortè *Regalis regiminis* nomine intelligenda eſt dignitas Pontificalis, quæ Furſeo à nonnullis tribuitur? Sic enim alter Vitæ conditor anonymus: *Ampliatæ igitur ſanctitatis hic donativo prærogatus, tandem Pontificalis dignitatis Deo favente adiit ſcitur decus, ut populum Dei ſigniſer egregius in præſenti regeret, quem conſortem ſui quandoque in cæleſtis palatij receptione gauderet.* Et apud Cameracenſes teſte Molano Furſeus ut Epiſcopus colitur. Atqui in Collectione Canonum Hibernienſium To. 9. Spicilegij Acheriani Epiſcopos in lib. 36. *Principes* paſſim, in lib. 46. c. 1. *Reges* appellatos reperies. Non tamen Furſeum fuiſſe Epiſcopum crediderim, ſed fortaſſe Abbatem illius Monaſterij Hibernici, qui Abbas teſte Beda in Hiſt. lib. 3. cap. 4. Epiſcopis præerat. Adde etiam Abbates in prædicta Collectione Canon. etiam *Principes* appellari, lib. 18. cap. 6. *Si quis commendaverit animam ſuam & corpus & omnia quæ habet, Deo & Principi, id eſt Abbati ſancto* &c.

AN CHR. DC. L. JAN. XVI.

vitam æternam recipiet. O virtus abſtinentiæ & mortificationis carnis, quæ & hæc omnia cuſtodivit & docuit.

Furſeus Sigeberto juvante Monaſteria conſtruit.

2. Veniens namque in Saxoniam ibi à SIGEBERTO Rege honorificè ſuſceptus eſt: qui præ gaudio neſciens quod opus ei egiſſet bonitatis, obtulit ei munera, aurum & gemmas & divitias innumerabiles. Ipſe prædictus Furſeus pro nihilo habuit hæc omnia: ſed petens ab eo aliquid exſpectaculum *, ubi ſibi & ſuis poſt ſe venientibus præpararet hoſpitium. Rex ejus adquieſcens ſermonibus, non ſolùm eum dilexit, verumetiam poſt ejus regimen clamans pro amore Sancti dedit auxilium & conſolationem. Tunc vir Domini in ipſa prædicta traditione conſtruxit Monaſteria [a], & Eccleſias cum ſanctis pignoribus dedicavit, atque Monachos & Virgines ad ſerviendum Domino cum cura regulari conſtituit. Qui venientes ad ſe debiles & claudos, cæcos atque leproſos, vel etiam qui varias habebant injurias, cunctos ſalvabat ab infirmitatibus, & cunctis ſe petentibus dabat neceſſaria. Qui honorabilior ceteris effectus, cunctis prædicabat remedium pœnitentiæ, & cunctos ab erroribus ſalvabat.

* f. receptaculum

a

Præfectis Foillano & Ultano Romam tendit.

3. Benedictus Pater Furſeus omnia ſua gubernata propriis germanis ſuis FOILLANO & ULTANO ad cuſtodiendum dereliquit. Angelo admonente petiit à Rege ſibi licentiam dari in Romaniam * tranſmeare [b], ubi piis precibus ad limina SS. Petri & Pauli & ceterorum Sanctorum orationibus vacaret. Qui ad hæc reſpondit ei dicens, non dimiſſurum ſe eum, niſi ei voto voviſſet iterum revertendi. Cui Domini athleta vovit auxiliante Domino reverſurum ſe eſſe. Petentéſque ejus benedictionem omnes deduxerunt eum cum pace ad litora maris. Navigans autem venit in Galliam, ſtatímque à Rege CHLODOVEO & Patricio ERCHENALDO honorificè eſt ſuſceptus. Data eſt ei à Rege licentia prævidere omnem poteſtatem ſuam, ut ſibi condignum locum inveniret: ſed vir Domini iter quod cœperat petebat ne impediretur.

* *al.* Romam

b

In Galliam honorificè exceptus.

Haimonis Ducis filium ſuſcitat.

4. Sed longum eſt narrare quanta in partibus tranſmarinis Dominus per eum dignatus eſt operari miracula, & hoc potentiſſimo operi ejuſdem divino jungendum eſt miraculum. Veniens in pagum Pontivum, & in villam quæ dicitur *Maioc* [c], in qua audivit planctum magnum in domo HAIMONIS Ducis eoquòd filius ejus eſſet defunctus unicus quem habebat. Tunc petiit vir Domini illud corpus ad cuſtodiendum per noctem. Quod impetravit, & juſſit corpus poni in ſecreto cellulæ ſecum, clauſo oſtio flectens genua & cum lacrymis Dominum deprecans: pariter ſurgunt Sanctus de pulvere, infans de feretro. Mane autem facto veniens Haimo cum uxore ſua, & cum turba plurima virorum & mulierum lamentantium cum luminibus ad domum ubi vir Domini orabat, invenerunt vivum quem mortuum ſuſpicabantur, canentem & laudantem Dominum cum viro ſancto. Tunc Haimo cum omni populo lætus effectus eſt glorificans Deum qui eſt glorioſus in Sanctis ſuis. Dedit ei poſſeſſionem ſuam nomine Macerias [d], & deprecatus eſt eum, ut ab eo numquam diſcederet. Vir Domini hoc reſpuens, iter carpebat quod cœperat.

c

d

Haimoni obitum ſuum præſignat.

5. Tunc populi vociferantes poſt eum oſculantes ejus veſtigia, & petentes

a In alio anonymo etiam plura Monaſteria Furſeus conſtruxiſſe legitur: unicum tamen memorat antiquior Vitæ Scriptor & Beda ſuprà.

b Furſeus ab itinere Romano per Chlodoveum & Erchinoaldum revocatus eſſe ex conſequentibus videtur. Et tamen Arnulfus & Deſmaïus Romanam Furſei peregrinationem, ejúſque cum Romano Pontifice congreſſum deſcribunt: aiúntque Furſeum poſtea in Angliam denuò ad Sigebertum revertiſſe, demúmque iteratò acceſſiſſe in Galliam, ubi tùm Latiniacum Monaſterium ædificaverit. Verùm ex iis quæ de tempore S. Furſei obitûs inferiùs dicemus, apparet, Furſeum id præſtare non potuiſſe Martino Pontifice, ut vult Deſmaïus, cùm Martinus anno ante Furſei mortẽ uno tantùm aut altero ad ſuprem.am Sedem evectus ſit. Certè tota illa peregrinationis hiſtoria omnino ſuſpecta eſt: reverſio in Saxoniam fictícia ex utriúſque anonymi Vitæ Scriptoris ſilentio probari poteſt.

c Villa *Majoc* ad Alteiam fluvium poſita, nunc *Hemont* vicus ab Haimone Duce appellatur, ut Bollandus adnotavit.

d Locus Maceriæ in Pontivo ad Alteïam fluvium infra Durlenſium opidum, in binos diſtinctus eſt vicos, quorum alter *Mazeroëles*, alter *Forhem* ſeu *Forshem*, id eſt Furſei-domus appellantur. In vico Forshem egregium cernitur Templum S. Furſei nomine ac miraculis illuſtratum, quò fideles accolæ voti cauſâ maximè ad languidam luem ab infantium corporibus depellendam concurrunt, teſte Jacobo Malbranco in lib. 3. de Morinis cap. 32.

ejus benedictionem, qui omnes à variis infirmitatibus ſanabat. Sed & Haimo provolutus ad pedes ejus dixit: Oro te, vir Dei, quamvis non ſimus digni ut nobiſcum continuò maneas, vel tuum tranſitum nobis manifeſtes. Vir Domini dixit: Quando in una nocte tres horas fulgoreas videris mutatas, tunc me tranſiturum ſcias. AN. CHR. DC. L. JAN. XVI.

6. Deinde veniens in pagum Ambianenſem & in curtem vocabulo Antiolum * ſuper fluvium Corbeiam [a], ubi obviavit ei vir malignus exuens eum pallio ſuo & minans eum cum diſcipulis ſuis fuſtibus cædi: & pergens ad domum ſuam portavit cappam viri Dei jactans eam mulieri ſuæ. Et inſiliens ſuper eum ſpiritus malignus & ſuper uxorem ſuam & unicum filium ſuum fregit linguas eorum, & filia ſurda & cæca effecta nullus ex eis loquebatur. Secutus eſt eum vir Domini uſque ad domum petens hoſpitium. & reſponſo non invento miſericordiâ motus, fecit orationem pro eis ut indulgentiam acciperent. Merito Sancti crediderunt ſimul & ſanitatem receperunt. Ipſi converſi ad Deum pro amore Sancti ſe & cuncta propria in munus detulerunt Salvatori. Spoliatur à Latrone. * *al.* Antoilum, *Anteuil* [a] Latronem cum ſuis à dæmone arreptum liberat.

7. Deinde divino deſiderio anhelans venienſque in Grandem-curtem * in pagum Atrabatenſem * petivit diverſorium à femina nomine ERMENFLIDE, quæ videbatur multas habere poſſeſſiones & pecunias: ſed minimè impetravit. Statim ut vidit vir Domini duritiam ejus receſſit, & in ipſa hora cœpit eam inimicus vexare. Et ecce nuntij poſt eum venerunt ad invitandum eum dicentes: Serve Dei, ecce vocat te domina noſtra, veni libera eam à vexatione: ſcit enim quòd propter te tanta patitur mala. Sed noluit vir Domini reverti ad ejus habitaculum, quia ſciebat quod ei evenerat. Attamen compuncto corde pius Pater miſit unum ex diſcipulis ſuis cum baculo ſuo ad eam: ut autem introivit domum, dæmone cum tremore exſiliente ab ea muliere, facta eſt ſana. Veniens autem poſt virum ſanctum, & provoluta pedibus ejus, ſe & ſua propria ei devota vovens, poſtea multis vixit annis. O Fratres dilectiſſimi, quàm clara & quàm pretioſa fuerunt merita Sancti: non ſolùm namque per ejus manus virtutes clareſcebant, verumetiam ex baculo quem in manu frequentiſſimè portabat, ad quotquot infirmos mittebatur ſtatim ſanabantur, & illud quod ſuperiùs memoravimus quotidie per totam Galliam divulgabatur. Ermenfledam etiam inhoſpitalem. * *Grandcourt* * *l'Artois*

8. Vir Domini memoratus Erchenaldus audiens ejus famam, obviam ei perrexit orans & poſtulans ut veniret ad domum ejus ad palatium Parronenſis vici, & in ſacro Baptiſmo filium ſuum poneret, & à fonte ſuſciperet. Quod vir ſanctus non renuens, ſed proximum ſicut ſemetipſum diligens pariter pergunt. Venientibus ad locum nominatum, magna ibi fit lætitia, ſed tamen ſex vincti in carcere tenebantur in ipſo vico. Ipſi ubi audierunt adventum ejus, clamabant dicentes: Ora pro nobis ſerve Dei propter Deum, quia credimus per tuum adventum nos ſalvari. At ubi audivit vir Domini miſericordiâ motus poſtulavit pro eis ut dimitterentur, ſed minimè impetravit. Accedens ad epulas vir Domini exſpectabat mirabilia: dixit enim ſe non eſſe pranſurum antequam vinctos ante ſe vidiſſet. Audiente Domino petionem ſervi ſui, & ecce cunctis videntibus qui erant retruſi, abſque ulla contagione advenerunt illæſi. Cuncti adſtantes ſimul coram Principe veniam poſtulaverunt, & glorificaverunt Deum, eoquòd eveniſſet virtus eis & ſalus & adjutorium. Perronam invitatus, captivos ſoluit.

9. Tunc electus Domini Erchenaldus conſtituit tres domeſticos ſuos qui virum juſtum per diverſa loca deducerent, & ubicumque ſua propria fuiſſent ei monſtrarent, ut qualis ei locus amabilior fuiſſet ad habitandum daretur: qui & fecerunt. Sanctus verò Furſeus è cunctis locis Latiniacum expetivit. Veniens autem in ipſum prædictum locum, fixit baculum ſuum in terram, & mox bullivit fons magnus, qui uſque hodie locum irrigat, & multis à diverſis infirmita- Latiniacum petit. Fontem illic ſcaturire facit.

[a] Corbeia amnis nomen dedit celeberrimo Corbeiæ Monaſterio, quod S. Bathildis conſtruxit ad confluentes Corbeiæ amnis in Somenam.

AN. CHR. DC L. JAN. XVI. tibus præſtat medicinam. Contigit ut dum prævideret quadam die locum, ecce duo energumeni ad beatiſſimum Furſeum deprecati ſunt auxilium. At ille facto crucis ſignaculo effugavit dæmonium, reddiditque eis ſalutis remedium.

Dæmoniacos duos liberat.

Latiniacum Monaſterium conſtruit.

10. Tunc qui miſſi fuerant, cuncta quæ viderant, omnibus indicaverunt. Erchenaldus verò, ut audivit hoc, gratias egit Deo qui talem ei virum dediſſet, unde talia proceſſiſſent miracula. Pergens itaque poſt virum ſanctum dicit ei: Deo gratias ago, qui mihi tale dedit proprium ubi tibi inveniſti dignum habitaculum: ædifica & ordina diligenter, ut ſit tibi & tuis aptum perennibus temporibus. Ego autem interim præparabo montem Cygnopum qui Perrona nuncupatur, ut ſi acceptior tibi fuerit, habeas & ipſum: quia Deo jubente ibi requieſcent corpuſcula noſtra. Hymno dicto ſanctus Furſeus Latiniacum ſuis manibus conſtruxit: beatuſque Erchenaldus Perronam cum feſtinatione præparavit. Ac non multo pòſt audientes hæc ultramarini cognati atque amici ſimul cum S. EMMIANO acceleraverunt venire ad ſanctiſſimum virum Furſeum, qui eos honorificè ſuſcipiens & ſimul cum eis mánibus operans magnopere conſtruxit illum locum.

Invifitur à ſuis.

Saxoniam repetens, Maceriis obit.

11. Et poſt ſpatium aliquot annorum, contigit ei ut reverteretur in Saxoniam viſitare proprios germános ſuos, id eſt FOILLANUM & ULTANUM quos dimiſit ad regendum ſuum Monaſterium: qui in ſua relinquens ſede Emmianum virum ſanctum curam gregis agere, iter accelerabat. Veniens igitur in prædictam traditionem Haimonis Ducis vocabulo Macérias, Sanctus Dei infirmitate corripitur, & Angelica perfruitur viſione, præſentia relinquens ad æterna migravit regna.

Haimoni apparet.

12. Sed Haimo neglexit dicta ſancti viri tempúſque tranſitûs Sancti: adveniénſque ad prandium ſuum vidit B. Furſeum cum ſuis duobus Diaconibus & cum tribús cereis quos poſuerunt ſuper menſam ſuam & abierunt. Tunc Haimo ſtupefactus interrogabat circumſtantes ſe: Videtis gloriam quam ego video? Dixerunt ſe neminem vidiſſe. Qui dixit eis: Ecce vidi ante me virum ſanctum ſtantem qui unigenitum meum reſuſcitavit, & ſigna magna nobis demonſtravit, cum duobus Diaconibus & tribus cereis quos poſuerunt ſuper menſam meam & abierunt. Credo enim huic ſigno quòd mihi mercedem monſtravit*, & nunc ſcio quod de corpore migravit. Pergamus ad ſepeliendum eum. Tunc ipſe cum omni domo ſua & cum cunctis pagenſibus ſeu cum Clero vel turba Virginum, cum thuribulis & cereis perrexit ad ſepeliendum Sanctum. Quo veniente in locum vocabulo Macerias, ibi cum odoribus magnis, hymnis atque canticis cuſtodiebant corpuſculum Sancti.

* *al.* præſtabit

Erchenaldus & Haimo de corpore contendunt.

13. Audiens hæc inluſter Erchenaldus Major-domus illuc cum turba multa hoſtiliter perrexit. Qui veniens ad ſupradictum locum ſuper fluvium Alteiam ubi ſancta jacebat gemma, ibi Haimonem Ducem præparatum invenit, hoſtiliter vigilantem & cuſtodientem corpus. Tunc Erchenaldus dicit Haimoni Duci: Redde mihi Monachum meum, alioquin cras mane judicet hoc Deus inter me & te. Haimo reſpondit: Et mihi primogenitum meum reſuſcitavit: ſed tamen quid inter nos hæc ratio? Jubeantur in craſtino jungi duo tauri indomiti ut elevent feretrum, & pergant Deo jubente ubicumque voluerint. Tunc vir Domini Erchenaldus lætus effectus dixit: Rectè judicâſti, fiat ſecundum judicium tuum.

Cæca illuminatur.

14. Factum eſt autem dum uterque cuſtodiret corpus beati viri atque confabularentur, ecce puella cæca à nativitate quæ proſtrato corpore tetigit pallium quo feretrum operiebatur, recepit lumen oculorum. O qualis tunc exſtitit riſus vel jocunditas! quæ priùs palpando venerat, cunctis videntibus pſallebat currens, laudans, & glorificans Deum dicens: O beate Furſee, qui totis viſceribus jam pergis ad Chriſti regnum, qui non declinabas à dextra lævaque de conſortio Sanctorum: ô Furſee jam vernas inter chóros lætantium! O ſanctiſſima

anima

anima quæ jam audis à Domino : Intra in gaudium Domini tui. Bonum certamen certâſti, ideóque & cum Angelis exſultabis in æternum. AN. CHR. DC. L. JAN. XVI.

15. Mane autem facto fecerunt ut hæc probarentur quæ dixerunt. Tauros jungunt ad feretrum, ſtatim elevant Sanctum, qui tenentes rectam viam itineris pervenerunt ad villam vocabulo Perronam. Erchenaldus verò poſt corpus pergebat cum turba populorum, pſallens & glorificans Deum. Et ecce claudus jacebat in via qui exſpectabat conſolationem Domini, clamans & vociferans : Sancte Dei Furſee adjuva me : ego ſi potuiſſem tibi appropinquare, credebam me tuis meritis ſalvari. Tunc quidam viri miſericordes portaverunt eum ante feretrum, & fide poſcente recepit ſanitatem. Corpus Perronam à tauris vehitur. Claudus erigitur.

16. His rite geſtis, ecce BERCHARIUS Dux Lucdunenſis venit cum exercitu magno, volens rapere corpus. Tunc dicit ei Erchenaldus : Quid eſt hoc, Berchari, quòd ſic armatus advenis ? Reſpondit ei Bercharius : Meus eſt ex lege quem ducis, eoquòd ego prior omnibus in hac terra Dux [a] fui, & quidquid mea fuit facultas, ad cultum amoris ejus & parentum ipſius tradidi ad poſſidendum illi. Vivens voluit ad me venire, quod tu non permiſiſti. Tamen obſecro quamvis non meruiſſem illum videre vivum, ut mihi ſaltem dimittas corpus ejus cuſtodire, & hoc ſi nolueris unum è duobus elige, aut duos pueros ad feretrum pone, ut eant in partem quã elegerint, & hoc altus Judex inter nos hac hora dijudicet quod ſibi placitum fuerit. Reſpondit Erchenaldus : Prout dixiſti fiat. Tunc miſit Erchenaldus unum puerum habentem ſeptem annos de parte Bercharij, & Bercharius ſimiliter puerum ſuum poſuit de parte Erchenaldi : qui ſtatim elevantes feretrum jubente Salvatore deduxerunt ſanctum corpus ad montem Cygnopum [b], & prædicti viri corpus cum eorum plebe & cum magna lætitia gaudenter pergunt, ibíque cum odoribus magnis condunt, ubi ipſe Sanctus priùs multorum condidit pignera, id eſt PARTRICII, BEOANI, & MELDANI [c], & ceterorum Sanctorum quos ſecum detulit. Sed interim, hoc eſt intra triginta dies parabatur Eccleſia, & ædificatur in honore duodecim Apoſtolorum. Bercharius fibi corpus vindicare nititur. *a* Per ſeptennes pueros cauſa in Erchenaldi gratiam cedit. *b* *c*

17. Prædicti conjux Erchenaldi nomine LEUTSINDA furore repleta, eoquòd tam diligenter diligeret Sanctum, dixit viro ſuo : Ecce me deſolatam cum filiis meis & filiabus derelinquis abſque pecunia & poſſeſſione, tradens omnia noſtra [d] in manu ejus, quem nos ignoramus vel ex qua origine ortus eſt. Cui dicit Erchenaldus : Dulciſſima mea Leutſinda, noli talia verba loqui. Leutſinda reſpondit : Fac me extraneam de tuo conſortio, ſi ſic perſeveras ut cœpiſti. Erchenaldus dixit : Ceſſa verboſare Luitſinda : quòd ſi furor tuus non ceſſaverit, eris extranea de poteſtate mea & deliciis quas tibi tradidi. Leutſinda reſpondit : Utinam numquam perveniſſem ad diem illum nuptiarum, unde nunc reproba effecta ſum, Erchenaldus dicit : Cariſſima, ſi ſcires quanta nobis venerunt bona à die qua nobis ſuam tradidit familiaritatem, numquam talia proveheres. Scito certiſſimè quòd ſi furor ſuus contra te converſus fuerit, tu cum tuis & omnia tua tecum ibunt in perditionem. Subridens Leutſinda dixit : Audite cuncti : homo triginta dies putrefactus quid mihi faciet mali ? Leutſinda mariti pietati indignatur. *d*

18. Venit autem dies quo Templum ædificationis præparatum fuit, hoc eſt quinto Idus Februarij [e]. Ibi collectâ magnâ populorum adunatâ Erchenaldus dixit : Leutſinda ecce dies in qua probare poteris, quem ſemper doloſè inqui- Lumen ob hoc amittit. *e*

a Bollandus legit, *eorum dux fui*, citátq; Deſmaïum, qui Bercharium unà cum S. Vincentio Madelgatio ex Anglia venienti Furſeo & ſociis comitem fuiſſe ſcribit. Attamen noſtra lectio præferenda videtur, cùm Bercharius conſequenter dicat ſe *non meruiſſe illum videre vivum*. Ergo S. Furſei corpus jure ſuperioris dominij repetebat.

b Ita conſtanter omnia exemplaria : & tamen Deſmaïus vertit *Montem cygnorum*. Nunc obſolevit vetus nomen illius monticuli, in quo S. Furſei Eccleſia elegantiſſimè erecta cernitur.

c Nunc quo loco habeantur iſtæ Reliquiæ, ignotum. De SS. Beoano & Meldano actum in ſuperiori Vita num. 17. & ſeq.

d Hæc repugnant iis quæ de Erchinoaldo S. Audoënus in Vita S. Eligij lib. 2. cap. 26. refert, dum eum *rapacem, tenacem & avarum* ſuggillat

e Bollandus notat, in nullis Martyrologiis S. Furſei Tranſlationem vel Elevationem notari v. Idus Febr. ſed v. Kalend. Martij. At cùm in alio libro Mirac. ab altero anonymo deſcripto dies v. Id. Febr. uti hoc loco ſcribatur, iſte depoſitionis S. Furſei dies dici debet.

AN. CHR. DC. L. JAN. XVI.

ris. Hodie Deo jubente transferetur Sanctus ad locum quem ei præparatum habeo, & si sic inveneris ut dicis, centuplum restaurabo tibi pecunias tuas. Tunc Leutsinda læta effecta perrexit cum turba multa ad locum ubi sanctum jacebat corpus: Jubet discooperire sepulcrum, & ideo quia non erat digna videre corpus, amisit lumen oculorum: quæ diu jacens juxta Sancti sepulcrum quidquid à juventute adquisivit, Christo propter amorem S. Fursei vovit. Statim ut credidit sanata est.

Fursei corpus sepelitur, ac post annos 4. elevatur.

19. Cuncti adstantes magno gaudio repleti elevaverunt corpus cum magna exsultatione & condiderunt in dextra parte altaris Apostolorum Principis, ubi conditum jacuit annis quatuor, ubi & multa patuerunt miracula. Interim paratur domuncula, in qua jacens post tot annos ab illustribus viris ELIGIO & AUTBERTO[a] Episcopis translatum est. Sícque tunc inventum est illæsum, quasi eadem hora migrâsset de corpore: ibíque cum odoribus magnis clara tegunt membra. Ibi & virtutes multæ clarescunt per merita Sancti[b]: ibi paralytici & leprosi curantur, & dæmoniaci liberantur, cæci visum recipiunt, atque cuncta necessaria quæ in fide deposcuntur illic largiente Domino præstantur. Lætus Sacerdos lætam petiit domum, tristes & mærore plenos lætos deducit in domum cælestem.

a

b

Miraculis clarescit.

Matrona infirma ejus eulogias petit.

20. Et illud non est silendum quod in memoriam reducimus. Erat quædam femina multas habens divitias & possessiones, sed validam infirmitatem patiebatur cum suis hominibus, itaut nullus alium posset adjuvare. Quæ admonita in somnis ut pergeret ad sepulcrum sancti viri orationibus vacare: sed præ infirmitate non valuit ire. Tamen compuncta in fide & amore Sancti missum suum misit, præcipiens illi ut citò pergeret ad locum prædictum & poscceret sibi transmittere de eulogiis S. Fursei. Hoc credebat ex fide, quod postea agnovit in facto: ex gustu credebat sanari. Servus quò domina imperavit, perrexit: veniens ad virum cui sollicitudo erat Monasterii dicit ei: Domina mea valde infirmatur: obsecrat & petit ut eulogias Sancti ei transmittatis, quia per ipsas credit recipere sanitatem. Qui Frater dicit ei: Certè scias nos absque vino esse, nisi tantùm unde vix ad Missas oblationes facimus, quia validissima hoc anno in hac terra exstitit plaga tam in populo quàm in fructibus. Ille servus ut audivit verba excusantis, dixit: Domine vel fontem mihi indica ut hauriam & de ipso deferam, ut ex ipso desiderium suum impleat. Pergens Frater monstravit ei fontem: qui ex eo ferens vas plenum attulit dominæ suæ, & cuncta quæ ei contigerant retulit. Gavisa mulier dixit: Vel ex ipso mihi da quod adtulisti. Quæ ut gustavit gratias agens Deo dixit, quòd numquam melius vinum bibisset. Tunc præcepit omni familiæ suæ exinde gustum dare atque vicinis omnibus: qui ex eo biberunt & claruerunt merita S. Fursei, & ipsa cum omnibus suis recepit sanitatem. Omnibus hæc res claruit. Postea ipsa veniens cum omni domo sua & cum parentibus, seipsos & cuncta propria Deo pro meritis sancti Fursei voverunt, & postea multis vixerunt annis

Aquæ in vinum conversæ hausti sanatur.

Ecclesia & sepulcrum S. Fursco facta.

21. Crebrescentibus deinceps miraculis beatæ memoriæ ERCHENALDUS & conjux sua LEUTSINDA ædificaverunt ei Ecclesiam: sanctus verò Dei ELIGIUS[c] diligenter fabricavit manibus venerabilis S. Fursei sepulcrum, præstante Domino nostro JESU-CHRISTO, qui vivit & regnat in sæcula sæculorum. Amen.

a Apud Bollandum additur, *& Medardo*, quod flagitiosissimum mendum rectè appellat.

b Non rarò etiamnunc Perronenses auxiliarem experiuntur S. Furseum, cui urbis suæ liberationem ab obsidione Caroli V. Imp. anno M. D. XXXVII. acceptam referunt anniversaria sollemnitate, quæ III. Idus Septemb. celebratur.

c Ex his tempus obitûs S. Fursei colligere licet. Mortuus est Erchinoaldus seu Erchenaldus Palatii præfectus paullò ante S. Eligium, ut ex lib. 2. Vitæ S. Eligii cap. 26. satis intelligitur. Eligium anno circà DC. LX. ad superos migravisse, certum est. Post corporis S. Fursei elevationem à SS. Autberto Cameracensium & S. Eligio Noviomensium Episcopis factam annis à Fursei morte quatuor, Erchinoaldus in ipsius honorem condidit Ecclesiam, Eligius verò sepulcrum: quæ minimùm duorum vel trium annorum spatium exigunt. Proinde S. Fursei obitus anno circà DC. L. contigisse dicendum est. Sacræ ipsius Reliquiæ Perronæ in Ecclesia Collegiata S. Fur-

ſei dictâ debito honore adſervantur. Caſula & ſtola quâ vir ſanctus in rebus ſacris uſus eſt, habentur apud noſtros Latiniacenſes, qui Perronenſibus Canonicis Manipulum (ut vocant) tradiderunt, viciſſimque ab ipſis Canonicis acceperunt os capitis ejuſdem ſancti petroſum appellatum, quod in argentea effigie in Monaſterio Latiniacenſi cuſtoditur ac colitur. Variæ leguntur S. Furſei celebritates, nempe XVII. Kal. Febr. quem obitûs diem eſſe diximus, cóque die ab antiquis Martyrologis Uſuardo, Adone Hrabano & Notkero Furſeus commendatur; VIII. Id. Feb. & V. eaſdem Idus, qui poſterior Depoſitionis ſeu ſepulturæ dies eſt; V. Kal. Martias, IV. Non. itidem Martias, XV. Kal. Octob. & IV. eaſdem Kalendas. Ex his ſeptem ſollemnitatibus tres tantùm in Kalendario proprio Perronenſi adnotantur: ſcilicet XVII. Kal. Feb. cum Octava, V. Id. Febr. Tranſlatio, & alia XV. Kal. Octob. utraque cum feſto Duplici: quæ poſtrema apud Latiniacenſes noſtros prima die Dominica poſt Octavam Nativitatis B. MARIÆ agitur, ob Tranſlationem Reliquiarum S. Furſei in novam (ut credimus) thecam, quæ Tranſlatio anno Dominicæ Inc. 1256. XV. Kal. Octob. Dominicâ poſt Octavam Nativitatis B. Mariæ, præſentibus D. Ludovico Rege Franc. illuſtri, necnon venerabilibus Vvermando Noviomenſi, Guillelmo Belvacenſi, Vvaltero Tornacenſi & Rodulfo Morinenſi Dei gratiâ Epiſcopis facta legitur in Litteris à Jacobo Deſmaio poſt Vitam Gallicam S. Furſei vulgatis. AN. CHR. DC. L. JAN. XVI.

VITA SANCTI AGILI ABBATIS RESBACENSIS PRIMI,

CIRC. AN. DC. L. AUG. XXX.

Auctore anonymo ſubæquali.

Ex MSS. codd. & Hiſtoria Tornutienſi.

1. SANCTI *Agili* Vitam ante aliquot annos jam edidit Petrus Franciſcus Chifletius Soc. Ieſu, vir doctus, in Probat. ad Hiſtoriam Tornutienſem: hic exhibemus eamdem Vitam cum duobus Miraculorum libris ex vetuſtis membranis acceptam, cujus de Auctore ipſiúſque ætate & auctoritate inquirendum eſt.* * S. Aile.

2. *Hujus Vitæ Scriptor anonymus tres nobis ſuppeditat ætatis ſuæ characteres, duos ſcilicet in Præfatione ab Epiſcopo* RAGNEMUNDO *&* AYGLOALDO *Abbate, tertium ab ætate S.* DONATI *Veſontionenſis Epiſcopi*, quo referente *miraculum cap. 7. memoratum ſe* accepiſſe *teſtatur.* Auctoris ætas.

3. RAGNEMUNDUM *Sedis Meldenſis Epiſcopum*, AYGLOALDUM *verò Reſbacenſis Monaſterii Abbatem fuiſſe omninò probabile eſt. In fuſiori Gallia Chriſtiana Abbatum Reſbacenſium catalogus deſideratur, & in vulgato Meldenſium Epiſcoporum indice nullus Ragnemundo locus. De iſtius Sedis Præſulibus qui poſt S. Faronem præfuerunt, quantum præſenti inſtituto conducit, paucis agendum.* HILDEGARIUS *Meldenſis Antiſtes in Vita S. Faronis hic editâ, ſe poſt Faronem ſextodecimo ſedíſſe loco aſſirmat cap. 64. his verbis:* A viceſimo quippe ordine B. Faronis uſque ad præſentem HILDEGARII humilis Epiſcopi, ex collegio Monachorum clariſſimi Martyris Dionyſii Cœnobio degentium per electionem aſſumpti, ac munere divino unà cum præſtantiſſima liberalitate inclyti Regis CAROLI* ad tanti regiminis culmen evecti, eſt multiplicatus ordo Præſulum priorum aduſque hunc quem ſexto-decimo numero rota annorum torquet volvendo. *Et tamen in Gallia Chriſtiana Sammarthanorum Hildegarius ſeptimodecimo computatur loco; adeout vel catalogus iſte in aliquo ſuperfluens, vel Hildegarii calculus imminutus cenſeri debeat. Fortè* RAGNEMUNDUS *noſter idem eſt cum* RAGAMINATO *ſeu Ragemario, qui octavus poſt S. Faronem Epiſcopus numeratur.* * Calvi.

4. *Certior eſt à S. Donati ætate petita ratio temporis, quam S. Agili Encomiaſtes cap. 7. profert. Quippe S. Donatus ab anno circa* DC. XXV. *quo Synodo Remenſi ſub Sonnatio habitæ ſubſcripſit, ad annum* DC. LI. *quo denatus videtur, Veſontionenſem Cathedram tenuit. Unde ſcrupulus naſcitur, an S. Agili Encomiaſtes Donatum videre potuerit, ánne potiùs ex Donati relatione, voce aut ſcripto traditâ narrationem capitis 7. acceperit.*

5. *Certè ne quid diſſimulemus, occurrunt in iſta Vita mendæ nonnullæ, quæ Scriptorem ſæculo* VII. *inferiorem deſignant. In his Sadaberga ſeu Salaberga* virginitatem inviolabiliter ſervâſſe *cap. 12. falsò dicitur, cui plures liberos fuiſſe ex propria Vita conſtat. Adduci etiam poſſet opinio de tribus Autharii filiis ex cap. 14. à V. C. Hadriano Valeſio in Rer. Franc. lib. 18. ſatis confutata, à nobis etiam ſuo loco diſcutienda. Et tamen ſuo Auctori integram in aliis fidem habemus, niſi quòd ſententia de centenaria B. Agili ætate cum Vita S. Filiberti conciliari non poteſt. De Reſbacenſi Monaſterio paucis dicendum.*

6. *Reſbacenſis Monaſterii initia anno* DC. XXXIV. *Eccleſiæ Dedicationem & Agili Abbatis inſtitutionem anno* DC. XXXVI. *cum Carolo* le Cointe *illigamus. Quippe utrumque accidit Dagoberto Rege, cùm adhuc Audoënus & Eligius laici eſſent, ut patet ex Vitæ iſtius cap. 16. & 17. adeóque Agilus ex cap. 19. Abbas à Dagoberto inſtitutus eſt in Synodo Clippiacenſi*, quæ* Reſbacenſis Monaſterii origo & ſtatus. * Clichy.

CIRC. AN. DC. L. AUG. XXX. *anno* DC. XXXVI. *habita eſt.* RESBACENSE *Monaſterium vulgo* Rébais, *olim Ieruſalem dictum, in gratiſſima pagi Briegii planitie ſitum eſt inter duos amnes cognomines hinc inde bino fere milliari ſepoſitos, quorum unus Mucra minor, vernacusè* le petit Morin, *alter Mucra ſine addito vocatur; ſitum eſt, inquam, unà cum opidulo Reſbaco,* ad torrentem Reſbacem *ſeu Raſbacem Repſacémve, à Iona in Vita S. Columbani* * *aliiſque* fluviolum *perperàm appellatum, cùm rivulus fere ex pluvialibus aquis in unum confluentibus productus, æſtate ſoleat areſcere. Celebre ac illuſtre fuit quondam iſtud Monaſterium. Ex eo prodiit S.* FILIBERTUS *Abbas Gemmeticenſis. S.* REOLUS *Remorum Epiſcopus poſtquam teſte Frodoardo in Hiſt. Remenſ. lib. 2. cap.* 10. conſtruxit Monaſterium Orbacenſe in loco quem promeruit dono Regis THEODERICI ſuffragante quoque EBROINO Majore-domus; impetravit à Monaſterio Raſbacenſi ſex Monachos, qui regimina ſanctæ Regulæ ibidem tenerent & alios ea docerent. *Inter Abbates eminuêre præcipuè* WARINUS *Corbeiæ antiquæ Monachus & novæ Abbas, in libro de conſtructione novæ Corbeiæ, cùm à genere tum à virtute maximè laudatus;* NATALIS *Ludovici VII. Francorum Regis Cancellarius; factus poſtea Monachus Cluniacenſis ſub Petro Mauritio, qui eum apud Innocentium Papam plurimùm commendavit; &* PETRUS *Palmarius poſtea Viennenſis Archiepiſcopus, in eodem Monaſterio loco ignoto ſepultus, qui anno* M. D. XX. *S. Autharii Tranſlationem curaviſſe dicitur. De aliis Abbatibus lege Miraculorum libros duos, quos huic vitæ nonnullis miraculis omiſſis ſubjecimus. Reſbacenſe Monaſterium paucis abhinc annis Congregationi noſtræ S. Mauri attributum eſt.*

* *num.* 50. *ſuprà.*

Tom. 2. *Hiſt. Franc. Cheſnii.*

PROLOGUS AUCTORIS AD AYGLOALDUM ABBATEM.

REBRIS admonitionibus urget me Prælativa Caritas veſtra, Venerande Abba AYGLOALDE, ſuadente Domno Epiſcopo RAGNEMUNDO, conſcribere Vitam beati Confeſſoris Chriſti AGILI. Opus quidem compendioſum ac pænè difficile, utile tamen Eccleſiæ, dignúmque celebritatis laude. Licet enim ad hoc opus peragendum minùs ſufficiens ſim, inobediens apparere magis vereor, ne talenti quantulamcumque mihi creditam quantitatem ſudario malè ligatam involvam, qui per hanc Domino velut fidelis ſervus copiosè lucrari debuerim. Quinetiam recolens Sanctorum manifeſtari oportere agones, immò triumphos, ut Dei ac Domini noſtri JESU-CHRISTI immenſa majeſtas potentiſſimè veneretur à Fidelibus in terris, quæ glorioſiùs ab Angelis adoratur in cælis; oppidò precor, Venerabilis Epiſcope, & Abba, orationum veſtrarum ſuffragiis juvari, quatinus valeam dignè ſcribere de meritis atque virtutibus beatiſſimi Agili quæ ſagaci ſtudio comperi vera: qui donec vita præſens illius vegetavit artus, ſtuduit æternam feliciter promereri gloriam.

CAP. I.

INCIPIT VITA.

Agili parentes illuſtres & pii.

AGENTE igitur in ſceptris HILDEBERTO SIGIBERTI Regis filio, qui juventutis flore & ſapientiæ decore gubernavit Burgundiam atque Auſtraſiam, fuit quidam ex primis palatii Optimatibus Portenſi [a] territorio nobiliſſimis natalibus oriundus, ejuſdémque Regis conviva & Conſiliarius nomine AGNOHALDUS, cujus conjux ex præclara Burgundionum orta proſapia, necnon bonitatis laude famoſiſſima, vocabatur DEUTERIA, quæ à rudimentis infantiæ percepit Catholicæ Fidei documenta. Ambo namque generis nobilitate ſublimes, ſed religionis apice ſublimiores. Erant quippe ſæculi opibus locupletes, ſed & eleëmoſynarum largiſſimi diſpertitores, hoſpitalitatum ſectatores, pauperum ac peregrinorum tam ſolliciti ſuſceptores, ut veraciter cum Job dicere poſſent: *Foris non manſit peregrinus, & non negabam quod volebant pauperibus.* Viduarum revera mærentium corda conſolabantur, ut cum eodem poſſent dicere: *Cor viduæ conſolatus ſum.* Orphanorum amaram triſtitiam mellitis (ut ſic dictum ſit) affaminibus indulcabant. Illud etiam

Iob. 31. 32.

Id. 29. 13.

[a] Locum ſignantiùs exprimere videtur Auctor cap. 3. ubi Columbanus Agnoaldum convenisse legitur *in villa quæ dicitur Honoriſiacus*, fortè *Villory*, qui vicus eſt medius Luxovium inter & Portum vicum ad Ararim in Burgundiæ Comitatu, vulgò *Pont ſur Saone*, uti Franciſcus Chifletius interpretatur.

Evangelicum assiduè sermocinabantur, quod Dominus ad dexteram positis in judicio dicturus est: *Infirmus fui & visitâstis me*; & cetera: atque illorum indigentiam ingenti studio sublevabant. CIRC. AN. DC. L. AUG. XXX. *Matth.* 25. 30.

II. Agnohaldus pro Columbano Regi supplicat.

Eodem siquidem tempore vir religionis reverendæ COLUMBANUS nomine, ab Hibernia Christo ducente in Gallias advenerat, desiderans nutu Divino à Serenitate præfati Regis [a] adipisci locum, quo Monasterium ædificaret Monasticæ religionis. Dum ergo sedulè meditaretur ac secum quæreret, quem de Aulicis palatii adiret qui se præsentiæ Regis sisteret, atque Celsitudini illius clementiæ desiderium suum panderet, siquando obtineri posset quod fervore fidei cupiebat; audito vehementi studio præscripti Principis AGNOHALDI eum adire deliberat, séque suámque precem illi commendat. Qui mox talis desiderii arcanum ac si divinitus sibi commissum suscipiens, quantociùs Regi opportunè intimat, eumdémque Columbanum illi gratiosum efficit, necnon ut cooptabilem illius precem exaudiat summissus efflagitat. At Rex magnanimitatis modestiâ jocundatus super sermone hujusmodi, postulata libentissimè indulget, insuper necdum petita largiri magnificè promittit. Castrum namque intra vasta eremi septa, quæ Vosagus * dicitur, fuerat fanaticorum cultui olim dedicatum, sed tunc ad solum usque dirutum, quod hujus saltûs incolæ, quamquam ignoto præsagio, Luxovium * nominavêre. Illud equidem considerans benignissimus Agnohaldus velociùs posse restaurari, & cernens situm loci Monachorum agmini aptum; immò intelligens prærogativâ fidei & sapientia illustratus, eumdem locum Deo sacrari oportere, ut ubi olim prophano ritu veteres coluerunt fana, ibi Christi figerentur aræ & erigerentur vexilla atque celebrarentur Mysteria; obtinuit suis precibus à Sublimitate Regis, ut per scripti seriem habitaculum Deo militantium perenniter delegaretur, quo adversus aërias potestates B. Columbano instituente dimicarent superni Regis tirones, quos demum post diversa exercitia virtutum ut robustos bellatores ac triumphatores lux perpetua Christus cum palma gloriæ suos conspicuos redderet paradiso.

*La Vosge.

* *Luxeu.*

III. Columbanus Agilo puero benedicit, & Deo offerri petit.

Interea vir prudentissimus Agnoaldus quamquam multiplicibus aulæ Regiæ foret implicitus, atque ejus industria universa palatij officia gererentur; necnon totius Regni querimoniæ illius æquissima definitione terminarentur: tamen unà cum devotissima conjuge cælitus inspiratus, Divini verbi pabulo interiorem hominem alere procurabat, atque de doctrina mandatorum Domini assiduis disceptationibus disputabat. Quapropter afflatus sancto flamine inter reliqua colloquia illud Evangelicum loqui consueverat: Reddere, inquit, oportet Deo quæ Dei sunt, & Regi quæ Regis sunt. Disputatorem verò spiritualis doctrinæ siquando suscipere mererentur, tunc sese felices atque à Deo visitatos summa cum exsultatione congratulabantur. Contigit autem ut B. Columbanum penes se commorari aliquantisper fecerint in villa quæ *Honorisacus* dicitur. Nimirum præter cetera dignitatum affluentia, erat illis cara soboles septennis ac bonæ indolis, quem propter celeres motus infantiæ AGILUM nominaverunt, super quo etiam sicut herede ac superstite felices lætabantur. Hunc ergo pietatis ducti amore, petunt B Columbani benedictionibus muniri, atque orationum illius munimine firmari. At ille data benedictione prædemonstrat veritatis præconio eumdem filium talem futurum, qui multis viam salutis ostendat, atque gloriosus in Christi militia effulgeat, ut pòst veritas patescens claruit. Nam B. Columbano tantam gratiam superna concessit majestas, ut quoscumque sua benedictione sacravit in boni cultûs perseverantia dies suprema invenerit. Proinde multimodo hortatu persuadet utrisque parentibus vovere Deo eamdem prolem sub norma Religionis Monasticæ. Unde factum est, ut Divino instinctu illius adquiescentes sermonibus, quem sibi optabant superstitem, heres esse mereretur Dei & coheres Christi.

Jona verba in Vita S. Columb. n. 50.

[a] Non Sigiberti, sed potiùs Guntchramni, ut ad Vitam S. Columbani probavimus.

CIRC. AN. DC. L. AUG. XXX.

IV. Optata dehinc dies advenerat, in qua pius pater voti completor & desiderii possessor, applicans sacris altaribus caram sobolem, devotissimè Deo offerret in jamdicto Monasterio [a], ditans eumdem locum supellectilis variæ muneribus, quin etiam largiens sollemniter per titulum Testamenti ex propria ditione numerosam copiam fundi ac familiæ. Sicque ingrediens laudabilis AGILUS ævum pueritiæ committitur EUSTASIO probatæ religionis viro sacris litteris erudiendus cum aliis nobilium virorum filiis, qui postea Ecclesiarum Præsules exstiterunt: AGNOHALDO scilicet & WALDEBERTO Hagnerici patrui ejus filiis, qui Monasterio quod soror illorum FARA in paterno solo inter Albam & Mucram in loco qui EBORIACUS* dicitur ædificavit, construendi & docendi regulares magistri claruerunt, quorum alter Lugduno Clavato, alter verò Meldensis urbis est ordinatus Episcopus [b]; ACHARIO qui Virmandorum & Noviomensis ac Tornacensis Antistes fuit; RAGNACHARIO qui Augustudunensis* Ecclesiæ Pontifex egregius emicuit; AUDEMARO qui Bononiæ & Tarvanensis opidi Pastor laudabilis floruit. Denique sicut præmemoratum Agilum cariùs his omnibus commendatum susceperat, ita in eo præ cunctis doctrinæ ac religionis acumen resplenduit. Nam liberalibus disciplinis enucleatiùs imbutus, multos sua facundiâ erudiit, plurimos Catholicæ Fidei puritate illustravit, nonnullos etiam luculentissimis documentis postposita altitudinis pompâ sub professione sacræ Religionis idoneos reddidit.

a Agilus Columbano in Luxovio traditur.

Viri illustres è Luxovio educti.

* *Lege Vitam S. Burgundofaræ infrà.*

b

* *Lege Notas ad Vitam S. Eustasii pag. 118.*

V. Agili virtutes. Ut ergo pubertatis attigit annos, non ut ignavus, sed velut exercitatus miles spiritualibus incrementis operam dedit, vacans lectioni, insistens orationibus, jejuniis carnem macerans, vigiliis affligens, obedientiam cunctis certatim impendens, humilitatem omnibus præbens. His namque & hujusmodi studiis amator castitatis enitendo decorus omnibus efficitur, non modò affinibus amabilis, verumetiam palatii aulicis maximè gratus.

VI. Agnoaldi mors, & exsilium Columbani. Intereà magnanimus Agnohaldus debitum humanæ carnis persolvens quievit in pace, & B. COLUMBANUS propulsione THEODERICI Regis per dolositatem pessimæ BRUNECHILDIS exagitatus, vicesimo anno* ex quo Monasterium intra vasta eremi instaurare cœperat, vi præfati Regis ab eo amovetur, ac natale solum repetere perurgetur: atque prædictus EUSTASIUS vir totius religionis experientiâ probatus, licèt totis nisibus recusare conatus, successor tandem illius subrogatur invitus. Exstat denique libellus de Vita atque virtutibus præmemorati Patris Columbani: ad eum qui de illius meritis nosse voluerit Lectorem mittimus, cœpta prosequentes.

* *Ar.* DC. Eustasius Abbas Luxovienſis.

VII. Agilus ad Brunechildem dirigitur. Eo igitur tempore exigente ratione & suggerente provisione prudenti Fratrum consensu decretum est, ut probus Agilus ad Brunechildem Reginam dirigeretur quæ morabatur cum Theoderico nepote in palatio quod Bruchariacum vocant. Nam ea maximè pro causa sæpefato Columbano infesta erat, eoquòd accessum feminarum à præfato Monasterio propellebat *, & sibi quæ Regina erat idem contradixerat. Qua de re datum fuerat edictum Regali indignatione roboratum, ut omnes sub Institutione pij Patris Columbani degentes intra sepia Monasterij adeò artarentur, ut nemini locus daretur extrà exeundi. Accepto siquidem affabilis Agilus mandato ire perrexit. Cùm verò necdum longè esset à Monasterio, & appropinquaret villæ quæ Jussiacus [c] dicitur, supervenit cum magno impetu flagitiosus juvenis nepos WANDALENI Ducis [d] cum

* *confer Vitam S. Columbani.*

c

d Vvandaleni Ducis

a Nempe Luxovienſi. Hinc manifestè revincuntur ii, qui Agili ætatem ab anno D. LX. computant, eúmque septennem à B. Columbano benedictum asserunt anno D. LXVIII. quo Columbani in Galliam accessum malè collocant, ut ad ipsius Vitam observavimus. Quod postremum etsi concederemus, Agili nihilominus ætas serius esset differenda, cùm puer B. Columbano oblatus sit in Monasterio Luxovienſi, cujus initia ad annum D. XC. remittere coguntur.

b Vvaldebertus non fuit frater Burgundofaræ, nec Meldenſis Episcopus, ut infrà in ipsius Actis probabimus.

c Jussiacus, *Iussy*, in finibus Sequanorum haud procul ab Arari & origine Mosæ fluvij.

d De Vvandaleno Duce ejusque liberis agit Jonas in Vita S. Columbani num. 22. Vvandaleni filius fuit S. Donatus qui infrà in testem adducitur, cujus Elogium inferiùs referemus.

ſatellitibus, qui ſub obtentu venantium accepta relatione obſervabant exitus Monaſterij more latronum. Is enim extenſo brachio niſus eſt mitiſſimum virum enſe percutere: at ille ſubducto terrore vexillum Crucis oppoſuit, móxque brachium illius obriguit, atque ſicut extenſum fuerat manſit adeò inflexibile, ut nemo gladium valeret de ejus pugno educere, neque ipſe pedem à loco movere. Obſtupefactis omnibus infelix ille qui dignè torquebatur, totus quatiens ſingultibus, lacrymoſis precibus ut ſuimet ruboris ſeu doloris ſaltem miſereretur capite ſummiſſo petebat. Mirabile dictu! Sanctus autem Agilus flebilibus commotus precibus ſolamen fidei orationem adſumpſit, peractáque morâ trium ferè horarum, ut aridum brachium tetigit, continuò priſtinus vigor redit, ac vigor omnis revertitur: caro tamen palmæ capulum ſicut inhæſerat ſecuta eſt, & ſanguis per ungulas emanavit. Porrò ſicut DONATO tunc quidem Monacho, poſtea Veſontionenſis urbis Epiſcopo referente didici [a], qui quando hæc geſta ſunt adhuc adoleſcens intererat, ſalivâ cum oratione & ſigno Crucis eamdem palmam B. Agilus perunxit, atque ilico caro cum pelle reſtituta eſt ſanitati, acſi numquam corrupta fuiſſet. Præſumptor verò hujus ſceleris qui ſibi ac ſuæ veſaniæ videbatur audax, pœnitudine correptus relicta militari toga Chriſti veſtivit amictum, ſub Monaſtica profeſſione militans Deo in jamdicto Monaſterio.

CIRC. AN. DC. L. AUG. XXX. nepos ob præſumptionem punitur, curatur, fitque Monachus.

Auctoris ætas.

a

VIII. Agilus à Rege benignè & liberaliter excipitur.

Fama igitur hujus miraculi præveniens, quâ nihil velocius, (ut ait Maro) Regia impleverat mœnia, & præclariſſimus Agilus utrorumque conſpectibus ſeſe præbet, ſupplicationes Fratrum eorum ſerenitati ingerens; cùm repente ambo, Rex videlicet & Regina, poſtpoſita altitudine mundi, contrito ſpiritu humo coram veſtigiis illius procumbunt, indulgentiam ſuper temeritate quam ſanctis viris ingeſſerant petentes: humili quoque affatu profitentur ſe hac nece peccâſſe qua ſervos Dei impiè afflixerant, narrantes etiam miraculum palmæ per B. Agilum pridie in virtute Chriſti patratum, quod ipſe vehementer celare popoſcerat, & incunctanter latêre credebat. Quo facto Regiis muneribus ditaverunt utrique idem Monaſterium famoſiſſimè, Rex villis ac familiâ, Regina ornamentis Eccleſiaſticis mirifici operis. Teſtamenta nihilominus de ſæpefato Cœnobio regali conſcripſerunt munificentia, quibus deinceps quietè Servi Dei per labentia manerent tempora in Divini cultûs perſeverantia amoto feminarum acceſſu.

IX. Chlotharius res Fidei curat. * *anno* DC. XIII.

Per idem verò tempus LOTHARIUS Rex tertio anno ex quo ſæpedictus Columbanus de Monaſterio receſſit, ſicut idem prophetico ſpiritu dixerat, devictis duobus Regibus ſolus potitur trium Regnorum Monarchiâ *. Eo quoque in ſolio trium Regnorum ſublimato decrevit Excellentia illius Altitudinis Synodica diffinitione dirigere peritiſſimos viros pollentes ſtrenuitatis ſcientiâ, qui vicinas gentes doctrina falſi erroris deceptas ad gremium ſanctæ matris Eccleſiæ auxiliante Domino revocarent, & quibus necdum Chriſtus adnunciatus fuerat, fulgenti eloquio evangelizarent. Ex multorum quidem cœtu Epiſcoporum ac Sacerdotum eligitur prudentiſſimus Agilus in opus præfatum unà cum Euſtaſio Abbate. Ingreſſíque hujus itineris viam, juvante Chriſto Waraſcos [b] prædicaturi accelerant: qui agreſtium fanis decepti, quos vulgi Faunos vocant, gentilium quoque errore ſeducti, in perfidiam devenerant FOTINI ſeu BONOSI virus infecti: quos errore depulſo matri Eccleſiæ reconciliatos veros Chriſti fecere cultores. Deinde directo calle ad Boïas quos terræ illius incolæ Bodoarios * vocant perveniunt, eoſque multo labore Catholicæ fidei dogmate imbutos plurimos illorum ad fidem Chriſti convertunt.

Agilus cùm Euſtaſio infideles impugnat.

b

*Baioarios

a Nempe ex ſcripto vel traditione: nam ex Donati ore iſtud accipere Auctor non videtur potuiſſe. Nullibi enim auctor aut ſe Agilo coævum, aut eum à ſe viſum dicit: cùm tamen Donatus ante annum DC. LX. mortuus, vel paullo pòſt S. Agilum in noſtra ſententia; vel in aliorum, ante ipſum Agilum.

b Lege Vitam S. Euſtaſij auctore Jona, qui Agilum vocat AGILEM, *qui modò*, inquit, *Cœnobio Reſbacenſi Præſul exſiſtit.* Scribebat verò Jonas poſt annum Chriſti DC. XLIII.

CIRC. AN. DC. L. AUG. XXX. X. Energumenum liberat.

Quadam verò die dum B. Agilus in eodem eſſet itinere, ſæpefato Abbate veſtigia illius proſequente, & Pſalmorum melos ex more perageret; obviavit in portam Mettenſis urbis hominem ſpiritus immundi perturbatione vexatum. Qui cùm procul accederet, deformi vultu obſcœníſque nutibus horrendum vociferare cœpit dicens: Agile miles Chriſti fortiſſime ac ſuperni Regis Legate, quid me præjudicas, vel quare meos auges immenſos cruciatus? Ecce in tuo adventu populos quos multo tempore poſſederam reliqui, tuas orationes ſufferre non valens, & nunc me hinc ejicis. Ad hæc ſanctus vir & veneratione digniſſimus ait: Impero tibi, inmunde ſpiritus, ut recedas ab hoc plaſmate Dei, & ampliùs non habeas in eo locum, in quo Rex & ſalvator æternus JESUS-CHRISTUS per lavacrum regenerationis habitaculum ſibi præparavit. Ad hanc vocem ejulatum emittens horriſonum eveſtigiò viſus eſt ab ore illius flatus ebullire ſanguinei coloris ac picei cum fœtore horribili. Quamobrem exanimis effectus, interventu præclariſſimi Agili fugato dæmone mox redditus eſt ſanitati.

XI. Pueris duobus benedicit.

Cumque progreſſi inde ad Monaſterium Luxovienſium remearent, deveniunt ad quemdam potentiſſimum virum nomine GONDOÏNUM. Is erat generoſitatis faſtu ac enormi dignitatis copia ſplendidus, atque beatiſſimi Agili conſanguinitatis nexu propinquus: & morabatur eo tempore in villa quam Moſam * vocant ob amnem ſuper quem ſita eſt. Viſis namque ſanctiſſimis viris Chriſtíque Apoſtolis, acſi gratiſſimum munus ſuſcipiens officioſiſſimè recepit, ſecumque moroſiùs eos retinuit. Ingreſſis itaque domum, benedictione prę-miſſa poſt multa colloquia ſpiritualis doctrinæ, oblati ſunt eis ad benedicendum Domino duo filij ejuſdem viri: quos ſuis benedictionibus ſacrantes & ſæculi dignitate florere, & ad futuram vitam feliciter migrare vero vaticinio deſignârunt, ut pòſt evidentiſſimè claruit.

* *Meuſe.*

XII. Salabergam cæcã illuminat.

Erat quoque viro prædicto filia nomine SADABERGA luminibus orbata. Cùm ergo pater ſupplici prece depoſceret, quatinus ſancti viri orationis ei ope ſubvenirent; recolentes ſe ideo eſſe miſſos ut virtus Chriſti per eos ampliùs manifeſtaretur, & fides credentium roboraretur: ſciſcitantur à puella ſi velit virginitatem ſuam Deo dicare, & idem votum inrefragabiliter cuſtodire, ſi majeſtas divina redderet illi lumen oculorum. At illa profitetur utrumque. Tunc ſancti viri pariter cum puella orationibus ſacris celebraverunt triduo jejunium. Tertia autem die poſt Miſſarum ſollemnia beatiſſimus Agilus oleo benedicto oculos illius perunxit, muniens ſigno Crucis in virtute Chriſti. Miranda res! in ipſo quippe momento eadem virgo viſum clariſſimè fugatis tenebris recepit, ſacrúmque velamen devotiſſimè ſuſcipiens, ſervavit inviolabiliter virginitatem quam voverat [a].

XIII.

Inde quoque abeuntibus venerabilem Agilum validiſſimè perfudit ignea febris, itaut ſupremum exhalare ſpiritum à nemine cunctaretur. Quod cernens præmemoratus Euſtaſius adhibuit opimo ſtudio ſollicitudinem illius incommoditati, adeout priora repetens ſtudia Abbatis nomen eò ferret, quò bajuli non oblitteraret. Unde gemino vallatus angore, quippe cùm nec æſtuantis incendia Fratris adſpiceret refrigerare, nec ſine illo volebat remeare, tali eum alloquitur affamine: Frater amabilis Agile, quem à puero nobilium parentum tuorum amore ut pij patris Columbani rogatu educavi piè, enutrivi caſtè, docui modeſtè; nunc moneo abjectis ſtudiis hujus ærumnoſæ vitæ ſoli Deo cui inhæres totam ſpem committas, immò etiam quo reſiſtere principibus tenebrarum auxiliante eo valeas magnopere elabores. Nec dubitas credo proculdubio quòd ille te ab hac ægritudine potens eſt liberare, qui Ezechiæ Regis ad vitam ter quinos annos auxit. Aurorâ verò diei incipiente finitis ex more Matutinis laudibus venerabilis Agilus hànc mentis præcordiis fudit orationem: Adeſto mihi Domine, qui me in lucem hanc eduxiſti & tuo ſacro baptiſmate renaſci feciſti,

[a] Fallitur Auctor: nam Salaberga, quam Sadabergam vocat, ſecundo matrimonio copulata plures liberos habuit, ut in ejus vita legitur infrà ad ann. 655.

manúmque

manúmque tuæ benignitatis porrige, & libera me ab hac ægritudine, Deus meus, quia tu es regnans in ſæcula & ſalvas ſperantes in te. Expleta ergo oratione feſſa membra & æſtuantia ſopor occupat, ac ſemivigilans videt adſtare ſibi præclarum formâ juvenem in veſte fulgenti, qui poſuit manum dexteram ſuper pectus illius, & inſit: Agile care meus quem ab utero matris incorruptum ab omni labe noxiæ pollutionis cuſtodivi atque cuſtodiam, donec pleno ævo ætatis te recipiam, adſum tibi. Age quod me donante agis, eróque tecum, depulſóque languore ſurge. Cum hoc dicto omnis ægritudo ab eo receſſit incolumitate priſtina divino medicamine remeante. CIRC. AN. DC. L. AUG. XXX.

XIV.

Eo etenim Rex tempore LOTHARIUS functo humanæ vitæ termino quievit in pace*, & DAGOBERTUS ejus filius Regnum Francorum, ſicut pater tenuerat, ſuſcepit regendum. Quo regnante tres fratres filij illuſtris viri AUTHARII [a], ex præclara Francorum progenie cives Sueſſonici, illic admodum cari ſunt habiti: quos equidem ſæpefatus Columbanus jamdudum adhuc infantulos utriſque parentibus flagitantibus dum aliquamdiu penes illos moraretur, in villa quę Wltiacus vocatur benedixit. Horum namque fratrum major natu ADO nomine, ſemet cum propriis voluptatibus ac copiis abdicavit, verumetiam in proprio ſolo intra Joram * ſaltus ope fratris venerabilis videlicet AUDOENI ſuper amnem Maternam Monaſterium ædificavit, cui JOTRUM [b] nomen impoſuit, atque ex rebus propriis fecundiſſimè ditavit, in quo etiam monaſticè ſecundum B. Columbani Inſtituta unà cum caterva præclaræ religionis maxima ſuperno Regi Chriſto militavit. Porrò ſecundus RADO * theſauros prædicti Regis ſub cura ſua habens, animi redemptam inæſtimabili pretio margaritam cæleſtibus ſignanter commiſerat gazis; proinde ſuper jamdictum amnem in patrimonio proprio Monaſterium ædificavit, quod ex ſuo nomine RADOLIUM nominavit. Junior quoque venerabilis AUDOENUS cognomento DADO præfato Regi præ cunctis aulicis amabilis, atque Referendarius eſt conſtitutus, geſtans ejus annulum quo ſignabantur publicè totius regni potiora Signa vel Edicta. Dum ergo aſſiduè moraretur in palatio, B. Eligium qui inter reliquos regni Proceres ſapientiâ, opere, ac virtutibus enitebat, vinculo ſibi unanimæ dilectionis copulavit. Quapropter illius uſus conſilio nitebatur molimine ſtudij inrefragabilis intra Brigienſem ſaltum propriis ſumptibus in remotis locis Monaſterium conſtituere. Cùm ergo ardentiſſimo deſiderio hoc votum complere magnopere ſatageret, atque frequenter eamdem ſilvam ea devotione animi circumiret, comperit tandem inter duas Mucras [c] adjacentias ex fiſco quondam Namtolialinſe*, ſed tunc ad villam quæ *Maſtus* * dicitur adſpicere. Has denique ſuis petitionibus per confinia ſua Regis largitione ac munificentiâ adeptus, quod ſummopere optabat, omiſſa dilatione implere procuravit.

Ado Cœnobium Jotrum condit.

* *Lege Elogium S. Theodechildis.*

b

*Rado Radolium.

c

* *Nantuil.*

* *al.* Maſſus.

XV.

Factum eſt autem, ut quadam die peragrans præmemorata eremi confinia, eo mentis ardore quo ſupernæ prærogativa gratiæ ſitum Eccleſiæ conſtruendæ congruum ei dignaretur oſtendere, deveniret ſuper torrentem quem veteres incolæ

Dado Reſbacum.

a Jonas in Vita S. Columbani duos tantùm filios memorat Autharij, qui in vico Vvltiaco, vulgò *Euſty*, tertio milliari ſupra Meldas opidum *ad amnem Maternam* colitur, tum etiam in Monaſterio Reſbacenſi VII. Kalend. Aprilis, quo die Noſtrates Reſbacenſes ſollemne ejus officium in prædicto vico celebrant. In Vita S. Faronis ante annos octingentos ab Hildegario Epiſcopo ſcriptâ Autharius prædicatur cap. 15. in hunc modum: *Cujus* Columbani *verbis hodie fulget ſanctus* AUTHARIUS *cœlo meritis & in territorio ſuper fluvium Matronam villæ præfatæ* (Vvltiaci) *humatus coruſcat magnis miraculis.* Et tamen in Martyrologio Gallicano S. Autharij memoria nulla exſtat. In Martyrologio Reſbacenſi notatur *die* VIII. *Septemb. Tranſlatio corporis S. Autharij Conf. facta per Reverend. hujus Eccleſiæ Abbatem Magiſtrum Petrum Palmarium*, poſtea Viennenſem Archiepiſcopum, *anno Domini* M. D. XX. nimirum in Eccleſiam Reſbacenſem, in qua S. Autharij plures Reliquiæ religiosè adſervantur.

b Tria Monaſteria hîc denominata etiam nunc ſuperſunt. Jotrum quidem, *Jouarre*, nobile Virginum Benedictinarum Cœnobium quatuor circà leucis ſupra Meldas opidum, haud procul à Materna fluvio: cui Radolium, *Reuil*, modò Prioratus Cluniaco ſubjectus, adjacet. Inde procedendo inter duos amnes, Mucram utrumque dictos, occurrit Reſbacenſe Monaſterium, Jeruſalem quondam appellatum, de quo in Obſervationibus prævijs. De Jotro Parthenone plura lege in Elogio S. Theodechildis, ubi etiam de Adone & Radone agemus.

c Mucra amnis uterque in Matronam influit unus quidem ſupra Meldas opidum ad Feritatem ſub Jotro, Mucra minor appellatus; alter verò infra eamdem urbem, poſtquam Faræ Monaſterium præterpropter lapſus eſt.

CIRC. AN. DC. L. AUG. XXX. Reſbacem dixerunt, atque in eodem loco, qui priſco vocabulo propter geminum lacunar *Gemellus Mercaſius* nuncupabatur. Ibi verò dum paullulùm ſubter pomorum arborem ſubſtitiſſet, facto in ea velociùs umbraculo ſilentium imperat, ſignificans feſſa membra quieti velle concedere, quò ſecretiùs poſſet orationi incumbere. Diutiùs ergo dum proſtratus orâſſet, ſurgens ab oratione vidit in aëre nubem ſplendidam, radiis coruſcis figuram Crucis prætendentem: ex cujus claritate tantum lumen per tres continuatim noctes emicuit, ut ejus ex fulgore videres in eodem loco clarè omnia velut in meridie, cùm undique noctis eſſet conſueta obſcuritas: per tres etiam dies ros ibidem viſus eſt in modum Crucis à mane uſque ad veſperam, donec triduano expleto jejunio unà cum B. FARONE Epiſcopo Eccleſiæ fundamenta locaret. Sícque divina gratia diſponente factum eſt, ut ubi orans ſubter pomiferam arborem jacuerat, ibi in ſchemate Crucis Templum Domino ædificaret.

XVI. Huic Agilus præficitur. Interèa venerabilis Audoënus comperta laudabili fama B. Agili, quę univerſam repleverat Galliam, prudentiſſimi Faronis Epiſcopi potitus conſilio, ſatagebat aſſiduis prędicationibus nunc affatu, nunc ſcripti prece amicitię fœdere illum ſibi conjungere, quatinus prędicto quod ædificabat Monaſterio poſſet Abbatem præficere. Illud revera videbatur uſquequaque impoſſibile, eoquòd Mettenſium plebs gaudebat quandoque ſub illius Pontificatu miraculis inſigniri, & Lingonenſium concio ejus virtutibus decorari, & Veſuntionenſis populus benedictionibus ſuffragari; & quod majus erat & æquius, cuncta Luxovienſium Congregatio concors eum ſibi vindicabat alumnum, quò illic Paſtor exſiſteret, ubi comam depoſuerat, & miraculis coruſcantibus enitebat. Cernens quippe hoc certamen venerabilis Audoënus conflictationis aliter minimè ſedari poſſe, niſi Regia poteſtativa cenſura modum imponeret, adhibitis ſecum Eligio unanimo amico, & pontifice Farone, Regali Serenitati poſtulantia verba infert, quatinùs poſſet, ut cupiebat, de tanti viri jocundari ſolamine. Inter hujuſmodi ſanctiſſimum conflictationis agonem medium ſe in æquitate opponens Rex taliter affatur: Veſtris precibus adquieſcentes ſufficiens Mettenſibus arbitramur fore *illius miraculi donum, quod in porta urbis divina per eum operante miſericordia patratum eſt, quando hominem à dæmone liberavit: & Lingonicæ plebi quòd in eorum præſentia claudo greſſus reſtituit: & Veſuntionenſi populo quòd inter cetera quæ coram eis operatus eſt, muto loquelam quam natura negaverat, & ſurdo auditum reddidit, inſuper etiam paralyticos curavit: & Luxovienſium Fratribus quoniam illis præſentibus mortuum ſuſcitavit, qui dum lavaretur in thermas ab altero ſubmerſus necatus eſt: nobis ſaltem liceat illius præcipuis radiantem virtutibus contemplari fulgorem.

Miraculis celebris. * eſſe

XVII. * *Compiegne* ad Eſiam fl. Igitur egrediens de Luxovio per Edictum Regis Agilus beatiſſimus ingreditur palatium quod Compendium * dicitur, ſtipatus decore Pontificum Amandi & Faronis, & fultus nitore Procerum celſi Audoëni atque Eligij, qui ſub ſæculi balteo Pontificale dogma luculentiſſimè prędemonſtrabant. Adſpiciens denique tranquilliſſimus Rex claritatem vultûs B. Agili taliter eum affatur: Propterèa, Reverende Pater & Sacerdos Dei, te accerſivimus, ut tuo affatu dulciſſimo divini verbi poculo exuberante noſtrum ſitientem animum repleamus, atque magnificis tuis exemplis populus nobis commiſſus ſuffragetur. Quin noſmet tuis ſacris orationibus commendantes ratum cenſemus per conſultum Epiſcoporum ac noſtrorum Optimatum diſpenſatorem te divini verbi in Regno noſtro ubique fore. Denique perſuaſi precibus fidelis noſtri ac Referendarij Audoëni committimus tibi ex noſtra prędeptione magiſterij operam de Monaſterij ſtructura, quod ipſe ædificare deſiderat ob amorem Dei & congregandi illic Monachorum agmina. Hac quippe Regia deliberatione acceſſit venerabilis Agilus ad opus jamdictũ juncto ſibi in collegio duodeno Fratrum numero. Quocirca inſiſtens cœpto operi, aſſidua ſollicitudine perduxit ædificia Eccleſiæ uſque ad perfectionem faſtigij.

XVIII. Jam autem magna ſollemnitas hujus Templi dedicationis inſtabat dies, &

venerabilis Audoënus, quia eamdem Eccleſiam in honore B. Petri Apoſtolorum Principis ædificabat primam, illo die quo B. Apoſtolus primùm Cathedram Antiochiæ ſedit dedicare peroptabat, id eſt octavo Kalendas Martij [a]. Proinde accerſitis Pontificibus prænotatis unà cum ELIGIO, ſicut mos Eccleſiaſticus obtinet, Templum dedicaturi intrant. Huic etiam interérat Monachorum decus Ado & modeſtus Agilus. Cúmque petram ex pario marmore decentiſſimè politam cernerent ſuper altare inæqualiter jacêre, & eam vellent immutare quatuor columnæ & vera mundi luminaria [b], è manibus eorum elapſa terra tenus ruit, móxque per medium ſciſſa eſt tam directè, acſi quiſpiam ferro eam ſecuiſſet. Stupenda res & admiranda! at Prœſules cum Optimatibus paullulum attoniti adſtantes, repentè ſe ſe humo proſternunt, orationi incumbunt, pugnis pectora tundunt, lacrymis facies rigant, adeout pavimenta humectarentur. Nihilominùs eos qui intererant repentinus ſtupor invaſerat. Porrò tamen dum diutiùs oraſſent, ſurgentes pleni ſingultibus, ſignantéſque lapidem Crucis ſigno, in virtute Chriſti continuò ita rejunctus eſt ſolidè, velut ſi numquam fractus fuiſſet. Illud etenim uſque hodie manet admirabile, quòd in eadem petra remanſit pro ſigno ad memoriam ut creditur futurorum, per eumdem locum per quem fracta fuerat, veluti gracilis fili figura. Ceterùm quia B. AMANDUS officium dedicationis ſollemniter implevit, & ſuper illud altare Miſſam eo die celebravit, placuit venerabili Audoëno illius nomen in eodem marmore altis cælare litteris *, atque propter plurima viſionum ſeu miraculorum prodigia B. Audoënus cum prędictis Pontificibus eumdem locum JERUSALEM nominavit, deſiderans illic haberi collegium pacis & unanimæ fraternitatis contemplationem, ut ipſo nomine prædicaret locus quod gremio continebat.

AN. CHR. DC. L. AUG. XXX. Eccleſia Reſbacenſis ædificatur.

[a] Miraculũ de lapide altaris.

[b]

* *lege Mirac. S. Agili lib. I. n. 8.* Monaſterium Jeruſalem appellatum.

His ita completis fecit venerabilis Audoënus hoc Monaſterium locupletiſſimè populoſum, ditans illud opimis poſſeſſionibus, libris, ornamentis Eccleſiaſticis, atque villis: quin etiam poſtpoſitâ altitudinis potentiâ aſſiduis meditationibus moliebatur abjectis fugacibus ſæculi opibus in eodem Monaſterio ſub Monaſtica profeſſione Chriſti militiam gerere. Sed cùm Rex ac cuncti Proceres Francorum illi in hoc facto nollent adquieſcere, voluntati eorum ceſſit, committens poteſtati Regiæ etiam illud Monaſterium. Proinde in Epiſcopali Synodo quæ Kalendis Maij in Clipiaco eo anno eſt habita [c], B. Agilum præcellentiſſimus Rex in memorato Cœnobio præfecit Abbatem.

XIX. Audoënus illic fieri Monachus meditatur.

Tempus Agili promotionis.

[c]

Suſcipiens igitur regimen Paſtorale eximius Chriſti miles Agilus, regebat gregem optimum, incedens inter Fratres diſcretiſſimo regimine. Erat enim ſicut unus ex illis: & habens in ore ſplendorem ſermonis Evangelici, virtutúmque ſignis coruſcans, ſpeculum factus eſt non ſolùm ſibi commiſſis, ſed & mundo. Erat namque in jejuniis frequens, in orationibus aſſiduus, in eleëmoſynis largus, hoſpitalitatis amator præcipuus. Qua de re dum quadam die veſpere circumiens officinas Monaſterij, (fuerat enim eatenus nobilium hoſpitum obſequiis occupatus) pergeret ad Xenodochium, quod illius ordinatione & juvamine venerabilis Audoënus ibidem conſtituerat, quò pauperum neceſſariis ſubveniretur, unius tantùm potitus Fratris ſolatio qui vocatur BRANDOLINUS; audivit ad portam Monaſterij veluti plangentis hominis exilem vocem; apertáque feneſtrâ quæ portæ inhærebat, cernit ante fores pauperem jacêre ulceribus plenum (erat enim adhuc quiddam diei) petentem ſe hoſpitio recipi. Converſúſque ad Fratrem ait: Ecce quomodo aliis utilitatibus occupati tanta negleximus! Perge

XX. Ejus virtutes, præcipuè caritas in pauperes miraculo illuſtrata.

[a] Ipſo die etiamnunc Baſilicæ dedicatio quotannis celebratur.

[b] Nempe SS. Faro & Amandus Epiſcopi, Audoënus & Eligius Optimates qui Dedicationi interfuerunt. Id colligitur ex his Vitæ Mſ. S. Faronis verbis: *Convocati Pontifices cùm vellent ponere* (marmor) *ſuper altare, repentè de manibus eorum delapſum terra tenus ruit & per medium fractum eſt tam rectè, acſi quiſpiam ferro eum ſecuiſſet. Quod cernentes Pontifex, beatus* FARO *& S.* AMANDUS *cum Optimatibus* AUDOENO *atque* ELIGIO, *de quorum manibus idem lapis elapſus eſt, terræ ſeſe ſtraverunt &c.*

[c] Apud Fredegarium Scholaſticum in Chron. cap. 78. ad Dagoberti annum XIV. qui anno Chriſti DC.XXXVI. illigatur, *Dagobertus ad Clipiacum reſediſſe*, annò verò inſequenti *Vvaſcones ad Dagobertum Clippiacum* veniſſe dicuntur. Agilum anno DC.XXXVI. Reſbacenſi Monaſterio præfectum fuiſſe cenſemus.

ANN. CHR. DC. L. AUG. XXX. NOTA.

ergo velociùs & para ei refectionem. Eo quidem abeunte, ille aperto oſtio quod portæ inhærebat, claves quoque inde habere conſueverat, quoniam conſuetudo talis erat, quòd janitor ut ſignum pulſabatur ad Completam, confeſtim portas Monaſterij firmans ei claves deferebat. Ait ad pauperem: Veni, frater, en faciemus tibi prout competit. Eo autem reſpondente præ doloribus ulcerum ambulare minimè poſſe (enimverò membra illius, acſi leproſi inſpiciebantur lurida) ſuis humeris eum imponens detulit in domum abſque ullo pondere, poſuítque ſuper ſedile juxta focum, (hiems quippe erat) accipiénſque urceum & lintea cùm ſuper manus ejus vellet aquam infundere, ilicò diſparuit: ac tantâ fragrantiâ jocundi odoris eamdem domum replevit, velut ſi multa ibidem odoramenta aromatum redolerent.

XXI. Crucis ſigno dæmonem fugat.

Illud revera non oportet ſilentio tegere, ſed inter præcipuos Sanctorum triumphos velut in albo adſcribi perpetuò, quòd protoplaſti perſuaſor, invidens tantæ hoſpitalitatis ſuſceptioni, atque ſentiens augeri ſuos cruciatus in Chriſti ſerena manifeſtatione, B. Agilo in Eccleſia majori pauxillùm ante diluculum poſt Matutinorum expletionem conſuetè oranti in ſpecie immaniſſimi draconis apparuit, erecto capite virus adverſus eum emittens. At B. Confeſſor Domini, fide Apoſtolici dogmatis magnificus, dum virulenta ſerpentis antiqui ſpicula cerneret, ſub obtentu myſterio Crucis ſe ſe muniens, omnia diſperdidti, te ſemper habendo, Rex benedicte & Deus Iſrael.

XXII. Procellam orando avertit.

Quadam die dum in ſegetum collectione meſſores ex familia Monaſterij eſſent occupati, accidit ut junctis ſibi quibuſdam è Fratribus illò B. Agilus adveniret. Cùm autem aliquantiſper ibidem moraretur, ſubitò cæli ſerenitatem nubila occupaverunt, atque tonitruus coruſcus terribiliter intonuit cum aura valida, adeout meſſores præ nimio timore turbarentur. Quod cernens beatus ſignifer Domini, meſſores operi jubet inſiſtere, ſeſe in oratione cum Fratribus proſternens. Porrò diutiùs dum orâſſet, ſurgens ab oratione Sacerdos Domini magnus, ſignum in virtute Chriſti fecit mirabile meſſoribus commotionem aëris verentibus, ſuis orationibus magnis diviſis imbribus: itaut juxta eos undique nimia tempeſtas appareret, & ſuper illos unius ſaltem guttæ pluvia non caderet. O virum præclariſſimum, divinis ſignis prælatum, cujus in cordis abdita fudit Deus eximia virtutum miracula!

XXIII. Multas nobiles ad ſe trahit.

Præterea multi ex Primoribus palatij atque Proceribus patriæ ejus illuſtrati exemplo ſæculi honorem pro nihilo habentes peroptabant ſub illius regimine in ſæpefato Cœnobio Monachicam ducere vitam, intantum ut ex eis octogenarius compleretur numerus. Nonnulli etiam ſemet orationibus illius commendantes, atque illud Monaſterium rebus ac facultatibus locupletantes fecêre ditiſſimum. Inter quos B. FILIBERTUS * Eliſano territorio ortus, ſéque ſuiſque omnibus abdicatis, venerabilis Audoeni potitus conſilio, prædicto Abbati ſe ſubdens muneravit ſæpedictum Monaſterium copioſiſſimis donis auri argentíque ac ſupellectili varia: atque demum illiccine comâ depoſitâ ſub perfectæ religionis norma ſuperno Regi Chriſto ſtrenuè militavit.

* *de eo infrà*

XXIV. Hoſpitalitas ejus iterum ſigno probata.

Veniens etenim eo tempore plebs ex Hibernia, ferens ſua ſuæque gentis vota Principi Apoſtolorum Romæ, ob amorem venerabilis Audoeni qui S. Columbanum præſtantiſſimè dilexerat, atque B. Agili famam laudabilem quem iſdem Columbanus adprimè in ſancta religione nutriverat, divertere ad ſæpedictum Cœnobium orationis ac hoſpitalitatis causâ ſolebant, inſuper & numeroſis pecuniis illud honorare, ibíque ſuos relinquere, quos aut longitudo itineris attriviſſet, aut debilitas vexâſſet. Quadam die dum adveniſſent, beatiſſimus Agilus eos officioſiſſimè ſuſcipiens prandia jubet parare. Cúmque Pater [a] Monaſterij ſciſcitatus reſpondiſſet affore * ſatis omnia præter vini copiam, unde non ampliùs quàm tres modij in miniſterio ſacrificij ſervabantur; & illud in magno vaſe imperat Abbas totum Fratribus ac plebi propinari. Miniſtris verò reſ-

* adeſſe

[a] Non Abbas ſed Cellerarius, *qui omni Congregationi ſit ſicut Pater*, inquit S. Benedictus Regulæ, cap. 31.

pondentibus vix unius calicis hauſtum unicuique in tanta multitudine poſſe porrigere, ait: In Dei nomine offerte totum Fratribus quin & hoſpitibus, donec deficiat. Potens eſt ſanè Deus augere illud ſua ſancta & admirabili potentia, qui in nuptiis, quando defecit, aquam convertit in vina. Sicque factum eſt, ut aperto vaſe uſque adeo ſint vina ſecuta, ut Fratres ſobriè & populus ubertim ſatiatus ſit, & illud vas divina virtute operante uſque ad ſummum vino ita repletum eſt, ut deſuper emanaret. Quod cum venerabili Abbati nuntiatum fuiſſet, miniſtris præcepit ne cui hoc dicerent, donec ipſe huic vitæ ſupereſſet in corpore. CIRC. AN. DC. L. AUG. XXX.

XXV. Centenarius moritur.

Denique cùm nonaginta & octo eſſet annorum, poſt multarum exercitia virtutum longo jam ſenio affectus, deſiderans ſudores ſuos in cælum conſpicere, quos ab ineunte ætate illic poſuerat; taliter Dominum humili prece compellâſſe adſeritur: Domine memento mei, & miſerere mihi jam ſenio fatiſcenti, & educ me de incolatu hujus vitæ: & qui me pretioſo ſanguine tuo redemiſti, fac me participem cum Electis tuis cæleſtium gaudiorum. Commendo tibi gregem iſtum Paſtor bone, pro quo triumphâſti indigno, quem perpetuò cuſtodias, atque paradiſo tuo reddas. Dum ergo complêſſet hanc orationem, apparuit ei juvenis præclarus, adſpectu indutus veſte nivei candoris & dixit: Agile care meus, ſuſcepi preces tuas: biennio expleto te recipiam. Age quod agis donec centenarium annorum adimpleas numerum, eróque tecum, non te deſeram. O admirabilem virum & omni laude digniſſimum! cujus in corde Chriſtus celſa ſecreta reſerans, athletæ ſuo nobili magnum oſtendit miraculum, cui ante biennium ſuum denuntiavit tranſitum. Meritò ab omnibus veneratur, quem Dominus tanto miraculo fecit inſignem. Expleto namque biennio hac eadem nocte media, id eſt III. Kalend. Septembris B. Agilus feliciter centenarius [a] migravit ad Chriſtum, ſepultúſque eſt cum decore in Eccleſia, quæ eſt in honore B. Johannis Baptiſtæ ad plagam Meridianam.

XXVI. Virgines in ejus obitu canentes audiuntur.

Operę pretium ducimus annectere huic paginæ, quòd venerabilis ADO qui ad ejus tranſitum venerat, totam noctem ducens pervigilem, cùm Matutinorum melos explêſſet, paullulùm ante exſurgentis lucis crepuſculum atque in Eccleſia B. Petri diutiùs ante altare quod eſt in honore B. MARIÆ orans jaceret, duobus Fratribus finem orationis illius præſtolantibus, ſurgens ab oratione audivit unà cum ipſis choros Virginum in ſublimi canentes: Hodie S. AGILUS cum ſummis laudibus pergit ad præmium, hodie Angelorum atque Archangelorum chori exſultant, hodie cum Sanctis in cælo coronatus triumphat. Felix valde quia ab infantia ſervavit caſtitatem, & virgo centenarius adſcendit ad gloriam.

XXVII. Infirmi plures curati.

Cùm ergo corpus ejus ſepulturę traderetur, quidam è Fratribus validiſſima febre exæſtuans advenit, linteum quod pavonem* tegebat, in fide pro remedio

* *id eſt* ferretrum *forte* à pauſando ſic dictum.

a Si B. Agilus ad centenariam pertigit ætatem, ejus obitus anno circà DC LXXXIII. collocandus eſt, ſiquidem puer B. Columbano haud ante annum D.XC. oblatus, in Monaſterio Luxovienſi eo ipſo anno condito religioſæ vitæ rudimenta inchoavit. At quominus ita de S. Agili prolixiori ætate ſentiamus, verant deſcripta ab Auctore gravi & pænè coævo Acta B. Filiberti S. Agili diſcipuli, qui poſt Magiſtri obitum Monaſterio Reſbacenſi Abbas ſuffectus dicitur, priuſquam de condendo Cœnobio Gemmeticenſi cogitaret. Cùm ergo Filibertus hoc opus molitus ſit vivente adhuc Rege CHLODOVEO, à quo locum exſtruendo Aſceterio favente BALDECHILDE Regina obtinuiſſe fertur; Agilus præceptus dicendus eſt annis aliquot ante Chlodovcum, qui ſecundùm veriorem calculum anno DC. LIV. vivere deſiit. Annos proinde fere ſeptuaginta Agilo concedimus, ejúſque obitum anno circà DC. L. conſignamus, ut variis Filiberti ipſius ſucceſſoris peregrinationibus & ſtructuræ Gemmeticenſi tempus ante Chlodovei mortem relinquamus. Et certè vix ſibi quis perſuadeat, Filibertum vivente adhuc Magiſtro ſanctiſſimo tam citò receſſurum fuiſſe à Monaſterio Reſbacenſi ut alia Galliæ Monaſteria perluſtraret, ſiquidem ſub ipſo Agilo perfectiſſimè Monaſtica florebat diſciplina. Quid quod ADO S. Audoëni frater natu major qui Agili exſequiis interfuit, ad annum DC. LXXX. non videtur perveniſſe? ut in Theodechildis Abbatiſſæ Jotrenſis Elogio dicemus. Sic igitur S. Agili annos componimus. Agilus ſeptennis B. Columbani benedictione confirmatus, paullo pòſt *ingrediens ævum pueritiæ*, Deo apud Luxovium offertur anno ferrè D. XC. Deinde cum Euſtaſio Vvaraſcis Fidem anno DC. XV. prædicat. Anno DC. XXXVI. annuente Dagoberto Reſbacenſi Monaſterio Abbas imponitur, demúmque quartodecimo pòſt anno ad Superos feliciter demigrat. Ejus Reliquiæ in Monaſterij ſui Eccleſia S. Petro ſacrâ religioſè coluntur: viſitur ejus cenotaphium in B. Johannis Bapt. Eccleſia parochiali in qua ſepultus fuit. Duplicem habet apud ſuos Resbacenſes celebritatem, unam Depoſitionis III. Kalend. Septemb. alteram Tranſlationis X. Kalend. Febr. qui dies Elevationis eſſe videtur.

CIRC. AN. DC. I. AUG. XXX. tetigit, móxque febris ab eo receſſit. Alter verò qui dentium dolore torquebatur, maxillam peplo quaſi cervicali impoſuit, ſícque dolor omnis fugatus eſt Multi etiam variis infirmitatibus afflicti eo die ſanitatem recipere meruerunt ac laudem & gloriam Domini noſtri JESU-CHRISTI.

MIRACVLA SANCTI AGILI

Duobus Libris ſcripta ab Auctoribus contemporaneis,

LIBER PRIMUS

Complectens ea quæ ſæculo XI. facta ſunt.

Ex Mſſ. codicib. Monaſt. Resbac. & Vticenſis.

PROLOGUS AUCTORIS.

MIRACULA quæ noſtris temporibus Dei benignitas ad laudem ſancti AGILI teſte populo operari dignata eſt, ſcribenda ſuſcepi, optimum factu ratus rem tam celebrem poſteritati dare. Neque inſcitiæ arguendus ſum; eoquòd majora viribus aggrediar. Urget enim Fratrum devota præceptio, quorum voluntati vel in hoc potiſſimũ contraire illicitum puto. Sed & ſi quis movetur ruſticitate ſermonis, ſoloeciſmorúmque inconcinnitatibus, quas minimè vitare ſtudui, audiat quia regnum Dei non eſt in ſermone, ſed in virtute: neque apud homines bonos intereſſe, utrum vina vaſe aureo, an ligneo propinentur. Quædam igitur eorum ſimpliciter exſequendo (neque enim omnia narrare mearum virium eſt) hinc ſumam narrationis exordium.

2. SPEM noſtram à præſentium rerum volubilitate ad perennis vitæ ſtabilitatem transferre nos Dominus admonet, & ſuorum inſtitutione mandatorum & exemplis Sanctorum, ut eorum conſortes mereamur eſſe præmiorum. Neque enim hujus vitæ fragilis & deciduæ delectationibus, quæ mille ſunt, debemus implicari, cùm ſimus filii Dei: ſed memores generis quia ſunt primordia nobis à genitore Deo, cujus fore * ſcimur imago, acceleremus ei fidei pietate rejungi. Hac fide Patri miſericordiarum rite copulamur, ſi mundanis operibus mortificati, per bonorum operum exhibitionem hoſtia viva Deo facti fuerimus. Verùm quoniam in hanc voraginem impietatis humana decidit natura, ut tantùm ſola vexatio intellectum det auditui, Deus cujus miſericordiâ plena eſt terra, conſulit filiis ſuis etiam flagellis, quia corrigi nolunt beneficiis. Intentare minas, monſtrare videtur & iras: ut per præſentis oſtenſa pericula furoris liberet à ſtygiis clemens patientia flammis, & reddat vitæ quos non vult morte perire.

* eſſe

CAP. I. Roberto Rege portenta in cœlo viſa.

3. Habemus hujus incogitabilis pietatis exemplum noſtris pæne temporibus declaratum. RODBERTO apud Merovingiam, quæ alio nomine dicitur Francia, tenente jus Regium, poſt mille à Paſſione Domini volumina annorum, ipſo millenarii impleti anno, cùm peracta Quadrageſimali obſervatione, ſancti Paraſceve, id eſt Crucifixionis Chriſti dies adveniſſet, viſæ ſunt multis per multa loca in altitudine aëris igneæ acies, prodigioſo viſu corda ſe intuentium perterrentes. Extimplo fama malum quo non aliud velocius ullum mobilitate viget, perculit aures multorum: cui quot ſunt plumæ dicuntur & infore linguæ. Quem malorum proſpectum ut didicit RAGENARDUS* vir prudentiſſimus tunc temporis hujus Cœnobii Abbas, accita ERMINGARDE Abbatiſſa Jotrenſi loco præſidente, cum ea de tam horrifica viſione tractat: & ut quæ timebant evaderent pericula, communi conſilio humiliari ſub potenti manu Dei hortatur, & jejunii diem de-

* *al.* Rainardus

terminat. Determinata ergo die convenerunt proceſſiones Reſbacenſis & Jotrenſis Monaſterii in locum qui ob inſignia virtutis Dei extunc CRUX S. AGILI[a] meruit appellari, confluente catervatim maxima multitudine non ignobilis vulgi. Cœperunt igitur ſeptem Pſalmorum pœnitentialem melodiam cum Sanctorum nominibus inſonare, cùm ſubitò eripiunt nubes cælúmque diémque, fulgura crebra micant lapidoſa grandine mixta, pallidus atque timor regnat ſub imagine mortis. CIRC AN. DC. LI. AUG. XXX. *a* NOTA.

4. Cúmque nox atra media die denſiſſimas quaquaverſum victrix diffudiſſet tenebras, omnéſque velut ſubitò irruituram præſtolarentur mortem, juſſu Abbatis & ſapientium à quodam viro adprimè litterarum liberalium peritiâ imbuto fit verbum ad populum: ut & terrore præſentium commotionum admoniti ſuorum pœnitudinem agerent commiſſorum: & deinceps peccare vitantes, eleëmoſynas pauperibus miſericordiæ animo & larga manu porrigentes, ſuorum chirographa redimerent debitorum. Concio ad populum.

5. Soluta concione cùm Sanctorum quas detulerant Reliquias in ſua quique vellent reportare, ROGERUS Jotrenſis loci Præpoſitus, ſancti Agili cujus rerum pervaſor erat, loculum voluit levare, & ejus membra cui injuriam intulerat ſuis humeris portare. Non patitur Sanctus hoſtis cervice levari: ſed veluti pelagi rupes immota reſiſtit. Pro pede lingua gemit, premitur ſi pondere molis. Nónne ſuis Agilus ſic præſtat commoda ſanctus? Ipſe pro nobis apud Deum quodammodo linguæ officium obtinet, & ſua ſancta interceſſione noſtræ terrenitatis, qui quaſi ejus ſumus pedes, ſordes diluit ac delet. Quid faceret, quò ſe verteret, Rogerus neſciebat, donec illi plebs ſuæ avaritiæ ſceleratam immanitatem ad animum revocat: quia ſcilicet ſibi tenens adjacentes manſiones Ventulio S. Agilo abſtulerat. Ille ut vir moderatiſſimus culpam quam perpetrarat agnovit, omnia Sancto reddidit, atque ita demum Sancti glebam tam leviter levavit, ut non ipſe illum portare, ſed ab eo putaretur portari. Rogerus bonorum S. Agili invaſor, ejus loculum levare non valet.

6. Cúmque omnes jubiloſis laudibus tripudiarent, ne quid Sancti gloriæ deeſſet, etiam infirmorum per ejus meritum Deus operatur ſanationes & maximè ardentium reſtinguit ignes. Ex ipſis ab incendio liberatus fuit Finoldus Duenſis* villæ incola: & Wiſmannus quidam de ſancta Halda. Quem dum pater liberatum vellet in ſua referre, ut ad ſilvam venit, iterùm cœpit ardere. Relatus ad glorioſi Agili Baſilicam meruit exſtinctionem: ſed tentans domum repedare, denuò incurrit arſionem. Tertiò igitur cruciatus eſt aduſtione, tertiò liberatus eſt Dei miſericordiâ & ſancti Agili interceſſione. Hoc videns pater delegavit eum ſancto loco dum adviveret ſerviturum, qui donec diem clauſit extremum, promiſſum devotus ſolvit obſequium. Febricitantes ſanat Agilus. * *Douë*

7. Et quia ſemel ingreſſi ſumus dicere miracula, quæ Dominus JESUS ad ſui laudem nominis per paradoxum Confeſſorem Agilum facere dignatus eſt; referemus (ſi pro miraculo accipiendum eſt) harmoniam cæleſtium ſpirituum hominem carne tectum audiſſe: cùm non ſit aurium ſuum ſenſibile excepto aëris ictu aliquid audire, quomodo SOLIO[b] hujus loci Abbas ſupra ſe raptus ſpiritualis vocis meruit auditor eſſe. Solitus erat gallicinii horam omni pæne nocte furtivas orationes quærendo prævenire, & ut eum Dominus à nuptiis rediens quaſi bonum ſervum vigilantem inveniret, ejus majeſtatem profuſis lacrymis ſibi ſemper conciliare. Stabat ſecundùm Prophetam jugiter totis noctibus ſuper ſpeculam Domini, orans ne adverſarius noſter diabolus qui tamquã leo rugiens circuit quęrens quem devoret, laceraret aliquem de grege commiſſo ſibi. Cúmque huic laudabili & Deo placitæ fraudi ſine ceſſatione inſiſteret pervigil excubiis commiſſi paſtor ovilis, carnis clauſtra ſuæ tranſgreſſus acumine mentis audit cæleſtes concentus, carmina laudes, laudes ſpirituum Domino præconia dantûm. Hym- CAP. II. Solio Abbas audit cæleſtem harmoniam. *b* *Iſa.* 21. 8.

a Eodem in loco ob facti memoriam ad hunc uſque diem Crux S. Agili dicta cernitur.

b In Necrologio Resbacenſi IV. *Id. Iulij* SOLION *Abbas Pater Monachorum* obiiſſe dicitur.

AN. CHR. DC. L. AUG. XXX.

nizant læti ſit ſummo gloria Patri cum genito Verbo, parili cum Flamine ſancto. Sonum quidem audiebat vocum, delectabatúrque ſuavitate melodiæ: ſed excepto hymno quem diximus nihil poterat intelligere. Ipſa nox tenebris obſcurabatur mundum nigerrimo peplo velantibus: micabat ſplendidiſſimis beati AMANDI meritis irradiantibus, quia eadem nocte erat anniverſarius natalis, quo defunctus eſt terris & natus cælis.

S. Amandi feſtũ diem ſollemniùs obſervari curat.

8. Cùm autem idem ſanctiſſimus Præſul hujus loci diviniſſimus conſecrator claruiſſet*, mirari non ſufficio qua ſurripiente inertia non feſtivo ejus natalem officio recoluerint veteres, & tres ſolùm ſuo propemodum Paſtori recitandas eſſe ſanxerunt lectiones. Verùm prædictus Abbas hujus theorię cùm meruiſſet eſſe viſor, accitæ Congregationi rei ſeriem pandit, & ut deinceps ejuſdem ſui Protectoris natalem feſtivè ſolemnizarent commonefacit. Monachicus cœtus plaudens ad talia lętus mente Creatorem benedicit cuncta regentem, & rogat ut fiat res de qua Paſtor agebat. Sanxerunt illud indeclinabili conſuetudine obſervari, ſicut ſervabitur in futuris ſęculis à ſucceſſoribus noſtris. Iſtud ergo jure adſcribitur ſanctiſſimo Agilo dilectiſſimo nutritori noſtro, qui tali hortamine dignatus eſt commonere ſuos ſervulos, ut debitum honorem amantiſſimo impenderent ſemper Amando.

* *Vita S. Agili c.* 18.

CAP. III. Cæco lumen reſtituitur.

9. Non ſolùm ſuos comprovinciales hic Dei amicus dignatur de ſibi accidentibus languoribus liberare, ſed exterarum gentium homines ut eis opem ſalutis conferat, ſibi aliquoties videtur advocare, ſicut præſentis miraculi exemplo poſſumus comprobare. Normannicæ regionis Oximenſem * villam audivimus, in qua degebat mortémque in fronte ferebat quidam vir cęcus, lucis diſpendia paſſus: qui ſoli præſens, verùm illi ſol erat abſens, orbibus obſeſſis tenebrante caligine noctis, nil ſperare miſer clara de luce valebat, ſed preſſus tenebris ſuſpiria longa trahebat, & crebræ lacrymę ſuſpiria proſequebantur. Quomodo non fleret, cùm lumina nulla videret? quomodo gauderet cùm ſe nox triſtis haberet? Tandem aſſiduis lacrymarum ejus & precum Dominus miſerens querelis dormienti per revelationem juſſit, ut Reſbacenſe Cœnobium ſine dilatione peteret, S. Agili præſidium imploraret, LANDRICUM Monachum, qui tunc fortè loci Ædituus erat, rogaret, ut aquâ Sanctorum Reliquias abluens cæcis orbibus ſuperfunderet, & hoc facto optabillimæ lucis ſe dona recepturum ſciret.

* *Hyeſme*

10. Hac miſellus ille revelatione lætificatus actutum ſurgit, vicinis ſomnia pandit, ſomnia quæ dicit, quæ non ſunt ſomnia vana, ſed ſibi promiſſæ præſagia certa ſalutis. Omnes hortantur Reſbacis ut citò pergat, nec mora ſit pedibus cùm gaudia tanta requirit. Ille duci itineris manum dans, Domino ſupplex lacrymarum flumina fundit. Et licèt ignoret Reſbacis mœnia vici, fiſus Divina ſpe callem carpere cœpit. Poſt multarum igitur anfractus viarum, demùm ad locum deſignatum pervenit, & quam viderat revelationem jamdicto Monacho narravit. Landricus lętus tali de famine factus, ſumit Reliquias, ſupráque fundit aquas, dum miſer exorat lacrymíſque altaria rorat, ut promiſſa Deus det ſibi propitius. Aqua ergo qua Sanctorum Reliquias laverat mox ut ejus oculos tetigit, nocte diſcuſſa reddita eſt lux clariſſima: & qui dedidicerat jam nocte diem, gaudens clarè videt omnia. Inexplebili verò gaudio repletus immenſiſſimas grates Deo & S. Agilo reddidit: & qui duce greſſum regente venerat, ſine duce repatriavit.

Oculis aquâ ſacrâ lotis.

CAP. IV. Dæmoniacus liberatur.

11. Ne verò à quoquam infelice & perfido poſſit dubitari ſuper miraculis quæ recenſemus à B. Agilo factis: nomina etiam perſonarum ſubinferimus & unde orti ſunt loca. Waningo cuidam de loco qui nuncupatur Pinnevindus contigit, ſive propter aliquod peculiare commiſſum tali vindicta plectendum, ſive propter augendam gloriam Sancti, ut traderetur vexandus ſæviſſimo dæmoni. Hoc viſo parentes ejus primùm alluſoriis verbis tentant furentem mitigare, verentes tam turpi ſpectaculo pro ſui filii vexatione populis fabula eſſe. Sed magis augentur bac-

tur bacchantis energia monſtri, & ſtringens dentes morſus inferre minatur, qui captivus erat & dæmonis ipſe rapina. Si miſero panis veſcalia grata darentur, & ſi potus aquæ fævo inferretur in ore, dira beneficiis reddebant vulnera dentes. Inſanos riſus aliorum fletibus augens. Abſorpti ergo parentes infeliciſſimi miſerabili triſtitia ob inopinabile infortunium filii, quia aliud conſilium remedii invenire non poterant, duriſſimis ejus brachia conſtringunt loris. CIRC. AN. DC. L. AUG. XXX.

12. Et quia patiebatur nec ſentiebat tormenta, ut liberaretur ab hac illum interiùs vaſtante plaga, ad ſacratiſſimum corpus adducitur B. Agili: ubi cùm aliquantum tempus moraretur, cœpit paullatim mentis ſanitatem recipere, itaut etiam ad votum faciendum S. Agilo idoneus videretur. Suadentibus amicis voto promiſit, ſi vinclis enucleari peſtis dæmonicæ mereretur, contribuente hoc Agili meritis Domino qui regnat in aſtris, ſe conferre bovem Sancto, non inferiorem vicino pecori, quammultis & meliorem. Ut hoc votum vovit, ſanitas integra rediit, & qui vinctus nolénſque venerat ad Sancti tumulum, gaudens & liber ab hoſte ſtygio remeat ad propriam domum. Sed recenti & horribili flagello admonitus, quod voverat reddere non diſtulit, immò ut proprios lares attigit, ante ſe bovem minans devoto animo ad Monaſterium adduxit. Et veniens ſacri pronus paſtoris ad aram; Ecce, inquit, Sancte, devoto defero corde hæc mea vota tuæ quæ devovi pietati, ut par eſt grates reddens pro munere tali. Suſcipiens igitur Theſaurarius bovem quo ſolverat votum, ille vendidit illum: atque ex ejus pretio Templum cameravit ſanctiſſimum.

13. Huic ſimile miraculum operatus eſt iſte fortiſſimus Chriſti miles, expulſor dæmonum acutiſſima ſuæ juſſionis cuſpide expellens dæmonem etiam ab Henrico quodam, ſicut ſtilus tentabit ſcribere. Invadens jamdictum Henricum peſſimum dæmonium nimiis furiis exagitabat: itaut non ſolùm aliena, ſed ſua quoque mordicùs videretur diſſecare membra. Quem dum cognati nimiùm ſævire viderent, & vim dæmonicam numquam ſedare valerent, conſilio accepto ſic decrevêre loquendo: Multas virtutes factas audivimus omnes, quîs Agilus ſanctus ſolitus curare furentes, impendit miſeris ſolatia magna ſalutis, notificans meritum quo fulget in arce polorum. Fuſis ergo ad Deum precibus recogitemus & ipſum qui mundus corde, qui corpore virgo perennis Agnum proſequitur quaqua pede virgine pergit, ut mereatur ab hac purgari ſorde miſellus, quem vexat dæmon tam longo tempore iniquus. Aſtutiores verò eorum dixerunt oportere ligare collum dęmonioſi corrigiâ cinctorii proprii, & ſic eum perpetualem ſervum ſancto Agilo tradi, datis ad præſens quatuor pro capite ſuo denariis, cujus numeri ei cenſum ſolveret dum adviveret quotannis. Cunctis id laudantibus, qui torquebatur ad altare S. Petri deducitur, & maſtigiali vinculo collo ejus innexo, in famulum ſancto Agilo adducitur, ſuper altare ſacrum capitalicium ſuum quatuor miſit denarios: & voto ſe obligans ſi curaretur, tot omni anno, dum vita comes eſſet, à ſe dixit ſolvendos. Non fuit ulla mora, ſequitur verbum medicina, in mediis votis diffugit dæmonis ira, & ſtat liber homo quem Sancti gratia curat. Reverſus ergo domum, poſt Deo redditas laudes, longo poſtbæc ſaniſſimus vixit tempore: & quod voverat, non immemor beneficii cum ſumma ſemper reddidit fidelitate. CAP. V. Item alius.

Quæ ſequuntur ex cod. Viticenſi deſumpta, in apographo Reſbacenſi deſunt.

14. Mortalitas erat hominum magna in pago Milidunenſi* & in pago Pruvinenſi* vehementer imminens nullo medicamine convalente. Nam in coſtis hominum ipſa lues ſubitò obſtinatiſſimà ſentiebatur & in craſtino qui patiebatur moriebatur. Ob hanc cauſam quærentes refugium quique per diverſa loca commanentes, ad hunc locum confugiunt, vigilias Sabbatorum faciunt, orationibus continuis B. Agili expetunt ſuffragium. Quid plura? quicumque veniens cum devotione oravit, patriam incolumis permanens remeavit. Non multo pòſt etiam B. Agili ſuffragio peſtis exſtinguitur commotio, quando via arripitur Divino quieſcente judicio. Ipſa quidem clades per plurima loca CAP. VI. Peſtis fugatur. * *Melun* * *Provin*

CIRC. AN. DC. L. AUG. XXX. sæviit fermè à Paſcha uſque ad feſtivitatem S. Johannis Baptiſtæ, &c.

Quæ ſequuntur ab alio Scriptore exarata ſunt.

CAP. VII. Energumena liberatur.

15. Tempore ROBERTI [a] Abbatis mulier quædam Emelina nomine perturbatione ſpiritus immundi vexata, dum multorum fere manibus adducitur, in pavimentum ſacratum quo continetur ſub terræ latibulo gleba hujus ſanctiſſimi viri, licet invita, tamen multis nexibus impedita ſolotenus recumbens obdormire perurgetur, quouſque duarum fere horarum tranſacto ſpatio, ſomno excita, virtute Sancti propulſato dæmone quieſcere viſa eſt à tantæ infeſtationis animadverſione &c.

a

CAP. VIII. Febris ardor extinguitur.

16. Alius quidam tempore PHILIPPI Abbatis à partibus Flandriarum in hanc villam Reſbacenſem devenit, & ſub beneficio cujuſdam INGENULFI Monachi ex Dei amore neceſſaria vitæ ſibi adminiſtranti longo in ea tempore manſionem habuit. Sed cùm per acceſſum temporis, æſtuantis incendij flammas nullatenus videret refrigerare, B. Agilum adjutorem advocat in tantæ arſionis exſtinctione. Inſtante itaque hujus Sancti ſollemni feſtivitate, conſilio prædicti Ingenulfi adducitur ante S. Petri altare, admonetur voto proprio ſeipſum adſtringere, quatinùs ſi Divina virtus ſalutem ſibi dignetur conferre, deinceps ſeſe ſervum Dei profiteri non deneget redibitione IV. denariorum cujuſque anni revolutione. Ille qui ſalutis ſuæ causâ majora quàm rogaretur vellet promittere, omnia ſeſe diligenter ſpondet obſervaturum eſſe: atque ita caro priùs exæſtuans per meritum Sancti ſalubre refrigerium meruit obtinere.

CAP. IX. Philippus Comes Flandrenſis multatus convaleſcit.

17. Illud etiam referre honorificum eſt de BALDUINO Flandrenſi Comite, qui cùm militari uſu PHILIPPO Regi Francorum utpote Palatinus Comes deſerviret, ad retundendam ſuperbiam quorumdam qui in partibus Galliæ & Burgundiæ præfato Regi repugnare cupientes, adversùs eum ſervili ferocitate rebellare contendebant. Ad quorum convincendam rebellionem prædictus Comes accitus, cum apparatu Flandrenſis militiæ optima terræ peragrat opida, villáſque depopulat, atque truci facie dum luſtrat pervia quæque, concives patres ceu raptat ovilia prædæ. Hic itaque cuncta circuiendo peſſumdans, cauſa prædandi Reſbacum villam devenit: ſed Divina potentia ferocitatem illius arcens propria virtute in tali negotio obſtaculo ſibi voluit adeſſe. Nam prædictam villam ingreſſus, dum ſubtractis rebus, ſubtractis & habitatoribus inhabitabilem reperit, caſtra metari exercitum quieſcendi gratiâ præcepit. Ipſe autem cùm ſub obtentu expetendæ orationis Monaſterium adiret, conſpicit eminùs avem, quæ vulgò pavo dicitur, ſuper tegulas Monaſterij reſidere, ad cujus peremptionem ſibi arcum & ſagittam protinùs jubet parari. Quod cùm factum fuiſſet, præfato Comite in pavonis necem arcu ſagittam jaciente, illa quidem flamine venti retorta in aliam partem dirigitur, avis autem immobilis permanens nullo terrore concutitur. Comes verò ſubitaneo morbo perculſus protinùs humi proſternitur, oréque ſanguineas ſpumas emittens, quòd Divina virtus in ſe pro pavone vindicet, cunctis oſtentui habetur. Eo tamen poſtmodum dum B. Agili meritum invocat meliùs habente, funem propriis manibus in collo circumdans, humilis & dejectus progreditur ad altare, profitetur coram Deo & Sanctis ejus graviter ſe peccâſſe, deceterò ſpondet ſe terram S. Petri ab adverſariorum impetu illæſam inviolatámque ſtrenuè cuſtodire, inſuper & patenam auream decémque caſeos, decémque vaccas pro ſui facinoris offert abolitione: ſícque per virtutem B. Agili plebs Reſbacenſium defenſari meruit ab hoſtili penitùs incurſione.

CAP. X.

18. Nec illud ſilentio prætereumdum eſt, quod quidam HUGO Abbas Mo-

a Rotberti obitus in Necrologio Resbac. x. Kalend. Febr. collocatur, Philippi verò qui poſtea ſequitur XVII. Kalend. Junij.

naſterij Criſpienſis [a], Monachus autem Cœnobij Reſbacenſis, dum ad diem feſtum B. Agili anni circulo redeunte deveniret, fores Monaſterij ingreſſus eumdem Patrem infimo cordis interpellat affamine, quatinùs ſi conſtaret eum eodem anno de hac vita decedere, neutiquam gratia Sancti permitteret illum ad ſua remeare: ſed ſub cujus ducatûs regimine dudum profeſſus fuerat habitum Religionis Monaſticæ, illius etiam fretus juvamine Sanctorum in cæleſtibus perfrui mereretur ſocietate. Quod & factum eſt. Nam ipſa die morbo correptus lecto proſternitur, quarto poſtmodùm die debitum mortis exſolvere perurgetur: &, ut credimus, orationis ſuæ vicem Domino ſibi rependente Eliſiis ſedibus admiſcetur. Qui in ipſo mortis articulo conſtitutus, ab adſtantibus ſibi diligenter inveſtigare cœpit, utrùm viſus eorum perceperant, quod ſibi tunc temporis, ut ipſe dicebat, facillimum erat videre, videlicet novitatem cujuſdam viſionis præclaræ. Quibus reſpondentibus nil novum penitùs ſe poſſe videre, reciprocans ille; Ego, ait, video præclaros juvenes hac illácque diſcurrentes, forma decenti compoſitos niveáque facie rutilantes. Eo talia proſequente viſus eſt non longo pòſt tempore in confeſſione Domini ſpiritum feliciter exhalare.

CIRC. AN. DC. I. Aug. XXX. Hugo Abbas Criſpienſis apud Resbacum moritur. a

19. ADELA [b] Bleſenſis Comitiſſa, mater Comitis THEOTBAUDI, vehementi febrium urebatur ardore. Ad cujus curationem veluti tantæ feminæ congruebat, conveniunt Medici circumadjacentium provinciarum Galliæ & Normanniæ, necnon etiam regionis tranſmarinæ. Sed cùm nulla eorum arte curari potuiſſet, jámque præ nimia incommoditate mortem ſibi comminante deſperaret de ſua ſalute, aſportari ſe fecit in Oratorium Reſbaci: ubi dum ſub capſa B. Agili duabus noctibus patrocinium ejus præſtolando abſque ullius cibi vel potûs perceptione pernoctat, occurrente ſibi virtute Divina ardoris ſui ſentit ineſſe refrigeria: & quæ priùs obtinere non potuit per multorum medicamenta, per B. Agilum poſtmodùm eſt celeriter conſecuta. Obtulit autem ſuper altare in honorem ſui Creatoris pallium condigni pretij, quod hucuſque manet in eodem Monaſterio, & apponitur præcipuis quibuſque feſtis retro lignum Dominicæ Crucis.

XI. Adela Comitiſſa à febre ſanatur. b

Pallium offert.

a Criſpeïum in Valeſia, vulgò *Creſpy en Vallois*, opidulum eſt habens Monaſterium S. Arnulfi Martyris nomine inſignitum, quod Cluniaco ſubjacet. In faſtis Reſbac. Hugo Abbas cujus obitus III. Non. Septemb. ponitur, non alius ab ipſo videtur.

b Nempe Adela filia Guillelmi Nothi Angliæ Regis, uxor Stephani cognomento Henrici, qui anno M. C. I. in expeditione terræ ſanctæ ad urbem Romam occiſus eſt, mater verò Theobaldi IV. cognomento Magni.

LIBER SECUNDUS

Complectens Miracula per B. AGILUM tempore BRICCII Abbatis patrata ineunte ſæculo XII.

Ex MS. cod. Resbacenſi.

1. MIRACULA quæ noſtris temporibus Dei benignitas ad laudem S. Agili teſte populo operari dignata eſt, ſcribenda ſuſcepi, optimum factu ratus rem tam celebrem poſteritati dare. Neque inſcitiæ arguendus, eoquòd majora viribus aggrediar: urget enim Fratrum devota præceptio, quorum voluntati vel in hoc potiſſimùm contraire illicitum puto. Sed & ſi quis movetur ruſticitate ſermonis ſolœciſmorúmque inconcinnitatibus quas minimè vitare ſtudui, audiat quia regnum Dei non eſt in ſermone ſed in virtute, neque apud bonos viros intereſſe utrùm vina vaſe aureo aut ligneo propinentur. Quædam igitur eorum ſimpliciter exſequendo (neque enim omnia narrare mearum virium eſt; hinc ſumam narrationis exordium. 1. *Cor.* 1. 20.

CIRC. AN. DC. L. AUG. XXX. CAP. I. Fons S. Agili.

2. Anno igitur ab Incarnatione verbi M. C. XLV. Domino MANASSE * ſanctæ memoriæ Meldenſis urbis Antiſtite, Abbate autem domno BRICCIO [a] Reſbacenſium, cœpit beatiſſimus Agilus ad fontem qui ab ipſo nomen accepit rediviva argumenta ſuæ ſanctitatis oſtendere. Fons [b] autem ille eſt quem ſicut à majoribus accepimus, idem Pater orando è ſolo prodire fecit, locúmque ipſum dum adhuc viveret amavit, excoluit, miraculis etiam illuſtravit, quæ narrare poteram niſi me ſuſcepti oneris neceſſitas avocaret. Sicut autem opinio ſe habet, miraculorum recèns ibidem geſtorum hoc primum fuit.

* ſecundo

a

b

Claudus & paralyticus curatur.

3. Puer quidam de Britannia oriundus, quam moderni Angliam vocant, Reſbacum devenit: ubi paralyſi correptus, ſimiliter pedis officio privatus eſt. Neque ſolus pes inutilis fuerat redditus, ſed pubetenus morbus irrepens, natibus immobiliter calcem affixerat. Enimverò pridie Nonas Maias die Dominica, horâ circiter octavâ, baculis adnitens ad fontem præfatum venit. Cúmque pueris adhortantibus qui fortè convenerant, læſam corporis partem aquâ perfunderet, nervi ſtrepere, pes à natibus amoveri, poplíſque extendi cœpit, cum magna fumi exhalatione. Richardus (id enim puero nomen erat) ſemianimis ruit, brevi ſpatio redditus eſt animo, redditus eſt & ſaluti. Fungebatur officio duorum pedum, abjectíſque baculis quorum adminiculo gradiebatur, benedicebat ſuæ ſalutis Auctorem. Ad hoc ſpectaculum totus Reſbacus confluxit, & abſterſa omnis ambiguitatis caligine, claudus quippe omnibus notus erat, in eo glorificabant Deum.

Item alij.

4. Porrò fama facti longè latéque diffuſa, multos multis languoribus laborantes, ad fontem venire fecit. Inter eos erat mulier grandis natu, nata autem in territorio Reſbacenſi genere haud obſcuro. Ea cum fortè cecidiſſet, manus læſa eſt, nervíque qui manum brachio copulabant miſerabiliter diſſoluti: quinquennis vel eo ampliùs in ea doloris perdurârat anguſtia. Aſt ubi ad Fontem ventum eſt, morbuſque in unda intinctus, expulſio doloris, nervorumque compaginatio, cum priſtini vigoris integritate ſecuta eſt. Præterea puerulus quadriennius cui Bernardo vocabulum erat, claudus & mutus ab utero: ad fontem perlatus eſt: ubi lotus, mirabile dictu! ſub oculis omnium ire & loqui cœpit, &c.

CAP. II. Femina mentis impos ſanatur.

5. Quædam femina MATHILDIS nomine, quonam modo mente capta, qualiterque patrocinante viro S. Agilo in naturalem redierit ſtatum, annectere his haud ſuperfluum arbitror, & ut res facilius luceſcat, altiore principio repetenda eſt. Contigit itaque ut Lupus à demone obſeſſus Brienſem pagum lacrymabili graſſatione turbaret, privatim ac publicè greges ſeu armenta diripere, homines etiam impetere non verebatur. Id ei audaciæ vis inſtigantis dæmonis conferebat. At verò hoc maximè miratu dignum, quod quæcumque dentibus, vel leviter attrectâſſet, mori irremediabiliter cogebatur. Plerique autem vulneratorum antequam morerentur inſaniebant: & ne nimiùm proferatur oratio, fratrem præfatæ mulieris poſtremò aggrediens ſauciat. Prô dolor! non evaſit commune malum eorum qui à Lupo vulnera acceperant, ſed morbo correptus miſerabiliter exſpiravit. Exſequiæ hominis, utpote ſpectabilis tam genere quam virtute, multis gemitibus & lacrymis peractæ ſunt. Mathildis interea vacabat lecto, ſed audita morte fratris infirmitas geminata eſt. Cúmque fortè ſopor languidis artibus obrepſiſſet, vidit ſub ſomni imagine fratrem recens defunctum tegmine lupinæ pellis horribilem. Expergefacta deſipuit: dubium utrũ ab exinanitione cerebri, tum enim ægritudine tum longo jejunio confecta erat; an hac viſione vis illius mali prodiverit. Ea demum ad S. Agilum deducta eſt. O qualis erat, facies pallida, oculi turbulenti, capillus hirſutus,

a In Necrologio Resbacenſi legitur: VI. *Id. Martij* BRICCIU *Abbas Pater Monachorum.*

b Viſitur hodie quoque fons ille, uno lapide à Monaſterio, à Fidelibus multùm frequentatus: quo in loco exſtat Oratorium, in quo Fons ipſe ſcaturit, B. Agilo ſæculo XII. conſecratum, ut ex ſequenti cap. 6. patet.

geſtus corporis horribiles, os cachinnis ac verbis inſulſis perſtrepebat. Mulier hujuſmodi cùm ad ſuffragia Sancti noſtri diebus aliquot perſtitiſſet: & ſenſum recepit, & viſionem quam ſuprà retulimus enarravit. Sed his compendiosè digeſtis, alij miraculo manum imponamus. CIRC. AN. DC. L. AUG. XXX.

6. Villula eſt vicina Barbonæ * nomine Blico. Ejus accola erat mulier quæ Mabila nuncupabatur. Ea cum die ſabbati imminente jam heſpero herbis legendis inſerviret, repentè lacertum obripuiſſe ſenſit. Occupavit quoque dolor acerbiſſimus humeros, qui ad pectus uſque progrediens mortis imminentiam jamjamque minabatur. Audito tandem quantis Dominus ſuum Agilum mirabilibus inſigniret, brachium collo ſuſpenſa tendit ad Fontem. Eloquitur Fratribus qui aderant infirmitatis ſuæ & cauſam & modum, & ait: Poſtquam hac incommoditate teneri cœpi, mihi fortè quieſcenti viſus eſt adeſſe homo adſpectûs angelici: qui me blandè alloquens, iſtuc venire jubet recuperandæ gratiâ ſanitatis. Ego igitur hoc ſomnium pondus habere reputans adveni. Decetero S. Agilus fidem pollicitis adhibere dignabitur. Talia dicentem, ut fieri ſolet in talibus, alij arguebant mendacij, alij vera locutam adſerebant, neque enim erat cur fallere vellet. Sed eam magis veram eſſe conjicimus, ſi rei penſamus eventum. Nam cùm oratione facta oblationem quam ſiniſtra manu gerebat in dexteram transferre vellet, ea autem debilis erat, ipſo momento cum magno ſonitu porrigitur brachium, pulſatur dolor, ac vigor priſtinus reparatur. Et hæc quidem hoc modo ſanata eſt. CAP. III. Alia ob violatum ſabbatum punita curatur. * Diœceſis Trecenſis

7. Sed interim quorumdam veſaniæ occurrere libet, qui in digito Dei nequaquam hæc fieri æſtimantes dæmonicæ, prô nefas! attribuunt poteſtati. Cúmque miracula diffiteri nequeant, id ſolùm in cauſam calumniæ adſumunt, quod in agreſti fiunt loco, ubi nullus Dei cultus, ubi nullæ Sanctorum Memoriæ. O prudentiam! verentur homines ſublimi ingenio ne ad ludibrium mortalium à Faunis, Nymphis vel Satyris ceteríſve ruris numinibus res geratur ejuſmodi: ſed fruſtra. Nam ut de fabulis taceam, (neque enim falſa induci decet ad argumentum verorum) apud quos Hiſtoriographorum veterum ſeu modernorum legitur, Dæmones viſum cæcis, mentem amentibus, manus debilibus, greſſum claudicantibus reſtaurâſſe? Verùm campeſtris locus mihi nequaquam accuſandus videtur: cùm plerumque ſolitudines Dominus miris rebus inſignire dignatus ſit. Mons ille in quo beati Michaëlis memoria celebris habetur, quamvis non habitaretur, Deo tamen acceptus fuit. Moyſi quoque in deſerto divinitûs dicitur: *Locus in quo ſtas terra ſancta eſt.* Et quia Fontem ſancti Agili obtrectatores noſtri calumniantur, meminerint Naaman in aquis Jordanicis lepræ maculam abluiſſe. Sic cæcus jubente Domino oculos in Siloë lavit viditque. Quid autem immoror diutiùs exemplis, quorum me turba fatigat? Ex his quæ dixi ſatis colligi poteſt, ſi in loco campeſtri, ſi ad fontem, ſi ubi nullus Dei cultus, nullæ Sanctorum memoriæ, Deus ſalutem populi ſui operetur: non eſſe mirandum. Et hactenus de his. Nunc ad cœpta ſtilum vertamus. CAP. IV. Apologia miraculorum S. Agili.

8. Mulier Maria nomine de Lotharij regno oriunda angebatur acerbiſſimè, quia nodus grandis in gutture vias vocis obducens, uſum loquendi ademerat. Itum eſt ad S. Jacobum. Ibi femina quiddam Divinæ pietatis experta, aliquantulum quidem, parum tamen intelligibiliter loqui cœpit. Exinde venitur ad Agilum. Cúmque fere muta ibidem triduum ageret, tertio die dum balbutiens Agilum nominare nititur, nodus qui jugulo imminebat abſcedit, & protinus officium vocis priſtinæ reformatur. CAP. V. Mulier linguæ vinculo liberatur.

9. Sed jam exigente materiæ textu duarum meretricum, Aalidis ſcilicet & Emelinæ, converſionem modumque converſionis eloqui libet quarum prior Cantamerle, altera Colomarij nata fuit. Imminente igitur die quo primò ad Templum quod ad fontem B. Agili conſtruebatur Miſſarum ſollemnia agenda erant, hoc eſt IV. Kalend. Auguſtas, precedente nocte inter reliquam populi multitudinem venit & Aalidis corde & habitu meretricio. Neque enim CAP. VI. Dedicatio Eccleſiæ Fontis S. Agili.

CIRC. AN. DC. L. AUG. XXX. ut ipſa poſtea prædicante didicimus, eam ad ſanctum locum ſanctitas devotionis trahebat: ſed impurus quærendi affectus lenonis. Dúmque hac & illac lubricis amatorem auſpicatur obtutibus, repentina oboritur ægritudo quæ paullatim tantum accepit virium, ut toti corpori imperans, pænè etiam poſſe loqui ademerit. Fratres qui aderant perſuadent reatus confiteri, abrenuntiare proſtibulis, mores corrigere. Miſera nutibus & verbis quibus poterat adſentiebatur rogatui eorum. Vertitur interea polus, & urgente Lucifero languet hyperboreæ glacialis portitor Urſæ. Subitò nares, os & aures mulieris rivi ſanguinis inundant. Et ſic iſta mulier meritis beatiſſimi Agili reſtituta eſt ſanitati &c.

CAP. VII. Paralyticus ſanatur. 10. Deinde permodico temporis ſpatio tranſacto, ecce quidam adoleſcentulus duarum obſequio feminarum illuc defertur, cujus extremam corporis medietatem paralyſis dudum damnaverat: quíque juxta pontem Reſbaci hoſpitabatur. Hic quia de familia S. Petri natus, pæne cunctis Reſbacenſibus ſatis erat cognitus. Hujus patrem & matrem & ego novi. Tunc hiems ſui dieculas ita inaſperabat, ut plus de algore pauperi quàm de infirmitate curandum videretur. Eodem tempore Domnus JOHANNES noſter Monachus, ipſius loci cuſtos habebatur, cujus fidem pia opera ſatis commendabilem reddunt. Nec morà pauperem exutum pannis propriis ſumpſit in ulnis, & ad ipſius Fontis balneum ſecum tulit lavandum. Et cùm ab ipſo ibidem tertiò mergeretur, à quadam inſulſa muliere taliter affatus eſt: Venerande ſenex in vanum laboras, impoſſibile enim eſt ut ulteriùs pergere queat. Cujus verba pro nihilo ducens, & ſi non voce tamen fide proclamans: *Omnia poſſibilia ſunt apud Deum*, ilico quem tantum corpore debilem merſerat, ſimillimum mortuo retraxit, & ad ſuum Patronũ Agilum confugiens, ante ipſius altare ſemivivum projecit. O magnæ & admirandæ virtutis miraculum & Apoſtolicis comparandum! poſtquam in oratione Monachos paullulum ſubſtitiſſet, & infirmum priſtino calori redditum ſenſiſſet, apprehensâ ejus dexterâ ſic ait: Surge in nomine Domini & in honore B. Agili. Qui ſurgens & conſolidatis baſibus firmiter ſtetit & firmus ambulare per Eccleſiam cœpit. Et quoniam res in ſole facta minimè latere potuit, volans fama facti contiguos incolas advocavit. Dies quippe Dominica erat, & Abbatiales campanæ longè latéque reſonabant. Innumeri igitur utriuſque ſexûs convenerunt, & eo præeunte ad Monaſterium properârunt. hæc & his ſimilia concinentes & ad invicem conferentes: Agile magne Pater, tu es Princeps & Epiſcopus noſter. Tibi enim glorioſus Rex DAGOBERTUS[a] ſæcularem poteſtatem in nobis tradidit, & imperio regiæ dignitatis ne à quolibet temerario abrumperetur corroboravit. Tibi quoque S. FARO Meldenſis Antiſtes regimen ſuæ dignitatis in adjacentibus Eccleſiæ tuæ parrochiis conceſſit: &, quod majus eſt, ſanctiſſimus MARTINUS Romanæ Sedis Pontifex ſummus, utrumque cum obteſtatione & anathematis innodatione liberaliſſimo Privilegio confirmavit. Eamus igitur curramus & Domino noſtro tam Clerus quàm populus pro his omnibus devotas laudes reddamus. Ipſe enim animarum & corporum noſtrorum medicus. Ipſe nobis omnibus omnia factus. Et cùm ſimplex turba hoc profiteretur quid nobis agendum erat, qui in capite ſtare videbamur, nihil tandem conſultius invenire potuimus, quàm noſtra & eorum vota beatæ Mariæ & ſuæ Virginitatis imitatori Agilo commendaremus: ut ſuo interventu divinæ majeſtati acceptabilia efficerentur &c.

a Fulcoïus Subdiaconus Meldenſis in S. Faronis Vita, quam rogatu Gaufridi Abbatis S. Crucis metricè compoſuit; poſtquam miraculum de reparato altaris lapide ſcripſit, immunitatis Resbacenſis meminit his verſibus:

Hæc ſanctus Paſtor cernens miracula FARO,
Libertate locum notâ donavit in ævum,
Regis item Papæ confirmans conditione.

SANCTI DONATI EPISCOPI VESONTIONENSIS ELOGIVM HISTORICVM.

CIRC. AN. DC. LI. AUG. VIII.

1. DONATUM *S. Columbani meritis ac precibus à Deo impetràrunt parentes* WANDALENUS *Dux Transjuranus &* Flavia, *quibus* soboles *nulla erat: eúmque* vir sanctus suis manibus receptum sacravit, sacróque lavacro ablutum ipse susceptit, DONATÚMque nomen imposuit, *sicut Jonas in Vita S. Columbani ad ann. 615. relata fusiùs narrat.* Qui pòst alitus in Monasterio Luxovienſi, *ubi Deo* largitori consecratus *fuerat*, sapientiâ imbutus *Columbano, postea Eustasio Magistris*, Vesontionensis Pontifex præfectus est, & *Jona scribente* (*scribebat autem anno à morte Bertulfi Abbatis Bobiensis tertio*) *adhuc* supererat eamdem Cathedram regens. *Is cùm Monachus esset, Vesontionem unà cum Agilo Monacho, deinde Abbate Resbacensi profectus, vidit miraculum de ipsius Agili violatore divinitùs punito móxque sanato factum, quod Vitæ S. Agili Scriptor à Donato accepisse se testatur.* Donatus à Deo impetratus fit Monachus.

2. *Quo anno Donatus Sedem Vesontionensem inierit, incertum: id anno circà* DC. XXIV. *factum videtur; siquidem anno insequenti Synodo Remensi sub Sonnatio habitæ, & anno ferè* DC. XLVI. *Concilio Cabilonensi III. subscripsit.* Apicem tantæ dignitatis adeptus (*habet vetus codex MS. apud Iacobum Chiffletium in suo Vesontione*) nullo modo est à suo proposito alteratus: sed idem permanens ipse, omnibus proficere cupiens in Christo non desistebat à cœpto officio. Inter Canonicos denique commorans, Monachile schema indutus sic erat inter illos quasi Monachus unus, Canonici implens officium, Monachi non amittens propositum. *Multos famæ suæ opinione adductos trahebat* ad videnda summi Evangelistæ Johannis & Protomartyris Stephani limina: qui omnes recreabantur ejus consolatione & benedictione roborabantur: & si quid Apostolico more suis offerebatur pedibus, cunctorum pauperum largiebatur necessitatibus.

3. Præterea Monasterium (*Ionæ* PALATIUM *dictum*) infra urbis mœnia condidit, & in honore B. Pauli Apostoli sacravit, possessionibus ditavit, privilegio munivit: atque inibi fideles viros sub B. BENEDICTI & B. COLUMBANI Luxovienſi Regula victuros instituit. *Perstat hodie quoque istud Monasterium S. Pauli dictum, quod fluvio Dubi à mœnibus civitatis dirimitur.* Suo denique tempore, matre ejus Flavia cooperante, ex propria hereditate aliud in eadem urbe nobile Sanctimonialium in honore B. MARIÆ est ædificatum *Cœnobium*: (JUSSANUM *etiam dictum, Cluniacensibus postea, demum Religiosis Minimis attributum*) in quo requievit eadem FLAVIA in pace & SIRUDIS ejus filia Virgo sacratissima, ejúsque loci Abbatissa. *Et tamen apud Ionam istius Monasterii constructio soli Flaviæ tribuitur: quod etiam ipse Donatus in Epistola Regulæ suæ præmissa probat, uti mox videbimus.* Monasteria construit.

4. *A matre Flavia & Virginibus Iussani Cœnobii interpellatus Regulam Sanctimonialibus aptavit, tum ex S. Cæsarii Regula, tum maximè ex* SS. BENEDICTI & COLUMBANI *Institutis defloratam, eamque* GAUTHSTRUDÆ *Abbatissæ aliisque Virginibus nuncupavit his aliisque verbis:* Sanctis & à me plurimùm venerandis Christi Virginibus GAUTHSTRUDÆ omníque suæ Congregationi in Cœnobio à famula Dei FLAVIA constituto DONATUS omnium extremus famulorum famularúmq; Dei servulus, salutem. Quamquam vos juxta normam Regulæ, vasa Christi pretiosissima, egregiè noverim quotidie vitam ducere; attamen qualiter magis excellere debeatis, sagaci vultis semper intentione perquirere. Regulam condit.

CIRC. AN. DC. LI. AUG. VIII. Quam ob cauſam ſæpiùs mihi injungitis, ut exploratâ S. Cæſarii Arelatenſis Epiſcopi Regulâ, quæ ſpecialiùs Chriſti Virginibus dedicata eſt, unà cum beatiſſimorum BENEDICTI quoque & COLUMBANI Abbatum, utputà (ut ita dixerim) collectis in unum floſculis ad inſtar Enchiridion excerpere vobis vel coacervare deberem, & quæ ſpecialiùs femineo ſexui cuſtodienda competerent promulgarem: dicentes quòd Regulæ prædictorum Patrum vobis minimè convenirent, cùm eaſdem viris potiùs & nequaquam feminis edidiſſent. Et licet S. Cæſarius propriè Chriſti, ut eſtis, Virginibus Regulam dedicâſſet, vobis tamen ob immutationem loci in nonnullis conditionibus minimè conveniret. Ad hæc ego implenda diu multúmque reniſus ſum voluntati veſtræ, non ut pervicaciter durus, ſed mea conſcius impoſſibilitate retentus, dum multorum in hac re minùs neceſſitatem rei atque opportunitatem loci intelligentium judicium pertimeſco, ne me temerè reprehendant, cur de tantorum Patrum Inſtitutis audeam quippiam excerpere vel mutare. At contra devotione compellor, dum inhianter ſalutem veſtrarum cupio animarum. *Et infrà*: Qua de re vos ſanctas animas mentéſque Deo deditas coram omnipotenti Deo ſpiritali affectu obſecrare compellor, ut hæc eadem veſtræ petitioni ſtatuta abſque ulla dumtaxat refragatione & indefinenti ſtudio mentéque ſagaci tempore perpetuo conſervare ſtudeatis: & juniores vel etiam negligentes juxtà tenorem ipſius Regulæ coërceatis, & eam ſæpiùs coram omni Congregatione legatis, ut nulla ſe de ignorantia excuſare poſſit. *Deinde earum orationibus ſe commendat his verbis*: Hoc ergo ego omnium ultimus ſpecialiùs almitati veſtræ humili & ſubnixa prece depoſco, ut pro me qui petitioni veſtræ obtemperans, hæc per cola vel commata temperavi, tam in diurnis quàm in nocturnis officiis dum in hoc luteo corpuſculo dego, creberrimas fundatis preces: & poſtquam Domino jubente migravero, ſacras pro me hoſtias offerri Domino faciatis: quatenus cùm vobis in choro ſacrarum ac ſapientium Virginum virginitatis palma beatitudóque tribuetur, ſaltem mihi cunctis onerato peccatis delictorum venia tribuatur.

Qua occaſione. 5. *Hæc Regula quæ conſtat Capitulis ſeptem ſupra ſeptuaginta, majori parte deſumpta eſt ex S. Benedicti Regula, cujus Capitula tria & quadraginta integra à Donato adducuntur. Porro Sanctimoniales illæ cùm viros ſub Monaſticis Inſtitutis in illis partibus egregiè militantes æmulari vellent, eorum Regulas ſibi aptari flagitaverunt. Quo tempore Regula S. Benedicti cum S. Columbani Decretis in Monaſteriis ab ipſo Columbano erectis ſervabatur. Siquidem Sanctimoniales à S. Donato B. Columbani diſcipulo inſtitutæ, utriuſque Patris Regulas ſibi accommodari poſcunt: & Donatus ipſe* S. BENEDICTI *Regulam honoris ergò ante S. Columbani Regulam nominat. Lege Præfationem huic Tomo præmiſſam.*

Moritur. 6. *Vt initium Pontificatûs S. Donati, ſic & exitus incertus: quem anno circà* DC. LI. *reponimus* VII. *Idus Auguſti, quo die in Martyrologiis Benedictino & Gallicano memoratur. Sepultus eſt non in Sacello S. Donati nomine inſignito, ſed in Eccleſia S. Pauli à ſe conſtructa, ut probat Chiffletius, ubi & pater ejus Vvandalenus jacet.*

IN HISTORIAM TRANSLATIONIS CORPORUM S. P. BENEDICTI, ET S. SCHOLASTICÆ IN GALLIAM,

DISSERTATIO PRÆVIA.

CIRC. AN. DC. LIII. JULII XI.

Status quæstionis.

I. INCIDIMUS *in gravissimam & famosissimam quæstionem, quæ Gallos inter ac Italos, inter Cassinenses ac Floriacenses Monachos, de communis Patris* BENEDICTI *Translatione corporis intercedit. Galli nostrates magno suorum & exterorum ferè omnium consensu affirmant, everso à Langobardis Cassinensi Monasterio Aigulfum Divino monitu, Mummoli Abbatis Floriacensis jussu, principatu Chlodovei secundi Francorum Regis, Italiam petiisse; ac sacras Sanctorum Benedicti & Scholasticæ Reliquias è solitudine Cassinensi in Gallicanum Aurelianensis agri Cœnobium, dictum Floriacum, asportasse; Floriacenses S. Benedicti, Cenomannenses opidanos, qui Aigulfo itineris socij fuerant, S. Scholasticæ Reliquiis locupletatos fuisse. Cassinates econtra externorum suffragiis destituti, divisi inter se sententiis, alij Translationem præditam admittunt, at Relationem in Cassinense Monasterium adstruere moliuntur: alij (parte utique maxima) Leonem Marsicanum Cardinalem Ostiensem sequuntur ducem, qui ipsam Translationem pernegat. Varij hinc inde fuerunt litteratorij conflictus, neutri se victos confitentur. Adeò verum est id quod de contendentibus dicit Ambrosius:* Nemo patitur se vinci, licet sciat vera quæ audit.

Ambr. in Epist. 2. ad Tim. c. 2.

2. *Post iteratam Chronici Cassinensis editionem nonnullarúmque litterarum, quæ Summorum Pontificum quorumdam nomen in gratiam Casinatium præferunt, Floriacensium nostrorum partes primus è recentioribus suscepit ac strenuè propugnavit Iohannes à Bosco Monachus Cælestinus, vir doctus, qui legitimæ Gallorum possessionis monimenta oculis suis vidit, manibus contrectavit, eáque in sua Bibliotheca Floriacensi anno 1605. evulgavit. Huic vestigiò decem pòst annis successit Carolus Saussеyus Ecclesiæ Aurelianensis Decanus, Doctor Theologus, qui in ejusdem Ecclesiæ Annalium libro 4. capite 1. inconvulsam ac perpetuam sacri depositi possessionem Floriacensibus nostris tam disertè ac validè vindicavit, ut ceteris palmam præripuisse videatur. Quo in genere etiam eruditè versati sunt nostrates Symon Milletus Tractatu singulari gallicè edito, & Hugo Menardus, qui in lib. 1. Observat. in Martyrol. Benedict. hoc argumentum, quantum propositæ brevitatis ratio sinebat, egregiè tractavit. Istis adjungendus est Carolus* le Cointe, *Annalium Ecclesiasticorum Francorum conditor, qui in Tomo 3. ad annum 673. num. 42. nuperrimè Floriacensium causam à multis jam vindicatam iterum asseruit.*

Floriacensium Patroni.

3. *Pro Cassinatibus pugnant Matthæus Lauretus, Hispanus, Abbas Monasterij S. Salvatoris de Castellis, peculiari adversus Iohannem Boscium libello, impulsu Gregorij Castionæi Aretini Abbatis Cassinensis anno 1607. Neapoli vulgato;*

Cassinatium defensores.

CIRC. AN. DC. LIII. JULII XI.

V.C. Angelus de Nuce Abbas itidem Caſſinenſis in Appendice Romanis typis excusâ ad Chronicon Caſſinenſe Pariſiis anno ſuperiori ipſius curâ editum & illuſtratum: qui totus eſt in propugnandis Leone Marſicano & Petro Diacono adverſus Menardi noſtri obſervationes; cetera uti parerga rejicit.

Medij ac dubij.

4. *Medij ſtant inter utraſque partes Antonius Yepezius in Chronicis General. Ord. S. Bened. ad annum 660. & Arnoldus* Wion *Monaſterij S. Benedicti de Mantua Monachus è Congregatione Caſſinenſi: qui Tranſlationem in Galliam ſimúlque Relationem in Italiam tuentur. Dubij videntur eſſe Illuſtriſſimus Cardinalis Cæſar Baronius in Annal. Eccleſ. ad annum 664. & Iohannes Bollandus, ejuſque adjutores ac continuatores Godefridus Henſchenius & Daniel Papebrochius, tum ad x. Februarij, ubi de S. Scholaſticæ, tum ad xxi. Martij, ubi de S. Benedicti Tranſlatione agunt. Quamquam Baronius ſatis Gallorum partibus accedere videtur, dum ait plurimùm apud ſe valere Pauli Diaconi auctoritatem, S. Benedicti oſſa Gallis, carnem in cineres redactam Caſſinatibus adjudicantis: dúmque Bullas à Caſſinatibus prolatas rejicit, Floriacenſes probat*. Et Bollandus in Comment. ad Vitam S. Scholaſticæ num. 33. fatetur*, magis ſibi Gallorum arridere ſententiam.

* To. XII. ad an. 1107.

Diſſertationis ſcopus.

5. *Animus non eſt poſt tot diſputationes hinc inde agitatas novum certamen inſtaurare: ſed ſimplici ac pacato modo, qualis veritatem & hiſtoricum decet, legitimos Floriacenſium noſtrorum titulos aliquot in fronte hiſtoriæ ab Adrevaldo ſcriptæ proponere; ne videamur prælaudati Angeli Nucei diſſimulare fiduciam, qui de* lite *ſibi* adjudicata & inconteſtata poſſeſſione *plus æquo gloriari videtur. Quod quidem dictum ſit, ſicut & cetera omnia, citra ullam offenſam Reverendiſſimi Abbatis, cujus ingenium eruditionémque prædicamus; & abſque læſione fraternæ caritatis erga Caſſinates noſtros, quos impenſiùs amamus & colimus.* Collatio *ſiquidem* inter Dei ſervos eſſe debet, non altercatio.

Ambr. ibid.

Notanda in hac quæſtione.

6. *Obſervandum verò eſt hac in controverſia duas eſſe partes, nimirum an verè S. P. Benedicti Reliquiæ in Galliam tranſlatæ ſint; tum hac ſententiâ probata, an in Caſſinenſe Monaſterium relatæ? Tranſlationem in Galliam unanimi fere conſenſu negant Caſſinates ſaltem hodierni, improbántque Vvionem qui in lib. 3. de Ligno Vitæ ad xi. Iulij, Tranſlationem ac Relationem cum Pſeudo-Anaſtaſio admittit.*

7. *Obſervandum inſuper, tria argumentorum genera potiſſimùm hac in cauſa proferri; à Diplomatis Pontificiis & Regiis, ab Auctoribus privatis ac domeſticis, & à Scriptoribus externis petita. Quàm firma ſint quæ à Bullis Pontificiis (ſi modò* ex certa ſcientia *datæ ac legitimæ ſunt) petuntur, nemo ignorat Catholicorum, quibus & Summorũ Pontificũ dignitas venerabilis, & auctoritas ſacroſancta. At cùm in ea quam tractamus quæſtione Bullæ Bullis nonnumquam unius ejuſdémque Pontificis utrimque opponantur; huic argumento ſuperſedemus, ne in Caſſinates noſtros, quorum religionem ac pietatem ſuſpicimus, Baronij animadverſiones iterum regerere cogamur. Nec ſanè amantiſſimis Patribus ac Fratribus id moleſtum eſſe debet, quando Litteras noſtras hac in cauſa jam à Boſcio & Sauſſeyo adductas (quæ & Auctoris nomine ſimiles, & numero plures, & auctoritate potiores probari poſſent) non exhibemus. Quod quidem facimus, non Litterarum noſtrarum robori diffiſi, ſed ab odioſis falſi nominis elogiis abhorrentes.*

8. *Si de argumentis quæ à Scriptorum privatorum ac domeſticorum auctoritate petuntur quæſtio eſt; nemo infitias eat, præferendos eos eſſe, quibus gravium Auctorum exterorum teſtimonia ſuffragantur. Non unum aut duos habent Floriacenſes noſtri domeſticos Auctores, qui Tranſlationis Gallicanæ hiſtoriam confirmant. Vnum habent Caſſinenſes Leonem Marſicanum Chronici ſui Auctorem, ejúſque continuatorem Petrum Diaconum: quibus Adrevaldus, Adelerius & Aimoinus Monachi Floriacenſes ætate, ac proinde auctoritate ſuperiores ſunt. His verò unanimi conſenſu favent mediæ ætatis probi quique Scriptores, cùm Caſſinates extraneorum ſuffragiis deſtituantur. Adeout ſi Bullas & privatos Auctores utriuſque partis tantiſper ſeponamus, nullum pro ſe antiquorum teſtimonium Caſſinates, Floriacenſes*

omnium vota ſibi vindicaturi ſint. Agè, rem exemplis comprobemus, & prætermiſſis domeſticis, conſulamus extraneos, qui S. Benedicti Reliquias in Galliam translatas (quod primum quæſtionis caput eſt) diſertè affirmárunt. CIRC. AN. DC. LIII. JUL. XI.

§. 1. Antiquorum teſtimonia pro ſancti Benedicti Tranſlatione in Gallias producuntur.

9. *Agmen ducat venerabilis* BEDA, *homo Anglus, cui eo magis credere licet, quòd vir doctiſſimus eo fere tempore ortus eſt, quo hanc Tranſlationem factam dicimus. Quippe Beda anno reparatæ ſalutis ſexcenteſimo ſeptuageſimo natus, anno ſeptingenteſimo trigeſimo quinto finem vivendi fecit. Is igitur in ſincero Martyrologio ſuo (quod recèns Henſchenius & Papebrochius Tomo 2. Martij Bollandiani vulgárunt, diligentiſſimà cum octo codicibus Mſſ. collatione facta) Is, inquam, duobus in locis breviter pro ſuo more S. Benedicti meminit, nimirum XII. Calend. Apriles & V. Idus Iulias, quos dies uni Benedicto conſecravit. Sic poſteriori loco ſcribit*: Quinto Idus Depoſitio S. BENEDICTI Abbatis. *Quis ſit dies* Depoſitionis *apud Eccleſiaſticos Scriptores, norunt vel leviter periti. Nempe dies eſt, quo Sancti alicujus corpus vel in primarium tumulum, vel poſt Tranſlationem aliquam alium in locum reconditur. Bedam explicat* FLORUS, *Eccleſiæ Lugdunenſis Subdiaconus, Carolo Calvo æqualis, in Additionibus ad Martyrologium Bedæ his verbis*: Tranſlatio corporis, quo die è prædictis partibus Romæ Floriaco eſt perductus. *Et in minutioribus additamentis ad ipſum Florum*: In pagum Aurelianenſem invectio corporis S. BENEDICTI Abbatis, & Depoſitio ejuſdem. *En Depoſitionis notio explicata. Porro Sanctorum Reliquiæ in tumulis ſeu in cryptis adhuc ſæculo IX. adſervabantur, ſicut in Præfatione noſtra obſervatum. Et S. Benedicti* Tumulationem *in Monaſterio Floriacenſi præferunt Martyrologia non pauca pridie Idus Dcembris.*

10. *At nemo magis cauſæ Floriacenſium patrocinatur, quàm* PAULUS *Vvarnefridus Diaconus Aquileïenſis, Monachus Caſſinas, Carolo Magno carus, cujus Pauli in libri 6. de Geſtis Langobard. cap. 2. hæc ſententia eſt*: Circa hæc tempora cùm in caſtro Caſſino ubi beatiſſimi BENEDICTI ſacrum corpus requieſcebat, aliquantis jam elapſis annis vaſta ſolitudo exſiſteret, venientes de Cenomannicorum vel (*id eſt, &*) Aurelianenſium regione Franci dum apud venerabile corpus pernoctare ſe ſimulâſſent, ejuſdem venerabilis Patris paritérque ejus germanæ venerandæ SCHOLASTICÆ oſſa auferentes, in ſuam patriam aſportaverunt: ubi ſingillatim duo Monaſteria in utriuſque honorem, B. Benedicti & S. Scholaſticæ, conſtructa ſunt. *Quid clarius Gallus quivis pro Floriacenſibus proferre potuiſſet? Mox conſequenter ſubjungit Paulus*: Sed certum eſt nobis os illud venerabile & omni nectare ſuavius, & oculos ſemper cæleſtia contuentes, cetera quoque membra quamvis in cinerem defluxa remanſiſſe. Solum etenim Dominicum corpus non vidit corruptionem: ceterùm omnium Sanctorum corpora in æternam poſtea gloriam reparanda, corruptioni ſubjecta ſunt, his exceptis quæ ob Divina miracula ſine labe ſervantur. *Piget refellere Lauretum hunc in locum multis cavillantem, quò Pauli ſui vel auctoritatem elevet, vel mentem in alienum ſenſum detorqueat. Vnum obſervamus, his verbis indefinitis*, circa hæc tempora, *aliiſque ſimilibus non annum aliquem à Paulo ſignanter exprimi, ſed tempus vagum & incertum, ut pluribus ipſius hiſtoriæ locis probare in promptu eſt. Pauli teſtimonio opponit Lauretus Leonis Marſicani interpretationem ex libro 2. Chronici Caſſin. cap. 44. in hæc verba*: Qui Pauli Diaconi veracis utique & inſignis Hiſtoriographi teſtimonio ſuper hoc ſe fulciri exiſtimant, noverint conſuetudinem hanc eſſe rerum geſtarum Scriptoribus, ut in narratione ſua opinionem vulgi ſequantur. *Mirum, ſi Leo ipſe hanc regulam in componenda Hiſtoria ſua ſecutus eſt: quod quidem credere fas ſit ea ex parte, qua corporis S. Benedicti Tranſlationem negat. Verùm abſit, ut Leonis effatum tribuatur Paulo, nedum aliis quibuſvis rerum ge-*

CIRC. AN. DC. LIII. JUL. XI. *ſtarum Scriptoribus, qui ſi vulgi rudis & imprudentis opinionem plerumque falſam ex* conſuetudine *ſequantur, nutabit omnis hiſtoriæ fides. Audi porro Angelum Nuceum in ea quam præfati ſumus Appendice in Paulum ita commentantem:* Mirum, *inquit*, videri queat, (quod notavit Lauretus) Pauli Warnefridi auctoritate adverſarios niti. *Immo mirum, Angele clariſſime, Caſſinates Pauli tam apertè pro Floriacenſibus pronuntiantis auctoritati non cedere atque ſubſcribere. Cur verò id mirum putas?* Cùm Paulus, *inquit*, poſtquam Tranſlationis ſeu ſurreptionis memoriam ſuis inſeruiſſet commentariis, continuò ſubdat: Sed certum nobis eſt, » os illud venerabile, & omni nectare ſuavius, & oculos ſemper cæleſtia contuen- » tes, cetera quoque membra (*nota, ait Angelus*) quamvis in cineres defluxa re- » manſiſſe. Quo verborum circuitu quis non videt Paulum planè corrigere ac refutare narrationem, quam ex aliorum utique monumentis (non enim ſuo ævo id accidiſſe refertur) priùs exſcripſerat. Et fortaſſe id ſcripſerat & vulgaverat, antequàm apud Caſſinates de rei veritate ſinceriùs edoceri potuiſſet. Unde id poſtea retractavit, ſubnectens certum ipſi & Caſinatibus fuiſſe, integrum Benedicti corpus Caſini remanſiſſe: quippe non cineres tantùm remanſiſſe ait, ſed os & oculos, & cetera, hoc eſt omnia membra. Non ergo ſurrepta. *Hæc Angeli Nucei verba, quorum hæc ſumma: Paulum* ex aliorũ monumentis *in Floriacenſium gratiam ſcripſiſſe, id quod* & ſuo ævo *non acciderat, & poſtea Monachus Caſſinas factus retractavit. Ergòne ea ſola in Paulo probanda, quæ ſuo ævo, ſuis oculis vel auribus hauſit? an Paulus apud Caſſinates ſinceriùs edoctus eſt, quàm* ex aliorum monumentis? *At Paulus, inquis, ſententiam retractavit. Ergo priùs pro Gallorum cauſa ſcripſerat, & in Italia ſcripſerat homo Italus, Gallis inimicus; & ex Italorum communi fama atque conſenſu ſcripſerat. Sed Caſſinas Monachus effectus, ut Caſſinatibus ſuis id moleſtè ferentibus ſeipſum probaret, priorem tantiſper ſententiam temperavit, neque enim (quod facile erat) expunxit omnino. Et id quidem permiſſum gratis: nam quiſquis nullo privato affectu ductus legit Paulum, eumdem utrobique ſibi conſtare, nec umquam de mutanda ſententia cogitâſſe intelligit. Paulus S. Benedicti* oſſa *Gallis concedit, ſed* membra in cineres defluxa *Caſſinatibus vindicat. Quæ membra?* os, oculos & cetera *id genus, id eſt carnea*, quamvis in cinerem defluxa. *Cetera, inquam, præter oſſa, quæ antè Gallis aſſignaverat. Quippe nulla Caſſinatibus membra concedit niſi* in cinerem defluxa. *Non ergo oſſa, quæ non facilè in cinerem reſolvuntur. Vnde cùm Paulus in lib. 6. cap. 40. ait Petronatem* ad ſacrum corpus B. P. Benedicti perveniſſe; *vel membra in pulverem ſoluta ſynecdochicòs intelligit, vel potiùs tumulum ipſum, eo loquendi modo figurato, quo continens pro re contenta accipitur. Verùm ita ſit, Paulus priorem ſententiam retractaverit: certè quæ membra dicit remanſiſſe Caſſini, ea* in cinerem defluxa *affirmat. Ergo fruſtra in Floriacenſes obtenditur Bulla Zachariæ Pontificis, qui* ea intemerata; *& Alexandri Papæ ſecundi, qui* ſanctiſſima corpora intemerata & indiminuta *ſe inveniſſe affirmant. Fruſtra in nos obtenditur hiſtoria Inventionis corporum SS. Benedicti & Scholaſticæ tempore ejuſdem Alexandri ſæculo* XI. *factæ, in qua* capita contra chorum, pedes contra altarium S. Johannis Baptiſtæ inventa *leguntur. Et porro vivebat Paulus poſt Zachariam. Quì igitur à Caſſinatibus edoctus eſt affirmare*, omnia S. Benedicti membra in cinerem defluxa *eſſe: ſiquidem Zachariæ Bulla vulgata ea* intemerata *nuper edixerat? Adeo verum eſt, Paulum Monachum Caſſinatem nullo partium ſtudio, ſed ea quæ probum Scriptorem decet ſinceritate, ſolidas S. Benedicti partes ſeu oſſa Francis adjudicâſſe, Caſſinenſibus fluxas & carneas in cineres redactas, quibus ablationem ſuam conſolentur. Denique certum eſt Paulum, non quidem ſæcularem, ſed jam Monachum, in ipſo Monaſterio Caſſinenſi ſcribendæ hiſtoriæ ſuæ dediſſe operam: quod patet, tum ex hoc loco ubi ait:* Sed certum eſt nobis os illud, *&c.* remanſiſſe, *tum ex lib. 1. cap. 26. ubi poſtquàm S. Benedictum, quem ſuum ipſius Patrem identidem appellat, pluribus commendavit, de Marco Poëta ac Monacho hæc ſcribit:* Huc autem, HOC EST IN CASSINI MONTEM perveniens, in magna ſe ſemper continentia coar-

tavit. Et hæc omnia ex Marci Poëtæ carmine ſumpſi, qui ad eumdem Patrem huc veniens, *&c. Et paucis interpoſitis*: Certum eſt hunc egregium Patrem vocatum cælitùs ob hoc AD HUNC FERTILEM LOCUM, ut HIC multorum Monachorum, ſicut & nunc Deo præſule facta eſt, congregatio fieret. *Hæc proculdubio ſciebat eruditiſſimus Abbas: ſed eo loco à nobis commemorari propter alios oportuit. Maneat ergo fixum Paulum non ex vulgi opinione, non ex ignoratione, ſed ex ſua & ſuorum Caſſinatium ſententia tum recepta locutum, dum Gallis oſſa S. Benedicti, Caſſinatibus cineres attribuit; nec umquam ſententiam retractaſſe.* CIRC. AN. DC. LIII. JUL. XI.

11. *Paulo ſuccedat* WANDALBERTUS *Diaconus ac Monachus Prumienſis, qui in Martyrologio ſuo ſic habet* V. *Idus Iulij*: SÆCULUM IX.

Tunc Beneventanis tranſlata è montibus almi
Buſta Patris BENEDICTI nunc Liger altus honorat.

Nec eſt quòd quis nobis objiciat, Vvandalbertum id ex vulgatis Adrevaldi libris bona fide accepiſſe: cùm Vvandalbertus ante Adrevaldum ſcripſerit Martyrologium ſuum, Lothario Imperatori poſt luſtra quinque *imperij, hoc eſt anno* DCCC. XLII. *nuncupatum. Vvandalberto licet adjicere* USUARDUM *&* ADONEM, *qui in omnibus exemplaribus, tam manu exaratis, quàm editis, S. Benedicti Tranſlationem eodem die celebrant: immo licet adjicere* HRABANUM *Maurum &* NOTKERUM *Balbulum ſæculi* IX. *homines Germanos & Monachos, alterum Fuldenſem, poſtea Epiſcopum Maguntinum; alterum Cœnobitam San-Gallenſem. Sed eos vitandæ prolixitatis gratiâ omittimus, ut Reginonis auctoritatem adducamus.*

12. REGINO *Abbas Prumienſis in Chronico quod ad annum uſque nongenteſimum octavum perduxit, ſic ad ann. 612. in rem noſtram loquitur*: Ega Majordomus cum Nanthilda Regina Regnum Cludevei adminiſtrat. Circa hæc tempora cùm in caſtro Caſſino vaſta ſolitudo exſiſteret, venientes de Cenomannicorum vel Aurelianenſium regione, venerabilis P. BENEDICTI ejúſque germanæ SCHOLASTICÆ corpora auferunt, & in ſuam patriam aſportant. Corpus S. Benedicti in territorio Aurelianenſi in Monaſterio quod vocatur Floriacus ſepultum eſt: porro S. Scholaſticæ in partibus Cenomannenſium religioſorum devotione conditum.

13. *Antequam ſæculum* IX. *claudamus, proferendum eſt illuſtre monumentum à nullo hactenus adductum, ſcilicet* JOHANNIS *Papæ* VIII. *teſtimonium in Synodo Tricaſina anno* DCCC. LXXVIII. *pronuntiatum, quod ex Iacobi Sirmondi Tomo 3. Concil. Gall. repetimus in hunc modum*: JOHANNES Epiſcopus ſervus ſervorum Dei omnibus Epiſcopis atque aliis Fidelibus per Galliam conſtitutis. Quoniam ex Apoſtolica ſucceſſione ſollicitudinẽ omnibus Eccleſiis debemus impendere; ſic cupimus generali conſulere neceſſitati, ut etiam quorumcumque ſingulares cauſas ſine faſtidio cognoſcamus. Igitur cùm propter multiplices Eccleſiæ Dei curas Gallicanam adeuntes regionem Trecas civitatem deveniſſemus anno Inc. Dominicæ DCCC. LXXVIII. & ad reſecanda quælibet inutilia vel ſtatuenda Eccleſiaſtica jura Synodum generalem plurimorum celebraremus Epiſcoporum; inter alia ſuggeſſit auctoritati noſtræ venerabilis partium veſtrarum Abbas nomine THEOTBERTUS ex Cœnobio quod vocatur Floriacus in pago Aurelianenſi, quòd idem Monaſterium quidam religioſus Abba, LEODEBODUS nomine, Monachis exſtruxerit in honore Dei & ſanctæ Genetricis MARIÆ, necnon B. Principis Apoſtolorum Petri; quòd revelatione Divina per Monachos ejuſdem loci à Beneventana provincia corpus illuc S. BENEDICTI pervenerit olim allatum, ibíque reverenter humatum, SICUT MANIFESTISSIMA CONSTAT VERITATE; & quòd propter ſtabilimentum Monaſticæ Religionis, piæ memoriæ glorioſus Imperator Carolus per Præceptum ſuæ auctoritatis eidem loco res denominatas delegaverit.... Nunc verò tam ſeipſum quàm unanimem Congregationem ſibi commiſſam humiliter poſtulare, quamvis Privilegia multorum meruerint Epiſcoporum, ad reprimendam quorumlibet inlicitam cupiditatem, ut ſuper Abbate Regulari eis eligendo etiam noſtræ auctoritatis Privilegia conſequan- *Annales Metenſes & Baronius meminerunt iſtius Concilii ad hunc annum.*

CIRC. AN. DC. LIII. JUL. XI.

tur. Quocirca nos, *&c.* Data Nonis Novemb. per manum Walberti humillimi Epiſcopi ſanctæ Portuenſis Eccleſiæ, anno Deo propitio Pontificatûs domini noſtri Johannis Summi Pontificis & univerſalis Papæ in ſacratiſſima Sede B. Petri Apoſtoli ſexto, Indict. XI. *Hic exponit Theotbertus Abbas Iohanni Pontici Romano, immo toti Synodo Trecenſi, corpus S. Benedicti* revelatione Divina per Monachos *Floriacenſes* ex Beneventana provincia *in Cœnobium ſuum fuiſſe delatum. Cui reponit Pontifex*, id manifeſtiſſima conſtare veritate. *Non ergo tum S. Benedicti Tranſlatio vocabatur in dubium, ſed pro* manifeſtiſſima veritate *habebatur. Cur ergo tam* manifeſta veritas *hodie obſcuratur? Si quis verò hæc poſtrema verba non à Pontifice, ſed à Theotberto prolata præfractè contendere velit, (quamquam orationis contextus contrarium ſuadere videtur,) ſaltem Romanus Antiſtes ſilentio ſuo Floriacenſibus favet, & ita favet, ut illis hac præcipuè ductus ratione, quòd S. Benedicti corpus haberent, Privilegio conſultum velit. Quanta denique Theotberti impudentia & imprudentia fuiſſet, Papæ in frequenti multorum Epiſcoporum etiam Italorum conſeſſu audacter aſſerere, Corpus S. Benedicti in ſuo Monaſterio* ex manifeſtiſſima veritate *adſervari, ob idque Privilegium expetere, ſi tunc temporis lis & controverſia ea de re fuiſſet? An non meritò reformidare debuiſſet, ne Privilegij loco pœnam perpetrati mendacij ſeu temerariæ aſſertionis referret à Pontifice, quem Caſſinatibus faventiorem fore non ignorabat? Verùm his omiſſis aliiſque non paucis, putà* THEODULFI *Aurelianenſis Epiſcopi in Carmine ad Floriacenſes teſtimonio, ad ſæculi decimi Auctores nos convertamus.*

SÆCULUM X.

14. *Ex ſæculo* X. *cùm plures pro Floriacenſibus teſtes adducere poſſimus, S.* ODONEM *Abbatem Cluniacenſem, Scriptorem Vitæ S. Deicoli in Prologo ſecundo apud Bollandum ad 18. Ianuarij, aliòſque; Auctores dumtaxat duos* FRODOARDUM *Canonicum Remenſem, &* JOHANNEM *Italum ac Monachum Cluniacenſem interrogabimus. Frodoardus præter hiſtoriam Remenſis Eccleſiæ ſcripſit libros quatuordecim, ſeu (ut alij volunt) quindecim de variis Sanctis hactenus ineditos, quos magna ex parte Mſ. codex RR. PP. Carmelitarum Excalceatorum apud Pariſios nobis communicatus repræſentat. In libri 13. Carmine 8. Frodoardus S. Benedicti Vitam prout à Gregorio Magno deſcripta eſt verſibus reddit, & in fine Tranſlationem ſic commemorat:*

Pignera delubro data quo depulſus Apollo,
Egregium celebri promunt victore triumphum.
Quæ monitus transfert AIGULFI MUMMOLUS actu
Hac de re miſſi: ſuperæ qui lucis honorem
Dum ſervare calet, per opaca ſilentia noctis
Munera conſequitur longo quæſita labore.
Eripit, attollit, germanáque pignera junctis
Complicibus confert: ſimul hæc ad munia divo
Legati juſſu properant, & ad extima tendunt
Auſoniæ ſola: dum Papæ revocare ſuaſi
Sectantur cunei Chriſto duce rapta talenta.
Quíque tegit famulos, obcæcat amara frementes,
Ne coràm poſitos valeant ſpectare petitos;
Raptim ferre jubet gazas ſeſe auſpice ſumptas,
Dátque videre hoſtem, nec poſſe viderier hoſti.
Numine ſic tuti, tollunt data præmia læti,
Prædictis quæ rapta Deo cenſente ruïnis
Prodita reſplendent Francis, ſimul oſſa ſororis,
Gallorum crebris urbes decorantia ſignis.

Breviùs, at non obſcuriùs eamdem Tranſlationem ſignat JOHANNES *Monachus Cluniacenſis, homo utique Italus, qui in Magiſtri ſui S. Odonis Abbatis Cluniacenſis Vita lib. 3. cap. 13. hæc habet*: Alio item tempore, appropinquante die feſto B. BENEDICTI complacuit Patri noſtro (*Odoni*) ex quodam Monaſterio

quo tunc erat, ad prædictum proficiſci Cœnobium *(Floriacenſe)* quatenus ANTE CORPUS B. VIRI nocturnas devotè excubias celebraret : quod & fecit. *Hæc commentario non egent.* CIRC. AN. DC. LIII. JULII XI.

15. *Iam pervenimus ad illud ſæculum, quo S. Benedicti Inventio corporis in Monte Caſſino facta dicitur. Opponere poſſemus* SIGEBERTUM *Monachum Gemblacenſem in Chron. ad ann. 753. qui Sigebertus anno* M. C. XII. *Chronicon ſimúlque Vitam abſolvit ;* ORDERICUM *Vitalem Anglum in lib. 4. Hiſt. Eccleſ. quam ad annum* M. C. XXXVIII. *perſecutus eſt;* SYMEONEM *Dunelmenſem, qui circa medium ſæculi* XII. *vixit, in Hiſt. de Geſt. Reg. Angl. ad ann. 881. Scriptorem Vitæ S. Oſwaldi, anno circà* M. C. LXX. *exaratæ ;* MATTHÆUM *Monachum Vveſtmonaſterienſem ſæculi tertij decimi ſcriptorem ad ann. 748. denique S.* ANTONINUM *Florentinum in Hiſt. parte 2. tit. 13. §. 32. &* PETRUM *Equilinum in Catal. Sanctor. lib. 6. cap. 81. utrumque Italum. At non eſt quòd longiùs funem ducamus : cùm Leoni Marſicano nubem teſtium graviſſimorum ipſo antiquiorum oppoſuerimus.* SÆCULUM XI. &c.

16. *Nec tamen prætermittere poſſumus Eccleſiæ Cantuarienſis morem, quæ ſæculo* XI. *Tranſlationem S. Benedicti* V. *Idus Iulias celebrabat. Id conſtat ex* LANFRANCI *Archiepiſcopi Decretis cap. 1. ſect. 8. ubi inter* feſtivitates præcipuas ſecundæ claſſis, *poſt feſtum quod* Paſſio SS. Apoſtolorum Petri & Pauli *dicitur,* TRANSLATIO S. BENEDICTI *recenſetur. Et ne quis hujuſce argumenti vim eludere cogitet, iſtius celebritatis rationem exponit Ordericus Vitalis, homo Anglus, in lib. 4. Hiſt. Eccl. his verbis :* Dum præfata deſolatio duraret, & Caſſinus mons cultoribus careret; Floriacenſis domus volente Deo ditata eſt præcipuo corpore præcipui P. BENEDICTI, cujus Tranſlationem Ciſalpini Cœnobitiæ ſingulis annis ſollemniter & devotè celebrant v. Idus Julij. *Luculentum eſt imprimis ea de re teſtimonium S.* VDALRICI ex illuſtri proſapia Baioariorum Ratiſponæ civitatis, *Monachi Cluniacenſis, qui cùm labente ſæculo* XI. Conſuetudinum Cluniacenſium libros tres WILLELMO *Hirſaugienſi Abbati nuncuparet, libri 1. caput 34. totum* de Tranſlatione S. Patris Benedicti *inſtituit, exorſus hoc modo :* Depoſitio Præceptoris noſtri S. BENEDICTI cùm ſit in Quadrageſima, non eſt opportunum propter ipſam ut cum Octavis celebretur. Propterea quod ea vice non bene poſſumus, in ejus Tranſlatione faciamus, & illam celebremus cum Octavis : de qua qualiter facta fuerit, vel cujuſmodi perſona in Gallias ſacroſancta attulerit oſſa, manifeſto litterarum teſtimonio non caremus. *Hinc apparet verum eſſe id quod Rodulfus Tortarius Monachus Floriacenſis ſæculo* XI. *aſſerit in lib. Mirac. S. Bened. cap. 32.* Tranſlatio ejuſdem glorioſi Patris non modò apud Gallos, ſed etiam apud complures nationes celebriter recolitur. *Quod quidem Rodulfi teſtimonium in tranſcurſu dumtaxat relatum volumus. Huc ſpectat præclarus Hymnus quem* PETRUS *Mauricius, Venerabilis dictus, de eadem Tranſlatione compoſuit. Et tamen Petrus & Ordericus ſupervixere Vrbano Papæ II. cujus Bulla circumfertur adverſus eos, qui hunc diem feſtum eſſent celebraturi. Quæ Bulla Vrbani ipſius tempore ignota, non paucos hoc noſtro ævo ab iſtius celebritatis obſervatione deterruit : tametſi plures Eccleſiæ Cathedrales, Gallicanæ quidem pænè omnes, Lugdunenſis Galliæ Metropoles quatuor cum ſuis Provincialibus Eccleſiis pleriſque, & cum ſuis Remorum Metropolis ac Veſontionenſis, tum etiam Narbonenſis & Auſcitana ; Mediolanenſis Eccleſia in Italia ; Toletana & Cordubenſis in Hiſpania præter Congregationem Valliſoletanam ; Salizburgenſis & Curienſis aliæque Eccleſiæ in Germania, antiquum morem retinuerunt.*

17. *Ad hæc teſtimonia reponere non poterit (ut credimus) Matthæus Lauretus, ſeu quivis alius, id quod ad Iohannis Boſcij argumenta reſpondit in Parte 1. cap. 39.* ea omnia teſtimonia eſſe Gallorum hominum, qui facilè pro patria teſtimonium dixerint. *Paucos enim Gallos Auctores, nullos domeſticos ſeu Floriacenſes de induſtria protulimus, ut Laureto inſitiandi viam occluderemus. Si ergo non credit Gallis, credat ſaltem externis, Hiſpanis, Anglis, Germanis, Italis, immò & Caſſinatibus Scriptoribus, qui ſimul traditione perpetua ad noſtrum uſque ſæculum propagatà jus Floriacenſium noſtrorum confirmant.*

CIRC. AN. DC. LIII. JULII XI.

§. II. An S. Benedicti Reliquiæ è Gallia in Italiam relatæ?

18. *Iam primum hujuſce controverſiæ caput exſecutis, diſcutiendum eſſet, an corpus S. Benedicti ſemel in Galliam allatum, poſtea in Caſſinum montem relatum ſit. At cùm Vvionis ſententiam utrumque affirmantis, Antonio Yepezio probatam, unà cum Pſeudo-Anaſtaſij fabula reſpuant Caſſinates; huic facili negotio refutandæ non immoramur: cùm ea quæ ex Paulo Vvarnefrido aliiſque Auctoribus Carolomanno poſterioribus ſuprà congeſſimus, Relationem illam manifeſtè proſcribant. Certè ſive Carolomannus per ſeipſum S. Benedicti Reliquias in Caſſinum reducere tentaverit, uti Adrevaldus in ſequenti libro Mirac. cap. 15. & 16. docet; ſive per Legatos id molitus ſit, quemadmodum ſentit Auctor anonymus, qui Geſta Epiſcoporum Rotomagenſium uſque ad Iohannem ſecundum ex Abrincatenſi Epiſcopo Rotomagenſem Archipræſulem anno 1070. creatum compoſuit: ſive id Zacharia Summo Pontifice, ſive Stephano tertio tentatum; conſtat id nutu Divino impeditum fuiſſe. De Carolomanni adventu in Gallias ſemel ſcripſit Herkempertus Monachus Caſſinenſis ſeu Theanenſis, qui ſub finem ſæculi* IX. *vivebat. Sic enim in Epitome de Geſtis Principum Benevent. ad ann. 755. loquitur:* Poſthæc Aiſtulfus ſacramento dirupto nihil de rebus & ſtatutis adimplere voluit. Cùm enim ſupradictus Papa (*Stephanus*) *in* Gallia degeret, Aiſtulfus Carolomannum germanum Pippini, quem ſuperiùs Monachum memoratus ſum, ad Galliam miſit adverſari parti Reip. qui retentus illic à fratre vitam finivit, (*nimirum Viennæ, ut Eginhardi Annales anno 755. tradunt*) cujus in locello aureo corpus ab eodem germano cum aliis muneribus ad dictum Monaſterium in Caſſino remiſſum eſt. *Hìc locus erat, ſive ubilibet aliàs, commemorandæ Relationis, ſiquidem eam agnoviſſet Herkempertus.*

19. *Nec minoris eſt momenti auctoritas Notkeri Balbuli Monachi Gallenſis, qui anno Chriſti nongenteſimo duodecimo deceſſiſſe apud Hepidannum legitur. Is in Martyrologio ſuo ad* v. *Id. Iulij*, poſtquam *Caſſinenſe* Monaſterium vaſtatum, & *S.* BENEDICTI Corpus Religioſis quibuſdam Domino revelante repertum & in Gallias tranſlatum, atque in territorio Aurelianenſi Monaſterio quod vocatur Floriacum dignè ſepultum, & multo digniùs frequentatione devotorum jugiter honoratum *dixit*; tranſlata etiam pariter oſſa B. Scholaſticæ Virginis, atque in partibus Cenomanenſium Religioſorum devotione condita; *paucis intermiſſis ſubjungit*: Sed non diu locus ille (*Caſinas*) Sanctorum Reliquiis honorabilis à Fidelium conventu manſit inanis. Nam Fratres qui hoſtium (*Langobardorum*) manus effugere potuerunt, iteratò in unum conglobati, SACROS CINERES, ſeipſos jam cautiùs agentes, ſatis religiosè curârunt: donec NUPER infeſtatione Saracenorum in omnem ventum diſperſi ſunt. *Hæc iterata Caſinatium Monachorum diſperſio, & Caſinenſis per Saracenos clades altera, contigiſſe anno* DCCC. XXCIV. *tum in Herkemperti mox laudati Epitome, tum in Leonis Marſicani Chronico Caſin. lib. 2. cap. 51. dicuntur. A tempore Tranſlationis corporis S. Benedicti in Galliam ad illum annum Caſſinates S. Benedicti dumtaxat* cineres ſacros *habuerunt teſte Notkero, qui* nuper, *hoc eſt ante paucos quàm hæc ſcriberet annos, Saracenorum impreſſionem accidiſſe probat. Non ergo Carolomannus S. Benedicti oſſa è Gallia in Italiam revexerat.*

20. *Quis ergo, inquis, fictitiæ illius Relationis auctor eſt, ſi non Anaſtaſius Bibliothecarius? Iſtud ſanè aliis definiendum relinquimus. Quamquam ſi quis attentè rem perpendat, in illa narratione quædam cum Petri Diaconi ac Bibliothecarij Caſſinenſis ſtilo, ætate & genio convenire advertet. Petrus in Sermone de Inventione Corporis S. Benedicti ait*, ſepulturas duas inventas, in quibus hoc ordine Reliquiæ poſitæ erant. Loculus erat marmoreus in dextram partem ſepulcrorum longitudinis quatuor pedum, & latitudinis pænè duorum, in quo oſſa ſanctiſſimi Benedicti & Sororis ejus poſita erant. *Vno eodemque funiculo, iiſdémque verbis uſus eſt Pſeudo-Anaſtaſius, dum dicit in hiſtoria vulgata Relationis*: Poſuerunt in dexteram partem

partem ſepulcrorum loculum marmoreum quatuor pedum longitudinis, latitudinis verò pænè duorum, in quo oſſa S. P. Benedicti ejúſque ſororis, quæ de Neuſtro Franciæ advecta fuerant, cum aliis oſſibus ibi inventis recondiderunt. *Addit Anaſtaſius perſonatus*: Recondiderunt autem eos ita: Capita eorum contra chorum, pedes contra altare S. Johannis Baptiſtæ ponentes. *Et Petrus Serm. de Invent.* Poſiti autem fuerant ita: Capita eorum contra chorum, pedes contra altare S. Baptiſtæ Johannis habentes. *Quis utraque ab eodem calamo profecta non ſuſpicetur? Denique dum aretalogus ille Anaſtaſius* Lotharingorum exercitum *à Carolomanno conductum fingit ad recuperandas S. Benedicti Reliquias; tempus denotat non multùm à Petri ætate remotum: ſiquidem Lotharingi ſæculo decimo primùm audiri cœperunt. Ceterùm conjecturas noſtras aliis proponere, non approbare eſt animus, Lectoribus æquis judicio permiſſo. Valeat proinde Pſeudo-Anaſtaſij qualiſcumque fabula de Relatione Corporis S. Benedicti in Italiam: cui fabulæ Antonium Yepezium ac Vvionem nimia facilitate adquieviſſe, Caſſinates verò ipſos adverſari compertum eſt.* CIRC. AN. DC. LIII. JULII XI.

§. III. Hiſtoria Inventionis Corporis S. Benedicti à Caſſinatibus objecta examinatur.

21. *Caſſinates noſtri in ſuo jure propugnando præcipuè nituntur* hiſtoriâ Inventionis Corporis S. BENEDICTI, *quam Leo Marſicanus in Chron. Caſſin. lib. 3. cap. 28. & Petrus Diaconus in Sermone ea de re compoſito, alter vertente ſæculo undecimo; alter duodecimo ineunte, uterque Monachus Caſſinenſis ſcriptam tradiderunt. His auctoribus Menardus noſtras in lib. 1. Obſerv. in Martyrol. Bened. ad 21. Martij feciſſe ſatis videbatur, & ea qua præditus erat tum modeſtia tum eruditione, Leonis & Petri pugnantes ſecum narrationes, ſuſpectas demonſtraverat. Et tamen V. C. Angelus Nuceus nunc Abbas Caſſinenſis in ſua ad Chronicon Caſſin. Appendice ſecunda ſeu* Excurſu hiſtorico, *hoc unum agit* bonæ cauſæ fiduciâ *fretus, ut* Menardi acrimoniam ſi fieri queat demulceat, *eúmque &* ridiculè *&* inhoneſtè cavillari *arguit. Quid dicturus erat vir æquiſſimus, ſi Menardus Matthæi Laureti conviciis & calumniis, quæ ejus libri* de exiſtentia corporis S. Benedicti *non minima pars eſt, ex æquo reſpondiſſet? Quale enim illud eſt,* militarem, ſeu potiùs feralem & indiſciplinatam diſciplinam *Floriacenſibus, adeóque* ipſam S. Abbonis Abbatis Floriacenſis necem *per cæcam & intolerandam calumniam imputare? Et tamen Laureti librum tamquam cauſæ ſuæ ineluctabile præſidium probat eruditiſſimus Abbas; non convicia, ut de viri humanitate ſentire par eſt. Verùm querelas non adverſus Caſſinates, ſed apud ipſos deponere eſt animus. Ad rem accedamus.*

22. *Agebatur annus ſexageſimus quintus ſupra milleſimum, quum teſte Anonymo Caſſinenſi in Chronico* Domnus DESIDERIUS Abbas cœpit ædificare Eccleſiam S. Benedicti in Monte Caſſinenſi. *Et anno* M. LXXI. Eccleſia nova S. Benedicti dedicata eſt ab Alexandro Papa die Kalendarum Octobrium cum quinque altaribus ſanctis: *qui* Alexander Papa II. anno inſequenti defungitur. *Baſilicæ primordia fusè deſcribit & ad annum* M. LXVI. *revocat Leo Marſicanus, qui jubente Oderiſio Abbate Deſiderii ſucceſſore Chronicon ſui Monaſterii libris tribus à temporibus S. Benedicti uſque ad Deſiderium Abbatem, qui poſteà Victor Papa Tertius fuit, continuavit, & anno* M. C. XV. *deceſſiſſe videtur. Sic igitur in lib. 3. cap. 28. poſt multa habet:* Aditum interea cùm planitici Baſilicæ, quæ cubitorum fermè ſex putabatur, conſequenter diſponeret coæquare, tres non integras ulnas fodiens, ſubitò B. Patris venerabilem tumulum reperit: móxque cum religioſis viris communicato conſilio ne illum aliquatenus mutare præſumeret, confeſtim ne quis aliquid de tanto poſſet theſauro ſurripere, eumdem tumulum eodem quo ſitus fuerat loco pretioſíſque lapidibus reoperuit, ac deſuper arcam de pario marmore in transverſum Baſilicæ, id eſt à Sep- Inventionis hiſtoria.

CIRC. AN. DC. LIII. JUL. XI. temtrione in Meridiem quinque per longum cubitis opere nimis pulcro conſtruxit. *Tria hoc loco aſſerit Leo, inventum S. Benedicti Tumulum, at loco non motum reverentiæ causâ, & lapillis ac pario marmore reopertum*, ne quis aliquid de tanto poſſet theſauro ſurripere. *Hinc colligit Menardus, Tumulum non fuiſſe reſeratum, ſed mox ut inventus eſt* lapillis & pario lapide reopertum. *Nec eſt quòd Menardum rideat Angelus Nuceus, cùm cauſam facti pro Menardo afferat Leo*, ne quis aliquid de tanto poſſet theſauro ſurripere.

23. *At, inquit Angelus*, quod non ſcripſit compendiſior Leo, Petrus copiosè deſcripſit. *Bene. Petrum ergo audiamus.* Eo tempore quo Abbas DESIDERIUS ejuſdem Eccleſiæ ſpeculam renovabat, cùm tres non integras ulnas fodiſſet, die Octavarum ejuſdem Sanctiſſimi Patris ſubitò ignorantibus cunctis ſepulcrum invenitur, in quo tanti Patris conditus retinebatur Theſaurus. Statim terræ motus factus eſt magnus, odoris quoque exſtitit tanta ſuavitas, ut omnes ſimul maximo pavore ſtuperent. Mons etiam totus ab imo uſque ad ſummum quatiebatur: decem namque & ſeptem vicibus eo die à terræ motu concuſſus eſt. Super ſepulcra quoque in dextro latere altaris laterem reperiunt, nomen ejuſdem Confeſſoris continentem. Sanatus eſt ibi eodem die quidam dæmoniacus.... Adveſperaſcente verò die à venerabili Patre Deſiderio deputati ſunt quamplurimi Fratres, qui vigilias tota nocte juxta Sanctiſſimi Benedicti corpus celebrarent. Cúmque omnes alii egreſſi fuiſſent, GEORGIUS ejuſdem Eccleſiæ Paramonarius (*id eſt Ædituus*) dixit: Si vobis æquum videtur, ſacratas Reliquias antequam Domnus Abbas veniat inſpiciamus. Quod dictum dum placuiſſet omnibus, accedentes ad locum, invenerunt ſupra ſepulcra ſindonem expanſam candidiſſimam, quæ dum tangebatur evaneſcebat. Levantes autem lapidem, invenerunt duas ſepulturas, in quibus hoc ordine Reliquiæ poſitæ erant: Capita eorum contra chorum, pedes contra altarium S. Johannis Baptiſtæ habentes... Supradictus autem Georgius corpora tantorum Sanctorum ut vidit, gaviſus eſt gaudio magno, illíncque dentem unum Sanctiſſimi Patris auferens & in vaſe argenteo ponens, ad ſtratum proprium rediit. Statim autem tam diriſſima infirmitate percuſſus eſt, quòd nec comedere, nec bibere, nec etiam ſedere aliquatenus poſſet. *Sed* pœnitentiâ ductus, dentem quem abſtulerat unà cum vaſe argenteo juxta ſanctum corpus poſuit, & ſtatim ſanus factus eſt. *Refert deinde Petrus viſionem cujuſdam Monachi, qui eo die Deiparam & Apoſtolos ad Inventionis celebritatem accedentes vidit. Addit Bulla vulgata Alexandri ſecundi, Nuntios Apoſtolicæ Sedis ad iſtud ſpectaculum invitatos à Deſiderio, qui* pretioſiſſima corpora intemerata & indiminuta *eis oſtenderit. Qui hanc Petri narrationem legerit, mirabitur ſine dubio inſignem hiſtoriam à Leone tam leviter fuiſſe delibatam, omiſſis tot rebus ac circumſtantiis, quibus Petrus eam auxit.*

Examinatur. 24. *Antequàm Petrum diſcutiamus, juvat nonnulla obſervare in ipſius verba, dum ait*, ſubitò ignorantibus cunctis *S. Patris Benedicti* ſepulcrum inventum. *Ignotum ergo fuerat eatenus S. Benedicti ſepulcrum, & ab inopinantibus, immò nec quærentibus inventum. Et tamen Caſſinates dum S. Aigulfi factum refellere volunt, aiunt nuſquam Caſſinates aliquos ſacri Tumuli cuſtodiæ defuiſſe, ſemper excubitores illi perpetuos adhæſiſſe, uſquedum à Petronace Monaſterium Caſſinenſe inſtaurareitur. Qui ergo fieri potuit, ut ſepulcri locus à poſteris ignoratus ſit, cùm à Petronacis reſtitutione Monaſterium Caſſinenſe ſemper integrum ſteterit ad annum* DCCC. XXCIV. *quo cæſo S. Bertharío Abbate, fugatis Monachis, Cœnobium à Saracenis everſum per annos duos & viginti manſit, & deſtitutum quidem* juſta Congregatione, *(uti Angelus Nuceus in Chron. Caſſin. lib. 2 cap. 51. commentatur)* non penitùs aliquibus excubitoribus. *Aut ſi temporum iniquitate ſacer Tumulus obſcuratus eſt, cur de eo inveſtigando ne cogitaverunt quidem, donec* ſubitò ignorantibus cunctis *inventus eſt? Quis non videt, Caſſinates de requirendo S. Patris ſepulcro ad illud uſque tempus ideo non fuiſſe ſollicitos, quòd*

ſacras Reliquias in Galliam aſportatas eſſe haberent perſuaſum, nec niſi vacuum cenotaphium penes ſe remanere exiſtimarent? Sed hæc minutiora ſunt, ad majora veniamus. CIRC. AN. DC. LIII. JULII. XI.

25. *Petrum multa Leoni addidiſſe legimus, eáque Caſſinates incunctanter credi volunt. Videamus an tanti nobis eſſe debeat Petri auctoritas, ut ei nullo facto examine aſſentiri debeamus. Et ne Caſſinatibus noſtris iniquiores eſſe videamur, diſcamus ab Angelo Nuceo Abbate Caſſinate, quid ipſe de Petri genio ſentiat.* Quanti in litteris habendus ſit Petrus, *inquit in Notis ad Prolog. lib. 4. Chron. Caſſin.* dicere nihil attinet. Scriptura, imago & vultus mentis eſt. Multa ſcripſit, ſed ſine delectu & ſine criſi. Vivido ſiquidem fuit ingenio, properantis tamen ac ſubinde præcipitis interdum judicii. *En Petri iconem, qualem equidem exprimere nullus è noſtris auſus eſſet, nec forſitan feciſſet impunè. Viderit, quâ* bonæ cauſæ fiduciâ, *Petri* hominis præcipitis ac properantis judicii *narrationem à Leone utique anteriori diſcrepantem à nobis veluti oraculum admitti jubet. Si lubet de Petro benigniorem ferre ſententiam, non id quidem ægrè feremus: nec ab eo recederemus, niſi ipſe recederet à Leone, qui ad prædictæ Inventionis tempus propiùs accedit. Petrus quippe eo tempore cœpit ſcribere, quo Leo vivendi finem fecit. Cur verò Petro haud adquieſcamus, paucis accipe.*

26. *Non ſolùm Anonymus Caſſinenſis in Chronico brevi ad annum 1194. perducto nullam iſtius Inventionis aut miraculorum à Petro deſcriptorum mentionem facit, ut ſuperiùs vidimus; ſed nec* DESIDERIUS *ipſe Abbas Caſſinenſis, quo agente S. Benedicti Baſilica ædificata eſt. Is ex libris quatuor Dialogorum priores duos* de miraculis ſuo tempore apud Caſinum factis *inſcripſit, ſic* ad Theophilum Interlocutorem *primi libri initio præfatus*: Primùm quidem voluntati tuæ favens, quæ in hoc noſtro Cœnobio facta ſunt, duobus comprehendam libellis: dein cetera quæ ex aliis partibus vel audiſſe vel vidiſſe contigerit, aliis duobus libellis concludere vita comite ſtudebo. *Et rurſus principio libri 2.* Præmiſſo utcumque primo (ut promiſeramus) libello, nunc ſecundum Deo auxiliante ſcribere aggrediar, in quo cetera quæ ſuperſunt in hoc Monaſterio vel à Monachis hujus ſacri Cœnobii ubicumque Divina largiente clementia his temporibus facta miracula, quæ noſtræ occurrunt memoriæ conabor concludere. *Ergòne Deſiderio memoriâ excidere umquam potuerunt tot prodigia, à Petro Diacono ſuperiùs relata*, inventum S. Benedicti ſepulcrum, terræ motus ſeptieſdecies *ipſo die factus*, odoris mira ſuavitas *diffuſa*, dæmoniacus curatus, Georgius *ob dentem ſublatum* infirmitate percuſſus *& poſtea* ſanatus, *viſio Monachi* de adventu Deiparæ & Apoſtolorum *ad Inventionis celebritatem, aliáque non pauca, quæ libro integro ſufficere potuerunt? Et nihilominus Deſiderius de illis omnibus ne verbum quidem ſcribit. Neque dicas, Libros Dialogorum ante illam Inventionem à Deſiderio dictatos fuiſſe. Id namque manifeſtè revincitur ex libro 1. ubi de Alexandro Papa circa medium agens,* Alexandrum felicis memoriæ *appellat: quinetiam Gregorii VII. qui Alexandro ſucceſſit, non ſemel in libro 3. meminit. Quid quòd de Georgio ſeu Gregorio Manſionario, id eſt Eccleſiæ cuſtode, hoc eodem libro eadem miracula de lampadibus illæſis facta, quæ à Petro Diacono in ſermone de Inventione referuntur, commemorat, nec tamen prædictam Tumuli reſerationem aut dentis avulſionem eidem Georgio tribuit, certè nec leviter attingit. Denique Deſiderius ipſe ter in libro 2.* ſepulcrum S. Benedicti *nominat, nec Inventionem illam ullatenus deſignat. Quid ergo? Fictitiam dicemus Tumuli Inventionem, miracula ſuppoſititia? Abſit, ut viris religioſiſsimis & colendiſsimis Patribus ac Fatribus id convicii impingamus. Concedimus Tumuli* cujuſdam *Inventionem Abbate Deſiderio factam, etiam Tumulum fortaſſe reſeratum, ac S. Benedicti creditum fuiſſe, ex meris conjecturis, nulla id teſtificante ſcriptura. Hinc eſt, quòd Deſiderius rem ſiluit prudens, & incertam reliquit: & ſiquidem Tumulum inventum reſeravit, non produxit Reliquias è tumulo, ne Religioni non ſatis conſulere videretur. Deinde veriſimile eſt, piam hanc de S. Benedicti invento Tumulo credulitatem cum miraculis quibuſdam ex relatione incerta propagatam: quæ omnia Petrus nimia facilitate ſcriptis com-*

CIRC. AN. DC. LIII. JULII XI.

mendaverit. Ceterùm cùm Deſiderius ait, quempiam acceſsiſſe ad ſepulcrum S. Benedicti, *tantumdem ſonat, atque* ad limina S. Benedicti, ad Baſilicam, *in quâ S. Benedictus primitùs ſepultus fuit*; ad ipſum cenotaphii locum, *quod* ad dexteram altaris *locat*: *quemadmodum etiam nunc Galli noſtrates dicuntur proficiſci* ad Tumulum S. Martini, *cujus Reliquiæ ab Hæreticis in favillas redactæ ſunt.*

27. *Certè Oderiſius Deſiderii ſucceſſor in Epiſtolâ ad Floriacenſes ad ineundam cum ipſis ſocietatem miſsâ, nonnihil prædictæ Inventioni favere videtur: nec tamen Floriacenſes jure ſuo continuò deturbat, ſed litem quaſi dubiam & pendentem relinquit iis ſanè verbis, quæ ob viri modeſtiam prætermittere non licet.* Nos, *inquit*, ex magna devotione & ſincera caritate decrevimus familiariter ſcribere Sanctitati veſtræ; ut veſtrum & noſtrum quaſi unum ſit Monaſterium, & quodam ſpirituali atque inviolabili amore in perpetuum fœderemur. Siquidem certa etiam & digna ratio eſt, ut veſtræ & noſtræ Fraternitatis Conventus alterutrum ſe præ ceteris diligant, qui pari gaudio habere ſe incomparabilem Theſaurum Reliquiarum P. BENEDICTI exſultant: licet à nobis haberi multis miraculis & prodigiis ac revelationibus ac quorumdam etiam noſtrûm oculis ſit veritas comprobata. Verùm ſive illud habere vos quælibet occaſio fecerit, ſive quid illius gratulanter ſperatis; ſingularis utrique invicem nobis & præcipui debitores ſumus amoris. *Tantùm abeſt, ut vir æquiſsimus contentionis ac rixarum fomenta ex præſumpta utriuſque partis poſſeſsione excitari velit, quin potiùs amoris ac caritatis mutuæ incentiva inde adſumit. Cui exemplo utinam & Caſsinates noſtri & noſipſi pariter conformemur! Oderiſium inſpiciamus. Miracula, prodigia ac revelationes, quibus S. Benedicti præſentiam corporis apud Caſsinum obiter probat, deſcribuntur in Chronico Caſsinenſi ac in Petri Diac. Sermone de Inventione S. Benedicti. Sic in Chron. lib. 2. cap. 43. Henricus II. Imperator per S. Benedictum ab ili dolore ſanatus, de ſacri corporis præſentia certior factus dicitur, cùm antea hac de re dubitaret: ſicut & Adam Monachus Caſsinenſis in ejuſdem libri cap. 47. Quod utrumque mirum eſt prætermiſſum eſſe à Deſiderio, qui tamen aliam ejuſdem Adæ de SS. Protho & Hyacintho viſionem, Leoni Abbati S. Pauli pariter recitatam, in fine libri 2. Dial. memorat. At quod adjicit Oderiſius*, quorumdam etiam *ſuorum* oculis veritatem comprobatam; *fortè id intelligit de viſionibus memoratis aliiſque ſimilibus: quæ nec nobis etiam deſunt, nec rei evincendæ ſufficiunt. Unde Oderiſius argumenta à ſe allata non ejus putat eſſe conditionis ac roboris, ut Floriacenſium jus & cauſam evertant, ſed quæſtionem in ancipiti dimiſit*: Sive illud, *inquit*, habere vos quælibet occaſio fecerit, ſive quid illius gratulanter ſperatis; ſingularis utrique invicem nobis & præcipui debitores ſumus amoris. *Si quis tamen exigat, Oderiſium de Tumulo ac Corpore S. Benedicti interpretandum eſſe in hæc verba*, quorumdam etiam noſtrûm oculis veritas comprobata *eſt; ediſſerat nobis, cur ſeipſum inter illos teſtes non numeret? Quippe Oderiſius Monachum induit Caſſini ſub Richerio Abbate (ut conſtat ex Chronici Caſſin. lib. 4. cap. 1.) longè ante Inventionem à Leone & Petro deſcriptam: quæ ſi tot prodigiis celebrata eſt, cur Oderiſius illius particeps non fuit? Aut ſi fuit, cur Reliquias ſacras ſuis oculis viſas non dixit? Sanè longè validius foret ipſius argumentum, ſi non ſolùm* quorumdam *è ſuis, ſed ſuis ipſius* oculis veritatem comprobatam *aſſereret. De Oderiſio ſatis.*

28. *Opponunt nobis ex Baronio Romanorum Pontificum Leonis IX. Alexandri II. Gregorij VII. Vrbani II. Imperatoris Henrici II. aliorúmque peregrinationes Caſſinum factas, curationes & miracula inibi perpetrata. Sed nos SS. Adalberti Pragenſis, Oſwaldi Eboracenſis Antiſtitum, infinitorúmque cujuſcumque dignitatis hominum itidem peregrinationes Floriacum ſuſceptas, nec minora aut pauciora miracula reponimus. Neque tamen quiſquis devotionis ergò Caſſinum profectus eſt, de S. Benedicti corpore cogitavit. Habet & Mons ſacer venerationem ſuam, utpote S. Patris veſtigiis ac tumulo conſecratus. Et Henricus II. de præſentia corporis S. Benedicti apud Caſſinum teſte Leone addubitabat. Sed quid mirum, ſi Henricus hac de re dubitaverit, cùm etiam Adam Monachus Caſſinas* non modo in hæſitatio-

nem, ſed etiam in deſperationem *de hoc ipſo* inductum *ſe ipſe dicat? in Chron. Caſſin. lib. 2. cap. 47. Quod attinet ad miracula, in promptu eſt Gregorij Magni effatum in lib. 2. Dial. cap. ultimo.* Quia ab infirmis poteſt mentibus dubitari, utrúmne ad exaudiendum ibi præſentes ſint *(Sancti,)* ubi conſtat quia in ſuis corporibus non ſint; ibi eos neceſſe eſt majora ſigna oſtendere, ubi de eorum præſentia poteſt mens infirma dubitare. CIRC. AN. DC. LIII. JULII XI.

29. *Atque ut liberaliter cum Caſſinatibus noſtris agamus, nec quidquam ad facti veritatem illuſtrandam prudentes diſſimulare videamur; opponimus nobis ipſis pro Caſſinatibus S. Bertharium Abbatem Caſſinatem anno* DCCC. XXCIV. *martyrio affectum, cujus verſus ſequentes ex Vita S. Benedicti ab ipſo compoſita decerpti, Caſſinatibus in ſpeciem favere videntur.* Lege hanc Vitam ſæculo 1. Bened. pag. 29.

Poſt triduum frater gaudens de morte ſororis,
Hanc tumulat proprio protinus in tumulo.
Unica Sanctorum retinet nunc arca duorum
Pignera, quos æthrâ junxit humóque Deus.

At Berthárius eo modo interpretandus eſt, quo Paulum Varnefridum ſuperiùs explicavimus, qui S. Benedicti membra, *id eſt partes fluxas & carneas,* in cinerem reſoluta *Caſſini remanſiſſe affirmat,* oſſa *verò in Galliam aſportata. Vel Bertharius locutus eſt poëtico more, quo res præterito facta tempore, eo modo deſcribitur, ut tunc primùm fieri videatur.*

30. *Hactenus Tranſlationis Gallicanæ veritatem, continua proborum Auctorum teſtificatione confirmatam, adverſus Caſſinatium Patrum objecta defendimus: Leonis Marſicani & Petri Diaconi verba circa Tumuli S. Benedicti Inventionem expendimus: Bertharij & Oderiſij Abbatum Caſſinenſium teſtimonia ſumus interpretati. Si quid minùs pro cauſa noſtra, caritatis & pacis atque brevitatis ſtudio, dixiſſe putamur; ſaltem nobis conſcij ſumus, nihil niſi ex animo ſcriptum, palámque omnibus eſt nihil præter graviſſimorum virorum auctoritates prolatum. Denique ſi quem verbo læſimus in aliquo, hoc obeliſco incunctanter confoſſum volumus. Sequitur ut poſt ſtabilitam Tranſlationis S. Benedicti hiſtoriam, tempus quo ipſa facta eſt diſcutiamus.*

§. IV. Quo tempore S. Benedicti Tranſlatio in Galliam contigerit.

31. *Cùm ante Caroli Magni principatum Æra Gallicana non per calculum Dionyſianum ſeu annos Chriſti, ſed per Regum annos computaretur; neque admodùm Auctores ſæculo IX. anteriores de annalibus ordinandis eſſent ſolliciti; accidit, ut apud poſteros de anno quo quidque contigit, contentiones paſſim orirentur. Et quidem Auctores mediæ ætatis eorúmque ſequaces, dum Antiquorum geſta cum ſuo Æræ Chriſtianæ computandi modo componere voluerunt, non ſemel lapſi ſunt in errorem: quod etiam in noſtra quæſtione evenit, dum alij Tranſlationem S. Benedicti ad annum Chriſti* DC. LX. *alij ad* DC. LXIV. *alij ad alios pro ſuo quiſque arbitrio revocant. Verùm omiſſis poſteriorum calculis, Antiquorum numeros expendere neceſſe eſt.*

32. *Inprimis occurrit Vitæ Caroli Magni veterrimus Scriptor apud Pithœum.* Poſt Dagobertum regnavit CHLODOVEUS filius ejus, qui habuit S. Baltildem in matrimonio: quo tempore S. BENEDICTI corpus tranſlatum eſt de Benevento in Franciam in villa Floriaco. *Conſentit deſcriptor miraculorum S. Genulfi apud Cheſnium To. 1. Hiſtor. Franc. & apud Bollandum ad 17. Ianuarij iiſdem ferè verbis:* Poſt Dagobertum filius ejus Chlodoveus regnavit, cujus tempore corpus S. Benedicti de Benevento in Gallias tranſlatum eſt. *Et Martyrologium Floriacenſe à Sauſſeyo laudatum:* Anno Domini DC. LX. ſub CHLODOVEO filio Dagoberti tranſlatum eſt corpus S. Benedicti Abbatis à monte Caſſino ad Monaſterium Floriacenſe per Aigulfum Monachum. *Denique Chronicon ſancti Maxentij ſeu Malleacenſe à Philippo Labbeo To. 2. Biblioth. novæ editum Tranſlationem ſæpiùs dictam Chlodovei ſecundi tempore collocat. Quibus omnibus Adrevaldus in libro Mirac. cap. 10 & 11. & Aimoinus in Carmine de Translatione, aliique adſtipulantur. Nec multùm recedit Clarius in Chronico ſancti Pe-*

CIRC. AN. DC. LIII. JULII XI.

tri Vivi, id sub Papa Vitaliano, *qui anno* DC. LVI. *ſedere cœpit, factum referentis. Certum itaque videtur, Tranſlationem illam Chlodoveo Dagoberti filio regnante contigiſſe, non quidem prioribus regni ejus annis, quibus Floriacenſis Monaſterij jacta ſunt fundamenta, (ut in S. Mummoli Elogio inferiùs dicemus;) ſed poſterioribus. Atqui juxta eam quam Hadrianus Valeſius, Clariſſimus Francicarum rerum Scriptor, regnorum Dagoberti ac Chlodovei iniit ac ſtabilivit rationem, Chlodoveus ab anno Chriſti* DC. XXXVIII. *ad* DC. LIV. *Regni habenas tenuit. Proinde Floriacenſis Cœnobij primordia anno circà* DC. XLI. *Tranſlatio anno* DC. LIII. *illiganda. Alij qui Dagoberti principatum, non ab anno* DC. XXIII. *quo vivente patre Auſtriæ Rex impoſitus eſt, ſed à Chlotharij parentis obitu ſeu ab anno* DC. XXVIII. *ordiuntur; Chlodovei regnum poſt ſex annos differunt, ſtatuúntque ab anno* DC. XLIV. *ad* DC. LXII. *annos octodecim ei tribuentes: quorum in ſententia S. Benedicti Tranſlatio anno* DC. LX. *rectè collocatur. At quoniam chronologia ſuperior validiſſimis momentis fulta eſt, eam ſequi ſtatuimus: & anno circà* DC. LIII. *S. Benedicti Tranſlationem contigiſſe affirmamus.*

§. V. Quinam Auctores Tranſlationis hiſtoriam fuſiùs deſcripſerunt, & Miracula S. BENEDICTI.

33. *Primus qui hanc hiſtoriam ex Floriacenſibus aliorúmque Scriptorum monumentis in litteras retulit, non fuit Diedericus ſeu Theodericus Monachus Teutonicus Hersfeldenſis, homo ſæculi* XI. *(ut putavit Trithemius) ſed* ADALBERTUS *teſtante Rodulfo Tortario Cœnobita Floriacenſi in Poëmate de Mirac. S. Benedicti hoc diſticho:*

Patris ADALBERTUS tranſlatos edocet artus,
Quædam geſta ſtilo ſubjiciens nitido.

Adalbertus non videtur eſſe alius ab ADREVALDO, *cujus liber de miraculis S. Benedicti hiſtoriæ Tranſlationis adjectus poſteriori hocce metro ſatis indicatur. Certè Sigebertus ac poſt eum Trithemius Adrevaldum binominem fuiſſe, & Adalbertum etiam appellatum in lib. de Scriptorib. affirmant. Aimoinus in Prologo in libros duos Mirac. S. Benedicti*; Tranſlationis, *inquit*, ejus ſacri corporis ordinem ad hunc venerabilem locum, necnon ſigna hîc vel per Gallias ipſius meritis geſta vir diſertiſſimus ADREVALDUS iſtius Monaſterii Monachus ſcriptis inſeruit. Cui operi ADELERIUS hujus nihilominus Congregationis Monachus duo tantùm Capitula adjecit.

34. *Poſt Adrevaldum idem argumentum carmine perſecuti ſunt* AIMOINUS, GIRALDUS, *&* RODULFUS *Tortarius, Monachi Floriacenſes, qui Auctores alter poſt alterum per ſæculum* XI. *florebant. De Aimoino Floriacenſi, aliòque Aimoino Monaſterij S. Germani Pratenſis Monacho agemus Sæculo* IV. *Benedictino, cùm libros duos miraculorum S. Benedicti ab Aimoino Floriacenſi compoſitos referemus. Præterea non tantùm Sermonem de feſto Tranſlationis S. Benedicti ſcripſit* S. ODO *Abbas Cluniacenſis idémque Floriacenſis, ſed etiam* librum de adventu Corporis S. Benedicti in Aurelianenſi edidit, *ut Iohannes Italus in lib. 3. Vitæ* S. *Odonis cap. 13. auctor eſt. Denique hiſtoriam Tranſlationis S. Scholaſticæ, ſimúlque S. Benedicti anonymus quidam Cenomannenſis compoſuit.*

35. *Librum Miraculorum S. Benedicti Adrevaldus jamdictus ſcripſit principatu Caroli Calvi, ut ex cap. 28. intelligitur, ubi Auctor imperante Ludovico Pio ſe puerulum fuiſſe teſtatur. Deinde* ADELERIUS *coævus ac ſuperſtes Adrevaldo Appenditem adjecit: quibus Aimoinus Floriacenſis Mirac. binos libros, totidémque Rodulfus Tortarius homo ſæculi XI. etiam verſibus à ſe redditos ſuperaddidit. Qui fetus Tortarij nomine Auctoris deſtitutus, ab Henſchenio ad 21. Martii Tortario reſtitutus eſt.*

36. *Ex iſtis Scriptoribus ſelegimus dumtaxat pro hiſtoria Tranſlationis Adalbertum ſeu Adrevaldum & Aimoinum cum Sermone S. Odonis, omiſſis Tortario & Giraldo, quorum poëmata è Bibliotheca Sereniſſimæ Reginæ Sueciæ eruit Henſ-*

chenius, qui Tortarij poëma de Miraculis S. Benedicti loco citato edidit. Omiſimus etiam Anonymi relationem de Tranſlatione S. Scholaſticæ, cujus fragmentum dumtaxat poſt Adrevaldum referemus. Ex Scriptoribus Miraculorum unum hìc repræſentamus Adrevaldum, remiſſis aliis ad ſæculum IV. *Bened. ubi de Illatione S. Benedicti, ne hujuſce Tomi moles nimiùm excreſcat: cùm alioquin miracula in illis deſcripta ad poſteriora tempora pertineant.* CIRC. AN. DC. LIII. JULII XI.

§. VI. Aliæ S. Benedicti Tranſlationes, variæ diverſis in locis Reliquiæ.

37. *Poſtquam corpus S. Benedicti apud Floriacum depoſitum eſt, varias ſedes mutavit. Nam ingruente Normannorum clade, per Burgundiam huc illuc prout tempeſtas ferebat deportatum, Aurelianis in Eccleſia S. Aniani aliquo tempore conſedit: donec rebus pacatis Floriacum relatum eſt, uti ſæculo* IV. *Bened. videbimus: quo ex tempore ſemper apud Floriacum permanſit.*

38. *Anno Domini* M. C. VII. *præſentibus* LUDOVICO VI. Rege deſignato, & JOHANNE Aurelianenſi, HUMBALDO Autiſſidiorenſi Epiſcopis & viris religioſis cum maxima Cleri & populi multitudine, XIII. Kalend. April. tranſlatum eſt ſanctiſſimum corpus è metallino quodam & cupreo ſcrinio in quo priùs (ut creditur) depoſitum fuit, quando allatum eſt de Caſſino monte, in feretrum auro gemmiſque *curâ Simonis Abbatis Floriacenſis* fabricatum. *Tam firma verò fuit eo tempore de corporis ſacri præſentia apud Floriacum perſuaſio, ut Philippus Rex Ludovici pater* III. Kalend. Auguſti *ſequentis mortuus* apud Milidunum, præceperit corpus ſuum ferri & tumulari in Monaſterio S. Benedicti, donans ipſi loco plurima donaria, ut magnificentiam Regiam decebat. *Sed & filius ejus Ludovicus* valde ipſum Cœnobium dilexit, & rebus temporalibus crevit. *Quæ omnia Clarius ex Floriacenſi S. Petri Vivi Monachus qui huic Tranſlationi præſens interfuit, fuſiùs in Chronico tradit.*

39. *Anno Domini* M. CC. VII. *Guarinus Abbas Floriacenſis Reliquias S. Benedicti thecæ auro, argento gemmiſque contextæ incluſas è loco humili ſuper altare majus levari curavit*: qua de ſollemnitate, *inquit Sauſſeyus in lib. 4. Annal. Aurel. cap. 4.* duæ patentes Litteræ habentur eodem anno, Una PETRI Archipræſulis Senonenſis, qui ait ſe INSPECTIS S. ROMANÆ ECCLESIÆ PRIVILEGIIS verè cognoviſſe, quòd tanti Confeſſoris præſentiâ Floriacenſis Eccleſia inſignis habetur: *Altera* GUILLELMI *Archiepiſcopi Bituricenſis ſic loquentis*: In quo *(loculo)* D. Senonenſis Archiepiſcopus & nos cum plurimis Epiſcopis, adſtante maxima Abbatum, Cleri, plebíſque multitudine, cum magna celebritate in feſto Tranſlationis dicti B. BENEDICTI ſanctiſſimum CORPUS duximus reponendum.

40. *Anno* M. CCC. LXIV. *Vrbanus V. ex Abbate S. Victoris Maſſilienſis Pontifex ſummus, Litteris datis ad Iohannem tum Abbatem Floriacenſem* VII. *Id. Ianvarii, Pontificatûs ſui anno tertio, impetravit* quartam partem capitis vel circà *S. Benedicti*, & unum os brachii dextri ejus, *quæ in Eccleſia* apud Montempeſſulanum in honorem B. MARIÆ Virginis & B. Benedicti & Germani Conf. *à ſe conſtructa repoſuit.*

41. *Anno* M. D. LXI. *cùm Odetus de Coligniaco Caſtilioneus, Cardinalis & Abbas Commendatarius Monaſterii Floriacenſis, in hæreſim Calviniſtarum lapſus eſſet, per Aventinium domûs ſuæ Præpoſitum ſacram ejuſdem Cœnobii ſupellectilem univerſam diripuit, ſacrámque capſam auro ſpoliavit, dimiſſis Reliquiis Antonio Fouberto Priori, qui eas multa prece ab Aventinio impetratas in arcula lignea ſervavit: donec anno* M. D. XXCI. *die 27. menſis Maii rebus paullùm ſerenatis, in thecam ligneam deauratam, qualem rerum neceſsitas patiebatur, per Ludovicum Pothinum Priorem Floriacenſem reconditæ ſunt.*

42. *Denique Congregationis S. Mauri Præpoſiti cùm intelligerent ſuarum eſſe partium, non ſolùm ut S. Benedicti ſpiritum per Gallias ſopitum denuò excitarent,*

CIRC. AN. DC. LIII. JULII XI.

verumetiam ſacras B. Patris Reliquias quàm honeſtiſsimo poſſent loculo decorarent; Thecam eximiam ex ſolido argento longam atque altam ternis pedibus & dimidio, uno minùs latam, variis columnis ſolidiſque imaginibus exornatam, affabrè elaborari auróque obduci curaverunt, factâ ad ſollemnes ſupplicationes argenteâ capitis effigie, in qua cranium includeretur. Quod magnificum opus ut aggredi ac perficere pro dignitate poſſent, fecit inprimis Sereniſſimi Principis GASTONIS Borbonii, *Felicis memoriæ Ducis Aurelianenſis, Chriſtianiſſimi Regis* LUDOVICI XIV. *nunc gloriosè regnantis patrui, inſignis tum pietas, tum liberalitas, in feretro ſacro inciſa atque teſtata: cui aliarum etiam perſonarum dignitate ac virtute præſtantium munificentia acceſſit. Paratis omnibus, anno Chriſti nati* M. DC. LXIII. *ipſo die Aſcenſionis Dominicæ in diem 3. Maij incidente, in frequenti Præpoſitorum ejuſdem Congregationis qui ad Comitia generalia ex more convenerant conſeſſu, Illuſtriſſimus Iohannes Stradeus, antiquior Epiſcopus Condomienſis, ceremoniæ celebrandæ proſuo erga S. Benedictum ejúſque Ordinem amore ac ſtudio rogatus præfuit. Cranium ſacrum unà cum mandibula argenteo capiti incluſum: utriuſque coxendicis oſſa integra, vertebræ itidem integræ cum pluribus aliis oſſibus & particulis in majorem thecam reconditæ: cetera ea qua par eſt religione & ſollemnitate peracta. Quam quidem celebritatem à noſtro Hugone Vaillantio carmine heroïco jam elegantiſſimè repræſentatam, hiſtoriæ peculiari Congregationis S. Mauri fuſiùs inſerendam, hîc delibâſſe ſufficiat.*

43. *Antequam hinc diſcedamus, juvat eas quæ in Eccleſiis nonnullis haberi dicuntur S. Benedicti Reliquias breviter commemorare. Radium brachij in argentea effigie deaurata, quamplurimis ornata lapillis ex dono Iohannis Ducis Bituricenſis anno* M. CCC. XCIII. *poſſidet Regalis Baſilica S. Dionyſij prope Lutetiam Pariſiorum. Refertur in Breviario Valliſoletano anno 1598. impreſſo*, Regale primariúmque Monachorum Congregationis Valliſoletanæ Cœnobium, corporis S. Benedicti particulam quamdam ab Henrico III. Caſtellæ & Legionis Rege dono olim accepiſſe: cui acceſſio facta dicitur ex integro femoris ejuſdem Sancti oſſe ex Montepeſſulano Galliæ urbe in Hiſpaniam delato, ac in eodem Cœnobio ſollemni pompa recepto V. Idus Julii anno M. D. XCIV. *Ejus mandibulæ partem Monaſterium S. Petri Carnutenſis, Cœnobium S. Theoderici prope Remos coſtam oſtendunt. Prætermittimus alias Eccleſias, quæ minutas S. Benedicti Reliquias penes ſe haberi gloriantur.*

44. *Vnum hîc ſubmonent ſocij Bollandiani ex poëmate Rodulfi Tortarij, ante annos fere ſexcentos de Reliquiis S. Pauli Epiſcopi Leonenſis Floriacum delatis ſcribentis in hunc modum:*

Cujus membra, Patris placuit connectere membris,
Includunt uno corpora dum tumulo.

Addunt catalogum Reliquiarum S. Benedicti aliò diſtractarum: partem Caſſinatibus à Medone Floriacenſi Abbate, partem aliam Vrbano V. Pontifici Maximo, alias atque alias San-Dionyſianis ac Valliſoletanis Monachis, variiſque Eccleſiis conceſſas notant. Non ſatis apparet, quorſum ſpectet ſua illa de Reliquiis S. Pauli monitio: at certè Lectori ſuadere videtur, B. Pauli Reliquias cum S. Benedicti Reliquiis confuſè fuiſſe permiſtas. Aimoinus Floriacenſis itidem Monachus Tortario ſenior huic ſcrupulo medetur in lib. 2. Mirac. S. Bened. cap. 12. his verbis: Corpus autem antedicti Confeſſoris Pauli CUM PROPRIO LOCULO poſt loculum ſanctiſſimi P. Benedicti poſuerunt, uno tamen ampliori ſcrinio quod etiam argento tectum erat, utrumque concludentes. *Et quidem S. Pauli caput in ſcrinio proprio penes Floriacenſes ſervabatur ante Calviniſtarum tempeſtatem: plurimæ ejuſdem ſancti Reliquiæ cum aliis SS. Mauri Martyris, Aigulfi & Teneſtinæ in capſa ebenina promiſcuè cuſtodiuntur. Hic tandem ſiſtendum: Adrevaldum audiamus.*

HISTORIA TRANSLATIONIS AB ADREVALDO SEU ADALBERTO Monacho Floriacenſi ſcripta ſæculo IX.

Ex Iohannis Boſcij Bibliotheca Floriac. Bollando & Mſſ.

CIRC. AN. DC. LIII. JULII XI.

1. CUM diu gens Langobardorum infidelitatis ſuæ tenebris carere noluiſſet, & jugum Domini ferre detrectans eos qui ferebant impugnare decreviſſet, Italiam venit nominis Chriſtiani gratiâ impugnandi & ſuo eam dominio ſubjugandi, cujus incolas occultum Dei judicium ejus mucroni tradidit feriendos. Quæ gens longè latéque ſuæ cædis extendens crudelitatem, Beneventanam aggreſſa eſt expugnare provinciam, cujus urbes terrę coæquans, Monaſteria villáſque depopulans, non minimas Chriſtianorum ſtrages dedit. Oves enim Dominicas ab ovilibus excluſas diverſa cæde lacerans ovilia Domini evertebat, itaut in eremi vaſtitatem loca priùs deſiderabilia converſa viderentur. Unde inter cetera facinora ſua Monaſterium [a] eximij Patris BENEDICTI depopulans, rebus omnibus inhabitabile reddidit. Quod quomodo contigerit, legenti B. Gregorij ſecundum Dialogorum librum clarum eſt: qui omnia hujus ſanctiſſimi viri opera claro ſtilo perſecutus, inter cetera narrat eum prophetiæ ſpiritu cognoviſſe atque prænuntiaſſe, ablatis rebus omnibus idem Monaſterium everſum iri.

Langobardi Caſſinũ vaſtant.

[a]

2. Hac itaque patrata everſione & multis effluentibus annorum curriculis, idem locus ad eremum redactus cœpit eſſe ferarum, qui priùs fuerat habitatio hominum, uſquequo regni Francorum gubernacula adeptus eſt CHLODOVEUS filius DAGOBERTI, qui ut erat vir nobiliſſimus rerum adminiſtratione publicarum miro callebat ingenio. Idem etiam Rex cùm egregiis polleret moribus petitionibúſque juſtis & ſervitio Dei aptis adſenſum præberet, interpellatus eſt à bonæ memoriæ viro LEODEBODO Patre Monaſterij S. Aniani, quod eſt ſitum prope mœnia urbis Aurelianæ, ut Monaſterium Ordini monaſtico congruens ſibi liceret conſtruere in agro Floriacenſi, datis pro eodem agro in mutua viciſſitudine prædiis quæ ſibi à parentibus jure hereditario relicta poſſidebat. Namque idem ager Floriacenſis ſcilicet Regalis tunc fiſcus erat. Quibus auditis Rex libentiſſimè ejus precibus annuit, & deſiderium illius quod diu dilatione creverat compleri judicavit. Igitur ab utriſque partibus mutuæ commutationes factæ ſunt, memorato Abbate dante quod à genitoribus ei relictum eſt prædium *, & Rege ſupradicto reciproca viciſſitudine pro eo agellum quemdam Floriacum cognominatum cum appendiciis ſuis haut longe à litore Ligeris. Quod Teſtamentum mutuæ viciſſitudinis uſque hodie in Archivis publicis noſtri reſervatur Monaſterij. Prædictus autem vir Domini Leodebodus hoc negotio peracto nequaquam oblitus ſuæ deſtinationem deſiderij, in ſupradicto agello cœpit ædificare habitationes utiles Monachis. Quod opus ſagaci inſiſtens induſtria, mirifico conſummavit effectu: ædificánſque ibi Baſilicam in honore S. Petri, itémque aliam in honore S. MARIÆ Domino dedicari voluit. Mox etiam tunc prę-parata habitatio ut ne inanis eſſet atque ſine habitatoribus, collegit ibidem quamplures ad Domino ſerviendum ſub norma Regulæ vivere paratos, Patrémque

Chlodoveo favente Leodebodus Floriaci Cœnobium condit.

* *Stil.* Attiniacum ad Axonam.

[a] Hanc everſionem ad annum circà D. XXC. retulimus in Vitæ S. P. Benedicti cap. 17. Sæculo I. Bened.

CIRC. AN. DC. LIII. JULII XI.

& Abbatem his præfecit nomine MUMMOLUM [a], qui quamdiu rebus humanis interfuit, ut idoneus Paſtor gregis ſibi commiſſi ſollicitè curam exhibuit.

[a] Aigulfus à Mummolo Caſſinum mittitur pro S. Benedicti Reliquiis.

3. Igitur cum proceſſu temporis evolventibus annis ſupradictus Leodebodus corpore exemptus (ſicut credimus) cælicas receſſiſſet ad ſedes, jamdictus Mummolus gregis commiſſi cuſtodias optimè ſervans & lectioni aſſiduè ſtudium dans, inter cetera reperit in libris beati ac præcellentiſſimi viri Gregorij Romani Antiſtitis, quomodo ſanctus ac Deo dilectus BENEDICTUS agonis ſui curſum in Beneventana provincia conſummaverit: recordánſque quia iſdem venerabilis Pater oraculo divino admonitus prævidénſque futuros caſus prædixerit illud Monaſterium funditus evertendum, & quòd ille ſpiritualibus oculis, iſte oculis patratum carneis conſpiciebat, miſit ad prædictam provinciam unum ex commilitonibus nomine AIGULFUM Monachum. Sic namque ſibi fuiſſe revelatum divinitus dicebat, ut prædictus vir illuc pergens, corpus jam dicti transferret Benedicti. Fuit namque idem Aigulfus venerabilis vir & Deo omnimodo placere geſtiens: qui quantæ ſanctitatis fuerit cujúſve virtutis, fine probavit, in quo omnis laus ſecurè canitur. Namque cum bonis polleret operibus, & in Monaſterio Lirinenſi ob bonorum ſtudium operum peteretur aliquantiſper exempli gratia remorari, à contrariis Religioni divinæ inſidias perpeſſus, ad palmam martyrij uſque pervenit: cujus etiam Paſſio penes nos habetur *.

* *infrà*

[b] Cenomannis adjunctis.

4. Non diſpar interea huic viſioni in Cinomannicæ urbe apparuit viſio [b], ut ſcilicet pergentes & ipſi in eamdem provinciam, corpus transferrent ſororis S. Benedicti, SCHOLASTICÆ nomine, ut quos unius urnæ habebat ſpatium, ſimul transferendi oſtenderentur. Cùm igitur utrimque laboraretur, quatinus viſionis manifeſtæ non ſegnes invenirentur exſecutores; paucis admodum diebus tranſactis à ſupradicta Cinomannica urbe egreſſi, oraculi Divini auditores carpebant iter Italiam ducens: divertentéſque in Monaſterium Floriacum hoſpitandi gratiâ, compererunt præfatum venerabilem virum Aigulfum præceptis Abbatis ſui obſequentem idem velle iter arripere.

Româ luſtratâ Caſſinum pergit.

5. Igitur communi decreto cœptum opus ſimul ſtatuunt peragere, junctíque ſimul tamdiu indiviſibiliter ſibi adhæſere, quouſque Romam venientes B. Petri Baſilicam oraturi intrarent. At cùm in eadem urbe ſub obtentu viſendorum ſanctorum locorum à ſe invicem dividerentur, ut rei autem habet veritas, negotium quod cœperant perfecturi; memoratus Aigulfus intermiſſis interim his quæ palam oſtentaverat velle, locorum ſcilicet ſanctorum circuitionibus, expeditioni operam dedit, certans ociùs perficere quod ſibi injunctum fuerat ſanctum mandatum. Tandem itaque pervenit ad locum caſtri quod vocatur Caſſinum: ibidémque paulliſper itineri finem imponens, exſpectabat eventum rei, orans illum qui viſionem ſuperiùs prolatam revelare dignatus eſt, quíque ſe adhoc opus deſtinaverat, ut non in vacuum tantum iter conſumi vellet, ſed ſicut promiſerat thecam theſauri ſui ei revelare dignaretur.

Ab ignoto ſene locum tumuli diſcit.

6. Cùm itaque alicujus ſigni causâ capiendi loca peragraret, & huc illúcque circumſpiciens oculorum orbes volveret ſedulus explorator, conſpiciens eum homo quidam multorum annorum crebrò id agentem ſic eum prior affatur: Heus tu, inquit, quibus ab oris noſtras adiſti ſedes, cujúſve negotij gratia? Ad hæc ille non indagini illius auſus eſt propalare commiſſum ſibi ſecretum; ſed cùm iteratò ſuper ipſa re interrogaretur, ipſe tamen negotium divulgare metueret, hæc ab eodem ſene audivit: Cur, inquit, me ſecreti tui non efficis conſcium? Nam ſi delatoris ſcandalum caves, ſecurus eſto, in me tutam reperies fidem: & ſi dictis meis fidem accommodaveris, fortaſſis etiam negotio tuo profuturum erit. Iſta verò cùm prædictus Dei famulus auribus hauſiſſet, cogitans quia in antiquis eſt ſapientia & rerum præteritarum cognitio, reputans etiam

[a] Alij RIGOMARUM Mummolo præferunt. Lege S. Mummoli Elogium infrà ad ann. 678. ubi etiam de Leodebodo & Monaſterio Floriacenſi agemus.

[b] Nimirum S. BERCARIO ejuſdem urbis Epiſcopo, ſicut in ipſius Bercarij Vita & in Relatione ſeu Narratione propria de Tranſlatione S. Scholaſticæ legitur.

ſicut poſtea rei probavit eventus, propter hoc ipſum eum Dominum præmiſiſſe, compellanti ex ordine rei geſtæ texuit hiſtorias, qua cauſa veniſſet, quæque viſio propter hanc rem ſibi fuerit demonſtrata. Ad hæc ſenex paullulùm terræ defigens adſpectum, vocémque infra fauces comprimens, ſic demum ora reſolvit: Si mihi quæ pro tali munere debentur præmia digna rependis, Deo favente puto me ociùs negotio finem perfectionis imponere, quatinus pro his quibus laborem tanti itineris aſſumpſiſti peractis, ovans ad propria repedare queas. Hujus ergo verba cùm vir Dei perorantis audiſſet; Nulla, inquam, erit in munere dando difficultas quin omnia quæ à me poſcis dem, tantùm eſt ut promiſſionis tuæ memor dicta factis recompenſes. Ad hæc ille; Cùm, inquit, lucifugæ noctis tempora conticiniique metas propinquare proſpexeris, tu ne ad modicum quidem indulge quieti, ſed recti adyta linquens, nudo ſub aëris axe indefeſſus ſpeculator adeſto. Cúmque ſolitudinis hujus locum aliquem lumine clariſſimo radiare conſpexeris nivei montis inſtar, notato certa mente locum: namque ibi inveniendum eſt unde tuæ curæ finis imponatur. CIRC. AN. DC. LIII. JULII XI.

7. Igitur prædictus vir verbis fidem dans, ardens autem deſiderio, primo quietis ſomno percepto ſtratu ſeſe excutiens, præceptorum ſenis haut ſegnis obtemperator exſtitit. Namque prædictæ ſolitudinis plagam reſpiciens conſpicit eminùs locum lumine claro micante, ceu cum luminaribus facibúſque denſis locus aliquis perfuſus illuſtratur. Quibus viſis reverendus heros gaudio magno repletus mundi Gubernatori & ſæculorum Rectori benedicens in iiſdem laudibus noctis terminum exſpectabat. Qui cùm diu præſtolatus affuiſſet, Soliſque globus, necdum jubare ſuo mundi ſpatia ampla compleret, ad locum intrepidus properat cujus notator exſtiterat: ibíque ſicut longè optaverat cuncta inveniens, proſperatori itineris ſui grates innumeras rependit. Namque locum adiens loculum ibidem invenit, exteriùs quidem vilem, interiùs autem retinentem magni pretij margaritas. Pro foribus autem petræ ſcilicet ſuperpoſitæ præfixa erant notamina, quorum interiùs buſta jacebant. His ſicut diu optaverat inventis, patefacto à latere evacuatóque locello, theſaurum inventum unius ſportellæ concluſit[a] ſinu, quæ ſporta hactenus penes nos quaſi nova habetur. Quibus patratis omnibus improviſo adſunt ſocij, quos ſuprà ſermo retulit à Cinomannica urbe profectos, quærentes & ipſi non quæſita diu benedictione fruſtrati. Túncque primùm ſibimet mutuò patefecere ſui itineris cauſam, quia ſcilicet & ipſi revelatione divina admoniti ad corpus B. Scholaſticæ ierant deferendum: móxque cum feſtinatione retrogradum iter arripientes, feſtinatò ſimul regredi curabant portantes quas invenerant donò Divino pretioſiſſimas margaritas. Reliquias ſacras in Galliam defert comitibus Cenomannis.

8. Bajulis ſanctorum corporum Benedicti & S. Scholaſticæ ſororis ejus celeriter repedantibus, jamque oras finium ſuarum attingentibus, vox alta divinitus per alta ſilentia noctis prohibuit eos moras innectere in eundo. Eâdem horâ Papam Romanum per viſionem quidam adſiſtens talia compellare viſus eſt: Cur te piger ſomnus temporibus preſſis negat ſtratibus relictis cuſtodiam tuæ habere provinciæ? & quare dimiſſis publicis, utilitatibus propriis implicaris? namque ut dico quod palam ſit noveris, te magnorum virorum patrociniis carere Benedicti ſcilicet atque Scholaſticæ ſororis ejus, quorum corpora quidam à Galliæ oris huc adventantes, illuc ferunt humanda. His auditis Romanus Antiſtes protinus relicto thoro arma comitéſque inquirit, ac perſequi cónatur recedentes, junctis ſibi Langobardorum auxiliis. Hac itaque famuli Dei viſione accepta, formidantes alicujus incommoditatis triſtem acceſſum, reſ- A Romani Pontificis ſatellitibus nube media protegun-tur.

[a] Paulus Varnefridus in lib. 6 Hiſt. Langob. cap. 2. ait, cineres ſacros Caſſini remanſiſſe. Cui adſtipulatur Notkerus Monachus Gallenſis in Martyrol. ad 11. Julij. *Non diu*, inquit, *locus ille* (Caſſinas) *Sanctorum Reliquiis venerabilis à Fidelium conventu manſit inanis. Nam Fratres qui hoſtium manus evadere potuerunt, iteratò in unum conglobati, & alii ad vicem diſperſorum adhibitis multiplicati, Sacros Cineres, ſeipſos jam cautiùs agentes, ſatis religiosè curârunt: donec nuper infeſtatione Saracenorum in omnem ventum diſperſi ſunt*, ſcilicet Monachi: quod anno DCCC. XXCIV. accidiſſe diximus.

CIRC. AN. DC. LIII. JULII XI.

piciunt retro, vidéntque ſe ſubſequi ab hoſtibus: túncque timore pleni terræque conſternati, rogabant eum qui ſuorum famulorum corpora eis revelare dignatus eſt, ut ea illis ad locum deſtinatum præciperet deferre: quorum precibus divinæ pietati annuere libuit. Nam omnipotentis potentia tenebrarum denſitate ita eos occuluit, ut ſibi quidem nil obeſſet, perſecutoribus verò eorum omnem facultatem ſe inveniendi auferret: ſícque famuli Dei malorum timore ſublato ociùs redirent.

Bonodij cæcus illuminatur.

9. Tandem igitur quamquam laboriosè, ſalubriter tamen tanto confecto itinere in prædiolum quoddam diverterunt Bonodium[a] nomine, ſitum in pago Aurelianenſi laſſitudine cogente. In quo loco cùm paullíſper indulgerent quieti, ecce quidam ſine oculis materno fuſus utero advenit, magníſque vocibus oris ac fidei Sanctum interpellabat, ut quæ natura negaverat ſibi lumina præſtaret. Igitur dum his vocibus perſtaret, parvo intervallo atque vix unâ horâ effluente diſcuſſa caligine cæcitatis lumen ſibi diu negatum cœpit adſpicere, & datorem illius ſimúlque B. Benedictum magnis laudum vocibus extóllere.

Contractus erigitur.

10. Placuít etiam Divinitati huic miraculo aliud in eodem loco conjungere, ut quantæ ſanctitatis eſſet cujus corpus portabatur oſtenderet. Namque debilis quidam qui erectus ire nequibat per terram, rependo ſe trahens, utpote qui & omnium membrorum officio deſtitutus erat, advenit implorans auxilium ab omnipotente Deo per famulum illius Benedictum. Itaque miro modo cœperunt ſe nervi diu contracti extendere, & aridi diu meatus venarum ſanguinis inundatione humectari, atque ita Deo volente accepto robore lætus ſuper pedes conſtitit & curatori ſuo magnis vocibus benedixit. Qui locus hactenus Baſilicam retinet Domino in honore B. Benedicti dicatam.

Cæco lumen reſtituitur.

* vulgò *la Maire de Neuville*

11. Cúmque ab eodem loco moveri placuiſſet, aliud prædiolum adeúnt mille quingentis ferme paſſibus à Monaſterio quò tendebant diſtante Novavilla* cognomine. In eo etiam cùm aliquantulum eis requieſcere placuiſſet, obviàm eis quidam cæcus factus eſt, qui magno impetu ferociter facto ſportam qua beati viri cinis portabatur apprehendit. Quem vir Domini Aigulfus moderata ſtuduit correptione caſtigare, atque ab illicita præſumptione revocare. Sed ille quem lumen amiſſum contriſtabat, reſpondit, nullo modo ſe poſſe ab ea divelli, niſi quamprimùm lumen reciperet; pronuntiavítque ſe tantæ fidei eſſe, ut quidquid peteret S. Benedictus, Domino ſibi annuente tribuere poſſet.

In veteri Floriaco Reliquias Scholaſticæ Cenomanni poſtulant.

12. Poſt hæc verò cùm in eundo nulla mora fieret, agmina Monachorum cum plebe territorij Aurelianenſis obviàm eis proceſſerunt miliario à Monaſterio, in vico qui dicitur vetus Floriacus: ibíque cum gaudio & lætitia atque honore magno exceperunt corpora Sanctorum ſupradictorum ſub die quinto Iduum Iuliarum. In eodem quoque loco die illo eamdem ſollemnitatem cum ingenti lætitia in Dei laudibus peregerunt. Cùm igitur ibi moræ fierent, plebs Cinomannicæ urbis, cujus ſupra diximus fuiſſe cives qui pro afferendo corpore B. Scholaſticæ ierunt, affuit obviàm procedens cum civibus ſuis, quos pro deportando cæleſti theſauro emiſiſſe gaudebant. Sed cùm ad prædictum locum veniens cognoviſſet rei veritatem & actus omnes venerabilis viri Aigulfi, poſtulabat eum ut ſibi munus promiſſum atque à Deo demonſtratum concedere deberet. Sed iſdem venerabilis vir reſpondit, ſe nequaquam velle Sanctorum germanorum corpora ab invicem ſeparare, ſed ſicut eos in priori monumento * ſimul fuiſſe conditos, ita in ſecundo indiviſibiliter componere velle teſtabatur. Tunc verò nobiles quique atque ſapientes his contradixêre verbis, juſtum non eſſe dicentes, ut quos divina voluntas participes fecerat oraculi cæleſtis, & qui ſimul locum ſanctorum thecæ corporum adiſſent, quíque in ſubeundo pares labore fuerant, non etiam

* *ſupple* conſtat

a Bonodium, *Bonnée*, viculus unâ leucâ ſupra Floriacenſe Monaſterium, ubi nulla exſtat Baſilica, niſi parœcialis S. Martino dedicata: at uno fere ab ea lapide cernitur agger quidam, MONS S. BENEDICTI appellatus, quo in loco eruuntur nonnumquam veteris ædificij, haud dubiè Eccleſiæ quondam S. Benedicto ſacræ, rudera & fundamenta.

fructus laboris æque partirentur. Maximè verò non esse dignum dicebant, ut duo magnà luminaria loci unius coartaret angustia, cùm sufficerent singulis locis singula. Tandem igitur sæpedictus venerabilis vir Aigulfus consiliis venerandorum virorum assensum dedit, decrevítque, ut ipse cum suis retento corpore S. Benedicti, socios suos cum corpore venerandæ sororis ejus dimitteret[a]. CIRC. AN. DC. LIII. JULII XI.

13. Sed quia certum non erat qualiter discerni ossa potuissent quæ confusè unius sportellæ sinus retinebat, facta difficultate discernendi ad hoc consilium ventum est, ut ea quæ minora viderentur, ossa separatim ponerentur, majora verò altrinsecùs congregarentur. Dum igitur dividens hæsitaret & certum quid judicari non posset, Divinitati huic ancipiti sententiæ taliter finem imponere placuit. Nam cùm continuis Divinitatem precibus noctis spatium utrique populi pro tanto sibi manifestando negotio pulsavissent, facto mane conspiciuntur eminùs duorum parvulorum exsequiæ cadaverum, quorum unum erat masculini sexûs, alterum feminei. Igitur salubri accepto consilio ad se exanimata corpora deferri jubent. Quod cùm factum esset, masculi corpus prope ossa poni fecerunt quæ magnitudine præstare videbantur, miróque modo mox ut mortui mortua tetigere ossa jacentis, per mortuum mortuo & vita reddita est. Similiter autem eis placuit, ut penes minora mortuæ puellæ corpus poni deberet. Deus autem ut demonstraret germanos esse qui ferebantur merito, quemadmodum carnis una procreatione; uno eodémque tempore pares merito pares esse voluit in miraculo[b]; itaut puella eadem hora ab officio funeris surgeret: & quæ à flentibus amicis portabatur ad tumulum, iisdem gaudentibus rediret domum. Antiquum namque inusitatúmque post Helisei actum revocatum hoc constat miraculum, quia omnipotentis Dei manus ut demonstraret B. Benedictum nec novis nec antiquis Patribus imparem, meritò parem illum extulit Prophetarum operibus: completúrque veridica vox Veritatis promittentis: *Qui crediderit in me, opera quæ ego facio faciet.* Omnes igitur lætis animis magnísque vocibus benedicunt Dominum, qui quæ sibi occulta fuerant luce clariùs propalare dignatus est. *a* Reliquiæ sacræ mortuorum suscitatione discernuntur. *b* 4. *Reg.* 13. *Iohan* 10. 12.

14. Igitur sublata omni ancipiti sententia quæ super corporibus discernendis diu eorum animos occupaverat, plebes Cinomannicæ ad corpus B. Scholasticæ salubriter verterunt. Quod summa celeritate levatum imponentes scapulis, cum gaudio ad proprium locum deportaverunt: ibíque magnis sumptibus ædificata est Ecclesia, & ordinatis quæque erant necessaria feminis Deo servientibus infra breve spatium temporis plurimæ nobilium feminarum in eodem Monasterio aggregatæ sunt, quæ se relicto sæculo Domini servitio mancipárunt. Sed & ipsum Monasterium usquenunc magnis miraculorum illustrationibus à Domino honoratur. Cenomanni S. Scholasticæ Reliquiis Basilicam & Cœnobium condunt.

15. At verò Mummolus Abbas & venerabilis Aigulfus levaverunt corpus S. Benedicti quod à Deo sibi collatum certis indiciis apparentibus tenebant, & in Basilica B. Petri[c] ad custodiendum deposuerunt. Quod cum eximia cura servantes, conferebant inter se quo in loco ejusdem Monasterij id divinæ voluntati concordantes humarent. Super qua re non minima eorum animos dubietas occupaverat. Sed Deus qui benigna pietate sua sancti viri corpus de loco priori transferendum decrevit, in sequenti aptum locum sepulturæ providit. Nam cùm diu, sicut jam dictum est, beatæ memoriæ Mummolus super hac re cogitaret consiliúmque utile quæreret, intempesta nocte consueta orationis furta requirens, stratis relictis sicut consueverat Dormitorium egressus, sub nudo cælo cœ- Corpus S. Benedicti in Ecclesia S. Petri depositum. *c*

a Hoc factum improbat Notkerus: *Væ miserorum meritis*, inquit loco citato, *per quos separationem passa sunt, quæ dispositione S. Spiritûs conjungi meruerunt.*

b Prope vicum Floriacum (qui vetus Floriacus dicitur, uno lapide ab opido & Monasterio S. Benedicti distans) exstat sacellum S. Scholasticæ eo in loco ubi duo hæc miracula patrata sunt dedicatum: quò pluviæ obtinendæ gratiâ sollemnes sæpe fiunt supplicationes.

c Hæc S. Petri Ecclesia ampliùs non exstat, sed sola Basilica B. MARIÆ sacra, quæ uti & opidum Monasterio circumpositum S. BENEDICTI nomen accepit, vulgò *S. Benoist sur Loire.*

CIRC. AN. DC. LIII. JULII XI. In Eccleſia S. Mariæ recondi-tur.

pit inter alia precari, ut Divina pietas ei ſalubre conſilium ſuggereret, quonam in loco ſanctiſſima membra locaret. Affuit his precibus clemens auris omnipotentis, quæ ſervos ſuos juſta petentes audire conſuevit. Nam lux ſubitò cælitus emiſſa ante Baſilicæ frontem beatæ Dei Genitricis MARIÆ in modum facis ardens in eum locum ubi nunc eſt conditum corpus protendi viſa eſt. Quod viſum vir Domini Mummolus ut vidit, omni dubietate poſtpoſita certiſſimè credidit, quòd hic locus aptus eſſet ſancti viri membris locandis. Igitur poſthabitis mordacibus curis & viſioni omnimodis fidem dans, in eodem loco quo ſibi demonſtratum fuerat cum magno ſtudio in melius ornato ſub pridie Nonas Decembris cum ingenti honore & laudibus divinis terræ humili terram multi pretij reddere ſtuduit, vilíque urna [a] contexit cæleſtem theſaurum. Nam quantum dilectus Deo, amabiliſque ipſe theſaurus ſit, teſtantur innumeræ debilium ſanitates corporum, maximéque animarum medelæ, quæ uſquehodie mortalibus pro tanti viri honore tribuuntur à Domino. Sed & locus iſdem cujus ſit nobilitatis, ex actibus beati viri comprehendi poteſt. Nam cùm eidem viro machinam in ſphæræ modum oſtendiſſet, credendum eſt eum præ omnibus locis plus eum dilexiſſe quo præſcivit propria oſſa propriis relictis ſedibus transferenda: in quo hactenus tanta conſtat monſtrata miracula, ut ſi ſcriberentur, proprio indigerent libro, præſtante Domino noſtro Jeſu Chriſto, Amen.

[a] Miraculis locus celebratur.

[a] Hoc die *Tumulatio* S. BENEDICTI in pleriſque Martyrologiis MSS. inſcribitur: & S. Odo in ſermone ſequenti num. 2. duplicem S. Benedicti ſollemnitatem, *Tranſlationem & Tumulationem*, memorat. Adrevaldus in lib. Mirac. c. 22. Tumulationem vocat *ſollemne feſtum S. Confeſſoris Chriſti Benedicti, quod ex veteri conſuetudine quotannis pridie Nonarum Decembrium agitur.* Quo die poſt multos annos recurrente *Relatio* ſeu *Illatio* corporis S. Benedicti ex urbe Aurelianorum in Monaſterium Floriacenſe circa principatum Carolomanni Ludovici Balbi filij facta eſt. Poſtrema hæc feſtivitas quæ ſub nomine antiquo *Tumulationis* adhuc ſæculo XI. celebrabatur, (ut conſtat ex Rodulfi Tortarij libro Mirac. S. Bened. cap. 33. quem librum Johannes Boſcius quarto loco ſub Anonymi nomine edidit) poſtea *Illationis* nomen obtinuit, & *Tumulationis* antiquioris celebritatis memoriam obſcuravit.

APPENDIX.

Ex hiſtoria propria Tranſlationis S. Scholaſticæ.

TANDEM igitur Domini providentia præeunte ac ſubſequente eóſque comitante ad Cenomannicam urbem propinquavêre: quibus Domnus Berarius Pontifex venerabilis unà cum reveſtitis Sacerdotibus & omnium graduum Clericis devotiſſimè occurrit, & ſacratiſſimum S. Scholaſticæ corporis pignus venerabiliter ſuſcepit: & civitatem ingrediens, ad Monaſterium quod ad hoc (ut diximus) opus inter murum civitatis & fluvium Sartæ nobiliter atque decenter ab imis fundaverat, cum ſumma veneratione devexit: ibíque illud in Eccleſia quam in honorem S. Petri jam dedicaverat, decenter & ſollemniter poſt altare collocavit: ordinatíſque quæ erant neceſſaria feminis Deo ſacratis vitámque Regularem ducentibus, infra breve ſpatium temporis plurimas nobilium, id eſt non minùs quam centum ſexaginta feminarum in eodem Monaſterio Domini famulatui aggregavit, & ipſum Monaſterium de rebus ſui Epiſcopatus nobiliter ditavit, ipſúmque cum omnibus ad ſe pertinentibus ſuæ Sedi & Matri Eccleſiæ cui præſidebat ſubjectum in perpetuum fore cenſuit. *Hæc Tranſlatio quotannis in civitate Cenomannica ſollemniter celebratur die XI. Julij, quo ſacræ B. Scholaſticæ Reliquiæ per urbem aulæis & tapetibus adornatam circumducuntur. Exuſto à Normannis ſub finem ſæculi IX. Monaſterio, in quo S. Berarius B. Scholaſticæ corpus depoſuerat, ſacra ipſius theca Normannorum furori ſubducta, in urbanam S. Petri Eccleſiam, quæ jam Collegiata eſt, Hugonis Comitis ſtudio, ineunte X. ſæculo, quarta die Novembris tranſlata eſt.* Hac etiam ſæviente procella *Normannorum, (inquit Vetus Auctor, cujus fragmentum To. 3. Hiſt. Franc. Andreæ Cheſnij refertur)* urbs Cenomannica devaſtatur, & Cœnobium S. Virginis Scholaſticæ extra murum urbis ſitum exuſtum eſt, & corpus ipſius ſacræ Virginis intra ejuſdem urbis ſinum poſitum & conſervatum. *Quod accidiſſe anno* DC. LXIX. *diſcimus ex Anonymi Chronico perantiquo, quod Andreas Cheſnius Geſtis Normann. præmiſit. Nec minori ſanè miraculo ejuſdem S. Scholaſticæ argentea capſa divinitus ſubtracta eſt manibus ſævientium Calviniſtarum, qui anno* M. D. LXII. *die 3. Aprilis, Merlini cujuſdam impuriſſimi nebulonis falſis perſuaſionibus ac civium quorumdam proditione in urbem admiſſi, direptis rebus ſacris ac profanis, die 10. Julij in Vigilia Tranſlationis S. Scholaſticæ ſubita formidine correpti, in fugam nemine inſequente converſi ſunt: quod Cenomanni acceptum ferunt meritis S. Scholaſticæ, quam ut Tutelarem ac Patronam præcipuam colunt. Quæ de S. Scholaſticæ Reliquiarum majori parte per Richildem Caroli Calvi conjugem anno* DCCC. LXXIV. *tranſlatâ in Monaſterium Juviniacenſe circumferuntur, incerta ſunt. Certè Aigulfus SS. Benedicti & Scholaſticæ oſſa ari-*

da ex Italia advexit: & tamen S. Scholaſticæ brachium oſſibus & carne integrum in eodem Monaſterio aſſervari dicitur, uti & cingulum ejuſdem Sanctæ, quo ANNA AUSTRIACA *felicis memoriæ Francorum Regina in puerperio invictiſſimi Regis noſtri Ludovici XIV. modò imperantis uſa eſt. Porro Iuviniacenſe Parthenon Ord. S. Bened. in confinio Diœceſis Trevirenſis duabus à Satanaco opido ad Carum amnem poſitum, ab ipſo conditu nuncupatum eſt S. Scholaſticæ, quæ inibi etiamnunc miracula ſæpiùs operari fertur.*

CIRC. AN. DC. LIII. JULII XI.

EADEM HISTORIA

Auctore AIMOINO Floriacenſis Cœnobii Monacho.

Ex To. 2. Hiſt. Franc. Andreæ Cheſnii.

ERT animus linguam modulis laxare canoris,
Eximii Patris BENEDICTI laude venuſta,
Ut cunctis referem populis, quo præſtitit ad nos
Ordine præclaros transferri corporis artus
Ipſe ſui, junctis ſibimet membris venerandis
Germanæ meritis ſociatæ urnáque ſepulcri.
Nunc Benedicte Pater famulo vires rogitanti
Confer, & exiguis quo te collaudet alumnus
Incipe gratificos mecum mea tibia verſus.
CHLODOVEUS Franca dum Rex regnaret in Aula,
Inclyta progenies DAGOBERTI Principis alti;
Exſtitit egregia morum probitate decorus
Vir LEODEBODUS clara de ſtirpe creatus,
Cœnobii regimen Sancti ſervans Aniani,
Mœnia vicinum quod ſpectant Aureliana.
Hic larga Domini perfuſus cor pietate,
Chlodoveum, quem jam primo ſermone notavi,
Expetiit Regem, ſummâ comptum bonitate,
Haud ſibi diſſimilem, cui talia famina fatur:
Rex, ait, è cujus pendet moderamine tellus
Gallica, quo Franci gaudent ſub Rege potentes;
Parva quidem, ſed grata meæ poſſeſſio menti eſt,
Quam famâ didici fiſci ditione teneri.
Floriacum vulgò vocitant hoc nomine villam:
Hanc depoſco meo tribuas ut jure regatur.
Id neque damna putes tibi, ſi conceſſeris, ulla
Importare, meum fatear cùm reddere fundum.
Nec gratis fiſcum mihimet conferrier opto,
Spondens è proprio ſimilem redhibere locellum.
Annuit his precibus gratanti pectore Princeps,
Collatúmque ſuum lætatur perdere fiſcum,
Contentus quòd non diſpar ſibi redditur arvum.
His ita diſpoſitis, LEODEBODUS venerandus
Poſthabitis animo mordacibus optimè curis,
Optatáque diu tandem tellure potitus,
Fundamenta jacit domibus tunc apta locandis,
Ut famulis Chriſti Monachis habitacula condat.
Procurans, inſtat donec perfectio ſumma
Perfectum demonſtret opus, finémque laborum.
Eccleſias demum binas pro tempore parvas

CIRC. AN. DC. LIII. JULII XI.

Conſtruit, & minimam Chriſti MARIÆ Genitrici
Dedicat, aſt aliam ſancti ſub nomine Petri
Conſecrat. Hæc tum major erat, ſpatioſáque paullùm
Tunc equidem. Nam nunc poſtquam Genitricis in Aula
Tranſiit heſperiâ vectum corpus BENEDICTI
Egregii Patris, ſpatio diffuſior hæc eſt,
Baſilicis necnon multis excelſior una.
Interea magnum ad caulas deducere curat
Agmen, & innumeras hominum glomerare catervas
Præclarus LEODEBODUS ſtudio vigilanti,
Congreget ut Chriſto juratas ſponte cohortes.
Hinc quem Paſtoris condonet munere dignum
Exquirens, meritis vivacibus atque beatis
Invenit Monachum Domino populóque placentem.
MUMMOLUS huic nomen, generis quoque nobile germen:
Fratribus hunc reliquis conſultò præficit, ipſe
Poſt metas vitæ ſuperas conſcendit ad arces.
Aſt Paſtor commiſſa gregis moderamina ſancti
Providè procurans, animum ſcriptis relevabat
Mellifluis, gnarus dictis Patrum ſociari.
Præcipuum in libris illi ſtudium relegendis,
Pectore quos ſacro profudit Papa beatus,
Jocundi verbi ſenſus GREGORIUS alti.
Quem docuit ſanctus qui ad flumina nota columbæ
Spiritus in ſpecu Chriſtum veſtivit honore.
Hos dum continua verſare manu pius inſtat
Mummolus, in geſtis Patris ſemper memorandi
Repperit emeritum dixiſſe ſuis Benedictum,
Dum celſa reſidet Caſſini montis in arce,
Quòd diræ eruerent nullo cunctamine gentes
Omnia ſepta gregis. Tunc jam decurſa meâſſe
Agnoſcens Sanctus quæ viderat antè futura,
Intendit mentem, eveniat ſi fortè facultas
Aſportare ſacrum jamdicti corpus alumni.
Mittitur AIGULFUS magnam Diomedis ad urbem,
Qui vehat optandos cunctis mortalibus artus
O BENEDICTE tuos virtutum lampade claros,
Celſo delatos Caſſini vertice montis.
Nam famulus domini ſomno dum membra dediſſet
Mummolus, oſtenſum dixit ſibi cælitùs iſtud.
Tunc quoque progreſſi quidam Cinomannis ab urbe
Advenêre viri, ſimilis quos viſio ſomni
Admonuit, longa ut quærant regione ſepulcrum,
Quo fatri conjuncta pio SCHOLASTICA ſancta
Sit tumulata, ſuáque ferant tutamen in urbe.
Ergo alacres parili junguntur calle beato
Aigulfo, donec tranſcenſis Alpibus uſque
Urbem Romuleam ſedémque Petri reverendam
Devenêre. Locis ſocios hic fortè ſacratis
Intentos ſacer Aigulfus tum deſerit, atque
Impiger accelerabat iter quod ducit ad arcem
Caſſini, quæ tunc eremo circumdata vaſta,
Langobardis olim populantibus omnia circùm,
Dum nec tam ſanctis timuiſſent ædibus atras

Injectare

Injectare manus, discessit incola cunctus. CIRC AN. DC. LIII. JULII XI.
Sedulus huc explorator veniens studiosis
Visibus exquirit, Sanctorum busta piorum
Quo jaceant tumulata loco, seu qualibet arce.
Nam deserta videt, specúque carentia tumbæ.
Quem senior montis residens in parte secreta,
Omnia lustrantem cernens hac voce rogavit:
Heus, inquit, hospes, quánam de gente remota
Explorare venis, nostrósque invisere fines?
Quidve petis? Rursus cunctanti taliter infit:
Ne metuas secreta tui mihi pandere cordis:
Spondeo celatum servare in pectore verbum,
Consiliíque mei vires præbere petenti.
Dixerat, & dicta Aigulfus sic voce secutus:
Nulla meo major versatur corde voluptas,
Quàm potiar sacro BENEDICTI ut corpore Patris.
Demum pauca refert ævo maturus ad ista
Arcano senior, reddens has pectore voces:
Hæc peragenda quidem, magno sed munere, dixit,
Sunt redimenda tibi, si me vis indice tantis
Quæsitum terris thesaurum cernere coràm.
Sicque Senex fatur, cùm talia reddidit heros:
Præmia magna feres, tantùm si quod rogo monstres,
Polliceórque moram nullam generarier à me.
Ille Deo plenus, tacita quem mente gerebat,
Effudit dignas sano de pectore voces:
Cùm nox atra polum subtexerit, atque coruscis
Vecta bigis Phœbe ad medium devenerit axem;
Tu vigil intentis oculis per devia montis
Prospice, quà versum fulgor missus radiantis
Luminis, immensas vincat splendore tenebras:
Illic invenies quod tanto gliscis amore.
Paruit ille senis monitis, primáque quiete
Transacta surgens, quorsum lux splendeat alma
Explorat, cernítque locum clarè radiantem
Luce nova, lapis hunc signatus nomina fratrum
Texerat exteriùs, quem sensim vir venerandus
Impulit in partem. Subitò patuêre reperta
Ossa beata Patris BENEDICTI, necne sororis
Ipsius egregiæ: quæ mox latro venerandus
Inclusit sportæ, palmarum fronde virenti
Contextæ, patriæque solum meditatur adire.
Confestim socios Romæ quos liquerat ipse
Adspicit adventare viâ, montémque tenere.
Proximus his factus, causam quærit veniendi.
Tum primùm secreta sui cordis reserârunt
Aigulfo Christi famulo, qui cuncta peracta
Jam fore prædixit, celeríque fuga properare
Admonuit callem, quo Gallica rura petuntur.
Haud secus ac jussi faciunt, gressúque citato
Digressis, avidè dum linquitur Itala tellus,
Cælitùs insonuit terris vox missa per auras,
Quæ vetuit proferre pedem, spatióque moveri
Quo steterant. Cælis illo sub tempore missus

CIRC. AN. DC. LIII. JULII XI.

Angelus in ſomnis, vultu verbóque minaci,
Pontificem Sedis Romanæ terruit, iſtis
Increpitans dictis, ac ſomnos rumpere cogens:
Cur te ſegnis, ait, torpor lecto recubantem
Detinet, & Latios pateris popularier agros?
Nam Galli veſtris infeſti finibus olim,
Nunc veteris memores iræ, ſuffragia vobis
Juſtorum rapto nituntur tollere coràm,
Servorum Domini captantes corpora furtim.
Antiſtes tali turbatus pectora viſu,
Exſurgit ſtratis, ac agmina cogit in arma.
Langobardorum ſubnixus viribus, illos
Inſequitur, qui poſt tergum cervice reflexa
Innumeros hoſtes ſe propter currere cernunt.
Quod poſtquam vidêre, metu calor oſſa reliquit;
Nec lacrymis caruêre genæ: tum corpore prono
Exorant Chriſtum, qui tanto munere dignos
Duxerat, ut donum ſervet, ne gentibus illis
Præda fiant, & præclaro ſpolientur honore.
Hos Deus obſcuro gradientes aëre ſepſit,
Cernere ne quis eos, ne quis contingere poſſet.
Corripuêre viam interea, quâ ſemita monſtrat.
Et læti patriis gaudent conſiſtere in arvis.
BONODIUM vocitant agrum pagi Aureliani,
Quo primùm feſſi cinerum reſidere piorum
Vectores, Dominúſque ſuis vult glorificari
In Sanctis: cæcus dum matris fuſus ab alvo
Ingrediente die ſenſit diſcedere noctem,
Et claudus rectis lætatur vadere plantis.
Devenêre Novam quam dicunt nomine villam.
Hîc alter veniens ad hanc lucem ſine luce,
Lumine percepto ſanctum laudat Benedictum.
Floriacus perſtat vicus haud porrò remotus
Cœnobio, geruli quò dulcia membra tulerunt.
Huc Domini famulus gaudenti cum grege tendit
Mummolus, ut celebri ducat pompâ metuendas
Relliquias: poſt quem Cinomannica plebs properavit,
Virginis egregiæ ſperans non eſſe neganda
Oſſa ſibi. Sed conſtanter ſe tradere nolle
Aſſerit Aigulfus proprio ſudore redempta.
Attamen aſſiduis precibus non ſponte quievit,
Paſſus reſtitui corpus poſcentibus illis.
Verùm permixtos artus ſecernere tandem
Inſedit menti. Sed qua ratione valeret
Ignarus, Chriſto meruit monſtrante doceri.
Denique majores artus præmortua juxta
Membra locat pueri: confeſtim reddita vitæ
Surrexêre loco, pedibúſque incedere diſcunt.
Exanimis quoque jam tumulo condenda puella
Exiles artus mox attigit, evigilavit.
Sic par cauſa duos ſecrevit ſtrenuè fratres.
Tum Cinomannorum populi cum Virgine læti
Ad proprium redière ſolum. Hinc Mummolus Abba
Promeritus, necnon Aigulfus, gaudia dulcis

Magna ferunt doni, gaudent in tempore tali
Hoc humeris vexiſſe ſuis ad tecta beati
Clavigerique Petri, donec Divina poteſtas
Signaret, quónam ſibi dilectum Benedictum
Condere præciperet Natales poſt geniales,
Quod non multò pòſt pietatis contulit Auctor.
Ergo Dei ſervus tanto de munere lætus
Ancipiti curâ penetral dum cordis oberrat,
Et prece pervigili cælorum dindima ſcandit,
Quo Deus his habilem miſerans concederet urnam;
Illico celſa poli rogitanti porta pateſcit,
Et humilis choreas cælorum nuntius intrat,
Ac ſuperi ditis poſt terrea viſibus adſtat.
Nec mora quæque cupit Regum Rex annuit illi:
Fulgor ab ætherea nam mox demittitur Aula,
Quo tumulanda forem BENEDICTI pignora ſignans.
Mummolus hæc cernens, & fido pectore credens,
Gaudens Templa locat, gaudens transfert Patris oſſa,
Servos qui proprios tueatur Principe Chriſto,
Ac poſt hanc vitam concedat habere perennem.

Circ. An dc. liii. Julii xi.

SERMO S. ODONIS ABBATIS
CLUNIACENSIS ET FLORIACENSIS,
Habitus Floriaci in Feſto Tranſlationis S. BENEDICTI.
Ex Bibliotheca Cluniacenſi edita & MSS.

FESTIVA beatiſſimi BENEDICTI ſollemnitas Chriſto Domino propitiante refulget, quæ Fidelium cordibus & affectum devotionis augere, & ſpiritale gaudium afferre conſuevit. Meritò ſiquidem tanti Patris memoriæ iidem Fideles congaudent, ut illud Propheticum impleatur: *Dicite juſto quoniam bene.* Et item, *Memoria juſti cum laudibus.* Conſtat enim quòd unumquemque Sanctorum Chriſtiana pietas tantò venerabiliùs colit, quantò celſiùs hunc à Deo decoratum cognoverit. Unde & iſtum Patrem Divino quodàm inſtinctu ſpecialiùs amat, ejuſque memoriam dulciùs recenſet: nimirum non neſcia, quòd illum omnipotens Deus inter ſummos & electos ſanctæ Eccleſiæ Patres mirum in modum provexit, & inter ſanctæ Fidei fundatores ac cæleſtis diſciplinæ cenſores inſigniter ſublimavit. Quippe quem Spiritus-ſanctus chariſmate, tum miraculorum ſignis, tum virtutum exercitiis adornavit; ut dignus in mundo appareret, per quem excelſioris Ordinis multitudinem innormaret*. Inde eſt, quòd in hac ſollemnitate & in aliis ſancto nomini ejus dicatis quoties in anno ſuis temporibus eveniunt, tam devotè támque libenter & ex tantis partibus AD EIUS SACRO-SANCTUM TUMULUM tanti accurrunt. Nam non quique pagenſes, verumetiam plebs urbana nobilibus viris conſerta, Clericorum quoque honeſtis quaſi inflorata perſonis, lætabunda confluit, & commune patrocinium devota requirit.

Benedicti dies feſtus omnibus celebris:

Iſa. 5. 20.
Prov. 10. 7.

* *al.* informaret

Tranſlationis dies maximè.

2. Nam quaſi parum eſſe deſiderio devotorum Deus proſpiceret, ſi ſemel in anno tantùm ſollemnitatem ejuſdem Patris Fideles coluiſſent, exſiſtere cauſam præſtitit, quò & alias ſollemnitates gaudio Chriſtianorum adaugeret, quibus pro voto quiſque adveniret: de ſancta videlicet illius TRANSLATIONE, necnon

Circ. An. nc. LIII. Julii XI. Duplex ejus ſollemnitas.

& TUMULATIONE, quæ ſic divinitùs eſſe diſpoſita multa ſignorum ſunt documenta. Quo in loco tanta, ut ita dixerim, tam mira miracula & in ſcriptis referuntur geſta, & ſub oculis patrata dignoſcuntur, ut ipſorum fulgor etiam quoſque remotos ad ejus reverentiam excitare potuerit, quæ licet inſtante jam tempore Antichriſti, cujus faciem (ſicut ſcriptum eſt) præcedet egeſtas, ceſſare videantur; præſtantior tamen ſanitas animarum ſemper ejus meritis obtenta præbetur. Ceſſare autem Divina miracula, vel ibi, vel aliàs, noſtrorum enormitas ſcelerum facit, qui poſt revelatam Chriſti gratiam retro ſumus converſi. De ipſo quippe Domino JESU-CHRISTO perhibetur, quia propter excæcationem infidelis populi nullam in Capharnaum potuerit, & meliùs noluerit patrare virtutem. Nos ergo non ſumus digni, ut illo favore Sanctus iſte nos foveat aut conſolari dignetur, quos ibi placitos lætificare conſuevit alumnos. Hoc ſolum quippe magnum nobis debet videri, quòd talibus præſtat, ut ejus ſanctæ ſollemnitati poſſimus intereſſe, & de ſpe miſericordiæ ejus gaudere. Nec minor eſt ejus miſericordia vel pietas, quàm ſi miracula frequentaret. Sed nimirum neceſſe eſt, ut per omnem Eccleſiam ceſſantibus ſignis, manifeſtetur qui ſint illi, qui univerſalem fidem propter præſentia miracula, vel qui propter futuræ vitæ beatitudinem colunt. Quinetiam terribili judicio ſequaces Antichriſti ſigna potiùs facient, ut coram eis qui voluntariè peccant (ut ſcriptum eſt) offendiculum ponatur. Necdum tamen eadem miracula penitùs adhuc deſunt: quoniam & ad ſacro-ſanctum ejuſdem Patris SEPULCRUM, & in aliis beatæ ejus memoriæ locis hæc etiam fieri non ignoramus. Signorum namque inquiſitoribus, qui unumquemque patrem ſanctum, vel potentem, vel impotentem ex multiplicitate, vel raritate eorumdem ſignorum arbitrantur, illa Dominica exprobratio conſideranda eſt qua dicit: *Generatio mala & adultera ſignum quærit.* Et illa Præconis ipſius exprobrando dicentis: *Judæi ſigna petunt*, quos aliàs Deo odibiles non tacet. Herodes autem qui (ut ſcriptum eſt) cupiebat aliquod ſignum ab eo videre, nec in modico quidem ejus reſponſionem dignus fuit audire. Centurionis autem fidem omni Iſraëli prætulit, qui ad ſervi curationem ſolam ejus juſſionem ſufficere non dubitauit. Hæc exteriùs inſeri quorumdam tepiditas exigit, quorum devotio ceſſantibus ſignis frigeſcit.

Cur aliquando ceſſent. *Marc.* 6. 5. S. Benedicti miracula non penitùs ceſſant. *Exech.* 3. 20. *Matth.* 12. 13. 1. *Cor.* 1. 22. *Luc.* 23. 8. *Matth.* 8. 13.

Monaſteria ab aliis Patribus inſtituta, cur S. Benedicto nomen dederint.

3. Porrò eidem beatiſſimo viro ſua prærogativa admodum ſufficit, qui tantopere fulgoris emicat, ut etiam remotiſſimos totius Chriſtianitatis ſinus radiis ſuæ beatitudinis illuſtret. Nec Monachorum cohortes ubique terrarum diffuſæ tantam ejus altitudinem ignorant, qui ſanctam ipſius inſtitutionem præ ceteris ſectantur: itaut etiam in ipſorum Patrum Cœnobiis qui normam ſancti propoſiti fideliter ac religiosè promulgârunt, hanc proprii clientes eorum malint profiteri, non immeritò arbitrantes, quòd hunc ſpecialiter tamquam alterum Moyſen Deus mundo prædeſtinavit, ut ſicut ille Judæis, ita iſte tam Judæis quàm Gentibus Monaſticæ legis decreta ſanciret. Fuerunt quidem alii, ut jamdictum eſt, ejuſdem ſanctæ inſtitutionis decretores: ſed tamquam Moyſi, huic quoque dicatur, *Novi te ex nomine*, iſte eſt qui in hac cæleſti diſciplina placidiùs effulſit. Nam & ante Moyſen ſacrificiorum ceremoniæ & Circumciſionis ritus frequentiſſimo viguit uſu, qui tamen ſpecialiter per eumdem Moyſen inculcatus eſt. Sic ergo & huic beatiſſimo Legiſlatori non prejudicant alii Patres qui ſanctæ Regulæ munia deſcripſerunt, ſed magis ut aſſertores ejus ſancita confirmant.

S. Benedictus cur Moyſi comparatus.

Neque enim ab re Sanctus iſte Moyſi comparatur, quandoquidem non pauca magnalia penè ſimiliter ab utriſque geruntur. Myſterii itaque majeſtate ſeparata qua ſub illo omnia in figura contingebant, decetero multa reperies quę ſimilia tamquam ſub uno ſpiritu geſta noſter iſte patravit. Et hoc equidem privilegium utriuſque eſt commune, quòd ambo ſunt legiſlatores. Ille querulas Hebræorum turbas de Ægygto exire ſuaſit: iſte verò quaſi de genuinis carnalium deſideriorum tenebris multas ex populo adquiſitionis catervas ſuo

ducatu abſtractas ad terram viventium introducit. Ille mare rubrum diviſit: iſte poſt Petrum inuſitato miraculo diſcipulum equidem ſuper aquas currere fecit, dum planè in utroque facto liqueat rerum obſtare naturam. Videris quid horum præcellat, utrum vel æquale ſit aquas diviſiſſe, aut ſuper eas ſicco veſtigio cucurriſſe. Ille in exuſtis arvis aquam ſitienti populo de petra produxit: iſte de ſicca rupe fontem uſibus Monachorum elicuit, qui hodiéque in rivum fluit. Ille brutos mores Judæorum, quos incredulos vocat & rebelles, virgâ legis coërcuit: iſte Monachorum gregem, ſicut voluntariè auditu auris obedientem, quaſi una perſona propter unum cor alloquens, filium nominat, & ſuavi Chriſti jugo ſupponit. Multa dici præterea poſſent, quibus iſtarum perſonarum convenientia patuiſſet. CIRC. AN. DC. LIII. JULII XI. *S. Bened. in Prologo Reg.*

5. Et hunc quidem beatiſſimum Patrem legiſlatio ſpecialiter Moyſi comparat, ſed magnitudo virtutum atque ſignorum quibuſque etiam excellentiſſimis viris conſertum nihilominus oſtendit, ſicut ille mirabilis ejus vitæ relator Papa videlicet GREGORIUS adſtruit, qui adſignanter ex quibuſdam factis ipſum aliquibus nominatim expreſſis coæquat dicens inter cetera: Nam in aqua ex petra producta Moyſen; in ferro verò quod ex profundo aquæ rediit Eliſæum; in aquæ itinere Petrum; in corvi obedientia Eliam; in luctu autem mortis inimici David video & perpendo. Vir iſte ſpiritu Juſtorum omnium plenus fuit. Qui & in dono prophetiæ, & in dignoſcendis hominum cogitationibus atque in ſecretorum agnitione judiciorum valde eum perſpicacem fuiſſe non tacet. Poſtremò quòd inter plurima ſuperni muneris chariſmata adprimè diſertus fuerit, & quòd Monachorum Regulam luculento ſermone & diſcretione præcipua ſcripſerit, lætabundis auribus eorum enarrat. Lætabundis, inquam, quia grande gaudium quibuſque ſanum ſapientibus hoc affert, quòd eis ſuperna providentia talem ac tantum ducem ac Præceptorem conſtituit, quem ad promulgandam cæleſtis diſciplinæ legem dignum & idoneum totus mundus agnoſcat. Gaudent ergo & quaſi prævium ſequentes de ejus nutu pendent & cordis aciem in eum defigunt. Gaudent, quia per ejus magiſterium ad cæleſtis militiæ tirocinium ſunt adſciti. Sperant ſe ſub ejus ducatu militantes ad ſuperni Regis palatium intromitti, & quod ſuis meritis nequaquam præſumunt, ejuſdem ſui ducis interceſſione ſe adipiſci confidunt. Cur aliis Patribus ſanctis? « *Greg. l. 2. Dial. c. 8.*

6. Ad hanc itaque Lucernam quaſi in caliginoſo vitæ hujus ſtadio micantem ſubinde reſpiciunt, & in ipſa vident quò greſſum operis tendant. Lucerna igitur eſt beatiſſimus BENEDICTUS: Lucerna, inquam, ad hoc videlicet ſuper candelabrum poſita, ut ardens & lucens (ſicut de ſuo Præcurſore Veritas teſtatur) omnibus qui in domo Dei ſunt reſplendeat. An & iſte ſuperno amore non vehementer arſit? An & iſte cùm verbo & opere, tum ſignorum ſplendore non reluxit? Eſt igitur Lucerna: ſed qualiter eumdem Præceptorem ſuum, immo & Dominum legiones Monachorum decentiùs appellabunt? Dominum, inquam, ſiquidem & Helias dictus eſt Dominus Heliſei. Ergo pietatis affectu vocetur Lucerna, ſed quaſi parum eſt vocetur etiam Stella. Non tamen qualiſcumque, ſed talis quæ erudiens multos ad juſtitiam refulgeat juxta illud Danielis in perpetuas æternitates. Vocetur etiam Sol, quia fulgebit ſicut Sol cum Juſtis & nunc in Eccleſia & tunc in regno patris eorum. Vocetur etiam Angelus, quia legem requirunt ex ore ejus. Poſtremò videant & gaudeant quàm propriè & ſingulariter vocetur BENEDICTUS, quem Deus adeo benedixit in omni benedictione ſpiritali, & per quem tanti benedictionem hereditate poſſidebunt. Fateor enim quòd ejuſdem Patris dilectoribus adeo placet tali vocabulo cenſeri, quod ſolet maximè poſt Divinum nomen in ore Chriſtianorum verſari. Quis enim piè loquens aut Benedictum, aut Benedictionem ſub quolibet obtentu non dicat? Lucerna eſt. Stella & Sol. *Dan. 12. 13.* Angelus. Benedicti nomen eximium.

7. Ceterùm laudes ejus reſonare talibus utcumque congrueret, qui juxta Apoſtolum ſciunt quæ eſt ſpes vocationis Dei, videlicet illius vocationis, qua non Monachis præcipuè laudandus.

CIRC. AN. DC. LIII. JULII XI.

solùm cum aliis Christianis communiter ad Fidem vocati sunt, sed etiam ad subeundum celsiorem gradum per eumdem Patrem institutum: qui in vacuum gratiam hanc nequaquam accipiunt, sed quæ eis à Deo donata sunt nôrunt. De quibus propter cor & animam unam sub unius populi vocabulo Deus dicit: *Ps.* 17. 45. & 150. 1. Obauditu auris obediunt mihi, quem nimirum in Sanctis ejus laudare jubemur, sed quales eum laudare debeant Scriptura non tacet, dicens ad ipsos: *Psal.* 2. 1. *Qui timetis Dominum, laudate eum.* Et item: *Laudabunt Dominum qui requirunt eum.* *Eccl.* 15. 9. Quo contra; *Non est*, inquit, *speciosa laus in ore peccatoris.* Quid ergo de nobis censendum est, qui supra modum peccatores sumus & laudes ejus attentare præsumimus? sed Divinæ pietatis divitias attendentes, de ejusdem indulgentissimi Patroni misericordia præsumimus. Denique eadem sancta Scriptura quæ *Ps.* 68. 35. in persona Justorum dicit, *Laudent eum cæli*, mox subjungit: *& terra*, ne peccatores desperarent. Nam adeò Deus misericordiam suam multiplicat, ut non solùm homines, sed etiam jumenta salvet. Ergo & nos de ejusdem Patris laude licet indigni gaudeamus: & quamvis non sit nobis os aperire præ confusione, tamen illud Mosaïcum unusquisque nostrûm ei dicat: *Scio quia misericors es Domine*, cum metu & spe præstolantes utrúmne sicut Regibus consuetudo est, ut in suis natalitiis reos absolvant, sic iste Princeps Dei propter gaudium suę sanctæ sollemnitatis vincula nostra relaxet. Siquidem & illud occurrit memorię, quòd inter pretiosa filiorum Israël munera, etiam pilos caprarum quidam detulerunt: & quia per illos peccatorum confessio signatur, saltem vel hoc unum offeramus. Verùm si deest aurum sapientiæ, si argentum ritè laudantis eloquii, si diversarum virtutum gemmæ, postremò si castitatis byssus miseris abest; vel prędictos caprarum pilos offeramus, quia fortè & ipsi cum veraci confessione placebunt. Veraci scilicet, quia quem adhuc ex consensu peccare delectat, falsum est quòd de præteritis verè pœniteat.

Translatio à Floriacensibus cum gaudio celebranda.

8. Ut autem quiddam de humano usu loquamur, si quando paterfamilias post tempus domum suam revertitur, omnis familia solet adgaudere, cùm quidem & catelli exsilientes quodam gestu membrorum se monstrant lętari. Quapropter & nos licet jumentis insipientibus meritò simus comparandi, tamen si ob istius honorem sollemnitatis quæ eumdem nostrum dominum nobis quodammodò repræsentat gavisi fuerimus, vel micas misericordiæ ejus sperare quasi catuli sub mensa poterimus. Et hoc non ex nobis, sed ex bonitatę Evangelici Regis, qui cæcos & claudos ad convivium suum dignatus est adscíscere. Bene ergo nobiscum agitur, quòd idem Paterfamilias nos suis sollemniis interesse non dedignatur. O quanti sunt etiam in remotissimis trans maria regionibus qui tantopere gauderent, si eis vel semel ad ejus SACRUM CORPUS* accedendi possibilitas esset! unde etiam considerandum est, quid nobis à Deo donatum sit: ne fortè si ejus præsentiam minùs reverenter senserimus, aut infecto corde, quod absit, in conspectu ejus vacui venerimus, dicat ipse Propheticum illud: *Non est anima mea ad populum istum.* Et item: *Prope es tu ori eorum & longè à renibus eorum.* Propterea cùm ad exemplum illius Evangelici Regis intraverit, ut videat sollemnizantes tamquam discumbentes (nam cùm Spiritu Dei plenus sit, nihil est in creaturis Dei quod ipsum latêre possit) quisque nostrûm procuret, ne fortè paternos ejus oculos cordis amictu vel corporis offendat. Nam ut ipse dicit omnis exaltatio genus est superbiæ, per quam maximè quisque fit, ut scriptum est, abominabilis apud Deum. Meminerimus tamen, quia ad supernum Judicem vel ad senatores cæli placandos recogitatio seu confessio peccati specialiter profit juxta illud: *Narra si quid habes, ut justificeris.* Et Psalmista: *Iniquitatem*, inquit, *meam agnosco.* Et ideo quasi securus postulat: *Averte faciem tuam à peccatis meis.*

* *al.* tumulum

Bened. Reg. c. 8. *Prov.* 12. 10. *Isa.* 43. 26. *Psal.* 50.

Speculum est S. Benedictus.

9. Quisquis verò nostrûm vult sui meriti faciem contemplari, necesse habet, ut in hoc speculum intendat, id est ut ejusdem Patris actus sollicitus perpendat. Inspectis etenim prout nostra parvitas est illius gestis, vel quantum nos in imo,

vel quantum ille in ſublime ſit animadvertere poterimus. Hinc de quolibet pœnitente ſcriptum eſt: *Reſpiciet homines*, id eſt Sanctos, & *dicet peccavi.* Quoniam in illorum ſpecioſitate conſiderat, quantum ſe deformem attendat. Quæ utilitas autem de eadem confeſſione proveniat, ibidem ſignatum eſt cùm dicitur: *Liberemus eum de ſuperbia & de his quæ fecit, ut non eat in perditionem.* At verò quia Scriptura jubet; *Sanctus enim dies Domini eſt, nolite contriſtari*; quod in nobis vel ex nobis eſt triſte omittamus: & quaſi nobiſcum ſit hodie ſponſus, gaudere præſumamus. Munus verò noſtræ confeſſionis velut ante pedes paternæ pietatis offerentes, noſtrum poſſe in ejus laude & admiratione totum ſublevemus. Ejus autem laudes tanto quiſque celſiori voce clamat, quanto hunc ardentiùs amat, vel ejus vitam perſpicaciùs penſat, quæ nimirum à ſui primordio tota admiratione digniſſima eſt. CIRC. AN. DC. LIII. JULII XI.

10. Nam quàm magnificum illud eſt quòd paternas, ut fertur *, locupletiſſimas admodum opes velut obſcœnum ſtercus exhorruit, & vana eſſe ſtudia Philoſophorum adhuc tenerrimus cognovit: qui grandævo animo jam tunc ſubire eremi vaſtitatem auſus eſt, quod nec ipſe quidem Martinus toto orbe mirabilis feciſſe refertur. Et quia jugum non ſolùm ab adoleſcentia, ſed etiam ab ipſa infantia portavit, ut ibidem Hieremias proſequitur, in illo cæleſti capitolio ſingulariter ſedebit. Nec ſine Divino moderamine geſtum fuiſſe conſtat, quòd aculeos tentationis in ſeſe tam validos ibidem expertus eſt. Sicut enim dux bonorum Petrus primò ſibi oſtenſus, eſt tunc Dominico gregi prælatus, ſic iſte Princeps Dei tantorum milibus Monachorum præferendus oportuit, ut proprio diſcrimine probaret, qualiter ſubditis miſereri debuiſſet. Quia tamen proprium & primum certaminis impetum fortiter devicit, tale quid deinceps numquam ſenſit. Quàm obedienter ſanè & quam diſertè privato bono quiſque debeat commune bonum præferre, hic ſpiritualis diſciplinæ Magiſter in hoc ſuo facto demonſtrat, quòd mox ut expetitus eſt, dilectam ſolitudinem ſe vincens deſeruit, & voto ſupplicum ſatisfecit. Quoniam verò ſancta atque miranda ejus geſta in promptu habentur, nos interim taceamus de illis.

Miranda ipſius geſta.

* *al.* ut fertur eo deſerente opes, admodum domiciliũ ſibi Spiritus-S. in ejus ſacro pectuſculo collocaverat: qui eſſe Philoſophorum inania ſtudia adhuc &c.

11. Hoc tamen ad ejus honorificentiam referamus, quòd non alius quilibet ex Magiſtris Eccleſiæ vitam tanti Patris digeſſit, quàm inſignis ille diſertiſſimus Papa Gregorius, qui totum quod ſcripſit quaſi aurum refulget. Divinitus enim diſpoſitum eſt, ut cùm iſdem excellentiſſimus Legiſlator in ceteris modis ſit à Deo decoratus, etiam hinc majori auctoritate tam ipſe quàm legiſlatio ejus roboraretur, quòd eamdem vitam ſummus Apoſtolicæ ſedis Pontifex ordinavit. Quæ ſcilicet vita etiam ex occaſione Dialogi ejus pluribus innoteſceret, & non ſolùm apud Latinos, ſed etiam apud Græcos notiſſima foret.

Quãta laus S. Benedicti quòd Gregorium Vitæ Scriptorem habuit.

Dialogi græcè tranſlati.

12. Nec illud prætereat quod omnimodis gaudendum eſt nobis, hunc tantum ſplendorem in hanc noſtram Occiduam regionem venire divino nutu donatum eſſe. Neque enim ab re credimus contigiſſe, quod clientem unicè dilectum, beatum videlicet Maurum, has in partes adhuc vivens direxerit, & demum ſe transferri voluerit. Fortè enim cùm ſancta mens ejus adeo dilatata eſſet, ut omnem mundum ſimul conſpiceret, hunc locum ſibi quodam occulto conſilio ſpecialiter delegit. Viderit ergo quiſquis eſt cui locus tam multis uſquequaque tantum deſiderabilis non negatur, quanti habendus ſit, quantáque reverentia excolendus. Pondus quippe cujuſlibet reatus, non ſolùm ex intellectu gerentis vel tempore, ſed etiam ex loco ſolet penſari. Hinc enim velut à majori exprobratione contra impium vox Divina queritur dicens: *In terra Sanctorum iniquè geſſit, & non videbit gloriam Domini.* Et item: *Dilectus meus in domo mea malè operatus eſt.* Alioquin quem præſentia tanti Patris ad ſui reverentiam non flectit, ſpiritum Judę videtur participare. [Illi quoque qui mente inſani & potiùs inflati ſuperbiæ typo, non ſolùm ex longinquo, ſed nec è vicino ejus cunctis mortalibus & præcipuè illius ſaluberrima doctrina informatis venerandum Tumulum adire dignantur: quibus planè timendum, ne & ipſi aliquando, quod abſit,

S. Benedictus Galliam ſpeciatim elegit.

Floriacus quanta ſanctitate colendus.

Parentheſi incluſa deſunt in ed. tu.

CIRC. AN. DC. LIII. JULII XI.

dedignentur. Quibus communi adhortationis verbo ſuademus, ut ſatisfacere rei ex hoc Deo & ſancto ejus Benedicto pia humilitate ſtudeant. Nam ſi ille, quod verum eſt, immò quia verum eſt, Pater Monachorum & dux glorioſus eſt, ubi eſt honor ejus? Sed heu prô dolor! dum omnes tam ex Canonicali quàm etiam permaximè ex laïcali ordine eum ut dominum venerantur & colunt, adorant & amant, ſoli Monachi illum odiunt, inſequuntur & velut inimicum malis fugiunt & illi appropinquare recuſant: ignorant quem præ cæteris quaſi ſoli ſcire debuerant, quibus contingit: qui ignorat ignorabitur. Hi tales namque in fine benedictione carebunt quòd ſuam partem inferiorem faciunt, & Judæ Domini traditoris] cujus duritiam nec viſio, nec locutio, nec convivium ipſius Domini emollivit, [judicium adquirunt.] Inſpiciamus ergo his omiſſis, de quibus ſilere melius eſt quàm loqui, nos populus & oves paſcuæ ejus, quod à Deo donatum eſt nobis, & oblatam gratiam nullatenus in vacuum recipiamus. Tantus fulgor cæcitatẽ mentis noſtræ illuminet, tanta pietas duritiam emolliat, tam potens medicina vulnera noſtra ſanet. Si enim adhuc puerulus ita capiſterium reparavit, ut nec ſciſſura quidem appareret; nos qui vaſa ad honorem in domo Dei per gratiam vocati ſumus, quia multas peccatorum ſciſſuras incurrimus, per eumdem Medicum qui jam ſuo Regi ſociatus eſt reparari poterimus. Si nigredo ſcelerum nos decoloravit, non ſimus ut Æthiops qui non mutat pellem ſuam, ſed ad ejus manum recurrentes, annonam miſericordiæ ſicut ille ſuus corvus ab eo requiramus. Si etiam inter injurioſos meritò computandi ſumus, illum tamen affectum quo pro ſe odiente flevit, ab ipſo repoſcamus. Neque enim ſupplices quamvis indignos averſabitur, qui pro perſeverante in malitia lugebat. Gaudeamus ergo & erga Dominum noſtrum quo valeamus adniſu dilectionis affectum exhibeamus. Nam idcirco dimiſſa ſunt Mariæ peccata multa, quoniam dilexit multùm.

Benedictus ubique à ſuis celebratus.

13. Cæterùm ad laudes ejuſdem Principis Dei ſemper juxta Pſalmiſtam adjicere cuiquam deſiderandũ eſt. Sed nos affectum quidem exhibere poſſumus, effectum verò tantæ rei nequaquam explere ſufficimus. Quapropter eaſdem illius laudes non una vox, non una congregatio, neque una urbs vel provincia proclamat, ſed ubicumque ſancta Eccleſia diffunditur, per tribus, per nationes, per linguas laus BENEDICTI frequentatur. Si enim in multitudine populi dignitas Regis eſt, ut ait Salomon; quantam putamus eſſe dignitatem iſtius Regis, quem tam numeroſus proſequitur exercitus Monachorum? Quis umquam Rex aut Imperator in tantis mundi partibus imperavit, aut ex tam diverſis nationibus tantas ſibi legiones conduxit, quantas videlicet cujuſlibet ſexus & ætatis in Chriſti militia voluntariè juratas diſponit? Qui quaſi præſentem intuentes & vexillum inſtitutionis ſequentes, diabolicas acies viriliter infringunt, quibus illud Propheticum bene coaptatur: *Erunt oculi tui videntes præceptorem tuum.* Denique fidelis opinio eſt, quòd unuſquiſque Sanctorum cùm illis ſurget in regeneratione, quos Domino adquiſivit. Cùm verò univerſi hujuſce inſtitutionis ejus ſequaces in unum coacti fuerint, quale ſignum Apoſtolatûs Benedicto tunc ille copioſus exercitus ſeipſum exhibebit! O quali gaudio tunc ille tripudiabit, qui ſeſe illis cohortibus immiſcere potuerit.

Prov. 14. 28.

Iſa. 30. 21.

Omnibus imitandus.

14. Nunc omnes vel loco, vel affectu vicini in eum cordis intuitum dirigant, omnia enim omnibus factus eſt. Habent enim pueri formam in puero quam ſequantur, ut quoniam ad exemplum Iſaac Deo oblati ſunt, primordia ſua caveant fermentare: ac deinceps quique per ætatum ſucceſſiones ſint perfecti ſeſu, ut à paterna ſui nutricii pietate non degenerent, ne fortè ſi ab excellentiori gradu ceciderint, graviùs elidantur. Sed & nos quicumque deliquimus, nullo modo ab ſperanda clementia deficiamus, quia vivens & poſt obitum mortuos ſuſcitavit, confracta reſtauravit, deſperata curavit: & quamvis non fecerimus ejus voluntatem, Dominum tamen invocemus eum, & ſint oculi noſtri in manibus ejus intendentes, donec ipſe ſuos attollat oculos ſuper nos & miſereatur

reatur noſtri. Sit nobis ſemper BENEDICTUS in corde, BENEDICTUS in ore, BENEDICTUS in actu: quatinus ſi qua virtus, ſi qua laus diſciplinæ, ut illud Apoſtolicum imitantes, quæ vidimus in illo & audivimus ab illo ſectemur, ut nobiſcum ſit Deus pacis per ipſum in ſæcula ſæculorum, Amen. CIRC. AN. DC. LIII. JULII XI. *Philip.* 4. 8.

MIRACVLA S. BENEDICTI
PATRATA IN GALLIA POST TRANSLATIONEM ad medium uſque ſæculum IX.

Scripta ab ADREVALDO Monacho Floriacenſi, Caroli Calvi principatu.

Ex Iohannis Boſcij Biblioth. Floriac. Bollando & Mſſ.

PROLOGUS AUCTORIS.

REGNI Italici ſummum ac præclarum decus eâ inſtantiâ à præpollentiſſimis veterum Auctorum ingeniis tractatum eſt editúmque conſtat, quo jam inveniri nequiret quod non præoccupaverit Majorum diligentia. Scriptoribus namque præſtantiſſimis ſuppetere plurimùm videbatur ipſius laudabilis terræ excellens materia, cæli ſcilicet temperie, locorum ſalubritate, fertilitate ſoli, opacitate abundantiſſima nemorum, collium apricitate, olearum vitiúmque profluis proventibus, novarum urbium amœnitate, veterum quoque opidorum decore, amnium nobilium felici prolapſu, unáque cunctarum rerum opulentiſſima gloria. At cùm tantæ copiæ potentia vigórque decentiſſimus veterum ſtudio Italiæ fuerit attributus, tractus tamen totius patriæ in diverſa porrectus, diligenti ſeſe conſideratione adverti expoſcit. Neque enim unius ſolummodo regionis beneficia complecti tanta laude videntur, quin potiùs patriæ omnis decor Regníque felicitas brevi memoratu acſi quodam collectaneo adſtricta perſpicitur. Cúmque magnitudo ipſa Italici Regni quod olim Magna Græcia nuncupabatur, eoquòd urbes ejus atque caſtella vel maxima ex parte auctoribus Græcis conſtiterint, in longitudinem latitudinémque æquo libramine æſtimata, longitudine haud modicè ſuperet latitudinem, aſſimilis utique querno folio, quod proceritate ſuî latitudinem excedit; plurimarum tamen provinciarum mater effecta, prædulci cunctas amplectitur gremio. At verò Romani Imperij inſignis potentia dum edomitum orbem jure perduellionis obtinere vellet, ampliſſima regnorum ſpatia quæ per Aſiam, Europam & Lybiam haud parum diſtenduntur, in provincias coloniáſque diſſcindere ratum habuit, ſícque ſtipendiarias legionibus interpoſitis conſtituere. Inter quæ Italia quoque maxima Regnorum Occidentalis climatis diviſionem paſſa, duodeviginti[a] provincias ex ſeſe protulit, quarum omnium præclarior Valeria, eíque adjuncta Nurſia inter Umbriam & Campaniam Picenúmque conſiſtit, Samnitum Orientem verſus proſpectans limitem, Hetruriâ verò ſemetipſam determinans. Cùm itaque, ut prælibavimus, nobilitate ſingulari & bonorum omnium proventibus affluentiſſimè exubereſcat, præcelſorúmque altrix virorum priſca reperiatur ætate; uno tamen ſemetipſam editiſſimo potuit vincere germine, dum Beatiſſimi Patris BENEDICTI optandam cunctis mortalibus protulit genituram. Italiæ laus & deſcriptio.

[a] Totidem Italiæ provincias numerat Paulus Varnefridus in lib. 2. Hiſt. Langob. cap. 15. & ſeqq.

CIRC. AN. DC. LIII. JULII XI.

MONITUM.

JOHANNES *Boſcius librum Miraculorum uno tenore (ut ex Mſſ. codd. apparet) ab Adrevaldo ſcriptum diviſit in Capitula 39. quibus duos Adelerij articulos ſubjunxit. Ex primis Capitulis novem quæ mera eſt repetitio ex Actis SS. Benedicti & Mauri aliiſque Auctoribus cuique obviis collecta, paucos dumtaxat verſus excerpſimus. In capite 1. ſic poſt ſuperiora, genus & ortum S. Benedicti deſcribit Adrevaldus.*

S. Benedicti ortus ac genus eximium.

Hic nempe dilectus Domini BENEDICTUS teſte eximio Præſule Gregorio Nurſia exortus, quæ, ut jam præfatus ſum, conjuncta Valeriæ Hetruriæque unam efficit provinciam, non ſolùm eam ſuo illuſtravit exortu, verùm omnem Italiam, cujus felicitas alto repetita principio hac de cauſa brevi ediſſerta eſt, inclytam ſuo munere præſtitit. Denique quantæ dignitatis parentibus progenitus fuerit, teſtantur ruinæ palatij eorum cùm ædicula prope mœnia Nurſiæ urbis ſita. Tantæ quippe magnitudinis perplexi operis ex fundamentis conjicitur, ut quælibet palatia potentiſſimorum ſuperaverit Regum, nec modicis queat reparari impenſis.

Hoc Adrevaldi teſtimonium reſpuunt ſocij Bollandiani, præferuntque Leonis Marſicani ſilentium de liberiori genere *S. Benedicti, cui tamen generis nobilitatem concedunt liberaliter. Gratiam ſine dubio illis habebit Benedictus: de cujus nobilitate ſatis à Gregorio Magno teſtata rixari non juvat. Quamquam viri æquiſſimi paullulò videntur moroſiores adverſus Adrevaldum, qui licet in nonnullis lapſus ſit, Auctores ſanè quamplures ab illis probatos & magna cura ac religione editos ſuperat eruditione & auctoritate. Neque de rebus noſtris eruditorum cenſuram ac judicia recuſamus, ſed præjudicia.*

In capite 7. notanda in Adrevaldo quædam, quæ Vitæ S. Mauri ex Caſſino in Galliam profecturi nonnihil lucis afferunt. Profecti itaque à Cœnobio Caſſini Epiphaniorum diebus, quinta ſabbati, haud procul in prædio ejuſdem Cœnobij ea deveniunt die. *Cùm in vulgato Fauſto ſic legatur:* Igitur nos quinta Epiphaniorum Sabbati iter arripientes, &c. *Anno Chriſti* D. XLIII. *quo S. Maurum Caſſino diſceſſiſſe diximus, Epiphania in feriam tertiam incidebat: adeout ſi prior expoſitio præferenda videatur, Maurus quintâ hebdomadæ feriâ, Epiphaniorum die tertia Caſſinum egreſſus ſit. Adrevaldus poſtquam S. Benedicti tranſitum B. Mauro in Gallia perſpectum enarravit, agit de Caſſinenſi everſione capite 10. quo ex loco opus Auctoris integrum appoſitis Boſciana editionis Capitulorum notis repræſentamus.*

CAP. X. Caſſinenſis everſio.

JUSTINO igitur Imperatore ob immanitatem ſcelerum in amentiam verſo ac paullo pòſt vitâ privato, TIBERIUS Conſtantinus, vir Reipublicæ regendæ ſtrenuus, Imperij infulas totius gentis adniſu ſuſcepit, quibus per ſeptem annos ritè gubernatis, ſucceſſorem delegit ſibi MAURICIUM, ex proſapia Græcorum ac Capadocia oriundum. Quo imperante, B. GREGORIUS ſanctæ atque Apoſtolicæ Sedi Romæ præficitur Epiſcopus. Porro Francorum Regnum BRUNECHILDIS Regina cum nepotibus THEODEBERTO atque THEODERICO filiis Childeberti Regis jam majoris ætatis metas attingentibus fortiter regebat. At verò gens Langobardorum Italiam à partibus Venetiarum dudum, ut ſuprà prælibavimus, ingreſſa, maxima ex parte cladibus afficiendo, ſuæ potentiæ ſubdere conabatur. Procedente deinde tempore, jámque Phoca Imperium adminiſtrante Romanum, qui Mauricium Imperatorem cum filiis Theodoſio, Tiberio, atque Conſtantino, cùm eſſet Strator Priſci Patricij, dolo interemerat, præfata Gens duce AGILULFO, quem ſibi Regem præfecerat, totam pæne irrumpit [a] Italiam, Romanámque aggreditur urbem. Nec longo pòſt à prædonibus prædictæ gentis, Monaſterium beatiſſimi Patris Benedicti, quod in Caſſino ſitum eſt, noctu invaditur, diripitur, deſtruitur. Qui cùm univerſa diriperent, ne unum quidem ex Monachis tenere potuerunt: ut prophetia venerabilis Patris, quam longè ante præviderat, compleretur, qua dixit: Vix apud Dominum obtinere potui, ut ex hoc loco mihi animæ concederentur. Fugientes autem ex eodem loco Monachi Romam venerunt, codicem ſanctæ Regulæ quam ſæpedictus Pater compoſuerat, & quædam alia ejus ſcripta; necnon pondus panis, & menſuram vini, ac quidquid ex ſupellectili furripere potuerant deferentes. Phoca itaque poſt octo annorum curricula, quibus Imperium omne peſſum-

[a] Cave id intelligas de prima Langobardorum in Italiam impreſſione, quæ Alboino duce, Juſtino Imperatore facta eſt. De tempore everſionis Caſſinenſis egimus ad cap. 17. Vitæ S. P. Benedicti.

dederat condigno mortis genere trucidato, HERACLIUS ſuccedit, regens Imperij ſceptra viginti ſex annis. Cuíque HERACLONAS * cum matre MARINA duobus ſubſtituitur annis : ac deinde CONSTANTINUS filius Conſtantini [a], ſucceſſionis ordine annis ſufficitur viginti & novem. Quo imperante Italicum Regnum GRIMOALDUS ſibi proſperè diſponere videbatur, Francorum verò regimen CHLODOVEUS filius Dagoberti optimè aſſervabat. CIRC. AN. DC. LIII. JULII XI. *al. Heracleonas. a

XI. Tranſlatio SS. Benedicti & Scholaſticæ.

Hac proinde tempeſtate MUMMOLUS Abbas Cœnobij Floriacenſis, quod ſitum eſt in territorio Aurelianenſi ſupra fluvium Ligeris, divina monitus viſione per ſomnium, dirigit unà cum conſenſu Deo ſibi commilitantium Fratrem quemdam ex ſuis venerabilem Monachum AIGULFUM nomine : quatenùs ſanctiſſimi Confeſſoris Chriſti BENEDICTI corpus huc transferre deberet. Sic enim ſibi revelatum divinitùs aſſerebat. Cui ex inſperato conjunguntur Miſſi Cenomannenſis urbis Epiſcopi, & ipſi propter corpus beatiſſimæ SCHOLASTICÆ virginis ſororis eximij Patris Benedicti transferendum Divina revelatione invitati. Cujus rei hiſtoriam, quia in promptu eſt *, inſtanti opuſculo inſerere ſupervacaneum duximus. Huic ſacratiſſimæ Tranſlationi beatorum germanorum, Benedicti ſcilicet atque Scholaſticæ, atteſtatur Paulus Monachus, cujus ſuprà mentionem egi, in hiſtoria gentis ſuæ libro ſexto, ita inquiens: Circa hęc tempora (haud dubium quin Conſtantino Imperante) cùm in Caſtro Caſſini ubi beatiſſimi Benedicti corpus requieſcebat, aliquantis jam elapſis annis ſolitudo exſiſteret ; venientes de Cenomannenſium & Aurelianenſium regione Franci, dum apud ſacrum corpus ſe pernoctare ſimulâſſent, ejuſdem Patris atque germanæ ejus oſſa auferentes, in ſuam patriam aſportaverunt, ubi ſingillatim duo Monaſteria in utriuſque honore conſtructa ſunt. * *Scripta ſcil. ab ipſo Adrevalde.* « Pauli « Diac. teſtimonio «

XII. Rerum Francicarum ſtatus.

Sanè JUSTINIANO juniore poſt mortem Conſtantini Imperium aſſumente, decem in Imperio annis exactis, à LEONE Auguſtali dignitate privatur, exſilióque relegatur: adverſum hunc TIBERIUS arma corripiens, imperiali ſarcina relevatum retrudit in carcerem. Porrò illo in tempore, apud Gallias Francorum decidente gloria, à Præfectis Palatij domus ordinabatur Regia, Regibus ob imperitiam deſidiámque ſolum Regale nomen inaniter geſtantibus. Namque & opes & potentia Regni penes Palatij Præfectos, qui Majores-domus dicebantur, & ad quos ſumma Imperij pertinebat, retinebantur, neque aliud Regi relinquebatur, quàm ut Regio tantùm nomine contentus, crine profuſo, barbâ ſummiſsâ ſolio reſideret, ac ſpeciem dominantis effingeret: Legatos undecumque venientes audiret, eíſque abeuntibus reſponſa quæ erat edoctus vel etiam juſſus ex ſua velut poteſtate redderet: cùm præter inutile Regis nomen, & precarium vitę ſtipendium, quod ei Prefectus aulæ, prout videbatur, exhibebat, nihil aliud proprij poſſideret, quàm unam & eam perparvi reditûs villam, in qua domum & ex qua famulos ſibi neceſſaria miniſtrantes atque obſequium exhibentes paucę numeroſitatis habebat. Quocumque eundum ei erat, carpento ibat, quod bobus junctis [b] & bubulco ruſtico more agente trahebatur. Sic ad palatium, ſic ad publicum populi ſui conventum, qui annuatim ob Regni utilitatem celebrabatur, ire, ſic domum redire ſolebat. At Regni adminiſtrationem & omnia quæ vel domi, vel foris agenda erant ac diſponenda, Præfectus aulæ procurabat: cujus officij magiſtratum ea ætate ARNULFUS [c] vir eximiæ nobilitatis probabiliſque vitæ, cum filio Angeſilo adprimè regebat. Quique relictâ pòſt ſęculi gloriâ, Epiſcopus Mediomatricum, Cleri populíque accla- b

a Hic locus ex Paulo Diac. in Hiſt. Langob. lib. 4. cap. 51. emendandus hoc modo: *Heraclon ejus filius cum matre Martina Regni jura ſuſcepit, rexitque Imperium duobus annis. Quo vitæ decedente ſucceſſit in locum ejus Conſtantinus germanus ejuſdem alius filius Heraclij imperavítque menſibus ſex. Hoc etiam mortuo Conſtantinus ejuſdem filius ad Regni dignitatem aſcendit, tenúitque Regnum annis octo & viginti.*

b Hîc nimius videtur Adrevaldus in deprimendo Regum illius temporis ſtatu, quem tamen omnino degenerem fuiſſe concedunt omnes.

c Neque S. Arnulfus Major-domus fuit, neque ſub ignavis illis Regibus Palatium rexit, certè nec antè Monachus fuit quàm Epiſcopus. Lege ejus Acta ad ann. 640.

CIRC. AN. DC. LIII. JULII XI.

matione & voto ordinatus, mirabiliter in Pontificatu vivere ſtuduit: ac demùm eremiticam eligens vitam, leproſis univerſa præbens obſequia, continentiſſimè uſque ad obitum vixit. ANASTASIUS jam tunc Romani Imperij regebat inſignia, Italici verò Regni principatum poſt AREPERTUM LIUTPRANDUS in ſuam redegerat ditionem.

XIII. Caſſinenſæ Monaſterium à Petronace inſtauratur.

Circa hæc tempora PETRONAX quidam civis Brexianus, Religioſæ vitæ continentiam ſervans, Romam agente Præſulatum B. Gregorio [a] venit ſancti deſiderij patefacturus votum. Denique hortatu ejuſdem ſanctiſſimi Præſulis prædictus Petronax Cœnobium quod quondam ab egregio Patre Benedicto in Caſtro Caſſini montis ædificatum fuerat, atque permiſſu Dei omnipotentis à Langobardis deſtructum, devotiſſimè adiit, ibíque cum aliquibus prudenti ſimplicitate præditis, qui jam ejuſdem loci habitationem expetierant, ſumma caritatis annexione in S. Religionis habitu vivere cœpit, quíque eumdem virum Seniorem ſibi præficiunt. Non poſt multum verò temporis, cooperante divina miſericordia, ſuffragantibus meritis præcipui Patris Benedicti, multorum ibidem Monachorum nobilium atque mediocrium ad ſe concurrentium Pater effectus eſt: ſícque reparatis habitaculis Cœnobitali Ordini congruentibus, ſub ſanctæ Regulæ jugo ac beatiſſimi Patris Benedicti inſtitutione vivere cœperunt. Hoc itaque ordine in ſtatum, quo nunc cernitur, ſanctiſſimum illud Caſſinenſe Cœnobium reparatum eſt, cùm jam ferè centum & decem annorum [b] curricula evoluta eſſent, ex quo occulto Dei nutu locus ille habitatione carere cœperat humana. Proinde ſequenti tempore, huic venerabili viro Petronaci dilectus Domini Pontifex Zacharias plurimum auxilij contulit, libros ſcilicet ſanctæ Scripturæ, necnon & alia quæ ad utilitatem Monaſterij pertinere poterant: inſuper & Regulam quam ipſe egregius Pater ſanctiſſimis conſcripſit manibus, paterna libertate conceſſit.

a

b

XIV. Caroli Martelli geſta.

Interea apud Gallias, Angeſilo Majoredomus filióque ejus Pippino humanam obeuntibus vitam CAROLUS filius Pippini, totius gentis Francorum magiſtratum, quamquam poſt multa bella de manu REINFREDI * tyranni Deo juvante abſtulit, ſuæque ſubdidit poteſtati. Denique rebus bellicis operoſiſſimè inſiſtens, tyrannos per totam Franciam dominatum ſibi vindicantes oppreſſit, ob eámque rem plurima juri Eccleſiaſtico detrahens prædia fiſco aſſociavit, ac deinde militibus propriis diſtribuere ſtuduit. Præterea Saracenos Galliam occupare tentantes duobus magnis prœliis, uno in Aquitania apud Pictavium civitatem, altero autem apud Narbonam, juxta Birram fluvium ita devicit, ut in Hiſpaniam eos redire compelleret. Quamobrem cùm adverſantibus nullatenùs cedere ſciret, nullíque parcere: diu à poſteris Tudites, ab actu rerum ſcilicet agnomen indeptus eſt. Tudites enim mallei dicuntur fabrorum, quorum ictibus cuncta atteritur durities. Pepigit hic fœdus cum Liutprando, eíque filium ſuum Pippinum miſit, ut more Chriſtianorum fidelium ejus capillum primus attonderet, ac Pater illi ſpiritalis exſiſteret: quod ille gratantiſſimè complens, multis ditatum muneribus genitori natum remiſit. Qua de re contigit, ut legationem ſacratiſſimi Præſulis Gregorij ad ſe directam, obſecrantis quatenus S. Romanam Eccleſiam à Langobardorum tyrannide liberaret, terrena cæleſtibus præponderans, floccipenderet. Rebus itaque humanis eo poſt diutinam Regni adminiſtrationem exempto, duo filij ejus, PIPPINUS & CARLOMANNUS, Regni ſummam concordi ſocietate diviſam, aliquot annis ſub CHILDRICO nominetenus Rege, ad gubernandum ſuſcipiunt. Porrò Carlomannus poſt aliquantum temporis excurſum, Regni quam ad regendum ſuſceperat

* Reginfredi *Paulo Diac. lib. 6. c. 42.*

Paul. Diac. lib. 6. c. 53.

Pippinus & Carolomannus ejus filij.

a Monaſterij Caſſinenſis reſtitutionem per Petronacem ſub Gregorio II. qui ab anno DCC. XIV. ad DCC. XXXII. ſedi Romanæ præfuit inceptam, Gregorio III. Pontifice alterius Gregorij ſucceſſore perfectam fuiſſe, eruditè probat Angelus de Nuce in Chron. Caſſin. lib. 1. cap. 2.

b Hic calculus, uti & totus ferè articulus, ex Pauli Diac. hiſtoria Langob. lib 6. cap. 40. deſumpta eſt: quamquam anni fere centum & quadraginta ab everſione Caſſinenſi ad inſtaurationem effluxiſſe videntur ex dictis à nobis ad Vitam S. Bened. cap. 17.

partem fratri relinquens, amore ſuccenſus ſpeculativæ converſationis, Romam ſe in otium contulit. Siquidem hortante B. Eucherio Aurelianorum Epiſcopo, qui à patre illius nulla exſiſtente culpæ offenſa pulſus ſede propria, atque in Haſbaniam apud S. Trudonem in exſilium relegatus fuerat; necnon S. BONIFACIO Freſionum Epiſcopo, qui ambo patris ejus apud inferos damnationem [a], etiam corporeis ipſi oſtendêre viſibus: operoſam temporalis Regni dignitatem toto contemnens mentis adniſu, habitúque permutato, tonſuræ Eccleſiaſticæ gratiam à B. Zacharia Papa Romano percipere meruit. Denique Monaſticæ vitæ normam adeptus, in monte Soracte apud Eccleſiam B. Silveſtri, exſtructo Monaſterio cum Fratribus ſecum ad hoc convenientibus nonnullo tempore optata quiete perfruitur. Sed ex Francia multi nobilium ob vota ſolvenda, Romam cùm ſollemniter commearent, & eum velut dominum quondam ſuum præterire nollent; otium quo maximè delectabatur, crebra ſalutatione interrumpentes, locum mutare compellunt. Nam cùm hujuſmodi frequentiam ſuo propoſito officere vidiſſet, relicto monte in Samnium provinciam ad Monaſterium S. Benedicti, ſitum in ſæpedicto caſtro Caſſini ſeceſſit; atque ibi, quod reliquum fuit mortalis vitæ, religiosè converſando complevit.

CIRC. AN. DC. LIII. JULII XI. Carlomannus fit Monachus.

[a]

Dum igitur hæc ita aguntur, Pippinus Regni Francorum aſſequutus ſummam, juſſu Stephani Romani Pontificis Childricum inertiſſimum Regem depoſitum ac detonſum, in Monaſterio deinde truſum privatè vivere compulit. Dein auctoritate ejuſdem Pontificis, ex præfecto palatij Rex conſtitutus, per annos fermè quindecim aut eo ampliùs Regni Francorum principatum ſolus optimè rexit. Ea igitur tempeſtate, Monachi ſæpedicti Cœnobij Caſſinenſis, auctore Carlomanno de quo ſuprà retulimus, Romam veniunt, doloris apud Sanctiſſimum Papam Zachariam depoſituri querelam, propter corpus ſcilicet ſacratiſſimi Patris Benedicti, à ſolo proprio in Gallia tranſlati. Qui mæror jampridem à cordibus eorumdem Fratrum ob terrarum longinquitatem necnon vetuſtatem temporum admodùm refrixerat, nec jam ſpem potiundæ hujuſce rei habebant: ſed Carlomanno illorum ſacrum ſubeunte collegium, ſpes olim emortua revixit: Sanctúmque adeuntes expoſcunt Præſulem, ut litteras Pippino Regi Francorum dirigat, qualiter auctoritati ac precibus tanti favens Pontificis, egregij Patris corpus avito reſtituat loco. Præfatus verò Pontifex precibus annuens lacrymoſis, auctoritatis Apoſtolicæ epiſtolam editam, per eumdem Carlomannum ac Fratres qui cum eo venerant, Franciam Pippino dirigit Regi. Modus autem Relectorum ſacrorum hic erat.

XV. Pippinus Rex.

Caſſinenſes Zachariam P. de corpore S. Benedicti interpellant.

ZACHARIAS Epiſcopus, ſervus ſervorum Dei, ſanctæ Sedi Principis Apoſtolorum B. Petri præſidens, omnibus Epiſcopis ac Preſbyteris Eccleſiæ Francorum ſalutem dicit. Egregius Apoſtolus ait: Diligentibus Deum omnia cooperantur in bonum. Et iterùm idem ipſe: Dum tempus habemus, operemur bonum ad omnes. Et item ſcriptura: Quàm ſpecioſi pedes evangelizantium pacem, evangelizantium bona! Innotuerunt nobis religioſus Abbas & Preſbyter Caſſini Monaſterij B. Benedicti, & Carlomannus Deo amabilis Monachus, germanus filij noſtri Pippini excellentiſſimi Majoris-domus, per hos præſentes religioſos Dei ſervos Monachos concordiæ & pacis ſermones inter eum ac GRIFONEM fratrem ejus expedire nos mittere: ut & nos hæc ipſa admonendo, dirigamus Excellentiæ jam dicti Pippini filij noſtri, ut ad pacis concordiam redeant, vobis propter Deum pacificis mediatoribus. Verùm etiam pro corpore B. Benedicti, quod furtivè ablatum eſt à ſuo ſepulcro, ut ei reſtituatur. In hoc pietatis & miſericordiæ libenter aurem accommodare hortamur dilectionem ac ſanctitatem veſtram, ut primum omnium frater ad fratrem pacis jure in unum redeat, & confundatur iniquitas è medio eorum: caritas verò Dei vobis prædicantibus & miniſtrantibus exuberet inter eos. Deinde & præfati B. Bene-

"Zachariæ "pro hac re Epiſ- "tola.

[a] Id inter fabulas amandant Baronius aliíque, quæ de re in Vita S. Eucherij Sæculo proximo agendum.

CIRC. AN. DC. LIII. JULII XI. „ dicti corpus juxta petitionem Servorum Dei, ſublimitas filij dilecti noſtri Pippini veſtra cooperante ſanctitate indubitanter ad proprium remittat locum; „ ut & jamdicti Servi Dei de ſuo gaudeant ſibi reſtituto Patre, vóſque perennem „ habeatis mercedem & laudem, pro eo quod juſtè operati fueritis, ut ad ſuum „ ſanctiſſimi viri corpus referatur tumulum, ex quo clàm ablatum eſt. Nec enim „ habet Sanctitas veſtra quod offenſionis in hoc bono opere reſtitutionis hujus „ pertimeſcere debeat coram Deo; dum creditur, quia ad obtinendum hoc, ipſius ſuffragantibus orationibus & voluntate, præfati religioſi Dei ſervi ſunt permoti. Valete.

XVI. Carolomanni legatio in Galliam. [a]

Acceptis itaque litteris S. Papæ Carlomannus[a] & Fratres qui cum eo erant Gallias expetunt, Pippinum adeunt, Sacra ſancti Apoſtolici proferunt Reſcripta: flebilémque ſibi querelam queſtuoſis ſubjiciunt lacrymis. Orant ſubveniri ſibi, pios Patris cineres oſſáque cunctis reverenda mortalibus furtim ſublata devotiſſimis filiis auctoritate Regia juſtitiáque reſpectu affatim reſtitui. Non ullius offenſæ in hac re pertimeſcere culpam, cui ſuffragari agnoſcitur inoffenſus rectitudinis trames. Flexus his luctuoſis queſtibus pius Princeps ſimúlque ſanctæ Sedi aſſentando favorem præbens, fratris quoquo conſulens voluntati, REMIGIUM Rotomagenſem Epiſcopum naturalem ſuum ad perficiendum Carlomanni Fratrúmque petitionem cum imperio Floriacum Monaſterium dirigit; qui ex præcepto Regis etiam nolentibus Fratribus ſacrum effoſſum pignus Carlomanno ac Fratribus cum eo pergentibus ociſſimè reddat. Suſcepto negotio Epiſcopus celerrimè Monaſterium expetit, mandata Regis edicit, juſſa implere conatur. MEDO tunc temporis Abbas huic ſancto præerat gregi. Hic cum præcepta Regalia ægerrimè ſuſcepiſſet, non ſe poſſe depoſitum reddere dixit, quod ad ſervandum, non autem reſtituendum ſe ſuſcepiſſe gaudebat. Ita ſubjiciens: Ipſe ſanctiſſimus Pater propria ſponte huc ſe deferri permiſit, ipſe viſione ſacra ſuos ob ſui devectionem invitavit ſervulos: ſuſcepimus indigni, egregij Patris ſacratiſſima membra, excepimus cineres pios, devotè nunc uſque adſervare curavimus. At ſi noſtris intervenientibus peccatis relinquere Gallias ruráque eum nativa petere placuerit, fateor potis id ei exſiſtere, nec velle noſtrum licere quoquomodo obſiſtere. Sin verò (quod certiſſima fide noſtro inhæſit pectori) Divino nutu providentiáque clementi ob plurimarum ſalutem animarum relictis propriis has procul poſitas ac pænè in ultimo littore Oceani ſitas expetiit voluntariè ſedes; certiſſimum habetote, impotes voti veſtri voſmet ad propria redituros. His dictis, multùm inlacrymans, fores Eccleſiæ ſanctæ Dei Genitricis MARIÆ quo repoſita ſancta membra cubabant reſerare jubet, ſuóſque propter oſtia excubitare.

Remigius Rotomagenſ. Epiſc. à Floriacenſibus S. Benedicti corpus repetit.

XVII. Divinitus id impeditur.

Ipſe verò cum Fratribus totius Congregationis intra Eccleſiam beati Apoſtolorum Principis ſeſe retinens, ſolo proſtratus, lacrymis ora perfuſus Domini auxilium expoſtulabat, quatinus dilectiſſimi ſui Confeſſoris pignus quod nullis præcedentibus meritis, ſed ſolo gratuito munere famulis ſuis contulerat, nulla ſcelerum enormitate irritatus auferri permitteret. Quod quibus fletibus quibuſque gemitibus, quóve ululatuum clangore peroratum ſit, quis mortalium exſolvere valeat? Conflictantes denique in dolore Patris & filiorum animos, ætatis maturimæ interdúmque ſupremæ, qualitatis variæ, valetudinis diverſæ, quis explicaverit dignè? Videres certè animos Patris mæſtitiæ vulnere attritos, proſpectare mærentium filiorum lacrymabiles vultus, atque ab neutra parte conſo-

[a] Carolomannus è Caſſino in Galliam acceſſit Stephano III. Pontifice, ut conſtat ex Eginhardo, Anaſtaſio Bibliothecario, Herkemperto, Annalibus Bertinianis, aliiſque Auctoribus ſupparibus: qui omnes de iſta Carolomanni legatione primaria ſilent. Et quidem veri ſimilius eſt, Carolomannum hominum ſæcularium fugientem conſortia, litteris à Zacharia Papa de repetendo S. Benedicti corpore impetratis, non per ſeipſum id præſtitiſſe, ſed per Legatos in Galliam miſſos, quemadmodum MS. hiſtoria Epiſcoporum Rotomag. ſæculo XI. compoſita docet his verbis: *Pippinus precibus Carlomagni Monachi fratris ſui mandavit Remigio prafato Archiepiſcopo, ut ad locum, qui dicitur* Floriacus *pergeret, & corpus S.* BENEDICTI *qui ibi requieſcebat Legatis Carlomanni redderet* &c. Et fortaſſe Adrevaldus inſpectis Zachariæ litteris adductus eſt ut ſcriberet ipſum Carolomannum legatione functum eſſe: quod poſtea Hugo Floriacenſis Monachus (qui id Conſtantini Imper. anno X. factum aſſerit) aliíque ab Adrevaldo acceperunt.

latorem, prorumpere hinc ſenes junioribus ſolitum pridem impendentes dilectionis amorem nullam ſolaminis conferre gratiam: hinc juniores, patribus nullum adjumenti robur conferre. Res certè animos erroneos hac illácque trahebat. Dum itaque partes tanto animi ardore inter ſe decertarent, atque hi quibus res pro animo inerat, ſeſe orationibus communirent; Majeſtati omnipotentiſſimæ tantam diſcriminis litem ſolita miſeratione dirimere placuit. Siquidem Remigius Epiſcopus, cum ſuis Templum ingreſſus, dum ad ſacrum propinquâſſent ſepulcrum, repentina luminum cæcitate adeo percelluntur, ut nec mutuos cernere quirent vultus, nec quamlibet in partem ſaltem palpatu quo progredi vellent agnoſcere. Perindè terrore valido adoperti, nihil aliud quàm vitæ diſpendia opperiebantur: alij denique ſolo ſternuntur, miſericordiam Domini præſtolaturi: alij fugæ ſolatio ſalutem meditantes, huc illúcque diſcurrunt, vociferantéſque auxilium affore precantur. His nimia confuſione tumultuantibus, evocatus cum Fratribus accurrit Abbas, datáque manu ab Eccleſia violatores ſacri Templi extrahit, Divinam ſatis abundéque ſentientes ultionem. Humi deinde proſtratis veniámque petentibus clementer indulſit, atque ex ejuſdem pretioſiſſimi Confeſſoris corpore Reliquias benigniſſimè contulit. Refectis autem, ac cunctis neceſſariis itineri dapſiliter attributis, ad ſua remittit. At illi palatium repetentes, virtutem quamplurimam Dei hoc in loco meritis ſanctæ Dei Genitricis perpetuæque Virginis MARIÆ, ac B. Petri Apoſtolorum Principis, necnon & egregij P. BENEDICTI interceſſione vigentem, Regi præſtantiſſimo Pippino patefaciunt, eúmque liberalem huic ſacro Cœnobio ſuis adhortationibus ſedulè efficiunt [a]. CIRC. AN. DC. LIII. JULII XI.

XVIII. Carolus & Carlomannus Pippino patri ſuccedunt.

Pippino interea Rege ad cæleſtia ut credimus demigrante, CAROLUS & CARLOMANNUS filij ejus, Regni adminiſtrationem ſuſcipiunt, [factóque ſollemniter generali conventu totum Regni corpus ex æquo partiuntur: & Carolus quidem eam partem Regni quam pater eorum Pippinus inprimis tenuerat, Carlomannus verò eam cui patruus eorum Carlomannus præfuerat, regendi gratiâ ſuſcipiunt. Sed Carlomannus poſt adminiſtratum biennio regnum, morbo deceſſit: Carolus autem fratre defuncto, conſenſu omnium Francorum, totius gentis monarchiam ſuſcipit. Qui bellum adverſus Langobardorum gentem Italiam jampridem Romanorum poteſtati ſubtractam vario jure poſſidentem, rogatu & precibus Hadriani Romanæ urbis Epiſcopi aſſumit, quod priùs quidem & à patre ejus, Stephano Papa ſupplicante, cum magna difficultate ſuſceptum eſt. Quia quidam è Primoribus Francorum cum quibus conſulere ſolebat, adeo voluntati ejus reniſi ſunt, ut ſe Regem deſerturos, domúmque redituros libera voce proclamarent. Suſceptum tamen eſt tunc contra HAISTULFUM Regem & celerrimè completum. Siquidem præfatum Regem paucorum dierum obſidione apud Ticinum compulit & obſides dare, & erepta Romanis opida atque caſtella reſtituere, atque ut reddita non repeterentur, ſacramento fidem facere. Enimverò Carolus inchoatum à ſe bellum nequaquam interpolari permiſit, priuſquam DESIDERIUM Regem longa obſidione fatigatum in deditionem acciperet, filiúmque ejus ADALGISUM in quem ſpes omnium inclinata videbatur, non ſolùm Regno verumetiam Italiâ excedere compelleret, omniáque Romanis erepta reſtitueret, totámque Italiam ſuæ ditioni ſubjugaret ſubactæque filium ſuum PIPPINUM Regem, imponeret. Ampliata denique Regia poteſtate, neceſſe erat Duces Regno ſubjugatæque gen-

Caroli geſta.

[a] Breviùs hanc hiſtoriam deſcribit Auctor anonymus MS. hiſtoriæ Epiſcopor. Rotomag. de Remigio ita ſcribens: *Cúmque ad locum veniret, & Abbatem qui tunc temporis Monaſterium regebat & MEDO dicebatur vocaret Regis edicta ediſſerens, cum Legatis Carlomagni Eccleſiam ingreſſus eſt. Cúmque ſepulcrum B. viri appropinquâſſent, repentina cæcitate multati ſunt. Proinde terrore valido concuſſi, ante præfatum Abbatem Fratréſque loci illius ſolotenus proſternuntur miſericordiam deprecantes, quatinus pro eis Dominum exorarent ut eis indulgeret: promiſitque B. Remigius, quòd numquam Sancti corpus inde amplius transferret. Quid plura? illico ſunt exauditi, & B. Remigius cum ſuis ſodalibus priſtinam ſanitatem recepit. Precatus eſt autem præfatum Abbatem, ut corporis B viri Reliquias illis exhiberet, ne locus in quo Deo devotè ſervierat tanto patrocinio caſſaretur. Qui libenter adquievit. Sicque Legatis remeantibus ad propria, Remigius rediit ad ſua.*

CIRC. AN. DC. LIII. JULII XI.

ti præficere, qui & legum moderamina, & morem Franciæ aſſuetum ſervare compellerent. Qua de re Primatibus populi Ducibúſque contigit palatium vacuari, eoquòd multos ex Francorum nobili genere filio contulerit, qui cum eo Regnum noviter ſuſceptum tuerentur & regerent. Hac igitur occaſione ut aliquibus videtur: ut plurimis verò credibile viſum eſt, ob Francorum ſuſpectam fidem, quam ſemel in conjuratione, dum bellum inchoaretur Saxonicum, expertus eſt; iterùm autem in conjuratione Pippini naturalis filij *,] quibuſdam ſervorum ſuorum fiſci debito ſublevatis curam tradidit Regni, atque inprimis RAGONEM Aurelianenſibus Comitem præfecit, Biturigenſibus STURMINIUM, Arvernis BERTMUNDUM, aliíſque ut ei viſum eſt locis alios præpoſuit. Sed Raho ut ejus debitum expoſcebat naturæ, nimia inſoleſcens aſtutia, cupiditate verò crudelior effectus, cùm univerſa quæ Aurelianenſium fines continere videbantur ſibi ſubjecta cerneret, Cœnobio dumtaxat S. Benedicti excepto quod ab Abbate tunc regebatur RADULFO, conſilium habuit Abbate interfecto præfatum præripere Cœnobium. Quod maturatò peregiſſet, niſi pietas indulgentiſſima Conditoris obviam ſe tanto facinori opponere diſpoſuiſſet. Fretus itaque fiduciâ peragendæ malignitatis, quemdam è ſuis ſatellitibus ad Regem dirigit, qui mortuum Radulfum Abbatem nuntiaret, ſtatímque ac pænè eveſtigio alterum mittit, qui Radulfum Abbatem ad colloquium evocaret mutuum. Sanè legatus Regi directus accelerato itinere palatium venit, juſſa exſequitur: necdúmque peracto negotio aliquamdiu palatio immoratur. At verò Radulfus Abbas conſcenſis equis cum paucis ad colloquium properat fallentis amici. Sed dum ille iter perageret, Comes balneum ingreſſus, curam corporis agebat. Cúmque adhuc in balneo reſideret, Abbas Monaſteriolum S. Gundulfi [a] ingreditur, (nam inibi tunc morabatur Comes) obviúmque habuit quemdam pomilionem * nomine Gauringiſum, qui facetiis Comiti inſerviebat, quíque inſidias ei Comitis, cùm nutibus, tum ſermone denuntians, fugæ auxilium expetere hortatur. Itaque Abbas verſo gradu, calcaribus equum impellens, citato curſu Ligeris alveum repetit, navémque conſcendens, in citeriorem tranſvehitur ripam, celerrimé-que Monaſterio recipitur. Intereà nuntiatur Comiti Abbatem inibi affuiſſe Radulfum, ſed concitè rediiſſe. Cernens Comes acerrimè ſe ab Abbate præventum, nec malitiæ ſuæ ac fraudi locum patêre ullum, nimio felle commotus, à balneo exſiliens linteo obvolvitur, ſéque in lectum aliquantulum requieturus projicit, reſidente ad caput ejus Deutheria concubina. Eo altiori ſopore depreſſo, adſtitit in viſu quidam ſenex Monachi habitum gerens, quem ſequebatur puer ejuſdem habitûs, talitérque ad eum infit: O Comes, quid promerui, quia voluiſti Abbatem interficere meum? Cui cùm ille negando reſponſum ederet, nequaquàm ſe Abbatem ſuum necare voluiſſe; ille torvo vultu in eum reſpiciens ſimúlque baculo quod geſtabat incurvo caput ejus percutiens, inquit: Per caput hoc teſtor pœnitudinem te hujus facti inutiliter certiſſimè acturum. Qua percuſſione excitatus, à lecto exſiliens, efferatus animo in vocem erupit, dicens: Væ mihi, væ mihi, jam nunc morior. Cúmque adſtantes territi requirerent, quid cauſæ eſſet, cur talia acſi mente captus effunderet verba; pallens ac tremens ſciſcitantibus reſpondit: Quieſcenti mihi in lecto ſanctus adſtitit Benedictus, veneranda decorus canitie, quem ſequebatur puerulus & ipſe Monachus, cœpítque adverſum me conqueri, quamobrem Abbatem ſuum interficere vellem. Cúmque ei reſponderem nullatenùs me Abbatem ſuum interficere voluiſſe, baculo quod geſtabat, caput meum validè percutiens, morti me vicinum reddidit; unà etiam comminans, citiſſimè hujus facti me inutiliter pœnitudinem peracturum. Hæc dicens, dolore interiora citiùs penetrante, nocte ſequenti, morti corporis mortem animæ ſocians, Manum * obſequio, miſerrimam

* *Incluſa parentheſi deſunt in apographo noſtro San-German.*

Rahonis Comitis rapacitas punitur.

[a]

* pumilionem *ſeu* nanum

* dæmonum

[a] Monaſteriolum S. Gundulfi, vulgò *S. Gondon*, Dioeceſis Bituricenſis ad Ligerim, nunc Prioratus Abbatiæ S. Florentij Salmurienſi ſubjectus.

ſerrimam animam Erebi jaculatur ad ima. At Radulfus Abbas agnita ejus præpeti quidem, ſed ſerotina morte, legatum dirigit, qui Regi & ſuam renuntiet vitam, & Rahonis exitiales exſequias. CIRC. AN. DC. LIII. JULII XI.

XIX. Naves Floriacenſium à vectigali immunes. *Lege Diploma Ludovici Pij in Biblioth. Floriac. pag.* 252.

Regali munificentia huic ſacratiſſimo Cœnobio à priſcis Francorum Regibus per Præcepti proprij ſyngraphum conceſſum fuerat, uti quatuor naves immunes ab omni debito fiſci liberrimè per alveum Ligeris diſcurrerent. Cùm itaque ſuprafati Comitis tempore, harum una ob ſalis evectionem Namneticam uſque ad urbem perveniſſet, atque in regrediendo tuta ex Præcepto Regiò omnes itineris portus civitatéſque pertranſiret, ad urbem pervenit Aurelianam, ibíque à telonariis civitatis detenta rector navis vectigalis gratiâ quæſtioni ſubjicitur. Liberalitatem Regiam illo reclamante, contempta Regali auctoritate exactor navem onuſtam ſale fiſco ſubjicit, atque cum ceteris navibus procuratori portûs committit. Erat quando hæc agebantur dies Dominica, ſed circa horam fere diei tertiam, cunctis Miſſarum celebratione detentis, navis quæ cum ceteris in portu fiſcali tenebatur, ſubitò abſque humano remige, à portu emota medium Ligerim petit, quo fortior vis aquæ decurrere ſolet: ibíque contra adverſum pelagus fortiter enatando, pervenit ad Poſterulam quæ uſque hodie S. Benedicti dicitur, ibíque appulit. Concurrunt undique ab urbe populi incognitum cernere miraculum, ſtupentéſque voces clamoris atque adhortationis proferunt. Videte, ô cives, contemplamini qualiter novus nauta dilectus Domini Benedictus mortali ſine remige navem propriam mediis regit in fluctibus. Confuſa denique omnis procuratorum fiſci audacia inpoſterum ab hac ſeſe compeſcuit ſtultitia. NOTA.

XX. Carolo M. Ludovicus ſuccedit. Regni & Eccleſiæ ſtatus ſub eo.

Carolo Auguſto Magno Imperatore Francorum diem obeunte Ludovicus filius ejus Imperij gubernacula ſuſcepit, cujus tempore variis tumultuationibus Regno Francorum attrito, multo ac gravi turbine Eccleſiæ viſus eſt concuti ſtatus. Namque filiis diverſa adverſus patrem molientibus, quantum ad totius Regni ſpecimen attinet, inteſtina oritur conliſio: dúmque pater alios honoribus ob merita privare, alios cumulare opibus ſtudet, idipſum verò filij adverſus patrem, dejectos ab illo erigere, ſublimatos deponere conantur; tempeſtatis inſtar maritimæ, ſubjectos hac illácque diſpergunt: qua cauſa res quarumque Chriſti Eccleſiarum contigit graviſſima pati diſpendia. Inter quas Eccleſia Aurelianenſis cum contiguis Sanctorum locis, quæ ſub regimine Dominicorum Clericorum ſive Monachorum conſiſtere videbantur, non modica vexatione afflicta eſt. Siquidem MATFRIDO Comite quondam Aurelianenſi ob culpam inertiæ propriis honoribus privato, HODO in ejus locum ſubſtituitur. Qui inſolentia gravi contra ſui naturam elatus, cuncta quæ juri ſubjacebant Eccleſiæ Aurelianenſis, matriculâ exceptâ *, ſed & Abbatiam S. Aniani, necnon S. Benedicti in propriam molitur redigere poteſtatem. Quod Monachi Cœnobij S. Benedicti cernentes, conſilio inito, miſericordiæ Domini ſolius ſe committentes, maturrimam partem ſuorum Fratrum ad prefatum dirigunt Comitem nimia inſanientem tyrannide cum pignoribus Sanctorum: omnigena ſupplicantes prece, ne tantum incurrat piaculum, néve res ſacro Ordini delegatas ad nefarios transferat uſus, ſed magis ſervos Dei res ſibi à Domino traditas liberè liceat ordinare: quæ petitio nulli apud eum valuit. Cœperat eo in tempore expeditionem parare viribus undecumque contractis adverſum LANTBERTUM atque MATFRIDUM ſocióſque eorum, Neuſtriæ partibus reſidentes, qui ab Imperatore ad LOTHARIUM defecerant: cui expeditioni juſſerat quoque intereſſe JONAM venerabilem Epiſcopum Aurelianenſem & BOSONEM Abbatem S. Benedicti, quorum res injuſtè ſibi vindicaverat. Interea auxiliares ex ſuperiori Burgundia ad id properantes bellum, utramque Ligeris ripam tenentes, rapinis cuncta vaſtabant: quorum veſaniæ Boſo Abbas obviando, juſſit naves portûs ita paratas adeſſe, ut ſi populus ex ſuperioribus adventans partibus citeriorem ripam teneret, nautæ omnem pecuniam familiæ Cœnobij ipſius in ma- Hodonis Comitis feritas. * *id eſt* rebus pauperum

CIRC. AN. DC. LIII. JULII, XI. joribus minoribúſque pecoribus ſeu ceteris mobilibus conſiſtentem rebus, navibus exceptam, amnem ultra transferrent. Si autem ulteriorem viam pergeret, verſâ vice idipſum ex ſupradictis agerent rebus, tranſvehendo ſcilicet cuncta in hanc alvei partem. Præficitur hujuſmodi negotio HERCAMBALDUS Preſbyter bonæ vitæ & nominis, qui in hoc eodem Cœnobio vitam tenuit Regularem, eáque quæ ſcribere propoſui, viva voce ſub atteſtatione veritatis, cunctis profitebatur certiſſimo ſe cognoviſſe viſu. Dum enim per triduum profectio perduraret exercitûs, labor non dicam nautarum, verùm ipſorum excrevit nimius animalium, itémque ex pervigilio laſſitudo prævalida. Feſſus continuatione vigiliarum Preſbyter, circa crepuſculum tertiæ noctis domum properat, atque in ſtramine cujuſdam lecti impatientiâ victus ſomni ſe projicit, móxque ut quippiam ſomni capere potuit: conſpicit in viſu adſtantem ſibi perſonam ſub Monaſtico habitu baculum manu geſtantem, quam ſequebatur puer ejuſdem habitûs. Itaque ſtupeſcentem Preſbyterum perſona illa clementer alloquitur:

S. Benedictus res ſuorum curat. Quid eſt, Frater, cur modò hîc taliter jaces? Cui ille venerandi vultûs intuens perſonam, Domine, inquit, vobis cunctíſque notum eſt, quantum nobis ac familiæ noſtræ Hodo Comes necnon populus ei favens inferat mali, ideóque injunctum præcepto Abbatis officium cura pervigili certatim dum provideo, quatinùs navali effugio familia noſtra ſervare à raptoribus valeat ſupellectilem ſuam, gravatus ſomno in hoc me ſtramine projeci. At ſenior verbis favens Preſbyteri, talia refert: Novi vera eſſe quæ dicis, ſed antequam his quæ dolendo quereris, veriſſima ſatisfaciam promiſſione, cauſari aliquantulum libet. Mirum valde eſt, quamobrem Fratres noſtri culpam in me redarguant ignaviæ, acſi ego nullam vexationis illorum curam habeam, velútque lethargo oppreſſus, in eorum relevatione dormiam: quod pro certo fieri nequit. Si enim præceptis omnipotentis curam adhibueritis obediendi, Regulæ quoque per me à Deo vobis traditæ mandata exſecuti haud ſegniter fueritis, cuncta adverſa fient proſpera, inimici amici efficientur, gratiámque ſuam Fautor omnium bonorum in nullo negabit. De hac verò quæ nunc eſt injuria veſtra, ſcitote jam clementiſſimi Conditoris omnium ſententiam propitiam erga vos effectam, eúmque qui tyrannidis adverſum Eccleſiam indignè arma corripuit, ſeptimum nequaquam tranſigere ſolem, donec hujus rei incurrat pœnitudinem. Habete ergo in Domino fiduciam, & in illo confortamini. Dum hæc ſenior delectabilibus ederet verbis, Preſbyter quibus poterat nutibus puerum ſciſcitabatur, quæ eſſet tantæ venerationis perſona. Cui puer ſubmiſſa voce; Hic eſt, inquit, Pater noſter S. Benedictus.

XXI. Hodonis aliorúmque interitus. Sæpedictus itaque Preſbyter cum reſciſſet beatiſſimum Patrem ſecum in viſu colloqui, cœpit cunctis qui aderant videntibus ab eodem ſeſe lectulo brachiis extentis protrahere, acſi veſtigia ejus quem cernebat adſtantem tenêre poſſet: ſimúlque voces cujuſdam murmuris emittere anxius, quas nullatenus adſtantes intelligere poterant. Tandem expergefactus, hac illácque obtutum vertendo diſcurrens, ſupplici ac pænè lacrymabili voce ſemel & bis ingeminat dicens: Quorſum Dominus meus S. P. Benedictus abiit? Cognitorem omnium occultorum Dominum teſtor, modò hîc eum in ſpecie corporea à me viſum, mihíque locutum. Nec mora, ipſe quoque Preſbyter Monaſterium veniens, Patribus ejuſdem loci cuncta quæ viſu cognoverat, monita denique piiſſimi Patris, necnon adhortationem ejus ſedulè refert. Qua relatione mæſti relevati Fratres, ſemet invicem ad agendas Deo gratias hortabantur, qui auxilio deſertos humano, ſolito tuebatur munimine. Necdum promiſſi curſum expleverant ſoles, & ecce ex acie caſtrenſi quidam Clericus fugâ lapſus, cui nomen Herrardus, poſtridie belli exacti horâ fere diei octavâ Monaſterium pervenit, diróque nuntio Cœnobium omne perculit. Nuntiat namque cruentiſſimam cædem noſtrorum adverſariorum, victricem inſiſtere manum, copias omnes cum auxiliis hinc inde contractis hac illácque fugæ ſubſidio dilapſas, ductores

belli Hodonem, fratrémque illius GUILLELMUM Comitem Bleſenſium, TEUTONEM denique Abbatem S. Martini, GUIDONEM Comitem Cenomannenſem cum multis aliis amplæ opinionis viris mortem oppetiiſſe. Quo nuntio graviter afflicti Fratres, ad Dominum exorandum pro tanta Chriſtiani populi cæde ſe intentiſſimè conferunt. Licet enim quidam illorum, qui tanto interfuere diſcrimini, nimiùm gravi infortunio res Eccleſiæ juri ſubditas, non dicam premerent, immò penitùs gentili more auferrent; tamen humanæ affectu naturæ, Servorum Dei corda præ dolore concuſſa ſunt, memoriâ recolentes quid animæ perſeverantes extrema ſub luce in malis apud inferos patiantur: quibus cruciatibus torqueantur, quorum vitæ finis exitiale ſtipendium meruit. Quamobrem præcepti Divini memores, dicentis: Orate pro perſequentibus & calumniantibus vos, ut ſitis filij Patris veſtri qui in cælis eſt: qui ſolem ſuum facit oriri ſuper bonos & malos, & pluit ſuper juſtos & injuſtos: communi conſilio pro his preces ad Dominum fundere ſtatuunt; quatenùs etſi perpetuis non mererentur abſolvi cruciatibus, ſaltem mitioribus [a] multarentur à ſtricto Judice pœnis.

CIRC. AN. DC. LIII. JULII XI.

Matt. 5. 45.

a ?

Sollemne feſtum impendebat S. Confeſſoris Chriſti BENEDICTI, quod ex veteri conſuetudine quotannis pridie Nonarum Decembrium agitur, quo conventus multorum populorum ob tanti memoriam Patris confluere Monaſterio ſolet: præterea Servorum Dei religioſorúmque non contemnenda copia virorum. Mos autem priſca procedens ætate multam occupavit tempeſtatem, liberalitatis gratiâ poſt ſpiritalis refectionis abundantiſſimum donum, corpora quoque terreno accuratiſſimè reficere cibo. Sed cùm diverſarum apparatus copiarum huic rei congruentium hinc inde proflueret, piſcium omnimodis deerat affluentia, quæ tantæ celebritati aliquantulam præſtaret gratiam. Anxius valde Abbas, ſed & Fratres huic procurando ſuffecti officio, quaquaverſum dirigunt, ſi quo modo cujuſlibet adminiculo à tanta relevari poſſent piſcium penuria. Verùm humana deficiente induſtria, cùm jam deſperati omnes dejectis animis nihil quod ſperarent haberent, meritis & interventu clariſſimi veréque Benedicti à tanto mæroris ſuſcitantur ſomno. Inſtante enim vigilia prædictæ feſtivitatis, quidam Frater juxta morem nocturno tempore cum Fratribus proprio recubans lecto, vidit in viſu amnem Ligerim ſeſe tranſpoſitum, atque in loco, quo fluviolus vulgari dictus vocabulo *Obla* Ligeri immergitur, ſupra ejuſdem fluvioli ſe adſtare marginem: ex alia verò ripa præfati fluminis, quemdam, ignotæ ſibi quidem formæ, ſed tamen venerandi vultûs adſtare Clericum *, qui baculo quod geſtabat incurvo more veterum Antiſtitum, maximum gregem ſuilli pecoris à profundo ejiciens aquæ, eam verſus partem, qua prædictus Monachus ſtare videbatur, cum magno impellebat ſtrepitu. Expergefactus Frater poſt expletionem officij nocturni, evocato ſecretiùs Monaſterij Decano, ſomnium refert, hortatúrque ut cum Fratribus fluvium piſcandi aviditate expetat: pro certo ſe ſcire, quia Chriſti dilectus miles commilitonibus ſuis abundantiſſimam largiturus erit piſcium prædam. Hoc denique ſignificare viſum, cùm proculdubio ſues piſces, ignota verò, ſed reverendi habitus perſona, ſummum portenderet Benedictum. Roboratis hac viſione animis Fratrum, certatim retibus paratis, curritur ad flumen, pansíſque hinc inde caſſibus, ſquamigeri gregis copia exuberanter abſtrahitur æquore, tantáque fuit captorum piſcium abundantia, ut eorum evectio vehiculo egeret. Atqui noverat Beatus Pater tirones ſuos his ac talibus, infatigabiliter Domini inhærentes præceptis, elevare beneficiis, qui mortali gravatus adhuc ſarcina, diſcipulis penuriâ panis laborantibus opem ferre valuit ducentorum modiorum farinæ conlatione. Si igitur corpora alimento tantopere ſolatur terreno, quanto putamus eum juva-

XXII. Sollemnitas S. Benedicti.

Huic piſces providet Benedictus.

* *id eſt* Monachum

a Veterum quorumdam ſententia fuit, vivorum ſuffragiis mitiùs haberi damnatos: cui ſententiæ nondum ab Eccleſia damnatæ contraria eſt ſchola poſteriorum Theologorum.

CIRC. AN. DC. LIII. JULII XI.

mine animarum ſaluti inſiſtere, qualiter æternæ felicitatis gaudia bonorum actuum onuſti fructibus, mereantur intrare lætantes?

XXIII. Pede utroque debilis ſanatur.

Opinione vulgò orbem penetrante, gratiam Chriſti præſtabilem affore quibuſque mortalibus incommoditate corporea laborantibus, ad limina confeſſoris Chriſti Benedicti cœpêre undecumque Monaſterium petere, quatinùs optabilis ſoſpitatis compotes eſſe valerent. Interea cum reliquis quidam utroque debilis greſſu, cui numquam pedibus conceſſum fuerat iter capere, ſed magis ſcamellorum juvamine, geniculis ſe per terram noverat trahere, adſtitit. Hic diu in Baſilica ſanctæ Dei Genitricis perpetuæque Virginis MARIÆ apud ſacros cineres excubans, tandem reſpectu Divinæ pietatis atque interventu dilecti Domini Benedicti ſanitati redditus, gratias Domino ſimúlque interceſſori ſuo pro modulo ſcientiæ ſibi conlatæ referre non diſtulit. Sanè quia inſuetus dolor, labórque non modicus in extenſione diutiùs contractorum nervorum graviter debilem afflixerat, nequaquam repentina celeritate ignotum pergere iter valebat, donec titubantia genua, dolore procul ſemoto, firmiùs ſtabilirentur. Servatur proinde in domo pauperum hoſpitio deputata, ibíque ſufficientem ſibi agapem, cum reliquis ptochio* reſidentibus accepit. Tranſactis aliquot diebus æger robuſtior redditur, ac greſſus dudum hac illácque divaricantes rectiùs incedere diſcunt. Poſtremo reſidentibus Fratribus, horâ diei tertiâ, poſt lectionem Capituli Regularis Sanctorúmque memoriam, jubetur ab ADALGAUDO * Abbate quondam languidus ſacro ſe præſentare conventui, atque ob dubietatem à quorumdam cordibus auferendam, putantium necdum eum plenam ſoſpitatem recepiſſe, ſitulam plenam aquæ deferre. Quod confeſtim impletum eſt. Erat igitur ſpectare miraculum, videres adſtare ſtabili firmóque greſſu dudum terræ genutenùs inhærentem, ac celeri directóque calle quoquò diſcurrere, qui nuper nutanti crure vix baculo ſuſtentante quòlibet progredi valebat. At mortalium corda quid tunc gaudij, quid exſultationis habere poterant, Patronum tanti gregis, tantíque Præſulem loci, exhibitione operum, ſui præſentiam cernentes oſtendere? Sed mentes cæleſti deſiderio flagrantes, à laudibus Omnipotentis ceſſare non poterant, quin potiùs eo tempore Chriſto jocundare in hymnis exſultationis uberiùs adgaudebant, quo ſe donatos munere cognoſcebant.

* πτωχεῖον mendicabulum ſeu hoſpitium pauperum. NOTA.

* *al.* Adalguado, *Boſcio* Adalcaldo

XXIV. Judex S. Benedicti rebus contrarius morte punitur.

Dum BOSO [a] Abbas Cœnobij hujus regimen ex regulari electione ſuſcipiens non ignobiliter diſponeret, contentio maxima inter advocatum præſentis Eccleſiæ EPITAGIUM nomine, necnon Advocatum alterius cujuſdam ſacri loci oboritur ob mancipiorum querelam, non parvi numeri. THEODOINUS dicebatur vocabulo vicarius Mariacenſis, cujus in officio eorumdem concretio atque cohabitatio à progenitoribus exſtiterat: ad quem ſe Advocatus illius alterius loci conferens, datóque munere corrumpens, ab æquitatis jure deflexit: jamque inſtabat dies quâ lis emota, in caſtello quod Nandonis* vocatur, dirimi debuiſſet. Sed Boſo Abbas ne fortè minùs cautus eſſe videretur, ad præfatum vicarium duos mittit Monachos, eíque loco muneris duo vaſcula mittit argentea non contemnendi ponderis, obſecrans quatinus juſtitiæ & rectitudini favens, officiali nullomodo officeret noſtro. At ille alterius jam dono corruptus Monachos ſpernens, dona reſpuens, ſuperbiâ tumidus, equum conſcendit, Servíſque Dei dixit: Recedite, ô Monachi, cum vaſculis veſtris, ad Monaſterium de quo huc properaſtis. Hunc teſtor enſem, nullus ab hodierna die ex his mancipiis ſancto famulabitur Benedicto. His dictis, impulſo calcaribus equo celerrimè incedere cœpit. Necdum procul à domo receſſerat propria, & ecce equi cui inſederat pes lapſus, ſeſſorem à dorſo projicit. Qui corruens in terram, fracto humero, totóque pænè corpore contrito, obſequentium manibus ad domum refertur propriam. Dein graveſcente dolore, die abhinc tertia vitæ exce-

* *Chaſteau-Landon* in Vaſtinio.

[a] Boſo poſt Adalgaudum Monaſterio Floriacenſi præfuit. De eo ſuprà cap. 20. & infrà cap. 27.

pit terminum. Advocatus verò S. Benedicti Caſtellum-Nandonis perveniens, querelam apud Judices deponens, ac legali eorum judicio mancipia recipiens, ad propria remeat. CIRC. AN. DC. LIII. JULII XI.

Decurſo exinde non modico tempore, alia iterùm oboritur controverſia inter præfatum hujus loci Advocatum, atque Advocatum S. Dionyſij. Colliguntur ab utriuſque partibus plurimi legum Magiſtri & Judices, qui pro partibus decertarent. Præterea aderant in eodem Placito miſſi à latere Regis, JONAS Epiſcopus Aurelianenſis, & DONATUS Comes Milidunenſium. Sed cùm litem in eo Placito finire nequirent, eo quod Salicæ[a] legis Judices Eccleſiaſticas res ſub Romana conſtitutas lege decernere perfectè non poſſent, viſum eſt Miſſis dominicis Placitum Aurelianis mutare. Venientes itaque ad condictum locum Magiſtri & Judices, utraque ex parte acerrimè decertabant. Aderant namque legum Doctores, tam ex Aurelianenſi, quàm ex Waſtinenſi provincia. Enimverò longiuſculè litem Judicibus protrahentibus, eoquòd nec hi cedere illis, nec illi aſſenſum aliis præbere vellent, tandem adjudicatum eſt, ut ab utraque parte teſtes exirent, qui poſt ſacramenti fidem ſcutis ac baculis decertantes, finem controverſiæ imponerent. Sed cùm id juſtum rectúmque viſum fuiſſet omnibus, quidam Waſtinenſis regionis legis Doctor, cui quodam præſagio beſtiale nomen pro humano inditum erat, quíque ex parte S. Dionyſij, munere corruptus advenerat, verens ne ſi duo inter ſe decertarent, teſtis eorum reprobus inveniretur, judicium protulit, non eſſe rectum ut bello propter res Eccleſiſticas teſtes decernerent, immò magis inter ſe mancipia Advocati partirentur. Cujus ſententiæ GENESIUS Vicecomes fàvens, rectius dixit eſſe mancipia dividi, quàm teſtes bello decernere: in eámque ſententiam concilium omne deflexit. At verò S. Benedictus, nequaquam Judicis illius ac legiſlatoris oblitus eſt, qui primus ſententiam dividendi mancipia verſutè juxta nomen ſuum ac beſtialiter protulit. Namque continuò ut eadem in duas diviſa ſunt partes mancipia, ille juſto Dei judicio ita percuſſus eſt, ut nullomodo aliquid loqui poſſet, evacuato totius linguæ officio. Cognoſcentes autem familiares ejus qui inibi aderant veritatem rei geſtæ, deduxerunt eum ad Monaſterium S. Confeſſoris Chriſti quem graviter offenderat: ibíque per unum fermè demoratus eſt menſem, nutibus quibus poterat auxilium depoſcens egregij Patris. Denique aliquantulam ſanitatem conſecutus, ad ſua regreditur: numquam tamen donec advixit, impetrare valuit ut nomen ſancti lingua propria exprimeret Benedicti.

XXV. Item alius linguæ officio. Duellum.

Excubitorum officium ſacris Templis dicatum non modò modernis temporibus conſtat, verùm priſca ætate ſub B. Moyſe à Domino legimus tabernaculo ſacrato ex Levitarum genere, cuſtodum munia ſubrogata: quæ proceſſu temporis, à ſancto Propheta necnon Rege mirabili David, ampliori diſpoſitione ordinata, morem nobis noſtræque Religioni, ut ita dixero, ſuggeſſere. Et quidem vetuſta ætas idem officium per ſucceſſionem prolis excipiebat, noſtra verò non propagatione prolis, ſed magis puritate vitæ morúmque probitate officiales admittit. Hac deniquè ſacra conſuetudine paſſim ſumma celebritate vigente, præſentis quoque loci Baſilica in honore ſanctæ Dei Genitricis MARIÆ omniúmque Chriſti Virginum Deo dicata, in qua venerabile etiam corpus ſanctiſſimi Benedicti decenti honore ſervatur: omni religione atque honeſtate præſtantem CHRISTIANUM nomine, Monachum Cuſtodem ſortitur. Qui cujus meriti, cujúſque ſanctitatis exſtiterit, luce his clariùs eminet, qui ejus vitam ſincerámque novêre innocentiam. Huic ſolitum erat ſummâ fiduciâ ſacrum adire tumulum, atque vulgari mortalium more ſi quid adverſi extrinſecùs huic loco accideret, adverſus ſanctum cauſari Benedictum, eâ utique utens confidentiâ,

XXVI. Cuſtos Eccleſiæ Chriſtianus, vir pius.

[a] Lex Salica à Ligeri verſus Rhenum, hoc eſt à Francis ſervabatur; Romana à Gallis ſeu Aquitanis, qui idcirco Romani dicti.

CIRC. AN DC. LIII. JULII XI.

qua ſciebat ſe haudquaquam ab illo velle contemni. Quod & in hoc quod ſcribimus ſatis liquebit opere. In eadem Baſilica ob honorem, ſimúlque utilitatem, opere cælatorio ex ære deformato armillæ atque adprimè deauratæ funibus dependebant, quibus campanæ ſecundum morem ſtatutis horis celebrandi officij pulſabantur. Quadam verò die immixti populo Eccleſiam ingreſſi latrones conſpiciunt armillas funibus pendere, putantéſque auri optimi pondus, cupiditate ſibi familiari, peſſimum facinus meditantes, communi decreto ſuffoſſionem parietis moliuntur. Quod noctu ut decreverant explentes, Eccleſiam ingreſſi, armillas cum calamis fabrè adjunctis exportant, eodémque foramine egrediuntur, oppilantes humo aditum foſſæ: tantóque ſilentio id à furibus patratum, ut nemo excubantium perſentiſcere quiverit, quonam pacto tale completum fuerit facinus. Hora præterea ſurgendi adveniente, cùm tantum ſcelus venerando cuſtodi Chriſtiano innotuiſſet, qui dolor pectori ejus inrepſerit, quæ oculis lacrymæ profluxerint, fateor non facile dictu. Cúmque hujuſmodi lamentis ſolito perveniens ad tumbam, acriter cauſari ac conqueri cœpit, cur latronibus ſe ſpoliandum tradiderit. Et quia fiduciam ſeſe à B. Benedicto audiendi cum ſimplicitate nimia ceperat, etiam peregrino ſermone ruſticitatem cauſandi exſequebatur, (nam natura Germanus erat) ita inquiens: S. Benedicte, ut quid pigreſcendo dormitas? quamobrem domum tuam tam negligenter provides, ut quod in honorem operando confero, tu latronibus furto ſubducere permittas? certè mihi non eſt curæ ſi etiam tibi bracas auferant, qui armillas non defendiſti. Crede mihi ſi armillas tuas non reſtituerint mihi, nec unam tibi candelam accendam. Hæc & alia multa in hunc comminans modum, ſimúlque baculo petram ante ſepulcrum poſitam percutiens, triſtis abſceſſit; ſed omnipotens Deus nequaquam diutiùs contriſtari paſſus eſt ſervum ſuum, quin potiùs meritis & interventu Beati Patris, cum quo fiducialiùs conqueri ſolitus erat, celerrimè mæſtitiâ relevatum, gaudio competenti replevit. Siquidem præfati latrones ſcelus ſemel attentatum iteratò repetentes, foramen ſuffoſſi parietis quod pridem tellure oppleverant, paucis diebus interjectis expetunt: egeſtáque humo ingreſſum moliuntur. Confeſtim verò à cuſtodibus capti, quæſtioni ſubduntur: fatentur facinus, ſéque ob id Eccleſiam ea hora ingreſſos, ut omne aurum atque argentum cum gemmis à S. Benedicti lecto extrahentes auferrent. Requiſiti autem quomodo tantùm ſcelus nudis patrarent manibus, præſertim cùm neque ſubulas majores, neque malleos marguloſ*, nec aliquid officinæ fabrilis ſecum haberent, quo tam fabrefactam deſtruerent opus; cultros ex manicis protulerunt, quibus ſe actutùm omnia perpetrare confeſſi ſunt. Servati igitur uſque ad tempus diurnæ lucis, venerabili præſentantur Chriſtiano, qui ſciſcitatus ab eis quid ex armillis quas furto abſtuleranteſſent, reſponſum accepit, eas reconditas ſecum haberi. Graviter itaque redarguens acritérque in eos invectus, quare tantum nefas aggredi auſi fuiſſent, quod Deo hominibúſque exſecrabile foret: porrò leges humanæ abſque ullo miſericordiæ reſpectu vitâ eos carere, ſuſpendio juberent; poſtremò Heliſæi Prophetæ exemplo qui Regis Syriæ latrunculos, quos ad ſe interficiendum direxerat, captos oculis, in medium deduxit Samariæ, atque Rege Iſrael requirente à Propheta, utrúmne eos gladio percuteret, prohibuit; quin potiùs pane & aquâ refocillatos ſuis remiſit: miſertus latronum labori, cibo potúque refici juſſit atque incolúmes ad propria remeare, interdicens nequando ad talia audenda prorumperent.

Armillas furto ſublatas recuperat.

XXVII. Ludovico Pio Imperante Francia turbatur.

Divi Auguſti LUDOVICI temporibus, cùm ſecundum Evangelicum Domini dictum, abundante iniquitate refrigeſceret caritas multorum, diſſidio gentis Francorum accidit multifariàm Rempublicam ejuſdem Regni affligi. Namque pravorum hominum conſiliis, dum conſultatio Reipublicæ in ſuperbiam dominatúmque ſe transformavit, Primoribúſque magis ſibi invicem invidere & obloqui, quàm regni utilitati conſulere placuit; cœpere Regibus

boni quique ſuſpectiores exſiſtere, quibus (ut ait Criſpus) ſemper aliena virtus formidoloſa eſt; atque in primis genti contraria ſentire. Qua de re actum eſt, ut dum Imperator nobilitatem veteranorum deponendo inſequitur, ac hi memores priſtinæ virtutis, defenſare libertatem nituntur defectionis ab Imperatore, Regníque magnum parârint exitium. Sed quia noſtri haudquaquam propoſiti eſt, Regum actus ſtilo comprehendere, immò miranda Dei opera per ſervum illius Benedictum patrata litteris committere, relictis quæ (ut ita dixero) perperàm necne procaciter peracta ſunt; ad ea quæ cœpimus redeamus. Imperator (ut dictum eſt) ſuſpectos Francorum Primores habens, Germaniæ populos Aquitaniam profecturus evocat, Saxones videlicet, Thoringos, Baioarios atque Alemannos: eíſque quos virtute Francorum pater armis ſubegerat, Regni ſtatum incompoſitè committit. Illud quo animo Franci exceperint, in promptu eſt agnoſcere. Libertate igitur Tranſrhenani acſi ob tutelam Imperatoris adepta, vitiis ſeſe omnémque ſubdidêre exercitum, deprædationibus ſcilicet pauperum, bonorum virorum dehoneſtationibus, ſacrorum locorum violationibus, ac reliquis quæ piget enumerare malis. Sed dum Imperator expeditionem in filium agens, Aquitaniam verſus Ligeri fluvio propinquaret; accidit quoſdam ſupradictorum populorum duces, villulas Cœnobij S. Benedicti vaſtando attingere. Cùm verò graſſante prædonum ſævitia, quid jam pauperibus diriperent deeſſet, Monaſterio proximant, idipſum quod & in reliquis acturi locis. Erat haud longè à Monaſterio armentorum grex non parvus depaſcens, qui continuis Fratrum neceſſitatibus deputatus ad ſerviendum erat. Hunc prædonum valida invadens manus minatur partim ſecuri percuſſum ſuis epulis præparare, partim ſecum ſibi apta abducere. Quibus cùm armentarius diceret non debere eos gregem ſancti contingere Benedicti, quod ſi agerent, eis impunè non cedere; illi indignantes, pinguiorem quam conſpexerant juvencam à toto ſeparatam grege jugulari præcipiunt: quâ religatâ, unus ex eis qui audacior videbatur, evaginato enſe exertóque brachio vaccam percutere nititur. At verò in ipſo conatu vinctus ligatúſque inextricabilibus vinculis hæſit, itaut erexerat brachium cum enſe retinens, nullámque in partem deflectere valens. Videres miſerum adſtare ipſo ſuo conamine loris non parentibus vinctum, virtutémque divinam quam in ſuo ſpreverat delicto, re ipſa in ſe experiri. Socij videntes emiſſam cælitus vindictam in comparem deſævire, conſternati animo culpam confitentur, miſericordiámque ab eo quem ſuperbè contempſerant, ſancto ſcilicet expoſcunt Benedicto. Depoſitis denique armis, calceis pedibus reſolutis, terram capitibus adſpergunt: ſícque remedium petituri Monaſterium properant, deducentes ſecum illum divinitùs vinctum latronem. Et ubi Baſilicæ proximant, proſtrati ante oſtium culpam cum lacrymis confitentur: nec illum ſolummodo reum ſceleris, ſed omnes unà conſcios eſſe criminis edicunt. Poſtremò voto ſe obligant, numquam ſe cuiquam ex familia S. Benedicti aliquid moleſtiæ inlaturos, ſimodò gratiam illius promereri valerent. Cernentes interea cuſtodes ſacræ domus devotionem virorum, totóque inclinatos animo ad miſericordiam pij Judicis impetrandam, humi proſtratos erigunt, dejectóſque animo ac corpore conſolantes, Eccleſiam introducunt, atque ad ſanctum tumulum perducunt. Oratione completa miſer reſolvitur, atque Domino cum ſociis grates propoſſe, ac liberatori ſuo Benedicto agens, ad ſua regreditur, apertè ubique prædicans divinam huic loco præſtantiùs ineſſe virtutem, nullíque ex ſententia cedere, ſi quid pravi adverſus ſanctum molitus fuerit Benedictum.

CIRC. AN. DC. LIII. JULII XI.

Militi vaccam Monaſterij cædere volenti brachium rigeſcit.

Imperij Francorum monarchiam Ludovico Auguſto (ut præfatum eſt) gerente venerabilis Abbas HILDUINUS Cœnobij S. Martyris Dionyſij Legatos Romam direxit, atque ab EUGENIO Papa corpus S. Sebaſtiani Martyris impetravit, quod delatum in S. Medardi Baſilica juxta corpus ejus in loculo geſtatorio ad tempus collocavit. Quo in loco innumera miraculorum à Chriſto

XXVIII. S. Sebaſtiani Tranſlatio.

CIRC. AN. DC. LIII. JULII XI.

patrata ſunt opera interventu ſancti Martyris. Poſtera ſanè tempeſtate, Boso [a] Abbas Monaſterij ſancti Confeſſoris Benedicti palatium evocatus adierat: unde regrediens tranſitum per Monaſterium S. Dionyſij congruum habuit. Proinde divertens ad præfatum Cœnobium cum Hilduino reverendo Abbate colloquium habuit familiare, intérque familiaritatis colloquia Reliquias ab eo ſanctorum Martyrum expetiit, Dionyſij ſcilicet, Ruſtici & Eleutherij, atque Sebaſtiani. Cujus precibus nobiliſſimus Abbas libentiſſimè annuens, quod petebatur ſub ea conditione præſtitit [b], ut quotannis adveniente natalitio eorumdem Martyrum, celeberrima apud nos ipſorum feſtivitas more Monaſtico haberetur. Suſceptis gratantiſſimè Boſo Abbas Sanctorum pignoribus, lætus ad propria regreditur *. Die verò adventûs ſui ad Monaſterium, juſſit directo miſſo, ut cum honore ſatis condigno Fratres ſibi occurrerent haud procul à Monaſterio. Juſſis obedientes Fratres excipiunt Memorias ſanctorum Martyrum cum honore quantum mortalibus conceditur digno ſub die undecimo Kalendarum Juliarum, atque in Eccleſia ſanctæ Dei Genitricis MARIÆ collocant. Sequebatur autem Reliquias Sanctorum non minima multitudo virorum ac mulierum ſumma cum devotione, ob quædam miraculorum beneficia à Domino per beatos Martyres patrata. Porrò quia ex antiqua auctoritate ſancitum erat, feminas infra exteriores portas Monaſterij haudquaquam tranſitum introrsùs habere; hi qui alongè Memorias Sanctorum ſecuti fuerant, ad preces converturtur, ut permitteretur eis poſcentibus cauſâ orationis Eccleſiam in qua Sanctorum Reliquiæ depoſitæ erant ingredi, votáque ſua perſolvere. Quod quia adverſum erat Religioni Monaſticæ, nullo omnino pacto impetrare valuerunt. Illis verò in prece perdurantibus, cœpere etiam quique nobiliores cauſâ tanti rumoris excitati ad tam venerabile undecumque confluere ſpectaculum: junctiſque precibus vix extorquere quoquomodo ab Abbate & Fratribus potuerunt, ut extra portam Monaſterij ad Occidentalem plagam in loco nemoribus conſito tentorium extendi juberet, quo Memoriæ Sanctorum certo tempore, hoc eſt Vigilia Dominici diei deferrentur, manerémtque ſub reverenti vigilum cuſtodia ibidem tam Monachorum quàm Clericorum uſque ad eamdem horam Dominici diei, iterúmque ſacris referrentur ædibus. Quod cùm impletum fuiſſet, multitudines plebium non ſolùm ex contiguis, verùm procul poſitis locis, medelam animarum ac corporum conſecuturæ eò confluxere. Operabatur denique Dominus per clariſſimos Martyres ſuos incredibilia virtutum dona, quæ ipſi quoque pueruli ex parte conſpeximus; ut liquidò pateſceret etiam nunc in his ſuis dilectiſſimis teſtibus illud compleri, quod olim eis qui in eum vera fide crediderint repromiſit, ita inquiens: *Amen dico vobis, quia qui credit in me, opera quæ ego facio, & ipſe faciet, & majora horum faciet.* Siquidem capti oculis, quolibet ſcilicet corporis vitio, ſeu peſſimo lippitudinis humore, ſeu glaucomate adoperti, clariſſimum recipiebant videndi uſum: debiles verò gravamine greſſuum qui numquam pedibus inceſſerant, facilitatem gradiendi ſummo cum gaudio recuperabant: dæmones ab obſeſſis extrudebantur corporibus, lunatici medelam aſſequebantur optatam. Præterèa quidam membrorum quorumdam incendium male perpeſſi, quod

Reliquiæ SS. Dionyſij & Sebaſtiani Floriacenſibus conceſſæ.

b

* *hic deſinit codex Pratenſis.*

NOTA *& lege Præfat. Tomi 1. ac 2.*

Auctoris ætas.

Iohan. 14. 12.

Miracula facta.

a Ebbo Remorum Antiſtes à Ludovico Pio Imp. exauctoratus *commendatus eſt ad cuſtodiendum* BOSONI *Abbati in Monaſterio S. Benedicti, ſub cujus manu exſulabat, quando Domnus Imperator viam totius ingreſſus eſt carnis* anno DCCC. XL quæ verba leguntur in Clericorum Remenſium narratione. *Defuncto autem eodem Imperatore* (ut habet Epiſtola Synodica Concilij Triciſſini ad Nicolaum Papam I.) Hlotharius *ab Italia in Franciam venit: cui ad Vormaciam civitatem Ebbo, deducente* BOSONE *Abbate cui commendatus ad cuſtodiendum fuerat, occurrit.* Boſoni ſucceſſit Rodulfus, Rodulfo Bernardus, infrà.

b Nempe duo oſſa coxendicis S. Sebaſtiani, quæ hactenus à Floriacenſibus noſtris aſſervantur. Johannes Boſcius in Biblioth. Floriac. pag. 257. refert mortuum ad altare S. Sebaſtiani in Monaſterio Floriacenſi anno 1444. ſuſcitatum. Paroecialis Eccleſia Floriacenſis S. Sebaſtianum Patronum agnoſcit. Præter Reliquias S. Dionyſij hîc memoratas, HELGALDUS Monachus Floriacenſis accepit à Roberto Rege *de Caſula S. Dionyſij, Dalmatica S. Ruſtici, caſula S. Eleutherij, de veſtimentis eorum ſanguine adſperſis, de carnium eorum pulvere & funiculo triplici quo fuit adſtrictus Dionyſius*, quas Reliquias in Oratorio à ſe condito apud Floriacum collocavit, utipſe in Vita Roberti auctor eſt.

genus

genus morbi incurabile, Medici derivato nomine à cancere Cancerauma vocitant, ſanitatem perfectam à ſe adeptos gaudebant. Innumera proinde ſanitatum dona (ut præfati ſumus) per beatorum Memorias Martyrum Dominus in tabernaculo quo tempore ſtatuto deportabantur, operatur ad laudem & gloriam nominis ſui, qui Electos ſuos ubique glorificat, non ſolùm æternæ beatitudinis præmia largiendo, verùm in præſenti ſæculo mortalibus deputato miraculis illuſtrando. CIRC. AN. DC. LIII. JULII XI.

Sed ne imparem meritis idem conditor ac redemptor humani generis JESUS CHRISTUS ſanctiſſimum oſtenderet Benedictum, immò ne aliqui minùs intelligere valentes divinam diſpenſationem, glorioſiores quàm maximè apud Dominum hos putarent exſiſtere Martyres, qui ſanguinis effuſione proprij coronam ſibi parârint felicitatis perpetuæ, quàm illum qui abſque martyrij palma in pace animam ſedibus patriæ cæleſtis immiſerit; placuit illi, haud diſparia per ſervum ſuum dilectiſſimum patrare miracula apud ſacratiſſimam Ædem qua condita ejuſdem Patris membra ſervantur. Namque delatus à parentibus puer parvulus ad Memorias ſanctorum Martyrum, cùm ſalutem nequicquam diutius expetitam conſequeretur; (erat enim crurium exſiccatione, nervorúmque contractione adeò debilis, quinetiam taxilli ita natibus tenaciter inhæſerant, quòd numquam à nativitate greſſuum inceſſum experiri quiret) deportatur à bajulis ad ſepulcrum ſæpe memorati Confeſſoris Chriſti Benedicti: ibíque interdiu perſeverans, poſtridie concinentibus nobis cunctíſque qui aderant Fratribus (nam veſpertina ſynaxis tunc celebrabatur) cœperunt ſe nervi diu contracti extendere, aridíque meatus venarum ſanguinis infuſione humectari. Tali quoque natibus vehementer adſtricti, paullatim ſeſe ab eis abjungere. Nec mora, extenditur puerulus, & toto corpore pavimento inhæret: paullo pòſt verò ſanus exſurgens, quamquam titubanti greſſu, diverſam in partem liberè cœpit diſcurrere. XXIX. Contractus ſanatus.

Hoc per Dei gratiam impleto miraculo, ex improviſo quidam rabie dæmonum furiíſque agitatus advenit. Maldabertus hic vocabulo nuncupabatur, qui paullò antè à civibus Aurelianæ urbis comprehenſus, uti cerebroſus virgis cæditur, vinculis conſtringitur, cuſtodiæ mancipatur. Sed omnia devincens, curſu rapido Monaſterium petit, ibíque bacchari per cuncta miſerrimè cœpit, membra torquere, in abſidem defringere, crimen rotare, arcuatâ dorſi ſpinâ alvum protendere, ſaltibus in aëra ſemet revolvere, ac per omnes motus corporis diabolicis incitamentis vexari. Prô dolor, miſerrimum ſpectaculum! artatur tandem vinculis, atque ad columnam Eccleſiæ ab ea parte corporis qua veſtis cingulo ſinuatur, infelix duriſſimè conſtringitur. Acceditur ad eum à Sacerdotibus, qui exorciſmos ac cuncta quæ erga energumenos agi debent, impleverant. Interrogatus nomen edicit, Legionem ſe nuncupari confitetur. Volvebatur denique diverſo circuitu columnarum, & motibus peſſimis infeliciſſimum detorquens corpus, quid in ſe gereret oſtendebat. Luctabantur (ſi fari liceat) agmina illa dæmonum cum interceſſionibus Sanctorum. Equidem miſer ille monitu religioſorum Monachorum, qui eum ad obſecrandam Domini miſericordiam, Sanctorúmque omnium interceſſionem impellebant, ſolitus erat veluti orationem invitus fundens dicere: Deus libera me ab hoſte antiquo, qui me obſidet. S. Benedicte, tu illum punge. Et hoc non certè voluntariè, ſed immundis agitatus furiis, joculariter ut innumera alia proferebat. Quid plura? interventu ſereniſſimi Patris, Divina miſeratione reſpectus liberatur à diaboli laqueis, & ſoſpes ac quietus intra Eccleſiæ limina reſidet. Cum loquentibus ſibi quomodo arreptus à dæmonibus fuerit explanat, confitetur culpam, ſéque ob ſcelerum enormitatem immundis traditum ſpiritibus, contrito corde & humili ſpiritu proclamat: grates Domino liberatori ſuo, necnon interceſſori B. Benedicto refert, ſícque incolumis ad propria remeat. Huic conſuetus abhinc tempore quo advixit, mos incidit, annis ſingulis redeunte XXX. Energumenus liberatur. NOTA exorciſmi uſum.

CIRC. AN. DC. LIII. JULII XI. tempore ſanitatis adeptæ cum voto ad limina ſancti Confeſſoris Chriſti propere, atque oratione peractâ ſua repetere.

XXXI. Item alius. Hoc tali tantáque Dei clementia à rabie dæmoniaca liberato, alter vinctus diris ligaminibus à ſuperioribus partibus Ligeris alvei deducitur, obſeſſus & hic à crudeliſſimo dæmone. Alligatur denique ad columnam Eccleſiæ. Sanguinei huic obtutus, pallidus color, macilenta facies, torvus adſpectus, quíque mortalibus plurimum terroris incuteret. Illicitum ei erat panem comedere: non enim permittebatur à dominatore ſuo cibo more humano uti. Triduum tranſire abſque alimento ſolitus erat, aquâ interdum ſimplici utebatur, exorcizatam coactus accipiebat, vociferans ac detorquens membra. Carnem aliquando avidè, ſed ſordidè (ſi daretur) more canum edebat; hujuſmodi victu miſer infelicem trahebat animam. Hic diutiùs apud ſacram Ædem diverſis atque immaniſſimis cruciatibus vexatus, poſtremò vinctus manicis ad Memoriam ſanctorum ducitur Martyrum, quo etiam cineres ſæpedicti Confeſſoris Chriſti Benedicti à fideli plebe venerabantur. Religatur ad ſtipitem tabernaculi, ibíque nimiùm affligitur. Sciebat nempe impius tortor, virtute meritíſque Sanctorum citiùs ſeſe pellendum ab obſeſſo homine: ideóque crudeliùs in eum omni genere deſæviebat. Sed circa horam tertiam cùm jam Miſſæ celebrarentur, poſt lectionem Evangelicam in ſomnum miſer ille convertitur: dúmque à Sacerdote oblata ſanctificaretur hoſtia, viſum eſt cuidam Fratrum noſtrorum, cui nomen GARNO, quibuſdam quoque ex Clericis, ac ſi tres muſcæ magnæ multúmque nigerrimæ ab ore vexati hominis egreſſæ foras tabernaculum avolarent. Quod poſtquam viſum eſt, cœpit ægrotus quietiùs agere, atque miſeratione Domini Sanctorúmque illius interventu à perſecutore humani generis ereptus ſanitati reſtitutus eſt: hócque modo incolumitatem adeptus propria reviſit.

XXXII. Comes item rabidus. Caſtrum quoddam in Burgundiæ partibus in latere montis ſupra fluvium Hermentionem* vocabulo ſitum, adjacenti regioni nomen indidit: namque à Tornodoro* vicina regio Tornodorenſis dicitur. Huic præerat quidam nobili ortus proſapia, vocabulo RACULFUS, ex officio vicem Comitis agens, qui ob pravitatem morum peſſimorúmque actuum immanitatem mente captus in rabiem vertitur. Cúmque ſemetipſum ac reliquos circumquaque ſibi adſtantes gladio, fuſtibus, ceteríſque ſibimet occurrentibus telis petere vellet; tenetur à ſuis, vinctúſque cum magno apparatu uti opulentiſſimus virorum ad Monaſterium deducitur: illícque diu debacchatus, intantum ut dentibus frendendo minaretur ſi licitum foret accedentes ad ſe morſibus laniare; evolutis ferme diebus quindecim, interventu B. Benedicti meliùs ſapere cœpit; nec longè pòſt adprimè ſaluti reſtitutus, cum gaudio non tantùm unius viri, ſed & multorum, nativum repetit ſolum. Hæc & alia multa ea tempeſtate miranda Dominus per ſervum ſuum carnis ſarcinâ abſolutum operari dignatus eſt: quæ inertiâ eorum, quorum ſtudiis nota populis debuêre fieri, prætermiſſa ſunt. Ceterùm ea quæ viſu corporeo nos cognoſcere quivimus, quæve fideli narratione comperimus, ſummiſſo genere loquendi, quod vel maximè in agendis rebus valet, ad poſterorum notitiam hortatu Majorum tranſmittere curavimus.

* *L'Armençon.*
* *Tonnerre.*

XXXIII. Ludovici Pii filii Regnum partiuntur. Verùm piiſſimo Auguſto Ludovico carnis onere ſpoliato Regnum Francorum quod ex diverſis nationibus ſolidum corpus fuerat effectum, trifariàm dividitur, atque à tribus ejuſdem Imperatoris filiis ad regendum ſuſcipitur. Et major quidem natu LOTHARIUS Franciam cum Italia, LUDOVICUS Saxoniam omnémque Germaniam, CAROLUS autem junior Burgundiam cum Aquitania poſſedit. Sed ut de Regnis taceam, belliſne attrita decreverint, an pace continua aliquanto floruerint, noſtræ partis ærumnas breviloquio excurrere libet. Carolo Regni non minimam aſſecuto partem, infortunium junctum fortunæ, rempublicam maximo profligavit damno, ac primùm

Marchisis [a] Britannici limitis inter se gravi perduellione dissidentibus, bellum oritur utræque lugubre parti. Quamvis enim RAINOLDO occumbente victor LAMBERTUS exstiterit, non adeò tamen victricia ab hoste retulit signa. Dum millia suorum prospexit opperisse fatellitum, idque adversum HERIVEUM repetens, primus natorum Rainoldi arma ob vindictam paternæ resumentem necis, eumdem malè depugnantem vicit, telisque confossum neci tradidit. Hoc dissidii genere bellatoribus utrimque pereuntibus, pænè omnis illa regio defensoribus nudata suis, præda gentibus paruit externis. Brittonum siquidem proxima vis limitem transgressa antiquum, Namneticam regionem, Andegavensem quoque Meduanam * usque fluvium vastando cædibus atque incendiis in suam redegit potestatem. Obstiterat quidem Lambertus jampridem id annitentibus: sed jussu Regis loco cedens, Brittonibus explere conatus permisit barbaricos. Præterea Nortmanni, gens Aquilonalis, nostro generi plus æquo præcognita, non jam piraticam exercendo, omnem oram maritimam pessumdedit, atque (ut verius dicam) in vastam redegit solitudinem. Fuerant eorum pessimi conatus sæpe à Ducibus illarum regionum sibimet succedentium frustrati, Lamberto scilicet atque Rotberto necnon Rainulfo: sed illis varia pereuntibus sorte, omnis fere Neustria, quæ à Genabensi urbe per transversum Lutetiam usque Parisiorum pertingit opidum, Nortmannicæ patuit feritati. Inruptionibus namque creberrimis cuncta vastando circumeuntes, primò pedites quidem, eoquòd equitandi peritia deesset, deinde equis evecti more nostrorum, omnia pervagantur. Intereà stationem navium suarum, acsi asylum omnium latrunculorum in insula quadam Cœnobio S. Florentii [b] supposita componentes, mapalia quoque instar ædificaverunt burgi, quo captivorum greges catenis adstrictos asservarent, ipsique pro tempore corpora à labore reficerent expeditioni ilicò servitura: ex qua inopinatos discursus agitantes, modò navibus, modò equis delati: totam circumcirca delevêre Provinciam, & primò quidem adventu urbem Namneticam incendio cremavêre. Andegavensem percurrentes regionem, ipsam quidem civitatem concremant; Pictavorum verò castella atque vicos, omnémque patriam à mari usque eamdem Pictavam urbem populantur, vastant, cædibus replentes omnia. Sequenti tempore navigio Turonum veniunt, eámque de more stragibus opplentes, ad postremum ignibus tradunt. Populata omni circumquaque regione, haud longo pòst, superiora Ligeris amnis navibus expetentes, Aurelianis perveniunt: captámque urbem auro distrahunt, AGIO [c] tunc temporis præfatæ urbis Præsulatum gerente: sícque ad tempus recedentes, secundo adventu prædictam civitatem combustione dissipant, Matre dumtaxat Ecclesia quæ in honore sanctæ Crucis jubente CONSTANTINO Augusto à B. præsule EVURTIO sacrata erat, studio bonorum hominum remanente. Quid denique solius Neustriæ clades memorando stilum protrahimus? haut solæ quatuor suprà memoratæ urbes excidii damna sensêre. Quid Lutetia Parisiorum nobile caput, resplendens quondam gloriâ, opibus, fertilitate soli, incolarum quietissima pace, quam non immerito Regum divitias, emporium dixero populorum? Num magis ambustos cineres, quàm urbem nobilem potis est cernere? Quid proinde Bellovacus, quid Noviomagum & ipsæ quondam Galliarum præstantissimæ

CIRC. AN. DC. LIII. JULII XI.

a Qualis tum rerum facies.

* *Mayne* seu *Mayene.*

Nortmannorum incursiones & dira facinora.

NOTA antiques Neustriæ limites.

b

Anno DCCC. LIII.

c

a Illo sæculo IX. Marchisorum nomen primùm audiri cœpit, qui sic dicti sunt à marcha seu marchia, quæ vox limitem significat, eoquòd limites regionis custodirent, sicut antea Duces ac Comites.

b Monasteriũ S. Florentii in monte Glonna, diœcesi Andegavensi, haud procul à Ligeri situm in extremis Aquitaniæ partibus, nunc Vetus dicitur, ut distinguatur ab alio ejusdem nominis, quod priori à Normannis eversо primùm in castro Salmurensi itidem ad Ligerim posito, postea prope Salmurum opidum constructum est, retinétque Abbatiæ nomen, à qua dependet antiquius Monasterium, utrumque Congregationi S. Mauri attributum.

c Agius ordinatus est Aurelianensis Episcopus anno DCCC.XLIII. ut constat ex Concilii Vernensis II. c. 10. anno insequenti habito. Conciliis variis postea subscripsit, Belvacensi anno 845. Parisiensi anno 846. Turonensi IV. anno 869. Suessionensi II. & Vermerensi itidem II. anno 853. Saponarensi anno 859. Tusciacensi anno 860. ac Suessionensi III. anno 867. Successorem habuit Vvalterium, de quo infrà.

CIRC. AN. DC. LIII. JULII XI.

urbes, nónne & ipſæ inruptionibus Nortmannicis, atque hoſtili gladio concidêre? Piget referre Cœnobiorum nobiliſſimorum tam virorum quàm feminarum Deo devotè ſervientium excidia, ſtragéſque non ignobilium plebium, captivitates matronarum, Virginum ludibria, ac cuncta quæ victis victores inferre valent infanda tormentorum genera. Quid Aquitanicæ gentis ingentem referam afflictationem, quæ olim bellorum nutrix, nunc frigidam bello præferat dextram, ſuíſque orbata luminibus, Ducibus egeat alienis? Etenim ipſa quoque optimos quoſque genitalis ſoli in ſeſe elidens, patet nunc præda gentibus alienis. Ab ipſo quippe (ut ita loquar) Oceani litore, Orientem verſus, Arvernum uſque clariſſimam veteri tempeſtate Aquitaniæ urbem, nulla libertatem retinere valuit regio, non opidum aut vicus, non denique civitas, quæ non ſtrage ferali ceciderit Paganorum. Teſtatur hoc Pictavis fecundiſſima quondam urbs Aquitaniæ: hoc Santonum, hoc Engoliſma, hoc Petrocorium, hoc Lemovica, hoc certè Arvernus, terminus nuncuſque barbarici gladii: ipſúmque Avaricum* caput regni Aquitanici proclamant, nulla ſcilicet bellica obviante, manu hoſtili graviter ſeſe concidiſſe incurſu. His atque hujuſcemodi malis per triginta fermè annorum ſpatium, Gallis non abſque piaculo quorumlibet detritis, cultus quoque Divinæ religionis quomodo proceſſerit, utrùm necne floruerit, in promptu eſt cuilibet, licet tardioris ingenii, mortalium perſentiſcere. Quis enim Chriſtianæ Religionis ordo normam eò propoſiti ad liquidum exſequitur, ut non magis prævaricator mandatorum Chriſti judicetur, ſi actuum exſecutio ritè veſtigetur? Unde non immeritò talibus, hoc eſt nobis tranſgreſſoribus præceptorum ſuorum, ultionis vindictam olim per Prophetam repromiſſam videtur infligere. Dicit enim comminans per Jeremiam Prophetam: Pro eo quod non audiſtis verba mea, ecce ego mittam, & aſſumam univerſas cognationes Aquilonis ait Dominus, & adducam eas ſuper terram iſtam, & ſuper habitatores ejus, & ſuper omnes nationes quæ in circuitu illius ſunt. Et interficiam eos & ponam eos in ſtuporem & ſibilum, & in ſolitudines ſempiternas, perdámque ex eis vocem gaudii, & vocem lætitiæ, vocem ſponſi, & vocem ſponſæ, vocem molæ & vocem lucernæ: & erit univerſa terra ejus in ſolitudinem, & ſtuporem. Itemque per Ezechielem Prophetam: Fac concluſionem, quoniam terra plena eſt judicio ſanguinum, & civitas plena iniquitate, & adducam peſſimos de gentibus & poſſidebunt domos eorum, & quieſcere faciam ſuperbiam potentium, & poſſidebunt fructuarium eorum. Anguſtia ſuperveniente requirent pacem, & non erit: conturbatio ſuper conturbationem veniet, & auditus ſuper auditum, & requirent viſionem de Propheta, & lex peribit à Sacerdote, & conſilium à Senioribus. Et poſt pauca: Secundum viam eorum faciam eis, & ſecundum judicia eorum judicabo eos, & ſcies quia ego Dominus. Eſt itaque cernere comminationem propheticam noſtro aſſignari ævo, quando ob ſcelerum immanitatem populus quondam Dei & oves manuum ejus dati ſunt nationibus in deprædationem captivitatémque duriſſimam: atque ſolum nupera florentiſſimum ætate, ubere gleba, cunctarúmque opulentia rerum, redactum in vaſtitatem ac ſolitudinem extremam. Libet igitur cum Propheta David veraciter exclamare: Juſtus es Domine, & rectum judicium tuum: atque cum altero humiliter implorare: Domine, miſerere noſtri, te enim exſpectavimus: eſto brachium noſtrum in mane & ſalus noſtra in tempore tribulationis Hæc de excidio jucundiſſimæ patriæ breviter litteris mandare libuit, quò his quæ conſequenda erant clariorem pararemus viam. Omiſſis ſcilicet infandis malorum cladibus, quæ ipſo ſui horrore & execratione, ſtili curſum in ſemet hebeſcere cogunt, jam nunc ad propoſitum redeamus.

* *Bourges.*

Jerem. 1.

Ezech. 7.

Pſal. 118.

Iſa. 32. 2.

XXXIV. Floriacenſe Monaſterium à Nortmannis diripitur ac cõburitur.

Intereà Nortmanni, ut ſuprà paucis prælibavimus, ſecunda inruptione Aurelianos aggreſſi, urbem ambuſtione concremant: párſque illorum, duce BARETO cum quadraginta navibus, Monaſterium S. P. Benedicti expetunt, quod ab urbe Aurelianenſi decem & octo diſtat millibus. Illud denique va-

cuum habitatoribus reperientes, cunctis verò mortalium temporaneis refertum commodis, more ſibi familiari prædantur, diſſipant, ad poſtremum verò igni immiſſo adurunt [a]. Aberat jam tunc corpus ſacratiſſimum Confeſſoris Chriſti Benedicti: ſiquidem prima vaſtatione præfatæ urbis, curam hujus ſacri loci agente BERNARDO [b] nobiliſſimi generis viro, levatum à loco ſepulcri ſanctiſſimum corpus in ſcrinio cum honore congruo repoſitum eſt: ſícque in loculo geſtatorio collocatum, qualiter quocumque fugiendi impelleret neceſſitas, à Fratribus fugæ præſidio ſeſe tuentibus deferrit poſſet. Sed gratia Chriſti agente, gentili gladio ſedes ſibi aptatas repetente, ſanctiſſima membra loco conduntur proprio. Secundo verò incurſu hoſtium, jam prælibato Abbate ultimos ſui regiminis decurrente ſoles, iterum levatum ſanctiſſimum corpus atque in loculo vectario depoſitum, hac illácque prout opportunitas fugæ ſe obtulit, à Fratribus defertur. Non tamen infra hæc temporis ſpatia gratia Divina ſervos ſuos quamquam miſerabiliter peregrè incertíſque ſedibus jactatos obliviſci dignata eſt, quin miraculis ſolaretur per dilectiſſimum ſuum patratis: quatinùs titubantia propter tot adverſos caſus hominum corda, ex præſentia tanti Patris, virtute quoque præ oculis habita, abundantiùs roborarentur. Poſt exhauſtum namque gravi graſſante incendio Cœnobium, nulla jam ſoli gratia remanente (quippe qui non Templa divinis cultibus apta, non lares diverſis exſtructi uſibus, non horrea, non penora, non certè quippiam decoris, aut utilitatis reſtiterat) nudíque maceriarum parietes ſtuporem ſpectantibus oculis, horrorémque magis quàm decus aut gloriam præferrent; compulſi Fratres domum quondam quieti aptatam interpoſitis partientes arcubus, de parte umbram finxere minoris ſacelli, in quo fabricato altari Divinum officium interdiu celebrabant. Quo etiam in loco [c] corpus beatiſſimi deferunt Benedicti, in loculo adhuc geſtatorio poſitum. Dum igitur ſancta eo quieſcerent membra, Deo operante tale quoddam accidit miraculum.

CIRC AN. DC LIII. JULII XI.

a

b

c

XXXV. Pejerās per S. Benedictum caſtigatur.

Tempore præfixo, hoc eſt ſeptimâ feriâ, per totius curſum anni ex villis in proximo conſtitutis, more conſueto orbis, ad diſtrahendas ſeu coëmendas merces populus confluere ſolet in loco juxta Monaſterium poſito, qui dicitur Vetus Floriacus. Quadam itaque die Sabbati duo compares locum adeunt mercandi gratiâ: quorum alter in ſacculo (ut ipſe ferebat) duodecim habebat denarios, quos ſimul ex mercibus diſtractis acceperant eóſque inibi inter ſe dividere convenerat. Sed dum ille qui nihil ex eis habuerat, à ſocio ſibi debitam requireret partem, ille verò ſe ei reddidiſſe fateretur; contentione oborta, Judex fori, Engilraus vocabulo, accurrit. Cúmque litem dirimere vellet, atque ille qui pretium habuerat, compari ſe reddidiſſe modis omnibus affirmaret, nec dictis ejus fides adhiberetur; neceſſitate compulſus dexteram contra Baſilicam extendens, cum furore juramentum protulit, ita inquiens: Per iſtum S. Benedictum ego illos ei reddidi denarios. Quod quia temerè ac falsò juraverat, nequaquam ex impunitate gaviſus eſt: ſiquidem manum, quam cum brachio improvidè pejeraturus tetenderat, ad ſe revocare nequivit; ſed in ſuo conamine obrigeſcens, ſtupida remanſit. Territi omnes qui aderant, quid conſulto opus eſſet, ſcrutantur veſtigiò. Nihil verò conſilii ſalubrioris repertum,

a Id factum anno DCCC. LXV. ut ſcribitur in Annalibus Bertinianis & in Chronico anonymi quem Andreas Cheſnius aliis Auctoribus qui de Normannorum geſtis ſcripſerunt, præmiſit. Alia item vice idem Monaſterium à Normannis combuſtum eſt, uti ad Illationis S. Benedicti hiſtoriam dicemus Sęculo IV. Benedictino.

b Bernardus iſte ſeu Bertaldus Concilio Sueſſionenſi II. apud S. Medardum habito interfuit anno DCCC. LIII. ſucceſsítque Rodulfo, de quo Concilium anno DCCC. LIX. apud Saponarias habitum c. II. *Tandem poſtulavit humiliter generalis Synodus ſe ad terram uſque proſternens ante Karolum Regem & Rodulfum Biturigum Archiepiſcopum, obſecrans & adjurans per Crucem & Chriſti ſanguinem, ut Privilegium Monaſterii S. Benedicti quod annuente præfato Rege firmaverant, quódque idem Rodulfus ſubſcripſerat, qui præfatam Abbatiam inregulariter retinebat, ratum & inconvulſum ſervare ſtuderent.*

c Hinc colligunt ſocii Bollandiani, ſuſpecta eſſe quæ à Diederico Monacho Teutonico in hiſtoria Relationis S. Benedicti ex urbe Aureliana contigiſſe referuntur, ſcilicet glaciem ultro liquefactam ac diſſolutam, & arbores hieme floruiſſe. Quæ nonniſi hac occaſione geſta dici poſſe exiſtimant, nec ab Adrevaldo hîc prætermittenda, ſi vera fuiſſent. Hæc aliàs.

CIRC. AN. DC. LIII. JULII XI.

quàm ut reus virtutem jam expertus Divinam, veniam petiturus Ædem ſacram expeteret. Quod ille impiger exſecutus, dejectus animo ac ſuplex Eccleſiam petit, deferens altera in manu quæ pænè obnoxia nequaquam fuerat, voti gratiâ furcam ferream tridentem. Poſtremò ſternitur ante ſacratiſſimam tumbam, vacuam quidem ſancto corpore, ſed virtute Divina ex ſocietate quondam priorum oſſium refertam : veniámque temeritatis ac criminis ex perjurio contracti exorat, ſimul etiam miſericordiam Domini precatur, quatenus interventu piiſſimi Paſtoris, cujus venerabile nomen ſacramento velut viliſſimam attentaverat rem, ſanitatem aſſequi mereretur. Affuit clementia Conditoris precibus affectuoſis miſeri poſcentis auxilium eximii Ducis, ejúſque interceſſione medelam infirmus conſequitur, lætúſque forum repetit. Sed ne fortè plurima triſtitia pro perditis abſorberetur nummis, conſolari eum Dominus dignatus eſt, ejus virtute, cujus auxilio ſalutem illi voluit conferre. Namque (mirabile dictu!) cùm omnis ferè populi multitudo à foro ad propria receſſiſſet, paucíque admodum remanſiſſent, eo in loco quo major diſcurſus fuerat plebis reſpiciens, vidit ſacculum jacentem cum nummis quos perdiderat. Quem recolligens, gaudio majore afficitur, non ſolùm pro ſalute corporea, verumetiam pro invento paupertatis ſuæ laborioſo quæſtu. Huic admirabili ſigno aliud adjicitur annuente Chriſti gratia, longiori quamquam terræ interſtitio.

Pœnitens convaleſcit.

XXXVI. Mulier clauda curatur.

Eſt intra mœnia urbis Aurelianæ Ædes in honore ſanctiſſimi Benedicti conſtructa à venerabili præſentis loci Abbate nomine MEDONE; parvula quidem, ſed in ſecretiori (ut eo putabatur tempore) loco ſita civitatis, ac per hoc aptiſſima Monachis & Abbati in neceſſariis rebus agendis habitatio. Porrò circa tempora hiemis, inruptionem in ſuperiora meditantibus Paganis, neceſſitate Fratres coacti eò ſe conferunt. Certè, ut jam ſuprà brevi memoravimus, bis civitate incendio concremata, tertiò diſtracta, nullus jam ei defenſionis ac tutelæ videbatur uſus ineſſe : donec venerabilis Pontifex ejuſdem urbis cum ſumma dicendus reverentia, GALTERIUS, Deo inſpirante muros per cuncta fere deſtructos civitatis, ſagacitate nobilis ingenii quâ præpollere cognoſcitur[a] reſtaurans, defenſioni coaptaret populorum. Huc itaque ſervi Dei devenientes, tempus pro opportunitate religioſæ tranſigunt vitæ. Affuit autem inter hæc apud ſacram Ædiculam quædam femina ex burgo civitatis, itaut nequaquam pedibus incedere poſſet : ſed per terram reptando, ſcamellorum * magis juvamine ſeſe protraheret, quæ excubando pro foribus ipſius Eccleſiæ eleëmoſynis religioſorum Fratrum paſci ſolita erat : exſpectans ſi quomodo fieri poſſet, ut pietate Dei ac meritis beatiſſimi Confeſſoris corpoream aſſequi mereretur ſanitatem. Cùm igitur diuturno ſpatio temporis id ageret, tandem reſpectu Divinæ pietatis, meritíſque & interventu ſanctiſſimi Benedicti ſanitati reſtituitur, diúque in eodem loco ſana & incolumis permanens, pòſt virilem aſſecuta copulam, cum prole in eadem moratur civitate.

* Scabellorum.

XXXVII. Incendium reſtinguitur.

* Pauliacum *Pouilly* opidum in Nivernis.

Quidam homo ex familia S. Patris Pauliacenſi * pago manſiunculam ex levi ſtructura, vimine ſcilicet ac geneſta, ſuper hereditatem conſtruxerat ſuam: quò cuncta quæ adquirere potuit conducens, ſpem omnem protrahendæ pauperrimæ contulerat vitæ. Caſu denique accidente, igne comprehenſa, flammarum globum cœpit emittere. Perſtrepentium autem tumultu, ut in tali aſſolet re, vicinarum homines villarum cœperunt concurrere. Sed cùm jam rogum flammarum altiùs aſſcendentem, concremationíque proximam cernerent, gradum compreſsêre, dicentes eam à nullo poſſe liberari quæ exſtructa viminibus & compacta geneſtâ, levem paſtum voranti præberet flammæ. Præ-

a Hinc apparet Adrevaldum his miraculis deſcribendis operam dediſſe ſedente adhuc Galterio ſeu Gauterio, Vvalterio, qui anno DCCC. LXXVI. Concilio Pontigonenſi ſubſcripſit, & Sedi Aurelianenſi anno DCCC. XXCV. adhuc præſidebat ex Sauſſeyo : qui Ædiculam S. Benedicti hîc memoratam converſam eſſe ſcribit in Eccleſiam parœcialem, nuncupatam S. Benedicti de Reditu, vulgò *S. Benoiſt du Retour*, ſumpta appellatione à Relatione Corporis S. Benedicti in Monaſterium Floriacenſe, quæ Relatio Vvalterio Pontifice contigerit.

tereà humano recedente adjutorio, pauper ille ad Divinum converſus auxilium ita aïebat: O Domine miſerere mei, ne fame affectus moriar! S. Benedicte ſubveni mihi, & adjuva ſervum tuum, omnem enim paupertatem in hoc conduxeram tuguriunculo. Dum hæc & alia plurima flendo ingeminaret, Divinitas flexa ad miſericordiam meritis ſacratiſſimi Benedicti Patris, reſtinxit rogum, ſalvúmque omne remanſit tugurium, uno dumtaxat pariete ambuſto, qui erat contextus ex vimine, cunctáque illius remansêre illæſa. CIRC. AN. DC. LIII. JULII XI.

Caput-Cervium * pagus quidam Aquitanicæ provinciæ Regia liberalitate Cœnobio S. Benedicti donatus, multis vicinorum inſectationibus, & maximè primorum patriæ, à poteſtate hujus loci deſciverat. At poſt longum temporis ſpatium, maximo labore Servorum Dei propriæ reſtitutus poteſtati, conſiliúmque neceſſariò repertum eſt, ut habitatione congrua Monachis quoquomodo inibi conſtructa, aſſiduè Monachi duo vel tres ibidem perſiſterent: quouſque faciles Aquitanorum animi ad nova quæque leviter mollienda, inſtantiâ Fratrum ab hac potiendarum rerum quieſcerent fiducia. Mittitur ad id enitendum RAGANARIUS Monachus magnæ vir religionis, qui olim ab Imperatore Ludovico cum aliis Hieroſolymam miſſus fuerat: atque cum eo SEGEVERTUS Preſbyter ac Monachus: qui cellulam in prædicto compingentes loco, omnem Aquitanicæ genti abſtulêre harum repetendarum rerum fiduciam. Exſtitit eo tempore quidam vir ejuſdem plebis haud ignobilis, Stephanus nomine, qui aliquam partem fundi proprij cuidam ſervorum ſancti Benedicti accepto pretio diſtraxit. Servus autem ille fundum abſque aliquo fructifero cultu adeptus, vacuam nequaquam permiſit eſſe tellurem: ſed eam optimè excolens vineam inibi plantavit, atque quo advixit tempore, in proprios retinuit uſus. Decedente illo dominus ipſius terræ de qua præfati ſumus, quod vendiderat rurſus repetere conatur. Advocatus verò una cum Raganario Monacho, ad locum ceſſionis terræ juxta morem legis adveniens, prædictam vineam ad jus S. Benedicti ſua auctoritate revocare nitebatur. Proinde Stephanus impatientiâ levis animi commotus, Raganario Monacho itaut ſedebat in equo propinquans, furibundè locutus eſt: Tibi dico, Raganari Monache, qui trans mare Hieruſalem requiſiſti, per hunc teſtor enſem, quando tu & ego ab hoc receſſerimus loco, S. Benedictus ex hac vinea nullam habebit poteſtatem. Cui furenti Raganarius infit: Certè ego ignoro, tu verò neſcis, utrùm ab hoc loco recedere pro voto poſſimus. Ille iterum concuſſo enſe juramentum repetens affirmavit ſe abſque gratia S. Benedicti ab eo regreſſurum loco. His dictis confeſtim ab eo corruens, contritis collis íſque omnibus membris in geſtario ad domum propriam à ſuis refertur: & vinea quidem poteſtati S. Benedicti relinquitur, ipſe verò Stephanus longo conſumptus languore moritur. XXXVIII. Vineam Monaſterij invadens morte corripitur. * *Sacerge*

Rege CAROLO Francorum diſponente Regnum fames admodum gravis univerſas occupavit Gallias, clades etiam ex inſectatione Paganorum non modica totam per Oceani litora adtrivit gentem. Sed ut tertiam juxta Prophetam orbis experiretur plagam, graves immiſſæ ſunt beſtiæ, quæ famem cladémq; effugientes barbaricam hianti ore exciperent. Accidit autem ea tempeſtate, ut mulier quædam ex Matriniacenſi egreſſa prædio infantulum minuſculæ ætatis ſecum deduceret, quo cum aliis ſuæ ætatis luderet infantulis, ipsâ longiùs cum plurimis viris ac mulieribus proſpectante: cùm ſubitò lupus à ſilvâ egreſſus filium mulieris illius rapuit, ac ſuſtollens non ſilvam repetiit, ſed per camporum ſpatia exportare cœpit. Cernens hoc infelix mulier, miſerrimis vocibus plangoribúſque immenſis indolens, mixta deinde vulgo, lupum inſequi cœpit. At ille neutiquam territus, infantulum longiùs protrahebat. Sed cùm fatigatum vulgus à perſecutione lupi ceſſaret, deſperans ei ſe ullo modo prædam excutere poſſe; mulier quæ pro filij amiſſione artiori ſtimulabatur dolore, nequaquam ab incepto requievit curſu: ſed magis pro poſſe citiùs properabat, invocans nihilominùs S. Benedictum, quatinùs ei ferret auxilium, reddendo filium proprium, ſervúmque ſuum extra ter- XXXIX. Caroli Calvi regnum infauſtum. 2. *Reg.* 14. 12. Puer è lupi faucibus ereptus.

CIRC. AN. DC. LIII. JULII XI.

minos ſuos nullatenus efferri permitteret. Tunc deinde clementiâ Divinæ majeſtatis & interventu pretioſi Confeſſoris quod exorabat adepta eſt. Lupus namque veniens ad terminos territorij S. Benedicti, infantulum illæſum atque incolumem relinquens, avia ſilvarum latibula repetiit. Mulier recepto alacris puerulo gratias Deo ac liberatori filij ſui, ſancto proſcire referens Benedicto, lares pauperrimos ſuæ reviſit paupertatis.

APPENDIX ADELERII MONACHI.

XL.

MIRABILIS Domini noſtri virtus & ſapientia, quæ beatiſſimum patrem Benedictum mirificat, glorificatum ſecum retinens in cæleſti curia ejus reverendum cunctis mortalibus corpus mirificare in terris haud deſiſtit jugiter miraculorum frequentia. Nam ſicut à prioribus noſtræ tempeſtatis viris atque ſtudio veracis aſſertionis probabilibus credibili relatu comperimus, ſæculis factum memoriale larga Dei celſitudo per ſæpefatum ſibi dilectum clementi dignationis ſuæ munere operari dignata eſt. Contigerat aliquando ſacratiſſimæ ejus Tranſlationis feſtivitas, ad quam temporis orbita redeunte plurimæ confluxerant diverſæ numeroſitatis undicumque catervæ, non ſolùm à circumpoſitis, verumetiam à quibuſque provinciarum remotiſſimis locis. Denique in celebratione tantæ feſtivitatis præconiis nocturnalibus decore competenti perſolutis, nondum auroræ clarè refulgentibus radiis, quietis gratiâ ſua quique petiere cubilia. Quidam verò ex Fratribus cui tuendæ Baſilicæ cura delegata erat, cùm ad nanciſcenda ſupernæ æternitatis gaudia jugiter intentus ſuorúmque peccatorum omni devoti cordis devotione à Domino depoſcens indulgentiam è veſtigio ſacrati corporis ante altare reſideret, pſalmorum ac precum melodiam conſueto ſibi more ſatagebat perſolvere devotiſſimè: qui etiam inchoata altiùs protelans, laſſitudine cogente obdormivit. Cui mox quidam ſenior honeſtatis formoſitate decorus, ac reverendi habitus adſiſtens, quid Fratres agerent, atque quonam ſeceſſerant, jocundo affamine inquiſivit. Ille autem protinùs dormitum iſſe reſpondit, quo poſt aliquantulam corporeæ neceſſitudinis recreationem, diurni officij uberiùs valerent perſolvere modulationem. Admirans itaque quis iſte foret qui ſibi hæc imperando depromeret, Beatiſſimus ad eum; Ne mireris, inquit, ob præſentiam quam perſpicis mei, certiſſimè ſciens me Fratrem [a] Benedictum vocari, præſulem ac defenſorem hujus conſtitutum loci. Fratribus etenim ex me ſalutes dicito in conventu generali, & ad celebrationem Miſſæ ſollemnis ſint præſcij, quia in exſecutione nocturnalis officij pſallentibus meis præſens adeſſe nequivi. Namque Fratri AIMERICO in partibus Britanniæ abeunti, veniam delictorum à Domino obtinui, atque de faucibus inimici eripiens, perennis vitæ ſedibus feliciter ſublimavi. Cognoſcant igitur te fatente, poſtquam diſponente Deo corporis mei præſentia, à partibus Eoïs in has Occiduas oras tranſvecta eſt, nullum eorum damna paſſum fore æternæ quietis, ſed munere donatos cæleſtis patriæ ſublimibus locis Chriſtum eos collocaviſſe. His dictis viſio adſtantis ſimul & colloquentis ablata eſt. Ut verò ſe lux diei [b] terris clara infudit, Fratribus ſomno experrectis, idem ſonitu fuſilis tabulæ, olim reſerandæ locutionis gratiâ [c] compactæ, Abbatem THEOTBERTUM [d] cum reliquis adſciſcens, ſalutationis verba depromit, & cuncta quæ Benedictus pater dicenda præceperat, eis per ordinem retulit. Qui omni corpore terræ deflexo adorantes, lætabundis animis laudes innu-

In feſto Tranſlationis apparet S. Benedictus.

Fratrum mortuorum ſalutem curat.

[a] In variis S. Benedicti apparitionibus tum in Chronico Caſſinenſi, tum alibi relatis, ſemper *Fratris* appellationem ſibi uſurpaſſe dicitur Benedictus. Ex quo intelligas, morem fuiſſe illorum temporum, ut cum Monachus quivis de ſe loqueretur, Fratris nomen modeſtiæ causâ præferret.

[b] Hinc colligitur Monachos Benedictinos illo ævo media nocte Matutinum officium perſolviſſe; aliàs in feſto Tranſlationis, hoc eſt ſumma æſtate ſeu die 11. Julij, nullum poſt nocturnas preces intervallum temporis ſomno ante lucem captando reliquum fuiſſet.

[c] Obſerva finem ſilentij nocturni à S. Benedicto cap. 42. præſcripti olim ſigno indicatum fuiſſe.

[d] Theotbertus Abbas præfuiſſe anno DCCC. LXXVIII. ex Diſſertatione prævia num. 13. conſtat.

meras

meras Deo & proviſori ſuo retulerunt unanimi devotione: & ne quid incongruum advenientis adſpectus oſtenderet, quiſque ſe ſtuduit procurare. Quamquam enim ſpecialiter cùm ſui præſentiam Fratribus præſtolandam innoteſceret, in Dominicis eis præceptis perſiſtentibus ſaltem ne ad modicum quidam uſquam abeſſet; tamen ad declarandam ſuæ virtutis potentiam, communémque cunctorum lætitiam, ſeſe præſentem demonſtravit per Divinæ operationis efficaciam. Nam aliquid magni ſe vel videre vel cognoſcere cunctis credentibus, accidit ut poſt recitationem ſancti Evangelij, omnes quicumque aliquo moleſtabantur incommodo, quóſque ſacræ Baſilicæ retentabant limina, cum optatæ ſoſpitatis munere quiſque repedaret ad propria. Sexaginta denique utriuſque ſexus & ætatis curati ſunt homines: omni magnificentia Deo laudes, Deo gratias & beatiſſimo P. Benedicto in communi referentes. Tanta ſiquidem perfecta Dei operatione liquidò cunctis patuit, quia noſter Benedictus inter Miſſarum ſollemnia præſens fuit. CIRC. AN. DC. LIII. JULII XI. Miracula.

Interea Rex Carolus fratribus duobus vitâ humanâ decedentibus, tertióque LOTHARIO, ob pœnitudinem qua patrem carcerali mancipaverat cuſtodia, Monacho Prumiæ apud Monaſterium effecto, totius paterni imperij ſummam aſſecutus; gratum ſe cunctis & favorabilem præbens, nonnullos Francorum in ſuæ unanimitatis allexerat auguſtalem ſublimitatem: ſícque in virum perfectum ſeſe quotidie extendens, ita Chriſtianiſſimi * in ditandis Sanctorum Cœnobiis ſtrenuè exercebat devotionem, ut nemini priſcorum Regum qui Regij nominis claruerunt dignitate, impar viſus ſit in omni ſancta religione. Nam inter cetera quæ huic loco contulit munifica, affluenti ſua largitate Sacerdotale indumentum quod ex Capella fratris ſui Lotharij abſtulerat dum ex bello reverteretur Fontanetico *, devotiſſimè præbendo conceſſit, necnon duo vaſa aurea pondo librarum ... appretiata, cum Evangelij textu ſubtili operis diverſitate fabricato, ſollemni donatione per ſeipſum ob medelam animæ ſuæ ſtuduit conferre. Verùm (ut præfatum eſt) obeuntibus fratribus Romam apparatu magnifico proficiſcens, favore plebis totius Imperator & Auguſtus Romani Imperij appellatus eſt. Cúmque in redeundo fines Italiæ attingeret, quorumdam malivola deceptione illectus, apud Papiam civitatem non ſine maximo ſuorum luctu pridie Nonas Octobris vitam veneno finivit. Hujus poſtmodum filius vocabulo LUDOVICUS Regnum patrium ſuſcipiens, vix duobus annis eo potitus, laborioſum quibuſque nobilibus regni ſui conſecravit initium. Nortmannica ſiquidem gens, quæ jam bis vaginâ ſuæ habitationis exempta pyraticam toties exercuerat; demum de morte patris ejus vires reſumendo, intra terminos regni Franciæ liberè paucis reſiſtentibus cladem malignitatis ſuæ inferebat continuè. Et primùm partes aggreſſa Neuſtriæ, cædibus & rapinis tota conaminis ſui perverſitate intenta, quæque priùs deſiderabilia & vitæ humanæ commoda videbantur, diripere & in ſuos nefarios uſus convertendo ſatagebat redigere. Peregiſſétque inchoata, niſi HUGO [a] nobiliſſimus Abbas ſtrenuè Rempublicam gubernans, cùm armis, tum conſiliis ſuis & virtute ejus barbaricos conatus reprimendo, maximam ex eis manum peremiſſet. Quod qualiter hujus per virtutem patris Benedicti potenter effecerit, paucis ſubjiciendum cenſemus. Igitur pertranſiens (ut diximus) nullo obſiſtente plurimarum portus civitatum, Aurelianis devenit, indéque altiùs greſſum protendens, ad Monaſterium Floriacum cladem inflictura accedere contendit. Porrò fama vulgante iſtud jampridem Fratres compererant, competénſque eis viſum eſt ut loco cederent, & præſidio opportunitatis neceſſariæ ſe communirent. Proinde

XLI. Carolus Calvus laudatur.

* Chriſtiani animi

* *Fontenay* in Burgundia *anno* DCCC. XLI.

Roma revertens Papiæ veneno exſtinguitur, *anno* DCCC. LXXVII.

Ludovico ſuccedente Normannî incurſiones repetunt.

Ab Hugone vincuntur.

a Hic eſt Hugo Abbas qui Concilio Pontigonenſi anno DCCC. LXXVI. ſubſcripſit, ad quem duæ exſtant Johannis Papæ VIII. Epiſtolæ To. 3. Conc. Gall. pro tutela Monaſterij Pultarienſis.

b Is apud Reginonem aliôſque anno DCCC. XXCVII. deceſſiſſe dicitur his verbis: *Hugo Abbas magnæ pietatis vir & magnæ prudentiæ Aurelianis moritur, & apud S. Germanum Autiſſiodoro ſepelitur. Ducatus quem tenuerat & ſtrenuè rexerat, Odoni filio Rudberti ab Imperatore traditur, qui ea tempeſtate Pariſiorum Comes erat.*

CIRC. AN. DC. LIII. JULII XI. diverſorum vehiculorum plauſtris aptatis, quæque pretioſa in eis componentes, cum ſupellectili reliqua ad prædium Matriniacenſe decernunt contendere: quatinùs illic quoquo modo tuta ſua omnia poſſent eſſe. Aſt eadem perfida natio Monaſterium deveniens, ſpéque ſua fruſtrata, nihil in eo quod diripere præter parietes valeret reperiens, tandem plauſtrorum recentibus veſtigiis perſpectis, eò tendendum deliberat, quò Fratres iiſſe ſuſpecto animo æſtimabat: ut melioribus eorum direptis, rediret patrata victoria. Prævenítque ipſorum nequam conſilium omnipotentia miſericordis Dei, quæ eos & ſua virtute protereret, & innocentem plebem à maligna eorum infeſtatione benignè defendendo ſalvaret. Nam tum prædictus venerabilis vir Hugo à partibus Burgundiæ ob ſuæ utilitatem neceſſitatis fortè Dei conſilio vocatus ad hos fines contenderat, propéque Monaſterium perveniens, relatu ſuorum addidicit, Fratres ab hoſtibus ſubſequi, ac ociſſimè deprædari, niſi Dei liberarentur virtute mirabili. Denique hoc comperto animum in diverſa protrahens, utpote cui militum parvus admodùm inpræſentiarum aderat numerus, anxiari ſuper hoc multimode cœpit & tædere, qualiter occurrendum foret intra ſemetipſum revolvens tantæ multitudini. Tandem hortatu GIRBOLDI nobiliſſimi Autiſſiodorenſium Comitis animum congrediendi bellum aſſumpſit[a], aſſeverans nulla umquam paſſum diſcrimina fore, qui B. Benedicti Patris ſervitutis gratiâ adverſantium agmini ſeſe immiſcuerit. Roboratis ergo hac exhortatione animis, confiſi meritis & auxilio excellentiſſimi Patris, haud procul à Monaſterio hoſtes proſequuntur à tergo: conſertóque forti animoſitate gravi prælio, tanta depopulationis ſtrage in eos bacchati ſunt, ut ex tanta populi numeroſitate vix fuerit aliquis qui belli eventum intimaret poſteris. Patrata itaque deſiderabili victoria, belli Dux ſuos interrogans, requiſivit, ſi fortè quempiam reverendæ viſionis Monachum inter denſitates hoſtium ſibi viam pandentem proprio viſu contemplati eſſent. Quibus reſpondentibus ſe in illo prælio neminem Monachorum vidiſſe, ſtatim ille, Sanctus, inquiens, Benedictus me per totum belli hujus certamen protegens, ſiniſtra manu equi mei habenas dirigendo ac cuſtodiendo tenuit: dextera verò baculum manu tenens, plurimos hoſtium proſternendo morti tradidit. Sic & nocentibus pœna & innocentibus interventu Patris Benedicti ſecuritas reddita eſt: præſtante benedicto Dei Filio, cujus nomen benedictum permanet in ſæcula ſæculorum.

a Anonymus paullo ſuprà citatus: *Anno Domini* DCCC. LXX. *Hugo Abbas & Gautfridus cum Trans-Sequanis, confligentes cum Northmannis in Ligerim reſidentibus* LX. *inibi interfecerunt*, &c.

CIRC. AN. DC. LIII. OCTOB. I.

VITA S. BAVONIS CONFESSORIS GANDENSIS,

Auctore anonymo ferè coævo.

Ex codd. Mſſ. Monaſt. Compendienſ. & Conchenſis.

OBSERVATIONES PRÆVIÆ.

* *S. Bavon*

1. IAMDUDUM *obtinuit uſus**, *ut S.* BAVO *, *qui proprio nomine* ALLOWINUS, *ſeu* ADLOÏNUS, *in Baptiſmate dictus eſt, adſciticio nomine* BAVO *appellatus ſit. Id qua ratione acciderit, Scriptor Vitæ à nobis editus num.* 15. *obſcurè indicare videtur. Certè Vſuardus, Vvandalbertus, & Ado in Martyrologiis, aliique mediæ ætatis Scriptores Bavonem expreſſerunt. Nos proinde vocabulum ab annis pluſquam octingentis receptum uſurpabimus.*

2. *Vitam S. Bavonis primus litteris commendavit Auctor anonymus fere coævus, nunc primùm hìc à nobis vulgatus; eamdémque postea* THEODORICUS *Abbas Trudonianus à Surio editus, homo sæculi XI. expolivit. Vtramque lucubrationem repræsentare animus erat, tum quòd Theodoricus, Auctor haud utique spernendus, nonnulla ab anonymo diversa refert; tum quòd viri litterati qui hactenus Theodoricum legerant ac secuti sunt, Theodoricum desiderari fortasse quererentur. Verùm aliter viris doctis visum est, qui Theodorico omisso solum anonymum cum variis Theodorici lectionibus edendum existimârunt. Anonymo, post S. Bavonis Epitaphium à B. Livino Episcopo & Martyre compositum, subjiciemus Miraculorum S. Bavonis libros tres, quos ex MS. Bibliotheca nostra Abbatiæ S. Cornelij Compendiensis eruimus. De istis Auctoribus hæc paucis accipe.* CIRC. AN. DC. LIII. OCTOB. I. Vitæ Scriptores.

3. *Auctor anonymus non multo post S. Bavonis mortem vixisse videtur. Expendenda sunt verba quibus Vitam à se scriptam concludit.* Si omnia, *inquit*, quæ de ejus gestis comperimus vellemus prosequi, dies (ut opinor) antequam sermo cessaret. *Quæ verba testem quasi oculatum præ se ferunt. Ado sæculi* IX. *Auctor S. Bavonis Gesta à se lecta testatur in hunc modum:* Kalend. Octob. in pago Ganto (*sic veterrimum nostrum apographum*) natale S. Bavonis Conf. cujus Gesta habentur. *Et scriptor Miraculorum S. Bavonis in lib. 1. num. 4.* librum Gestorum *S. Bavonis laudat. Denique Othelboldus Gandensis Abbas ineunte sæculo* XI. *in Epistola postea referenda eumdem* Librum Vitæ *commendat.*

4. *Quo tempore vixerit* THEODORICUS *posterioris Vitæ Scriptor, patet ex Trudoniano Chronico, quod in Spicil. Acheriani. To. 7. exstat. Nam in fine lib. 5. Theodoricus III. Kalend. Febr. anno Domini* M. XCIX. *Trudoniani Cœnobij Abbas consecratus dicitur, ac sub lib. 6. finem* VII. *Kalend. Maij anno* M. C. VII. *obiisse. Ex eodem libro 5. discimus occasionem istius scriptionis. Scilicet Theodoricus* Gandæ in Monasterio S. Petri moratus sub contentione Abbatum Lanzonis & Luiponis, *(qui Mettensis & Leodiensis Episcoporum factione de dignitate certabant) rogatu Fratrum Gandensium exornandis S. Bavonis Actis primariis operam dedit. Vnde sub finem Vitæ à se scriptæ calamitosum illud tempus deplorat.*

5. *Vtroque Biographo ætate superior fuit S.* LIVINUS *Episcopus, qui Florberti Gandensis Abbatis hortatu Epitaphium S. Bavonis composuit. Ipsius S. Livini Acta ad annum 656. consule. Theodoricum etiam antecessit scriptor Miraculorum S. Bavonis Monachus anonymus, quem paullò post Normannorum cladem vixisse ex initio libri 2. apparet.*

6. *Mirum est, quàm brevi S. Bavonis memoria apud populares suos ac circumpositas regiones propagata ac illustrata est: adeout Eghinardus Caroli M. Cancellarius* Missam S. Bavonis, *id est festum diem, tamquam insignem temporis notam in Epistola sua 24. præfigat. Hinc vulgatus versiculus apud Sanderum in suo Gandavo lib. 4. cap. 3. relatus:* S. Bavonis memoria celebris.

Antè perit mundus, redeat quàm Bavo secundus.

Certè Vsuardus, Vvandalbertus & Ado in suis Martyrologiis (quod non cuivis Sancto sæculi VII. *concessum est) Bavonis mentionem Kalendis Octob. fecerunt.*

7. *S. Bavonis celebritas ad suum ipsius Monasterium, Gandavi primùm, postea S. Bavonis dictum transfusa est: nec dubium quin Gandavum *, castrum quondam seu municipium, nunc opidum permaximum ac civitas Episcopalis Flandriæ primaria, Bavoni suam amplitudinem summque incrementum accepta referre debeat. De Gandavo civitate plura dicere superfluum est. Lege scriptorem Mirac. S. Bavonis initio libri primi, ubi de Gandavi situ & primordiis agit. Ganda seu Gandavum Fidei restitutæ primitias accepit à B. Amando, qui duo inibi Monasteria construxit, utrumque S. Petro nuncupatum, unum Blandinium, alterum Gandam seu Monasterium in castro Ganda appellatum. In his non Clericos, sed Monachos, & quidem Benedictinos à primo conditu exstitisse, in Præfatione demonstratum. Gandam præsentiâ ac nomine S. Bavo nobilitavit, illustrârúntque præter eum magna lumina, S.* FLORBERTUS *Abbas primus; S.* HILDEBERTUS *Martyr pro sanctarum imaginum cultu anno* DCC. LII. *necatus;* EGILFRIDUS *Leodiensis Episcopus Hildeberti successor;* EGHINARDUS * *Caroli M. Cancellarius, Ludovici Pij Capellanus, qui anno* DCCC. XXVI. *Gandæ Abbas factus,* Cœnobium incendio deformatum restituit; S. GERARDUS *Bronienſis Abbatiæ institutor, de quo in lib. 1. Mirac. num. 14. S.* MACARIUS *ex Antiocheno Pontifice Gandæ anno* M. XI. *Reclusus; aliique de quibus Sanderi Chronicon Bavonianum in suo Gandavo consulendum est. Tandem ut omnia vertigini obnoxia sunt, Paulus Papa III.* ad preces & supplicationem Caroli V. Romanorum Imperatoris, (*ut Chronici Bavoniani verbis utar*) in Monasterio S. Bavonis Ord. D. Bened. nomen & titulum Monasterij ac dignitatem Abbatialem & Conventualem, necnon Ordinem ejusdem omnémque statum & officia antiquavit & delevit, & statum Regularem in statum Canonicorum sæcularium commutavit Bullis datis Pontificatûs anno 2. v. Kalend. Aug. *id est anno* M. D. XXXVII. Deinde *anno* M. D. XL. translatum est Capitulum ex Monasterio olim S. Bavonis (*ut scilicet novæ arci exstruendæ locus cederet*) ad Ecclesiam olim parochialem S. Johannis, mutata priùs invocatione S. Johannis in invocationem S. Bavonis. *Demum hæc S. Iohannis Baptistæ, nunc S. Bavonis Ecclesia* anno M. D. LIX. Paulo IV. Pontifice in Cathedralem triginta duorum Canonicorum quorum octo dignitatibus sunt annexi mutata est, *inquit Sanderus in sui Gandavi lib. 5. cap. 1.* Bavonis Monasterium, ejúsque status varij.

* *Gand*

* *lege Miræum in Notic. Eccl. Belgic. c. 27.*

CIRC. AN. DC. LIII. OCTOB. I. Ecclesiæ S. Bavoni sacræ.

8. *Nec sola opidi Gandavi Ecclesia Cathedralis S. Bavoni sacra est. Nam teste Sandero lib. 4. cap. 5.* Cathedralis quoque Ecclesia Harlemensis in Hollandia, Ecclesia una de Ardenburg, Mendonck, Vinderhoute, Zinghem, Vlierfele, Caneghem, Wilrich in Brabantia, & Bochaute *B. Bavonem Patronum agnoscunt.*

Reliquiæ Sanctorũ in Bavoniano Cœnobio quiescentium. *Apud Miræum in Notic. Eccles. Belg. c. 82.*

9. OTHELBOLDUS *Abbatiæ S. Bavonis Abbas ab anno* M. XIX. *ad* XXXIV. *Sanctorum Reliquias in Ecclesia sua exsistentes recenset in Epistola sua ad* OTGIVAM *Flandriæ Comitissam in hæc verba:* Dominæ nostræ Sereniſſimæ OTGIVÆ Comitiſſæ OTHELBOLDUS gratiâ Dei Abbas cetérique Gandenſis Cœnobij Fratres debita ſervitutis & orationis obſequia. Præcepit nobis excellentiſſima pietas veſtra, ut nomina Sanctorum quorum corpora apud nos coluntur ſcriberemus. Obtemperantes juſſionibus paucis annotavimus & deduximus vobis ea, ut memoria eorum jugiter vobiſcum eſſet in præſenti, & ut partem cum eis mereamini habere in futuro. Nomina autem eorum hæc ſunt. PRIMUS & præcipuus patriæ noſtræ Patronus S. ALLOWINUS cognomento Bavo, nobiliſſimus atque ditiſſimus Haſbanienſis pagi Comes, beatiſſimæ GERTRUDIS VIRGINIS CONSOBRINUS prædicatione B. Amandi Pontificis, immò Dei omnipotentis inſpiratione, tota mentis devotione converſus, relinquens cognationem & patriam, Chriſtum ipſúmque conſulem Gandavum ſecutus, dum ſtuduit relinquere terrena, meruit obtinere cæleſtia. Sed hæc pleniùs liber Vitæ ejus refert. Secundus S. LANDOALDUS. Tertius B. AMANTIUS ipſius Præſulis S. Landoaldi Archidiaconus. Quartus ADRIANUS Martyr ipſius ad Regem Hildericum internuntius, & in ipſa legatione à latrone interemptus. Quinta S. VINCIANA Virgo, ſoror S. Landoaldi. Sexta B. LANDRADA Beliſiæ Abbatiſſa. Septima PHARAILDIS Virgo. Octavus S. LIVINUS Epiſc. Nonus beatæ memoriæ MACARIUS &c. *De his ſatis.*

PROLOGUS AUCTORIS.

Imperitiã ſuam Auctor excuſat.

1. VILEM & infimum cunctis poſcere videris populis, méque indoctum quæris nitere virum per Scythias gentes, & Parthias patrias. Nam liberalium omnium artium & humanarum doctrinarum matrem fuiſſe Athenas legimus: ubi antiquitùs veteris floruit ſcientia linguæ Latinæ ſub Piſcitrato auctore, & inde noſtræ artes fuſæ ſunt pænè omnes; non inquam me Heſperia nec Roma, aut Auſonius tenuit, genuit, vel aluit, nec Tytirus docuit, nec fultus ſum Ariſtotelis argumentis, Varronis, Democriti, Platonis, Demoſthenis & ceterorum doctorum: inops ingenij ſum, verborum flumine ſiccus, prorſus multùm me fateor inertem; me etiam pondus inertiæ premit, & in imis volvit, quando ſcientiâ fatuus, hæc utrumque fragili audeo conſcribere ſtilo; nobis egregij exempla ſint dicta Doctoris Hieronymi Sacerdotis, quibus refragare * valeamus detrahentium laqueos. Me ovantem eſſe fateor, Pater ſancte, quia meum pigrum perdurare animum minimè paſſus es, nec malitioſo corde exſultare, nec ſe inquiſitionibus ſtimulare malivolis; ſed coëgiſti quantùm valet imperita lingua, ut eloquentiſſimorum virorum omnium imitetur veſtigia. Tibi, Pater, quidquid ars mea cogitaverit aut invenire valuerit patefacere curabo. Nec putes ignaviam hinc inflammari noſtram: verè non eſt in viſceribus tepitudinis meæ aliqua extollendi calamitas, ſed prorſus jacet humilitas, eoquòd ſcientiæ nobis non manet ſublimitas. Individua dilectione & caritate mihi conjuncta eſt Sanctitas veſtra. Quid tantùm verbis de veſtris opportunitatibus loquor? Igitur de viro Dei ALLOWINO, ſancto videlicet BAVONE, quod expetendum judicâſtis, ut valemus, voluntatem veſtram explere cupimus. Mihi Dominus ſervorum ſuorum ultimo præſtet de veſtra ſemper converſatione gaudere, & cum grege vobis commiſſo, & cum ſancto Bavone, qui ALLOWINUS * nomine alio vocatur, regna cælorum promereri [a].

* *Conch. ubique* Adloinus.

[a] Sequitur alia Præfatio in Mſſ. codd. quam quòd nihil hiſtoricæ veritatis contineat, omittendam duximus.

INCIPIT VITA.

2. IGitur ALLOWINUS (quod nomen ſacro accepit Baptiſmate, quem vulgus BAVONEM nominat) genere nobili, parentibus inclytis [a], Haſbanienſe editus Ducatu, uxori junctus eſt filiæ videlicet ADILIONIS Comitis, de qua genuit AGLETRUDEM prolem dignam Deo Virginem Chriſti, cui in primis annorum crepundiis vox ſummo miſſa perſultavit throno Altiſſimi: Crede, inquiens, creata, majorum quoque proſapiâ verbo Dei ſolius parentes procreabis, qui utrumque fecit hominem. Tempore quippe ſuæ juventutis beatus Bavo operibus pravis ſæculi voluntatem exercebat, conſtans erat in turpibus, & incenſus obſcœnis laterum flexionibus: ſed Chriſto auxiliante, hoc juge ipſius vitium citò verſum eſt in bonitatem. Ab illo etiam tempore legis judicia non contempſit, ſed & omnium materiem ſcelerum evitavit; affines ſuos non nocuit, ſed pauperibus latiùs manum porrexit, amicitiarum fidem non renuit, ſed appetivit; nec tam fortunam excoluit, quàm virtutes imitatus eſt. Miſericordiâ ſublevavit oppreſſos, indeſinenter recolens in omni cultu pietatis maximè Deum in hoc ſibi propitium fore peccatorum ſuorum, ſi omnes injuſtè oppreſſos ſublevare ſatageret.

CIRC. AN. DC. LIII. OCTOB. I.

Bavo nobilis Agletrudem procreat.

Bavonis mores.

3. Eodem quoque tempore conjunx ejus obiit, filia videlicet Adilionis Comitis, de qua genuit Agletrudem ut prælatum eſt. Quæ poſtquàm migravit de hac luce, aliam noluit ducere uxorem; ſed inſpirante Domini miſericordiâ ad viam converſionis AMANDUM ſanctiſſimum Pontificem expetiit, cum lacrymis veniam poſtulans, pedibus quoque beati Pontificis provolvitur cum compunctione ſua confeſſus facinora, & de contrariis ſibimet eum paſſionibus alloquitur pro peccatis maximis & minimis pœnitentiam acturus. Deinde vir Domini Amandus animarum ſollicitudinem gerens quas ad regna cæleſtia ſecum ducere feſtinabat, verba Scripturarũ ei protulit, quibus lucraretur eum Domino ita dicens: Vitia ſunt prudenter tollenda, ſubtiliter occulta ſcrutanda, & apertè cognita leniter aliquando arguenda, & aliquando vehementer increpanda. Nota facio tibi verba Domini, quibus vitam comprehendas æternam. Dominus dixit: *Omnis enim qui confitebitur me coram hominibus, confitebor & ego eum coram patre meo, qui eſt in cœlis* &c. *Et omnis qui reliquerit domos aut agros, patrem aut matrem, fratres aut ſorores, filios aut filias propter nomen meum, centuplum accipiet, & vitam æternam poſſidebit.*

Conjuge mortua ſecundis nuptiis nuntium remittit.

Amando peccata confitetur.

Matth. 10. 32. id. 29.

4. Auditis ergo his verbis Divinis Allovvinus vir Dei, quæ ſanctus Amandus ei ſecundùm Evangelicam nuntiaverat diſciplinam, inſpirante Deo ſæculi hujus divitias reputans velut umbram prætereuntem aut fœnum areſcens, facultates prædiorum ſuorum ad loca Sanctorum legaliter diſtribuit, & pauperibus erogavit, atque ad memoratum Pontificem qui morabatur in caſtro cujus vocabulum eſt Gandavum * repedavit. In eodem etiam caſtro indiderat olim antiquitas ſimulacra nefanda & idola, quæ pro Deo illic à populo colebantur, ibidem verò conſiſtens præfatus Dei Pontifex pro nomine Chriſti omnia fana deſtruxit, idola contrivit; & ad ſanctam Chriſtianitatem omnes revocavit. Baſilicam autem ibi in honore B. Petri Apoſtoli fecit conſtrui, quam Reliquiis inſertis altiſſimo Domino conſecravit cum magno honore; in qua virtutes mul-

Facultatibus diſtributis Gandavum petit.

*Gand

[a] Multa hîc inſerit Theodoricus. Bavonis patrem EILOLFUM, matrem ADELTRUDEM appellat; Bavonem verò *Auſtraſiorum Ducum heredem* natum ait PELAGIO *qui B. Gregorium præceſſit univerſalem Pontificatum admin ſtrante*, JUSTINO *minore in ſceptris agente, Francia monarchiam* CHLODOVEO *gubernante.* Qui characteres Chronologici non benè conveniunt. Meliùs dicas Bavonem Pelagio ſummo Pontifice, Mauricio Auguſto, Chlothario Franciæ Rege ortum eſſe in pago Haſbanienſi, *Haſpengauw*, quæ Brabantiæ regio eſt ſub ditione Leodienſi. Theodorici calculum ubique mendoſum aliàs omittemus.

CIRC. AN. DC. LIII. OCTOB. I. tas poſteà Dominus noſter JESUS-CHRISTUS fecit, cæcis viſum, claudis greſſum, paralyticis ſoliditatem, infirmantibus ſanitatem indulgens. Deo etiam annuente Clericorum [a] Cœnobium in ipſo caſtro honorificè eſt conſtructum, ubi die noctúque laus à Fidelibus Deo decantatur. His expletis in eodem Monaſterio B. Confeſſor Bavo pleniſſimâ devotione ante Oraculum Templi Domini ſe proſternens, comam capitis ſui abſcidi deprecatus eſt, & adeptus venerandi Pontificis Amandi manibus Clericatûs honorem, meruit fieri conſors Apoſtolorum; dimiſit comam capitis, & invenit coronam gloriæ; reliquit veſtimenta ſæcularia, & ſuſcepit ſtolam candidam; reliquit pompam hujus mundi, & indutus eſt loricam fidei: quapropter & dignus effectus eſt conſortio Angelorum.

Comam capitis & veſtes ſæculares deponit.

[a]

Amandum ſequitur.

5. Deinde vir Domini Amandus perrexit Gentibus prædicare verbum Dei: quem B. Bavo proſecutus eſt, ut prædicatione ejus paſceretur. Ardebat autem nimiùm animo, ut potaret & hauriret juſtitiam: tantam enim menti ejus Deus inſpiraverat ubertatem, ut ſemetipſum magna laceratione corporis cum alacritate caſtigaret mentis. Nimirum ſibi impoſuit vulnera, medens morbos animæ, ut bene agens ſecurus poſſet eſſe in die Domini. Circumſpexit infirmitatem cotidie ſuam, ne de acceptis virtutibus ſuperbiret: quia plerumque cor rectorum quamvis magnâ ex parte proficiat animus, tamen interdum actibus laborat carnalibus. Ideo neceſſe eſt ut recurrant ſæpiſſime ad fluenta ſacræ Scripturæ: quia ſicut eſcis caro, ita & Divinis eloquiis interior nutritur homo. Propterea & hęc documenta quæ ſubſequuntur fidei B. Amandus prędicare non ceſſabat, audientibus turbis, & S. Bavone ita diſputans: Qui enim vult cum Deo ſemper eſſe, frequenter oret. Et illud: Quid eſt vita præſens, niſi vapor ad modicum parens? Apprehendite vitam æternam ad quam vocati eſtis, & gaudete quia nomina veſtra ſcripta ſunt in cælis. Apprehendite arma juſtitiæ, loricam fidei, & reſiſtite laqueis diaboli per potentiam Dei. Nihil fortius eo qui vincit diabolum, & nihil infirmius eo, qui carne ſuperatur: Vita hominis tentatio eſt, unde diaboli ſagittæ ſunt reſtringendæ vigiliarum, jejuniorum, hoſpitalitatis & eleëmoſynarum officio. Virtus igitur præcipua eſt, natum in carne non carnaliter vivere: & unde caro atteritur, inde incrementa virtutum ſpiritualium ſurgere.

Virtutis ſtudio vacat.

Amandi verbis informatur.

6. Igitur vir Dei Bavo ſupraſcriptum Pontificem ſibi licentiam dari petiit Monaſteria circuire Chriſti athletarum, quatinus vitam Monachorum & converſationem Cœnobitarum poſſet agnoſcere. Tantum ardorem & cordis compunctionem Dominus ei largitus eſt, ut vitâ bonorum Cœnobitarum non eſſet contentus, ſed magis ac magis ſemetipſum erigeret in Dei famulatu, & cum lacrymis & gemitu in afflictione & vigiliis, in orationibus & jejuniis frequenter poſitus vitam Sanctorum exerceret, nec ullo modo daret corpori ſuo requiem, inediis, nuditate, frigore, ſiti, & multis tribulationibus ſeipſum macerans. Vitam nimirum cupiebat finiri ſuam, ubi comam capitis abſcidit, & arma militiæ & pompam ſæculi dimiſit.

Monaſteria varia perluſtrat.

[a] Id eſt Monachorum, qui Clerici à Gregorio Turon. Epiſc. aliiſque ejuſdem ætatis Auctoribus non rarò appellantur. Et tamen Theodoricus Abbas Trudonianus in alia Vita, Philippus de Eleemoſyna in Vita S. Amandi ex hoc vocabulo malè intellecto tradiderunt, in Monaſteriis Gandavenſibus Florbertum Abbatem ac Monachos Clericis ſucceſſiſſe: quam ſententiam plerique recentiores ampleƈtuntur. Hos omnes revincit anonymus iſte, qui Florbertum *ſuper gregem Clericorum Rectorem*, & tamen REGULÆ PII PATRIS BENEDICTI cultorem num. 7. apertè pronuntiat; & num. 8. dum Fratres laboris causâ *ad obedientiam egreſſos* memorat, Monachos illos non Clericos fuiſſe ſatis declarat. Certè non tam diligenter *Monaſteria circuire* & Monachorum ſeu *Cœnobitarum vitam* explorare & æmulari tentâſſet Bavo infrà num. 6. ſi non is ipſe Monachus fuiſſet. Ergo id quod ſequitur de accepto *Clericatûs honore*, de veſtimentis ſæcularibus depoſitis, de abjecta ſæculi pompa; Monaſticæ profeſſioni aptari neceſſe eſt. Lege hujuſce Tomi Præfationem.

7. Ergo Allovvinus vir Dei reverſus ad ſupradictum caſtrum [a] Gandavum ad venerabilem virum FLORBERTUM [b] Abbatem, quem almus Pontifex Amandus ibidem conſtituit ſuper gregem Clericorum Rectorem, petiit eum ſibimet humiliter cellulam, in qua familiariter Domini miſericordiam pro facinoribus ſuis deprecaretur largiri. Ut verò pius Pater Monaſterij ejus petitionem audivit, cum gaudio eam ſuſcepit: & ejuſdem Fratribus Monaſterij juxta præceptum pij Patris BENEDICTI convocata omni Congregatione ejus patefecit preces: ut ſi forſitan juniori revelatum fuiſſet, quod placitum eſſet Omnipotenti cum omni aviditate cordis ſuſciperet, & compleret id quod ſcriptum eſt: *Omnia fac cum conſilio, & poſt factum non pœnitebis.* Igitur petitione Allovvini auditâ Fratres narrante Monaſterij Abbate animo gratanti ſuſceperunt eam: ſícque quam petiit ab eis cellulam, largiente Deo impetravit. In qua retruſus Deum piis & indefeſſis precibus invocabat, quia ſcriptum eſt: *Quærite & invenietis, pulſate & aperietur vobis, &c.* Iſte autem vir Dei non aurum vel argentum ſeu gemmas pretioſas ſive ornamenta ſæculi hujus quæſivit, quas poſt converſionem pro nihilo reputavit: ſed Dei zeli ardor erexit eum in vigiliis, jejuniis, gemitu, inediis & pauperum eleëmoſynis ſupra quàm ſcribi poſſit. In afflictione igitur corporis poſitus tot cæleſtia inſtrumenta animo exercebat, quot miſericordia Altiſſimi ejus animo ingerebat.

CIRC. AN. DC. LIII. OCTOB. 1. Gandavum reverſus in Cellula recluditur. a b

Matth. 7.

8. Die verò quadam hujus temporis Fratres Monaſterij ipſius ad obedientiam ſunt egreſſi, ut cellulam viri Dei Bavonis conſtruerent. Laborare igitur cœperunt manibus & ædificium fabricare. Prædicti verò Florberti Abbati homines [c] cùm vehiculo cœmentum miniſtrarent, ex ipſis quidam nomine Attinus * ſuper plauſtrum unum ſedit, quem egreſſi de vico canes circumdederunt, & ei fortiter inſiſtere cœperunt. Hic autem captus diaboli laqueis repletus eſt invidiâ, & virum Dei Bavonem non erubuit blaſphemare: ſed omni beſtia cruentior diabolus in omnibus confuſus nihil quidem ei nociturus, ſi virum Dei non blaſphemaret, tanto eum ſtuduit impugnare ſubjectum ſibi, quanto ipſum perſpexit ad famulatum priſtinum rediiſſe. Videns enim cruentus idola ſua in Dei Templa mutari, frendens rugiénſque quæſivit quem devoraret. Animalia itaque cum vehiculo ſuper hominem prædictum projecit: qui oppreſſus hoc pondere exhalavit ſpiritum vitæ. Videns eum turba jam mortuum, cum fletu corpus ejus in navi deduxerunt ad memoratum caſtrum Gandavum, ut illic tumularetur, ſicut mos eſt mortuos ſepelire. Quem denique ut vir Domini Bavo agnovit exſtinctum ingemuit, dolore nimio cum lacrymis ſibi pectus tundens,

Attinus Sancto maledicens percutitur. c

* *Conch.* Adhinus

Bavo eum oratione ſuſcitavit.

a Perluſtratis Monaſteriis S. Bavo, priuſquam Gandam repeteret, duplicem receſſum *Beilam* & *Melmedung* incoluiſſe à Theodorico dicitur. *Captâ*, inquit cap. 10. *temporis & loci opportunitate ſaltum quem Beilam nuncupant ingreſſus eſt: ubi repentè in remotiori devexa vallis latere annoſa fagus oculis ejus offertur, cujus concavitatis pedum non minùs ſex ſpatioſa altitudo in modum fornicis camerata, & quæ hominem erectum poſſet in alvo ſuſtinere. Hoc habitaculum quaſi ab Angelis Dei ſibi reputans præparatum ingreditur... Eſt uſque hodie eamdem mira magnitudinis fagum videre, quæ in æternam hujus Sancti Dei memoriam adhuc continet in ſe antiquum altare, ubi Presbyter parochia frequenter Eccleſiam convocat & communicat. Nec deſiſtit arbor contra morem tam annoſa adhuc florere & germinare.* Sed Bavo ob populi frequentiam *inde digreſſus, aliam requirit eremum Melmedung nomine, à ſua Ganda diſtantem duorum tantùm milliariorum itinere. Locus in denſiſſimum nemus ſilveſcens, vaſtâ & pene inacceſſibili palude diſtentus.* Illic *cellulam permodicam erigit, cibos ſaltus miniſtrat, amnis potum. Veſtimenta ipſe deſulerat ſecum ſagum & cilicium.* Demum *fama vulgante* detectus, *ad locum profeſſionis ſuæ redire ſtatuit.* De loco *Melmedung* lege lib. 3. Mirac. num. 12.

b Florbertus Kalend. Novemb. in Martyrol. Benedictino & Gallicano recolitur. Sepultus eſt in Monaſterio Blandinio, cui etiam præfuit. Chronicum Blandinienſe in Sanderi Gandavo duplicem notat S. Florberti Tranſlationem. *Anno* CM. LXXV. *Gandavi in monte Blandinio Principis Apoſtolorum Petri Templum (quod opus ab avo inceptum Arnulfus minor abſolverat) Adalbero Remorum Pontifex celebri cerimonia dedicavit, levavitque prid. Kal. Octob. corpus D. Florberti primi hujus loci Antiſtitis poſt annos circiter* 338. *quàm vitam finierat.* Et *anno Verbi incarnati* M.XLIX. *facta Elevatio vel Tranſlatio ſecunda ſanctiſſimi P. N. Florberti Abbatis* XIII. *Kal. Maij à Balduino Noviomagenſis Eccleſiæ Epiſcopo.* Florbertus utrique Monaſterio Gandavenſi ab anno DC. XL. ad DC. LX. præfuiſſe videtur.

c Homines, id eſt clientes, quorum è numero erat Attinus, quem Theodoricus *perſonam laicam* appellat.

CIRC. AN. DC. LIII. OCTOB. I.

ac reputans ſibi culpam eoquòd accepiſſet mortem in labore ſuo, ad cellam ſuam ipſius corpus defuncti juſſit afferri; protinúſque vir Domini incubuit orationi his verbis cum fletu magno Domini miſericordiam exorans: Deus omnipotens Pater Domini noſtri JESU-CHRISTI, qui non ſolùm peccata dimittis, ſed etiam peccatores juſtificas, & reis non tantùm pœnam relaxas, ſed donas & præmia; fragilitati meæ hæc adjumenta concede, & effectum cæleſtem benignus inſpira miſerationum tuarum, ut inveniar auxilio tuo ſancto adjutus: qui Lazarum quatriduanum fœtidum de monumento ſuſcitaſti, proſit nobis indignis miſericordia tua, ut hi qui in tua pietate confidunt, citiùs exaudiantur largitate donorum tuorum. Renova ſpiritum gratiæ tuæ ſalutarem ſuper iſtud corpus defuncti famuli tui, reddens ei ſpiraculum vitæ Sanctificator & Conditor generis humani, qui cum Filio eterna claritate regnas: ut tuæ myſterio curationis efficiaris honorandus ab omnibus ſervis tuis, pandáſque præſentiam tuam, ut in tua miſericordiâ exſultemus, & in tua gloria lætemur præſta, qui vivis & regnas Deus cum Filio & Spiritu ſancto per cuncta ſæcula ſæculorum, Amen. Oratione igitur completa quaſi poſt horarum trium ſpatium mortuus ille jubente Deo animam recepit, quam exhalaverat, & ſanus effectus ſtetit ſupra pedes ſuos, ac pòſt per multa annorum curricula vixit incolumis.

Auctoris exhortatio.

9. Hæc itaque tanta miracula in Dei milite admirando, Cariſſimi, ſatagamus in hoc agone præſentis vitæ illum ſequi, ut etiam cum eo mereamur à Deo cum electis illius æterna gaudia percipere in cælis. Nihil in hac vita præſenti conſolationis ſæculi honoríſque quærere debemus, ſed gaudere abjectione paupertatis, non ſolùm abjicere facultates mundi hujus, ſed etiam de cordibus ſæculi voluptates eradicare. Ad memoriam etiam redeat, quòd vir Domini Bavo pro nomine Chriſti multas facultates dimiſit, quatinus in cæleſti regno centuplum acciperet, inſuper & vitam æternam: cujus precibus mortuum Dominus ſuſcitavit. Quanti ad eum venerunt, tantis ſua commendavit munera. Pinguiſſima enim humilitatis gratia fervorem in omnibus inflammavit caritatis, ut oleum lumen abundare facit. Omnes ergo pro Chriſto ſuas erogavit poſſeſſiones, non damni gratiâ, ſed etiam lucri adinventione: quia ille numquam deficit, qui bono exemplo proficit, & cujus humilitas multorum ſuperbiam confundit. Vir autem Dei Allovvinus cæleſti deſiderio afflatus, magis ac magis cotidie in Dei creſcebat famulatu: &, ut ita dicam, non panis inediâ ſatis videbatur ei affligi, ſed quanto magis proficiebat in bonitate, tanto etiam ampliùs ſe ſimul lamentis, jejuniis, vigiliis, & orationibus affligebat. Jugi quoque lacrymarum inundatione faciem rigabat, ut verbum Veritatis conſummaret dicentis: *Beati qui lugent, quoniam ipſi conſolabuntur.* *Matth. 5.*

Bavo ſe à ſervo olim vendito, artiùs recludi & vinciri poſcit.

10. Quadam namque die perſpexit quemdam virum ad ſe venientem regreſſum de exſilio, quem olim ſub ſæculari habitu degens venundaverat. Quo viſo innumeris ſe lamentis tradidit, eoquòd in eo tantum ſcelus perpetraverat. Tunc demum ad eum converſus ejúſque genibus provolutus inquit: Ego enim te vinctum loris venumdedi, quæſo ne memineris injuriæ quam tibi irrogavi, atque precem quam poſtulo ne digneris abnuere. Rogo ut propter ſcelus in te commiſſum corpus meum flagellis cædas, capútque meum more latronum decalves, & me vinctum pedibus ac manibus ut dignus ſum in cuſtodiam trudas: forſitan enim Divina pietas ſi hoc feceris, veniam mihi præſtabit. Tunc memoratus vir pedibus S. Bavonis provolutus dicit ſe hoc nullomodo audere in dominum ſuum facere. Sed vir Domini ut erat eloquentiſſimus, quandoque illum perſuaſit facere quæ popoſcerat. Diu ergo coactus ac renitens, tandem ejus precibus devictus quod ſibi juſſerat implevit. Vinxit ſcilicet manus viri Dei, & caput totondit, lignóque pedes ejus ſtrinxit, ac cuſtodiæ illum publicæ mancipavit:

ibi

ibi uſque in proximum exitûs diem vir Domini retruſus [a] vinctis pedibus perſtitit, diebus ac noctibus flere non deſinens actus ſæculi, quos quaſi molem ſarcinæ ante oculos mentis ponere conſueverat. Qui Domini famulus tot virtutibus plenus non ſemetipſum exaltabat intumeſcens; ſed magis ac magis humiliabatur, hordeaceo tantùm pane cinere mixto contentus, atque potu aquæ quam ad menſuram bibebat. Ita verò quatuor fere menſibus in hac auſteritate Deo militans vinum & ſiceram nullo modo guſtavit: ibidem cilicio tectus & cinere, juxta morem Prophetæ *in nervo pedem ſuum poſuerat; ſtratum quoque ejus nuda erat humus in qua parumper per diem requieſcere ſolebat. Viliſſimum autem cilicium ſuper ſtratum ipſius expanſum erat, cinis deſuper adſperſus, & capiti illius lapis ſuppoſitus cùm dormiret. Sic ergo ſua membra damnaverat, quæ olim ſæculi delectatio inquinavit: magis autem odoramenta virtutum Deo laudabiliter offerre ſtuduit poſt converſionem, quàm in ſuis tabeſcere iniquitatibus, memorans præceptum Apoſtoli, qui dixit: *Vbi abundavit delictum, ſuperabundavit & gratia*; & iterùm: *Fuiſtis aliquando tenebræ, nunc autem lux in Domino.*

CIRC. AN. DC. LIII. OCTOB. 1. Duriſſimam vitam in carcere agit. a

* Iob. 13. 27.

Rom. 5. 20.

Eph. 5. 9.

11. Vir itaque ſanctiſſimus Domini Allovvinus in hac retruſione poſitus auſteritatem atque inediam libenter ſuſtinuit, nec in hac afflictione obedientiæ normam reliquit: ſed Abbatem ſibi prælatum magnopere popoſcit, ut ita eum retruderet ſuper pavimentum, ut ſi quando ad omnipotentis Dei laudes dicendas adſiſteret, dexterâ lævâque pavimento ità circumſeptus foret, ut nec declinandi facultatem in ullam partem haberet, ſed diebus ac noctibus quaſi in agone ſuſpenſus Deum adoraret ad æthera tendens, & alta ſuſpiria trahens: quod & factum eſt. Tunc vir Domini magis ac magis ingemiſcens, jámque ad cæleſtem patriam anhelans, miniſtro ſibi parenti præcepit, ut lapidem ſibi adferret. At ille juſſionem implens, detulit grandem laterem. Cui vir Dei; Adhuc, inquit, majorem perquire. Tandémque lapidem inventum qui vix duorum manibus vehi poterat, detulit viro Dei, quem vir Dei gaudio magno repletus ſuſcepit, & dum ad laudes Dei dicendas adſiſteret, ipſum humeris portabat.

Nova à tormenta excogitat.

12. Sed antiquus hoſtis humani generis inimicus, qui humanum genus tentare non deſinit, maximéque contra Electos vim ſuæ exercet nequitiæ, quia quantum illos proficere cernit, tantò deteriùs invidiæ accenditur facibus; prædictum virum Dei ex eadem cella moliebatur ejicere diverſis minis ac imaginibus nefandis, quibus eamdem cellam replere ſimulabat. Beſtiarum enim, volucrum & ſerpentum diverſo genere geſtiebat ei formidinem ingerere, ut ſaltem ita egrederetur. Sed fortiſſimus Domini athleta quanto ſibi antiquum attentiùs vidit inſiſtere hoſtem, tanto fortiùs contra eum agonem ſuſcipiens cotidie certare non deſiit. At verò maligni ſpiritus nihil ſuam induſtriam profeciſſe cernentes confuſi receſſerunt, nihílque ampliùs viro Dei ingerere audentes evanuerunt. Tunc præfatus vir Dei magnas omnipotenti Domino gratias referens, non hoc ſuis viribus deputavit, ſed Domini miſericordiæ, qui ubique in ſe ſperantibus dignatur adeſſe. Opus ergo cœptum indeſinenter faciens, manum in aratro poſitam non retraxit, neque retrò reſpexit, quia recoluit à beato Amando hunc Evangelicum ſibi nuntiatum fuiſſe ſermonem: *Qui perſeveraverit uſque in finem, hic ſalvus erit.*

Dæmonis terriculamenta ſpernit.

13. Appropinquante verò remunerationis ejus die, indeſinenter vir Domini Allovvinus in confeſſione Domini perduravit. Cùm verò ſe paullulùm ſopori

Ab Angelo viſitur.

a Nonnulla hîc Lectorem remorari poſſunt. Nempe quo pacto is qui tonſuram Monaſticam (ut ſuperiùs num. 4. præfertur) gerebat, caput ſuum decalvari poſtulat? An fortè Recluſi qui in Pœnitentium numero erant, comam tum temporis intonſam habebant? Nam ex Gregorio Turon. Epiſc. lib. 9. cap. 20. Pœnitentes non radebant barbam, nec comam tondebant. Et tamen in Regula Solitariorum ſeu Recluſorum Grimlaïcus Preſbyter *de quadraginta in quadraginta diebus* barbam radi & capillos tonderi cap. 51. præcipit. Deinde quale eſt illud, *more latronum decalvari?* In Langobardorum legibus lib. 1. Tit. 25. l. 54. legitur, ut ſi quis *non habens unde furtum componere debeat, iterum in furto tentus fuerit, decalvet eum* Judex. Denique cur is qui Recluſus erat, *cuſtodia publica* mancipari optat? Certè Theodoricus Abbas id factum ante Bavonis recluſionem refert.

CIRC. AN. DC. LIII. OCTOB. I.

ac reputans ſibi culpam eoquòd accepiſſet mortem in labore ſuo, ad cellam ſuam ipſius corpus defuncti juſſit afferri; protinúſque vir Domini incubuit orationi his verbis cum fletu magno Domini miſericordiam exorans: Deus omnipotens Pater Domini noſtri JESU-CHRISTI, qui non ſolùm peccata dimittis, ſed etiam peccatores juſtificas, & reis non tantùm pœnam relaxas, ſed donas & præmia; fragilitati meæ hæc adjumenta concede, & effectum cæleſtem benignus inſpira miſerationum tuarum, ut inveniar auxilio tuo ſancto adjutus: qui Lazarum quatriduanum fœtidum de monumento ſuſcitaſti, proſit nobis indignis miſericordia tua, ut hi qui in tua pietate confidunt, citiùs exaudiantur largitate donorum tuorum. Renova ſpiritum gratiæ tuæ ſalutarem ſuper iſtud corpus defuncti famuli tui, reddens ei ſpiraculum vitæ Sanctificator & Conditor generis humani, qui cum Filio eterna claritate regnas: ut tuæ myſterio curationis efficiaris honorandus ab omnibus ſervis tuis, pandáſque præſentiam tuam, ut in tua miſericordiâ exſultemus, & in tua gloria lætemur præſta, qui vivis & regnas Deus cum Filio & Spiritu ſancto per cuncta ſæcula ſæculorum, Amen. Oratione igitur completa quaſi poſt horarum trium ſpatium mortuus ille jubente Deo animam recepit, quam exhalaverat, & ſanus effectus ſtetit ſupra pedes ſuos, ac pòſt per multa annorum curricula vixit incolumis.

Auctoris exhortatio.

9. Hæc itaque tanta miracula in Dei milite admirando, Cariſſimi, ſatagamus in hoc agone præſentis vitæ illum ſequi, ut etiam cum eo mereamur à Deo cum electis illius æterna gaudia percipere in cælis. Nihil in hac vita præſenti conſolationis ſæculi honoríſque quærere debemus, ſed gaudere abjectione paupertatis, non ſolùm abjicere facultates mundi hujus, ſed etiam de cordibus ſæculi voluptates eradicare. Ad memoriam etiam redeat, quòd vir Domini Bavo pro nomine Chriſti multas facultates dimiſit, quatinus in cæleſti regno centuplum acciperet, inſuper & vitam æternam: cujus precibus mortuum Dominus ſuſcitavit. Quanti ad eum venerunt, tantis ſua commendavit munera. Pinguiſſima enim humilitatis gratia fervorem in omnibus inflammavit caritatis, ut oleum lumen abundare facit. Omnes ergo pro Chriſto ſuas erogavit poſſeſſiones, non damni gratiâ, ſed etiam lucri adinventione: quia ille numquam deficit, qui bono exemplo proficit, & cujus humilitas multorum ſuperbiam confundit. Vir autem Dei Allovvinus cæleſti deſiderio afflatus, magis ac magis cotidie in Dei creſcebat famulatu: &, ut ita dicam, non panis inediâ ſatis videbatur ei affligi, ſed quanto magis proficiebat in bonitate, tanto etiam ampliùs ſe ſimul lamentis, jejuniis, vigiliis, & orationibus affligebat. Jugi quoque lacrymarum inundatione faciem rigabat, ut verbum Veritatis conſummaret dicentis: *Beati qui lugent, quoniam ipſi conſolabuntur.*

Matth. 5.

Bavo ſe à ſervo olim vendito, artiùs recludi & vinciri poſcit.

10. Quadam namque die perſpexit quemdam virum ad ſe venientem regreſſum de exſilio, quem olim ſub ſæculari habitu degens venundaverat. Quo viſo innumeris ſe lamentis tradidit, eoquòd in eo tantum ſcelus perpetraverat. Tunc demum ad eum converſus ejúſque genibus provolutus inquit: Ego enim te vinctum loris venumdedi, quæſo ne memineris injuriæ quam tibi irrogavi, atque precem quam poſtulo ne digneris abnuere. Rogo ut propter ſcelus in te commiſſum corpus meum flagellis cædas, capútque meum more latronum decalves, & me vinctum pedibus ac manibus ut dignus ſum in cuſtodiam trudas: forſitan enim Divina pietas ſi hoc feceris, veniam mihi præſtabit. Tunc memoratus vir pedibus S. Bavonis provolutus dicit ſe hoc nullomodo audere in dominum ſuum facere. Sed vir Domini ut erat eloquentiſſimus, quandoque illum perſuaſit facere quæ popoſcerat. Diu ergo coactus ac renitens, tandem ejus precibus devictus quod ſibi juſſerat implevit. Vinxit ſcilicet manus viri Dei, & caput totondit, lignóque pedes ejus ſtrinxit, ac cuſtodiæ illum publicæ mancipavit:

ibi

ibi uſque in proximum exitûs diem vir Domini retruſus[a] vinctis pedibus perſtitit, diebus ac noctibus flere non deſinens actus ſæculi, quos quaſi molem ſarcinæ ante oculos mentis ponere conſueverat. Qui Domini famulus tot virtutibus plenus non ſemetipſum exaltabat intumeſcens; ſed magis ac magis humiliabatur, hordeaceo tantùm pane cinere mixto contentus, atque potu aquæ quam ad menſuram bibebat. Ita verò quatuor fere menſibus in hac auſteritate Deo militans vinum & ſiceram nullo modo guſtavit: ibidem cilicio tectus & cinere, juxta morem Prophetæ *in nervo pedem ſuum poſuerat; ſtratum quoque ejus nuda erat humus in qua parumper per diem requieſcere ſolebat. Viliſſimum autem cilicium ſuper ſtratum ipſius expanſum erat, cinis deſuper adſperſus, & capiti illius lapis ſuppoſitus cùm dormiret. Sic ergo ſua membra damnaverat, quæ olim ſæculi delectatio inquinavit: magis autem odoramenta virtutum Deo laudabiliter offerre ſtuduit poſt converſionem, quàm in ſuis tabeſcere iniquitatibus, memorans præceptum Apoſtoli, qui dixit: *Vbi abundavit delictum, ſuperabundavit & gratia*; & iterùm: *Fuiſtis aliquando tenebræ, nunc autem lux in Domino.*

Circ. An. DC. LIII. Octob. 1. Duriſſimam vitam in carcere agit. a

* *Iob.* 13. 27.

Rom. 5. 20. *Eph.* 5. 9.

11. Vir itaque ſanctiſſimus Domini Allovvinus in hac retruſione poſitus auſteritatem atque inediam libenter ſuſtinuit, nec in hac afflictione obedientiæ normam reliquit: ſed Abbatem ſibi prælatum magnopere popoſcit, ut ita eum retruderet ſuper pavimentum, ut ſi quando ad omnipotentis Dei laudes dicendas adſiſteret, dexterâ lævâque pavimento ità circumſeptus foret, ut nec declinandi facultatem in ullam partem haberet, ſed diebus ac noctibus quaſi in agone ſuſpenſus Deum adoraret ad æthera tendens, & alta ſuſpiria trahens: quod & factum eſt. Tunc vir Domini magis ac magis ingemiſcens, jámque ad cæleſtem patriam anhelans, miniſtro ſibi parenti præcepit, ut lapidem ſibi adferret. At ille juſſionem implens, detulit grandem laterem. Cui vir Dei; Adhuc, inquit, majorem perquire. Tandémque lapidem inventum qui vix duorum manibus vehi poterat, detulit viro Dei, quem vir Dei gaudio magno repletus ſuſcepit, & dum ad laudes Dei dicendas adſiſteret, ipſum humeris portabat.

Nova tormenta excogitat.

12. Sed antiquus hoſtis humani generis inimicus, qui humanum genus tentare non deſinit, maximéque contra Electos vim ſuæ exercet nequitiæ, quia quantum illos proficere cernit, tantò deteriùs invidiæ accenditur facibus; prædictum virum Dei ex eadem cella moliebatur ejicere diverſis minis ac imaginibus nefandis, quibus eamdem cellam replere ſimulabat. Beſtiarum enim, volucrum & ſerpentum diverſo genere geſtiebat ei formidinem ingerere, ut ſaltem ita egrederetur. Sed fortiſſimus Domini athleta quanto ſibi antiquum attentiùs vidit inſiſtere hoſtem, tanto fortiùs contra eum agonem ſuſcipiens cotidie certare non deſiit. At verò maligni ſpiritus nihil ſuam induſtriam profeciſſe cernentes confuſi receſſerunt, nihílque ampliùs viro Dei ingerere audentes evanuerunt. Tunc præfatus vir Dei magnas omnipotenti Domino gratias referens, non hoc ſuis viribus deputavit, ſed Domini miſericordiæ, qui ubique in ſe ſperantibus dignatur adeſſe. Opus ergo cœptum indeſinenter faciens, manum in aratro poſitam non retraxit, neque retrò reſpexit, quia recoluit à beato Amando hunc Evangelicum ſibi nuntiatum fuiſſe ſermonem: *Qui perſeveraverit uſque in finem, hic ſalvus erit.*

Dæmonis terriculamenta ſpernit.

13. Appropinquante verò remunerationis ejus die, indeſinenter vir Domini Allovvinus in confeſſione Domini perduravit. Cùm verò ſe paullulùm ſopori

Ab Angelo inviſitur.

a Nonnulla hîc Lectorem remorari poſſunt. Nempe quo pacto is qui tonſuram Monaſticam (ut ſuperiùs num. 4. præfertur) gerebat, caput ſuum decalvari poſtulat? An fortè Recluſi qui in Pœnitentium numero erant, comam tum temporis intonſam habebant? Nam ex Gregorio Turon. Epiſc. lib. 9. cap. 20. Pœnitentes non radebant barbam, nec comam tondebant. Et tamen in Regula Solitariorum ſeu Recluſorum Grimlaïcus Preſbyter *de quadraginta in quadraginta diebus* barbam radi & capillos tonderi cap. 51. præcipit. Deinde quale eſt illud, *more latronum decalvari?* In Langobardorum legibus lib. 1. Tit. 25. l. 54. legitur, ut ſi quis *non habens unde furtum componere debeat, iterum in furto tentus fuerit, decalvet eum* Judex. Denique cur is qui Recluſus erat, *cuſtodiæ publicæ* mancipari optat? Certè Theodoricus Abbas id factum ante Bavonis recluſionem refert.

CIRC. AN. DC. LIII. OCTOB. I.

dediſſet, Angelum Domini in ſpecie columbæ ſuper ſe venientem conſpexit: quem hoc viſu perterritum ſtatim Divinæ conſolationis gratia refovet, atque totam cellulam in qua idem vir Dei erat, inæſtimabilis replet fragrantia ſuavitatis, ut palam daretur intelligi Angelum lucis & ſuavitatis illuc adveniſſe. Nec immeritò ei Angelus pacis in ſpecie columbæ oſtenditur, quia columbæ ſimplicitatem gerebat in corde, licet aſtutiam ſerpentis non deſereret in tentationibus. Liquet enim quia ſuper Redemptorem humani generis ad Jordanis fluenta Spiritus-ſanctus in ſpecie columbæ demonſtratus eſt, ubi Paterna vox auditur ſuper Filium ſuum dilectum, in quo ei bene complacuit: ubi & Pater in voce, Filius in homine, Spiritus-ſanctus in columba, totáque Trinitas ſimul manifeſtè declarata eſt; ſine dubio etiam B. viro Bavoni ipſa Trinitas Angelum in ſpecie columbæ oſtendit, quia ipſe eamdem Trinitatem intrinſecùs fixam in corde gerebat, certus ſine dubio quia neque mors, neque vita, neque ulla creatura poſſet eum ſeparare à dilectione quam habebat in Chriſto.

Cæleſtibus indiciis ejus merita deſignantur.

14. Sed ut tanti viri præcedentium meritorum opinio longè latéque crebreſceret, quia ſicut civitas in monte poſita latere non potuit; quâdam die ſuper ſe vexillum ſanctæ Crucis de cælo deſcendiſſe vidit, ut tanto ei de remuneratione augeretur fides, quantò magis celeſtibus dignus foret obtutibus; & tanto ſecurior pulſanti Dominus oſtium aperiret, quanto cognoviſſet indicia ſibi certa fuiſſe à Domino oſtenſa. Sed vir Domini nihil dubitans, nihil hęſitans, cum gaudio ineffabili diſſolvi concupivit & pergere ad Chriſtum. Illud tamen indeſinenter aiebat: Domine non mea voluntas, ſed tua fiat. Audenter inquio, licet ei ratio temporis martyrium non præſtiterit, gloriâ tamen Martyris non carebit: quia voto atque virtute potuit eſſe Martyr & voluit. In ſemetipſo verò ſponte omnes pœnas atque ſupplicia ſuſcepit, quibus plerumque humana cedit infirmitas; & à confeſſione Domini non receſſit, immobilis perſeverans in opere mandatorum Domini, itaut ulceribus congaudens & cruciatibus, quælibet inter tormenta rideret. Sed quamquam perſecutoris gladio minimè truncaretur, ſine cruore tamen implevit martyrium. Quas ille pro ſpe æternitatis dolorum humanorum non pertulit paſſiones? quo enim ille dolente non doluit, quo ſcandalizante non uſtus eſt? quo pereunte non gemuit? præter cotidiana illius adverſum humanæ ſpiritualiſque nequitiæ diverſa certamina, dum in eo variis tentationibus appetito exuberat fortitudo vincendi, patientia exſpectandi, & æquanimitas ſuſtinendi, veluti Domino ſibi ſemper ingeminante: Gaude & exſulta, quoniam merces tua copioſa eſt in cælo.

Martyr dicendus.

Poſt tres converſionis annos moritur accerſito Domlino.

15. Operæ pretium eſt & illud inſerere lectioni, qualiter beatus vir ALLOWINUS, qui ex ortu nativitatis ſuæ Adhilec [a] vocatus eſt, BAVO, de hac luce migraverit. Igitur ſanctiſſimus atque religioſiſſimus vir Domini Bavo poſt pœnitentiæ confeſſionem quam à B. Amando Pontifice perceperat, annis tribus [b] præter quadraginta dierum abſtinentiam quam implevit, Domino annuente ſagaci ſtudio mirificóque effectu in hoc ſæculo propter regnum cælorum militavit. Plenus namque virtutibus & ſanctitate intellexit vir Deo plenus ultimum ſibi appropinquare diem: quâ de re nuntiavit Abbati & Fratribus ſui Monaſterii corporis ſui diſſolutionem imminere, ac quemdam fidelem Preſbyterum longè à ſe poſitum nomine DOMLINUM * evocari voluit Turholtenſis Monaſterii [c],

a
b
c
* *Conch.* Deolinum

a Hic variant Mſſ. codd. nam Corbeïenſis ac Sangermanenſis præferunt: qui *ex ortu nativitatis ſua à dilectione vocatus eſt Bavo.* Conchenſis verò qui melioris notæ videtur; *qui ex ortu nativitatis ſuæ Adhilec vocatus eſt, Bavo*, itaut *Adhilec* pro *à dilectione* legatur, & nomen, *Bavo*, interpunctione utrimque claudatur, quaſi *Adhilec* Allowini adventicium fuerit agnomen. Aliàs certè quæ inter *Adhilec* ſive *dilectionem* & *Bavonem* nominis affinitas? An fortè *Adhilec* hodiernus eſt Haſbaniæ vicus *Hellich* appellatus?

b Ita conſtanter Mſſ. exemplaria: quamquam non facilè intelligitur, quo modo in ſpatio tam brevi S. Bavo tot res geſtas expleverit. Theodorici Abbatis calculus à Surio vel à librario vitiatus explicari vix poteſt in hæc verba: *anno à converſione ſua quadraginta dies minus de tertio.*

c Turholtum opidum Turholtenſi Comitatui Flandriæ contiguo nomen dedit. Illic quondam Monaſterium S. Anſchario noſtro, poſtea Bremenſi Pontifici in ſubſidium expeditionis Apoſtolicæ à Ludovico Pio conceſſum, quod in Eccleſiam Collegiatam modo converſum cernitur. Iſtius Monaſterii primordia S. Amando tribuit Henſchenius Comment. prævio in S. Amandi Vitam §. 4.

quia cupiebat ejus perfrui colloquiis. Multum namque itineris erat ſpatium atque vaſtæ ſolitudinis denſorum lignorum ſaltus occupaverat iter quod erat inter cellam beati viri & Monaſterium Turholtenſe, in quo præfatus morabatur Preſbyter. Tandem accerſito miniſtro ad Preſbyterum memoratum ire præcepit. At ille obedientiam non renuens, & viam quâ pergeret minimè ſciens, cœpit iter agere neſcius, perficere volens officium ſibi injunctum. Sed Angelo Domini comitante ad eumdem Preſbyterum ſub omni celeritate pervenit, & per vaſtam ſolitudinem rectiſſimo tramite utrique ad virum Dei incredibili feſtinatione pervenerunt. Quo viſo vir Beatiſſimus magno repletus eſt gaudio, eíque præcepit ut curam funeris ſui gereret. Cúmque cæleſti patriæ indeſinenter anhelaret, & à colloquiis Divinis non ceſſaret, oculis ac manibus in cælum ſemper intentus invictum ab oratione ſpiritum non relaxaret; Corpore & Sanguine Redemptoris noſtri ſe muniens, ſanctam animam carne ſolutam die primo menſis Octobris [a] Domino omnipotenti reddidit. In poli aula cum ineffabili triumpho exceptus, ſtatímque Virgini beatiſſimæ GERTRUDI[b] cum aliis Virginibus ſecum commorantibus longè à ſe poſitis ſpiritus ipſius apparens, jubet ſibi veſtimenta mitti ad ſepeliendum corpus ſuum: quod & factum eſt. CIRC. AN. DC. LIII. OCTOB. I.

a

b Gertrudi apparens veſtes in ſepulturam petit.

16. Cúmque funeris illius officium expleretur, mulier quædam, quæ multo jam tempore à dæmonio vexabatur, glebam ſancti viri tetigit, & ſtatim facta eſt ſana. Alius quoque phreneticus malè à dæmonio vexabatur, qui ut pervenit ad viri Dei ſepulcrum, Domino annuente priſtinam recepit ſanitatem, acſi nullam antiqui hoſtis pertuliſſet læſionem. Multa quidem & alia ſunt quæ per eum Dominus & operari dignatus eſt, quæ nobis incognita ſunt & Deo nota. Quòd ſi omnia quæ de ejus geſtis comperimus vellemus proſequi, dies (ut opinor) antè quàm ſermo ceſſaret. Pauca è pluribus dixiſſe ſufficiat, ne ſtudioſis Lectoribus & ad alia feſtinantibus faſtidium ingerere videamur. Sepultus namque eſt vir Dei cum magnifico honore in loco qui dicitur Gandavum caſtrum, cujus nunc Cœnobium apertè vocatur Ganda: ubi multa Fidelibus præſtantur orationum ejus beneficia, & laudatur ab omnibus nomen Domini JESU-CHRISTI; cui eſt cum coæterno Patre unà & Spiritu ſancto virtus & honor, gloria & imperium, laus & poteſtas per infinita ſæcula ſæculorum, Amen. *Miracula patrat.*

a Annum quo S. Bavo ad Superos migravit, non facilè eſt definire. Si in numeris lapſus non eſt Auctor ſive librarius, Bavo *poſt pœnitentia confeſſionem quam à B. Amando Pontifice perceperat, annis tribus præter quadraginta dierum abſtinentiam* ſuperſtes fuit, ſuprà num. 15. Admeliorem frugem, adeóque ad pœnitentiam adductus eſt, dum Amandus Trajectenſi Cathedræ impoſitus, Haſbanienſem pagum Trajectenſibus contiguum, Bavonis natale ſolum prædicatione illuſtrabat. Amandus Sedem Trajectenſem anno DC. XLVII. iniiſſe videtur: poſt triennium deſeruit; & ſuos Gandavenſes reviſens, Bavonem ſecum adduxit, cúmque Monachum factum ad inſulam *Chavelaus* dictam Evangelii diſſeminandi gratiâ anno DC. LI. comitem habuit. Bavo deinde variis Monaſteriis perluſtratis Gandam rediit, ibíque recluſus vixit uſque ad obitum, qui anno DC. LIII. contigiſſe videtur. S. Livinus paullò poſt ad ipſius ſepulcrum Miſſas & orationes feciſſe infrà in propriis Actis dicitur. Variæ leguntur S. Bavonis Tranſlationes. In Chronico Bavoniano apud Sanderum corpus ipſius à B. Eligio levatum è terra fertur: quod ſi ita eſt, mirum cur iſtius Vitę Scriptor id vel ignoraverit, vel omiſerit. Aliæ Tranſlationes inferiùs in libris Mirac. memorantur. S. Bavonis Reliquiæ in Gandenſi Eccleſia Cathedrali S. Bavoni ſacra religioſè honorantur.

b Nempe Gertrudi Abbatiſſæ Nivialenſi, cujus Acta in ſubſequentibus referemus. In litteris Othelboldi Abbatis Gandenſis ſuperiùs in Obſervat. prę viis adductis, S. Bavo beatæ Gertrudis conſobrinus dicitur.

CIRC. AN. DC. LIII. OCTOB. I.

EPISTOLA S. LIVINI
EPISCOPI ET MARTYRIS
AD FLORBERTVM GANDÆ ABBATEM.
De S. BAVONIS *Epitaphio.*

Ex Sylloge Epistol. Hibernic. Iacobi Vsserij.

AUDEO mira loqui, Solem sine lumine vidi.
Est sine luce dies, sic sine pace quies
Hos postquàm populos conspexi luce serena,
Sol mihi non luxit, nox fuit una mihi.
Impia barbarico gens exagitata tumultu
Hîc Bracbanta furit, méque cruenta petit.
Quid tibi peccavi, qui pacis nuntia porto?
Pax est quod porto: cur mihi bella moves?
Sed qua tu spiras feritas, sors læta triumphi,
Atque dabit palmam gloria martyrii.
Cui credam novi, nec spe frustrabor inani,
Qui spondet Deus est, quis dubitare potest?
Attamen est aliquid mæstæ solatia menti
Quod dat, nec penitùs me premit atra dies.
Ganda parat gremium, quo me fovet ubere læto:
Invitat, mulcet, nutrit, amat, refovet.
Hîc est FLORBERTUS quem virtus flore perornat,
Cui probitas floret, flos probitate viget.
Forma gregis, decus Ecclesiæ, concordia Fratrum,
Ipse suis medicus & medicina sibi.
Quid referam pietatis opus, quo me peregrinum
Obsequiis lætis dum fovet, addit onus?
Sufficeret Fratrum Fratrem dixisse LIVINUM,
Pontificis nomen pergravat & Domini.
Egressus patriam, pompæ mortalis honorem
Sprevi, devovi: spes Deus una mihi.
Attamen inveniet quod Christo sedulus offert:
Quòd si sum pauper, hoc sibi nil minuet.
Plus aliquid præstat absenti munere largo:
Præsens continuis me fovet obsequiis.
Hæc quoque dum scribo, properans agitator aselli
Munere nos solito, pondere lassus adit.
Ruris delicias affert cum lacte butyrum,
Ováque, caseoli plena canistra premunt.
Hospita quid restas*? effer jam sedula gressum, * *id est*, resistis
Collige divitias quæ modò pauper eras.
Fervet olus siccum, sed nunc condire licebit:
Ollula dura priùs, uncta suavis erit.
*Holtam** villa gravis quæ nescis reddere fructum: * nunc *Hauthem* pagus territorii Alostensis tertio milliari à portu Gandavo.
Urticas, lappas cur bene culta refers?
Hoc est quo recreor, quòd habet paupercula tantum
Hospita quod mittit vel mihi Ganda boni.
Et pius ille Pater cum donis mollia verba
Mittit, & ad studium sollicitat precibus.

Ac titulo magnum jubet insignire BAVONEM,
Atque leves elegos esse decus tumulo.
Nec reputat, fisso cùm stridet fistula ligno,
Quòd soleat raucum reddere quassa sonum.
Exigui rivi pauper quam vena ministrat
Lasso vix tenues unda ministrat opem*.
Sic ego qui quondam studio florente videbar
Esse Poëta, modò curro pedester equo:
Et qui Castalio dicebar fonte madentem
Dictæo versu posse movere lyram;
Carmine nunc lacero dictant mihi verba Camœnæ,
Mensque dolens lætis apta nec est modulis.
Non sum qui fueram festivo carmine lætus.
Qualiter esse queam, tela cruenta videns?
Nec quid agam novi: mentis timor iste procacis
Quem, rogo, non lædat, par dare nolle pari?
Officio certare pari si nempe recuso,
Pecco, quòd magnis reddere parva moror.
Magna mihi præstat supplex qui parvula poscit:
Et tamen invenior tardus ad officium.
Accingar studio quamvis non viribus æquis:
Est non posse leve, non renuisse bonum.
Ergo tibi titulum scribens, sanctissime BAVO,
Qui volo quod nequeo, quod valeo facio.

CIRC. AN. DC. LIII. OCTOB. I.

* f. opes

S. BAVONIS EPITAPHIUM.

QUI patriæ rector, spes gentis, gloria regni,
Magnorum primus qui modò magnus eras:
Non quia magnus eras te gloria magna beatum,
Sed contempta decus gloria magna facit.
Pro Christo pauper, despectus, vilis, egénsque,
Et Christi famulis nunc caput atque decus.
Defunctum revocans qui morti jura tulisti
Monstras quippe tibi jura patere poli.
Quam tu fundâsti quæ te tenet, inclyte BAVO,
Ecclesiam, meritis protege, Sancte, tuis.

Epistolæ Epilogus.

HÆC, FLORBERTE Pater, LIVINUS carmina mittens,
Inscriptum lateri munus habere dedi:
Ut cùm vastatus fiet locus ille ruina*,
Carmina conservet obrutus ista lapis.

* NOTA Livini vaticinium, *Vide lib. I. Mirac.*

CIRC. AN. DC. LIII. OCTOB. I.

MIRACVLA S. BAVONIS

Tribus deſcripta Libris à Monacho anonymo qui ſæculo x. vixit.

Ex MS. cod. Abbatiæ S. Cornelij Compendienſis.

PROLOGUS AUCTORIS.

1. CHRISTIANI negotii eſt quemque ſuis profectibus ardenter inſiſtere, & lucro ſuæ ſalutis diatim quantum prævalet adjicere. Etenim utilitati nihil præſtantius excogitari, nihil queſtuoſius poterit experiri; cùm brevi tempore & terminali ſudore illud bonum adquiritur, quod nec interpolatione poteſt ſubripi, nec fine mutilari. Hoc itaque cum ſui conſideratione ſit omnimodis inæſtimabile, æſtimatur tamen diverſa contingentium poſſibilitate: quoniam hæc varietas exterioris habitudinis, nil eo præjudicat adipiſcendo, tantùm ne quovis exorbitet bonæ voluntatis intentio. Nam ut materialis abſque fundamento vacillat materia, ſic ſine diſpoſitione rectæ intentionis moralis infatuatur convenientia. Reſpondeat ergo neceſſe eſt ſupernæ mercedi, quidquid à quoquam adhibetur laboris & ſtudii. Hæc cùm ita ſint, faceſſat propriæ laudis exitiabilis titillatio, ſopiatur pruriens votivæ adulationis ſerpedo, totum illius commutetur recompenſationi, cujus muneris eſt totius exuberatio boni. Nunc ad hæc referenda veniamus quorum gratiâ hæc pauca prælibavimus.

2. Rogatus, immò compulſus, ut quædam inſignium miraculorum glorioſiſſimi Patris BAVONIS litteris mandarem, conſcius propriæ fragilitatis & inſcientiæ coactus ſum, ut id omnimodis detrectarem. Et ecce mihi vis caritatis omnia ſperantis obtenditur, inexcuſabile jugum ſanctæ obeditionis imponitur, uberrimus eleëmoſynarum fructus promittitur, ſi multorum profutura profectibus [illegible] relatu pandantur. Contra ſi in negando perſiſterem, obruti talenti damnatione percellendum, gaudiis ſupernæ admiſſionis fruſtrandum: quippe meo ſilentio tantorum obnoxium detrimentis, quantorum poteram prodeſſe in referendo emolumentis. His tam hortationibus quàm terroribus, fateor, victus ſuccubui, ut mallem ſcientiæ tenuitate, quàm mentis obſtinatione periclitari. Ergo nihil hîc adipatæ locutionis, nihil Rhetoricæ declamationis exſpectandum, quia his artibus me fateor uſquequaque ignarum. Suſcipiant alii copioſam variæ excuſationis ſupellectilem, videlicet quòd veritas nativa vivacitate contenta non quærat altrinſecam colorum adhibitionem; & quòd Chriſtianæ fidei rudimenta non ab Oratoribus, ſed à piſcatoribus & idiotis ſint promulgata; & quòd Regnum Dei magis virtutis quàm ſermonis conſtet efficaciâ; aliáque perplura in id orationis cadentia: mihi facilis apologiæ patet occaſio, ſcilicet cui nullius eruditionis favet exercitatio. Verùm ſicut temerè nihil eſt præſumendum, ſic de Dei miſericordia numquam deſperandum, cui cùm nihil omninò ſit impoſſibile, tamen magnificentiùs plerumque in minimis vim ſuæ exerit potentiæ. Quocirca ſit in nobis boni operis ſincera deliberatio, ab illo ſine dubio veniet effectualis conſummatio. Ceterùm ut qui hæc qualiacumque ad legendum dignatus aſſumpſerit, ſiquidem ea recitatione digna judicaverit, vice recompenſationis opem mihi ſuæ ferat interceſſionis; ſin autem præſumptionis faſtui vel arrogantiæ typo adſcribendum putaverit, tanto accuratiùs pro me orandum meminerit, quanto copioſiori flagitiorum mole me preſſum conjecerit. Sícque

non omnis excludetur utilitas, dum veræ compaſſionis faverit opportunitas, mediante ea caritate quæ Deus eſt, qui ſubſtantiali unitate & perſonali trinitate vivit & regnat per omnia ſæcula ſæculorum, Amen. CIRC. AN. DC. LIII. OCTOB. I.

LIBER PRIMUS MIRACULORUM.

Caſtri Gandavi ſitus & initia.

3. LICET auctoritate ſacri eloquii, non propter locum gentem, ſed ob gentis gratiam locus credatur divinitùs eligi; non tamen præpoſterum debet videri ſi priuſquam amantiſſimi Patris BAVONIS miracula ſtilo prout poſſumus commendemus, de loco conſervandis ejus Reliquiis ſupernè prædeſtinato pauca commemoremus. Hic autem Galliæ Flandriæque confinio prope contiguus ſeptemtrionalem plagam versùs, ſex milliariis ab Oceani diſtat litoribus. Virenti quoque planitie ſpatioſa ſpectabilitate conſpicuus, delectabiliter irrigatur & cingitur geminis amnibus, qui neſcio utrum plus amœnitatis, quàm utilitatis ſui commoditate conferant incolis. Sunt enim & piſcium capturâ uberes, & mercium convectione feraces. Unde tam hujus provectionis gratiâ, quàm ob præſentiſſima S. Bavonis merita eſt idem locus populoſo commeatu frequentiſſimus. Ferunt autem AGRIPPAM quondam Romanorum Ducem in eo caſtrum condidiſſe Gandavúmque appellâſſe. At alii HERMENRICUM Regem in eo arcem imperii ſibi tradunt inſtituiſſe. Quorum quid ſit verius, illorum qui hæc dicunt judicio relinquimus. Nam ſæpiùs incenſis ſeu caſuali provectu, ſeu hoſtili feritate authenticis bibliothecis, non ſatis innitimur certitudine hujus indaginis. Cotidiana tamen intuentibus ſuppetunt experimenta, non à mediocribus, ſed à magnificis & primoribus viris ejuſdem loci ſortita primordia. Ruinarum quippe veſtigia, & ſub his variarum ſpecierum repertæ qualitates opulentiſſimos atque potentiſſimos ejuſdem ſtructuræ loquuntur auctores. Erant itaque præfati loci habitatores à Religione Chriſtiana penitus abhorrentes, & præ inſita ſibi auſteritate ſanctis prædicatoribus ferè inacceſſibiles. Mansitque hujus inextricabilis obſtinatio erroris uſque ad tempora DAGOBERTI Regis, cùm ſupernæ pietatis reſpectu advenit miſeris optabile tempus miſerendi, ut eſſent ab inflictæ ſibi cæcitatis errore miſericorditer eruendi.

Amandus incolas ad Chriſti Fidem adducit.

4. Claruit ea tempeſtate vir Dei gratiâ jocundiſſimè præditus, ac per hoc dignè vocatus AMANDUS, qui prædicationis obtentu diverſas regiones pervagatus, multiplices ſui agonis fructus gnaviter eſt Domino lucratus. Cúmque his ſanctis ſtudiis operoſiùs inſiſtens divertiſſet ad prædictum locum, ut fortis athleta non priùs deſtitit, quàm opus cœptum duceret ad effectum. Denique abrenuntiantes paganiſmo, abluti atque mundati ſunt expiali Baptiſmo. Summoto cauterio tractualis & actualis prævaricationis, uncti ſunt oleo ſaluberrimæ exſultationis. His ita Chriſto auſpicante peractis, cœpit fama tanti viri uſquequaque crebreſcere felicibus incrementis. Unde certatim ad eum diverſæ ætatis ſexûs & dignitatis confluebat frequentia, affectans in ſpirituali exercitio eximii Patris componi diſciplinâ. Inter quos S. ALLOWINUS qui & BAVO, inter nobiles Haſbanienſis pagi nobilior, afflatus cæleſti deſiderio, ejus ſe (ut pòſt patuit) medullata devotione contulit imbuendum magiſterio. Qui mox ut ſemina Divini verbi ſedula mente percepit, non ea paſſus eſt damnoſa ſegnitia præfocari, ſed ad inſtar bonæ terræ fructuoſiori fœnore ea multiplicavit. Nam quod alii deputant perfectionis faſtigio, ipſe primæ converſionis aggreſſus eſt initio. Omnibus abrogatis facultatibus, ſpretis dignitatibus, prædia ſua legitimâ donatione tradidit diſciplinis profutura Monaſterialibus, pecuniarios quæſtus ſuos ſeu progenitorũ exaggeratos ſudoribus, propria manu diſperſit egentibus. Sic exoneratus letali faſce mundialium cupiditatum, nudus & exertus ad boni JESU confugit auxilium. Suſcepit itaque in eodem Gandavo, quo nunc requieſcit, à B. Amando tonſuram Clericatûs irrefragabili deliberatione delegatus. Cujus verò abhinc diſtrictionis, cujúſve

Bavonem ad ſæculi contemptum.

CIRC. AN. DC LIII. OCTOB. I.

rigoris in ſeipſo ob Dei ſervitium in macerando fuerit, vel quos impetus antiqui hoſtis ſenſerit, ſuſtinuerit, evicerit, vel ad quod culmen virtutum ſub atteſtatione miraculorum conſcenderit, liber geſtorum ejus ſcire volentes ſatis luculenter inſtruit. Verùm poſt multiplices vitæ præſentis agones, ſpiritus mercede ſua fruiturus perpetim cælo ſuſcipitur; corpus more humanitatis terræ commendatur.

Liber vitæ S. Bavonis citatur.

Bavo 60. imitatores poſt ſe trahit.

5. Hujus tamen loci quantum ſubinde conſciverit augmenti, hinc datur intelligi, quia recens & quaſi adhuc calens pii Patroni memoria, & miraculorum cotidiana hanc ad altiora ſemper provexerunt incitamenta. Fertur enim quòd ad ſexagenarium numerum ultróque pervenerint, qui ſe poſt S. Amandi diſceſſionem ad exemplum tanti viri regularibus ſtudiis mancipârint. Libet igitur antequam ea, quæ noſtris temporibus geſta ſunt, contingamus, unum ejus referre beneficium, unde ejus miræ condeſcenſionis ſingularíſque benignitatis ſumatur indicium. Sunt enim plura priorum noſtrorum (quod eorum pace dixerimus) prætermiſſa negligentiâ, ac eotenus oblivioni mandata, ut noticiæ noſtræ celentur acſi funditus infecta.

Negotiator calicem non malo animo furari finitur.

6. Cùm igitur iſdem ſacer locus in omni floreret opulentia, contigit tempore cujuſdam præcipuæ feſtivitatis, ut inter ceteros qui tunc copioſiſſimi erant Eccleſiæ apparatus, aureus calix poſt peracta Miſſarum ſollemnia ſuper ſacrum altare relinqueretur abſque cuſtodibus. Quidam autem negotiatorum introgreſſus eſt oratum, quem vis tempeſtatis tali perculerat naufragio, ut peſſumdatis rebus undecumque adquiſitis, oſtiatim emendicato ſe committeret ſtipendio. Cúmque ſæpius miſeris propitiam S. Bavonis expetiiſſet memoriam, licèt ingentem tamen fide plenam eſt adorſus audaciam. Nam præfatum calicem cernens incautiùs deſtitutum, orationi attentiùs incubuit in hunc modum: Precor, inquit, tuam, ſancte Bavo, inæſtimabilem clementiam, ut tuo dulci more, hoc eſt miſericorditer ſuſcipias intentionem meam. Optimè quippe méque ipſo multo limpidiùs eam noſti, quia inſeparabiliter conjungeris omnia ſcienti. Placeat ergo tibi aliquantulum relevare meam neceſſitudinem, ut me dum advivo, habeas tui ſervitii debitorem. Liceat mihi nunc hinc tuâ conniventiâ ſumere, quod poſtmodum te libeat multiplicatum recipere. His dictis fideli temeritate ſe præſumens exauditum, non ſolùm veniale ſed etiam compendioſum aggreſſus eſt furtum: aſſenſúmque tam facilem ſanctiſſimi Patris tenens vice pignoris, efficaciter eſt abſolutus compede calamitatis. Nec multo pòſt ad Monaſterium veniens, ſingula prout patrata erant patefecit, vota ſua largiſſimè ſolvit, multóſque ſuæ alacritatis complices efficiens, cum gratioſa ſoſpitate ad propria remeavit.

Eccleſia S. Bavonis plumbo cooperta incenditur, reſtauratur.

7. His & his ſimilibus beneficiis eximii Patris in immenſum crevit opinio, & loco in quo requieſcit totius profectus augmentatio. Nam ejuſdem Eccleſia ex ſtudiis & oblationibus Fidelium variis eſt redituum ſpeciebus tam ornatûs quàm ſuſtentationis gratiâ redimita, plumbo quoque ſumptuoſo conamine cooperta. Sed, ô! nihil in humanis rebus ſic ſalva integritate continuum, ut non aliqua parte hebetetur infortuniorum. Nam hæc omnia, quæ prædiximus exterioris abundantiæ commoda, unius luminaris incautè tractati conſumpſit negligentia. Emiſſa namque flamma per contiguos velorum tractus, quippe quæ ſollemnis obtentu feſtivitatis erant expanſa, favillâ tenus intus & extra cuncta ſunt depaſta. Verùm iterum Deo miſerante & collaborante ſudore Fidelium ad priſtinum vigoris ſunt redintegrata ſtatum. Sícque manſit diuturni ſpatio temporis uſque ad tempeſtatem Nortmannicæ infeſtationis.

Normannorũ tempore S. Bavonis Reliquiæ Laudunũ tranſlatæ.

8. Cujus immanitas adeò adinſtar turbinis excrevit, ut pæne totius partes Occidentis, rapinis, incendiis cædibúſque conſumpſerit. Præfati verò incolæ loci hujus tam calamitoſæ vaſtitatis irruptionem metuentes, inclyta ſanctiſſimi Patris membra tuto in loco cuſtodienda depoſuerunt. Deinde etiam inſanias Danorum qui ſupervenire parabant metuentes, ipſius Sancti Dei Reliquias

cum

cum aliis plurimorum Sanctorum Laudunenſium [a] ad opinatiſſimum & * montem regium inibi ſervanda tranſtulerunt. Theſaurum quoque cum vario ſancti loci ornamento ſecum deliteſcendo aſportaverunt: quidam etiam propter locum venerabilem ſervandum ſubſtiterunt. CIRC. AN. DC. LIII. OCTOB. 1.

a

* & redundat

9. His etiam diebus CAROLUS Rex, qui LODOVICO PIO Imperatori ſucceſſerat, antequam Imperium Romanum per benedictionem JOHANNIS Papæ ſuſciperet, S. Bavoni & Fratribus ibidem morantibus Eccleſiam Faſſeyam dictam & medietatem ad eamdem pertinentium vinearum, inſuper & villas duas Coloniam & Nielam ſumma devotione viſus eſt condonâſſe. Et quoniam populi qui tunc videbantur Chriſtiani, peccatis (ut credimus) ſubripientibus Deum in multis offenderant, traditi ſunt Barbaris & iniquis graviter feriendi paganis, ſicut in Chronica* poſt Bedam ſcriptum hoc modo eſt. Carolus Calvus S. Bavoni prędia confert.

*non exſtat.

10. Anno ab incarnatione Domini noſtri octingenteſimo quinquageſimo primo, piratæ Danorum cum ducentis quinquaginta duabus navibus Freſiam & Battavos populantur. Sed & uſque ad Monaſterium S. Petri & S. Bavonis quod Gandavum dicitur, debaechantes, idem Monaſterium incendunt. Venientéſque urbem Rotomum * uſque ad Belvacum * pedeſtri gradu perveniunt. Item poſt pauca: Poſt obitum, inquit, LODOVICI piiſſimi Auguſti excidioſa inter Francos orta diſſenſio eſt. His denique inter ſe diſcordantibus, Nortmanni ultra mare poſiti eorum audientes diſcordiam, navali evectione cum infinita multitudine mare tranſito Tarvennam * urbem Morinorum menſe Julio igne & gladio vaſtaverunt, omnémque terram Menapiorum perambulando ferro & igne vaſtant. Poſt hæc Scaldim fluvium intrant & omnem terram Bracbantiſiorum incendio & ferro delent. Itémque: Sed Nortmanni incendiis & vaſtationibus inhiantes, ſanguinémque humanum ſitientes, ad interitum & perditionem Regni menſe Novembrio in GandavoMonaſterio ſedem ſibi ad hiemandum ſtatuunt, anno ab incarnatione Domini octingenteſimo octogeſimo. Tunc quoque Tornacum civitatem & omnia Monaſteria ſupra Scaldim ferro & igne devaſtant, interfectis accolis terræ atque captivatis. Sed qui hoc pleniùs noſſe deſiderat, librum ipſum de quo ſuprà diximus legat; nos propter auctoritatis teſtimonia iſta pauca poſuimus: longum enim eſt univerſa mala commemorare. Igitur Dani poſt multam generis humani interfectionem, Gandavum rediêre, ſuíſque ibi reparatis navibus, terrâ marique iter facientes Moſam ingreſſi ſunt, & famoſiſſimum Aquiſgrani * palatium igne cremaverunt & Monaſteria, civitates Treveris nobiliſſimam, & Coloniam Agrippinam cum habitatoribus interfectis igne cremaverunt. Verùm his interim in letalibus tali provectu poſthabitis qualiter denuo locum ab initio ſancto ſuo ſervitio delegatum ſuperna reſpexit dignatio ſuccingimur enodare.

« Relatio incurſionis Normannorum ex Bedæ ſupplemento.
*Roiem
* Beauvais
*Teroüanne

* Aix la Chapelle

11. Igitur poſt Nortmannicæ infeſtationis repauſationem, optabilis quandoque regione tranquillitatis quiete compoſita, metuentes aliquorſum alicujus incurſionis inquietudinem, hi videlicet qui Lugduno* transfugerant cum ſanctis Reliquiis & Monaſteriali ſupellectili, utpote in extraneis conſtituti, Gandavum quantociùs ſublatis ſecum ſancti Patris pigneribus maturabant reverti. Et quoniam eotenus ut totus circumjacens pagus, ita & Gandenſis Cœnobii locus pænè videbatur ſimilior deſerto vacuatus cultoribus, in novo ædificata caſtello Eccleſia, illò ea introduxerunt. At verò interdiu quia ſæpedictus locus negligebatur cultu totius venerationis, ipſæ murorum reliquiæ quæ ſupererant ignis combuſtioni, ſuccreſcentibus tribulis & denſis operiebantur vepribus: manſitque inibi tam miſerabilis exhauſtio deſolationis, uſquequo defluente cum curriculis temporum ſtatu multorum, ſucceſſit poſt nonnullos Noviomagenſi Sedi

Bavonis Reliquiæ Gandavũ referuntur.

* Lugduno Clavato.

Gandavi ſtatus poſt tempora Normannorum.

a Lege Laudunum ſeu Lugdunum, Clavatum ſcilicet, Picardiæ opidum quondam munitiſſimum. In Chronico Bavoniano apud Sanderum in ſuo Gandavo, SS. Bavonis & Pharahildis aliorúmque Reliquiæ ab Eynkerico Abbate priùs ad S. Audomari caſtrum quàm ad urbem Laudunum delatæ dicuntur. Ex urbe Lauduno per centum propè annos hac illácque à Monachis deportatæ, aliquamdiu locatæ manſerunt in Cœnobio de Nigella, vulgò *Nelle*, itidem in Picardia: quo ex loco anno CM. XXXIX. Gandavum revectæ ſunt, prout mox commemorat Auctor.

CIRC. AN. DC. LIII. OCTOB. I.

TRASMARUS * Epiſcopus. Quíque quoniam erat ſanctorum locorum cultor Chriſtianæque Religionis avidiſſimus informator, venerabilem locum (ſuæ quippe diœceſeos exſtiterat) ex intimo indoluit priſtini vigoris auctoritate denudatum, inſtituítque omnimodis inſtaurandum. Et quia diuturna deſolatio plurimo eguit ſupplemento, mandavit litteris (ut in ſcriptis ejus reperimus) ſuper hoc negotio ARNULFO Marchiſo, ad quem idem locus ex regio pertinebat beneficio, ſe ſcilicet ſcalam velle erigere, per quam uterque levi volatu cælum poſſet conſcendere. Quid multa? his litteris frequentibúſque collationum exhortationibus ad ea quæ voluit benivolentiam Marchiſi inflexit: cœpítque idem locus tam utrorumque adjutorio, quámque aliorum Fidelium laboratu ad priſtinum redintegrari. Et hæc omnia Divino indicio definita ſucciduíſque temporibus ita eventura tam evidentibus viſionibus, quámque angelicis ſunt prædicata manifeſtationibus: quæ ne intacta præteriiſſe videamur, pauca colligentes è pluribus, moderata brevitate utcumque hîc inſerere dignum duximus.

* *al.* Tranſmarus

Cœnobiũ per Traſmarum Epiſc. & Arnulfum Marchiſum reparatur.

Viſio ſenis de loci reparatione.

12. Paucis ergo (ut præmiſimus) poſt Nortmannicam incurſionem, ſenex quidam ſimplicis vitæ haud procul à ſancto loco habitavit. Et quia piſcatoriæ erat artis, nocte quadam excitus ſomno ut miſſa levaret retia ibat. Ante locum Oratorii tunc pænè dirutum ut venit, tres viros in veſtibus albis decontra adſtantes reperit: attonitúſque novitate viſionis, paullo pòſt reſumpta ſpe * quia eos quaſi invicem ſermocinantes vidit, fixo greſſu ad ea quæ loquebantur aurem accommodavit. Tunc eorum unus; Heu! inquit, quàm grave Dei noſtri diſpendium ſervitii, quòd hic locus olim ſibi famulantibus aptus, nunc tam miſerabiliter ſqualet incultus. Ad hæc alter qui & auctoritate & habitûs ſplendore ceteris videbatur præſtare: Facillimè, ait, illum Divina reparabit dignatio, cùm ſincera Fidelium faverit deprecatio. Et adjecit: Quamvis hoc paullò ſit futurum tardiùs, tamen digniſſimè reſtaurabitur iſte locus. Et ut de reliquis ſias certior, omnis illi priſtini decoris redintegrabitur honor. Dixit & ſummiſſis pariter vultibus, tres qui videbantur viventem in ſæcula adoraverunt, & nuſquam comparuerunt. Is autem cui hæc videre data ſunt, à cujúſque ore decerpta ſunt, talis erat religionis tantæque ſeveritatis, ut cuilibet fideli facilè de his non detur dubitari.

* *f.* reſumpto ſpiritu.

Senex accepta illic ſanitate opus promovet.

13. Sub eodem ferè tempore alius in inſula Brittannica habitabat ſenex, ſed nimia invalitudine ad extrema perductus. Huic quidam per viſionem claro ſub habitu adſtitit, & ſi priſtinam recipere ſoſpitatem vellet, ad Gandavum quondam firmiſſimum caſtrum iret, & in reſtaurando admonuit ut pro poſſe laboraret. Votum ut fecit convaluit, mare ſine mora tranſivit, & ad locum ut pervenit, quamdiu ſupervixit, devotus reparator exſtitit.

14. Et ut percurramus cœpta; cùm ſacer locus tantis talibúſque in dies augmentationis efferretur auſpiciis, ut quivis facilè advertere poſſet omnipotentiſſima illum dignatione Dei illuſtrari; præcaventes quique tam Monachorum quàm Clericorum devoti, tantillitatem anguſtioris Oratorii tanti Patris non congruere dignitati, illuc ejus ſacroſanctas Reliquias ſtatuerunt transferendas: depoſitíſque quæ ad opus erant, id eſt pridie Kalendas Octobris, quo ejuſdem depoſitionis ſancta celebratur vigilia, deliberaverunt efficere: huic negotio intererat & magna pars exſtiterat GERARDUS[a] Abbas. Sed quoniam falſi rumoris vulgaverat opinio, quaſi idem erga Sancti pignera aliqua intendiſſet fraudis molimina, inter iter agendum poſito in contiguo ei Monaſterio campo ſancto feretro ad propellendam ſiniſtri rumoris infamiam ſublato pallio cunctis qui aderant ſigilla antiqua manu infixa monſtravit integerrima Quantum ibi lætitiæ, quantæ pii cordis amore profuſæ ſunt lacrymæ, ex ſeſe quilibet valet

[a] Hic eſt S. Gerardus Cellenſis, Cœnobii Brogienſis in Hannonia conditor; cujus Vitam ſuo tempore proferemus. Is in Chronico Bavoniano Reliquias S. Bavonis anno CM. XL. in Eccleſiam novi caſtelli Gandavenſis revexiſſe dicitur.

conjicere. Quis umquam ſanum ſapiens non gaudio & dulcedinis animum expleret affectu, cernens ſpecialis totius provinciæ Patroni membra devia peccantium incolarum meritis exſiliata, placato demum Deo propriæ ædis reviſere ſepta? Illata itaque nuper reædificatæ Eccleſiæ celebri ſunt, quo hodiéque cernuntur ſublimata repoſitorio, proſequentibus cunctis laudes in honore trinæ Majeſtatis Patris & Filii & Spiritus ſancti. Et ut conſtaret cunctis quàm placitum id Deo conſiſteret, effecêre ſubſequentia miraculorum inſignia. Quæ etiam quia nefas eſt præteriiſſe, proprióque noſcuntur indigere epilogo, determinato illius libelli tenore, ſequenti commodiùs titulentur exordio. CIRC. AN. DC. LIII. OCTOB. 2.

LIBER SECUNDUS.

1. MIRA Dei cunctipotentis opera, quibus dilectiſſimi ſui athletæ Bavonis dignatus eſt mundo innoteſcere merita, multorum revera profectui accommoda ſtili quoquomodo cupientes ſignare officio, non fore remur ab re, ſi priuſquam ea quæ in loco in quo nunc requieſcit, moderno tempore ſunt exhibita, magnificum quoddam ac proinde ſui novitate proficuum, antequàm eò loci ejus transferrentur Reliquiæ, in novo caſtello manifeſtatum memoriæ commendemus miraculum.

2. In territorio memorati caſtri erant laïci commorantes, qui ex officio agnominabantur coriarii. Horum unus cupiditate quæſtûs, ſabbato ultra morem Chriſtianæ Religionis[a] illectus, operi ceteris inſtabat diutiùs. Sed hunc collega redarguens: Cur, inquit, non das honorem Deo ſanctóque Bavoni in proximo quieſcenti? Cui ille: Quis ſit Sanctus non ignoro, verum ſi ipſe adfuerit, mihi quid præſtabit? Infanda necdum finivit verba, & (viſu mirabile!) contractus toto corpore ruit. Fit concurſus civium, eumdémque velut informe deferunt monſtrum, ſancti Patris invocantes auxilium. Aliquantulum ſimillimus mortuo jacuit, & intuentibus turbis ſanus ſurrexit. Sed, ô nihil umquam tutum apud inimicum! qui miſer ut convaluit, hoc ſe injuſtè paſſum dixit: iterúmque luendus pœnam, rotatur ut globus per terram. Nam complicatis brachiis inter coxalia genua hærebant malis, rètróque curvatis cruribus calcaneo tenus, pedes fixi erant natibus, & (quod viſu dolor fuit) nihilominus præter animam habuit. Itaque ejus miſeriæ ſuccenſentes qui aderant, ſui æternaliter ipſum ſervitio deputabant Sancti. Ecce autem crura & brachia contracti cœperunt divelli & denuò coram cunctis ſurrexit ſanus. Cúmque vellet abire, comperit ſe potiùs Sancto perpetualiter deſervire. Deſpexit, & ſe acturum abnegavit. Mirabile dictu! tertiò torquendus humi eſt advolutus. Adſtantes verò uſque Solis obitum tali ſpectabili miraculo fatigati ad ſua ſunt quique reverſi: reſpectu clementiſſimi Patris tertiò perfectiſſimè ſanatus, præcedentes ſumma cum alacritate eſt proſecutus. Coriarius Sabbati religionem violans punitus uſque tertiò curatur.

3. Hujus itaque merito beneficii cœpit eximii Patris non ſolùm apud finitimos, verùm latè terrarum orbe honor & reverentia haberi: quíque antea abutebatur* contemptui, quovis gentium ad quos ejus fama potuit efferri, amando timeri. Grata quippe omnipotentis Dei clementia ut cœpit, Sanctum ſuum multipliciter in dies mirificavit. Nam quantis qualibúſque, poſteaquam ad locum ſupernè ſibi deſtinatum ejus tranſlatæ ſunt Reliquiæ, ſignis effulſerit: ſubjecti ſermonis veritate conſtabit. Bavonis memoria celebratur. * *Lege* habebatur

4. Sæcularis quidam non longè à ſancto loco deguit, potens quidem poſſeſſionibus, ſed poſſeſſa procurare minùs idoneus. Huic bona ſua furtim contigit deperire. Perquirens itaque furti reum, juvenem deprehendit innoxium. Cui cruciatus inferens culpæ, tandem carcerali deputavit cuſtodiæ. Et quoniam juris erat Sancti, indeſinenter ſolamen exorabat ſalvationis. Nec omiſit Innocentis vincula ſolvuntur.

[a] Nempe tum temporis religio erat à veſperis Sabbati ad ortum ſolis in feria ſecunda labori manuum operam dare.

CIRC. AN. DC. LIII. OCTOB. I.

Sanctus quin ſalvaretur innoxius. Sub ipſa quidem nocte animadvertit obſtacula carceris ſibi cedere, ſed catenatum non poſſe abire. Tandem ſibi conſulens, fugâ uſus, utcumque pedetentim Oratorium adiit catenatus, preces fudit, & de pedibus catena cecidit: lætus ſurrexit, & pro ereptione munia gratiarum rependit.

Oblatio non ſatis juſtâ rejicitur.

5. Adoleſcens quidam familiæ ſancti Confeſſoris tempore famis coactus à quodam ſua ſponte eſt venditus, ut poſſet habere neceſſaria victûs. Ut autem venditor rediens ſummæ reverentiæ ad locum devenit, oratum intravit: ad ſepulcrum acceſſit, nummum illius venditionis deponere voluit. Sed mirum commemoratu! nec nummum deponere, nec digitos valuit extendere. Stabat itaque cum oblatione attonitus, admiratus rei novitatem. Ad mentem ut rediit, ſibi conſcius venditionem expavit. In partem ſeceſſit, nummum alterum protulit, ſicque denuo ad altare venit: manum ut depoſuit, redintegrari meruit.

Hydropica ſanatur.

6. Inſula eſt maritima, cui nomen Walachra. In hac quædam matrona ſupranominati S. Bavonis ex familia hydropis morbo eſt vehementer afflicta, adeout diſtento crurium tenus ſinu, morboſo vix ſpiraret anhelitu. Cúmque lecto decubans opperiret exitum, cælitùs inſpirata, Patroníque ſui ſaluberrimè rememorata, ſe Gandavum duci feſtino præcepit acceleratu, & in ipſa ſollemnia Sancti devenit. Aliquamdiu reſtitit & ſine ſua læſione ſub ventriculo foramen reperit, ex quo totius morbi ſanies guttatim decucurrit. Hæc ipſa priùs quidem ſterilis, recepta autem ſanitate fecundatur filiis.

Mulier ob violatum S. Lamberti feſtum punita curatur.

7. Apud eoſdem inſulanos ancilla S. Lamberti Martyris hoc mandatum accepit, ut ſollemnia ſancti Patris feſtiva ſanctè procuraret. Quod irritum ducens, hortum cominus ſitum intravit, herbas quaſdam colligere impunè putabat. Aneti itaque quiddam ut contigit, manui adhæſit. Rumore itaque facti multitudo mirantium affuit, cunctíſque ſtupentibus mirabile viſu exſtitit, non ſolùm illatam Martyris vindictam, immò cunctis deinceps non celebrantibus feſtum timendam. Quia verò opinatiſſima S. Bavonis depoſitio inſtabat, eò loci cum ceteris ire maturabat. Venit quidem, & in prima noctis vigilia digiti volæ infixi cœperunt erumpere, & ſeſe contracti nervi extendere. Itaque præ gaudio pſallentium choros interrupit, Deo gratis egit, cava etiam ungularum loca mirantibus intuenda præmonſtravit, & ſana receſſit.

Cæca viſum recipit.

8. Quædam cæca manibus ſuorum adducta in ipſa tantæ venerationis devenit ſollemnia. Cúmque ob frequentiam confluentium ſibi comperiſſet inacceſſibile Sancti repoſitorium, apud pedes cryptam ire perrexit oratum. Orationi incubuit, & ſomno ut fuit depreſſa obdormivit, ſanctúmque Bavonem ſibi adſiſtere agnovit. Quo ſomno excita, clarè vidit omnia. Fama facti confluentes adſcivit, ſibíque congratulantibus ad ſua repedavit.

Fur reſipiſcens à mortis periculo eripitur.

9. Juvenis quidam circa maritimos furto agebat vitam. Hic correptus languore devenit ad extrema vitæ: conſulens autem ſibi, emendationem ſcelerum devovit Deo ſanctóque Bavoni. Nox ut ſupervenit, eum ſomnus ſubrepſit. Benigni itaque ut eſt vultûs, ſibi apparuit Sanctus: quem ut agnovit, equidem inhorruit. Ades, inquit, animo, & omittens timorem, quæ dico trade memoriæ. Viſita Cœnobium Gandæ, ac prout ſpopondiſti, vota perſolve. Surrexit ac niſu quo valuit Gandavum adiit, vota perfecit & ſanus abſceſſit.

Muto lingua ſolvitur.

10. Apud urbem Treveris matrona exſtitit perliberalis. Huic erat novem annorum puerulus, ſed toto intellectuali affamine mutus. Itaque gratiâ medendi deliberavit ferramentum ſectionis adhibere linguæ. Deliberationi in viſu conſuluit Sanctus: & ne cruciaretur admonuit infantulus. Vota precum præmonuit fieri, ſéque ſuper ſalute gaudendam pueri. Paruit mater edicto, & medelam ſenſit in filio.

Incarceratus liberatur.

11. Quidam ex familia ejuſdem ſancti Confeſſoris ab inſidiis captus, immò facultate ſpoliatus cuſtodiæ mancipatus eſt. Cúmque frequentaretur à ſuis

(erat enim famæ præclaræ nobilitatis) extra regionem eſt exſiliatus: ſed carcere retruſus, ibíque multa incommoditatis paſſus; ſed Dei auxilio fretus, ac ſancta fide comptus, ſpéque evadendi animatus, indeſinenter præſentem ſibi adeſſe popoſcit S. Bavonem. Et ecce intempeſtæ noctis conticinio, lux ſibi emicuit nutu Divino: catenæ de collo & compedes de pedibus ſunt ſolutæ. Hinc lætus ſurrexit, & clauſtra carceralia divinitùs aperta invenit, ſícque per immenſa viarum ſpatia pervenit ad propria. CIRC. AN. DC. LIII. OCTOB. I.

12. Gens eſt Freſionum tam lata quàm valida, licet fide permodica; inter quas hereditariam ſanctus Bavo poſſederat terram, uſui Fratrum, ſcilicet veſtiariis neceſſariam: quam quidam Freſo utpote infidelis naturæ homo invaſerat, ſibíque injuſtè quamdam partem uſurpaverat. Cúmque à procuratore commoneretur ne vim inferret Sancto, publicè non impune defendit ſacramento. Sed mox ut dejeravit, morte obiit. Dominus autem ut dilecti ſui manifeſtaret ſanctitatem, etiam in corpore mortuo oſtendit vindictam: quod juxta morem tumulatum viſa eſt multitudo ebullire vermium. Hanc itaque vindictam ſui perhorrentes, Sancto accelerant votum, reſtituentes injuſtè dejeratum. Et ut peregerunt, vermes non comparuerunt. Perjurus invaſor morte plectitur.

13. Alius etiam ejuſdem ſtirpis infidelitatis Freſo partem alendis gregibus aptam ipſius fundi ſibi tenuit in beneficio*: aliquamdiu cenſum præſtantiſſimè ſolvit, ſed oblivioni incuriâ ſubripiente debitum duxit neglectum. Hoc procurator Sancti ut agnovit, eumdem caſtigans admonuit. Nec clam te eſt, ait, & hanc partem fundi juris eſſe Sancti: ſed ſi tibi heredes cordi eſt ævo intermino poſſidere, ut pridem debita ſolve. Cujus monita annullavit, & orſus infanda reſpondit: Ego, inquiens, abjecta lege judiciaria revincam, & poſteris meis mihi hanc hereditatem æternaliter faciam. Sic miſer loquebatur; & terram pede perturbans, hanc blaſphemiam eructavit: Hujus, inquiens, terræ partem tantùm habebit ſanctus Bavo. Quod ut exſibilavit, falcem fenoream collo excutiens & dextram porrectam humo infigere volens, (ſiquidem jam florulenta prata ſecabat) quod dictu dolor eſt, manu ſua ſibi caput amputavit. Alter invaſor ſeipſum perimit. * *Id eſt* feodo

Hìc nonnulla id generis miracula omiſimus.

LIBER TERTIUS.

PROPRIUM creditur Sanctorum quanto diutiùs injuſtè vindicant illata, tanto præſentialiùs præbeant juſtè poſtulata. Nec fas eſt credi animoſitatem Sanctorum ſic velle iraſci, ut nequeant placari, cùm ex perſona Domini ſcriptum ſit: *Quem diligit corripit, flagellat autem omnem filium quem recipit.* Sed correctionis emendationíſque causâ illatas puniunt injurias, ut quos vident non poſſe corripi verbis, ſaltem attriti pœnis reſipiſcant à malis. Cur Sancti vindictas exerceant,

2. Verùm quia hactenus ſuperior pagina vindicantis utcumque peroraverat mira, reſtat pietatis quæ occurrunt memoriæ retegat opera, primóque quæ in loco qui vocatur *Medmedunc*, quo primùm dicitur poſt converſionem habitaſſe, exercuit, ac piè precantibus miſericorditer indulſit. Eſt autem idem ſacer locus (ut neſcientibus loquamur) ſecretè manere volentibus habilis, ſilveſtribus pomis ceteríſque frugibus plenus, piſcium copiis abundans, & ut paucis concludatur, omnibus eremum inhabitare cupientibus aptiſſimus. Quem idem dilectus Dei paucis incoluit morulis, ſanctáque ſua inhabitatione ſanctificavit, ac poſt mortem miraculis inſignibus mirificavit. Unde non inconſultum vel minimæ remur fidei Angelicam inibi oſtenſam enodare viſionem. Prima S. Bavonis ſedes. *Lege Vitam ſuprà.*

3. Senex quidam in confinio ipſius villulæ manens, hoc Oratoriolum miro excoluit affectu. Quod tunc vetuſtate pænè conſumptum reſtaurare tractans, à circumcircapoſitis auxilij ſupplementa exorabat. Dehinc operarios conduxit, certíſque diebus operi inſiſtere maturavit. Sed & amnis in proximo fluens, capturas piſcium opulenter adminiſtrabat, & ut ita dicam, viritim convivia S. Bavo ſeni cuidã ſibi devoto de reſtituto Oratorio gratulatur.

CIRC. AN. DC. LIII. OCTOB. I.

exhibebat. Accidit autem die quadam ſe cum ſuis poſt laborem ſub divo quieſcere : & ecce odor tantæ ſuavitatis de ipſo Oratoriolo effumavit, acſi nares quieſcentium ambroſius liquor occuparet, vel domata fuiſſent aromatibus delibuta. Mira res ! poſt ſolis obitum, cùm ſe locarent dormitum, quidam ſacræ religionis prætendens habitum huic ſeni apparuit, & inibi quid ageret perquiſivit. Hic ille horrore perculſus, ac penitùs elinguis nihil quidem retulit, ſed ut ſibi proximus reſponderet, tactu lateris admonuit. Vir autem Angelicus; Minimè, inquit, verearis, ad inquiſita reſponde, cui ſcilicet labori operam impendis. Ego, ait, hoc Oratoriolum fere dirutum S. Bavoni reædificare inſiſto. Et ille benigni Salvatoris replicans dicta : Amen, inquit, dico tibi, non perdes mercedem tuam. Quo dicto unde venerat ingreditur : & ecce campanula deſuper appendens abſque humano attactu inſonuit, & ipſe ab oculis mirantium evanuit.

Fratricida à vinculis ſolvitur.

4. Duo nepotes inter ſe rixantes correptis armis alterum oppreſſit. In ſe itaque reverſus fratricidium expavit, Epiſcopum adiit, ac more Chriſtianæ remiſſionis peregrinando pœnitentiam accepit. Cúmque jam nonum expleret annum, iteratò patrocinia quæſivit Apoſtolorum ; Alpes ut tranſſcenderat, ſanctos Apoſtolos ſibi in viſu agnoverat, à quibus eſt admonitus ne reſiduum viæ caſſo labore perderet. Remeans, inquiunt, Memoriam ſancti Bavonis viſita, quæ eſt apud *Medmedunc* annua. Surrexit credulus quidem viſioni, ſed ignarus loci. Gandavum repedavit, ſibi juſſa innotuit. Et quoniam devenit in ipſa ſollemnia Sancti, ſcilicet Kalendarum Auguſti *, ceteris illo pergentibus comitatur. Cúmque jam docti dulciſonas inaltrarent voces, & ipſe ſtaret orationi intentus, virtute divina quibus erat ſtrictus ferrei crepuerunt circuli, deinde in terram prolapſi coram cunctis minutatim ſunt dirupti. Qui delictorum vinculis ſolutus ad ſua rediit lætus *.

NOTA & *lege Præfat. initio hujus Tomi.*

* *Tranſlationis dies eſt.*

* *hic omiſſa quædam miracula.*

5. Comes quidam ejuſdem Gandavi portûs Reliquias Sancti obtinuit, & ſecum navi aſportavit. Ob reverentiam itaque candela jugiter exarſit in nocte [a]. Caſu contigit & cunctis dormientibus in ſentinam decidit. Pernox in aqua effulſit, & cum admiratione omnium tantæ venerationi exhibuit obſequium.

[a] Candela ad Sancti Reliquias accenſa, in aqua non exſtinguitur.

6. Farnavvic nomen eſt villæ ſuper ripam Scaldi fluminis ſitæ. Inibi honeſtæ vitæ habitavit femina parvulum habens filium. Hic die quadam more ludentium parvulorum, ſecus ripam fluminis diſcurrebat : alij ſiquidem pueruli hunc perduxerunt ſecum. Cúmque non bene creditæ vicinæ commigraret ripæ, in flumen fundotenus eſt dilapſus. Quod factum mater ut agnovit, anhela accurrit, & exſtinctum credidit, quem unda ſublatum longiùs traxit. Et quia humanum deerat ſolamen, ungulis ora cruentavit, pugnis pectus fœdavit, ac væ ingeminando multoties acclamavit. Tandem ad ſe reverſa, manus extendit, oculos cælis infixit, & electi Patris ſuffragia petiit. Nec morâ, puer de profundo rediit, & juxta litus enatare cœpit. Quem mater deprehenſum, incolumem ac vivum reportavit domum. Hæc non multo poſt Memoriæ tanti Patris dignas oblationes ſolvit, gratias egit, & ad ſua remeavit.

Puer à naufragio liberatur.

Cete pinnulæ Sancto oblatæ.

7. Cetarij ad balenas capiendas mare ſunt ingreſſi : adſpecta autem immani belua certatim circumdant. Sed illa inter manus elapſa multoties tandem imo reſedit. Sorte autem exiit, ut ſancti Patris famulus eidem ferrum infigeret. Qui graviter ſuſpirans, Eïa, inquit, ſancte Bavo : hoc gratiæ mihi appone, ut compos voti perſolvam tuis vota præmij. Oravit, & piſcis de profundo rediit. Ut vidit gratulabundus proſiliit, ac ferrum conſtanter infixit : ad litus rediit, pinnulas Cœnobio Sancti tranſmiſit. *

* *Et hic quædam conſultò prætermiſſa.*

[a] In Collectione Canonum To. 9. Spicil. Acheriani pag. 55. *Reliquiæ Sanctorum venerandæ ſunt. Si poteſt fieri, candela ardeat per ſingulas noctes ; ſi verò paupertas loci non ſinit, non nocet eis.* In Vita S. Radegundis auctore Fortunato ſæculo 1. Bened. pag. 318. n. 7. *Illud qua pietate peragebat ſollicita, ut quæ per Oratoria vel loca venerabilia tota nocte perlucerent, candelas ſuis manibus factas jugiter miniſtrabat?*

8. Prædives quidam cùm haberet infantulum, Sancto devovit Monachum. Sed ut puer adolevit, patrem pœnituit. Die autem quadam cognatis ſuis convivium opulenter apparavit, & ipſe puer jam duodennis miniſtravit. Cúmque inter dulcia pocula læti canerent unà, pro retentione ipſius pueri patrem laudabant. Sed caſu contigit, vas carnium adſtare decontrà. Offenſo itaque pede puer in eo cecidit, & mox defunctus obiit: ſícque pater perfidiæ pœnas luit. CIRC. AN. DC. LIII. OCTOB. I. Pater filiũ Deo oblatum retinens amittit.

9. In partibus Taruennæ matrona exſtitit perliberalis, magnæque honeſtatis. Hæc die quadam quid actura, maris confinia adiit, comitante unica ſpei ſuæ filia, virgineis tum matura ſub annis túmque nubilis. Quæ puella validiſſima inſperatè prærepta invalitudine ſolotenus proſternitur, atque à præſentibus ut defuncta defletur. Mater autem pro ereptione hæc apud ſe oravit: Bavo dilecte Deo, miſerere precantis famulæ, & paulliſper huc illabere, Chriſti ſolamen deferens. Sentiat corpus gravatæ filiæ levamen tuæ indulgentiæ, ut ſolvat votorum preces apud te quæ jacet exanimis penes me. Præmiſſa itaque prece ſurrexit, ac pone filiam terræ expoſitam reſedit. Nec mora, oculos aperuit & paullo antè elinguis loqui cœpit; ſícque ſurrexit & ad domum pedes rediit. Incolumis Gandavum adiit, & ſancti Patris virtutem ſibi propitiabilem innotuit. Puella moribunda convaleſcit.

10. Piratæ Danorum ſedibus ſuis non contenti, Walachram petentes cuncta devaſtabant. Inibi erat ſancti Confeſſoris famula, totius abundantiæ ſubſidiis accumulata. Danos ſuperveniſſe ut agnovit in terram ruit & Sancti ſui ſolamen quæſivit. Nutu Divino non modò evaſit, immò cunctam ſubſtantiam ſuam ſalvavit. Altera ejuſdem Sancti familiæ à piratis quidem capta, ſed miſericorditer eſt liberata. Claſſi namque cum præda præſentata, & quia nobilis erat perſona, cuſtodiæ eſt deputata, navi ſcilicet victuali. Inter tranſtra latuit quatriduana, & ſuffragantibus Sancti meritis ad portum ut applicuerunt, à nemine agnita diſceſſit ſecura. Item de portu Gandenſi ab eiſdem captus eſt quidam Sancti & Rotomo adductus, & inſperatè à ſuis agnitus ſine dilatione redemptus Sancti ſui meritis, ad ſua eſt remiſſus. Hæc qualiſcumque faſtidij vitatores, ut ſufficiant affectatæ brevitati, caſtigatiùs quàm ſe copia ſuggerebat perſtrinximus. Plures è Normannorum manibus liberantur.

VITA S. ROMARICI ABBATIS HABENDENSIS SECUNDI,

ANN. CHR. DC. LIII. DEC. VIII.

Auctore Monacho anonymo ſubpari, qui SS. Amati & Adelphi Abb. geſta ſcripſiſſe videtur.

Ex Bibliotheca Labbeana & Mſſ. codd. V. C. Andreæ Cheſnij.

OBSERVATIONES PRÆVIÆ.

1. *TANTA eſt inter SS. Romarici, Amati, & Adelphi Acta ſimilitudo & convenientia, tum in ſtilo, tum in ſcriptoris ætate & gravitate; ut meritò unum eumdemque eſſe auctorem pronuntiare liceat. Lege quæ de eo præmiſimus ad Vitam S. Amati, ubi egimus de primordiis Monaſterij Habendenſis in Voſago, quod B.* ROMARICUS* *in proprio caſtro, Habendi ſeu Habundi* * vocato, in arduo colle, anno circà* DC. XX. *ædificavit. Ibi Amato duce floruit collegium duplex, Monachorum ſcilicet ſeu Anachoretarum, ac Virginum uſque ad tempora Hunnorum, qui incunte ſæculo x. Cœnobium ſolo æquaverunt. Poſt aliquot annos, non in eodem loco, ſed ad radices montis trans Moſellam, opitulante Ludovico III. Imperatore, inſtauratum eſt Monaſterium, accrevitque in opidum* Remiremont *dictum, ubi cùm Sanctimoniales ab ipſa loci reſtitutione, tum Canonicæ ut vocant Puellæ ab uno vel altero ſæculo ibidem inſtitutæ, Ordinem ac Regulam S. Benedicti ab antiquo agnoverunt: quod adverſus Marnavitium breviter demonſtrandum ſuſcepimus.*

* *Romaric*
* *Romberg*

ANN. CH. DC. LIII. DEC. VIII.

2. *Quandoquidem nobis datum non ſit Parthenonis Romaricenſis archiva inveſtigare, ſatis erit in hoc argumentum proponere ſchedulas nonnullas, quæ in manus noſtras pervenerunt. Hadrianus Papa IV. in Bulla data anno 1157. pro immunitate ejuſdem Cœnobij, de Abbatiſſæ agens electione*; Nulla illic, *inquit*, aliqua ſurreptione, aſtutiâ, ſive volentiâ præponatur, niſi quam Sorores communi conſenſu, aut pars conſilij ſanioris ſecundum Dei timorem & B. BENEDICTI REGULAM providerint eligendam. *In quadam charta anni 1287.* Nos Simoneta Decana totúſque Conventus Monaſterij Romaricenſis ORDINIS S. BENEDICTI, *&c.* hæc omnia promiſimus pro nobis & ſucceſſoribus noſtris ſub Religione noſtra. *In alio inſtrumento anni 1480.* Claudia de Rupeſciſſa & Margareta de S. Lupo dominæ Religioſæ Eccleſiæ Conventualis ſive Monaſterij S. Petri de Romarico-monte ORD. S. BENED. *&c. Hæc quidem teſtimonia ſatis probant ſanctimoniales Romaricenſes Ordini Benedictino ſubjectas fuiſſe aduſque ſæculum proximè elapſum, quo Canonicæ ſæculares dici ac eſſe cœperunt, nec tamen ab Ordine S. Benedicti deſciverunt. In charta anni 1526.* Nos Johanna de Vienna Decaniſſa, totúmque Capitulum Eccleſiæ ſæcularis & Collegiatæ S. Petri de Romarico-monte ORD. S. BENED. *&c. In alia data anno 1540.* Nos Maella de Lignevilla Canoniſſa Eccleſiæ Collegiatæ ſeu Monaſterij S. Petri de Romarico-monte ORD. S. BENED. *His inſuper dicta Canoniſſæ cerimoniis, uſibus, moribus, ac Breviario Ordinis S. Benedicti uſæ ſunt ad annum uſque* M. DC. XIII. *quo Breviarium Romanum ſuſceperunt. Anno inſequenti Nuntius Apoſtolicus ad præditum Monaſterium viſitandum à Summo Pontifice delegatus, Epiſcopus ſcilicet Hadrienſis, hoc ſtatutum ordine 36. edidit.* Cùm ex antiquis monimentis & conjecturis & traditionibus conſtet, in hac Eccleſia antiquis temporibus viguiſſe REGULAM S. BENEDICTI, continuâſſe in perſona Abbatiſſæ uſque in hanc diem, & in perſonis aliquarum præſertim Officialium uſque ad certum tempus; idcirco *&c. Statuit quippe ut Abbatiſſa profeſſionem ſollemnem juxta morem, & Officiales ſaltem vota ſimplicia emittant in poſterum. Et ſtatuto 2.* Volumus, *inquit*, etiam & præcipimus, ut Sanctorum peculiarium, videlicet beatorum BENEDICTI, Romarici, Amati & aliorum, quorum in hac Eccleſia haberi ſolet officium vel commemoratio, fiat juxta veterem ejuſdem Eccleſiæ morem cùm eorum feſtivitates occurrunt: ſimul retineantur peculiares ejuſdem Eccleſiæ ritus & ceremoniæ Romanis non repugnantes. *De his ſatis.*

3. *Ceterùm in Monte ſacro decurſu temporum ſeptem Oratoria exſtructa ſunt, quorum unum SS. Amato & Romarico in ſepulcri loco poſitum eſt: ubi titulus eſt Prioratûs quem Canonici Regulares Ord. S. Auguſtini diu tenuerunt, ac tandem anno 1623. ceſſerunt RR. PP. Benedictinis Congregationis S. Vitoni, qui ſacro Monti primævum Religionis ſplendorem reſtituerunt.*

4. *De S.* CÆCILIA *quæ & Clara, antea dicta Gegoberga, cui hæc Vita dedicata eſt, plura dicenda non occurrunt. In hac Vita omiſit Auctor id quod cum Agreſtio ſeu Agreſtino contigit Romarico, ex Vita S. Euſtaſij ſuprà ad ann. 625. repetendum. B. Romarici memoria in antiquis Martyrologiis non habetur, quod ſilentium ſatis ſupérque ſupplet Scriptoris Vitæ gravitas & auctoritas.*

Præfatio Auctoris ad Cæciliam Abbatiſſam.



I. OSCIS, magnifica Mater ſanctarum Virginum Domna CÆCILIA, ut ſancti Patris noſtri ROMARICI acta, ſeu qualiter converſus ad Monaſticam vitam fuerit in proceſſu temporis, libellis inſerta mandentur. Obſecrationibus igitur tuis potiùs obedientiâ quàm facundiâ parebo.

Romaricus in palatio piè vivit. *a*

2. Itaque beatus ROMARICUS nobilis in palatio atque parentibus ſuis[a] clarus & amabilis ubique reſplenduit. Nam cùm in laïco habitu religioſam vitam gereret, reddebat quæ Regis ſunt Regi, & quæ Dei Deo. Ita ergo in Monaſteria vel Baſilicas Sanctorum ſeu pauperes Chriſti aſſiduâ vigilantiâ incumbebat, ut illum diem ſe perdidiſſe fateretur, quo pietatis bonum, vel eleëmoſynarum opera minimè exercuiſſet[b]. *b*

a In alia prolixiori Vita Romaricus dicitur *clariſſimis parentibus procreatus, patre ſcilicet* ROMULFO, *matre verò* ROMULINDE, quorum oſſa & tumuli in vico quodam apud Voſagum, *Remoncourt* dicto, magno honori habentur.

b Addit alius Auctor: *Cùm tantis ergo bonis polleret in palatio, junctus eſt in amicitia cuidam in omni bonitate ac nobilitate æquè clariſſimo viro nomine* ARNULFO..... *Deliberaverunt omnia mundi hujus relinquere, ut exonerati divitiis artam viæ vitam liberiùs poſſent intrare. Et quia lux magna quæ jam tunc Luxovij nutricbatur, radios ſuos circumquaque diffuderat, Lirinenſe tunc famoſiſſimum Cœnobium expetere decreverunt. Sed quia non eſt in homine via ejus, quod decreverunt, aliter Deo diſponente impleverunt. Beatus verò Arnulfus, licet cum lacrymis renitì conaretur, Mettenſis urbis compulſus eſt Epiſcopatum ſuſcipere. Quæ quàm honeſtè gubernaverit, vel qualiter poſt ducente S. Romarico Voſagum pergens, eremiticam cum eo vitam duxerit, liber de vita ejus plenius indicat.* Extat ſuprà ad ann. 640. *Vir verò egregius Romaricus quo ordine ad ſancta converſationis habitum venerit, ſequenti narratione patebit.* Hæc Interpolator.

3. Quodam

3. Quodam namque tempore cùm THEODERICUS Rex germanum ſuum THEODEBERTUM perſequutus fuiſſet [a], genitore ſupradicti viri interfecto, villæ eorum fiſci ditionibus redactæ ſunt, ac deinceps Romaricus quia fidem ſervaverat, à perſequentium nequitia fugatus Mettis petiit. Erat denique tunc temporis in palatio unus Epiſcopus nomine ARIDIUS [b], qui Brunichildæ Reginæ ſedulò famulabatur alloquio; illiúſque ſupradictus vir proſtratus pedibus ſupplicat, ut res apud Reginam ſuo interventu recipere potuiſſet: illéque irâ ſauciatus os viri pede excuſſo impiè verberavit. Statímque ſurgens vir Dei Romaricus, ad Baſilicam S. Martini perrexit, atque in pavimento projectus mox tali voce affatur: O B. Martine commendavi me tibi: ubi es, quid agis? Affer opem miſero, ut * nullus deinceps tuis patrociniis mancipetur. Et his dictis regreſſus ad civitatem tamquam reſponſo accepto rei præſtolabatur eventum. Sed inluceſcente die craſtina vulgatum eſt Regem Theodericum mortis ſententiâ percuſſum fuiſſe: ac deinceps accitus à Regina vel Epiſcopo Aridio Romaricus, reddito patrimonio ſupplicatur, ut ſaltem per ipſum iiſdem de urbe Mettenſi fugiendi darentur ſpatia. Ille diligens inimicos ſuos, auxilium ipſis ut tempus patuit non negavit.

AN. CHR. DC. LIII. DEC. VIII. Patre interfecto res ejus invadunt.

a

b

* ne

4. Poſt hæc denique tempus evenit, ut in LOTHARII Regis palatio inter ceteros electus haberetur. Sed ineffabilis Deus videns militem ſuum ſub tenebroſis hujus ſæculi bellis fortiter belligerantem, voluit illum ad lucidos producere campos: actúmque eſt, ut ex eremi ſecretis beatus educeretur AMATUS. Quid plura? inveniens hominem hortatur, ut detonſo capite rebúſque in pauperes diſperſis tamquam ſibi theſauro in cælis poſito jam ad perfectiora pergeret. Quibus ille auditis ut erat totus ſancto deſiderio repletus, cum multarum rerum ſubſtantia Monaſterium Luxovium petiit, multis videlicet priùs ex ſervitio libertatem adeptis, ibique ſanctam humilitatem & obedientiam propter Chriſtum ſectandam accepit. Illos denique ſervulos quos dudum miniſtros habuerat, ſocios ſibi detondens pleroſque adjunxit: & effectus eſt illorum ſubditus, quorum priùs dominus præpotens fuerat. Nam in tantæ humilitatis & pœnitentiæ jugo ſeſe ſubmiſit, ut quidquid deſpicabile in Monaſterio ad agendum eſſet, ipſe adſumeret. Hortorum tamen frequentiùs præ ceteris Fratribus operator exſiſtens, Pſalmos jugiter tradebat memoriæ.

Luxovium cum ſuis petit.

Nota viri humilitatem.

5. Nam cùm adhuc ad bonum opus profuturum unam tantummodo reſervaſſet villam, conſilio deinceps inito, B. Amatus cum eodem ad Monaſterium Puellarum ædificandum pergit. [c] Multis namque adunatis Puellis in eremo properantes ſanctum inſtituunt opus, pauperes quidem ſubſtantiâ in ſæculo, ſed fide divites in Chriſto, illud credentes quod dixit. *Omnis qui reliquerit domum vel fratres, aut ſorores, aut patrem, aut uxorem, aut filios, aut agros propter*

Puellare Monaſterium cum S. Amato ædificat.

c Matth. 25.

a Hunc locum ſic explicat alterius Vitæ Scriptor: *Theodericus germanum ſuũ Theodebertum ad bella provocans & prope urbem Leucorum cum eo crudeliter dimicans fugavit illum de prælio. Collecto quoque poſt exercitus robore, fraternum ſanguinem ſitienti occurrit idem germanus ſuus ad Tulbiacum caſtrum pugnaturus cum copioſa manu militum: qui proditione ſuorum captus, avia Brunichildi dirigitur, cujus juſſis primùm in Clericum tonſoratur, póſtque impiè perimitur. Hac itaque infelici victoria Theodericus nimiùm elatus, Mettenſe opidum ire diſponit: quò pergens, B. Romarici patrem interemit, ipſúmque virum fugavit: & quia deteſtanda proditionis participes eſſe noluerunt, villas eorum fiſco jociari præcepit.*

b Aridio Epiſcopo Lugdunenſi hæc falsò impingi putat Carolus *le Cointe*, in Annal. Eccl. Franc. ad an. 607. num. 15. qui Atidium biennio ante Tulbiacenſem pugnam ſanctitate clarum deceſſiſſe exiſtimat. Fredegarius cap. 32. *Aridium Epiſc. Lugdun. perfidum* martyrij S. Deſiderij Epiſcopi Cadurcenſis auctorem dicit.

c Addit Vita interpolata: *Simul ergo properantes ad locum qui eatenus dictus fuerat* HABUNDI CASTRUM, *Divino ſuti adminiculo juxta loci ſitum venerabile cõdiderunt Monaſterium. Mons itaq; ille ne beati viri privaretur memoriâ, cujus opere ſemper ſolatur & meritorũ magnificentiâ, ab habitatoris & præcipui poſſeſſoris nomine memorando ſortitus vocabulum,* MONS-ROMARICI *dicitur.* Quod nomen hodie quoque retinet. Addit interpolator: *Docebat eas* (Virgines) *S. Amatus Inſtitutis B. Columbani artam viam diſciplinaliter incedere. Cúmq; unam earum, quæ dicebatur* MACTAFREDIS, *cerneret deſiderio Domini religionéq; præ ceteris fervere, elegit eã mox in ipſo Congregationis exordio ut præeſſet Sororibus ceteris, præberétque eis exemplum ſuæ ſanctitatis. Cùm autem ad opus Dei horis canonicis convenirent, diſpoſitione viri Dei per ſeptem turmas diſtributæ, ſtaturis in utraque turma duodecim, debitas Domino laudes honeſtiſſimè perſolvebant.* Quæ quidem ex S. Amati Vita num. 18. deſumpta ſunt. Et tamen Sammarthani primam Abbatiſſam Gertrudem vocant, quam Romarici filiam uti & Claram fingunt nonnulli

AN. CHR. DC. LIII. DEC. VIII.

nomen meum, centuplum accipiet & vitam æternam poſſidebit. Hæc deinceps ſicut nunc inpræſentiarum cernitur, in eorum operibus ſuppleta monſtrantur.[a]

Puellis poſt Amatum bene præeſt. * *Vita ſancti Amati ſupra ad ann. 627.*

6. Poſt obitum namque beati ſocij ſui Amati *, ipſe gubernandam ſanctam Congregationem ſuſcepit: ſícque priùs & deinceps aluit & nutrivit tanta caritate & pietate repletus, ut pro earumdem requie ſeu opportunitatibus ſubleuandis in omnium injuriarum laboribus ſuum corpuſculum tradidiſſet. Denique cùm aliquid in miniſtrandis vel neceſſariis rebus fortaſſis defuiſſet, hæc illius erat conſuetudo ſancta, ut mox converſus ad Chriſtum cum lacrymis diceret: Satis habes tu, ô Domine Deus, & ſuperabundans es, adjuva famulum tuum ſicut noſti. Non erat mora, & poſcentem ſubſequebatur effectus.

Operariis carnes miraculo ſuppeditat.

7. Quodam verò die operarij qui vias ſeu domos ædificabant, accedentes ad eum aiunt: Da nobis carnes ad edendum, quoniam oportet nobis: grave enim ſuſtinemus onus. Quibus ille: Sufferte, ait, paullulùm, & dabit Deus, quia poſſibile eſt. Mox itaque canis qui ad portam vigilare conſueverat, ſilvas montium luſtrare cœpit, & non moram faciens, ecce de alto monte cum cervo venit, qui labente greſſu de ſaxo ruit, fractíſque cruribus ſeſe neceſſariis tradidit. Cúmque ad hominem Dei allatus fuiſſet, vocatis operariis ait: Ecce dedit qui ſolebat. Tollite carnes ad manducandum vobis, pellis namque Sororibus neceſſaria eſt.

Cerviſiâ dolium replet facto Crucis ſigno.

8. Vir denique quidam habitabat in partibus Voſagi, habens uxorem devotam, ad cujus domum homo Dei hoſpitandi gratiâ crebrò veniebat. Cúmque quodam die adfuiſſet, intuito illo mulier ait: O domine mi, quid feciſti ſerò veniens? Habuit enim ancilla tua potum, ſed ſupervenientes heſterna die compatres & vicini, jam non reperitur ex eo vaſculo remanſiſſe nec gutta liquoris. Sitit enim ſtanda [b] ancillæ tuæ exempto duſiclo patefactis meatibus. Et quid faciam nunc miſerrima domino meo? Quam cùm vidiſſet anguſtiantem ait ei: Ne quæſo anguſtietur anima tua, habeto fidem & ingredere cubiculum, potens eſt enim Deus parare menſam in deſerto habentem potum. Hoc autem dicto vexillum Crucis ſuper oſtium cubiculi manu depinxit. Ingreſſa namque mulier reperit ſtandam uſque ad oram repletam. Nam duſiclus jamdudum à foramine ſublatus procul jacebat, & cerviſa ſiſtebat intrinſecùs nec currebat. Egreſſa namque mulier cum gaudio magno, plaudens manibus ait: O miraculum magnum! homo Dei veniſti & ecce ſtandam meam repleſti cervisâ. Fatebatur itaque mulier hæc pocula deinceps multorum medelæ profuiſſe.

Dæmoniacam ac leproſam curat.

9. Puella quædam Sanctimonialis infra Monaſterium à dæmone arrepta, ſine mora hujus oratione intercedente cernentibus multis ſanata eſt. Denique adunatis quibuſdam puellis leproſis infra Monaſterium ſeorſum non alia ex cauſa niſi propter earum refocillandam infirmitatem cellulam fecit. Nam frequentare eas vel habitare in medio Congregationis prohibuit. Siquidem una ex ipſis ſanctum adepta conſilium, balneo quo vir Dei ablutus eſt furtim aquam

a Huc referendum videtur quod addit alter Scriptor: *Vir denique memorandus,* Romaricus, *ne domus Domini quam de ſuo ſumma devotione conſtruxerat, ſucceſſionibus incongruis ineptè diſpoſita, dominióque tyrannico (quod abſit) calcata detrimentum pateretur; Romanæ Sedis Antiſtiti ſubdendam cenſuit, ejúſque auctoritati ac privilegio regia defenſionis ac cuſtodiæ magiſterio commendavit. Decrevit itaque ac immota ſtabilitate ſtatuit, ut Abbatiſſarum electionis Sanctimonialibus inibi famulantibus nullo contradicente perpetualis maneat poteſtas, earúmque judicio, ſi quid fortè negligenter commiſerit, deprehendenda relinquatur & corripienda. Sin autem (quod nuſquam accidat) majori capta delicto externas adierit aures deprehenſio, Apoſtolicæ Sedis Papæ relinquatur arbitrio... Nemini ergo provincialium liceat Epiſcoporum ſuæ temeritatis vires in præfatum locum oſtendere, nec judiciaria poteſtatis vel dominationis aliquis in eo valeſcat appetitus: ſed quidquid in eo quod majoribus conveniat adhibendum judiciis convenerit, ſub regij Magiſtratus cuſtodia, Apoſtolicâ relinquatur diſcutiendum ſententiâ. Hujus autem diſpoſitionis ſummam glorioſus Apoſtolus Sedis Papa* JOHANNES (nimirum IV.) *ſub Privilegij teſtamento, petitione beatorum virorum Amati ſcilicet & Romarici, venerandis faventibus Auguſtis, propria manu, ſigilli impreſſione ſignavit.*

b Quid ſit ſtanda & duſiclus ſeu duciculus, ab Interpolatore accipe. *Mulier vas quod à ſtando ſtandam nuncupant, plenum reperit: & licet ferraculum ab educendo duciculus dictum procul jaceret, & patentem meatum reliquiſſet, nullâ tamen gutta liquoris dati calitus defluebat.* Et tamen Voſſius in lib. 3. de Vit. Serm. c. 10. Duciculum, circulum lignеum interpretatur.

rapiens, membra ſua perfudit, ac deinde ſubſequente medela paullatim lepra ex corpore ejus diſceſſit, quæ uſque hodie incolumis famulatrix Chriſti in medio Sororum ſuperſtes cernitur. AN. CHR. DC. LIII. DEC. VIII. Auctoris ætas.

10. Sed & alia puella leproſa intra Monaſterium degens, iſtius ut credimus interventu, à lepra purgata eſt. Habuit autem & alios leproſos viros forinſecùs, quorum jam laceratis luridíſque corporibus manu propria & ipſe ſerviebat, & aliis ut facerent ſimiliter inſinuabat. Tanta bona Dominus ei ad præmia multiplicanda conceſſit, ut animas Virginum circiter centum ſeu ampliùs ex Monaſterio ſuo ſibi prævias ad cæleſtia regna tranſmiſerit. Licet multis Sanctorum conceſſum fuerit corpora de morte iterum moritura ſuſcitare, iſti utique datum fuit animas de morte æterna Redemptore opitulante educere, & Domino JESU-CHRISTO ſine macula præſentare. Leproſam aliam curat. Virgines centum in cælum præmittit.

11. Beatus igitur Romaricus priuſquam ad diem ſupremum laudabilis perveniſſet, & ad Principis palatium eatenus tamquam præſcius properâſſet, ut Regi ſeu Proceribus ſuis de periculo eorum vel caſu venturo cavenda nuntiaret. Ubi cùm ventum fuiſſet, audito per internuntios vir magnificus GRIMOALDUS ſubregulus, quòd noctis tempore ad eum accedere voluiſſet, ſurgens cum facibus accenſis intempeſtæ noctis tempore, medio itinere ei obvius fuit, adſpiciénſque hominem Dei miræ magnitudinis, neſcio quid tamquam Angelicum ſeu cæleſte ſignum ſe ſuper eum vidiſſe contremuit. Cum multa reverentia complexus, muneribus allatis ſe facturum eſſe quæ dicebantur pollicitus eſt [a]. Indéque remeans rura Monaſterij circuivit ut valuit, adhortans utique omnes eam doctrinam illibatè tenere quam dudum & jugiter ab ipſo audierant, & ut de animæ ſcilicet ſalute ſemper ſolliciti eſſent. In palatio honorificè excipitur. Subditos ad piam vitam hortatur.

12. Cúmque ad Monaſterium perveniſſet, non multo pòſt modica febre tactus accubuit; ſed ſancta lingua illius jugiter ad laudem Dei vel ad prædicationem parata, nullis obſtruitur vinculis. Nam & hoc ei ſpeciale Dominus tribuit munus, ut die qua ipſe triumphans ex inferis ad ſuperos victor remeavit [b], vir ſanctus ſolutus membris ad præmia capienda egreſſus fuiſſet. Cúmque jam denique Matutinis finitis & pæne in ipſo crepuſculo diei quidam è Fratribus lectulo illius adſtitiſſent, rogatus ut mutandi causâ aliud verteretur in latus, mox animæ ſuæ cœpit egreſſum. Sed jam pæne exuto corpore quidam Preſbyter clamare cepit: Exſpecta Domne, exſpecta communionis gratiâ Viaticum accipe. Ille tamquam regreſſus, dexteram manum levans ad cælum, ſupra ſe ceteríſque adſtantibus vexillum Crucis jugiter depingebat. Multam namque moram faciens, vix tandem adeſt qui ferebat: & accepto munere labiis manu ſua bene compoſitis, mox ſancta anima illa, ut credimus, cum gaudio magno & exſultatione Angelorum eſt egreſſa de corpore [c]. Nam cùm inter lacrymas & ſingultus quæreretur qui os ejus oculóſque claudere debuiſſet, ipſe ſibimet pulcherrimè clauſit, id quod poſcebatur ab aliis: itaut videretur potiùs ſomnum Moritur accepto Viatico. NOTA.

a Quid negotij Romaricum in palatium adduxerit, ex alia Vita diſcimus. *Defuncto* PIPPINO *Duce* SIGISBERTUS *Rex filium ejus* GRIMOALDUM *Majorem domus conſtituit pro patre. Decedente tempore, Sigiſberto Rege mortuo præditus Grimoaldus* DAGOBERTUM *ſui Senioris Sigisberti Regis filium totondit, & per* DIDONEM *Pictavienſem Epiſcopum in Scotiam ad peregrinandum miſit, filiúmque ſuum Regem conſtituit. Hoc indignantes Franci, inſidiis ipſum Grimoaldum cepérunt, Regíque* CHLODOVEO *præſentaverunt: qui Pariſius eum in carcerem vinctum retruſit, dignáque morte multavit. Igitur hæc quæ per Grimoaldum patrata diximus, B. Romaricus priuſquam fierent Spiritu ſancto revelante præneſcens, licet obitus ſui diem imminere non ignoraret, tamen caritate cogente palatium præfati Regis Sigisberti adiit, & multa quæ Divina gratia irrorante didicerat, ei vel Proceribus ejus intimavit... Grimoaldus quæcumque hortatus eſt* Romaricus, *libenter ſe impleturum ſpopondit: quæ quamvis minimè obſervaverit, tamen viro Dei merces ſuæ caritatis non periit.* Lege Fredegarium.

b Nempe die Dominica, quæ paſſim à priſcis auctoribus *dies Reſurrectionis Dominicæ* dicitur.

c Interpolator: *Obiit*, inquit, *idem Pater plenus dierum in ſenectute bona* VI. *Idus Decemb. ſceptrum quidem Auſtraſiorum tenente Rege Sigiberto, Francorum vero Chlodoveo.* Et quidem paullo ante Sigiberti obitum ex notatis ſuprà, proindéque anno Chriſti DC. LIII. quo dies Dominica prædita littera F in VI. Idus Decembres incidebat. Ejus corpus unà cum SS. Amati & Adelphi Reliquiis à Drogone Tullenſi Epiſcopo circa annum DCCCC. X. in novum Monaſterium tranſlatum, poſtea à S. Leone Papa IX. in decentiorem ejuſdem Monaſterij locum illatum dicitur, ubi hactenus religiosè colitur.

AN. CHR. DC. LIII. DEC. VIII. quàm letum cepiſſe. Celebrantur quippe deinceps exſequiæ ejus cum magno apparatu & ingenti ſtudio. Sepultus eſt igitur juxta ſocium ſuum AMATUM beatum: ut cui fuit in vita caritate individua connexus, ejus & lateri videretur ſepulturâ adſcitus.

Sepelitur juxta Amatum.

Anima ejus radians in cælum ferri videtur.

13. Miracula denique illa quæ poſt glorioſiſſimum ſuum exitum ſeu in ipſius mortis articulo geſſit, ſilenda non ſunt. Juſſum itaque fuerat quibuſdam pueris cuſtodiæ causâ ad introitum portæ vigilare: qui utique intuentes adſpiciunt, & ecce nubes denſiſſima montem atque omnem cellulam illius validiſſimè cooperuit. Illo autem egreſſo de corpore pſallentibus Fratribus in duas diviſa eſt partes, móxque claritas miri ſplendoris & radiorum ejus omnem montem cellulámque illius cœpit luſtrare, atque per medium nubis adſpicientibus pueris volumen candidiſſimum fulgoris ſcandens cælos penetravit; quod proculdubio animam ſancti viri fuiſſe non ambigimus.

Murmur in ejus ſepulcro auditur.

14. Denique in die illa poſtquam ſepultus eſt, mulier quædam ad capita beati Amati atque Romarici orandi gratiâ univerſo populo ablato ſeſe proſtravit: ſtatímque infra urnam in qua requieſcunt ſe audiſſe fatetur utrumque ad invicem vertentem, & quaſi murmur intrinſecùs gaudij neſcio quid celeberrimi haberetur.

Monacha ob celatam culpam caſtigatur.

15. Puella namque Sanctimonialis infra Monaſterium contra Regulam aliquid geſſit, ſed hoc viventi ſancto Romarico univerſíſque latuit. Nam vir ſanctus quod iſthic indutus corpore antea ignoraverat, illud poſteà ſolutus membris poſtea agnovit. Siquidem per viſionem noctis tempore adveniens ſeveriſſimè pro eadem re corripuit, atque pœnitentiæ terminum quadraginta dierum ſaluberrimè tradidit.

Alia officij admonetur.

16. Alia rurſus puella quæ lumen Baſilicæ accendere ſolebat, dictis Matutinis cicendilem ardentem reliquit, atque ſeſe ad requieſcendum tradidit. Cúmque jam ſol ortus fuiſſet, deficiente oleo proxima flamma vitrum lambebat, & non rumpebatur. Ad quam vir Dei accedens compulit eam per viſum & ait: Quam ob cauſam ſollicita non es de miniſterio tibi tradito? Illa expergefacta gradiens reperit ita eſſe ut ſuprà diximus.

In cælo ſollemniter excipitur.

17. Sed nec illud reticere me libet quod à quibuſdam narrantibus agnovi. Quidam Diaconus honoratus vir in eadem nocte Dominica inſtante tranſitu ejus in viſione ſe ductum fatebatur per loca amœna, ubi adſpiciens pulcherrimas gemmas auróque nitentes domos, inter quas unam eminentem ceteris vidit. Ductus itaque ad oſtia aperta adſpexit, ſed introeundi eidem in eam licentia nequaquam dabatur. Cúmque adſpexiſſet, comperit Juſtorum animas albiſſimis indutas ſtolis inibi cum gaudio inæſtimabili curſitare, ſtatímque qui ducebat eum ait ei: Cernis hæc omnia? Reſpondit: Video Domne. Rurſúſque: Quem inquit inter eos iſthic agnoſcis? Video ait beatum ARNULFUM Pontificem & agnoſco ſanctum ſucceſſorem illius[a] ABBONEM, eumdemque Epiſcopum. Sed vellem noſſe quæ ſit iſta gaudiorum ſollemnitas & tantæ claritatis apparatus immenſus, & quid ſibi velint hæ ſplendiſſimæ quas video menſæ. Tunc audiente illo unus intrinſecùs albatorum tamquam converſus ad ſanctum Epicopum Abbonem ait: Quid moraris, ô domne Abbo, cur non diſponis ſedentes per menſas has quas paraſti? Nam illius dicebatur eſſe hæc multa apparatio. Tunc ait: Suſtinete domini mei paullulùm, donec Frater noſter veniat Domnus Romaricus: illum enim exſpecto, nam hodie nobiſcum erit. Hæc ſe vidiſſe, & alia nonnulla præfatus vir ille Diaconus teſtabatur: cujus de nomine ideo reticemus, quia adhuc ſupereſt in hoc lubrico & pendulo itinere. Nos itaque fatemur veram eſſe illius ſollemnitatis lætitiam, de qua dicitur: quia nec oculus vidit, nec auris audivit, nec in cor hominis aſcendit, quæ præparavit Deus diligentibus ſe, cui gloria eſt & honor in ſæcula ſæculorum, Amen.

[a] Interpolator cum vocat S. GOERICUM *Epiſcopum, qui, & ABBO dictus eſt.*

VITA S. SALABERGÆ ABBATISSÆ LAUDUNENSIS,

CIRC. AN. DC. LV. SEPT. XI.

Auctore anonymo Scriptore gravi fere coævo.

Ex Editione Acheriana in Notis ad Guibertum, & ex MSS. codd. Ciſterc. Longipontis & S. Iohannis Laudunenſis.

OBSERVATIONES PRÆVIÆ.

1. *LAVDVNVM * ſeu Lugdunum Clavatum civitas Epiſcopalis ſub Metropoli Remenſi, vix cuiquam ex illuſtrioribus Galliæ cedit opidis, ſi religionis monumenta ſpectes, quibus circumquaque vallatur atque intus illuſtratur. Habet enim hinc ab Oriente Deiparæ Lætitienſis Templum miraculorum frequentiâ toto orbe celeberrimum; inde ab Occidente vetus caſtrum S. Remigij Francorum Apoſtoli ortu inſigne, & Præmonſtratum B. Norberti ac Præmonſtratenſium ſedem primariam: tum ab Auſtro S. Marculfi Baſilicam peregrinorum votis clariſſimam. Hæc quidem tertio fere ab urbe milliario diſtant. Quòd ſi ad urbem ipſam reflectas oculos, in ſuburbana S. Martini Eccleſia, S. Laurentij brachium ſemuſtulata adhuc carne integrum reperies: tum S. Vincentij Monaſterium Ordin. S. Bened. à mœnibus uno lacunæ hiatu ſepoſitum: denique (ut Majorem* B. MARIÆ *Baſilicam aliáſque taceamus) S. Iohannis Baptiſtæ Cœnobium, quod* S. SALABERGA * *propriis facultatibus condidit & dotavit, ſuiſque virtutibus ac ſuis ſuorúmque liberorum ſacris Reliquiis locupletavit.* * Laon * S. Salaberge

2. *Sanctæ Salabergæ nomen non unico modo pingitur. In quibuſdam libris antiqua manu exaratis* SADLABERGA, *&* SALLABERGA *ſcribitur. Hanc Ionas in Vita S. Euſtaſij Abb.* ADALBERGAM, *& S. Agili Abbatis Reſbacenſis vetus Encomiaſtes* SADABERGAM *appellant. Nos vulgarem orthographiam ſecuti, ubique* SALABERGAM *efferemus.*

3. *Vitæ ſubjectæ Scriptor anonymus, & ſanè gravis, ætatem ſuam ſatis indicat, dum ſuam lucubrationem* OMOTARIO *Epiſcopo,* ANSTRUDI *Abbatiſſæ, &* SALABERGÆ *nuncupat. Anſtrudem hanc fuiſſe S. Salabergæ filiam conſtat tum ex propriis Actis ſuo loco referendis, tum ex his Vitæ S. Salabergæ verbis num.* II. SALABERGA genuit filiam tertiam, & ANSTRUDEM appellavit, quæ in cura & regimine Sororum proceſſu temporis cuncta annuente caterva ſucceſſit, quæ hactenus, Chriſto auſpice, Divinis privilegiis nunc ſupereſt. OMOTARIUS *ſine dubio Epiſcopus fuit Laudunenſis circa ann.* DC. LXXXV. *in vulgatis Epiſcoporum Indicibus omiſſus: &* SALABERGA *poſt Anſtrudem in Prologo ſalutata, fuit Cœnobij Laudunenſis Sanctimonialis. Scribebat anonymus paullò poſt bellum civile Dagobertum II. inter & Theodoricum III. anno circà* DC. LXXX. *exortum, quod ſe* nuper vidiſſe *infrà num.* 13. *teſtatur.* Primus Vitæ S. Salabergæ Scriptor.

4. *Præter primarium illum Auctorem, legimus Acta SS. Salabergæ & Anſtrudis politiori ſtilo deſcripta poſt conflagrationem Laudunenſem, quæ teſte Guiberto Abbate Novigenti in lib. 3. de Vita ſua cap.* II. *anno* M. C. XII. *accidit. Acta illa recentiora omittenda cenſuimus paucis verſibus exceptis, quos explicationis gratiâ in adnotatiunculas referemus. Iuvat tamen loca quædam ex Prologo duplici deflorare. Sic primùm orditur Auctor anonymus*: Magnum & ſatis utile ſui laboris emolumentum reliquit nobis prior ætas, illuſtrium perſonarum nobiles actus conſcribendo, & de ſua abundantia futuram filiorum pauperiem conſolando ... Enimverò prior ætas felix fuit & fecunda virorum, exemplorúmque dives, nec egebat litterarum monimentis: quoniam ipſarum experimentis rerum verum capiebat decus ac documentum in Patribus ſuis. Sed noſtræ profectò egeſtati, quam ſterilitas virtutum & virorum raritas invexit, eorum providentia famulabatur, quorum nobis ſtudio & labore vivendi regula formabatur in exemplaribus Sanctorum, expreſſa ſigno ſanctitatis eorum. Quis enim eſſet hodie vel vivendi modus, vel morum ſtatus, ſi non reſculperet & reformaret cotidie vitam noſtram vita Patrum, præbens & imprimens exemplaria virtutum? Id tantillum ſæculi quod ſupereſt in mundo, id modicum juſtitiæ quod enatare potuit de profundo & voragine ſcelerum, inde nobis remanſit, ex reliquiis ſcilicet paternorum cinerum. Satiati ſunt antiqui virorum virtutibus & exemplis, & dimiſerunt reliquias fragmentorum, id eſt memorias mortuorum nobis poſteris ſuis. Felix, inquam, illa ætas, quando nihil de factis, nihil de verbis Sanctorum cadebat in terram! quando alij coruſcabant miraculis, alij miracula excipiebant libris: erántque tunc in Eccleſia duo magna luminaria, converſationis ſanctæ & doctrinæ ... At verò noſtræ ætatis homines Scriptor alter.

CIRC. AN. DC. LV. SEPT. XI.

nudam vel nullam potiùs habentes ſpeciem virtutis, brutis pecoribus ſimiles vitam ſuam ſilentio tranſigunt, *&c. Alter Auctoris recentioris Prologus hoc modo ſe habet.* Hiſtoriam B. Matris SALABERGÆ poſterorum notitiæ tradituri, ſolum hoc ab his qui lecturi ſunt poſtulamus, ne præſumptioni deputent quod tantæ antiquitatis & auctoritatis materiam auſi ſumus attingere. Meminerint verò ſi qui tali adverſum nos movebuntur ſcrupulo, quòd in incendio Laudunicæ civitatis concrematis Eccleſiis & Sanctorum Reliquiis, ipſa quoque virtutum S. Matris volumina victrix flamma conſumpſerit. Unde poſtea quæ de miraculis ejus vel memoriâ retineri, vel rapta de incendio paſſim recolligi potuerint, quique ſuo tempore & ſuo ſinguli ſenſu reſcripſerunt. Hinc accidit, ut eadem miracula vitioſis admodùm & mendoſis exemplaribus excerpta, vitioſi ſemper ſucceſſione perdurarent uſque ad tempora noſtra. *Ergo aliquanto ſpatio temporis poſt illud incendium vivebat Auctor.* Compulit itaque ipſa nos neceſſitas, ut de veteri novum opus conderemus: & quod in parte fieri non poterat, ex integro totum reſarciremus.

Eccleſia S. Johannis combuſta, &c.

5. *Incendij Laudunenſis cauſas funeſtáſque clades latè deſcripſit Guibertus ſuprà laudatus in Vitæ ſuæ libro tertio meminitque cap. 9. Monaſterij à Salaberga conditi in hæc verba:* Cùm igitur cremaretur Eccleſia atque palatium, dictu mirabile myſticúmque Dei judicium! titio utrum neſcio an carbo ad Monaſterium Virginum convolavit: & ſancti Johannis Eccleſiam ſuccendens, beatæ etiam MARIÆ, quæ Profunda dicitur, ſanctíque Petri in cineres convertit. *Et in fine ejuſdem capitis:* Ignis autem in Monaſterio Virginum ita prævaluit, ut quædam de corporibus Sanctorum exureret.

Baſilicæ ſeptem in Salabergæ Monaſterio cur?

6. *Vt verò meliùs ea quæ Guibertus de iſtius Monaſterij Eccleſiis ſcribit intelligas, notare convenit ex Hermanno Monacho in libro tertio de Mirac. beatæ Mariæ Laudunenſis cap. 22. ædificatas à Salaberga fuiſſe Baſilicas ſeptem.* Harum primam quæ principalior eſſe dicebatur, in honorem ſanctæ Genitricis conditam appellari voluit ſanctæ MARIÆ Profundæ, ad differentiam forſitan Majoris Eccleſiæ ſanctæ MARIÆ, in qua Epiſcopalis Sedes conſiſtit. Secundam S. Michaëlis & omnium Angelorum. Tertiam S. Johannis Baptiſt. & omnium Patriarcharum atque Prophetarum. Quartam beati Petri Apoſtoli omniúmque Apoſtolorum. Poſt has quatuor ad introitum Abbatiæ conſtruxit quintam in honore S. Crucis... Sextam in honore ſancti Apri Martyris. Septimam in honore ſanctæ Mariæ Magdalenæ. *Plures ſiquidem Eccleſiæ neceſſariæ erant, tum propter Laudem perennem, quam ibidem inſtituiſſe Salaberga infrà num. 16. dicitur; tum propter Monachos*, quos illic in diſparatis vixiſſe ædibus, ex numm. 17. 20. 21. conſtat. Subdit Hermannus:* Harum ergo ſeptem Eccleſiarum adhuc reſtant quinque: duæ verò, id eſt S. Crucis, ſanctíque Apri Martyris præ nimia vetuſtate defecerunt. *Ita Hermannus, qui proximè poſt incendium Laudunenſe florebat. At noſtro tempore ſola ſupereſt beati Iohannis Baptiſtæ Baſilica, à quo nomen habet Monaſterium: quod propter ſolutiorem Monacharum vitam, Monachis Benedictinis anno* M. C. XXVII. *conceſſum eſt*, conſilio & auctoritate Innocentij Papæ II. ac Rainaldi Remorum Archiepiſcopi, Ludovici quoque Francorum Regis, *Bartholomæo Laudunenſi Epiſcopo procurante, ut Hermannus jam laudatus lib. 3. cap. 22. & 23. commemorat.* Tantæ verò dignitatis, *inquit cap. 22.* erat eadem Abbatia, ut quandocumque Rex Francorum in diebus ſollemnibus Lauduni coronandus eſſet, in ipſa præcipuè coronam auream portaret. Nullum etiam quadrupes animal intra murum ſeu portam Abbatiæ intrare poterat, quod non ſtatim in rabiem & in inſaniam verteretur. *Porro quidem hoc ipſum Monaſterium Congregationi Benedictinæ S. Mauri ſubjectum eſt, regitúrque modò à R. P. Domno Antonio* Durban *Priore, quem in rebus Monaſterij ſui illuſtrandis adjutorem habuimus.*

* *Lege Elogium ſanctæ Theodechildis Abbatiſſæ Iotri.*

Monaſterij prærogativæ & ſtatus præſens.

7. *Nihil de B. Salaberga in ſinceris Bedæ, Vſuardi, Flori, & Adonis Martyrologiis: ſed ejus Actis à gravi auctore & coævo deſcriptis ſua ſtat auctoritas. Hermannus in locis modò citatis* SANCTAM SALLABERGAM, *ipſiúſque filiam* SANCTAM ANSTRUDEM *appellat.*

PROLOGUS AUCTORIS.

1. DOMINO *eximio in infulis ſacerdotalibus honore decorato religionis, cui copia fuit,* OMOTARIO *Papæ, necnon & Sacerdoti, caſtiſſimæ Chriſti Virgini* ANSTRUDI *Abbatiſſæ, &* SALABERGÆ. Juſſionibus veſtris, ô venerandum decus parentum, almíque vigoris, parêre non diſtuli quo potiſſimum almæ Matris & noſtris præferendæ temporibus feminæ SALABERGÆ Vitam atque geſtorum ſeriem inquantum res ſinebat & Divina pietas favebat meo debuerim ſtilo cudere. Sed ego in hac parte valde cenſeo me fore valde imparem, quippe qui vix primis ſim imbutus litteris & Chriſtiana ſimplicitate educatus. Sed ſum memor illius Domini & Salvatoris præconii dicentis: *Petite & dabitur vobis, quærite* *Matth. 7. 7.*

& invenietis, pulsate & aperietur vobis. Et illud Psalmographi oraculum: *Aperi os tuum & ego adimplebo illud.* Unde Lectorem obsecro (si quis tamen hæc quamvis temerario conatu aggressus sum texere gesta, captus amore sanctæ Matris legere decreverit) non quærat in his Tullianam eloquentiam nec Oratorum facundiam, non Philosophorum flosculos & Stoïcorum diversas assertiones, sed veritatem & simplicitatem historiæ. Neque enim aquila extensis alis semper ad æthera volitat, sed aliquoties assolet ut remissioribus pennis descendat ad terras: Et inter regias sæpe dapes etiam vilia poma lactucæque agrestes optimæ quæque censentur. Orandus est Salvator noster JESUS-CHRISTUS, ut auram sancti Spiritûs afflare dignetur, ut caligine cordis abrasa facultatem accommodet loquentibus, ut venerabilis Matris quæ semper Monasteriorum Ecclesiarúmque amore flagravit, valeamus actus disserere, & in posteros strictim succinctéque promulgare. Tribuat ille utpote vestra opitulatione vim, qui linguas infantium fecit esse disertas. CIRC. AN. DC. LV. SEPT. XI. *Psal.* 80. 11.

INCIPIT VITA.

2. IGITUR SALABERGA in suburbano[a] Leucorum opido, territorio Lingonico confini, secundum sæculi dignitatem clarissima, parentibus non infimis ac in servitio Dei per omnia devotis exstitit oriunda. Sed quantum illustrior vel nobilior natalibus, adeo in nutriendi cura fuit parentibus sollicitior. Nam cùm illo in tempore gens Baicariorum[b], quam Orosius vir eruditissimus & historiarum cognitor Boïos[c] prisco vocabulo appellat, in extrema Germania sita, Bonosiaca* infecta errore, quam Bonosiacam hæresim defensores sanctæ Ecclesiæ notârunt, quæ hæresis antiqui & callidi hostis irretita habenis purum hominem Dominum nostrum JESUM absque Deitate Patris esse censebat: ad quam nefariam & insanam doctrinam confutandam, immo resecandam, Venerabilis vir EUSTASIUS Abba* Divino utpote instigatus Spiritu, ex Luxovio Monasterio in Vosago saltu sito advenit, quod vir famâ laudabilis & sanctitate pollens COLUMBANUS peregrinus ex Hibernia adveniens, ex munificentia CHILDEBERTI Regis, summo studio & labore construxit. Salabergæ patria. *a* *b* *c* * Bonosiacum, *supple* esset * *Lege ejus Vitam ad an.* 625.

3. Sed quoniam tanti viri Columbani fecimus mentionem, ejus non est necessarium nostro operi texere gesta, cùm sint ab eloquentissimo viro JONA elucubratè edita, qualiter etiam inter turbines sæculi, & THEODORICI Regis principatum, Reginæque BRUNICHILDIS instigante versutia, nefandi hostis pertulerit insidias: quomodo etiam tyrannica temeritate à Fratribus* sit ejectus, & Italiæ fines ingressus Monasterium Bobiense ex permissu & auctoritate AGILULFI Langobardorum Regis miro opere construxerit, Regulámque condiderit Monachorum, isdem præfatus Jonas in libro quem de Vita & miraculis ejus edidit, suo stilo prosequitur. Exstant[d] ejusdem Patris Columbani scripta ad beatissimum virum GREGORIUM Pontificem Romanum quæ de pervigili Pastorum cura elicuit, qui* eo tempore adeo clarus habebatur atque sanctitate præ- Digressio de S. Columbano. * *id est* à Fratrum consortio *d* * Gregorius

a Id est in diœcesi Tullensis civitatis quæ Tullum Leucorum dicitur. Nam *suburbanum* à priscis Auctoribus vocatur nonnumquam, quidquid alicujus urbis territorio, tractu ac ditione comprehenditur, ut ad Vitam S. Eustasii num. 17. an. 625. probavimus. Auctor anonymus in alia Vita S. Salabergæ: *Beata & venerabilis Mater* SALABERGA GUNDOINO *patre, matre verò* SARETRUDE *in confinio Lingonica urbis oriunda fuit, in terra quam Vternensem nuncupant, ob amnem qui ibidem profluit.* Uternensem terram interpretare ditionem vulgò *la Baronie de Darney* appellatam ad Araris fluvii initia, in cujus ditionis confinio, Lingones versùs, exstat ad Arar vicus quidam *Gondoncourt* dictus, quem à Gundoino Salabergæ patre nomen accepisse verisimile est. Illic natam Salabergam fortasse quis suspicetur. Malim dicere eam natam fuisse in Vosagi vico Mosa nomine, ubi Mosa fluvius oritur, quo in vico Eustasius Gundoinum convenisse dicitur infrà. Gundoinus in Vita S. Agili Abb. Resbacensis cap. 11. ipsius S. Agili *consanguinitatis nexu propinquus* fuisse fertur.

b Sic etiam Baioarios appellat Baldricus Noviomorum Episcopus in Chron. Camerac. lib. 3. cap. 13.

c Julius Cæsar initio lib. 1. de Bello Gall. Boïos *qui trans Rhenum incoluerant, in Noricum transisse, Noreiámque* urbem Norici primariam *expugnâsse* scribit. At numquam Boïos in Norico consedisse Hadrianus Valesius in lib. 24. Rer. Franc. contendit.

d Nulla exstat sive Columbani ad Gregorium Magnum de pervigili Pastorum cura lucubratio, sive Gregorii ad Columbanum Epistola.

CIRC. AN. DC. LV. SEPT. XI.

ditus erat, ut etiam Spiritu-ſancto favente ſecreta cæli ei patuerinr. Novem quoque ordines Angelorum poſt Paulum Apoſtolum, mirum in modum aut ſolus aut rarus fermè diſſeruit: cujus doctrinâ, eloquii venuſtate, pœnitentiæque fomento univerſus Occidens hactenus illuſtratur. Sed & iſdem venerabilis vir ad præfatum Patrem melliflua remiſit ſcripta.

Euſtaſius Chriſtum Bajoariis prædicat.

4. Sed ut ad propoſitum revertamur, præfatam gentem per Germaniæ ſinus vir Dei Euſtaſius aggreſſus, ut lucerna Conditoris nequaquam ſub modio, ſed ſuper candelabrum poſita omnibus patefieret, néve talentum deſuper datum humatum periret, ſed potiùs omnibus cum duplicato fœnore pateſceret, ex parte gentis abraſo erroris tramite, Evangelico (in quantum Dominus JESUS-CHRISTUS contulit) mucrone truncavit, prædicans Dominum noſtrum JESUM, quòd ſicut Divinitate æqualitatem Dei Patris haberet, ita & humanitatem materni corporis noſtrámque naturam quam ipſe condiderat, abſque peccato ſuſcepit, nulla imminuente mutatione Deitatem, qui utpote ſemper cum Patre fuerit, ut nihil ſua dignitate minueret, unde verus Deus & verus homo appellatus ſit Chriſtus.

Salabergam à cæcitate & fluxu liberat.

5. Denique remeans ex Baïcariis vir egregius poſt Germaniæ Belgicæque laborioſum callem, tandem pervenit ad quemdam virum illuſtriſſimum, opibus & divitiis opulentum, famáque ſecundum ſæculi dignitatem præclarum & aulicis rebus aptum, nomine GUNDOINUM, qui eo tempore manens apud villam Moſam* nomine, ob amnem in eo loco defluentem ſic appellatam: qui amnis ex Lingonicis finibus fontem ſumens, poſt multos anfractus crebróſque terræ circuitus Rheni velociſſimi fluminis in ſe fluenta ex parte recipiens, Oceanum Barbaricum latè ingreditur. Viſo igitur Gundoïnus venerabili viro, velut gratiſſimum munus ſuſcepit. Porro ut aſſolet & res ſe habent humanæ, inter ſalubria adhortationis verba colloquio virorum fidelium animus creſcebat piorum; cœpit iſdem vir Dei ſciſcitari, utrum eidem viro illuſtri Francorum orto natalibus ſoboles adeſſet. Cernebat quippe, ut opinor, vir Dei à Deo fore præſcitam prolem: quam poſtea rei probavit eventus. Tunc vir illuſtris Gundoinus cum conjuge ſua SARETRUDE eleganti forma & nobili femina, duos bonæ indolis adoleſcentulos ob benedictionis percepturam gratiam præſentavit: quorum ſenior LEUDUINUS cognomento BODO, junior verò FULCULFUS, qui & ipſe alio vocabulo BODO dicebatur. Sciſcitatur denuò vir Dei, ſi adhuc proles ſupereſſet: ad quem illi fatentur ſe habere puellam germanam, licet ætate præferentem, ſed dudum luminibus orbatam. Ad quos vir Deo plenus ait: Veniat quæſo ipſa, & noſtris præſentetur obtutibus. Senſerat enim, ut reor, in ſpiritu ei à Domino ſanitatem fore collaturum. Triduano igitur à ſemetipſo exacto jejunio, ſuper oculos puellæ oleum benedictionis vir Dei effudit. Mirum dictu! mox puella ſanitatem priſtinam Chriſti gratia opitulante perfectiſſimè conſecuta eſt. Nec immeritò omnipotens Deus ſic in promptu ſuorum obtemperat precibus famulorum, qui ſuas propter ipſum crucifixerunt voluntates. Sequitur deinceps aliud ſplendidum miraculum. Cùm eadem puella jampridem fluxum ſanguinis pateretur, & graviſſimâ corporis moleſtiâ ex hoc teneretur obſtricta, vir egregius Euſtaſius, ut hoc perſpicuè comperit, Divinum ſolitúmque profuſis precibus poſcit adminiculum. Exaudivit preces fidelis famuli ſui ille rerum Sator æternus, qui Sanctis ſuis ejus præceptis piè obtemperantibus præſtò eſſe conſuevit. Quid multa? Puella ſoſpitate percepta incolumis eſt reſtituta.

* *Meuſe*

Salaberga viro nubit.

6. Interea cùm ad perfectæ ætatis perveniſſet annos, parentes ejus cùm vidiſſent illam gliſcentem, moribúſque ornatam, erat enim decora venuſtáque vultu, verùm ut adſolet poſt rerũ diſcrimina in proſperis ſucceſſibus animus tepeſcere multorum, de liberorum ſucceſſione cogitantes, contra puellæ voluntatem eam cuidam generoſitate pollenti RICHRAMNO nomine in matrimonio tradiderunt: qui vix eam duobus menſibus jure matrimonii habens, humanis rebus exemptus vitâ privatus eſt. His itaque tranſactis, Euſtaſius ad Luxovium regreſſus eſt.

7. Deinde

7. Deinde ad Waraſcos qui partem Sequanorum provinciæ & Duvii* amnis fluenta ex utraque ripa incolunt, pergit: qui & ipſi eodem Bonoſii Fotiníque maculati errore ævo jam ſenes tabeſcebant. Ad quos vir Dei veniens, evangelico vomere Scripturarúmque ſacrarum cauterio, licet non abſque labore exercens, ne ſeges Dominica crudeſcente gleba, ſuffocante zizania in avenas loliúmque adcreſceret, ad ſanctæ Eccleſiæ gremium revocavit, qui hactenus gratiâ Divinæ adſpirationis in eadem quam ab eo perceperunt norma perſeverant. Sic B. Euſtaſius poſt multa rerum diſcrimina, poſt labores immenſos, poſt hæreticorum diras procellas, AGRESTII que Schiſmatici fraudes, quæ plenius in ſuis Geſtis continentur, ut bonus athleta ſummis pollens miraculis vitâ beatâ functus migravit ad Dominum: cùm curam Fratrum poſt diſceſſum Magiſtri tribus non parum minùs rexiſſet luſtris. In cujus locum beatæ recordationis VALBERTUS in regimine Fratrum ſubvectus eſt, vir omnium famâ laudabilis, eximiæque ſanctitatis, & in Eccleſiaſticis diſciplinis non mediocriter eruditus, bonitate ac pietate caritatéque præcipuus & doctrina exuberans. Hujus tempore per Galliarum provincias agmina Monachorum, ac ſacrarum Puellarum examina non ſolùm per agros, villas vicóſque atque caſtella, verumetiam per eremi vaſtitatem ex Regula dumtaxat beatorum Patrum BENEDICTI & COLUMBANI pullulare cœperunt, cùm ante illud tempus Monaſteria vix pauca illis reperirentur in locis.

CIRC. AN. DC. LV. SEPT. XXII. Euſtaſio ſuccedit Vvalbertus * *le Doux*, in Burgundiæ Comitatu.

8. Sed ut ad articulum revertamur hiſtoriæ, prudentiſſima femina Salaberga cùm per biennium jam viduata reſideret, licet ſub laïco habitu degens, vigiliis, jejuniis, ac eleëmoſynis inquantum vires ſuppetebant intenta, quæ Dei ſunt Deo inhianter reddebat. Doctrinam verò quam à B. Euſtaſio perceperat, velut mundum animal animo ruminabat. Cùm hæc ita res ſe haberet, decrevit animo ut ad ſacrarum Virginum Cœnobium quod venerandus vir ROMARICUS ex palatio magnificè converſus per exhortationem & ſolamen B. Euſtaſii in Voſago conſtruxerat ſaltu, latebram fugâ expeteret: feciſſétque ſatis votis, ſi ſexus non fuiſſet impedimentum, & regia non impediſſent obſtacula.

Salaberga viro mortuo Monaſticam vitam cogitat.

9. Per idem tempus Francorum ſceptra regníque gubernacula DAGOBERTUS regebat, vir inprimis acer ingenio & principatu clarus, & non ſolùm fidei jure ſibi ſubjectis, verumetiam exterarum vicinarúmque gentium famâ metuendus. Metuens autem præfatus Gundoïnus, ne ob filiam, iram Regis ſævitiámque incurreret, eam à calle quo ire ſponte decreverat pedetentim retraxit. Jam enim opinio ejus ad aures regias pervenerat. Morabatur denique iiſdem temporibus in aula prædicti Principis vir quidam ſtrenuus, conſiliis regiis gratus, & inter ſuos famâ celeber nomine BLANDINUS, qui cognomentum BASO[a] acceperat, qui utpote & ipſe ex Sicambrorum proſapia ſpectabili ortus eſt. Mox prædictam Salabergam non ejus ſponte, quia jamdudum Divinis præceptis ſe implicare voverat, licet invitis parentibus, regio tamen juſſu & ob liberorum procreandorum cauſam prædictus vir ad ſuum adſcivit conjugium.

Secundis nuptiis ligatur.

10. Sociata itaque viro memorato, licet ſub jure conjugij, Chriſtiana tamen uterque exercebant opera, & baptiſmi candidatum devotiſſimè ſervabant. Erant enim hoſpitales & eleëmoſynis dediti maximéque juxta Paulum egregium prædicatorem domeſticis Fidei & peregrinis, ſervis autem Chriſti ſumma veneratione obtemperantes, illius Salvatoris memores præcepti: *Quamdiu feciſtis uni ex minimis meis, mihi feciſtis.* Et illud B. Petri Apoſtoli: *Hoſpitales invicem ſine murmuratione.*

Quî cum viro vixerit.

11. Sed cùm his favente Domino bonis pollerent moribus & Chriſtiano more vitam degerent, & prolem nullam capere poſſent, Chriſtianiſſima femina anxia, tot privata privilegiis, ſanctarum mulierum Annæ & Eliſabeth in ſe adhibens fidem, quæ in Domini Templo vigiliis & orationibus excubantes poſt diuturnam ſterilitatem partus ſanctos meruerunt procreare; ad Baſilicam B.

Sterilis B. Remigii ope liberos cælitùs impetrat.

[a] Baſo colitur ut Sanctus in Monaſterio S. Johannis Laudunenſi (in quo nonnullæ ejus Reliquiæ ſervantur) Nonis Maii, Tranſlatio verò XVIII Kalend. Julii celebratur.

CIRC. AN. DC. LV. SEPT. XXII. Remigii Pontificis qui urbem Remorum Campaniæque tellurem virtutibus ſacris & mirabilibus illuſtrabat expetiit, ibíque vigiliis & orationibus excubans votum vovit, ut ſi divinitus ei ſoboles concederetur, ipſam Domino dicaret. Nec mora domum reverſa hoc quod fideliter & anxiè petierat à Domino eſt ei collatum: concepítque & peperit filiam cui ex aviæ vocabulo SARETRUDIS nomen indidit. Rurſus edidit aliam filiam quam EBANEM nuncupavit. Deinceps verò genuit filiam tertiam, & ipſam Baptiſmi gratiâ regeneratam ANSTRUDEM appellavit: quæ in cura & regimine Sororum proceſſu temporis cuncta annuente caterva ſucceſſit; quæ hactenus Chriſto auſpice Divinis privilegiis nunc ſupereſt. Quartum verò edidit liberum, cui & ipſi Baptiſmi gratiâ à Sacerdotibus
a conſecrato EUSTASIUS[a] nomen indiderunt, qui & infra pueriles annos defunctus eſt. Quintum verò bonæ indolis edidit prolem nomine BALDOÏNUM: quem & ipſum juxta priores omnipotenti Deo ſacravit. Egit hoc denique famula Chriſti omníque niſu aggreſſa eſt, ut omnem domum ſuam non ſibi ſoli, ſed marito ſimul & liberis, Chriſti faceret Eccleſiam.

Cœnobiũ Puellarum condit ſuſcepto velo. 12. Interea cùm egregia ſanctitatis opinio B. Walberti, cujus ſuperiùs memoriam fecimus, pænè per univerſos Francorum terminos eximiè pullularet, & ſollertia prædicationis ejus à Chriſto Domino, ſine quo nihil boni agitur, affatim ferveſceret, eſſétque omnibus Deum colentibus gratus, Monaſteriáq; virorum ac mulierũ Chriſti ex ejus Norma affatim conderentur; cernens B. Salaberga ſervum Chriſti militémque præclarum tot florere exemplis virtutibúſque flagrare ſupernis, & aſſiduè velut è luporum faucibus ereptos ubique greges Chriſti adunari; eum ad propriam domum ob benedictionis ab eo gratiam percipiendam crebriùs accerſitum, velut Divinum munus ſibi à Domino fore conceſſum ovans ſuſcipiebat, verbáque ſalubria & animarum medelæ congrua haurire ex ejus mellifluo ore deſiderabat: flagrabátque inſtantiſſimè animus, ut ſpretis phaleramentis ſæculi, pompíſque mundanis poſtpoſitis, ad virtutum culmen apicémque ſanctitatis valeret adſcendere. De quo virtutum culmine
Matth. 19. Dominus quoque & Salvator in Evangelio loquitur dicens: ***Omnis qui reliquerit patrem aut matrem, aut domos aut filios aut agros propter nomen meum, centu-***
Luc. 12.49. ***plum accipiet & vitam æternam poſſidebit.*** Et illud: ***Ignem veni mittere in terram, & quid volo niſi ut ardeat?*** Quid plura? Auctore Deo omnem ſpem ſuam poſt Deum beato viro committens, viro converſo prolibúſque Deo ſacratis, Religionis veſte accepta inito cum B. Walberto conſilio, conniventia exiſtente mariti
b Cœnobium Puellarum in ſuburbio[b] Lingonicæ urbis, in hereditate vel ſucceſſione paterna conatur exſtruere, quod propriis reditibus prædiorum ſuorum ex ſucceſſione hereditatis paternæ, Chriſtum faciendo heredem, nobiliter ditavit: ad quod opus peragendum venerabilis Walbertus ſolamen artificéſque ac viros induſtrios præbuit atque commiſit. Qui locus licet Auſtraſiorum finibus immineret, vicinus tamen Burgundiæ erat, diſtans à Luxovio Monaſterio paullominùs millibus quadraginta: ibíque adunatis centum ſeu ampliùs tam ex nobilium liberis, quàm ex proprio officio puellis Chriſto Domino dicavit.

Laudunum ſe recipit cum ſuis. 13. Sed cùm jam pars maxima fabricæ Monaſterii conſtructa eſſet, cœpit famula Chriſti præſago, utpote Spiritu Dei repleta, cum viro Dei trutinare animo, non eſſe in eodem loco Puellarum Cœnobium tutum: nihílque ſtabilitatis habere vel munitionis locum. Nam licet barbaries procul abeſſet, Regum tamen limitibus hinc inde admixtis, periculi indicium futuris temporibus erat: quod

a In Monaſterio S. Johannis Baptiſtæ Kalendis Maii colitur iſte Euſtaſius, cujus Reliquiæ ibidem in theca honorantur.

b Hîc etiam *ſuburbii* nomine, dicœceſim ſeu pagum Lingonenſem intellige. Nam locus Cœnobii à Salaberga conditi *Auſtraſiorum finibus imminebat, & quadraginta paullominùs millibus diſtabat à Luxovio Monaſterio*: quæ convenire vix poſſunt pomeriis Lingonum, quæ urbs ſexaginta propè millibus à Luxovio diſparata eſt. Anonymus Vitæ S. Salabergæ Scriptor *in confinio Lingonicæ urbis* exſtructum Cœnobium aſſerit. Corrigendus proinde Dionyſius Galterotus, qui in ſuo Anaſtaſi Lingon. pag. 324. id interpretatur de Abbatia S. Petri exciſa apud Lingones: ſiquidem iſta Abbatia *infra muros Lingonenſis civitatis* (ut vetera loquuntur Inſtrumenta) hoc eſt intra muros urbis poſita erat.

periculum nos deinceps vidimus. Denique nuper civile bellum inter Reges Francorum THEODERICUM & DAGOBERTUM [a] circa illos fines eſt actum, ibíque vicinia quæque depopulata, agri, villæ, ædes, & ipſa (quod gravius eſt) Sanctorum corpora igne ſunt cremata. Undè liquidò patet, Divino eam fuiſſe Spiritu imbutam, quæ pridem anticipavit diſcrimen. Conſilio quippe adepto cum præfato Walberto Abbate, qui ingenio & vigore ſagaci, & natura bona in talibus præditus erat, quem poſtea & comitem itineris & ſocium laborum habuit, elegit iter Chriſto duce ad inſtar ſanctiſſimi Abrahæ Patriarchæ, qui de Meſopotamia Syriæ egreſſus terræ Philiſtinorum colonus exſtitit, eámque Deo promittente in poſtera ſucceſſione ſortitus eſt. Quem imitata Dei famula, relinquens patriæ ſolum paternáſque ſedes, malens cum Chriſto egêre quàm mammonæ lucra poſſidere & tot pati diſcrimina, cum vitæ ſtipendio ad urbem Lugduni [b] cum maximo apparatu, & cum animabus à Deo ſibi commiſſis proficiſcitur. Quæ urbs licet obſidione vallari ab hoſtibus poſſit, tamen naturâ loci & in cacumine ſaxi ſita munitionem robuſtam obtinuit, ut frangi nequeat à Barbaris & periculo careat. Nam cùm eam vetuſto tempore Wandali, Alani, Hunni ceteræque Germaniæ & Scythiæ gentes fruſtra vallâſſent, nulla aggerum arte imminente, non fundibalorum jaculis, non armorũ ſpiculis jacientibus, nec arietum impulſionibus obtinere valuerunt, ſed caſſo labore fruſtrati inertes receſſerunt. Excepto enim murorum ambitu qui extrinſecùs in proceritatem collis extenditur, intrinſecùs ipſius muri circuitus humo coæquatur, unde fit ut machinarum ars nulla queat opidum fatigare. Sed & altrinſecùs ſaxa naturalia ambiunt, urbs infra referta puteis, ad ipſos quoque portarum exitus fontes emanant perennes, qui in uſus hominibus, pecoribus & jumentis potui dantur. Igitur cùm jam ad illuminandam urbem veluti ſolis radius veneranda femina cum ſuis ſequacibus ſanctis appropinquâſſet, Præſul opidi illius ATTILO [c] cum ſummo favore ei obviàm pergit, tamquam ſi Divinum munus turbáque Angelica ad ſe veniſſet: & ovans ſanctas famulas Chriſti cum choro pſallentium, cum pſalmodia & hymnidicis ſummíſque laudibus deduxit in urbem.

CIRC. AN. DC. LV. SEPT. XI.

a

b

c

14. Sed miraculum illius magnificum dictu quod nocte eadem in ipſa urbe geſtum ſit, non eſt ſilendum. Prædictus itaque Pontifex præcepit pueris ac familiaribus ſibi creditis ob præparandam in craſtino die familiæ Chriſti refectionis gratiam adeſſe. Miniſtri igitur attoniti, velociter per noctem portam opidi egreſſi, obviàm ſibi ferarum ac beſtiarum diverſa genera cernebant. Nam ille bubalum, alius cervum, ille urſum, alius ſuem, nonnulli lupos, plerique nihilominus vulpes, alius interim laſcivum aſinum, trucémque cernebant leonem, egredientes & fugientes ſimul de civitate & cetera monſtra beſtiarum, quæ huic operi intexere prolixum eſt, ne faſtidium Lector incurrat. Quo miraculo pavore perculſi omnes miniſtri mirabantur, quoniam illo in loco iſtæ beſtiæ tales nuſquam apparuerant. Quid datur aliud intelligi niſi quòd ſanctitatem ac vigorem Ancillarum Dei antiquus hoſtis non ferens, cum ſuis ſatellitibus fugiens diſceſſit? Nec immeritò ſe in beſtiarum ferarúmque monſtruoſas deformat figuras, variáque figmenta depromit, qui utpote à bono Creatore bo-

Dæmones ab urbe pellit.

a Nempe Dagobertum Sigiberti Auſtriæ Regis filium, Dagoberti Magni nepotem, ex hiſtorię tenebris nuper eductum. Is mortuo patre à Grimoaldo Præfecto palatii regno dejectus ac confus, in Hiberniam relegatus eſt. Deinde à Vvlfoaldo duce aliiſque Auſtriæ Proceribus poſt Childerici mortem revocatus, Auſtrię throno imponitur circa annum DC. LXXIX. quo tempore hoc civile bellum inter ipſum ac Theodoricum fratrem ejus patruelem exarſit, ut latè docet Hadrianus Valeſius in Rer. Franc. lib. 22.

b Lugdunum, ſcilicet Clavatum, Galliæ Belgicæ ſecundæ urbs Epiſcopalis, nunc Laudunum, *Laon*, nonnullis videtur ſic dicta à veſte Prætoria, quæ ob clavos in ea depictos *Clavata* olim vocabatur, quòd Laudunum à Marcobrio Prætore conditum putetur, teſte Hincmaro To. 2. Opuſc. pag. 431. & 602. Porro Lugdunum, quaſi Lugodunum, linguâ Celticâ *cervi montem* ſignificat, ut ex Clitophonte obſervavit Plutarchus in lib. de fluminib.

c Attila Frodoardo vocatur in lib. 2. hiſt. Rem. cap. 7. ubi res quaſdam cum Nivardo Remorum Epiſcopo commutâſſe dicitur. Sedit ab anno DC. XXXII. ad annum ferè DC. LX. Salabergæ migratio in urbem Laudunum paullò poſt Dagoberti mortem, diviſo inter Chlodoveum & Sigibertum regno, anno circà DC. XL. accidiſſe videtur: quo tempore Cœnobii S. Johannis Baptiſtæ primordia collocanda ſunt.

CIRC. AN. DC. LV. SEPT. XI.

nus creatus eſt Angelus, ſuperbiâ deinceps tumidus dudum dixerat in corde ſuo: *Super aſtra cæli aſſcendam, ponam thronum meum ad Aquilonem, & ero ſimilis Altiſſimo*; nunc de ſuperna claritate & paradiſo deliciarum dejectus cum ſuis ſequacibus, in forma vermium, ſoricum, vel qualibet deformi ſpecie actus, myſterium operatur iniquitatis.

Dæmon Baptiſmatis ſpecie pervertit Laudunenſes.

15. Siquidem priſcis temporibus (quod plerique memoriâ adhuc retinent, & ſuperſtites eſſe noſcuntur qui hoc facinus viderunt) quod in eodem opido (ut creditur) antiqui anguis verſutia crudeliter vigebat, plebeios ruſticos atque hebetes homines arte callida ludificabat, de quo ſcribitur: Cujus mille nocendi ſunt artes. Nam ſub ſpecie Baptiſmatis idololatriæ eos ſibi propriè vindicabat. Denique retroacto tempore & Idolum vocitabant, velut à ludo incipientes; in medio eorum dumtaxat diabolo debacchante, plerumque homicidia perpetrabantur. Egerat hoc nequiſſimus Dæmon callidâ aſtutiâ, ut ſi quis ibidem proximum alterius quolibet modo debilitâſſet, à conſanguineis vel affinitate conjunctis innoxius foret ab effuſione ſanguinis; videlicet ut in longius conſuetudo nefanda incrementum malignitatis augeret, & miſeram urbem ſuis habenis irretitam iniquus prædo velut propriam vindicaret. Sed omnipotens miſerator omnium Dominus qui vult omnes homines ſalvos fieri, & ad cognitionem veritatis venire; ad ſui juris plaſma clementer reſpiciens, olim jam hoc ſacrilegum & nefandum facinus à civitate iſta radicitus evacuavit. Sed nunc rurſus ad cœptam redeamus narrationem.

Salaberga Monaſterium Lauduni inſtituit.

* *lege Obſervat. prævias.*

16. Denique contemplata conditione loci, cernentéſque idoneum ac gratiſſimum & abſque diſcrimine munitionis locum, cœperunt fundamenta Eccleſiarum *atque domorum jacere: quibus peractis ac proſperè geſtis cœperunt ad laudes omnipotentis Dei & Domini noſtri JESU-CHRISTI nobilium ſoboles ſervientiúmque concurrere. Quis enim vir potens aut femina nobilis qui illis in locis degeret, qui non B. Salabergam ex affectu diligeret? Erat enim hilaris ſemper & placido vultu, caritate atque humilitate perſpicua, eleemoſynis promptiſſima, & circa Dei cultum valde devota. Quid multa? Infra exigui temporis ſpatium coacervatæ in eodem loco ſunt, vel Monaſterio adunatæ plus minúſve trecentæ famulæ CHRISTI: illíſque diſpoſitis per turmas, ad inſtar Agaunenſium Monachorum Habendíque* normam diſpoſuit, die ac nocte præcepit pſallendo Canonem omnipotenti Deo perſonare, & juxta egregium prædicatorem Paulum ſine intermiſſione orare. Quæ inſtitutio hactenus in eodem Cœnobio Chriſto auſpice celebratur. Flagrabat quippe in eodem deſiderio canendi carminis amor intentus.

Monachas 300. laudi perenni deputat.

* *Lege Vitam S. Amati an. 627. n. 20.*

Plures ad ſe trahit.

17. Plures ſiquidem, ut ſuprà diximus, nobilium ad ſervitium Chriſti colligendas ſitiens adunabat. Nam inter ceteras nobilium Sicambrorum feminas, ODILA nobilitate & ingenii natura boni pollens, quæ & ipſa pridem à Venerabili WALBERTO Chriſtiani vigoris inſigne ac ſalubre acceperat antidotum, conſilio accepto cum legali viro Illuſtri BODONE quem ſuperiùs LEUDUINUM prædiximus*, qui in eo tempore induſtrius & potens erat, poſtpoſitis phaleramentis mundi ad Dominum ſunt converſi. Res ſuas* Monaſteriis collatas poſt B. Salabergam eumdem callem terentes Lugdunum* properaverunt, Bodo inciſa cæſarie, Monachi (inquantum res ſinebat) agebat officium. Ac non multo pòſt Tulli opidi adeptus Epiſcopatum, naturæ debitum reddidit[a].

* *num. 5.*

* *pro* rebus ſuis, &c.

* Laudunum

a S. Bodo colitur III. Idus Septemb. in Tabulis Eccleſiaſticis & Benedictinis, præcipuè Lugduni, quam in urbem ejus corpus tranſlatum eſt. Elogium ejus apud Molanum non caret mendis. Editus dicitur *in pago Ardermenſi, patre Bertaldo & matre Bertilde.* Scribendum *in pago Odernenſi* in Voſagi angulo Diœceſis Biſuntinenſis, vulgo *la Comté de Darney.* Deinde cùm S. Salabergæ frater fuerit, patrem habuiſſe Gundoïnum & matrem Saretrudem conſtat ex hujus Vitæ num. 5. Poſtea apud Molanum ipſum Bodo tria conſtruxiſſe Monaſteria legitur, unum Sanctimonialium quod uſque hodie dicitur S. Bodonis, & aliud duodecim Canonicorum ad fluvium *Murt*, & tertium in honore S. Leodegarii in Offanis villa. Quis credat erectum à S. Bodone Cœnobium in honore S. Leodegarii Mart. qui Bodoni diu ſupervixit? Certè Adeodatus Bodonis poſt Eborinum in Sede Tullenſi ſucceſſor, Concilio Romano ſubſcripſit anno DC. LXXX. ſuperſtite adhuc Leodegario. Nullum aliud à Bodone exſtructum videtur Monaſterium præter Cœnobium Puellare S. Bodonis dictum, de quo agit Chronographus Senonienſis in lib. 1. cap. 10. To. 3. Spicil. Acheriani ejúſque primordia S. Bodoni tribuit.

Veneranda quoque Odila Chriſti ſtigmate ſuſcepto, ſanctarum Virginum ſe choro conjungens, ſub obedientiæ tenore vitam beatam degens, ſpiritum cui omnia debentur reddidit. CIRC. AN. DC. LV. SEPT. XI.

Obitus & Miracula B. Salabergæ.

18. IGITUR cùm B. Salaberga in ſanctitate moroſa exornato vultu ut de beato narratur Hilario cum Sororibus piè vitam duceret, puella quædam Sanctimonialis in eodem Cœnobio cadivæ veſaniæ indepta, dum Curſum *in Eccleſia canere cœpiſſet, coram omnibus effrenata mente in terram corruit: quam mox beata & venerabilis Mater ſecum familiariter acceptam ſedula oratione pro ea Dominum poſcens, opitulante Divina gratia ab eadem peſte purgavit, & in ſervitium Chriſti liberè abire juſſit incolumem. Plurima autem & valdè celeberrima ſunt quæ in laudibus atque memoria venerandæ Matris ſtilo inſeruntur, quæ poſtmodum ſuis aptabuntur locis. Sororem ſanat cadu-co morbo laboran-tem. *id eſt officium Divinum.

19. Quodam verò tempore dum B. viri Walberti præſtolaretur adventum, & falerni copia deeſſet, jus tritici vel hordei quod Cerviſam * nuncupant, & arte conficitur humana, qua Occidentalium pleræque nationes utuntur, juſſit facere: quam in vas quod lingua communi Tonnam vocant mittere juſſit. Sed cùm vas adplenè refertum ex poti * liquore non eſſet, famuláque Chriſti cui obedientiæ causâ eodem anno juxta tenorem Regulæ [a] ad Cellarium cuſtodiendum Sororibúſque miniſtrandum ordo evenerat, ad venerabilem Matrem cum humilitate veniens ait: Domna, inquit, Mater, quid faciemus, quia vas non eſt plenum ex ſicera, & aër æſtuat? Si ſanctus vir Abbas in veniendo moras inexuerit, vereor ne poti * liquor in acerbitatem aceri aceſcat. Ad quam illa ait: Vade & quod ſubſequens ex liquore eſt confectum, funde in vaſe. At illa non dubia, celeri curſu pergens ut juſſionem ſanctæ Matris impleret, reperit vas plenum, quod paullulùm pridem ſemivacuum reliquerat: ac ſic omnipotentis Dei miſericordiâ actum eſt, ut dum Matris fides armatur, obedientiæ vigor in diſcipula roboratur, virtúſque Divina protinus panditur, potum quod exiguum erat in majus augetur: remeáuſque Dei famula cum alacritate & humilitate ſanctæ Matri narravit miraculum. Illa ſummo rerum Creatori Domino JESU-CHRISTO referens gratias, qui ſervientibus ſibi in veritate citò adeſſe conſuevit. Cerviſiam miraculo auget. *cerviſiam * potûs [a]

20. Patratum eſt deinceps aliud miraculum. Soror quædam lavando veſtimentorum ſordes, ut mos eſt, ad cellam officinæ qua hæc agi ſolitum erat veniens, accepit vaſculum quod in talibus rebus adeſſe neceſſitas popoſcit, deferens ſimul & exigua ligna. Sed quia catena in qua pendebat vas, exilis & brevior conſtabat, igni non appropinquans, reperiens de induſtria famula Dei aliam catenam ſibi invicem nexuit: & ecce alia ſodalis ejus cum alio vaſculo ex æris metallo facto adveniens, ſimile optabat opus, humiliter ſupplicans ſociæ dixit: Commoda mihi, Soror, unam catenam ut ambæ velociùs operemur. Ait ſocia: Pro caritatis gratia commodabo tibi, ſed perge tu & affer ligni quantitatem quantum valueris, quia arduè ſuſpenduntur vaſcula, ut valeamus perficere quod neceſſitas compellit. Quæ cùm abiiſſet, nequaquam reperit quod petiit. Tunc utræque Ancillæ Chriſti anxiæ eſſe cœperunt, quid tamen facerent ignorabant: & ecce ſubitò magno cum ſonitu officina quaſi caſura è ſemet * flectendo [b] addicitur igni. Tunc concito curſu Famulæ Chriſti omnéſque Sorores ad eam adſpiciendam veniunt, & quidnam eſſet fragor ſtrepitúſque inquirunt. Sed videntes miraculum ſtupefactæ ſunt quod acciderat. Tunc venerabilis Mater jubet ut ad hoc miraculi genus vir Dei ITALUS Preſbyter atque Cella excuſſa non evertitur. *id eſt ſponte. [b]

[a] Nempe Regulæ S. Benedicti cap. 31. nam S. Columbanus in Regula ſua ne verbum quidem de Cellario habet.

[b] Clariùs Anonymus: *fragore nimio cella concutitur, ſtaut ab ipſis fundamentis penitus evelli videretur: incurvatáque compage parietum & inflexo rebore materiarum, ſine ullo ſui damno vel detrimento ruinæ, Divina nutu voluntatis tectum & tota machina domûs adducitur & approximat igni.*

CIRC. AN. DC. LV. SEPT. XI. ejuſdem Cœnobii Præpoſitus contemplaturus accederet. Vir autem Dei cùm adfuiſſet, videns cellam fragoribus non dirutam, ſed illæſam permanentem, uberes omnipotenti Deo gratias retulit, perpendens meritum Matris, quæ ita imbutas ac devotas haberet diſcipulas; quarum caritati ferventi etiam elementa ſervirent.

21. Quadam denique die cùm extra murum opidi infra Clauſtra tamen Cœnobii æſtivo tempore deambularet, vidit LANFREDUM * Monachum ſuum hortulanum, in horti ambitu neſcio quid oleris cauſa inveſtigantem, & noxia gramina abſcidentem. Ad quem ſub ſibili voce ſilentíque, quod nequaquam aliqua Sororum audire potuerat, ait: Defer, inquit, nobis ex lactucis Frater Lanfrede. Hæc illa innuendo magis quàm loquendo affatur. Hæc præfatus Frater narrare conſueverat, qui adhuc ſupereſt. Mirum dictu! vox quæ parvo anhelitu & nullo alio audiente emiſſa fuerat, in aures Fratris admodùm pervenit, quaſi in præſentia Fratris ipſius dicta fuiſſet. Erat autem ſpatium inter ipſos quaſi ſtadiis quatuor aut eo ampliùs.

* *al.* Landefridum.

Deus Baſino ſuggerit inopiam Salabergæ.

22. Accidit quoque & aliud miraculi genus. Cùm quodam tempore in coquinæ officio (ut mos erat) per hebdomadam ſuam Sororibus deſerviret, & piſciculi vel alia quælibet Monaſticis uſibus apta minimè ſuppeterent, BASINUS Archidiaconus ejuſdem urbis in domo ſua recumbebat: vóxque in ejus aures inſonuit dicens: Noſti quòd Abbatiſſa onus coquinæ Sororibus exercet? ad eam viſendam deberes quantociùs properare. Sed ille leviùs retinens neglexit. Cúmque uſque ter fuiſſet admonitus, etiam inſuper verbera minatur adhibere. Quid ageret, quid tantæ Matri deferret, minimè ad hujuſcemodi opus habebat. Tandem aliquando domum egreſſus, in foribus oſtii reperit hominem piſcem miræ magnitudinis geſtantem. Quem Divino nutu adlatum credens, dato dumtaxat pretio piſcem beatæ Matri detulit, ex quo illa pulmentum Sororibus adhibens omnéſque uſque ad ſatietatem refecit. Quod ne quis deinduſtria factum credat, ſed nutu Divino ad ejus refectionem exigendam præparatum.

Salaberga febre probatur.

23. Quàm verò quanto tempore in hac vita omnipotens Deus dilexerit, immo ut aurum obrizum purgaverit, ſilentio non eſt prætereundum. Quodam namque tempore febrium venâ accensâ quamgravi moleſtia corporis perferebat, itaut loquendi facultatem amitteret. Sed cùm meliùs Chriſto præſule convaluiſſet, ſciſcitata immo flagitata à Sororibus quidnam talis fuiſſet correptio illa, ferventi ſpiritu reſpondit: O dulciſſimę Sorores, quid inveſtigare vultis rei cauſam? à ſævis namque nimiùm & tetris opprimebar ſpiritibus: quando autem meliùs convaleſcebam, duæ alæ dorſum meum venientes gyrabant, quarum viſio auro puriſſimo pulchrior erat: nam & ſummitas earum gladio ancipiti acutior ſentiebatur. Cùm autem ab his vallabar, fugiebant teterrimi ſpiritus. Quid autem aliud per hanc datur intelligi, niſi ut omnipotens Deus plaſma ſuum in præſenti dumtaxat purgaret vita, & dextræ ſuæ protectione roboratam cum Sanctis aggregaret? Alæ enim in Scripturis ſanctis ſupernæ intelliguntur poteſtates. Convaleſcens corpore ſed mente robuſtior, anno & novem non plenis menſibus vixit, tentatione exacta.

Commendatur.

24. Nam quis valeat ejus ſanctitatis ſagacitatíſque aſtutiam condignis referre præconiis, cujus caritas & humilitas cunctarum ſubjectarum ſibi præeminebat miræ dulcedinis & bonitatis affectu? Erat enim hilaris vultu, venuſtáque adſpectu, alacris in colloquio, moderata in verbo, conſilio prudens, in ordinandis Cœnobii cauſis præcipua, ſagax ingenio, eleëmoſynarum amori dedita, & hoſpitalitate non pigra, in Regulari norma diſcreta, imitans ſanctarum feminarum Melaniæ videlicet & Paulæ vitam, quarum Melania, ut B. Hieronymus ait, nobiliſſima Romanarum feminarum, & Marcellini quondam Conſulis filia, Heroſolymam navigavit, ubi tantum humilitate & caritate inſignis exſtitit, ut Theclæ nomen acceperit. Paula verò relicto patrimonio Urbano, Græcorum

orta proſapiâ Bethleemitica rura experens, ſumma bonitate & humilitate vitam degens ſacrum Domino ſpiritum reddidit. Et ut altiora repetam, B. Salaberga imitata Helenam Auguſtam Conſtantini Auguſti Matrem, ut hiſtoria narrat Eccleſiaſtica, mortificatis carnis membris mundique pompis poſtpoſitis, quotidianis Deo famulabatur obſequiis. Quidquid enim in Cœnobio utilitatis, & quæ munditiæ eſſent exercendæ, ſibimet deputabat. Coquinam verò vel reliquas cauſas quæ Monaſticis rebus peragi ſolent, viciſſim ſuis hebdomadibus miniſtrabat. CIRC. AN. DC. LV. SEPT. XXII.

25. Sed cùm hæc & cetera his ſimilia bona Chriſto præſule faceret, quodam tempore vidit in manſione quam frequentare ſolita erat, tabernaculum è polo miræ claritatis & ſplendoris deſcendere, quod deorſum ſpatioſum & ſurſum arduum videbatur: in quo recepta avis miri candoris ac ſplendore nimio fulgens, eam apprehenſam in ecſtaſi poſitam, immò tranſlatam trans fluvium quemdam ingentem aſportavit & in prata valde amœna immiſit, ubi diverſorum florum & immenſa odoramentorum genera fragrabant: atque inter candentia lilia & roſarum rubentium flores, vidit immenſa infantum agmina utriuſque ſexus, niveis cycladibus & laureatis capitibus ovantes, inter quos & MAGOBERTUS puerulus aderat. Qua viſa ait: Agnoſcis me Mater? Illa ait, Neſcio. Reſpondit puer: Ego Magobertus ſum filius AMILIANÆ, quem ante te miſiſti, & ſum modò in illa claritate quam cernis. Vidit quoque venerabilem virum ANSERICUM Pontificem [a] obviam ſibi venire. Ad quam ait: Agnoſcis me? At illa fatetur ſe ignorare. Ego ſum ANSERICUS Epiſcopus Sueſſionum quem crebriùs in domo tua arcerſitum vidiſti: Veni & oſtendam tibi valvas paradiſi, & oſtendam civitatem Dei altiſſimi & duodecim ſedes Apoſtolorum ex auro gemmiſque rutilantes. Cui & ait: Ecce tibi locus præparatus eſt. Sed quia B. MARIA precibus Sororum, eoquòd eis ſis adhuc neceſſaria, deprecata eſt Filium ſuum, ut à ſuperis celeriùs illuc revertaris, præmia poſſeſſura tibi à Domino collata. Interim avis illa iterum eam apprehenſam, in ore ejus anhelitu recuperato, à ſuperis remiſit. De morte præmonetur.

26. Igitur dum quadam nocte ſoporem caperet, in ſpecie venerabilis viri WALBERTI, utpote Angelus Domini apparuit ei tertiò, qui cingulum ejus de renibus abſtractum ſecum detulit. Quod cingulum ulteriùs non comparuit: ſignificans (ut opinor) quòd in poſteritate ejus honor ſucceſſionibus adcreverit. Qui ut ipſa referre ſolebat, candore nimio fulgebat, & hac voce admiranda affatur feminam: O dulciſſima filia, præpara te ut accipias bravium & exitum tum præſtolare: quia & ego ex victoria tua cupio bravium accipere, quia centeſima ex hac die dies vocationis tuæ eveniet, ut laboris tui fructum quem cum magno ſudore quæſiiſti, cum multiplicato fenore in horreo Domini tui recondas. Hæc audiens illa, unam ex Sororibus ſibi familiarem accerſitam, vim ſomnij tenorémque rei pandit, & ceteris promere diſtulit. Angelus autem Domini præcepit ei, ut per ſingulos dies ac noctes infra illum centenarium numerum expleret Pſalterium. Ab illa igitur die cœpit vigiliis, jejuniis, pſalmis & orationibus, plus ſolito Domino vacare, quanto firmior de promiſſo, tanto alacrior de obſequio. Uſque ſecundò.

27. Ante viceſimum autem diem vocationis ejuſdem, pedum dolore tacta lectulo decubuit, ut de viro perfecto ſcribitur: *Florebit amygdalus, impinguabitur locuſta, diſſipabitur capparis: quoniam ibit homo in domum æternitatis ſuæ.* Noviſſimè expleto officio, convocatis Sororum agminibus, hac eas voce affatur: Permanete in ſervitio omnipotentis Dei, ô Famulæ Chriſti, quia non qui cœpit juxta Divinum oraculum, ſed *qui perſeveraverit uſque in finem, hic ſalvus erit.* Ægrotat. Eccleſ. 12. 5.

28. Interea ut adſolet in rerum opulentia diſcordiam etiam inter propin- Moritur.

[a] Anſericus Sueſſionum Epiſc. anno DC. XXV. Concilio Remenſi ſubſcripſit, vixítque ad annum circà DC. LII.

CIRC. AN. DC. LV. SEPT. XXII.

quos generari, Germanus BODO aliquas villas quas per chartarum ſeriem ad ipſum condonaverat Cœnobium, illicita uſurpatione retinebat. Sed comperta germanæ ægritudine, dum illa pro hac re anxia Dominum deprecaretur, ſumma cum feſtinatione ad eam venit: móxque chartas invicem roborantes, hactenus totum ratum perduxit. Sed cùm ſenſiſſet ſe migraturam à corpore, valedicens Sororibus, ITALUM Preſbyterum popoſcit, ut pro ſe (ſicut mos eſt) expleret officium. Et hæc efflagitans ſacrum emiſit ſpiritum, Sanctorum aggregata cœtibus, perceptura duplicia in æterna gloria à Chriſto, cui virtus & imperium in ſæcula ſæculorum, Amen. Obiit præfata famula Chriſti x. Kalend. Octobris [a], qua die ſancta Thebæorum duce Mauritio Acauno celebratur paſſio. Reliquiæ quoque ejus in eodem conduntur loco, ad cujus polyandrum* claræ poſt obitum patuerunt virtutes.

* ſepulcrum

a Quo anno S. Salaberga obierit, non facile eſt definire. Cùm poſt Bajoariorum converſionem à B. Euſtaſio ſanata eſt, adhuc *tenera ætate* erat, teſte Jona in Vita Euſtaſii: quam tamen duobus Fratribus *ætate præferentem*, id eſt ſuperiorem fuiſſe, propriæ Vitæ Scriptor num. 5. affirmat. EUSTASIUS paullo poſt ſuum ex aula Chlotarii regreſſum, qui anno DC. XIV. contigit, prædicationem apud Bajoarios aggreſſus eſt, anno ſcilicet DC. XVI. aut ſequenti. Expeditione peracta anno circà DC. XVIII. GUNDOINUM inviſit, lumenque reſtituit SALABERGÆ, quæ anno ferè DC. XXII. RICHRAMNO nupſit. Eo poſt duos menſes mortuo Salaberga cùm biennio vidua manſiſſet, BLANDINO cognomento BASONI nutu Dagoberti jam in Auſtria regnantis reluctans copulatur. *Poſt diuturnam ſterilitatem*, hoc eſt poſt annos minimùm ſex, B. Remigii patrocinio liberos tulit, primò quidem filias tres, SARETRUDEM, EBANEM, & ANSTRUDEM: deinde filios duos, EUSTASIUM & BALDOINUM ſeu Balduinum, quos omnes non ſæculo ſed cælo peperit & ſacravit. Et quidem Auſtrudem tertio loco natam anno circà DC. XXXV. genuit. Porro cùm Auſtrudis in Cœnobii regimen vicennis ſucceſſerit, ut in ipſius Vita legitur; Salaberga anno circiter DC LV. obiiſſe dicenda eſt. Certè dum Jonas S. Euſtaſii Vitam ſcribebat, (ſcribebat verò poſt annum DC. XLIII.) Salaberga *adhuc ſupereràt & Divinis obſequiis dedita, non ſolùm ſuæ utilitati, ſed & aliorum ſaluti providens opportuna*. Ipſius ſacra oſſa thecæ partim argento, partim aurichalco fabrefactæ, Theodori Carlierii aurifici induſtriâ ac piâ munificentiâ nuper reſtitutæ ac gemmis ornatæ incluſa unà cum S. Auſtrudis filiæ Reliquiis, in majori Eccleſiæ S. Johannis Baptiſt. altari adſervantur. Illic cernuntur hinc quidem corpus S. Balduini Salabergæ poſtremi filii, de quo in Vita S. Auſtrudis agemus; inde verò S. Floccelli Martyris magna pars corporis unà cum particulis SS. Baſonis Salabergæ poſterioris mariti, Rodonis ipſius fratris poſtea Tullenſis Epiſcopi, & Euſtaſii filii *infrà pueriles annos defuncti*: quos omnes inter Cælites habent & colunt opidani Laudunenſes. Nec mirum, ſiquidem Salaberga ita vixit: *ut omnem domum ſuam non ſibi ſoli, ſed marito ſimul & liberis Chriſti faceret Eccleſiam*, ſuprà num. 11. In parte poſtica altaris leguntur hi verſus antiquiùs exarati.

Hic veneranda gravi recubas Salaberga ſub arce,
Euſtaſi, Anſtrudis, Baſo, Goarde, Bodo,

S. Salabergæ Tranſlatio, de qua in Vita S. Auſtrudis, XI. Kalend. Martii celebratur. Servatur etiamnunc in ipſius Monaſterio Campanula, quam cervæ collo alligatam, ad tonitrui pericula propulſanda, Salabergæ cælitùs allatam tradunt in gratiam Auſtrudis filiæ, quæ ad tonitrua terriculoſior erat. Hinc Salabergam cum cerva campanulam in collo habente pingi antiqui moris eſt. Quam campanulam adverſus tonitrui impetus multùm valere conſtans eſt traditio plurimis conteſtata experimentis, monétque vetus hæc inſcriptio: *Reliquiæ S. Salabergæ, & campana præſens, expellunt febres, & ipſa tonitrua pellit.* Quippe aqua in iſtius cimbali cavitate benedicta febricitantibus propinari ſolet. Denique ejuſdem ſanctæ Abbatiſſæ pedum ligneum ſerico opertum ibidem oſtenditur cum officii Divini Breviario, quod uncialibus litteris conſtat.

CIRC. AN. DC. LV. DEC. IV.

VITA S. SIGIRANNI ABBATIS LONGORETENSIS PRIMI.

Ex Mſſ. codd. & Philippi Labbei Bibliotheca, omiſſo Prologo.

I. ATHLETA igitur Chriſti SIGIRANNUS * ſolo Biturico nobili & progenie ortus, meritis tamen & fide ſuum nobilitavit natale, ad præmium vitale feliciter noſcitur perveniſſe. Hujus quoque propagator naturâ non infimus, carnalis videlicet pater, exſtitit nomine SIELAÏCUS*, ejúſque genitrix bonis omnibus exſiſtens famulatrix, prædicto viro ſociata eſt felici in connubio. Ex his ergo duobus ritè conjunctis bonæ indolis beata proles proceſſit Sigirannus, qui etiam in primæva ætate eſt tranſuectus & in ſcholis traditus, quatenus litterarum primordia (ut ſolet) in pueritia Domino favente perciperet efficacia. Deinde verò tranſacto tempore FLAUCADO cuidam potenti viro causâ nutriendi adjunctus, Francorum in palatio

* *S. Cyran.* Sigirannus nobilis Biturícenſis fit Regis pincerna.

* *al.* Sigelaïcus.

latio devenit, ibíque ab eodem, ad altiora (ut ſæculi dignitas ſe habet) venerabiliter provocatus, pincerna Regis in pueritia eſt deputatus. CIRC. AN. D. LV. DEC. IV.

2. Eodem namque tempore ſupradictus genitor ejus Sielaïcus Epiſcopus[a] Turonis jam urbis eſt ſublimatus. Quíque conjunctus jam in amicitia cuidam potenti viro ADROALDO ſcilicet nomine, eíque filiam ſuam, ut eſſet *, præfato ſponſavit filio. Cujus mens beati ſcilicet Sigiranni Patre neſciente ad alta jugiter tendens ad Dominum, à ſæculi actibus deſiderabat ſe facere alienum, illud ſemper præ oculis ponens: quia qui voluerit amicus eſſe hujus ſæculi, inimicus Dei conſtituetur. Et quia nempe præſcitus erat & præordinatus ad vitam juxta Apoſtolum qui ait, quos præſcivit hos & vocavit, & quos vocavit hos & glorificavit; hic beatus ad carnalem concubitum nullatenus declinare neque ſe obligare voluit, quandoquidem ſe jam Deo devoverat eſſe ſervum. Continentiam ſervare ſtatuit. * *Supple* uxor *Iac.* 4. 4. *Rom.* 8. 30.

3. Namque ut aſſolet fieri in aula Regali, ut ex nobili proſapia geniti ſecundum ſæculi dignitatem diverſis fulciantur honoribus, variíſque circumdentur ornatibus; hic per omnia beatiſſimus animum ad aſtra ſublevans, oculóſque à ſuperfluis ac ſæcularibus comprimens, totis ad Dominum intentis niſibus jugiter flagrabat oculorum obtutibus. Si quando verò pro regali ſcilicet honorificentia, ac ne diſpar inter ſodales videretur eſſe, veſtium ſe decore indueret, ac cingulis hinc inde ornaret, &, ut ita dicam, acſi compoſitus in oculis ſe intuentium incederet, intimo cordis affectu humilium retinens ſpiritum, ſuo in pectore ſemper devotiſſimè beatificabat Dominum: immo etiam, ut fertur, ſub indumento veſtium pretioſarum crebro cilicio utens, humilitatem quam ab ineunte ætate ſemel Domino devotus conceperat, in habitu vili etiam deinceps Domino favente exercere ſtudebat. Nimirum omnem ornatum, quo exteriùs in Regis præſentia uti ſolebat, domum ad propriam remeans, à ſe protinus abjiciebat, humillimúmque ac deſpectum alium induens, jam quid quandoque Domino annuente acturus eſſet nihilominus demonſtrabat. Denique ſponſam quam pater, ſi Dominus permiſiſſet, futuram ei præviderat ſponſandam, ita omnimodis refutandam cenſebat, ut non ſolùm ſe huic ſponſæ in conjugio ſociari noluiſſet, verumetiam adeo ab ejuſcemodi ſexûs conſortio ſe elongare decrevit, ut nullatenus ſecum in aliquo miſceri permiſiſſet commercio. Audiebat enim non ſurdus auditor Apoſtolum intonantem ac dicentem ſibi; *Bonum eſt mulierem non tangere.* Illud quoque quod idem alibi ait: *Solutus es ab uxore? noli quærere uxorem.* Quod idem vir beatiſſimus & omni laude venerandus jam corde ſitibundo exhauriens, quod audierat, volvebat ſemper intrinſecus animo, quod poſtea explere cupiebat toto niſu devotus in Domino. In aula modeſtiam in habitu præfert. Conjugiũ fugit. *1. Cor.* 7. 1. *ibid.* 27.

4. Verè etenim hic beatus per omnia Sigirannus licet corporaliter inter homines in ætate ſcilicet adhuc juvenili foret conſtitutus, inter Athletas tamen Dei atque Chriſticolas toto deſiderio converſationem habere nitebatur, omni ſcilicet cum aviditate tractans, & utique explere deſiderans quod Apoſtolus de ſe ſuíſque ſimilibus ait: *Noſtra converſatio in cælis eſt.* Cúmque in his aliíſque ſimilibus ſanctis meditationibus de die in diem roboratus in Domino viriliter tranſigeret, ac die noctúque pervigil in ſanctis operibus devotúſque exſiſteret, pedetentim Domino annuente terreni Regis palatium deſerens, deſueſcere cœpit quod jam olim pro nihilo computabat faſtidio. Unde ei à Domino etiam deinceps non immeritò eſt collatum, & (ut ejus in poſterum ſanctitas demonſtravit) per omnia eſt attributum, quatenus poli ad ſidera æterni videlicet Regis palatium ſine cujuſpiam impedimento, ceu pennigero levíque greſſu properare quiviſſet. Illud prorſus Davidicum corde & animo indefeſsè tripudians, ſummóque cum gaudio feliciter in Domino decantans ac dicens: *Beatus quem tu elegeris Domine, inhabitabit in atriis tuis.* Piè vivit. *Phil.* 3. 20. *Pſal.* 64. 5.

5. Interim verò dum hæc agerentur nutu Dei conſilium iniit, quatenus Turonicam urbem quantocius adiret, illuſtríſque Confeſſoris Martini limina pene- Turonos petit & fit Clericus.

[a] Sielaïcus ſeu Sigelaïcus ab anno DC. XIX. ad DC. XXII. Sedem Turonenſem tenuiſſe dicitur.

Circ. An. D. Lv. Dec. IV.

trâſſet, ſéque inibi totum in Domini ſervitio pro æterna ſcilicet beatitudine mancipâſſet. Ventúmque eſt ad id, ut Chriſto quidem duce per vias rectas feliciter incedens hic beatus de quo loquimur Sigirannus præfatam ad urbem nihilominus perveniret, & eam in præſidium adiens inviſeret. Quinetiam ſepta hujus ſancti Templi cautè ingrediens, ac devotè hinc inde perluſtrans, ejus ad ſepulcrum uſque pervenit, ibíque diutiſſimè Domini ac deinde beati Martini ſuffragia poſtulans, ſic demum quod dudum exoptaverat ſui capitis comam, ut perpetim Chriſti in ſorte Clericus permaneret, totondit. Quod audiens Pontifex qui tunc huic præerat civitati, gratanter accepit, quódque etiam hac in re peractum erat libenter indulſit, immo etiam exili gremio Clericorum fidelium eum collocare decrevit, ac deinceps dum adviveret, in cœtu inibi cohabitantium unanimem eſſe delegavit.

Archidiaconus inſtituitur.

6. Cúmque hic electus Dei infra gregem foret admixtus, ſanctíſque actibus eſſet jugiter intentus, ad caritatis gratiam in cunctis ſe ſtudebat reddere aptum, ut omnibus ſe cernentibus atque colloquentibus videretur placere. Namque ſingulis quibuſque tam ſenioribus, quàm etiam coæqualibus, necnon ſubjectis ita fiebat affabilis & congruus, ut propter ejus mellifluam nectareámque eloquentiam omnes circumquaque illi adhærere cuperent, ejúſque ſancta veſtigia imitari vellent. Dum igitur taliter, ſícque Deo devotus exſiſteret, & ad ſupernæ vitæ patriam totis deſideriis anhelaret, ab omnibus ejuſdem loci degentibus unanimiter Archidiaconus eſt electus, atque à Pontifice ipſius civitatis, omnibus Eccleſiis illius diœceſis eſt ſubrogatus. Sed idem Athleta Chriſti perſpicuus, ac belligerator præcipuus, quantò forinſecùs in ſublime attolli videbatur ab hominibus, eò apud ſe humilia ſentiebat intrinſecùs juxta illud præceptum ſapientiſſimi Salomonis: *Quantò magnus es, humilia te in omnibus, & coram Deo invenies gratiam.*

Bonis operibus ab urbis Rectore appetitur.

7. Hinc denique cunctipotenti Domino ſuffragante eodem almifico videlicet Sigiranno in hoc culmine inſtituto peractum eſt, ut quidquid contra piorum Principum decreta, quorum quondam laudabilis exſtiterat vita, ineptum atque contrarium reperiri potuit, ad priſtinum prudentiſſimè ſtatum revocare curaret. Nam eleëmoſynas de rebus propriis pauperibus omnibus, viduis ſcilicet & orphanis, miſeris ac deſtitutis ita ſtrenuè largitérque diſtribuit, ut pænè in prædiis quæ ei ex poſteritate parentum ſucceſſerant, quid vel parumper reſiduum eſſet. Dum hæc igitur ab eodem Sancto jugiter agerentur, Deóque placita ejus opera fierent, antiquus hoſtis qui bonis ſemper ac Sanctis inſiſtens eſt ut deſtruat, molitur ut feriat, immiſit in cor cujuſdam perfidi nomine Stephani, qui tunc fore * videbatur rector præfatæ civitatis ſub ditione fiſci ſcilicet calliditate ſuperatus, quatenus ſub cuſtodia eum publica vinctum manciparet. Sed qua de re hoc faceret, nihil aliud quid invenire quiverat, niſi quia hic Beatus piis ſanctíſque operibus inſiſtebat, quòd eſſet amens aliis mentiendo affirmabat. Sed idem Dei cultor Sigirannus, quia non amentiâ infectus, ſed de ſanctitate & merito bonorum actuum apud Dominum foret venerandus, confeſtim Chriſto opitulante omnibus eſt patefactum, ex ejus ſcilicet magnificè geſtis ac per eumdem patratis. Namque infelix prædictus ac crudelis tyrannus, qui Dei electum fruſtra conatus eſt conſtringere loris validíſque mancipare compedibus, ipſe (ut fertur) amens effectus, & à quodam ſpiculatore in ſua amentia ſuperatus, vitam amiſit miſerrimus gladio interemptus. Non quòd hic pius ac pater eximius malum pro malo huic reddere vellet, qui in ſe peccantibus non vicem reddere, ſed indulgentiam paterno amore noverat exhibere: ſed actum tantùm Domino permittente (ut reor) creditur fore, qui miracula in Sanctis ſuis nonnumquam infidis etiam ut credant miſericorditer vult demonſtrare.

* eſſe

Sæculi contemptum cogitat.

8. Quapropter hic Deo devotiſſimus & vigil ingenio Chriſti Levita Sigirannus, necnon confeſſor Domini præcepta providens adimplere magis magíſque

in ſanctis ſe exercere ſtuduit actibus, qui etiam mundi caduca pro nihilo deputans, patrimonia ſua & omnia quæ habere poterat egenis ac pauperibus erogans, ſolum Deum promereri ſatagebat attentiùs. Audiverat enim non ſegnis proviſor nec impiger operator Evangelium intonans, ipſúmque Dominum dicentem: *Si vis perfectus eſſe, vende omnia quæ habes, & da pauperibus, & habebis theſaurum in cælo, & veni ſequere me.* Illud quoque quod alibi ait: *Niſi quis renuntiaverit omnibus quæ poſſidet, non poteſt eſſe meus diſcipulus.* Ergo electus hic Dei famulus his ſanctis monitis ſagaciter obedire contendens, Dei largiente clementia agere nullatenus diſtulit, quod monendo non ſegniter audivit: immo etiam ita ſemetipſum ex omnibus nudare vel exſpoliare ſtuduit, ut Chriſtum qui de ſemetipſo ait: *Filius hominis non habet ubi caput reclinet*, per omnia nudus ſequi potuiſſet. Quin potiùs cum illo qui pro nobis omnibus patibulum Crucis ſuſtinuit, cum ipſo crucifigeretur, crucémque poſt ipſum deferret abnegare ſeipſum. Erat enim idem almificus atque egregius Chriſti Confeſſor in ſanctis actibus valde admirabilis, & in ſancta converſatione omnino præcipuus. Nam illis in locis quibus ipſe natus aut converſatus fuerat, vix aut nullatenus reperiri poterat ſimilis, vel qui ejuſdem imitari quiviſſet exempla. Accidit autem illo tempore ut quidam Epiſcopus ex partibus Hiberniæ adiret iſtis in partibus, FALVIUS* ſcilicet nomine, qui ſanctitatis gratiâ præpotens atque fultus, ſanctíſque actibus ad plenum erat expertus, cujus etiam vita hinc inde longè latéque procul redolens propalata eſt in audientium auribus. Quod etiam hic beatus audiens Sigirannus, ſtuduit ſe illi viro conjungere, & corde ac opere omni cum amore illius ſanctis actibus adhærere: à quo equidem in religione ſanctitatis vitæ quam olim conceperat eſt viriliter roboratus, maximè quia plerique erant ei contrarij, eoquòd priſcorum Patrum normam tenens, in ſanctitate & juſtitia vitam ſuam peragere ſatagebat.

CIRC. AN. D. LV. DEC. IV.

Matth. 19. 21. *Luc.* 14. 33.

Matth. 8. 20.

* *an.* Salvius?

9. Denique FALVIUS Romam tunc temporis directus, beatus necnon Sigirannus ejus eſt veſtigia inſecutus: quòdque in circuitu huc illuc audientes nonnulli eorum ſunt exempla ſecuti, cupientes ab eis ſanctâ doctrinâ omnimodis imbui. Quíque prædicti illuſtres viam quam cœperant peragentes, Sanctorum loca hac illácque perluſtrantes, tandem Romam adierunt in ſancta converſatione ſodales. Inſtabat namque tunc temporis botrionum collectio, id eſt vindemiæ ſectionis ad prelum uſque deducentis. Cùm verò tantiſper inibi unanimes morati fuiſſent, vidiſſétque jam ſæpedictus almificus Sigirannus incolas loci illius immenſis laboribus deſudare, maximéque ut hoc tempore vindemiarum ſolet accidere non minimè fatigari, relictis paulliſper ſuis prout tempus dictabat in contubernio Fratribus quibus erat in ſodalitate devinctus, cuicumque pauperum vel indigentium neceſſitudinem fore vidiſſet, ſuis ſcilicet humeris onus imponens afferebat ſubſidium cunctis. Dicebat enim iſte Beatus, ſe nullatenus aliter neceſſarium velle percipere victum, niſi quem proprio acquiſiviſſet labore manuum, illud videlicet adimplere geſtiens carmen Davidicum: *Labores*, inquit, *manuum tuarum quia manducabis, beatus es & bene tibi erit.* Taliter quoque hic Beatiſſimus loci illius hominibus largifluam caritatem atque miſericordiam exhibens, tantam ab omnibus illis incolis Domino favente gratiam eſt adeptus, ut ſecundum Apoſtoli dictum fieret ſpectaculum Angelis cunctíſque ſe cernentibus vel intuentium oculis. Dum tamen ita perageret, in ſodalitate qua ſe junxerat omni cum humilitate revertens, unanimem ſe ſociare curabat. Sanctorum ſiquidem ſe inculcare cupiens normam, Apoſtolorum quoque ſalutiferam unanimitatem, illud ſcilicet jugiter reducens ad memoriam: *Caritas fraternitatis maneat in vobis, & pacem habete inter vos*, ita deinde hic Dei cultor divinitus inſpiratus tantam à Domino promeruit gratiam, ut quicumque ejus colloquium meruerunt petere, ita dicam ex diverſis acſi floribus adornati, ſanctorum videlicet actuum relatione ab eo rite inſtructi, ovantes ad ſe redierunt imbuti. Nonnulli equidem è propinquis regionibus, opidíſque

Romam cum Falvio Hibernenſi Epiſcopo pergit.

Vindemiatorum onera levat.

Pſal. 108.

1. *Cor.* 4. 9.

Iter ſuum perſequens multis prodeſt.

Hebr. 13. 1.

CIRC. AN. DC. LV. DEC. IV.

atque caſtellis ejus mellifluam & uſquequaque prædicationem audientibus magnificam, ſæcularia & caduca, quæ libenter incolebant, converſi ad Dominum funditùs reliquerunt: & qui antea aridi & ſine fructu bonorum operum, à Deo alienati in ſæculo degebant, Domino largiente per eumdem ad fructum juſtitiæ quantociùs reverſi, moribus & vita Dominum acclamabant. Namque Sanctorum acta libróſque divinos pro jugi aſſiduitate legendi uſque ſecum detulit adiens Romam, quatenus ſanctarum ſcripturarum imbutus ſcientia, ſéque & alios confirmare quiviſſet in ſancta religione atque doctrina.

Roma reverſus duo Cœnobia conſtruit. * *num.* 2.

10. Interea verò cùm taliter in ſpirituali negotio inſiſteret, FLAUCADUS cujus mentionem ſuprà fecimus *, ut fieri ſolet, homo prædives, Francorum palatio florebat præ omnibus. Data verò ſibi occaſione, ut fertur, pro quibuſdam cauſis dirimendis B. Sigirannus Româ progrediens, iterum ad prædicti Flaucadi amicitiam repetiit, ſive ut opinor quia ab eodem in Regis palatio pridem fuerat collocatus, ſemper cogitationem ferens, cum quo fuerat quibuſdam ſpatiis temporum puerulus enutritus. Cum quo etiam diutiùs moras innectens, ſuíſque mellifluis affaminibus ſe illi conglutinans in ejus amore non mediocriter eſt illapſus. Quippe conjuncti in ſancta ac ſpirituali meditatione tractare cœperunt, qualiter pro Dei amore locum inſtituerent, ubi ſub norma & ſancta religione Domino opitulante Monachi vitam præſentem tranſigere potuiſſent. Tunc quidem locum compendioſum, ut illis viſum eſt, qui MILLEPECUS [a] dicitur, intra ſaltus Brionis elegerunt, ibíque ad opus prædictum prout poteſt fieri quantociùs ædificari cœperunt. Etenim licet per tempus exiguum ut fieri aſſolet, primitus tamen parvam conſtruxit cellulam in eodem loco ad hoc opus præfatum: in qua aliquantiſper temporis ſub ſancto Ordine cum paucis Fratribus eſt converſatus, & in ſancta religione Domino cooperante non minimè eſt ſolidatus. Dúmque inibi diebus ac noctibus pervigil iſte Sanctus in Dei laudibus Deo prolixiùs vacaret, nutu Dei accedente alium commodum iterum reperit locum in ipſius prædicti Flaucadi prædio, cujus Longoretus * noſcitur eſſe vocabulum. Nam idem locus in jamdicto ſaltu Brionis noſcitur ſitus, habens è regione fluvium decurrentem Claſia * vocitatum. Etenim quia amœnus valdè locus ad eum incolendum dignoſcitur, & eſt quidem affabilis ad habitandum & habilis ad piſcandum, ideóque Beatus illic frequentiam habere videbatur. Et quia idem Flaucadus in loco eodem, videlicet ſuprà jamdicto fluvio propinquam habebat domum, per ipſius voluntatem B. Sigirannus, haud procul à domo figens tentorium parvulum ex lignis, illis in diebus ut fieri ſolet in primordio, juxtà condidit habitaculum. Verùm etiam ſæpe Flaucadus dictus, cujus erat ipſa domus, cùm carnalibus divitiis eſſet redimitus, & in carnali voluptate per omnia deditus, necnon in Regis palatio ſublimatus, adverſus quemdam virum Chriſtianiſſimum ſuúmque primum alumnum nomine WILLIBALDUM [b], elatus videlicet faſtu ſuperbiæ, eumdem neci ut traderet cœpit inſiſtere. Quo etiam tandem devicto Regíſque conſultu ſuperato ac mortuo, dum malignum utique votum ſuum incunctanter peregit, ſemetipſum interiùs exteriúſque morti addixit. Et quia malum pro bonis reddere maluit, cui nimirum oportuerat reddere bona pro bonis, undecimo die pòſt tranſacto exitiale funus meritò eſt adeptus.

* *Longuret, Lonrey* in Briona.
* *la Claiſe*

Flaucadi facinus. *b*

Sigiramnus oleum ab Epiſcopo Pictavorum accipit. * *f.* Conſul *vel* concivis

11. Interea verò dum iſta agerentur, nullatenus eſt à nobis reticendum, quod huic de quo loquimur ſcilicet Sigiranno à Domino collatum eſt. Quidam etenim vir conſcius * videlicet Pictavenſis MAGNOBODUS nuper prout quiverat

a Millepecus ſeu Millebecus & Millebeccus Monaſterium Ord. S. Benedicti, vulgò *Meobec*, etiam nunc exſtat in tractu Brionenſi, *Brenne*, Diœceſis Bituricenſis.

b De Flaucadi ſeu Flaocati odio in Vvillibaldum, ipſiúſque Vvillibaldi nece quæ poſt Concilium Cabilonenſe Chlodovei anno IV. Chriſti DC XLI. accidit, legendus Fredegarius qui Flaocati morte Chronicon ſuum clauſit. Flaocatus Majordomus erat Chlodovei in Burgundia, cui Bituriges reſpondebant: Vvillibaldus Patriciatum ſeu Præfecturam Transjurenſem adminiſtrabat.

huic ſanctiſſimo viro in amicitia ſe devinxerat, qui etiam cùm potens eſſet & in facultatibus prædives, oleum in vaſculo quo ſolet recondi B. Sigiranno libras mille (ut fertur) impoſito plauſtro pro munere direxit. Cúmque illius Legatarij qui illud ad hominem Dei uſque deduxerant in jamdicto puſiolo loco, quod ſibi velut tugurium ex lignis contextum, ut ſuprà meminimus, nuper conſtruxerat ad degendum deponere vellent, idem Beatus divinitùs inſpiratus prohibuit illis dicens: Deo bonorum omnium largitori referimus gratias, fratres, deinde amico benevolo qui nobis causâ dilectionis hoc munus contulit: ſed nunc in hoc loco nullatenus deponi poteſt, ſed exſpectate paulliſper, quia non poſt multum dabit Dominus locum ubi vobis aderit opportunum deponi. Tertio igitur die pòſt Flaucadus mortuus nuntiatur, quod hic homo Dei per Spiritum-ſanctum præviderat afflatus. Cognito itaque ab omnibus quòd ut vir Dei in ſpiritu præviderat, locus ei à Domino alibi fuerat præparatus, illuc ociùs adventantes, depoſuerunt olei dolium, ſicuti à viro Dei fuerat prænuntiatum, illo nempe in loco qui LONGORETUS [a] dicitur, ejus inhæſerat animo, eoquòd aptus atque conveniens illi fore videretur ad Monachorum catervam degentium. Nam eodem in loco adiens, ibíque favente Domino ipſóque Flaucado ſcilicet annuente & propinquis ejus deinceps ſub ſancta Regula à beato edita BENEDICTO degens, congruum inibi Monachorum conſtruxit ædificium, quod idem Monaſterium per plura annorum curricula ſtrenuè regens, illud magnis opibus ditavit, plurimóſque ex circumquaque ad Dei cultum advocans, ſub Sanctorum Patrum inſtitutis vitam illos tranſigere monuit.

CIRC. AN. DC. LV. DEC. IV.

a Cœnobium exſtruit Longoretenſe.

12. Sed iſta prælibantes, illud quoque nequaquam putavi ſilendum, quod illis in diebus per hunc virum almificum omnipotens Dominus patratus eſt miraculum. Quodam itaq; die cùm propter negotiũ aliquod dirimendum iterum ad ſupradictã cellulam deveniſſet vocabulo ſcilicet Millebeccum, quidam advenientes Latrunculi equos quos ipſe vel ſui inſederant, furtim ut venerant eos noctu abſtulerunt. Tota ergo nocte illa circumquaque per iter devium cum illis divertentes, putabant ſe recto calle longiùs ire. Facto quidem mane diluculo ac diei aurora coruſcante, præfati latrones cum equis quibus inſidebant ad ipſius cellulæ januam unde ſibi eos nequiter adſciverant, licet illi nolentes, reperti ſunt ſoſpites. Quo itaque cognito fures equis extemplo relictis fuga immani perrexêre, equi verò Domino annuente, meritíſque ipſius almi Sigiranni jure proprio recepti ſunt. Quanto putamus amore Dei hunc ſanctiſſimum Sigirannum dignum exſiſtere in cælo, cui tot beneficia contulit dum adhuc præſens eſſet in terra Divina clementia? Unde etiam nunc beatificantes laudes referamus almipotenti bonorum omnium Domino largitori, qui híc & in ævum Sanctos ſuos glorificat, & qui iniquitates meditantur in cubili ſuo, adeſt (niſi convertantur) ut auferat de terra memoriam eorum. Quapropter præfati maligni ac perfidi qui contra hunc virum iniqua agere decreverunt, in malo ſuo celeriter fruſtrati, eorum iniquitas mentita eſt ſibi. Nam peracto negotio propter quod ad præfatum advenerat locum, ſcilicet Millebeccum, progrediens inde uti ad Cœnobium itidem repedaret, die jam adveſperaſcente ad quamdam devenit villam. Sed quod ibi per eumdem identidem patratum ſit miraculum, operæpretium puto ut fiat omnibus in propatulo.

Equos ſibi ſublatos recuperat.

13. Magnificus igitur vir iſte Sigirannus hac prædicta in villa nocte jam vicina adveniens, cùm congruo etiam in loco cum Fratribus ſecum comitantibus reſediſſet, ac more ſolito in lege Domini attentiùs meditaretur, qualiter cælicas ad ædes Domino annuente pervenire quiviſſet, candela in manu tenentis eam exſtincta eſt in medio illorum conſiſtentiũ. Tum puer cum rubore acſi aper-

Candelam exſtinctam reaccendit.

a Ergo Longoretum Monaſterium, vulgò *Lonrey*, eodem anno quo mortuus eſt Flaocatus, nimirum anno DC. XLI. conſtrui cœpit. Nunc Monaſterium S. Sigiranni in Briona, vulgò *S. Ciran en Breone* appellatur, quo in Monaſterio vixit S. Barontus de quo ad annum DC. LXXXV. agemus.

Circ. An. DC. LV. Dec. IV. tè ignominioſus quantociùs abſcedere cupiens, ut lumen citiùs reaccenderet quod per ſuam exſtinxerat negligentiam; ut pater ſicut erat clementiſſimus, beatus ait Sigirannus: Noli fili in eundo diutiùs fatigari, namque nobiſcum lumen adeſt Divinum, quo illuſtrari poterimus, ſi pius permiſerit Dominus. Mox ergo ab eo impreſſo in candela Crucis ſignaculo, confeſtim illis cælitus lumen eſt reſtitutum quod caſu fuerat exſtinctum. Nempe idem Pater ab illo qui ait: *Ego ſum lux mundi*, veraciter illuſtratus, ab ipſo Auctore luminis lumen percipere meruit, quo ſe illuſtraret & alios. Hunc ergo almificum omni cum devotione veneremur, hunc per omnia jugi aſſiduitate recolamus. Hic itaque verè Beatus ritè ab omnibus eſt venerandus, quia illorum Chriſticolarum compar effectus, quos actio felix vexit in aſtris, tanta ac talia promereri divinitus meruit, licet adhuc carnigerum corpus geſtaret. His ergo tranſactis, iter quod ad Cœnobium cœperat tantumdem peregit. At verò in ſervitio Dei cui ſe ardenti animo devoverat, omni cum ſtudio ac ſedulus peragebat. Nempe ſanctorum Patrum monita perlegens, eorúmque juſſa florigera jugiter carpens, ſibi & ſibi ſubjectis vitale commercium ſagax propinare ſtudebat [a].

a Cetera deſunt in codd. MSS. In veterrimo Uſuardi Martyrologio Sigiranni memoria conſignatur pridie Idus Decembres his verbis: *In pago Bituricenſi* S. Syrani *Abbatis*. Corpus in Monaſterio Longoretenſi, S. Sigiranni dicto, vulgò *S. Cyrani*, adſervatur, præter oſſa quædam, quæ in Monaſterio noſtro S. Taurini prope civitatem Ebroïcorum habentur. Pervenit Sigirannus ad annum circà DC. LV. habuitque ſucceſſores Francardum & Leodaldum, qui Leodaldus (Si B. Baronti Monachi Longoretenſis viſioni fides eſt) Theodorici Regis anno VI. Monaſterio Longoretenſi præerat.

Circ. An. DC. LV. Dec. VII.

VITA S. BVRGVNDOFARÆ ABBATISSÆ EBORIACENSIS PRIMÆ,

Seu potiùs Liber de virtutibus ac rebus mirabilibus in Eboriacenſi Monaſterio factis, tempore Burgundofaræ Abbatiſſæ: Actis SS. Columbani, Euſtaſij & Attalæ inſtar libri tertij à Jona Monacho Bobienſi adjectus.

Ex Beda & Surio ad MS. cod. Compendienſem emendatis ac reſtitutis.

OBSERVATIONES PRÆVIÆ.

Burgundofara eadem cum Fara.

1. Burgundofaram *Virginem non aliam eſſe à* Fara *Abbatiſſa teſtatur Venerabilis Beda in lib. 3. Hiſt. Angl. cap. 3.* Cujus filia Ercongotha *(ſcilicet Earconberti Regis)* ut condigna parenti ſoboles, magnarum fuit virgo virtutum, ſemper ſerviens Deo in Monaſterio, quod in regione Francorum conſtructum eſt ab Abbatiſſa nobiliſſima vocabulo Fara, in loco qui dicitur Brige. *Et tamen in ſuo ipſius ſincero Martyrologio quale ab Henſchenio vulgatum eſt, nullam S. Faræ mentionem facit. In tractu Briegio duo tunc temporis Virginum Cœnobia erant cum adjunctis Monachorum Clauſtris, Eboriacenſe nimirum & Iotrenſe, hoc ab Adone Dadonis ſeu Audoëni fratre conſtructum in ſaltu Iotrenſi haud procul à Matrona fluvio & amne Mugra * quem minorem dicunt; illud à Burgundofara ſeu Fara Virgine erectum inter duos amnes Mugram ſeu Mucram * majorem & Albam, tribus admodùm milliaribus à Iotrenſi diſſitum. Mugra amnis uterque in Matronam influit: minor quidem paullò ſuprà Meldas opidum ad Firmitatem Auſculſi ſeu ſub Iotro, vulgò* la Ferté ſous Joüarre; *major verò, Mugra ſimpliciter dictus, paullò infra Meldas, Eboriacenſe Monaſterium quod nunc* S. Faræ * *dicitur, ab Aquilone fere attingens: cùm Alba rivulus ab Orientali Monaſterij parte in Mugram decurrat.*

Monaſteria Eboriacenſe & Jotrenſe.

* *le petit Morin*

* *le Morin*

* *Fare-Monſtier*

Fara cur dicta Burgundofara.

2. S. Fara *dicta eſt* Burgundofara *ſeu* Burgundiofara, *uti & S. Faro Burgundofaro appellatus, licet uterque ex nobili Francorum familia apud Meldas ortus ſit, eorúmque pater Theodeberi Auſtraſiorum Regis conviva & domeſticus fuerit.* Farones *quippe dicti ſunt* nobili fara *ſeu familia geniti apud Burgundos, prout ex Fredegarij Chronico conſtat: qui Fredegarius* Burgundiæ

Farones, *id eſt Optimates cap. 41. 44. & 55. nominat. Et Paulus Diaconus in lib. 2. de Geſt. Langob. cap. 9.* Langobardorum faras, hoc eſt generationes vel lineas *vocat.* CIRC. AN. DC. LV.

3. *Quæ de S. Burgundofara hic ſubjicimus, non Bedæ, ſed Ionæ Monachi Bobienſis calamo exarata eſſe conſtat. Ionas in Vita S. Columbani num. 50. ſic de Burgundofara loquitur:* Benedixit ergo vir Dei domum ejus *(Chagnerici)* filiámque ejus nomine BURGUNDOFARAM quæ infra infantiles annos erat, benedicens eam Domino vovit, de qua poſtea in ſubſequentibus narrabimus. *Et in Vita S. Euſtaſij Abb. Luxovienſis poſtquam Burgundofaræ parentes* CHAGNERICUM *&* LEODEGUNDAM, *ejuſdémque curationem ac Monaſticam conſecrationem deſcripſit; de Eboriacenſi Monaſterio ſubdit:* In quo videlicet Monaſterio quantæ virtutes poſtmodum factæ ſint, ſi vita comes fuerit proſequemur. *Hinc eſt quod à capite ſuæ ſcriptionis ſequentis;* Meminiſſe, *inquit,* velim Lectorem, me ſuperiùs narraturum fuiſſe pollicitum de Cœnobio ſupramemorato Burgundofaræ quod Evoriacas dicitur. *Vnde in apographo Compendienſi quo uſi ſumus, poſt Vitam S. Columbani Vitámque S. Attalæ duobus libris diſtinctas, continenter ſequitur liber tertius* de iis quæ in Cœnobio Evoriacas *geſta ſunt, duodecim Capitulis præmiſſis prout ea præmittimus; ac de Vita S. Bertulfi Capitulis ſeptem comprehensâ. Cùm verò Ionas in ſubjecto libro non tam Burgundofaræ geſta, quàm res inſolitas ac mirificas in Eboriacenſi Monaſterio geſtas tradat; ſuſpicari licet Burgundofaram necdum cùm hæc ſcriberentur fuiſſe mortuam: ac proinde extremam iſtius libri partem, quæ quidem in Compendienſi exemplari deeſt, adjecticiam eſſe, quemadmodum ſuo loco adnotabimus.* Dec. VII. Jonas hujus libri ſcriptor.

4. *Verùm ne S. Burgundofaræ hiſtoria manca & imperfecta videatur, hîc ſupplenda ſunt quæ de ea referuntur in Vita S. Euſtaſij ad ann. 625. ubi agitur de ipſius Virginis curatione, conſecratione, déque Eboriacenſis Cœnobij conditu ac inſtitutione, ac de Agreſtij repulſa, qui Agreſtius Burgundofaram adverſus S. Columbani Inſtituta commovere tentaverat.* Quæ hîc ſupplenda.

5. *Monaſterium Eboriacenſe ſeu S. Faræ etiamnunc florentiſſimum ac celeberrimum eſt tum numero ac religione Sanctimonialium quæ S. P. Benedicti Regulam diſtrictè ſervant, tum nomine ac opibus. Illic duplex quondam erat, ſicut in Iotrenſi Parthenone, Monaſterium, Puellarum nempe ac virorum. Teſtis eſt Venerabilis Beda in lib. 3. Hiſt. cap. 8. dum agit de ipſo Monaſterio quod* Brigenſe *vocat.* Multi, *inquit,* de Fratribus ejuſdem Monaſterij qui aliis erant in ædibus, &c. *Et Ionas in eodem loco ſe verſatum fuiſſe infra cap. 2. teſtatur. Lege S. Theodechildis Abbatiſſæ Iotrenſis Elogium infrà ad ann. 660.* Monaſterij S. Faræ ſtatus.

INCIPIUNT CAPITULA.

CAP. I. DE Cœnobio Evoriacas & de SISETRUDIS obitu & cantu Angelico.

II. De converſatione GIBITRUDIS & vitæ exitu.

III. De HERCANTRUDIS vita & obitu.

IV. De obitu ANNOFLEDÆ & cantu Angelico.

V. De ORECHILDE *(in textu* Donechilde*)* adoleſcentula & obitu ejus.

VI. De DOMNA & duabus adoleſcentulis & radio micante in ore viſo.

VII. De WILSINDA & prophetia ejus & cantu Angelico.

VIII. De LEUDEBERGA & viſione Petri Apoſtoli.

IX. De delinquentium correptione & damnatione fugitivarum.

X. De obitu Landebergæ & cantu Angelico.

XI. De affluentia olei & aquæ commutatione.

XII. De beſtia in tranſgreſſione cibi viſa.

XIII. De Vita Bertulfi Abbatis *&c. ad ann. 640.*

CAPUT I. *De Cœnobio Evoriacas & de* SISETRUDIS *obitu & cantu Angelico.*

1. MEMINISSE velim Lectorem, me ſuperiùs fuiſſe narraturum pollicitum * de Cœnobio ſupramemorato BURGUNDOFARÆ, quod EVORIACAS vocant, quod ex Regula B. COLUMBANI omni intentione & devotione conſtruxerat; quanta & qualia inibi rerum Sator ob famularum ſuarum hortamina dignatus eſt demonſtrare miracula. Cùm jam duce Chriſto multarum puellarum ſecum adunatam ſub regulari diſciplina retineret cohortem, quodam in tempore una è ſubjectis, nomine SISETRUDIS [a], Celleraria Monaſterij, exitum vitæ per reve- * *in Vita S. Columbani num. 50. & in Vita S. Euſtaſij c. 1*

a Siſetrudis ſoror fuit B. Eartongothæ Virg. de qua ad *Vitam S. Bertilia* agemus.

CIRC. AN. DC. LV. DEC. VII. lationem cognovit, quadragintáque dierum ſpatio interjecto, quo iter pararet admonita, mores corrigeret, vitam emendaret, & ſe ut in omnibus paratam habeat imperat. Tranſierunt triginta & ſeptem dies in omni religione peracti, jejunio & oratione cum fluenti lacrymarum, vigiliarúmque labore corpus attriverat, ut facilius venturi itineris viam aperiret. Venerunt ergo duo juvenes candidi circumamicti ſtolis animam à corpore ſegregantes, vacuum ferentes per aërem, ac multis diſcuſſionibus inquiſitam ad cælos deportantes, permixtámque Angelicis choris & candidatorum omnium inſertam multitudini cohortantur lætos capere de ſæculo triumphos. Cúmque jam ovans, uberi exſultatione inter æterna gaudia haberetur ſecura & Virginum choris inſerta excellenti gloria tripudians gauderet, & ante conſpectum clementis Judicis adſtaret, jubetur denuò traduci in corpus, & tertio die denuò redire. Ad corpus rurſum revehunt imperantes, ut ſe uberiùs paratam poſt triduum habeat, ut quadraginta dierum circulus impleatur.

Siſetrudis reviviſcit. 2. Reverſa itaque in corpore Matrem vocavit, omnémque famularum Dei catervam precatur ut ſuis orationibus ei ſolamen ferant: tres adhuc dies ſibi vitæ metam conceſſam fuiſſe teſtatur. Adveniente igitur die tertia Matrem adeſſe poſtulat, ſuúmque exitum ut omnes exſpectent precatur. Adſtantibus itaque omnibus vitæ exitum & corporis ſoſpitatem pollicentibus, nec in propatulo habere dictum teſtantibus, illa conſpicit duos juvenes ſuperiùs viſos ad ſe venire, & ſi jam abire vellet ſciſcitantes. At illa ovans, Vadam, inquit, hinc, Domini mei, vadam, nec ampliùs in hac vita ærumnis plena detinear, ſed fulvæ luci de qua redij reddar. Sciſcitante ergo Matre Burgundofara quibus talia depromeret dicta: Non, inquit, cernis viros ſtolâ indutos adſtare, qui me nudiuſtertius ad cælos vexerant & nunc paratos eſſe me eo itinere reducere? Miranti Matri & omnibus circumadſtãtibus ultimum vale dicens, præſenti vita privata eſt. Intendentibus ergo in ejus exitum omnibus, choros Angelicos omnes audiunt concinere & dulcia modulamina per aëra deferre, metúque ſimul ac gaudio omnes procubuere: egreſſæque foras cellulam qua excubiæ tenebantur, quantum auris valuit humana pertingere, voces ſemper Angelicas audierunt canentes. Hanc primam hujus Cœnobij exhortationem Dominus famulabus ſuis voluit demonſtrare, ut ceteræ quæ ſuperſtites eſſent, omni intentione ad cultum religionis adſpirarent.

II. *De converſatione Gibitrudis & vitæ exitu.*

3. ALIAQUE rurſus poſthæc oritur exhortatio. Quædam etenim Virgo GIBITRUDIS nomine, genere & religione nobilis, ſupradictum Cœnobium converſa à ſæculo petiit, quam velut munus gratum ovans Monaſterij Mater Burgundofara recepit. Erat enim ei conſanguinitate proxima: quæ tanti ardoris igne efferbuerat, ut in omnibus Sancti-ſpiritûs gratia in ea videretur flagrare. Nam cùm adhuc paterna detineretur domo, & Spiritu-ſancto monente ſe cultui religionis dicare vellet, poſtulat patrem matrémque, ut ſibi Oratorium quo ſuo Conditori exhiberet famulatum conſtruerent. Sed cum ægrè parentes ferrent; erant enim ambo ex genere Francorum nobiles, nec prorſus eo itinere quod ad regna perducit cælorum nitebantur ingredi, ſed fulciri magis ſæcularibus deſiderabant phaleramentis, & ob hoc ſobolem magis deſiderabant è filia, quàm ſua cælo tradere pignera. Sed cùm nullatenùs puellæ animum ab hac intentione immutare valerent, obtemperantes ejus votis, parvum admodùm Oraculum conſtruunt. Quod cùm die noctúque puella frequentaret, cœpit contra eam callidi hoſtis verſutia tela jacere, aggreſſúſque eſt per bajolam impedimenta parare, ac ne ut Oratorium frequentaret prohibere. Sed cùm ſe angi puella cerneret, cœpit Conditoris clementiam quærere, & * quæ ſibi frequentiam orandi prohiberet, atque lumen animæ vellet exſtinguere, ipſa ab æterno privaretur.

* *forte* ne

4. Nec

4. Nec morata Divina pietas : mox dolore oculorum perculſa neceſſario caruit lumine, geminavítque parentum metum Arbiter clemens, patrémque ejus febribus corripuit. Qui quamvis nobilitate tumens, tamen ex filiæ exemplo jam ad timorem Divini cultûs anhelabat, poſtulabátque filiam ut pro genitore Dominum oret : & ſi ſoſpitati per ejus interceſſionem reddatur, in omnibus ſe pòſt ejus voluntati pariturum. Nec defuit fideliter poſcenti ſalus diu dilata ; amotóque igni febris, priſtinæ eſt mox genitor redditus ſanitati, ac deinceps puella poſtulat ut ad ſupradictum Cœnobium venire queat. Quo cùm vitam religioſam per multa annorum ſpatia peregiſſet, evenit ut quodam in tempore præfata Burgundofara febribus corriperetur, ac præſentis vitæ nexibus crederetur diſſolvi. Quæ Gibitrudis cernens Matrem Monaſterij in extremo poſitam eſſe, Dominum flebilibus poſtulat vocibus, ut antiquam reminiſcens miſericordiam Matrem mori non ſinat, ſed priùs ſe recipiat ac Sodales ſuas cælo recondat, ſícque demum Matrem ſubſequi jubeat. Audítque vocem poſt lacrymas deſuper dicentem : Vade famula Chriſti, ut enim petiſti obtinuiſti. Illa etenim ſoſpes ſuperis * adhuc jungetur, tu verò priùs è carnis vinculis diſſolvêris. Nec morata diu febre corripitur, ac ſupremis functa horis animam reddidit. Cúmque jam ſuſcepta ab Angelis ſuper æthera veheretur, & ante tribunal æterni Judicis poſita candidatorum (ut ipſa pòſt referebat) catervas conſpiceret, omnémque militiam cæli ante gloriam æterni Judicis adſtare conſpiceret, audit à throno vocem dicentem : Revertere, quia adplenè ſæculum non dereliquiſti. Scriptum eſt enim, *Date & dabitur vobis*, & alibi in oratione : *Dimitte nobis debita noſtra, ſicut & nos dimittimus debitoribus noſtris*. Non enim dimiſiſti Sodalibus totum, quia tibi illatas moleſtias retinuiſti ; reminiſcere te adverſum tres compares læſos portâſſe animos, nec omninò indulgentiæ medicamine vulnus ex toto illatum ſanâſſe. Corrige ergo mores, compone animos quos tepore vel negligentia maculâſti.

Circ. An. DC.IV. Dec. VII.

Gibitrudis Burgũdofaræ prorogationem vitæ obtinet.

* *id eſt* ſuperſtitibus, *Vide Prol. Vitæ S. Columbani.*

Luc. 6.38. *Matt.* 6.12.

5. Mirum dictu ! rediens ac vitæ priſtinæ reddita, triſtibus lamentis illatam deprompſit ſententiam, reatúmque ſuum confitetur, Sodaléſque vocat adverſum quas motos animos deportârat, veniámque poſcit ne de tanta doloſitate damna incurrat vitæ æternæ : ſéxque menſibus ſanitati reddita pòſt præſenti vixit in ævo, correptáque pòſt febre diem exitûs ſui prædicit, horámque abeundi de mundo prænuntiat. Quæ ita felicem exitum peregit, ut intra cellulam qua corpus jacebat exanime, balſama crederes deſudare. Quod omnium qui eo tunc ibi fuimus tempore magnum paruit miraculum. Sed & triceſimo die * cùm ejus commemorationem ex more Eccleſiaſtico facere conaremur, & Miſſarum ſollemnia celebraremus, tanta fragrantia Eccleſiam replevit, ut omnium unguentorum ac pigmentorum odores crederes adeſſe. Meritò etenim rerum Sator hîc ſibi dicatas animas ſuis muneribus facit effulgere, qui ob ſuum amorem nullatenus voluerunt ſæculum diligere vel amare.

Redit ad vitam.

Jonas teſtis

* Nota

III. *De* Herchantrudis *vita & obitu.*

6. Quædam etenim puella intra infantiæ annos detenta, Herchantrudis [a] nomine, parentibus nobilibus, in ſupradictum Monaſterium converſa introivit. Quo cùm per multos annos vitam religioſam ageret, evenit ut juſtus Arbiter per præſentis corporis pœnas probare vellet : tantáque tenera ætas flagella ſuſtinuit, ut exemplum in ea Job ex pœnarum immanium multitudine crederes redundare. Sed mira in juvenili ætate patientia reperiebatur, mira virtus humilitatis, mira manſuetudo, mira pietas, mira lenitas, mira caritas pollebat. Inter pœnæ incendia virtus animæ manebat, inconcuſſa fides, immobilis bonitas, incomparabilis lacrymarum ubertas : inquantum cor-

[a]

Patientiæ ſpeculum.

[a] Herchantrudis ſeu Ercantrudis memoratur in Martyrol. Benedict. die XIV. Maij, eodémque die in Monaſterio S. Faræ colitur.

CIRC. AN. DC. LV. DEC. VII.

pus angebant pœnæ illatæ, tantum animam lætificabat ſpes gaudiorum & exſultatio vitæ æternæ. Tantâ cuſtodiâ Matris enutrita intra Cœnobij fuit ſepta, ut nullatenùs inter ſexuum noverit dijudicare naturam, æquè enim marem ut feminam putabat, æque feminam ut marem. Exemplum enim erat omnibus illius converſatio, patientiæ virtus, pietatis cultus, lenitatis affectus. Cúmque omnibus grata eſſet, evenit ut contra tenorem Regulæ [a] aliquid ageret. Cúmque objurgata à præfata Matre fuiſſet ut admiſſæ noxæ culpam lueret, & quoaduſque pœnitentiæ interdictæ normam implêſſet, ſe à Corpore Domini privaret. Cúmque illa ſacri Corporis privatione interdictum audiſſet, gravibus ictuata vulneribus flere cœpit. Erat enim in craſtinum ſacrata ſollemnitas B. Antiſtitis Martini tranſitûs.

[a] Interdicta communio ob violatam Regulam.

7. Pervigilans ergo ea nocte, & ablutionem culpæ exorans, ne tanti damni incurreret cauſam ut à Corpore Chriſti ſuâ culpâ ſegregaretur; meruit tandem poſt lacrymas & uberes rugitus, ac crebra ſuſpiria veniabilem conſolationem à Domino habere. Vade, inquit, & in hac die reconcilare Chriſto, quia delictum pro quo poſtulâſti dimiſſum eſt tibi, Matríque indicans patefacito quod dixi. Quod mane per confeſſionem humilem Matri patefecit, ſacróque corpori reconciliata religioſam poſtmodùm vitam peregit, ac poſt multorum circula temporum cùm jam eam Creator omnium cælo condere voluit, ignis febris corripuit: cúmque in extremis eſſet ait: Citò currentes unam è vobis mortuam ſegregate, atque à ceterarum conſortio dejicite, non enim dignum eſt ut quæ crucifixę mundo non ſibi vivunt, mortuam & à vita ſegregatã inter ſe retineant. Cúmque omnes inter ſe conquirerent, & quidnam dicere vellet ſciſcitarentur; una earum confuſa ac terrore perculſa ſolo proſternitur, ſuámque noxam confitetur, ac in omnibus ſe emendaturam pollicetur. Erat enim ſæculo vacans & foris ſæcularem vitam deſiderans, nec mortificationi omnino præbebat ſtudium, ſed tota vivebat ſæculo. Poſthæc Herchantrudis cùm jam nox atra irruiſſet & pulſa luce orbem teneret, in cellula qua jacebat, lumen ignis rogat exſtinguere. Cúmque ceteræ ſciſcitarentur quid dicere vellet; Non videtis, inquit, quantus ſplendor adveniat & choros canentium non auditis? Quærentes illæ quæ concinere audiret, illa ait; Confitemini Domino quoniam bonus, quoniam in ſæculum miſericordia ejus, vel cetera quæ ſubſequuntur, hæc omnia ora concinunt. Admirantibus ergo omnibus, tam Matri quàm Conſodalibus ultimum vale dicens emiſit ſpiritum, ac poſt felicem exitum cælo reddita, æterna promeruit gaudia poſſidere, & ex præſentibus pœnis lucra capere vitæ æternæ.

IV. *De obitu* AUNOFLEDIS *& cantu Angelico.*

8. ALIA quoque eo tempore Chriſti Virgo nomine AUNOFLEDIS, cùm extremos halitus dimitteret, & pro damno vitæ præſentis lucra perciperet vitæ æternæ, lætáque à carnis nexibus ſepararetur; ſimiles meruit exiens de ævo habere cantus ſui exitûs. Nam apertè auribus hauſit quæ procul ab ejus excubiis voces prorumperent: *Adſperges me hyſſopo & mundabor, lavabis me & ſuper nivem dealbabor. Auditui meo dabis gaudium & lætitiam, & exſultabunt oſſa humiliata.*

V. *De* ORECHILDE *adoleſcentula & obitu ejus.*

9. CUMQUE rerum Repertor majeſtatis ſuæ ornamentum juſtas per animas ac munere innocentiæ plenas per Sanctorum voces accumulare non deſinit, videlicet ut renovandi hortaminis religionis accreſcat ſupplementum; evenit ut ſupradicto in Cœnobio quædam adoleſcentula nomine DEMECHIL-

[a] Apud Bedam & Surium legitur: *Hæc tempore quodam ſacri corporis participationem interdictam ſibi ſentiens propter illuſiones nocturnas, gravibus percuſſa doloribus flere cœpit, &c.*

DIS* cum genitrice converteretur : multíſque diebus ſupradicto in Cœnobio peractis, genitricem tentator aggreſſus eſt, ut cœptum carpendi iter ad cæleſtia regna præpediret. Sed quod genitrix imbecillitate abacta fragilitatis obtemperabat, verſâ vice ob malorum coacervationem adoleſcentis filiæ correptio diſſiparet[a]. Cúmque jam per multa temporum curricula mens adoleſcentiæ annis dedita uberes fructus redderet Conditori, quodam die vidit cælos apertos & æternum rerum Satorem adſpectibus contemplata æque cæleſtis caritatis lumine intuita audire meruit : Veni ad nos, & corporis nexibus abſoluta æternam ſuſcipe claritatem. Quod cùm hæ quæ aderant mirarentur quid rei geſtæ veritas haberet, vel quod intendentes ad cælum oculi adſpicerent, nec omninò palpebris moventibus quid oculi contemplarentur inſpicerent ; ait ſe ſurſum vocari, & à præſentis vitæ nexibus abſolvi : erat enim dies ſabbati. CIRC. AN. DC. LV. DEC. VII. * *in titulo* Orechildis.

a

10. Illuceſcente ergo in craſtinum die Dominico, febre correpta, adoleſcentula ſupremum exſpectabat exitum. Videns anxia genitrix incumbentem unicæ prolis exitum, inter ſingultus ac gemitus filiam poſcit, ut ſi valeat impetrare, ſuperis* reddatur ; aut ſi ſuæ vitæ metam ſuppleat, ſe citò de hac vita poſt ſe ducat, nec poſſe ſe poſt ejus vivere exitum. Ad hæc illa : Carnalibus, inquit, hæc crebrò depoſcens deſideriis ſtimularis : ego tamen ſi valuero tuis obſecrationibus favens, poſt digna pœnitentiæ medicamenta, poſt me te Chriſto favente attraham. Nec mora, in extremis horis poſita, Monaſterij Matrem poſtulat. Cúmque feſtina Mater ad egreſſuram de mundo animam extremos honores dependere adveniſſet, ut conſpicit eam puella, ovans gratulatur, ac ei omnibúſque valedicens genitricem commendat, inter quæ poſtulat ut ſilentium habeant. Cúmque omnes facto ſilentio exſpectabant animæ egreſſum, illa ait : Date locum, Creator meus ad me venit, Salvator meus ad me properat, imperátque Matri ut Dominicam Orationem Symbolúmque dicere juvaret, quia ipſa trementibus labiis immobili affamine exprimere verba nequiret. Quibus peractis nimia amœnitate ac illuſtratione cellula renitente animam ovans reddidit Creatori. Nec mora genitrix corripitur, quadragintáque dierum ſpatio corpore flagellatur, ac impleto quadraginta dierum circulo primùm terribilibus dæmonum adſpectibus territa eſt, deinde Largitoris ope conſolata veniam ſe interceſſu filiæ meruiſſe fatetur, animámque deinceps carnis nexibus ſolutam cælo reddidit. Quippe datur intelligi, ut quæ ſuis meritis non valuit ſæculi evadere ruinas, interventu filiæ meruit pœnitendo in parvo ſpatio per pœnas illatas ſalvari. * *id eſt* vivis ac ſuperſtitibus

VI. *De* DOMNA *& duabus adoleſcentulis & radio micante in ore viſo.*

11. SI ea quæ ad perfectum vel augmentum facta ſunt perfectorum, vel etiam ad emendationem delinquentium inſerimus, nequaquam nos non neceſſarias res quiſpiam judicet compilare. Nulli quippe dubium eſt quòd aliorum damna pleroſque monendo ad capienda lucra vigilantiores reddant. Quadam etenim die Dominico cùm Miſſarum ſollemnia ſæpefata Burgundofara cum famularum collegio exſpectaret, & jam ſacri Corporis communione participarentur ; quædam ex iis nomine DOMNA, cùm jam Corpus Domini accepiſſet, ac ſanguinem libâſſet, & ſacro choro inſerta cùm comparibus caneret : Hoc ſacrum Corpus Domini & Salvatoris Sanguinem ſumite vobis in vitam æternam ; in ore ejus globus ignis candido fulgore rutilans micabat. Sed cùm à nulla adſtante ignis illuſtratio perſpiceretur, duæ infantulæ cominùs adſtantes quas innocentia immaculatas reddebat, conſpicantur radios ab ore ſupradictæ inter cantûs modulamina eximio fulgore micare : nec prorſus ſilere ſcientes, dicere NOTA Communionem ſub utraque ſpecie.

a Legendum fortè, *diſſipabat*. Corrigendus ergo Bedæ & Surij textus his verbis expreſſus : *malorum coacervationem adoleſcentis filia cor diſſipavit* ; quod ſequentibus repugnat.

AN. CHR. DC. LV. DEC. IV. Superbia ex Dei donis cavenda.

mirantes cœperunt: Adſpicite, adſpicite rutilantem globum ab ore Domnæ micare. Quod cùm Mater audiret, increpando imperat ſilere ne vanitatis noxa (ſicut pòſt actum eſt) ejus cor fuſcaret, per cujus os affluens gratia lumen reddebat amœnum. Sed fragilitate corrupta cœpit poſt Spiritus-ſancti lucra elationis vel ſuperbiæ ſtimulos amare, contumaciæ crimen incurrere, arrogantiæ ſupercilium præferre, itaut Matrem contemneret, Sodales deſpiceret & omnium monita ſperneret. Nec mora, febre correpta ac in extremum deducta, nec ſic ſtuduit emendare. Hæ verò quæ viderant, una earum nomine ANSITRUDIS, dolore capitis, alia febre correpta, atque ad extremum deductæ ſupremum exſpectant exitum. Cúmque jam adeſſent Sodalium cohortes, & ad pſallendi officium in eorum exitu ſe præpararent; cœpit una earum inaudita auribus humanis ac dulcia modulamina pio ore canere, orare Conditorem miris ſermonibus, inauditis precibus, ineffabilibus ſacramentis, odórque ſimul cellulam replens miræ ſuavitatis. Erátque hora diei nona, qua odor cellulam repleverat. Balſami odor fragrabat è pectore, ſícque per totam ſupervenientem noctem, ſic per ſubſequentem diem uſque ad aliam horam nonam, ut odoris ſuavitas & cantûs modulamina perſeverarent. Deinde Matrem canere poſcunt, ſéque abituras prædicant, amiſsóque deinde ſpiritu cum ejus amiſſione receſſit & odor fragrantiæ. Hoc nempe indubitanter credendum eſt, quòd gloriam hanc boni exitûs quæ iſtæ habere meruerunt, ſupradicta Domna habuiſſet, ſi per elationem arrogantiæ vitium ſerendo non perdidiſſet.

VIII. *De* WILSINDA *& prophetia ejus, & cantu Angelico.*

12. ALIAQUE deinceps hortamina hujus gloriæ ſupradicto Cœnobio adorta ſunt, ut per apparitionem pietatis divinæ uberiùs amarentur lucra vitæ æternæ. Quædam etenim ex genere Saxonum WILLESINDA nomine, in eorum Monaſterio eſt converſa. Quo cùm per multos annos vitam religioſam egiſſet, quadam die dum in hortum intra Monaſterij ſepta laboraret, cum Sodalibus locuta eſt: Citò à nobis quæ in hac area excolimus, una itura eſt: & ideò paratas eſſe debere, ne negligentiæ tepiditatis pariant damna vitæ æternæ. Cúmque illæ quererent quæ eſſet, nequaquam promere voluit: nec morata diu corporis infirmitate correpta eſt. Quæ cùm diverſis anxietatibus ageretur, cœpit læta ad cælum vultus referre, & ignotas ſibi dudum Scripturarum paginas enarrare, exorſáque à principio libros Moyſi per ordinem recitare, Evangeliíque vitalia ſacramenta ac Apoſtolica pòſt veterum documenta narrare, omnéſque deinceps Scripturas ex ordine memorare, ſimúlque dicere, ne ſe quæ ſuperſtites remaneant triſtitiæ ſubdant, citò ex eorum adverſariis dominum ultionem daturum, ſibíque promiſſam eſſe hanc conſolationem daturam. Erat enim adverſarius Monaſterij, EGA nomine, vir in ſæculo ſublimis, cui DAGOBERTUS moriens filium CHLODOVEUM cum regno commendaverat. Is ergo adverſabatur ſupradicto Cœnobio, terminóſque violabat[a], omnémque familiam ejus circummanentem quacumque poterat occaſione perſequebatur. Sed non diu cœptæ pertinaciæ potitus eſt voto: nam mox poſt promiſſam ultionem percuſſus interiit. Cœpítque deinde orationes, ac deprecationes quęque Sacerdotum officia depromunt, dulci modulamine canere. Quæ cùm vehementer mirarentur quæ adſtabant, unam ex adſtantibus allocuta eſt: Ejice, inquit, foras, ejice, jacta quiſquilias. Cúmque aliæ conquirerent quid dicere vellet, ait: Non adſpicis quantis ſordibus mentem habeat occupatam & cœnoſam, nec omninò per confeſſionem pectoris ſui aream purgare ſtuduit, quam in ſæculo adhuc poſita priuſquam huc clauderetur, omni ſpurcitia maculavit? Perculſa metu, verecundiâ correpta, & à lumine Spiritus-ſancti deprehenſa cum talia dicebantur, ſolo proſternitur, celatáque vitia Matri per confeſſionem prodit*, cœpítque poſthæc quæ vitæ exitum exſpectabat rogare, ut ſpatio facto

Ægæ Dagoberti Conſiliarij mors, anno DC. XLI.

a

* *V. infra cap. 9.*

a Id criminis Ægæ homini pio perperàm imponi cenſet Hadrianus Valeſius in Rer. Franc. lib. 20. pag. 15

locum venientibus darent. Quod cùm obtemperarent, hilari vultu, capitéque inclinato dicit: Benedicite Dominæ meæ, benedicite Dominæ meæ. Inquirentéſque quæ adſtabant quibus ſalutem præmitteret reſpondit. Non cernitis Sorores veſtras quæ de veſtro collegio migraverunt ad cælos? Quærentéſque illæ ſi agnoſceret, increpanti voce ad unam earum ANSITRUDEM nomine loquitur; Vel tu, inquit, non agnoſcis Sororem tuam ANSILDEM, quæ dudum ad cælos migravit, candidatarum choris inſertam? Hęc ergo dicens anima à carne elapſa eſt: qua egreſſa cantus Angelicus mox eſt in aëre auditus. Nam quędam earum longiùs è cellula qua corpus jacebat exanime fuerant progreſſæ, audiunt Angelorum cœtus per aëra reſultantes atque canentes: ex quo cantu compererunt Wilſindam carnis nexibus ſolutam; currentéſque repererunt membra functa, atque Sororum cœtum exſequiarum officia implentem: agnoſcúntque pſallentium cœtum quæ per auras audierant concrepare, ejus ſupplementum fuiſſe exſequiarum.

CIRC. AN. DC. LV. DEC. VII.

IX. *De* LEUDEBERTA *& viſione Petri Apoſtoli.*

13. POST has rurſum uberiùs Bonitas munerum ſuorum congerit ſupplementa, aliámque Virginem LEUDEBERTAM nomine, monitis ſalubribus ac cæleſtis proſapiæ documentis munire non diſtulit. Nam cùm ſanctam in eodem Cœnobio per aliqua temporum ſpatia vitam ageret, per ſoporem eam Deus admonere non diſtulit, ut ad vitæ exitum paratiorem ſe efficeret: aiebátque ei vox cùm ſopor membra laxâſſet, ut ſe à ſupradictæ Matris monitis nullatenùs deviaret, quia citò à ſuperis ſegregatura eſſet. Nec diſtulit diu promiſſi muneris Largitor benignus donum accumulare, corripuítque ægritudine, ac in propatulo ad ſupremum exitum perduxit. Quo cùm jam ad extremos tam Mater quàm Sodales rependere adſtarent honores, ſubitò poſt longum ſilentium vocem promit ac dicit: Qua hora, glorioſe Apoſtolorum princeps Petre, vis ut eamus? Quod cùm aliæ quid ageret noſſe vellent, illa inquit: Non videtis Patronum veſtrum Apoſtolorum Principem inter vos adſtare, & me de hac vita ducere velle? Vix hæc dicere licuit, lætos omnes circumexſpectant vultus, extremóſque dimiſ[illegible]itus, ſuperáſque linquens auras, ad æterna gaudia eſt provecta. Nam ideò rerum Sator poſt longa ſilentia in hanc vocem flebilem promovere linguam permiſit, ut alias ad ejus vitæ exempla provocaret, & tantas munerum copias ſuperis demonſtraret, quibus ab hac luce in ſuo timore vel amore migrantes ditare non deſinit.

X. *De delinquentium correptione, & damnatione fugitivarum.*

14. EFFERBUERAT contra hanc plebem Chriſti nequitia diabolicæ fraudis: & dum pollere virtutibus cerneret, aggreſſus eſt tentationibus maculare quaſdam ex his quas nova converſatio rudes reddebat, à ceterarum continentia niſus evellere, ac ſepta Monaſterii violare tentare; præcipitavítque exitiabilem vitam ſæculi deſiderare, ac canino more relicta viſcerum putrimenta denuò ſumere velle. Cúmque jam per opacas umbras, ſilentiáque fuſcæ noctis ad immane perficiendum conſilium adſpirarent, & ſepta Monaſterii per repagula ſcalæ tranſilire conarentur, ſubitò à medio Dormitorii maſſa ignis in modum modii egreſſa totam domum perluſtravit atque illuminavit, ac pòſt in tres diviſa globos per oſtiorum meatus cum magno tonitrui fragore progreſſa eſt. Totidem etenim oſtia domus habebat, per quos ſuos ignis globos proferret. Qui tonitrui fragor & dormientes excitavit, & egredientes Monaſterii ſepta correxit, & cùm jam vallum pedes aliquæ earum trajeciſſent, & tanto fragore perterritæ intra ſepta vellent referre, velut plumbo aggravatos nequaquam valebant reducere: quia diabolus qua valebat arte ſtudebat aggravare, quas Divina correptio nequaquam ſinebat perire. Confuſæ ergo culpas agnoſcunt, Matríque reverſæ per confeſſionem produnt.

AN. CHR. DC. LV. DEC. VII. NOTA a

15. Aggreſſus deinceps alias duas antiquus anguis, quas noviores ac multo imbecilliores converſatio reddebat, tentare compulit, primùm ne confeſſionem veram nequaquam ab ore promerent. Erat enim conſuetudinis Monaſterii, ut ter in die per confeſſionem [a] unaquæque earum mentem purgaret, & qualemcumque rugam mens fragilitate attraxiſſet, pia proditio ablueret. In hanc ergo labem mentes ſupradictarum puellarum diaboli jacula demerſerant, ut nulla confeſſio vera ab ore prodiret, ſeu quæ in hoc ſæculo commiſerant, ſeu quæ quotidiana fragilitas attrahebat, vel in cogitatione, vel in ſermone, vel in opere, ne vera confeſſio per pœnitentiæ medicamenta rurſus redderet ſoſpitati. Cúmque letifer anguis paullatim corda obdurando virus infudiſſet, & ſibi deceptas ſuâ nequitiâ mentes parêre comperiſſet, aggreſſus eſt ut quadam nocte extra ſepta Monaſterii progreſſæ fugam arriperent, & ad propria remeare vellent. Cúmque per denſam noctem abirent, nec prorsùs pro denſitate caliginis viam tenere quiviſſent, adſtitit ad lævam diabolus, ac lumen in modum lucernæ arte qua valuit adſimilavit, monſtravítque viam ad ſæculi reducem ac tergiverſationi vires advexit. Cúmque ad locum perveniſſent deſtinatum, ſubſequentibus inquiſitoribus nullis obſtantibus ad præfatum Cœnobium rugata fronte redeunt.

16. Quò cùm rediſſent, actóque ſcrutamine quæ cauſa diſcedendi coëgiſſet, reſpondent ſe fore telis ſtimulatas diaboli, & mentes nequaquam habere poſſe directas. Quæ diu dum ab omni Congregatione objurgarentur, & nequaquam cunctarum proficeret correptio, Divina ultione ambæ percuſſæ meritas luere didicêre pœnas. Cúmque anxia Mater Monaſterii ſæpepræfata quæreret, quæ pœnæ ocaſio foret, & nullatenùs veritatem exprimere valeret, hortatur iteratò ut inter ſupremas horas per confeſſionem facinus pandant. Cúmque obdurato corde nihil remedii capere vellent, inter flagella clamare cœperunt: Suſtinete paullulùm, ſuſtinete, nec prorsùs exſpectantes urgete. Cúmque aliæ inquirerent à quibus ſuſtineri rogarent, aiunt: Non adſpicitis turbas Æthiopum adventantium, quæ nos rapere & abducere volunt? Cúmque hæc quæ aderant terribile dictu mirarentur, audiunt fragorem ſupra cellulam & tegumenta perſonantia, oſtiúmque cellulæ patefactum vi, itaut nigr[illegible]ntes umbras adſtare cernerent, & voces crebrò eas clamantes per nomina audirent: itaut vix quæ aderant ſigno Crucis armatæ ad pſallendi officium detentæ valeant adſtare. Tanti doloris atque mæroris eventu Mater urget, ut per confeſſionem pandant vitia, & ſacri Corporis communione roborentur. At illæ audita ſacri Corporis mentione, garrire dentibus ac frendere cœperunt & ſtridentes dicere: Cras, cras; & interim ſupradictam vocem repetere: Exſpectate, exſpectate, ſuſtinete paullulùm, ſuſtinete. Inter quas voces extremum halitum dimiſerunt.

Impœnitentes communi ſepultura privatæ.

17. Quas cùm in collegio ceterarum nequaquam Mater Monaſterii ſepelire ratum duceret, ſegregatim humandas in extremum ſepeliendas foris jubet: ſupra quarum tumulos globus ignis in modum clypei intra triennium ſæpe apparuit, præſertim Quadrageſimæ diebus uſque ad adventum ſancti Paſchæ vel etiam Vigilia Natalis Domini ferventior apparebat, ſimúlque voces tumultuantis turbæ multæ perſonabant. Inter quas duæ ululantes erumpebant, velut in tormentis reſonare ſolent: Væ mihi, væ mihi, væ mihi. Cernens itaque Mater Monaſterii juſtam ſententiam à juſto Judice ſuper injuſtas animas illatam, manifeſtiùs damnatarum ſententiam eſt aggreſſa comperiri: accedénſque ad tumulum experimento quærit, ſi cadavera quamvis putredine corrupta in ſepulcro maneant. Jámque menſis ex quo functa corpora condita erant præterierat,

NOTA terribilem hiſtoriam.

[a] Non Sacramentalem, ſiquidem ea Matri ſeu Abbatiſſæ fiebat, ſed ſpiritualem, quâ ex Patrum præſcripto Monachi *cogitationes malas cordi ſuo advenientes, vel mala à ſe abſconsè commiſſa per humilem confeſſionem* (ut S. P. Benedictus in Regulæ cap. 7. loquitur) Patri ſpirituali revelant ac detegunt ad conſilium & remedium obtinendum. S. Columbanus in Pœnitent. cap. 1. *Detur confeſſio ante menſam, ante introitum lectulorum, vel cuicumque fuerit facile dare.* Qui tamen cap. 29. culpam *Sacerdoti fatendam præſcribit.*

& ecce reperit interiùs ſepulcrum igne exuſtum, nec quidquam terræ reſidui ſupereſſe cadaveris præter favillas veſtium. Manſit itaque per triennium illatæ ſententiæ ſeveritas, ut terror damnatarum timorem præberet Sodalium remanentium, eſſétque correptio viventium pœna illata mortuarum: & ex negligentia vel tepore immo duritia mentis pereuntium, ſalus ex religione ac vigoris ſtudio propinaretur ſuperſtitum. AN. CHR. DC. LV. DEC. VII.

X. *De obitu* LANDEBERGÆ *& cantu Angelico.*

18. INTERPOSITO deinde temporum ſpatio rurſus conſolationis ſolamina prodierunt. Nam quædam Virgo, nomine LANDEBERGA, cùm jam extremas præſentis vitæ exſpectaret amittere horas, omníque anxietatum mole vallata, validis ictuata dolorum ſtimulis tantummodò exitus vitæ exſpectabat ſolamen. Cúmque jam adeſſet vocatio per ſilentem noctem, & omnes quæ ægram excubare curabant ſopore depreſſæ ſomnum carpebant, unà tantummodò ægritudine feſſa nomine GERNOMEDA inibi inter Sodales pervigil remanſerat. Cúmque ergo, ut diximus, extremos exſpectaret exitus, nubes denſa atque rutilo quodammodò fulgore permixta ſtratum operuit, ſimúlque voces canentium auditæ atque exſultantium: *Cantemus Domino, gloriosè enim glorificatus eſt.* Ut ergo audivit Gernomeda canentium perſonare voces, cœpit anxia excitare Sodales. Sed cùm nullo modo quamquam excitare potuiſſet, attentiùs finem rei exſpectavit, qua paullatim nubem ab ſtrato ſublevari, ſimúlque animam à corpore abduci vidit. Cúmque jam in altum nubes elevata fuiſſet, & ejus aures canentium voces non audirent, tum demum ægra Sodales excitare valuit, ac ut correptæ debitos cantus perſolverent monuit: ipsáque per ſeptem deinceps dies gravibus febrium ictuata correptionibus, octavo die vitam finivit.

XI. *De affluentia olei & aquæ commutatione.*

19. POSTHÆC igitur bonitatis ac muneris Inſtitutor rurſus pietatis ſuæ munera largiri non diſtulit. Nam quædam puella nomine BLITHILDIS intra adoleſcentiæ annos in ſupradicto Cœnobio eſt converſa. Quæ cùm diu Regularis diſciplinæ habenis confecta immobili deſiderio cæleſtia præmia deſideraret, evenit ut juſtus Arbiter juſtam animam juſtitiæ copiâ plenam cælis condere vellet. Cúmque jam in extremis poſita lumen poſceret noctium per ſucceſſiones coram ſe accendi, & ſacræ lectionis præconia ante ſe legi, una earum quæ aſſiſtebant vas quoddam oleo lymphâque replêſſet, omnes ſopor oppreſſit: ſícque noctis metâ trajectâ, abſque Sodalium ſolamine ægra noctem peregit. Ruenti ergo diei crepuſculo cùm matutinas laudes Domino cecinîſſent, intuita lucernam quam oleo lymphâque oppleverat in lacte commutatam, quærit experimentum utrum hoc quiſpiam Sodalium commutâſſet. Illæ inquiunt: An neſcis, quia hîc lac non fuerit? Tunc ægra ait: Nequaquam hoc lac oro * veſtram animam conſumite, ac inquirere ſinite. Cúmque illę attentiùs cognoſcere vellent, Matrem vocant, reíque cauſam indicant. Illa itaque ut diligentiùs cognoſceret, oleum à lacte ſeparare jubet. Cúmque ſegregâſſent oleum à lacte, & nihil ſuper ſpecie lactis remanſiſſet, cœpit oleum denuo creſcere & uberiùs à vaſe manare. Tunc demùm hæ quæ adſtabant Dei virtutem cognovêre, quod ſtudio omni collegerunt & de induſtria ſacrario condiderunt. Teſtes ſunt hujus rei BURGUNDOFARA, Pontifexque Meldenſis urbis, & WALDEBERTUS Abba Luxovienſis Cœnobii. Nam & ægræ quædam quæ de eodem oleo ſunt attrectatæ, priſtinæ ſunt ſanitati redditæ; Blithildis verò omni jocunditate repleta felicem præſtolabatur exitum. Quæ cùm cælo animam reddidiſſet, tanta ſuavitas odoris cellulam replevit, acſi balſama inibi crederes deſudare. Quid hoc fuerit ut hanc creaturam aquæ in lactis ſpeciem verteret, vel oleum fluendo multiplicare juberet, niſi quia miſeratio Divina aliis oſtendere voluit, qualiter ſupradicta nocte Divina clementia ægram viſitavit? Et dum illa Sodalibus noluit indicare quid vidiſſet,

* *Surio* hoc labore *f.* hoc lacte

Teſtes miraculi.

AN. CHR. DC. LV. DEC. VII. virtutis ſuæ omnipotens viſitationis veſtigium reliquit.

XII. *De beſtia in tranſgreſſione cibi viſa.*

20. DUM magnarum rerum ob boni meriti religioníſque ſtudium collatarum miracula non omiſimus tradere poſteritati, ſimúlque quæ ad terrorem duræ & ignavæ menti profuiſſe comperimus intimare curamus. Quædam etenim puella nobilis genere ad ſupradictum Cœnobium Regularis diſciplinæ colla ſubmittere venit, ſed bonæ vitæ intentam ac religionis formam aggreſſus anguis, denuò per tranſgreſſionis vitium de paradiſo evellere excitavit. Gulæ aviditatem ac eſuriem furtivo cibo aggreſſa eſt ſatiare: quod facinus per ſpatia temporum non deprehenſa patravit, nec prorſus alicui ex Sodalibus patefactum eſt. Cúmque ergo diu gulæ aviditas animam macularet, dedit juſtus Arbiter juſtam ſententiam ſuper injuſtam animam, corripuit graviſſimum facinus pœna graviori, ac ſuper feſſos artus excitavit odium liciti cibi, nec valebat turbata mens aliud quidquam, quàm furfures frondéſque & herbarum agreſtium mixturam edere. Cúmque jam per dies multos hæc ultio ſuper animam tranſgreſſione deceptam maneret, etſi hora refectionis ſupradictum cibum adduci poſtularet, vidit ſpeciem apri magni ſecum comedere, & more cœnoſæ ſuis cibos grunnio ventilare. At illa pavefacta interrogavit quæ eſſet. Reſpondit beſtia: An neſcis quia ego ſum? cibos quos uſque modò per tranſgreſſionem comediſti, tecum ego comedi, & amodò ſcias per anni circulum hunc cibum habebis. Permanſit ergo cibus per vertentis anni metam, nec prorſus aliud edebat quam furfures frondéſque arborum aut herbarum agreſtium, & fæcis quæ ex cerviſiæ reliquiis projicitur. Quid enim fuerit ut diaboli voce fragilis mens miſeræ tranſgreſſionis conſcia objurgaretur, niſi quia præſentium pœnarum immanitas non ſineret animam poſtmodum cruciatibus damnari, & Divina pietas voluit per eum improperia conſentientis depromere, per quem fuerat tranſgreſſio propagata; & hunc habere judicem, cujus ſuaſionibus malis diu decepta obtemperaverat: ut poſt pœnas illatas cognoſceret, non diabolo ſed Creatori debere creaturam obedire.

XIII. *Quæ ſequuntur deſumpta ex Tomo 2. Bedæ & Surio deſunt, in MS. vet. Compend. in quo ſuperioribus continenter ſubjicitur Vita S.* BERTULFI *Abbatis Bobienſis. Certè Ionas ubique dum de Burgundofara loquitur eam uti viventem ſemper deſignare videtur.* Teſtes ſunt, *inquit cap.* XI. hujus rei Burgundofara: *quo nomine ſimpliciter, nullo addito, niſi forte* Matris, *eam ubique appellat. Ut veriſimile videatur, ea quæ ſequuntur ſuldititia eſſe.*

21. SIMILITER alia puella nomine BARACTRUDIS cùm diu in ſupradicto Cœnobio converſaretur, & nequaquam Regularis diſciplinę omni conatu intenderet præcepta ſervare, miſit diabolus in mentem tranſgreſſione correptam, ut quæque potuiſſet furto rapere, occultè comederet. Quæ cùm diu hac tranſgreſſione animam macularet, dedit juſtam ultionem de ea Arbiter juſtus. Corripitur enim repentè ignis febribus, ac inter incendia clamare cœpit: Væ mihi, væ mihi. Et poſt has voces ita ſopita jacuit, ut mortua ab omnibus crederetur. Cúmque poſt multum horarum ſpatium anhelaret, febris ab igne vexata clamare cœpit: Veniat Mater, veniat Mater. Concito ergo gradu quæ audierant, Matrem Monaſterii B. Burgundofaram vocant: quæ cùm veniſſet, ægra quæ jacebat tota intentione cordis facinorum ſuorum conjecturam per confeſſionem pandit. Omnes verò adſtantes cùm jam finem vitæ exſpectarent, ſubitò illa Divina miſeratione convaleſcens meliùs habere cœpit, & ita paullatim ſubtracta periculo mortis beatam vitam poſtea duxit.

XIV.

22. POSTQUAM enumeratę Sanctimoniales feminę ſub magiſterio B. Burgundofaræ conſtitutæ, diverſo ac diſpari, uti diximus, pro meritorum qualitate tranſitu vitam hanc corruptibilem exuerunt, ipſa quoque venerabilis Mater earum, cęleſti vocatione digna, cùm multis annis ſupramemorato Monaſterio Evoriacas decentiſſimè præfuiſſet, corporis tandem infirmitate correpta,

III. Non.

III. Non. April. diem clauſit extremum, cœtibus aggregata Virginum, quæ ſequuntur Agnum quocumque ierit, cæleſtem videlicet Sponſum, Dominum noſtrum JESUM-CHRISTUM, qui cum Patre & Spiritu ſancto vivit & regnat Deus per omnia ſęcula ſæculorum, Amen. CIRC. AN. DC. LV. DEC. VII

EPITAPHIUM S. FARÆ.

Ex codice tempore Caroli Calvi manu deſcripto.

FRANCORUM ſoboles Regum, Virgo inclyta FARA,
Huic ſanctas tumulo credidit exuvias.
Virtutum lux clara fuit pharúſque pudoris
Fara, & Burgundo ſanguine progenies.
Fulſit dum vixit, fulget poſt funera, jámque
Sidera inextincto lampade ſcandit ovans.
Pes fuit hæc claudis, pharus fuit optima cæcis,
Auxilium miſeris, pauperibúſque parens.
Virgineas lucem, pharus velut, ante cohortes
Prębuit ingenio, virginitate, fide.
Inſtruxit vivens ignaros, mortua monſtrat
Quo pede cæleſtis ſit ſubeunda domus.
Septima pòſt Idus[a] luxit tibi, Fara, Decembres
Ultima: ſed fallor, lux fuit illa prior.
Nam neque lux dici meruit poſtrema, perennem
Quæ Faræ aſſeruit non peritura diem.

[a] Hoc loco *pòſt*, non præpoſitivè, ſed adverbialiter uſurpandum. Quippe die ſeptimo ante Idus Decembres S. Fara in ſincero Uſuardi Martyrologio celebratur his verbis: *In pago Meldicenſi* S. FARÆ *Virginis*: quo die in Monaſterio proprio, ubi ipſius corpus adſervatur, ſollemni officio colitur. Unde mirati ſubit, cur additamenti ſuperiùs adducti auctor eam deceſſiſſe ſcribit III. *Nonas Apriles*, quo die nulla ſit in dicto Monaſterio S. Faræ memoria. An fortè dies tertius ante Nonas Apriles ipſius obitum ſignat, ſeptimus ante Idus Decemb. Tranſlationem? an potiùs vice verſa? Certè in officio proprio S. Faræ quale in ſuo Monaſterio recitatur, hæc legimus: *Ejus corpus poſt quadraginta annos* MAIOLUS *Sanctæ Crucis* [hodie S. Faronis] *Abbas, Meldenſi annuente Epiſcopo è terra levavit, & in capſa honeſtè & religiosè ſervari mandavit.* Et tamen S. Faræ Tranſlatio V. Idus Maïas celebratur. Ex his tempus quo S. Fara ad cælos demigravit, quadamtenus eruere licet. Hildeverto Meldenſi Epiſcopo, S. Faronis ſucceſſori coævus fuit MAIOLUS Abbas, qui ipſius Hildeverti Tranſlationem anno circà DC. XC. paullò poſt ejuſdem obitum curâſſe fertur. Jonas ſuperiora ſcribebat vivente adhuc Burgundofara, ut ad caput 13. prænotavimus. Scribebat autem poſt mortem Ægæ, quem anno DC. XII. obiiſſe ſuprà ad caput 8. vidimus. Anno proinde circà DC. LV. S. Burgundofaræ ſeu Faræ obitum collocamus. S. Fara hoc noſtro ſęculo plurima patravit miracula, quorum memoria quotannis in ipſius Parthenone recolitur III. Nonas Auguſtas, quo die anno M. DC. XXII. dum Sanctimoniales ob Mansfeldenſis Comitis incurſiones transferre Pariſios ſecum oſſa B. Faræ vellent; una ex illis ab annis ampliùs quatuor cæca, admotis ſacris Faræ Reliquiis lumen recepit.

VITA SANCTI LIVINI EPISCOPI ET MARTYRIS,

CIRC. AN. DC. LVI. NOV. XII.

Auctore BONIFACIO coævo.

Ex MS. cod. Compendienſi & Nicolao Serario.

OBSERVATIONES PRÆVIÆ.

1. *SUBJECTAM S. Livini Vitam vulgavit Nicolaus Serarius poſt Epiſtolas S. Bonifacii Archiepiſcopi Maguntini, quem ejuſdem Vitæ conditorem eſſe exiſtimavit. Sed quominus ei aſſentiamur, prohibent argumenta nonnulla.* BONIFACIUS *iſtius Vitæ Scriptor, geſta S. Livini* tribus diſcipulis ipſius retexentibus, FOILLANO, HELIA & KILIANO, *ſibi* comperta *affirmat: quibus obnixè poſtulanti-*

CIRC. AN. DC. LVI. NOV. XII.

bus huic ſcriptioni dederit operam. S. Burchardus Sedi Herbipolenſi à S. Bonifacio Maguntino impoſitus ab Egilvualdo dicitur anno LXII. poſt paſſionem SS. Martyrum KILIANI ac ſociorum ejus, quæ incidit in annum Inc. Dominicæ DC. XXCIX. *& quidem in Germania: quo tempore S. Bonifacius vix fortaſſe in Anglia pueritiam agebat, qui anno* DCC. XIX. *legationem Apoſtolicam in Germaniæ partes à Bonifacio Papa II. adeptus, anno* DCC. LIV. *ætate adhuc virenti Martyrium ſubiit. Quî igitur fieri potuit, ut S. Livini geſta à Kiliano & ſocii didicerit? Adde S. Bonifacium in ſuis Epiſtolis bene multis nuſquam* Peccatoris *nomen præferre; quod nomen S. Livini Encomiaſtes in Præfationis ſalutatione ſibi uſurpavit. Alius ergo eſt à S. Bonifacio Maguntino & quidem antiquior Bonifacius iſte, Epiſcopus an Abbas, incertum: nam & Abbates aliique poſt Gregorium M. ſe* ſervos ſervorum Dei *in Epiſtolarum inſcriptionibus nonnumquam dicebant. Gotſelinus Monachus in Vita S. Auguſtini Cantuarienſis Epiſcopi lib. 1. cap.* 28. *quædam ex iſta S. Livini Vita mutuatus eſt.*

2. *Livinus in ſolitudine aliquamdiu degit cum Foillano, Helia & Kiliano: Præceptorem ac inſtitutorem habuit S. Auguſtinum Cantuariæ Antiſtitem, à quo etiam S. Benedicti normam diſcere potuit. Miramur cum Villelmo Malmeſburienſi, Venerabilem Bedam ne verbo quidem egiſſe de Livino, cujus nomen in ſinceris Uſuardi & Adonis Martyrologiis deſideratur.*

PROLOGUS AUCTORIS.

BONIFACIUS *homo peccator, ſervus ſervorum Domini noſtri* JESU-CHRISTI, *univerſis ſub auctoritate ſanctæ & individuæ Trinitatis ſuper firmam petram fundatis Eccleſiis in ſumma felicitate, gloriam jocunditatis æternæ.* Beatiſſimi Patris & Deo dilecti Pontificis LIVINI venerandus glorioſæ paſſionis triumphus hodiernam ſollemnitatem gaudii noſtri in magnæ venerationis honore cerimonialiter nobis celebrandam & votivis adhibendam ſanci-vit, tanti inclyta Patris ad declaranda mundo meritorum præconia, quibus hortamur affectualiter congratulari: excitante nos ad hujus devotionis gaudia ipſo rotantis anni ſollemni tempore, quo triumphalis palma certaminis iſtam agonotheta victorioſiſſimus & Martyr mirificandus ex præſentis ſæculi conflictu indomabiliter pro ſanctæ Trinitatis confeſſione belligerando, atque perſequentium triumphando minitationes & atrocium pœnarum agitationes lætus tranſmigravit, Regémque cæli adiit emeritæ dignitatis laurea in confeſſione Martyrum inthroniſandus pariſque honore glorificandus, atque eorum contubernio fruiturus in beatitudine pacis perpetuæ. Hujus denique tam excellentiſſimæ ſanctitatis Chriſti athletæ magnarum virtutum inſignia quæ veſtræ expandimus dilectioni, tribus diſcipulis ſuis retexentibus comperiebamus, FOILLANO[a], HELIA & KILIANO, qui piæ caritatis affectu (ut fatebantur) ſua quæque renuntiantes, ob ſpem vitæ æternæ ejus conglutinaliter ſtuduerunt adhærere veſtigiis, & inſtrui admonitionibus atque informari exemplis, manus noſtras oſculando provolutiſque in terram genibus per ægra lacrymarum ſuſpiria imprecati ſunt à nobis ſcribi & memoriæ in poſteris conſervanda. Quorum ergo multùm renitentes voluntati, quoniam noſtræ peritiunculæ pertimeſcebamus tantillitatem; ſed enim debiti amoris vis teneritudine ſuæ enervationis geminæ quoque dilectionis geminifluis alis noſtri tranſcendit arcana devoti pectoris, & tandem illa fraternæ conglutinationis adſpiratio ipſum animum noſtrum ſuis viribus diffidentem, fragili in audaciam ſubeundæ difficultatis Spiritus-ſancti tentamine gratia cooperante reflexit, & caritati eorum ſatisfacere ſtuduimus, & hæc ad laudem & gloriam pii Patris verbatim enodari dignum cenſuimus.

Auctor iſtius Vitæ teſtes & auctores commemorat.

a

INCIPIT VITA.

Livini patria & parentes.

2. TEMPORE igitur quo COLOMAGNUS inclytus Rex Scottorum in Chriſtianæ Religionis vir magnificus polleret virtutibus, & ſceptra Re-

a Hinc colligitur Foillanum hunc diſtinctum eſſe à S. Foillano Furſei Abbatis fratre, qui fere ſemper Furſeo adhæſit, ut Foillanus iſte Livino. Nulla tamen hujus Foillani mentio vel noticia poſt S. Livini necem occurrit.

gni & imperialis monarchiæ columen ſupernâ providentiâ auſpicabiliter gubernaret, erat quidam Senator Scottigena nomine THEAGNIUS exſpectabili ſtemmate nativæ nobilitatis excellentiſſimus, ipſius Regis Optimatum princeps, & præ cunctis aulicis ſuis Primatibus archialiter apicem gerens, vir ſtrenuus, regaliúmque ſecretorum ſymmiſta induſtrius & ſummæ prudentiæ compoſitionibus longè latéque loquaci rumore perlatus. Habuit etiam conjugem AGALMIAM nomine, venuſtâ proſapiâ & meritis præcluem, filiam videlicet EPHIGENII Hibernenſium Regis clariſſimi. Qui Domino inſpirante pari confœderati ſpiritu, Divinísque præcincti legibus, miræ virtutis fulsêre inſigniis: & quos Dominus ſuâ perluſtraverat gratiâ, tali dignatus eſt conſolari gloria. CIRC. ANDC. LVI. Nov. XII.

3. Nocte quadam Dominica dum in ſtratu ſuo regali libitu perornato pariter compoſiti repauſarent, nec vigilantes, nec integerrimè obdormientes, viſa eſt columba lactei coloris cælitùs deſcendiſſe inęſtimabili claritate cęleſtis glorię fulgorans, & requieſcere ſuper capitale ſtratûs eorum, & ſereno vultu intueri in eos. Quæ expandens alas ſuas obumbravit eos, & mellifluo ore tres lacteolas ſtillavit guttulas inſtar mundiſſimi lactis in beatis labiis Deo dilectæ feminæ, & cælo refuſa ſubvolavit æthera. Mox vaporabilis ſplendor nimiâ odoriferæ ſuavitatis fragrantiâ totum illud regale perluſtravit palatium, uſque mane reverberatis radiis protenſus. Infans verò quem beata mater tunc fortè geſtabat in utero, jam vivifico flatu irradiatus, mobilibus ſubſiſtere cœpit membris, & ut certè credatis, ſupernę viſitationis congratulabatur reſpectibus. In utero matris columbâ cælitus deſignatur.

4 Tunc magnanimus Dux Theagnius & venerabilis matrona Agalmia hujuſmodi oromatis *raritate attoniti, jam aurora radiante venire ad ſe fecerunt Dominum MENALCHIUM germanum ipſius Ducis, qui tunc Archipontificatûs jura regebat, virum probabilem & ſanctimoniæ ſublimitate egregium, eíque tanti negotii res diligenter expandunt. Qui Spiritus-ſancti gratiâ inſpiratus reſpondit altrinſecus: Hæc viſio divinitùs manifeſtata non ſolùm exſultationis noſtræ materia eſt, verumetiam multarum nationum gentibus gaudium erit: quoniam puer Deo donante naſcetur vobis, jam in utero matris ſanctificatus & ſpiritali lacte refectus, ſummus Pontifex, & lucerna patriæ ac conſtantiſſimus propagator legis Divinę populis Dei eſt futurus in viam ſalutis æternæ. Venerandus namque cùm aderat dies quo clariſſima genitrix & nomine digna Agalmia ſuperna viſitatione perluſtrata benedictum huic mundo protulit partum, omnes regionis illius incolas tanta miræ jocunditatis gaudia attigerant, & tam immenſa ſerenitas clariſſimis ſolibus uſque ad exactum menſem inclaruerat, ut cuncti admirarentur: & tam magnorum gaudiorum, tantarúmque ſerenitatum inſtantiam nec in vetuſtiſſimis legiſſe codicibus, nec ab antiquorum dictis Patrum ſe audiſſe faterentur. Viſio à Menalchio explicatur. * *id eſt* viſionis Livino nato exſultant omnes.

5. Eodem tempore B. AUGUSTINUS eximiæ ſanctitatis perſona, qui à B. Gregorio Romanæ ſedis Apoſtolico Pontifice tranſmiſſus Angligenitarum primus Antiſtes & ſplendidiſſima ſummæ veritatis lucerna, ſui cauſa negotii divina ut intelligatis providentia ſubminiſtrante ad præfatum Regem Colomagnum convenerat, & ipſe tantæ raritatis admirabatur gaudium. Nam cuncti Primates Regis univerſáque celſitudo regalis cum civibus patriæ in mirum exſultationis converſi ſunt gaudium, & præſago veritatis ſpiritu mutuíſque collocutionibus congratulabundi altrinſecùs certa pronuntiantes, hunc infantem Deo dilectum lumen populorum atque ſummum totius regionis patronum prædixerunt fore futurum. Quem pius Rex & devotiſſima Regina cum venerandis Pontificibus Auguſtino Anglorum Epiſcopo & Menalchio Archipræſule de ſacro fonte beatæ regenerationis ſuſceperunt, indentes ei nomen LIVINUS ex nomine germani glorioſæ genitricis ſuæ Agalmiæ Hibernenſis Eccleſiæ Archiepiſcopi, qui apud Humbranos pro nomine Chriſti palmam Martyrii adeptus eſt. Qui mox ut de aqua levaverunt puerum, cum omnibus qui ade- Ab Auguſtino & Menalchio baptizatur, *lege Vitam B. Auguſtini Sæculo 1. Bened. lib. 1. c. 28.* Cur vocatus Livinus.

Circ. An. Dc. LVI. Nov. XII.

rant manifeſta viſione cernebant deſcendiſſe columniferum ſplendorem radiis ſplendidi ſolis fulgidiorem, atque capiti benedicti pueri imminere & dexteram auro clariſſimo rutilantiorem inde emicare, & ter ipſum infantulum ſignare ſanctæ Crucis ſignamine, & cælitùs taliter ſonum intonâſſe: Dilectus à Deo & hominibus, cujus memoria in benedictione eſt. Hoc verſiculo finito Divina viſio ad ætherea remeavit palatia. Talibus miraculorum cæleſtiúmque myſteriorum excellentiis jocundati Rex & Regina, atque venerandæ perſonæ divini miniſterii, ſummi videlicet Pontifices Auguſtinus atque Menalchius, cum ceteris pari devotionis intentione Dominum Chriſtum in excelſis collaudaverunt.

Cæleſtibus ſtudiis vacat.

6. Igitur electus Dei puer infantilem ſuam ætatulam rationabilibus ſuis continentiis excellens diatim ſpecie tenus imagineæ virtutis, quamvis tantilli deficientibus corporis viribus, tamen maturis machinabatur moribus à ſupernis ſe jam repoſci civibus, ipſis contubernalis optatúſque indeſinenter geſtiens fieri amicus: qui felicitati promerendæ anhelans, temporalibus futurorum contemplatione renuntiabat, & quia ſe fragilitate carnis à bene agendi ſtatu dejici formidabat, ſpirituali ſubminiſtratione corroboratus ſtudio pefectionis adſcendendo magnificè pollebat.

Energumenos duos liberat.

7. Ecce jam memorandus adoleſcens, beatiſſimus ſcilicet Livinus, athleta Chriſti perſpicabilis, divini fervoris pudicitiâ galeatus, conſtantiâ fidei loricatus, & undique cæleſtis militiæ faſtigio conflagratus, cùm jam novem annorum excederet ætatem, perpetuis meritorum præconandus virtutibus, ſummi Regis ſignifer bellicoſus contra fæviſſimum hujus mundi tyrannnum & ejus letiferos æſtus triumphaliter bellaturus, talibus glorificari mirificis in mundo orſus eſt inſigniis. Sancto igitur die Pentecoſtes cùm præfatus dux Theagnius cum venerando puero Optimatúmque ſuorum circumfultus comitatu ad Monaſterium ab eo ædificatum ad honorem S. Mariæ Virginis Dei Genitricis, Divinis refici laudibus cupiens ac muniri ſacramentis crederet, ecce incolæ loci illius attraxêre duos homines catenis ferreis colligatos, quos miſerabiliter dementaverat ſerpens antiquus & humano conſortio fruſtraverat: quorum etiam unus virum & duas mulieres interemit, alter quoque uxorem ipſius & duos filios in ſua dementatione in mortem proſtravit. Quos venerabilis puer Livinus cernens ait genitori ſuo & comitatui ejus: Unà ergo mecum, Cariſſimi, quæſo omnipotentis Dei clementiam flagitate, quatinùs noſtris orationibus pro hujus negotii qualitate gloriæ ſuæ reſpectus aperiat. Et expanſis manibus paritérque ſubrectis in cælum luminibus oravit dicens: Deus pater æterne, immortale præſidium tibi fideliter ſupplicantium, exorabilis miſerator tuis adeſto famulis, & pio pectore noſtris annue votis, & effloreat tuæ benedictionis gratia ſuper hanc fabricam tui proprii plaſmatis tam diræ imbecillitatis gravedine obſqualentem, ut clarificetur nomen tuum in ea; & tantæ tuæ clementię favor ruminetur in ſæcula. Et mox omnibus conclamantibus, Amen; venerabilis puer ſcilicet Livinus ſupernę pietatis ſignifer proceſſit impavidus, ac imponens manus ſuas ſuper capita amborum dixit: In nomine Patris & Filii & Spiritus-ſancti cuncta diabolici phantaſmatis incurſio à vobis eradicetur, & mundemini in vas puriſſimum ſanctę fidei, & efficiamini regnum Spiritus-ſancti. Tunc cunctis intuentibus fumus teterrimus atro cruore permixtus ex ore & naribus eorum ebullivit, interímque furvarum nigerrima conglomeratio muſcarum effumavit, & ſtridenti confuſóque ſonitu aërem evolando diſparuit. Quos mundatos cæleſtis medicus ſignamine ſanctæ Crucis munivit & in ſancta confeſſione confirmavit. Qui fidentiori animo perſpicaciores effecti ſuis omnibus renuntiaverunt, beatíque pueri Livini adhærere cœperunt veſtigiis, & reliquum vitæ ſuę tempus in ſancta converſatione ſecum perduxerunt; quorum unus vocabatur Helimas, alius Symphronius, qui in fide ſanctę Trinitatis exemplo pii magiſtri experiuntur apud nos Deo digni & eximii Confeſſores haberi & coheredes regni Jesu-Christi.

8. Talibus igitur omnipotens Deus, ceteríſque Divinis præconandorum in- CIRC. AN. DC. LVI. NOV. XII. ſigniis magnalium hunc dilectum famulum ſuum Livinum mundo manifeſtari voluit, & perſpicabili ratione diſcretalis ſuæ diſpoſitionis ſic venerabiliter Electorum ſuorum quos ante mundi conſtitutionem in ſempiternam ſibi præordinavit gloriam, quibus præconibus veritatis ſuæ lumen oſtenderet, ſacro-ſanctis contubernalium aggregari clementiùs decrevit meritorum virtutibus. Sed egregiæ etiam indolis puer divinis muneribus fœderatus, ſpiritu humilitatis perlucidus, incomparabiliter contemplatione futuræ vitæ ſuſpenſus, ſuperna præeunte gratia & benigna ejus ſubſequente voluntate, totius perfectionis deſudando appetebat culmen poſſidere. Eccleſiaſticę verò norma diſciplinæ vitam ſuam contemplabiliter moderandam orditum elegerat apud B. BENIGNUM Preſbyterum Scotticæ generoſitatis, alti ſanguinis virum, ſed altiori ſanctarum virtutum clarificatione prolatum, à quo denique ſpirituali diſtrictione cum devotæ mentis teneritudine appetens conformari, & Davidicis Pſalmorum melodiis, & ſanctorum Evangeliorum mellifluis lectionibus atque ceteris Divinis exercitationibus perfectiſſimè inſtrui, utpote ſuperni reſpectus pranſione refectus, quaſi in ſpatioſo paradiſiacæ amœnitatis campo pedem jam transfigens, per gradus virtutum diatim efficaciſſimè æternitatis tranſiret in gloriam. Cujus etiam ſubtilis intelligentiæ, miríque ingenii efficaciam quis expandat? Spiritus-ſancti gratia cooperante, nullis divinorum lectionibus ſtudiorum, nulliſque bonorum moribus exemplorum aliqua difficultas percipiendarum rerum ſuam impedivit capacitatem. De talibus autem commemorat ille egregius Prædicator cùm dicit: Nulla ad diſcendum mora eſt, ubi Spiritus-ſanctus doctor adeſt. Dum in his Deo dilectus adoleſcens Livinus diligentiſſimè floreret ſtudiis, contigit magiſtrum ſuum Benignum dignæ memoriæ virum hac vita ſolvi & ſuperna promereri, cujus exitum diſcipulus vigiliis & orationibus commendabat Domino quotidie mira pietate devotus.

A Benigno Preſbytero eruditur.

9. Quædam materfamilias SILVIA nomine, nutrix venerabilis pueri Livini, ex aſſidua ſua infirmitate per multos langueſcens dies ad fatalem jam propiaverat horam. Quæ pondere mortis aggravari cœperat, & jam quaſi ignota facies illius exhauſtis genis, nimiáque pallitudine opprimebatur, ac ſubrigidis luminibus imbecilliter circumadſtantes intuebatur, nullum tamen agnoſcens quoniam obnubilatio extremi viſûs impedivit eam. Unde ineluctabili mærentiâ non ſolummodò civium familiaris concio, atque contectalis devota contubernalitas contriſtabantur, verùm & glorioſus præfatus Dux & ejus palatinalis veneranda ſublimitas tanto dolori affectuali cordis contritione tenerrimè compatiebantur. Quæ jam cùm in ruinam mortis vergi videretur & prorſus conclamata deſperaretur, interim accerſitus advenit S. Livinus puer properus, glorioſis virtutibus magnificandus, inter medios mærentium cœtus ſupernæ illuſtrationis lumine fretus ad grabatum properabat dilectæ nutricis jam mori incipientis: & ubi humana intellexerat ſopiri ſolatia, pia ſollicitudine ſatagebat adhibere cæleſtia. Stabat autem prope exanimes artus adoleſcens Deo dilectus Livinus, cæleſtis medicinæ arte peritus, oculis ac manibus in cælum ſuſpenſus, lacrymis faciem perfuſus, & quod per creberrimos ſingultus ægri doloris effari nequivit, præcordialis ejus affectus clareſcentibus meritis peroravit. Et jam finis erat orationi: tunc corpus defunctæ recepto ſpiritu convaleſcens reſedit, manúſque ſurſum extendit, & Deo gratias egit & dixit, quia cùm per ignota & aſpera viarum loca & caliginoſa à nigris ſpiritibus perducerer, & in atram foveam ſulphure & igne ebullientem immergerer; advenit ſanctus Michaël Archangelus cum Patriarchis Abraham, Iſaac & Jacob, & S. Petro Apoſtolo cæleſti claritate fulgorans, minacíque conſpectu dixit illis tetris ſpiritibus: Ne inferatis moleſtiam animæ iſti, ſinite eam quoniam per merita dilecti ſui Livini Chriſtus jubet in corpus ſuum reverti. Illi confuſi diſparuerunt. Tunc S. Michaël Archangelus & SS. Patriarchæ & S. Petrus Apoſtolus ſuſceperunt animam meam & in corpus ſuum repoſuerunt.

Nutricem vitæ reſtituit.

CIRC. AN. DC. LVI. NOV. XII. In ſolitudinem ſeceſſit cum 3. ſociis.

10. Hæc & plura his ſimilia ſimplici pronuntians ore, atque ſuſcepta bene dictione beati Patris, poſt hæc per multa annorum tempora vixit incolumis. Dum verò talibus inſigniis cæleſtis militiæ egregius tiro magnificaretur in populo, expaveſcens ne favore elatus humano à culmine perfectionis ſuæ privaretur, & magnificæ claritatis ejus ſpeculo quædam ſeducentium fomenta laudum commiſceri pertimeſceret, continuò ſolitudinem petens cum tribus diſcipulis ſuis FOILLANO, HELIA & KILIANO, quos ſuperiùs prælibavimus, per arbuſta & frutecta latitabat, herbis ſilveſtribúſque pomis aquarúmque turbidarum parca libatione (ut mos illi erat) contentus.

Libris ſcribendis vacat. a

11. Omnia autem quæcumque habuit, aut habere potuit, larga manu indigentibus diſtribuit. Nam ſcriptor peritus erat [a], & huic operi ſedulò invigilabat, ſtudens præcipuè ut adquireret unde egentes recrearet: cujus virtutis favor velut aromatum ſuaviſſimus odor latè fumigans præfati Regis Colomagni perluſtravit palatium & Scotticarum regiones celebri rumore clarificavit, & gratanter perfuderat pectora omnium. Digna verò tanti præconia viri pius Rex admirabatur, atque his quæ per eum gloriosè fiebant congratulabatur. Et factum eſt ut cum honore eum ſibi præſentari juberet & humiliter ei ſupplicaret dicens: O beatiſſime Pater, novimus te normâ omnium virtutum florere, ſicut bonorum tuorum perhibent geſtorum exempla. Idcirco toto mentis affectu rogamus te, ut nobiſcum manere digneris, noſtríſque regalibus opibus uti, & nos ſaluberrimis tuis monitis, Evangelicíſque doctrinis à te mereamur perfrui. Hujuſmodi quoque flagitationibus idem glorioſus Rex & Optimates ejus & ipſi etiam cuncti ſubaulici inquietabant per ſingulos dies amicum Dei. Vir quoque Domini Livinus animum à cæleſti non reflexit fœdere, ſed plus cogitans quæ ſunt Dei quàm quæ ſunt mundi, veritus eſt ſi eorum voluntati ſatisfeciſſet, quòd animi ejus intentio quavis occaſione maligni inſidiatoris titillante poſſet commaculari, ſuæque ſobrietatis ſtatu dejici.

Angelo monente ad Auguſtinum pergit.

12. His ſollicitudinibus ægrè fluctuanti adſtitit Angelus Domini, eíque intulit hęc verba conſolatoria, appellans eum proprio nomine & dicens: Ave frater Livine, ne ſis ſollicitus, tempus eſt ut conſolationem accipias. Recede hinc & vade ad B. Auguſtinum Epiſcopum, cujus doctrinis & piis informationibus Domino cooperante mirificè ſublimaberis. His dictis Angelica viſio remota eſt. Beatus autem Livinus ſciens erga ſe univerſa divinitus agi, permiſſione Regis ſuſcepta à palatio quantociùs receſſit, Angelica ſatagens juſſa adimplere. Inter quoque iter agendum dum appropiaret ad mare magnum per quod tranſnavigare habebat, obviàm venit ei juvenis perlucidus adſpectu, habilis in inceſſu, dulcíque affamine ſic Sanctum Dei exorſus eſt compellare: Ne cuncteris frater, ego ſum quem Deus omnipotens cuſtodem vitæ tuæ deputavit, & numquam aberit tibi cura mei, ſed defenſor & dux adero in omnibus viis ſive operibus tuis. Novi cauſam itineris tui, feſtinemus quò tendis, quia proſperum iter Deus dabit nobis.

Mare ſiccis pedibus ſulcat Angelo duce.

13. Hæc eo dicente & præcedente, ſanctóque Livino cum tribus diſcipulis ſuis ſubſequente, pariter illud mare magnum ſiccis pedibus tranſierunt ſuperna comitante clementia. Beatus verò Livinus & ſæpenominati diſcipuli ſui, ſcilicet Foillanus, Helias & Kilianus, quamdiu ſuper aquas maris pedeſtri calle gradiebantur, tamdiu viſum eſt illis incedere per campum viridiſſimis graminibus & roſarum, liliorúmque floribus albeſcentem, & omnium ſpecioſarum generibus herbarum vernantem. Cùm autem ad litus conveniſſent & in terra tutis greſſibus conſiſterent, ductor eorum diſceſſit ab eis, & videntibus illis cum magno ſplendore divinæ claritatis circumfuſus adſcendit in cælum. Vir autem Dei humili pavore attonitus, pariter quoque ſpe ſupernæ conſolationis animatus cum diſcipulis ſuis cæleſti gratiæ debitas referebat laudes.

[a] Lege Carmen Livini ad Florbertum Abbatem Gandavenſem, & S. Bavonis Epitaphium ſuprà ad ann. 655.

14. His ritè peractis citato curſu, ſecundóque itinere ad ſanctum pervenit Auguſtinum Epiſcopum. Cujus adventum beatus Epiſcopus per revelationem ſancti Spiritus evidenter agnoſcens, dilectúmque Dei miniſtrum ſuâ divinitus intelligentiâ erudiendum comperiens benignè ſuſcepit, miræque caritatis devotione per quinque annos & tres menſes nutrivit, litteris erudivit, & ad faſtigium ſummæ perfectionis juxta Angelicam promiſſionem ſuis Deo dignis meritis & exemplis conformavit, & ad honorem ſancti Sacerdotij ſacroſancto ordine conſecratum ſublimavit, eíque caſulam purpuream auro gemmíſque compoſitè pernatam, & ſtolam cum orario[a] gemmis pretioſis auróque fulgido pertextam in ipſo die ordinationis ſuæ pro fœdere æternæ caritatis pius magiſter dilecto ſuo diſcipulo devoto amore contradidit. CIRC. AN. DC. LVI. NOV. XII. Ab Auguſtino informatus, ſacerdotio honoratur.

15. Cùm autem hæc omnia gratiâ almi Spiritûs cooperante dignè complerentur, Sacerdos Dei Livinus cum diſcipulis ſuis benedictione pij magiſtri ſuſcepta, beati videlicet Auguſtini, ſuperna comitante clementia in patriam ſuam repedavit. In ejus quoque adventu Principes regni, civéſque patriæ jocunditate magna ſunt gaviſi. Interim contigit MENALCHIUM Archipræſulem germanum glorioſi ducis Theagnij patris ſacerdotis Chriſti Livini de hoc mundo migrâſſe: de cujus tranſitu luctus erat omnibus & mærentia indicibili confundebantur univerſi. Illo quoque defuncto præfatus Rex Colomagnus & ejus Palatinorum chorus cum ſubaulicis ſuis totiúſque regionis illius confluentia pari cordis affectu conclamaverunt, ſanctum Sacerdotem Livinum in honorem hujus ordinis digniſſimè ſublimandum fore. His Rex omnibus devotior conſentiens, ter quatérque virum beatum in Cathedra Archiepiſcopatûs debito honore Domino jubente collocavit. Eadem verò hora quando Epiſcopalem accepit benedictionem, ut conſuetudo eſt Paſtores ſanctæ Dei Eccleſiæ conſecrari, ceteríſque Epiſcopis præſentibus & Clero atque devoto populo, ad declaranda beati Antiſtis Livini mundo merita & ad confirmanda hæc Divina myſteria vox ſupernè delata palam omnibus inſonuit, ita dicens: Ecce Sacerdos magnus qui in diebus ſuis placuit Deo & inventus eſt juſtus. Necdum autem hæc Divina verba finierat vox ſancta, cùm ſubitò apparuit ſuper caput venerandi Pontificis Livini corona rutilo auro, atque coruſcantibus gemmis compoſita ac vernantibus floribus intexta, & interiùs atque exteriùs & deſuper purpureis roſarum coloribus lucidè perfuſa, & adſtantes fragrantiâ ſuæ ſuavitatis replevit. Hęc etiam præfigurabat fore beatiſſimum illum Antiſtitem dignum Chriſti Martyrem futurum in roſeo ſanguine ſui martyrij fluidum, & diademate regni cæleſtis coronandum, & in confeſſione martyrij beata immortalitate in ſæcula fruiturum. In patriam regreſſus, Menalchio Epiſcopo ſubſtituitur. Mira in ipſius ordinatione.

16. Glorioſus igitur Pontifex Livinus jura regiminis Domino concedente humili devotione ſuſcipiens, ſpirituali amore ſuccenſus gregem ſibi commiſſum diſcreta pietate vigilanter admonuit, docuit, correxit, atque perpetuæ viriditatis pabulo indeſinenter refecit. Cæleſtis namque Medicus ſicut animas ſuorum diſcipulorum medicari invigilabat, ita & ægra multorum corpora incolumitatibus hujus vitæ ſuperna clementia præſtante reſtituebat. Inter has etiam præconandas meritorum ſuorum virtutes poſtquam Pontificali honore ſublimatus eſt, Domini gratia cooperatrice hæc inſignia operatus eſt miracula. Gregem ſuum ſollicitè curat.

17. Quidam paterfamilias Scottigena Abdias nomine paralyticus pariter & leproſus, omníque membrorum ſuorum uſu deſtitutus, ſic præmortuus exiſtens per novem annos infirmabatur, ut nec linguam ad loquendum movere, nec manus ad os porrigere, neque pedes contrahere ad ſe poſſet: ſed totus in grabato rigidus jacebat, & nihil vitale in ſe nec mobile præter oculos habebat, quorum nutibus ſibi neceſſaria præſtari vix innuebat. Cùm autem egregius Paralyticũ ſanat.

[a] Hìc diſtinguit Auctor inter Stolam & Orarium, quamquam utrumque apud Scriptores Eccleſiaſticos promiſcuè uſurpari ſolet.

CIRC. AN. DC. LVI. NOV. XII. Præſul Livinus hujus rei gratiâ glorificandus ovilia ovium ſuarum eis æternæ vitæ pabula adminiſtrando perageret, caſu itineris ſui domum illius languidi intravit, & ad introitum ejus mox infirmus ille caput erexit, loqui meruit, & quia ſanitatem ſentiebat in ſe vociferabatur dicens: O bene mihi, ô bene mihi, quis ingreditur aut ipſe Dominus Deus noſter, aut Angelus ejus viſitat nos. Sanctus autem Epiſcopus ſtabat admirans, ut fortè neſcius quid ſuis præcedentibus meritis ibi Dominus fieri diſpoſuerit, dixítque languido illi: Quid ſic clamitas frater? pax tibi, ſurge & porrige mihi modicum aquæ ut bibam, quia valde laſſus ſum. Tunc ille ſanus ſurrexit, & juſſa viri Dei devotus implevit, & ſimul cum Epiſcopo gratias Deo lætus pro ſanitate ſua celebravit, & deinceps vitæ ſuæ curricula incolumis præterivit. Hoc inſigni & admirando miraculo gloriosè per ſanctum Dei ſacerdotem Livinum perpetrato majus admirandum ſubſecutum eſt.

Tempeſtatem ſedat. 18. Dum quadam die per litus maris deambularet, ecce quidam nautæ valida tempeſtate pervaſi cœperunt vehementer periclitari, & cum omnibus mercimoniis ſuis peſſumdari. Quibus videns vir Domini extrema jam imminere, conſueto fretus Spiritus-ſancti fervore, tuto calle ſuper mare gradiens uſque ad eos feſtinus pervenit, ſignúmque ſanctæ Crucis prætendit & ait: Habete fiduciam in Domino fratres, quia non deſpicit in ſe fideliter confidentes. His verbis quievit illa tempeſtas, & facta eſt magna tranquillitas. Gubernatorem verò quem ex prora elapſum longè vi ſua quantum eſt miſſio arcûs mare in ſe protraxit cernens venerabilis Pater mergi incipientem, ſuper fluctus ad eum cucurrit, & dexterâ ſuâ dexteram ejus apprehendens eum extraxit, & ſecum ad arida perduxit, aliis proſpero navigio ſubſequentibus & Domino Deo omnipotenti jocundis vocibus laudem concinentibus, qui per Sanctum ſuum Pontificem Livinum ſalvare eos eſt dignatus. Quis hujus viri præconia tacet, niſi qui mutus eſt? Quis meritorum ejus virtutes audire faſtidit, niſi qui Chriſtum negligit diligere? Non enim aliud feciſſe eum novimus, niſi quod Chriſtum docuiſſe legimus.

Virtutum ipſius epilogus. 19. Erat quoque virtutis amator, humilitatis flos, lucerna juſtitiæ, caſtitatis gemma, ſobrietatis norma, in cunctis verò ſtudiis ſuis inſudabat, quo virtutum univerſarum exemplum fieret & dux. In orationibus frequens erat, vigiliis, jejuniiſque intentus, inopes in eorum neceſſitatibus magnificè relevabat: hoſpitum & præſertim peregrinantium, Monachorúmque in ſuſceptione piiſſimus invigilabat, propriiſque manibus pedes eorum abluebat, aquam manibus devotiſſimus tribuebat, cibum potúmque largiſſimus adminiſtrabat, ac veſtimenta egentibus ditiſſimè largitus eſt. Ipſe etiam ſub veſtimentis Pontificalibus purpuratis auro gemmíſque decoratis ſemper indutus cilicio, pane ſubcinericio cineribúſque commixto atque parciſſimo, aquæ guſtu per dies ſingulos victitabat: jugi quoque meditatione Monaſteria ſive ſancta loca orationibus, pſalmodiis, Miſſarúmque celebrationibus vigilantiſſimus frequentabat. Quanti verò infirmi & debiles ex umbra corporis ejus & tactu veſtimentorum illius ſive tantùm audientes vocem piæ ejus admonitionis ſani effecti fuerint quis explicet? planè namque beatorum Apoſtolorum ſubparem credamus, quia puritate mentis & ſobrietate mundi corporis æquali potitus eſt dignitate. Fuit etiam pauperibus humilis, ſubjectis mitis, potentibus affabilis, quatinùs ſuorum mediocritate morum, ſive jocunditate ſermonum in viam omnes alliceret cæleſtium gaudiorum. Cognovit autem prælatos his mundialibus potentiis tumentia eorum colla nullatenus ad Chriſtianæ religionis perfectionem valuiſſe reflecti, niſi per manſuetiſſimas veræ pietatis admonitiones. Apoſtolicâ imbutus doctrinâ, omnibus omnia factus ut omnes lucrifaceret, altiores ſe honore præveniebat, ſubjectos ſibi paterno amore confovebat, ut familiaritate ſuæ converſationis promptiùs verbo vitæ omnium corda infunderet. Erat autem vir Dei vultu, Corporis forma. actu, habitu, omníque corporali modo pari convenientia coaptabilis, productis

ſcilicet

ſcilicet membris & ſubtilibus, mediocri quoque proceritate eminens, capite grandi, capillis flavis & planis, commixtis canis & valde raris in fronte, aures latas habens & extenſas, oculos pervigiles & lætos, hirta ſupercilia & cana & circa frontem & tempora; candidiſſimam cutem gerens, genas utpote ex crebro jejunio tenues, ſed admodùm rubeas miræque jocundas; barbam canam, digitos ductiles & graciles, nullámque prorsùs ſuperfluitatem in membris gerebat. Quantò verò pulchriùs corporali perſona exteriùs reſplendebat, tantò fulgidiùs habitatore Spiritu-ſancto interiùs coruſcabat. CIRC. AN. DC. LVI. NOV. XII.

20. Cúmque ſuccreſcentibus meritorum virtutibus in ſpeculum totius ſanctitatis excelleret, ita cæleſte viſus eſt culmen promereri, quatinùs non ſolùm Scottica gens, verùm quoque Britanni & Hibernienſes populi & circumquaque regionum finitimi cum ſuis Principibus admirarentur ejus laudis præconia, & undique mira frequentia confluebant ad eum, ut audirent verba vitæ ex ore ejus. Quos omnes ut pius pater ſpirituali cibavit refectione, ſuáque confirmavit benedictione, & omnes infirmi & debilitati membris, variiſque impediti languoribus qui ad eum convenerunt, ejus beneficentiis refrigerati & optatis vegetati viribus in ſuą redierunt læti. Pro his autem animus ejus in elationis jactantiam non eſt ſubrectus, ſed ultra quàm admirari poteſt, veræ humilitatis cautela in manſuetudinis, patientiæ, caſtitatis, temperantiæ, juſtitiæ, dilectionis Dei & proximi pignore æternæ caritatis fundamento erat fundatus. Favorabiles itaque rumigeri loquacitates vulgi tamquam os abhorruit flammivomi draconis. Omnes ad ſe concurrentes docet curátque. Elationem averſatur.

21. In his autem ſemper ſollicitus fuit quæ Dei ſunt, non quæ ſunt mundi, ſciens quoniam mirificavit Dominus gratiam ſuam cum eo, & ſanctæ ſuæ meditationis gravitate ſecum reſpiravit, culpámque in ſe reprehendens ſi talentum ſibi creditum in unius regionis loco commorando lucraretur, cùm ſciret multas gentes cæcitate ſui erroris irretiri, quas oporteret Dominicæ claritatis fulgore irradiari; viſum eſt ei Chriſti lucernam ſancti Spiritus lampade in ſe accenſam digniùs eſſe ſuper candelabrum poni, ut profuſiùs ad ſalutem plurimorum clareſceret & ad lucidiſſimas cæleſtis vitæ manſiones perduceret. Cùm talibus itaque curis fluctuaret, Domino providente cuidam ſanctæ memoriæ Archidiacono SILVANO nomine inculcabat jura regiminis, ne oves Chriſti ſine Rectore eſſent, quamdiu ipſe Paſtor pro alendis ovibus per exteras nationum diverſarum regiones prædicando invigilaret. Vicario ſuffecto diſcedit Chriſtum alibi prædicaturus.

22. Cùm verò plurima perluſtrâſſet loca divini germinis ſemina ſpargendo, dæmonia ab obſeſſis corporibus pellendo, & multorum ægrotantium corpora ſanando, convenit cum diſcipulis ſuis ad quoddam Cœnobium avito vocabulo Gandavum [a] nominatum, quod B. AMANDUS Pontifex exſtirpatis Gentilium fanis fecit fundari, quod & ipſe dedicavit ad honorem S. Petri Apoſtoli & omnium Apoſtolorum, congregatis ibidem cultoribus, quibus præpoſuit Abbatem nomine FLOREBERTUM ſanctæ Religionis Rectorem, dignis moribus compoſitum, & totius honeſtatis exemplis refertum: à quo etiam & à ceteris Fratribus Monaſticæ caritatis officio benignè ſuſceptus eſt. Ibi quoque invenit magnificæ ſanctitatis virum & egregium Chriſti Confeſſorem BAVONEM recentiva [b] morte in Domino pauſantem & in Monaſterio S. Petri ſanctorúmque Apoſtolorum à B. Pontifice Amando & Abbate Floreberto & devotis Fratribus condigno honore humatum atque glorioſis miraculis coruſcantem. In eodem quoque loco per dies triginta commoratus eſt, & ad ſepulcrum S. Bavonis ſuas preces Miſſarúmque celebrationes Domino Deo pervigil immolabat. In Monaſterio Gandavo excipitur.

[a] De Cœnobio Ganda ſeu Gandavo lege Acta S. Bavonis anno 653. Jacobus Malbrancus in lib. 3. de Morinis cap. 18. ſcribit, terno à Tarvenna lapide cerni pagum ad ima collium protenſum, S. Livini nomine ac miraculis innumeris inſignitum, quem Sanctus antequam Gandam concederet, præſentiâ ſuâ illuſtrâſſe videtur. In Sanderi Chronico Bavoniano S. Livinus cùm tribus diſcipulis XVII. Kalend. Auguſti Gandam viſitâſſe, idémque prid. Id. Novemb. decollatus fuiſſe legitur.

[b] In epitome Vitæ S. Livini apud Surium id poſt triennium à morte S. Bavonis contigiſſe dicitur.

CIRC. AN. DC. LVI. Nov. XII.

23. His namque diebus adimpletis Fratres Cœnobii & devotum vulgus pagi Pontificali jure benedixit & in via veritatis confirmavit. Et accipiens ab officio Monaſterii ſumptus qui in itinere neceſſarii ſunt, profectus eſt & in terram properavit Deo diſponente Brachentiſiam [a]. Quò ingrediente venerando Pontifice ſalutiferis greſſibus admirabatur amœniſſimam terram ſpatioſam & nimis delectabilem, & benignitate Dei exuberantem, lacte & melle & diverſarum frugum, arborúmque fertilitate, omniúmque affatim bonorum abundantia affluentem, incolas quoque perſonali forma corporum micantes, cultu veſtimentorum compoſitos, loquela & morum gravitate honeſtos egregios viros, ac præliatores idoneos & omni exercitatione ſtudiorum ſuorum huic ſæculo digniter confirmatos. Sed quia juxta Pſalmidicam vocem ſicut equus & mulus quibus non eſt intellectus in chamo & freno ſatanæ conſtricti ſunt, legem Dei prævaricabantur, adulteriis, rapinis, furtis, perjuriis, homicidiis fœdati, peſtiferâ rabie ut feroces canes invicem ſe mordentes, ſua quoque alternatim dolo fraudantes, mutua ſe cæde proſternentes. Cernens itaque Evangelicus vir illos de die in diem in actibus ſuis pejores fieri, vigiliis, lacrymis, orationibus pro eis laborabat, ne tam venerabiles perſonas inſatiabilis tartarus voraci fauce abſorberet, & in perditionem ſecum traheret, non ceſſans quotidie perluſtrare opida, vicos & caſtella, ſtillando verba vitæ in auribus eorum: & divina gratia cooperante quamplurimi ejus eruditione laqueos maligni pervaſoris evaſerunt, & vitam æternam adquiſierunt.

In Brachentiſiam tendit idolis addictam.

a

Pſal. 31.

b

Dæmonem conquerentem ab energumeno ejicit.

24. Et factum eſt dum circuiret diverſa regionis illius loca, corrigendo, hortando ad viam vitæ, populos ab errore gentilitatis revocando, ut intraret fundum qui veteri vocabulo *Holtem* [b] dicitur, ubi occurrit ei homo agitatus à dæmone clamans & dicens: O ſerve Dei Livine, quid nobis & tibi? Ecce enim regnum meum invaſiſti, & militiâ meâ me privaſti. Quid ultra me perſequeris? Scias etenim quia ſi me hinc expuleris, faciam te in illo loco multis affici injuriis. Sanctus autem veritatis miniſter in Spiritu-ſancto fretus protendit manum ſuam, & ſignum ſanctæ Crucis ei opponens ait: Obmuteſce omnium bonorum perſecutor, & recede ab hac creatura Dei & amodo ei nec ulli noceas homini. Nec mora ille malignus erroris ſpiritus abſceſſit, & videntibus cunctis qui aderant quaſi fumus teterrimo commixtus ſanguine ex corpore hominis egreſſus eſt. Unde multùm fatigatus homo jaçebat diu quaſi mortuus: & poſt ſpatium unius horæ ſurrexit & cum beato viro Deo gratias egit, ac ſanus in ſua rediit, & indefeſſa voce confitebatur vulgo ſancti Patris virtutem, cujus meritis merebatur liberationem.

b

Piæ matronæ filio lumen reſtituit.

25. Audientes igitur inclyti Archipræſulis famam ſummæ dignitatis matronæ, duæ ſcilicet ſorores, quarum una BERNA & altera CHRAPHAILDIS vocabatur, eum in ſuum devotè ſuſceperunt hoſpitium, quatinus ſuis ſacratiſſimis fruerentur colloquiis, & ejus viſitatione per Dei gratiam quam in eo fulgere conſpiciebant conſolarentur. Habebat autem Domna Chraphaildis filium nomine INGELBERTUM, qui ex turbatione veſicarum per tredecim annos & menſes quinque oculos amiſerat, & lumen cæli videre non poterat. Sed ſancto Dei Livino ſignum Crucis ſuper oculos ejus faciente cooperante Divina gratia illuminatus eſt. Intereà hujus facti creſcente opinione, innumerabilis turba illuſtrium virorum feminarúmque conveniebat ad Sacerdotem Dei Livinum, afferentes ſecum quos infirmos habebant, & animarum corporúmque cæleſtem medicinam & ſalutem adepti ſunt.

26. Sed miſerrimum eſt fari, quia pænè cuncti cives circumquaque adjacen-

a Serarius legit *Brabantiam*, quæ Provincia germaniæ inferioris maritima, cujus Bruxella caput eſt, Machlinia Metropolis, S. Livinum Apoſtolum ſuum agnoſcit. In Miraculorum S. Bavonis lib. 1. num. 8. leges *terram Brachantiſiorum*.

b Hodie *Hauthem*, qui pagus eſt territorii Aloſtenſis tertio à Gandavo milliari. Lege Epiſtolam S. Livini ad Florbertum ſuprà ad Vitam S. Bavonis anno 653. Hic pagus uti & Gandavum olim Brachante nunc utrumque Flandriæ attribuitur. Lege Henſchenii Comment. in Vitam S. Amandi num. 26. & ſeq. ad diem 6. Febr.

tium provinciarum belluino more indomabiles corde erant exaſperantes, Deo rebelles, virtutes quas per ſervos Dei mundo fieri cernebant vanas eſſe dicebant, arrogantérque legem Dei aſpernabantur, Sacerdotes ejus interficiebant, & qui eos in viam ſalutis introducere laborabant, aut illos exterminabant, aut intolerabiliter debacchando atroci morte opprimebant. Igitur athleta Chriſti conſtantiſſimus Divinis legibus præcinctus, hos aggreſſus diſputationi Evangelicæ prædicator inſiſtebat: æmulator noſtri Salvatoris effectus nullius perſonam accipiens, ſed juxta qualitatem operum ſollerti indagatione eos arguens, & ut fidelis operator fructum Divini ſeminis triticea meſſe in horreum Domini congregare ſatagens. Credentes verò ut in bonis actibus perſeverarent admonuit, incredulos autem & perverſos corde Spiritu-ſancto roboratus attentiùs increpavit.

CIRE. AN. DC. LVI. NOV. XII.

Incolis protervis Chriſtum prædicat.

27. Denique cùm Divinus doctor piis eruditionibus quotidie inſiſteret, ſempiterna gaudia pronuntians beatis, æterna quoque ſupplicia miſeris; Fideles quique alacri corde ſalutaria ejus monita capaciter ſuſceperunt, increduli autem contumaciter renitentes dixerunt: Hunc Evangelicum diſputatorem fallacem & ſeductorem eſſe, non pro ſalute animarum invigilâſſe, ſed amore terreni lucri regiones nationum circuîſſe, & eum digniùs eſſe contumeliis affici, aut exſiliari, aut crudeliter necari quàm ejus obtemperari doctrinis. In hoc malignitatis errore pertinaciter perſeverantes, alii ſanctum Dei Martyrem cum plumbatis cæſtibus plagaverunt, alii fuſtibus, multíſque injuriis debacchantes maceraverunt. Inter hæc unus eorum WALBERTUS dictus diaboli inſtinctu æſtuans, ferream forcipem miſit in os Sancti & abſcidit linguam ejus, & projecit in conſpectu populi, & ait: Ecce lingua ſeductoris iſtius quæ falſa loquendo gentem noſtram avertit: nihil aliud meretur, niſi ut canibus ad devorandum projiciatur. Cùm autem præſumeret talia perverſus facere, flamma ex ira Dei egrediebatur, quæ ipſum facinoroſum & cum eo ſedecim viros conflagravit qui hoc ſcelus conſiliabantur, ut nec cineres eorum reperirentur.

Fuſtibus cæſus linguâ multatur.

Tortores puniti.

28 Conſtantiſſimus autem præco Chriſti non eſt derelictus à Deo, ſed reſtitutâ linguâ ampliori fiducia populo illi divina jura inſinuabat. Nec iſta attactus plaga malignantium cœtus quievit tumultuare contra ſanctum Martyrem Chriſti, ed conclamabant dicentes eum maleficum eſſe & incantatorem & quæ divinitùs circa illum fieri viderunt falſa & inania fore *dixerunt. Cùm hæc fierent, quidam ex eis GERARDUS nomine crudelior ceteris, protendit brachium ſuum ut pugno ſanctum Chriſti Martyrem proteriter percuteret: ſed juſto Dei judicio impeditus per dies tres, ita extenſo brachio rigidus & confuſus permanſit. Ad ſe autem reverſus, ad pedes ſancti Martyris proſtratus eſt & ſoſpitati redditus eſt. Beatus igitur Pontifex Livinus pro divinis virtutibus quibus quotidie glorioſus factus eſt, indefeſſas Deo laudes decantabat, & toto affectu ſtuduit, quò ipſi hoſtia cum palma fieret Martyrii, pro cujus amore mortem pati decreverat.

Livino divinitus lingua reſtituitur.

* eſſe

29. Cùm autem hora remunerationis ſuæ appropiaret, Dominica nocte quando ſolito more in orationibus vigilaret, apparuit ei Dominus JESUS-CHRISTUS cum diſcipulis ſuis magna luce circumfuſus, dixitque illi: Gaude, dilecte mi, conſtanter operare, hodie circa horam ſextam recipiam te in regnum meum, & gaudebis mecum cum Fratribus tuis in æternum. Hac viſione roboratus miles & amicus Dei, ſciénſque diem ſuæ remunerationis imminere ſibi; mane illuceſcente plebem fidelium qui per ejus doctrinam Chriſto crediderunt convocavit: quos ut in via veritatis perſiſterent admonuit, & ea quæ ad regnum Dei pertinent docuit. Et finito ſermone benedixit eos, flecténſque genua coram eis gratias impendit pro officio humanitatis quo eum devotiſſimè ſuſceperant. Dans autem oſcula per ſingulos lacrymatus eſt, & omnes adſtantes ad pias flexit lacrymas: & ſalutatis omnibus piè in Chriſto invitis eis abſceſſit, & cœpit

De martyrio inſtante fit certior.

Fidelibus vale dicit.

CIRC. AN. DC. LVI. Nov. XII.

velle iter ſuum dirigere cum diſcipulis ſuis in vicum qui Eſca vocatur, ut illis civibus adnuntiaret regnum Dei, ſi fortè vel ibi conſequeretur promiſſionem Chriſti.

A furente multitudine appetitur.

30. Comperientes hoc duo fratres WALBERTUS & MEINZO miniſtri diaboli, quia amicus Dei dilectus diſcederet, arbitrati ſunt eum fugam inire : & conglobatis commilitaneis ſuis feritate illis ſimilibus fellino corde eructuabant hæc feralia verba dicentes : Blaſphemator ille legem noſtram profanavit & populum ſeduxit ; ſciens nunc maleficiis ſuis non poſſe apud nos ampliùs proficere, clam nobis diſpoſuit jam impunitus abſcedere. Sed non ita emigrabit injuriatus : ſequamur eum feſtinantiùs ut opprobrium noſtrum vindicare valeamus. Complices autem eorum Deo odibiles, filij tenebrarum, patris eorum ſatanæ Angelis agitati, crudeliùs ſævientes, majora convicia in ſanctum Dei Martyrem injuſtè locuti ſunt : qui pari conſpiramine ad effundendum ſanguinem innocentem concurrerunt, de quibus patenter ſcriptum eſt : *Sepulcrum patens eſt guttur eorum*, &c. Stabat quoque invictiſſimus Chriſti Martyr Livinus in orationibus, oculis ac manibus in cælum affixis, & ſubitò in agone poſito Spiritus ſanctus in ſpecie columbæ niveæ apparuit, & ſuaviſſimo ore ſuo ſtillans guttulas tres roſeas ſanguinis ſuper caput ejus dixit : Ne paveas, cariſſime, aperta eſt tibi janua vitæ, hora eſt ut intres in gaudium Domini tui. His dictis ter circumvolavit eum & lapſa eſt in cælum. Sanctus autem Pontifex in orationibus vigilantiùs inſtabat : & ecce unus ex diſcipulis ſuis nomine Foillanus veniens ad eum dixit : Pater audio ſtrepitum armorum, concurſúmque peditum appropiare. Necdum finierat dicta, & ecce filius iniquitatis Walbertus & frater ejus Meinzo rabidiſſimi canes cum ſuis ſatellitibus ſuperveniebant, & minantibus oculis in ſanctum Dei Martyrem fremebant. Sed fortiſſimus athleta Chriſti progreſſus conſtanter dixit illis : Quid venitis, fratres ? Si pœnitet vos hucuſque errâſſe & veniam quæritis, propitius eſt Deus aperire januam miſericordiæ ſuæ piè pulſantibus, ſicut idem ait : *Petite & dabitur vobis, quærite & invenietis, pulſate & aperietur vobis.* Videns autem B. Livinus Chriſti Martyr cæleſtia monita cæcata mente illos non poſſe percipere, ait : Fratres, cognovi quia quæritis me interficere, ſed ſecurus de Dei miſericordia ſum, qui ait : *Nolite timere eos qui corpus occidunt, animam autem non poſſunt occidere, ſed potiùs eum timete qui poteſt & animam & corpus perdere in gehennam.* Et tunc quidem temporalem mortem irrogabitis mihi, ſed naſci cæleſti lumini incipiam, ut cum Chriſto in æternum vivam. Et modò paullulùm quæſo ſuſtinete donec orem. Et dato ſpatio orandi, expanſis in cælum manibus ſublimè à terra in aëre libratus ſuperna claritate perfuſus oravit dicens : Deus qui me in utero matris meæ ſanctificâſti, & ſplendore tuæ gratiæ ortum meum perluſtrâſti, & ſuper mare mihi dux fuiſti ; exaudi me Domine famulum tuum, ut hi qui injuſtè perſequuntur me pro tuo nomine, non deleantur de libro vitæ, ſed cum ſanguine meo ſatiati fuerint, & inſpirati gratiâ miſerationum tuarum pœnituerint, recipias eos in numero Electorum tuorum. Præſta Domine ut in loco quo præſentia Reliquiarum mearum fuerit, vel memoria nominis mei, ſit ſemper incolumitas & abundantia pacis, & omnium bonorum plenitudo floreſcat : & qui in mari, vel in aquis, ſive in terra, ſive in carcere aut infirmitate, ſive in aliqua preſſura anguſtiantur, & nominis mei recordati fuerint ; exaudi eos Domine, ut cognoſcant verè quia fidelis es in Electis tuis & ſanctus in omnibus operibus tuis : & ſi in peccatis inciderint, & per me te invocaverint, tua clementia abſoluti laudent nomen tuum in ſæcula ; & maximè Domine qui hunc diem aſſumptionis meæ cum devota retinuerint memoria, habeant totum annum jugi præſentia gratiæ tuæ ſecurum, nec eis dominetur infirmitas, nec moleſtiarum inquietas ; ſed ſit eis tranquillitas pacis & ſanitatis & ſobrietatis, quæ eos lætos perducat ad regnum gloriæ tuæ, præſta qui vivis & regnas unà cum Filio tuo Domino Jeſu-

Pſal. 13.

Luc XI. 9.

Matth. 10.

Pro inimicis ac cultoribus ſuis orat.

Chriſto & cum Spiritu-ſancto per omnia ſæcula ſæculorum. Reſponderunt diſcipuli ejus cum adſtantibus fidelibus, Amen. Ecce vox divinitus emiſſa: Mi dilecte, inquit, ſuper his omnibus quę benignè exoraſti, ſcias te proculdubiò exauditum. CIRC. AN. DC. LVI. NOV. XII.

31. Poſthæc conſtantiſſimus Martyr Chriſti & triumphator magnificus Livinus divino auxilio roboratus deſcendit ad eos, & dixit illis: Fratres mei cariſſimi, adſto hoſtia Regis æterni vocantis me, præſtolor gloriam quam mihi præparavit in cælis: adſunt & Angeli ejus præſtolantes me. Eſtote fortes, & ſi quid defuerit viribus, ſuppleat veſtra crudelitas in paſſione mea. Iſti comites mei oves Chriſti ſunt, peto illis pacem, neminem umquam læſerunt, innocentes enim ſunt. Et oſculatus eſt eos & dixit: Deus omnipotens cuſtodiat vos, Cariſſimi, in vitam æternam. Et ſuſpiciens in cælum dixit: In manus tuas commendo ſpiritum meum, redemiſti me Domine Deus veritatis. Interea ſupradicti fratres Walbertus videlicet & Meinzo irruerunt in eum, & multis plagis irrogatis ad ultimum ſuæ ſalutis doctorem decapitaverunt, & videntibus cunctis anima ejus ab Angelis ſuſcepta meruit ſcandere ſecreta cæli cum magna claritate cæleſtis gloriæ. Paſſus eſt autem beatiſſimus Pontifex & Chriſti Martyr Livinus pridie Idus Novembris, regnante Domino noſtro JESU-CHRISTO, qui vult omnes homines ſalvos fieri & ad agnitionem veritatis venire, qui cum Deo Patre & Spiritu-ſancto vivit & regnat per omnia ſæcula ſæculorum. Capite percutitur.

32. Cognoſcentes autem hoc factum illuſtres viri & feminæ qui per ejus doctrinam illuminati fuerant, venerunt gementes & plorantes ad beatum corpus. Inter quos erat prædicta matrona CRAPHAHILDIS quæ venerabilem virum Dei in hoſpitium habebat, & ſuis eum opibus devotiſſimè confovebat, ſecum ferens in manibus puerulum quem ipſe Sanctus Martyr nuperrimè de ſacro fonte levavit, imponens ei nomen BRICTIUS, adhuc in albis: quæ ante omnes alios erupit in lacrymabilem vocem dicens: Beatum virum illuminatorem patriæ innocentem eſſe & injuſtè tam crudelem mortem ſuſtinere. Tunc ſatelles ſatanæ Walbertus à diabolo inflammatus inſiliens in eam bipennulâ ſuâ caput ejus per medium ſecuit: quæ ſtatim exſpiravit. Infantulum autem per tres partes ſecuit, quas juxta corpus beati Martyris projecit. Certiſſimum enim creditur eos habere gloriam martyrij in ſorte venerandi Pontificis & martyris Livini. Diſcipuli verò tulerunt corpus pij Magiſtri & partes de corpuſculo infantuli, & poſuerunt pariter in monumento novo ſibi Angelicis manibus divinitùs præparato. Beatam quoque Craphahildem Martyrem Chriſti ſeorſum ſepelierunt prope ſepulcrum [a] beati Martyris Livini. Chraphaldis cum filio ſimiliter perimitur.

[a] Varias legimus apud Surium S. Livini Tranſlationes, quas compendio ſic accipe. Primam anno DCCC. XLII. celebravit THEODORUS Cameracenſis Epiſcopus, dum SS. Livini & Brictij corpora in villa HOLTEM ſeu HAUTHEM ſepulta humo extulit, & loco celebriori collocavit. Secundam ERMBOLDUS Monaſterij S. Bavonis Abbas, qui anno circà M. XX. integrum S. Livini corpus ſecuritatis ergo è ſubjecta ſibi Hauthemenſi Eccleſia in ſuum Cœnobium tranſtulit. Quo in loco per RADBODUM Noviomagenſium Tornacenſiúmque Epiſcopum & VVITHMANNUM Abbatem anno M. XXCIII. alia Tranſlatione facta, rurſus poſt annos propè XC. tempore BETTONIS Abbatis ſacræ Livini Reliquiæ à VVALTERO Tornacenſi Epiſcopo novo loculo impoſitæ ſunt. Denique anno M. D. LXVI. (ut ſcribit Sanderus in Gandavo ſuo) Calviniſtis Gandavum depopulantibus, cædem Reliquiæ cum aliis permultis illatæ ſunt in caſtrum novum à Carolo V. Imperatore exſtructum; indéque poſtea anno M. D. LXVII. in Collegiata S. Bavonis Eccleſia, quæ modò Cathedralis eſt, honorificè depoſitæ ſunt.

AN. CHR. DC. LVIII. MARTII XVIII.

VITA S. GERTRVDIS ABBATISSÆ NIVIALENSIS PRIMÆ,

Auctore Monacho anonymo coævo.

Ex Martio Bollandiano & MS. cod. RR. PP. Fulienſium Pariſ.

OBSERVATIONES PRÆVIÆ.

Gertrudes plures.

1. GERTRUDES *plures pietate inſignes celebrat Ordo Benedictinus, nimirum* GERTRUDEM *Virginem & Abbatiſſam Nivialenſem, quæ aliarum veluti primiceria & anteſignana fuit;* GERTRUDEM *nobilem feminam Rigomari Ducis relictam, Hamaticenſis Parthenonis auctorem, Marcianenſem nonnumquam appellatam, quòd ſacra ejus Reliquiæ in Cœnobio Marcianenſi adſerventur;* GERTRUDEM *Virginem, Rigomari Ducis ac Gertrudis mox dictorum ex Sigfrido filio & Berta conjuge neptem, Blanciacenſis Monaſterij in Arteſia conditricem & Abbatiſſam; quibus adjungenda eſt* GEBETRUDIS *prima Habendenſis ſeu Romaricenſis Abbatiſſa, quam nonnulli Gertrudem vocant. Hæ Gertrudes floruêre iſthoc quod præ manibus habemus ſæculo ſexto, quibus aliæ poſterioribus ſæculis ſucceſſerunt* GERTRUDIS *virgo illuſtris, quæ Caroli Magni principatu in Franconiam ſervandæ caſtitatis ſtudio fugit, & Carleburgenſe ac Neuſtadenſe Ordinis S. Benedicti Cœnobia ædificâſſe dicitur, cum Gertrude Nivialenſi à quibuſdam perperàm confuſa:* GERTRUDIS *ex Duciſſa Monialis Zvvifaltenſis ſæculo duodecimo;* GERTRUDIS *Abbatiſſa Trebiniaci in Polonia ſæculo tertiodecimo;* GERTRUDIS *clariſſima Virgo & Abbatiſſa Elpediana ſæculo quartodecimo;* GERTRUDIS *Recluſa in Veſtphalia; demùmque ex familia Ciſtercienſi* GERTRUDIS *Prioriſſa de Biloca prope Gandavum;* & GERTRUDIS *Montis S. Salvatoris in Germania Sanctimonialis. Iſtis ad præſens omiſſis, de Gertrude primo loco laudata modò agendum eſt.*

Gertrudis Nivialenſis Vitæ Scriptores.

2. *Sancta* GERTRUDIS *Virgo, Abbatiſſa Nivialenſis, Pippini Ducis ac Majoriſdomus filia (quæ in antiquis membranis* GERETRUDIS *ſæpiùs ſcribitur) duos habuit Vitæ ſuæ Scriptores anonymos, unum Monachum Nivialenſem, qui eidem Sanctæ coævus vixit*, eique morienti adfuiſſe in fine Vitæ dicitur; alterum Nivialenſem ſive Clericum ſive Monachum, qui primarium Auctorem ſæculo circà decimo interpolavit. Prior lucubratio diſtincta eſt in libros duos, de Vita ſcilicet ac de Miraculis; Poſterior in libros tres, quorum primus eſt* de carnali generoſitate *S. Gertrudis, 2.* de ſpirituali nobilitate ipſius, *3.* de virtutibus ejus. *Primum librum anonymi poſterioris pro Vita B. Pippini Gertrudis patris edidit 21. Februarij Iohannes Bollandus omiſſa Præfatione, in qua hæc ad prioris Auctoris commendationem obſervanda:* Operæ pretium exiſtimo ad ædificationem ſanctarum Virginum ſpecialiter noſtræ Eccleſiæ, quæ Deus dederit de Vita beatiſſimæ Virginis Gertrudis explicare.....Quamobrem Divina adſpirante clementia, Vitam piiſſimæ Virginis earum ædificationi conſcribere decrevimus, ſecundùm quod veraciſſima ac fideliſſima narratione, licet inculto ſermone nobis tradidit, qui vitam & virtutes ejus oculis ſuis vidit, quique ſacris exſequiis dum Divinus odor totam in cellam ſeſe diffunderet, præſens interfuit. *Primariam illam antiqui Auctoris ſcriptionem à Surio contractam, ab Henſchenio ſincerè editam huc referimus, ad MS. codicem RR. PP. Fulienſium regalis Monaſterij S. Bernardi Pariſiaci exactam, cum qua ſubinde Interpolatoris textum conferemus.*

* *Lege Prol. & Vitæ cap. 1. 4. & 5.*

Ordini Benedictino vindicatur.

3. *Bollandiani operis Continuatores in Comment. prævio ad Vitam S. Gertrudis 17. Martij opponunt nobis Gabrielem Pennottum arguentem Benedictinos,* quòd ſuo S. Gertrudem Ordini adſcribant. *Mirum ſi viri oculatiſſimi Pennotto ſubſcribant, cùm etiamſi Gertrudem dimitteremus, haudquaquam Auguſtinianis Canonicabus accenſeri poſſit. Quippe ante ſæculum nonum inauditum fuit in Galliis Canonicarum nomen & inſtitutum: audiri primùm cœpit in Concilio Cabilonenſi, quod Sanctimonialibus à primæva religione deficientibus & ſeſe Canonicas jactitantibus primùm* Inſtructionem pro Sanctimonialibus quæ ſe Canonicas vocant, *cap. 53. ac ſeqq. præſcripſit. Notanda capitis 53. hæc verba:* Libuit namque huic ſacro Conventui quaſdam admonitiunculas breviter eis Sanctimonialibus ſcribere quæ ſe Canonicas vocant: quoniam hæ quæ ſub Monaſticæ Regulæ norma degunt, totius vitæ ſuæ ordinem in eadem quam profitentur Regula ſcriptum habent. *Novum ergo tum erat Canonicarum nomen, nova Religio, quibus Concilium dictat Regulas, quas Ludovicus Auguſtus anno pòſt tertio in Concilio Aquigranenſi (in quo ſua Canonicis, ſua Canonicabus Regula condita eſt) explicari curavit.*

4. *Nec etiamſi concedamus exſtitiſſe ante ſæculum nonum Canonicas, harum inſtitutum in Cœnobiis Belgicis Nivialenſi, Andanenſi, Melbodienſi, aliiſque viguiſſe probari poteſt. In Concilio ad Liptinas Cameracenſis agri vicum, anno 743. celebrato S. Bonifacius Sanctimonialibus unam S. Benedicti Regulam proponit, cap. 7.* Decrevimus ut Monachi & Ancillæ Dei Monaſteriales juxta Regulam S. BENEDICTI Cœnobia vel Xenodochia ſua ordinare, gubernare, vivere ſtudeant, & vitam propriam degere ſecundum prædicti Patris ordinationem non negligant. *Nullæ ergo erant tum temporis aliæ* Ancillæ Dei Monaſteriales *ſeu Sanctimoniales in Belgicis partibus (ubi Synodus agebatur) præter Benedictinas: ſiquidem Concilium indefinitè præcipit*, ut Ancillæ Dei Monaſteriales juxta Regulam S. BENEDICTI vivere ſtudeant. *Et certè quis putet S. Amandum ex Monacho Epiſcopum, & Monaſtici Ordinis propagatorem eximium*, ITTAM *ſanctæ Gertrudis matrem ac Gertrudem ipſam ad Canonicarum (etiamſi tum fuiſſent) religionem incitaturum fuiſſe?* AN. CHR. DC. LVIII. MARTII XVIII.

5. *Apud Niviallam Brabantiæ opidum* ITTA *ædificavit Monaſterium duplex, virorum ac Puellarum; Puellari Gertrudem filiam præfecit. In Virorum Monaſterio non Canonici degebant, ſed Monachi, quos inter S. Foillanus B. Furſei frater, Monachus ac Monachorum Abbas antea in Saxonia, cum S. Gertrude aliquamdiu converſatus eſt. Quod quidem luce clariùs probat coævus S. Gertrudis Encomiaſtes, à nobis hic editus, dum in lib. Mirac. cap. 3. incendium in Nivialenſi Monaſterio exortum deſcribit his verbis:* Intantum autem, ut dicunt, erupit flamma vehemens, ut nullus Monachorum vel Virginum ſeu Virorum ibidem concurrentium, ullam ſpem haberet ad liberandum Monaſterium de incendio. *Et cap. 11. dum de ſanctæ Gertrudis die feſto agit;* Cùm autem appropinquâſſet dies ille, tunc omnes qui ad hanc ſollemnitatem illuc convenerant ſive viri ſive feminæ, Monachi ac Virgines Chriſti *&c. Erant ergo in Cœnobio Nivialenſi Monachi, non Canonici; erant & Monachæ, non Canoniſſæ quas Monachi regebant: erant, inquam, Monachæ Benedictinæ, cùm ex Synodo Liptinenſi* Ancillæ Dei Monaſteriales *in Belgicis ſaltem regionibus*, juxta Regulam S. BENEDICTI *vivere tenerentur. Adeo ſanè Auctor ille coævus Nivialenſis Monachus imbiberat S. Benedicti Regulam, ut ipſius Regulæ verbis non ſemel hoc in opere uſus ſit. In lib. Mirac. cap. 2.* æqualem ſervitutis militiam bajulârunt, *quæ verba in Regulæ cap 3. ipſiſſima leguntur: &* opus Dei *cap. 6.* opus Divinum *cap. 9. pro Divino ut vocant officio, uti S. Benedictus paſſim in Regula, uſurpat. Verùm hæc commodiùs tractantur & uberiùs in hujuſce Tomi Præfatione, ubi tempus expendimus, quo Sanctimoniales Nivialenſes aliæque deſciverunt à Regula & Inſtituto Benedictino, ad quam eas aliquando Horrenſium Sanctimonialium Treverenſium exemplo revocandas fore ſperamus.* Niviallæ Monaſterium duplex.

6. *Nivialla ſeu Nivigella, modernis Nivella, Brabantiæ opidum, ſeceſſu ac Monaſterio S. Gertrudis illuſtratum, ſitum eſt inter Bruxellam ac Montes Hannoniæ, ſex hinc inde leucis interpoſitis, Leodienſi quondam, nunc Namurcenſi Epiſcopo ſubjectum. Iſthic celebriores Eccleſiæ duæ; S. Petri una quam ſæculares Canonicæ quadraginta duæ occupant; S. Pauli altera Collegiata, quæ triginta Canonicis conſtat.* Niviallæ ſitus & ſtatus.

PROLOGUS AUCTORIS.

SANCTA & inſeparabili caritate largiente credimus, atque inviolata ac ſtabili fide tenemus, quòd deſiderantes cęleſtis patriæ viam tenere, & terrena lucra funditùs relinquere, ad æterna præmia obtinenda valent adjuvari, ſi de vita vel conſervatione Sanctorum Sanctarúmque Chriſti Virginum ad ædificationem vel profectum proximorum veraciter aliqua, licet pauca, ſcribendo aut prędicando ſtudeo commonere: quatenus Sanctorum Sanctarúmque Virginum præcedentium exempla cordis noſtri tenebras flammâ caritatis & ardore ſanctæ compunctionis valeant illuminare. Propterea omnium opifice Spiritu-ſancto adjuvante, de beatiſſimæ Virginis atque Chriſti famulæ Matris GERTRUDIS vita & converſatione, qua ſecundum Deum & diſciplinam regulariter vixit ſub axe cęli, juxta id quod vel vidimus, vel per idoneos teſtes audivimus, adjuvante Chriſto atque ſacrâ puellâ DOMINICA [a] Abbatiſſâ, ac ſancta Congregatione Nivialenſis Monaſterii (ubi ſancta Virgo præeſſe videbatur) poſtulante, ſcribendo conabor caritati veſtræ intimare. Sed quo ordine de ter- Auctoris fides. a

a Dubitat Henſchenius, num hîc legendum ſit *Domina Abbatiſſa*, ſcilicet Agnete, quæ Vvilfetrudi ſucceſſiſſe infrà in lib. Mirac. cap. 6. legitur: de cujus Agnetis obitu nihil in conſequentibus dicitur. At DOMINICAM Abbatiſſam poſt Agnetem numerat Bartholomeus Fiſſenus in Florib. Eccleſiæ Leod. & Scriptor Miraculorum loco citato, Agnetem jam mortuam fuiſſe ſatis innuit his verbis: *Omnes unam puellam elegerunt, cui nomen erat Agnes.* Ergo poſt Gertrudem Nivialenſi Monaſterio præfuerunt Vvilfetrudis, Agnes & Dominica, ſub cujus regimine hæc Vita ſcripta eſt.

AN. CHR. DC. LVIII. MARTII XVIII.

rena origine genealogiam adſumpſerit, huic ſermoni inſerere longum eſt. Quiſnam autem in Europa habitans hujus progeniei altitudinem, nomina & loca ignorat?

INCIPIT VITA.

CAP. I. Gertrudis nuptias recuſat.

IGITUR cùm eſſet in domo parentum ſancta Dei puella Geretrudis, ſecus pedes beatæ memoriæ genitricis ſuæ ITTÆ, die ac nocte verbo & ſapientia meditabatur, Deóque cara & hominibus amata ſuper ſuas coætaneas creſcebat. Hoc primum electionis ſuæ in Chriſti ſervitio initium fuit, ſicut per juſtum & veracem hominem comperimus qui præſens ibi aderat: quia dum PIPPINUS genitor ſuus Regem DAGOBERTUM in domo ſua ad nobile prandium invitâſſet; advenit ibidem unus peſtifer homo, filius Ducis Auſtraſiorum, qui à Rege & à parentibus puellæ poſtulavit, ut ſibi ipſa puella in matrimonium fuiſſet promiſſa ſecundum morem ſæculi. Propter terrenam ambitionem & mutuam amicitiam placuit Regi: & patri puellę ſuaſit, ut in ſua præſentia illa cum matre fuiſſet evocata. Illis autem ignorantibus propter quam cauſam Rex vocaret infantem, interrogatur inter epulas à Rege, ſi illum puerum auro fabricatum, ſericis indutum voluiſſet habere ſponſum. Illa autem quaſi furore repleta, reſpuit illum cum juramento, & dixit: Quia nec illum, nec alium terrenum niſi Chriſtum Dominum volo habere ſponſum, itaut ipſe Rex & Proceres ejus valde mirarentur ſuper his quæ à parva puella ex Dei juſſione dicta erant. Ille verò puer receſſit confuſus, iracundiâ plenus. Sancta autem puella ad ſuam ſe convertit genitricem: & ex illa die parentes ejus cognoverunt, à quali Rege adamata fuerat[a].

a

II. Poſt annos verò quatuordecim cùm pater ejus Pippinus de hac luce migrâſſet[b], matrem in viduitate ſecuta eſt, eíque in obſequio atque in Dei mandatis ſobriè & caſtè ſerviebat. Cúmque cotidie ſupradicta materfamilias tam de ſe quàm de ſua orphana filia quid eſſet factura cogitaret; adveniens vir Dei AMANDUS Epiſcopus ad domum ſuam, verbum Dei prædicans ex Domini juſſione, rogabat ut Monaſterium ſibi ſuæque filiæ Dei famulæ Geretrudi & Chriſti familiæ conſtrueret. Quæ ſtatim ut intellexit ignotæ rei noticiam ad ſalutem animarum pertinentem, ſacrum velamen accepit, & ſemetipſam Deo tradidit & omnia quæ habebat. Sed hoſtis humani generis & inſtigator, qui ab initio bonis operibus invidus eſt, ad reſiſtendum pravorum corda firmabat, ut ab his qui ad Dei voluntatem faciendam eam adjuvare debuerant, non parvam ſuſtineret tentationem. Quales injurias vel ignobilitates & penurias pro nomine Chriſti ſupradicta famula Dei cum filia ſua perpeſſa eſt, ſcribere longum eſt, ſi per ſingula narrentur. Sed hoc tantùm, quantam devotionem & quale deſiderium habebat in ſe Divinum, ut violatores animarum filiam ſuam ad illecebras hujus mundi ac voluptates per vim non raperent, ferrum tonſoris arripuit, & capillos ſanctę puellæ ad inſtar coronæ[c] abſcidit. Sancta autem famula Chriſti

b Patre mortuo mater ejus velum à S. Amando ſuſcipit.

Gertrudis à matre tondetur.

c

a Poſthæc inſerit Interpolator fugam S. Gertrudis in Franconiam Virginitatis conſervandę gratiâ: quod convenit alii Gertrudi, quæ regnante Carolo Magno vixit.

b Pippinus Gertrudis pater ſepultus eſt in villa ſua Landino (unde *Landinenſis* à modernis dictus) in Braebantro prope opidum ac Monaſterium S. Trudonis ſitâ, donec ejus Reliquiæ tranſlatæ ſunt in Monaſterium Nivialenſe, (ubi inter Sanctos colitur XII. Kal. Martii) & juxta ferretrum S. Gertrudis filiæ ſuę in theca decenti collocatę. Ex uxore Itta tres liberos generavit; GRIMOALDUM ſub Sigiberto Dagoberti filio palatii Præfectum; BEGGAM quæ Anſigiſilo S. Arnulfi filio nupſit, ex eóque Pippinum Francorum Ducem Pippini Regis avum & Vvilfetrudem Virginem, de qua infrà cap. 6. genuit; ac GERTRUDEM noſtram.

c Tonſas olim fuiſſe Sanctimoniales clarum eſt tum ex hoc loco, tum ex Epiſtola Hieronymi ad Sabinianum Diaconum; at in modum coronæ attonſas non facilè extra hunc locum reperias. *Mitram* quidem ſeu *mitrellam quaſi coronam Virginalis gloriæ præferebant in vertice* diſtinctam à velo, teſte Iſidoro in lib. 2. de Offic. cap. 17. & *mitrellas aureas* Virginum agnoſcit Optatus Milevitanus lib. 2. adverſus Parmenianum; ſed non coronam ex cęſarie compoſitam. Concilium Liptinenſe anno DCC. XLIII habitum ſtatuit cap. 6. Ut *Nonna velata* in peccatum fornicationis lapſę *radantur capilli* prętер alias pœnas: quo ſenſu fortè intelligendus Ambroſius ad Virginem lapſam cap. 8. Lege Menardum in lib. Sacram. pag. 212.

Geretrudis

Geretrudis agens Deo gratias gaudebat, eoquòd meruiſſet in hac brevi vita pro Chriſto in capite coronam accipere, ut illic perpetuam coronam, corporis & animę integritatem digna eſſet habere. Deinde miſericors Deus & adjutor in tribulationibus ipſos adverſarios ad pacis concordiam revocavit. Ceſſârunt jurgia, pars diaboli victa eſt. Mater verò familias Itta filiam ſuam Dei electam Geretrudem Sacerdotibus Domini tradidit ad accipiendum ſacrum velamen [a] cum Sodalibus ſuis, & ſancto gregi Cœnobitarum Chriſto ordinante præeſſe conſtituit. Namque habebat ipſa Virgo magnam morum continentiam: mentis ſobrietate, verborum moderatione ſenilem antecedens ætatem. Erat autem caritate prædita, vultu pulcra, ſed pulcrior mente: caſtitate integra, eleëmoſynis larga, jejuniis & orationibus dedita, curis pauperum ac peregrinorum provida, infirmis ac ſenibus pia, juvenibus verò in diſciplina exſtitit ſtrenua, erga eccleſiaſtica vaſa ſummo ſtudio paſtoralem habebat curam. Et per ſuos nuntios boni teſtimonii viros, Sanctorum patrocinia vel ſancta volumina de urbe Româ & de tranſmarinis regionibus gnaros homines aſcibat ad docendum Divinæ legis carmina, ut ſibi & ſuis quid eſſet meditandum, Deo inſpirante meruiſſet habere.

AN. CHR. DC. LVIII. MARTII XVIII.

[a] Velatur aliiſque præficitur.

His itaque omnibus juxta Divinum ordinem diſpoſitis, plena dierum & perfecta ætate exemplum boni operis poſteris relinquens, ſoboles habens & ex eis videns nepotes, plus minùs ſexageſimo ætatis ſuæ anno memoriæ beatæ Itta poſt obitum viri clariſſimi Pippini domini ſui anno duodecimo, Deo & Angelis ſpiritum commendans, migravit [b] ad Dominum, & in Nivialla Monaſterio ſub tegmine B. Petri Apoſtoli honorificè traditur ſepulturæ. Cùm ergo beata famula Dei Geretrudis matre defuncta omne onus regiminis ſuper ſe ſola ſuſcepiſſet, infra ſe cogitabat de cæleſti contemplatione, quam ſibi ſine ſæcularium ſtrepitu habere optaverat. Bonis ac fidelibus diſpenſatoribus foris de Fratribus, infra verò ſepta Monaſterii ſpiritualibus Sororibus curam familiarem commendavit: quatenus diebus ac noctibus in agone ſancto vigiliis ac orationibus ſanctis, lectionibus & jejuniis contra ſpirituales nequitias potuiſſet dimicare. Ita exitus rei patuit in illa, ut pæne omnem bibliothecam Divinæ legis memoriæ reconderet, & obſcura allegoriæ myſteria Spiritu-ſancto revelante apertè auditoribus aperiret. Item Sanctorum Eccleſias & alia præcipua ædificia ex fundamentis conſtruxit: & orphanis, viduis, captivis, peregrinis alimoniam cotidianam cum omni largitate miniſtravit.

III. Matre piè mortua, Monaſterii regimen diſponit.

[b] Itta ſeu Irhuberga, Idubergáve B. Gertrudis mater colitur VIII. Idus Maias.

Nec prætereundum eſt, ut arbitror, quod ipſa Dei famula quaſi terrore perterrita nobis narravit. Cùm ad altare S. Xyſti Martyris orationis causâ ſtetiſſet, vidit ſuper ſe deſcendentem ſphæram flammeam perlucidam, itaut tota Baſilica illius claritate fuiſſet illuſtrata, quaſi hora dimidia: paullatimque receſſit unde venerat, & poſtea cernentibus aliis Sororibus iterum ſuper ipſam apparuit eo modo. Quid iſtius lucis manifeſtatio indicabat, niſi veri luminis viſitationem, quod omnem Sanctum pro ſe & omnibus fidelibus in Chriſto orantem illuminat.

IV. Superna luce illuſtratur.

Quadam autem die periclitantibus miſſis in mari, ejuſdem beatæ memoriæ Geretrudis commemoratio ad vitam opportunè ſuccurrit. Dum pro utilitate Monaſterii in pelago cum tranquillitate navigarent, longè apparuit quaſi navis miræ magnitudinis veniens ex latere. Cùm autem appropinquâſſet, levavit ſe magna tempeſtas, & mare ingentibus fluctibus tumeſcebat: & ecce magna & terribilis bellua quaſi jactus fundæ ipſis miſſis apparuit: cujus non totum, ſed ex parte dorſum viderunt. Et nautę tremefacti de vita nihil ſperantes, ſuis votum voverunt idolis: ipſi autem miſſi nomen Domini invocantes, illam noviſſimam horam ſperaverunt. Et exclamavit unus de noſtris qui adhuc vivit, & dixit ter:

V. Suos à naufragii periculo liberat.

[a] Non ergo ampliùs vigebant Canones, quibus Virgines ante probationis annum quadrageſimum velari cautum erat.

An. CHR. DC. LVIII. MARTII XVIII.

Geretrudis adjuva nos, ſicut promiſiſti. Certè qui vidit & audivit teſtis fuit: tertiò illo verbum repetente, cetus abyſſum petivit, & illi cum lætitia & tranquillitate ea nocte portum obtinuerunt: ita per orationem ancillæ ſuæ pauperes ſuos Chriſtus liberare dignatus eſt à morte[a].

a

VI. Mortis præſcia Vvilfetrudem ſibi ſubſtituit.

Poſt aliquos annos cùm ex cauſa nimiæ abſtinentiæ & vigiliarum cuſtodia ejus corpuſculum magna ægritudine graviter fatigaretur; per revelationem Divinam B. Virgo Geretrudis cognovit, quòd ſuus de hac luce appropinquâſſet tranſitus. Cùm conſilio ergo Servorum[b] Dei vel Ancillarum, omnem honorem & honoris vocabulum vel curam paſtoralem, quam erga gregem Chriſti corporaliter habebat, niſi * ſola ſpiritualia, propter Chriſti amorem funditùs dereliquit: & neptem ſuam ſecus pedes ejus à cunabulis ſub ſanctæ Regulæ norma litteris imbutam & nutritam, nomine WLFETRUDEM, in vices ſuas coactam conſtituit regere gregem Dei & pauperibus miniſtrare. Tunc & ipſa ſacrata puella Wlfetrudis vigeſimum ætatis annum habebat: quæ ex antiquo Francorum genere claro & ipſa edita fuit. Erat autem vultu ſerena, familiæ cara, lenis ſubditis, dura ſuperbis, pauperibus larga, parentibus pia, eloquio blanda, caritate erga Deum & proximum fervens, & continentiâ permanſit pura. Contigit autē ex odio paterno, ut Reges, Reginæ, & etiam Sacerdotes per invidiam diaboli illam de ſuo loco, primùm per ſuaſionem, poſtmodùm vellent per vim trahere, ut res Dei quibus benedicta puella præerat, iniquiter poſſiderent. Sed Domini miſericordiâ & Sanctorum orationibus protecta, omnibus ſuis adverſariis Chriſtus cui ſe ancillam devovit miro modo reſtitit: & ita ei Deus gratiam ſuam contulit, ut qui antea per cupiditatem raptores atque accuſatores exſtiterant, poſteà largitate & beneficiis exſtiterint defenſores. Omnibus itaque bene diſpoſitis & Chriſti Eccleſiis reſtauratis, decimo deinde & primo anno ex quo creditum ſibi ſuſcepit regere gregem, per quinquaginta & plus dies graſſante languore lectulo detinetur, ſolito more per pauperes & egenos largas eleëmoſynas tribuens, omnibus ſecundum Evangelium debita remiſit, ab omnibus pacem ac benedictionem recepit. Inter ſpirituales Dei Ancillas fide & ſpe in Chriſto fiducialiter ſperans, trigeſimo ætatis ſuæ anno emiſit ſpiritum ſub die nono Kalendarum Decembrium[c], & in gremio Baſilicæ B. Petri Apoſtoli cum ſumma diligentia marmoreo tegitur tumulo, ubi Sanctorum omnium reſurrectionis exſpectat diem[d].

Vvilfetrudis vexatores ſuos ſibi demeretur.

Piè moritur.

b

* *id eſt*, præter

c

d

VII. Gertrudis ad mortem ſe præparat.

Unde digreſſi ſumus, ad id revertamur. Beata igitur famula Dei Geretrudis poſtquam vinculum honoris de ſua conſcientia relaxavit, quaſi trium menſium ſpatio indeſinenter orando, exhortando, ſuiſque verbum Domini prædicando, loqui non ceſſavit: ſpe gaudens, in tribulatione patiens, mente invicta, vultu ſerena, tranſitûs ſui extremum adeſſe optabat diem. De carcere ad regnum, de tenebris ad lucem, de morte feſtinabat ad vitam: & cùm ſolo in mundo hîc eſſet corpore, cotidie animo ad æterna tranſire cupiebat. Virtutibus proficiebat, continuis orationibus, afflictioni, abſtinentiæ ſingulariter ſerviebat. Addidit

a Poſthæc inſerit Interpolator necem S. Foillani Martyris, cujus funus Gertrudis curaviſſe dicitur. *Dedit beato viro in vicino locum quem Foſſas appellant, ubi Monaſterio conſtructo & Fratribus prodeſſet, & ſibi propter propinquitatem loci non deeſſet. Accepit, Monaſterium conſtruxit, collegit animas quibus ſanctitatis viam propoſitam noverat, eiſque germanum ſuum Domnum* ULTANUM *præficiens, rebus pro tempore ordinatis ad Virginem remeavit. Ibat itaque frequenter ac redibat, modò Fratres, modò Sponſam Chriſti viſitabat. Dum ergo quadam die iter arripuiſſet, . . . contigit eum per ſilvam Soneſiam Niviallæ contiguam errare, & in impias latronum manus incidere: à quibus cupiditate ſpolii cum tribus diſcipulis peremptus, palmam Martyrii eſt adeptus.* Poſtquam ſacra corpora diu quæſita retulit Interpolator, ſubdit: *Itaque defleta membra tam ejus quàm ſociorum ipſius tollens, cum pſalmodia & hymnis omnique veneratione ad Monaſterium detulit.* Lege Vitam S. Furſei Abbatis ſuprà ad an. 650.

b Nuſquam hoc nomine Clericos Canonicóſve appellant antiqui Auctores, ſed Monachos, de quibus illud Conc. Liptinenſ. can. 7. *Decrevimus quoque ut Presbyteri vel Diaconi non ſagis laïcorum more, ſed caſulis utantur ritu ſervorum Dei.* Idem eſto judicium de Ancillis Dei, quo nomine Monachæ ſemper deſignantur.

c Ipſo die in Martyrologio Benedictino aliiſque colitur S. Vvilfetrudis, cujus obitus anno DC. LXIX. collocandus eſt.

d Gertrudis S. Bavoni conſanguineo ſuo funerale indumentum miſiſſe dicitur, quod hîc ex Actis S. Bavonis ad an. 653. relatis ſupplendum eſt.

etiam aſperam veſtem cilicinam, & occultè ſuum induit corpuſculum: ne ullam in hac vita haberet ſuavitatem refrigerii, niſi ubi fulgebunt Sancti ſicut Sol in regno Patris eorum. Cúmque ad diem pervenit extremum, ita decrevit ut in ipſo ſepulturæ loco nullum laneum nec lineum veſtimentum ſuper ſe mitterent, præter unum velum vile multùm (quod quædam peregrina Sanctimonialis ante dies plures illi pro benedictione direxerat) ad caput cooperiendum, & ipſum cilicium in ſepulcro ubi in pace quieſcit: nullóque alio velamine cooperire, exceptis his duobus, cilicio quo induta erat, & panno vetere quo ipſum cilicium tegebatur. Dicebat autem quòd res ſuperflua nihil morientes nec viventes adjuvare poſſet: quod verum eſſe ſapientes teſtantur. Deinde cùm appropinquaret dies aſſumptionis animæ illius, vocavit unum de Fratribus, & præcepit ei dicens: Vade feſtinanter ad illum peregrinum, qui nomine vocatur ULTANUS*, qui eſt remotus in Monaſterio quod appellatur Foſſuenſe, & dic ad illum: Virgo Chriſti Geretrudis miſit me ad te interrogandum iri, quali die migratura ſit de hac luce, quia valde ſe timere dicit, ſimilitérque congaudet. Et ille tibi dicturus eſt, quid debeas renuntiare mihi. Vade, noli dubitare. Mox ille impleta juſſione, quod ei fuerat mandatum interrogavit. At ille ſervus Dei Ultanus ſine mora ipſi miſſo reſponſum dedit & dixit: Hodie ſextus-decimus* Kalendas Aprilis eſt dies[a]: craſtino autem die inter Miſſarum ſollemnia illa Dei ancilla & Chriſti Virgo Geretrudis de corpore eſt migratura. Et dic ei ut non timeat neque trepidet de obitu ſuo, ſed læta pergat: quia B. PATRICIUS Epiſcopus cum electis Angelis Dei & cum ingenti gloria parati ſunt eam recipere. Vade & tu velociter. Interrogavit autem eum ille Frater qui fuerat tranſmiſſus, ſi hanc cauſam per revelationem Divinam vidiſſet, ut ei per ordinem indicaret. Et ille ſervus Dei Ultanus in reſponſo dixit: Vade & tu, Frater, feſtinans, ſcias hoc quòd die craſtina migratura ſit ad Dominum. Quid me plus interrogas? Qui reverſus nuntiavit famulæ Chriſti quod fuerat dictum ad eum. At illa quaſi ex ſomno evigilans hilarem præ gaudio reddidit vultum, gratias agens Deo eoquòd per ſuum ſervum ſuam ancillam dignatus ſit conſolari. Ita de promiſſione ſua læta permanſit, ut per totam noctem cum Sororibus in pſalmis & orationibus duceret vigiliam. Craſtina autem die Dominica horâ quaſi ſextâ, juxta viri Dei verbum, ſacratiſſimum Chriſti Corporis & Sanguinis Viaticum accepit. Et quando Sacerdos Dominicam ſecretam ſententiam habuit finitâ, triceſimo & tertio ætatis ſuæ anno ſub quinto-decimo[b] Kal. Aprilis agens Creatori ſuo gratias, qui ſine corruptione eam ad ſuum dignatus eſt vocare regnum, Deo deſideratum reddidit ſpiritum. Dum ibidem ego & alius Frater Richinus nomine fuiſſemus evocati propter Sororum conſolationem, vocavit me ille ſervus Dei ex nomine Richinus, & dixit: Sentíſne aliquid? Ego autem reſpondi: Non, niſi Sorores in grandi mærore video. Cùm hæc dixiſſem, venit ſuaviſſimus odor; & quaſi fragrantiâ unguentorum mixtâ redolebat illa cellula, ubi ſanctum corpus jacebat. Et nos inde digreſſi in naribus noſtris adhuc illius miri odoris ſuavitatem ſentiebamus. Cùm omnia honorificè quæ circa corpus ejus agebantur officia impleta fuiſſent, in ciſterna ſua quam olim ſibi præparaverat, cum Divinis laudibus à

AN. CHR. DC. LVIII. MARTII XVIII. Vilem petit ſepulturam.

Ultanum de die ſui obitûs conſulit.

* *Lege S. Ultani Elogium infrà.*

* *MS. Ful.* ſextodecimo

a

b

a Interpolator anonymus hunc verſum ita reddidit: *Craſtinâ ſextodecimo Kalendarum Aprilium die inter ſacra Miſſarum ſollemnia Dominici Corporis & Sanguinis Viaticum accipiet, & ſic ad aulam Regis æterni ad thalamum Sponſi cæleſtis adſcendet.* Et poſt multa: *Tranſiit autem die ſextodecimo Kalendarum Aprilium, qua dies Dominica habebatur.* Et tamen initio Vitæ hanc præfigit inſcriptionem Interpolator: *Incipit liber primus Vitæ ſanctiſſimæ Gertrudis Virg. cujus feſtivitas eſt quintodecimo Kalendas Aprilis*: quo die etiam teſte Henſchenio apud Canonicos Regulares Lateranenſes colitur.

b Henſchenius legit *ſextodecimo*, at noſtra lectio, quæ eſt codicis Fulienſis, omnino retinenda. Nam Ultanus de S. Gertudis obitu conſultus ſuprà, reſpondit: *Hodie ſextusdecimus Kal. Aprilis eſt dies, craſtino autem die*, hoc eſt XV. Kal. April. *eſt migratura.* Certè Uſuardus in veterrimo noſtro apographo, non XVI. Kal. (uti Vvandalbertus & Ado) ſed XV. Kal. Aprileſ S. Gertrudis memoriam conſignat his verbis: *Monaſterio Nivigella S. Geretrudis Virginis.* Quæ cùm die Dominico deceſſerit trigeſimo ætatis ſuæ anno, rectè ejus obitus anno DC. LVIII. ſtatuitur. Quippe Gertrudis moriente patre anno (ut Fredegarius ſcribit) Chlodovei tertio incunte, ſeu Chriſti DC. XL. annos quatuordecim expleverat, quintumdecimum inchoabat. Anno proinde Chriſti DC. LVIII. jam annum ætatis tertium ſupra trigeſimum inire cœperat.

AN. CHR. DC. LVIII. MARTII XVIII.

Sacerdotibus & Dei Ancillis corpus beatiſſimæ Virginis Chriſti Geretrudis honorificæ traditur ſepulturæ, ubi cotidie orationum ejus præſtantur beneficia.

INCIPIUNT VIRTUTES,

Quas Dominus poſt obitum illius dignatus eſt oſtendere.

CAP. I. CUM multos homines cernamus in hoc ſæculo viventes vitam Angelicam ducere, unde hoc fieri poteſt, niſi quia, quamvis corporaliter hîc apud homines vivant quamdiu in corpore ſubſiſtunt, tamen eorum mens & conſcientia in æternitate ſolidatur, & cor ipſorum in contemplatione Divinitatis inceſſabiliter occupatur? Ita & hæc famula Chriſti Geretrudis, cujus vitam vel converſationem à primævo juventutis ævo conſcripſimus, quamvis hîc carnaliter apud mortales converſata fuiſſet, & gubernatrix exſtiterit famulorum famularúmque Chriſti quæ ſub ditione ſua degerunt, tamen interiorem vitam ac perpetuam numquam in oblivionem tradidit, nec ſtatum rectitudinis ſuæ, nec morum gravitatem, nec diſciplinam rigoris amiſit. Idcirco apud omnipotentem Dominum promeruiſſe manifeſtum eſt, poſt ejus obitum non minimas fieri per ipſam virtutes: quatenus nunc etiam omnibus innoteſceret, qui vitam ejus vel abſtinentiam corporis agnoverunt, quantum apud Deum obtinere precibus valeat; cùm virtutes quas Dominus ſicut petentium fides exigit, dignatus eſt oſtendere ad ſepulcrum ejus, aliquas exinde commemoraverimus & ad medium deduxerimus.

II. Modeſtæ apparet. a

Erat quædam Abbatiſſa in Monaſterio Treverenſe, cui nomen erat MODESTA[a], & hæc ipſa ab infantia ſua Domino conſecrata fuerat, ſimilitérque & S. Geretrudi in amicitia Divina familiariter conſtricta videbatur. Et quamvis longè poſitæ, longéque disjunctæ inter ſe fuiſſent corporaliter, & multis milliis & terrarum ſpatiis interjacentibus, quod oculorum obtutibus inter ſe nequiverunt, animo tamen atque in cordis dilectione ſemper præſentes fuerunt; quia æqualem ſervitutis militiam bajulârunt, & Domino in ſinceritate cordis æqualiter ſine dolo ſervierunt. Poſt multum verò temporis ſpatium contigit hoc quod volo ad memoriam veſtram narrando revocare, ut quadam die cùm prædicta Dei famula Modeſta in Monaſterio ſuo poſita orationis causâ in Eccleſiam ſuam intrâſſet, ſeipſam ante altare B. MARIÆ ſemper Virginis in orationem proſterneret. Cùm autem finita oratione ſurrexiſſet, & ipſa undique circumſpiceret, ſubitò adſpexit, vidítque ad dextrum latus altaris Sanctam Geretrudem ſtantem in eodem habitu atque in eadem ſpecie, qua ipſa formata fuit. Dixítque ad eam: Soror Modeſta, certam tene hanc viſionem, & ſine ulla ambiguitate ſcias me hodie in hac eadem hora abſolutam de habitaculo carnis hujus. Ego ſum Geretrudis quam multùm dilexiſti. Et his dictis ab oculis adſpicientis ablata eſt. Tunc illa intra ſe tacitè cogitabat quid tanta viſio debuiſſet eſſe. Et in eadem die de viſione illa nemini indicavit ullum verbum. Cùm autem craſtinus adveniſſet dies, civitatis Epiſcopus nomine CHLODULFUS venit ad Monaſterium prædictæ Dei famulæ Modeſtæ. Tum illa inter alia colloquia Dei

a Interpolator: *Erat in civitate Treverenſi Sanctimonialis quædam* MODESTA *nomine quæ præerat Cœnobio ſanctæ Dei Genitricis* MARIÆ. Et primarius noſter Auctor *altare B. Mariæ ſemper Virginis* hîc paullo infrà nominat. Hinc colligas, primarii Auctoris textum hoc loco vitiatum non eſſe. Et tamen Henſchenius in lib. 2. de trib. Dagobertis cap. 12. cenſet hîc legendum eſſe, *in Monaſterio Avendenſi*: & infrà, *civitatis Mettenſis Epiſcopus nomine Chlodulfus*; ubi habet Interpolator, *Poſtera die contigit, ejuſdem civitatis Chlodulfum Epiſcopum invitante neceſſitate Monaſterii eamdem Eccleſiam viſitare.* Ubi *ejuſdem civitatis* ad Trevercenſem refertur. Equidem poſterior Henſchenii correctio neceſſaria eſt: de priori non nulla difficultas. Monaſterium Avendenſe ſeu Hobendenſe in Voſago ad Moſellam, nunc Mons S. Romarici dictum, B. Mariæ ſacrum à principio fuit, uti & Horreum Parthenon apud Treviros, cui Modeſta præfuiſſe à nonnullis creditur. Certè ſi SS. Romarici & Adelphi Abbatum Acta conferas diligenter, vix locum Modeſtæ inter Antiſtitas Romaricenſes invenias. Quippe Vitam S. Romarici cœvus Auctor Ceciliæ Abbatiſſæ dedicavit anno circà DC. LX. Tecta ſeu Tetta quæ & Gegoberga funus S. Adelphi Romarici ſucceſſoris curavit.

Virgo interrogavit Episcopum de S. Geretrude, in quali habitu vel ordine vel specie ipsa fuisset. At ille statim per ordinem narravit staturam corporis ejus, & speciem decoris ejus. Tunc B. Modesta intellexit ex signo quod ab Episcopo audierat, verum esse quod antè audierat, & dixit ad eum: Hoc tibi nunc confireor quod antè celabam, quòd mihi revelatum fuit hesterno die horâ quasi sextâ, quia de hac luce ipso die & eâdem horâ migrata fuisset. Et posteà totam rem per ordinem pandit Episcopo. Ille autem diem ipsum atque horam consignans, prædictus Episcopus Chlodulfus invenit ita factum ordinem rei, sicut supradicta priùs indicaverat Abbatissa. AN. CHR. DC. LVIII. MARTII XVIII.

III. Incendium restinguit.

Post annum autem decimum obitûs S. Geretrudis Virginis Christi, in Monasterio Nivialensi ignem exortum fuisse adserunt: ubi ipsa præfuit S. Geretrudis Virgo Christi quamdiu vivens fuit in corpore. Intantum autem, ut dicunt, erupit flamma vehemens, ut nullus Monachorum vel Virginum seu virorum ibidem concurrentium ullam spem haberet ad liberandum Monasterium de incendio. Ipsæ autem Ancillæ Dei quæ ibidem congregatæ fuerant, foras murum extra Monasterium ad vicina loca confugerunt. Tunc vir unus cui curam Monasterii commendatum fuerat regere, repentè elevans oculos suos vidit S. Geretrudem stantem in summitate Refectorii in ipsa specie vel habitu quo ipsa fuerat, & cum ipso velamine quo erat cooperta semper jactabat flammam de domo. Ille autem vir de tanta visione non perterritus, sed gaudio magno repletus, suos socios hortabatur ut constanter agerent. Ipse autem cursu concito adscendit sursum, ut videret exitum rei. Tunc mirum in modum subitò viderunt liberatum Monasterium de ipso incendio.

IV. Lectus ejus decenti loco positus miraculis celebratur.

Alio quoque tempore admonitæ sunt per visionem aliquæ de Sororibus, ut in ipso lecto ubi S. Geretrudis ancilla Christi post laborem vigiliarum orationúmque instantiam solebat fatigata membra componere, nullus hominum ulteriùs requiescere fuisset ausus. Tunc prædicta Dei famula domina Abbatissa[a], neptis S. Geretrudis, quæ secus pedes ejus fuerat nutrita, gaudio repleta est, quod per tanta signorum miracula eam Dominus dignatus sit manifestare. Convocata autem universa Congregatione ipsum lectulum tulerunt, & portaverunt cum honore magno & Dei laudibus, & deposuerunt eum in Basilica S. Pauli Apostoli: ubi nunc Dominus multa signa atque virtutes ostendere dignatur.

V. Puella cæca & infirma sanatur.

Fuit quædam puella in regione eadem, quam gravissima ægritudo depresserat, ut nullus eam medicus per annos plurimos sanare potuisset: & ad extremum oculorum suorum lumen amisit, & cæca effecta est. Tunc parentes illius puellæ tulerunt eam & secum duxerunt ad Monasterium Nivialla, ut saltem invenirent ibi aliquos medicos qui eam curare potuissent. Tunc in ipsa nocte apparuit ei S. Geretrudis per visum, & dixit ad eam: Puella, noli dubitare; sed crede in Domino JESU-CHRISTO, & vade ad lectum qui est positus in Ecclesia B. Pauli Apostoli, ubi Geretrudis requiescere solebat: ibi acceptura eris sanitatem de omni tribulatione quam in corpore tuo pateris. Ipsa autem puella propter gravitudinem infirmitatis suæ non potuit ante diem tertium pervenire illuc. Cúmque cuncta Congregatio in horam tertiam ad opus Divinum consisterent, & opus Dei esset completum; superveniente puella quæ fuerat infirma, tulerunt eam Sacerdotes & adduxerunt ad lectulum, ubi jussa fuerat ambulare. Cúmque se in oratione Domino substravisset, & ad lectum inclinâsset, statim aperti sunt oculi ejus: & totum corpus quod antè vulneratum fuerat ita repentè sanatum est, acsi nihil umquam vulneris habuisset. Illa autem Deo gratias agebat, & gaudio magno repleta est: & cum exsultatione revertebatur ad suos parentes.

[a] Præferenda hæc lectio Interpolatori, cujus hæc verba: *Prolata est hæc visio ad aures Dominicæ Abbatissæ, quæ secus pedes beatæ Gertrudis nutrita fuerat, & propinquitate carnis cognata ejus existebat.* Hic enim locus debet intelligi de Vvilfetrude, cujus superiùs meminit Auctor. De his tamen monendus Lector fuit, ne quid ejus judicium fugeret ac censuram.

AN. CHR. DC. LVIII. MARTII XVIII.

His ita geſtis [a] contigit ut prædicta Abbatiſſa neptis B. Geretrudis Virginis Chriſti de hac luce migrâſſet, quæ poſt ipſam gubernatrix exſtiterat Nivialenſi Monaſterio. Tunc cuncta familia unanimiter omnes unam puellam ex nobili genere ortam ſibi elegerunt Abbatiſſam, cui nomen erat AGNES [b], quæ & ipſa ſimiliter nutrita fuerat à B. Geretrude. Ipſa autem poſteà ædificavit Baſilicam in honorem Chriſti Virginis S. Geretrudis. Die verò eadem qua Eccleſia ædificata fuerat, dum lectum fuiſſet ibidem cum honore portatum, ipſa nocte omnes Sorores in eadem Eccleſia cum ſumma reverentia ſollemnitates vigiliáſque habuerunt. Finitis autem matutinis & opere Dei completo, & exſtinctis lucernis ſeptem quæ ſemper in eodem Oratorio ardere ſolebant; mane facto cùm ipſæ Sorores ad orationem in eamdem Eccleſiam intrâſſent, viderunt omnes lucernas ardentes, quas antè exſtinctas dimiſerant. Unde factum eſt ut divulgatum eſſet hoc miraculum per univerſam regionem illam: & fama exiit de virtutibus ancillæ Chriſti Geretrudis, ut omnes qui longè aut propè eſſent, venientes ibidem ad ſepulcrum Virginis Dei remedium quærerent animarum & corporum ſimul: & cùm Dei adjutorio omnes qui illic cum amore Divinitatis auxilium quærebant, ſani atque incolumes inde revertebantur.

VI.

a

b Vvilfetrudi ſuccedit Agnes.

Agnes Baſilicam S. Gertrudis conſtruit.

Lucernæ divinitùs accenſæ.

VII. Cæca viſum recipit.

Erat autem quidam vir in his locis vicinis cujus uxor cæca effecta eſt. Túncque eam vir ſuus adduxit, ubi ſancta Virgo requieſcebat ad ſupradictum Monaſterium Nivialla. Cùm autem Eccleſiam intrâſſent, & illa ſtetiſſet ſubter unam lampadem, repentè effundebatur illa candela, ubi ipſa ſubterſtabat, & effudit ſuper pallium quo induta erat. Omnes qui illic aderant & viderunt hoc miraculum, accipientes ex ipſa gutta, unxerunt oculos ejus, & ſtatim illuminati ſunt oculi mulieris, quæ antè fuerat cæca. In craſtinum autem confortata eſt in fide & ſpe in virtutibus ſanctæ Virginis Geretrudis, & ſana reverſa eſt cum gaudio domum ſuam. Quoniam ſatis longum eſt per ordinem totum enumerando perſtringere, quanta beneficia Deus per eamdem cotidie propter ſuam miſericordiam omnibus ibi confugientibus, & cauſam ſalutis ab ea poſtulantibus præſtat, pauca de pluribus perſtrinximus, qualiter omnes ibi circumquaque advenientes, qui nomen ejus cum vera fide invocant, inde incolumes redire ipſius ſanctis precibus merentur quacumque tribulatione oppreſſi ſunt.

VIII. Puer vinctus ſolvitur.

Alio quoque tempore dum latrones quemdam puerum comprehendiſſent, ligaverunt eum, volentes eum in captivitatem extra patriam venumdare. Cúmque diu teneretur adſtrictus in vinculis, rememorans cum fiducia nomen S. Geretrudis, deprecatúſque eam ut ſibi auxilium impendere dignaretur; ſtatim ceciderunt vincula de manibus ejus quibus fuerat colligatus: & cœpit currere ut ſe liberaret. Illi autem viri qui eum vinctum habuerunt, ſimiliter cœperunt currere poſt ipſum ut eum comprehenderent, & non potuerunt. Sícque liberatus eſt puer de manu latronum & inimicorum ejus per auxilium S. Geretrudis.

IX. Item quidam reus.

Iterum autem poſtea alio tempore vir quidam in magnis criminibus inventus fuit, itaut dominus ejus juſſerit eum tenere & in vinculis conſtringere. Tunc ille infelix in anguſtia poſitus, & nimio pavore perterritus, quia omnes qui aderant de vitæ hujus longitudine nihil ſperabant, ipſe qui erat vinctus confortatus eſt in ſpe deprecans ſanctam Virginem Chriſti Geretrudem, ut ei miſero auxiliaretur. Statimque & in ipſo tempore confracta ſunt vincula ferrea unde erat ſtrictus, ſecúmque ipſe detulit ad Monaſterium Nivialla: & omnes portas Monaſterii oſtiáque Eccleſiarum aperta reperit, & ad ipſum ſanctum lectum pervenit, ibíque liberatus eſt per virtutem ſanctæ Virginis Geretrudis.

b Interpolator: *His ita geſtis contigit venerabilem Abbatiſſam Dominicam, cognatam & diſcipulam B. Gertrudis de hac luce migrare.* Certè ſi qua fuit Abbatiſſa Nivialenſis DOMINICA nomine, adhuc in vivis erat Auctore hæc ſcribente, ut ex Præfatione Vitæ intelligitur.

b Agnetem etiam ſanctæ Gertrudis neptem appellat Bartholomæus Fiſſenus in Florib. Eccleſ. Leod. penes quem ſit fides. Interpolator vocat AGNEM *nobili genere ortam, quæ & ipſa à B. Gertrude religioſæ vitæ inſtitutionem acceperat.*

Anno autem trigeſimo tertio [a] poſt obitum B. Geretrudis, inſpirante Domino, venit in corde ſuæ germanæ nomine BEGGÆ*; ut ſibi ipſa vellet Monaſterium [b] conſtruere. Poſtea verò in tali devotione ſpirituali venit ad ſupradictum Monaſterium Nivialla, poſtulánſque prædictam Abbatiſſam ſimúlque omnem Congregationem ut ei aliquod adjutorium præberent de cauſa ſpirituali, unde maxima in neceſſitate habuiſſet ſuæ devotionis initium. Tota autem illa Congregatio amantiſſimo animo ſuſceperunt petitionem ejus quam ipſa poſtulâſſet: & dederunt ei Reliquias & libros ſanctarum Scripturarum. Similitérque dederunt ei in ſancto habitu ſeniores ſpirituales Sorores, quæ ipſum Monaſterium docere potuiſſent Regularis vitæ diſciplinam normámque Religionis, prout initio ejuſmodi operis erat conveniens. Et ex eo lecto dederunt ei partem, in quo S. Geretrudis germana ſua migravit ad Chriſtum. Tunc Chriſtianiſſima matrona, acceptis his omnibus quæ ad Religionis reverentiam pertinebant, cum honore & reverentia hæc omnia ſecum detulit ad Monaſterium ſuum, gaudio & exſultatione magna repleta. Cùm autem appropinquâſſent ad Monaſterium ubi tendebant, levaverunt cum canticis voces, & Domino laudes cecinerunt: portaverúntque Reliquias & lectum ſanctum quem ſecum detulerant, & poſuerunt eum juxta altare S. Genovefæ Virginis. Quis autem hominum verbis explicare poterit, quanti ibidem cotidie à dæmonio mundati, quot infirmi curati? etenim de quacumque tribulatione ibi clamant ad Dominum, liberati redeunt. Anno autem ſecundo perfectis omnibus & benè diſpoſitis matrona illa migravit ad Dominum [c].

CIRC. AN. DC. LVIII. MARTII. XVIII.

X.

a

* *al.* Beccæ.

b

S. Begga conſtruendo Monaſterio neceſſaria accipit à Nivialla.

c

Poſt non multos verò dies ad idem Monaſterium quædam religioſa femina venit, ex nobili genere orta, cui nomen erat ADULA*, in omnibus verè ancilla Chriſti, in habitu caſta, in humilitate religioſa, in caritate non ficta, in eleëmoſynis ſenibus ac pauperibus larga, egenis & peregrinis hoſpitalis. Sed tamen dubitationem habebat, utrùm Dominus tanta ſigna atque virtutes pro meritum B. Geretrudis dignatus eſſet oſtendere, an non. Unde contigit ut contentio inde oriretur, ſic tamen quaſi per jocum inter prædictam matronam & unam famulam Dei ibidem in Monaſterio conſiſtentem. Quadam autem die interrogabat eam matrona, dicens: Quali die erat feſtivitas S. Geretrudis. Illa autem reſpondens dixit: Quintâ hebdomadâ in Quadrageſima in ſexta [d] feria. At illa dixit: Abſit hoc à me, ut pro hac ſollemnitate aliquid extra ſolitum penſum noſtræ ſervitutis augere velim in refectionem. Ipſa autem reſpondens dixit: Si B. Geretrudis aliquid apud Dominum impetrare poteſt, faciet te die eodem volentem nolentémque facere religionis deificæ caritatem*. Cùm autem appropinquâſſet dies ille, tunc omnes qui ad hanc ſollemnitatem illuc convenerant, ſive viri, ſive feminæ, Monachi ac Virgines Chriſti, cum honore & reverentia celebrârunt diem illum. Et pòſt expleta ſollemnitate Miſſarum, tunc ſumpſerunt cibum potúmque cum gratiarum actione gaudentes, ex omnibus eſcis, quibus licitum fuit Quadrageſimæ [e] tempore comedere: ſola autem matrona ea die non comedit [f]. Erat autem ei filius parvulus quem multum delicatè

XI.

Adula de S. Gertrudis miraculis dubitans.

* *Interpolatori* Adela

d

* *Ful.* volente nolentéque facere caritatem.

e

f

a Tempus non exprimit Interpolator, ſic de Begga agens: *Hæc poſt obitum viri ſui, exemplo matris ſuæ ſanctiſſimæ Ittæ, Chriſto in converſatione viduitatis adhæſerat. Quæ quotidie audiens nova ſibi miracula de ſororis ſuæ ſanctitate prædicari, inſpirante ſuperna gratia ſtuduit & ipſa Monaſterium conſtruere, ubi Religioſam* (non Canonicam) *vitam duceret, Virgineſque ſacras in ſervitutem Divinam perpetua ſtabilitate* (non arbitraria ſæculi repetendi licentia) *ordinaret.*

b Nempe Monaſterium Andanenſe apud Andanam ſeu Andennam, celebre Comitatus Namurcenſis municipium, haud procul à ripa fluminis Moſæ: quod Monaſterium in Sæcularium Canonicarum collegium converſum eſt, æquè ac Nivialenſe.

c Sigebertus Gemblacenſis Monachus ab iſtius Auctoris calculo non longè recedit, dum anno DC. XCVIII. S. Beggam ad Dominum tranſiiſſe ſcribit. Mirum eſt certè intra duos annos Monaſterium Andanenſe Eccleſiis ſeptem inſtructum tam citò perfici potuiſſe. S. Beggæ obitus XVI. Kal. Januarii, Tranſlatio Idibus Julii recoluntur. Lege Vitam S. Modoaldi B. Ittæ (ut aiunt) fratris, apud Surium 12. Maii.

d Interpolator habet: *quinta Quadrageſima hebdomada in ſexta feria.* Qui characteres chronologici anno DCC. VII. reſpondent, ſi obitum S. Gertrudis XV. Kal. Apriles rectè ſtatuimus.

e Hîc nota delectum ciborum in Quadrageſima illo tempore ſervatum: ſimúlque obſerva, in Sanctorum feſtis per Quadrageſimam occurrentibus nonnihil de jejunii ſeveritate remiſſum.

f Hinc inferre licet, feriæ ſextæ jejunium tunc temporis abſque ullo cibi uſu celebratum fuiſſe.

CIRC. AN. DC. LVIII. MARTII XVIII.

diligebat. Superveniens autem infans petiit ab ea, ut ſibi licuiſſet ludificare. Illa autem dixit ad eum: Fac quod vis. Infans autem jocabat, & currebat huc illuc que. Et ſubitò caſu contigit cecidiſſe eum in fontem qui illic erat: & tamdiu ibi jacuit, uſque dum Sorores de menſa ſurrexerunt cum gaudio repletæ, lætantes & bene refectæ. Una autem de Sororibus ſupervenit & dixit: Scitis quòd & iſtius matronæ filius mortuus eſt? Interrogabant ergo eam, quis illum occidiſſet. Illa autem reſpondit: In fontem cecidit, ibique merſus eſt. Tunc illa Sanctimonialis quæ antè contendebat cum ipſa matrona de virtutibus S. Geretrudis, exclamavit voce magna & dixit: S. Geretrudis, tu propter eam hoc feciſti, quoniam nolebat mater iſtius infantis virtutibus tuis credere, quas per te Dominus operatus eſt. Et ait iterum: Obſecro ſanctitatem tuam, Geretrudis Virgo Chriſti, & per Dominum noſtrum JESUM-CHRISTUM te adjuro, ut ſicut apud Dominum impetrare poteris, ita eum reſuſcitare digneris. Et cœpit ire feſtinanter, ut peteret infantem. Cùm autem iret, mater ejus obvia ei facta eſt, & dixit: Quid facis Soror? At illa reſpondens tertiò cum juramento dixit: Quod ego facio, & tu fac ſimiliter. In veritate crede, quia in hac eadem hora tibi vivum reſtituet filium tuum S. Geretrudis. Tulit autem infantem & poſuit eum juxta lectum B. Geretrudis. Mox mirum in modum ſubitò adſpicientibus illis ſurrexit infans qui antè fuerat mortuus. Ex illo autem die prædicta matrona cœpit credere virtutibus S. Geretrudis. Eâdem verò horâ convocans univerſam familiam ſuam, implevit poſteà quod antè negavit de caritate. Et in craſtinum Miſſam celebravit in honore Virginis Chriſti Geretrudis, & cum omnibus Sororibus refectionem habuit. Infans autem abſque ulla læſione miniſtravit illis, & manibus ſuis potum præbuit unicuique per ordinem. Igitur ſupradicta matrona illum ſanctum lectum auro gemmiſque pretioſis undique circumcinctum pulcherrimè exornavit. Et ne cui hoc incredibile fortaſſe videatur, teſtem Deum invoco, quod oculis meis vidi, & per idoneos teſtes didici hoc quod ſcripſi. Nunc autem de virtutibus & miraculis ejus ſatis ſit dictum: non tamen totum per ordinem explicare potuimus, quæ cotidie in ſuo nomine Dominus dignatur operari. Ergo nunc Dominum deprecemur, ut per Virginis ſuæ S. Geretrudis orationes dignetur nos adjuvare, cui eſt honor virtus & imperium & gloria in ſæcula ſæculorum. Amen.

APPENDIX EX INTERPOLATORE.

De puella cæca nata & illuminata.

* *addit Henſchen.* anno VIII. regiminis ad Kalendas Septemb.

* *leVsmeux. addit Henſchen.* Ubi quieſcit Vvalericus.

TEMPORIBUS quoque EGGEBURGIS Abbatiſſæ* erat in partibus maritimis pago Winnoënſi* puella Adelberga nomine cæca à nativitate. Jam viceſimum ſecundum ætatis annum agebat, & numquam Solem hunc ac pulcherrimam exornationem operum Dei viderat. Cujus diuturnæ calamitati ſponſa Chriſti ſolita pietate compaſſa, ultro ſe obtulit ei in nocturna viſione candidiſſimo amicta pallio, talíque compellavit alloquio: Adelberga, vade ad ſepulcrum Geretrudis, & beneficio ejus illuminaberis. Hanc promiſſionem ne vanam putaret, tertia admonitione repetivit. Puella autem ſurgens retulit matri ſuæ viſionem virgineam & promiſſam luminis gratiam. Cui mater reſpondit: Non puto te, filia, tanti meriti, ut tibi ſponſa Chriſti Geretrudis apparere dignata ſit: vide ne magis ex cogitatione deſiderii tui hæc ſomnia vana conceperis. At illa triſtis ex materno reſponſo, non tamen injectam ſibi divinitùs ſpem recuperandi visûs amiſit: ſed quemdam Dei Sacedotem adiens, narravit ei hujuſmodi viſionem. Qui fideli ac ſalubri conſilio puellam exhortans ait: Noli dubitare filia: perge quò piiſſimæ Virginis invitat gratia. Certè etſi illa te non vocâſſet, tu tamen non invitata ad miſericordiam ejus ire debueras: quanto magis quia dixit tibi, Veni & illuminaberis? His viri Dei verbis confortata cœpit proficiſci. Jámque menſe integro conſumpto in itinere venit in vicum

in vicum Brachbatenſem ad Monaſterium Luthouſa * vocatum. Ubi dum nocte labore viæ feſſa quieſceret, vidit beatam Geretrudem in eadem forma eodémque habitu dicentem ſibi: Feſtina, ne tardaveris ire ad ſepulcrum Virginis Chriſti, ut lumen recipias. Hac jocunda viſione ab omni laſſitudine recreata ſurrexit, & feſtina iter arripuit. Pervenit itaque ad Monaſterium quò tendebat: factáque veſpera ante venerandum ſepulcrum ſeſe in orationem proſternens, cœpit largiſſimam pietatem Sponſæ Chriſti devotiſſima ſupplicatione magníſque ſuſpiriis invocare. Sanctimoniales [a] quoque caritate ejus vigilias agentes paritérque orantes, votis ejus ſuffragia ferebant. Nec diu miſericordiam diſtulit, quæ eam ultrò invitans accelerare monuerat: ſed primo gallorum cantu oculos eatenus clauſos longíſque tenebris damnatos aperuit, ac jocunda luce veſtivit. Itaque Sanctimoniales quæ aderant, videbant dimotis à ſe invicem palpebris ſanguinem erumpentem & guttatim quaſi lacrymas diſtillantem. Quo abſterſo cœpit puella clariùs clariúſque videre, cœpit nova luce perfrui, & incognitam rerum faciem mirari. Sic quod naturæ parcitas minùs dedit, largitas Sponſæ Chriſti pleniſſimè reddidit. Verè Sponſa Chriſti, quæ in virtutum operatione tantam meruit ſimilitudinem exhibere, ut ſicut Sponſus ac Dominus ejus cæci nati oculos aperuit, ſic & ipſa in ſuo ſexu cæcam natam illuminaverit. Denique promiſſum illud Veritatis, *Qui credit in me opera quæ ego facio, & ipſe faciet*, in hoc Virginis facto familiariùs impletum eſſe nullus dubitare valet. Itaque illuminata puella dignas curatrici gratias retulit, omníſque chorus circumſtantium Sororum perſolvit Domino debitas laudes, qui in Sanctis ſuis ſemper eſt mirabilis.

AN. CHR. DC. LVIII. MARTII XVIII.

* *al.* Lutoſa in Hannonia

Iohan. 14. 12.

De puella contracta & erecta.

ANNO centeſimo viceſimo ſeptimo [b] ab obitu ſanctiſſimæ Geretrudis, regni autem CAROLI magnifici Imperatoris quintodecimo, ad Fidelium commonitionem ſanctitatíſque incitamentum exhibuit Virgo Chriſti pietatis ſuæ hujuſmodi documentum. Erat in pago Riboarienſi [c] puella quædam Richburga [d] nomine, ita à primis annis contracta, ut tota genibus ſuis incumberet, nec pedes ad greſſum extendere, nec ſuperiores corporis partes ad adſpectus hominum erigere valeret. Cum hoc morbo egeſtatis quoque incommodo laborabat: cui propria debilitas operandi facilitatem negaverat, & parentum paupertas neceſſaria miniſtrare non ſufficiebat. Tandem ut eleëmoſynam peteret, HILDEGARDIS Reginæ oculis oblata eſt. Quæ tantæ debilitatis novitate ſtupefacta, compuncta eſt animo, juſſítque puellam ad palatium transferri: & de menſa Regia ſufficienter ſumere neceſſaria. Ubi dum aliquanto tempore contra valitudinem ſuam manſiſſet, & jam ob infirmitatis moleſtiam, varios tumultus Regiam amplitudinem comitantes ferre non poſſet, petiit ſe ad Nivialenſe Monaſterium mitti, ibíque regiâ eleëmoſynâ commodiùs ſuſtentari. Audierat enim plurima Virgineæ pietatis inſignia: & ideo cupidè ire volebat, vel animæ ſuæ vel ægroto corpori vel utrique forſitan conſultum fore fideliſſima ſpe præſumebat. At Regina votis ejus benignè adquieſcens, fecit ipſam ad Cœnobium beatæ Geretrudis deportari: ubi à Sanctimonialibus [e] miſericorditer excepta eſt, & in cella quadam opportunè relocata. Commiſſa eſt etiam peregrinæ cuidam in Congregatione commanenti: quæ ei miniſtraret, & pſalterium doceret. Suſce-

a Narratio iſta uti & ſequens apud Henſchenium paullò contracta eſt.

b Legendum *anno centeſimo triceſimo* in ſententia noſtra, qui S. Gertrudis obitum anno DC. LVIII. illigamus: cùm annus regni Caroli Magni quintusdecimus anno Chriſtiano DC. XXCII. reſpondeat.

c Aliis Ripuarienſi, qui pagus gentes inter Moſam, Moſellam ac Rhenum incluſas complectitur, quarum caput Colonia.

d In litteris quibus Otho I. Imp. Eccleſiæ Nivialenſis poſſeſſiones confirmat anno 966. ita legitur apud Miræum in Notit. Eccleſ. Belg. cap. 62. *Anno centeſimo vigeſimo ſeptimo poſt tranſitum S. Gertrudis, tradidit quædam puella nomine* RICBURGIS *omnem hereditatem ſuam in terra Ribuarienſi in villa* Buezefelt.

e Et hîc Sanctimonialium nomen apud Henſchenium iterum reſciſſum & decurtata facti hiſtoria.

AN. CHR. DC.LVIII. MARTII XVIII.

pta itaque & de his quæ exteriùs ad curam corporis pertinebant facta ſecura, totam animam ſuam ad orationis ſtudium convertit, & benignum Deum ac clementiſſimam benignitatem Virginis pro diuturna debilitate devotiſſimè interpellare cœpit. Quam miſericorditer ſuperna gratia reſpiciens, per miniſtram pietatis ſuæ B. Geretrudem non diſtulit viſitare. Quadam autem nocte Sororibus ad officium matutinum ſurgentibus, hæc in cella ſola remanſerat, & miſerationem Dei conſuetis precibus invocabat; cùm ecce Virgo ingreſſa ante lectum ejus adſtitit, tenens in manu ſua cereum mirè radiantem, totúmque habitaculum ſplendore ſuo illuſtrantem. Quippe quæ vivens bonorum operum lucernam ex præcepto Domini ſemper in manibus ſuis tulerat, adhuc in indicium præteritæ actionis cereum portans apparebat. Illa ergo hujus viſionis novitate tremefacta, Virgo Dei ſolitæ dulcedinis protulit verba: Quare, inquit, puella non dormis? At illa reſpondit: Quomodo, venerabilis Domina, dormirem quæ tam vehementem ſuſtineo contracti corporis laborem? Tunc Virgo vultu ſereno ait: Conſtans animo eſto; quia ſi certam tenueris fidem, non diu ſenties hunc laborem. Narra Sororibus quæ audiſti & vidiſti: & nuntia Geretrudem apparuiſſe tibi. Quod ſi credere noluerint, facta die ante horam tertiam tam certum in te ſignum oſtendam, ut hoc ita eſſe nequaquam dubitare valeant. His dictis, Virgo diſceſſit. Facto verò mane, puella convocatis Sororibus rem omnem ordine expoſuit. Erat autem vigilia Dominicæ Apparitionis *, quando facta eſt hæc apparitio Virginis. Sorores verò certæ de viſione, nec de futura illius ſoſpitate dubiæ tulerunt eam, paratóque balneo corpuſculum ipſius lavare, & quaſi in præparationem ſupernæ viſitationis nitidis mundíſque veſtibus exornare ſtuduerunt. Repentè beata Geretrudis in ipſo contrectantium miniſterio cum cereo ſuperveniens puellæ apparuit: viſáque eſt manu ſalutifera contracta membra leniter attrectare. Quo contactu ſoluta ſunt mox omnia diuturnæ alligationis vincula, itaut puella ſubitò ſe in pedes erigeret, & recedentem à ſe Virginem viſu & voce uſque ad Oratorium B. Agathæ ſequeretur, in quo ipſam ſponſam Chriſti è corpore migrâſſe teſtantur. Tunc peregrina illa cuſtos ejus interrogavit eam dicens: Filia, quid vidiſti? Quæ reſpondit: Dominam meam Geretrudem, cereum ſplendidiſſimum in manu ſua tenentem. At illa dexteram ejus apprehendens, duxit eam in Eccleſiam ſanctæ Dei Genitricis MARIÆ: poſuítque eam ante formulam, ubi B. Geretrudis orare conſueverat. Ibi quoque repentino clamore teſtatur ſe Virginem videre. Ad cujus vocem ſtatim Conventus omnis Sanctimonialium adfuit, puellámque erectam inveniens & firmo niſu ſuper pedes ſtantem, ex ſoſpitate ejus certiſſimè intellexit, quoniam divina ſpecies oculis ejus apparuerit. Omnes itaque in terram corruentes, cœperunt profuſis lacrymis divinam magnificare potentiam, & evidentiſſimam Virginis pietatem concurrenti turbæ prædicare. Deinde proſequente omni populo, deduxerunt puellam in Eccleſiam beati Petri ad ſepulcrum ſanctæ Geretrudis, cum multa exſultantis animi devotione, laudantes & glorificantes Deum, qui per merita Virginis ſacratiſſimæ non deſinit eos frequentibus beneficiis viſitare, quíque eſt magnus & laudabilis nimis, & magnitudinis ejus non eſt finis [a].

* *al.* Epiphaniæ

a

a His miraculis apud Henſchenium ſubjiciuntur litteræ, in quibus S. Gertrudis Reliquiæ examinatæ leguntur in hæc verba: *Noverint univerſi, quòd anno Dominicæ Incarn.* M. CC. XCII. *feriâ quartâ ante diviſionem Apoſtolorum, videl. in die SS. Mart. Kiliani & ſociorum ejus, reſpexerunt Reliquias beatiſſimæ Virginis Gertrudis in feretro ipſius ad præceptum & ordinationem Capituli Nivellenſis, Domina Elizabeth de Birbaco Abbatiſſa, Emma de Talour Præpoſita, Sibilia de Iacea, Iacobus de S. Syro . . . & alij Canonici atque Canonicæ Nivellenſes, & invenerunt caput ac maxillas cum dentibus tribus tantùm exceptis, & totum corpus per oſſa Virginis. Et multi de Capitulo & aliæ perſonæ extraneæ viderunt præfatas Reliquias dicta die & anno prænotato: apud quas innumera uſque hodie ſunt miracula, quorum pauca hîc enarrare ſufficiat.* Refertur deinde donatio Odelardi nobilis Brabantini, qui Berlendi filiæ iratus, *Nivellam petiit, ſanctiſſimaque Gertrudi quidquid habebat in prædiis, cum ceſpite & ramo cultellóque cum manubrio albo tradidit, ac filiam omni hereditatis jure privavit. In eadem verò traditione res ſtupenda contigit. Nam nutu ſummi Dei ſcriniû in quo ſancta Virgo jacebat ſeſe aperuit, corpúſque exanime manum porrexit, cunctíſque cernentibus ramum cum ceſpite & cultello de manu viri intra ſcrinium recepit: & ſicut priùs fuerat clauſum ac ſigillatum permanſit.* Item refertur ſuſcitatio puellæ quinquennis, quæ in fontem demerſa, ad S. Gertrudis

ram anno M. CC. XLIV. vitam recepit: quod miraculum quotannis prid. Non. Auguſtas Robertus Leodienſis Epiſcopus celebrari voluit. Mirum eſt quanto in honore apud Belgas habeatur hæc Sancta, quæ Eccleſias minimùm quadraginta ſibi ſacras habet, quas Geldolfus Rickelius Abbas Monaſterij ejuſdem S. Gertrudis Lovanienſis in ſuis de S. Gertrude lucubrationibus enumerat. Præter feſta ſupradicta S. Gertrudis Conſecratio IV. Nonas Decembris; Elevatio IV. Idus Februarij; Tranſlatio prima III. Kal. Junij, ſecunda IV. Id. Apriles in variis Martyrologiis recoluntur. Corpus S. Gertrudis in Eccleſiæ S. Petro ac S. Gertrudi ſacræ altari majori conſpicitur thecæ argenteæ affabrè elaboratæ incluſum: ſub altari verò Reliquiæ SS. Pippini & Ittæ ipſius S. Gertrudis parentum recondita honorantur.

VITA S. GEREMARI ABBATIS FLAVIACENSIS PRIMI.

CIRC. AN. DC. LVIII. SEPTEMB. XXIV.

Ex codd. Mſſ. & Appendice ad Guibertum.

OBSERVATIO PRÆVIA.

VIVS Vitæ Scriptor antiquiſſimus eſt, & ſi non fallit conjectura, fere æqualis. Eum vixiſſe ante incurſionem Normannorum apparet ex his Vitæ verbis extremis: Ad ſepulcrum ejus (*Geremari*) ægri veniunt & ſanantur; *cùm à Normannica tempeſtate ad ducentos propè annos B. Geremari* ſepulcrum inter everſi Monaſterij rudera neglectum fuerit, Reliquiis Bellovacum aſportatis. Quid quòd Auctor calculum ſuum per Regni Chlodovei annos diſtinguit? ut ſæculo admodùm VIII. vixiſſe videatur. Exſtabat jam hæc Vita in Appendice ad opera Guiberti Abbatis de Novigento ex Monacho Flaviacenſi, à nobis iterum cum Mſſ. codd. collata & emendata. Monaſterium Flaviacenſe ad S. Benedicti Regulam à B. Geremaro fuiſſe conformatum apparet ex Vitæ num. 25.*

* S. Geremer

1. TEMPORE HLOTARII[a] Francorum Regis cùm fideles Chriſtiani odium pro veritate incurrerent, & per Galliam à membris diaboli pro nomine Chriſti multa ſuſtinerent, beatus GEREMARUS ad proterendam rabiem perfidorum & ad corroborandam fidem Chriſtianorum, villâ Guarandrâ*, quæ ſita eſt in confinio Belvacenſium ſuper fluvium Ittam*, annuente Dei clementia ortus eſt. Genitor ejus nomine RIGOBERTUS & genitrix illius nomine AGA, ex gente Francorum nobili orta. Meritò enim prædicatur progenitus ex nobilibus parentibus, cujus vita refulſit tantis ſignis & virtutibus. Orphanorum conſolator, miſerorum adjutor, in tribulatione omnium aſſiduus defenſor, Eccleſiarum verbo & opere reparator. Ortus denique illuſtribus parentibus, ſacro fonte baptizatur, & ſacra fide conſignatur.

[a] Geremarus nobilis Belvacenſis.

* *Varde.*

* *vulgo* Epta, *Epte*

2. Sacris etenim myſteriis imbuendus traditur. Hunc ſiquidem genitores velut unicum filium tenerè diligentes, tradiderunt ſcholis erudiendum atque inſtruendum doctrinâ Chriſti. In quibus poſitus ſic ſuperabat omnes ęvos ſuos maturitate ſapientiæ, ut quaſi magiſter & doctor inter eos haberetur. Illuſtrabat enim eum cæleſtis gratia & ſplendor Divini luminis deſcendens à fonte ſupernæ pietatis. Scripturas ſacras ita ſitiens epotabat quotidie, ut pæne memoriter retineret, & in corde ſuo aſſidua meditatione trutinaret. Eccleſiam Chriſti viſitabat, quæ eſt diſciplinæ domus, in qua ut B. Auguſtinus ait, idcirco diſcitur bene vivere ut perveniatur ad ſemper vivere. Vivere etenim noſtrum Chriſtus eſt, per quem ſi quis vixerit, non patietur diſpendia æternæ famis.

Scholis traditur.

3. Ergo in ſchola hujus diſciplinæ non alium quærebat magiſtrum & doctorem niſi Dominum JESUM CHRISTUM, hunc toto corde diligebat, hunc ante oculos mentis ponebat. In hujus miſericordia ſpem ſuam ponebat, & toto mentis deſiderio illi adhærere cupiebat. Dicebátque illud Davidicum: *Mihi*

Piis exercitiis vacat.

[a] Hinc corrigenda edita Geremari Vita, quæ pro Chlothario Dagobertum exprimit. Quî enim fieri potuit, ut Geremarus Dagoberto Principe natus, ejuſdem Conſiliarius eſſe, uxorémve eodem regnante ducere, & filium puberem ad ejus domum regendam habere potuerit? Ergo Chlotharij II. ipſius patris principatu ortum Geremarum, rectè ſcribit codex V. C. Claudij Jolij Canonici Pariſ. Quamquam Auctores qui de Geſtis Sanctorum ſcripſerunt, ſæpe ortum ſeu nativitatem cum virili ætate conjungunt aut confundunt, eóſque ortos aiunt Regibus illis imperantibus, quorum principatu floruerunt.

CIRC. AN. DC. LVIII. SEPTEMB. XXIV. *autem adhærere Deo bonum eſt, ponere in Domino Deo ſpem meam.* Et rurſum: *Diligam te Domine virtus mea, Dominus firmamentum meum & refugium meum.* Hæc & alia multa ſecum revolvens, Deum ſperabat ſibi ubique adeſſe præſentem. Orationibus aſſiduis incumbebat, eleëmoſynis & jejuniis ſtudebat, pauperes recreabat, nudos veſtiebat & quantumcumque poterat de facultate patris ſui indigentibus erogabat. Tantam ei Dominus gratiam contulit, ut adhuc poſitus in juvenilibus annis excederet cunctos ſapientiâ & merito ſanctitatis. Lætabantur ambo genitores & omnes ipſius amici & parentes miſericordiam Dei circa ipſum eſſe diffuſam ſcientes. Gaudebant ſe talem recepiſſe filium, cujus doctrinâ creſcebat quotidie Fides Chriſtianorum. Referebant Domino Deo munia laudis pro tanto munere prolis. Invocabant eum aſſiduis precibus, ut eum ſalvare & cuſtodire dignaretur, & magis ac magis amplificare in ſuis operibus.

Pſal. 72. 28. *Pſal.* 17. 13.

Parentibus mortuis facultates ſuas in pios uſus expendit.

4. Et quia non erat illis filius niſi B. Geremarus, appropinquante morte eorum, heredem eum ſuarum rerum conſtituerunt. Poſt quorum mortem B. Geremarus magis ac magis in Chriſti amore exardeſcens, non ceſſabat ſubſtantiam ſuam erogare pauperibus. Eccleſias ubique honorabat, pauperes Clericos quoſcumque invenire poterat de ſubſtantia ſua relevabat. Peregrinis quos ſine tecto inveniebat, tectum & alimentum pro nomine Chriſti tribuebat. Noverat eſſe dictum à Domino, *qui vos recipit, me recipit:* & ideo eum quotidie ſuſcipiebat in ſuis membris. Sciebat enim quia quod pauperibus dabat, ipſi Domino JESU-CHRISTO tribuebat, ſicut idem Dominus dicit in Evangelio: *Quod uni ex minimis meis feciſtis, mihi feciſtis.* Præparabat ſibi de tranſitoriis æterna, & de caducis præmia ſine fine manſura. His & aliis multis exemplis corroboratus, captivis, orphanis, viduis pauperibus inceſſanter ſubſtantiam ſuam impendebat.

Luc. 9.

Plures ad virtutem accendit.

5. Sed cùm jam Domino placuiſſet meritum revelare multis B. Geremari, quoniam ſicut ipſe dicit in Evangelio, *Nemo lucernam accendit, & in abſcondito ponit, neque ſub modio, ſed ſuper candelabrum, ut qui ingrediuntur lumen videant;* cœperunt plures Francorum ad eum concurrere, fruíque ejus ſanctiſſima allocutione: quos pane cæleſtis verbi quotidie paſcens, admonebat eos ut fidem, caritatem, dilectionem Dei & dilectionem proximi inviolabiliter retinerent, & multa alia cæleſtia arma quibus conſcendere poſſent cælum & debellare humani generis inimicum.

Luc. 11. 33.

A Dagoberto conſiliis præficitur.

6. Hæc eo ita agente audivit famam ſanctitatis ejus atque prudentiæ Rex DAGOBERTUS: mittenſque nuntios accerſivit eum in palatio ſuo. Et videns eum elegantem & doctum in verbis, & ſapientem in conſiliis, præfecit eum conſiliis ſuis; cujus conſilio quamdiu acquievit, tamdiu ſtrenuè Francorum Regnum obtinuit. Quis conſiliis ejus non crederet? quis verbis ipſius non fidem daret? Erat enim Spiritu-ſancto plenus. Dignum enim erat, ut ille qui habebat Spiritum-ſanctum, ſciret dare utile conſilium. Loquebatur per os ejus Spiritus-ſanctus, ſicut ait Dominus ad Diſcipulos: *Non enim vos eſtis qui loquimini, ſed ſpiritus Patris veſtri qui loquitur in vobis.* Nunc de qualitate corporis ejus ut dicam oculorum acie malis terribilis, bonis modeſtus & humilis, & ſicut unus angelici ordinis. Et quod mirum dictu eſt, imago ipſius humanum hominem eo tempore excedebat. Honorabat eum Rex & honorificè cuſtodiebat. Duces & Comites, divites & pauperes, omnes eum diligebant, omnes ingenti honore venerabantur. Ipſe verò talem ſe exhibebat circa cunctos, ut omnium diceres eſſe ſervum. Et quamvis eſſet in laicali habitu, tamen in obedienti verus Monachus eſſe demonſtrabatur. Omnibus omnia erat, ut omnes lucri faceret.

Matth. 10. 20.

Uxorem ducit.

7. Igitur non multis annis juventutis ſuæ in Regis Dagoberti palatio expletis, tractare ſecum cœpit, quem ſibi in hereditate ſua ſociare potuiſſet. Ho autem eo cogitante, cum conſenſu Regis ceterorúmque Francorum ſociav

ſibi puellam in conjugium nomine DOMANAM[a]. Hoc idcirco maximè fecit, ut inde procrearet aliquem futurum heredem, ne poſt mortem ejus gravia ſcandala orirentur inter parentes ſuos ex hereditate ſua. Habebat namque quamplurima prædia, erántque ei parentes plurimi in palatio Regis Dagoberti. Accepta verò uxore ſua complevit circa eum Dominus miſericordiam ſuam: generavit ex ea duas filias, quarum prior dum ad ætatem maturam perveniret, ſponſo deſtinatur, ſed virgo permanſit morte interveniente carnis. Junior tradita Monaſticis diſciplinis in virginitate permanſit. Sic in virginitate corporis ambæ permanentes meruerunt computari inter prudentes Virgines. Sepelivit autem eas beatus Geremarus in Eccleſia B. Remigij in prædicto vico, ubi multa largitus eſt de propriis rebus.

CIRC. AN. DC. LVIII. SEPTEMB. XXIV.

Filias duas ex ea ſuſcepit.

8. Expletis autem multis diebus dedit ei Deus filium. Super quem gaudens & exſultans beatus Geremarus tranſmiſit eum B. AUDOENO, qui tunc illis diebus in palatio Regis morabatur; cujus conſilio cuncta agebat, & nihil extra præceptum ipſius faciebat. Erátque ei familiariſſimus amicus & in omnibus ſecretis ſuis conſcius. Narravítque ei omnia quæ acciderant, & quòd filius illi ſucceſſerat. Qui audiens hæc omnia gaviſus eſt, & ſuſcipiens puerum cathechizavit eum. Præparatóque fonte baptiſmatis, baptizavit eum in nomine ſanctæ & individuæ Trinitatis, vocans eum nomine AMALBERTUM. Et ſic myſteriis quæ ſacræ Fidei conveniunt initiatum remiſit eum ad beatum Geremarum. Qui creſcens & quotidie proficiens factus eſt honorabilis inter Francorum Principes, & adhuc poſitus in ætate juvenili, magnum ſpectaculum de ſe præſtabat cunctis. Erat namque promptior omnibus juvenibus Francorum, humillimus omnium pauperum. Nemo enim eum in aliquo poterat ſuperare. In fide perfectus, in factis probatus, in omni opere & verbo ſtabilis & devotus. Meritò enim tam bonis operibus pollebat, qui tali progenitore progenitus erat. Hunc Rex Dagobertus ſuper omnes diligebat, videns eum ſtrenuum in armis, pollentem in verbis, utiſem in conſiliis. Cùm autem procurarentur Franci in exercitum, ipſe per omnia loco patris, Regis lateri adhærebat.

Filiũ item Amalbertum à B. Audoëno baptizatũ.

Amalberti dotes.

9. Beatus autem Geremarus ſpiritu Dei plenus, omnia quæ in mundo ſunt pro nihilo pendens & cœlibem jam vitam deſiderans, Cœnobiis Monachorum plurima de ſubſtantia ſua tribuebat. Per conſilium verò B. Audoëni de propria facultate fundavit Monaſterium quod dicitur INSULA[b], conſtruxítque ibi omnia ædificia ſanctæ Regulæ convenientia. Eccleſias ibidem conſtruxit in honore Apoſtolorum Petri & Pauli, multorúmque Sanctorum Reliquias ibi poſuit. Conſtituit ibi Congregationem Monachorum ſub ſancta converſatione degentium: præfecit ei ARCHARIUM Abbatem magni meriti virum, cujus doctrinâ & ſapientiâ quotidie grex Chriſti ad ſuperna tenderet. Ipſe verò Archarius uſque in finem vitæ ſuæ gregem ſibi commiſſum gubernavit decenter & ſtrenuè.

Monaſterio à ſe condito Geremarus præficit Archariũ. *b*

10. Cùm autem placuiſſet Domino ut vita B. Geremari eſſet exemplum aliorum, miſit ei in cor ut cuncta derelinqueret, ſolíque ſe Deo ad ſerviendum traderet. Poſtquam ei talis voluntas cecidit in mentem, antequam ulli mortalium hoc confiteretur, adiens Regem petiit ab eo, ut coram cunctis Principibus Francorum filio ſuo Amalberto cuncta quæ ſui juris erant traderet, eíque cunctis præſentibus Francis indifferenter donaret. Quod Rex audiens valde mirari cœpit. Tandem petitioni ejus libenter annuens non ſolùm quod rogabat juveni tribuit, ſed inſuper etiam ei multa auxit. Adquiſitis verò omnibus ſuæ poteſtatis filio ſuo, abiit ad S. Audoënum, qui tunc in ipſo palatio erat, ut

Bonis ſuis Amalberto relictis Audoënum conſulit de ſalutis ſuæ rebus.

a Domanam ex pago Vilcaſſino ortam & in Sanctarum numerum relatam aſſerit Louvetus Hiſt. diœc. Belvac lib. 1. cap. 12.

b Iſtud Monaſterium à Normannorum tempore redactum eſt in villam, uno lapide à Flaviacenſi Monaſterio diſtantem, ubi B. Amalberti locus ſepulcri etiamnunc juxta S. Petri Capellam cernitur. Nomen loco vicus S. Petri in Nemore, vernaculè *S. Pierre aux bois*. Ab annis circiter viginti Monachi noſtri acceptâ ab Epiſcopo Bellovacenſi licentiâ levandi B. Amalberti Reliquias, cùm duorum hominum oſſa in eodem ſepulcro reperiſſent, re infecta clauſerunt ſepulcrum. S. Amalbertus in Martyrologio Gallicano locum habet, non tamen in Officiis Divinis.

CIRC. AN. DC. LVIII. SEPTEMB. XXIV.

omnia cordis ſui aperiret ei ſecreta. Et vocans eum ad ſe ſecretò, his verbis adorſus eſt: Quæſo, Pater ſancte, ut mihi viam Dei non renuas demonſtrare, per quam poſſim ad gaudia æterna pervenire & hujus mundi naufragium evitare. Video enim quia cuncta pertranſeunt, & rediguntur ad nihilum. Hæc audiens beatus Audoënus lætatus eſt valde. Et trahens ſuſpiria cordis, his verbis ei reſpondit: Viam Dei quam à me, Frater, requiris, Evangelicis tibi demonſtratur verbis. Ait enim Dominus Petro quærenti de retributione & de futuro præmio: *Omnis qui reliquerit domum, vel fratres, aut ſorores, aut patrem, aut matrem, aut uxorem, aut filios, aut agros propter nomen meum, centuplum accipiet, & vitam æternam poſſidebit.* Heu quæ miſeros tramite devio abducit ignorantia! Nam quo lateat bonum quod cupiunt, neſcire cæci ſuſtinent: & dimerſi tellure, petunt quod abiit trans ſtelliferum polum. Felix qui potuit viſere lucidum fontem boni, & felix qui potuit ſolvere vincula gravis terræ. Si beatitudo eſt ſummum naturæ bonum degentis ratione, nec eſt ſummum bonum quod eripi ullo modo poteſt, quoniam præcellit id quod nequeat auferri; manifeſtum eſt quòd ad beatitudinem percipiendam fortunæ hujus inſtabilitas adſpirare non poſſit. Conſtat & poſitum eſt æterna lege, ut nihil perſeveret genitum. Id circo, Frater, ſi vis cautus ponere perennem ſedem nec ſterni flatibus ſonori Euri, vita cacumen alti montis, ſcilicet dignitatem hujus ſæculi & ſequere veſtigia JESU-CHRISTI.

Matth. 19

Audoeni monitis de fugiendo ſæculo adquieſcit.

11. Audiens hæc beatus Geremarus, ſancto Audoëno reſpondit: Scio Pater ſancte, quia omnia vera ſunt quæ audio ex tuo ore. Derelinquam omnia hujus mundi tranſitoria vana, caduca, quæ cum magis ſtare videntur tranſeunt & miſeros ducunt ad interitum. Et ut verbis Domini utar; *Quid prodeſt homini ſi universum mundum lucretur, animæ verò ſuæ detrimentum patiatur?* Completis his inter ſe ſanctis allocutionibus rediens domum B. Geremarus, inſtruxit filium ſuum atque familiam de fide, de ſpe & de caritate ceteríſque aliis virtutibus ad curam animarum pertinentibus.

Matth. 16. 26.

Chlodoveo annuente Monaſterium petit.

12. Eodem tempore DAGOBERTO mortuo, anno undecimo * regnante CHLODOVEO Rege, correctus eſt B. Geremarus in viam ſalutis æternæ. Videns ergo quoniam nihil in mundo perpetuæ mercedis animæ ſuæ acquirebat, ſed magis detrimentum perpetuum illi præparabat, adhortante eum B. Audoëno, adiit Regem Chlodoveum, petiítque ab eo ut filio ſuo quod pater ejus conceſſit concederet, & capitis comam ei deponere liceret, ſéque in Monaſterio ad ſerviendum traderet. Per juſſionem autem Regis licet abnegantibus Francis tonſuravit eum B. Audoënus, dedítque illi Monachilem habitum: & inſtruens illum cæleſtibus diſciplinis miſit eum in Monaſterium PENTALLI [a] vocabulo denominatum, ut ibi fuiſſet in obedientia Abbas & Paſtor ovium Chriſti & illuminator animarum. Beatus autem Geremarus revolvens illud Pſalmographi; *Adjutorium noſtrum in nomine Domini qui fecit cælum & terram*; Et iterum, *Dominus illuminatio mea & ſalus mea, quem timebo?* in Domino Deo totam ſpem ſuam ponens, non diſtulit obedire præcepto Sancti.

* *id eſt* anno DC. XLVIII.

[a]

Pſal. 123 8.

Pſal. 26. 1.

Monaſterij Pentalli regimen ſuſcipit.

13. Cum magno ergo gemitu & lacrymis & ſuſpiriis cordis ſuſcepit regendum Monaſterium. Relicta autem uxore & filio ſuo & omnibus hujus mundi curis ſecundum Evangelicum præceptum ſecutus eſt CHRISTI JESU veſtigia, & abiit in Monaſterium quod ſupranominavimus Pentallum in pago Rotomagenſe ſuper fluvium Lirizinum *. Cujus vita qualis, quàm ſancta ibi cunctis refulſit, teſtantur ſanitates & plurimæ incolis factæ virtutes. Diebus ac noctibus in oratione ſe macerabat, in vigiliis, in jejuniis, & in omnibus contemplativæ vitæ con-

* *la Lizaine*

[a] Iſtius Monaſterij conditor, non S. Audoënus (uti Arturus in Neuſtria pia cum Antonio Yepez putat) ſed Childebertus ſenior in gratiam S. Samſonis, qui ex antro proximo ſerpentem ejecit. Lege librum 1. Vitæ S. Samſonis ſæculo 1. Bened. ad annum 565. Quod quidem Monaſterium ad Lirizinum amnem, vulgo *la Lizaine*, inter Honfluctum & Pontem Audomari olim ſitum, adhuc exſtabat ſæculo IX. prout apparet ex Geſtis Anſegiſi Abbatis, qui in Chron. Fontanell. cap. 16. *ad Pentale Monaſterium ſolidos* XV. legaviſſe dicitur.

gruentibus. Proſtratus corpore atque fixis ſolo genibus, orationem perenniter cum lacrymis fundens, pro peccatis populi Dominum rogabat, pro ſancta Dei Eccleſia, ut eam Dominus incolumem cuſtodiret. Jejunabat cotidie, totam diem ducens in hymnis & laudibus Dei in veſperum reficiebat. Cibus illi panis paximaticus cum oleribus parvulis, & potus aqua ſalſiſſima, ut ſaturitas ventris non adflueret. Mortuus erat mundo, vivus erat Chriſto: omnibus autem ad ſe confluentibus non ceſſabat demonſtrare viam ſalutis. Præmonebat unumquemque ut in lege Dei meditaretur. CIRC. AN. DC. LVIII. SEPTEMB. XXIV. Vitam piè inſtituit.

14. Erat autem in eodem Monaſterio multitudo maxima Monachorum; cui ad regendum Pater Geremarus conſtitutus erat. In hac verò Congregatione multi amantes bonum & timentes Deum, libenter audiebant eum, & recipiebant correctionem ipſius. Sed quoniam ſemper vita bonorum odioſa eſt malis, fuerunt ibi nonnulli malitioſi vel impij quorum pars erat cum Belial, qui nolentes recipere prædicationem ejus, cœperunt tractare de morte ipſius, opportunum locum quærentes, ut per quamdam damnationem eum interficerent. Erat autem illi conſuetudo in primo galli cantu ad laudes Dei ſurgere, & uſque ad crepuſculum lucis in Dei laudibus noctem pervigilem ducere. Completo autem officio revertens in Dormitorium, in ſtratu ſuo collocare ſe conſueverat. Hoc noſcentes invidioſi atque protervi, conſilium inter ſe acceperunt, ut cultellum ſub lecti ſtratis ponerent, ut ſanctus vir rediens ab Eccleſia ſuper cultellum ſe cum impetu corporis injiceret & ſic ſemetipſum interficeret. Quod & fecerunt. Manubrium cultelli ſolo hæſerunt, acumen ferri nudum in aëris ſpatium erexerunt. O infandum nefas, in omni tempore cunctis horrendum! More ſolito revertens B. Geremarus ab Eccleſia ad lectum, Spiritu-ſancto eum adhortante, fecit hoc quod ſolitus non erat facere. Non enim in conſuetudinem habebat lectum tangere, ſed cum toto corpore ſe in medium lecti injiciebat. Te tigit manu lectum & circumducens manum, invenit quod erat abſconditum. Statim ut ſenſit fraudem eſſe paratam, relicto lectulo reverſus in Templum amicus Dei, quod ſupererat noctis lacrymas fundens, hymnis & laudibus Dei duxit: & mane primo rem quæ ei contigerat, nemini indicavit. Mortem ſibi paratam evadit.

15. Tertia verò hora diei poſt lectionis diſputationem [a], in Capitulo ante pedes omnium proſtratus, rogabat ut à paſtorali cura eum abſolverent, & meliorem quemcumque Patrem ſuper ſe eligerent. Erat autem quædam crypta in vaſto ſolitudinis ſuper fluvium Sequanæ, unde Sanctus SAMSON * ſerpentem ejecit. Hanc petebat ut ad habitandum ei concederent. Quantus clamor, quantus dolor erat ibi omnium timentium Deum & ſuper Patrem Geremarum lamentantium & dicentium: Cur nos Pater deſeris, aut cui nos deſolatos relinquis? quid egimus? Quid in te commiſimus? Quomodo fuimus tibi contrarij? Ipſe autem reſpondit eis: Nemo veſtrûm in aliquo mihi exſtitit umquam contrarius, nemo malus, nemo durus, nemo alienus: omnes mihi ut patres, ut fratres, ut veritatis amatores. Nolebat enim prodere in publicum, quod invenit in lecto abſconditum, ne locus ipſe verteretur in exemplum malorum. Iterum atque iterum proſtratus ante pedes omnium rogabat ut à paſtorali ſede abſolverent eum. Illi autem nolebant, ſed magis ac magis petebant ut eos non delereret. Poſtulat abſolvi à munere Paſtorali.

16. Tandem victi petitionibus, cryptam quam petebat ei conceſſerunt. Relinquens autem Monaſterium B. Audoëno, abiit in prædictum locum, ibique ſe in oratione diebus ac noctibus dedit, faciens plurimam abſtinentiam, majorem quam facere conſueverat. Ibi ad eum omnes egeni veniebant, quos pro amore Chriſti reſpiciens non permittebat abire vacua manu. Nudos operiebat, eſurientes & ſitientes recreabat, infirmos viſitabat, mortuos ſepeliebat, omnes In ſpelunam ſecedit.

[a] Id eſt Collationem de lectione factam. Quæ enim Caſſiano Collatio dicitur, Diſputatio vocatur in Regula S. Pachomij art. 21. *Diſputatio autem à Præpoſitis domorum per ſingulas hebdomadas tertiò fiet.* Has verò Collationes ante Miſſam olim habitas, conſtat ex Sermonibus S. Bernardi pluribus in locis, maximè in Serm. 2. & 3. in feſto omnium Sanctorum.

* *Lege ejus Vitam Sæculo* 1. *Ben.*

CIRC. AN. DC. LVIII. SEPTEMB. XXIV.

oppreſſos tribulatione & anguſtia corporis & mentis confortabat. Erat pater orphanorum & amator Eccleſiarum. Tantam ei gratiam Dominus veluti electo famulo ſuo contulit, ut cuncta mundi mente tranſſcenderet, & ſæpiùs cæleſtibus ſecretis intereſſet.

Sacerdos factus rem ſacram quotidie facit.

17. Beatus autem Audoënus audiens famam ſanctitatis ipſius & ſciens meritum ejus, in gradum Preſbyterij eum ordinavit. Cujus voluntati multùm reſiſtere voluit, ſed Spiritu-ſancto eum compellente, præceptis ſancti Præſulis obedivit: factúſque Sacerdos, Domino Deo placere ſtuduit. Offerebat enim illi ſacrificium per ſingulos dies cum lacrymis & contritione cordis. Cùm autem ad ſacrificandum accederet, tanta circa eum cuſtodia Dei & pietas erat, ut in terris corpore poſitus, ante Deum in cæleſtibus mente habitaret. O Deo dignum Sacerdotem, mitem, juſtum, benignum, omnique pietate repletum. Cuſtodiebas eum, Domine JESU-CHRISTE, tu ſemper greſſus ejus ad meliora redigebas, tu ſcuto protectionis tuæ eum circumdederas, qui non dormis, neque dormitas, ſed ſemper in te ſperantes cuſtodis & ſalvas.

Poſt annos quinque filij ſui obitum diſcit.

18. Ibi in exemplum omnium poſitus annis quinque & menſibus tribus fidelis tuus Geremarus in omnibus mandatis his exſtitit ſincerus & devotus. Dum autem illic moraretur, nuntius venit ei de filio ſuo Amalberto quem in palatio reliquerat. Rediens enim de Waſconia cum Rege[a], gravi infirmitate percuſſus ægrotare cœpit. Unde morbo ingraveſcente evadere non potuit, ſubripiente mortis articulo vitam corporis amiſit. Erat enim adhuc virgo & ignarus mundanæ corruptionis. Et quoniam carus erat Regi & Francis, delatus eſt uſque ad locum propriæ hereditatis. Cùm autem hoc enuntiatum fuiſſet, adſumens patientiam beati Job dixit: *Dominus dedit, Dominus abſtulit, ſicut Domino placuit ita factum eſt, ſit nomen Domini benedictum.* Et iterum: Laudate Dominum omnes gentes, laudate eum omnes populi. Quoniam confirmata eſt ſuper me manus tua Deus & veritas tua non dereliquit me. Confirmâſti in me miſericordiam tuam & recepiſti filium meum in gloriam tuam. Exiens de illa crypta, & omnes Clerici ſimul cum eo in hymnis David laudem Deo dicebat: Dominus pars hereditatis meæ & calicis mei tu es qui reſtitues hereditatem meam mihi.

Iob. 1, 21.

[a] Nempe Chlodoveo, de quo jam Auctor ſuperiùs egerat, aliàs Regis nomen exprimere debuiſſet.

Ad filij exſequias pergit.

19. Pergens autem cum magno pſallentium choro pervenit in pagum Vilcaſſinum*: quem pertranſiens intravit Belvacenſem pagum, ubi jacebat filij corpus defunctum. Veniens illuc ubi jacebat, nihil de morte ipſius eſt motus: ſed laudabat Dominum Deum, quòd dignatus ſit ſuſcipere in virginitate unicum filium ſuum. Elevantes autem eum in feretrum deferunt ad Monaſterium quod B. Geremarus conſtruxerat in honore Petri & Pauli Apoſtolorum. Sequebatur multitudo populi flens atque lugens ſuper eum. Erat enim carus omnibus divitibus & pauperibus, omnes pari amore eum diligebant: & ideo quem in vita amaverant, in morte hoc triſte munus amoris ei præbebant. Venientes verò ad locum qui Baniacus pons dicitur, paullulùm ſolo ſubſtiterunt.

* *le Vexin*

Corpus immobile redditur.

20. Non illud ſileri puto, quod Dominus operari dignatus eſt ibi circa corpus defuncti ob meritum B. Geremari, quatenus omnes agnoſcerent magni meriti eſſe eum & ipſius filium. In eodem loco ſic aggravatum eſt corpus B. Amalberti, ut non ab iis qui eum portabant potuiſſet moveri. Adjuncti ſunt quamplurimi, ſed nec ſic moveri potuit. Fit clamor omnium virorum atque mulierum. Tantus autem ſtupor invaſit omnes retro & antecedentes, ut vix ambulare valerent. Tunc B. Geremarus ſentiens hoc eſſe voluntatem Dei, juſſit corpus deponi. Quo depoſito, proſtratus ſolo genibus, orationem ad Dominum fudit & coram cunctis diutiſſimè oravit. Completa oratione illis qui corpus vehebant dixit: Auferte pallium ab eo unde coopertus eſt, ut videamus quid contigerit. Cúmq; tuliſſent pallium & diligentiùs adſpexiſſent, invenerunt faciem ejus ſanguine madidam, acſi illo die bello interfectus occubuiſſet. Fluebat enim ſanguis

Cruenta ejus facies apparet.

per

per nares irrigans totam faciem ejus. Valde ſtupendum eſt atque mirandum & in memoria devotis laudibus reſervandum. Tam multùm fluxerat temporis quo vitâ deceſſerat revertens à Waſconia cum Rege & Francis. Quid hoc facto manifeſtius? potuit hoc adimplere illius virtus B. Geremari meritis & virtutibus, cujus potentiâ reſuſcitatur quatriduanus Lazarus. Demonſtratur hoc indicio B. Amalbertum meritis S. Geremari vivere cum Chriſto. CIRC. AN. DC. LVIII. SEPTEMB. XXIV.

21. Tunc B. Geremarus in eodem loco Eccleſiam fieri præcepit in honore S. Johannis: duodecim Monachos ibidem conſtituit, quorum vita eſſet ſalus ſibi & animæ filij. Ut verò ſine indigentia viverent, & Deo ſine murmuratione ſervirent, reliquit eis multas villas, ſcilicet propria prædia per chartarum monimenta. Monaſterium eo in loco parat Geremarus.

22. His ita præmiſſis ſtatim inventum eſt corpus tantæ levitatis, ut ab uno homine potuiſſet portari. O quàm magna eſt virtus tua Chriſte! quantis coruſcas miraculis ſperantibus. Quis nomen tuum non exaltet? Aut quis potentiam tuam erga ſervos tuos non pertimeſcet? Moventes inde pervenerunt ad prędictum Monaſterium, quod B. Geremarus adhuc in ſæculo poſitus conſtruxerat, ubi honorificè ſepelierunt eum. Tunc B. Geremarus hereditatem ſuã recepit, & Dominum JESUM CHRISTUM ex ea heredem fecit. Feſtinabat enim pervenire ad ſupernam patriam, & contingere immortalitatis ſtolam. Deſiderabat heredem habere eum, à quo & in quo & per quẽ eſt ſummum bonum, ultra quod nihil eſt appetendum. Corpus inde facilè in aliud Monaſterium defertur.

23. Poſtquam autem omnia hæc ſunt divinitùs completa, in ſemetipſum reverſus cogitare cœpit, quomodo aſtutia antiqui ſerpentis per mille artes nocendi nititur ſeducere corda ſervorum Dei ad interitum & damnationem perpetuæ mortis. Quibuſdam enim virtute orationum perfectis, quibuſdam jejuniis deditis, aliis ſolitariæ vitæ laude diffamatis multoties quamdam faciem jactantiæ ingerit, & cum virginibus ſtultis lampades eorum vacuas reddit. Hi tales veniente Sponſo non intrabunt cum eo ad nuptias. Hoc prævidens B. Geremarus ne cor ejus laus ſolitariæ vitæ attingeret, cœpit familiariſſimè ſuos alloqui: O Fratres multos pro Chriſti nomine paſſi labores indeſinenter ad viam ſummi & incomprehenſibilis boni currite, & in opere Dei quod cœpiſtis permanete. Utendum eſt nobis hoc conſilio. Properemus ad S. Audoënum, petamúſque ab eo ut ſua oratione demonſtretur nobis ad habitandum locus, ubi uſque ad finem vitæ in bonis operibus perſeveremus. Placuit omnibus conſilium B. Geremari. Pergens ergo ad ſanctum Audoënum ſic allocutus eſt: Deprecor te, ſancte Pater, ut orationem ad Dominum pro me facias, mihíq; locum ad habitandum tuis precibus demonſtres. Confido enim quòd Deus te exaudiet, & quod rogaveris impetrabis. Audiens hæc B. Audoënus reſpondit ei: Noli Frater iſta referre. Quis ego ſum ut hoc agam? non meis meritis, ſed tua fide hoc adimplebitur. Si fidem habueris quidquid rogaveris conſequêris. Fide Abraham amicus Dei factus eſt, fide Petrus ſalvatus eſt. Exſpectemus miſericordiam Dei triduo cum jejuniis & orationibus, ſi fortè reſpiciet humilitatem noſtram. Geremarus locum ad habitandum petit à B. Audoëno.

24. His inter ſe familiariſſimè dictis, indictum eſt triduo jejunium cunctis. Tertia autem nocte in jejuniis & orationibus poſitis apparuit per viſum utriſque Angelus Domini dicens eis: Exaudivit Dominus preces veſtras, reſpexit afflictionem veſtram. Ite ad locum qui FLAVIACUS [a] nuncupatur, & ibi invenietis deſiderium veſtrum. Mane autem facto, retulit uterque quod viderat, & gra- Poſt triduanum jejenium Angelus eis locum demonſtrat.

[a] Flaviacus vicus, *Flay*, quinque leucis diſtans à Bellovaco, ad Ittam amnem, nomen Monaſterio dedit Flaviacenſi, quod poſt varias fortunas, poſt Canonicos Normãnorum tempore inibi inſtitutos, poſt unionem ejus redituum Eccleſiæ Bellovacenſi factam per Nicolaum Papam I. tandem à Drogone Bellovacenſium Epiſcopo anno M.XXX. inſtauratum eſt, præfecto Gunthario ex Monacho Foſſatenſi, qui B. Geremari corpus à Belloacæ urbis civibus vindicare ſibi non potuit. Ab eo tempore nomen Monaſterio fuit S. Geremari Flaviacenſis, vulgò *S. Germer de Flay*, cui inter alios præfuêre S. GENARDUS poſt anonymum Geremari ſucceſſorem, S. BENIGNUS Genardi ſucceſſor, atque ANSIGISUS principatu Ludovici Pij Imperatoris, qui tres etiam Abbates Fontanellæ Monaſterij fuerunt. In Chron. Fontinell. cap. 3. *Hujus Benigni Abbatis propinquus S. Gennardus Vicedominus Eccleſiæ Rotomagenſis & Abbas Cœnobij Flaviacenſis exſtitit: qui poſt receſſum ipſius Gennardi Flaviacenſis Cœnobij factus eſt Rector.* De Anſigiſo lege cap. 26. & ſeqq.

CIRC. AN. DC.LVIII. SEPTEMB. XXIV.

tias agentes Domino tendunt ad locum prædictum ab Angelo. Cùm autem non longè eſſent à vico, nutu Dei & voluntate deviati ſunt à recto tramite: & gyrantes vaſtæ ſolitudinis deſertum, pervenerunt ad deſtinatum locum. Ubi cùm perveniſſent, & multùm dubitarent neſcientes quid agerent; ecce nebula deſcendit de cælo & circumdedit totum locum ubi conſtruendum erat Monaſterium, & cum nebula ſuperna vox dicens: Electi Dei, ecce iſte locus metuendus eſt, quadraginta anni voluti ſunt ex quo Dominus hunc locum benedixit & ſanctificavit, & fideli ſuo Geremaro deſtinavit. Erit enim habitabilis Monachorum multitudini, quamdiu perſtiterit in præceptis Domini. Mulieribus verò nullus umquam acceſſus ad eum patebit. Audientes autem hæc ambo viri Sancti valde lætati ſunt. Cúmque obtutus ſuos in adſpectum nebulæ defigerent, ſtatim ab adſpectibus eorum ſubtracta eſt. Ex eadem autem nebula in circuitu loci, quaſi quædam virga geometricalis, ros totum locum circumdans remanſit, ut daretur intelligi verum eſſe, quod ſuperna vox cecinit. Tunc circumeuntes locum repererunt ſignum cæleſtis roris impreſſum.

Monaſterij fabricam à B. Audoëno deſignatam Geremarus perficit.

25. Beatus autem Audoënus certus de Angelica viſione & de ſuperna voce, accipiens virgam in manu, per veſtigia nebulæ menſus eſt plateam in circuitu, ubi Eccleſia ædificaretur, ubi officinæ conſtruerentur & cetera Monachorum vitæ utilia: conſignatóque loco B. Geremaro ita diſceſſit ab eo. Tunc B. Geremarus unà cum omnibus ſibi commiſſis ad ædificandum locum advenit, ædificavit ibi Eccleſiam in honore ſanctæ & individuæ Trinitatis ſanctæque MARIÆ Virginis & ſancti Johannis, ſanctíque Petri Apoſtolorum Principis: & ibi totam ſuam hereditatem tradidit. Conſtruxit ibi omnia neceſſaria Monaſticæ vitæ congrua vel artes diverſas, quas intra Monaſterium exerceri utile eſt, ut non eſſet Monachis[a] neceſſitas vagandi foris: quia, ſicut B. BENEDICTUS dicit, omnino animabus eorum non expedit. Audientes circumquaque Monachi confluebant ad eum quaſi ad hortum omnium virtutum: quos ille verbi Dei gratia reficiens admonebat, ut in propoſito ſuo perſeverarent, & à voluptatibus mundi alienos ſe facerent.

a

Moritur.

26. Conſummato autem omni opere ſuo, fixit ſe in oratione atque permanſit in Dei opere annis tribus & menſibus ſex, & ſic in Domino emiſit ſpiritum, tranſivítque ad gaudia Angelorum[b]. Sepultum eſt corpus ejus in eadem Eccleſia cum magno honore & reverentia, ubi per meritum ejus multa beneficia præſtantur. Ad ſepulcrum ejus ægri veniunt & ſanantur, cæci illuminantur, claudi greſſibus reformantur, ſurdi auditu reparantur, dæmones obſeſſis corporibus effugantur, & multi à variis languoribus ſanantur, præſtante Domino noſtro JESU-CHRISTO, cui eſt honor & gloria, laus & poteſtas per infinita ſæcula ſæculorum, Amen.

b

a Fallitur ergo Louvetus, dum Canonicos Regulares Flaviacenſi Cœnobio à Geremaro impoſitos ſcribit loco citato: tametſi jam ante Normannorum cladem Canonici Monaſterium illud occupabant, ut conſtat ex Chron. Fontanell. cap. 16. ubi Anſigiſus Abbas *ad Flaviacum illis Canonicis libras quindecim* legaviſſe dicitur.

b Si Amalbertus Chlodoveo adhuc regnante in reditu è Vaſconia mortuus eſt, (quod ſuperiùs expendimus) Geremari obitus ultra annum DC. LVIII. differri non poteſt. Chlodoveus quippe anno DC. LV. extinctus eſt, Geremarus anno DC. XLIX. Monaſterium Pentallenſe petiit, ac poſtea cryptam ſeu ſpeluncam S. Samſonis, ubi poſt *annos quinque & menſes tres* nuntium de Amalberti morte accepit. Sepulto Amalberto condidit Monaſterium Flaviacenſe, in quo *annis quinque & menſibus ſex* permanſit. Anno proinde DC. LXVIII. ad ſuperos migravit VIII. Kal. Octob. quo die in Martyrol. Romano, Benedictino & Gallicano, necnon in Addit. Molani ad Uſuardum *Abbatis* nomine memoratur. Ejus corpus unà cum B. Juſti Martyris Reliquiis in Abbatiâ S. Cypriani prope muros Pictavenſes delatum eſſe (quod tamen omnino incertum putamus) probat Louvetus ex Aquitaniæ Annal. ad ann. 940. Anno DCCC.XL. utrumque B. Geremari Cœnobium, Inſula nimirum & Flaviacum, ab Haſtingo Normannorum Duce everſum eſt. Rebus exinde pacatis ſacra Geremari lipſana Bellovacum relata eſſe ait idem Auctor: quæ in Majori ſancti Petri Eccleſia in hunc uſque diem collocata, incluſa theca ex aurichalco deaurato, quotannis in Dominica Palmarum cum aliis Sanctorum Reliquiis ſollemniter circumferuntur. Celebris eſt apud Bellovacenſes memoria miraculi à B. Geremaro, ineunte ſæculo XI. patrati, dum populares ſacro igne correptos (quæ peſtis eo tempore in Gallia miſerè ſæviebat) ab ingruente morbo liberavit, idque Drogoni occaſio fuit inſtaurandi Monaſterij Flaviacenſis.

VITA SANCTI CLARI ABBATIS VIENNENSIS,

Circ. An. Dc. lx. Januar. i.

Auctore Anonymo qui poſt medium ſæculum VIII. vixit, ex num. 10.

Ex Surio & Bollando.

1. VITAM vel actus B. CLARI Preſbyteri & Abbatis ſcripturus, Dei gratiam imploro, ut qui illi dedit bene & ſanctè vivere, mihi quóque tribuat oſtium ſermonis, & illius laudabilia geſta inculpabiliter ſcribere. Hic à puero indiciis munerum clarus, in Dei omnipotentis gratia profecit adeò, ut precibus ſuis à Domino obtineret, quæ Spiritus-ſancti donum petenda eſſe perſuaderet. Accidit quippe ut puer matrem orbatam marito haberet, quæ devotè ad Memorias Sanctorum Martyrum apud Viennam ſubinde orandi gratiâ occurrebat: cum qua pediſſequus Clarus venire ſolebat. Habitabat autem eadem femina in vico qui Bellicampus dicitur. Clarus pius.

2. Hanc cùm pro more quadam die ad orationem Clarus ſequeretur, venerunt ad ſanctiſſimum Cœnobium ultra Rhodanum, ubi tunc temporis oſſa beatiſſimi FERREOLI Martyris quieſcebant. Cúmque ibi mulier cum Claro ſuo puero in compunctione poſita, longiores horas protraxiſſet, jámque veſpere ad hoſpitium ſuum reverti cuperet, Rhodanus agitantibus ventis in undas periculoſiſſimè aſſurgere cœpit. Jam mater cum Claro puero navim intraverat: deſperatíſque nautis, pæne undis ſubmerſa navi, Clarus puer extenſis manibus contra Eccleſiam B. Martyris Ferreoli lacrymis fuſis exclamâſſe dicitur: Deus pro cujus nomine Martyr Ferreolus mortem ſuſcepit, ſubveni nobis in periculo poſitis. Mox Rhodanus blandior redditus, navim brevi impulſu ad litora ſua tranſpoſuit. De periculo erepti, mirantes pueri fidem, Deo gratias reddiderunt. Tempeſtatem ſedat.

3. Erat tunc temporis vir ſtrenuus & Deo placitus Viennenſis Eccleſiæ Pontifex CADOLDUS. Monaſteria tam virorum quàm Sanctimonialium ſub ſancta profeſſione viventium pia diſtrictione, tam in civitate quàm extra muros civitatis, hæc præcipua erant [a] quæ regebat. Grinianenſium Cœnobia, à ſanctis Pontificibus urbis fundata, in quorum maximo oſſa beatiſſimi Ferreoli Martyris condita venerabantur. Sanctimonialium beatæ Virginis Columbæ triginta Monachas habens. Nam Grinianenſium loca quadringentos Monachos alebant. Porro S. Petri Monaſterium ad Auſtralem partem urbis ſitum, quingentos pæne Monachos continebat. Sanctorum Gervaſij & Protaſij venerabilis Memoria, quinquaginta. Similiter S. Joannis Baptiſtæ Monaſterium, quinquaginta. Similiter S. Vincentij Martyris, quinquaginta. Sancti quoque Marcelli Martyris Cœnobium, triginta. S. Blandinæ viduarum Sanctimonialium locus, vigintiquinque. S. Andreæ infra mœnia urbis, centum. Iterum aliud S. Andreæ, centum. Sancti Nicetij ejus urbis glorioſi Epiſcopi, quadraginta. S. Martini Cœnobium, centum quinquaginta Monachos ſub diſtrictione regulari viventes adunatos tenebat. Porro in domo majori ſanctorum Martyrum Apoſtolicam vitam tenentes, in unúmque viventes, plurimi Clerici erant, itaut turmis diſpoſitis Offi- Viennæ varia Monaſteria.

[a] Ex illis Monaſteriis duo dumtaxat ſuperſunt, utrumque in urbe: unum S. Andreæ, inferioris, virorum; alterum S. Andreæ ſuperioris, Sanctimonialium, Ordinis S. Benedicti. (Nam Monaſterium S. Petri Canonicis ſæcularibus ceſſit.) Duo item Prioratus, unus S. Mariæ de Tincto ſub Cluniaco, alter S. Columbæ, Sanctimonialium.

CIRC. AN. DC. LX. JANUAR. I.

ciorum miniſteria peragerent. Apud ſanctum Severum quoque cœtus Clericorum venerabilis. Alia quoque venerabilia Sanctorum in unum converſantium habitacula ad ſexaginta, ſub cura Pontificis degentia in Viennenſi diœceſi ſatis ordinabiliter ſita erant. Sic tunc temporis ad gloriam omnipotentis Dei Viennenſis Eccleſia florebat.

Monachus, pòſt Abbas.

4. Tam pia igitur loca mater Clari pueri ſollicita quæ Dei ſunt frequentiùs viſitabat. Claro autem puero Cœnobio Sanctorum Monachorum apud Memoriam B. Ferreoli Martyris tradito, ipſa noviſſimum diem apud S. Blandinam clauſit. Clarus itaque puer ſanctè in Monaſterio nutritus, eò profecit, ut ſibi Monaſterium viduarum ad cuſtodiendum poſtmodùm crederetur. Abbas factus in Monaſterio S. Marcelli à ſancto Pontifice urbis, Clarus nomine, clarus virtutibus, clarus omnis religionis obſequio, ſtrenuus omni actione ſua, curam ſibi impoſitam per Dei gratiam ſollicitè adminiſtrabat.

Monacham ſanat.

5. Contigit autem ut Mater Monaſterij febribus ad mortem gravaretur. Clarus igitur ad lectum decumbentis cum fide acceſſit: útque manum febricitantis tetigit, ſecretè ſecum orans in conſpectu Sanctimonialium ſanata mulier è lecto ſurrexit, & cum ceteris Eccleſiam ingreſſa, hymnorum laudes Deo exhibuit.

Monachum & ulceroſum.

6. Quidam Frater etiam infirmitate gravi viſcerum depreſſus, à patre Claro oleo ſancto perunctus, ſanitati reſtitutus eſt. Factum eſt dum quodam tempore ad villam cum Monachis iret, ut quidam totus ulceribus plenus obviàm ei fieret. Tunc Clarus imperavit cuidam Monacho: Vade Frater, miſellum iſtum lava in fluviolo propè currente. Ilico ille obediens, ut aquâ miſerum tinxit (mirabile dictu!) fons vulnerum penitùs clauſus, cutem integram videntibus omnibus eſſe monſtravit. Eumdem ipſum janitorem Monaſterij poſtmodùm multi viderunt.

Vineam grandine percuſſam reſtituit.

7. Fortè vir Dei in grandinatam Fratrum vineam devenit. Vocato cuſtode quæſivit, ſi racemi ad uſum vini neceſſarij aliqui remanſiſſent. Sed cùm vix pauci eſſent inventi, proſtratus in terra noctem ibi fecit. In craſtinum, quod vix credi poteſt, ita dependens vinea racemis ſuis onuſta paruit, ut nullo modo quòd grandine percuſſa fuerit, indicium dare poſſet.

Monachum periclitantem è naufragio eripit. * *al.* amovens

8. Item quodam tempore cùm Fratres piſcatum iſſent, & ipſe prope ripam ſtaret, incautiùs quidam retia *admovens in aquam ruit. Rhodanus tunc fortè ripas ſuas impleverat: Fratres de periculo cadentis nimiùm pavidi erant. Clarus plenâ fide, ut ſignum crucis contrà fecit, mox à periculo exemptus eſt quem aqua trahebat, & ad partem illam in qua Clarus cum Fratribus ſtabat devenit. Læti omnes miſericordias Domini decantare cœperunt. Sed ut lætiores etiam poſt tantum munus fierent, ingentem piſcem ad litus tractum habere ad ſui ſubſidium meruerunt.

Dæmonis artes ludit.

9. Erat ei conſuetudo nocte orationis causâ deambulare per caſtrum, ubi Cœnobium ſanctæ Blandinæ ſitum eſt, & diabolus humana ſpecie aſſumpta ſtupendæ altitudinis, flammantibus oculis ei ſe obvium tulit, quid ibi ageret inquirens. Clarus perfectus in fide, cognoſcens inimici fraudes, impavidus ſtetit, & quis ipſe eſſet quæſivit. Tunc diabolus: Miſſus ſum ad hoc ut te ex iſto loco expellam, quia jamdiu eſt quòd in poteſtate noſtrâ locus iſte eſſet, niſi tu obſtitiſſes. Clarus Divina virtute fretus; Vade Satan, ait: obſtitit tibi Chriſtus, cujus eſt terra & plenitudo ejus. Cum grandi igitur ſono, itaut totum caſtrum videretur eſſe concuſſum, diabolus abſceſſit: arreptámque unam Famularum, quæ pro foribus Monaſterij deſerviebat, vexare cœpit. Clarus ibi accurrit, injectis in os puellæ digitis, ſpiritum malignum effugavit: ſícque ſana reddita Ancillis Dei lætitiam fecit. Multa ſunt quæ per ipſum Chriſtus in Eccleſia Viennenſi operatus eſt.

Paganorũ cladem prædicit.

10. Cùm inſtaret tempus dormitionis ejus, & hoc ei à Domino revelatum eſ-

ſet, quadam die in hortis Fratrum ægrotus ſedit: vocatíſque ad ſe Fratribus, eos alloqui ſpiritualiter ac dulciter cœpit, dicens: Fratres mei, ſecundùm Apoſtoli dictum, *Per multas tribulationes oportet nos intrare in regnum Dei.* Quid mihi à Domino revelatum ſit non tacebo. Sex Epiſcopos iſta noſtra civitas ſub pace temporis Chriſti Eccleſiam gubernantes habebit. Poſtquam illi dormierint, ſub ſeptimo Epiſcopo graviſſima perſecutio Paganorum erit, & iſta civitas juſto Dei judicio illis ad diſperdendum tradetur. Monachi & habitatores terræ iſtius partim occidentur, partim fugabuntur, incenſis ſacris domibus, vaſtatis omnibus, & pæne in deſolationem redactis. Nunc ergo, Fratres, Dei judicium metuentes, curam agentes veſtri vigilanter intendite: ut cùm dies tribulationis venerint, paratiores ad tolerandum, ſi qui reperti fueritis, inveniamini. Corpus meum in Eccleſia beatiſſimæ Martyris Blandinæ & ſociorum ejus humate. Hæc audierunt Fratres qui tum præſentes aderant. Quod poſtea rei eventus demonſtravit, quando à Wandalis & à Saracenis non tantùm Viennenſis, ſed longè latéque aliæ provinciæ vaſtatæ ſunt[a]. AN. CHR. DC. LX. JANVAR. I. *Act.* 14.

11. Cùm jam decũberet, tertia die antequam clara anima ejus corpus corruptibile deſereret, cùm ſemper in laudibus Dei perſeveraret, videt circa crepuſculũ diei aperiri cælum, & immenſum exercitum candidiſſimi & nivei coloris ſupra cellam ubi jacebat deſcendere, quem exercitum miræ pulchritudinis & ſplendoris juvenis præcedebat. Quod cùm Clarus irreverberatis oculis læto vultu inſpiceret, virgo beatiſſima Blandina ab eo cognita conſolari eum cœpit, & ut tantum exercitum ſequeretur hortari. Cúmque ipſe voto & deſideriis annueret, ab illa audivit: Tertiâ die horâ quintâ ſanctus Marcellus & ego ad te venientes te nobiſcum ad felicia regna ducemus, & ne hoſtis tibi nocere poſſit, totus iſte exercitus Dei quem vides tecum erit. Sic viſione abſcedente beatus vir à Fratribus in Eccleſiam portatus, cilicióque ſuperextentus, quamdiu ſupervixit, à Dei laudibus non ceſſavit. S. Blandina monente obitum prædiſcit.

12. Appropinquante horâ exitus ſui, pſalterium idem decantare cœpit. Ut ergo Fratres finitis pſalmis dixerunt, *Omnis Spiritus laudet Dominum*, cum luce odor ineffablis totam cellam ubi Sanctus Dei jacebat replevit: ſícque beata anima carne ſoluta migravit ad Dominum. Manſit autem idem odor uſque ad locum ſepulcri. Quò cùm ferretur quidam paralyſi diſſolutus admotus feretro beati viri, in conſpectu omnium ilicò ſanatus eſt. Sepultus autem in Eccleſia beatæ Martyris Blandinæ ſanctorúmque Martyrum quadraginta octo ante altare, ubi miraculis clarus diu jacuit. Obitus autem ejus agitur Kalendis Januariis[b]. *Pſal.* 150. 6.

[a] Id contigit anno circà DCC. XXXVII, ex quo iſtius Scriptoris ætas colligenda.

[b] Nullus character Chronologicus tempus obitûs S. Clari ſatis deſignat præter tempus cladis Viennenſis ab ipſo prædictæ. Mortuus videtur pontificatu Georgij Viennenſis Pontificis, qui poſt Landalenum & Bobolinum Cadeoldo num. 3. memorato ſucceſſit. Alius eſt S. CLARUS Monachus Maduinenſis in Neuſtria, de quo Sæculo IV. Bened. agendum.



CIRC. AN. DC. LX. OCTOB. X.

S. THEODECHILDIS ABBATISSÆ JOTRENSIS PRIMÆ

ELOGIUM HISTORICUM.

Jotrenſis Monaſterij exordia. * *Ioüarre*

1. JOTRUM * *Parthenon illuſtre Ordinis S. Benedicti* intra Jorani ſaltûs arva (*uti Jonas in Vita S. Columbani & Anonymus in Vita S. Agili Abbatis loquuntur*) *ſitum in pago Briegio, ſexto milliari ſupra Meldas opidum, haud procul à fluvio Matrona; ſua debet primordia* ADONI *nobiliſſimo Franco, de quo nonnulla diſquirere juvat.*

Ado ejus conditor. * Euſſy *Jonas ſuprà pag. 25.*

2. *Cùm S. Columbanus Theodorici Burgundiæ Regis juſſu è Gallia pulſus, ad Theodebertum Auſtriæ Regem ſe reciperet; per civitatem Meldas iter habuit: ubi à* Chagnerico Theodeberti conviva *exceptus, Burgundofarà ejus filia Deo ſacrata,* ad villam quamdam Wltiacum * quæ ſupra amnem Maternam ſita eſt venit. Ibi receptus eſt à quodam viro AUTHARIO nomine, cujus conjux AIGA dicebatur: erántque his filij (*Abbreviator ſcribit* duo filij) infra infantiæ annos decennes, quos mater ad benedicendum viro Dei obtulit. Videns ille matris fidem, infantulos ſua benedictione ſacravit: qui pòſt, mox ut pubeſcere cœperunt, Chlothario Regi primùm, ac deinceps Dagoberto gratiſſimi ſunt habiti. Qui poſtquam ſæculi gloriâ illuſtrati fuerunt, accelerare cœperunt, ut pro gloria ſæculi non carerent æternâ. Quorum major natu ADO nomine, ſemet ſuis voluptatibus abdicavit, poſtquam intra Jorani ſaltûs arva Monaſterium ex beati Regula Columbani conſtruxit: juniórque nomine Dado intra Briegenſem ſaltum ſupra fluviolum Reſbacenum ex ſupradicti viri Regula Monaſterium conſtruxit. *Hinc duo emergunt dubia, unum an Authario duo tantùm filij fuerint,* ADO *& DADO; ánne his duobus addendus ſit* RADO, *ut plerique volunt, qui Radolienſe Monaſterium condiderit: alterum an Iotrum Monaſterium priùs Monachis quàm Sanctimonialibus fuerit addictum.*

Rado an ejus frater? * *pag. 71.*

3. *V. C. Hadrianus Valeſius in Rer. Francic. lib. 18.* * *improbat* Aimoinum & Sigebertum alióſque, *qui* ambobus fratribus Radonem, Theſaurarium (uti aiunt) Dagoberti & Radolij Cœnobij conditorem, medium interponunt: cùm Jonas æqualis temporibus illis Scriptor prodat Authario viro illuſtri non ampliùs quàm duos filios fuiſſe, Adonem majorem natu, minorem Dadonem. *Et* Audoënus ipſe tantummodo germani ſui Adonis, nuſquam RADONIS commenticij mentionem facit. *Huc adducenda Audoëni verba ex Vitæ S. Eligij lib. 1. cap. 8.* Ex hoc ſpretis ſæculi oblectamentis cupiebat *Audoënus* ex ſtudio Eligium æmulari ad bonum: & accito etiam germano ſuo ADONE in conſilio communi (erant enim viri inclyti, Optimates aulæ, filij ſcilicet Autharij;) hi ergo communi habito conſilio cœperunt imitari quæ ab Eligio gerebantur. *Non apparet, cur, ſi alterum fratrem Radonem habuiſſet Audoënus, non eum ſanctioris conſilij participem eſſe voluerit. His teſtimoniis adjungenda eſt auctoritas Hildegarij Meldenſis Epiſcopi, qui in Vita* * *S. Faronis principatu Caroli Calvi ſcriptâ, neque* Radonis, *neque* Radolij *mentionem ullam facit: tametſi locus exigere videbatur. In Geſtis Dagoberti Regis auctore anonymo ſæculi octavi homine, inter* ſanctiſſimos *viros qui Baſilicæ Dionyſianæ Privilegium manu ſua firmárunt,* S. RADO * *frater Audoëni numeratur, ubi pro* Radone *ſcribendum videtur* ADO, (*niſi fortè binominis fuerit Ado*) *cùm ipſi etiam qui Radonem admittunt, nequaquam eum* Sanctum *appellent: quod nomen Adoni homini pio & vitam ſanctiſſimam profeſſo tribuere magis pronum eſt. In Chron. Fontanell. cap. 1. invenimus Rothmari donationem S. Vuandregiſilo factam,* & confirmationem à RADONE Scriptore Regiorum Privilegiorum Gerulóque annuli Regij, editam fuiſſe juſſu

* *infra ad ann. 672.*

* *Rado ex hoc loco ſanctus dicitur in appendice Martyrol. Gallic.*

Regis Chlodovei juvenculi Regis & matris ſuæ Nanthildæ prid. Non. Februarias anno primo præfati Regis. *Quo anno Dado ſeu Audoënus adhuc id officij exſequebatur. An ergo Dado etiam Rado dictus eſt? Quamquam in ejuſdem Chron. loco citato aliud Diploma Regium ab eodem Radone ſcriptum dicitur* anno XII. *ejuſdem Regis, cùm Audoënus jam Sedi Rotomagenſi præerat. Ne quis verò in Radonis nomine ludat, dum in Fredegarij Chron. cap. 42.* RADO in Auſter Majoriſdomus gradum aſſumpſiſſe *legitur; id intelligi non poteſt de Radone vulgato, qui* Theſaurarius *non* Majordomus *fuiſſe dicitur.* Ado venerabilis *Audoëni frater morienti S. Agilo Abbati Resbacenſi adfuiſſe fertur: cetera ejus facta ignota. Fere decennis erat, cùm Columbano benedicendus eſt oblatus anno* DC. X. *Vnde videtur annum* DC. LXX. *non exceſſiſſe. De loco ſepulturæ infrà.* CIRC. AN. DC. LX. OCTOB. X.

4. *Ex textu Ionæ ſuperiùs recitato, Adonem Cœnobij Iotrenſis auctorem ac poſtea Monachum fuiſſe manifeſtum eſt. Locum ubi Monaſticam vitam profeſſus eſt Ado, à Iona non indicatum deſignat anonymus Vitæ S. Agili Abbatis Scriptor his verbis*: Major natu, ADO nomine, non ſolùm ſemetipſum cum propriis voluntatibus ac copiis abdicavit, verumetiam in proprio ſolo intra Jorani ſaltûs arva ope fratris venerabilis videlicet Audoëni ſuper amnem Maternam Monaſterium ædificavit, cui Jotrum nomen impoſuit, atque ex rebus propriis fecundiſſimè ditavit: in quo etiam monaſticè ſecundum B. Columbani inſtituta unà cum caterva præclaræ Religionis maxima ſuperno Regi Chriſto militavit. *Quæ ſi vera ſunt, Ado in Monaſterio Iotro vota religioſa nuncupavit. Et tamen Sanctimoniales in Iotro Parthenone à primordiis exſtitiſſe, exploratum videtur ex Actis S. Balthildis & S. Bertiliæ inferiùs ſuo loco referendis: quæ Bertilia ex Iotro Cœnobio aſſumpta & Kalenſi Monaſterio paullo poſt Chlodovei II. mortem à Balthilde ædificato præpoſita fuiſſe ſcribitur. Nec veri ſimile eſt tam citò ejectas è Iotro Monachos fuiſſe, ut Puellis Deo ſacris locum facerent. Dicendum proinde apud Iotrum, ſicut in aliis Parthenonibus paſſim, duos fuiſſe conventus tantiſper diſparatos, Sanctimonialium unum, alterum Monachorum, à quibus illæ regerentur. Sic in Parthenonibus S. Romarici in monte Habendenſi, S. Salabergæ in Monte-Clavato, S. Gertrudis apud Niviallam, S. Bathildis apud Kalam, & aliis, binam fuiſſe congregationem, virorum ac Puellarum, obſervavimus. Niſi fortè quis dicat, Adonem primùm quidem Radolienſe* Virorum Monaſterium in quo ipſe vixerit ædificâſſe: ac deinde Iotrum Parthenona quod Virginibus ſacris commiſerit. Certè Iotrum unius anguſtæ vallis intervallo & Mucræ minoris amnis interlapſu à Radolio disjunctum eſt. Iotrum anno circà* DC. XXX. *ab Adone conditum fuiſſe colligitur ex Iona Monacho, qui anno circà* DC. XLIII. *Vitam S. Columbani ſcribens, Iotri Monaſterij meminit. Iſtud Monaſterium hodie quoque florentiſſimum multis gaudet Privilegiis, in Iure inſertis,* Extra de Privil. c. Ex parte. *Radolium ad Matronam fluvium ſitum, eſt Prioratus Cluniacenſi Monaſterio ſubjectus. Ad Theodechildem veniamus.* Ado cujus loci Monachus? * Reïtil

5. THEODECHILDIS * *Agilberti Occidentalium primò Saxonum, deinde Pariſiorum Epiſcopi ſoror fuiſſe fertur. Aſſumpta videtur ex Parthenone Eboriacenſi, nunc S. Faræ dicto (quod quidem & religione celeberrimum, & Iotro vicinum erat) in regimen Cœnobij Iotrenſis. Quamdiu præfuerit, vel quid rei inibi geſſerit, incompertum. In perantiquo & eleganti S. Pauli primi Eremitæ Oratorio, quod in cœmeterio Iotrenſis Eccleſiæ parœcialis hactenus ſubſiſtit, columnis marmoreis ſubnixum, viſuntur tumuli ſex è terra prominentes, in quibus ſepulti fuiſſe dicuntur ſancta* THEODECHILDIS, *S.* AGILBERTUS *Pariſiorum Epiſcopus Theodechildis frater*; S. EBREGISILUS *Meldenſis Epiſcopus*; S. AGILBERTA & S. BALDA *Abbatiſſæ Iotrenſes*, S. HERESWIDA *ſoror S. Hildæ, mater Adulfi Regis Anglorum Orientalium, quam tamen Venerabilis Beda in Hiſt. lib. 4. cap. 23.* in Monaſterio Kala peregrinam pro Domino vitam duxiſſe *ſcribit: Sextus ingentis molis tumulus, cujus ſit ignoratur. Si conjecturis uti licet, Adonem Iotri conditorem in eo fuiſſe humatum opinamur. Vnde ob viri meritum aliis tumulis paullo inſignior eſt conceſſus. In ſepulchri S. Theo-* Theodechildis geſta & Epitaphium. * Thechilde

CIRC. AN. DC. LX. OCTOB. X. *dechildis antica parte hæc verba leguntur veterrimis characteribus ac pænè detritis exarata:*

HOC MEMBRA POST ULTIMA TEGUNTUR FATA SEPULCHRO BEATÆ
THEODIECHIELDIS INTEMERATÆ VIRGINIS GENERE NOBILIS.
MERITIS FULGENS, STRENUA MORIBUS, FLAGRAVIT IN DOGMATE FAME.

In postica verò tumuli parte:

CENUBII hujus MATER SACRATAS DEO VIRGINES,
SUMENTES OLEUM CUM LAMPADIBUS, PRUDENTES INVITAT
SPON... JAS. SO., TURRI REX PM. H. Æ*.. DEMUM
EXULTAT PARADISI ADEPTA TRIUMPHOS.

*f. post metam hujus ævi.

Anno sæculi decurrentis M. DC. XXVII. *Illustrissimus D. Cospeanus Lexovien sium Episcopus sacras B.* THEODECHILDIS *&* AGILBERTÆ *Reliquias è tumulis levatas argenteæ thecæ deauratæ sollemniter inclusit, & cum aliis aliorum Sanctorum ossibus in Sanctimonialium Basilicam transtulit. In tumulo sexto nihil reliquiarum inventum est. S. Theodechildis* VI. *Idus Octobris colitur, quam ad annum* DC. LX. *pervenisse colligitur ex S. Bertiliæ Vita, in qua S. Bathildis* Domnam THEUDECHILDEM Abbatissam poposcisse *dicitur*, ut ex suo Monasterio aliquas famulas Dei sibi destinaret, quæ suum regere deberent Cœnobium, *nempe Kalense, quod anno circà* DC. LVI. *constructum est.*

CIRC. AN. DC. LXIV. SEPT. III.

VITA S. REMACLI EPISCOPI TRAJECTENSIS,

Auctore Monacho Stabulensi anonymo, qui sæculo IX. vixit.

Ex apographo Cisterciano eruta à R. P. D. Iacobo Lannoio.

OBSERVATIONES PRÆVIÆ.

Vitæ Scriptores. I. SANCTVS REMACLUS *seu* REMACLIUS *Sollemniacensis primùm Abbas, dein Tungrensium seu Trajectensium Episcopus, ac demum relicto Episcopatu Abbas Stabulensis, Scriptores Vitæ suæ habuit tres: primum anonymum Monachum Stabulensem; alterum* NOTGERUM *Leodiensem ab anno* CM. LXXI. *ad* M. VII. *Episcopum; tertium* HARIGERUM *Abbatem Lobiensem, Notgero æqualem & amicum, qui in libro de gestis Pontif. Leodiensium cap. 47. & sequentibus Acta S. Remacli fusè persecutus est: cui etiam* ÆGIDIUS *Leodiensis Canonicus Additiones adjecit. Vnum hìc exhibemus Anonymum nusquam hactenus vulgatum, aliis antiquiorem: de quo paucis agendum.*

2. *Anonymus iste se Monachum fuisse satis prodit. num. 2. & quidem Stabulensem num. 11. dum res Monasterio Stabulensi à Sigiberto Rege concessas ad suum usque tempus* inconvulsè possideri *affirmat. Quod ampliùs declarat in subjecto Miraculorum libro, cujus etiam auctor esse videtur.* Eo tempore, *inquit num. 2.* quo fabrica Ecclesiæ nostræ agebatur *&c. Denique ex miraculis à se descriptis nonnulla propriis sibi cognita oculis testatur, & num. 6. Abbatem Stabulensem,* Abbatem nostrum *appellat. Vivebat non multo post Ludovici Pij principatum, de quo in eodem libro Mirac. num. 5. agit. Id certò confirmatur ex Epistola Notgeri Episcopi Leodiensis* ad Werinfridum Abbatem Stabulensem, *Vitæ S. Remacli ab ipso Notgero scriptæ præmissa, in qua hæc verba:* Obtulisti libellum de Vita tam nostri quàm vestri specialis Patroni, domni scilicet Remacli, conquestus propter incuriam tamen prædecessorum vestrorum breviùs, quàm ut res expostularet, pro magnitudine gestorum ejus esse editam. Simúlque visus es, ut ne dicam precari, sed potiùs exhortari, ut eam non modò exemplari, verùm aliquanto lepidiùs mandarem poliri: tum quòd gestorum illius aliunde sumptorum suppetat copia; tum quòd temporum, quorum diversitas nunc maximè scitu opus est, ex Chartulario vestro non desit noticia. *Cùm ergo Notgerus id sub finem sæculi x. scripserit, Anonymi lucubratio uno minimùm sæculo præcedere debuit. Denique Auctor num. 16. opus à se susceptum dicit hortatu Airici Abbatis Indensis, qui principatu Lotharij Imp. Indæ præfuit.*

*Sur. 3. Septemb.

Sollemniaci Monasterij initia. 3. *S. Remacli memoria, quæ in antiquis Martyrologiis Vsuardi, Vvandalberti, Adonis, Hrabani & Notkeri desideratur, celeberrima est tum in diœcesi Leodiensi Monasteriisque Malmundarien si*

rienſi & Sabulenſi, de quibus infrà, tum in Monaſterio Sollemniaco, cujus primus Abbas fuiſſe dicitur. Sollemniaci Cœnobij primordia deſcribit S. Audoënus in lib. 1. cap. 15. Vitæ S. Eligij, qui Eligius à Rege Dagoberto expetivit villam quamdam in rure Lemovicinno cognominante Sollemniaco: quo in loco primum ac potiſſimum virorum Dei conſtruxit Monaſterium, ubi etiam Abbate conſtituto multos ex ſuis vernaculis mancipavit, plures quoque ex diverſis provinciis uſque ad centenarium, quem quinquagenarius ſupergreditur numerus, Monachos congregavit, redditus etiam terræ qui affluenter ſufficere poſſent delegavit. *Locum variis locupletavit muneribus*, intantum ut pravi quique ingenti ex hoc ſuccenderentur invidia. Cogitabat enim & ipſe demum eodem ſe mancipare Monaſterio, niſi eum alio in loco Dei obligaſſet diſpenſatio. *Et tamen Vitæ S. Remacli Scriptores Eligium Sollemniaci Monaſterij Rectorem, & S. Remacli in rebus Monaſticis inſtitutorem faciunt: quod homini laico & aulico, qualis tum Eligius erat, non convenit, nec cum Audoëni narratione conſentit. An primus Sollemniaci Abbas fuerit Remaclus, certò definiri non poteſt. Si ejus Actis hac in parte fidem adhibemus, in illo Monaſterio antequam regimen Abbatiale obtineret, militavit novitius ac tiro ſub aliquo Abbate, quem S. Audoënus non nominat. Initia Monaſterij anno x. regni Dagoberti* (*Chriſti* DC. XXXII.) *Robertus in Gallia Chriſtiana illigat, idque ex Charta fundationis probat.* CIRC. AN. DC. LXIV. SEPT. III. Abbas primus.

4. *Locus ſic deſcribitur in lib. 1. Vitæ S. Eligij cap. 16.* Eſt autem id Cœnobium haud procul à Lemovica urbe ſitum, ſex circiter millibus ad plagam diſtans meridianam: ambitur verò in ſphærico muro, non quidem lapideo ſed foſſato ſepi munitum, decem fere ſtadiorum habens ſpatium in circuitu: ex uno quidem latere munitur optimo flumine (Briancia) ſuper quem mons excelſus ſilvâ opertus ac prærupta valde eminet rupes. Omne autem ſpatium Monaſterij arbuſta diverſi generis pomifera occupant: ſicque illic ſegnis animus recreatur, acſi partem amœnitatis paradiſi ſe occupâſſe gratuletur. *Regulam Monachis Sollemniacenſibus impoſitam ſatis indicat Audoënus cap. 21. his verbis:* Præter Luſſedium ergo, quod ſolum (ut dictum eſt) diſtrictionem Regulæ ſollerter tenebat, Sollemniacenſe Monaſterium in partibus Occiduis hujus Religionis exſtitit caput, ex quo demum multi ſumpſerunt & initium & exemplum: adeout nunc quoque propitia Divinitate innumera per omnem Franciam & Galliam habeantur ſub regulari diſciplina alma utriuſque ſexûs Cœnobia. *Et ex primario ejuſdem Cœnobij Inſtrumento patet*, eam interpoſitam fuiſſe conditionem, ut Religioſi tramitem Religionis ſanctiſſimorum virorum Luxovienſis Monaſterij conſequerentur. *Neverò quis putet, S. Columbani Inſtituta excluſâ S. Benedicti Regulâ hoc loco intelligenda eſſe, occurrit Privilegium dicto Monaſterio in Synodo Sueſſionica anno* DCCC. LXVI. *conceſſum, in quo hæc leguntur:* Bernardus Abba ex Monaſterio Sollemniaco nuncupato.... innotuit Regiæ dignitati noſtræque Synodo reſidenti, qualiter vir venerabilis atque beatiſſimus ELEGIUS Viromandenſis Eccleſiæ Epiſcopus, amore ſupernæ hereditatis accenſus, Cœnobium ipſum in Lemovicino rure quod Sollemniacus vocatur, in honore omnipotentis Dei & veneratione beatorum Apoſtolorum Petri & Pauli, ac Martyrum Dionyſij & ſociorum ejus, Criſpini atque Criſpiniani, necnon & Pancratij, ſeu & Confeſſorum Martini, Hilarij, Medardi, Remigij & Germani, ſuo opere ædificare ſategit, Monachóſque ibidem inſtituit, qui & Divinam in eodem loco exercerent militiam, & pro Eccleſiæ totius ſtatu ſupernam implorare decertarent clementiam: & quomodo per teſtamentum firmiſſimum propria ſanctiſſimáque ſua manu atque aliorum qui in ſuo teſtamento releguntur Epiſcoporum ſanctorum corrobavit devotiſſima atque promptiſſima voluntate, idem Monaſterium Monachis in eodem degentibus ac ſucceſſoribus eorum in venturis generationibus jure tradidit Eccleſiaſtico necnon hereditario: Eo videlicet tenore, quatinus ſub tuitione, atque quem trito ſermone mundeburgo vocant Dagoberti Regis qui tunc temporis apicem Regni tenebat, & ſucceſſorum ejus, ſine aliqua contradictione ſive aliquorum hominum infeſtatione in facultatibus eorum viverent, & normam S. BENEDICTI inviolabiliter tenerent. *Lege Martini Papæ Privilegium* anno* DCCC. XXCV. *eidem Monaſterio conceſſum.* Situs & Regula. *Sirmond. Tom. 3. Conc. Gall. p. 301. ex autographo.* * *ibid. p. 320.*

5. *Quanta verò Monaſticæ religionis perfectio in eodem Cœnobio antiquitus viguerit, præter ea quæ ſuperiùs retulimus, declarat Audoënus in lib. 1. Vitæ S. Eligij cap. 16.* Quo in loco, *inquit,* ipſe acceſſi, & tantam ſacræ Regulæ obſervantiam vidi, ut pæne ſingularis ſit vita eiſdem Monachis præ ceteris Galliæ Monaſteriis, *&c. Pridem ejuſdem ſanctæ Regulæ cultus ibidem ſub Congregatione S. Mauri reſloreſcere cœpit.* *Lege To. 2. Hiſt. Cheſnij, p. 400.*

PROLOGUS AUCTORIS.

1. CUM ſit ſtudium Gentilium ſua figmenta & vanos ritus errorum luculenter aptare obſcœnis carminibus, eáque commendent in perpetuam memoriam ſibi ſubſequentibus; cur ego ſileam, nec proloquar manifeſta opera Chriſti, quæ innumerabiliter per Sanctos ſuos non deſinit agere virtute Divina, cùm poſſim vera effari in laude magnifici Dei, qui tantam honorificentiam præſtat famulantibus ſibi tam mirifica operando?

INCIPIT VITA.

CIRC. AN. DC. LXIV. SEPT. III.

2 IGITUR ex Aquitaniæ partibus oriundus fuit vir per omnia vita & nomin venerabilis REMACLUS[a], parentibus nobilis, ſed fide nobilior. Pater eju dictus eſt ALBUTIUS, mater verò MATRINIA eſt vocitata, ſecundùm ſæculi di gnitatem in facultatibus rerum admodum pollentes, ſicut traditio poſſeſſionun ejus ad nos facta teſtatur. Qui cùm enutritus à parentibus ſublimiter, prout il lis ſuppetebat plurima copia ſæcularium facultatum, jam bonæ indolis totiu ſuavitatis fructum ferentem, tradunt eum B. ELIGIO[b], viro in omnibus meriti præferendo ſacris inſtitutionibus Monaſticæ diſciplinæ inſtruendum SOLLEM NIACO Monaſterio, quod ipſe Pater pio opere in ſuo proprio ſolo conſtruxit. In tantum enim adhæſit ſancti viri monitis, ut non ſolùm non fieret ſegnis exſecu tor verbi Divini, verumetiam intantum crevit in eo virtus Divina, ut maxim ibi exempla religioſæ converſationis monſtrando, in vigiliis pernox, in oratio nibus continuus, in abſtinentia præcipuus, in univerſa morum probitate præ clarus eniteret. Adeout prædictus vir omnem curam gregis ſibi commiſſi illi tra deret, & ſeipſum ſervitio palatii, ſicut compellebatur, ſollicitus exhiberet.

Remaclus nobilis Aquitanus in Sollemniacenſi Monaſterio educatus.

a

b

3. Poſt aliquantum verò temporis fama vulgante per totam Galliæ provin ciam auditum eſt de vita & & actibus beati viri ſæpe memorandi Remacli, & ac aures Procerum qui tunc temporis palatio præerant, perlatum eſt, quòd tant ac talis arbor germina protuliſſet. Nec potuit volente Domino lumen irradia tum gratiæ ejus ſub modio occultari, ſed ut ſplenderet omnibus in propoſito fi dei commanentibus, lychnus ſuperpoſitus eſt candelabro, ac denudatum eſt ir Regalibus aulis tam magnificum virum non debere præſentiæ Regis abeſſe, ut ejus prudentiâ diſponerentur regni negotia. Unde factum eſt, ut evocatus hono rificè, ut decebat, ad limina perduceretur palatii, magnum omnibus futurus ſo lamen, ſicuti poſtea eventus rerum perdocuit. In tanta enim eſt habitus digni tate, ut infulas Sacerdotales adeptus, acclamante populo dignum fieri talem Doctorem Præſulatûs gerere officium, qui tantam gratiam à Deo percepiſſet, ut etiam in neceſſitate omnibus ſubveniret.

In aulam evocatus fit Sacerdos.

4. Interea vir Dei ſancto Spiritu plenus, ordinante Dei providentiâ ſubroga tur Tungrenſium[c] Sedis Epiſcopus[d], ut verbi ſemina in plures funderet, quæ in ſemet diu manentia occultabat. Quis verò enarrare ſufficiat quanta illi fuerit cura pauperum victûs, cùm ſit factus orphanorum pater, viduarum pius adjutor, infirmorum benigniſſimus conſolator, omniúmque neceſſitatibus largiſſimus procurator? Virtus itaque humilitatis tanta in eo refulſit, ut cunctis inferiorem ſe cuperet æſtimari, quò fieret juxta Apoſtolum forma omnibus, ne incideret in illius ſententiæ opprobrium, ne fortè aliis prædicans ipſe reprobus efficeretur.

Epiſcopus deinde Tungrenſis.

c

d

5. Nec prætereundum præterea puto, immo magis eſt explicandum, quòd vir Deo plenus, etiam præſcius futurorum fuit, quod ſibi collatum munus Divi-

S. Trudo ab Angelo de adeundo Remaclo admonetur.

a Remaclus in diœceſi Biturica *nativitatis exordia ſumpſiſſe* ab Harigero dicitur.

b Harigerus & Notgerus ſcribunt: *Educatus eſt puer ſub* B. SULPICIO, *in cujus veneratione conſtat ab eodem ſancto viro plurimas in noſtra diœceſi poſtea ædificatas Eccleſias. Poſtea jam adultus beato traditur Eligio.* De conditu Sollemniaci Monaſterii in Obſervat. prævis egimus.

c Id eſt Trajectenſium. Nam licet Epiſcopalis Sedes ex urbe Tungris Trajectum à B. Servatio Epiſcopo tranſlata fuiſſet, ut latè & eruditè docet Henſchenius in Diatriba de Epiſcopatu Trajectenſi; nonnumquam tamen prioris Sedis nomen Epiſcopis Trajectenſibus attributum legitur. Ex civitate Trajecto vulgò *Maëſtrich*, ad Moſam, poſtea Sedes Leodium auctore S. Hucberto migravit.

d Nimirum poſt abdicationem S. Amandi, uti Harigerus & Notgerus hoc loco rectè habent, non verò poſt Landoaldum, quem Notgerus in Vita S. Landoaldi ſui non ſatis memor, Ægidius Leodienſis Canonicus, & alii nonnulli Epiſcopum perperàm fingunt, & Amandum inter Remaclúmque medium collocant. Amandus anno circà DC. L. Trajectenſem Pontificatum abdicavit, ut in ejus Actis anno 679. dicemus. *Multo tempore Pontificalis Sedes vacavit*, ſi Harigero fides eſt, qui Remacli ordinationem non bene dilatam ſcribit ad principatum Sigiberti, ſiquidem Sigibertus Auſtriæ Regnum ante Amandi promotionem adminiſtrabat. Poſt Amandi abdicationem aliquamdiu dilatâ ſucceſſoris electione, tandem cùm ad reſumendas habenas Amandus adduci non poſſet, Remaclus anno circà DC. LII. ſuffectus eſt.

na fuiſſe revelatione manifeſtiſſimè comprobabitur. Qui dum feliciſſimo curſu pro Eccleſię gubernaculis cura pervigili, prout erat devotus, quotidie attentiùs decertaret, quatinus Largitori omnium quos poterat à luporum faucibus eripere commendaret, ut reportans veniente Chriſto manipulos, mercedem operis commiſſi, glorię immarceſſibilem coronam percipere mereretur; contigit ex Haſbaniæ finibus beatum TRUDONEM* puerili adhuc ætate florentem primos boni operis uberrimos emittere fructus. Et quia erat ex magna proſapia natalium ortus (ſicut ſchedula geſtorum illius commendat) enutriri paullatim in eo igne Divini amoris accenſo virtutum copia cœpit. Ad hoc enim uſque Spiritûs-ſancti gratiâ tactus eſt, ut voto ſe obſtrinxerit, ſi aliquando ſacros apices plenè addiſceret, in ſuo proprio Eccleſiam deberet conſtruere, & ibi Domino jugiter famulari: quod poſtea Chriſto auſpice ſollemniter adimplevit. Nam dum tali flagraret deſiderio, viſione nocturna corripitur, & Angelica admonitione perdocetur in hæc verba: Frater Trudo, ſcito vota tua, quibus te obligaſti à pueritia, & preces quas humiliter fudiſti, in conſpectu Dei cæli eſſe acceptas: & quidquid in animo tuo boni deſiderii verſatur, ipſe tibi præbebit aſſenſum. Nam ſapientia implebit cor tuum, & erudiet te mandatis ſuis, ac monita ſua exarabit in ſecreto pectoris tui, & ut concupieras ad Eccleſiaſticæ dignitatis pervenies gradus: quia petitio tua juſta eſt, placitáque Deo. Adjecit quoque idem vir vultu fulgenti affari eum: Surgens igitur perge ad B. Remaclum Pontificem Tungrenſis Eccleſiæ, qui eſt haud procul à loco quo nunc es: illi enim revelavit Deus omnia quæ tibi conveniunt agere, ipſéque diriget greſſus tuos ad omnia quæ deſiderat anima tua.

CIRC. AN. DC. LXIV. SEPT. III.

* *Vita infrà.*

6. Quo audito vir Deo confiſus de viſione Angelica ſurrexit properè gaudens, & cœpit veloci greſſu tendere ad locum, ubi ſanctus vir eo tempore in cura regiminis deſudabat. Cúmque non longè eſſet à villa ubi Domnus Antiſtes reſidebat cum ſuis famulis, ilico cognito per Spiritum, ſicut antea illi fuerat cælitus nuntiatum, ait pueris ſuis: Surgite in occurſum viri Dei qui ad viſitandum nos venit, & cum omni reverentia eum excipite & ad me introducite: ite velociter jam enim appropinquat. Illis ergo juſſa perficientibus perduxerunt eum ad Epiſcopum. Intuitus autem eum pius Pater continuò ſurrexit & ruit in oſcula, flens largiter præ nimio gaudio ſuper collum ejus. Cúmque vellet electus puer ſe ſacris veſtigiis ejus provolvere, elevavit eum cum humectatione genarum talia proſequendo: Sit tibi, Domine JESU bone, viſitator animarum, gloria, laus & jubilatio per immortalia ſæcula ſæculorum, qui voluiſti nos in hac die confortare de viſitatione famuli tui. His dictis adjecit ad hæc beatus Sacerdos dicens: Sed & tu, fili mi, ſis benedictus à Deo altiſſimo, qui te dignatus eſt ad nos dirigere: ipſéque poſthæc adimpleat omnia quæ deſiderat anima tua, perficiens voluntatem cordis tui. Scito ergo quia ab hac hora filius mihi vinculo caritatis conjunctus eris, & ego ſpiritualis Patris tibi perenniter jura retinebo. Mihi enim ſervo ſuo revelare dignatus eſt Deus cuncta quæ ſunt in animo tuo, & quidquid ſuper hoc agere te oporteat à me perdoceberis: quia uti jam effatus ſum, ſermo Dei ad me factus eſt. Ego namque per Spiritum didici, quòd in pueritia tua jurejurando firmaſti Eccleſiam in tua hereditate auxiliatore Deo conſtruere, & ibi omni aſſiduitate Chriſto militare. Unde ſcias te beato Protomartyri Stephano poſſeſſiones tuas tradere, ibíque ab inhabitantibus perfectè Scripturas ſanctas percipere: poſthæc remeabis cum honore plenus doctrinâ ad locum tuum, ac ſicuti pollicitus es, ædificabis Eccleſiam in quo volueris loco.

A Remaclo exceptus, de agendis informatur.

7. Hæc & alia exhortationis verba à præfato venerabili Remaclo commonitus eſt ſacratiſſimus puer, quem deoſculans diutiſſimè Pontifex dimiſit in pace, inquiens pueris ſuis: Deducite eum cum magna reverentia, quia Dominus reſpicit cor* ejus. Illi verò velut negligentes propter habitum indumenti derogare ei cœperunt dicentes: Ecce quàm vilis factus eſt hodie dominus noſter, qui iſtum pauperculum tam deformia veſtimenta habentem juxta ſe collegit, ac ei

Trudo ab Epiſcopi miniſtris deridetur.

* *al.* item

CIRC. AN. DC. LXIV. SEPT. III.

tantum honorem exhibuit. Cúmque derogarent ei tacitis hujuſcemodi verbis, iterum per ſecretum nuntium, qui illi diuinitùs miſſus ſemper aderat, commonitus vir Dei increpavit eos durè talia fando: O infelices, quare ad vultus hominum reſpicitis & ad vilia indumentorum tegmina, cùm magis mentes hominum actúſque dijudicet Inſpector animarum noſtrarum? Agite ergo pœnitentiam erratuum veſtrorum, quia inſipienter locuti eſtis. At illi provoluti pedibus ejus veniam precabantur fatentes: Ignoſce nobis, pie Pater, quia ignoranter peccavimus: parce delinquentibus quod inſipienter egimus. Et ille: Data ſit, inquit, vobis à Deo indulgentia, ſed videte ne ulteriùs tale crimen incurratis.

8. Ad comprobandum itaque quanti meriti vir iſte fuerit, cui intantum famulabantur Angeli Dei, ut abdita ſecretarum rerum, quæ in conſpectu Conditoris retinebantur, huic fierent manifeſta ac præjudicio ejus diſponerentur; ſupramemorata adnotare curavi, ne aliquis perverſæ mentis aut diaboli arte deceptus detrahere audeat (quod fieri non credo) tam magnificum & electum Chriſti militem, talenti crediti ſervatorem, & cum lucro ad Dominum gemina dona ferentem. Quis enim enarrare ſufficiat, quàm ſanctè & juſtè dereliquo converſatus, quantáve ſollicitudo illi cuſtodię debitæ fuerit, monendo ſcilicet omnes ut à lenociniis hujus mundi ſe abſtinerent, à curis ſæcularibus greſſum retraherent, in lege mandatorum Dei perenniter durarent? His & ejuſmodi adhortationibus creditam ſibi plebem in timore Dei vel amore confirmans, majore cœpit animi alacritate flagrare, quò liberiùs ſive devotiùs cor erigere ad contemplanda cæleſtis vitæ paſcua valuiſſet.

Remaclus auctor eſt Sigiberto condendi Stabulenſe Monaſterium.

9. Interim dum in hoc tenore propoſiti, fide accinctus, ſpe munitus, caritate fundatus perſeveraret, contigit Deo favente jubere piis Principibus Francorum SIGIBERTO Rege & GRIMOALDO Duce ex voluntate Dei & conſilio Optimatum ſuorum, ut conſtruerentur infra foreſtem Monaſteria [a] ſita in pago qui Arduenna dicitur, cognominata STABULAÜS* ſive MALMUNDARIUM* in quibus commanerent religioſi Monachi, qui ſpiritualiter inibi Chriſto famularentur, & pro totius ſtatu Regni & Regis ſalute vel filiorum, ſive curam Regni exercentium, omnipotentem Dominum exorarent. Tunc cœperunt ædificari attentiùs, & ut adſolet in tali opere, virtus Divina ſubſecuta eſt, proſperóque ſucceſſu velociter adimpleta ſunt. Cúmque adeſſet tempus ut Eccleſiæ novâ materiâ ornatæ dedicarentur, mittens præfatus Rex ad B. Remaclum Epiſcopum, quia alterum eorum, id eſt Stabulaüs ad ejus pertinebat diœceſim; alterum verò, id eſt Malmundarium, quia ad Metropolim reſpiciebat, cum conſenſu CHUNIBERTI qui erat Metropolitanus Agrippinæ, evocavit eum, ut ſicut conveniebat ejus miniſterio eas dedicaret. Quod ſanctiſſimus ilico obaudiens, cum magna diligentia explevit opus ſibi commiſſum, quod ejus dudum diſpoſitione fuerat actum: quia cùm eſſet Regi & primis palatii propter maximam ſanctitatem vicinus ac amatus, nihil præcipuum abſque ejus conſultu fiebat. Unde actum eſt, quia tam carus eis habebatur, ut Miſſarum peractis ſollemniis traderet

a * *Stavelo* * *Malmedie*

a Apud Harigerum cap. 50. Remaclus *Cœnobiorum plurimorum fundator, & diſcipulorum multorum*, quos inter Theodardus, Lambertus ſed hic perperàm, Hadelinúſque cap. ſeq. numerantur, *pater & inſtitutor* fuiſſe dicitur. Idem Auctor cap. 54. vocat Remaclum Proviſorem & Inſtitutorem Cœnobij, à Sigiberto Rege *in honore Apoſtolorum Petri & Pauli, ſanctique Evangeliſtæ Iohannis* conditi, *in loco qui vocatur Caſa-congidunus ſuper Seſmarum fluvium*: (ubi hactenus Prioratus in vico *Cougnon* vulgò appellato, inter Chinium & Bullonium, *Chiny & Boüillon*) *quem locum tandem faſtidiens, quòd undique premeretur à circumhabitantium & potentium turbis; conveniens ſuper hoc Sigebertum Regem, ut in Arduenna partibus, loco qui Stabulaus nominatur, Cœnobium conſtrueretur, precibus obtinuit: cujus operis à præfato Rege Proviſor & Rector eſt inſtitutus.* Cùm Arduennæ ſaltum luſtraret, *reperit loca idololatriæ quondam mancipata*, inquit Harigerus cap. 55. *Et quia eumdem locum à ſuperſtitionum emundavit pollutione, Malmundarium, quaſi à malo mundatum, placuit vocitare. Oratorium illic adificavit* &c. Idem cap. 56. *Quia verò Cœnobium illud in Colonienſi parochia fuerat fundatum, ad aliud quod ſuæ Diœceſis limite clauderetur, ſe contulit conſtruendum*, in loco ſcilicet cujus *vocabulum erat Stabulaüs ob confluentiam ferarum undique illuc vel ad potum vel ad paſtum concurrentium, velut ad ſtabulum inditum.* Utrumque Monaſterium anno VI. Epiſcopatus S. Remacli hoc eſt anno Chriſti DC. LXVIII. inceptum, poſt annos tres dedicatum eſt, uti ex MS. Chronico Trudoniano Henſchenius in Comment. ad Vitam Sigiberti Regis §. 10. die 1. Febr. probat. Perſtat uſque hodie utrumque Monaſterium Ord. S. Bened. de his aliàs.

ei prædicta loca jamdictus Majordomus Grimoaldus ſua ditione cuncta ordinari, & Monaſticæ vitæ inſtituta illic ſervari. CIRC. ANNO DC. LXIV. SEPT. III.

10. Poſt non multum verò temporis impetravit tandem à Rege, quatenus relinquens ſucceſſorem[a] poſt ſe in ſede Pontificali, ut diu deſideraverat, hunc eremi locum adiret, & ibi ab hominibus remotus ſoli Deo vacaret. Quantus autem luctus de abſceſſu Paſtoris fuit, quámque mæſtos reddidit quibus ſemina vitæ contulerat, cùm viderent orbatos ſe eſſe diſceſſu Doctoris & Patris. Aiebant ergo: Quid facturi ſumus nos miſeri, qui talem amittimus Paſtorem? Unde recipiemus conſolationem, cùm ipſe eſſet conſolator & munimen? Unde nobis ſpes cùm deſtituimur tanto Paſtore? Hæc & his ſimilia cum ejulatu proclamantibus, commendans eos opifici Deo, ſæculum omne pro nihilo reputans, uni Domino placere deſiderans, Monaſterium petiit, ſolitariam concupiſcens ducere vitam. In Monaſterium ſe recipit. a

11. Audientes autem hoc religioſi viri vel è vicino ſeu ex remotis undique partibus, cœperunt confluere ad doctrinam ejus, videntes ſapientiam Dei eſſe in eo ad perficiendum quæcumque juſta & digna Deo accepta habentur. Nam ita erat aſſuetus in operibus Divinis, ut nullum omnino pertranſiret tempus, quo non eſſet pſalmis vel orationibus ſive lectioni intentus. Manens itaque pervigili cura abſque ulla reprehenſione in Monaſticis documentis, multos virorum nobilium animos convertit, ut imitatores fierent illius vitæ, cujus erat doctrina perfecta; quia quod ore docebat, opere adimplere curabat. Unde factum eſt, ut creſcente religione creſceret etiam cenſus ejuſdem Eccleſiæ in uſus ibidem ſervorum Dei famulantium. Nam audientes cultum hujuſmodi Religionis jamdicti piiſſimi Principes, evocantes B. virum, tradiderunt ei ex ipſa foreſte duodecim leugas[b] in longitudine, ſimiliter & in latitudine: in quo ſpatio nullus contradictor exſiſteret ſuæ ditioni vel ſuccedentium ei, ut quietè Deo militarent: necnon etiam affirmaverunt teſtamento cum ſigillis Imperialibus, ut ſtabile illud omni tempore duraret: quod Pater ſanctiſſimus ſuſcepit libenter, ac tenuit conſtanter. Verùm non multo poſt ipſum ſpatium abbreviare ſtuduit, ut ſine impedimento fieret ſequacibus, & ſine ullo obſtaculo Rectores loci poſſent ſervare: quod ad noſtrum uſque tempus inconvulſum durare videtur. Patris ergo monitis devoti obſequentes diſcipuli, inſtitutiones Regulares haud ſegnes exſequuntur, prout Doctorem ſuum prorſus omni hora videbant laudibus Divinis attentiùs inhærentem, ac diu propoſiti vota ſervantem. Hiſce palæſtricis diſciplinis diutiùs immorantes, tandem repromiſſam gratiam Domino, ut credimus, tribuente indepti ſunt. Monaſterium cenſu & perſonis auget. b

12. Is autem pius Sacerdos in agonis triumpho poſitus, armatus fide contra nequitias ſpirituum immundorum ſi qui conati ſunt adverſum religionis Divinæ cultum obſiſtere, votúmque animi ejus, prout erat in Chriſto ſtabiliter fundatus, dejicere, ſtudebat magnopere hoc irrumpere continuis Scripturarum documentis, orationi inſtando, jejuniis carnem macerando, vigiliis pernoctando, eleëmoſynas largiendo, exemplis potiùs quàm verbis illud Apoſtoli proclamans: *Mihi vivere Chriſtus eſt & mori lucrum.* In hac ergo conſtantia animi immobiliter perdurans, tandem accumulatum, ut ita dixerim, boni operis olim ſibi traditum talentum Exquiſitori ſuo reddere cupiens, maximè cum voce Domini audita clamantis ad ſe ac dicentis, Euge ſerve bone & fidelis, quia ſuper pauca fuiſti fidelis, ſupra multa te conſtituam, intra in gaudium Domini tui; hujus optati gaudii compos fore * deſiderans, & has preces quotidie perſolvens, ultimo jam ſenio feſſus, valedicens omnibus eóſque opifici Deo commendans, metam Moritur ac ſepelitur. *Philip.* 1. 21. *Matth.* 25. 21. * eſſe

a *Ex permiſſu Regis*, inquit Harigerus cap. 57. *& Principum & Cleri ſibi commiſſi, totiúſque plebis aſſenſu*, S. THEODARDUM *probabilis vitæ virum ſibi ſuccedere inſtituit, & in Stabulaüs Monaſterium feceſſit.*

b Id Sigiberto Regi acceptum refert Harigerus, cap. 59.

CIRC. AN. DC. LXIV. SEPT. III. mortis attigit, beatámque cælo animam reddidit[a]. Cujus corpus, ut decuit, honorificè cum hymnorum dulcibus melodiis ſepulturæ traditum in magno ſervatur honore, præſertim cùm floreant ibi plurimarum virtutum inſignia ad laudem & gloriam nominis Chriſti, qui ſibi fideliter ſervientibus innumera dona conferre dignatur[b]. Celebratur autem Depoſitio ejus tertio Nonas Septembris, regnante Domino noſtro JESU-CHRISTO, cui eſt laus, gloria & jubilatio per immortalia ſæcula ſæculorum, Amen.

a

b

MIRACVLA S. REMACLI.

1. POST expletum namque glorioſiſſimi agonis omnibus ſæculis laudabilem triumphum, quo depoſito carnali indumento immarceſſibilem gloriæ idem nactus eſt coronam, ad comprobandum quanti meriti, quantæque ſanctitatis beatus vir iſte fuerit, noluit pius Dominus occultum manere quod apud illum non latebat; ſed fieret quoque hominibus clarum quanta gloriâ ille polleat in cælis, cui tanta miracula quæ noſtris adſpectibus conceſſa ſint videre, præſtat agere in terris. Non enim audemus ſilere quæ novimus, ne quaſi deſides & tardi ad opera Chriſti enarranda vel miranda dijudicemur. Verùm nec alia niſi ea quæ relatu veracium hominum didicimus, vel ipſi oculis perſpeximus dicere volumus, ne culpâ mendacii arguamur. Unum ergo illius miraculorum in exemplum referamus, ut pòſt faciliùs reliqua credibilia eſſe comprobemus.

Contractus ſanatur.

2. Eo namque tempore quo fabrica Eccleſiæ noſtræ agebatur, contigit adeſſe ibi quemdam Joſeph nomine, qui tam curvus erat, ut ſupra genua incumbens caput ſurſum erigere non poſſet; ſed neque penitùs immobile uno in loco tenere diutiùs valebat. Qualiter autem illi acciderit referebat, quia dum eſſet ſolus poſitus cum ſuo equo in campo vicini ſui, ejuſque herbam injuſtè depaſceret, à fulguris igne divinitùs percuſſus, ita exuſtus eſt, ut mox capite depoſito curvus videretur. Quadam verò nocte quæ Dominica dicitur, dum ad perſolvendum Divinum Officium Fratres devoti inſiſterent, ecce idem debilis in pavimento Templi proruens, magnis clamoribus totam Eccleſiam replevit, intantum ut præ nimio pavore hi qui ad vigilias obſervandas aderant, veloci curſu loca altaris irreverenter irrumperent, neſcii quid illis agere conveniret. Interea religioſi Monachi hymnos matutinos ſublimiter in laude Dei prout erant aſſueti percelebrantes, veniunt videre quid clamoſis vocibus languidus pateretur: eúmque intuentes, perſpiciunt omnem nodoſitatem membrorum illius diſſolutam, & in priſtinum robur artus corporis redivivo greſſu firmiter erectos. Sciſcitantibúſque quomodo id actum ſit, adſtruebat vidiſſe ſe quaſi faculam ardentem à lecto beatiſſimi Pontificis proceſſiſſe, ac ſe ſubitò irradiâſſe, & omnem illam debilitatem, proprióque ſtatui reſtituiſſe: mirúmque in modum cernens omnem plagulam ignis illius qui à fulgure proceſſit abſterſam, non ſolùm ſimilem reliquæ carni, ſed etiam candidiorem, immo & ſaniorem; & qui aliorum manibus vehiculis in Eccleſiam deportatus fuerat, ipſe jam corpore ſanus cœpit iter gaudens veloci greſſu carpere, & adminiculo alterius non egere. Tunc devoti Monachi ſollemnes laudes Deo & S. Patrono exſultantibus animis referunt, quòd talia per eum dignatus ſit oſtendere ad laudem nominis ſui. Servantur etiam baculi vel ſcabelli ipſius ſanati vel plurimorum ibi ſanitatem reci-

a Quo anno? obſcurum. Henſchenius in Comment. ad Vitam Sigiberti Regis §. 10. die 1. Febr. Remaclo Pontificatûs Trajectenſis non invalidis adductus argumentis tribuit annos decem. Annos minimùm duos Stabulai ſolitarius ſupervixit: unde anno circà DC. LXIV. ejus obitum collocamus. Corpus ejus ſepultum eſt in Eccleſia ſeu Oratorio S. Martini, ſicuti Norgerus Harigerúſque teſtantur.

b Addit Harigerus cap. ult. *Succeſſit illi in Monaſtico regimine* PAPOLENUS *vir Apoſtolicus, deinde* SIGOLINUS *B. Patris judicio aquè approbatus; ſubinde* GODUINUS, *annis & morum maturitate grandævus, qui etiam ſancti viri corpus tranſtulit, & in Eccleſia B. Petri locavit, lectulúmque ejus auro argentóque decoravit.* Eadem habet Norgerus.

pientium, pendentes ad januas Eccleſię in monimentum virtutum Chriſti, ut videntes enarrent magnalia ejus. CIRC. AN. DC. LXIV. SEPT. III.

3. Alio itidem tempore quidam ferro vinctus veniens, ilico ubi cancellos attigit, ſtatim ferrea vincula ita diſrupta ſunt, ut à loco in quo æger jacebat uſque ad locum lectuli in quo ſacratiſſimus cinis antè jacuerat, in pavimento corruerent, & homo incolumis permaneret. Perſtrepentibus omnibus ac mirantibus qui aderant, vident abſolutum à vinculo quem paullò antè ferreis manicis viderant adſtrictum; talíque gaudens munere cum gratiarum laudibus reverſus eſt in domum ſuam cum pace. Vinculatus ſolvitur.

4. Per idem ferè tempus fuit quædam femina ex Haſbanio orbatis luminibus, quæ longa ægritudine his tenebris circumdata detinebatur. Hæc correpta nocturna viſione admonetur, ut mittat qui perferat ad eam ex fonte viri ſancti, & ex hoc bibat, & oculos abluat: quod ut fecit ſtatim viſum recepit. Cæca illuminatur.

5. Nec illud ſilendum æſtimo, quòd quidam homo nomine Amalgerus, dum tempore meſſis ad ſpicas recondendas die Dominica quæ liberiùs abſoluta eſt à ſervili opere, inſudaret attentiùs operi ſibi competenti, nec daret honorem Deo ceſſando ab operibus cum ſua conjuge plauſtra onerans, ac domum recondenda deducens, contigit unam ex feſtucis oculum dextrum ejus illidere, ſubitóque luſcum eum reddere. Hoc dolore oculo amiſſo, altero quoque orbatus remanſit. Cúmque eſſet circumdatus tenebris, diu in hac cæcitate mæſtus triſtíſque æger perdurabat: tamen non diffidens de miſericordia Dei, ſuffultus ducatu alterius, plurima Sanctorum loca circuiens, precabatur eorum ſuffragiis ſibi dari ſoſpitatem. Huic itaque labori inſiſtens, quadam nocte ſopori deditus meruit audire reſponſum, quòd non alicubi eſſet illi ſalus præſtanda, quoadúſque ad Memoriam veniret ſanctiſſimi Confeſſoris Chriſti. Quo comperto gaudens de Divina admonitione nocturnis remotis ſilentiis alacer à ſomno exſiliens, veloci curſu diverſa peragrans loca, tandem in ſabbato pervenit ad optatum diutius locum. Nocte verò ſequenti, quæ Dominica dicitur, dum Fratres ex more veſpertinos hymnos ſollemniter cantant, ecce totam ſubitò replet debilis Eccleſiam vocibus, itaut omnes agnoſcerent Dei adeſſe virtutem. Quo cognito Servi Dei extollunt ſublimiter ora in laudibus Chriſti, qui conceſſit illis videre magnalia ejus: expletóque cantu venerunt videre opera Divinę gratiæ in membris infirmi jam clarè videntis omnes circumquaque ſe intuentes. Conſiderantibus ergo referebat, quia viderat à loco mauſolei inſtar radiorum Solis fulgurantem lucernam, illíque tam aures quàm caput omne concuſſiſſe & tenebras abſterſiſſe, luménque dediſſe. Surgénſque à loco quo proſtratus jacuerat, ab Eccleſia lætus egreditur, viam carpens, & viæ ducem ulteriùs non requirens. Nec multò pòſt perluſtrante circumquaque fama pervenit hoc factum mirabile ad aures invictiſſimi Principis LUDOVICI ac Procerum ejus; ſed & is qui cæcus fuerat ab his quibus jam cognitus habebatur ei oſtenditur, narrans qualiter viſum receperit per merita ſanctiſſimi viri, atque multimodas gratias retulit Imperator omnipotenti Deo, deoſculans lumina illi Divinitus reſtituta; immenſo quoque replebatur gaudio, quòd in diebus ſuis tanta miraculorum inſignia per Militem ſuum dignaretur oſtendere Deus. Quidam ob violatam Dominici feſti religionem cæcatus, lumen recipit.

6. Illud etiam non arbitror reticendum miraculum factum in loco, qui ab incolis commanentium Dervus [a] nominatur. Hujus rei talis fuit occaſio quam narro. Erat enim Abbatis noſtri, qui tunc temporis ambobus præerat locis, permaximum omnino ſtudium ut in ſuperiùs denominato loco Regularis creſceret cultus, quia ad ejus uſque tempora Canonici inſudabant, feceráтque ſeniores Fratres ex nobis illic commorari, qui ſuaderent eis

[a] De Monaſterio Dervenſi diœceſis Catalaunenſis in Campania, dicemus in Vita Sancti Bercharii Abbatis infrà.

CIRC. AN. DC. LXIV. SEPT. III.

omnem Ordinem Regularem firmiter tenendum jugitérque obſervandum. His diſciplinis intentus contigit adeſſe feſtivum Doctoris noſtri diem. Cúmque adhortationibus Rectorum eos docentium de actibus beatiſſimi Antiſtitis cognoviſſent, unà concordi animo vigilias devoti ex more ſpondent celebrem ducere noctem. Interea dum hæc aguntur, evenit Deo favente adeſſe ibi quemdam contractum membris omnibus, ut viderentur plantæ pedum illius conjunctæ femoris loco. Iſque magnis precum cœpit conatibus inſiſtere, quo poſſit in Eccleſiam ſupplex, pernox Dei pietatem exſpectare : quia dicebat diu cælitùs ſibi eſſe nuntiatum inibi affore Monachos à partibus ipſius Sancti, qui excubarent in excubiis vigiliarum ipſius noctis, illícque ſe debere ſciret ſanitatem recipere. Hac viſione in fide confortatus ſecurè in Templo pernoctans erat ; & ecce ſtatim, ut ſilentium quietæ noctis omnia capiunt, æger jacens inquietat repentinis clamoribus ſomnum capere deſiderantes, ſurgentéſque, ut ita dicam, inviti ad percelebrandum officium, intrant jam læti de conſolatione Domini. Perfectis ergo diutinis precibus adeunt perſpicere mirabile factum, ægroti membra in priſtinum gradum reſtituta. Interim aguntur laudes, iterum excitantur attonitis auribus ſupplicia vota : quia etiam in longinquo poſitis non defuit Sancti memoria illis. Interrogatus autem qualiter illi viſum fuerit, retulit ſe vidiſſe quemdam geroprepem[a] vultum Angelicum ac fulgidam ſpeciem gerentem, aforis Eccleſiam ingredientem, eíque manum porrigentem, & ſalutem præſtantem ; talíque curatus modo gratulabundus cœpit iter carpere ; & qui antè aliorum deportatus fuerat manibus, proprio jam greſſu reſtituto ivit domum ſuam cum pace.

a

Mutæ loquela reſtituitur.

7. Interea non tacebo quòd quædam femina nomine Rothlindis ita muta permanſerat, ut nec ſignum locutionis in ea cognoſci potuiſſet ullum. Hæc itaque ad ſacratiſſimi diei feſta vigiliarum pii Patris adveniens, vigilans erat, præſtolabatúrque pietatem omnipotentis Dei ac motibus animi prout poterat precabatur ſui miſereri. Quam intentam hujus anxiæ perturbationis virtus Divina circumtegit, & inter popularem turbam, quæ eſſet quæ plus ceteris ſolamine eguiſſet, clementia eximii Patris recognovit. Convenientibus ſiquidem omnibus qui aderant ad ſacras vigilias obſervandas in Eccleſiam, devotiſſimis ſervis Dei cum omni diligentia & ſublimitate laudum nocturnum officium perſolventibus, adeſt viſitatio ſuperna, quæ laborem eorum non patitur eſſe vacuum : ſed ut confirmaret fidem & pios actus eorum, debilem quam ſpiritus immundus ita mutam reddiderat, ut à nativitate ſic permanens nullum penitùs verbum emittere videretur, ecce ſubitò miram rem vidimus, ſic loquacem effectam, ut nullus noſtrûm rectiùs loqui nec verba formare poſſet : & ita gaudens de munere Divino effecta, gratulans & laudans Deum ac S. Patrono grates dignas referens rediit ſoſpes domum ſuam cum pace.

Invaſor prædii perjerans decalvatur.

8. Præterea in memoriam venit, quòd quidam homo prava animi voluntate deceptus terram ejus injuſtè abſtulit, atque in ſuum dominium uſurpare tentavit. Comperto verò noſtri quód talia ille iniquus præſumeret, corripiunt eum blandis hujuſmodi verbis, quia ei non competeret contra Sanctum Dei tam injuſtam rem agere, ut ei res ſuas violenter vellet auferre. Ille autem nihil cunctatus, immo ad terminos loci cum defenſoribus ſuæ partis adveniens, proteſtatus eſt ſub teſtificatione jusjurandi falſator teſtium, quòd magis conveniret ſuæ ditioni pars illius terræ quàm partibus Eccleſiæ noſtræ. Verùm & imprecatus eſt ſibi ita exprobrando ; Sic ſubveniat mihi in neceſſitatibus meis meritum illius

a Id eſt ſenem venuſtum, γέρων ſenex, πρεπὴς decorus.

Sancti,

Sancti, & ſic maneant capilli in capite meo & pili in barba mea, quomodo ego rectè dico & mea eſſe judico. Sícque ab ipſa hora, ſicuti ipſe poſtulavit, ſine capillis & barba glaber remanſit. Etiam ſubſecuta nocte ægritudine adeo oppreſſus eſt & languore confectus, ut ungues ejus & pili corporis divellerentur, talíque labore adſtrictus non ſolùm terram quam vi tollere voluerat reddidit, ſed etiam duplicatam reſtituit: attamen capillis & barba quanto ſupervixit tempore caruit. CIRC. AN. DC. LXIV. SEPT. III.

9. Alius etiam voto ſe obligans unum delegavit arietem ad Eccleſiam ſanctiſſimi viri ſe daturum vita comite: quem diligenter cuſtodiens, jámque adultum feſtivum diei tempus exſpectans, cum eodem ariete cœpit tendere ad locum nuper mente deſtinatum. Cúmque jam vicinus eſſet Monaſterio, illúdque eminùs adſpiceret, voluntas animi ejus diu ſervata antiqui hoſtis inſidiis pulſata paullulùm ſubſtitit, & in partem alteram divertens, pignus quod ſponte dederat abſtulit, & in ſuos uſus convertere præſumpſit. Namque adveniente nocte epulas ſibi de eodem bidente parans, non diſcedit, donec cum ſuis omnem animalis conſumeret carnem: conſumptóque epulo memor dominus ſtultiſſimi voti in quo adſtrictus tenebatur, miſer digno ultus eſt judicio. Nam ita illi os & vultus pæne ad aurem uſque manſit retortus, ut cerneres eum deformitate fœdatum, criminoſúmque ſe omnibus intuentibus præmonſtrantem, votíque reum ſe proclamantem. Itaque deformis abſcedens tali ſigno quamdiu vixit cunctis ſe notabilem præbuit. Votifragus punitur.

10. Fuit præterea quædam Ermenrada nomine, per tres menſes amiſſo lumine cæca, quæ admonita in ſomnis eſt, ut aliquod votum Sancto committeret. ac ille viſum illi redonaret. Et licet rebus pauper, fide tamen integra manſit, nam pæne nihil aliud reperire potuit caput ſuum niſi præcingentem candelam, quam per gerulum ſuum mittens poſtulavit totis niſibus: quo accenſam ante ſacrum ſepulcrum poneret, & ibi quamdiu duraret inexſtinguibilis permaneret. Quæ lucerna manibus hominum aptata ut officium ſplendendi amiſit, lux diu negata extimplo cæcæ debili eſt reddita, & ipſa priſtinæ ſanitati eſt reſtituta. Cæca viſum recipit.

11. Inferam quoque huic narrationi aliud miraculum quod pluribus habetur notum, quia non plus ex hoc quam biennio conſtat impletum. Quidam etenim homo nomine Lungul à conjuge ſua quam ægritudo diuturna uſque ad mortem perduxerat, poſtulatus eſt ut fibulas argenteas pro abſolutione ſua ad locum beatiſſimi Antiſtitis deportaret, ibíque pro ereptione ſuæ animæ depoſceret. Qui audiens blandiſſimam vocem conjugis, ſpondet ſe impleturum quæcumque illa ſuggeſſerit. Poſt mortem verò ejus oblitus ſponſionis ſuæ, immemor etiam privilegii conjugalis, parvipendénſque timorem Dei & amorem, apud ſe retinuit argentum, illúdque in proprios uſus convertit, & mulieri defraudavit. Quod facinus occultorum Cognitor inultum abire non patiens, ita ille perfidus profundæ cæcitatis tenebris eſt involutus, ut ſex menſes maneret orbatus. Cúmque à vicinis vel cognatis requireretur quid illi contigiſſet, cùm antè videns, nunc ſubitò cæcus effectus ſit; non valens ultrà peccatum ſuum abſcondere, confeſſus eſt ob reatum furti erga uxorem ſuam habiti, officium videndi luminibus eſſe ſubtractum. Adhortantibus namque qui cauſam hujus facti ab eo cognoverant, ſumens munus quodlibet in manibus, propè venit ad Monaſterium, ibíque facinus, quod habebat latens, fecit apertum, & nocte ſuperveniente ille continuatim ad ſepulcri locum in precibus perſeverans, aurorâ illuceſcentis diei clarè omnia vidit, ſanúſque inde rediit. Quidam ob pii legati defraudationem excæcatus, lumen recuperat.

12. Nuper igitur accidit, ut quidam de familia noſtra nomine Gotherus, per ſomnium à ſpiritibus nequam vulneratus, ſurdus eſſet effectus. Hic itaque nocturno ſilentio pulſatus viſus eſt venire & viſitare ſacra limina beatiſſimi Remacli, ubi ſciret ſe prioris valetudinis recuperaturum amiſſionem. Dum ergo hac hæ- Surdus auditu donatur.

CIRC. AN. DC. LXIV. SEPT. III.

sitatione anceps, multúmque mæstus incederet, Fratribus stipendia farris reliquis manſoribus in vehiculis ferentibus, ipse quoque juxta menſuram ſibi indictam ceteris ferre non diſtulit. Et cùm veniret haud procul à Monaſterio, bos illius nimiam laſſitudinem vel cujuſlibet rei injuriam paſſus in eodem ſubſtitit loco. Tunc trepidus & anxius homo factus, nihil aliud agere valens, manſit ibi nocte illa, ſervans injunctum ſibi ab exactoribus opus. Medio verò tranſacto ſpatio noctis, quidam ſenex ad eum veniens & in ſopore poſitum cernens interrogat unde eſſet, vel quò tenderet, cujúſque foret obſequium quod ſervaret. At ille reſpondit in viſu omnem ordinem rei juxta quod ille fuerat ſciſcitatus: adſpiciénſque ad eum cognovit virgam manu geſtantem: quam elevans idem vir ſplendidus, caput & aures ejus percuſſit & abſceſſit. Evigilans itaque infirmus ſanitati eſt reſtitutus. Mane verò facto commendavit ſanus cuidam commanenti illic, & bovem illius pretio ſumpto accepit, atque annonam quam ſervaverat, integro numero reduxit, & gratias Deo pro ſanitate data retulit, & ad diverſorium rediens, bovem quem pæne moribundum reliquerat, incolumem invenit, & cum gaudio ad domum rediit.

Item alius.

13. Huic etiam miraculo aliud ſimile pandam. Erat quidam ex eadem familia Theodradus nomine, qui horâ diei ſextâ exarabat terram ſeminario uſui aptam; & ecce oculos attollens conſpicit venientem eumdem virum ſenem canitiem capite geſtantem: & exſpectans eum ad ſe uſque venientem, ſalutavit humiliter. Interrogatus unde eſſet, vel ſi ſciret quomodo ire ad Monaſterium potuiſſet; ille ſe optimè ſcire proteſtatus eſt. Et ille; Perduc me, inquit, ad locum, quia oppidò illuc deſidero celeriùs pervenire. Ipſe quidem negligens effectus, reſpondit non poſſe opus ſibi conveniens derelinquere, ejúſque famulatui obſecundare: multúmque ab eo precibus poſtulatus, nullum omnino præbuit aſſenſum. Cúmque ſol occaſum daret & noctis initium ſequeretur, ſopori dedito adeſt idem vir æquali forma ſimilia deprecans. Illo ergo nullomodo præbente aſſenſum, alapam ei in faciem dedit, eúmque ſurditate maxima percuſſit. Non paucis verò diebus evolutis, neceſſitate compulſus ad ſacratiſſimum ejus tumulum veniens, precabatur ejus auxilium ſibi favere. Nec diu diſtulit quod petebatur, quin conferre ſalutem noxio ociùs voluit. Nam Dominica item nocte in Eccleſia ſe poni ægrotus jubet, dicens ſibi confidere, ſalutem quantocius Sancto Dei præſtante. Unde ſecundum fidem ejus mox ſanitas ſecuta eſt: quod poſtea nobis narrare conſuevit, quia dum ſederet exſpectans ſibi auxilium affuturum, adſpicit lumen ab altari procedere, & eumdem quem antea viderat virum lucernam manu tenentem, ſigno Crucis ſe ſignantem, omnémque infirmitatem membrorum debilium curantem; ſícque poſtea roboratis viribus in excubiis ejuſdem Templi incolumis perſeverans perenniter manet.

Palla in dedicatione Eccleſiæ S. Remacli conceſſa.

14. Villam in pago Falmienſi ſitam vocabulo Marcam ferunt incolæ in dotem Eccleſiæ Monaſterii noſtri ceſſiſſe. In ea igitur ab indigenis nuper agente importunitate Oratorium exſtrui parabatur, ſequente verò votum effectu opus finitur, collatóque divinitùs auxilio tota in brevi fabrica ligneâ quavis materiâ conſummatur. Quo facto Sacerdotem populi de more ad benedicendum invitant; priùs tamen à Monaſterio B. Remacli pignora, quo ejus ſacraretur nomine, dari ſibi petentes. Annuitur itaque à tribus Fratribus fideli petitioni, condictóque benedicendi die, per Sacerdotem nomine GODERANNUM expetitæ ſancti viri Reliquiæ obviam Pontifici diriguntur: à quo veneranter exceptæ ac loco competenti ſunt decenter aptatæ. Expleríſque de more vigiliis ac ceteris huic ritui congruentibus, ubi ventum eſt ad altare tegendum, matrona quædam venerabilis, cujus ea maximè gerebantur inſtinctu, linteum quo ſanctum operiretur altare, deferens Antiſtiti, illud ſub teſtificatione porrexit, ne aliquando inde niſi lavandi gratiâ removeretur. Quod ut ſibi quoque relinqueretur gerendum, pietatis affectu expetiit, credens

ſibi futurum ſubſidio, ſi quid ſervitutis impenderet Sancto. Omnibus itaque ritè peractis diſceſſum eſt. Poſt non multum verò temporis Sanctimonialis[a], quæ ibi ſeſe ad ſerviendum devoverat, aliquorſum ire parans, diabolica prout pòſt claruit, inſtigatione oblita propoſiti, pallam qua prædicta materfamilias altare texerat ſuſtulit, ac capiti ſuperpoſitam quò diſpoſuerat tetendit. Sed mox temerarium actum Divina perſequitur ultio. Namque domum reverſa, exagitante ſe mox dæmonio aquam calidam præparat, ex qua caput abluens, idem prædicto feſtinat extergere linteo: quo ilico cuncti ſecuti crines ita omnes penitùs à vertice defluxerunt, ut in eo nullum capillaturæ indicium remaneret: factúmque eſt ut naturale perderet tegumen, quæ alienum uſurpaverat velamen. Quin etiam ad augmentum ſuæ infauſtitudinis, caput totum prurigo pervadit eotenus, ut (quod dictu turpe eſt) ipſis quoque vermibus ſcateret: qua punitione graviter coartata rem geſtam Sacerdoti pariter omníque populo ex ordine pandit, atque pro ſui abſolutione Dominum rogare depoſcit. Qui ſuarum non eſſe virium conſiderantes, nuntios ad Monaſterium dirigunt qui eadem Fratribus perferant, ac pro ſalutis ejus recuperatione ab eiſdem exorari præmoneant. Nec mora placatus ſuorum flagitatu Patronus, remiſsâ noxâ mulierculam priſtinæ reſtituit ſanitati. Denique reſtricta protinus ſanie, reviviſcente quondam cute, renaſci crines cœperunt ſicuti ab origine: paullatímque invaleſcendo, redivivam, ut ita dicam, ex anu puerperam oſtendebant. Satíſque fuit hoc exemplo addiſcere, ne res ſacras quiſquam audeat temerare. Hujus rei teſtis eſt adhuc vivens matrona memorata cum conjuge, quibus tot exſtant ſtipulatores, quot ejus prædii conſtat eo tempore fuiſſe habitatores.

Circ. An. DC. LXIV. Sept. III.

[a] Subripitur à quadam Devota, ob hoc cælitùs punita,

poſtea ſanata.

15. Viſum eſt aliquando Fratribus & cuſtodi circa venerabile beati viri ſepulcrum nonnulla emendatione digna haberi; pro quo artificibus evocatis, quid ſuper eo agendum ſit conſulunt. Qui circumſpectis diligenter rebus emundandis, cernunt ſupereminere quiddam à loco opertorij amovendum, quod niſi amoveatur, nequeat deſuper fabrica competenter aptari. Itaque die conſtituta, artifices cum raſtris, malleis ac forcipibus adſunt, obſeratíſque undecumque foribus toto virium anniſu effodere terram qua ſepulcrum tegebatur incipiunt, quam tamen ita tenacem reperiunt, ut vix magna poſſit facultate reſolvi. Porro res clanculò agebatur nemine, Fratribus abſque, ſoliſque eam operum magiſtris ſcientibus. Ut primùm igitur ſupereminens illa dimota eſt glebula, tanta è ſepulchro redolentia manavit, acſi ibi thymiamata, cunctáque ſimul odorifera cremarentur pigmenta. Quo hauſto opifices hærent continuò ſtupore percuſſi, ac relicto opere nituntur procul aufugere. Cuſtos verò altioris ingenij Divinam cognoſcens virtutem, monet nihil eſſe pavendum, ſed potiùs cœpto operi vigilanter inſiſtendum: ex eo magis debere intelligi adeſſe præſentiam beati viri, qui tali auſpicio ſe demonſtraret eorum piè fauturum in omnibus voluntati. Igitur his operatores verbis reaccenſi, ſimul paradiſiaco nidore reſperſi cœpta perficiunt lætabundi; prædictus verò odor foras erumpens ita ſe per omnem diffudit loci ſpacioſitatem, ut univerſis prodiderit factum quod manere Fratres voluerant incompertum.

E Remacli tumulo odor ſpirat.

Hactenus liber Mirac. S. Remacli in cod. Ciſterciano, quibus miraculis apud Surium ſtilo mutato relatis quædam adjiciuntur, ultimum dumtaxat huc adducemus, ex quo Auctoris ætas deprehenditur.

16. QUODAM tempore annonam ad nos advehentibus quibuſdam è famulis noſtris, pro conſuetudine, certa illis in poculo quodam potûs menſura apponebatur. Ubi ad ultimum ventum eſt, cernens ille abeſſe miniſtrum qui potum offerebat, poculum in ſuam ſarcinam conjicit ſecum ablaturus. Itaque

[a] Id eſt Devota, cujuſmodi plures feminæ tunc temporis, velo tamen aſſumpto, (ut in lib. 1. Mirac. S. Richarii cap. 16. ad an. 645. advertimus) alicui Eccleſiæ ſe devovebant, quamvis in privatis ædibus manerent, & viris alligatæ eſſent, ab iis tamen ſeparatæ. Hieronymus in Epiſtola quadam *de vitando ſuſpecto contubernio* agit de ejuſmodi devotis feminis, quibus *furvas* ſeu *pullas* veſtes tribuit.

CIRC. AN. DC. LXIV. SEPT. III. jungit quatuor boum paria ad plauſtrum ſuum, cupiens cum ſociis abire domum. Ecce autem loco illi plauſtrum adeò affigitur, bovéſque tanto rigore conſtringuntur, ut prorſus moveri non poſſent. Rogant ſocij quid ipſi acciderit: fatetur furtum ſuum, & ſummo cum dolore reddit poculum. Mox abſcedunt boves greſſu liberrimo. Poculum illud ſive vaſculum pòſt diligentiùs ſervatum eſt, donec hujus rei fama allata eſt ad AIRICUM Abbatem Indæ Monaſterij: qui magnis precibus id à nobis impetratum in B. Remacli memoriam auro includi & catenis argenteis ad ſanctiſſimi HERMETIS Martyris monumentum ſuſpendi juſſit. Ejus enim præclari Martyris ſacras Reliquias per LOTHARIUM Imperatorem à Romanæ Eccleſiæ partibus impetrârat, & ſummo honore proſequebatur. Cùm autem cognoviſſet noſtrâ incuriâ pæne in oblivionem abiiſſe B. Remacli miracula, objurgavit nos quòd ea in ſcripta non eſſent redacta, dicens cum aliorum injuria id fieri, quos ea laterent. Me verò precibus & auctoritate ſua eò adegit ut ea conſcriberem. Ita ego obedientiâ fretus feci ut potui.

Auctoris ætas.

Appendix ex lib. 2. Mirac. apud Surium.

Normannorum clades. 17. CAROLO tertio Imperatore anno ſalutis octingenteſimo octogeſimo tertio, inviſa gens Nortmannorum magnâ inſtructâ claſſe in Gallias deimproviſo irrupit, iiſque pervagatis, cædibus, incendiis & direptione omnia vaſtavit. Inde tranſmiſſo Moſæ flumine Arduennam ſilvam mirè populantur, evertunt villas, incendunt opida, Regias arces & Monaſteria deſtruunt. Ventum eſt etiam ad noſtrum Cœnobium, cujus ſitum clam noctu explorantes, ita nos includere conſtituunt, ut nemo poſſit evadere. Sed Divino nutu & Patroni noſtri meritis eorum conſilia nobis quidam fugâ elapſus patefecit. Nos metu perculſi, ſublatis B. Remacli Reliquiis, licèt ſerò, fugæ nos mandamus. Nocte intempeſta montem adſcendimus, & illic reſpirandi causâ ſubſiſtimus. Tum verò immenſum lumen igneæ columnæ effigie videmus deſcendere in loculum ſacra oſſa retinentem. Lux illa longè fuit lunari ſplendore illuſtrior. Erat tum frigus ingens, at nos ita ſuavi quodam calore afficiebamur, ut vernum tempus agi videretur. Interim nos invicem reſpectantes ſtamus attoniti nihil loquentes, & tantæ rei finem exſpectantes, cùm poſt unius fermè horæ ſpatium lux illa cælos repetiit. Nos ergo ire pergimus, atque ita illæſi à Patrono illo noſtro in tam præſenti hoſtilis perſecutionis periculo conſervati ſumus, ut nullus ferè Barbarorum enſe jugulatus ſit.

Remacli Reliquiæ cæleſti ſplendore illuſtrantur.

Monachi palabundi. 18. At durante illa procella coacti ſumus aliò commigrare. Itaque in villa B. Remacli, quam Boviniacum vocant, ubi tum ab hoſtibus nonnulla quies dari videbatur, cum ſacro ejus corpore conſedimus, donec ab Imperatore profligatis Barbaris patriæ noſtræ pacem redditam didicimus. Interim in villa illa precibus S. Patroni noſtri ſemper omnia nobis abundè ſubminiſtrabantur. Pace autem reddita jam nihil morati domum contendebamus: & ecce perfertur ad nos triſtiſſimum nuntium, totum Monaſterium noſtrum voracibus flammis abſumptum. Ea res nos valde conſternavit. Tandem viſum eſt adire prædiolum Calcum, quod pæne ſolum in ea vaſtatione nobis relictum erat. Sed illic tanta graſſabatur lues, ut humandis vix ſuperſtites ſufficerent cadaveribus: & (quod dictu quoque fœdum eſt) plerumque duo vel tres in uno ſepulcro conderentur. Ea res Fratrum animos in diverſa rapuit, aliis dicentibus exſilium tam præſenti exitio anteferendum, aliis contra aſſerentibus, nullum mortem evaſurum, qui ea peſte ex Dei voluntate ſit periturus: fidendum virtuti B. Confeſſoris, & incunctanter ad locum deſtinatum eundum. Quorum ſententia obtinuit: itúmque eſt, & brevi perventum ad prædiolum. Mira dicturus ſum, ſed fidem adhibeat, qui credit nihil impoſſibile Deo. Ad introitum noſtrum omnis illa peſtis Remacli meritis adeo exſtincta eſt, ut qui ea nondum laborâſſent, nihil ab ea mali paterentur; ex iis autem, qui correpti eâ erant, permulti ſanarentur:

Monaſterium Stabulenſe cõbuſtum.

Peſtis ſedatur.

cùm hactenus quiſquis eam ſenſiſſet, certam ſibi mortem impendere non dubitaret. In eodem loco erat puella paralytica, &c. CIRC. AN. DC. LXIV. SEPT. III.

19. Alio tempore rurſus Barbaris illis incurſantibus, è Monaſterio egreſſi, ſumpto nobiſcum omnium laborum ſolatio B. Remacli corpuſculo, ad caſtrum Longiam profecti ſumus. Eò mulier mente capta, totóque colligata corpore adducta eſt. Mirè illa conviciis, morſibus, ictibus quos poterat vexabat. Orantibus autem pro illa qui eam adduxerant ad fores ædis, in qua B. Pontificis corpus repoſitum erat, poſt triduum ferè perfectè curata eſt. Inſana fit mētis compos.

20. Per idem tempus à Capræmontis caſtello, quò nos ut conferremus, Nortmannica rabies compulerat, ad Monaſterium propter imminententem Patroni noſtri ſollemnitatem redire properabamus. Ubi paullulùm extra pagum Solomanniam proceſſimus multâ nos hominum turbâ proſequente, cerei qui ante loculum quo B. Remacli corpus aſſervabatur, ferebantur, paullo antè vi ventorum exſtincti, rurſus accenſi ſunt divinitùs. Nolebat id credere agreſtis turba, ſed numquam exſtinctos cereos affirmabat. Nos rei indignitate commoti, cereos exſtingui jubemus, beatóque Remaclo ſupplices preces offerimus. Mox adeſt manus præpotentis Dei, & cælitùs lapſo lumine denuo cerei accenduntur. Adeo verò lux illa totum illuſtrabat locum, ut nemo poſſet ambigere cæleſtem eam eſſe. Tum omnes pariter prorumpimus in laudes Dei: mittuntur nuntij ad Eccleſiam, qui nobis interim pſallentibus pulſent ſigna: & ecce tòtum Oratorium vident illi Divinis completum ſplendoribus, qui nobis abeuntibus pariter diſparuere. Cerei divinitus accenſi.

21. Mulier paupercula non ita pridem miſerè contracta ire non poterat. Monetur per viſum petere ſepulcrum beatiſſimi Remacli. Piis quibuſdam eam adjuvantibus, venit ad Monaſterium vehiculo: & quia non facilè apud nos, niſi certa ex cauſa, feminæ admittuntur, ante fores Cœnobij deponitur: rogat cuſtodes, ut liceat ipſi in Baſilicam venire. Tandem Monaſterij Præfectis annuentibus, manibus reptans venit in Templum, proſternit ſe coram tumulo Divinam imploratura clementiam. Exacto fere triduo, nobis publicè Miſſam celebrantibus, piiſſimi Confeſſoris ſedulis pulſata precibus adeſt virtus. Erigit ſe mulier, & primùm innitens baculo ingredi tentat: paullo pòſt integram eſt ſanitatem adepta. Contracta erigitur. NOTA.

22. Fiſcus *Ledernaut*[a] noſtro Monaſterio addictus eſt. In eo Eccleſia eſt S. Symmetrij & aliorũ virtutibus illuſtris. Digreſſi nos à caſtello Longia quod æquè noſtræ ditionis eſt, ad eum fiſcum divertimus. Habebamus apud nos pretioſum corpus Patroni noſtri, quod in ſancti Symmetrij Eccleſia ea nocte voluimus conſervari. Vigilabat tum illic Frater quidam, iſq; ante gallorum cantum vidit è cælo lucem deſcendere, & per feneſtras Templi penetrans, feretro quo ſacrum corpus vehebatur incumbere: ſimúlque tenebras diſpelli omnes, feretrum commoveri, campanas cæleſti vi impulſas ſonum edere. Fratres & vicini expergiſcuntur, re inſolita obſtupeſcunt, & licet moleſtum eſſet præter morem ſurgere, attamen ſurgunt ad nocturnas perſolvendas preces. Ubi ad Eccleſiam ventum eſt, & compertum quid accidiſſet, animadvertunt ſancto corpori non deeſſe Divina officia atque miniſteria. Itaque laudibus celebrant Chriſtum, qui tam mirabilis eſt in Sanctis ſuis. Frater autem ille, qui hæc viderat, præ nimio timore pæne extra ſeſe fuit. Quod idcirco illi accidiſſe ſuſpicor, quòd fortaſſis vitiorum ſuorum formis & imaginibus reverberaretur, &c. * Lux cælitùs emiſſa. *a*

23. Collegit quandoque Abbas argentum quo volebat cujuſdam aræ tabulam ingentem pro decore domus Dei veſtiri. Redigitur argentum in laminas, laminæ inaurantur, exſculpuntur, & effinguntur vario opere in iis imagines, cuſtodíque ſervandæ traduntur. Is alia re impeditus, ponit eas ſuper reverendum * *hic tria miracula omiſſa.* Fur ſacrilegus caſtigatus.

[a] Hodie *Lierneu*, latinè Ladernacum, quo in loco ſancti Symmetrij Martyris Reliquiæ Româ à S. Papoleno Abbate Stabulenſi adductæ honorantur. Lege Molanum ad diem 26. Maij.

CIRC. AN. DC. LXIV. SEPT. III.

altare beatiſſimæ Virginis, paullo pòſt tutiori loco repoſiturus. Erat tum in Monaſterio noſtro Clericus quidam ſanè officioſus, nobiſque haud vulgariter carus. Cernens ille laminas tam malè aſſervatas, cupiditate inflammatus, unam ex eis aufert. Ubi animadverſum eſt deeſſe laminam, fit quidem diligens inquiſitio, ſed nihil certi deprehenditur. Tandem anathemate percellitur, qui id ſacrilegium perpetrâſſet: multúmque ſudatur, ut poſſit ad rem certam perveniri. Ille manet in ſcelere obſtinatus, nec adducitur ulla re ut prodat crimen ſuum. Sed ultio Divina prodit ſacrilegum. Arreptus enim à dæmone, paſſim ab illo raptatur, atque interim crebriùs repetito clamore, teſtatur ſe laminam ſubduxiſſe... & poſtea ſine fructu pœnitentiæ in ea furia exceſſit è vita, &c.

Clericus indignè ſacros Ordines aſſumens celitùs corripitur.

24. Fuit apud nos alius quidam Clericus à puero educatus, Monaſterio noſtro ad multa utilis & accommodus. Is in noſtro contubernio vivebat nobiſcum familiariter, & nobis erat impensè carus. Contigit interim Comitiſſam quamdam venerabilem pro ſalute ſua non parvi pretij fibulam auream ad Cœnobium noſtrum (ita enim voverat) mittere. Inde malignus dæmon, qui diligenter hominum animos explorat in quæ vitia procliviores ſint, occaſione arrepta Clerici hujus mentem pertentat. Ille verò nequiſſimam ſuggeſtionem non gravitatis conſilio, nec virtutis conſtantiâ reſpuens, oculos ad fibulam adjicit, eámque clam ſuffuratur. Non diu pòſt Abbas noſter RAVENGERUS[a] dum quoſdam è nobis ad ſacros Ordines vult promoveri, ad Epiſcopum nos mittit, adjuncto nobis etiam Clerico de quo nunc agimus. Erat tum Quadrageſima. Etſi autem ille tanti ſacrilegij ſibi eſſet conſcius, nulla tamen id neque confeſſione, neque pœnitentia expiavit: ſed confidenter nobiſcum proficiſcens, Diaconus ordinatus eſt, non attendens quod ſcriptum eſt: *Mundamini qui fertis vaſa Domini*: cùm utique eos qui Corporis & Sanguinis Dominici vaſis tractandis adhibentur, mundos & probatis moribus eſſe oporteat. Abſoluto deinde ſacrificio & precibus veſpertinis*, nos ad hoſpitium imus, eouſque producta jejunia ſoluturi. Ibi inter edendum ille confrater noſter cadit, frendet dentibus, mirè ac miſerè ſe collidit, nóſque admirabiliter obſtupefactos cogit laboranti ſibi adeſſe. Mox à menſa ſurgimus, permulta remedia ſummâ benevolentiâ adhibemus, ſed fruſtra omnia, Divino judicio in eum jus ſibi diabolo vendicante. Tota nocte diſcruciamur animis, & valde afflictamur. Tandem benignus Deus nolens apud exteros tam fœdum caſum nobis cedere ad ignominiam, profligato dæmone præſtitit ut nobiſcum incolumis rediret: & integrâ tum hebdomadâ nullam ſenſit maligni illius infeſtationem. Qua Dei benignitate ille abuſus, noluit facinus ſuum confiteri: eáque incuriâ hoſtem reddidit valentiorem. Nam cùm Completorij preces Dominico die perſolveremus, acriùs à dæmone arripitur, nec jam ſuccurrebat nobis quo pacto ei opitularemur, quòd incerti eſſemus, num ſatanæ vexatio illa eſſet. Attamen præ fraterna commiſeratione noctibus viciſſim apud eum vigilabamus, viſúſque eſt nobis crebriùs quàm olim Saül exagitari. Interim brachium dextrum quo rapuerat aurum, penitùs exareſcit. Nobis dubitantibus, an caſu id acciderit, vel Divina animadverſione, Abbas noſter rem altiùs perpendens, nequaquam cenſuit caſui tribuendum, ſed hominem dixit diaboli laqueis conſtrictum teneri. Movebat eum, quòd ſtatim à ſacris acceptis Ordinibus divinitùs punitus eſſet, & unde animæ remedium capiendum erat, id ei verſum eſſet in perniciem. Noverat ſcriptum, gravius eum condemnari, qui indignus ſuſcipit, quod non meretur. Sicut ergo in Judam temerè percipientem Corpus Domini ſatanas intravit, quem conſtat furem fuiſſe; ita colligebat Abbas etiam hunc fortaſſis aliquo ſacrilegio contaminatum, quòd

Isa. 52.

* NOTA

[a] In quodam miraculo poſt articulum 22. omiſſo de quodam Monachorum infectatore in amentiam verſo & poſtea ſanato (quod miraculum apud Surium cap. 9. refertur) nominatur ODILO Abbas, qui anno CM. LIV. mortuus dicitur in Flotib. Eccl. Leod. Bartholomæi Fiſſeni; RAVENGERUS verò anno M. VIII. unde patet hunc poſteriorem librum Miraculorum non à priori Auctore, ſed ab aliis diverſis fuiſſe compoſitum.

ea ferè hora atrociùs cruciaretur à dæmone, qua fuiſſet ſacris initiatus: hortabatúrque Fratres, ut cùm ſe illa vexatio remitteret, cautè ab eo expiſcarentur, num quid ejus conſcientiam gravet. Fratres Abbatis juſſa capeſſunt, clanculò ex eo ſciſcitantur, ſi quid habeat quod animum angat. Ille ad voces eorum modò rubore, modò pallore ſuffunditur: tandémque licet pudibundus ſuam culpam & agnoſcit & purè confitetur, orans ut apud Abbatem pro ipſo velint intercedere. Fratres referunt omnia ad Abbatem, Abbas juſtitiam miſericordiâ temperat, nec vult addere afflictionem afflicto: prohibet etiam, ne ejus crimen in publicum proferatur: indicit Fratribus, ut pro illo jejuniis & precibus & Miſſarum celebrationi incumbant. Quid multa? Revaleſcit Frater, reſtituitur brachium, dæmon ab eo prorſus eliminatur, noſtérque mæror multiplex multâ conſolatione permutatur [a]. CIRC. AN. DC.LXIV. SEPT. III.

a

a Alia quædam miracula minoris momenti omiſimus. Præter hæc *Triumphum S. Remacli* duobus libris inſtruxit Monachus Stabulenſis anonymus, teſtis oculatus miraculorum, quæ per S. Remacli Reliquias Aquigranum & aliò delatas patrata ſunt *regnante Henrico* IV. *poſtea Romanorum Auguſto anno Domini* M. LXXI. *regni autem ipſius anno* XV. dum ANNO Antiſtes Colonienſis, ad cujus diœceſim ſpectat Malmundarium, ab Abbate Stabulenſi diœceſis Leodienſis regi ſolitum, proprium Malmundario Abbatem imponere moliebatur: qua de re ſuo loco agemus.

SANCTI WALDEBERTI ABBATIS LUXOVIENSIS TERTII ELOGIUM HISTORICUM.

AN. CHR. DC.LXV. APR. XXVI.

1. SANCTI WALDEBERTI *ſeu* WALBERTI *Abbatis Vitam à Bollando in Actis S. Germani Abb. Grandivallenſis laudatam, quam litteris non ſemel Luxovium miſſis nondum obtinere potuimus, ex variis proborum Auctorum teſtimoniis ſupplere cogimur. Si in manus noſtras Vita illa aliquando pervenerit, eam, ſiquidem luce digna fuerit, vel in hujuſce ſæculi Appendice, vel in Supplemento vulgabimus.* Vita ſancti Valdeberti fruſtra quæſita.

2. WALDEBERTUS, *teſte Boboleno Presbytero in Vita ſancti Germani Abbatis poſtea referenda*, vir egregius ex genere Sicambrorum, & magnæ converſionis vitæ *fuit. Ejus parentes & patria incerta. Eum plerique* Chagnerici nobilis Franci filium, Burgundofaræ & Chagnoaldi fratrem *perperàm dicunt, nec rectiùs Johannes Iperius in Chronici Sithivenſis cap. 1. §. 10. cum* Walberto Comite Pontivenſi, Ternenſi & Arkenſi *confundit.* Ejus patria & parentes.

3. *Valdebertus Luxovienſibus Monachis adjunctus eſt adoleſcens ab Euſtaſio Abbate, cui anno* DC. XXV. *ſucceſſit & annis quadraginta magna cum laude Luxovio præfuit.* In Euſtaſij locum, *inquit vetus & gravis Auctor qui S. Salabergæ Acta deſcripſit*, beatæ recordationis Walbertus in regimine Fratrum ſubvectus eſt, vir omnium famâ laudabilis eximiæque ſanctitatis, & in Eccleſiaſticis diſciplinis non mediocriter eruditus, bonitate ac pietate caritatéque præcipuus & doctrinâ exuberans. Hujus tempore per Galliarum provincias agmina Monachorum & ſacrarum Puellarum examina non ſolùm per agros, villas, vicóſque atque caſtella, verumetiam per eremi vaſtitatem ex Regula dumtaxat beatorum Patrum BENEDICTI & COLUMBANI pullulabant, cùm ante illud tempus Monaſteria vix pauca illis reperirentur in locis. *Accedit Boboleni jam laudati teſtimonium his verbis:* Cernens Deo plenus & Spiritu-Sancto repletus Sacerdos Dei Waldebertus catervas Monachorum coadunari, cœpit de tam plurima multitudine, ſi fortè ubiubi poſſet, loca uberrima ubi de ſuis Monachis ad habitandum adunaret inquirere. Monachus & Abbas.

4. *Subdit idem Auctor Gundonium virum illuſtrem de condendo Cœnobio Grandi-* Monaſteria conſtruit.

AN. CHR. DC. LXV. APR. XXVI.

vallenſi cogitâſſe, quod per Vvaldebertum expleverit. Illud ipſum aſſerit Scriptor Vitæ S. Salabergæ de Cœnobio Puellarum in ſuburbio Lingonicæ urbis *Vvalberti ope & conſilio, & de Parthenone apud Laudunum urbem ædificatis per Salabergam: quæ Laudunum tendens, Vvaldebertum* comitem itineris ac ſocium laboris habuit. *Immo antequam Vvaldebertus Luxovienſi Monaſterio Abbas impoſitus erat, Euſtaſius ejus deceſſor eidem unàque Chagnoaldo Cœnobij Eboriacenſis conſtruendi ac diſponendi curam commiſit.* Nec mora, *ait Ionas in S. Euſtaſij Vita,* B. Euſtaſius remeat, puellam (Burgundofaram) à cuſtodia liberat, patrem terribiliter increpat, Religionis veſte per Pontificem urbis illius GUNDOALDUM nomine induit, ſacravítque ſalutaribus ſacramentis. Monaſterium quoque Virginum Chriſti ſupra paternum ſolum inter fluvios Mugram & Albam ædificat, Fratréſque *(id eſt Monachos)* qui ædificandi curam habeant deputat germanum puellæ Chagnoaldum, & Walbertum qui ei *(ſcilicet Euſtaſio)* poſtea ſucceſſit.

Non Frater S. Faræ nec Epiſc. Meldenſis.

5. *His locus Ionæ à poſteris malè intellectus duplici errori occaſionem dedit, nempe ut Vvaldeberttum Burgundofaræ ac Chagnoaldi fratrem, tum Gundoaldi in Sede Meldica ſucceſſorem conſtituerent. Vtriuſque erroris auctor fuiſſe videtur Hildegarius Meldorum Epiſcopus in Vitæ S. Faronis cap. 60.* Providenter conditores hujus operis à præfato Præſule Godoaldo fratres dulciſſimi B. Faræ Chagnoaldus & Waldebertus, qui ſucceſſor felix iſtius Gundoaldi hac in urbe claruit, teſtante Vita S. Euſtaſij. *Hæc errata jamdudum advertit correxitque Hadrianus Valeſius in Rer. Franc. lib. 18. nimirum Hildegarius* quam Euſtaſius Monaſterij Burgundofaræ curam geſſerat, Gundoaldo temerè attribuit, & Chagnoaldo ac Burgundofaræ Waldebertum pro commonacho ſeu confratre ſpiritali naturalem fratrem affinxit: eumdémque pro Abbate Luxovij Meldorum Antiſtitem, pro Euſtaſij ſucceſſore Gundoaldi ſucceſſorem facit, Gundoaldóque & Faroni Meldorum Epiſcopis medium interponit. *Hæc Valeſius: cujus ſententiæ accedit Iohannes Franciſcus Chiffletius in Hiſtoria Tornutienſi, qui hoc argumentum in ſuo Divione nondum edito, ſicut ipſe promittit, fuſiùs tractaturus eſt. Vvaldebertum non fuiſſe Meldorum Epiſcopum ante Faronem ex eo conſtat, quòd S. Faro jam Epiſcopus dedicationi Eccleſiæ Resbacenſis interfuit. Atqui Ionas librum de Vita ſancti Columbani ſcripſit, ac Vvandalberto Abbati Luxovienſi nuncupavit annis aliquot à conditu Monaſterij Resbacenſis & inſtitutionem Agili Abbatis,* qui modò, *inquit,* Reſbacenſi Monaſterio Præſul exſiſtit. *Certè in ſancti Euſtaſij Vita unde hæc verba deſumpta ſunt, idem Auctor Vvandalbertum iis qui è diſcipulis Euſtaſij Luxovienſibúſve Monachis facti ſunt non adnumerat. Neque etiam Vvandalbertus poſt Faronem Eccleſiæ Meldicæ præpoſitus eſt, tum quia Hildevertus Faroni proximè ſucceſſiſſe in Epiſcoporum indicibus libriſque exaratus, ac in Officio Eccleſiaſtico Meldenſis Eccleſiæ dicitur; tum quia aliàs Vvaldebertus ſeptuagenario major in Epiſcopum cooptatus fuiſſet, ſiquidem annos minimùm triginta natus erat, cùm præfectus eſt Luxovienſibus Monachis, quos per annos quadraginta rexit: tum denique quia nullum de Vvaldeberto monimentum in illa Eccleſia ſupereſt, non tumulus, non Reliquiæ; non denique memoria ipſa ſacris ejuſdem Eccleſiæ faſtis, ſaltem ſuperiori ſæculo editis inſcribitur, ullóve cultu publico celebratur.*

Mortuus anno 665.

6. *Chiffletius paullo ſuprà laudatus in ſyllabo Abbatum Luxovienſium, quem Sammarthanis ex tabulis Luxovienſibus exhibuit, Vvaldeberto præfecturæ Luxovienſis annos quadraginta tribuit. Pervenit proinde ad annum* DC. LXV. *cùm Euſtaſio anno* DC. XXV. *fuerit ſuffectus. Auctor libri de vita S. Salabergæ refert viſionem quamdam, quæ poſt S. Vvaldeberti obitum contigiſſe videtur.* Dum quadam

Salabergæ apparet.

nocte quieſceret Salaberga, in ſpecie venerabilis viri Walberti utpote Angelus Domini apparuit ei tertiò, qui & cingulum ejus vidit & de renibus abſtractum ſecum detulit, quod cingulum ulteriùs non comparuit: ſignificans ut opinor, quod in poſteritate ejus honor ſucceſſionis accreverit. Cujus veſtes, ut ipſa referre ſolebat, candore nimio fulgebant & hac voce admiranda affatur femi-

nam:

nam: O dulciſſima Filia, præpara te ut accipias bravium, & exitum tuum præſtolare, quia & ego ex victoria tua cupio bravium accipere, &c. *Vvalbertus Abbas Luxovienſis memoratur VI. Nonas Maij in Additionibus Molani ad Vſuardum: quo die etiam in Martyrologio Bened. confunditur cum Vvalberto Comite Arkenſi, de quo in Vita S. Bertini agemus Sæculo inſequenti. Idem Vvalbertus Epiſcopi Meldenſis nomine in Martyrol. Bened. VI. Kal. Maij colitur: quo die Luxovij? nondum diſcere licuit. Lege de eo Vitam S. Frodoberti Abbatis infrà.* AN. CHR. DC. LXV. APR. XXVI.

SANCTI MAGNI ABB. FVSSENSIS SEU FAUCENSIS PRIMI ELOGIUM HISTORICUM.

CIRC. AN. DC. LXV. SEPT. VI.

I. VITAM S. MAGNI *ſeu* MAGNOALDI *Abbatis primus typis vulgavit Henricus Caniſius Antiq. Lect. To. 5. cum hac inſcriptione*: THEODORUS Monachus & Abbas primus Campedonenſis de Vita S. MAGNI. *Et in præmonitione ad Lectorem*; Quis THEODORUS, *inquit*, fuerit, ſcire licet ex ipſa hac Vita S. MAGNI, cujus diſcipulus fuit Theodorus, & oculatus teſtis eorum quæ conſcripſit. *Eamdem Vitam Laurentius Surius in ſuum Septembrem poſtea retulit, ac denique Melchior Haiminsfeldius Goldaſtus altero poſt Caniſium anno, hoc eſt anno* M. DC. VI. *in Alaman. Rer. To.* I. *recenſuit cum nova hac epigraphe*: S. THEODORI de Vita S. MAGNI Conf. ſodalis ſui LIBER I. ab ERMENRICO Elewangenſi Monacho emendatus & diſtinctus: *& poſt librum I. qui novem Capitulis ac ſancti Galli morte concluditur, ſubjungit*: S. THEODORI Eremitæ de Vita S. MAGNI, *&c.* LIBER 2. ab Ermenrico Elewangenſi Monacho emendatus & diſtinctus. CAPUT I. Poſt tranſitum igitur B. Galli, *&c. Sicque liber 2. Capitulis ſexdecim abſolvitur. Goldaſtus hoc ſolo differt à Caniſio, quòd ipſam Vitam in duos libros ac in varia partitur Capita, & quòd libri ſecundi caput ultimum, in quo Ermenrici interpolatoris opera memoratur, Caniſianæ editioni deeſt.* Acta ſancti Magni à variis edita,

2. *Quicumque hactenus S. Magni res geſtas litteris ſunt proſecuti, hos decepit ſpecioſum Theodori nomen, qui ſancti Magni diſcipulus ſeu comes & Vitæ ſcriptor præferebatur. Et certè quis non credat homini pio ac teſti oculato, qualem fuiſſe Theodorum exiſtimare par eſt? At poſtquam eadem Acta auctori Theodoro adſcripta ſeriò examinavimus, tot in illis deprehendimus nævos, ut ea prorſus omittere compulſi fuerimus vel inviti. Et ne ſententiam præcipitâſſe videamur, præcipua lubet repræſentare errata, quibus perſuaſionem noſtram æquis Lectoribus approbemus.* Sed corrupta pluribus locis.

3. *Primum erroris caput eſt, quòd ea facta quæ in Vita ſancti Columbani à Iona Scriptore gravi ac coævo de aliis referuntur, ſancto Magno à Pſeudo-Theodoro tribuuntur. Ionas in Vita ſancti Columbani num. 18. ſcribit, Authiermum Monachum petendæ Hiberniæ deſiderio flagrâſſe, ac ea de re conſuluiſſe Columbanum qui tum in Galliis morabatur. Reſpondiſſe Columbanum, ceſſum peti debere, ut quid Deus fieri vellet explorarent. Rem ipſam & quæ exinde conſecuta ſunt, mutato Authiermi nomine Pſeudo-Theodorus Magnoaldo ſeu Magno adſcribit. Vtrumque textum conferre juvat.* Authiermi factum Magnoaldo falsò attributum.

TEXTUS JONÆ.

Eo tempore quidam Frater nomine AUTHIERNUS pulſare cœpit ut peregrinandi in Hiberniam causâ perveniret cui COLUMBANUS ait:

TEXTUS PSEUDO-THEODORI.

In tempore illo cùm beatiſſimus Columbanus ſimul cum B. Gallo nepote ſuo (*nemo hoc dixit*) diverſa loca perluſtraret, ad diffamandum verba Dei & peregrinandi causâ Hiberniam perveniret (*quaſi uterque ex Hibernia natus non eſſet*) quidam Frater nomine

TEXTUS JONÆ.

CIRC. AN. DC. LXV. SEPT. VI.

MAGNOALDUS ex prefata patria Hiberniæ procreatus, pulsâre cœpit aures B. Galli discipuli sanctissimi Columbani ita alloquens: Beate Magister & Domine... vestigiis vestris provolutus deposco, ut spreta phaleramenta sęculi & præsentium pompam facultatum contemnens æterna prędmia capere merear. Quod B. Gallus cernens eum ad pœnitentiæ medicamenta concurrere, uniuscujusque Cœnobij septa ubicumque Dominus juberet per ejus orationem concupiſci, B. Columbano hoc indicans, obtulit eum suis obtutibus scisciſtans ab eo consilium & voluntatem. Cui beatus Columbanus respondit: Pergentes ergo filij in eremum voluntatem Domini probemus, utrùm desideratum arripias iter, an non. Pergentes ergo simul tertium adolescentem nomine SONARIUM, (*Goldasto* SONIARIUM) in comitatu sumunt, & ad destinatum in eremo locum venerunt, unius panis tantùm cibo contenti. Cúmque jam tertius transisset dies, nec quidquam panis fragmentum remansisset, horáque refectionis appropinquaret, imperantur à Patre ut per prærupta ruris eant, atque ad ima vallis perveniant, & quidquid ad cibum opportunè reperiant deferant. Ovantes illi per concava vallis transeuntes, invenerunt capturam piscium olim à pastoribus consertam in amne qui vocatur Lignona undísque oppositam. Quod inspicientes & Deo gratias agentes, sumentésque tres quos repererunt pisces, venerabili Patri præsentaverunt, &c.

Pergentes in eremum voluntatem Dei probemus, utrum desideratum iter arripias, an in cœtu Fratrũ permaneas. Pergentes ergo simul tertium adolescentem nomine SOMARIUM qui adhuc superis junctus est, in comitatu sumunt, & ad destinatum in eremo locum pervenerunt unius tantùm panis cibo contenti. Cúmque jam duodecimus transisset dies, nec quidquam de panis fragmento remansisset, horáque refectionis appropinquaret, imperantur à Patre ut per prærupta ruris eant, atque ad ima vallis perveniant, & quidquid ad cibum opportunè reperiant, deferant. Ovantes illi per concava vallis Mosellatenus advenerunt, capturámque piscium olim à piscatoribus consertam & undis oppositam cernunt. Accedentésque quinque magnos reperiunt pisces, sumentésque tres quia viverent, Patri præsentandos offerunt, &c.

Nemo non advertit plagium Pseudo-Theodori: qui si Lignonem Sequanorum amnem in Hibernia non locat per insciticiam, Gallum in Hibernia cum Columbano colloquentem, eodémque momento verba in Vosago finientem mira celeritate inducit.

Item Chagnoaldi res gestæ.

4. *Nec solum Authiermi factum larvatus ille Auctor S. Magno, sed etiam Chagnoaldi res gestas eidem accommodat: & facili oculorum lapsu,* MAGNOALDUM *in* CHAGNOALDUM *transformat. Chagnoaldus Chagnerici nobilis Franci filius, antequam* Lugduno Clavato Pontifex *esset, Columbani teste Iona* minister & discipulus *fuit. Refert iste Auctor, S. Columbanum dum à Theodeberto è Gallia expulsus cum suis in eremo Brigantiæ urbi proxima moraretur, nec quidquam alimenti præter ruralia poma haberet, Chagnoaldo in mandatis dedisse, ut urso poma devoranti partem suo suorúmque usui cessuram interdiceret, partem aliam urso permitteret. Rem ita ut præcepta fuerat impletam fuisse. Quæ eadem Pseudo-Theodorus totidem pæne sententiis in Magnoaldum transfert. Et quidem apud Surium in Ionæ textu non* CHAGNOALDUS, *sed* MAGNOALDUS *exprimitur: at mendum in Ionæ lectionem seu librarij vitio, seu ipsius Surij interpretatione irrepsisse constat. Quippe MSS. codices quibus usi sumus, constanter Chagnoaldum præferunt. Immo etiamsi membranæ*

Ionas in Vita S. Columban. n. 30.

ibid. n. 55.

veteres pro Chagnoaldo Magnoaldum ſubſtituerunt omnes, corrigendæ utique eſſent. CIRC. AN. DC. LXV. SEPT. VI. *Ibi enim ſermo eſt de miniſtro Columbani*, Chagnoaldum miniſtrum ſuum dirigit, *inquit Ionas. Porro ex ſuperioribus ipſius verbis, Chagnoaldum Lugduni Clavati Pontificem, Columbani* miniſtrum ac diſcipulum *fuiſſe convincitur. En Ionæ verba apud Surium num. 16. relata, quæ in noſtra editione num. 30. habentur:* CHAGNOALDUM Lugduno Clavato Pontificem, qui ejus & miniſter & diſcipulus fuit, novimus referentem, &c. *Quæ cùm ſancto Magno ſeu Magnoaldo qui numquam Epiſcopus fuit aptari nequeant, eidem etiam nec poſteriora poſſunt convenire.*

5. *Eodem errore Magnoaldum pro Chagnoaldo intrudit alio loco Interpolator, dum Theodorico ac Theodeberto ad Tulbiacum depugnantibus, Magnoaldum Columbano librum legenti & mutuam fratrum pugnam cælitùs edocto comitem adhæſiſſe fingit. Denique dum* Magnoaldi *nomen in* Magni *à Theodoro ſocio commutatum ſcribit, planè nobis ſuſpicionem injicit, an verè umquam S. Magnus dictus ſit Magnoaldus: an Pſeudo-Theodorus Magnoaldi nomen ipſi affinxerit, ut faciliùs ea quæ de Chagnoaldo à Iona dicebantur, Magnoaldo aptaret. Legimus quidem apud Vvalafridum Strabum in Vitæ S. Galli lib. 1. non ſemel Magnoaldi nomen: at cùm apud Ekkevardum juniorem, Notkerum, Ratpertum, aliòſque Scriptores Gallenſes conſtanter ubique* Magnus *non* Magnoaldus *exprimatur; dubitare licet num Vvalafridi ſcriptio hoc in loco depravata ſit.*

6. *Iſta ſufficere videntur, ut vulgatam ſancti Magni Vitam ut nullius prorſus auctoritatis ſcriptionem rejiciamus. Non deſunt tamen alia errata, quæ brevitatis causà notare potiùs juvat quàm refellere, quandoquidem ſeipſis ſatis refutata intelligantur. Primò falſum eſt* OTHMARUM * puerum ex Alamannorum genere *à Gallo & Magnoaldo* curiosè nutritum *fuiſſe, quem anno* DCC. LVIII. *in exſilio integra adhuc ætate mortuum eſſe ex Hepidanni Gallenſis Monachi Annalibus certum eſt. Deinde S. Magnum Eptaticum accedentem à Vvictherpo Auguſtæ Vindelicorum Epiſcopo exceptum fuiſſe æquè commenticium eſt: cùm Vvictherpus regnante Pippino Sedem Auguſtanam tenuerit. Adde Pippinum qui fere centum pòſt annis principatu potitus eſt, S. Magno rogatu Vvictherpi Epiſcopi locum* Fauces *dictum concedere non potuiſſe. Neque dicas hoc non de Pippino Rege, ſed de Pippino Heriſtallio Caroli Martelli patre explicandum. Auctoris enim mens fuit id de Pippino Rege affirmare, ut ex conſequentibus & ipſa Vvictherpi Epiſcopi ætate perſpicuum efficitur. Denique quis credat, S. Magnum ex Hibernia cum B. Columbano in Galliam acceſſiſſe, Gallo ſupervixiſſe annos quinque ſupra viginti, quibus Faucenſi Monaſterio à ſe condito præfuiſſe dicitur? Ex his manifeſtum cuique eſſe putamus, non injuriâ à nobis rejici Acta illa commenticia, quorum de Auctore paucis dicendum eſt.*

* *Surio cap. 11.*

ibid. cap. 21.

ibid. c. 26.

7. *In Vitæ illius extrema parte, ipſius ſancti Magni Tranſlatio refertur, cujus narratio apud Surium mutila, à Goldaſto mutuanda eſt. Ita res ſe habuiſſe dicitur.* Judicium de Auctore. Defuncto SIMPERTO Epiſcopo Auguſtano LANTO Epiſcopatum ſuſcepit, *quo poſt annos ſeptem ſublato* NITKARIUS cœpit à fundamentis Eccleſiam B. Magni conſtruere, *quam* quinto anno Epiſcopatûs ſui perfecit. Conſilio inito cum Archiepiſcopo ſuo ſanctæ Magontiacenſis Eccleſiæ nomine OTKARIO & ceteris Epiſpopis ſuis Suffraganeis, invenerunt dignum fore, ſanctum corpus in meliorem ac ſublimiorem locum tranſponere. *Id negotij Rege* LUDOWICO Ludowici clariſſimi Imperatoris filio *peractum eſſe dicitur, & ita quidem eſſe exiſtimamus.* His tranſactis adſumpſit ſecum præfatus Epiſcopus Lanto pictacium pæne putridum, *(nempe de Vita ſancti Magni in tumulo repertum, de quo poſtea)* ſed tamen Divina ſanctiente providentia paginæ licèt obſcuræ, tamen ad legendum ſunt conſervatæ: & accerſivit quemdam Monachum prudentem & induſtrium ex Monaſterio Elewanga, nomine ERMENRICUM, tradiditque ei ipſos quaterniones ad legendum & corrigendum atque emendandum. *Ermenricus tandem* quæ ibi invenit ſcripta revocans & corrigens omnia, ſeriem confuſam Capitulorum luminibus emendavit. *Pictacium autem illud ipſum ſcriptum dici-*

CIRC. AN DC. LXV. SEPT. VI. *Surio cap. 29.*

tur, quod Tozzo & Theodorus ad ſancti Magni caput in ſepulcro compoſuiſſe dicuntur, ponentes ejus Vitam ad caput ejus ſcriptam virtutibúſque plenam ſub auctoritate Theodori ita : Ego itaque Theodorus Monachus ſancti Galli juſſu TOZZONIS Epiſcopi ſicut à THEODEGISILO Monacho S. Columbani audivi & poſtea ipſe oculis meis vidi & auribus audivi, ſeu poſtquam me reliquit in Celſula Campidonenſi, plurima, ſed non omnia in pictacio meo ſcribere curavi & ad caput ejus poſui recondito eo in ſepulcro, &c. *Porro* ERMENRICUS *Monachus Elevvangenſis ac Levita, quem alij Ermenoldum vocant, is eſt qui Vitam ſancti Solæ Monachi ſcripſit, eámque prout in To. 4. Caniſij reperitur*, RUODOLFO Didaſcalo *ſuo nuncupavit, vixitque tempore Hrabani Mauri quem in illo opere commendavit : ac demum Abbas anno* DCCC. XLV. *electus, ſeptimo loco præfuit Monaſterio Elevvangenſi diœceſis Auguſtanæ, quod ab anno circà* M.CD.LV. *ad Canonicos ſæculares devolutum eſt. Præterea quædam alia ſcripſiſſe dicitur Ermenricus : an verò ſancti Magni Vitam qualis typis edita eſt exaraverit, certò pronuntiare non licet. Sanè ex verbis paullo antè de ipſo relatis conjicimus, expolita quidem ab ipſo fuiſſe B. Magni Acta, ſed ab alio quopiam temerè aucta fuiſſe. Neque enim ſe* induſtrium prudentémve *jactâſſet Ermenricus, qui in Epiſtolis ad Gundrammum & Ruodulfum longè modeſtiùs de ſeipſo ſapit. Sed quiſquis ille eſt qui vulgatam ſancti Magni Vitam conſarcinavit, malè omnino meruit de ſancto Magno : cujus res geſtas aliunde, ſi fas eſt, mutuari tentabimus.*

De S. Magno quinam ſcripſerint.

8. WALAFRIDUS *Strabus Augiæ Abbas Vitam ſancti Galli litteris commendavit poſtulante* GOZBERTO *ſeu* COTZPERTO *Gallenſi Abbate, & quidem ante annum* DCCC. XXXVII. *quo Gozbertus Bernvvico ſucceſſori Abbatiam vivens reſignavit. In illa Vvalafridi ſcriptione occurrunt nonnulla, quibus ſancti Magni Vita poterit emendari. Inſuper in Antiq. Lect. Caniſij To. 5. quidam Ratperti & alterius anonymi reperiuntur verſus, ex quibus etiam nonnihil lucis accedet. Florebat Ratpertus in præfato ſancti Galli Cœnobio Monachus Abbate Salomone ſub finem ſæculi IX. poſtponendus utique Vvalafrido, qui etiam ante Ermenricum Diaconum ac Monachum Elevvangenſem ſcribebat.*

Magnoaldus primò Clericus.

Vvalaf. lib. 1. c. 8.

9. *Poſteaquam Columbanus Alamanniam Italiæ petendæ causà deſerens, à B. Gallo receſſit*, Gallus, *inquit Vvalafridus*, retia ſua & ſagenam navi imponens, ad Willimarum Preſbyterum venit... Qui ſuſcipiens eum cum omni caritatis obſequio, domum vicinam Eccleſiæ ejus neceſſitati conceſſit, *(nempe ſanctus Gallus febre laborabat)* & duobus Clericis ſuis MAGNOALDO & THEODORO hanc ſollicitudinem commendavit, ut cum omni diligentia ejus recuperationi ſervirent. *Ex his colligitur, Magnoaldum non Hibernum ſed Alemannum, Clericum ab initio unà cum Theodoro paruiſſe Vvillimanno Presbytero, quì in caſtro Arbona prope Brigantium commanebat.*

S. Galli poſtea diſcipulus.

10. *Deinde Vvalafridus lib. 1. cap. 17. commemorat, B. Gallum curatâ Sigiberti Regis filiâ Arbonam reverſus, omnia dona quæ detulerat in pauperes erogâſſe. Tum ſubdit* : Hæc videns quidam diſcipulus ejus nomine MAGNOALDUS dixit ad eum : Pater, habeo vas argenteum pretioſum cælaturis inſigne : ſi vis, reſervabo illud, ut ſacri vaſa miniſterij ex eo faciamus. Ille reſpondit : Fili... vas quod poſſides, pauperibus conferre curato. Nam Præceptor meus beatiſſimus Columbanus in vaſis æneis Domino ſolet Sacrificium offerre ſalutis, quia fertur & Salvator noſter clavis æreis Cruci confixus. *Iam ergo Magnoaldus B. Galli diſciplinæ ſe tradiderat, nec Magiſtrum habuit Columbanum, quem S. Gallus non communem, ſed* ſuum *ipſius* Præceptorem *vocat.*

Diaconus B. Gallo miniſtrat.

Vvalaf. c. 25.

11. *Magnoaldus à Vvalafrido ejuſdem lib. 1. cap. 23.* Diaconatûs officio ſublimatus *cum B. Gallo & Iohanne itidem Diacono profectus dicitur in urbem Conſtantiam, in qua tum Clerus ac populus de eligendo Epiſcopo tractabant : qui in Iohannem renitentem, ægrè tandem ordinatum conſenſerunt. Deinde morte ſancti Columbani per revelationem accepta B. Gallus*, dum poſt laborem matutinalis officij quieſcendi gratiâ Fratres lectos ſuos reviſerent, primo diluculo vir Dei vo-

cavit MAGNOALDUM Diaconum ſuum dicens illi: Inſtrue ſacræ Oblationis miniſterium, ut poſſim Divina ſine dilatione celebrare myſteria. Et dixit: Num, inquit, tu Pater Miſſam celebrabis? Dixit ergo ad illum: Poſt hujus vigilias noctis cognovi per viſionem, dominum & Patrem meum Columbanum de hujus vitæ anguſtiis hodie ad paradiſi gaudia commigrâſſe: pro cujus itaque requie Sacrificium ſalutis debeo immolare. Et ſigno pulſato Oratorium ingreſſi proſtraverunt ſe in orationem, & cœperunt Miſſas agere & precibus inſiſtere pro commemoratione B. Columbani. Finito ſacræ devotionis officio venerabilis Gallus dixit ad Magnoaldum Diaconum: Fili, non tibi grave videatur petitionis meæ pondus, ſed arripe viam & Italiam petito, pertranſiénſque uſque ad Monaſterium quod Bobium vocatur, diligenter perquirito, quid actum ſit circa Abbatem meum. Nota ergo diem & horam, ut ſi eum compereris eſſe defunctum, poſſis agnoſcere, utrùm viſio mea veritatis fulciatur effectu... *Magnoaldus* cùm perveniſſet ad Monaſterium, invenit omnia ita contigiſſe, ſicut Patri ſuo per viſionem fuerant revelata. Manſit autem ibi una nocte, & accepit à Fratribus Epiſtolam ad B. Gallum, continentem venerandi tranſitum Columbani. Qui & baculum ipſius quem vulgò Cambotam vocant, per manum Diaconi transmiſerunt, dicentes ſanctum Abbatem ante tranſitum ſuum juſſiſſe, ut per hoc notiſſimum pignus Gallus abſolveretur. Dimiſſus autem ab illis iter acceleravit: & proſperè in omnibus agens, die octava pervenit ad dominum ſuum & Patrem, ferens epiſtolam relationis & abſolutionis indicium. *Quæ eadem iiſdem omnino verbis à Pſeudo-Theodoro referuntur.*

CIRC. AN. DC. LXV. SEPT. VI.

Mittitur in Italiam.

12. *Hæc fere ſunt quæ de B. Magnoaldo apud Vvalafridum leguntur. In vulgatis Actis ſancti Magni veri ſimilia exiſtimamus quæ ſequuntur. Poſt mortem ſancti Galli, Magnoaldus Theodoro comite* in locum Campidonam *dictum ad fluvium Hilaram profectus dicitur. Ibi relicto Theodoro qui illic Oratorium conſtruxit, Magnoaldus* venit ad loca Fauces *appellata*, ad fontes Alpium Juliarum *in diœceſi Auguſtenſi. Iſthìc Oratorio conſtructo Monaſterium accrevit, uti in loco Campidona, ubi inſigne hactenus cernitur Monaſterium, de quo Hermannus Contractus in Chron. ad ann. 752.* AUDOGARIUS primus Campidonenſis Cœnobij fundator & Abbas locum illum incolere cœpit. *Hujus Cœnobij Abbas inter Quatuor-viros ſacri Romani Imperij numeratur.*

Cœnobium Faucenſe condit.

13. *Ratpertus Gallenſis Monachus in Carmine Sapphico de B. Magno inter alia hæc cecinit:*

Nomen hic MAGNI reſerando plebi
Viribus magnis colitur celebris,
Auctus à GALLO Superis amando
Dogmate largo.
Hoſtis immitem domuit furorem,
Pacis auctorem comitando ſuavem,
Omnibus ſanctæ placidæque vitæ
Normula factus.

Ille poſt clarũ remanens Magiſtrum,
Ejus exemplis inhians beatis,
Turbidum mundi reprobans honorẽ
Terrea ſprevit.
Spiritu pauper fuit hic miniſter:
Hinc & in regno micat ille dexter,
Mitis exſtabat; tenet atque terram
Viva gerentem.

Laudatur à Ratperto. *Te. 5. Caniſij.*

14. *Quamdiu S. Magnus B. Gallo ſupervixerit, incertum. Pſeudo-Theodorus vigintiquinque annos ſuperſtitem fuiſſe ſcribit, quod quidem non rejicimus. Commendatur in Notkeri Martyrologio VIII. Idus Septembris his verbis*: Nativitas S. MAGNI Confeſſoris diſcipuli & comitis B. Galli, mirabilis atque ſanctiſſimi viri.

Mortis tempus.

15. *S. Magni corpus ſepultum eſt in Faucenſi Monaſterio, ex quo ſub ann.* DCCC. XXCV. *ipſius brachium in Monaſterium S. Galli curante Salomone Abbate delatum eſt.* Incipit SALOMON, *inquit Ekkehardus junior in lib. de Caſib. S. Galli cap. 1.* in colle concambij ſui Eccleſiam in honorem & modum ſanctæ Crucis ædificare: in quam ad unguem perductam S. MAGNI Brachium ADALBERONE Epiſcopo dante & proſequente de Faucibus ſumptum, magnis hincinde velut triumphis trepidus intulit, & in honore eam ſanctæ Crucis & ejuſdem privati

Brachium ad S. Galli Monaſterium translatum.

CIRC. AN. DC. LXV. SEPT. VI. Patroni noſtri dedicavit. *Exſtat etiamnunc hæc Eccleſia ſancti Magni dicta, olim extra opidum S. Galli in dicto colle, nunc intra muros ſed extimo loco pariter cum cœmiterio poſita, prout Goldaſtus adnotavit. Henricus Caniſius vulgavit Carmina nonnulla, in quibus iſtius Tranſlationis fit mentio. In his anonymus quidam, quem Caniſius Hartmannum Monachum ſuſpicatur, ita applaudit.*

Caniſ. To. 5. pag. 753 754. 755.

Sternere ſupplicibus iſthæc modò, patria, votis,
Et venerans tanti ſuſcipe membra viri:
Ipſas omnigeno decorans cum flore plateas,
Limina perpulchris obvia lampadibus.
Adveniunt pariter necnon comitantur eumdem
Perſpicui Fratres, Angelici Proceres.
Qui Sancti feretrum circumvolitando beatum,
Alarum expanſu undique membra tegunt.
Inde COLUMBANUS noſter Pater atque Magiſter
Alpibus excurſis aëriſque viis,
Hîc aderit præſens, alacríſque ad gaudia tanta
Agmina conjunget conſociata ſimul.
Conjunguntur ei celeres greſſúſque fatigant
Tres quoque Francorum Scottigenæ pariter:
Quos volitans fama adſciſcens ad gaudia tanta
Unitos tulerit dulcibus obſequiis.
Obvius hinc proprios GALLUS producit alumnos,
Longiùs occurſu approperans rapido.
Hunc circum medium numeroſis cœtibus auctus
Denſatur nitidus Cælicolûm populus.
Omnes qui pariter ſancta de voce ſalutat,
Et proprios lares, MAGNE, ſubire rogat.
Ut quos ætherei retinet communio Templi,
Hîc quoque conſortis jungat honoris amor.
Interea OTHMARI præſtabit cura beati,
Manſio conſtructa quoque parata fiat:
Ut nil diſpliceat venientis hoſpitis ori,
Omnia ſplendenti ſed niteant facie.

Cetera in idem argumentum prætermittimus.

Faucenſe Monaſterium.

16. *Perſtat ad hunc uſque diem Faucenſe Monaſterium Ordinis S. Benedicti à B. Magno exſtructum, de quo referre juvat Melchioris Goldaſti in Ekkehardum juniorem obſervationem.* Fauces, *inquit Fueſſen*, ad pedes Alpium Juliarum, unde & nomen invenit, ut ab antiquis *Fuazin*, id eſt Pedes diceretur. Ita enim veteres pronuntiabant. KERO Monachus in Lexico, Pede, *Fuazze*; Pedibus, *Fuazzio*; Pedibus, *Fuazzum*; Monachi noſtri imperitè *Fauces* reddidêre. Eâdem ignorantiâ & *Fuaſſach* Auſtriacorum in ſupremo lacu Brigantino Fauciacum dixêre, quam veteres Alamanni appellârint quaſi *Aquas* ad pedes, ſcilicet Alpium quibus adjacet, & unde fluvius ille caſtrum alluens exoritur. Meliùs & ſignantiùs dixiſſent *Aquipedium*, ad eam formam qua *Aquigranum*, quod poſtea maluerunt litterâ inſertâ *Aquiſgranum* ſcribere. Sunt qui *Phuſcam* appellent ex Italorum (opinor) *Phieſco*: item qui *Abuſiacum. Ita ille. Eſt & aliud Monaſterium Canonicorum Regularium*, S. Magni *dictum in ſuburbio Ratiſponenſi, quo ex Monaſterio Surius Acta ſancti Magni à ſe edita deprompſit.*

IHS

VITA S. GERMANI ABBATIS GRANDIVALLENSIS PRIMI ET MARTYRIS CUM RANDOALDO PRÆPOSITO,

CIRC. AN. DC. LXVI. FEBR. XXI.

Auctore BOBOLENO Monacho fere æquali.

Ex Tomo 2. Febr. Iohannis Bollandi.

PROLOGUS

1. DOMINIS eximiis, & ſacris culminibus decoratis religioníſque copiâ fultis, & in ſanctitate ſemper ubique pollentibus, DEICOLO, LEUDEMUNDO, & INGEFRIDO Patribus, BOBOLENUS exiguus omnium Preſbyterorum. Pauci admodum dies ſunt, quòd à quibuſdam ſanctis Fratribus flagitatus, ut S. GERMANI Abbatis Grandivallenſis [a] meo ſtuderem ſtilo texere geſta, præſertim qui cum eo fuerunt in tempore, & penes ipſum patrata viderunt: à quibus etiam & nos per venerabiles viros CHADOALDUM & ARIDIUM didicimus, qui nunc ſuperſtites ſunt.

[a]

Auctoris fides

2. Igitur S. Germanus Abbas & Martyr, natali ſolo Trevirenſium urbis incola fuit, ex genere Senatorum genitus, ſed nobilior ſanctitate. Pater ejus OPTARDUS; fratres verò ejus OPTHOMARUS & NUMERIANUS. Opthomarus ſub DAGOBERTO Rege quondam Regia elegantia & mundana ſcientia inclytus, ſub Rege SIGEBERTO, idémque auxilio fultus Domini ceteris Proceribus ſublimior fuit. Cùm eſſet S. Germanus infantulus, traditus eſt B. MODOALDO *, qui & ipſe illis diebus Trevirorum urbis Cathedram arce ſanctitatis tenebat: qui cùm audiſſet eum elegantem & ſagacis ingenij cerneret puerum, litteris liberalibus eum erudire cœpit.

Germanus Trevirenſis à Modoaldo eruditur.

* *Vita apud Surium 12. Maij.*

3. Tandem cœpit vir Dei ſanctitate & ſcientia pollere, itaut omnes mirarentur conſtantiam ejus: & audiebat à legentibus B. Pauli ſententiam dicentis; *Præterit enim figura hujus mundi: reſtat enim ut qui utuntur hoc mundo, tamquam non utentes ſint.* Evangelicæ verba ſententiæ conſiderabat dicentis, quòd dives difficilè intrabit in regnum cælorum. Tantam itaque viro Dominus gratiam ab hominibus dedit, ut non ſolùm à Clericis, ſed ab omnibus nimio diligeretur affectu: nihil in eo ſuperbiæ, vel arrogantiæ, ſed omnibus benevolus habebatur: in terris poſitus, cæleſtibus ſe ſecretis aptum oſtendebat. Erat enim adſpectu Angelicus, ſermone nitidus, opere ſanctus, corpore integer, ingenio optimus, conſilio magnus, fide Catholicus, ſpe patientiſſimus, caritate diffuſus, & omni ſuavitate conſpicuus: meditabatur apud ſe in ætate puerili, quod poſtea juvenis implevit.

Terrenis ſpretis virtutes exercet.

1. *Cor.* 7. 31.

Mat. 19. 23.

4. Cùm verò eſſet annorum ſeptemdecim, anhelante animo cœpit tacitus intra ſemetipſum cogitare, qualiter mundanas illecebras & delectationes hujus ſæculi, blanditiáſque evadere poſſet. B. Modoaldum Epiſcopum flagitare cœpit: O venerabilis Pater, permitte me ut omnibus priùs poſitis, ad Monaſterium quo me juſſerit Divina pietas pergam. At verò B. Modoaldus mirari cœpit adoleſcentis animum, quòd tam viriliter ageret ut eremum deſideraret; ait

Monaſterij petendi licentiam petit ab Epiſcopo.

[a] Monaſterium Grandivallenſe in valle contigua finibus Rauracorum & Helvetiorum ad Birſam fluvium in diœceſi Baſileenſi, inſtitutum eſt à S. Vvaldeberto Abbate Luxovienſi, prædia largiente Gundonio Duce, uti infrà dicitur: ac S. Germanum primum Abbatem habuit. Iſtud Monaſterium cum vico appoſito Gallis *Grand-Villers*, Germanis *Granfel*, uſitatiùs *Munſterthal* dictum, ab annis quingentis tranſiit ad Canonicos ſæculares, qui Patrum noſtrorum ſæculo causâ vitandæ hæreticorum violentiæ in vicinum opidum Telsbergam ſive Delemontem commigrârunt; quod Bollandus aliique notaverunt.

CIRC. AN. DC. LXVI. FEBR. XXI.

ad eum: O juvenis, magnum & altum petere deſideras, ſed juvenibus lubricum eſt iter, per quod terente pede ire feſtinas. Dixítque ad eum: Non ſum auſus tibi dare promiſſum* propter Regiam poteſtatem, quia ſcriptum eſt: *Rom.* 13. 1. & 2. *Non eſt enim poteſtas, niſi à Deo.* Et iterum: *Qui poteſtati reſiſtit, Dei ordinationi reſiſtit.*

* *f.* permiſſum

Arnulfum adit.

5. Ille verò ut erat audax, confidens in Domino, omnia ſua diſtribuens dedit pauperibus juxta Evangelij vocem: aſſumptíſque ſecum tribus pueris comitantibus eum, B. ARNULFUM Epiſcopum expetiit, qui in illis diebus in eremo, cui vocabulum eſt Horenbergo, vitam ſanctam ducebat. At verò B. Arnulfus cernens eum, ovanti animo gratias agens omnium Conditori, excepit lætus & hilaris, & comam capitis tondebat, & apud ſe aliquamdiu commorari fecit, ut eſſet imitans vitam & mores viri Dei. Deinde ad Monaſterium B. Romarici, quod vulgò vocant Caſtellum, in cacumine montium ſuo opere conſtructum venit: mittens duos è ſuis qui fratrem ſuum Numerianum nomine parvulum adhuc ætate, ad ipſum adducere deberent: cupiens eum de ſæculi actibus ad inſtituta ſanctorum Patrum vel Regulam Monachorum & ſanctam vitæ converſionem adducere.

Fratrem ad ſe vocat.

In Monaſterio Romaricenſi excipitur.

6. Beatum verò Germanum ad ipſum Monaſterium venientem omnes unà cum fratre ſuo ovantes excipiunt, referentes Conditori gratias, quòd de tantæ proſapiæ genere ſibi Dominus ad ſuum vocaret ſervitium. Totum corpus ſuum affligens in jejuniis & vigiliis & orationibus, ſemper Deo vacans, nihil ampliùs præter quotidianum victum reſervabat. Veſtitus ejus vilitas erat, exemplum humilitatis & caritatis omnibus exhibebat: itaut ad ligna cædenda cum collega ſuo ad ſilvas pergeret & ſuis humeris deferret. Sermonum B. Pauli conſiderabat ſententiam, dicentis: *Qui non laborat, non manducet.* 2. *Theſſ.* 3. 10.

Luxovium petit cum ſociis.

7. Tantam autem Dominus gratiam ei dedit, ut nullus eſſet qui non cuperet vitam & mores illius imitari. Tum deinde aſſumpſit ſecum B. CHUANEM* magnæ religionis virum ex genere Burgundionum: & accipiens ſalubrius conſilium, Monaſterium antiquorum opere conſtructum, cujus vocabulum eſt Luxovium, ambo pariter cum ſuis ſodalibus expetunt. Erat autem Pater Monaſterij illius WALDEBERTUS nomine, vir egregius ex genere Sicambrorum, & magnæ converſionis vitæ. Cúmque eos adſpexiſſet Sacerdos Dei, omnes unanimiter hilari vultu intra Monaſterij ſepta recepit ovans. Ingreſſus verò homo Dei cum ſuo Fratre Monaſterium, mortificationem carnis & ſanctæ religionis vitam & obedientiam ambo ſpontanea voluntate depromunt. Cúmque cerneret eum B. Waldebertus virum eſſe induſtrium, eum Preſbyterum fieri juſſit; omnis chorus Fratrum in ejus veneratione clamaverunt dicentes, Germanum dignum eſſe Preſbyterio. Sancto itaque ordinato Preſbytero, omnem gratiam tranſſcendebat in Clero.

* *al.* Chunianum & Chumanum

Presbyter ordinatur.

Gundonio locum concedente,

8. Cernens verò Deo plenus & Spiritu-ſancto repletus Sacerdos Dei Waldebertus certatim undique catervas Monachorum coadunari, cœpit de tam plurima multitudine, ſi fortè ubiubi poſſet, loca uberrima ubi de ſuis Monachis ad habitandum adunaret exquirere. Audiens autem GUNDONIUS[a] vir illuſtris, quòd B. Waldebertus Abba ſagaci intentione requirebat loca, ubi Monachi ſui reſidere, & vitam ſanctam degere deberent; miniſtros ſuos ad eum direxit, ut ad ipſum quantociùs properarent. Tum verò B. Waldebertus abſque ulla ambiguitate ad ipſum Gundonium accedit dans conſilium. Illuſtris vir Gundonius dedit illi loca opportuna; & licet difficilis ſit introitus eorum, aditus eorum inveniri queunt. Tunc cœpit Waldebertus lenibus verbis mulcere animum ejus, & ſi vellet pro Dei intuitu vel pro remedio animæ ſuæ vel pro ab-

[a] Gundonius, infrà num. 11. Dux appellatus, alius eſt à Gundoïno S. Salabergæ patre, qui neque Dux fuit, neque ampliùs in vivis erat, dum à Gundonio Grandivallenſe Monaſterium ædificari cœpit; ex dicendis infrà & ex Vita ſanctæ Salabergæ ad ann. 653.

ſolutione

ſolutione peccaminum ſuorum, firmitatem de ipſis locis manibus ſuis ſeu bonorum hominum roboratam manibus exhiberet. CIRC. AN. DC.LXVI. FEBR. XXI.

9. Deinde Waldebertus cum timore Dei & oratione Fratrum ad ipſum locum acceſſit, & invenit locum uberrimum infra ſaxorum concava, vallem, quam nuncupavit Grandem-vallem: & eſt amnis in ea cum multitudine piſcium; hortans Fratres ſuos ut ibidem conſiſtere deberent. Accerſivit itaque ad ſe unum de Preſbyteris ſuis nomine FRIDOALDUM, de paucis Monachis Domni Columbani Abbatis, admonens ut ad ipſum locum accedat. Ille verò de obedientiæ bono nihil dubitans, cum aliquot Fratribus ad ipſum locum cum timore Dei acceſſit: exercens ſe in labore cum ſuis cœpit ligna cædere qualiter victitare deberent. Vvaldeberto Monachos inſtituente,

10. Poſthæc cœpit Waldebertus Sacerdos Dei intra ſemetipſum tacitùs cogitare, ſi poſſet reperire de ſuis Fratribus ex genere nobili & ſacris apicibus vel litteris eruditum, in ſanctitate conſpicuum, qui ipſos Monachos ſecundum tenorem Regulæ gubernare & regere deberet. Quid plura? Deo jubente vel inſpirante, S. Germanus eligitur Abbas. Igitur venerabilis vir Sacerdos Dei cum ipſo Germano ad ipſum Monaſterium Grandem-vallem veniunt: cœpit eum cum ſuis Monachis exhortari ut nihil formidaret, ſed ut vir Sanctus lumbos ſuos accingeret. Ille verò de obedientiæ bono nihil dubitans, accedens cum timore Dei laborem arripuit. Waldebertus verò Fratres exhortabatur, ut eos de ſua obedientia abſolutos reddat, & S. Germano pro Dei intuitu obedientiæ colla ſubmitterent: quod & ita fecerunt. Accepta igitur benedictione, tria Monaſteria, ſcilicet S. Urſicini, atque Verdunenſe [a], necnon & Grandivallenſe in ſuo recepit dominio. Tantam autem ei gratiam Dominus dedit, ut non ſolùm à ſuis, verumetiam ab omni ætate & ſexu, nimio diligeretur affectu. Cernens ergo S. Germanus Abbas, quòd difficilis eſſet introitus eorum, cœpit ſaxorum dura manibus quatere; & ſunt intrantibus patefacta uſq; in præſententem diem. Germanus Grandivalli præficitur, aliiſque duobus. *a*

11. Contigit autem ut moreretur Gundonius Dux, & BONIFACIUS Dux ſive CATHICUS [b] in locum ejus ſuccederet. Qui cœpit nequiter opprimere populum illum vicini Monaſterij, cœpitque imputare quòd ejus anteceſſori ſemper rebelles fuiſſent. Illis verò proteſtantibus quòd nefas erat quod eis imputabatur, multis modis affligere eos conabatur. Et quia Deo omnipotenti cura eſt de his qui certant pro eo, volens athletam ſuum laureare, quem præſcivit pro ſuis laboribus coronandum, tandem excitatus eſt Cathicus in ſcelus. Igitur homines hos neque audientes tunc, jubens ad ſe venire centenarios illius vallis, eos in exſilium ire præcepit. Tunc Cathicus quod iniquo conſilio cœperat explere, ſeu quod venenata mente tractaverat, omnino cupiens adimplere, aſſumpſit ſecum phalanges Alamannorum gentis bellicoſæ: orto jam ſole ingreſſus eſt ſuper valle. Cathicus Dux incolas vexat. *b*

12. Quod cùm nuntiatum eſſet B. Germano, quòd CATHELMUNDUS à partibus Aquilonis cum magno exercitu ingrederetur ſuper valle illa, & Cathicus ab alia parte cum ingenti exercitu adveniret; tunc B. Germanus, accepta * ſe- Germano & Randoaldo Reliquias deferentibus pacem fictam pollicetur. * acceptis &c.

a Verdunenſe ſeu Vverdenſe Monaſterium, aliis Inſulare dictum (*Vverd* enim Germanis Inſulam ſignificat) Monaſterium S. Pauli ad Inſulam vulgò *Saint Paul zu Vverd* à Chriſtiano Urſitio in Chron. Baſileenſi dicitur. Monaſterium S. Urſicini, in finibus Sequanorum Aleſatiam versùs ad refluxum Dubij fluvij poſitum, originem ſuam debet S. Urſicino B. Columbani diſcipulo, qui Præceptorem è Gallia ejectum ſecutus ad hunc uſque locum, illic eremiticam vitam egit, & diſcipulos aliquot aggregavit. Monaſterium inibi ab ipſo erectum aiunt. Et tamen S. Vvandregiſilus in poſteriori Vita ad ann. 667. referendâ dicitur migrâſſe *in Eliſangium territorium, ubi & Monaſterium ſtruxit pro temporis opportunitate in poſſeſſione propria, ubi* B. VRSICINUS *requieſcit venerabiliter humatus.* Fortaſſe jam illic erant quædam cellulæ à B. Urſicino ædificatæ, quas Vvandregiſilus auxit. Iſtud Cœnobium accrevit in opidulum ſui nominis *S. Vrſitz* dictum; anno milleſimo venit in ditionem Epiſcopi Baſileenſis dono Rudolfi tertij & ultimi Burgundiæ Regis, ceſſitque poſtea Canonicis ſæcularibus duodecim Innocentio II. approbante anno M.C.XXXIX. Colitur S. Urſicinus XIII Kalend. Januarij in Diœceſi Baſileenſi cum Officio proprio, in quo mortuos ſuſcitâſſe & alia id genus patrâſſe dicitur: uti ex Serie Epiſc. Baſileenſ. didicimus.

b Nonnulli Cathicum à Bonifacio diſtinguunt: judicium eſto penes Lectorem.

CIRC. AN. DC. LXVI. FEBR. XXI.

cum pignora Sanctorum, cum libris & Præpoſito Monaſterij nomine RANDOALDO, ad eum properare ſtudet. Sed antequam perveniret ad eum, homines inimici diabolo impleti projecerunt eum in terram: qui tandem pervenerunt ad Cathicum, & invenit eum in Baſilica S. Mauritij cum ERICO Comite, conſiliantes in invicem. Cœpit autem B. Germanus alloqui eum, & dicere: Inimice Dei & veritatis, cur ingreſſus es ſuper homines Chriſtianos? Cur non pertimeſcis ad naufragium perducere Monaſterium meum, quod ipſe ædificavi? At ille veniam poſtulat de commiſſo ſcelere, falſa humilitate vadimonium ſuum in manum ejus dare voluit. Sed ille renuit eum accipere, promittens ſe de omnibus ſatisfacturum * eſſe. Egreſſus inde reliquit eum in Baſilica S. Mauritij cum uno tantum comite nomine Randoaldo.

* *f.* ſatisfactum

Germanus & Randoaldus lanceâ tranſverberantur.

13. Ille verò videns quòd nihil proficeret, ſed per totam vallem cernens tamquam à luporum morſibus vicinos Monaſterij laniari, & domus eorum incendio concremari, flevit diutiſſimè, & manus palmáſque in cælum tendens dicebat: Vide Domine, ne ſileas, quia gens barbara ingreſſa eſt ſuper nos. Quem repedare volentem ad Monaſterium ſuum cum collega ſuo, in via ſecuti ſunt homines pleni dæmonio: quos videns S. Germanus Martyr & Sacerdos Dei, verbis pacificis eos alloquebatur, dicens: Nolite, filij mei, tantum nefas perpetrare in populo Dei. Illi verò, ut erant repleti dæmonio, eum exſpoliaverunt veſtimentis ſuis. Cúmque cerneret B. Germanus martyrium ſuum propè adeſſe, fratri ſuo Randoaldo loquebatur, dicens: Simus pacifici, frater mi, quia hodie fructum bonorum noſtrorum conſequimur. Cúmque exſpoliaſſent eum unà cum collega ſuo, aiebat dicens: Gratias ago tibi, Paſtor bone, quia non me fraudâſti bonis tuis: dignare me recipere cum fratre meo in conſortio Sanctorum tuorum. Poſthæc vox ei de cælo venit dicens: Veni fidelis diſpenſator, aperti ſunt tibi cæli: congaudent tibi Angeli mei, ut perducant te in cæleſtem Jeruſalem. Et hæc dicens, unus ex iis, qui erat audacior, repletus dæmonio, lanceâ perfodit eum, ſimúlque & Randoaldum. Corpus remanſit exanime, anima illius penetravit cælos.

Sepeliuntur.

14. Cúmque hæc acta fuiſſent, Fratres ejus requirebant eum huc atque illuc circumeuntes. Ferè horâ tertiâ noctis invenerunt eum jam defunctum unà cum collega ſuo: & levantes corpus ejus cum ejulatu magno, deferunt in Baſilicam S. Urſicini ſuo opere conſtructam, proſternentes eum nudum ante conſpectum Dei. Acta ſunt hæc ipſa nocte in vigilia Cathedræ S. Petri [a]. Cùm Fratres ad vigilias excubarent nuntius venit qui diceret, Patrem Monaſterij ab hoſte iniquo interfectum fuiſſe. Illi verò cum ejulatu magno deferunt eum in Baſilicam S. Petri, & ſepelierunt eum: ubi præſtantur beneficia orationum, ipſo præſtante, cui eſt honor & gloria in ſæcula ſæculorum, Amen. Factum eſt autem redeunte anni circulo, dies Natalis Domini advenit: tantum lumen coruſcans referunt in ipſa vigilia Natalis Domini, ubi interfectum corpus beati Germani fuit, de cælo venit, ut omnes mirarentur & replerentur timore magno.

[a] Nempe in Cathedra quæ VIII. Kalend Martij olim ſola celebrabatur, (ſicuti alibi diximus) & quidem circa annum DC. LXX. quod inde colligimus, Germanus ad S. Arnulfum in eremo degentem anno circà DC. XXXV. acceſſit cùm eſſet annorum ſeptemdecim. Luxovium profectus ordinatus eſt Preſbyter poſt annos fere tredecim juſſu Vvaldeberti, à quo paullo pòſt Grandivalli præfectus, annos minimùm ſexdecim in eo Monaſterio exegit. Corpus ejus primò in S. Urſicini Baſilica ſepultum, delatum eſt paullo poſt in Eccleſiam Grandivallenſem S. Petri, ubi in tumulo jacuit ad annum M CCCC. LXXVII. quo Henricus Ampringius Præpoſitus ac reliqui Canonici tumulum reſeràrunt feriâ quartâ poſt feſtum S. Margaretæ, quemadmodum ex Mureto Bollandus adnotavit. Patres Collegij Bruntrutani in Serie Epiſc. Baſileenſ. addunt, anno M D. IV. Sabbato ante Dominicam *Lætare*, ſacros cineres SS. Martyrum GERMANI & RANDOALDI; qui ſub altari ſummo Templi pio cultu frequentati & patratis miraculis celebrati quieverant annis permultis, RAYMUNDI Cardinalis & Romani Pontificis Legati juſſu & auctoritate, in decentiorem locum fuiſſe tranſlatos: poſtea verò ob ſævientium Calviniſtarum furorem clam delatos Delemontem: ubi poſtea conſedit Canonicorum collegium, poſtquam anno M. D. LXXI. Junij die 8. Templum Monaſterij igne cœleſti conflagravit.

15 Unus autem è Fratribus ipſa die interfectionis ejus inter hoſtium cuneos, cingulum, quod vulgò bracile vocatur, inter manus trahentium invenit, & Monaſterij veſtiario detulit. Tunc omnes Fratres tamquam munus de cælo prolatum ovantes excipiunt, & illud in Eccleſia inter pignora Sanctorum ſuſpendunt. Poſthæc contigit, ut aliquis homo vicinus Monaſterij magnis febrium detineretur infirmitatibus: vix à ſuis deportatus in Monaſterium venit: cúmque Eccleſiæ limen attigiſſet adſpexit cingulum almi Germani pendêre. Tum cœpit cum ejulatu magno precari, ut illud contingere liceret. Tunc unus de Diaconibus replevit calicem, & immerſit, & dedit bibere ægroto: & ſtatim ut bibit, ad priſtinam reſtitutus eſt ſanitatem. Adeò plura ſunt à beato Germano facta miracula, ut vix verbis concipi queant. CIRC. AN. DC. LXVI. FEBR. XXI.

VITA S. HILDEFONSI EPISCOPI TOLETANI,

AN. CHR. DC. LXVII. JAN. XXIII.

Scripta à JULIANO & ZIXILANE Epiſcopis.

Cum MS. cod. Bibliothecæ Regis Chriſtianiſſimi collata à V. C. Stephano Baluzio.

OBSERVATIONES PRÆVIÆ.

1. HILDEFONSUS *ſeu* ILDEFONSUS, *corruptè* ALFONSUS, ALONSÚSVE, *vitæ ſuæ ſcriptores aut potiùs abbreviatores habuit duos, quorum alterum* ZIXILANIS, *alterum* JULIANI *Antiſtitis Toletani nomine edidit Iohannes Bollandus ad 23. Ianuarij, utrumque Thomæ Tamayi de Vargas Notis illuſtratum. Cùm verò Hildefonſi opera revolveremus, in fronte occurrit ipſius* ZIXILANIS *(ut aiunt) fetus,* JULIANO *Pomerio Toletanæ Sedis Diacono attributus. Et ecce iterum in Bibliotheca Regis Chriſtianiſſimi apographo alius ejuſdem operis ſeſe exhibet Auctor* B. ELLADIUS Toletanæ urbis Epiſcopus. *Bollandianam editionem cum Regio exemplari contulit rogatu noſtro vir humaniſſimus juxtà & doctiſſimus* Stephanus Baluzius, *inſignis Bibliothecæ Colbertinæ Cuſtos, multíſque in locis, prout eam hic ſubjicimus, emendavit. Sic procedit Regium apographum. Primo loco occurrit* JULIANI *Epiſcopi Toletani Appendix ad Hildefonſi librum de Scriptorib. Eccleſ. cum hoc titulo,* JULIANUS loquitur Epiſcopus. *Subſequitur Hildefonſi elogium à Iuliano editum. Poſtea quibuſdam aliis interpoſitis ſubjicitur Vita Hildefonſi his verbis præfixis:* In nomine Domini noſtri J.C. incipit Vita vel Geſta S. HILDEFONSI Epiſc. Toletanæ Sedis Metropolitani à B. ELLADIO Epiſcopo ejuſdem urbis edita x. Kalend. Februarij. *Nos eumdem ordinem tenebimus.* Vitæ Scriptores.

2. *Verùm quis demum ſecundæ iſtius lucubrationis Auctor? Equidem præferendam putamus ſententiam de* Zixilane Epiſcopo, *quem Iohannes Tamayus Salazar in Catalogo Toletanorum Epiſc. Tomo 5. Martyrol. Hiſp. menſe Octobri vulgato ita commendat:* CIXILANUS ad quem ſcripſit Hadrianus Pontifex Max. Sedem rexit ad ann. DCC. LXXI. *Certè nullus* Elladius *ſeu* Helladius *Epiſcopus Toletanus legitur poſt Helladium Hildefonſi Præceptorem: neque ullus* Julianus Pomerius Diaconus Toletanus *inter Scriptores Hiſpanicos numeratur. Nam* Julianus Pomerius *ab Iſidoro in lib. de Script. Eccleſ. cap. 12. immo etiam à Gennadio cap. 98. laudatus, non dicitur Toletanus Diaconus, &* Hildefonſo *antiquior eſt. Huc referenda ſunt quæ de Epiſcopis Toletanis & Monaſterio Agalienſi ſuprà ad annum 632. in Elogio S. Helladij diximus.*

AN. CHR. DC.LXVII. JAN. XXIII.

JULIANUS LOQUITUR EPISCOPUS.

Hildefonſus Eugenio ſucc dit. *a*

1. HILDEFONSUS memoriâ ſui temporis clarus & irriguis eloquentiæ fluminibus exornans ſæcula ætatis noſtræ, nobiliſſimus, Toletanæ Sedis aſcitus in Cathedram, Præſul poſt EUGENIUM [a] in Sacerdotium conſecratur, vir tanta laude digniſſimus, quantâ & virtutum gratiâ numeroſus. Fuit denique timoris Dei inſtantiâ præditus, religione comptus, compunctione perfuſus, inceſſu gravis, honeſtate laudabilis, patientiâ ſingularis, ſecretis tacitus, ſapientiâ ſummus, diſſerendi ingenio clarus, eloquendi facultate præcipuus, linguæ flumine copioſus, tanto eloquentiæ cothurno celeber habitus, ut diſputationem ejus profuſa oratio dum porrectè dirigitur, non homo, ſed Deus per hominem eloqui affatim crederetur.

2. Hic igitur ſub rudimentis adhuc infantiæ degens, Divino tactus ſpiritu, vitâ delectatus Monachorum, contemptis parentum rerúmque affectibus, Agalienſe Monaſterium petiit [b], Monachúmque ſe in eo multis fere annis decenter exhibuit. Cœnobium quoque Virginum in Deibienſi [c] villula conſtruxit, ac propriis opibus ditavit. Rector deinde effectus Agalienſis Cœnobij, Monachorum mores exercuit, rem diſcrevit, vitámque ſervavit. Principali poſthæc violentiâ Toletum reducitur, atque inibi poſt deceſſoris ſui obitum Pontifex ſubrogatur.

b

c

Ex Monacho & Abbate.

3. Scripſit ſanè quamplurimos libros luculentiore ſermone potiſſimos, quos idem in partibus cenſuit dividendos, id eſt librum Proſopopæiæ imbecillitatis propriæ; libellum de Virginitate S. MARIÆ contra tres infideles; opuſculum de proprietate perſonarum Patris & Filij & Spiritus-ſancti; opuſculum adnotationum in ſacris; opuſculum adnotationum in Sacramentis; librum in cognitione Baptiſmi unum; & * ſpiritualis deſerti alium: quod totum partis primæ voluit volumini connectendum. Partis quoque ſecundæ liber Epiſtolarum eſt, in quo diverſis ſcribens ænigmaticis formulis egit, perſonáſque interdum induxit: in quo etiam à quibuſdam luculentiora ſcriptorum reſponſa promeruit. Partem ſanè tertiam Miſſarum eſſe voluit, Hymnorum atque Sermonum. Ulterioris denique partis liber eſt quartus, verſibus proſáque concretus, in quo Epitaphia & quædam ſunt Epigrammata æquè adnotata. Scripſit autem & alia multa, quæ variis rerum ac moleſtiarum occupationibus impeditus, aliqua cœpta, aliqua ſemiplena reliquit.

* *Boll. addit* de progreſſu

Moritur ac ſepelitur.

4. Aſcitus autem in Pontificatum nono glorioſi RECESUINTI Principis anno, novem annis & duobus fere menſibus clarus habitus fuit vitæ meritis & retentatione regiminis: expletóque octavodecimo ejuſdem Principis anno, ſequenti die decimo Kalendarum Februariarum [d] domicilio carnis exuitur, atque

d

a Nempe poſt Eugenium poſteriorem: nam duos tantùm Eugenios Toletanæ Sedis Antiſtites agnoviſſe videntur Gothici rerum Hiſpanicarum Scriptores, cùm recentiores tertium ſeu potiùs primum, Dionyſij Areopagitæ diſcipulum ſuperaddant. Iſto omiſſo duos tantùm prædicat Hildefonſus in lib. de Script. Eccl. Priorem quidem cap. 13. poſteriorem ejus ſucceſſorem, ipſius verò Hildefonſi deceſſorem cap. 14. Poſterior in Martyrol. Bened. colitur Idib. Novemb. Multa metro ſcripſit à Jacobo Sirmondo edita, quæ etiam in Bibliotheca PP. exſtant. In his avum ſuum commendat NICOLAUM virum illuſtrem, cujus Nicolai filius EVANTIUS ex BLESILLA conjuge Eugenium noſtrum ſuſcepit. Eugenius ex Clerico Monachus in Monaſterio ſanctæ Encratidis ſeu Encratiæ ad Maſſam candidam appellato factus, Eugenio priori ſucceſſit in Sedem Toletanam anno Chriſti DC. XLVI. ac duodecim pòſt annis Hildefonſo locum dedit, poſtquam tribus Conciliis Toletanis VIII. IX. ac decimo præſedit.

b Idem de ſe teſtatur Hildefonſus in cap. 7. libri de Script. Eccleſ.

c Sic etiam Regius codex: notat tamen Tamayus ab aliis legi *Deiſſenſi, Biſſenſi & Siſſenſi*, nec magis de loco Hiſpanos convenire.

d Eumdem diem ſignat Rudericus Toletanus Epiſc. in lib. 2. cap. ult. ubi Hildefonſum Os AUREUM dictum ait. Non ergo XV. Kalend. Januarij, uti Petrus Equilinus exiſtimat. Annus Receſuindi nonusdecimus inchoatus, anno Chriſtiano DC. LXVII. reſpondet. Veterrimum Adonis Martyrologij exemplar noſtrum Hildefonſum x. Kalend. Februarij ſic commendat: *Toleto civitate Natalis S. HILDEFONSI Epiſcopi & Confeſſoris fide & doctrina clariſſimi.* De eo ſilent Beda, Vvandalberrus & Uſuardus.

in Eccleſia B. Leocadiæ tumulatur, ad pedes ſui conditus deceſſoris, cum quo creditur æterno frui receptaculo claritatis. AN. CHR. DC.LXVII. JAN.XXIII.

In nomine Domini noſtri Ieſu-Chriſti

INCIPIT VITA VEL GESTA HILDEFONSI EPISCOPI,

Toletanæ Sedis Metropolitani à ZIXILANE *Epiſcopo ejuſdem urbis edita, X. KL. Februarij.*

1. ECCE dapes melliflui illius Domini Hildefonſi, quas de paradiſo Dei rapiēs & per totam Heſperiam diſpergens, inediam noſtram ingenti ſatiavit eloquio: non impar meritis ſanctiſſimi illius Domni ISIDORI, de cujus fonte adhuc clientulus puriſſimos latices bibit. Nam directus à ſancto ac venerabili Papa EUGENIO Toletanæ Sedis Metropolitano Epiſcopo ad ſupradictum Doctorem Spalenſem Metropolitanum Epiſcopum, cùm ſibi jam ſciolus videbatur, adeo ab eo tentus & elimatus eſt, &, ut ferunt, tempore *ferro conſtrictus, ut ſi quid ſcientiæ deerat, pleniùs inſtructus ad pædagogum ſuum Domnum Eugenium remeans, non poſt multos dies adhuc Diaconi officium peragens, in Eccleſia SS. Coſmæ & Damiani, quæ ſita eſt in ſuburbio Toletano, Abbas præficeretur. Ubi ſtatim in officio clarens, duas Miſſas in laude ipſorum Dominorum, quas in feſtivitate ipſorum pſallerent, miro modulationis modo perfecit: quas Miſſas infrà adnotatas habemus.

Iſidorum habuit præceptorem.

* *Boll.* temporali

Abbas.

2. Deinde poſt multum tempus decedente Domno Eugenio in Sede ſua Epiſcopus præficitur: cujus ſtatim virtus enucleata cluens in Sede Romulea * reſulſit, & veluti facula ardens omnem Hiſpaniam perluſtravit. Cujus doctrinâ uſque hodie fulget Eccleſia ut ſol & luna: cujus memoria in benedictione odoris & in compoſitione incenſi habetur. Qui ab ipſis cunabulis ab ineunte ætate eunuchus permanens, magnum in ſe habitaculum Domino præparavit. Qui non manubrio vel manu, ſed Divino ſecatus eſt gladio: nec ingenio ferramentorum reſecavit libidinem, ſed munere cæleſti promeruit ſanctitatem. Qui ſubitò dono ſuperno afflatus, his tantis talibúſque prædeceſſoribus ſuis æquiter clarens, quod illi clauſum fuerat, iſti reſeratum eſt.

Epiſcopus dein Toletanus.

* *id eſt* Regia ſeu Toletana.

Virgo ſemper.

3. Sic enim habitator ſuus Spiritus-ſanctus egit, ut quod [iſte celabat intùs, ille patefaceret foris, & utrobique apparatus adjutor fortiſſimus occurreret, ut iſte ordinaret quæ in laudes Virginum panderet, ille revelaret aliquid mirum quod in alletam *oſtenderet, unde fidei ejus meritum coram hominibus declararet, & laborantem in agone ſpirituali de donariis ſuis non evacuaret. Sic enim egit,]ut quod per tot annos populis deſiderantibus necdum oſtenſum fuerat illis, iſte patefaceret primùm, & Reliquias ſanctæ ac Deo dicatæ Virginis & Confeſſoris ſuæ Leocadiæ, adveniente in Sede ſua Regia ſua feſtivitate, omnibus adſtantibus præſentaret, & ipſo ante ſepulcrum ejus genibus provoluto, tumulus in quo ſanctum ejus corpuſculum uſque hodie humatum eſt exſiliret, & opereulo quod vix triginta juvenes movere poſſent, non humanis manibus, ſed Angelicis elevato, velum quod ſanctæ Martyris membra tegebat, virens * foris ſubmitteret, & veluti manibus hominum extenſum conſpectui ejus Virgo pulcherrima ſe exhibens adventaret, clamantibus Epiſcopis, Principibus, Presbyteris, Diaconibus, Clero atque populo: *Deo gratias in cælo, Deo gratias in terra*, nemine tacente. Ipſe verò manibus ſtatim complexans & adſtringens, talia fertur depromere vota, vociferans cum omni populo & clamans: *Deo gratias, vivit Domina mea per vitam Hildefonſi.* Et idipſum repetens Clerus vehementer pſallebat *Alleluia* & canticum quod ipſe Domnus Hildefonſus nuper * fecerat: *Specioſa facta es, Alleluia, & odor tuus ut balſamum non miſtum*; & alia quæ in ipſa Miſſa ſubter adnotata in laude ejus deprompſerat.

[*incluſa parentheſi deſunt in edit. Bollandi.*]

* athletam

Reliquias S. Leocadiæ revelat.

* *Reg.* vivens

* *Reg.* naviter.

4. Clamabat inter voces populi velut mugiens, ut aliquod inciſorium defer-

Reliquias inde ſumit.

AN. CHR. DC.LXVII. JAN. XXIII.

rent, unde quod manibus tenebat præcideret: & nemo illi accurrebat, quia populus vastis ictibus rictibúsque frendebat. Nam & sancta Virgo quæ voluntatem submiserat, ut desideria crescerent *, violenter retrahebat. Sic Princeps quondam RECESUINDUS qui ejus tempore erat, gloria & ferocitate terrena depositа, (qui eum ob iniquitates suas [a] increpatus superbo oculo intuebatur) cultrum modicum quem in theca tenebat, cum lacrymis offerebat: & collo submisso supplices manus à throno suo extendens, ut eum illi deferrent instanter deprecabatur, postulans ut indignum non judicaret se jam cum lacrymis offerentem. Quem ille apprehendens, quod manu læva jam modicum tenebat, dexterâ præcidit, & cultrum ipsum unà cum eisdem Reliquiis, thecis argenteis collocavit, indignum judicans, ut qui sancta præciderat, eum polluta ultra tangeret requirentis manus, qui quantum valebat, vicario jure sibi illum præcipiebat impendi. His peractis, quia longum est ista omnia enodare, cuncta quæ usui pertinebant sanctæ Catholicæ Ecclesiæ, in Dei laudibus usquequaque completa sunt.

* *hæc tria verba desunt in Regio cod.*

a

5. His excussis alia adhuc miracula Spiritus-sanctus per eum in ipso Dominico Adventu non post multos dies peregit. Sed quia omnia longum est recensere, quæ ejus temporibus in Toletana urbe Domnus URBANUS & Domnus EVANTIUS per eum facta narrabant, vel ex multis pauca aggrediamur. Quamvis qui mecum hoc audierunt, cùm hæc legerint, dolebunt prætermisisse me tam multa & magna quæ mecum sciunt. Superveniente verò die sanctæ & semper Virginis MARIÆ, ante tres dies tribus diebus letanias peregit, & Missam suprascriptam quæ in ejus laude decantaretur perfecit, quæ est septima. Ast ubi ventum est ad ejus sanctam sollemnitatem, supradictus Rex minùs de timore Dei sollicitus, & de suis iniquitatibus malè conscius, ad audienda sollemnia regali de more accessit. Nam servus Dei Hildefonsus majori adhuc munere fretus, dum Dominæ suæ cui Deo præsule serviebat, celebritatem orans susciperet, & in laude Genitricis Dei hoc quod suprà prænotavimus, summo cum cordis affectu, harmoniæ modulatione composita musicè aptaret, & libellum Virginitatis more synonymo testimoniis veteris ac novi Testamenti plenum comptè ederet, & dignâ facundiâ & magnificentiâ jam præfatæ Dominæ suæ exornaret; dum ante horas matutinas solito more ad obsequia Deo peragenda consurgeret, & vigilias suas Domino consecraret, Diacono vel Subdiacono atque Clero ante eum cum faculis præcedentibus, subitò ostia aperientes & Ecclesiam intuentes, atque splendori cælesti oculos defigentes, lumen quod ferre non valuerunt cum tremore effugientes, lampadas quas manibus tenebant reliquerunt, & sua vestigia per quæ venerunt adeuntes, propè mortui reversi sunt ad sodales. Sollicitè omnis Congregatio requirit, quid de Dei servo ageretur cum Angelicis choris, quid tam subitò expaverint custodes, & terga ab ostio Ecclesiæ dantes reversi sint ad proprias sedes.

B. Mariæ festum devotè peragit.

Ejus visitatione & munere honoratur.

6. At ille sibi bene conscius, ante altare sanctæ Virginis procedens, reperit in cathedra ipsam Dominam sedentem, ubi solitus erat Episcopus residere & populum salutare. Quam cathedram nullus Episcopus adire tentavit nisi postea Domnus SISIBERTUS [b], qui statim Sedem ipsam perdens exsilio relegatus est. Et elevatis oculis adspexit in circuitu ejus, & vidit omnem absidam [c] Ecclesiæ repletam Virginum turmis, de canticulis David modulata suavitate aliquid decantantibus: adspiciénsque in eum (ut ipse sibi conscius & bene carissimis re-

b

c

a Et tamen Recceſuindum religioſiſſimum fuiſſe Principem, nec quidquam Chriſtiano Principe indignum egiſſe, ex Ruderico Toletano lib. 2. cap. 22. probat Thomas Tamayus.

b Siſibertus ſeu Sisbertus, Tamayo Siſibotus, poſt Quiricum & Julianum Hildefonſi ſucceſſores Sedi Toletanæ impoſitus eſt anno DC.XC. paullo poſt de dignitate depoſitus, quòd Egicam Regem deponere ipſe conatus eſſet.

c Abſidam ἀπὸ τοῦ ἅπτειν, quod tangere ſeu nectere ſignificat, *Tribunam* explicat Tamayus: at pro curvata Templi parte ſuperiori accipiendam eſſe, ſexcentis exemplis conſtat.

ferebat) hac eum allocuta eſt voce: Propera in occurſum meum, ſerve Dei rectiſſime; accipe munuſculum de manu mea, quod de theſauro Filij mei tibi attuli: ſic enim tibi opus eſt, ut benedictione regminis quæ tibi danda eſt, in meo tantùm die utaris [a]. Et quia oculos fidei fixos in meo ſemper ſervitio tenens permanſiſti, & laudem meam diffusâ in labiis tuis gratiâ dulciter in cordibus Fidelium depinxiſti; & veſtimentis Eccleſiæ jam in hac vita ornatus eris, & in futuro in promptuariis meis cum aliis Filij mei ſervis lactaberis. Et hæc dicens ab oculis ejus unà cum Virginibus & luce qua venerat remeavit. Remanſit igitur Dei ſervus intantum ſollicitus de adipiſcenda gloria, inquantum præſcius de ſibi donata palmæ victoria, præſtante Domino noſtro JESU-CHRISTO, qui cum Deo Patre & Spiritu-ſancto vivit & cuncta regit per infinita ſemper ſæcula ſæculorum, Amen. AN. CHR. DC.LXVII. JAN. XXIII.

a Eadem fere verba habet Rudericus Toletanus Epiſc. in l. 2. Hiſt. c. ult. ubi Hildefonſum mirè laudat, hocce factū xv Kalend. Januarij affirmat accidiſſe. Et Lucas Tudenſis ea de re loquitur Æra 686. Lege aliam Vitam S. Hildefonſi & fragmentum ex libro quodam Mirac. S. Mariæ infra, ubi pro *Caſula* Hildefonſo cælitus conceſſa, *Alba* ſcribitur.

De quibuſdam Hildefonſi ſcriptis aliiſque rebus ad eum pertinentibus

OBSERVATIONES.

1. HILDEFONSUS *teſte Iuliano ſuperiùs allato ſcripſit libellum* de Virginitate S. Mariæ contra tres Infideles; *& apud Zixilanem verbis modò deſcriptis*, libellum virginitatis more ſynonymo teſtimoniis veteris ac novi Teſtamenti plenum comptè edidiſſe legitur. *Hunc libellum edidit Hildefonſus hortatu* QUIRICII *Barcinonenſis Epiſcopi, ut teſtantur mutuæ utriuſque Epiſtolæ Tomo 1. Spicilegij Acheriani: in quarum tertia, quæ tempore prior eſt,* Quiricius *Hildefonſum obſecrat*, ut ſi qua in opacibus* Divinarum Scripturarum ad utilitatem Matris cariſſimæ (Eccleſiæ) quæ & nunc nobiſcum gemit in terra, & ad quam ſuſpiramus in cælum, ſedula revolutione invenerit, ad profectum ejuſdem Matris promere non ceſſet. *Reſpondet ſequenti Epiſtola Hildefonſus:* Imperas mihi, cariſſime Domne, aut loqui ſi taceo, aut ne taceam loquens, ut Dominicæ veſtis quæ non habet maculam aut rugam, abdita contectáque devolvens, veri objectu luminis & deſideriis Fidelium luceam, & inſipientiam perfidorum exſtinguam. *Denique* Quiricius *alia epiſtola, quæ inter editas prima eſt, Hildefonſo de perfecto opere ad ſe miſſo gratulatur, gratias Deo agere ſe ſcribēs, quòd* quàm decenter novi ac veteris Inſtrumenti ſeries Incarnationis ſeu Nativitatis Dominicæ myſteria continebat, tam evidenter earumdem Scripturarum veſtem ipſi expandere fecerit: & quæ opaca videbantur pro ſui quantitate myſterij, luce clariùs manifeſta ac nota puſillis & magnis effecerit, itaut ex hoc hebeteſcat IOVINIANUS, diſſipetur HELVIDIUS, ſimúlque & incredulus ac mente perfidus decidat JUDÆUS. *Cui epiſtolæ Hildefonſus modeſtè reſpondet.* Hildefonſus ſcripſit librum *de Maria Virginitate* Quiricio hortatore,

2. *Thomas Tamayus in Notis ad Vitam S. Hildefonſi putat Hildefonſi* librum de Virginitate *nihil aliud eſſe quàm ſeptem Miſſas in codice MS. à ſe lectas. At diverſum omnino eſſe opus conſtat. Quippe in libro de Virginitate Hildefonſus adductis utriuſque Teſtamenti auctoritatibus tres Infideles virginitatem B.* MARIÆ *impugnantes revincit polemico more, qui in ſacris adhiberi non poteſt. Adde Zixilanem ſatis inter utrumque opus diſtinguere, dum* Miſſam ſeptimam in laudem B. MARIÆ *ab Hildefonſo* compoſitam, *ab eodem* muſicè aptatam *dicit; & inſuper* libellum Virginitatis more ſynonymo teſtimoniis veteris ac novi Teſtamenti plenum *ab ipſo* editum *aſſerit.* Alium ab officio ſeptem Miſſarum.

3. *Franciſcus Feu-ardentius Theologus Pariſienſis in Bibliotheca Patrum nonnulla Hildefonſi opuſcula vulgavit, in his* librum de Virginitate S. Mariæ contra tres Infideles, *cujus hic Prologus:* Deus lumen verum, qui illuminas omnem hominem, &c. *& initium:* O Domina mea atque Dominatrix mea, &c. *Cui libro alium Hildefonſo itidem attributum ſubjecit* de perpetua Virginitate S. Mariæ & de ejus parturitione *cum hoc exordio:* Quamvis omnium Eccleſiarum virginitas beatæ & glorioſæ Genitricis Dei MARIÆ ſit decus, &c. *Primum librum eſſe* HILDEFONSI, *poſteriorem verò* RATBERTI *Abbatis Corbeienſis, certiſſimis deprehendimus argumentis. Hildefonſus librum de Virginitate* teſtimoniis veteris ac novi Teſtamenti plenum edidit, *inquit Zixilanes: qui dicendi modus in priori libro evidenter, non in poſteriori apparet. Præterea Hildefonſus, auctore Iuliano, librum de Virginitate ſcripſit* contra tres Infideles; *& quidem* contra Iovinianum, Helvidium & Judæos, *quemadmodum ex recitata* Quiricij *epiſtola manifeſtum eſt. Atqui Hildefonſus eoſdem omnino Infideles nomine tenus in priori hocce libro interpellat & exagitat.* Ratberti opus *de partu Virginis* falsò Hildefonſo adſcriptus.

AN. CHR. DC. LXVII. JAN. XXIII.

In posteriori verò libro alius omnino quæstionis status: Patrum testimonia passim in confirmationem adducuntur, quos inter laudantur & citantur Gregorij Magni Moralia, Augustinus, Hieronymus, Cyrillus Alexandrinus, Petrus Ravennas, aliique, quos ne salutat quidem in opere suo Hildefonsus. Denique magna est inter utrumque opus stili diversitas. Hildefonsus à conglobatis synonymis adversarios urget, Ratbertus majori sententiarum gravitate, qui modus senem decebat, in posteriori libro procedit: opúsque suum dedicat Abbatissæ & Sanctimonialibus B. Mariæ apud Suessionas, ubi educatus fuerat, quod ex operis inscriptione postea referenda patebit. Vnde eas Matres & Matronas carissimas *sæpe inter dicendum appellat.*

4. *Non ergo Hildefonsus, sed Ratbertus posterioris istius libri auctor censendus est. Hujus tempore emersit controversia quædam inter Catholicos, de modo quo B.* MARIA *Christum peperit. Eum naturali & communi ceterorum hominum via & lege natum asserebant nonnulli; alij contrà, quos inter Ratbertus, reclamabant. Quæstio ista in Germania orta est, uti docet Ratramnus Corbeiensis Monachus, Ratberti sententiæ contrarius, in libello* * *quem hoc de argumento composuit, & cuidam sibi* ignoto *(non proinde Ratberto Monasterij sui Abbati) inscripsit. Ratramno respondere videtur Ratbertus,* Fratrum *nomine adversarios appellans his verbis:* Sed quia quorumdam nunc Fratrum rursus impudica quasi percunctando laborat temeritas, decrevi ad vos, Matronæ Christi, de his scribere, quæ ipsi curiosiùs contra ejus pudicitiam, quam religiosiùs* conantur explorare. *Et ut statum controversiæ intelligas;* Non dico, *inquit,* quòd dicant virginitatem amisisse quæ nesciens virum virgo concepit, virgo peperit, & virgo permansit; sed quia idipsum quod confitentur negant, dum dicunt eam communi lege naturæ puerperam filium edidisse. *Hinc apparet magna inter utrumque Hildefonsi & Ratberti opus diversitas. Hildefonsus agit* contra tres Infideles; *Ratbertus* adversus Fratres. *Hildefonsus arguit* Helvidium & Judæos *virginitatem Deiparæ pernegantes; Ratbertus Catholicos Theologos eamdem ipsius Deiparæ virginitatem admittentes, at non rectè explicantes: ut qui Mariam dilatatis virginalibus claustris Christum peperisse dicerent: quod certè jamvoluerat Iovinianus, quem Hildefonsus impugnat.*

5. *Ratbertus opus suum in duos partitus est libros, Sanctimonialibus Suessionensibus nuncupatos hac inscriptione, qualis in apographis Corbeiensibus reperitur:* Venerabili Matronæ Christi unà cum sacris Virginibus Vesona *(legendum* Suessona) monasticè degentibus P. R. *(id est* PASCHASIUS RATBERTUS) Monachorum omnium peripsima. Quæstionem, Carissimæ, de partu B. MARIÆ Virginis mihi nuper allatam vobis persolvere decrevi, quoniam vos eam plurimùm amare non ambigo: ut ex hoc sciatis quantum vos diligam, longè diu ab utero vester alumnus, multo jam senio confectus. *Hanc inscriptionem si vidisset Feu-ardentius, Ratberto sine dubio proprium ac germanum fetum tribuisset. Posthæc sic liber incipit:* Quoniam omnium Ecclesiarum, &c. *quæ in Bibliotheca PP. habentur ad medium usque libellum. Nam ab eo loco ubi legitur hæc nota marginalis,* hic aliquid desideratur, *codices manu descripti ab editis omnino discrepant, substituúntque partem sermonis Hildefonso adscripti, qui inter editos* de Purificatione S. Mariæ *inscribitur. Secundus verò Ratberti liber, est ipsa homilia quæ in impressis prædicto sermoni subjicitur cum hoc exordio:* Inter Sanctarum Scripturarum eloquia, &c.

Hildefonsi opus in tres libros distinctum.

6. *Sed ut ad Hildefonsum nos recipiamus, jamdudum ejus lucubratio de Virginitate Deiparæ in tres libros distincta fuit. Id patet ex Epistola* HERMANNI *Monachi ad* BARTHOLOMÆUM *Laudunensem Episcopum, bino libro de Miraculis B. Mariæ Laudunensis præfixa: qui Hermannus, S. Bernardo Clarevallensi Abbati æqualis, ita Bartholomæum alloquitur:* Cùm dudum in Hispaniam ad videndum glorioſum Regem HILDEFONSUM FELICIÆ materteræ vestræ filium profectus, felicissimum ab eo promissum suscepissetis, quòd si secundò ad eum revertimini, daret vobis corpus B. Vincentij Levitæ & Martyris, necnon & CASULAM PRETIOSISSIMAM, quam beata Dei Genitrix S. Hildefonso Toletanæ civitatis Archiepiscopo dederat, OB REMUNERATIONEM TRIUM LIBELLORUM, quos de Virginitate sua composuerat; cœpistis à mea parvitate quærere, utrum eos denique libellos alicubi vidissem, utque eos ubique perquirerem studiosiùs præcepistis. Cùm verò eos in urbe Catalaunensi fortè reperissem & vobis renuntiassem, protinus pergamenum comparatum mihi tradidistis, méque ad præfatam urbem propter eos transcribendos direxistis. Scripsi ergo primò Vitam ejusdem Hildefonsi, deinde præfatos ejus libellos subjunxi: quibus scriptis addidi miracula quæ præfata sancta Dei Genitrix in Francia & in Anglia fecerat per Reliquias suas, quæ in Laudunensi servantur Ecclesia. *Istud Hermanni monimentum reperimus tandem in cod. MS. Corbeiensi eo quo subjicimus modo distinctum.*

NOTA.

Catalauni ab Hermanno inventum cum Vita infrascripta.

Quis sequentem libellum de Hispania attulerit?

7. LIBELLUM S. Hildefonsi Toletanæ civitatis Archiepiscopi quem composuit de Virginitate sanctæ Mariæ contra Judæos, necnon JOVINIANUM & HELVIDIUM hostes Catholicæ Fidei, rescriptum transtulit ab Hispania GODESCALUS* Aquitaniæ Episcopus, cùm iret in Galliciam orandi gratiâ ad S. Jacobum Apostolum. Ut verò sciretur cujus auctoritatis

* Godescalcus

idem

idem HILDEFONSUS fuerit, etiam Vitam ejus ſimul detulit, editam à ſucceſſore ejus JULIANO Toletanæ Sedis Epiſcopo, qui ſcripſit librum Prognoſticon utilem valde & luculentum de reſurrectione mortuorum. AN. CHR. DC.LXVII. JAN. XXIII. * *differt à Iuliano, ut ex collatione apparet.*

Incipit Vita S. HILDEFONSI *Toletani Epiſcopi.*

8. BEATUS HILDEFONSUS Toletana civitate ex nobiliſſima proſapia ortus, & à matris utero ſacro Baptiſmate renatus, B. EUGENIO ejuſdem civitatis Epiſcopo in pueritia à parentibus traditur litteris imbuendus. Quem cùm ille Grammaticæ artis levibus primordiis inſtructum, multùm capacem eſſe vidiſſet ad legendas altiores artes, B. Iſidoro Spalenſi Epiſcopo eum tranſmiſit, cujus & tunc per totam Hiſpaniam, & etiamnunc ſapientia & eloquentia per univerſam redolet Eccleſiam. Hic ſiquidem B. Iſidorus germanus fuit S. LEANDRI Spalenſis Epiſcopi, cujus petitione B. GREGORIUS Papa Romanus Doctor præcipuus, librũ Job in 36. libris Moralium compoſuit: defunctóq; S. Leandro ſucceſſit ei in Sede Pontificali prædictus germanus ejus Iſidorus, cui B. Hildefonſus adoleſcens à S. Eugenio eſt tranſmiſſus. A quo tam propter generis ſui nobilitatem quàm etiam propter tranſmittentis Epiſcopi reverentiam & auctoritatem libentiſſimè ſuſceptus, Dialecticâ & Rhetoricâ ceteríſque liberalibus artibus diligenter ab eo eſt edoctus. Deinde poſt aliquot annos ad B. Eugenium reverſus, & cum ſapientiæ luce etiam caſtitatis, immo virginitatis ceterarúmque virtutum floribus ornatus, Diaconus eſt ab eo ordinatus. Quo honore accepto timens prudentiſſimus adoleſcens, ne ſi remaneret in ſæculo, impellente juvenili ætate, ut pleriſque contigit, carnis perderet virginitatem, ac per hoc acceptum dedecoraret ordinem; in Monaſterio quod vocabatur Agalienſe, quódque in honore Sanctorum Martyrum Coſmæ & Damiani extra ejuſdem urbis portam erat conſtructum, ſtatuit Monachicum aſſumere habitum. Cùm ergo illuc occultè neſcientibus parentibus ſuis tenderet, & pater ejus hoc audito cum militibus ſuis equis conſcenſis eum inſequeretur, ut antequam Monachus fieret eum reduceret; ille poſt tergum reſpiciens, vidénſque patrem ſuum venientem, perterritus in caverna cujuſdam ſaxi, quam fortè prope viam invenit, ſeſe abſcondit. Pater verò ejus nutu Dei eum neſciens præterivit, & ad Monaſterium perveniens, Abbatem & Monachos quid de filio ſuo feciſſent cum furore cœpit percunctari. Reſpondentibus illis, ut res erat, ſe filium ejus non vidiſſe, furens domum revertitur. Sic itaque juvenis, patre deluſo & pertranſeunte, è caverna exiens ad Monaſterium venit, & cum ſumma devotione magnáque omnium Fratrum exſultatione Monachus factus, religioſiſſimè Deo ſervire cœpit: itaut Abbate qui ſe Monachum fecerat, poſt paucos annos defuncto, in locum ejus ab omnibus electus fuerit. Abbas ergo factus nulli Fratrum ſe ſuperpoſuit, ſed omnibus & ſeipſum cunctis imitabilem in bonis operibus præbuit. Quid multis moror? Sancto Eugenio Epiſcopo ad Deum migrante ipſe ab univerſo Clero & populo in locum ejus eligitur, & Toletanæ civitatis Epiſcopus conſecratur. Quia verò tunc temporis quidam hæretici contra virginitatem S. MARIÆ Dei Genitricis diſputantes, populum à Fide avertere conabantur; idcirco Epiſcopus contra eos TRES LIBELLOS DE VIRGINITATE S. MARIÆ luculento ſermone compoſuit, & manifeſtis ſanctæ Scripturæ teſtimoniis triumphaliter devicit. Cùm verò quadam die feſtum S. Leocadiæ Virginis quæ in eadem civitate ſub Daciano Præſide paſſa & ſepulta fuerat, idem Archiepiſcopus cum magna totius populi frequentia celebraret in ejus Eccleſia; ecce ſubitò eadem Virgo ei manifeſtè apparuit, dixítque ei: Per vitam Hildefonſi vivit domina mea ſancta Maria, & dignam tibi remunerationem rependet pro libellis quos de virginitate ejus compoſuiſti. Archiepiſcopus verò ut teſtimonium hujus viſionis ſecum haberet, cultellum glorioſi Principis Receſſuinthi qui juxta ſe ſtabat petiit & de manu ejus accepit, ſtatímque de veſte S. Leocadiæ partem quamdam abſcidit, & in capſa argentea loco Reliquiarum cum eodem cultello repoſuit, dicens non eſſe dignum, ut de eo cultello aliquid immundum vel commune ulteriùs ſecaretur, de quo veſtis ſancta fuerat ſecta. Eodem ergo anno imminente Feſto Aſſumptionis * Dominæ noſtræ ſanctæ MARIÆ, B. Hildefonſus trium dierum jejunio ſeſe ſtuduit purificare, ut dignè poſſet illud mundo corde celebrare. Cùm autem hora vigiliarum propinquante ad Eccleſiam tenderet, Clerici qui eum cum candelabris præcedebant, ut venerunt ad Eccleſiæ januam, mirabilem luminis ſplendorem per totam Eccleſiam inſtar Solis radiare conſpexerunt: nimióque timore perculſi fugerunt. Beatus verò Epiſcopus abſque ullo timore Eccleſiam ingreſſus, vidit eamdem Dominam noſtram in ſede ſua, in qua dum populo ſermonem faceret ſedere conſueverat juxta altare reſidentem, magnámque Virginum catervam ſplendidis veſtibus ornatam, roſeíſque ſeu niveis ſertis refertam, circa eam aſſiſtentem, & laudes ei decantantem. Statímque Epiſcopus genibus flexis illum ei verſum Angelicæ ſalutationis recolere cœpit multoties dicendo: *Ave Maria gratiâ plena, Dominus tecum, benedicta tu in mulieribus & benedictus fructus ventris tui.* Ipſúmque verſum finitum aſſiduè iterando repetebat, donec ante ejus præſentiam perveniret. Quo dum perveniſſet, protinus eum Domina noſtra clariſſimis oculis

Confer Zixilanem.

* *lege* Annunciationis, *quam Hildefonſus octo diebus ante Nativitatem celebrari præcepit.*

AN. CHR. DC. LXVII. JAN. XXIII.

dulciter reſpiciens, voce ſimul ac manûs dexteræ nutu ad ſe vocavit, Caſulámque pretioſam ei genibus flexis coram ſe poſito tradidit dicens: Accipe, Dilecte mi, hanc veſtem, quam de theſauro filij mei modò ſumptam tibi attuli pro pluribus ſervitiis quæ mihi multoties feciſti: quatinus ea induaris, dum Miſſam celebrans corpus filij mei conſecraveris. Et in præſenti quidem vita hanc parvam retributionem tibi rependo pro ſervitiis quæ mihi exhibuiſti; in futura verò tibi impetrabo, ut Filio meo jugiter in cælo conſocieris. His dictis relicta veſte ſancto Epiſcopo Domina noſtra cum ſanctarum Virginum multitudine & luminis claritate diſparuit: Epiſcopus verò quanto gaudio, quanta devotione Feſtum illud Dominæ noſtræ celebraverit, quantúmque deinceps in ejus ſervitio magis confortatus fuerit, nulla lingua promere, nullius cor facilè valet explicare. Unde etiam feſtum Conceptionis S. Mariæ, quo ſcilicet ipſa concepta eſt, celebrari conſtituit, & ejus conſtitutione per totam Hiſpaniam ſollemniter colitur VI. Idus Decembris. In ſede verò ſua poſtquam ibi Dominam noſtram ſedentem conſpexit, numquam ulteriùs ſedere voluit, ſed nec aliquis ſucceſſorum ejus in ea ſedit uſque ad tempus AGRANNI * Epiſcopi, qui primus ibi ſedere præſumpſit. Qui eodem anno judicio Divino de eadem civitate expulſus, & in exſilium directus, tandem ſe ſtultè egiſſe ſerò pœnituit. Beatus verò Hildefonſus XXX. * annis in Epiſcopatu expletis, beato fine à præſentis vitæ laboribus quievit decimo Kalendas Februarias, ſociatus B. MARIÆ ſemper Virgini in regno filij ſui JESU-CHRISTI Domini noſtri, qui cum Patre & Spiritu-ſancto vivit & regnat Deus verus, per omnia ſæcula ſæculorum, Amen.

NOTA. *Feſtum Conceptionis S. Anſelmo auctori tribuitur in Conc. Lundonenſi anno 1328. celebrato. apud Spelman. To. 2. quod forte an de Anglia intelligendum.*

* Sisberti, Siagrius *infrà n. 9.*

* IX.

INCIPIT PRÆFATIO CVIVSDAM,

In libro ejus quem de laude Virginis Matris Domini compoſuit.

9. DE cœpto opuſculo quantum in ſchedula reperire potui, Domino adjuvante tranſſcribere ſtudui. Si de eodem adhuc ſupereſt aliquid neſcio; ſed unum ſcio, quia B. Hildefonſi Toletanæ Sedis Epiſcopi de integritate ſemper Virginis & Matris Domini MARIÆ libellus hic eſt. Pro quo tantam apud Dominum prædictus Epiſcopus meruit gratiam, ut ei præfata Dei Genitrix cum eodem libello in Eccleſia Cathedrâ ſedens appareret, gratias referret, veſtémque quæ ALBA vocatur deferret: hoc ad prærogativam ſpiritalis dilectionis adjungens, quòd nullus poſt eum Epiſcoporum, vel in cathedra ipſa ſederet impune, vel veſtem indueret illam. Ipſe tantùm inter ſacra Miſſarum ſollemnia, & maximè in feſtivis divinæ Matris diebus dum adviveret utebatur eâ. Ceterùm poſt ejus diſceſſum nemo umquam Epiſcoporum auſus eſt ſacræ promiſſionis temerare pollicitationem. Denique quidam de ſucceſſoribus ejus SIAGRIUS * nomine, cùm diceret; Et ego ſicut ille homo ſum: & in cathedra ſedere, & Albam veſtire præſumeret, ſuper temeritate percuſſus mortuus eſt. Quiſquis ergo ad hanc lecturus accedis lectionem, admoneri te volo: ut non quia inuſitato quaſi quodam charactere & figura, quæ rhetoricè Inculcatio dicitur, deſcriptus codicillus videtur, à prima tamquam ridiculoſa & inutili pagina retro reſilias; quia tractatus optimus ut bonum vinum ſæpe guſtando dentibúſque ruminando dignoſcitur. Scriptura etenim, cælatura, fuſura, pictura eminùs conſpecta inepta videntur, quanto autem inſpexeris comminus, tanto plus intueri libebit. Accede igitur ex animo, & invenies in ſingulis pæne verbis, & piæ devotionis & devotæ pietatis latitantem effectum.

* Sisbertus

Partitio opuſculi Hildefonſi in 3. libros.

9. *Subjicitur deinde ab Hermanno Hildefonſi Opus de Virginitate in tres libros diviſum, quod continua ſerie in editis habetur. Primus liber* contra Jovianum & Helvidium *incipit hoc modo:* Domina mea, Dominatrix mea, &c. *omiſſo Prologo qui in impreſſis præponitur. Secundus liber* contra Judæos *ab his verbis:* Quid dicis Judæe? quid propoponis? quid adſtruis? *Tertius verò:* Quid egiſti Chriſte, quid egiſti Domine, quantum ad omnipotentiam pertinet, &c. *eodémque modo atque liber prior typis vulgatus deſinit.*

11. *His omnibus addenda ſunt quædam ex libro Miraculorum B. Mariæ, qui tribus aliis libris de Miraculis B. Mariæ de Rupe Amatoris * in eodem codice ſubjicitur. Liber prædictus 102. Capitulis conſtans, agit de variis Miraculis quæ* per B. MARIAM Dominus diverſis temporibus, diverſis locis & diverſis perſonis operari dignatus eſt, quæ in Sanctorum libris vel quorumcumque fidelium litteris diſperſa reperiuntur. *In primo capite agitur* de S. HILDEFONSO Archiepiſcopo, cui B. MARIA veſtem cælitùs allatam donavit. *Pauca ſcribere ſufficiat.* Ille cupiens eam altiùs honorare, conſtituit ut celebraretur ſollemnitas ejus ſingulis annis ante feſtivitatem Natalis Domini: ita videlicet, ut ſi ſollemnitas Annunciationis Dominicæ circa Paſſionem vel Reſurrectionem Domini evenerit, in prædicto die ſub eadem ſollemnitate congruè reſtitui poſſit. Quod ſibi ſatis videbatur juſtum, ut priùs ſanctæ Dei Genitricis ageretur feſtum, ex qua Deus-homo venit in mundum. Quæ ſollemnitas in generali Concilio * confirmata, celebratur per multarum Eccleſiarum loca. Ergo ſancta Dei Genitrix ei rurſum

* Vulgo *Roche-Madour* in Aquitania

Annunciationis feſtum inſtituit Hildefonſus.

* *Conc. Toletx. can. 1.*

apparuit, ſedens in Cathedra prope altare poſita: & veſtimentum Sacerdotale quod nos Albam vocamus, ei attulit dicens: Hoc veſtimentum Dei filij mei attuli, &c. *Deinde ſubditur præſumptio, quâ* quidam Clericus vocabulo SIAGRIUS, jam prælibatæ urbis factus Epiſcopus, ſacro veſtimento ſe induit: ſed ſtatim Deo ulciſcente præſumptionem ejus in terram cum eodem veſtimento artiùs conſtrictus mortuus cecidit. *Apud alios Auctores non exprimitur veſtis nomen. Zixilani* benedictio *(hoc eſt munus)* tegminis, *Ruderico Toletano* veſtis, *Lucæ Tudenſi* donum cæleſte *dicitur. Quamquam* Albam *etiam habet Anonymus ab Hermanno relatus ſuprà num. 9. &* Caſulam *Auctor Vitæ ſupra num. 8. Nec alibi Epiſcopus, qui ab Zixilane* Siſbertus, *ſuprà num. 8.* Airannus, *& num. 9.* Siagrius *dicitur*, exſtinctus *legitur, ſed* in exſilium miſſus. *Iſta fuſiùs perſecuti ſumus, ſed non otioſè ut ſperamus.*

AN. CHR. DC.LXVII. JAN. XXIII. Albam cælitus accipit.

HISTORIA TRANSLATIONIS SANCTI HILDEFONSI.

1. EXIGENTIBUS autem hominum peccatis cùm Hiſpania ferme univerſa ab Arabibus ſubacta eſſet, & magna pars ferro atque igne populata; Aſtures dumtaxat Pyrenæi montis inacceſſibilia quædam loca incolentes, Chriſti nomen atque Religionem ſervaverunt. Ad hos ergo victi quibus mens non læva fuit, de ſingulis partibus confluxêre: quorum plerique Reliquias, & ſacratiſſima quæque ex propriis Eccleſiis in ea loco deportarunt. Inter quæ Chriſtiani cum multis Reliquiis, quibus Toletana civitas locupletiſſima erat, veſtem illam ſacratiſſimam, quâ Dei Mater B. Hildefonſum decoraverat, in urbem Ovetum Aſturiarum caput detulerunt. Ferebatur & illuc corpus beatiſſimi Hildefonſi, ſed fortè apud Zamoram deportatores præpediti, in Eccleſiâ S. Petri loco altiſſimo illud repoſuerunt. Creſcente verò in dies clade, etiam Zamora Barbaris ceſſit. Quocirca ſublata eſt hominibus illis rurſum reſumendi copia ſequeſtratum pignus. Tranſierunt autem poſthæc tempora multa, & quoniam frequentari deinceps à Fidelibus non potuit, res excidit memoriâ.

Veſtis ſacra Ovetum defertur, corpus Zamoram.

2 Poſtquam Deo miſerante operâ piorum Regum Caſtellæ Chriſto Regnum paullatim reſtitui cœpit, Zamora quoque in Chriſtianorum ditionem rediit. Paſtor ex Toletanis oris in eam urbem cùm veniſſet, pauper habitu, ſed dives ſanctitate, ingreſſus templum B. Petri, oratione factâ cœpit ſingula circumluſtrare, curioſiùs inſpicere. Quem furtum ædituis moliri arbitrantibus, dixit ſe non eſſe furem, nec aliquid mali facturum veniſſe, ſed velle habere copiam alicujus Sacerdotis atque Deum timentis, cui grande ſecretum manifeſtaturus erat. His auditis ductus eſt ad quemdam DIDACUM Sacerdotem graviſſimum: coram quo genibus provolutus cœpit, quaſi peccata ſua confitens, hujuſcemodi divinum viſum enarrare: Pater mi, vidi, inquit, raptus in ſpiritu, in patria mea Pontificem quemdam, cultu decorum, inceſſu gravem, & omni corporis ornatu glorioſum, qui ſuâ admodùm melliflua voce me allocutus ait: Ego ſum Hildefonſus quondam Toletanæ urbis Antiſtes, veni, ſequere me. Quem ſecutus viſus ſum in hanc urbem perveniſſe, & in hanc Eccleſiam intrare ubi cùm eſſemus; Hîc, inquit, (& deſignavit digito locum) hîc corpus meum abſque honore jacet. Animadverte, fili, ne in manifeſtanda virtute Dei ulla te ignavia teneat: Dei enim verbum eſt, quod non tam ex me, quàm ipſo jubente impero. Quibus dictis evanuit, ipſe ad me reverſus, domo & familiâ relictâ, in hanc urbem & Eccleſiam venio; quibus omnia ſigna quæ in ſpiritu cognovi ineſſe video. Habes jam Pater optime, cauſam mei adventus.

Pauperi in ſomnis revelatum.

3. Didacus autem ille, ut erat gravis & timoratus vir, Eccleſiæ Capitulum cum nonnullis laïcis prudentibus congregavit, rectáque ibidem agitata omnium ſententia fuit, ad unius peregrini atque hominis ignoti dictum nihil eſſe tentandum. Exiit nihilominùs ſermo in aures hominum, & ſi creditum à multis fuit, nullum tamen periculum factum eſt. Regnante autem poſteà HILDEFON-

Reperitur divinum ſpirans odorem.

AN. CHR. DC.LXVII. JAN. XXIX.

so, hujus nominis VII. Rege Hiſpaniæ, cùm ASSUERUS Eccleſiæ Zamoranæ Præſul illam B. Petri ædem ampliare vellet, pro jaciendis columnarum fundamentis terrâ altiùs foderetur, fortè in eo loco, quem Paſtor deſignaverat, ſarcophagum oſtenditur marmore opertum, quod incautis ictibus foſſores confregerunt. Erant in illo Reliquiæ humani corporis, ſuaviſſimum quemdam ſuprà quàm dici poteſt ſpirantes odorem, quo tota terra adjacens videbatur perfuſa. Tum verò quæ à Paſtore relata fuerant, in memoriam venerunt. Erat enim ſuper marmore Epitaphium inſculptum: ſed quia foſſorum inadvertentiâ comminutum eſt, coadunatis quidem partibus, quantum humano ingenio atque labore fieri potuit, hoc tantum lectum eſt: PATRIS HILDEFONSI ARCHIPRÆSULIS TOLETANI.

4. Roborata eſt denique fides, maximè ex miraculis, quæ ſancto Confeſſore invocato facta ſunt. Epiſcopus cum Clero atque univerſâ civitas gaudentes & exſultantes Zamorâ tanto munere ditata, juxta altare B. Petri in eadem Eccleſia illud condiderunt. Ibi innumera mirabilia quotidie fiunt: quæ omnia Frater Johannes ÆGIDIUS Zamoranus Ordinis Minorum, vir apprimè eruditus, uſque ad ſua tempora quàm diligentiſſimè ſcripſit. Cùm hoc ſacratiſſimum corpus multis annis in loco abditiſſimo repoſitum eſſet, paucis ſub ſacramento adſtrictis illud dumtaxat ſcientibus, anno Domini CIↃ. CCCC. in hoc Inventionis die [a] ex eo loco eductum, ſupra altare ipſius maximum ponitur, cunctíſque oſtenſum eſt: ubi miracula multa denuo viſa ſunt: muti loquebantur, varij infirmi curabantur, frequentes turbæ undique ad has ſanctas Reliquias venerandas confluxerunt. Tandem poſt dies VIII. in ſacello quod eſt ſupra ipſum altare, intra capſam magnam argenteam deauratam incluſum, honorificè ponitur, ubi à cunctis cernitur.

[a] Nempe VII. Kalend. Junij, quo die in Martyrologio Hiſpanico Inventionis dies recolitur.

AN. CHR. DC.LVXII. JULII XXII.

VITA S. WANDREGISILI ABBATIS FONTANELLENSIS PRIMI,

Auctore Monacho Romanenſi anonymo, at æquali.

Ex apographo veterrimo per V. C. D. Herovallium communicato & ex Bibliotheca Labbeana.

OBSERVATIONES PRÆVIÆ.

Vita Sancti antiquitùs ſcripta à 2. Auctoribus.

* *S. Vandrille*

1. SANCTI WANDREGISILI* *ſeu* WANDRIGISELI *ac* WANDRIGISILLI *Vitam ante ſæculum* IX. *litteris commendatam fuiſſe, conſtat ex Chron. Fontanell. cap.* 15. *ubi* HARDUINUS *Monachus anno* DCCC. XI. *mortuus*, librum Vitarum SS. WANDREGISILI, ANSBERTI, & WLFRAMNI proprio ſudore, *ſeu propria manu exſcripſiſſe legitur.*

2. *Binam damus S. Vvandregiſili Vitam, utramque ab Auctore coævo ſcriptam: primam quidem ſinceram & integram in veterrimo codice (qui Corbeienſis quondam Bibliothecæ fuit) uncialibus litteris exaratam, nobis à V. C. D. Antonio Herovallio communicatam ante annos quinque quàm à Philippo Labbeo in ſuâ Bibliothecâ Tomo* I. *vulgaretur: alteram aliquot in locis interpolatam, quemadmodum ex utriuſque Vitæ comparatione aliiſque argumentis opportunè demonſtrabimus.* Prioris *lucubrationis Auctor ſe Vvandregiſilo coævum non ſemel prodit, dum & in Prologo* multa à ſe viſa vel etiam venerabilium Monachorum ſeu diſcipulorum qui Wandregiſilo per prolixa tempora ſervierunt relatione prolata *ſibi deſcribenda proponit; & dum num.* 10. *miraculum* ipſo Sancto Dei narrante *ſibi cognitum fuiſſe aſſerit. Addit num.* 15. Porro & ego abſque dubitatione loquor, eum audiſſe ventura pronuntiantem, quod oculi mei poſtea apertiſſimè viderunt. *Et num.* 17. Et ego ipſe aliquo Fratre in Monaſterio narrante cognovi, &c.

Anonymus iſte Monachus fuit illius Cœnobij Iurenſis, quod Romanum *ſeu* Romanis *dicebatur, ubi aliquamdiu Vvandregiſilus eſt commoratus. Id ex utriuſque Vitæ collatione manifeſtum eſt. In Vitæ poſterioris cap. 12. ſic ſcribit Monachus Fontanellenſis:* Hæc de viro Domini revelatio oſtenſa fuerat cuidam ſervo Dei in ipſo loco degenti, qui & nobis narrare ſolitus erat. *Atqui ejuſdem facti revelationem* ipſo Sancto Dei narrante *ſe didiciſſe primarius Auctor num. 10. affirmat. Certè iſte Auctor de Fontanella Monaſterio, quaſi de alieno domicilio loquitur: tametſi Vvandregiſilum* Patrem noſtrum *appellat num. 15* Poſterioris *Vitæ lucubrator ætatem ſuam ſatis indicat tum loco mox citato, tum in Prologo ſuo, quem* Lantberto × *jam* Pontifici *Lugdunenſi, qui S. Vvandregiſilo in regimen Fontanellenſe prius ſucceſſerat, inſcribit. Huic poſteriori ſcriptioni nonnulla inſerta ſunt ex Chronico Fontanellenſi, quod à Monacho domeſtico principatu Ludovici Pij compoſitum exſtat in Tomo 3. Spicilegij Acheriani.* AN. CHR. DC. LXVII. JULII XXII.

× *de eo in Actis S. Ansberti*

3. *Poſt duplicem Vitam exhibemus ex Fontanellæ membranis librum Miraculorum S. Vvandregiſili, à Monacho itidem Fontanellenſi ſæculo IX. conſarcinatum: in quo deſcribitur hiſtoria Tranſlationis S. Vvandregiſili in pagum Pontivum, cui Tranſlationi Auctor interfuit.* Liber miraculorum & Tranſlationis.

4. *S. Vvandregiſilum XI. Kalend. Auguſti commendant antiqui Martyrologiorum Scriptores Vvandalbertus, Vſuardus & Ado. En Adonis verba:* Monaſterio Fontenella depoſitio WANDREGISILI Confeſſ. cujus præclara geſta habentur. *De Cœnobij Fontanellæ ſeu Fontinellæ Fontenellæve primordiis fusè agit Vitæ S. Vvandregiſili Auctor poſterior cap. 14. & ſequentibus: apud quem dum ejuſdem Monaſterij initia* anno Dominicæ Incarnationis ſexcenteſimo quadrageſimo quinto *illigantur, interpolationem agnoſce ex Chronico Fontanellenſi invectam, eúmque locum ſic reſtitue:* Cœptum eſt autem hoc opus ſub die Kalendarum Martiarum, anno Regis Chlodovei undecimo. *Quæ de anno Incarnationis Dominicæ & Indictione ibi leguntur, adſuticia ſunt. Neque enim ante Caroli Magni principatum in Gallicano calculo annus Dominicæ Incarnationis aut Indictio apponebatur. Annus Regis Chlodovei undecimus anno Chriſti* DC. XLVIII. *reſpondet, quo anno Fontanellenſe Cœnobium ædificari cœpit, Martino Pontifice nondum in Sedem Romanam aſſumpto, qui anno inſequenti Theodoro ſuffectus eſt.* Fontanellenſis Monaſterij initia.

5. Regulam SS. Patrum *Monaſterio Fontanellæ à Vvandregiſilo impoſitam fuiſſe cenſet Carolus* le Cointe *ad ann. 667. num. 5. tum quia Vvandregiſilus neque Caſſinenſe Monaſterium in profectione Romana, neque umquam Glannafolienſe petiiſſe legitur: tum quia Lantbertus Fontanellenſis poſt Vvandregiſilum Abbas in Vita S. Anſberti laudatur, quòd* in tractando grege Chriſti ſecundùm normam SS. Patrum ſtrenuè cuncta atque inreprehenſibiliter gerebat. *Verùm Caſſinenſe Monaſterium, quod tum eatenus dirutum jacebat, adire non potuit Vvandregiſilus: cujus vivendi inſtitutum non mutaverunt Lantbertus Anſbertúſve ejus ſucceſſores. Porro Anſbertus, teſte Aigardo Vitæ auctore, ſtatuit in ſynodo Rotomagenſi,* ut ſicuti ſub ejus regimine, ita inantea & ipſi & poſteri eorum ſecundùm Regulam S. P. Benedicti fideliter Chriſto deſervirent. *Ergo antea* ſub ejus regimine *Regula S. P. Benedicti in illo Cœnobio ſervabatur. Oſtendant igitur adverſarij Regulæ à Vvandregiſilo inſtitutæ mutationem ſub Lantberto aut ſub Anſberto Abbatibus ante Synodi tempus factam: aut ſi non poſſunt, Ordini Benedictino Vvandregiſilum ſubducere deſinant. Quid verò conſequentiæ eſt, ut ſi Lantbertus* in tractando grege ad normam SS. Patrum *attendit, Regulam S. Benedicti non ſervaverit; cùm Benedictus in Regulæ cap. ult. diſcipulis ſuis* Inſtituta *ac* Regulas Patrum *commendet? Denique ſi Aigardi teſtimonio cauſa deſinenda eſt, Vvandregiſilus Anſberti Fontanellam primùm accedentis* poſtulationem audiens, inducis conſulendi ſuper hoc dicebat habere ſe velle: ut ſicut Apoſtolica & Monaſtica docet Regula, ſciret ad quid venerat. *Quibus verbis ad Benedictinæ Regulæ cap. 58. Vvandregiſilus alludit.* Regula.

6. *Sanctorum ac piorum virorum ſeminarium fuit Fontanella Monaſterium, ex quo prodierunt* LANTBERTUS *&* ANSBERTUS *Abbates, deinde Pontifices, hic Rotomagi, ille Lugduni;* EREMBERTUS *Toloſanus Antiſtes;* HILTBERTUS *Fontanellæ,* GODO *S. Petri in Inſula Ogia prope Trecas Abbates;* AGATHO, DESIDERATUS, CONDEDUS *&* SINDARDUS *Monachi, ſæculo VII.* WLFRAMNUS *Senonenſis,* BAINUS *Tervannenſis,* HUGO *Rotomagenſis,* LANDO *Remenſis,* RAVENGERIUS *Sagienſis, Epiſcopi;* ERMELANDUS *Antrenſis,* BENIGNUS, WANDO, *&* AUSTRULFUS *Fontanellenſes,* GENNARDUS *Flaviacenſis, Abbates;* ERINHARUS *Præpoſitus,* MILO *&* BAGGA *Monachi, ſæculo octavo.* GERVOLDUS, TRASARIUS, HILDEBERTUS, EINHARDUS, ANSIGISUS, FULCO, HERIMBERTUS, *Abbates Fontanellenſes;* HARDUINUS *Recluſus ſæculo IX.* GERARDUS, GRADULFUS, *&* GERBERTUS *Fontanellæ,* GUNTARDUS *Gemetici, Abbates, ſæculo XI.* GALTERUS *denique itidem Fontanellæ Abbas ſæculo XII. de quibus agendum erit ſuis locis. Iſtud Monaſterium etiamnunc floret ſub felicibus Congregationis S. Mauri auſpiciis.* Sancti.

PROLOGUS AUCTORIS.

AN. CHR. DC. LXVII. JUL. XXII.

RELIGIOSORUM quorumdam virorum vita quantum eſt meritis excellentior, tantum geſtis lucere debet clariùs: præſertim cùm ad indagandam eam idonei minùs ſumus. Confidimus in illo qui dixit: *Non enim eſtis vos qui loquimini, ſed Spiritus Patris veſtri qui loquitur in vobis:* & per quem linguæ mutorum ſunt reſeratæ, ſeu brutum aſinæ os perſenſatos hominum conloquio diſtinxit modos. Non ergo mirandum eſt, ſi per plaſmaturam ſuam præbeat intellectum, cùm quando voluerit veritatem ſuam per ora jumentorum narrat. In hujus ergo ſpem erectus & accinctus robore cæleſti, ariditatem meam ad texendam vitam beati Dei Wandrigiſeli excitavi. Adgrediar ergo facultate qua valeo: nam potens eſt Dominus ad ſermonem corroborandum plurimùm, qui mihi de ipſius beatiſſimi viri virtutibus pandit iter.

Auctoris fides.

Multa à memetipſo viſa, plerumque etiam venerabilium Monachorum ſeu diſcipulorum ejus qui ei per prolixa tempora ſervierunt relatione prolata, qui non tantùm audita, ſed etiam viſa narrant, in hoc opere de fulgentis gratia prædicti Patris, pauca de plurimis, humili quidem ſermone, ut legentibus faſtidium non generem, brevi materiolam expreſſi ſtilo: ſeu ut prolatior pagina ridiculum non inferat, ſed modica narratio Lectoribus ædificationem nutriat. Et ſi eleganter minùs expleta fuerit, Divini adjutorii miſericordia præſtante ut nobis exinde veniam tribuere dignetur. Nunc ergo qui hæc legit, in ſtudium boni operis atque in fervorem ejus animus incaleſcat. Quæ geſta in aure audierit, in ara cordis ſui cum omni aviditate meditando cuſtodiat, cuſtodiendo perficiat, perfectúmque in opere Dei cum ſummo deſiderio adimpleat.

2. Obſecro itaque ego tenellus, ut omnis qui hanc Vitam beati viri legerit, caveat ut ſicut Caïn ferro, de invidia non percutiat iſte dente & lingua, ſed

Pſal. 56. 5.

curet cuſtodire in corde & anima, quia ſicut canit Propheta; *Filij hominum dentes eorum arma & ſagittæ, lingua eorum gladius acutus.* Plerumque etenim ad converſationem ſeu correptionem mortalium multò proſunt exempla bo-

* conſectari

norum quibus ædificatur homo cotidie multiplices conſectare* virtutes. Si enim ad adipiſcendam amœnitatem paradiſi quibus præmonemur præcepta deeſſent, pro lege nobis Sanctorum exempla ſufficerent. Hoc à ſæculis adimplet Rex unus æternúſque, ſervorum ſuorum famam commendans perennem, ut poſteri eorum exemplo proficiant, atque in amorem cæleſtis patriæ cum devotione maximè incaleſcant. Hæc autem nos conſiderantes de hujus venerabilis Patris Wandrigiſeli hoc quod ad laudem Dei pertineat, non quod favore humanæ declamationis laſſeſcat relatione inſeruimus. Habent mali in ea quod metuant, boni quod gratulentur, ſuperbi ut humilientur, luxurioſi exemplum pudicitiæ verecunda mente cuſtodiant, garruli ut quieſcant, cupidi ut areſcant, avari ut relinquentes mundum cum omni impedimento ejus, ebrioſi diſcant ſobrii eſſe, raptores manſuetudinem adprehendant, ignavi ut ferveſcant, imprudentes veram prudentiam cum ſancta ſimplicitate arripiant. Hoc omnes cum admiratione conſideremus, quantum in hujus Athletæ Dei habemus religionis gratia quod imitemur, & quantam vim virtutis ejus vel afflictionem corporis & fontem lacrymarum. Pleraque deſpectu mundi quomodo aut qualiter abrenuntiavit, voluntates proprias in trophæo Domini crucifigendo perſeveravit, quia non permittit brevitas totam ejus operationem ſermone concludi, ſed tamen relinquamus hujus textum narrationis, ut feliciùs perveniamus ad enarrandum aliquid de ejus vitæ meritis ad gloriam Dei.

Vitæ iſtius utilitas.

INCIPIT VITA.

Vvandregiſilus nobilis exacturam exercet.

3. IGitur fuit vir vitæ venerabilis Deo inluminante WANDRIGISELUS cognomento WANDO oriundus territorio Verdunenſium, natalibus nobilis, ſed religione nobilior. Qui cum ſummis parentibus quodam comitans tempore, & ab ipſis juventutis ſuæ rudimentis ſtudiis juxta mores ſæcularium eum in actio-

ne inſtituerunt inter mundi decus. Qui accipiens honores terrenos, exercebat exacturam commiſſam ſibi[a]. Sed tamen mens ejus non erat alienata à mandatis Domini, quia ſancti Evangelii juſſionem explebat. Reddebat enim quæ Cæſaris ſunt Cæſari, & quæ Dei Deo. AN. CHR. DC. LXVII. JUL. XXII. a

4. Non poſt multos dies rogatus à parentibus ſuis ut ſibi aliquam puellam deſponſaret, ipſe juxta eorum juſſionem ſublimibus parentibus & bene natam ſibi quamdam puellam deſponſavit: erat enim in ſæculo nobiliſſima. Porrò cœpit ipſe vir tacitè in cogitatione ſua dicere, quid exinde facere deberet. Volebat enim oblectamenta mundi deſerere, & in Dei ſervitio ſe ſubjugare. Et quia pavebat ſi ei innoteſceret quòd conſenſum ei minimè daret, cogitavit ut acciperet eam, & poſtea ei de converſationis habitu fabularetur. Qui accipiens eam & poſt acceptam ſuam volens lucrare* conjugem, ſicut ſcriptum eſt: *Diliges proximum tuum ſicut teipſum*; prudenti hortamine ut erat eruditus ſuadebat ei converſationis gratiâ virtutum magnam habere mercedem: ut qui hîc in una carne conjuncti fuerant, in gloria Sanctorum ſine fine copularentur. Illa autem accenſa ab Spiritu-ſancto talia verba prærupit dicens: O domine meus, quid tibi fuit quòd anteà mihi hanc rem non devulgâſti? Scias certiſſimè quia & ego me abſque omni dubitatione volo tradere ad Dei ſervitium, atque vanitates hujus mundi deſerere & regnare in Chriſti gloria. Quod tibi intantum ſupplico, domine meus, ut quod ore profers, explere opere contendas, & temetipſum liberes; & me ancillam tuam ad jugum Dei cum ſumma feſtinatione tradas. At ille hæc audiens verſus in gaudio glorificavit Deum, & admiratus eſt de tam excellenti deſiderio ejus. Fit ex utraque parte conſenſus: ipſe autem ſibi comam capitis depoſuit, & ei velamenti gratiam circumdedit: & Deo adjuvante talis fuit ſua converſatio ſeu puritas cordis, quòd per eam Dominus adhuc in hoc corpore degentem plurimas virtutes operare dignatus eſt[b]. Uxorem ducit. * lucrari Uxori caſtitatem perſuadet. Uxore velata tondetur. b

5. Quid plurima? ad illud redeamus tempus, quo Dominus per famulum ſuum oſtendere dignatus eſt fortitudinem ſuam. Adhuc cùm eſſet in laïco ordine, pergens in itinere cum thoro & familia plurima, veniens quodam loco, quod eſt inter ruſticanos homines peſſimum, qui nec Deum timebant nec hominem quemquam reverebantur, orta eſt contentio propter pabulum equitum * tam valida, ut niſi pietas Domini & merita ipſius hominis Dei ſubveniſſent, multa homicidia ibi fuerint facta. Ipſe autem ibi petiit adjutorium, ubi poſſibilitas erat tribuendi: & ad orationem quaſi ad gladium pergens, Divinæ miſericordiæ clypeum poſtulavit. Et Domino miſerante qui ſervis ſuis pius obauditor eſt, confeſtim ipſa litigatio ita eſt mitigata, acſi de longævis temporibus amititiæ jura conjuncti habuiſſent; & per filium pacis qui ipſe vir Dei aderat, litigantes Deus ad concordiam per ſervum ſuum mirum in modum convertit. Exinde cœpit magis corde ferveſcere, atque Deum ore profeſſionis adnuntiare dicens: Certè iſte eſt ſuper omnia diligendus, quia ubicumque fuerit invocatus, ilico ad præſens eſt exaudiendus juxta quod ipſe Dominus promiſit per Prophetam: *Cùm autem quæſieritis me in toto corde veſtro, inveniar à vobis.* Rixantes oratione placat. * equorum Dei amorem prædicat. *Ierem. 29.*

6. Poſt quod ipſe vir Dei relinquens mundi iſtius oblectamenta, cupiebat in ſancto Cœnobio ſub Religionis habitu converſare*. Et primitus cum quodam ſene* in loco qui cognominatur Monte-Falcone habitavit non multo tempore. Qui erat homo multùm index coronâ capitis decoratus: oculos ſpecioſos, faciem liliabilem, manus prolixas, & frequenter per laticem cupiebat eas abluere. Qui erogatas* omnes facultates ſuas in camino paupertatis petiit affidendum. Sed quia Diabolus invidioſus eſt ad nocendum, contra bonitatis formam pu- Monachũ induit. * converſari * *in alia* Baltfrido * erogatis, &c.

a In alia Vita Comes palatii inſtitutus à Dagoberto dicitur cap. 2. Anſigiſus Abbas in Chron. Fontanell. cap. 16. æquè *Exactor opevum Regalium in Aquiſgrani palatio Regio ſub Henhardo fuiſſe* dicitur: quo nomine non vectigalium exactor, (quale officium Clericos nedum Monacho convenicbat), ſed Judex fortè cauſarum ad Regem delatarum ſignificatur: quod Comiti Palatii competebat.

b Idem in alia Vita dicitur: ſed utrobique nomen piæ feminæ premitur, nec in Chronico Fontanellenſi alibive exprimitur.

AN. CHR. DC. LXVII. JUL. XXII.

gnat malitia; invidiâ diabolus maximâ in eum exarſerat, qui per ſemetipſum ſeu per ſuos fautores eum inquietare non ceſſabat. Sed ipſe præcinctus galeâ ſalutis & ſcuto fidei contra omnes ſagittas inimici fortiter dimicabat.

A Dagoberto in aulam revocatus, ſert opem vectori in via hærenti.

7. DAGOBERTUS Rex qui tunc illis temporibus aderat, pro eo quòd ipſum hominem Dei in juventute in ſuo miniſterio habuiſſet[a], volebat eum inquietare pro eo quòd ſine ſua juſſione ſe tonſorâſſet, & ipſum in ſuo palatio perduci juſſit. Qui ipſe vir Dei confidens in adjutorium Chriſti qui ei præſens conſolator aderat, licet nolens quidem ad aulam Regiam perrexit. Qui cùm veniſſet prope de Conſiſtorio Principis, erat quidam pauperculus qui vehiculum ante portam ipſius Regis demerſerat: pluribus ingredientibus & egredientibus, nullus ei auxilium præſtabat, ſed omnes pæne ſuper ipſum ambulabant deculcantes eum. Adveniens autem ipſe Sanctus Dei vidit impietatem quam operabantur filii diffidentiæ, & de equo quem ſedebat cum velocitate deſcendens, & pauperi manum porrexit, & ipſum plauſtrum ſimul de loco levaverunt. Proſpicientes verò eum multi qualiter ſe inquinâſſet de luto, deridebant eum & multa opprobria ei dicebant. Ipſe autem nihil curans de vituperationibus iniquorum, ſed humilis humilem Magiſtrum proſecutus eſt veſtigio, quia ipſe Dominus in Evangelio dixit: *Si Patremfamilias Beelzebub vocaverunt, quanto magis domeſticos ejus?* Cùm autem hoc in laudem Dei diverteret, ſtatim apparuit Angelus Domini qui veſtimentum ejus diligenter curavit, & factus plus candens quàm antea fuerat, poſtea pervenit in palatium Regis, & ſtabat ante eum & ſatellites ejus, quaſi agnus in medio luporum. Sed Dominus paſtor omnium Sanctorum ovem ſuam de fauce inimicorum ereptam in medio eorum quaſi cuſtos ſervabat: & cognoverunt omnes, quia hic vir Dei erat, & pro Chriſti deſiderio omnem gloriam mundi deſpexerat: & præcepit Rex ut nemo ei faceret inquietudinem, ſed licitum eſſet ei Dei gloriam contemplare*.

[a] Eamdem omnino cauſam affert alter Anonymus, ne quis hoc in commune jus trahat.

Sannas contemnit.

Matth. 10.

A Rege liber dimittitur.

* contemplari

8. Inde reverſus cœpit ædificare Cellam in alio loco[b] de facultatibus ſuis. Ibi ſe jejuniis & vigiliis affligebat, cotidie gemitus, cotidie lacrymæ; & ſi quando repugnantem ſomnus imminens obpreſſiſſet, nuda humo vix oſſa arida conlidebat. Ille enim pro metu gehennæ & amore Chriſti tali ſe carceri damnaverat. Videns eum diabolus ſemper ad eminentiorem viam conſcendere, nimia crudelitate in eo exardeſcebat, atque multas inquietudines tam apertas quàm & per ſoporem ei faciebat. Qui ipſe Sanctus Dei cognoſcens fallaces inſidias ejus, quas ei per dulcedinis conſenſum ſuggerebat, per vexillum Crucis ſeu per abſtinentiam ſuas inlecebroſas ſuaſiones ſuperabat. Qui ipſe diabolus conſpiciens ſe ab ipſo viro Dei vinci, declinavit ad majorem interitum: & ſi aliquo modo juxta quod humana conditio eum ſomnus obpreſſiſſet, per ipſam viſionem multiplices impugnationes ingerebat. Qui expergefactus à ſopore accipiebat armaturam Dei dicens: Deus in adjutorium meum intende: ſeu illud Dominicum deprecabatur, ut ei donaret fortitudinem qualiter iniquum hoſtem ſuperaret. Et ſi quando in ipſa viſione nocturna per titillationem carnis inluſionem habuiſſet, exſurgens continuò cum gemitu & lacrymis mergebat ſe in fluvium: & cùm eſſet hyemis tempus in medio glacierum pſalmodia decantabat, & uno quoque expleto uſque ad aquas veniam petebat. O quàm magnum ſtudium beati viri, & maximum prælium quod contra inimicum agebat cotidie, & Dominus clemens porrexit ei dexteram ſuam: quia mens ejus ad JESUM jacebat, pedes rigabat lacrymis & crine tergebat, & repugnantem inimicum ſuum corporis inedia ſubjugabat.

Cellâ exſtructâ rigidè vivit.

[b] Nempe in Eliſangio territorio, & quidem in honorem Sancti Urſicini, ſicuti dicitur in alia Vita capite ſeptimo.

Diaboli tentationes ſuperat,

nocturnas illuſiones ut expiat.

Angelopræſignante Bobium perit.

9. Videns autem Deus militem ſuum quia fortiter contra adverſarium pugnabat, miſit Angelum ſuum qui eum juvaret. Et quadam nocte juxta moris conſuetudinem in tugurio ſuo in cilicio jacebat, & tranſlatus eſt in ſpiritu ab

Angelo

Angelo ſancto, ductúſque eſt in Monaſterium qui vocatur Bobius in regione Langobardorum quæ dicitur Italia, oſtenditque ei omnes habitationes ejus quomodo aut qualiter adeſſent. Qui cùm eum reliquiſſet, cœpit ipſe Sanctus Dei infra ſemetipſum volvere quid hoc eſſet. Qui memorans in ſancto Evangelio mandatum Chriſto dicente: *Niſi qui reliquerit omnia quæ poſſidet, non poteſt meus diſcipulus eſſe*; Et: *Qui vult poſt me venire, abneget ſemetipſum, tollat crucem ſuam & ſequatur me*; adimplens Dei præceptum, ſurgens reliquit omnia, accipiénſque ſecum tres puerulos cum aſello, aliis neſcientibus exivit de terra ſua & de cognatione ſua, & de domo patris ſui, & ambulabat neſciens quà viaticum ducerent. Sed Dominus per ſuum Angelum demonſtrabat ei qua via pergere deberet, pervenítque ad prædictum locum ubi ei demonſtratum fuerat. Cùm autem introiſſet & vidiſſet omnes habitationes Monaſterii, certiſſimè cognovit quòd anteà Dominus in extaſi educto demonſtraverat, & converſatus eſt ibi aliquantum tempus. Qui cognoverunt omnes, quia hic vir Dei athleta erat, & ejus devotio atque origo omnibus in notitiam advenit, & multas conditiones* ei Dominus ibidem revelare dignatus eſt. Ipſe autem ſemper cupiens habere ſecretum, ut virtutes ejus non eſſent manifeſtatæ hominibus ſed placitæ Deo, quia cavebat illud quod Dominus dixit ad falſos ſervos: *Vos eſtis qui juſtificatis vos coram hominibus, Deus autem novit corda veſtra*; congregabat in armarium cordis ſui virtutes Dei, atque ei placere cupiebat, qui cotidie eum proſpiciebat ex alto. Et remotiore loco volens inhabitare, & artam & anguſtam viam præſidere, diſpoſuit in Scotiam [a] ambulare: ardebat enim ex deſiderio Dei, quia caritas Chriſti diffuſa erat in corde ipſius per Spiritum-ſanctum qui datus erat ei.

AN. CHR. DC.LXVII. JULII XXII.

Luc. 14.

id. 9. 23.

* f. cognitiones

Luc. 16. 15.

Hiberniam cogitat. a

10. Cùm autem pergeret veniens per Monaſterium quod eſt conſtructum ultra Juranenſes partes cognomento Romanum [b], petiit ibidem hoſpitium. Qui ipſe Abba eum cum ſumma diligentia recepit: ubi cùm juxta moris conſuetudinem mandatum Domini adimplentes, ad lavandum pedes veniſſent, cognovit ipſe Sanctus Dei quòd ibi erat illa vita arta, quam ille per deſiderium Chriſti volebat ſectari: & certiùs per Spiritum Dei notum ei fuit, quòd ad hoc eum Dominus adduxerat, ut ſub Religionis habitu coverſare deberet: & ſe in obedientiã ibidem delegavit, & multis diebus ibidem ſub inſtitutione Regulari habitavit. Nempe ipſe in virtutem culminis ſemper per humilitatem aſſcendens & vanam gloriam cavens, manſuetudinem ſectans; timens ne ſi bonum aliquod videretur facere, per ventum elationis diabolus obreperet, cuſtodiens ſe multùm etiam à minutiſſimis culpis, id eſt à ſermone otioſo; excelſum riſum plerumque cavebat, ſciens dictum eſſe, *Quia ſtultus in riſu exaltat vocem ſuam*: ſed rectus ſemper atque hilaris in mandatis Dei erat promptiſſimus. Erat autem his virtutibus quaſi comitibus ſuis adjunctus. Erat enim ceteris humilior, quietus (ut ſuprà dixi) in ſermone, hilaris in vultu, pius affectu, maturus in moribus: detrahere nec volebat, nec plerumque audire: non murmuroſus ſed obediens, ea quæ à Patris ore unquam fuiſſent prolata, quaſi Divino imperio cum omni velocitate faciebat; tremens Dei mandatum, & ſemper in lege ejus meditatio ipſius aderat: ubicumque eſſet ruminando mandata Dei revolvebat, & meditando cuſtodiebat. Taliter erat ſtudium ejus, quia mortificaverat membra ſua quæ erant ſuper terram. Nudus nudam crucem portaverat, atque mortuus jam mundo vivebat Deo. Et Dominus videns quia multùm diligens eſſet ad exercendum ſervitium ejus, plures conditiones* ibidem per inſpectivum oculum patefecit, ſeu plurimos dormientes in ſomnum inertiæ atque pigros ad opus Dei faciendum per ipſum excitavit, atque ad opus fidei conſurgere fecit.

In Monaſterio Romano commoratus pie vivit. b

Eccl. 21. 23.

* f. cognitiones

a Id eſt in Hiberniam, amore ſcilicet Columbani Monaſterii Bobienſis auctoris, qui inde iſthuc adverterat.

b In alia dicitur *Monaſterium Romanis*, quod non aliud eſſe putamus quàm Monaſterium à S. Romano & Lupicino fratre ædificatum, Condateſcenſe à Gregorio Turonico Epiſcopo dictum, poſtea S. Eugendi, nunc S. Claudii.

AN CHR. DC. LXVII. JUL. XXII. Ab Angelo commendatur & nepotis converſionem diſcit.

11. Nec illud maximum miraculum præterire audeo, quod factum ipſo Sancto Dei narrante cognovi. Quadam nocte cùm in oratione devotiſſimè in cella ſua perduraret, adſtitit Angelus Domini ante eum in tam magna claritate fulgens, itaut habitaculum illud immenſa luce terribiliter reſplenderet, & replevit odore ſuavitatis tugurium illud. Et vox facta eſt ad eum dicens: Serve Chriſti in timore Dei promptiſſime, pax tecum, quia magnus es tu apud Deum, & magna ſunt opera tua quæ inceſſabiliter facis, perſevera uſque in finem, quia Dominus JESUS-CHRISTUS tibi habet paratam coronam, & amœnitatem paradiſi reſeratam, qualiter cum ipſo ſine fine exalteris. Et ipſo loco ventura ei prædixit, & ait, quia nepos tuus GODO ſequuturus erit te. Hæc audiens vir ſanctus, proſternens ſe iterum cum gemitu in orationem magis ac magis incaleſcens, non extollendo ſe eoquòd per Angelum Dominus ei locutus eſſet atque opera ejus magnificaverit; ſed humilans ſe & peccatorem eſſe ſe plus fatebatur, quia non eſſet dignus ut eum Dominus viſitaret. O beata illa virtus, & ipſe homo qui ore Altiſſimi meruit eſſe laudatus. O beata mortificatio, quæ Filio Dei facit eſſe participes. O beata humilitas, quæ apud homines eſt viliſſima, apud Deum excelſa. Hoc cuſtodiens beatus Wandrigiſelus habet partem in regno Dei.

Audoënum adit & ſacris initiatur.

12. Veniamus ad illud tempus in quo jam Dominus ſervum ſuum in univerſis gentibus demonſtrare voluit, atque margarita pretioſa de theſauris ſuis profecta referabat, ut per eum multorum ſalus adcreſceret, & ei gemina corona multiplicaretur. Veniens Rodomo in Sede beata in diebus AUDOENI Orthodoxi: qui cùm vidiſſet eum ipſe Pontifex cognovit, quia hic vir Dei magnus cultor eſſet, & voluit eum ad onus Subdiaconati * benedicere, quem inſcium & pæne nolentem ad ipſum gradum eum inſtituit: exinde Levita; deinde ad Sacerdotium per manus Domni AUDOMARI conſcendere fecit. Qui ipſe ſanctus Dei poſt acceptam benedictionem explebat officium ſuum: erat enim decoratus ad ipſum miniſterium exercendum.

* Subdiaconatûs.

Fontanellenſe Monaſterium conſtruit.

13. Sed quia ſemper ille fontem humilitatis repetebat, (nolebat enim in terrenis actibus occupari) quærebat locum ubi ei Dominus demonſtraret, qualiter ſub ſancta Regula degeret vitam. Cui Dominus talem locum dedit, ubi plurimùm gregis Chriſti bonus Paſtor curam geſſit. Aſſedit juxta fontem uberrimum qui vocatur FONTANELLA in eremo qui dicitur Gemeticus, ex fiſco quem aſſumpſit Regali munere [a]: ibi Monaſterium fundavit, atque ex multorum Sanctorum animarum pretioſis lapidibus eum inſtruxit. Ædificavit namque Baſilicas in honore S. Petri, B. Pauli, vel S. Laurentij [b], & alia Oracula non multùm diſtantia à Monaſterio quaſi miliario uno in honore S. Amantij Rotinenſis Præſulis, pro amore ipſius Sancti Dei conſtruxit. Erat enim pro ſanctitatis ſtudio carus DADONI * Pontifici, cujus in parochia eſt ipſum Cœnobium. Non fuit contemptor Canonum: ſed tantum erat humilis, ut etiamſi itinere pergere conaretur, Præſulis permiſſum ſuſciperet, & ſine permiſſione ejus non volebat pergere itinere, quia ſciebat ſcriptum eſſe: *Omnia quæcumque ligaveritis ſuper terram, erunt ligata & in cælis, & quæcumque ſolveritis ſuper terram, erunt ſoluta & in cælis.*

*Audoëno, Epiſcopo inconſulto foras non pergit.

Mat. 18. 18.

Neceſſaria accipit à converſis.

14. Porro voluit ſine portione mundi iſtius adeſſe, ut de proprio ſudore ederet panem ſuum, & fuit ſic multis temporibus. Et Dominus videns quia Electus ſuus multiplicabat talenti gratiam quam ei dederat, plures faciebat concurrere ad ipſum Cœnobium, ſequentes Evangelium ejus, relinquentes patrem & matrem, domum & agros ſeu reliqua. Quod proſpiciens ipſe Sanctus Dei qualiter multitudinem Sanctorum ibidem Dominus adgregaret, non prævaluit eſſe

a In alia Vita Vvandregiſilus locum Fontanellam accepiſſe dicitur *largiente Erchinoaldo*; & tamen in Chronico Fontanellæ cap 1. Erchinoaldus Patricius locum *per venditionis titulum Godoni contradidiſſe* fertur.

b Addit alius Auctor quartam Eccleſiam in honore S. Pancratij, & Oratorium S. Saturnini. Lege Notas in cap. 16. & 17. Vitæ ſequentis.

ſine agro, niſi acciperet de eis qui inluminati ſervitio Dei ſe ſubjugabant, quatenus eorum neceſſitates haberet unde procuraret; hoc eſt tantùm victum & veſtitum juxta præcipientem Apoſtolum : *Habentes autem tegumenta & quibus alamur, his contenti ſumus.* Erat enim veriſſimus Paſtor juxta Domini præceptum, quia animam ſuam ponebat pro ovibus ſuis: per ſuam dulcedinem multorum amaricationes in liquorem verterat: per ſuam humilitatem multi revertebantur: per ſuam doctrinam multos adgregavit in regno Dei. Erat enim doctus ſcriba proferens de theſauro ſuo nova & vetera. Dubios confortabat, imbecilles corroborabat, infirmis auxilium præbebat, atque contra diabolum pro eis fortiſſimis prælio dimicabat. Plurimas prædas de ore Leonis rugientis abſtulit, atque ad ovile Dominicum ut bonus Paſtor reduxit, ſeu vulneratam verbi gratiâ curavit. Et inſtruebat filios ſuos qualiter potuiſſent reſiſtere Satanæ inſidiis fluctuoſis, & qui poſuerant manum in opus Dei, non reſpicerent retro. Et adnuntiabat eis dicens: Retrorſum reſpicere, Filij, nihil eſt aliud quàm in eo pœnitere quod cœperas exercere, & iterum mundanis deſideriis te obligare. Cariſſime ſemper debet homo paratus eſſe ad humilitatem, & ad altiora conſcendere. Non debemus computare annos quos in Cœnobio degimus, ſed quòd ſine querela in mandatis Dei viximus. Et ſi nos aliqua elatio non inflat eoquòd non furamur cum furibus, & non jungimur cum homicidis ſeu perjuris; recogitemus infra conſcientias noſtras qualis ſit actus: ſi odium contra quemlibet non habemus, ſi detractionem cum omni velocitate eradicemus, ſi nos non inflat ſuperbia, ſi non delectat ambitio, ſi luxuria non coinquinat, ſi ira non exaſperat, ſi vana gloria non præoccupat, ſi riſus immoderatus non rugat, ſi otioſus ſermo non præpedit, ſi caritatem, pacem, gaudium, benignitatem cum omni aviditate cuſtodimus. Hoc nobis eſt neceſſarium, ut omni hora Dominus paratos ad opus ſuum inveniat: Dominus ut gaudeat & coronet, diabolus ut decidat & lugeat: quia maximum mærorem habet, quando quemquam viderit promptiſſimum in mandatis Dei cuſtodiendis. Filioli, cuſtodite vos ab omni inquinamento mundi: hodie vivimus, in craſtinum quid nos contingat neſcimus. Revolvatur ad noſtram ſedulitatem memoria, qualiter nos qui aliquando fuimus filij tenebrarum, modò miſericordiam Dei conſequuti facti ſumus filij lucis. Itaque abjiciamus opus tenebrarum, & per Chriſti præcepta tamquam per lucem ambulemus. Videte ut vobis diabolus per zeli livorem in muſcipula ſua non obliget; ſed ligati caritate, invicem in timore Dei ſervite: & ſi hoc veſter adverſarius conſpexerit, longè fugabitur à vobis: quia ad illum quem in prælio inimicus unianimem viderit, adpropinquare ad eum minimè poteſt, quia caritas Dei conglutinat: hoſtem teterrimum proſtratum habent unianimes. Hoc erat ſtudium, vel labor ejus quo contra diabolum dimicabat, quia filios ſuos quos verbo Dei tantùm lacte enutrierat, ad bellum contra eum docebat, atque venenatas ſagittas ejus de qua parte pervenire poterant demonſtrabat. Qui ipſas oves Dominicas in prædicto S. Cœnobio uſque in finem vitæ ſuæ ſine querela (ut puto) præcelſior ſuper omnibus Paſtor ſollicitudinem in omnibus geſſit. Tanta ei aderat veriſſima humilitas, ut propter Filiorum educationem jam in ævo & luculenta ſeu decorabili ſenectute in labore manuum inſiſtere nitebatur.

AN. CHR. DC. LXVII. JULII XXII.

1. *Tim.* 6. 8.

Paſtorem optimum ut ſe gerit.

"Monita egregia dat ſuis.

Senex labori manuum vacat, cur?

15. O quàm magnum atque præclarum ſatellitem Chriſti, ut qui per contemplationis aciem cor ſuum in ſupernis elevabat, pro fraternis dilectionibus detentus in terreſtribus multis modis ſervitute ſubjacens, ut ad inſtar Apoſtoli omnibus omnia fieret, ut omnes lucrum faceret. Qui per ipſam multiplicem gratiam quam ei Dominus dederat, inrigabat terram Gentilium, & torrentem ſpinarum, & mare mortuum dulcorabat. Sícque de viro ſancto in longinquis ſpatiis terræ felix opinio peragravit: ac ſi quiſquam eum oculis corporeis non vidiſſet, fiduciam magnam habebat, ut per ejus interceſſionem, ſicut erat, clementiam Domini haberet eſſe propitiam. In hoc maxima parte ſua prædica-

Prædicatione incolas ad Dei cultum convocat.

AN. CHR. DC.LXVII. JULII XXII.

tio claruit, ut dum in terra cum brutis vel ſævis hominibus habitabat, in modi-cum tempus per ejus deprecationem ſunt converſi: qui antè direptores fuerant, poſtea ſua propria largiebantur. Quid dicam ampliùs? ut tam feroces vel immanes barbaras gentes nuper Chriſtianas, more Monachili cùm vellet, leviter increpare, proſternebat ſe uſque ad terram, & veniam petebat. Nempe ipſe Sanctus Dei inter oves ſuas ſeu Dominicum agrum verbi prædicatione exarabat & dicebat: Non nobis Domine, ſed ſancto nomini tuo da gloriam: & deprecatio ejus fiebat cotidie pro ipſis, ut in tam novella plantatione Dominus JESUS-CHRISTUS radicem caritatis figeret, & fundamentum ſtabilitatis firmaret. Cui non tantùm pro filiis ſuis oratio aſſidua erat, ſed etiam pro omni gente tam juſtorum, quam peccatorum, quorum carnes Rex Aſſyrius in olla infeſtæ fornicationis incendio bulliebat.

Interna & futura cognoſcit.

16. Mirum eſt valde atque ſtupendum cogitare, ſi in hujuſmodi viro Dei prophetiæ ſpiritum habuiſſe non credamus, qui ſæpiùs aderat, ut dum quiſquam reatum ſuum minimè innoteſceret, diceret ipſe Sanctus Dei: Frater, quid tibi eſt ut tam torvo adſpectu & lurido corde contriſtatus incedas? Nonne tibi ſunt aliqua cordis machinamenta? Feſtinus ſis ad confeſſionem, noli dimittere reatum tuum in corde quieſcere, quia modica ſcintillæ adjectio magnum ignem congenerat. Surge, Frater, ſta ſuper pedes tuos, & noli proſtratus jacere ne ſis cum diabolo: ſed ſurge cum Chriſto. Porro & ego abſque dubitatione loquor eum audiſſe ventura pronuntiantem: quod oculi mei poſtea apertiſſimè viderunt. His minimè patitur brevitas hujus texti * diutiùs immorari: ſed inquantum Divinâ juvatus fuero miſericordiâ perſtringere nobis hoc convenit, ne ut ſuperiùs longo perſcribente ſtilo faſtidium debeam generare. Et hoc mihi ſic credo quòd fas ſit ad inquirendum, quanta Dominus per ipſum ſanctum Dei venerabilémque Patrem noſtrum operare dignatus eſt miraculorum certamina. Nec hoc poteſt inopia mea apprehendere, ſed ſoli Deo agnitum eſt. Liquet hoc quod humanis obtutibus apparet inquirendum putavi, quia de ipſo Sancto Dei pauca perſtrinxi. Nam certiſſimè ſciamus, quòd per eum Dominus leproſos mundavit, claudos liberis greſſibus ambulare fecit, & interioris cordis tenebras, & mortuos jam pæne ſepultos reſuſcitavit: qui de hujus miſerrimo ſæculo ereptus in cæleſtibus ſedibus hodie cum Chriſto & ſuis ſanctis Angelis militat, & erit gloria ejus Chriſtus, & finem numquam erit habiturus gaudens amœnitate Paradiſi [a].

Auctoris ætas.

* textûs

Auctor multa omittit.

Ad mortem anhelans, morbo corripitur.

17. Veniamus ad illum locum in quo Dominus inclytum ſuum de laboribus hujus mundi in cæleſti quiete perducere voluit. Quadam & ipſe ætate longa defectus canebat ſæpiſſimè dicens: *Heu mihi, quia peregrinatio mea prolongata eſt, habitavi cum habitantibus obſcuritates, multum peregrinata eſt anima mea.* Et deprecans Dominum dicebat: O JESU bone, libera me quia multùm deſidero videre te. Qui ipſe exaudiens precem famuli ſui, immiſit ei modicam ægritudinem, qualiter animam ſanctam reciperet de corpore. Qui ipſe vir Dei fuit tribus diebus & tribus noctibus non loquens cum hominibus, ſed in extaſi eductus contemplabatur gloriam Dei, & per pauca aperiebat oculos ſuos, & proſpiciebat in cælo hilari vultu. Quod cognoſcentes diſcipuli qui ante eum adſtabant, eoquòd mens ejus tranſlata erat in gloriam Dei. Videntes autem Fratres eoquòd jam volebat eum Dominus recipere, contriſtati ſunt valde dicentes: Quid facturi ſumus? Cur nos tam citò relinquis Pater? verba tua audire vellemus, aſſueta admonitione tua omnes deſideramus corrigi. Et proſtraverunt ſe cum gemitu & lacrymis in oratione, Dominum deprecantes ut non permitteret eum de corpore recedere, antequam eis confortationis gratiâ famularetur. Porro Dominus videns contritionem maximam quam oves ſuæ patiebantur pro Paſtore eorum, eoquòd jam obierit, & minimè eis loqueretur; permi-

Psal. 119. 5.

Triduo raptus,

[a] Multa hîc ſupplenda ex alterius Vitæ capite 13. & ſequentibus.

sit ipsum Sanctum Dei, ut multa prædicationis verba eis prædicaret. Qui convocatis discipulis suis, plurima mysteria secreta & absconsa tam de se quàm & de reliquis eis reseravit. Tunc interrogaverũt eum Monachi juxta moris consuetudinem, quid post suum discessum facere deberent. At ille aperiens os suum respondit eis: Certiùs cognoscatis, quod si permanseritis in sermonibus meis, & custodieritis quod ego prædixi vobis ut in unitate atque caritate seu & humilitate fundati sitis, ut inter vos nulla sit dissensio; conditio vestra manere habet in perpetuo rectè, & Dominus vobiscum erit omnibus diebus, & vester consolator atque auxiliator in omnibus necessitabus aderit. Pauca eis verba in brevi expressit, eoquòd jam propè erat Advocatus ille qui eum recipiebat in sinu requiei suæ. AN. CHR. DC. LXVII. JULII XXII. ad se reversus suos cõsolatur.

18. Cùm autem conspiceret diabolus, quòd per merita ipsius Sancti Dei eum Dominus ad beatam vitam de his tenebris vocaret; maximâ invidiâ in eum ductus, eoquòd semper adversus eum fortissimus dimicator fuerat, & non tantùm pro semetipso, sed etiam plurimas oves de ore ejus abstraxerat, atque ad vitam æternam pius ductor exstiterat, volebat eum per suas nigredines teterrimos pavores animæ generare. Sed Dominus clemens Justum suum numquam deseruit, sed semper in eum habitans percussit diabolum & fugavit. Eum etiam discipuli prædicti Patris qui ante eum aderant audierunt eum dicentem: In Spiritu-sancto baptizavit me Dominus in fontem lavacri, & occurrit mihi dæmon teterimus, & percussit eum Dominus in fronte, & fugavit eum. Prospiciens ipse Sanctus Dei multitudinem agminis Sanctorum quos ibidem ad ejus exitum Dominus miserat, ante eum adstare, vocavit aliquem Sanctum, cujus vitam & mores ipse beatus vir sciebat dicens: AGATHON, Agathon, cum hilari vultu: & per ipsam suam vocationem certiores fuerunt Fratres, quomodo multitudo ibidem esset aggregata Sanctorum. Et *ego ipse aliquo Fratre in Monasterio narrante cognovi: cùm esset in cella sua, audivit choros excellentissimè psallere. Exsurgens autem Frater ille in pavimento, & currens festinus accessit ad Ecclesiam, cogitavítque infra se, ut Fratres jam decantarent ad exitum beati viri Dei. Qui veniens in Ecclesiam & nihil in eam inveniens, regressus cum calore, venit ad locum ubi venerabilis Pater erat: interrogavítque circumstantes si aliquam rem audissent. Respondentes autem Fratres dixerunt ei quia neminem audierant. Et ipse sanctus vir ad illos Fratres qui eum curabant, interrogavit dicens: Potestis decantare cum istis qui hîc psallunt? Dixerunt ei: Domine quínam sunt nescimus: tu scis. Ille autem splendida facie lætabatur in Domino, & cum ipsis corde psallebat. Deum in extremis adjutorem habet adversus dæmonem. Sãctos etiã præsentes & psallentes. * *f.* Ut

19. Ad ultimum verò exitûs sui congregata est omnis multitudo Monachorum, & ipsa sanctissima anima egressa est de corpore, & receperunt eam agmina Angelorum qui ad ejus exitum psallebant: & Dominus JESUS-CHRISTUS cui ipse in hac vita devotissimè servivit, reseravit ei amœnitatem Paradisi. Tunc multitudo ad ejus obitum decantabant cum magno planctu. Illi fundunt lacrymas pro separatione carnis, Angeli exsultant pro junctione animæ. Illorum animus mæstus est pastorem obiisse, Angeli gaudent propter quod tam Sanctum Dei recepissent. Moritur.

20. Exsultent senes, lætentur juvenes, gaudeant adolescentes, alacres sint Monachi, quia sanctum Wandrigiselum recipiunt sedes beatæ & æternæ, & post labores multos quos propter Deum gratanti animo in præsenti vita sustinuit, in perpetuo coronam maximam recipiet. Sectemur hunc Fratres communi studio, si volumus cum eo gaudere in perpetuo. Humiliemus nos propter Deum, sicut ille fecit, ut cum eo exsultare mereamur. Mortificemus membra ut spiritus floreat, concordes simus ut diabolus fugiat, mites ut Angeli gaudeant. Videat ille etenim multiplicare semen Dei quod diffundatur in cordibus nostris, & lætetur Pater in filiis, & filij in Patre, ut in illo terribili examine venturi Judicij repræsentare nos ante oculos Dei valeat dicens: Hi sunt Oves quos com- Auctoris adhortatio.

AN. CHR. DC. LXVII. JULII XXII.

mendaſti mihi Domine, nemo periit ex eis, cuſtodientes mandata tua quæ adnuntiavi eis. Et dignetur nobis dicere Rex æternus: Venite benedicti Patris mei, percipite regnum cum dilecto veſtro inclyto meo Wandrigiſelo quod vobis paratum eſt ab origine mundi, præſtante Domino noſtro JESU-CHRISTO, qui Confeſſorem ſuum in præſenti vita protexit, & poſt funus in Sanctorum gaudia copulavit: qui cum æterno Patre vivit & regnat Deus in Trinitate perfecta in ſæcula ſæculorum, Amen.

Dies obitus. *de anno infrà.*

21. Noſſe qui velit hujus beati viri obitum XI. Kal. Auguſtas * cum opere perfecto conſummatum recepit eum Dominus.

ALIA VITA S. WANDREGISILI

Auctore coævo Monacho Fontanellenſi, aliquot in locis interpolato.

Ex MSS. codd. & Surio, apud quem deeſt Prologus.

PROLOGUS AUCTORIS.

SCRIPTURUS vitam beatiſſimi Patris WANDREGISILI, Spiritum-ſanctum toto virium niſu peto adjutorem, quatenus ipſe mihi ſcientiam eloquendi textum vitæ illius miſericorditer tribuat, qui fervore ſuæ caritatis multiformiter cor Sancti inflammare diſpoſuit, ac ſuæ habitationi digniſſimum reddidit. Nam tam præclaro operi ſuccūbit ingenium, niſi Divinum adfuerit præſtò ſuffragium. Etenim in operibus eximij viri multiplex materia reperitur dicendi: & ſi me huic negotio aliquatenus judicâſſem idoneum, olim almi Patris geſta ſcripturus aggrederer. Confido tamen in illo qui dixit: *Aperi os tuum, & ego adimplebo illud.* Non erit ergo mirum ſi inerudito omnipotens præbeat vera dicendi intellectum, qui quando voluit aſellæ brutæ tribuit eloquium. Intercedente ergo ipſo venerando Patre conabor jam virtute qua potero è pluribus pauca revolvere. Inſeremus ergo illa quæ veris aſſertionibus experti ſumus fuiſſe patrata. Nonnulla enim à memetipſo viſa, pleraque etiam venerabilium Monachorum ejus qui ei per prolixa adhæſerunt tempora, aſſertione veriſſima prolata cognovi, qui non tantùm audita, verumetiam ipſis coràm poſitis acta fideliter narrant: quæ ſi minus comptè edita fuerunt, aut decore facundiæ funditùs caruerunt, mi reverentiſſime Pontificum LANTBERTE, à viris facundis, omni melle dulcioribus eloquiis decorentur, ut legentibus apta fiant. Noverint tamen legentes, non hac me ſtoliditate deſipere, ut velim doctorum greſſibus coæquari, cùm ſim iners, inſipiens, ſomno deſidiæ torpens [a].

Pſ. 80. 11.

a

a Alium Prologum qui apud Surium exſtat omiſimus.

INCIPIT VITA.

CAPUT I. Vvandregiſilus Pippini conſobrinus,

b

PRÆCLARUS igitur, atque glorioſus vir Domini Wandregiſilus, cognomento Wando, ortum inclytæ nativitatis in Verodunenſi regione ex nobilibus atque religioſis parentibus, tempore quo ſceptra Regni Francorum fortis Rex DAGOBERTUS [b] honeſtè gubernabat, habuiſſe dignoſcitur. Denique ge-

b Longè ante Dagoberti principatum natus eſt S. Vvandregiſilus, qui ſi nonagenario major devixit, regnante Chlothario Chlodovei Magni filio vitæ initium habuit. At familiare eſt Hiſtoricis piis illius ævi, ut Sanctos natos dicant iis ſub Regibus, quorum principatu floruerunt, ſicuti in Actis SS. Richarii & Geremari obſervavimus. Alius Auctor dum S. Vvandregiſili ortum deſcripſit, Regis nomen reticuit.

nitor ejus WALCHISUS[a] nomine ex nobiliſſima proſapia ortus, conſobrinus exſtiterat PIPPINI excellentiſſimi Principis Francorum. Et ut ejuſdem viri ſancti claram originem altiùs promam, cùm eſſet à nobiliſſimis ac ditiſſimis parentibus editus, non minùs nobiliorem ſe ſplendidæ vitæ moribus ac piæ converſationis exemplis aſſiduis præbuit. AN. CHR. DC. LXVII. JULII XXII. a

II. Comes palatij.

Cúmque adoleſcentiæ polleret ætas in annis, ſub præfato Rege Dagoberto militaribus geſtis ac aulicis diſciplinis, quippe ut nobiliſſimus nobiliter educatus eſt: & creſcentibus ſanctæ vitæ moribus, cunctíſque mundanarum rerum diſciplinis imbutus, à præfato Rege Dagoberto Comes conſtituitur Palatij. Quo gradu paullulùm adminiſtrato, ardore parentũ honoribus plurimis (ut ſeſe habet ſæcularis rei dignitas) valde ſublimatus, etiam diſpoſitioni rerum plurimarum non multo pòſt mancipatur. Suſcipiénſque hoc officium exercebat cum pietatis ſtudio adminiſtrationem ſibi commiſſam, mente ſemper cæleſtia tractans. Optima Principatum juſſa magnificè adimplebat, reddens quæ ſunt Cæſaris Cæſari, & quæ Dei Deo: erátque liber ad arguendum eos, humilis ad obediendum, Regi Apoſtolico juſſu ſubjectus, Chriſto devotus. Erat enim in fide firmus, in bonis operibus promptus, in ſermone veriſſimus, in judicio juſtus, in conſilio providus, in bonitate conſpicuus, in caritate præclarus: arguebat ſubjectos clementer, tolerabat patienter, erátque in eo mira in cunctis operibus diſcretio & imitabilis erga omnes dilectio.

III. Uxori caſtitatem perſuadet.

Evoluto autem tempore, parentum hortatu, licet invitus, quamdam ſibi deſpondit puellam, nobiliſſimis parentibus procreatam, ſollemníque more caſtas celebrans nuptias, virginei floris immaculatum adeptus eſt torum. Denique ſuadebat ſuæ conjugi virginitatem integram cuſtodire, caſtitatíſque munere Angelicarum virtutum promereri conſortium. Hoc prudenti monitu roborata, ac ſuperno illuſtrata lumine; Talia, inquit, quæſo, nobiliſſime virorum, ut quæ ore promis, explere properes actu; & temetipſum à ſæculi curis exuas, méque famulam tuam caſtris committas Regis perpetui. At ille exſultans de ejus laudabili devotione, gratiarum actiones bonorum omnium Inſpiratori gaudenter profudit. Fit quoque ex utraque parte magnificè Chriſto donante ſaluberrimus caſtitatis conſenſus: ipſe enim Clericatûs habitum ſumpſit, ac conjugem ſuam velo piæ Religionis opertam Sanctimonialium Monaſterio ilico tradidit ſociandam. In quo viriliter ſuimet cuſtos callem imitabilis vitæ peragens, triumphum Domino reportavit: talíſque ejus enituit converſatio, ut ad declaranda ipſius merita, plurimæ à Domino per eam patratæ dicantur virtutes. His ita ſe habentibus, ad ſancti viri opera & virtutes enarrandas ſtilum vertamus.

IV. Seditioſos oratione placat.

Cùm adhuc in laico habitu degens iter carperet ſtipatus obſequiis ſuorum, divertit in locum quemdam ſuo itineri congruum, ubi ſeditioſum vulgus in injuriam ſancti viri totis furoris ſtimulis exarſit. Nam ſtoliditate & barbaricâ rabie excitati, & intellectu belluis ſimiles, ſuper virum Dei cum turba irruunt ſuorum: ubi non minimum humani fuſum fuiſſet ſanguinis, niſi interceſſio ipſius & virtus Chriſti miſericorditer adeſſet. Ipſe enim ab illo popoſcit auxilium cui dicitur: *Tu es refugium meum à tribulatione.* Orationem pro gladio ſumens clypeum Divinæ miſericordiæ poſtulavit: nec defuit divinum, ubi humanum deerat auxilium; denique turba pravorum ita ſtetit immobilis, ut propiùs ac- *Pſ.* 31. 7.

[a] Vvaltchiſus ſeu Vvalchiſus, cujus nomen in priori Vita non exprimitur, filius S. Arnulfi falsò dicitur in Genealogia Chronico Fontanellenſi ab Auctore recentiori præmiſſa: ſiquidem Arnulfus duos tantùm habuit filios, Chlodulfum & Anſigiſilum, uti ex ipſius S. Arnulfi ſinceris Actis & ex Pauli Diaconi libro de Mettenſib. Epiſc. conſtat. Certè Arnulfo æqualis ætate aut fortè ſuperior debuit eſſe pater S. Vvandregiſili, qui Vvandregiſilus initio principatûs Chlodovei, quo Arnulfus deceſſit, annos minimùm quinquaginta natus erat: cùm poſt annos circiter ſeptem & viginti, *ætate longa defeſſus*, ſeu ut in poſteriori Vita, *annos nonagintæ ſex* natus obiiſſe legatur. In Chronico Malleacenſi GALGISUS *Dagoberti conſobrinus*, & infrà cap. 14. Erchinoaldus Vvandregiſili *conſanguineus ex materna origine* dicuntur. Vvandregiſilus *ſummis parentibus* ortus à priori Vitæ Scriptore prædicatur: cetera ferè incerta.

AN. CHR. DC. LXVII. JULII XXII.

cedere non valeret, Chriſti ſcilicet retenta virtute, ſtatímque ipſa lis in admirationem intuentibus vertitur: itaut oratione viri Dei ſolverentur pariter & ſalvarentur, ac pacati abſcederent, qui ſeditioſi advenerant. Nec mirum eſſe debet, quia filius pacis intererat, ſi litigantes Omnipotens pro eo ad concordiam converteret. Exinde cœpit magis magíſque divino igne ſuccendi, atque contemplativæ vitæ alta rimari, Deúmque glorificare ſimul & laudare, dicens illum ſuper omnia toto niſu diligendum, qui ubicumque juſtè fuerit invocatus præſens eſt exauditor, ſecundum illius Prophetæ dictum: *Cùm quæſieritis me in toto corde veſtro, inveniar à vobis:* quíque ita ſeipſum propriâ diſciplinâ coercebat intonſus, quaſi futuram ſpeciem Paſtoris olim ſuis præſignaret in geſtis, ut irreprehenſibilis in Templo Chriſti præpararetur Sacerdos. O perfectiſſimum laïcum, cujus imitatores ipſi eſſe deſiderabant Sacerdotes! ô mens omnibus prædicanda, cui non fuit aliud vivere, niſi Chriſtum cum dilectione timere, & cum timore diligere!

Ierem. 29. 14.

V. Monaſticam vitam profitetur.

Poſtquam autem (ut ſuperiùs indicatum eſt) ipſe vir ſanctus mundi hujus oblectamenta deſeruit, optabat in ſancto Cœnobio divinæ inſiſtere philoſophiæ, ac Monaſticæ Regulæ venerabilem animum tradere informandum. Ac primùm in loco qui dicitur Mons-Falconis cum viro ſancto nomine WALTFRIDO[a] non multum temporis habitavit, cujus actus & vitam in geſtis de eo ſcriptis, ſi qui noſſe velint, facilè reperient. Erat autem vir Domini Wandregiſilus ſtaturâ mediocris, quæ honeſtam non excederet formam, oculis vigilantibus, facie candidâ, manibus prolixis, omnique corporis formâ decorus pariter ac jocundus, qui omnes facultates ac prædia ſua partim Monaſteriis perpetim poſſidenda tradidit, partim pretia ex his accipiens indigentibus largâ diſtribuit manu: ſícque exutus ſæculi curis atque impedimentis liber & nudus, cum hoſte verſuto certare contendebat. Denique hoſtis invictus ejus inſuperabilem conſpiciens devotionem, nitebatur omnimodis impedire pios illius actus & ſtudia. Ac primùm Regis animum & Procerum illius adverſus eum commovet, ſcilicet ut avulſus à ſancto loco habitum compelleret recipere ſæcularem: ſed ipſe indeſinenter precibus inſiſtens, Divinis armis inimici evacuabat molimina.

[a]

VI. A Rege in aulam revocatus, erecto paupere, commeatum obtinet.

His temporibus Rex inclytus DAGOBERTUS amator videlicet Dei ac ſanctarum Eccleſiarum, atque Monaſteriorum venerabilium ſtrenuus factor pariter ac fundator, ac proprij Regni fortiſſimus defenſor & propagator invictus, ſceptra Francorum gubernabat honeſtè, hoſtibus undique ſuæ ditioni ſubactis. Et quia præfatus vir Domini in ejus aula nutritus, & ſuis fuerat olim miniſteriis adſcitus, nitebatur ei conſultu ſuorum moleſtiam inferre, pro eo quòd ſine ejus permiſſu habitum mutâſſet, ac Monaſticæ ſe Religioni mancipâſſet. Quem accerſiri ad Regiam quantociùs juſſit migrare in Aulam: ipſe autem auxilio Domini fiſus qui ei ſemper præſens opitulari ſolebat, reminiſcens etiam illius Apoſtoli Petri: *Subjecti eſtote omni humanæ creaturæ propter Deum, ſive Regi, quaſi præcellenti*, licet nolens quidem in palatio ſeſe exhibuit obtutibus Regis. Cùm autem juſſus Regias licet animo reluctante properaret ad ædes, ante fores palatij quemdam pauperculum ſubitò offendit, cum vehiculo quod ei erat ſola domus, luto dimerſum. Cúmque omnes miſerum præterirent, aut etiam aliqui comprimerent; intellexit vir ſanctus mercedem ſibi ex hoc reſervari, ſi indigenti atque humi depreſſo miſericordiam exhiberet. Cernens etiam crude-

1. *Petr.* 2.

[a] Aliàs BALTFRIDO. In alia Vita non exprimitur nomen. Frodoardus in lib. 4 Hiſt. Remenſ. c. 39. agit de Balderico iſtius Cœnobij auctore, quem Baldericum à Baltfrido haud diverſum opinari licet. Nomen loco inditum à Falcone qui locum exſtruendo Monaſterio deſignavit, teſtatur idem Auctor. Collegium Canonicorum à multo jam tempore Monachis ſucceſſit in eumdem locum, etiamnunc Montem-Falconis, vulgò *Montfaucon* appellatum, diœceſis Verodunenſis, ut conſtat ex Hincmari Capitulis anno 874. datis, ubi cap. 1. arguuntur *Canonici ipſius Monaſterij*, quòd Eccleſias *ruſticanarum parochiarum occupare* præſumerent. Acta S. Baltfridi ſeu Vualtfridi exciderunt, idque ſolum de Balderico nobis reliquum eſt, quod apud Frodoardum in libro 4. cap. 38. & 39. refertur.

litatem

litatem qua operabantur tumidi, de equo cui insidebat cum gravitate descendit, & pauperi manum porrigens, simul cum plaustro eum de luto levavit. Tunc quidam stolidorum prospicientes qualiter de sublevatione jacentis lutosum gestaret amictum, vanæ gloriæ & temeritati, more invidorum Pharisæorum deputabant. Ipse verò soli Deo placere desiderans, de vituperatione nihil curabat iniquorum, sed humilis humilem Magistrum imitabatur, qui in Evangelio inquit: *Si Patremfamilias Beelzebuth vocaverunt, quanto magis domesticos ejus?* Matth. 10. Cùm verò illatum sibi ex pietate opprobrium suo patienter amplexaretur in corde, extimplò cælitùs niveo indutus amictu adest Angelus, qui vestem illius diligenter emundans, candidiorem quam anteà fuerat reddidit. Postea perveniens in domum Regiam stabat in conspectu Regis & Procerum illius quasi agnus in medio belluarum, & Dominus custos & rector omnium placentium sibi, ab hostium læsione hunc tutum ac munitum ubique reddebat: omnibúsque liquidò patefactum est, ipsum fidelissimum Dei esse famulum, qui cunctam hujus mundi gloriam pro exspectatione calcâsset futurorum. Et præcepit Rex ut nemo illi inquietus exsisteret, sed pro voto animi sui Divinis serviret mandatis, & propositi observantiam nullo resistente servaret: sícque Regis auctoritate securus de reliquo, ad dilectæ habitationis locum reversus est. AN. CHR. DC. LXVII. JUL. XXII.

VII. In Elisangiensi Cœnobio à se condito rigidè vivit.

Quo non multo pòst occasione quadam loco relicto, in Elisangium [a] commigravit territorium, ubi & Monasterium struxit pro temporis opportunitate in possessione propria. Ibi namque B. URSICINUS requiescit venerabiliter humatus. Monstratur namque eo in loco usquehodie ejusdem viri Domini Wandregisili grabatum, ubi quieti membra dare post prolixam instantiam vigiliarum ac afflictionum solitus erat. Illic namque jejuniis, vigiliis & orationibus frequenter insistens cælestis ut tiro, fortissimus efficitur miles. Nam si quando Divinis vacantem laudibus somnus vehemens Dei compresserat hominem, nudis pedibus & simplici veste tantùm contentus, super humum stare ac poplitibus flexis orare solitus erat. Tali namque laboris afflictione detentus, ita attenuatus exstiterat, ut vix membra hujusmodi exercitiis tenuata valeret erigere. Cernens denique hostis antiquus insuperabilem viri Dei constantiam, ad tentamenta fortiora ilicò se contulit excitanda, plurimásque ei inquietudines & visibiliter & per soporem sæpiùs ingerebat: itaut in effigies bestiarum aut volucrum sive serpentium se illudendo transformaret, & ejus adspectibus terribilem se præsentaret. Vir quoque Domini intelligens illius multimoda nocendi argumenta seu suggestiones letiferas, per sanctæ Crucis vexillum & omnimodam rigoris abstinentiam ac jugem orationem, Divino per cuncta fultus solatio, viriliter ejus irritos efficiebat conatus.

VIII. De prolixiori somno semel à dæmone accusatus fit cautior.

Sed cùm idem anguis lubricus se conspiceret ab ipso viro Dei undique superari, adhuc majora perquirit, & addit artium suarum letifera tentamenta. Econtra quoque in viro Dei tantus fidei inerat fervor & insatiabilis circa cultum Dei ardor, ut quo plus corpori calliditatis solitæ intulisset molestias, plus sibi cuperet inferri. Sed cùm quadam nocte, ultra solitum somno indulsisset, ilicò affuit hostis, & illudens ait: Vigilantior te hac exstiti nocte. Tunc vir Dei; Non dubito, inquit, ad ruinam aliorum & cumulum tuæ damnationis pervigilem te ubique fore: nam domabitur caro quæ ad hanc impulit corporis inertiam. Exsurgens verò à desidia somni, accipiebat armaturam Dei, taliáque promebat dicens: Tu qui semper es custos tuorum non dormitans in ævum, indigno tuo famulo miserator adesto. Cúmque tunc temporis hiemis asperitas esset, sub dio in medio nivium & glacierum, Davidicam cælestémque musicam, flens ac longa trahens suspiria, Domino devotissimè decantabat melodiam. Sed & ita jejuniis incumbebat, ut in tota hebdomada, exceptis primâ & quintâ sab-

[a] Et hîc alius Auctor nomen loci reticet. *Inde reversus cœpit ædificare Cellam in alto loco de facultatibus suis, &c.* nec B. Ursicini meminit. De Monasterio S. Ursicini in Vita S. Germani Abbatis Grandivallensis suprà ad annum 666. egimus.

AN. CHR. DC.LXVII. JUL. XXII.

bati, eſcam minimè ſumeret. O quàm magnificum & laudatiſſimum bellum quod indeſinenter probatiſſimus Domini miles gerebat adverſus hoſtem antiquum: verè digniſſimum in quo Dominus habitaret templum, jejuniis mundum, orationibus comptum, puritate refertum, vigiliis exornatum, cujus quidem in mente virtutum omnium decorem collocavit, & valde ſobrium ſapientiæ domicilium.

IX. Bobienſe Monaſterium cæleſti monitu petit.

Quadam nocte juxta morem cilicio obvolutus in cella ſua, dum ad refocillandum quieti membra dediſſet, in exceſſum mentis ſubitò rapitur, ductúque Angelico, in Monaſterium quod vocatur Bobium, ſitum in Italia perducitur, oſtenſáque ſunt ei ejuſdem loci habitationes. Expergefactus autem à ſomno, intellexit hoc oraculum divinitùs agi, ſéque ad hoc commoneri, ut ob gratiam vitæ contemplativæ atque artioris continentiæ ſemitam explorandam talia inviſeret loca. Memor namque Divini præcepti quo ait, *Niſi quis reliquerit omnia quæ poſſidet, non poteſt eſſe meus diſcipulus*, ſurgens reliquit omnia quæ oneri ſibi videbantur, quatinus ab univerſis exutus, mandatorum Dei tutiùs curreret viam: adunatóque Fratrum omnium cœtu, orat ut imminenti itineri eorum intercedentibus precibus juvamen Cunctipotens clementer tribueret. Sícque valedicens eis, cum tribus pueris & aſello diſpoſitum arripuit iter: ovánſque peregrinationem optati laboris aggreſſus, Alpium juga tranſgreditur, atque Italiam ingrediens ad Bobienſe Cœnobium veluti revelatione dicerat accedit: quod B. Pater COLUMBANUS Scottici generis laudabilibus geſtis florens, cùm à Rege THEODERICO Galliâ expulſus eſſet, atque ab AGILULFO Langobardorum Rege Italiâ magnificè ſuſceptus, ejus permiſſu ædificaverat: quem locum veterum traditione Bobium nuncupabant, ob rivum in eo loco hoc nomine fluentem, amnémque alium profluentem nomine Triveam, ſuper quem olim Hannibal hiemans, hominum, equorum, elephantorum damna non minima ſenſit. Hunc ergo locum B. Pater Wandregiſilus adiens, qui à diſcipulis præfati Columbani tunc temporis incolebatur, aliquantiſper inibi commoratus eſt. Cùm autem vidiſſet cuncta illius loci habitacula, apertiſſimè intellexit, antea ſibi à Domino divinitùs hæc fuiſſe monſtrata: cognoverúntque habitatores loci probatiſſimum Chriſti eſſe militem, & ejus fructuoſa devotio atque nobiliſſimæ ſtirpis origo cunctis patefacta eſt ſubitò, multáque præſagia futurorum ei Dominus ibi demonſtrare dignatus eſt poſteris intimanda.

Luc. 14.

X. Româ luſtratâ in Galliam rediit.

Morante autem illo præfato in loco, incidit ei ſancta cogitatio, ut ad limina Apoſtolorum Romam proficiſci deberet: Chriſtóque duce quod piè tractavit, devotè complevit [a]. Denique cœpto itinere ſancta luſtrando loca ad eamdem convolavit celeberrimam urbem, votáque ſua omnipotenti Deo ejúſque beatiſſimis Apoſtolis devotè obtulit, dicens cum Pſalmiſta: *In me ſunt, Deus, vota tua, quæ reddam laudationes tibi:* sícque in viſu admonitus, ut Galliarum repeteret rura, iter convertit ad Alpes. Remotior enim volebat converſari, & peregrinam pro Chriſto ducere vitam non mediocriter anhelabat, ſi Dominus ſuis annueret votis. Diſpoſuerat namque in Hiberniam inſulam navigare: ſed Divina pietas hoc magnificum munus ob multorum inſtructionem Galliarum reſervavit populis.

a

Pſal. 55.

XI. In Romanis Monaſterio annis decem morátur.

Cùm autem non modico ſudore, tamen delectabili, Alpibus tranſcenſis arva jam tereret Gallica, causâ hoſpitij Monaſterum petiit, cujus eſt vocabulum Romanis, ſitum ultra ſaltum Jurenſem. Pater ergo loci venerabiliter & monaſticè eum ſuſcepit, ac debitum præbuit obſequium, ut hujus vitæ dictat prædicabilis norma: cognovítque vir Domini religionem Monaſticam inibi pollere, dedítque operam ut Monachorum necteretur ſocietati, & ſe in obedientia ibidem delegavit, ac per decem fermè annorum curricula ſub inſtitutio-

a In priori Vita nihil de Vvandregiſili itinere Romano legitur.

ne Regulari felici devotione Domino militavit. Ibi ſolis jejuniis & orationibus, multorum excedens metas hominum, vacare cœpit, & jugum Chriſti quod ferentibus leve eſt, ſuper ſe ferre, ſemetipſum ſibi abnegando, ac crucem ſuam tollendo Chriſtum ſequi toto ſtudebat adniſu, in virtutum videlicet culmina per humilitatem aſſcendens, manſuetudinem ſectans, modeſtiam atque ſobrietatem, & lenitatem æque in omnibus ſervans. Exſecrabatur denique vir præcipuus religionis amator diſcordiæ vitium, arrogantiæ ac elationis ſupercilium. Erat enim cunctis humilior, caritatis obſequio præveniens cunctos, tardus ad loquendum, & velox ad audiendum, cuſtos ſcilicet oris ſui, hilaris vultu, maturus moribus: obedientiæ quoque ac ſubjectioni ita promptus erat, ut juſſionem Patris quaſi divinitus ſibi imperatam cum omni ſinceritate perficeret concitè, ſemperque meditatio ejus in lege Chriſti erat toto niſu defixa; ubicumque eſſet mandata Dei ſcrutabatur attentè, & perficiebat inſtanter. Tale erat beati viri ſtudium, talíſque in eo florebat religio, quia mortificabat membra ſua quæ ſunt repentia ſuper terram. Nudus nuditatem crucis portabat, atque mortuus jam mundo, advena terris, vivebat Deo: cujus exemplis ſalubribus plurimi negligentes ac tepidi provocati, arduum illius arripiunt iter, atque ad opus ſublimium virtutum ipſo Sancto opitulante æternæ vitæ ſolliciti conſurgunt. AN. CHR. DC. LXVII. JUL. XXII.

XII. Angelica viſitatione recreatus, nepotis ſui converſionem diſcit.

Eo ergo in loco viro Dei commoranti cæleſtis adeſt viſitatio. Nam cùm quadam nocte attentiſſimè precibus inſiſteret Divinis auribus offerendis in cellula ſibi conſtituta talíque negotio apta, incomparabilis ſuavitatis odore ſimul & claritate locus ille cælitùs repletur, vóxque ad eum hujuſmodi perlata eſt: Serve Chriſti in timore Domini devotiſſime, pax tibi ſemper multiplicetur, certa bonum certamen, & his ſemper inſiſte operibus quæ per me gerulum cotidie offeruntur Domino: quia non otio torpentibus, ſed in fide currentibus, & pervigili inſtantiâ attentiſſimè Chriſto militantibus vitæ janua patet æternæ, quæ jam tibi à Domino reſerata eſt, qualiter cum Juſtorum collegiis gaudiis æternaliter fruaris manſuris. Nepos quoque tuus GODO [a], pro quo creberrimis precibus aures Domini ſollicitas, veſtigia imitabitur tua, cunctíſque hujus mundi vanis derelictis, ut ſtrenuus miles ad caſtra Chriſti devotiſſimè convolabit. Hæc audiens vir Domini humi proſtratus artiſſimè orationi incubuit, non ſe in corde ſuo extollendo, eoquòd viſitatione Deificâ viſitari meruiſſet; ſed humilians ſe fragilem ac peccatorem fatebatur, & quia non eſſet dignus peccatorum nævis fædatus, ut cæleſti oraculo magnificaretur. Hæc de viro Domini revelatio oſtenſa fuerat cuidam ſervo Dei in ipſo loco degenti, qui & nobis narrare ſolitus erat. O quantis præconiis ſublimanda tanta dignatio virtutis eſt, quantíſque laudibus honorandus homo ille, qui ſic à Chriſto meruit mirificari! ô felix mortificatio ſervorum Chriſti, quæ dum ſponte agitur in membris corporis, concivis efficitur Angelorum! ô amplectenda omnimodis arta & anguſta, via per quam vir Domini Wandregiſilus ingreſſus, cæleſtis aulæ habitator effectus eſt.

a

Auctoris ætas.

a Legimus ejus Vitam ex MS. Lectionario deſcriptam, quæ ferè ad verbum ex iſtius Vitæ cap. 12. 14. & 15. deſumitur. Hæc peculiaria duntaxat excerpſimus. *Ea tempeſtate Augia locus tam quietus támque remotus habebatur, ut ſolitudine non egeret, quicumque in eo commorari mallet. Quo ab incolis regionis obtento in portionem ſervitutis Domini Baſilicam pro viribus erectam ut rudis incola imbi conſtruxit. In qua famulatui Chriſti ſe artiùs mancipans, ſanctam & Deo placitam liberà cunctis mundi curis reliquam ſtuduit agere vitam... Poſt B. Godonis diſſolutionem quidam tyrannus Gentilium nomine* ASTEMIUS (lege ASTINGUS) *ſupradictam Baſilicam deſtruxit, quam poſt diuturna tempora iterum reſtauravit* EVA (*f.* Emma) *Comitiſſa, quæ infirmitate corporis valde fuerat anxiata, almi autem Confeſſoris gratiâ repente ſanitati eſt reſtituta: ideóq; in ejus honore ordine & numero competenti Monachos ſtatuit ibidem deſervire: de rebus autem propriis ad neceſſarios uſus, prout oportebat, annuales redditus ordinavit illis.* Locum clariùs deſignat Albericus in Chronico ad ann. 676. his verbis: *S. Godo nepos S. Vvandregiſili fundavit in diœceſi Trecenſi primam Abbatiam de* Oya, (Oye.) Nunc eſt Prioratus Monaſterio Cellenſi ſubjectus. S. Godo vulgo *S. Gon*, in vetuſto Breviario Fontanellenſi IX. Kal. Auguſti Abbatis nomine colitur: at in Martyrologio Benedictino V. Kal. Junij: quamquam Menardus noſter VII. Kalend. Junij reſtituit.

AN. CHR. DC. LXVII. JULII XXII.

His porro diebus glorioſus Confeſſor Domini AUDOENUS anno tertio[a] HLODOVEI Regis filij DAGOBERTI Sedem urbis Rotomagenſis adeptus, verbum ſalutiferæ prædicationis ſuis civibus adminiſtrans, Fidei Catholicæ fautor paritérque præceptor, Barbaros atque indomabiles eorum mentes nectare Evangelicæ doctrinæ debriabat, atque docibilem ſubjectámque ad credendum quondam aſperam gentem docebat, ſedulíſque exhortationibus, Chriſtum Dominum Deum eſſe colendum innumeris aſſertionibus demonſtrabat. Cujus cognitâ ab omnibus vitâ atque laudabili devotione compertâ, admonitus etiam in viſu, ut Occidentalia Galliæ reviſeret loca, de præfato *Romanis* Monaſterio, cum licentiâ Patris egreſſus, iter carpere cœpit, quod ad Belgicam deducit Galliam, atque prænominatam celebrem Rotomagenſem devenit ad urbem: ſummáq; cum reverentia à præfato venerabili Antiſtite ſuſceptus eſt. Qui memor prioris conjunctionis & ſocietatis nobiliſſimæque ejus originis, ſed & piæ ac Deo dignæ illius religionis ſecum aliquamdiu eum in urbe tenuit, & ſecundi Ordinis honore ampliavit, Subdiaconatúſque gradu adeò reluctantem decoravit, indéque proceſſu temporis Levitici miniſterij onus impoſuit: quo feliciter adminiſtrato, non multo pòſt ad Sacerdotium, licet renuens, juſſu ejuſdem beatiſſimi Præſulis Audoëni à venerabili AUTMARO Pontifice urbis Tarvennæ conſecratus eſt. Denique poſt acceptum ſacræ benedictionis munus ſtudiosè explebat miniſterium ſibi impoſitum, humilitatis tramitem in omnibus tenens. Erat namque non minimùm idoneus, & aptus huic ſacroſancto miniſterio. Quamobrem præfatus glorioſus Præſul in urbe ſecum perpetim retinere eum cenſuit, quia mellito ipſius delectabatur alloquio, quo eum crebrò recreabat, & gravitate fovebat. At verò ipſe egregius Dei cultor diſtrictiorem deſiderans ducere vitam, eremi ſecreta plurimùm ambiens, mundanos toto niſu fugiebat ſemper honores, ut cum Chriſto poſſet mereri cæleſtes. Locum omni conatu opportunum quærebat tanto negotio, aut ſi id fortè vitante mundi turbine votis non occurrerit ſuis, ſaltem ſub Chriſti jugo & onere ejus placido Regularem exſequeretur promptiſſimus vitam, ut per eum multorum Chriſto prævio acereſceret ſalus.

XIII. Audoënum adit, ſacríſque Ordinibus initiatur.

Dum talia volveret animo, contigit ut largiente ERCHINOALDO Præfecto non modicam ſoli partem exciperet, quo Fontanellæ Cœnobium unà cum venerando nepote ſuo GODONE ut rudis habitator conſtrueret, quem veterum traditio ob rivum in eo loco fluentem hoc nomine vocitabat. Monſtrabantur namque in eodem loco veſtigia, immo ruinæ ædificiorum priſcorum accolarum induſtriâ olim patrata, ſed externorum hoſtium feritate belluinâ funditùs ſolo coæquata: in quo magis luſtra ferarum, quàm habitatio videbatur tunc temporis hominum. Hunc locum vir Domini Wandregiſilus ac præfatus ipſius nepos venerabilis Godo à prædicto Patricio ſibi indultum, ſtuduerunt cum nonnullis ſibi faventibus inutilia quæque evellendo mundare; demúmque fundamenta Cœnobij jacere, ut juxta Prophetiam Iſaïæ; *In cubilibus in quibus priùs habitabant dracones, oriretur viror calami & junci*, videlicet fructus bonorum operum ibi naſcerentur, ubi priùs beſtiæ commorari & habitare conſueverãt.[b] Cœptum eſt autem hoc opus ab anno Dominicæ Incarnationis ſexcenteſimo quadrageſimo quinto ſub die Kalendarum Martiarum Indictione tertiâ, qui erat annus præfati Regis Hlodovei undecimus, pontificante Sedem Romanæ Eccleſiæ anno ſeptimo beatiſſimo Papa Martino; quod tam ſollerti ſtudio, ſummáque induſtriâ perfectum eſt, ut pæne illo in tempore venerabilibus æquaretur Cœnobiis.] Eſt autem hoc Cœnobium ſitum in territorio Rotomagenſi, diſtans à memorata urbe millibus ferme decem & octo: porrò à fluvio

XIV. Fontanellenſe Monaſterium conſtruit.

Iſa. 35. 7.

a

b

a Idem annus in Vita S. Eligij ab Audoëno ſcripta lib. 2. cap. 1. exprimitur. Porro annus tertius Chlodovei Regis anno DC. XL. reſpondet, quemadmodum initio hujuſce ſæculi demonſtratum.

b Quæ parentheſi includuntur, ex Chronici Fontanell cap. 1. huc totidem verbis invecta ſunt. In alia Vita nullus temporis character exprimitur. Conſule Obſervationes prævias.

magno Sequana ſpatio paſſuum circiter octingentorum. Sed quia mentionem fecimus Erchinoaldi Præfecti, libet de eo aliquid dignum ſcribere. Is enim poſt tranſitum bonæ recordationis præfati Dagoberti Regis, Præfecturæ ordinem ac curam maximam Regni Francorum etiam cum filio ejus HLODOVEO & BALTHILDE Regina nobiliter adminiſtravit. Erat namque inſignis bonitate; ac eleemoſynarum largiſſimus, atque ex maternâ origine conſanguineus beati viri. AN. CHR. DC. LXVII. JULII XXII.

Poſtquam autem vitam deceſſit HLODOVEUS Rex, remanſit BALTHILDIS Regina cum tribus filiis, HLOTHARIO videlicet, HILDERICO, ac THEODERICO: ex quibus Hlotharius qui major natu erat, faſtigium adeptus eſt Regni, rexítque populum Occidentalium Francorum annis quatuordecim: & quod Pater ejus inchoaverat, prædictum locum piis largitionibus ac Privilegiis ſuæ auctoritatis devotè ſtuduit ampliare. Terminos etiam ipſius loci, prout voluntas venerandi Patris Wandregiſili erat, devotiſſimè auxit; ibíque reſidens vir Domini Cœnobium multorum ſolatio fretus conſtruere cœpit. Ad cujus famam plebes undique concurrere, & cultui Religionis dicare curabant prædia plurima, ut plurima Monachorum multitudo adunata trecentorum eſſet eorum numerus. Illuc nobilium liberi undique concurrere nitebantur, ut ſpretis oblectamentis ſæculi & preſentium pompam facultatum temnentes, æterna cuperent cum tanto Patre conſequi præmia. Ædificavit namque in ipſo loco prefatus vir Domini Baſilicas egregio cultu numero quatuor, in honore videlicet Principis Apoſtolorum Petri [a], ſimúlque Doctoris Gentium Pauli, ſanctíque Laurentij, ac Pancratij Martyrum Chriſti. Miſit autem iſdem vir Domini dum huic operi inſiſteret antefatum nepotem ſuum ad urbem Romam, propter pignera beatorum Apoſtolorum ac Martyrum Chriſti, ut ædificatis Baſilicis in promptu haberet Reliquias Sanctorum, quorum eas nomini & reverentiæ dicare diſpoſuerat. Qui votis pij Patris libentiſſimè parens, Romam adiit, [*VITALIANO Papa eodem tempore pontificante Sedem ejuſdem Eccleſiæ,] atque ab eo ſuſcepta plurima Apoſtolorum & Martyrum Chriſti pignera, unà cum benedictione Apoſtolicâ rediens ſecum detulit codicúmque ſacrorum copiam non minimam, proſperóque curſu itinere acto ovans revertitur ad virum Dei. Cuncta quæ adtulerat iſdem vir Domini venerabiliter ſuſcepit; accerſito etiam ſanctæ recordationis AUDOENO Præſule, præfatas quas ædificaverat Eccleſias ut conſecraret [b], ſimúlque pignera quæ præfatus Godo cum ejus auctoritate Romæ impetraverat Chriſti imponeret aris, ſupplex exorat [c]: quod ita à prædicto Præſule extimplò impletum fuiſſe conſtat. Locus autem ipſius Cœnobij tam fertilis tamque jocundus exſiſtit, ut cum quis illuc advenerit, inter pomorum nemora & hortorum amœnitates virentium, in hæc protinus libeat ei prorumpere verba: Quàm pulchra tabernacula tua Jacob, & tentoria tua Iſrael, ut valles nemoroſæ, ut paradiſi juxta fluvios irrigui, ut tabernacula quæ fixit Dominus quaſi cedri propter aquas.

XV. Regibus ſuccedentibus illic 300. Monachi degunt.

a

* interpolatio.

b

c

Adjutor præterea hujus operis & cooperator inſignis WANINGUS vir illuſtris exſtiterat, qui viro Domini plurima prædia felici munere ad uſus Servorum Chriſti devotè contulerat, filiúmque ſuum, DESIDERATUM nomine, ſub regimine prædicti Patris in eodem loco Monaſticæ diſciplinæ & Chriſti militiæ ſponte tradiderat obſecuturum. Erat enim iſdem Waningus ditiſſimus, qui

XVI. Vvaningũ Fiſcamni conditorem habet adjutorem.

a Baſilicam S. Pancratij reticet alius Auctor, uti & Chronographus Fontanellenſis, qui Chronographus Baſilicæ S. Petri tribuit *ducentos nonaginta pedes in longitudine, in latitudine triginta ſeptem, opere quadriſido.* Ex quibus Baſilicis ſuperſunt S. Petri Eccleſia principalis, quæ S. Vvandregiſili dicitur: & Eccleſia S. Pauli Eleemoſynaris dicta: nam Eccleſia parœcialis S. Michaëli ſacra, per Erinhardum Præpoſitum Teutſindo Abbate anno circà DCC. XL. conſtructa dicitur in Chron. Fontanell. cap. 9.

b In Vetuſto Breviario juſſu Claudij de Pictavia Abbatis Fontanellenſis edito *Dedicatio Eccleſiæ S. Vvandregiſili* IV. Kalend. Martij notatur. At quænam ſit illâ Dedicatio non conſtat. Gradulfus Abbas *Eccleſiam principalem quam Pater Gerardus ædificaverat, dedicari fecit in honore S. Petri & omnium Apoſtolorum, ſanctique Vvandregiſili & omnium Sanctorum à Roberto Rotomagenſis urbis Pontifice &c. prid. Idus Septembris* anno M. XXXII. ex Chronico MS.

c In eodem Breviario *Deſiderati Monachi commemoratio* XV. Kalend Januarij inſcribitr.

AN. CHR. DC LXVII. JULII XXII.

multimoda Cœnobiorum habitacula in propriis poſſeſſionibus conſtruxit : ex quibus unum eſt quod vocatur Fiſcamnum : quo in loco dum moraretur in exceſſum mentis ſubitò rapitur, oſtenſæque ſunt ei pœnæ damnatorum, & felicitates juſtorum, audiítque oraculo cæleſti datione oſtenſo viginti annorum ſpatia ſe victurum fore, & hoc impetraviſſe à Domino ſanctam Chriſti martyrem Eulaliam, cujus precibus ſe commendare ſolitus erat. Sed & ipſa Martyr ei apparens commonuit, ut in prædicto prædio quo morabatur Monaſterium conſtrueret, & de ſuâ ſtirpe nulli ad regendum committeret. Quâ reversâ ad ſuperos, virum Dei Wandregiſilum accerſivit, & ordinem ei viſionis expoſuit, ſimúlque à febre qua premebatur ejus precibus curatus, optatam recepit ſoſpitatem, præfatúmque Cœnobium, ut monitus erat, ilicò conſtruere cœpit.

XVII. S. Hildemarcham Fiſcamno præficit.

Erat enim tunc temporis apud Burdigalim urbem Virgo Chriſti, nomine HILDEMARCHA* in quodam Monaſterio Sanctimonialium ſanctiſſima gubernatrix; ad quam quidam vir Dei Monachus ac Diaconus, nomine SINDARDUS, cùm propter utilitatem Servorum Dei in illas partes mitteretur, causâ hoſpitij declinare ſolitus erat. Cui illa intimavit in viſu ſe eſſe commonitam, ut tellurem adiret Rotomagenſem, virúmque Domini Wandregiſilum inviſeret, atque ſub illius regimine Divinis parêret edictis. Quæ (ſicut ſcribitur in ejus Geſtis *) ad Chriſti famulum perveniens, ad præfatum illuſtriſſimum virum Waningum perducta eſt, prædictúmque Cœnobium Fiſcamnum per Teſtamenta B. Wandregiſilo iſdem Waningus contradens, ejus conſultu eidem religioſiſſimæ Virgini tradidit ad regendum. Cujus * vitam ac laudabilem converſationem libellus qui de ejus ſcribitur actibus, liquidò narrat: quod idcirco adſcribendum putavi, ut poſteris intimaretur, ſub jure & regiminio præfati Patris prædictum Cœnobium nuperrimè fuiſſe. Prædictus autem Chriſti famulus Sindardus pignera S. Saturnini Toloſæ urbis Epiſcopi & Martyris viro Dei detulit; ſed & Confeſſoris Amantij Rotenenſis Præſulis, in quorum honore duas condidit Baſilicas [a], quarum una quæ in veneratione Martyris exſtat, eſt ſita in vertice montis vinearum quondam fertilis; altera verò, quæ in nomine Confeſſoris eſt condita, diſtat ab ipſo principali Cœnobio paſſus mille ſexcentos. Monſtrabantur in deſtina [b] iſtius Baſilicæ grabata & ſedes, ubi B. Pontifex AUDOENUS & Confeſſor FILIBERTUS dum virum Dei inviſerent, requieſcere ac conſedere ſoliti erant: quorum denique oratio non alia erat quam de Chriſti regno, de paradiſi deliciis & gehennæ ſuppliciis, de juſtitia quoque, fide & caritate ac patriæ ſalute, ſimúlque illecebris reſpuendis, & pace omnibus prædicanda. In quibus cellulis prædictus vir Domini Monachos conſtituit, qui Divinis inſiſterent ſervitiis : quia unius Cœnobij ſepto tantam converſantium cohortem contineri non facile fuerat.

* *de ea in Vita S. Vvaningi infrà.*

* *excidérunt*

* *Vvaningi Vita infrà.*

a Oratoria duo condit.

b

XVIII. Bettonem cuſtodẽ ob injuriam ſibi illatam punitum curat.

Patratum poſthęc miraculum per ipſum Dei virum referre gratum duxi, ad gloriam poſſe dantis, & operantis honorem. Anno quarto regiminis ejuſdem viri Dei, qui erat Hlodovei præfati Regis decimuſquintus *, dum ipſe unà cum Fatrum cohorte operi manuum inſiſteret, in valle præfata à plaga Orientali, ubi fons exoritur præfati amnis Fontanellæ, quidam homo, nomine BETTO, cuſtos videlicet Regij ſaltûs, quem prædicti Fratres de loco quo operabantur migrare compulerant, vitam ducere cupientes ſolitariam; livoris peſte corruptus, ſimúlque dæmone plenus viro Dei occurrit, lanceáque eum traïcere voluit : ſed malivolam animam ultio mox Divina prævenit. Nam dexterâ quam

* *anno* DC. LII.

a Exſtat hodie quoque utrumque hoc Oratorium, primum colli ad Borealem Monaſterij partem impoſitum; aliud in vico Govilla ad Sequanam. In priori Oratorio ſeu *in Cella clari Martyris Saturnini ſub tempore* Gervoldi Abbatis, *bonæ recordationis Preſbyter egregius, nomine* HARDUINUS, *ob gratiam vitæ contemplativæ remotior degit.* Is *plurimos Arithmeticæ artis diſciplinâ alumnos imbuit, ac arte ſcriptoria eruditvit*, inquit Chronographus Fontanell. cap. 15.

b Eadem voce uſus eſt S. Braulio in Vita S. Iſidori apud Surium die 4. April. item Venerabilis Beda in lib. 3. Hiſt. cap. 17. *Factum eſt ut adclinis deſtinæ quæ extrinſecùs Eccleſiæ pro munimine erat appoſita, ſpiritum vitæ exhalaret ultimum* Aidanus. Deſtinam interpretamur privatum conclave, in quo Eccleſiaſtica ſupellex adſervabatur.

adverſus Dei levaverat virum torpente, lancea ante ſuos pedes humi defixa ſtetit: ipſe verò à dæmone correptus ante viri Dei veſtigia ruit. Quem cernens famulus Chriſti debita ultione percuſſum, die illâ noctéque ſequenti penes ſe tenuit. Cúmque ſequens rurſum dies illuxiſſet, ad ſe accerſivit, Deóque favente, Patris orationibus à peſte curatus ad propria remeavit. In eodem ergo loco Baſilica[a] à viro Domini in honore Sanctiſſimæ Matris Chriſti condita eſt, ubi interventu ejuſdem plurima cotidie Domino jubente fiunt miracula. AN. CHR. DC. LXVII. JULII XXII.

a

XIX. A Balthilde Regina alimenta accipit. *Lege Vitam S. Balthildis infrà.*

In prędicto namque Cœnobio viro Dei cum ſuis commoranti cùm nulla alimentorum ſolamina eſſent, BALTFRIDUS Cellerarius eidem patefecit. Cui ille; Poteſt, inquit, Conditor rerum ſuis in deſerto famulis parare menſam, qui multiplicatione quinque panum ſatiavit hominum quinque millia. Itaque juxta condictum viri Dei eveniſſe contigit. Monuit namque per viſum BALTHILDEM Reginam pietas Divina, ut famulo Chriſti intra eremi vaſtitatem conſiſtenti neceſſaria miniſtraret. Quæ expergefacta, onerata vehicula ſervo Dei dirigit. At ille gratias bonorum omnium Largitori rependit, qui ope ſolita ſuis ſervis ſemper præſens adforet conſolator: ſicque acceptâ benedictione qui hæc attulerant alimenta, calle quo venerant repedârunt. His diebus anno ſeptimo * tertij Regis HLOTHARII, qui erat regiminis prædicti Patris annus decimuſquintus, iſdem vir Domini ad eumdem Regem acceſſit, & Privilegium Regiæ confirmationis ſuper area præfati Cœnobij liberaliſſimâ datione ſuſcepit: celebratáque erat in territorio Caſtrinſe*, in eo palatio quod diminutivo vocabulo cenſetur Palatiolum*.

* *anno* DC. LXI.

* *de Chaſtre.*

* *Palaizeau.*

XX. Hartbainũ piè inſtituit.

Nam etſi quando iter imitandus Pater agere diſponeret, non in equo vehi poterat, videlicet in ultimo jam poſitus ævo, ſed vehiculo deportabatur, quod aut muli aut equi trahebant. In prædicto namque territorio dum moraretur, quidam vir illuſtris nomine HARTBAINUS, filius ſcilicet illuſtris EREMBERTI, ad converſionem veniens tribuit eidem glorioſo Patri prædium aliquod nomine Butionem[b], in quo Eccleſiam ædificavit, habitacula Servorum Dei inſtituit, & famulantes Divinæ clementiæ Monachos inibi collocavit. Prędatus autem Chriſti famulus Hartbainus in magnæ religionis obſervantiâ vitam auctore Chriſto terminavit, plurimáque prædia eidem venerabili Patri devotè contradidit.

b Butione Cellam erigit.

XXI. Erembertũ ſibi beneficum ſanat.

Hujus denique genitor præfatus EREMBERTUS dum magnis febrium anxietatibus poſitus teneretur, precibus ſanctiſſimi viri ſoſpitati priſtinæ redditus eſt; ipſóque in tempore prædium aliquod nomine Virtlaicum ſitum in pago TELLAU ſuper amnem Evra[c] eidem venerando Patri devotè contradidit, imprecans in largitione ſub damnatione æterna invaſores hujus rei perpetim eſſe puniendos. Gaudebat enim iſdem benigniſſimus vir bona ſua largiri Chriſto, faciens eum terreſtrium rerum participem, ut & ipſe illum faceret cæleſtium coheredem bonorum: ſciens quòd patrimonium Deo creditum nec reſpublica eripit, nec fiſcus invadit, nec aliqua calumnia forenſis evertit: pariter intelligens eſſe ſcriptum, quòd ea hereditas bene reconditur, quæ Deo cuſtode ſervatur. Sed his omiſſis quæ numeroſitate ſuâ excedunt relatoris ſcientiam, ad viri Dei virtutum opera revertamur: & quia locorum ab eo ædificatorum mentionem fecimus, libet unum in medium proferre.

c

XXI. Monaſteriolũ ædificat.

Denique ex largitione illuſtris WARATTONIS ſuper amnem Vintlana, in honore Principis Apoſtolorum Oratorium conſtruxit, cui diminutivo vocabulo Monaſterioli eidem nomen indidit, ubi & Monachorum Deo militantium cohortem adunavit. Redundabat enim doctrina ejus in diſcipulis, quia quod

a Iſtud quoque Oratorium hactenùs ſupereſt, *Noſtre-Dame de Caillouville* appellatum, ſitum uno lapide ſupra Monaſterium ad Orientem, eo in loco ubi fontes *de Caillouville* dicti ſcaturiunt. In vetuſto Breviario Fontanellenſi *Nonis Decemb. Dedicatio S. Mariæ de Caillouvilla* memoratur. Guillelmus *Folet* Sacriſta anno 1339. mortuus eam reædificâſſe, & alter Guillelmus de Tonquilla anno 1386. denatus fornice decorâſſe leguntur in quodam Chronico MS.

b Exſtat non longè ab opido Caſtro, *Châtre*, in finibus agri Pariſiaci, vicus *Boiſſy* appellatus, quod nomen Butioni reſpondere videtur.

c Fortè *Aura*, vulgò *l'Aure*, qui amnis agri Pertici in Evram influit, habêtque ad ſiniſtram ripam opidulum *Tilliers*, vicum *Vriſſeu* ad dextram: quæ loca hîc deſignari exiſtimamus. In Chron. Font. c. 8. *Vierlaicus villa in pago Tellau, ſuper fluvio Eora* locatur.

AN. CHR. DC. LXVII. JULII XXII.

sermone docebat, actibus explebat. Nullus juxta eum vel mærore tenebatur, vel nimiâ extollebatur lætitiâ. Erat enim gratus omnibus, singularis fervoris, specialis alacritatis, unicæ caritatis in pauperibus, in peregrinis. Noverat & superbis resistere, & humilibus subditus esse; parcere subjectis, & debellare superbos, sapientibus condigna rependere, & simplicibus mystica referare; fortis in adversis, sobrius in prosperis; temperatus in omnibus, discretus in cunctis. Hoc erat studium labórque illius sine defectu, ut per tramitem recti itineris subditi incederent: quia ex provectu filiorum, laus & merces cumulabatur patris. Nonagesimum namque ætatis præclarè annum excedens, ita virilis exstabat, ut in labore manuum præire juvenibus videretur. O virum prærogativâ meritorum dignissimum, qui per contemplationis aciem cœlebs effectus, prædicatione tamen atque exemplo filiorum multimodæ se servituti placidè subdebat, imitans Apostolum, qui inquit: *Omnibus omnia factus sum, ut omnes facerem salvos.* Sicque per Occidentalia Galliæ loca ejus laudatissima pervolavit fama, ut cerneres Apostolorum adfore tempora: ita ut perituri sæculi spretis deliciis nobilium multitudo virorum, communia cum omnibus possideret omnia. Si quispiam proprium aliquid usurpare tentâsset, à ceterorum remotus consortio, pœnitudinis ultione ilicò plectebatur. Sed & omnes Caletorum * populi ita brutis ac belluis similes ante adventum illius in hac regione fuerant, ut præter Christianæ Fidei nomen, virtus Religionis pæne abolita in illis locis haberetur. Agebat namque vir venerandus studio indefesso, ut quæcumque peragraret loca, verbis Evangelicis condiret universa: & ita per ejus monita & prædicationem sunt conversi, ut qui antea diripiebant aliena, postea largirentur propria; ac idolorum confringerent statuas, quas dudum ritu profano venerabantur; piáque sponte se subderent Christi disciplinæ, qui antè rebelles non dignabantur audire. Tantúsque honor, ac devotionis affectus excreverat circa Sacerdotes ac Monachos, ut si contigisset alicui ex ordine plebeio eos obvios habere, quamvis potens persona, Christum in eis adoraret [a] ac veneraretur. Spiritum quoque prophetiæ divinitùs illi collatum non dubitamus, itaut quæ ventura essent plurimis innotesceret. Profectò notum est illum crebrò prædixisse ventura, quæ postea constant fuisse impleta.

Virtutes ejus præcipuæ.

* *de Caux*

a

XXIII. Obitum filiorum S. Balthildis prædicit.

BALTHILDI namque Reginæ relictæ HLODOVEI Regis obitus triarcharum filiorum ac successiones insinuavit. E quibus HLOTHARIUS qui major erat natu quartum decimum Regni agens annum, consortiis subitò caruit humanis. Deinde HILDERICUS temerè ab insidiatoribus interemptus, à præsenti sublatus est vitâ. Tertius quoque THEODERICUS superstes matris, Regni suscepit gubernacula: sícque juxta viri Dei prophetiam evenisse manifestum est. Hæc quidem exigua miraculorum insignia cum venia audientium in præsenti sufficiant, brevi, incomptóque relata sermone. Veniendum est favente Christo ad ea quæ ubertim cunctipotens Virtus spiritu ipsius Patroni sublato ad cælum apud ossa sanctissima operatur in terris. Denique indubitanter retinemus, meritis ipsius (ut frequentiùs inculcatum est) animæ languores in pluribus esse curatos, ad laudem & gloriam nominis illius qui dixit: *Sine me nihil potestis facere.*

XXIV. Morbo extremo corripitur.

His ita se habentibus, vertantur articuli ad ea retexenda, qualiter Beatus ille meruit de ærumnis exsilij præsentis eripi, atque ad cælestem dispositione Divinâ transferri felicitatis gloriam. In ultimo namque senio constitutus, utpote nonagesimum sextum agens annum, Domino sæpissime supplicans aiebat: Heu mihi quia peregrinatio mea prolongata est! Addebátque: JESU benigne, Verbum Patris æternum, de hac convalle plorationis eripe me, & tuis fac quantociùs dignum apparere conspectibus. Exaudiénsque Dominus dignas ejus preces immisit illi ultimam, immo salutiferam ægritudinem, qualiter camino præsentis &

a In Synodo Mutisconensi anno D. XXCV. habita statutum est can. 15. ut *si quis sæcularium quempiam Clericorum in itinere obvium habuerit, siquidem ille sæcularis equo vehitur Clericúsque similiter, sæcularis galerum de capite auferat: si verò Clericus pedes graditur, & sæcularis vehitur equo, ilico ad terram defluat, & debitum honorem prædicto Clerico sincera caritatis exhibeat.*

perituri

perituri ævi velut mundiſſimum examinatus aurum, digniſſimus cæli fieret heres. Tribus namque diebus totidémque noctibus in exceſſum mentis rapto, janua cæli ei aperta monſtratur. Denique jocundo adſpectu frequenter oculos aperiens, cælum intuebatur. Cernentes quoque diſcipuli ſanctiſſimi Patris beatiſſimam diſſolutionem, lætabantur quidem de ejus Deo digna remuneratione, ſed triſtabantur plurimùm de abſentia corporali; atque inter mæſta ſuſpiria & fluentes lacrymas, queruloſis aiebant vocibus: Quid facturi erimus, quòd nos tam cito deſeris Pater? verbum immortalitatis à te audire cupimus, & aſſuetâ admonitione tuâ corrigi optamus. Proſtratique humo fundunt uberes fletus, oránteque Dominum, ut antequam viam ingrederetur Juſtorum, ſuum perciperent alloquium. Sícque Omnipotens ad ſuorum preces famulorum videns mærorem maximum quem pro receſſu ſui patiebantur Paſtoris, pietatis ſuæ accommodat aures, permiſítque ut iſdem inclytus Miles tirones & emeritos dulcibus foveret alloquiis, atque plurima ventura eis intimaret, ut experimento quædam ex eis patuerunt. AN. CHR. DC. LXVII. JULIIXXII.

XXV. Succeſſores ſuos deſignat.

Percunctantibúſque abhinc Monachis, poſt ſuum feliciſſimum tranſitum quem ſibi præficerent, tale fertur dediſſe reſponſum: Æternus, inquit, rerum Conditor qui vobis locum conceſſit opportunum, quo ſibi ſuæ famulentur in ſæcula plebes, ipſe vobis, cariſſimi Filij, poſt meæ parvitatis receſſum, dignum ac devotum miſericorditer tribuet Rectorem. Duo ſunt tamen in præſentia veſtra clariſſimi mei Filij, qui viciſſim poſt meæ fragilitatis receſſum in regiminis ſuccedent locum. Erat namque unus vocabulo LANTBERTUS vir eximiæ religionis & generis, ortus territorio Tarvennico, qui poſt B. Geneſium Præſulatum Eccleſiæ Lugdunenſis ſuſceperat: alter verò vir Domini ANSBERTUS qui B. Audoëno in Pontificatu ſucceſſerat [a] Eccleſiæ Rotomagenſis; quorum vitam atque virtutes libellus qui de eorum ſcribitur actibus liquidò narrat. Hi ſucceſſores exſtiterunt in ordine regiminis prædicto ſanctiſſimo viro.

a

XXVI. De viris ſanctis in præfato Cœnobio tumulatis, & exhortatione ejus multimodâ.

Sub horum regimine, ſanctiſſimi Patres, videlicet B. WLFRAMNUS Præſul Senonum & Prædicator gentis Freſionum, necnon & vir Deo dilectus EREMBERTUS Toloſæ urbis Pontifex, & Sanctus Anachorita & Preſbyter CONDEDUS Britanniâ inſulâ ortus, Monachicum amplectentes habitum, ad caſtra Chriſti fulgida devotiſſimè convolârunt; Reliquiæ quoque eorum in eodem loco debito ſervantur honore, ubi & gloriâ virtutum pollent, ſicut in eorum pleniſſimè ſcribitur Geſtis. Inter reliqua autem prædictus vir Domini exhortationis & confortationis verba, diſcipulis ſibi adſtantibus valedicens hæc intulit, ut cœptum non relinquerent iter, ſed melioribus actibus cotidie perſeverando firmarent, attentiúſque ſua monita retinerent & opere perficerent: ut videlicet unitas, caritas atque humilitas in eorum radiarent cordibus, nulláque diſſenſionis aut livoris peſtis in eorum umquam ſerperet mentes: sícque ſtatus illorum, jura, & Religionis claritudo per cunctas perpetim duraret æternitates.

XXVII. De obitu ſuo, & dormitione ejus in Chriſto.

Hac brevi ultimáque coram eis oratione celebrata, quia glorioſum beatæ conſummationis tempus inſtabat, ut terrena corporis ſarcina terris commendaretur, & cæleſtis ſpiritus celſa conſcenderet, Viatico percepto poſt paullulum conticuit [b], annorum circiter nonaginta ſex, & regiminis ſui anno decimonono, menſe quarto, die primo & viceſimo, qui erat annus Dominicæ Incarnationis ſexcenteſimus ſexageſimus quintus [c], indictione octavâ, porro tertij HLOTHARII

b

c

[a] Hinc manifeſtè intelligitur capitulum iſtud, uti & ſequens cum ultimo, ab Interpolatore inſerta eſſe: ſiquidem Auctor primarius lucubrationem ſuam nuncupat Lantberto Abbati, antequam Anſbertus in Abbatem, nedum in Epiſcopum aſſumeretur. Eadem ferè verba in Vita S. Anſberti referuntur.

[b] Tribus diebus & tribus noctibus in extaſi gloriam Domini contemplatus eſt, ſicuti alius Auctor teſtatur.

[c] Immo anno DC. LXVII. cui annus Chlotharij Regis undecimus, Vitaliani Papæ annus nonus abſolutus, Vvandregiſili regiminis annus nonusdecimus ex notatis ſuprà illigantur. Nulla temporis nota apud alium Auctorem exprimitur, neque ætas ipſius S. Vvandregiſili, qui tantùm *longa defectus ſenectute* obijſſe dicitur. Si annos attigit nonaginta ſex, ergo ſeptuagenarius erat, antequam Sacerdotio initiaretur, ac Cœnobij Fontanellæ fundamenta jaceret. Annus mortis S. Vvandregiſili à nobis ſtatutus, validiſſimè confirmatur ex Vitæ S. Condedi cap. 8. infrà ad ann. 684. in quo annus nonus regiminis Lantberti Abbatis Vvandregiſili ſucceſſoris cum anno regni Theodorici tertio, Chriſti ſcilicet DC. LXXV. comparatur.

AN. CHR. DC. LXVII. JULII XXII. * *l.* regni

Regis annus undecimus vitæ*ipſius, Pontificatum agente Romanæ Eccleſiæ anno nono Papa VITALIANO. Cúmque hoſtis conſpiceret invidus remunerationis ejus inſtare horam, propter eum cruentus adſtans, pavores illi multiformes ingerere nitebatur. Quem in tali conſtitutum agone audierunt in ſpiritu ſanctæ tranſlationis circumſtantes Fratres dicentem, ſe Chriſti fonte lavacri tinctum, demonémque ſe impedientem divinitùs effugatum. Vocavit etiam tertiò nominatim quemdam virum juſtum, nomine AGATHONEM, cujus olim laudabilem vitam ac converſationem notam habuerat. Ex qua & ſubſequenti revelatione liquidò colligitur, multitudinem in ejus tranſitu fuiſſe Sanctorum. Nam & à quodam diſcipulorum ejus viro magnæ religionis, eâdem horâ ſuaviſſima audita fuerat cæleſtis cantilena, qui etiam percunctabatur Fratres, utrùm ille ſuaviſſimus ſonus eorum penetraviſſet aures. Sed & ipſe vir Domini adſtantibus ſibi imperat, ut cum pſallentibus junctis pſallerent vocibus. Quinam, inquiunt, ſint illi, nos neſcimus: tu verò, cui olim, ut creditur, janua vitæ patet æternæ, omnimodis noſti. Ipſe autem jocundo adſpectu lætabatur in Domino, gratias agens, qui cæli januam ſibi reſerâſſet. O virum omnimodâ laude digniſſimum, in cujus tranſitu cæleſtis exſultat chorus, omniúmque virtutum ſupernarum gratulatur exercitus, cui janua cæli pateſcit, & Abrahæ ſinus lætantem excepit. Multitudo proinde Monachorum, quorum erat numerus fermè trecentorum, in tanti Patris tranſitu Divinas laudes decantatura aderat; hilares adeò pro gloria quam ſpretâ Ægyptiâ ſervitute olim adibat promiſſam, ſed plurimâ dejecti mæſtitiâ quòd præclaro deſtituebantur Patrono. Hac diſcipulorum catervâ vallatus, ſalutiferæ Crucis ſigno ſe muniens, XI. Kalendarum Auguſtarum die, nexibus terrenæ corruptionis abſolutus animam cælo reddidit, conſortiis juſtorum ſociandam, æternæ felicitatis gloriam poſſidendam. Illic nunc choris intereſt Angelorum, hîc fulget claritate virtutum: illic interpellat pro famulis voce ſupplici, hîc eos tuetur virtute ſublimi: illic petit, hîc præſtat: illic vota fundit, hic votis reſpondet. Interfuit autem in hoc ejus ſancto tranſitu, inclytus Eccleſiæ Rotomagenſis Pontifex AUDOENUS; ſepultúſque erat in Eccleſia Sancti Apoſtoli Pauli, [*annis quadraginta; Sanctus verò Præſul Anſbertus annis undecim, inclytúſque Pontifex Wlframnus annis fermè novem.]

* *interpolatio*

XXVIII. De tranſlatione ejus cum aliis ſanctis, & de fragrantia odoris ex tumulis.

Tranſlati quoque ſunt inde in Eccleſiam Sancti Apoſtoli Petri à S. BAINO Epiſcopo urbis Tarvennæ & Rectore hujuſce Cœnobij, ſub anno ſui regiminis quinto, qui erat ab Incarnatione Domini ſeptingenteſimus quartus: qui ita integri ab omni corruptione cum veſtimentis quibus induti fuerant reperti ſunt, quaſi eodem die fuiſſent ſepulturæ traditi. Dies ergo Tranſlationis ſacræ conſtituta eſt pridie Kalendas Aprilis. Hæc ergo dies cunctorum præſtolata advenerat votis; Sacerdotes, Monachi, omníſque Clericorum chorus, unà cum fidelibus aderant plebibus, tum cum hymnorum laudibus. Tumuli aperiuntur, de quibus tantus ineffabilis fragrantiæ odor prodiit, ut mirâ dulcedine, non ſolùm in Eccleſia circumſtantem populum, verumetiam in atriis ſitam repleret plebem. Illati ſunt autem in Eccleſiam S. Petri, & poſiti in Orientali ejus parte, ubi ſignis & miraculis coruſcant præſule Chriſto, cui eſt cum Deo Patre, in unitate Spiritus ſancti, omnis honor & gloria, per cuncta ſæcula ſæculorum. Amen.

MIRACVLA S. WANDREGISILI

AN. CHR. DC. LXVII. JULII XXII.

Auctore Monacho Fontanellenſi anonymo, qui ſæculo IX. vixit ex capitibus 2. 17. & 29.

Ex MS. codice Fontanellenſi.

MULTA quidem & ſtupenda miraculorum ſigna commodáque relatu omnipotens Deus per B. Wandregiſilum opimum Confeſſorem præteritis ac noſtris dignatus eſt patrare temporibus, quæ ob inertiam atque incuriam ſunt ſcriptorum omiſſa tectáque ſilentio: quæ ſi ſcripta fuiſſent, ad ſalutem plurimùm prodeſſe poterant animarum. Quoniam cùm prędicantur in populis virtutum ſigna, magis magíſque ad amorem Dei excitant corda torpentia, atque ad ſuffragia Sanctorum ampliùs ac crebriùs depoſcenda reddunt accenſa. De his verò quæ noſtris acta ſunt temporibus, hæc pauca largiente Divinâ gratiâ, licet inerudito ſermone, amore tamen prædicti Patris Wandregiſili, ac juſſione Prælatorum Cœnobij Fontanellenſis, ſcribenda cenſuimus. PRÆFATIO.

CAP. I. *De quadam muliere in feſtivitate S. Vvandregiſili textrinum opus agente.*

IGitur cùm quædam mulier in feſtivitate ejuſdem præcipui Confeſſoris in pago Caletenſi ac villa Campania textrinum ageret opus, prohibita multùm à vicinis ac Deum timentibus ne in tanti Patris ſollemnitate cotidiano inſiſteret operi, quin potiùs Eccleſiam adiret ac Divinis vacaret laudibus, ſicuti alij illius terræ populi, nílque prędata mulier de objurgatione curaret eorum, immò tumido corde pro nihilo duceret; ilico manus illius qua tramam auſu temerario per telam ducebat, obriguit, tramáque medio palmæ inhæſit, itaut articulorum ungulæ in medio figerentur ejus palmæ, neque avelli ullatenùs poſſent. Ipſa autem hac meritorum Sancti virtute correpta, popoſcit ſe flebili cum voce ad ſanctæ Mariæ Baſilicam, quæ vicina erat Fontanellæ Cœnobio ejúſque ditionis, perduci. Cúmque in eundo carperet iter, adſpexiſſétque Baſilicam in qua ſanctiſſima Confeſſoris Chriſti Wandregiſili membra debito pro modulo hominum requieſcunt cum honore, ejúſque pia depoſceret ſuffragia; trama ab ejus cecidit manu: ſícque Deum pro ſui liberatione conlaudans reverſa eſt ad propria. * * *hic duo miracula id generis omiſſa.*

II. *De quodam Milite in Germania meritis ſancti viri ab imminenti periculo ſalvato.*

ILLUD autem quod in Germania & Saxonum tunc Gentilium populi terra geſtum eſt, dum magnus Rex CAROLUS eorum terras bellando domaret, ſilentio prætereire non debemus. Quidam namque præfati Monaſterij Fontanellæ Miles nomine Sigenandus, dum vaſtando cum aliis militibus diriperet eorumdem Gentilium opes, comprehenſus eſt ab eis, nonnullíque alij. Cúmque duceretur ad locum quo decollandus erat, ſuffragium ſancti protectoris Wandregiſili crebriùs depoſcebat, ut ejus piis precibus imminens mereretur evadere periculum mortis. Sæpiúſque ipſius præcipui Patroni in prece dum peteret auxilium, quidam ex ipſo Saxonum populo cui nomen erat ABBO, diligenter exquirere cœpit, cur tam creberrimè Wandregiſilum nominaret. Reſpondebat ille: Quia in veritate ejus ſum famulus, & credo me ejus interventu ſanctitatis Deo propitio à periculo prędentis liberari diſcriminis. Et ille: Hac, inquit, nocte ipſe mihi adſtitit Wandregiſilus, monens ut nihil tibi mali inferrem: ſed

AN. CHR. DC. LVXII JULII XXII.

potiùs cum pace ad tuos redire permitterem. Quod ſi aliter feciſſem, audacter contra meam patrarem ſalutem. Idcirco inlæſum te abire permitto. Abſolutúmque vinculis, & indutum veſtibus armíſque munitum, ad caſtra remiſit Chriſtianorum. Prædictus autem Abbo Saxonici generis Regi poſtea obſes datus, & ad Fontanellam perductus, credénſque in ſanctæ Trinitatis nomine baptizatus verúſque Chriſtianus effectus eſt. Ex cujus ore quidam Fratres noſtri qui adhuc ſuperſunt, narrando hæc referunt, ipſíque nobis quæ ab illo didicerunt, poſtea veraciter narraverunt.

Auctoris ætas.

III. *De ligno in aqua invento Baſilicæ S. Patris apto.*

NEc illud ſilenter præterire debemus quod in reædificatione Templi quo ſanctum prædicti Confeſſoris Chriſti corpus requieſcit, geſtum fuit miraculum. Nam cùm ferè totius Templi fabrica ſumptu eximio conſummata eſſet, & turris in media Baſilica ſublimiori ædificaretur opere, quærebatur trabes quæ in altitudine erigenda erat, in qua omne pyramidis pondus & totius culmen oneris cum tignis inniti poſſet ſuis. Diúque in vicinis ſaltibus hujuſmodi arbor quæſita nec inventa huic operi congrua, cùm Prælatorum & ædificantium corda mæſta ex hoc facto manerent, mane facto quidam piſcatores alveum ingreſſi Sequanæ, vident arborem platani miræ magnitudinis ac enormis ponderis per medium natando ire fluminis. Qua inventa Prælatis nuntiare curant Cœnobij. Qui ovantes ad fluvium accedunt, abſtractámque ab ipſo cunctipotenti Deo grates non modicas rependebant, atque ejuſdem venerandi Patris præconia conlaudabant, cujus interceſſione actum eſt pia, ut hujuſmodi lignum divinitùs datum, & Dei fano aptum in flumine inveniretur. Sed & illud mirabile fuit, quoniam iſtius generis lignum in his regionibus nullatenus antea viſum fuerat. Dolatúmque atque perfectum arte fabrili præfati Templi turri imponunt, totius operis onus ſuſtentandum. Sic cunctipotens Deus in Sanctis ſuis qua vult miraculorum varietate radiat.

IV. *De Geroaldo Abbate periclitante in mari, ſed ſancti Patris ſuffragio repentè erepto.*

ALIUD quoque quod in GEROALDO [a] hujus Cœnobij Patre geſtum eſt narretur miraculum. Is enim Abba juſſu CAROLI Auguſti quadam legatione fungebatur in inſula cui nomen eſt Anglia, quam Brittonum gens incolit, & eſt adjacens pago Conſtantino, cui tempore illo præfuit Dux vocabulo ANOWARITH. Proſperéque geſtis & pro quibus directus fuerat impetratis, flante vento ſecundo Oceanum in redeundo ingreſſus, ita ſubitò ventus zephyrus validiſſimè flare cœpit, fragórque Oceani terribilis exortus eſt, ut undarum globi moléſque immenſi proceritatem magnarum tranſſcendere viderentur arborum. Cúmque omnes qui cum eo erant in navi in deſperatione eſſent ſuprema, nulláque eſſet ſpes evadendi, omniúmque vultus ſimiles forent effigiei mortis; tandem prædictus venerabilis reminiſcens Abba quas penes ſe habebat S. Wandregiſili Reliquias, amplectitur ac deoſculatur, ceteríque comites & nautæ navis creberrimis precibus flentes, Chriſti implorant clementiam ac præfati ſancti Patroni preces votáque omnipotenti Deo & ipſi beato vovent Confeſſori optantes reddere, ſi à tanto diſcrimine ejus ſuffragantibus meritis mererentur liberari. Protinúſque meritis & interceſſione ejuſdem ſanctiſſimi Patris ſæva pericula imperata ſunt divinitùs ceſſare, & tranquillitas mira extimplo eſt reddita. Diſcuſſo turbine maris proſperóque curſu Deum collaudantes & pro ſui ereptione grates omnimodas omnipotenti Deo ſanctóque Vvandregiſilo refe-

a

a In Chronic. Fontanell. cap. 15. dicitur Gervoldus vir pius ac Sanctus, *qui ſuper Regni negotia Procurator conſtitutus eſt per multos annos*, OFFÆ *Regi Merciorum amicus, multis vicibus juſſu invictiſſimi Regis Caroli Magni ad prædictum Regem Offam legationibus functus.*

rentes, optatum perveniunt ad portum. Sic cunctipotens Deus qui quondam afflictum audivit Jonam de ventre ceti, prædictum venerabilem unà cum ſociis interventu egregij Confeſſoris de periculo eruit maris. Unde cuncti qui illic aderant & ad quos factum hoc pervenire potuit, Chriſtum Dei filium laudaverunt, qui meritis famuli ſui Vvandregiſili tale peregit miraculum. An. Chr. DC.LXVII. Jul. XXII.

MIRACVLA SANCTI WANDREGISILI quæ moderno tempore per eum Dominus dignatus eſt operari virtute Divina.

EA verò ſtupenda miracula quæ noviter cunctarum rerum Conditor per eumdem ſanctiſſimum virum Wandregiſilum eſt operari dignatus, juvante Domino & meritis ejus præcipui Confeſſoris ſuffragantibus, veraci ac fideli ſermone, conſcriptionis placuit ſtilo tradere.

V. *De corporibus SS. Confeſſorum Wandregiſili è ſuis tumulis effoſſis metu Gentilium.*

TEMPORIBUS igitur quo graviſſima Danorum piratarum lues Deo permittente flagitiiſque exigentibus noſtris Oceani litus infeſtum haberet, Galliarúmque quaquaversùm maximè adjacentes & contiguas fluvio Sequanæ miſera cæde vaſtaret provincias, quod retroactis temporibus quando miſericors Deus illius præcepta ſervante ſuo fuit cum populo nequaquam factum audivimus, ſed neque relegimus; anno videlicet inruptionis ſuæ in prædictum magnum fluvium Sequanæ decimo octavo, ex quo verò Oceanum ingreſſi piraticam exercere aggreſſi fuerant quinquageſimo octavo, Regis autem præcellentiſſimi Caroli * decimo ſeptimo [a], ſanctiſſima oſſa piíque cineres præfati egregij Confeſſoris Chriſti Wandregiſili ac S. Præſulis Anſberti ob metum & conculcationem horum nefandorum Gentilium de Fontanellæ Monaſterio propriis effoſſa ſepulcris, ad ipſorum Sanctorum prædium quod dicitur Bladulfi villa, deportata ſunt. Cúmque jam eidem cum ipſis ſanctiſſimis propinquaretur corporibus, venerunt eis obviàm cuſtodes Eccleſiæ ac aliqua pars Fratrum, & reliquus populus omnis, quibus elapſis adjectione prædictorum poſſe fuit, ſuſceperúntque illa cum gloria, Deíque laudibus in loco qui dicitur Mittiſpons ſuper fluvium Alteiæ. Ipſo autem fluvij ponte beatiſſimis cum corporibus tranſito, in loco ubi pauſaverant, Crux lignea à fidelibus populis ponitur. * Calvi

VI. *Quòd quædam mulier à typo quartano Sanctorum meritis ſit ſubitò ſanata.*

SED illud miraculum quod ibidem cunctipotens Deus per merita prædictorum Confeſſorum eſt patrare dignatus, ut à futuris populis non ignoretur, optimum fore putavimus ſi narretur. Quædam namque mulier in eodem loco erat longo jam ævo à typo fatigata quartano: ex cujus violentia ita feſſa exſtiterat, ut vix jam pedibus incedere valeret. Quæ poſtea cum fide recta ad eumdem pergens locum, ſuffragium depoſcebat Sanctorum. Atque ita meritis & interceſſione eorumdem extimplo ab eadem eſt infirmitate curata, ut nullam ulteriùs moleſtiam neque læſionem corporis pateretur. Sed & febris quæ antea ſolita erat ipſius membra graviter fatigare, ita ab ea pulſa receſſit, quatinus ipſam deinceps contingere non auderet. Omnes enim qui audierant & viderant quod factum erat, Chriſtum Dei filium laudaverunt, qui meritis famuli ſui tale peregit miraculum.

[a] Nempe anno DCCC. LVIII. ex mente Auctoris infrà. Hinc corrigendus Auctor Appendicis ad Chronicon Fontanell. qui id factum anno circiter DCCC. LXII. refert.

AN. CHR. DC. LXVII. JUL. XXII.

VII. *Quæ geſta ſint in Eccleſia S. Apoſtoli Petri quæ vicina eſt Quentavico, quando illic deferebantur.*

ALIA quoque inſignia miraculorum quæ omnipotens Deus per eoſdem famulos ſuos quando ex ſupradicta villa venerabilia eorum corpora in territorium Bononienſe deferebantur, eſt agere dignatus; manifeſtare ac prædicare placet in populis. Nam cum ex prædicta villa tantorum Sacerdotum Chriſti beatiſſima membra ad Eccleſiam S. Petri quæ vicina eſt emporio Quentovico * & ex ditione eorumdem Sanctorum, à Monachis cum hymnis & laudibus deportarentur, in ipſa vigilia Aſcenſionis Chriſti, quando Rogationum tertia dies à populis Chriſtianis devotè celebratur, venerunt eis obviàm plebis innumeræ Clericorum ſive laïcorum cum ſacris Evangeliis crucibúſque ac cereis ſeu cum reliquo apparatu Eccleſiarum. Qui ad terram ſeſe projicientes gaudióque præ nimio flentes, exceperunt illa beatiſſima corpora cum laudibus hymnorum: cœperúntque ante illa ire pſallendo, donec prefatam introëuntes Eccleſiam à ſenioribus hujus congregationis Fratribus qui ipſa beatiſſima Sanctorum membra propriis humeris geſtabant, ſuper altare S. Apoſtoli Petri ponerentur. Facta ſunt hæc omnia v. Idus Maij [a]. His ita geſtis, libet modò ea miraculorum ovando ſubnectere ſigna, quæ infra dies quinque quibus prædictorum Sanctorum beatiſſima corpora ibi manſerunt, cæli ac terræ Dominus per eorum merita præclara ad laudem & gloriam ſui nominis eſt agere dignatus, pandere luce clariùs. Poſitis enim eiſdem oſſibus Sanctorum eodem in loco, maxima mox multitudo Fidelium ad præſidia ipſorum cum votis diverſis confluere cœpit, ob veniam ſcilicet ſuorum impetrandam facinorum, ſimúlque conſervandam ac reſtaurandam corporum incolumitatem.

* *Quentavic*

a

VIII. *Quòd quædam mulier clauda à Sanctis ibidem ſit ſanata.*

IGITUR erat quædam anus in eodem portu, quæ geſtatoriâ ſellâ ad ipſorum ſancta ſuffragia aliorum manibus advecta eſt: cujus extrema corporis membra per multorum annorum curricula ita arta & contracta exſtiterant, ut incedēdi officium funditùs amiſiſſet. Eadem quippe die qua prędictorum Sacerdotum Chriſti ſancta membra illuc ſunt deportata, cum à Fratribus ipſius congregationis in vigilia Aſcenſionis Domini veſpertinalis ſynaxis celebraretur, ſubitò meritis ipſorum Sanctorum abſque ullo dolore corporis contractio atque nodoſitas nervorum ejus reſoluta eſt, & in priſtinum reducta ſtatum. Móxque ſurgens à terra quæ debilis atque contracta antea jacuerat, gratias cunctipotenti Deo referebat, propriiſque cœpit ire veſtigiis. Atque tamdiu ante altare ejuſdem Baſilicæ quo Sanctorum requieſcebant membra ſtetit, donec veſpertinorum ſollemnitas finiretur. Sícque priſtinæ reddita incolumitati, quæ aliorum ſolatio adducta fuerat, adſpicientibus Chriſtianorum populis pedibus propriis ſuum rediit ad diverſorium.

IX. *Quòd quidam infantulus mutus in eodem citam perceperit loquelam.*

ALIUD quoque miraculum quod ibidem per merita eorumdem Confeſſorum cunctipotens Deus eſt dignatus oſtendere, ſilentio minimè tegendum remur. Quidam namque puer nomine Reſtouvardus de patrimonio Diglittis, parentum ſollicitudine ac fide non modica ad prefatum Baſilicam ubi ſanctiſſima Confeſſorum Chriſti membra poſita erant, deportatus eſt. Cúmque propria natura fandi negaret officium, ad Juſtorum merita declaranda æterno Arbitro largiente, meritis & interceſſione prefatorum Juſtorum, ſolutis linguæ retinaculis proprio uti cœpit officio fandi, ac primum ſermonem prompſit di-

[a] Anno proinde DCCC. LVIII. quo Paſcha in tertium Nonas Aprilis, Aſcenſio Domini in IV. Idus Maias incidebant; dies verò Dominica littera B prædita erat.

cens: Ubi eſt, inquit, meus pater? factúmque eſt Deo propitio, ut antequam Miſſarum ſollemnia in ipſa ſacratiſſima Aſſcenſione Dominica celebrarentur, ac ad eamdem Baſilicam paſſim populi confluerent, hujuſmodi miraculum virtus Divina dignaretur oſtendere. Cúmque omnibus qui in eadem Baſilica ob tam præcipuam feſtivitatem ac ſuffragia Sanctorum depoſcenda congregati erant, notum eſſet quod geſtum fuerat, Deo gratias totis viſcerum præcordiis rependerunt, qui tanta ac talia in terris propter jam dictorum ſuorum famulorum merita, tale eſt dignatus monſtrare miraculum. AN. CHR. DC.LXVII. JULII XXII.

X. *De altera muliere contracta meritis Sanctorum ibidem curata.*

QUÆDAM autem mulier erat in prædicto emporio, junior ætate ſuperiori, ſed par fide, quæ ita per multa annorum curricula exſtiterat contracta, ut niſi aliorum manibus eſſet devecta, nequaquam de loco ad locum propriis valeret incedere plantis, ut in ſuperiori diximus. Cúmque ad prefatam Baſilicam delata eſſet ubi Sanctorum corpora ſervabantur prædicta ſacratiſſimæ Dominicæ Aſſcenſionis die, atque pro recuperatione ſuæ ſoſpitatis propriiſque intentâ exoraret mente delictis, cùm Miſſarum ſollemnia celebrata eſſent, à terra qua infirma & debilis paullo antè jacuerat, coram oculis univerſarum plebium illic adſtantium ita ſubitò ſana atque incolumis ſurrexit, ut nullam moleſtiam corporis Deo miſerante ac præfatorum meritis ulteriùs pateretur. Et non ſolùm ipſa pro reddita ſibi ſanitate, ſed etiam omnes qui viderunt quod factum fuerat gratias cunctipotenti Deo non modicas rependerunt.

XI. *Quòd quædam mulier improba à retinaculis linguæ per merita Sanctorum ſit mirabiliter reſoluta.*

ILLUD quoq; quod tunc in Quentavico portu per merita eorumdem Sanctorum ſuorum cunctipotens Deus eſt operari dignatus, operæpretium fore credimus ſi narretur miraculum. Erat namque in eodem opido quædam muliercula improba, quæ cum Fidelium choris beatiſſima Sanctorum membra proſequentibus non ſolùm eſt dedignata proſequi, verumetiam in blaſphemiæ vocem eſt elata: non ſe ſequi tunc poſſe quos neſciebat, & proprium relinquere cui inſiſtebat operi. Necdúmque ex ejus ore verba nefanda fuerant egreſſa, cùm os illius ita retinaculis linguæ eſt ligatum, ut per octo dierum ſpatium nullum promeret eloquium, donec reatum propriæ ſtoliditatis cognoſceret & votum offerret. Factúmque eſt Deo miſerante opimíſque meritis præfatorum Præſulum, ut impleto dierum octo ſpatio cereum ad eorum luminaria dum mitteret, ſolverentur illius retinacula linguæ, atque in antiquos modos redirent officia vocis. Ita hæc muliercula proprio reatu ligata, per merita prædictorum Sanctorum ſoluta fandíque libertate recepta, Chriſto referens grates totum exſultans percurrit emporium tanti miraculi teſtis & nuntia. Unde cuncti populi qui audierant & viderant quod factum fuerat, conlaudabant Dominum qui tanta miraculorum virtute ſemper in ſuis triumphat: ut patenter detur intelligi, quæ veneratoribus Sanctorum pij laboris maneat remuneratio, quæve blaſphemantibus ac otio torpentibus ſequatur ultio.

XII. *De quadam paralytica meritis Sanctorum in* Walbodingheim *prædio curata.*

VERTAMUS nunc juvante Domino noſtræ conſcriptionis ſtilum ad ea narra quæ in territorio Bononienſe & prædio *Vvalbodingheim* per prædictos ſuos famulos Domini pietas eſt agere dignata miracula. Poſtquam autem ad eamdem villam venerabilia eorum corpora delata ſunt, & poſita in Baſilica ſancti Martyris Quintini, quæ ex virtutibus prædictorum Sanctorum memoriæ

AN. CHR. DC. LXVII. JULII XXII.

occurrere potuerunt, ſuccinctè deſcripſimus, plurima tamen propter enormitatem ſui prętermittentes. Igitur cùm quædam mulier de villa *Heringherim* omnium membrorum officio deſtituta, ex ea infirmitate quæ Græco eloquio paralyſis dicitur, ad præfatam villam ubi beatiſſima eorumdem Sanctorum membra poſita erant, ſolatio Fidelium cum fide non modica in carpento perducta eſſet; ita eſt ſubitò meritis & interceſſione eorumdem venerabilium Sanctorum priſtinæ reddita ſanitati, ut infirmitate longa depulſa, perditas dudum reciperet vires: & quæ ad ſanctiſſima pretioſorum Confeſſorum membra aliorum auxilio devecta fuerat, ovans ac lætabunda propriis cœpit ire plantis, atque à terra qua jacebat incolumis ſurgens, pro reddita ſibi ſanitate cunctipotenti Deo ac B. Wandregiſilo grates non modicas referebat: ſicque ſanitate ſimul ac virtute recepta perfectè curata eſt.

XIII. *Quòd quædam dæmoniaca interventu Sanctorum concitè ſoſpitati ſit reddita.*

NEc illud etiam ſilenter præterire debemus miraculum, quod in eodem loco ob ſupramemoratorum Confeſſorum merita veneranda cæli terræque Dominus eſt dignatus oſtendere. Fuit in eodem territorio virgo quædam de patrimonio Wachonevillare, quæ multo jam tempore à dæmone vexata fuerat: quæ curâ parentum cum fide recta ad Eccleſiam perducta eſt, qua ſanctiſſima membra poſita erant: ibíque cum triduo manerent cælorúmque ac totius mundi Dominum pro ſuis intento exorarent corde delictis, opem atque interceſſionem eorumdem famulorum Chriſti pro ereptione ſuæ depoſcerent prolis, cùm Fratres ad referendum Deo laudes Dominica die congregati eſſent, Matutinorúmque ſollemnia decantarent, à ſolo quo jacebat eadem ſurgens dæmoniaca, ante loculum ubi S. Pontificis Anſberti beatiſſima erant membra locata, diu attonita ſtetit, ac Divino ſe juvante munere meritis & interceſſione prædictorum ab hoſte ſæviſſimo erepta ac ſoſpitati eſt reddita. Quo facto miraculo, in conſpectu Fratrum & populi illic adſtantis ſaniſſima ſurrexit, gratéſque omnimodas cunctipotenti Deo circumſtantes referunt, qui per merita eorumdem Sanctorum tale geſſit in terris miraculum.

XIV. *De quadam phrenetica ad eorum corpora ſanata.*

ALIA quoque phrenetica de territorio Suevo & villa *Laom* ad ſuffragia SS. à patre ſuo cum omni ſpei ac fidei devotione devecta eſt. Dúmque per aliquot dies in præfata Baſilica S. Martyris Quintini qua pretioſa eorum cuſtodiebantur corpora moraretur, interventu eorumdem quadam die cùm à Fratribus Miſſarum ſollemnia celebrarentur, miris repentè modis ſine aliqua læſionis moleſtia Deo juvante interceſſione prædictorum Sanctorum ſanitati eſt reſtituta: ut quanta eiſdem Sanctis gratia curandi ægros à Deo collata eſſet, etiam in hujus miraculi monſtraretur ſigno.

XV. *Quòd quidam ſurdus & mutus in eodem loco auditûs pariter & visûs concitè ſoſpitati ſit redditus.*

ALIUD quoque quod in eodem loco geſtum eſt ob ædificationem audientium ſive legentium narretur miraculum. Quidam namque adoleſcens de prædio Flamiſſila mutus & ſurdus propinquorum ſolatio ad præfatam Baſilicam qua Sanctorum oſſa piique cineres ſervabantur deductus eſt. Cúmque eamdem introiſſet Baſilicam atque ad orandum coram altari pronus jaceret, ita extimplo precibus ac meritis ipſorum ab omni eſt corporis incommoditate curatus, ut & loqueretur pariter & audiret. Tunc ipſe manus ad cælum extendens gratias immenſas retulit Deo, qui eum meritis ſeu ſuffragio prædictorum ſuorum

ſervorum

ſervorum mirabiliter ab eadem quamdiu detentus erat infirmitate curavit. Omnes enim qui aderant cernentes quod factum fuerat, cunctipotentem Deum laudaverunt, eúmque potentiſſimum in famulis ſuis teſtati ſunt. AN. CHR. DC LXVII. JULII XXIX.

XVI. *Item de alia paralytica à Sanctis ibidem curata.*

ERAT quoque quædam mulier in prædio *Turbodingheim*, quæ eſt poſſeſſio almi Patris Wandregiſili & adjacens patrimonio *Vvalbodingheim*, cujus manus plurimos annos paralyſi fuerat diſſoluta. Quæ cùm nulla medicorum arte ab eadem juvari poſſet infirmitate, jámque in ſuprema poſita eſſet deſperatione, præfatam Baſilicam ubi Electorum Dei membra collocata erant petiit. In qua cùm diu Opificem mundi pro ſuis delictis abluendis ac recuparatione ſuæ ſanitatis inſtantiſſimè exoraret, ope atque interventu Sanctorum beneficium ſenſit Divinum. Nam manus illius quæ diutinâ languoris moleſtiâ arida exſtiterat, ita mox fugiente dolore ac ſanitate ſubſequente antiquæ eſt reddita incolumitati, ut nullam deinceps pateretur læſionem corporis.

XVII. *Item de alio ſurdo & muto qui tunc in prædicto loco mirabiliter meruit curari.*

ILLUD autem ſtupendum miraculum quod in ea geſtum eſt Eccleſia minimè tegi decet ſilentio. Nam quidam homo ex pago Pontivo & villa nomine *Hroſam*, nomine Baldradus, annorum circiter xxxv. ab ineunte ætate ita mutus ſurdúſque exſtiterat, ut nec loqui nec audire ullatenùs valleret. Qui etiam ſollicitudine ac cura parentum per multa diu Sanctorum loca advectus fuerat, necnon & ad S. MEDARDI Cœnobium quo ejuſdem præcipui Confeſſoris & inclyti Martyris SEBASTIANI felicia membra quieſcunt. Qui jam à ſuæ recuperatione commoditatis deſperatus, quadam nocte cùm ſopori deditus eſſet, vidit quemdam virum egregiæ formæ candidíque vultus coram præſentia conſiſtere ſui, cujus pulchritudo non humana putabatur, ſed Angelica. Qui eum ita conſolando allocutus eſt dicens: Surge fili ex proprio quo decubas lectulo, ac cum omni ſpei fiducia perge ad locum quo Sanctorum Confeſſorum Chriſti Wandregiſili atque Anſberti pretioſa pauſant membra, illícque ſcito te per eorum merita veneranda loquelam pariter percepturum & auditum. Is autem à ſomno quo tenebatur oppreſſus evigilans, & de ſuperni muneris promiſſione non dubitans, aſſúmpto ſecum comite itineris celerrimo curſu ad eamdem ire deliberavit Baſilicam, in qua Sanctorum poſita erant corpora. Cúmque ad eam hora veſpertina diei perveniſſet, & in eadem Baſilica cum aliis infirmis ea moraretur nocte, cum à Fratribus ejuſdem Congregationis matutinorum ſollemnitas celebraretur VIII. Idus Novembris die Dominica, antequam officium ipſum matutinale peractum atque decantatum haberent, cùm pronus coram altari in quo Sanctorum corpora ſervabantur jaceret, ſubitò obdormivit: vidítque virum quemdam pulcherrimæ formæ niveam præferentem canitiem (veluti nobis *ipſe poſtea referendo narravit) in ſedili ſedentem aureo, virgam auream manu in dextera tenentem. De cujus ſummitate in occipitio capitis præfatum bis tetigit mutum, móxque vis ingentis algoris cerebrum penetravit illius, atque uſque in os ejus pervenit, paritérque foramina pertranſiit aurium. Evigiláńſque confeſtim, & à terra qua jacebat exſurgens, coram oculis omnium Fratrum & plebium illic adſtantium & laudes cunctipotenti Deo decantantium, cum celſa voce atque alacritate cordis clamare cœpit dicens: Deo gratias, ecce adeſt B. Wandregiſilus, per quem nunc mihi pius Dominus loquelam reddidit & auditum. Unde univerſæ plebes quæ ob ſuffragia Sanctorum depoſcenda ad eamdem convenerant Baſilicam, cernentes quod geſtum fuerat, cæli terræque Dominum laudaverunt, magníque apud eum fore *meriti beatum Wandregiſilum proclamabant.

* anno DCCC. LVIII.

* Auctoris ætas.

* eſſe

AN. CHR. DC. LXVII. JULII XXII.

XVIII. *De Grippone Præfecto in mari correpto, ſed ob merita Sanctorum ſalvato.*

NON longo pòſt tempore dum in periculo ſibi invocantibus adfuit, ſequitur clara virtus ac maxima. Inluſter namque vir GRIPPO, Præfectus videlicet emporij Quentovici, juſſu præcellentiſſimi Regis CAROLI quadam legatione functus eſt in inſula Britannica ad Reges Gentis Anglorum. Denique impetratis ac peractis pro quibus directus fuerat, dum in revertendo navem aſſcendiſſet, Oceanum æquor ingreſſus, flante vento ſecundo ferè medium confecerat iter: noctíſque ſpatio ferè tranſacto, antequam roſeæ lucis ſplendor mundum irradiaret, ita ſubitò ſæva exorta eſt procella, ut nulla ſpes evadendi præfato Duci ſuíſque comitibus qui cum eo erant in navi remaneret. Cúmque à variis ac fortiſſimis ventorum motibus mare intumeſceret, lintríſque huc atque illuc à vi maris pulſaretur ac vagabunda incederet, nullúſque evadendi exitus ullomodo pateret, cùm jam ſol lucifluos emitteret radios, & propria totum illuſtraret lampade mundum, adſpexit præfatus Dux pharum ſupra litus maris antiquorum induſtriâ ad curſum navigantium olim ibidem ædificatam. Contemplatus eſt quoque & Baſilicam in qua pretioſi Confeſſoris Wandregiſili ſummíque Pontificis Anſberti ſanctiſſima poſita erant membra: oppletóſque lacrymis oculos hæc humili cum voce ſupplicans aiebat: Sacerdos quondam noſter, nunc ſocius Angelorum, beatiſſime Wandregiſile, precibus piis ſuccurre nunc afflictis, jámque periclitantibus. Te duce ab hac regione progreſſus ſum, te duce externa adij loca: en deſertus à te, patriæ inductus jam finibus, gravis periculi mole oppreſſus dignas mei meriti pœnas luo. Noli ſubtrahere precem, liberationem famulorum, jocundior nobis melle dulcedo; ne ſinas gaudia noſtra ſupremæ triſtitiæ nubilo maculari: gaudium & exſultatio noſtra, quos deduxiſti ſoſpites, patriæ ſolo redde incolumes. Inter hæc ipſe Dux ejuſque ſocij vota offerunt, omnimodo niſu reddere cupientes. Vix verba præfata finierant, cùm ſubitò ope atque interceſſione almi Wandregiſili piâ ſerenitas redditur mira, & patronum quem quærebant abſentem, virtute præclara præſentem intelligunt. Lacrymæ denique vertuntur in gaudia: mæror lætitiæ permutatur. Elevatis namque velis, motu celeri cum gaudio tripudióque magno lintris cucurrit ad litus. Nec ſubacta inter duras cautes præruptáque & aſpera loca contrita eſt, nec ſcit pertuliſſe diſcrimina, cùm gaudet evaſiſſe pericula. Miniſteria nempe implevit itineris, relinquens ſigna virtutis. Ipſe autem præfatus Grippo in ipſa vigilia Nativitatis Domini alacer & ſoſpes ad eamdem pervenit Baſilicam, in qua prædictorum Chriſti Confeſſorum beatiſſima poſita erant membra, ibíque cunctipotenti Deo pro ſui ereptione laudes multimodas cum magnæ humilitatis reverentia retulit, & vota promiſſa obtulit.

XIX. *Item de quadam paralytica à Sanctis curata.*

ILLUD quoque ſilentio præterire non debemus miraculum, quod in ipſo tempore per Sanctorum merita in eadem qua pretioſa eorum oſſa cineréſve ſacri ſervabantur geſtum eſt Eccleſia. Fuit quædam mulier Deodada nomine de pago Pontivo & villa Agrona, quæ ad ſuffragia petenda Sanctorum in ſacroſanctis Quadrageſimæ diebus ad præfatam Baſilicam perducta eſt. Quæ ita omnium carebat officiis membrorum paralytico attrita morbo, ut ejus caput omnibus videretur horarum momentis rotando & agitando è ſuo volvere loco: manus verò illius ita diſſolutæ ac tremulæ exſtabant, ut nullomodo eas ad os ſuum applicare valeret. Nam & eam quam attulerat candelam nullatenus altaribus quivit imponere ſanctis, niſi aliorum fulta ac juta adminiculo. Quicumque enim eam adſpiciebant, ſemper putabant eam caſuram ac ſubitò morituram. Quæ dum tali quateretur moleſtia ægritudinis, ita meritis & ſuffragio præ-

dictorum Sanctorum ab eadem est incommodæ languoris curata, ut cuncta membrorum officia dudum amissa post quinque dierum spatium quàm ad eamdem pervenerat Basilicam concitè recipere mereretur. Nam tanta inest sanctis ipsis Confessoribus depellendi ægritudines ab humanis corporibus à summo Opifice donata virtus, ut plurimi gratiâ sanandi ad ipsos Sanctos properantes, alij verò revertentes, à variis diversisque morborum generibus largiente Christo liberari mereantur. AN. CHR. DC. LXVII. JULII XXII.

XX. *De quodam puero cæco & claudo à Sanctis curato, & matre ejusdem pueri febricitante sanitati reddita.*

ANNO ab Incarnatione Domini Jesu Christi DCCC. LXVI. venerunt corpora SS. Confessorum Wandregisili & Ansberti ad Ecclesiam S. Petri quæ ex ditione præfatorum constat Confessorum, & est vicina portui Quentavico. Ubi post aliquot dies quidam puer nomine Bernodus de pago Pontivo & villa quæ Diglittis dicitur, quem mater testabatur octo annorum spatio oculorum officio & gressu ambulandi funditùs caruisse; cùm ad præfatam Ecclesiam in qua Sanctorum corpora posita erant advenisset, in conspectu omnium qui aderant visum Domino largiente recepit & gressum. Mater verò prædicti pueri nomine Hildegardis quæ à febre quartana diutissimè vexabatur, Domino miserante in eodem loco sospitatem recepit *.

* *hic unum omissum de muliere contracta*

XXI. *Quòd quædam lunatica meritis Sanctorum sanitati sit reddita.*

ANNO DCCC. LXVII. in ipso quoque tempore quædam mulier nomine Echitrad natione gentis Anglorum, supplicandi voto (veluti pœnitentibus moris est) Romam pergebat, quæ erat lunatica, sanguinisque fluxu per plurimos afficiebatur annos. Cúmque ad præfatum locum ubi Sanctorum Corpora posita erant divertisset, atque coram altare ad orandum se prostravisset, diu desideratam sanitatem Domino miserante x. Kalend. Octobris per merita Sanctorum suorum recepit, & demum cœptum carpebat iter quod Romæ urbis ducit ad arces.

XXII. *De Wandalgario energumeno & sorore ejus à sanctis Confessoribus curatis.*

SUB idem ferè tempus quidam homo nomine Wandalgarius & soror sua nomine Gisleberga de pago Pontivo & fundo Bladulfi villa pertinens ad Monasterium S. Mauricij, à spiritu immundo possessi & ob hoc artissimis vinculis adstricti, in carpento positi ad præfatam Basilicam deducti sunt VII. Idus Aprilis. Qui duodecimo ex quo illuc advenerant die, per virtutem Christi & merita Sanctorum Confessorum, cunctis qui aderant cernentibus, exacto à se dæmone sani effecti ad propria sunt reversi.

XXIII. *Item de alio energumeno ibidem à Sanctis sanato.*

EX IN die quintodecimo, id est XI. Kal. Maij, homo quidam nomine Amatus de emporio Quentavico, ita erat à spiritu immundo invasus, ut per os ejus exprobrando loqueretur, Sanctósque nominatim impotentes diceret ad se expellendum. Qui tamen ipso quo advenerat die, in præfata Basilica coram sacris Sanctorum Reliquiis per virtutem Christi perfectè curatus, vota promissa reddens rediit ad propria.

XXIV. *De quodam cæco illuminato.*

EODEM quoque tempore quædam femina Airisma nomine de pago *Tellau* & prædio cognomento Haismedis, filium suum nomine Riculfum

AN. CHR. DC.LXVII. JUL. XXII.

quadriennio cæcum ad præfatam Baſilicam pro recuperando lumine amiſſo adducere curabat. Cúmque ibi pro calamitate quam prædictus patiebatur natus, Domini miſericordiam & ſanctos Confeſſores invocâſſet, diu negatum lumen recipere meruit. Factum eſt hoc miraculum Nonis Maij in vigilia Aſſcenſionis Domini*.

* *hîc claudi curatio omiſſa*

XXV. *De quadam cæca illuminata.*

QUÆDAM autem mulier nomine Tatburgh de pago Tarvennenſi quinquennio ſolem non viderat, ibi ſe ad orandum in præfata Baſilica coram altare proſtravit. Cúmque ad Miſſarum ſollemnia Evangelica lectio perlecta fuiſſet, lumen quod amiſerat Chriſto Salvatore omnium largiente per merita Confeſſorum extimplo recepit. Sed & iſtud miraculum factum erat XII. Kal. Auguſti in vigilia feſtivitatis S. Patris noſtri Wandregiſili *.

* *hîc duo omiſſa de claudo & amente*

XXVI. *De quodam cæco illuminato.*

QUÆDAM autem femina nomine Itberta venit illò, ubi Sanctorum corpora condita manent, deferens filium parvulum nomine Richardum, qui erat aliquanto tempore cæcus. Ibíque triduo degens, Chriſto Domino per merita Sanctorum donante, diu negatum lumen prædictus filius ejus recepit. Et iſtud miraculum factum erat die quarta Nonarum Decembrium.

XXVII. *Claudus curatus.*

SUCCENDETE deinde aliquanto temporis intervallo, quidam vocabulo Radunius ex pago Tarvennenſi & villa vocabulo Amaniaco, valida nervorum contractione debilitatus ita claudus exſtiterat, ut per annos ferè XIII. pigra promotione crura pedéſque trahens omni ambulandi careret officio. Qui etiam ante aliquot annos, cùm prædictorum Sanctorum corpora in *Vvalbodingheim* villa ſervarentur adductus fuerat: ſed cur curatus non fuerit dicent qui velint: mihi tamen videtur quia ob ſalutem animæ aut alicujus peccati nodum ejus curatio dilata fuit, non penitus negata; neque tunc ſed alio tempore & alio in loco Deo largiente à prædictis Sanctis fieri debuit. Denique ad præfatam Baſilicam in qua Sanctorum degebant Reliquiæ, in carpento à ſuis adductus, Divinam exorans clementiam, in unius horæ momento integram omnium membrorum ſoſpitatem per Sanctorum merita recepit.

XXVIII. *Mulier clauda erecta.*

ANNO Dominicæ Incarnationis DCCC.LXVIII. quædam virgo nomine Berthildis de pago Sueſſonum, & prædio vocabulo Bergiaca, ex nervorum contractione debilitata, & per duodena annorum curricula inutilis facta, cùm ad prædictum locum genibus & manibus reptando potius quàm ambulando perveniſſet, in eadem Baſilica conſiſtenti vir quidam in candido habitu ſibi apparuit, monens ut in eodem maneret loco quoadúſque optatæ ſanitatis Deo jubente per merita S. Wandregiſili ſuſciperet opem: quarto idus Junij oſtenſa ei fuerat hæc viſio. Exin die tertia, id eſt pridie idus Junij cùm Matutinorum ſollemnia à Fratribus eſſent decantata, cœpit clamando Sanctorum nominatim auxilia depoſcere: atque in hoc clamore extentis ſibi ſubitò nervorum vinculis in inceſſum ſe erigens in pedes conſtitit. Sed & iſta in hunc modum curata pedum greſſibus ad propria rediit, quæ, ut prædiximus, nitendo potiùs quàm incedendo ad Confeſſorum limina pervenerat.

AN. CHR. DC.LXVII. JUL. XXII.

XXIX. *TRANSLATIO CORPORVM SS. Confeſſorum Chriſti in Carnotenam urbem.*

ANNO Dominicæ Incarnationis octingenteſimo nonageſimo quinto Indictione IV. ſub die XII. Kalendarum Decembrium, venerunt corpora SS. Vvandregiſili & Anſberti Confeſſorum ad Carnotenam urbem, & jubente Domino ſuſcepta ſunt à venerabili HAIMONE Epiſcopo præfatæ urbis & Domno HAIMERICO Abbate Monaſterij S. Carauni *Martyris, & collocata in Eccleſia in qua iſdem Martyr requieſcit. Ubi non minimam humanitatem Monachis S. Vvandregiſili qui metu Gentilium hæc attulerant exhibuit, & hoſpitalitatem condignam tribuit, ibíque uſque XIV. Kal. Martij pacificè manſimus *, videlicet per menſes tres, exceptis tribus diebus. Deinde XIV. Kal. Martij metu Gentilium ſuadente & cooperante præfato Haimerico venerabili aliíſque Sanctorum veneratoribus, annuente etiam ejuſdem urbis venerabili Clero & plebe Deo devota, cum laudibus & honore prædictorum corpora Sanctorum intra muros præfatæ urbis venerabiliter ſuſcepta ſunt: atque in Capellam quam olim venerandus Præſul GISLEBERTUS infra domum ſuam conſtruxerat dignè collocata ſunt. In qua omnipotens Deus Sanctos ſuos ut voluit mirabiliter mirificavit, & miraculorum atteſtationibus multiformiter honoravit. Quorum inſignia miracula jubente Domino mirabiliter refulgent.

* *S. Cheron* nunc Canonic. Regul. Ordin. S. Auguſt.

* Auctoritas

XXX. Ea ſiquidem tempeſtate quidam homo Haimericus nomine à ſpiritu immundo invaſus, vinctus atque demum in carpentum elevatus, ad prædictam Baſilicam perductus eſt. Qui ita vexabatur ab erratico ſpiritu, ut omnes adſiſtentes dentium laceratione appetere vellet, ac multa nefanda nec dicenda hortatu dæmonis ore proferret. Ibíque per aliquot dies manens, Domino miſerante opimis Sanctorum meritis perfectè curatus, ſanus & incolumis pedibus propriis habitacula repedavit ſua.

XXXI. Deinde in menſe Maio quædam femina nomine Adalgardis de villa Auriaco, quæ eſt ex ditione S. Launomari Corbienſis * Monaſterij phreneſim paſſa, à viro ſuo ac ſocero ad præſidia Sanctorum adducta, unius diei ſpatio tranſacto Deo jubente concitam recepit ſanitatem.

* *l.* Curbionenſis

XXXII. Tertium quoque miraculum opitulante Chriſto & Sanctorum intercedentibus meritis in homine quodam nomine Adalmanno completum eſt. Hic etiam terribiliter vexabatur ab inimico, inclamando videlicet immoderatè ac lacerando, & in homines procaciter expuendo. Hic ergo à Domino perfectè curatus receſſit.

XXXIII. Quarta quoque virtus Sanctorum in homine nomine Angalmaro refulſit. Qui captus à dæmone, amiſſo ſenſu, inania gerebat voce, lingua, ac membrorum motibus. Ibíque octo dierum ſpatio manens, videlicet ab IX. Kal. Julij uſque ad Kal. ejuſdem, meruit à Domino & Sanctis ejus perfectè curari.

XXXIV. Quintum æque miraculum in femina nomine Gertrude donante Deo contigit. Quæ ſenſu amiſſo, dæmonis inſtinctu & loquebatur deformiter, & dentibus frendebat, & omnia inhoneſta promebat. Quæ tamen tertio poſtquam ad præfatum pervenerat locum die meritis Sanctorum ab hac meruit incommoditate liberari.

XXXV. Sexta quoque virtus in femina nomine Angalberga oſtenſa fuerat, quæ parum loquebatur ſenſu amiſſo proprio: ſed alia agebat inhoneſta. Quæ tamen tertio poſtquam advenerat die, precibus Sanctorum ſana & incolumis ad ſua concitè rediit.

XXXVI. Illud quoque ſeptimum miraculum laude dignum huic paginæ inferendum ratum duximus, quod cælorum Compos & orbis in quadam femina per beatum exercuit Vvandregiſilum. Nam cùm nonnulli per Francorum fines nobilium pauperúmque infirmitatum incommoditatibus moleſtati gauderent ſeſe ab eo

AN. CHR. DC. LXVII. JULII XXII.

ſoſpitati redditos optabili, placuit cunctorum Modificatori, ut velut in Germanorum provinciis multorum laudabatur ore, ita gens tranſmarina præclaris illum vocibus devotáque mente attolleret. Tali itaque actum eſt occaſione ut nomen beati viri non tantùm in ſolo patrio, verumetiam beatificaretur in peregrino. Erat quippe in eiſdem partibus quædam femina omni compagine membrorum adeo infirmata, ut nec manibus cibum ori apponere, nec pedibus greſſum quiret aliquatenus figere. Quadam igitur nocte cùm ejus ſpiritus intra pæne mortuos artus triſte anhelaret, audit per viſum quemdam dicentem ſibi: Si forſitan fuiſſes tranſvecta ad memoriam S. Wandregiſili qui in Bononia[a] civitate cum Præſule Anſberto requieſcit almifluo, profectò recepiſſes tui ſanitatem corporis. Hac ergo viſione animata, rogavit affines atque cognatos, ut ei pręberent evectionis adminicula, quibus Sanctorum quiret adire limina ob recuperanda priſtinæ ſanitatis commoda. Cúmque illò auſpice pervęniſſet Chriſto, multo lacrymarum imbre ante Sanctorum buſta effuſo ita ſurrexit ſoſpes à pavimento, ut nulla infirmitatis veſtigia in ejus apparerent corpuſculo. Recepta itaque femina quæ advenerat ſanitate, devovit numquam ſe domum redire, ſed omni quoad viveret tempore in ſervitio præfati perſeverare. Remeantibus ergo collegis ſuis tranſmarinam ipſa ut devoverat nuſquam abſceſſit, ſed in obſequio curatoris ſui totam ſe contulit. Interea audivit Sanctum ſe monentem ne aliquando calefactione ignis uteretur, nec tempore hiemis nec æſtatis. Quod ſi feciſſet, pro certo ſciret ad ſe reverſuram infirmitatem. At illa jubentis imperium ſervavit per aliquod temporis ſpatium. Tempeſtate itaque quadam cum vigilia adeſſet Nativitatis Dominicæ & ſodales ſuas Sanctimoniales feminas multimoda prece rogitaret, ut Oblatas quas oblatura Domino in craſtinum erat formarent, igníque cui appropinquare non audebat decoquerent, & minimè impetraret, acceſſit ad ignem, ferróque quo imprimendæ ac decoquendæ erant Oblatæ arrepto, mox nervi manu ejus dextræ contracti ſunt: ac oblatorium quod ſponte ſuſceperat, invita vi agente Divina retinuit. Cum fletu ergo & dolore tribus diebus ſtrictim deportato, die jam quarto feſtivitate beatorum Innocentium & Wandregiſilo cum complice ſuo exorante beato, & auctore innocentiæ hora qua populus ſtans cum reverentia ad Miſſam ſanctum auſcultaret Evangelium, ferrum de vola mulieris excidit, & ſonum cadens in pavimento circumſtantium auribus incuſſit. Sonitu ergo ferri atque clamore mulieris omnes qui aderant permoti venerunt cum ſtrepitu magno ad eam, & pro tanto tripudiantes miraculo, cunctipotentem Deum magnis pręconiorum vocibus Clerus laudavit ac populus, qui ſemper & ubique in omnibus operibus ſuis exſtat benedictus. Aperto poſthæc ferro in quo erat intus oblata impreſſa, invenerunt eam ſanguine tabo mixto cruentatam. Pro qua re multam habitatores loci illius deinceps habuêre admirationem.

NOTA.

a Hinc apparet corpora SS. Vvandregiſili & Anſberti ex civitate Carnutum revecta eſſe Bononiam. Poſtea *anno nongenteſimo quadrageſimo quarto* III. *Nonas Septemb. corpus Divorum Vvandregiſili, Ansberti & Vvlfranni ex Bononia maritima Morinorum urbe Gandavum ad Cœnobium Blandinienſe ab Arnulfo Comite tranſlata ſunt*, ut ſcribitur in Chronico Blandinienſi apud Sanderum in ſuo Gandavo. Quod de S. Vvlframni corpore dicitur, ſuo loco diſcutiẽdum erit. Ea Tranſlatio facta eſt S. Gerardo Abbate Cellenſi & Blandinienſi: qui teſte Scriptore Appẽdicis ad Chron. Fontanell. cap. 3. cùm aliquando corpus S. Vvandregiſili *in pagum Belvacenſem, in villam quæ Reverſcors dicitur quæ pridem fuerat de ditione Fontinellenſis Cœnobij* detuliſſet, ut res quaſdam ab iniquis poſſeſſoribus occupatas repeteret, *aſcenſis equis Rotomagum properavit, admiſſúſque Richardo Comiti cauſas adventûs ſui intimavit, ſęque in promptu S. Vvandregiſili corpus habere retulit, quod ſuo reſtitueret loco, ſi terræ ſibi redderentur, quas Chartarum poſſet approbare Privilegiis.* Cui rei cùm contradixiſſent Primores terrarum illarum invaſores, Gerardus S. Vvandregiſili corpus Gandavum in ſuum Cœnobium revexit, *ubi apud Deum & homines in magna gloria & honore nunc ſuſque requieſcit.* In brevi Chronico MS. ad ann. 1047. ſcribitur, quòd tempore Gradulfi Abbatis *brachium S. Vvandregiſili de Monaſterio S. Petri montis Blandinienſis relatum fuit Fontanellam*, ubi hactenus cum ejus ſudario aſſervatur. In eodem Chronico ad ann. 1341. legimus, Johannem de S. Leodegario Abbatem inſtituiſſe, ut feria tertia vacante fieret officium de S. Vvandregiſilo, feria quinta de S. Vvlframno.

MONITUM.

ADventum Reliquiarum SS. Vvandregiſili, Anſberti & Vvlframni in montem Blandinium Sæculo V. Benedictino ad annum 944. referemus.

VITA S. AVDOMARI EPISCOPI TARVENNENSIS,

CIRC AN. DC. LXVII. SEPT. IX.

Scripta ab Auctore anonymo, qui ante Normannorum cladem vixiſſe videtur: apud Surium contracta, & interpolata fortaſſe à FOLCARDO Abbate Sithivenſi ſæculo x.

Reſtituta ad apographum Corbeïenſe.

PROLOGUS AUCTORIS.

1. DOMINO omnipotenti munerum ſpiritalium magnarúmque virtutum largitori multiplices gratias laudéſque ſedulas dicere debemus, qui omnium creaturarum viſibilium & inviſibilium conditor & gubernator exſiſtens, filium ſuum unigenitum Dominum noſtrum JESUM-CHRISTUM ad docendas, redimendáſq; omnigenas Gentes miſit ad terras, &c. Qui duobus & decem Apoſtolis de turba totius generis humani electis, alios quoque alterius ordinis ſexaginta & duos regionibus albis ne multæ operarij deeſſent meſſi jubet omnipotens diſcipulos eſſe ſuos, hóſque in cænaculo Sion ſancto ſpiramine repletos, omniúmque linguarum mirabili dono ditatos ad docendas baptizandáſque omnigenas Gentes ire præcepit, &c. Poſt hos, póſtque ipſorum ſucceſſores alios homines agios Dei gratiâ præditos, eodémque ſpiritu repletos Apoſtolorum vicarios in omnibus mundi partibus eſſe conceſſit, &c. Unde Occidentalibus mundi partibus, Divinis muneribus decoratum ſignis ac virtutibus in multis orbis partibus notum AUDOMARUM * Apoſtolicum donavit Doctorem. Ideo te Deus omnipotens per glorioſa ejuſdem Pontificis patrocinia precamur, ut largiflua tuæ ſapientiæ de ſupernis fluenta noſtris licet maculatis mentibus rorare concedas, ut de tanti viri meritis atque virtutibus quæ per illum tua gratia geſſit ſcire volentes, licet de magnis parva, ac de multis pauca depromere poſſimus. Quis enim quotidianam ejus converſationem atque in Dei ſervitio conſtantiam, cunctóſque labores quos in occulto, Deo tantùm teſte, operatus eſt, ſcire atque narrare poteſt?

* *S. Omer*

INCIPIT VITA.

2. HIC igitur agius Pontifex AUDOMARUS & nobilibus & inclytis ſecundum ſæculi dignitatem & in Fide Catholica eruditis ortus fuit parentibus [a] in Conſtantinenſe regione, nec longè à Conſtantia * civitate & in eo ſpecialiter loco qui Aurea-Vallis * vocatur natus eſt. Genitor verò hujus inter ſuos clarus FRIULFUS vocabatur: DOMITTA autem ſua nuncupata fuit genitrix. Hi verò religioſi parentes prædictum puerum ſecundum Chriſtianæ Religionis à cunabulis ritum Divinâ gratia ſuffragante in Eccleſiaſticis nutriebant diſciplinis: unicum enim Audomarum habebant filium. Friulfus verò poſt prædictæ conjugis ſuæ obitum, & puero ætate & gratiâ creſcente, ſuavi jugo Chriſti ac levi, Divinâ famulante miſericordia, cum confortante ac ſuadente Audomaro filio ſuo ſe ſubdere ſtuduit.

Audomarus Conſtantienſis piè educatus,

[a] * *Conſtance* ad Rhenum * Iperio vulgò *Guldindal*

3. Ambo igitur genitor videlicet Friulfus cum beato filio ſuo Audomaro im-

Luxovium à parte perducitur.

[a] S. Audomari conſanguineus dicitur qui populariſ ejus fuit S. Bertinus, qua de re in Actis S Bertini Sæculo inſequenti. Addit Johannes de Ipra ſeu Ipelius Abbas Sithivenſis in Chron. MS. quod ad annum 1295. perduxit, Audomarum in quodam Inſtrumento Caroli Magni conſanguineum ab ipſo Imperatore appellari.

CIRC. AN. DC. XVII. SEPT. IX.

plentes quod ſcriptum eſt, *Vade & vende omnia quæ habes & da pauperibus* (*veni ſequere me & habebis vitam æternam*; mundo mortui, Deo vivi; caduci inopes, perennibus locupletes; Deo ſubditi, diabolo rebelles; mente ſimile: ætate diſpares, ad Chriſti Militum perrexere Cœnobium quod famoſo nomin vocatur Luxovium, quódque à ſanctæ memoriæ Hibernenſe viro B. COLUM BANO Abbate in Burgundiæ regione in Dei nomine fuit fundatum. Sancto igi tur AUSTASIO Abbate qui tunc in prædicto Monaſterio ſanctæ atque beat Monachorum multitudini præerat, Audomarus cum ſuo unanimiter genitor religoſa manifeſtaverunt deſideria, ſequentes quod ſcriptum eſt: *Interroga pa trem tuum & adnuntiabit tibi, & majores tuos & dicent tibi.* Sanctus verò Auſtaſiu eos Dei amore flagrare cernens, & in B. Audomari vultu & verbis gratiar cognoſcens eſſe Divinam, ſalubre atque perfectum ſecundum ſacræ ſcriptur auctoritatem prædictis Dei famulis dedit conſilium, ſuadens videlicet utriſqu aliquando ſimul, aliquando ſeparatim, ut ſub Regulari diſciplina ſecum in D perſeverarent ſervitio. Ambo igitur Divino ardentes amore ſpiritalis Patris Au ſtaſij ſequentes conſilium, ſub ſacræ Regulæ jugum mente devota ſe ſubjecerun Beatus igitur Auſtaſius immenſo gaudio repletus, eos ſancto Monachorum con ſortio conjunxit. Dehinc S. Audomarus ſpiritali gratia plenus, ætate tene fide robuſtus, diſtricto regulæ rigori ſubditus, inter agium Monachorum popu lum fuit imbutus, omnibúſque Chriſti militibus in prædicto Monaſterio habi tantibus Divina ſuadente gratia amabilis fuit. Erat enim mente caſtus & cor pore, obedientia atque humilitate refertus, in Divina ſcientia eruditus, caritat & manſuetudine plenus, diſtrictis parcimoniæ caſtigatus jejuniis, prolixis no ctium pervigil excubiis, ſciens quod ſcriptum eſt: *Beati ſunt ſervi illi quos cùm venerit Dominus invenerit vigilantes.*

Deut. 32.

Religioſè vivit.

Luc. 12.

4. Dehinc B. Audomari fama per multa loca vulgata uſque ad DAGOBERT Francorum Regis noticiam pervenit: abſcondi enim non poteſt civitas ſupe montem poſita. Poſthæc multis intervenientibus annis à Reverentiſſimo præ dicto Principe Dagoberto, & ab omni Francorum populo vocatus, S. ACHARI Noviomenſe Epiſcopo opitulante, ad docendum atque ad gubernandum Terwa nenſis urbis populum Epiſcopalem cum magna mentis humilitate ſumpſit hono rem: in quo gradu verbum Divinum in corda credentium ſeminans, animarum corporúmque languores curans, captivos vinculatóſque redimens, viduarum inopúmque præ omnibus curam gerens, plebem ſibi à Domino creditam rit gubernabat. Prędictus igitur Terwanenſis populus licet ante adventum B. Au domari à ſociis DIONYSII martyris FUSCIANO videlicet & VICTORICO verbum audivit Divinum eodem tempore quo S. QUINTINUS in Ambianenſe prędicaba urbe; multi tamen adhuc ex ipſis Terwanenſibus cultui adhærebant idolorum Poſtquam enim duo beati viri prædicti Fuſcianus & Victoricus de prædict Terwanenſium urbe perrexerunt, & in Ambianenſium civitate martyrio coro nati ſunt; tunc Terwanenſes ad culturam iterum reverſi ſunt idolorum. Nor ſolùm enim hi qui nomen Domini antea recipere noluerunt, ſed etiam hi qui prędictis Patribus fuerunt baptizati, pari errore ducti idola colebant. Summu igitur prędictus Pontifex Audomarus eamdem ingreſſus urbem, ſalutifera Di vini verbi præcepta ſtolidis Paganorum cordibus tradidit, feráſque eorum men tes tetris ignorantiæ caliginibus cæcatas largo Evangelij lumine inluminavit vanáque ſimulcra deſtruenda igni tradidit, ſacrilegámque idolorum cultu ram in prędicta urbe funditus evertit, omnémque in ea habitantem populum ad Fidem convertit Catholicam, Divina ſibi ſuffragante gratia: Omni enim ope ranti bonum Deus cooperatur. *Si* enim, teſtante Apoſtolo, *Deus pro nobis, qui contra nos eſt?*

Epiſcopus Tarvennenſis factus, multos ad Fidem reducit.

NOTA.

Rom. 8. 31.

5. Poſtquam verò prædictam plebem ad veri Dei cultum prędatus Pontifex convertit, verbum Divinum concurrentibus ad eum undique prędicando tur bis, multóſque in Dei nomine variis liberando languoribus, magnarum ſibi ſigna

virtutum

virtutum largitio conceſſit Divina, de quibus nunc almigeris illius virtutibus ſubſequens ſermo Chriſto favente pauca depromere properat. Quadam verò die Audomarus egregius Chriſti Confeſſor in Bononia [a] urbe perſeverans, poſt nocturnas vigilias diluculo more ſolito ſurgens, in Eccleſiam intravit orare, ibíque prolixum æſtivi diei ſpatium verbum Dei circumſtantibus turbis prędicans. Miſſámque Chriſtiano populo cantans, ægrotis variis generibus morborum manus imponens, meridianis diei horis vitæ venerabilis ſenex laſſus ſeſe locavit ad lectum. Dehinc parvum pauſandi ſpatium volens ſuo indulgere multis laboribus fatigato corpuſculo, unus de circumſtantibus ipſius miniſtris juvenili ætate laſcivus acceſſit ad illum dicens: Domine, da mihi nunc tuam mecum habere licentiam, ad vicina pelago volo nunc pergere loca. Tunc ſenex juveni dixit coram turba petenti: Non habes licentiam, fili mi, adhuc pergere foras, nam tibi hîc meliùs reor exſpectare parumper, donec me ſoſpitem de ſomno ſurgere cernas. Prævidit enim providus ſpeculator ſui gregis prophetico plenus ſpiritu, erranti juveni quod eſſet malum abire. Tunc ſomno ſopitus feſſus ſic ſiluit ſenex. Aſt juvenis optimi ſpernens prędcepta patroni, ut mos eſt juvenibus juſſa ſic ſpernere ſenum; tunc rapidis greſſibus velox ad mare migravit. Tum parvam naviculam cernens in litore ſtantem, qua ſoliti fuerunt homines parvum tranſſcendere flumen quod accolæ nominant ipſis in partibus Elna * ; immemor at juvenis cæcatus amore ludi inconſultè actutùm ſolus aſſcendit in illam, ipſe volens ludere in hujus rivuli ripas. Aſt illum in pelagus rapuit vis valida venti. Tunc ſubitò ſurgens in ponto ſæva tempeſtas, ipſa navicula undis tumeſcentibus quaſſata, nec gubernacula nec gubernatorem habens, huc & illuc fluctibus errans natabat in mari, quod magno Britanniam gurgite ſecernit à Francis, quod ſæpe fortiſſimis merſis hîc navibus nocet. Aſt miſer nec propriam cernens, nec alteram terram, tunc illum pœnituit quod ſprevit verba patroni: mori ſeſe credidit ventis pugnantibus in undis, nec navis, nec juvenis poterat reſiſtere ponto. Tunc illum per merita Deus Audomari precantem trepidum Saxonicam * ilico deduxit ad terram. Tum iterum ſtupidus ignota cernens arva, raptores tremulus ſe denudare timebat, ſi ſolus diutiùs illic exſpectare tentâſſet.

CIRC AN. DC. LXVII. SEPT. IX.

[a] Diſcipuli periculum ſpiritu prophetico prævidet.

* Elne

* Anglicanam

6. Hinc notam confitens inobedientiæ culpam, lacrymis ubertim profuſis poſtulans opem, Audomarum tremula clamans tunc voce patronum, in Dominum fidens citò recurrit ad navem. Ilico Omnipotens ventum illi concedens aptum, miteſcere pelago jubens, antè tumenti navicula natans, rurſum per mare ſerenum actutum iterum ſalvus remeavit ad portum, de quo illum antea fortis rapuerat Eurus & prædictus rivulus Elna, ubi intravit in mare. Nauta ſurgens ilico notos agnoſcens agros, inlæſam linquens ſuam in litore navem, litoreas calcans rapidis greſſibus algas, multimodas agens gratias Omnipotenti, ad ſuum pœnitens rurſum recurrit patronum. In eo Epiſcopus adhuc moratus quo ſomno ſopitum antè reliquerat illum, mirâ omnipotentis Dei miſericordiâ in eiſdem horis celer ille reverſus eſt. Tunc proximans poſtibus aulæ ubi ſenex orabat, miſer multis vicibus citò proſtratus ad terram, humidis vultibus culpam confeſſus, cum fletu ſuſpirans, lacrymis veniam flagitabat profuſis. Tunc ſenex leniter inquit corripiens illum: Fili, tibi antea dixi quid eſſet venturum, quòd non te decuit hodie pergere foras, cur auſus es poſtea noſtrum contemnere verbum? Tunc tremulus juvenis ſuo reſpondit Patrono: Mea culpa, Domine, mea veraciter culpa, ignoſce miſero mihi per te à morte reducto. Tunc ipſe, ut diximus, ſua pericula narrans, quòd ſolus inter tumentes Oceani fluctus, intérque voraces circà ſcopulos currentium gurgitum æſtus in parva navicula, multa perpeſſus in ponto, nec mari ſe credidit vivum evadere poſſe, niſi illum miſellum huma-

Meritis ſuis cum naufragio liberat.

[a] Bononia al. Bolonia, *Bologne*, haud procul ab Oceano ad Elnam fluvium, Sedes Epiſcopalis Morinorum, uti & Tarvenna quondam, civitas ad Legiam fluviolum, à Carolo V. Imp. anno M. D. LIII. exciſa. Epiſcopus olim pro temporum occaſione in alterutra civitate ſedebat. Morinorum Sedes modò tripartita, Bononiæ, Audomaropoli & Ipræ attributa eſt.

CIRC. AN. DC. LXVII. SEPT. IX

nam desperantem opem Audomari meritis Deus liberâsset de morte. Tunc silere juvenem jussit sic sobrius senex, incautum discipulum humili reprimens mente: Nec hoc verbum, inquit, iterum foras ab ore depromas, nec ulli homini hæc de me dicere debes, quamdiu me videris hac brevi perfrui vita, ne zabulus superet nos jactantiæ culpâ; nec ab ore hominum quærere laudem, ne inanis gloria cor nostrum levet in altum. Hinc post hujus obitum cuncta per ordinem monstrans narravit discipulus ille qui passus est in undis [a].

a

Adjutores tres recipit.

7. Post hoc non multo temporis intervallo ad B. Audomarum de prædicta Constantinense regione tres unâ cum mente viri MUMMOLINUS, EBERTRAMNUS [b] sanctúsque BERTINUS pariter venerunt, relinquentes etiam secundum Domini præceptum parentes, patriam, omnésque propinquos. Sanctus verò Audomarus prædictos Dei famulos gratificè recepit, immensásque omnipotenti Domino gratias agens qui tales sibi ad prædicandum Evangelium adjutores deduxit. Erant enim præfati viri in Fide perfecti Catholica, & in Ecclesiasticis disciplinis atque in divina Scriptura eruditi.

b

Monasterium constituit.

8. Parvo posthæc temporis spatio transacto S. Audomarus cum prædictis beatis viris Divina sibi stimulante gratia Monasterium cogitavit in Dei fundare nomine: ad habitandum enim Monachis Divina sibi largiente misericordia locum habebat aptum. Erat enim quidam vir potens ADROWALDUS nomine, in divitiis hujus sæculi vanis valde dives, quem B. Audomarus de errore gentilitatis ad Fidem convertit Catholicam, quémque cum omni sua baptizavit familia. Adrowaldus verò prudenti consilio fallaces divitias præsentis sæculi spernens, nec ullum habens filium, magnam suæ hereditatis partem cum omni sua multiplici substantia Deo & beato obtulit Audomaro, villam videlicet quæ noto nomine vocatur *Sithiu*. Beatus verò Audomarus in prædicta villa ante adventum prædictorum virorum Ecclesiam ædificavit in eo etiam loco, in quo suum pausat in pace corpusculum. Postquam ergo præfati Dei famuli ad eum pervenerunt, concessit illis ut Monachorum habitaculum ædificarent, ubicumque illis in prædicta placuisset villa. Sancti igitur viri Mummolinus [c] atque Bertinus cum ceteris eorum in Christo sociis Monasterium ædificare in quodam cœperunt loco, quod usque hodie VETUS vocatur MONASTERIUM [d]: sed in eo loco paucis morantes annis, Divina eis suadente gratia alium voluerunt eligere locum.

c

Vetus Monasterium.

d

Sithivense.

9. Beati igitur viri in Domini confidentes misericordia, perfectum invenerunt consilium, protinus enim in navem ascendentes sine gubernatore & remigio, ac sine ulla cibi & potûs cura huc atque illuc spatioso stagno adhærente prædicto eorum habitaculo navigantes, omnipotentem rogabant Dominum, ut ad locum quem sua illis præparavit misericordia eos deduceret inlæsos, dicentes invicem, quòd non ascensuri essent de prædicto stagno, nisi quando navicula eorum aptum tenendo portum contigisset illis secundum ordinem Psalterij subsequentem cantare versiculum: *Hæc requies mea in sæculum sæculi, hîc habitabo quoniam elegi eam.* Misericors igitur Dominus qui suis ubique præsens est famulis, propè est enim Dominus invocantibus eum, navem in qua beati fuerunt prædicti viri post aliquod prævisum sibi spatium ilico deduxit ad terram. Tunc etiam illi prædictum canentes versiculum sine mora navem relinquentes læti intraverunt in terram, cognoscentes etiam locum illum à Domino ipsis traditum.

a Posthæc in apographo Fulienſium Pariſienſium recitatur tentatio carnis, quam S. Audomarus *exemplo S.* BENEDICTI urticarum & ſpinarum aculeis ſuperâſſe dicitur.

b Ebertramnus fuit poſtea Abbas Monaſterij S. Quintini apud Auguſtam Veromandorum, de aliis infrà.

c *Adroaldus* (ſcribit Iperius) *voluit donationem ſuam Litterarum atteſtatione firmari, ut futuris temporibus validior permaneret. Sic ergo ea incipit*: DOMINIS SANCTIS PATRIBUS BERTINO, MUMMELINO, &c *Facta donatio* VIII. *Id. Septemb. anno* XI. *regni domini noſtri* CHLODOVEI *Regis, Actum in Sithiu villa dominica.* Et tamen apud Miræum Donat. piar. cap. 3. legituri, *Actum Aſcio villa dominica.* Annus XI. Chlodovei anno Chriſti DC. XLVIII. reſponder.

d Surius legit *Vetus Templum.* Iperius, *Inſtu*, inquit, *B. Audomari tres viri ſancti prædicti Eccleſiolam conſtruxerunt & Cellam in territorio ejuſdem villa, in loco qui adhuc & propter hoc Vetus vocatur Monaſterium ſuper fluvium Agniona anno 626.* (lege anno circa DC. XLIX.) *In eo loco ſupradicti viri Sancti quaſi in Eremitorio fecerunt cum conventiculo parvo conſtructi annis* 14. &c.

Dehinc B. Audomaro pio eorum Patre favente Monaſterium nomine *Sithiu* [a] prædictâ villâ nominatum ſuper Agnionam fluvium in Dei nomine ædificare cœperunt. Confluentibúſque undique religioſis viris ad prædictos Dei famulos B. Audomarus MUMMOLINUM multitudini præpoſuit Monachorum, ſed non multo poſthæc temporis intervallo, præfatus venerabilis Abbas Mummolinus ad Noviomenſis urbis Epiſcopatum Divina largiente gratia provectus eſt, & per viginti & ſex [b] annos prædictæ civitatis populum à Domino ſibi creditum ritè gubernavit.

CIRC. AN. DC. LXVII. SEPT. IX.

a Sithivenſi præficitur Mummolinus poſtea Epiſcopus.

b

10. Glorioſus igitur Pontifex Audomarus poſt Mummolinum in prædicto Monaſterio ſancto Monachorum choro beatum præpoſuit Bertinum [c], ſanctis enim Fratribus in eodem loco ſub ſtrictę Regulę rigore Deo ſervientibus dilectus atque amabilis beatus fuit Bertinus. Erat enim vir venerabilis, in Divinis rebus prudens & providus gregis ſui Paſtor, in malis verò ſimplex & innocens ſecundum Domini præceptum: *Eſtote prudentes ſicut ſerpentes, & ſimplices ſicut columbæ.*

Bertinus ſuccedit.

c

Matth. 10. 16.

11. Poſthæc verò multis intervenientibus annis B. Audomarus carnales amittens oculos temporali privatus eſt lumine, ut perpetua luce inluminatus in Dominum ſemper adſpiceret, ſicut B. David dicit: *Oculi mei ſemper ad Dominum:* & idem dicit, *Ad te levavi oculos meos qui habitas in cælis.* Per amiſſionem verò carnalium oculorum ſpiritali lumine repletus, populum à Domino ſibi creditum eodem regebat ordine [d].

Audómarus ſit cæcus.

Pſal. 14. 15.

Pſal. 122. 1.

d

12. Poſthæc verò paucis intervenientibus annis cùm prædictus venerabilis vitæ ſenex Audomarus nimio febris ardore fuiſſet fatigatus, cúmque diem obitûs ſui adfuiſſe cognoviſſet, eodem die de lectulo in quo jacebat ſurrexit, atque in Eccleſiam ingreſſus pronus coram altare cum lacrymis Dominum pro ſe & pro circumſtante eum oravit populo: Corpus verò Chriſti & Sanguinem communicando turbíſque ſe circumdantibus prædicando, oculis in cælum elevatis, tremulíſque manibus quatiente febre atque ſenectute extenſis, ſuos devota mente benedixit diſcipulos dicens: Immenſam omnipotentis Domini precor clementiam, ut vos filioli mei in regno Dei merear videre felices. His verò omnibus in eodem die ritè peractis, ad ſuum iterum reverſus eſt lectulum, atque in eodem jacens toto corpore ſolito more extenſo, vultúque ſereno, anima ſui ſancti Confeſſoris Angelorum agminibus circumdata ad omnipotentem egreſſa eſt Dominum [e]. Hi verò qui in eadem hora in ea domo præſentes fuerunt, teſtati ſunt, quòd talis eorum nares & ora intravit odor, quaſi illa domus omnibus aromatibus fuiſſet plena, ſicut ſæpe in aliorum Sanctorum exitu contigit. Pretioſa eſt enim in conſpectu Domini mors Sanctorum ejus.

Viatico percepto moritur.

e

13. Prædictus verò venerabilis Abbas Bertinus Divina ſibi gratia revelante ſtatim ad locum ubi venerabilis ſenex obiit cum ſuis pergendo Monachis, ſacrum B. Audomari corpus cum pſalmis & hymnis & canticis ad locum ſepulturæ deduxit, eúmque in prædicta Eccleſia quam ille B. Pontifex in *Sithiu* ædificavit

In Monaſterio Sithivenſi ſepelitur.

a Monaſterium Sithivenſe, aliàs Ulterenſe dictum à fluvio Ultro (qui & Agnio, Agniona, Enneno, nunc *Aa* vocatur) modò S. Bertini appellatur, vel ipſo nomine celeberrimum, de quo in Actis S. Bertini fuſiùs agemus.

b Nempe poſt Eligium, qui cùm Chlodovei II. anno tertio, Chriſti DC. XL. ordinatus ſit Epiſcopus, præfuerítque Eccleſiæ Noviomagenſi & Tornacenſi annis decem ac novem, anno DC. LIX. locum fecit Mummoleno, qui ob equum ſancti viri ſubreptum Abbati Baſilicæ S. Eligij correptus dicitur in Vita ipſius Eligij lib. 2. cap. 44. ubi S. Audoënus Mummolenum *virum Apoſtolicum* vocat. Deceſſit proinde Mummolenus anno DC. LXXXIV. die 16. Octob. quo die in Martyrologiis Benedictino & Gallicano celebratur. Ejus corpus in Majori Eccleſia Noviomagenſi, pars capitis in Monaſterio Sithivenſi adſervantur. In ejus Actis Mſſ. nihil præter iſta occurrit, niſi quòd à Chlothario Chlodovei filio promotus ad Epiſcopatum legitur.

c Et tamen Bertino primum locum in catalogo Abbatum Sithivenſium tribuit Iperius, Mummolino prorſus expuncto.

d In Vita S. Vedaſti Alcuinus ſcribit, Audomarum S. Vedaſti Tranſlationi interfuiſſe: *in qua Tranſlatione*, inquit, *perhibetur B. Audomarus lumen recepiſſe oculorum, ſed ilico precibus eamdem quam ultroneus ferebat reimpetráſſe cæcitatem.* Quod etiam Fulbertus in Actis S. Autberti teſtatur.

e Nimirum *in villa Vvauvrantis* (*Vvauvrant*) quæ à *Sithiu tribus fere diſtat millibus*, inquit Iperius, quo in loco S. Auſtreberta velum ab ipſo Audomaro accepiſſe dicitur.

CIRC. AN. DC. LXVII. SEPT. IX.

cum immenſo circumſtantis populi ſepelierunt luctu [a]. Sanctus enim Audomarus beato prædixit Bertino cunctíſque Fratribus tempore illo Domino in *Sithiu* ſervientibus, ut quando ei mors incerta extremæ contigiſſet horæ, in prædicto loco ſuum ſepelirent corpuſculum. Parvo igitur temporis intervallo poſtquam corpus venerabilis viri in prædicto loco fuit ſepultum, juxta ſepulcrum ejus expendente deſuper lampade Divino lumine repleta, per prolixa annorum ſpatia lucifluum ſtillabat oleum. In hoc verò Divinam clementiam diligenter intuentibus apparet, quantam in conſpectu æterni Regis beatus ſuus Confeſſor Audomarus gloriam habet: cùm juxta ſuum venerabile ſepulcrum glorioſa ſæpe hucuſque oſtendit ſigna. Multi enim variis languoribus fatigati cùm ad B. Audomari tumulum perveniunt, Divina largiente gratia ſubitam recipiunt ſanitatem. Omnipotens enim Dominus non ſolùm glorioſas per ſuos famulos perficit virtutes dum hac utuntur vita, ſed poſt felicem eorum obitum, ſignis ac virtutibus in diverſis mundi partibus eos glorificare non ceſſat, ſicut per prædictum agium ſuum Confeſſorem Audomarum multas poſt obitum ſuum fecit virtutes, quas favente Domino ſubſequente narrabimus ſermone.

a Interpolator ita ſcribit: *Tranſlatum eſt autem corpus ejus à Reverentiſſimo Abbate Bertino ac choro Monachorum & ſepultum cum gloria in Monaſterio* Sithiu, *in Baſilica quam ipſe præclarus Pontifex in honore ſanctæ Dei Genitricis Mariæ ad tumulanda Monachorum corpora conſtruxerat.* Lege Vitam S. Bertini. Iperius in Chron. cap. II. §. I. ſcribit Fridogiſum Abbatem ſæcularem Sithivenſis Monaſterij *in Capella ſanctæ Dei Genitricis, quam B. Audomarus ad ſepeliendos Monachos dedicaverat, expulſis quadraginta Monachis triginta Canonicos ſæculares inſtituiſſe.* Nunc eſt Eccleſia Cathedralis Audomaropolitana.

Oleum ex lampade fluit.

14. Parvo igitur poſt B. Audomari obitum ſpatio tranſacto, quidam vir avaritiæ æſtibus accenſus, praviſque (ut fertur) moribus plenus ad ſuum acceſſit compatrem, poſtulans ab eo ut unum ſibi argenteum uſque ad ſtatutum tempus accommodaret ſolidum, per ſuam etiam ſubdolam teſtando fidem quòd ſtatuto ad eum tempore iterum redditurus eſſet. Alter verò ſimplici animo ſuum credendo compatrem, argentum callido precanti præſtitit amico. Paucis verò tranſactis ſtatuto ad eum venit tempore dicens: Redde mihi meum quod tibi accommodavi argentum, ſtatutum enim tempus tuæ promiſſionis advenit. Tunc fallax amicus torvis eum intuens oculis, aſperíſque cum eo loquendo verbis, audaci animo juravit negando, quòd numquam ab eo ullum accepiſſet ſcriptulum. Tunc ille qui prædictum accommodavit ſolidum, recta reſpondit ratione dicens: Pergamus ſimul uſque ad B. Confeſſoris Chriſti Audomari venerabile ſepulcrum, ut tu mihi ibidem per glorioſa ejuſdem Pontificis merita jurando confirmes, quod hîc negare conaris. Tunc ille miſer mortalis lucri amore cæcatus & à principe mendaci diabolo etiam confortatus qui mendax fuit ab initio & in veritate non ſtetit, veſano animo ad B. Audomari iturus Baſilicam iter arripuit, paratus etiam in ſua perſeverando nequitia perjurium perficere. Tunc ambo aſperis inter ſe loquentes verbis, per unam commeando viam ad venerabilem B. Audomari Baſilicam, eam cernendo adproximabant. Tunc ille qui ſolidum requirebat, ad ſuum ait compatrem: Quid nobis eſt neceſſe ad B. Audomari propiùs accedere Baſilicam? Deus enim ubique præſens eſt, jura mihi in iſto loco in quo ſtamus per B. Audomari merita, quòd accommodatum à me non accepiſti ſolidum. Tunc ille iniquus extendens manus, linguámque ad proferendum perjurium movens, oculóſque ad Baſilicam B. Audomari elevans, ſubitò ultione percuſſus Divinâ pronus ad terram cecidit, oculíque in eodem crepuerunt momento: & poſthæc duobus tamen diebus vitâ ſibi conceſſâ ad terrendos videlicet alios qui eum in tali anguſtia viderunt, die tertia miſerrima defunctus eſt morte.

Pejerans ad ejus Baſilicam expirat.

Crux ab eo erecta fulgore & miraculis illuſtratur.

15. Eſt ergo aliud miraculum quod per B. Audomari merita factum fuiſſe non dubitatur, quodque uſque ad præſentem diem Divina operante potentia certis declaratur indiciis. Quadam forte die dum de Terwanenſi urbe advicina pergeret loca, cúmque meridianis diei horis parvum pauſandi ſpatium ſuo voluiſſet indulgere corpuſculo, ſub quadam jacuit arbore non longè à villa quæ

Orneacus vocatur. Dum verò vir venerabilis evigilâſſet, ligneam ſtatim dolavit crucem, & eam in prædicta ſub qua jacuit arbore fixit; in ſequenti verò nocte in eodem loco in quo agius Chriſti Confeſſor jacuit, immenſum apparuit lumen: omnéſque in illius loci circuitu habitantes, hoc videntes miraculum dicebant: Hic etiam locus idcirco tali nunc lumine fulget, quia ex B. Audomaro in precedente die ibidem paulliſper pauſante fuit conſecratus atque benedictus[a]. Et uſque ad præſentem diem multi infirmi in eodem loco ſanitatem recipiunt, largiente Domino noſtro JESU-CHRISTO, cui eſt honor & gloria cum Patre & Spiritu-ſancto per æterna ſæcula. Amen. CIRC. AN DC. LXVII SEPT. IX.

[a] Interpolator alia refert S. Audomari miracula, de reo prope Baſilicâ in qua S. Audomarus jacebat, ejuſdē S. meritis ſoluto: de quodam vineæ Sithivenſis prædatore punito & ſanato: de puero è putei lapſu reducto incolumi. Aliis omiſſis ſic Vitam concludit: *Rexit autem Eccleſiam per ſpatia triginta annorum, atque his expletis, ultimâ depoſitionis horâ, circumſtante flentium diſcipulorum multitudine*, v. *Idus Septemb. plenus Spiritu-ſancto migravit ad Chriſtum: cujus corpus tranſlatum eſt* (ideſt delatum) *à S. Bertino, & ſepultum in Monaſterio* Sithiu, *regnante* &c. Proinde S. Audomari ordinationem ad annum circà DC. XLVII. qui Dagoberti pænultimus fuit, mortem verò anno circà DC. LXVII. collocamus. Hinc intelligas Audomarum Abbatis nomine Concilio Rotomagenſi ſub Anſberto non ſubſcripſiſſe, ut quidam poſt Baronium aiunt. Audomarus Vvandregiſilum Sacerdotio, Auſtrebertam & Vvaldetrudem velo conſecrâſſe in propriis iſtorum Sanctorum Actis dicitur. Commendatur in ſincero Uſuardi Martyrologio v. Id. Septemb. his verbis: *In territorio Tarvennenſi S.* AUTMARI *Epiſc. & Conf.* Et apud Adonem: *Natalis S. Audomari Tarvvannenſis Epiſcopi, cujus glorioſa converſatio miraculorum præconio conlaudatur.* Corpus ejus in Eccleſia Sithivenſis Monaſterij habetur præter caput & oſſa quædam, quæ in B. Mariæ Eccleſia Audomaripolatana ſervantur. De ejus variis Tranſlationibus ad Vitam S. Bertini agemus ſæculo inſequenti.

VITA S. IVDOCI PRESBYTERI ET CONFESSORIS.

CIRC. AN. DC. LXVIII. DEC. XIII.

Auctore anonymo qui ſæculo VIII. ſcripſiſſe videtur.

Ex codice Monaſt. Gemeticenſis ante annos 700. manu deſcripto.

OBSERVATIONES PRÆVIÆ.

1. LEGIMVS S. JUDOCI* *ſeu* JODOCI *Vitas tres, quarum primam hic exhibemus, alteram à* FLORENTIO *Abbate ſcriptam Surius ad diem* XIII. *Decemb. retulit, tertiam ab anonymo Monacho Iudocenſi ſcriptam è Cœnobio ipſo Iudocenſi accepimus. His duabus pratulimus ſequentem, utpote antiquiorem, quæ exſtat in elegantiſſimo Cod. Gemeticenſi ante annos ſeptingentos exarata cum hac inſcriptione:* Vita S. JUDOCI Sacerdotis. *Vita Auctor ignotus** *in prologo ſuo dicit ſe* ſecundum narrationum exempla *à Monachis Iudocenſibus accepta hoc ſcripſiſſe opuſculum, quod* FLORENTIUS *ejuſdem Monaſterij Abbas anno* M. XV. *pra oculis habuit, ut ex his ipſius verbis colligimus.* Hæc de libro Vitæ ac Geſtorum B. Judoci breviter excerpſimus, ut vobis qui ejus eſtis peregrini & confratres ejúſque ſub patrocinio degentes, aliquo modo ſatisfaceremus. *Eodem tempore vivebat tertia Vitæ Auctor. Nam in Hiſtoria de Inventione Corporis S. Iudoci, loquens de* ROBERTO *Rege ait:* Cujus adhuc imperium viget vigeátque optatò multos, Deo concedente, per annos. *Sic verò S. Iudoci Vitam orditur.* Dominis & Patribus ſub patrocinio S. JUDOCI conſiſtentibus veſter benivolus, nomine tacendus, Regi regum ſic militare, ut ſit dignum triumphantes coronare. *Ex ſecunda & tertia Vita ea dumtaxat quæ peculiaria videntur referemus.*

* *S. toſſe* Vitæ Scriptores.

* *An fortè Alcuinus? qui S. Iudoci Monaſterio præfuit.*

2. *Ex vetuſtis Martyrologiorum Scriptoribus unus Vvandalbertus Idib. Decemb. B. Iudoci ita meminit:*

> . . . JUDOCH pariter coleríſque Sacerdos
> Egregie, Oceani cedunt cui ſæpe procellæ.

Presbyter fuit Iudocus, at non Abbas, ſed Eremita ſeu Anachoreta cum uno aut altero ſocio degens in ſolitudine, ubi Oratorio duplici ac Cellâ ædificatis Monaſterium exiguum, Alcuino Cella maritima *dictum, poſtea Abbatia accrevit Ordini Benedictino etiamnunc ſubjecta: quam* Wicum *aliquando Alcuinus, (unde fortaſſe Quentovvico* * *nomen, quòd Quantiæ fluvio & Vvico proximus ſit) *aliquando* Crucis Monaſterium *infrà in Notis ad num.* 13. *antiqui appellaverunt. Idem Alcuinus in Prologo Vitæ S. Villibrordi agens de* Wilgiſo *ejus patre*, cujus corpus, S. Judoci Cella.

* *Quentavvic portus.* Alcuino commiſſa,

CIRC. AN. DC. LXVIII. DEC. XIII.

inquit, requieſcit in Cellula quadam maritima : cui ego, indignus licet, legitima Deo donante ſucceſſione deſervio. *Et in carmine ſeu elegia de ipſo Vvilgiſo :*

Corpus in Eccleſia curârunt condere Fratres,
Quæ conſtructa maris ſtat prope litoribus :
Atque ſacrata Dei Genitrix clariſſima Chriſti
Nomine fulgeſcit Virgo MARIA tuo.

ac Monaſterio Ferrarienſi.

3. *Eadem Cella Lupo Ferrarienſis Monaſterii Abbati commiſſa fuit quondam, quod ex variis ejus epiſtolis à V. C. Stephano Baluzio nuper recognitis & illuſtratis apparet.* Religioſiſſimus Imperator Hludovicus, *inquit Epiſt. 71. ad Carolum Calvum*, ad petitionem gloriosiſſimæ memoriæ Judith Auguſtæ matris veſtræ Cellam S. Judoci Monaſterio Ferrarienſi contulit & ſuum donum præcepto firmavit, ut & Monachi abſque inopia in Monaſterio Deo ſervirent, & in præfata Cella hoſpitalitatem juxta Dei timorem peregrinis impenderent. *Et in Epiſt. 43.* Inde cera Eccleſiæ, Fratribus & famulis veſtimenta, piſces, caſeus & legumina miniſtrabantur. *De Regula Monaſtica à B. Judoco ſervata nihil certi pronuntiandum occurrit.*

PROLOGUS AUCTORIS.

1. NOBILISSIMIS Eccleſiæ Dei filiis, dulciſſimiſque in Chriſti caritate Fratribus, egregii Patris JUDOCI Monaſterio conſiſtentibus, laus Dei gloriosa & ſalus à Domino multiplicetur æterna. Petitionem quidem veſtram, Fratres, minimè denegare volens, quâ me Vitam vel Actus B. Judoci Sacerdotis ſecundum narrationum veſtrarum exempla ſcribere rogaſtis, hoc opus omnem parvitatis meæ ſenſum exſuperans valde trepidus adgredior, pertractans videlicet, quo jure, cùm ſim tardus eloquio, præclaras tanti viri virtutes explanare incipiam. Sedenim cùm inclyta ſanctorum Patrum geſta recolimus, eorum nos proculdubio tuitione muniri confidimus. Idcirco etiam egregia hujus ſancti Patris merita devotione communi precari dignum ducimus, quatinus ejus obtentu ruſticitatis noſtræ ſermo ſuffultus, quanto longiùs ad illius explanandas fuerit porrectus virtutes, tanto utique leviùs faciliúſque in actuum bonorum ejus textum roboratus incedat. Quod eodem Sancto ſuo impetrante ipſe præſtare utinam dignetur Dominus noſter JESUS-CHRISTUS, cui eſt cum Patre & Spiritu-ſancto gloria & imperium, honor & poteſtas per immortalia ſæcula ſæculorum, Amen.

INCIPIT VITA.

Judocus regnum ſibi à Judicaële fratre oblatum reſpuit.

2. REverentiſſimus enim Dei famulus JUDOCUS nomine, ex Regia Britonum natione oriundus fuit : cujus Pater JUTHAËL Regnum eadem in gente temporibus vitæ ſuæ tenens, filio ſuo JUDICAËL, fratri videlicet B. Judoci, regni gubernacula dereliquit poſt obitum. Sed idem Judichail cùm regnare cœpiſſet, poſt aliquod tempus comam capitis radens clericatus eſt : quæ tamen devotionis ejus tonſura non multo tempore in illo manſit. Nam fertur quòd poſthac crinem ſibi creſcere dimiſiſſet, & ad laïcum revertiſſet habitum. Dum itaque hujuſmodi jure Regnum teneret, poſt aliquantos annos cœpit pœnitere de propriis actibus ac tali ad ſæculum reverſione. Sícque factum eſt, ut ad quemdam Dei ſervum nomine CAROTH veniens, conſilium ab eo de hac re devotus quæreret. Qui mox ſaluberrimis eum monitis hortatus eſt Regnum dimittere ſæculare, ſibíque fratrem eſſe JUDOCUM nomine, qui illud regere bene poſſet indicavit. Decretum eſt igitur à præfato Rege Judicail[a], ut frater ejus

a Judicaïl, teſte Fredegario in Chron. cap. 78. Dagobertum in Clippiaco villa commorantem adiit *anno* XIV. *regni Dagoberti*, Chriſti DC. XXXVI. ut quæ Britones malè admiſerant emendaret : *ibique veniam petens, ſe & Regnum ſubjectum ditioni* DAGOBERTI *& Francorum Regibus eſſe promiſit. Cum Dagoberto ad prandium diſcumbere noluit, eoquòd eſſet Judicaïl religioſus & timens Deum valde : ad manſionem* DADONIS *Referendarii, quem cognoverat ſancta religionis ſectantem, acceſſit ad prandium. Indéque in craſtino Dagoberto valedicens, in Britanniam repedavit, condignè tamen à Dagoberto muneribus honoratus.* Is mundanarum rerum pertæſus, Judoco fratri Regnum volens reſignare, cùm fratri id perſuadere non valuiſſet, ſeceſſum petivit in Monaſterium S. Johannis de Gaëlo, nunc S. Mevennii, à ſe (ut aiunt) condito, nuper à ſæcularibus Clericis occupato : ibíque piè vitam clauſit, & locum in Martyrologiis Benedictino & Gallicano XVII. Kal. Januarii habere meruit.

Judocus regnum ſuſcipere deberet idem. Sed hoc benedictus Domini Judocus minimè aſſentiens inducias octo dierum popoſcit, aliud ſcilicet interim magis eligere diſponens. CIRC. AN. DC. LXVIII. DEC. XIII.

3. Itaque dum hæc agerentur, quadam die Judocus præ foribus Monaſterii quod *Lanmailmon* nominatur, ubi litteras didicerat, adſtans, vidit quoſdam undecim iter agentes. Quos cùm interrogaret quò tenderent greſſum, reſpondentes dixerunt ſe Romam pergere velle. Quo audito Judocus adhuc laïcus abſque ulla dilatione baculum tantùm ac tabulam manu arripiens ſecutus eſt eos, & viam pariter carpebant unam. Pergentibus autem eis ventum eſt ad fluvium quemdam qui dicitur *Coſmun**: quo citiùs tranſito eumdem virum Dei Judocum attondentes Clericum fecerunt. Quod cùm feciſſent, promoventes inde venerunt ad civitatem quæ dicitur Abrincatis*, & ibi manſerunt. Inde progreſſi venerunt ad Carnotum* civitatem: atque deinde mox cum feſtinatione gradientes profecti ſunt ad civitatem Pariſius, qua tunc temporis ſedes habebatur Regia. Et cùm per aliquot ibidem fuiſſent dies, egreſſi ex ea reflexo jam itineris calle, Ambianenſium* protinus greſſum dirigebant ad urbem. A qua iterùm poſt tempus aliquod egreſſi, ad plagam Aquilonalem faciem convertunt, ac ducente itineris calle, veniunt jam ad flumen quoddam cui nomen eſt Alteïa *, in loco qui nuncupatur Villa S. Petri. Sicque in pago Pontivo* morantes, venerunt ad Ducem quemdam illic reſidentem, virum nobilem nomine HAYMONEM, à quo ſtatim benigna ſunt mentis devotione ſuſcepti. Quos ille triduo ſecum retentans, conſolationis gratiâ refovebat.

In Pontivum ſe recipit.

* *Coueſnon* in finibus Armoricæ & Normanniæ.

* *Abrincatis*, urbs Epiſc. in Normannia.

* *Chartres*, in Belſia.

* *Amiens*, in Picardia

* *Authie*

* *le Ponthieu*

4. Poſtea verò conſiderans Haymo præfatus Dux Judocum juvenem elegantem, proſpexit in illo quoddam ſupernæ gratiæ munus inoleſcere, boniſque ſimul moribus fore imbutum. Illico enim tunc vir Domini Jodocus juvenili adhuc florens ætate, ceteros undecim pia præcellens religione, eïſque laudabilior habebatur. Videns itaque Haymo certiùs hoc ita ſe habere, Divino inſpiratus nutu juvenem Judocum ſecum retinuit, ceteros cum benedictione* permittens: atque eum non poſt multos dies Eccleſiaſticis gradibus ſublimari fecit, quoadusque in ejus Capella Preſbyter ordinatus eſt, in qua ſeptem annis Sacerdotali functus eſt officio. Interea Duce eodem rogante filium ejus beatus vir Dei Jodocus ex ſacroſancto Baptiſmatis fonte excepit, & impoſitum eſt ei nomen URSINUS.

Haymone Duce, promovente Sacerdos efficitur.

* *ſupple* abire

5. Expleto denique ſeptem annorum curriculo iſdem vir ſanctus majore jam ſuperni amoris tædio compunctus, hujuſmodi converſationem relinquere, atque ſecretiori loco vitam ducere deſiderabat. Accedens igitur ad Haymonem, devota mentis ſupplicatione poſtulabat, ut ſibi licentia ad ſerviendum liberiùs Deo daretur: quatinus ſecretior ei locus eſſet ad inhabitandum, ubi pro ſe & ſuis omnibus orare quieto potuiſſet ordine. Huic protinus voluntati aſſenſum Haymone præbente, veniunt pariter ad locum qui dicitur *Brahic*[a], qui locus ejuſdem fluminis Alteïæ rivulis undique circumdatus luculentus habetur. Hunc ergo locellum conſiderantes, B. Judocus habitationem ſibi illic conſtruere congruam commodum duxit.

Secretum petit locum.

a

6. Ædificatâ verò ibi Eccleſiâ ſimul & domunculâ, jam quædam miraculorum ſigna, Domino largiente qui Sanctos ſuos mirificat, fieri incipiebant. Fertur namque quòd idem vir Dei volucres ibidem diverſi generis, piſculos etiam manu ſua velut manſuetiſſima pecora paſcere conſueviſſet. Quæ videlicet aviculæ & piſculi more ſolito de manu eſcam viri Dei ſumere veniebant, & iterum abibant ad inſtar columbarum.

Piſces & aves familiares habet.

[a] Jacobus Malbrancus in lib. 3. de Morinis cap. 23. cenſet nomen *Brahic* hodierno vico *la Broye* convenire, ubi Prioratus Bicuricus. Membranæ Judocenſes ſcribunt *Radic*, quemidem Auctor putat eſſe vicum *Ray* hodie appellatum, primamque Jodoci ſedem antequam *Brahic* ſe reciperet. Verùm proclivi amanuenſium errore nomen *Brahic*, quod vetuſtiſſimi & integerrimi codices retinent, credimus permutatum in *Radic*, vulgò *Ray* poſtea dictum, quo in loco etiamnunc extat Prioratus Monaſterio Judocenſi ſubjectus.

CIRC. AN. DC. LXVIII. DEC. XIII. Misericordia ejus in pauperes.

7. Nec est etiam illud silentio prætereundum quod in ipsis diebus factum qui eum bene noverunt asserebant. Dum isdem Athleta Christi Judocus cum discipulo suo VVRMARIO solus in eadem cellula degeret, contigit quadam die, ut unus eis solummodo panis remaneret ad victum necessarium. Factum est autem orante eo in Ecclesia, in qua Domino sollers vota precibus commendabat, quidam pauper januam pulsans alimoniam peteret sibi dari. Quo audito vir bonus misericordiâ plenus ait ad discipulum suum: Quantum, inquiens, superest nobis de pane? Qui respondens ait: Unum, domine Pater mi, habemus paximatum ad victum dumtaxat percipere hodiernum. At ille: Sume, inquit, hoc ipsum, & eum in duas divide sectiones, unam ex his repartiens da illi qui vociferat inopi. Quod dum factum fuisset, non post multum temporis intervallum alius venit eleëmosynam similiter quærens: cui mox alius panis quadrans jussus est dari. Et posthoc, spatio quasi horæ unius transacto tertius à longè adspicitur venire pauper: huic quoque famulus Christi Judocus tribuere tertium jubet quadrantem. Quod Vurmarius molestè ferens aïebat: Medietate jam panis distributa, non vis ut saltem reliqua servetur? Quem Pater exhortans; Non, inquit, sollicitus sis, fili, de cibo & potu. Memento promissionis ejus qui dixit: *Date & dabitur vobis*. Et huic cùm datus esset panis, vix inde recesserat, & egenus accessit quartus ad comprobandum videlicet Sacerdotis Dei pietatis officium. Illo itaque pulsante ad ostium, electus Christi miles Judocus; Porrige, ait Vvrmario, & isti quod reliquum est de pane. Qui animo commotus amaro; Vis, inquit, mi Pater ut nihil nobis remaneat cibi, & ambo pariter fame pereamus? Cui venerabilis Pater Judocus respondisse fertur; Nolo, fili mi, nolo ut ex hoc aliqua in animo tuo generetur molestia: magis huic egenti porrige illud quod remanserit de pane, æquo esto animo, nullatenus etiam turberis: adhuc enim hodie omnium bonorum Largitor potens est hæc restituere nobis, tunc demum Wrmarius hac fide roboratus quod residuum erat de pane vociferanti dedit egeno.

Luc. 6. 38.

Divinitus remuneratur.

8. Denique B. Pater Judocus vix unum exhortationis compleverat sermonem, & ecce quatuor naviculæ copiâ cibi & potûs onustæ per suprascripti fluminis rivulos trahebantur, quas omnipotentis Dei dispensatio per fideles sibi dispensatores ministrabat. Siquidem in vicinis locis illius boni hominès habitantes, eidem servo Domini sæpe ad miraculum in rebus necessariis præbere solebant. Sed hoc nimirum magnâ Dei clementiâ provisum est, ut dum vir Domini nihil de cibo sollicitus crastino, totum victum suum quatuor diviserat pauperibus, ei nulla impediente mora quatuor carinæ cibo potúque mitterentur plenæ.

Sedem iterum mutat.

9. In hoc itaque loco vitam sanctam octo annorum curriculo vertente spatiolum ducebat B. Judocus. At verò jam invidus totius humani generis felicitati impiúsque tentator insidiabatur illi, cupiens ejus animum diversis affligere curis. Cùm autem die quadam vir venerabilis Haymo more solito ad eum visitandi gratiâ veniisset, rogatus est à servo Domini cum omni diligentia, ut alium sibi ad inhabitandum provideret locum, ob nimiam videlicet malignorum spirituum infestationem habitationem illam deserere volens. Cui Dux præfatus blando loquitur sermone: Est, inquiens, super aliud flumen quod Quantia * dicitur, locus habitationi tuæ forsitan aptior qui vocatur Runiacus [a]. Illuc ergo properantes consideremus pariter quem magis eligere velis. Venerunt igitur ad præfatum locum, qui ejus habitatione mox dignior repertus est: & ædificato Oratorio in honore S. Martini Confessoris magni atque Pontificis XIII. annis ibidem degens duxit solitariam vitam.

**la Canche*

a

Aquilæ imperat.

10. Eodem tempore Pater sanctus gallinas sibi nutrire consuêrat, quæ tunc

a Sic legendum, non *Rumacus* vel *Rimactus*, qui locus non alius est à Villa S. Judoci ad ostia Quantiæ in Oceanum influentis, ubi postea Milo Tarvenuensis Episcopus Monasterium, modò exstinctum, ædificâsse dicitur apud Malbrancum in lib. 3. cap. 23.

fortuitu

fortuitu XI. cum duodecimo gallo erant, ſed eas aquila interdum devorare cœpit. Cùm itaque hoc Wrmarius miniſter ejus compertus fuiſſet, indicavit viro Dei: quod ille audiens quaſi pro nihilo duxit. Jam verò per vices XI. gallinis ab aquila raptis gallus ad ultimum unguibus infeſtæ avis arreptus portabatur. Quod dum venerabilis Dei cultor Judocus comperit, moleſtè quidem tulit, ac protinus ipſam aquilam longiùs avolantem dato ſigno Crucis poſt eam comminatus eſt, ut illæſum ſibi cum feſtinatione reduceret gallum. Cujus imperio aquila parens reverſa eſt, & ante faciem B. Judoci gallum incolumem exponens continuò exſpiravit. CIRC. AN. DC. LXVIII. DEC. XIII.

11. Procedente verò tempore infeſtus humani generis inimicus verſus in colubrum, ſanctum adiens virum, horribilem in ejus pedem auſus eſt dare morſum. Quod cùm dolore vir Domini ſenſiſſet amaro graviter ferens animo, cogitabat ex eo citiùs migrare loco. More denique conſueto vir nobilis Haymo cùm eum illic die quadam viſitaret, famulus Chriſti Judocus humiliter eum poſtulabat, ut ſe exinde expelleret, atque ad alium ſineret locum. Quod mox Haymo conſentiens; Propinquemus, ait, ad mare in hanc ſolitudinem vaſtam. Erat quippe tunc temporis in eo loco quò diſponebat ire denſiſſima ſilva. Et dixit: Conſideremus pariter, ſi fortè adhuc congruentiorem tibi Domini miſericordia demonſtravit ſedem. Tunc nulla impediente mora reverentiſſimus Dei ſervus Judocus aſinum ſuum ſtravit, & cum Haymone ſimul eaſdem perrexit in partes. Cùm ergo idem Haymo venationem exerceret ſuam, beatus Pater Judocus aptum ſibi locum ad inhabitandum in eremo quærebat eodem: móxque reperto quodam fonte ſpes ſibi ad inveniendum quod deſiderabat ſuccreſcere cœpit. Venatione jam conſecuta cùm Haymo aprum immaniſſimum illic in terram voti compos proſterneret, anguſtiare quidem propter aquam cœpit quam non habebant. Sed mox anguſtiam hanc verus Dei ſervus Judocus procul ab eo repellens; Noli, inquit, vir timens Deum, noli propter aquam ſollicitus eſſe: quin potiùs ſpera in Dominum, & ipſe daturus eſt tibi aquas. His ita dictis Haymo in exercitio vanationis fatigatus ſopori ſubito dederat membra. Cúmque quieſceret, mox Sanctus Dei Judocus baculum quo utebatur in terra defixit cum invocatione Domini Jeſu Chriſti, quem toto amabat affectu, toto diligebat intellectu, venámque fontis vivi aperiri deprecabatur uberiorem: ac deinceps miſericordiâ Domini fretus, cùm baculum ab humo extraxiſſet eumdem, continuò latex emanavit ſufficiens, aquam illis qui aderant miniſtrans vivam. Quod cùm factum eſſet, expergefactus Haymo ſurrexit de lecto * in quo dormiebat: vidénſque effluentem fontis venam admiratus eſt vehementer. Jubente verò ſancto Judoco miniſtri ejus ibidem foſſam quantulamcumque fecerunt, & magis ac magis fons pulcherrimus in eo exoriebatur loco, qui uſque hodie mirificus ab incolis vicinis ſimul & de longinquo venientibus nihilominus venerabilis habetur. Revera ſæpiùs illic infirmi venientes, ejuſdem fontis guſtu ſanitatem recepiſſe plures qui bene noverunt affirmant. Loco tertiò mutato fontem baculo exprimit. * an loco?

12. Interea vir Domini per ſpineta paullulùm procedens, devenit in vallículam quamdam, ubi rivulum aquæ [a] perparvum reperiens ait: Hîc eſt cathedra. Veluti diceret: Hæc erit ſedes mea. His ita repertis Haymo domum cum gratiarum actione revertitur ſuam, & famulus Chriſti Judocus in loco Oratoria duo manibus ſuis nitebatur conſtruere, unum videlicet B. Petri Principis Apoſtolorum, aliud S. Pauli Doctoris Gentium venerationi deputans, & utrumque ex lignis. Poſthæc verò præcepit Haymo ut incideretur eremus qui erat in gyro denſiſſimus, quatinus locus ille habitationem Dei famulo redderet aptam. Oratoria duo conſtruit. a

b In alia anonymi Auctoris Vita legitur: *Vallículam offendit in qua rivulus aquæ nomine Sidraga molli ſub murmure ſerpit*, Malbranco *Pidraga*, qui rivulus ex duobus oritur fontibus, quorum alterum *la Fontaine aux Bretons*, alterum *la Fontaine du Gard* vocant. Illic etiam nunc viſitur S. Judoci Monaſterium Ord. S. Bened. inter Altheïam & Quantiam fluvios poſitum, tertio fere milliari Gallico ab Oceano Britannico, totidémque à Quantia diſtans.

CIRC. AN. DC. LXVIII. DEC. XIII.

13. Hoc denique cùm factum eſſet, Sacerdos Dei venerabilis licentiam ab Haymone expetiit Duce Romam pergere: quia videlicet pretioſa plurimorum Sanctorum Patrocinia ſecum inde reverſurus tollere cupiebat. Igitur egreſſus à loco illo feſtinabat ad ſancta Beatorum Apoſtolorum limina. Quò cùm perveniſſet [a], vota deſiderij ſui compleverat Deo digna ſatiſque accepta [b]. Factum eſt autem cùm huc rediret multas Sanctorum Reliquias afferens, præfatum jam eremi propinquabat ad locum, ubi (ſicut ſuperiùs inſertum eſt) duo Oratoria ædificaverat. Erat ergo quædam puella ex nativitate cæca in vicina ejuſdem eremi villula [c] cum patre ſuo manens, quæ pridie quàm ſervus Chriſti Judocus illuc rediturus erat, viſum vidit in ſomnis, quod patri primo mane indicans ait: Pater mi. Et ille: Quid, inquit, vis filia mi? At illa: Servus Dei quidam nocte ſequenti venturus eſt ad montem longè hinc ſitum: ad eum itaque, ſicut in viſione hujus didici noctis, ſi acceſſero cum fide credens, oculorum proculdubio novum percipiam per Dei miſericordiam lumen. Si enim ex aqua qua manus ſuas idem athleta Chriſti laverit, oculos aliquo modo contingere potuero, & poſuero ſuper faciem meam, ſtatim ſanitati meæ *redditurum arbitror. Puella itaque quæ fuerat à die nativitatis ſuæ cæcata, ad virum Dei Judocum cum patre deducta, cùm ex aqua faciem laviſſet ſuam unde idem Domini lotus fuerat Sacerdos, protinus viſum ſibi à Domino meritis beati viri ſenſit donari (ſicut crediderat) novellum. Illic ergo poſita fuerat quædam Crux lignea, ob memoriam videlicet hujus miraculi, quod Dominus Deus fieri per famulum ſuum Judocum voluit: quæ Crux adhuc hodie in alio remoto permanet loco, in Monaſterio ſcilicet ipſius Sancti: locus tamen iſdem in quo priùs poſita erat, uſque in præſens CRUX dicitur.

a Romam petit.

b Cæcam illuminat.

c

* *fortè* me

14. Audiens autem Haymo virum Dei revertiſſe, gaviſus eſt gaudio magno, exſiliénſque illi obviàm, honorificè eum excepit. Habebat enim jam tunc Eccleſiam novam ex petris conſtructam, quæ mox poſtquam Dei famulus Româ veniens, in eam Patrocinia detulerat multa, dedicata eſt in honore S. Martini [d]. In eadem itaque Cella tunc ſimul per triduum manſerunt. Poſthac verò quia vir inluſtris Haymo erat, quippe multas habens poſſeſſiones, tradidit ipſum locum cum appendicibus ſuis B. Judoco in opus. His ita conſideratis Haymo vir ſagacis ingenij cum beato Dei ſervo Judoco ſimul pergens, venit ad quamdam villam ex proprietate ſua nomine Locum *, quam etiam mox cum omnibus ad eamdem pertinentibus eidem Cellæ S. Judoci dotem faciens tradidit. Hac ergo traditione peracta Judocus vir Chriſtianiſſimus in eadem Cellula multis poſtea uſque ab obitum ſui vixerat annis.

Haymo locum S. Judoci ornat & dotat.

d

a Florentius Abbas apud Surium: *Deinde*, inquit, *profectus eſt Romam ex mandato Divi Martini Sedis Apoſtolicæ Pontificis ſummi, qui longo tempore concupierat conſpicere faciem ejus.* Comitis Haymonis *licentiam* de Martini Papæ *mandato* perperàm interpretatus eſt Florentij interpolator, ut ex anonymi verbis colligitur. *Concupiſcit vir beatus & Apoſtolica limina viſitare, inſignes Apoſtolorum Reliquias reportare, Reliquiis eorum Memorias inſignire. Nec mora, via carpitur, Comes reviſitur, licentia recipitur, in baculo & pera Roma requiritur. Oratis Apoſtolis, oblatis lacrymis, à beatiſſimo Martino viro Apoſtolico Apoſtolicæ Sedis Epiſcopo venerabiliter & eo quo decebat honore recipitur & viſitatur, qui jam à longo tempore concupierat eum videre, & ejus ſanctiſſimo ſatiari colloquio.* De Martino infrà.

b Apud anonymum: *Puella quadam oculorum luce privata & abſque forma oculorum nata, Inſula nomine, nubilis ætate in proximo Patris cohabitavit apud caſtrum cui nomen eſt Ayron.* Vix uno aut altero milliari diſtat à Judocenſi Monaſterio, idémque nomen hactenus ſervat.

c Anonymus ſæpe laudatus ſcribit: *Crux erecta loco nomen dedit... Locus iſte nativo nomine* Bavemoul *nuncupatur: interdum tamen nomen quod vulgariter* Croix *dicitur, ferunt accepiſſe, & hoc propter ſignum Crucis in ipſo erectum ob memoriam miraculi ſuperiùs exarati. Deinde verò interjecto temporis ſpatio incolæ hujus territorij viriliter eam abſtulerunt, eoquòd non eſſent diverſoria peregrinis venientibus congrua. Quapropter nomen illud amiſit & nativum reſumpſit: atque in proximo ipſius glorioſi Confeſſoris loco eo quo decebat honore collocaverunt. Ob quam cauſam vocatum eſt antiquitùs hoc Monaſterium* CRUX. *Sed poſtquam Sancti fama crevit, Monaſterium ſimúlque terra circumvallata ditioni & curæ Sancti allegata, Iudoci nomen accepit.*

d Florentius apud Surium & anonymum hic inſerunt narrationem de apparitione Chriſti Domini qui in humana ſpecie apparens, *intra Miſſarum ſollemnia ſuum Sacerdotem & locum iſtum ſignavit & benedixit ac confirmavit benedictione ſua perpetua... Qua res*, inquit anonymus, *in tantam venerationem & admirationem à ſanctis Patribus habita eſt, ut illi Apparitionem diem, qui eſt tertio Idus Iunij, pro hac eadem cauſa decreverint & conſtituerint feſtivum, &c.* Calix quo S. Judocus dum rei ſacræ operaretur, creditur uſus fuiſſe, hodie quoque in ejus Monaſterio oſtenditur.

15. Poſtquam verò ejus ſanctiſſima anima Idus Decembris [a] carnis domicilium deſerens ad perpetuam cæleſtis regni migraverat felicitatem, duo nepotes ſui, VVINNOCH ſcilicet & ARNOCH, in ejus ſuccedentes locum, corpus beati viri exanime quod incorruptum diu manſit, frequenter lavare cum aqua, atque tondere conſueverant. Hoc igitur quidam Dux Haymonis ſucceſſor, DEOCHTRICUS nomine, moleſtè tulit: & hoc explorare procaciter cupiens, ad hanc uſque deductus eſt mentis inſaniem, ut contra voluntatem Dei atque cuſtodum ejuſdem loci per vim ſepulcrum aperire fecit, ſciſcitare volens, utrum verum eſſet, quòd corpus Sancti integrum adhuc perſiſteret. Quod dum abſque ulla intuitus fuiſſet reverentia, ſubitò exterritus ait: Ah ſancte Judoce. Et ſtatim mutus & ſurdus factus eſt, atque omni corpore debilitatus uſque in finem vitæ ſuæ permanſit. Hoc ita cùm uxor ejus comperiſſet factum, contriſtata eſt valde ob tantam ſcilicet viri ſui ignaviam, quâ venerandum viri Dei violare auſus fuerat tumulum; dedit denique ad ſacrum ſancti viri ſepulcrum pro munere placationis villam proprietatis ſuæ nomine Criſpiniacum, & in aliis locis etiam dedit ultra Quantiam fluvium ſimul rura non pauca, flagitans etſi jam corporis membrorum privatus eſſet officio, ſaltem anima illius à culpa hujuſcemodi temeritatis liberari mereretur. Hinc verò mutis loquelam, ſurdis auditum, cæcis viſum, claudis greſſum, infirmis etiam quibuſque venientibus meritis B. Judoci intervenientibus frequenter ad ejus tumbam Dominus & Redemptor noſter ſanitatem redintegrare plenam dignatus eſt, qui vivit cum Patre in unitate Spiritus-ſancti Deus per immortalia ſæcula ſæculorum. Amen.

CIRC. AN. DC. LXVIII. DEC. XIII. *a*

Judoci nepotes duo in mortui locum ſuccedunt.

Dux ſepulcri violator punitus.

MONITUM.

DE S. Judoci corporis Inventione agendum eſſet Benedictino Sæculo v. Chriſti x. quando B. viri corpus primùm de terra levatum eſt. At cùm paucula notatu digna in illa narratione reperiantur, iſta delibare ſufficiat ex Auctore anonymo. Inter Francorum Reges haud inferior LOTHARIUS enituit, filius LUDOVICI, vir planè pollens nobilitate ſimiliter & probitate morum, gloriæ avidus, induſtriâ admodùm ſagax, qui feliciter annis non parvis regnum Francorum gubernavit. Sub cujus tempore hæc de quibus loqui geſtimus acciderunt, Inventio ſcilicet adeo digni S. Judoci, ſignorum plena mirabilium virtutúmque redundans jubare anno ab Incarn. Domini noſtri I. C. ferè nongenteſimo ſeptuageſimo ſeptimo, VIII. Kal. Auguſti. Quæ qualiter favente Deo provenerit, noſtræ memores promiſſionis paullo inferiùs dicendi initium faciemus. Hoc tamen cenſuimus adnectendum, quòd non omnia quæ hîc ponemus, ſupradicti tempore Regis patrata ſunt, ſed dumtaxat quæ ad ſancti pertinent corporis Inventionem ſimúlque Monaſterij ipſius reſtaurationem. Nam pro recurrentibus annis eo defuncto filióque ejus LUDOVICO, HUGO tunc Dux Francorum invitus ſuſcepit regnum, qui non multo poſt filium ROBERTUM participem fecit ſui imperij, inclytum moribus, ſapientiâ tam Divinâ quàm humanâ præditum: cujus adhuc imperium viget vigeátque optatò multos, Deo concedente, per annos. *Subdit deinde Auctor, quo modo S. Judoci corpus intra parietem Eccleſiæ loco ignoto ſepultum,* SIGEMANNO *Eccleſiæ cuſtode ac Procuratore &* STEPHANO *ruſtico cælitùs admonitis, repertum eſt, ibique in hodiernum uſque diem adſervatur, præter os brachij quod in Dom-Martinenſi Cœnobio Ord. Præmonſt. apud Morinos haberi fertur.*

[a] Quo anno S. Judocus obierit, inveſtigandum eſt. Judicaël Britanniæ minoris Rex dictus, Judoco fratri Armoricæ ditionem reſignare voluit anno Dagoberti XV. Chriſti DC XXXVI. uti ſuperiùs diximus. Judocus impetratis octo dierum induciis in Pontivum fugit, ubi apud Haymonem Ducem per ſeptem annos hoſpitatus, anno DC.XLIII. in ſolitudinem Brahicenſem ſe recepit. Exactis ibidem annis octo ſeceſſit in locũ cujus vocabulum Runiacus, annis XIII. ſeu (uti apud Surium legitur) XIV. illic moraturus. Ultimò conſedit in loco Monaſterij ſui: quamdiu ibi manſerit, incertum. Certè ædificatis facili operâ duobus Oratoriis, Romano itinere peracto, brevi deceſſiſſe eum ſcribunt Florentius apud Surium & Auctor anonymus. Quocirca ejus obitum ad annum Chriſti DC. LXVIII. referimus. Cùm igitur Judocus non ante annum Chriſti DC. LXV. Romam ſit profectus, haud à Martino Pontifice, ſed à Vitaliano Papa Romæ exceptus eſt.

CIRC. AN. DC. LXIX. MAII VII.

VITA S. SERENICI CONFESSORIS IN PAGO OXIMENSI.

Scripta ab Auctore anonymo ante sæculum IX.

Ex MS. cod. Abbatiæ sancti Martini Sagiensis.

OBSERVATIO PRÆVIA.

* S. Celerin, Serenic.

I. BINAM *legimus* S. SERENICI * *Vitam à duobus anonymis conscriptam : unam ex apographo Abbatiæ nostræ S. Martini Sagiensis, à nobis hic editam; aliam ex Chartulario Ecclesiæ S. Mauritij Andecavensis acceptam, unà cum Actis* S. SERENEDI *fratris Serenici : cujus utriusque cùm plura gesta sint communia, unum ab alio separare congruum haud visum est. Vnde Actis S. Serenici subjecimus Vitam Serenedi fratris, in qua detractis iis quæ communia sunt, ex priori Vita repetenda; singularia Serenedi facta exhibemus. Auctores utriusque Vitæ sancti Serenici iisdem passim verbis utuntur. Præferendum tamen duximus eum quem edimus, quamvis alia Serenici Acta præ oculis habuisse, ex fine Vitæ intelligatur. Vixisse videtur ante cladem Normannorum, ut eo loci observabimus. In hoc Auctore notanda sunt hæc verba num. 14.* In orationis studio tantus illum fervor accenderat, ut absque peculiari supplicatione Romanum seu Gallicanum, necnon & SS. PP. BENEDICTI seu COLUMBANI Cursum horis singulis Domino decantaret. *Quæ verba Auctorem antiquum indicant.*

Serenicus & Serenedus Spoletini litteris imbuuntur.

I. FUERUNT duo strenui viri quantum ad sæculi attinet dignitatem, generositatis splendore, præclaris parentibus orti, ex urbe Spoletana, quæ ipsius provinciæ caput ac metropolis habetur, itaut ab hac circumquaque provincia derivatum sumat vocabulum : quorum alter SERENICUS, alter dictus est SERENEDUS. Hi ergo à primævo sui temporis ortu, statim ut in tenerrima ætate sagax cœpit crescere sensus, utpotè à nobili prosapia editi, à parentibus ad sacras litteras imbuendum præceptoribus sunt commissi. A quibus acuto urgente ingenio, spiritúque introrsus corda docente, infra modici spatium temporis, mira sub celeritate in Divinis litteris Christianæque Religionis normâ atque Apostolicæ Fidei doctrina mirificè sunt imbuti.

Patrum lectioni vacant.

2. Ut verò temporum succedentibus spatiis mollis adolescere ætas, & litterarum exuberante peritiâ, prudentior in ipsis cœpit succrescere sensus, non sunt priorum Magistrorum documento contenti, sed proprio fervente studio, per patulos Scripturarum campos latiùs evagantes, Sanctorumque Patrum Orthodoxorum scripta simul & exempla sollerti indagine perscrutari studuerunt, fecerúntque sibi in morem apis florigeræ, ex diversorum Patrum opusculis, velut è diversis frondium flosculis mellifluos favos, quos cotidie salubriter edentes, aliósque reficientes, mentis ardorem cælestis patriæ dulcedine satiabant.

Piè viventes, de relinquendis parentibus cogitant.

3. Porro posteaquam ad viriles perventum est annos, & perspicaci habitu, quod olim attenta perceperant aure, luce clariùs nosse cœperunt; illo cooperante, qui discipulis ait; *Petite, & accipietis*, quod in scripturarum comperant exercitio, ardenti complere nisi sunt studio : totóque mentis conamine his quæ perceperant operam dantes, strenuè sollicitéque Christi servitio se mancipare studuerunt. Cúmque cotidie sensim de virtute proficerent in virtutem, & in Divinis complendo monitis infatigabili persisterent constantia mentis, séque semper ad altiora paullatim præcepta sollerti transferrent vigilantia, aurémque cordis sedulò Divinis accommodarent jussibus, audivit B. Serenicus,

cujus ætas adultior & ſenſu ceu prioris erat præſtantior, Evangelicam intonare tubam : *Si quis amat patrem aut matrem ſuper me, non eſt me dignus.* Et illud : *Omnis qui reliquerit patrem, aut matrem, fratres aut ſorores, aut agros propter nomen meum, centuplum accipiet, & vitam æternam poſſidebit.* Hoc ergo vir beatus præceptum non arenti aut ſpinosâ terrâ ſuſcipiens, ſurdáve aure audiens, ſed corde optimo, auréque patenti ſemina Divini complectens verbi, quod auditu didicit, opportunitate comperta opere complevit. Denique dum ſecum hoc mente revolveret, germanum, quem magis ſpirituali, quàm carnali fraternitate in omnibus fidum ſocium adſciverat, ſalutifero compellare cœpit hortatu, quatenus opere complerent quod in Evangelio Domino docente compererant. Et hoc qualiter implere poſſent ignorantes, ad ſolita præſidia concurrentes, id eſt Orationum ſtudia, Dominum totis niſibus exorârunt, ut quid inde ſibi placitum foret, eis miſericorditer pandere dignaretur. CIRC. AN. DC. LXIX. MAII VII. *Mat.* 10. 37. *Id.* 19. 29.

4. Et quoniam in humanis actibus, quibus religioni Divinæ militari videtur, frequenter cæleſti contraitur voluntati ; idcirco quod pari voto conceperant, utrùm ſalutare eſſet, orationibus elucidari depoſcunt. Siquidem precibus Deo fuſis, tandem Angelo revelante divinitùs per ſomnium monentur, ut propria relicta domo agriſque paternis, provinciæque obliti Romam petant, in qua altaribus Petri Apoſtolorúmque Principis ad tempus famulaturi, ibíque in ſacris orationibus vigiliarúmque excubiis ac reliquis cæleſti converſatione dignis actibus tamdiu inſervituri, quouſque quid ſibi foret denuò agendum, Divina diſpoſitio indicâſſet. Siquidem hac revelatione comperta valdè alacres effecti, maximè quod ſuæ petitioni ſuperna gratia dediſſet aſſenſum, monita quæ per ſomnum viderant, ociùs expergefacti implere ſatagunt. Urbe namque qua fuerant orti ſpretâ, parentúmque ac propinquorum curâ poſtpoſitâ, furtim arva fugientes parentum, concito calle curſu Romam euntes, Petri inviſere certârunt limina. Ad quæ cùm ventum eſſet, à ſummo Pontifice omníque congregatione Chriſti ſibi gratiam ferente honorificè ſunt ſuſcepti, ubi per aliquot annos, jejuniis, & orationibus vigiliarúmque obſervationibus intenti, per artam viam quæ ad cælos ducit incedentes, exempláque patientiæ & humilitatis, pudicitiæ & ſobrietatis præbentes, maximâ veneratione à plurimis habebantur intantum, ut poſt modicos dies elapſos Papa Romanus ob gratiam ſanctitatis ſeptimum Cardinalem beatum Serenicum Diaconum [a] ordinaret. Romam petunt. Serenicus Diaconus Cardinalis.

5. Interea vir ſanctus tanti honoris gloriam ob vitæ meritum à plurimis ſibi impenſam ægrè ferebat. Enimverò baratrum elationis incidere metuens, mundi pompas toto mentis ſtudio effugere conabatur : & quoniam jampridem fragilem mundi gloriam forti animo calcare deliberaverat, valde cavere cœpit, ne in hoc quod ſpreverat denuò laberetur : videlicet, ne ſub ſpecie religionis, hunc amor adſtringeret mundanæ gloriationis. Quippe noverat ut vir ſagax ſimplicitatem habens columbæ, nec carens aſtutiâ ſerpentis, quæ fuerint verſuta hoſtis callidi commenta : qui non ſolùm quoſdam per aperta ſæculi tentat negotia, ſed etiam per ipſum ſanctitatis habitum fortia fidelium ſtudet evertere corda. Quamobrem cum fratre de hoc ſæpiùs mutua cœpit habere colloquia, exhortans quatenus ſuper his Divinam appeterent clementiam, & artam quam profeſſi fuerant, minimè deſererent viam. Inter hæc Angelus Domini jamdicto viro in ſomnis apparuit, eumdémque alloquens inquit : Serenice, quid eſt quod agis? effectum tuæ perfice voluntatis, pro quo patrem & matrem, agróſque patrios reliquiſti. Non te iſthic Dominus diutiùs præcepit immorari, ſed aliorſum properare indicit. Namque cùm pro ejus amore caros omiſeris propin- Honoris impatiens, Romam deſerit Angelico monitu.

[a] Id de utroque factum aſſerit alius Auctor : *Papa ob gratiam religionis utrumque ordinans, Romana Eccleſiæ Diaconos Cardinales effecit.* In Synodo Neocæſarienſi definitum eſt can. 15. *Diaconi ſeptem eſſe debent, etiamſi ſint magna civitas. Ejus autem rei fidem facit liber Actorum.* Cardinales olim dicti, quòd urbis cardine conſtricti, certæ Eccleſiæ alligarentur. Poſt annum Chriſti milleſimum nomen in dignitatem evaſit.

CIRC. AN DC LXIX. MAII VII.

quos, non te hîc penes eoſdem manere oportet, ſed in Occiduas multò longiùs ſecedere partes, quò eorum prorſus oblitus, in contemplatione Divinâ liberiùs aciem mentis ſuſpendere queas. Quod ergo orſus es, neceſſe eſt ut fortis athleta ad victoriæ finem uſque perducas. Equidem non inchoanti, ſed perſeveranti præmia pollicentur. Quam revelationem Chriſti miles comperiens, & fratrem alloquens, Divina juſſa intimat.

Galliam adeunt.

6. Haud mora, Divina monita faceſſunt, urbémque qua deguerant, ſub celeri feſtinatione relinquunt, ad loca ſibi divinitùs præparata ociſſimè properantes. Romana verò mœnia relinquentes, & Italiæ loca procul ab urbe poſita peragrantes, tandem cum ingenti labore, Italiæ fine permeato, calle foſſo, Alpium nivoſos cœperunt tangere colles, quibus difficili meatu tranſitis, poſtremò Galliarum uberes multo ſudore quæſitos ingreſſi ſunt limites. Luſtrum quoque integrum in urbe morati ſunt, quo pacto, ut ſuprà relatum eſt, viſione Angelicâ in ſomnis moniti, urbem excedentes, Galliæ terminos penetrârunt. Plures verò Orationis ſtudio Galliæ peragrârunt urbes, Sanctorum viſitantes ſepulcra: non id agentes vagæ mentis impulſu, aut gyrovago levitatis imperatu, ſed Chriſti amore, atque Angelicæ revelationis ducente vocatu: nempe qui quantum pro nomine Chriſti longiùs diſcedebant de ſolo proprio, tantùm merebantur viciniores fieri cælo.

Cenomannos petunt. * *Saulge*

7. Multorum ergo luſtrantes Sanctorum loca, Chriſto præduce diœceſim devenere Cenomannicam, ad vicum qui dicitur Salica *, qui vicus erat loci ſitu ſalubris, ſolíque opulentia fertilis, in montis vertice poſitus, & pro hoc à viantibus longè conſpicuus. Igitur illuc adventantes, aliquamdiu ſimul morati ſunt. Sed cùm Dominus ex gemina lampade gemina diſpoſuiſſet illuminare loca, necnon & duas provincias decorare; B. Serenicus tam fertile repudians ſolum, parcius atque ſolitarium perquirere deliberat, ſcilicet hominum frequentiam fugere, & ſolitariam cæleſti contemplatione dignam cupiens deducere vitam. Hac autem ſecum deliberatione habita, germanum amabili affatus eloquio, & benedictionem cum lacrymis fundens, In cæleſti patria nos, inquit, mereamur indeficienti viſu cernere.

Serenicus in pagum Oximenſem ſecedit. *a*

8. Aſſumpto igitur ſecum quodam puerulo nomine FLAVARDO Oximenſem diœceſim [a] petiit. Serenedus itaque remanſit Salica, cum ſummo amore locum amplectens, tamquam eum ſibi à Domino deſtinatum, ubi per longa temporis curricula multis emicuit virtutibus, ut in ipſius Geſtis plenè legitur, donec conſummato temporis curſu terræ corpus reddidit, & ſpiritum plurimis exornatum virtutibus cælo intulit. Vir quidem venerabilis Serenicus Chriſto ducatum ferente, cum Flavardo diſcipulo ſuo quem de ſacri Baptiſmatis (ut fertur) unda levaverat, Oximenſem petens venit ad locum quemdam ſuper Sartæ fluvium, qui ex omni parte ſui ſinuoſo fluminis ambitu & excurſu diverſorúmque hinc & inde prominentibus aſperatum ſcopulis, & niſi ex uno tantùm latere præpedientibus montium difficultatibus ferè conſtat inacceſſus. Tempore igitur illo Gallis & Francis Rex præerat Chriſtianiſſimus vir Chlotharius *, atq; in Divini cultûs religione valde ſtrenuus. Hujus inhærebat thalamis digniſſima conjux beatæ memoriæ BALTHILDIS, quam circum Divinum amorem parilis voti accenderat ardor, atque egregiæ ſanctitatis ad alta ſuſpenderat amor: cujus ſepulcrum à Fidelibus digna celebratione frequentatur, ejúſque meritis multimodæ ſanitates infirmantibus Chriſto largiente donantur.

* *I.* Chlodoveus

Sub arbore moratus,

9. Cúmque vir beatus ad jamdictum veniſſet locum, deſcendens ad radices

a Id eſt pagum ſeu ditionem: nam diœceſis nomen aliquando pro tota Epiſcopi juriſdictione, aliquando pro quovis tractu ſeu pago, aliquando pro parochia quavis uſurpatur. Lege Vitam primam S. Præjecti ad ann. 673. Eſt autem Oximum, vulgò *Hyeſmes*, caſtrum ſeu opidulum Comitivæ titulo olim inſigne in diœceſi Sagienſi, quarto milliari à Saïorum civitate diſtans, inter Divæ amnis initia & Ornam fluvium, qui Saïorum urbem alluens oritur haud procul à Sarta fluviolo *la Sartes*, de quo Theodulfus Aurelianorum Epiſcopus:

Perticus hunc gignit, & Meduana bibit.

montis, ſub cujuſdam arboris morabatur arbuſculo. Arbor verò eadem modico diſtabat à flumine intervallo: intelligénſque locum ſibi divinitùs deſtinatum, magnas omnipotenti Domino cum memorato diſcipulo laudes retulit, qui in ſe ſperantes numquam deſerit, & de ſua miſericordia præſumentes incaſſum non ſpernit. More autem ſuo Curſum illius horæ quæ tunc erat, explevêre diurnum: quo expleto, datáque benedictione ſurgens ab oratione vidit in dextera parte ſub cujuſdam ſaxi prærupti diſtillantes fontis profluere rivos, qui fons illic numquam antè profluxerat, ſed illius meritis datus hucuſque perpete curſu fertur[a] in alveum, aptúmque ſitientibus tribuit hauſtum. Quod Dei famulus cernens, oculos & manum ad cælum erigens ait: Gratias tibi ago, Domine Jesu, qui tuorum non es oblitus ſervorum, & in miſericordia tua confidentibus gratuita pietate non deſinis miſereri, qui etiam es memor mei, & per diverſa gradientem cuſtodiſti, & Angelum tuum hucuſque prævium præſtitiſti, qui me ab omnibus te jubente eripuit, & ad locum tua mihi electione diſpoſitum inoffenſo calle perduxit. Denique locum à quo fons defluxerat, & illum ad quem vir beatus tranſire diſpoſuerat, fluvius ingenti dirimebat excurſu, qui tempore eodem aquarum collectis diſcurſibus, alluvione ingenti riparum alveos impleverat. Quapropter viantibus vada negabat, nam & omni tempore tanti gurgitis illic profunditate diffunditur, & præ aquarum altitudine maximè peditantibus invadabilis habebatur.

Circ. An. Dc. Lxix. Maii vii. fontem cælitùs meretur.

a

10. Interea fluvium tranſire cupiens, nimię auſteritatis æſtuabat ardore, ſcilicet qualiter id quod mente conceperat, exſequendo efficere poſſet. Nam neque navis aliqua præ oculis aderat, neque alia facultas fluminis tranſeundi uſpiam apparebat. Mentis ergo aciem ad cælos erigens, orationíſque preces effundens, ſignum Crucis aquis dedit, & fluminis alveum in dextram lævámque diviſit: ſícque Crucis evectus munimine flumen tranſivit, & ad locum optatum Domino ducente pervenit. Dic rogo, numquid tu ſenſilis amnis, cùm Jordanica in te innovâſti miracula? Numquid Arcam Teſtamenti, Iſraëliticámque innumerámque multitudinem adventâſſe comperiſti? An & Helizæum cum Helyæ pallio tuos gurgites, dominíque ac magiſtri requirentem in litore vidiſti veſtigia? Verè his majus aliquid ſenſiſti, dum per vivificæ Crucis vexillum in geminum latus diſſciſſus, Chriſti famulo per tuum pelagus invium iter pervium præbuiſti.

Amnis aquas ſigno Crucis dividit.

11. Ceterùm Flavardus ejus diſcipulus ejuſmodi novitate perculſus, dum Magiſtri veſtigiis ſtupidus inſiſtit, librum quem ferebat vel ſui immemor in aquam cadere permiſit. Quod factum poſtea cognoſcens vehementer expavit, ilicóque in Magiſtrum reſpiciens, vultûs rubore mentis indicavit angorem. Quem Pater reſpiciens facili rubore perfuſum, ſtatim illius animi intellexit mærorem, tantíque cauſas examinans doloris ait: Quis mæror, ô felix, ſolitos in corpore mutavit vultus? quæque mentem moleſtia urget interiùs? At ille continuò ad pedes illius corruens, corde timido vocéque ſingultuoſa cum ingenti mærore reſpondit: Pater, librum illum quem mecum detuli, caſu quodam neſcius in flumine reliqui. Tum ille vultu placido mærentem intuens diſcipulum inquit: Omnem fili mentis omitte mærorem, ſollicitóſque hac pro re pone dolores: liber ille pro quo triſtaris ſub Chriſti cuſtodia poſitus, nobis tempore ſuo repræſentabitur ſalvus. Novem namque annis ſaxorum denſitate vallatus in aquarum latuit fluentis, & poſtea ſancto viro illæſus eſt redditus.

Librum in aquis latentem recipit intactum.

12. Deinde in loco eodem ad quem primùm de amne egreſſus eſt, quamdam erexit cellulam, in qua primùm velut ſub modico tugurio cœpit hoſpitari. Latuit itaque ibi per quædam curricula temporum, donec volitante famâ illius ru-

Cellâ exſtructâ multos ad ſe trahit.

a De illo fonte alter Auctor refert, *quòd ob Sancti viri meritum, ſi quædam femina criminoſa ad ſuſcipiendam aquam de canali, per quod fons defluit, hydriam ſubmittant, continuò rivulus reſtat*, id eſt reſiſtit. *Unde oportet ut alia femina munda eamdem ſupponat, quatinus impleatur. Hoc etſi nec cunctis nec ſemper accideret, novimus tamen*, inquit, *quaſdam, quibus hæc contumelia dicitur eveniſſe.*

CIRC. AN. DC. LXIX. MAII VII.

mor circumquaque excreſcere, & tam de vicino, quàm de longinquo fidelium cœpit ad illum turba confluere. Nempe etſi tantùm latêre voluiſſet, tamen non potuit: quippe neceſſarium erat, ut alienas tenebras in lucem transferret. Plures verò religioſi ac ſtrenui cernentes, certatim ad illum concurrere, & de bonis ſuis flagranti amore optima quæque deferre cœperunt. Iis verò omnibus ad ſe confluentibus, & fragilis mundi quæque poterat munuſcula & cæleſtis doctrinæ dabat documenta, ſollerter præcavens, ne aliquis ad ſe veniens ſine ſpirituali ædificatione ad propria remearet. Sedulò namque ſecum illud revolvebat, quod Dominus ſanctis prædicationibus ait: *Matth. 5.* *Vos eſtis lux mundi.* Et illud: *Vos eſtis ſal terræ.* Quocirca omni ſtudio ſatagebat, ne quiſquam peccatorum tenebris obvolutus abſque veritatis lumine à ſe umquam recederet obſcurus, aut aliquis doctrinâ Eccleſiaſticâ ineruditus ſine ſapientiæ condimento regrederetur inſulſus. Unicuique, prout poſſe videbat, cæleſtis dona fluenti libentiſſimè tribuebat. Ceterum multi illius ſecuti monita, terrena reſpuerunt patrimonia, & calcantes pro Chriſti nomine caduci oblectamenta mundi, hujus adhærendo monitis cælibe vita ſunt contenti.

Codicem amiſſum recuperat.

13. Interea multorum elapſis annorum curriculis, dum quædam mulier abluendarum veſtium causâ properâſſet ad fluvium, introrſus inſpiciens, librum de quo ſuprà meminimus, innocuè inter undas jacêre conſpexit: quem cum ſummo gaudio arripuit, & feſtina celeritate ad virum Dei detulit. Ipſe denique librum videns, magnas omnipotenti Deo gratias retulit, quòd illum per tot annorum ſpatia interundarum diſcrimina ab omni læſione cuſtodivit. Namque idem liber revolutus ſic ab omni aquarum læſura repertus eſt ſalvus, tamquam non in undis, ſed in ſcriniis manſiſſet incluſus. Denique ipſe codex nuncuſque in ipſius Baſilica cuſtoditur: & quod hæc littera geſtum narrat, ipſe cunctis ſe intuentibus oſtenſione evidenti affirmat.

Orationi & ſacræ lectioni vacat.

14. Poſthæc tollere vir Domini mentem ad altiora, gradatímque virtutum ſubire cœpit argumenta. Et quoniam jam de ſua certus exſtiterat, pro aliorum ſalute precibus aſſiduis Dominum exorabat. Equidem ipſius ſummum ſtudium fuerat, quotieſcumque ab oratione vel animarum exhortatione vacabat, ſanctarum rimari profunda Scripturarum, veteríſque ac novi convenientiam inſpicere Teſtamenti, ſubtilíque ſcrutari contemplatione, qualiter in novo veraciter factum conſtat, quod in illo ſub figurarum obſcuritatibus clauſum latebat, & juxta illud Pſalmographi in lege meditans die ac nocte infatigabiliter, aut in orationum ſtudio, aut in Scripturarum morabatur exercitio. *Pſal. 1.*

15. In Orationis autem ſtudio tantus illum fervor accenderat, ut abſque peculiari ſupplicatione Romanum [a] ſeu Gallicanum, necnon & ſanctorum Patrum BENEDICTI ſeu COLUMBANI Curſum horis ſingulis Domino decantaret. Congruum enim illi viſum fuerat, ut horum officia Chriſto perſolveret, quorum virtutum actus jamdudum in mentis arce locaverat: & quos ardua imitatione ſtuduerat ſequi, in officiorum ſollemniis conaretur imitari. Nam quia humilitatis gratiâ Sacerdotalem gradum ſuſcipere renuebat, ipſum quod acceperat Diaconatûs officium cotidie ſollicitus Domino exhibebat. Per ſingulos enim dies ſacris altaribus Sacerdotíque miniſtrando adſtans, oblationes Domino pectore caſto mentéque devota offerre ſtudebat.

[a] NOTA. Sedulus in Divinis officiis.

Templum conſtruit.

16. Denique collatis ſibi Fidelium donariis diſcipulorúmque fultus ſuffragiis, in B. Martini Antiſtitis honorem nobile cœpit inſtruere Templum, quod MILEHARIUS [b] Saiorum Epiſcopus ab eo partim conſtructum poſtea ſtudiosè com-

[b]

a Romanum idem hîc ſonat ac *Gallicanum*. Gallos enim Romanos antiqui appellabant. Et Curſus ſeu Officium Romanum, quod in rebus Divinis adhibetur, Pippini dumtaxat principatu receptum eſt.

b Milehatius in utraque Gallia Chriſtiana collocatur poſt Paſſivum, qui Conciliis Aurelianenſibus II. III. IV. & V. ſæculo ſexto ſubſcripſit. At cùm Serenicus principatu Chlodovei junioris floruerit, uti ex num. 8. conſtat; Milehardi Pontificatus poſt medium ſæculum ſeptimum rejici debet. Certè Serenicum poſt S. Columbanum vixiſſe, ex ſuperiori numero conſtat. Ordericus Vitalis in lib. 8. hiſt. ad an. 1088. etiam dicit, Serenicum *tempore* MILEHARDI *Sabaſium Pontificis habitâſſe in ſepulcroſo illo monte, quem anfractus Sartæ fluminis ex tribus partibus ambi-*

plevit:

plevit. Inter cetera namque virtutum insignia patientiæ bonum illius non mediocri fortitudine roboraverat mentem, quatenus nulli ob contumeliæ livorem ultionis redderet talionem : & si fortè quisquam sibi aliqua adversa irrogâsset, hunc non ut hostem odiis insequebatur, sed velut carissimum fratrem levi mentis affectu venerabatur. At si quispiam de rebus amissis sibi à fidelibus inrogatis aliquod damnum indicans nuntiâsset, statim pectore tranquillo illam beati Job sententiam animo revolvebat: *Dominus*, inquiens, *dedit*, *Dominus abstulit, sicut Domino placuit, ita factum est: sit nomen Domini benedictum.* Siquidem ejus mens semper cælestibus intenta, terrena cum amore possidere nequiverat: quapropter hæc amittens ab arce suæ contemplationis aliquo dolore impacta minimè deciderat. Si autem quilibet iracundiæ litigio perculsi ad eum accederent, exhortatione ejus audita concordi pace ad propria remeabant.

Circ. An. dc. lxix. Maii vir. Injurias benignè patitur.

Iob. 1.

17. Caritatis quoque officia etiam in rebus transitoriis omnibus ad se venientibus tam liberaliter exhibebat, ut quidquid habere poterat, in hospitum usus expenderet, adeout nullum à se recedere sine aliquo munusculo permitteret. Nec erat ei in suscipiendorum hospitum exceptione personarum discretio, studiosè cavens, qualiter hæc Jacobus reprehendat Apostolus: sed omnes æquali amplectens affectu, Divinum in his potiùs quàm humanum attendebat honorem. Propterea in caritate locuples, in abstinentia strenuus, in tribulatione fortis, in peccantibus misericors, in eloquiis.....in vigiliis attentus, in corporis munditia castissimus, in cibi & potûs perceptione sobrius, atque in corporea pulchritudinis specie erat venustus. Multos etiam variis languoribus addictos ac corporea tabe pressos per orationum suffragia reddidit illæsos, febriúmque diversarum ab his æstuatione depulsa, eosdem ad propria lætantes remisit tuguria.

Omnibus munificus.

18. Cúmque per multa temporis spatia in hujusmodi laboribus excreviſſet, jámque perfectus in eis, jámque maturæ ætatis fuisset, cúmque etiam tantos ejus labores Divina gratia remunerari censeret; molestiâ tactus corporeâ suum obitum his qui secum erant discipulis proinde mæstis ac flentibus indicavit, quos ut bene facerent sacris monitis exhortatus, in pace relinquens, deinde Christi munitus mysterio, Nonas Maij Angelicis vectus conscendit ad astra catervis. Sepultus est autem in eadem Ecclesia B. Martini quam ipse fundaverat, quæ nunc in ipsius etiam honore, id est B. Serenici dedicata consistit: ubi sub altari hactenus cernitur ejus sepulturæ veneranda memoria, & fiunt ibi super infirmos ejus meritis sanitatum remedia. Est enim idem venerabilis ac metuendus locus, in quo videntur sæpe Divinæ revelationes ac prodigia, ac in ejus malefactores ultionum crebra miracula.

Morbo tactus moritur.

19. Jam post beati viri decessum multorum etiam temporum elapsis curriculis, cùm Carolus Rex[a] Francorum vallatus multitudine militum partes peteret Occiduas, devenit ad quoddam castrum, quod situm est in pago Cenomannico, haud longè à prædicti Sancti Cœnobio. Cúmque militaris expeditio cuncta circumquaque vastaret vicinia, etiam hujus sancti Monasterium[b] depopulata est per violentiam. Nam plures eorum sacram inrumpentes ædem, multa inibi illicita exercuerunt, non verentes Divinæ ultionis vindictam, nec S. Serenici perpendentes merita, quem tanto munere Divina jam sublimaverat gratia. Sed cùm superna dispositio horum proterviam censuisset sternere, ac sancti viri meritum, cujus locus tam irreverenter à perfidis calcabatur, longè latéque divulgare; apes quæ circumaderant, agmine facto clausträsque relictis, adeo in eosdem sa-

Monasterij ejus violatores per apes puniuntur.

a

b

a Fortè Carolus Martellus, cùm adversus Saracenos Turonos profectus est.

b Ordericus Vitalis in Hist. lib. 8. ad ann. 108. agit de S. Serenici Monasterio, *ubi sub regimine S Sereniti olim multi contemptores mundi modestè conversati erant, & in Ordine Monachico jugum Domini finetenus gesserant. Centum quadraginta, ut fertur, sub præfato Archimandrita cultores ibidem in vinea Domini Sabaoth laboraverant: quorum lapidea sepulcra palam adventantibus inter Basilicam & in circuitu ejus testimonio sunt, cujus meriti & reverentia inibi homines requiescant.* Nunc locus, *Castrum* ac *municipium* S Serenici cognominatus, redactus est in parœcialem S. Serenici Ecclesiam, quæ in confinio Normanniæ & Cenomannensis pagi ad Sartam amnem cernitur.

Circ. An. dc. lxix. Maii vii. crilegos furentes irruerunt, ut & his penitùs fugæ ſubſidium adimerent, & de montis ſupercilio per ſaxorum prærupta in alvei profunda præcipitarent. Nempe talis ibi tunc inerat ruina, ut ruentium per diverſa petrarum acumina diſſecarent corpora, & altus fluvij gurges in imo convulſa rotaret cadavera. At ſi quiſpiam excipientis caſu quolibet valuiſſet evadere ſilicis diſcrimina, ilico ab ingenti fluminis abſorptus vorabatur unda. Siquidem tanta ex his tunc illuc fertur ruiſſe caterva, ut multa poſt tempora, ceu aiunt incolæ, decreſcentibus aquis, in unda fluminis viderentur oſſa, cùm jam multa præterierint tempora, & hæc cadavera per diverſa locorum ſpatia exuberans detulerit unda. His igitur hujuſmodi voragine multatis, tantus tremor reliquam invaſit multitudinem, quatenus de eodem exercitu nullus deinceps aliquam præſumpſiſſet inferre contumeliam in his, quæ ad ſancti viri jura pertinere videbantur.

Item irreligioſi. 20. Poſthæc verò anni curriculo evoluto, advenit Serenici ſollemnitas. Cúmque more ſolito ad hanc popularis confluëret multitudo, pluréſque cum religionis metu ſanctum ſtuderent venerari locum, affuerunt inter reliquos, ceu ſolium inter frumenta, duo viri rebelles, moribus incompoſiti, levitatéque inſtabiles, qui loci religione poſtpoſita, ante ipſius Baſilicæ oſtia herbas atrij ſuos equas depoſcere dimiſerunt. Qui protinus inſolito furore agitati, quamvis ferrea forent compede nexi, ab alto tamen montis vertice per ſaxorum prona labentes, in profunda fluminis ſunt præcipitati, atque B. Serenici meritis ad alterius ripæ crepidinem pervenerunt illæſi. Quod miraculum multitudo quæ aderat cernens vulgi, in ſui Sancti meritis potentiam cœpit laudare Chriſti. Ergo & nos idcirco hoc factum credimus, ut & hi qui protervè egerant à tali auſu deinceps reſipiſcerent, altiúſque in locis ſacratis Divinam potentiam metuerent: & qui aderant, S. Serenici cernentes merita, eumdem locum religioſiùs venerando excolerent, atque in Sanctis ſuis ubique Deum operantem profuſiùs collaudarent. Enimvero poſthæc in loco eodem quanti per ejuſdem Sancti merita dæmoniaci, cæci, ſurdi, claudi, variíſque languoribus afflicti curati ſunt, non eſt memoriæ commendatum nec litteris exaratum: uſu enim ſuo etiam ipſa miracula cernentibus viluerant. Hæc autem modò compendij gratiâ è pluribus pauca ſufficiat tetigiſſe, atque, ut imperatum eſt, quæ ſcripta comperimus, legentium memoriæ fideli narratione proluſiſſe[a].

[a] Nullum hîc verbum facit Auctor de Tranſlatione Reliquiarum S. Serenici in Caſtrum-Theodorici, vulgò *Chaſteau-Thiery*, de qua idē Ordericus loco jam citato ita ſcribit: Carolo *ſimplice regnante dum* Hastingus *Danus cum Gentilium phalange Neuſtriam eſt depopulatus, ſanctum Corpus* (Serenici) *à Fidelibus in Caſtrum-Theodorici tranſlatum eſt, & diſperſis Monachis Monaſterium deſtructum.* Et ad ann. 1094. *Caſtro S. Serenici iterum capto à Roberto Beliſmenſi ſuper Geroium, Sagienſes Monachi brachium S. Sereniti de Eccleſia tulerunt, & in S. Martini Cœnobium reverenter tranſtulerunt. Nam reliqua pars corporis eius in Caſtello Theodorici ſuper Matronam fluvium ſervatur, & à Gallis celebri devotione excolitur.*

Circ. An. dc. lxix. Julii xxi.

VITA S. SERENEDI CONFESSORIS APUD CENOMANNOS.

Hîc ſupplendum Vitæ exordium ex priori Vita ad num. 8.

Serenedus actioni & contemplationi deditus. * *S. Serené*

8. SAnctus ergo Serenedus * cum apud vicum *Salviam* in pago Cenomannico remanſiſſet, ſumma diſcretione inſtituit qualiter viveret, ſcilicet quantum abſtinentiæ, vigiliarum, orationum, ceterorúmque bonorum Deo cotidie indeſinenter offerret. Sæpè tamen hunc modum exceſſit, prout ſibi gratia Spiritûs adſpirâſſet. Eo denique plenus, per activam ad contemplationem evectus vitam, internis deliciis paſcebatur, præſertim qui per munditiam cordis Divinis colloquiis & Angelorum viſionibus frueretur, qui ſuos labores pio ſolatio relevarent & æterna ſibi gaudia nun-

tiarent. Unde ſæpiùs contigit ut Divino Spiritu ſuper ſe raperetur, adeo quòd non ſolùm facta ſed multorum etiam cogitatus agnoſceret, & Spiritu veritatis edoctus nullatenus falleretur, nec in ejus præſentia quiſquam mentiri auderet. CIRC. AN. DC. LXIX. JULII XXI.

9. Excrevit igitur fama bonitatis ejus in populo, ac religioſorum virorum ad eum turba confluxit, certatim ſibi temporalia bona ferentes, quæ quidem caritatis gratiâ ſuſcipiebat, ſed ſtatim pauperibus erogabat, quibus econverſo cæleſtis vitæ documenta reddebat, ſollerter præcavens, ne quis ab eo abſque aliqua ædificatione recederet. Siquis deſperatus peccator ad eum veniſſet, tantis hunc irrigabat doctrinæ fluentis, ut relictis erroribus & peccatis lætus & alacer remearet. Unicuique ſicut expedire videbat, cæleſtis dona fluenti præbebat, diſcordes ad pacem perpetuam revocabat. Cujus monitis multi patrimonia terrena reliquerunt, & calcantes caduci oblectamenta mundi, ejus ſacro conſortio penitus adhæſerunt. Nam cùm eſſet litteris eruditus, & omnis ejus ſermo ſale condîtus in gratia, eos qui ſibi adhæſerunt tam doctrina, quàm vita jugiter informabat: qui ſi quando ab oratione vel exhortatione vacaret, lectioni intentus aſſiduè ſtudebat profunda Scripturarum rimari, veteris ac novi convenientiam inſpicere Teſtamenti. Vir prudens & ſimplex ac pacis amator vultu ſemper & animo placidus nulli pro malis noverat reddere talionem. At ſi quiſpiam de amiſſis rebus ſibi aliquid nuntiâſſet, pectore tranquillo Dominum datorem & ablatorem omnium collaudabat: nec erat ei in ſuſcipiendis hoſpitibus perſonarum acceptio, ſed Divinum in his potiùs quàm humanum attendebat honorem. Multos ad ſe allicit. Sacris ſtudiis navat operam. *Eadem de S. Serenci ſuprà num.* II. Ab impatientia & vindicta alienus.

10. Intentus ergo tam ſanctis operibus, cœpit magnis clarere miraculis: non enim tanta lucerna abſcondi ſub modio, nec civitas ſuper montem poſita poterat non videri. Tempore quodam clauſo diutius cælo cùm terris pluviæ negarentur, tanta fuit meſſis ſterilitas, ut immenſa fame tota pæne provincia vaſtaretur: deficcabat enim nimia terram ariditas, & colonis fructum nulla ferè ſemina referebant. Præter hæc ingens ſucceſſit mortalitas hominum, & ex aëre jam corrupto vicinum multis minabatur interitum. Erat autem videre mirum, quòd cùm aliqui moribundi mortuos ſepelirent, protinus exſpirantes cum eiſdem ſepelirentur. Super hæc incurſibus hoſtium atque bellis, quorumdam ſuperbiâ Principum tota provincia turbabatur, ut revera videretur impletum, quod in Propheta Dominus comminatur: *In tribus*, inquit, *viſitabo populum meum, in peſte & fame & gladio.* Tantis igitur ingruentibus malis omnis Clerus & populus Cenomannicum Præſulem adeunt, ejus conſilium ſuper tot calamitatibus inquirentes: qui ubi humanum ceſſit auxilium, decrevit à Deo precibus experendum. Indixit igitur cum Letaniis & Miſſis triduanum jejunium. Tertia verò nocte jejunij, cuidam Religioſo revelatum eſt, B. Serenedi meritis patriam liberari. Eo igitur agnito Præſul gaviſus eſt, & venerandis ſumptis ſecum à latere viris ad virum Dei per ſemetipſum acceſſit, à quo cum honore ſuſceptus eſt. Libatis igitur oſculis, poſt amatoria verba noticiæ, virum ſecretiùs advocat, adventûs ſui cauſam & ordinem pandit, nec ſine nutu Dei huc ſe veniſſe refert. Abnuit Sanctus, ſéque indignum, nec talis meriti fore dicit per quem plebs liberetur. Inſtat Præſul dicens revelatum à Deo, ipſum niſi cedat, ex inobedientia reum per quem populus deperiret. Tandem juſtis convictus rationibus ceſſit, & licet ſe diceret peccatorem, ſpondet tamen pro populis oraturum. Receſſit igitur Pontifex. Tunc verò vix crederes quanta ſe afflictione compreſſit, quantum ſe lacrymis, jejuniis, vigiliis orando perdomuit. Igitur quia multùm valet deprecatio Juſti aſſidua, accepit quod petiit, invenit quod quæſiit, atque pulſanti apertum eſt. Pluit igitur abundè & congruè, atque ipſo anno tanta frugum omnium erupit ubertas, ut prædictam inopiam penitùs aboleret. Quibus imbribus totus aër ſalubriter temperatus eſt, fugatáque peſte ingrata mortalitas deſiit. Cenomannos fame, peſte & bello liberat. *Ierem.* 27. 13.

CIRC. AN. DC. LXIX. JULII XXI.

Ubi attende quòd dum præſentem mortem tot pro certo morituris nec etiam morientibus diſtulit, tot quodammodo mortuos ſuſcitavit. Pòſt ubi compertum eſt hoc ejus meritis accidiſſe, compuncti belli Duces ejus conſilio pacem fecêre, ſícque fames, peſtis & bella pariter quievêre. O magni meriti virum! O quàm mirabilis Deus in ſanctis ſuis & ſanctus in omnibus operibus ſuis!

Ab Epiſcopo Archidiaconus fieri recuſat.

11. Hunc Præſul honorans invitum & coactum Archidiaconum ſtatuit. Obſtat ille, & cauſatur ſe Diaconum Cardinalem Romanum minui non debere. Tandem hoc ſolo ceſſit, ut eo conſulto res gererentur. Exinde Sanctus in ſummo honore à cunctis habitus eſt, & per ipſum confidentiùs à Deo indulgentiam poſtulabant. Nam tanta inerat ei gratia ſanitatum, ut non ſolùm ejus tactu & verbo, quinetiam veſtibus ſanarentur infirmi, ac quando manus laviſſet, multi ex aqua loti vel poti febribus curabantur. De fragmentis panum vel de ciborum reliquiis quas quidam fideliter longiùs aſportabant, ægri ſanati ſunt. Leproſum quondam ſibi notum precibus ſanitati reſtituit, aliquibus cæcis lumen Crucis ſignaculo reddidit. Geſſit multa, quæ ſi quis per ſingula diceret, ante dies quàm opus deficeret: ſed faſtidium vitans ejus vitæ finem veloci ſtilo diſcurram.

Multa patrat miracula.

Mortis præſcius moritur.

12. Cùm igitur tantorum laborum vices Dominus ſibi reddere vellet, graviter infirmatus mortem adeſſe ſenſit. Convocatis ergo diſcipulis rem prædicit, quorum mox lacrymis atque planctu vicinia conturbantur. Ubi cùm multitudo promiſcua conveniſſet, hortabatur eos ut benefacientes non deficerent, nec dubitarent ferre dura & aſpera mundi pro Domino, quibus corona daretur æterna. Scirent ſe tamquam advenas & peregrinos à carnalibus deſideriis abſtinere debere, pro quibus æterna tormenta parantur. Cúmque talia diutiùs perorâſſet, ſumpto Sacramento Corporis Domini, præclaram quam ſibi dederat animam ſine macula reddidit Creatori. Audita eſt in ejus obitu cæleſtis melodiæ ſuavitas Angelorum canentium, & odor inſolitus multorum naribus infundebatur. Ad cujus exſequias tota ferè convenit provincia, eum ut patrem patriæ lamentantes. Sepultus eſt ergo in Eccleſia, ubi miraculis clarus jacuit per tempora longa, & ibidem cernuntur adhuc ſepulcri veſtigia. Nam corpus ejus poſtmodum Andegavim tranſlatum eſt: quod qualiter factum ſit ſicut ab antiquis traditur paucis dicam.

Andegavum corpus tranſlatum.

13. Fama refert, quòd dono cujuſdam Salvia vicus ille in dominium Andegavenſis Epiſcopi deveniſſet. Quem cùm aliquamdiu poſſideret, quoniam vicus idem remotior eſſet ab urbe Andegavenſi, ipſum pro quodam qui nunc Vicus-Epiſcopi dicitur dedit, unde etiam hoc nomen traxit. Detulit igitur inde Præſul B. Serenedum, & in Eccleſia Pontificali condidit cum honore. Quòd ſi res aliter ſit, certum tamen eſt in Epiſcopali Eccleſia B. Mauricij Sanctum iſtum haberi, quem populus Andegavenſium orat, Clerus honorat, & ejus feſtum recolit duodecimo Kalendas Auguſti. Eſt enim magni meriti Sanctus qui in carne vivens à plebe Domini peſtem, famem & bella removit, nunc etiam carne ſolutus plus removere poteſt. Unde valde honorandus atque orandus eſt, ut ſe veneranti Clero & populo corporis & animæ ſalus proveniat, atque ejus meritis vitam æternam conſequantur ab eo qui vivit & regnat in ævum. Amen.

VITA S. FRVCTVOSI EPISCOPI BRACARENSIS,

CIRC. AN. DC. LXX. APR. XVI.

Auctore (ut aiunt) S. VALERIO Monaſterij S. Petri de Montibus Abbate, fere æquali.

Ex Prudentio Sandovalio & Martyrologio Hiſpan.

OBSERVATIONES PRÆVIÆ.

Vitæ Scriptor quis?

1. SEQUENS *Vita* S. FRUCTUOSI *Regia ex ſtirpe editi, Abbatis, Monaſteriorum ac Monachorum plurimorum inſtitutoris, demùmque Epiſcopi Bracarenſis, ſcripta eſt ab Auctore gravi quidem ac ſubpari, at latinitatis ignaro: qui* quantum fideli narratione cognovit, pauca de S. Fructuoſi principio ac fine vitæ perſtrinxit, *ſicuti in Præfatione proloquitur. Iſtam ſcriptionem* S. Valerio * Abbati Monaſterij S. Petri de Montibus *tribuunt Sandovalius & Tamayus: tametſi inter hancce Vitam & fragmentum Sermonis ipſius ſancti Valerij in Concordia Regul. cap. 3. §. 7. relatum nonnulla videtur ſtili diverſitas. Auctor in hoc opere teſtes adducit Fulgentij diſcipulos*, Benenatum *cap.* 12. Julianum *cap.* 15. Caſſianum *cap.* 21. *à quibus narrationis ſuæ materiam accepit. Iſtam lucubrationem è membranis Cœnobij ſancti Petri de Arlanza anno Chriſti* CM. XII. *exaratis acceptam ediderunt Prudentius Sandovalius Parte* 1. *Fundat. Monaſt. Hiſpan. & Iohannes Tamayus Salazar in Martyrol. Hiſpan. ad diem* 16. *Aprilis; ſed refertam mendis propè infinitis, partim ex amanuenſium vitio, partim ex ipſius Auctoris barbarie: quas mendas pluribus in locis emendavimus; alias, quæ quidem ipſius Auctoris eſſe videntur, retinuimus. Quales ſunt*, hunc habitaculum, eumdem hoſpitium *cap.* 1. Cœnobium Complutenſem *cap.* 2. *& cetera id genus, uti & Participia pro verbis ipſis*, revertens *pro* revertitur *eodem loci & alibi paſſim: quæ ſtribiligines non tam Scriptoris ingenio, quàm ſæculi corruptelæ tribuenda ſunt.*

* *de eo ad ann.* 695.

Fructuoſi an plures?

2. *Menardus noſter in Præfatione ſecunda ad Concordiam Regul. tres diſtinguere videtur* FRUCTUOSOS, *unum Bracarenſem Epiſcopum, quo de nunc agimus; alterum* FRUCTUOSUM *Abbatem; tertium* FRUCTUOSUM *Epiſcopum Segobienſem: quem tamen non* Fructuoſum, *ſed* Fructum *appellandum eſſe cenſet Tamayus Salazar. An* Fructuoſus *Abbas alius ſit à* Fructuoſo *Bracarenſi Antiſtite, meritò dubitare licet. Fundamentum Menardi unum ab altero diſtinguentis petitur ex duplici Regula Fructuoſi nomine inſcripta*, quarum altera, *inquit*, eſt Magni illius Fructuoſi Pontificis Bracarenſis, quæ complectitur quinque & viginti capita. Quod ſatis notum eſt ex cap. 18. ejuſdem Regulæ, in quo ſtatuitur una Quadrageſima jejunanda ante feſtum SS. Juſti & Paſtoris, quam ſanè inſtituit S. Fructuoſus, quia ſuum Monaſterium dedicatum erat ſub patrocinio horum SS. Martyrum. Altera Regula eſt cujuſdam alterius Fructuoſi, qui in hac Concordia à ſuperiori diſtinguitur, etſi interdum hi duo Fructuoſi exſcriptoris incuriâ confundantur. *Mittimus teſtimonium à Menardo ex Pſeudo-Maximi Chronico adductum, quod ipſe (uti par eſt) nihili pæne ducit. Vtramque Regulam (pace doctiſſimi viri dictum ſit) ejuſdem Auctoris eſſe Fructuoſi Bracarenſis Epiſcopi, res videtur exploratior. Prima conſtans capitulis xxv. directa eſt Monachis: ſecunda viris & feminis ad converſionem venientibus, dicitúrque* Regula Monaſtica communis, *ac capitulis xx. abſolvitur. Cur poſteriorem iſtam Regulam compoſuerit Fructuoſus, diſcimus ex ſubjecta Vitæ capite* 17. *Quippe* tanta in utroque ſexu almiflua florebat ſanctitas, atque eximia creſcebat fama perfectionum, ut viri cum filiis ſuis ad ſanctam ſe converterent Congregationem Monachorum: matronæ verò cum filiabus ſuis ſancto ſe ſociarent conſortio Puellarum. *Hinc Regulæ Communis caput ſextum:* Qualiter debeant viri cum uxoribus ac filiis abſque periculo vivere in Monaſterio. *Id tamen ita ſtatuitur*, ut Monachi cum ſororibus uno Monaſterio habitare non audeant, neque Oratorium commune habere præſumant. *Quod toto cap.* 15. *& ſequenti latè cavetur. In utraque illa Regula conſonant non pauca. Caput vigeſimum quartum* de ſenibus *& caput vigeſimum quintum* de die Dominico, *quæ in Regula Monachorum, ſeu primâ, apud Holſtenium deſunt; inſeruntur iiſdem omnino verbis ac ſententiis in Regula Communi ſeu ſecunda, & capitula octavum ac tertium decimum conſtituunt: idque ex MSS. codicibus reſtituendum monemus.*

Regulæ duæ an ejuſdem Fructuoſi?

NOTA.

3. *Nec ſententiæ noſtræ obſtat, quòd in Concordia Regul. cap.* 4. §. 3, *poſt citatam* S. Fructuoſi Epiſcopi *Regulam refertur locus* ex Regula alterius Fructuoſi, *qui locus eſt caput tertium Regulæ*

CIRC. AN. DC. LXX. APR. XVI.

Communis. Ibi enim legendum putamus ex Regula altera Fructuoſi. *Certè Regulæ ſecundæ ſeu Communis Auctori, qui in Concordia Regularum quindecies laudatur,* Epiſcopi *nomen tribuitur duobus in locis, nimirum cap.* 3. §. 5. *& cap.* 28. §. 3. *Porrò cap.* 27. §. 2. *adducitur caput undecimum Regulæ ſecundæ, ſequenti verò paragrapho caput tertium primæ cum hac inſcriptione:* Item ejuſdem. *Neque verò ſemper in eadem Concordia Auctor primæ Regulæ vocatur* Epiſcopus: *ſiquidem ex tribus ac triginta locis in quibus teſtimonia ex ea producuntur, duodecies ſine Epiſcopi titulo memoratur. Denique in eodem opere conditor ſecundæ paſſim, uti & primæ ſcriptor, Sanctus exprimitur.*

4. *Obſervare demum juvat,* fragmentum quoddam de diverſitate culparum ſuper Regulam S. Benedicti, *quod in nonnullis libris MSS. Fructuoſo adſcriptum reperitur, indignum omnino eſſe Fructuoſo: cujus de Regulæ conformitate cum Benedictina pluribus egimus in Præfatione ad Sæculum* 1. §. 6. *num.* 75. *Fructuoſi Vitam attendamus, cujus hæc inſcriptio in apographo exſtat:*

INCIPIT VITA VEL MEMORATIO MIRABILIORUM, quæ Deus per boni obſequij famulatum ſanctiſſimi FRUCTUOSI Epiſcopi ad corroborandam fidem credentium ſtatuit ad ſalutem.

PROLOGUS. Fructuoſus cum Iſidoro comparatur.



OSTQUAM antiquas mundi tenebras ſupernæ veritatis nova inradiavit claritas, & à Sede Romana, primâ ſanctæ Eccleſiæ Cathedrâ, Fidei Catholicæ dogmatum fulgurans rutilaret immenſitas, atque ex Ægypto Orientale provincia, excellentiſſima ſacræ religionis præmicarent exempla, & hujus Occíduæ plagæ exigua perluceret extremitas; præcipuæ claritatis egregias Divina pietas duas inluminavit lucernas, ISIDORUM reverentiſſimum ſcilicet virum Spalenſem Epiſcopum, atque beatiſſimum FRUCTUOSUM ab infantia immaculatum & juſtum. Ille autem oris nitore clarens, inſignis induſtriâ, ſophiſticæ artis indeptus primitias, dogmata reciprocavit Romanorum: Hic verò in ſacratiſſimo Religionis propoſito Spiritus-ſancti flammâ ſuccenſus, ita in cunctis ſpiritualibus exercitatus omnibúſque operibus ſanctis perfectus emicuit, ut ad Patrum ſe facilè *, quorum æquaret antiquorum meritis Thebæorum. Ille activæ vitæ induſtriâ univerſam extrinſecùs erudivit Spaniam: Hic autem contemplativæ vitæ peritia vibrante fulgore micans, intima cordium inluminavit arcana. Ille egregio rutilans eloquio in libris claruit ædificationis: Hic autem culmine virtutum coruſcans, exemplum relinquens ſanctæ religionis, & innocuo greſſu ſecutus eſt veſtigia præeuntis Domini noſtri & Salvatoris: cujus tantum ineffabilia ſunt virtutum ejus prodigia, quòd noſtra nuncupare non valet ineptia. Quantum fideli narratione cognovi, pauca de principio vitæ ejus, & fine diſſerendo perſtringam.

* *hic aliquid deeſt.*

CAP. I. Regio ortus genere fit Clericus.

Hic verò beatus ex clariſſima Regali progenie exortus, ſublimiſſimi culminis, atque Ducis exercitûs Hiſpaniæ proles, dum adhuc puerulus ſub parentibus degeret, contigit ut quodam tempore pater ejus eum ſecum habens inter montium convallia Bergendenſis [a] territorij, gregum ſuarum requireret rationes: pater autem ſuus greges deſcribebat & paſtorum rationes diſcutiebat. Hic verò puerulus inſpirante Domino pro ædificatione Monaſterij alta loca penſabat, & intra ſemetipſum retinens, nemini manifeſtabat. Poſt diſceſſum igitur parentum, abjecto ſæculari habitu, tonſóque capite cùm Religionis initia ſuſcepiſſet, tradidit ſe erudiendum ſpiritualibus diſciplinis ſanctiſſimo viro CONAN-

a

a Pagus ſeu tractus Bergendenſis ſeu Vergendenſis ac Vergidenſis, hodie vulgari nomine *Vierzo*, ſitus inter Legionis montes & Callæciam teſte Antonio Yepezo, S. Fructuoſo ortum dediſſe à nonnullis creditur: tametſi Tamayus Salazar, Fructuoſum Toleto civitati vindicare in Martyrologio conatur.

TIO [a] Epiſcopo. Cúmque aliquanto tempore ſub illius degeret regimine, provenit ut quodam die poſſeſſionem Eccleſiæ ingreſſi, illius præeuntes paricelluli [b] cùm ei ad manendum hoſpitium præpararent, quidam de ſumptoribus * ſedis ipſius adveniens interrogavit dicens: Quis hunc occupavit habitaculum? Reſponderunt: Fructuoſus. Statim inſana temeritate fruſtratus, juſſit ejus ſarcinolum foris projicere, & ſibi ibidem præparare. Quod ille patienter tolerans ſiluit. Cùm enim intempeſtæ noctis ſilentio omnes quieſcerent, ſubitò eumdem hoſpitium ab ira furoris Domini veniens ignis ſuccendit cum intus eodem habitaculo, quod ut adſolet minimi haberetur. Recto videlicet judicio Domini, ut eumdem habitaculum, quem typo ſuperbiæ turgidus uſurpaverat, oranteſancto adoleſcente cum ingenti periculo, perturbatione atque injuria & jacturæ tribulatione deſereret. CIRC. AN. DC. LXX. APR. XVI. *a* *b* * *an* ſervitoribus? Deum habet vindicem.

II. Monaſterium Complutenſe exſtruit.

Poſthæc revertens ad locum illum ſolitudinis ſupramemoratum, ut devotionem quam dudum parvulus elegerat, jam perfectus impleret. Nam conſtruens Cœnobium Complutenſem [c], juxta Divina præcepta, nihil ſibi reſervans, omnē à ſe facultatis ſuæ ſupellectilē ejiciens & ibidem conferens, eum locupletiſſimè ditavit, & tam ex familiæ ſuæ, quàm ex cōverſis è diverſis Hiſpaniæ partibus ſedulò concurrentibus, eum agmine Monachorum affluentiſſimè complevit. Sicut ſcriptum eſt, quia ſemper ſanctitatem æmulatio inſequitur inimici, & contra bonitatem pugnat malitia; ilico invidus vir iniquus, ſororis ejus maritus, antiqui hoſtis ſtimulis inſtigatus, coram Rege proſtratus ſurripuit animum ejus, ut ejuſdem pars hereditatis à ſancto Monaſterio auferretur, & illi quaſi pro exercenda publica expeditione conferretur. Quod cùm huic beatiſſimo compertum eſt, ſtatim tulit Eccleſiæ vela, & ſancta nudavit altaria, & ciliciis induit ea [d], atque ſcripſit & direxit illi epiſtolam confuſionis & increpationis Dominíque comminationis, ſe quoque convertit in jejuniis & luctu, & lacrymis atque prolixitate orationis. Cùm ita ageretur, ſtatim ipſe Sanctorum æmulus & boni operis adverſarius ultione Divina percuſſus citiùs vitā finivit. Sícque factum eſt, ut qui oblationes Sanctorum quęrebat auferre, ipſe crudeliter de hoc ſæculo abſque liberis diſcederet, & facultates ſuas alienis relinquēns, & ipſe ſecum ſolam proditionem portaret. *c* *d*

III. Secedit in ſolitudinem.

Hic verò ſanctiſſimus confirmans cunctum Regularem ordinem, conſtituénſque Cœnobij Patrem cum ingenti diſcretionis rigore. Et quia rumor gloriæ ſanctitatis ejus cunctas paragraverat regiones, quum ex multitudine diverſorum occurrentium crebram pateretur inquietudinem, humanam fugiens laudem

a Legendum videtur *Tonantio*. Duo erant tum temporis Tonantij Epiſcopi, Palentinus alter, alter Toletanus ex Abbate Agalienſi, aliis *Venantius* & *Conantius* dictus, qui Adelphio Antiſtiti Toletano ſucceſſit. Utri commiſſus fuerit Fructuoſus, diſputant Hiſpanici Scriptores. Præferenda videtur ſententia de Tonantio ſeu Conantio Toletano: cui in Sede Regia conſiſtenti Regius puer Fulgentius commodiùs tradi potuit. Quamquam non deſunt rationes in gratiam Conantij Palentini, qui & Bergendenſi regioni, Fructuoſi ditioni vicinior erat; & *eloquio facundus & gravis* prędicatur ab Hildefonſo in lib. de Script. Eccleſ. cap. 11.

b Sandovalius legit *puricelluli*, Salmanazar *puercelluli*: lectio noſtra ſenſui accommodatior videtur.

c Cœnobium Compluticum ſeu Complutenſe, *Monaſterium SS. Iuſti & Paſtoris* ab S Eulogio Cordubenſi dicitur, deſcribitúrque in Memor. Sanctor. lib. 2. c. 11. in hunc modum. *Eſt in interiori montana Cordubenſi, loco qui dicitur Fraga, inter clivoſa montium & condenſa ſilvarum, confini viculi Lejulenſis, qui à Corduba diſtat quinque milliarios luſtros*, id eſt viginti quinque milliaribus. Quo in loco Cordubam interpretare, non civitatem, ſed montem Cordubam in Luſitania & Regno Portugallico, pago Portuenſi, quem montem incolæ *Cervum* vocant. In Privilegio Chindaſuinthi Regis Fructuoſo Abbati conceſſo *Baſilica vel Monaſterium SS. Martyrum Iuſti & Paſtoris ſive S. Maria & S. Martini Epiſcopi ſitum eſt juxta rivulū qui dicitur Molina, ſub monte Irago, in confinio Vergidenſi.* Antonius Yepezius putat, ideo fuiſſe dictum Complutum, quòd ſanctis Martyribus Complutenſibus Juſto & Paſtori ſit dedicatum. Porro Complutum opidum, nunc *Alcala de Henares* appellatum, in Regno Caſtellæ Madrito finitimum, longiſſimè abeſt à montibus Aſturicenſibus, in quibus ſitum erat Compluticum Monaſterium: quod an hodie ſurperſit, diſcere non potuimus.

d Alia id genus exempla paſſim in Sanctorum Actis reperies. In libro Mirac. S. Bened. per Adrevaldum c. 26. ſuprà p. 382. cùm fur quidam armillas è S. Benedicti Baſilica abſtuliſſet, Chriſtianus Ædituus S. Benedicto dixiſſe fertur: *Crede mihi ſi armillas tuas non reſtituerint, nec unam tibi candelam accendam.* Et S. Eligius teſte Audoēno in ejus Vita lib. 2. cap. 30. *Audi, inquit, S. Columba quæ dico: novit meus Redemptor, niſi citò ornamenta tabernaculi hujus furata reduxeris, equidem ſpinis allatis faciam hanc januam ita obſeravi, ut nunquam tibi in hoc loco veneratio præbeatur abhodie.* Tales orationes non dubius ſequebatur effectus. Quid enim candidis animis non tribuat ſimplicitatis Amator?

CIRC. AN. DC. LXX. APR. XVI. atque faborem, egrediebatur à Congregatione, & nudus veſtigiis penetrabat loca nemoroſa, argis denſiſſima, aſpera, & fragoſa: ubi per ſpeluncas & rupes, triplicatis jejuniis, & multiplicatis vigiliis, & orationibus vacabat.

IV. A venatoris ictu ſervatur illæſus.

Contigit enim, ut dum quodam tempore in cujuſdam rupis gradibus melotem ex capreis pellibus indutus enixiùs oraret, adveniens quidam arciſtes * venationis exercens inſidias, cùm vidiſſet eum ſuper unum rupis gradum in oratione proſtratum, exiſtimans in rupe eſſe venationem, tendens * arcum: & cùm librâſſet ictum ut dimitteret ſagittam, providentiâ Divinâ ſollicitus erexit manus cum oratione ad cælum. Ille verò intelligens quòd homo eſſet, retinuit ictum. Poſthæc oſtendens * ei ſe hæc cuncta referens: ipſe verò beatiſſimus rogavit eum ut nemini manifeſtaret.

* *al.* agreſtis
* tetendit
* oſtendit

V. Monaſteria varia ædificat.

Poſthęc denique in vaſtiſſima & arta atque procul à ſæculo remota ſolitudine, in excelſorum montium finibus exſtruens Monaſterium Rufinianenſem, & erga ſanctum altarium ſe in anguſto & parvulo retruſit ergaſtulo. Cúmque ibidem aliquanto tempore quieviſſet, egreſſa eſt omnis Congregatio Complutenſis Cœnobij multitudo Monachorum: piè violenti, venientes ejecerunt eum de eadem clauſura, & ad priſtinum reduxerunt locum. Demum itaque egrediens, inter * Bergendenſis territorij & Gallęciæ provinciæ confinibus ædificavit Monaſterium Viſumenſem.

* in

VI. Mare tranat abſque navi.

Atque poſtmodum ex alia parte Gallęciæ in ora maris conſtruxit Monaſterium Pheonenſem. Et dum multa illi intentio eſſet navigandi in mare in longinquo ponti pelago, non grandem reperit inſulam: ubi dum concupiſſet cum Dei juvamine fundare Monaſterium. Egredientes autem ad terram, naviculam per quam transfretaverant, per negligentiam incurij nautæ ſolutam reliquerunt. Et dum intentè cum diſcipulis ſuis ſub quadam rupe laboraret, ut aqua dulce produceret, expleto autem opere cùm retranſmeare voluiſſent, impulſu igitur inimici, volventibúſque procellis vident ipſam naviculam in longinquo maris freto inter undas projectam. Et dum omnes ejus diſcipuli factâ ſibi difficultatis diſperatione ſe gravi mærore deprimerent, ipſe verò oratione facta ſe in tam longinquo maris pelago ſolus projecit. Illi autem duplo luctu & ejulatu amariſſimè perſtrepebant, & illius periculum formidantes, & ſuum interitum deplorantes. Et cùm jam præ nimia longinquitate ab oculis eorum abſconderetur, & in integram ruerent deſperationem; poſt multa verò horarum ſpatia procul intuentes, vident ipſam naviculam paulliſper propinquare. Poſtquam viciniùs adplicuit, cernunt eum in eadem ſedentem, & cum gaudio remeantem: quem cum ſumma lætitia ſuſcipientes retransfretaverunt cum exſultatione. Ad idémque * demum regrediens inſulam, in qua eum incipientem ſancti operis principium invidus atque iniquus impedire dudum tentaverat inimicus, promiſſum cum Dei juvamine conſtruit Monaſterium, ſolitóque exercitio eum dedicans, ſtrenuè reliquit munitum.

Monaſterium in inſula condit.

* eamdémque

VII. Multos ad ſe trahit.

Rumore eximiæ ſanctitatis ejus enixiùs crebreſcente, multæ idoneæ ac nobiles perſonæ etiam de palatio, ſervitium Regis relinquentes, ad ejus ſacratiſſimam ſitienter confugerunt diſciplinam: ex quibus plerique ad Pontificalem, duce Domino, conſcenderunt honorem. Inter quos unus ſophiſmæ *, intelligentiæque peritiam indeptus nomine TEUDISILUS opitulante Domino atque ſæpedicti Beatiſſimi ſuffragrante præſidio, in abditiſſima ſolitudine, in locum qui nuncupatur Caſtrum-Leonis egregium ædificavit Monaſterium, & in ipſo permanſit uſque ad finis ſuæ terminum.

* *f.* ſophiæ

VIII. Recapitulatio.

Igitur præfatus beatiſſimus Fructuoſus ſeſe Domino nimiùm ab ineunte ætate carum exhibuit. Poſthæc denique contemptis inlecebris mundialibus omnem eximij ſui patrimonij copiam Eccleſiabus ſanctis, libertis ſuis, atque pauperibus erogavit. Dein ad eremi pertendens loca, Monaſteria plurima fundavit, in quibus multas animas Monachorum per bonam converſationem, & ſanctam

ctam disciplinam erudivit. Ipse verò dum ibi Cœnobiali ritu cunctis commorantibus modum rectæ vitæ constituisset, & aliquamdiu illic deguisset, devitans frequentes populi concursus, abditissima eremi loca petit, ac frondosis, secretisque nemoribus ita se oculi * studuit, nunc altissimis locis, nunc densissimis silvis, nunc etiam rupibus, quæ solis ibicibus perviæ sunt, latebrando latitans, ut non humanis, sed divinis oculis cerneretur. CIRC. AN. DC. LXX. APR. XVI. Latebras quærit. * occulere

IX. A graculis proditus.

Sed dum opitulante Domino idem vir sanctus inreprehensibiliter eremiticam perageret vitam, eúmque multi diligenter crebrissima visitatione requirerent, & non reperissent; idem vir nigras parvásque aves, quas usitato nomine vulgus gragulas * vocitant, mansuetas in Monasterio habuisse perhibetur. Quæ pertendentes volatu per diversas partes silvarum, eousque volitantes perquirebant, quousque repertum cunctis inquirentibus ejus sanctas latebras suis garrulis vocibus proderent, atque omnibus propalarent. Tunc deinde universi ad eumdem virum cum gaudio magno properabant. Denique sicut suprà diximus, multis miraculorum signis crebrè effulsit, & miro virtutum opere adnitente Divino adminiculo sæpissimè coruscavit. Ex quibus sacris virtutibus opitulante Deo jam nunc aliquid fari incipiamus. * graculos *sive* graculos

X. Damulam venatoribus subductam habet familiarem.

Quadam namque die, ut fertur, venantium turbæ cum canibus damulam persequebantur. Jam quidem multo spatio victa bestiola cùm undique campis latè patentibus mortem imminere suam cerneret, itaut pæne jam ab ipsis canibus comprehenderetur, sævísque eorum morsibus decerperetur; idem quoque vir Dei iter suum incognitâ venantium causâ peragebat. Ipsa nimirum bestiola dum jam nullum uspiam sibi conspiceret adesse perfugium, mox ut vidit virum Dei, ilico sibi ab eo defensionem propositam protinus pro percipiendo vitæ suffragio incunctanter sub ejusdem viri Dei amphibalum ingressus est: quam ille statim ab omni improborum hominum persecutione defendit. Mox etiam canes procul abigi jussit, atque ad Monasterium eam secum sua sponte venientem perduxit. Quæ, ut dicitur, tantum ab illa die mansueta effecta est, ut ubicumque ille abiret, eam nullus de ejus vestigiis disjungere valeret: sed si vel paullulùm ab ea recederet, numquam balare, aut vocibus strepere cessaret, quousque ad eam denuò rediret. Nimirum tantæ erat mansuetudinis, ut veniens frequenter in lectulum ad pedes ejus recubaret. Quam ille in silvæ Monasterio sæpe dimittere jussit. Illa verò non immemor tanti beneficij gratiâ, silvam quæ eam nutrierat contemnebat, & ad liberatoris sui præsentiam ociùs occurrebat. Intantum scilicet, ut si ille quocumque profectus fuisset locum, suis eum vestigiis quousque reperiret per longum itineris spatium prosequeretur. Cúmque diutissimè hoc ageretur, cœpit in loco eodem tantæ virtutis longè latéque fama crebescere. Sed quia antiquus hostis unde bonos cernit enitescere ad gloriam, inde perversos per invidiam rapit ad pœnam; quidam namque juvenis vesaniæ spiritu inflatus, immo potius invidiæ igne succensus, desistente * sanctissimo viro ipsam bestiunculam morsibus canum interemit. Sed cùm post aliquos dies sanctissimus vir ad Monasterium fuisset regressus, sollicitè requisivit quidnam causæ esset cur caprea sua ei solitò more tunc minimè occurreret. Cui protinus dictum est, quia dum in pascuis silvarum fuisset ingressa, veniens puer ille interemit eam. Qui mox genua sua summo cum dolore in conspectu Domini flectens, semetipsum in pavimentum prostravit, sed nutu Dei ilico inferre non distulit supplicium præsens Divinæ majestatis severissima ultio. Ipse ille juvenis gravi febrium languore statim correptus, mox ab eo flagitare per internuntios cœpit, ut pro se Dominum supplicaret, ne juxta suam pessimam temeritatem, Divina perculsus ultione crudeli exitu vitam finiret. At ille statim ad eum profectus Domini imploravit misericordiam, ac manum suam super eum posuit: & illic ægroto ipso non solùm corporis salutem pristinam reddidit, verumetiam simul & animæ ejus infirmitates sacra oratione curavit. * absente

CIRC. AN. DC. LXX. APR. XVI.

Aliud quoque ſummæ patientiæ miraculum narrante quodam fideli viro comperimus, qui nobis retulit ſupranominatum virum almum quadam die cum ceteris comitibus ſui itineris per loca quæ urbi Eltaniæ contigua ſunt pergeret, atque provinciæ Luſitaniæ eximiam urbem Emeritam ob deſiderium egregiæ virginis EULALIÆ peteret, quatenus inibi ſacra vota mentis ſuæ ſacratiſſimis perſolveret cordis ſui affectibus, ut fuſis in conſpectu Dei dulciſluis precibus, perceptíſque à Domini JESU-CHRISTI largiflua pietate poſtulationis effectibus, ad inſulam quæ in territorio Gaditano ſita eſt properans, adnitente Domino perveniret. Sed ut ſuprà diximus, dum in Eltaniæ partibus viæ ſuæ carperet iter, accidit ut cuncti qui collegio beatiſſimi viri iter agebant, paullulum præcederent: ipſe verò ſubſiſtens in abdito nemorum, ſilvarúmque denſarum ſecretiſſimo loco paulliſper orationibus incubuit. Qui dum homo proſtratus jaceret, antiquus hoſtis omnium bonorum ſemper invidus quemdam ruſticum ac plebeïum virum confeſtim ad locum quo vir Dei orabat furibundus perduxit. Qui dum virum Dei eminùs vidiſſet, eúmque ſingularem, vili habitu, excalciatis nudíſque pedibus, inter fruteta conſpexiſſet, ut ſeſe habet ruſtica mens eum ex vilitate cultûs contemnens, ad eumdem virum temeritate inſaniæ fretus propiùs acceſſit, eúmque fugitivum exiſtimans, procacioribus verbis conviciando laceſſivit, ac nihil cunctatus idem ruſticus petulanter multis contumeliis verborum eum objurgavit. Sed dum vir Dei reſpondens tranquilla mente diceret: Planè fugitivus non ſum, & ille econtrariò fugitivũ omnibus modis eſſe perhiberet, & eouſque inſtinctu diaboli irritatus eſt, ut eum vecte quem geſtabat manibus ictu verberaret. Quod cùm vir Dei patienter ſuſtineret, & ille percutere non deſiſteret, mox ei ſignum Crucis fecit: ſtatim eum dæmon in terra alliſit, atque ante pedes ſancti viri reſupinum corruere fecit. Et eouſque debacchando laniavit, quouſque eo in proprio ſanguine involutum crudeliter diſcerpens cruentaret: ſed vir Dei ſanctus protinus oravit, & priſtinæ eum ſanitati abſque ulla difficultate reſtituit.

XI. Ruſtici violentas manus ſigno Crucis compeſcit.

XII. Codices in aquâ merſos intactos recuperat.

Nunc igitur non priſca, ſed moderna; non vetera, ſed novella; non vanis quibuſlibet fabulis ficta, ſed miracula veritatis indicio declarata, narrante venerabili viro BENENATO Preſbytero, quemadmodum geſta ſunt veraciter comperimus. Et ob hoc hujus in paginolę breviter ſeriẽ, ſicut ad nos perlata ſunt, adnotari omni cum veritatis ſtudio procurabimus. Denique jamdictus fideliſſimus vir retulit dicens: Dum de provincia Luſitanię cum ſanctiſſimo viro Fructuoſo ad provinciam Bæticam pergerem, & imbriferi aëres immenſas ac juges pluvias, utpote hiemis tempore, per multos dies indeſinenter exhiberent, & ex multitudine imbrium nimiùm flumina excreviſſent; accidit die quadam puerulum cum caballo, qui codices ipſius viri Dei geſtabat, dum tranſmeare cum ceteris collegis ſuis nititur, in amnis fluenta profundiſſima cecidiſſe, & diutiſſimè baratro gurgitum cum ipſis libris demerſum fuiſſe. Tandem igitur ſuffragante Domino à lympharum diſcrimine ereptus, ad crepidinem alvei, madefactus licet, pertingere tamen meruit incolumis. Idem autem S. vir paullò poſt eos pede proprio, ut ei ſemper mos erat, abſque vehiculi juvamine properavit. Cúmque ad ſuos perveniſſet comites, dictum eſt illi quòd omnes codices ſui in aquam cecidiſſent. Ille verò in nullo penitùs commotus, ſereno vultu hilaríque facie abſque aliqua mæſtitia ejici de marſupiis, & ſibi præſentari pręcepit. Sed ita eos reperit ſiccos, ut illos fluvialis liquor nullo modo contigiſſet, nec madidus humor vel tenuiter inficere potuiſſet.

XIII. Sublatis remis navem orando flectit.

Aliud quoque mirabile factum quod à ſupradicto viro referente cognovi, ſilentio occultare non debeo. Quadam die ipſe beatiſſimus Fructuoſus devotionis implendæ gratiâ de civitate Spalenſi ad Baſilicam S. GERONTII navigio profectus eſt. Dum ibidem deſiderii ſui vota adnitente Domino devotus perſolviſſet, & veſperaſcente die iterum redire unde venerat diſpoſuiſſet, nautæ ipſi, qui per longa ſpatia pelagi navem gubernaverant, feſſi labore navigii, non ſolùm vires

ad gubernandam navim non habere ſe dixerunt, verùm etiam quòd diei pars extrema jam ſupereſſet, cœperunt querimoniari. Quibus ille ait: Deprecor vos, ut accipiatis paullulùm cibi refectionem, & quia laſſi eſtis, vel puſillulùm quieſcatis, dum & ego Officii mei impleo Curſum. Nam & hoc quæro, ut remos hujus navis tollatis, & ſic paullulùm dormiatis. Quibus ſtatim obedientibus, & juxta præceptum rema * naviculæ auferentibus, vel etiam dormientibus, ilicò ſanctiſſimus vir orans, & Officium ſacrum cum ſuis Fratribus perfungens, nullo homine navem contingente, ſed Dei ſola manu gubernante, ad ulteriorem amnis ripam celeriter tranſmeavit. Nautę verò ſubitò expergefacti ſupervacuas eidem viro inferebant querelas dicentes: Tranſfretemus jam, quia in noctis tenebris non bene poſſumus navigare. Quibus ille ait: Nolite, ô filioli, vos fatigare, quia abſque veſtro labore Dominus nos ubi deſiderabamus jam perduxit. Qui cùm ſurrexiſſent, atque ſe in alteram partem fluminis eſſe conſpexiſſent, obſtupefacti turbatíque mirabantur quidnam feciſſet Deus.

CIRC. AN. DC. LXX. APR. XVI.

* remos

XIV. Commodum tempus prædicit.

Nam & aliud retulit quod omnimodis verum eſſe adfirmavit dicens: Quadam Dominica die dum imbres procelloſi inæſtimabiliter eſſent, idem ſanctiſſimus vir de civitate Spalenſe ad inſulam quæ ſita eſt in territorio Gaditano* pergebat: quem dum multi cives præfatæ civitatis vel etiam Antiſtes ipſius urbis obnixè ibidem retinere vellent, ut quia dies Dominicus erat, vel certè quia aërum non eſſet temperies, ſi non ampliùs, ſaltem uſque poſt Miſſam inibi ſuſtinere annueret. Quibus ille taliter reſpondiſſe fertur: Nolite, obſecro, me retinere, quia Dominus direxit viam meam: ſed ſi pro mea injuria ſatagitis, & aliquid pro iſta pluvia formidatis, certiſſimè ſciatis, quia hodie ampliùs pluvia, quàm uſque ad ſecundam diei horam non erit. Quod ita geſtum omnes viderunt qui præſentes fuerunt. Et poſtquam ille horâ ſecundâ navem conſcendit, ſtatim pluvia deſiit, & uſque quartum diem, quamdiu ad locum quò tendebat peraccederet, non pluit, ſed tribus diebus juxta quod prædixerat multa tranquillitas fuit. Unde conjicere poſſumus, quia tamdiu minimè pluit, quamdiu ſanctus vir navigans, in locum deſtinatum perveniret. Cúmque præfatam ſuffragante Domino Gaditanam ingreſſus fuiſſet inſulam, ex alia parte quaſi Sol oriens inluminaturus Spaniam, ædificavit ſanctum ope Domini Monaſterium, ſolitóque Cœnobiali ritu regulare eum inſtruxit exercitii rudimento.

* *Cadiz* in Bætica.

Cœnobiũ in Gaditana inſula erigit.

XV. Omnes ad ſe trahens, à Rege impeditur.

Denique in abdita vaſtáque & à mundana habitatione remota ſolitudine præcipuum & miræ magnitudinis egregium fundavit cum Dei juvamine Cœnobium, & quod ab ora maris novem millibus diſtat, & nomen dedit Nono, ſicut à religioſo viro JULIANO Preſbytero, qui in eodem Cœnobio adolevit ex parvulo, fideli narratione cognovi breviter intimabo. Tanti glorioſiſſimi & incomparabilis viri rutilo fulgore radians exemplo meritorum, ita ardore fidei accendit animos populorum, ut catervatim undique concurrentium agmina converſorum immenſus fieret chorus. Et niſi Dux exercitûs provinciæ illius vel circumſeptus undique confinibus Regi reclamâſſet, ut aliquantulum prohiberetur, quaſi fur fuerit; perſonas non eſſe quæ in expeditione publica proficiſcerentur; innumerabilis ſe debuit congregare exercitus Monachorum: itaut non ſolùm virorum, ſed etiam animi inflammarentur feminarum. Et cùm in eodem ſanctæ Congregationis loco accedendi aditus non eſſet mulierum ordini, referam quemadmodum facta eſt congregatio Puellarum.

XVI. Benedictæ Cellam parat.

Quædam virgo ſacratiſſima, nomine BENEDICTA, claro genere exorta, atque ex Gardingo [a] Regis ſponſa, ardore fidei & flamma ardoris ſanctæ religionis ſuccenſa, ſuis occultè fugiens parentibus ſola ingreſſa eſt diverſa eremi loca, &

[a] Id eſt Gardingi Regis Sponſa. Gardingos Optimates ſeu Palatinos viros interpretare. Innuit Concilium Toletanum XIII. cap. 2. his verbis: *De accuſatis Sacerdotibus, ſeu etiam Optimat.bus palatii atque Gardingis*, &c. Quam vocem ſæpe in Legibus Veſigothorum reperies, tametſi Hiſpani modò ejus ſignificatum non ſatis intelligunt.

CIRC. AN. DC. LXX. APR. XVI. sic impervia & ignota errando deſerta, tandem duce Domino appropinquavit ad ſanctam Cœnobii Congregationem. Non audens peraccedere, ſed procul in deſerto perſiſtens, ſuggeſſit per internuntios ſanctiſſimo Dei viro, ut ovem errantem de luporum faucibus liberaret, & in viam ſalutis dirigeret, & animam quærentem Dominum ſpiritualibus diſciplinis inſtituiſſet*, qualiter hoc à Domino, qui ovem perditam humeris ſuis reportavit acciperet. Ille verò hæc audiens immenſas omnipotenti Domino retulit gratias, & juſſit ei in eadem deſerti ſilva parvam facere manſiunculam. Et ut præfatus vir referebat, quia de ſenioribus nullus ad eam adpropinquare audebat, ſed ex nobis parvulis unuſquiſque vice ſua illi litteras oſtendebat, & ſubſtantiam miniſtrabat: & ita cum multa conjuratione ſuggeſſit, ut numquam illi cibus aliquis portaretur, niſi cùm beatiſſimus vir, licet medium noctis, reficeretur, & ab eo ſanctificatus illi dirigeretur.

* inſtitueret

XVII. Benedicta ſocias congregat. Hæc nempe ſpiritualibus ſtudiis indepta diligenter, cúmque ejus fama per diverſas terras fuiſſet laudabiliter propalata, tantus deſiderii amor inflammabat ceteras diverſorum filias, ut undique alacriter confluerent eximiæ feminarum catervæ, itaut intra breve temporis ſpatium octogenarius in Congregatione numerus ſacrarum Virginum compleretur: quibus in alia ſolitudine more ſolito conſtruit Monaſterium. Tanta itaque in utroque ſexu almifica florebat ſanctitas, atque eximia creſcebat fama perfectionum; ut viri cum filiis ſuis ad ſanctam ſe converterent Congregationem Monachorum: matronæ verò eorum cum filiabus ſuis ſancto ſe ſociarent conſortio Puellarum. Sponſus verò ſæpedictæ virginis Domnæ Benedictæ cum dolore & mærore ingenti flebiliter adverſus eam immiſſus perfidâ liboris[a] invidiâ inimici ſuggeſſit Regi. Sícque de præſentia Regis lebavit* Judicem, qui inter eos examinaret judicii veritatem, Comitem nomine ANGELATE, qui veniens ad Monaſterium Virginum Regia præcinctus auctoritate compulit Præpoſitam Virginum, ut præfatam Virginem de Congregatione ſecernens præſentaret, qualiter ſponſo ſuo reſponderet; quæ cùm violenter fuiſſet egreſſa, ita oculis cælum intendens recitando intra ſe inſiſtebat, ut faciem illius minime videret. Cúmque ille adverſus eam aſſereret, ita per gratiam Domini Spiritu ſancto repleta cum paucis adcluſit* verbis, ut ultra ei quid diceret non haberet. Tunc ipſe Judex dixit: Dimitte eam Domino ſervire, & quære tibi aliam uxorem. Poſthæc eamdem ſanctiſſimam Virginem juſſit Divina pietas intra breve temporis ſpatium de hoc ſæculo migrare. Ita factum eſt per ineffabilem Domini electionem, ut quæ in ſancta converſatione cunctarum ſacrarum Virginum illarum præceſſerat chorum, præcederet & in ſancta converſatione ad ſupernam gloriam Regni cælorum, per eum qui vivit & regnat in ſæcula ſæculorum, Amen.

A marito fruſtrà repetitur.

a

* levavit

* *f.* id eluſit

Moritur.

XVIII. Fructuoſus numquam ſine fructu. Beatiſſimus verò Fructuoſus cúmque exemplo ſuo excellentiſſimæ ſanctitudinis coruſcantem ſplendiflua claritate cunctam inluminaſſet Spaniam, atque per ſingulas diverſarum regionum Congregationes Monachorum ad inſtar innocui cordis ſui perfectorum enutriſſet agmina diſcipulorum, itaut uſquehodie nuperrimè convertentes, per ordinem priorum diſcedentium Sanctorum vicem ſuſcipientes, illius antiqua quaſi hodierna floreant exempla, & uſque in finem mundi fructus operis ejus gignat, & glorioſa ſemper innovetur memoria, atque in regno cælorum, gregis ipſius multiplicentur cotidie agmina copioſa.

XIX. Orientem clam peti-turus retinetur. Poſtquam autem cunctam ſancti operis ſui devotionem ſuffragante ſupernæ virtutis opitulatione ad ſummam perduxit perfectionem, ſuccendit eum immenſus ſancti deſiderii ardor, ut partem occupans Orientis, novam arriperet peregrinationem. Cúmque hæc cum paucis electis diſcipulis ſuis clam pertractâſſet, & navem ſibi ad ſubvectionem præparâſſet, quam omni prædeſtinatione con-

a Sandovalius & Tamayus legunt *laboris*: at *liboris* pro *livoris* legendum eſſe, ſenſûs cohærentia perſuadet.

ſcendens transfretaret ad Orientem, ab uno proditore detectus diſcipulo, egreſſionis aditum non valuit impetrare. Quid multa? cùm hæc agerentur pervenit ad Regis temporis illius auditum. Formidans igitur Rex & omnes prudentes illi familiariter adſiſtentes, ne talis lux Hiſpaniam deſereret, juſſit eum ſine aliqua moleſtiæ perturbatione comprehendi, & ad ſe uſque perduci. Cùm autem eum perduxiſſent, atque cum nimia formidine illum cuſtodirent; nocte igitur, ut fertur, habitaculi oſtia in quo manebat miſſis extrinſecùs catenatis* & ſeris, diverſíſque duris obſerantes clauſtris, ipſíque ibi inſuper cuſtodes permanebant. Cúmque intempeſtæ noctis ſilentio expergiſcerentur, clauſtra procul abjecta oſtiáque patefacta cernebant. Ille verò per ſanctas Eccleſias orans, ſecurus pietatem Domini deprecabatur. CIRC. AN. DC. LXX. APR. XVI. Regio è carcere ſe proripit. * *f.* catenis

XX. Pontifex factus, Monach. habitum & mores ſervat.

Poſthæc videlicet, licet invitus, contra voluntatem ſuam, languoris mærore depreſſus, perniciter reſiſtendo in ſede Metropolitana dono Dei ordinatus eſt Pontifex[a]. Tanto igitur ſuſcepto honore priſtinam non depoſuit converſationẽ: ſed in eodem habitu, in eodémque ſolito abſtinentiæ rigore perſiſtens, reſiduo vitæ ſuæ tempore in eleëmoſynarum diſpenſatione atque Monaſteriorum conſummavit ædificatione[b]. *b*

XXI. Cœnobiis conſtruendis immoritur.

Iterum inter Bracarenſem urbem & Dumienſem Cœnobium in cacumine modici montis præcipuum ædificavit Monaſterium, ubi ſuum ſanctum humatum eſt corpus. Tanta illi fuit intentio in ſanctarum Eccleſiarum ædificatione, ſicut viri Domini CASSIANI Abbatis ejus primi diſcipuli relatione cognovi, ut cùm antè multo tempore ſuum præcognoviſſet ſanctum imminere obitum, & cùm multa ibi eſſet cœpta operatio ædificationum, propinquantem * ſcilicet vitæ præſentis occaſum, non ſolùm diurno tempore ſine intermiſſione operabatur, ſed etiam nocturnis horis lampadibus accenſis in eodem opere perſeverabat, ne de hoc ſæculo diſcedens, opus ſanctum relinqueret imperfectum. Sícque ope Divina adjutus, cuncta quæ fideliter cœperat diligenter conſummavit, & fideliter dedicavit. * propinquante

XXII. Mortis præſcius obit.

Finis quippe termino propinquante, febre correptus, & cùm per aliquos dies vi febrium teneretur, quadam die ſupputans tempus à quo illi finis ſuus dudum fuerat præſagitus, invenit ipſum inſtare diem, quo de hoc ſæculo erat migraturus, & nuntiavit adſtantibus. Cunctis autem flentibus ſolus ille exſultabat, quia proculdubio ſciebat quòd ad cæleſtem ſempiternámque gloriam properabat. Interrogantibus eum ſi timeret mortem, reſpondit: Non timeo planè, ſcio " enim quia etſi peccator, ad præſentiam Domini mei ambulo. Poſthæc juſſit ſe " ad Eccleſiam deportari. Et cùm jam omnia domûs ſuæ ordinata haberet, unum vernulam ſuum nomine DECENTIUM, qui illi bene à parvulo ſervierat, reſiduum habebat. Juſſit eum vocari, & imponens ei manum ordinavit eum Abbatem in præcipuo Turonio Monaſterio. Sic denique acceptâ legitimè pœnitentiâ non eſt regreſſus de Eccleſia, niſi ibi ante ſanctum proſtratus jacuit altarium diem illum, & noctis percurrentem ſpatium. Ante enim exſurgente lucis crepuſculo, expandens manus ad orationem, ſuum immaculatum & ſanctum in manibus Domini tradidit ſpiritum, qui Sanctos ſuos coronat per bonam confeſſionem.

[a] Nempe Bracarenſis in locum Potamii, qui in Concilio Toletano x. Æræ Hiſpanicâ DC. XCIV. Chriſtianâ DC. LVI. cùm ſeipſum de lapſu carnali accuſâſſet, depoſitus à Patribus eſt, Fructuoſus verò in ejus locum ſubſtitutus, qui jam antè Dumienſis Epiſcopus fuiſſe videtur ex his Concilii Toletani x. verbis: *Tunc venerabilem Fructuoſum Eccleſiæ Dumienſis Epiſcopum communi omnium noſtrûm electione conſtituimus Eccleſiæ Bracarenſis gubernacula continere.* Niſi fortè dicamus Fructuoſum eodem ſimul tempore impoſitum fuiſſe utriquè Sedi: cùm Dumienſis Eccleſia, vix tertio milliari à Bracara diſtans, paucos habuerit peculiares Epiſcopos, ſed unus idémque utramque Eccleſiam olim rexerit. Et Martinus Dumienſis Pontifex primus utrique ſimul præfuit, ut in ejus Elogio ad ann. 575. diximus.

[b] Præter Monaſteria hîc memorata, Fructuoſus plura alia erexiſſe fertur, in his Monaſterium S. Petri de Montibus in tractu Vergidenſi diœceſis Aſturicenſis: quod à S. Vincentio Abbate amplificatum, poſteà verò à S. Gennadio Aſturicenſi Epiſcopo reſtitutum, à Monachis nigris ad Ciſtercienſes tranſiit teſte Johanne Tamayo ad 25. Febr.

CIRC. AN. DC. LXX. APR. XVII. XXIII.

Ad ſacratiſſimum ſancti corporis ejus ſepulcrum [a] euntibus cunctis perſeverant ſigna virtutis. Nam & infirmi ibi ſanantur, & dæmones effugantur, vel quicumque mærens ejus invictum poſtulaverit auxilium, ſtatim plenum à Domino petitionis ſuæ conſequitur fructum, præſtante Domino noſtro JESU-CHRISTO, qui cum Deo Patre & ſancto Spiritu vivit & regnat in ſæcula ſæculorum, Amen.

a Garſias in Notis ad Concilium Toletanum x. hæc habet: *Ejus memoria cum ſanctitatis opinione à populis Bracarenſibus & Compoſtellanis colitur feſto die dicato ad* XVI. *Kalend. Maii. Corpus ejus in Monaſterio ab ipſo ædificato inter Dumium & Bracaram ſepulturæ mandatum, poſtea à* GELMIRIDE *primo Compoſtellæ Archiepiſcopo Compoſtellam tranſlatum eſt, ubi magna populi veneratione colitur.* Monaſterium in quo ſepultus fuit Montellenſe vocant, diſtinctum à Turonio paullo pòſt memorato, quod prope Bracaram ſitum erat. Quo anno obierit S. Fructuoſus, definire non ſuppetit. Subſcripſit Concilio Toletano x. in quo Sedi Bracarenſi à Patribus in Potamii locum anno Chriſti DC. LVI. ſuffectus eſt. Anno IV. Vvambani Regis, Chriſti DC. LXXV. LEODECISIUS cognomento Julianus, Fructuoſi ſucceſſor, Concilio Bracarenſi III. ſubſcripſit. Anno proinde circà DC. LXX. Fructuoſi obitum reponimus. Fructuoſo in regimen Cœnobii S. Petri de Montibus ſucceſſiſſe legitur S. Valerius Abbas, de quo ad annum DC. XCV agemus.

CIRC. AN. DC. LXX. JUN. XXVII.

DE S. BABOLENO ABBATE
FOSSATENSI PRIMO,
UBI DE ALIIS BABOLENIS.

Vita S. Baboleni omiſſa. * *S. Babolin*

1. *IN quodam apographo Bibliothecæ noſtræ Germanenſis exſtat Vita S.* BABOLENI* *Abbatis cum libro miraculorum: quam Vitam Iacobus Brulius in epitomem redegit in Supplemento Antiquit. Pariſ. eamdemque Andreas Cheſnius ferè integram omiſſis dumtaxat Prologo tribuſque primis capitulis vulgavit Tomo I. Hiſt. Franc. nos verò prætermittere ſtatuimus ob continua propè errata quibus illa ſcatet, ſolumque librum miraculorum hactenus ineditum exhibere curabimus. Antequam conſilii noſtri rationes exponamus, pauca de iſtius Vitæ Auctore dicenda ſunt.*

Auctoris ætas & qualitas.

2. *Auctor in Prologo indicat id operis à ſe ſuſceptum hortatu Foſſatenſium Monachorum, quos ita alloquitur:* De tanto viro cogit me, ô Foſſatenſes, veſtra dilectio, ea quæ ab antenatis didici & quæ oculis ipſe vidi perſcribere. *Ne verò quis putet his verbis deſignari Scriptorem valde antiquum aut æqualem, occurrunt ſequentes verſus:* Antequam cœptum opus aggrediar, vobis objicio, quòd ex plurimis noſtri perverſionibus loci quæ poſt eum acciderunt, caſibus perſecutionum variis ejuſdem deperierunt miraculorum geſta, quæ quidem ab antiquis illius videlicet contemporaneis fuiſſe credimus deſcripta. *Hinc apparet, Auctorem fuiſſe Monachum Foſſatenſem, qui ea quæ de S. Baboleno audierat, & miracula quæ partim* oculis ipſe *viderat, ſcripto mandavit. Denique Auctor ille in cap. 1. Mirac. ſe* ADELERIO Abbati Milidunenſi *coævum prodit, & cap. 5. poſteriorem* ODONE *Monacho Foſſatenſi, qui Odo* anno milleſimo quinquageſimo octavo, HENRICI Francorum Regis XXVIII. *libellum de Vita Burchardi Comitis abſolvit. Iam prædictam S. Baboleni Vitam quæ in ſectiones ſeu Capitula novemdecim diſtincta eſt inſpiciamus.*

Examinatur.

3. *In cap. 1. Babolenus* nobiles parentes & ex Burgundis originem trahentes habuiſſe *dicitur*, & B. Columbani hortatu in ſacro Luxovienſium Cœnobio oblatus *fuiſſe, ubi orationi, lectioni, meditationi, ac ſcriptioni ſedulò vacaverit.* Sunt nempe, *inquit Auctor*, adhuc penes nos plura volumina, quæ ipſius manu fuiſſe dicuntur deſcripta.

4. *In cap. 2.* Poſt S. Columbani tranſitum ſcimus eumdem virum ſanctiſſimum Monaſterio Bobienſi præfuiſſe Paſtorem tertium, ejúſque ſanctiſſimâ doctrinâ & eruditione Chriſti gregem per biennium gubernatum fuiſſe Quod qualiter rexerit, in ſecundo Vitæ libro B. Columbani & in Geſtis diſcipulorum

ejus Attalæ & Euſtaſii qui noſſe plenius cupit, invenire poterit. JONAS quoque, Vitæ jamdicti Patris Columbani diſertiſſimus relator, ad hunc beatum virum dicitur illâ ſtilo dediſſe clariſſimo, ſicut in proœmio ipſius operis ipſe aſſerit. *In his duobus articulis Babolenus Abbas Foſſatenſis cum Baboleno Bobienſi Abbate perperàm confunditur. Quippe Burgundus erat* WINNOCUS pater Baboleni, qui nunc Bobienſi Cœnobio præeſt, *inquit Ionas in Vita S. Columbani num. 24. Scribebat verò Ionas eo tempore quo S. Eligius Sedem Noviomagenſem regebat, ut conſtat ex Vita S. Euſtaſii num. 17. proindeque poſt regni Chlodovei II. an. tertium, quo anno Eligius Sedem iniiſſe in Vitæ lib. 2. cap. 1. à S. Audoëno dicitur. Atqui jam eo tempore Babolenus regebat Monaſterium Foſſatenſe, quod ejuſdem Chlodovei anno ſecundo obtinuiſſe fertur. Plura de hoc infrà.* CIRC. AN. DC. LXX. JUN. XXVI.

5. *In cap. 3. Babolenus S. Remaclum*, qui eo tempore in ſaltu Arduennæ Monaſterium ſibi conſtruxerat, & vitam eremiticam cum aliis Deo devotis viris ducebat, *inviſiſſe legitur, eique relictâ Bobienſi præfecturâ adhæſiſſe, Malmundario Monaſt. à Remaclo paullo pòſt præfectus.* Unde, *ait Auctor*, inter alia Vitæ B. Remacli capitula ſic de eo legimus: Succeſſit illi Domnus & Pater Babolenus, qui pro meritorum ſpeciali gratia vir dicitur Apoſtolicus, cujus ſuperiùs mentionem facimus. *Quæ verba ex Vita S. Remacli à Notgero ſcripta deſumuntur. Nuſquam verò Notgerus, aut Harigerus aliive* Papolenum *(ita enim pingunt, non Babolenum) Abbatem Stabulenſem ex Bobio Cœnobio veniſſe dicunt, quod inferiùs iterùm patebit. Subdit Vitæ S. Baboleni conſarcinator, Babolenum* poſt exceſſum B. Remacli *Stabulenſi ac Malmundarienſi Monaſteriis prælatum, ſuorum* diſcordiâ *ac* multis conviciis *fatigatum regimine ceſſiſſe*, Francorum adiiſſe patriam, & Pariſius perveniſſe, *&* de die in diem ad B. Martyris Dionyſii ſepulcrum abiiſſe oratum. "
"

6. *In cap. 4. à quo Cheſniana editio incipit, Chlodovei II. Regis principatus à Chlodoveo Magno retexitur. Deinde cap. ſequenti* BLIDEGISILUS *Archidiaconus Pariſiacenſis à Rege Chlodoveo obtinuiſſe fertur* quoddam vetus caſtellum, quaſi quatuor milliariis à mœnibus Pariſiacæ urbis diſtans, antiquorum Gentilium mœniis foſſatuúmque propugnaculis circumcinctum, Maternâ fluvio circumfluente firmatũ, vocitatum caſtrum Bagaudarum ab antiquis, quod jam tunc locus dicebatur Foſſatenſis, erátque fiſcus Regalis. *Mox concludit Auctor acta hæc fuiſſe* anno primo regni *Chlodovei, præſente* matre ejus NANDECHILDE. Quod dignitatis Privilegium, *inquit*, in eadem conſervatur Eccleſia uſque ad præſens illæſum. *Si Babolenus Luteciam Pariſiorum acceſſit* poſt exceſſum *B. Remacli, Chlodoveum jam à pluribus annis mortuum videre non potuit. Chlodoveus quippe anno* DC. LV. *mortuus eſt, Remaclus ad annum* DC. LXIV. *ſuperſtes fuit, uti ad ipſius Acta probavimus.* Foſſatenſis Monaſterii initia.

7. *Caput ſextum Vitæ S. Baboleni etiam non caret mendis. Nam* AUDOBERTUS *Pariſiacenſis Epiſcopus confunditur cum Agilberto, de quo agit Venerabilis Beda in lib. 3. Hiſt. cap. 7. ubi* AGILBERTUS *natione Gallus rogatus dicitur à* Cenwalch *Occidentalium Saxonum in Britannia Rege, ut* ſuæ gentis maneret Pontifex: *qui alium Epiſcopum* Wini *appellatum dignitatis conſortem à Rege inſtitutum non ferens*, rediit in Galliam, & accepto Epiſcopatu Pariſiacæ civitatis, ibidem ſenex & plenus dierum obiit. *Et tamen in Actis S. Baboleni Audobertus jactat* ſe peregrinum è tranſmarinis partibus *Luteciam adveniſſe, quò* Regis Angliæ nomine CHOINVALÆ perſecutionem evaderet, *&* *à Rege Chlodoveo Epiſcopatum urbis Pariſiacæ accepiſſe. Si quis contendat binominem fuiſſe Agilbertum, eumdémque Audobertum appellatum, quod nonnullis veri ſimile videtur; inter peregrinos accenſeri non debuit à Gallo homo Gallus: ut omittamus* Cenwalch *Regem male in* Choinvalam *tranſmutari.*

8. *In capitibus ſeptimo & ſequentibus Babolenus procurante* Audoberto *Epiſcopo, Rege approbante, ac* Blidegiſilo *concedente, Foſſatenſi Monaſterio præfectus fuiſſe, ac cœpto operi inſtitiſſe legitur. Sic enim habes cap. 9.* Igitur vir ſanctus inſiſtens cœpto operi, Chriſto juvante & Blidegiſilo viro venerabili, conſtructa Babolenus Abbas factus Foſſatenſe Monaſterium perficit.

CIRC. AN. DC. LXX. JUN. XXVI. eſt Eccleſia in honore Genitricis Dei & SS. Apoſtolorum Petri & Pauli cum omnibus ædificiis congruentibus Monaſtico Ordini. Sed cogente loci anguſtia, ad Aquilonem omnia ſunt conſtructa ædificia: quia ab Auſtro montis altitudine, à Borea verò artatur fluvii vicinitate. Situs autem loci ipſius eſt tam remotus, ut ab ignorantibus putetur eſſe eremus. Nam Maternâ fluvio circumcinctus, unum tantummodò ingreſſum dat commeantibus. Spatioſa eſt inſula ſed infecunda latitudine tamen vel longitudine ſui per duo ferè milliaria videtur extendi. *Plura deinde Auctor cap. 10. diſſerit de caſtro Foſſatenſi, quod à Iulio Cæſare conſtructum ac caſtrum Bagaudarum appellatum; tandémque à Maximiano Cæſare oppugnatum eversúmque aſſerit. Quæ Carolus* le Cointe *in Annal. ad ann. 638. num. 106. & ſeqq. accuratè expendit ac refutat: obſervátque ex Aurelio Victore & Salviano,* Bagaudæ qui? *Bagaudarum nomine intelligi quoſcumque factioſos ac rebelles; & Bagaudas Diocletiani temporibus primùm audiri cœpiſſe.*

Privilegium Foſſatenſe. 9. *In cap.* 13. Audobertus Præſul S. Baboleno Privilegium ſuæ auctoritatis *concedit*, ut tam ipſe quàm ſucceſſores liberi & ſecuri ab omni inquietudine tam Clericorum quàm etiam laïcorum ibidem manere poſſent. Si verò contra Patrum ſtatuta eum feciſſe quis cauſatur, legat Canones * à S. Bonifacio Cartaginenſi Epiſcopo & aliis Epiſcopis factos, necnon ejuſdem Sacerdotis Epiſtolas ad Liberatum Epiſcopum miſſas: & inveniet, quòd Monaſteria in quibus regulariter vivitur, libera eſſe debent ab omni infeſtatione Epiſcoporum & Clericorum. *Deinde recenſet Auctor Epiſcopos qui Privilegium ſubſcriptione ſua firmaverunt*, AUDOBERTUM *Pariſienſem*, GAUDERICUM *Lugdunenſem*, ANNOBERTUM *Senonenſem*, PRESTELENDUM *(fortè Vulfolendum)* Bituricenſem, DONATUM *Veſontionenſem Archiepiſcopos: quibus Epiſcoporum ſeptem ſententia acceſſit.* Sed & Rex ipſe, *inquit*, favens ſubſcripſit, & ſuo monogrammate facto anulo Regali inſigniri juſſit. Acta ſunt hæc autem in urbe Pariſius Chlodoveo regnante anno quinto, Indictione quoque quinta, die menſis Maii xv. ſub die Iduum Maiarum: *ubi pro Indictione quinta, Indictio* XV. *vel prima reponenda eſt.*

* *exſtant To. 6. Spicil. Acherij.*

Babolenus an Abbas Monaſterii S. Germani. *Aimoin. lib. 4. c. 46.* 10. *In cap. 15. Babolenus* Sigefrido Abbati Eccleſiæ S. Vincentii Pariſienſis, *Cæſarauguſtæ quò Legatus fuerat miſſus detento ſuffectus memoratur: ſubditúrque miraculum de homine cæco, cui Babolenus ad portam urbis Pariſiacæ lumen reſtituerit. Poſterius haud infitiamur: at prius omnino ſuſpectum eſt, cùm in vulgato Aimoino non Babolenum ſed Babonem mortuo Sigefrido ſucceſſiſſe legamus: neque umquam in Eccleſiaſtico S. Vincentii ſeu S. Germani officio ulla de S. Baboleno celebritas aut commemoratio fuerit facta, quem in Vſuardi Monachi Germanenſis Martyrologio omiſſum miramur.*

11. *Quæ in capitibus 16. 17. tum de Blidegiſili Romana profectione Martino Pontifice facta ac donatione Buxei vici, tum de fonte à Baboleno in operarum gratiam divinitùs impetrato, ac poſtea ob fraudem vectorum vini, qui exhauſta dolia aquâ illâ replebant, ejuſdem precibus arefacto referuntur, commemoràſſe ſufficiat.*

12. *Chlodoveo mortuo Chlotharius filius Monaſterio Foſſatenſi* vicum Savegium *conceſſiſſe, ac legata patris confirmàſſe dicitur. Denique Chlothario poſt regni annos, non quatuor, (ut cap. ultimo legitur) ſed quatuordecim defuncto, & ipſe Baboleus diem ſupremum explevit* VI. Kal. Julii, *anno proinde circà* DC. LXX. Sepultum eſt autem ejus ſanctum corpus ad Septemtrionalem plagam ſecus Eccleſiam ſanctæ Dei Genitricis ab ipſo conſtructam, in pretioſo lapideóque ſarcophago, in quo multis annis jacuit decenter humatum, ubi operatur Dominus ejus meritis virtutes.

Vitæ S. Baboleni epilogus. 13. *Ex dictis intelligitur, quid Baboleno Abbati Foſſatenſi tribuas. Is è Monaſterio Luxovio, aut fortè Sollemniaco arceſſitus videtur, ut Monaſterium Foſſatenſe anno ſecundo Chlodovei junioris aut inſequenti à Blidegiſilo Archidiacono Pariſiacenſi conſtructum regeret. Quæ de conſtructo Foſſatenſi Monaſterio, Privilegiis ac Donatio-*

ac Donationibus à Brulio in Supplem. Antiquit. Pariſ. relatis dicuntur, à vero non abhorrent, uti nec id quod de cæci hominis reſtitutione commemoratur. Babolenus prope B. Mariæ Eccleſiam ſepultus miraculis claruit inferiùs referendis. Auctor longè potiorem in iis fidem meretur, cùm de iis quæ à ſua ætate non ita remota erant, quæque oculis partim viderat, teſtificetur. Sancti corpus unà cum S. Mauri Abbatis Reliquiis colitur religiosè à popularibus in Eccleſia Foſſatenſi, quæ ſæculo proximè elapſo ad Canonicos ſæculares tranſiit. Nomen loco ceſſit S. Mauri Foſſatenſis à ſæculo IX. quando S. Mauri diſcipuli S. P. Benedicti Reliquiæ Caroli Calvi principatu eò illatæ ſunt: qui locus tertio ferè milliari ſupra Luteciam Pariſiorum ad Matronam fluvium inſulâ circumcluſus cernitur. CIRC. AN. DC. LXX. JUN. XXVI.

14. *Alius eſt ab iſto* BABOLENUS *ſeu* BABULENUS *Abbas Bobienſis, de quo in Chronico Bobienſi citato à Ferdinando Vghello hæc ſcribuntur:* De eo non celebratur, quamquam fecerit miracula, ut in antiquis libris habetur. *Ipſius tempore* in præfato Monaſterio erant centum quadraginta Monachi militantes ſub Regula Divi Benedicti, ut patet ex Privilegio Theodori Papæ. *Ejus Tranſlatio ſeu Elevatio facta dicitur apud Vvionem lib. 3.* prid. Kalend. Septemb. anno Domini M. CCCC. XXCII. *cum aliis plurimorum Sanctorum Reliquiis ſimiliter tranſlatis per Epiſcopum Bobienſem.* Babolenus Abbas Bobienſis. *Vghell. To. 4. Ital. S. p. 1328.*

15. *Diſtinguendus etiam* PAPOLENUS *Abbas Stabulenſis, S. Remacli diſcipulus, qui corpus S. Symmetrii Martyris Romà Ladernacum Stabulenſi Monaſterio vicinum invexiſſe legitur. Sic de Papoleno agit Notgerus in Vita S. Remacli.* Dominus & Pater Papolenus ad eum (Remaclum) inviſendi quidem causâ venit, ſed ejus inhærere magiſterio quàm domum redire maluit. Suſceptus eſt à B. Remaclo officioſiſſimè, & vixit apud eum ſine offenſione: quique inſtruendus eò venerat, complures ſuis exemplis ad virtutis ſtudium incitavit. Cernens id B. Remaclus ſecúmque cogitans eâ causâ miſſum eum fortaſſis à Domino, rogavit eum ne ab ipſo diſcederet: tum præterea ob Fratres in diſciplina continendos, Malmundarienſi Cœnobio, cujus Monachi S. BENEDICTI inſtituto vivebant, ſalvâ in omnibus auctoritate ſua eum præfecit. *Et infrà:* Succeſſit illi Domnus Papolenus vir Apoſtolicus. *Ejus corpus in Stabulenſi Cœnobio adſervant Monachi Benedictini.* Papolenus Abbas Stabulenſis.

16. *Fuit & alius eodem ſæculo* BABOLENUS *Presbyter ac Monachus Grandivallenſis, qui S. Germani ejuſdem loci Abbatis, quemadmodum ſuprà ad ann. 666. vidimus, Acta deſcripſit. Denique à Iona Monacho Bobienſi in Vita S. Euſtaſii laudatur* vir venerabilis Theodulfus cognomento Babolenus, *qui* in ſuburbano *ſeu territorio* Bituricenſis urbis Monaſteria ex Regula B. Columbani omni religione pollentia conſtruxit. Babolenus Monachus Grandivallenſis.

MIRACVLA S. BABOLENI
ABBATIS FOSSATENSIS.

Ex MS. cod. Bibliothecæ S. Germani de Pratis.

IGITUR ſicut in procœmio hujus operis promiſimus, huic paginæ dignum inſerere decernimus ea quæ de tanto viro veracium dictis antiquorum veridica & probabili aſſertione ab illis audivimus & oculis noſtris partim vidimus. Poſtquam clementis Dei nutu egregius Chriſti Confeſſor Babolenus ex hac inſtabili luce ad cælos emigrâſſet, & ejus corpus ſanctiſſimum dignè, ut decebat, ſicut jam præmiſſum eſt, ſecus Eccleſiam ſanctæ Dei Genitricis humo commendatum eſſet, paullatim paries ille cui inhærebat, de die in diem virtute Divina ſe aperire cœpit, & ſarcophagum in quo ſanctus vir jacebat lapideum intra ſe recludere. PROLOGUS.

Devoluto ergo non multi temporis ſpatio, & Eccleſiæ pariete, ut numquam CAP. I.

CIRC. AN. DC. LXX. JUN. XXVII. Baboleni corpus divinitus in Eccleſiam admotum, transfertur.

lapillus inde ceciderit, divinitus ita perforato, ſancti viri corpus infra eamdem juxta Dei Genitricis pertranſiit aram cum ipſo ſuo lapideo ſarcophago, foramine ad teſtimonium jugiter manente in pariete. Non hoc itaque cuipiam videatur incredibile, quia Deo nihil eſt impoſſibile: ipſe enim qui univerſa mortuorum corpora Angelica perſonante tuba, exſurgere per diverſa loca jubebit, & ſuæ Matris integritatem naſcendo ex ea non abſtulit; quique ad Diſcipulos clauſis reſurgens januis intravit: celerrimè & huic ſuo fideli amico iſtud concedere potuit. Sic quippe ſuis loquens Fidelibus promiſit: *Joh.* 14. 12. *Qui credit in me, ea quæ ego, faciet opera & majora.* Hoc ergo à Deo factum eſt ad propalanda beati viri merita, ut membra quę in ſuo famulatu afflictione domaverat pervalida, infra Oratorium quod illi ſuo labore ædificaverat transferrentur virtute operante Divina. Inde igitur eſt levatum corpus ejus poſt annos multos pio ſtudio Monachorum inibi Deo ſervientium, atque in alteram Baſilicam (quæ elegantiori opere à religioſo Abbate BENEDICTO[a] conſtructa, & à S. ALDRICO Senonenſium Archiepiſcopo aliiſque Præſulibus dedicata fuerat) ſeptimo Idus Decembris tranſlatum. Sed quoniam mentionem fecimus de dedicatione Eccleſiæ Foſſatenſis Cœnobii, placet profectò huic noſtro breviter operi innectere, quod à veracibus perſonis referre audivimus, vel quod ſcriptum in ipſa Eccleſia invenimus. Nocte etenim illa, quæ diem dedicandæ Baſilicæ præcedebat, res valde memorabilis accidit, relatúque non indigna. Namque idem beatus Archiepiſcopus ipſa qua prædiximus nocte, cùm in eadem Eccleſia more ſibi ſolito oratum iiſſet, ſolóque proſtratus, jamjámque prolixiùs preces ad Dominum & lacrymas fudiſſet, vidit ſpecialiter ſanctos Angelos ut olim Jacob alibi de cælo deſcendere, totúmque in circuitu atrium & Eccleſiam luſtrare, ſacrare atque benedicere, ut Divinis laudibus ibidem jugiter perſolvendis tanto congruentior fieret idem locus, quanto & ſanctior; nec jam dubitaretur quòd in eo ſpecialem ſibi Deus elegerit manſionem, cui ſacrando dignitatem deputâſſet Angelicam. In hanc igitur Eccleſiam delata ſunt S. Baboleni membra, in qua ſemper reddentes Chriſto munia laudum congregabantur Monachi, ut non fraudarentur aſſiduitate Divini officii. Ne verò aliqua immunditia ſordidaretur Sancti ſarcophagus, gypſo eſt decenter adopertus ac ſuper geminas duorum altitudine cubitorum columnas lapideas poſitus. In pariete quoque, qui ad caput traditur fuiſſe ipſius, lapis uſque hodie habetur innexus, in quo inventæ fuerunt inſertæ litteræ quæ vix ab aliquo legi poterant, diutinæ vetuſtati abolitione, & pluviarum incurſione. Tandem verò ab aliquibus altioris ingenii enucleatæ difficillimè, inventum eſt nomen ejus cum termino VI. Kalendarum Juliarum deſcriptum certiſſimè. Qua de re patuit, eum proculdubio ad cælos migrâſſe ipſo termino, licet ex pluribus ipſius loci everſionibus uſque ad diem illum oblivioni fuerit traditus. Ad teſtimonium igitur hujuſce rei quam præfati ſumus, quod noſtræ ætatis puritiâ vidimus proferimus. Parietem enim transforatum & ſancti viri ſepulcrum inter altare & ipſum poſitum, quouſque eadem Eccleſia ab ADELERIO ejuſdem loci Præcentore, poſteà Milidunenſi Abbate, emendandi gratiâ ſubverſa fuit, adſpeximus.

a

Duplex S. Baboleni feſtivitas.

Auctoris ætas.

II. Alia verò ejus ſollemnitas, quæ tam à devotis ejuſdē loci Fratribus, quàm etiam ab omnibus ipſius inſulæ incolis, feſtivo celebratur obſequio, VII. Idus Decembris, nulli dubium eſt, quin ſit ejus Tranſlationis, quæ facta eſſe dignoſcitur per* centum quinquaginta annorum ſpatium, & eo ampliùs. In qua quidem ſtatutum eſt à Rectoribus antiquitus Foſſatenſis Eccleſiæ, ut naves per gyrum ipſius inſulæ diſcurrentes cenſum perſolverent ob piſcationis meritum, quem nuncupant vulgariter Reſtes. Quod diſpoſitum ideo ita creditur, ut eadem die ſan-

* *lege* poſt *vel* ante

a Monachi Fontanellenſes *olim à viro juſto* BENEDICTO *Foſſatenſis Cœnobij Abbate eruditi in Philoſophia* Monaſtica dicuntur in Chron. Fontanell. cap. 16. Florebat Benedictus principatu Ludovici Pii, cujus anno ultimo S. Aldricus Senonum Archipræſul. obiit.

cti viri Tranſlationem celebrantibus copioſa piſcium ſeu aliarum dapum affluenter refectio præparetur. CIRC AN. DC. LXX. JUN. XXVI.

III. Oleum ex mauſoleo manat.

Porro in præfata Dei Genitricis Eccleſia, in qua idem prę cipuus Confeſſor ſepultus quievit, oleum multis diebus & annorum curriculis de lapide ejus ſacri mauſolei manavit, quo infirmi variis languoribus oppreſſi liniti priſtinæ ſtatim ſanitati reddebantur. Cùm verò hoc ad laudem nominis ſui & ad declarandum ſancti viri meritum Chriſtus operaretur; accidit ut die quadam Sacerdos ſacro velatus indumento illuc accederet, & improvidè ipſum quo erat indutus veſtimentum eodem liquore intinctum redderet. Quod cernens altaris miniſter, inflammatus iracundiæ ſtimulis, quæ modum tenêre neſcit, inutile mox verbum maligno ore protulit, ne videlicet benigniſſimi JESU-CHRISTI ſanctæq; ejus Genitricis ac Baboleni inclyti Cõfeſſoris volũtas foret, ut ampliùs quidquam ipſius liquoris olei abhinc & deinceps in æternũ manaret. Cujus miſerrimã vocem ſtatim ſecutus eſt effectus. Nam liquor ſubſtitit, & lapis aruit. Ne ergo umquam hoc incredibile videatur, quoſdam Monaſtici ordinis religioſos viros ad teſtimonium in medium deducimus, qui ſe vidiſſe hęc & audiiſſe veriſſimis affirmabant aſſertionibus; HUBERTUM ſcilicet cognomento Calvum, BERNARDUM quoque Ultra-regulam dictum, quorum vita ſatis probabilis exſtitiſſe dignoſcitur. Quia verò duorum teſtimonium protulimus, in roborandis iis ſubſtituitur tertius, quoniam in ore duorum aut trium teſtatur Scriptura omne conſtare verbum. In Cœnobio namque ſancti Mauri, quod Glannafolium dicitur, quidam religioſus Cœnobita exſtitit nomine ODULCRICUS centum viginti veluti alter Moyſes exiſtens annorum & eo ampliùs, qui ſic ſe vidiſſe adſtruebat multis vicibus. Ut ergo reprimatur dens æmulus, etiam quartus teſtis introducatur ADICUS, quidam Monachus iis antiquior, qui hæc ſe vidiſſe affirmabat tempore diuturno. Talibus & tantis beatiſſimus Confeſſor domini Babolenus decoratus virtutum ſignis, vivere ſe demonſtrat cum Chriſto & ejus Sanctis. Ad ſepulcrum quoque ipſius vel ubi ejus ſancta permanent membra, plurima infirmis præſtantur ejus meritis beneficia, & maximè febris vel patientium portantium incommoda.

IV. Robertus Abbas Sancto injurius punitur.

Quantæ igitur ſeveritatis vel vindictæ in ſuis vel ſibi exſiſtat contrariis, dicendum nobis eſt narratione ſtili præſentis. Fuit Rector quidam Foſſatenſis Eccleſiæ, dictus ROBERTUS in Baptiſmate, S. Baboleno contrarius omni tempore, qui in tantam ſe contra eum erexit ſuperbiam, ut ejus nomini conſecratam everteret aram. Inſuper etiam hoc addidit, ſimiliter altare ſibi debere ſtatui, illatáque convicia multiplicat & opprobria. Sed ultrix Dei dextera non diu pertulit Sancti improperia. Nam eo anno captus & vinculis irretitus, juſſu Regis HENRICI carcere eſt clauſus. Sed quomodo illinc evaſerit, quibúſque conviciis accuſatus fuerit, potiùs eſt reticendum quàm proferendum. Sui quoque coadjutores in altaris ſubverſione capti ſimiliter & diſperſi ſunt, facti populo in deriſum & improperij canticum. Præfatus autem Abbas impudicè perdidit paſtorale decus; & qui ſuo prædeceſſori videlicet S. Baboleno obſequi noluit ſpontaneus, ob negligentiæ ſuæ meritum tali ludibrio eſt deditus: ſícque quod male commiſerat, impune non pertranſiit: quia deinceps cum mærore vixit, exemplum poſteris factus, ne tale adverſus S. Babolenum ultrà admittant facinus.

V. Robertus item Prior Sancti celebritatem minuere volens.

Exſtitit præterea & alius quidam Monachus ROBERTUS Cenomanenſis & ipſe dictus, in Monachos exercens officium Prioratûs, qui invidiæ ſtimulis agitatus & odij, tanta indignatione exarſit contra Sanctum Dei, ut feſtivitatem Tranſlationis ipſius, quæ eſt VII. Idus Decembris, quæreret annihilari, nulla eam dicens ratione fieri; maximè cùm pro ea S. Andreæ Apoſtoli viderentur octavæ dimitti. Sic fatus, nec diu cunctatus votum ſuum adimplevit. Nam eo anno ipſa die Tranſlationis quatuor lectiones de Apoſtolo ſtatuit, & octo reliquas de Confeſſore fieri decrevit. Sed Sanctus Domini patiens ſuper hoc fuit. Annuatim verò redeunte eadem ſollemnitate, de Apoſtolo omnia juſſit fieri, dicens

CIRC. AN. DC. LXX. JUN. XXXI. Babolenum quemdam mortuum eſſe, nec feſtum de eo à quoquam ſollemnizari debere. Cujus voto faventes ceteri, paruerunt ei ut Magiſtro & Priori. Sed hoc diu non pertulit ultrix dextera Domini, eoquòd fieri feſtum fecerit B. Apoſtoli non tam ex devotione, quàm invidia & elatione. Itaque cùm idem Decanus non multo pòſt ad neceſſaria naturæ iiſſet, & plus ſolito in illo opere decertâſſet, repentè (ut ita loquar) oſtia ventris ſunt aperta, & pæne omnia foras exierunt inteſtina: ſícque manibus aliorum ad ſtratum relatus, cum dolore nimio non multis ſurpervixit diebus, ſtupori & admirationi factus omnibus tanta celeritate factam in eo vindictam videntibus. Sícque miſerior factus miſeris, dum non reſipuit, vitam cum dolore amiſit.

VI. Item Hilduardus Præcentor. Quidam quoque Hilduardus Foſſatenſis Cœnobita gerens officium Præcentoris in eadem Eccleſia, vir quidem erat veneranda canicie, ſed multoties in Sanctum Dei verba proferebat arrogantiæ. Dum verò quadam vice à Monachis fidelibus ſancti viri VI. Kalendas Julij celebraretur tranſitus, & ſynaxi nocturnali jam ex parte decantata ab Abbate vel à Priore terminaretur lectio duodecima, quatuor Fratribus, ut aſſolet, ante altare adſtantibus, ac in jubilo vocis cum organo Reſponſorium, *Sanctus Domini Confeſſor* altiſſimè reboantibus, dies terris illuxit illis cum modulamine in canendo perſeverantibus. Tunc ſubitò felle iracundiæ commotus Cantor præfatus in medium proſiliit, & vir Iſraëlita Reſponſorium violenter arripiens decantare cœpit, ſed non illis prævaluit. Unde cùm ſuperari ſe cerneret, & Chorus aliud quod idem inceperat teneret, non ut Scriptura jubet appoſito ori digito, ſed fracto importunè vel irregulariter ſilentio, S. Baboleno intulit plura convicia, dejerans quòd quamdiu viveret, adinventiones cujuſdam ODONIS[a] (fuerat quippe auctor hujus operis) in eadem Eccleſia cantari non ſineret. Móxque ad cubile rediit, & capite involuto obdormivit. Et ecce repentè ante eum vir ſanctus adſtitit, illícque ſicut ſol refulgens apparuit, & iis verbis, ut idem pòſt retulit, ad eum dixit: Hilduarde in me reſpice. At ille putans ab aliquo ſe Monacho vocari, capite erecto reſpexit. Cui Sanctus: Scis me quis ſim? Qui tremens cùm non reſponderet; Me, inquit Sanctus, noveris eſſe Babolenum, quem hodie exprobrâſti in conſpectu omnium propter Domini & meum ſervitium. Cur honorem auferre conaris quem mihi dedit Deus in terris? Ille autem cùm non poſſet ferre Sancti adſpectum, caput lecto reclinans operuit ſe iterum. Sanctus verò Domini dixit ad eum; Quia cum juramento meum ſervitium te ſuperſtite ampliùs dixiſti non fieri, ſcito certiſſimè, quia voto tuo minime fruſtraberis, hoc enim anno mortè morieris. Sic dixit, & mox diſparuit. Ille quoque gravi continuò infirmitate correptus, è lecto quo incumbebat ſurrexit concitus, referens cuncta quæ ſibi dicta fuerant Priori & aliis Fratribus. Ea namque die ſervitio Sancti omni niſu ſe immiſit, putans cum eo concordari: ſed nihil illi profuit. Nam tertia die aggravatus lecto decubuit, nec inde ſurrexit quouſque vigeſima ſexta die viam univerſæ carnis ingreſſus mortem obiit.

VII. Babolenus Monacho ſibi devoto apparet. Nunc quoniam de ultione quam per ſervum ſuum Babolenum virtus exercet Divina, in ſuis adverſariis ſufficienter diximus, reſtat ut quantæ benignitatis erga ſibi devotos ſit perpaucis dicamus. Monachus quidam deſiderio videre Sanctum multoties ſuſpirabat: quippe quia quem Patrem & Paſtorem ſibi habere gaudebat, cujúſque amore flagrabat, ab illo viſitari ſe aliquando non diffidebat. Cui in hoc perſeveranti, & ob id Dominum deprecanti ſanctus vir in viſu noctis apparuit, & blando vultu eum intuens, librum quem dextera ferebat ei porrigens dixit: Pax tibi, accipe & lege. Cúmque, ei ut videbatur, libruum accepiſſet & folium unum vertiſſet; invenit hoc capitulum: Qualiter rexit ſanctus vir Bobium. Mox verò alia revolvens, & miraculum de illuminato cæco reperiens, totum perlegit: & ſic evigilans, viſio ab oculis ejus evanuit; in ſe

[a] Id eſt Odo Monachus Foſſatenſis, qui anno M. LVIII. Burcardi Comitis Vitam compoſuit.

quereverſus miraculum poſt dies aliquot litteris tradidit, ac multis quod ſibi contigerat narravit. Alius verò dentium adeo vexatus dolore, ut præ nimia anguſtia putaret ſibi mortem imminere, de miſericordia Domini fiſus, ad ſepulcrum ſancti viri acceſſit intrepidus: ibíque oratione ſuppliciter fuſa, ſancti viri urnam attigit morbida maxilla: & ita meritis Sancti dolore fugato efficitur ſanus continuò. CIRC. AN. DC. LXX. JUN. XXVI.

VIII. Mutus & ſurdus curatur.

In Foſſatenſi denique villa, quidam manebat juvenis advena, linguæ & auditûs privatus officio, victum ſibi quærens mendicando. Qui dum decumberet in ſtratu ſuo nocte, ſancti viri die ſollemni, videlicet ſui tranſitûs exſiſtente, dum Monachi nocturnale officium decantarent, vidit coram ſe ſanctum virum ſtantem, ac debere ire ad Eccleſiam ſibi præcipientem. Iſque ſuum inclamare cœpit hoſpitem, factum ſe dicens ſoſpitem: concitatúſque ſurgens gaudenter exſpectabat diem. Cúmque hora matutinali cuncti ſurrexiſſent, hoſpes, Fulco nomine, ejus collo immiſit funem, & ita deduxit uſque ad ſancti viri aram: illícque Fratribus Deum laudantibus & campanas ob hoc pulſantibus, Deo egit gratias pro ſibi reddita ſalute coram omnibus. Idem verò adoleſcens vocabatur Petrus; qui ut nobis poſtea retulit, vir ſanctus, qui ei apparuit linguam de ore ejus protrahens, digitos ſuos ei in aures immiſit, ſícque ei loquelam & auditum reddidit. Ecce in iſto homine duplex miraculum ſcimus factum eſſe. Reſipiſcant igitur æmuli derogantes huic Sancto Domini. Erubeſcant & confundantur, qui eum cum Chriſto regnare non confitentur. Deſinat detrahentium pertinacia, cùm per eum viderint & audierint facta fuiſſe miracula.

IX. Altaria S. Babolenо ſacrata.

Hujus igitur Patris adeo excrevit memoria, ut etiam altaria in ejus nomine ſacrarentur per multa loca. Eſt nempe vicus in territorio Pariſienſi, ſcilicet inter Gornacum caſtrum & Latiniacum poſitus qui dicitur Campus, in quo ædificaverunt Eccleſiam hic venerabilis Pater BABOLENUS & B. FURSEUS: contemporanei enim fuerunt, ut ab anteceſſoribus vera narrantibus accepimus. Quam poſtquam ædificaverunt, & Pariſiacæ urbis Epiſcopum, AUDOBERTUM nomine, ut eam dedicaret advocaverunt. Quam dedicans, conſecravit in ea duo altaria, unum in honore Beatæ Virginis MARIÆ, alterum verò in B. Petri Apoſtolorum Principis nomine: ibíque permanſerunt non modico tempore. At ubi ſancti Patres Babolenus ſcilicet atque Furſeus Domino vocante de ſæculo migraverunt, & cælicas ſedes pro mercede bonorum operum obtinuerunt, ſupradictus vicus, Campus ſcilicet, grande diſcrimen diripientium ſuſtinuit, & colonos qui inibi habitabant, huc illúcque diſperſit ac diſſipavit. Unde actum eſt, ut prædicta Eccleſia nullo reparante deſtrueretur, & fere ad nihilum redigeretur. Poſtquam verò devaſtatorum quievit immanitas, cœperunt coloni redire ad propria, & ædificare domicilia, & ab eis reparata eſt Eccleſia, in qua in honore B. Furſei, necnon & S. Baboleni duo conſecrata ſunt altaria, quæ inibi duraverunt per multa annorum ſpatia. Ceterùm exigente habitatorum mole peccaminum, eumdem vicum invaſit grande incendium, itaut in eo nulla remanerent ædificia, & inſuper ipſa concremaretur Eccleſia, altaris vera beati Furſei penitùs ſunt combuſta velamina: illius verò quod in honorem S. Baboleni conſecratum erat, cùm deſuper prunarum ac titionum multiplicitas corruiſſet, ex toto remanſerrunt intacta. Hoc igitur, bone JESU Fili Dei vivi, Rex ſæculorum, ad laudem & gloriam nominis tui fieri voluiſti, & ut quanti eſſet meriti B. Babolenus demonſtrares hominibus. In Epiſcopatu verò Meldenſi Fontaneto villa in B. Baboleni nomine conſecrata eſt ara: quam nullatenus Meldenſis Pontifex conſecraret, niſi apud ipſum pro magno ejus haberetur memoria. Gloria, Chriſte, tibi cum Patre & ſancto Flamine, qui Sanctos tuos ita mirificas in terris, dum per ſigna tecum eos regnare teſtaris in cælis & nunc & ſemper & per infinita ſæcula, Amen.

Circ. An. dc. lxx. Aug. xxx.

SANCTI FIACRII CONFESSORIS & Anachoretæ apud Meldos

ELOGIUM HISTORICUM.

Fiacrius Hibernus apud Meldos ſeceſſum petit. * S. Fiacre

1. SANCTUM FIACRIUM*, *antiquis* FEFRUM, *Galliæ lumen & Archiatrum toto orbe celeberrimum, intactum præterire nefas. Hunc ex Hibernia, quam veteres Scottiam appellabant, ortum* nobilibus parentibus *ferunt. Sunt qui Regium ei genus tribuant. Sed quoniam nobis deficiunt legitima quibus id probemus argumenta, id conſtanter aſſerere animus non eſt: nec tamen detractum imus ſententiæ recentiorum, qui id affirmant. Auctorem qui de Fiacrio ſcripſerit antiquiorem deprehendimus nullum* HILDEGARIO *Epiſcopo Meldicenſi, qui principatu Caroli Calvi Pontificatum gerebat. Is in Vita ſancti Faronis à ſe ſcripta de Fiacrio agit capp. 99. & 100. in hæc verba:* In tantum pro ſtudio vitæ Angelicæ diligendo officioſiſſimè Scottos excolebat (S. Faro,) ut etiam heredes eos de propriis ſuis rebus faceret, atque ex Reliquiis eorum corporum, dum ſæcula labentia volaverint, ad protectionem noſtram eorum meritis hæc clarior provincia fulgebit: ut ex B. FEFRI munere miraculorum hæc noſtra Meldica claret. At in quodam territorio ſuo Monaſterium quod dicitur BROILUM ſitum retinetur, tribus diſtans millibus ab urbe Meldis, quod accepit ille vir ſanctus Fefrus in poſſeſſione copioſiſſima ab Antiſtite Chriſti Farone.

Fefrus dictus.

2. *Hic notanda occurrunt nonnulla. Primum*, S. FIACRIUM *quondam* FEFRUM *fuiſſe vocatum: quo nomine etiam* FULCOÏUS *Belvacenſis, Subdiaconus Meldicenſis eum appellat in Vita ſancti Faronis ſæculo* XI. *metricè edita, dum ita canit:*

Faro, ſunt Scotti, ſed & Angli ſunt tibi noti,
Quos bene tractabas, & amicos conſtituebas:
Et quoniam patris* ſtudiis natíque Faronis
Regula provenit Gallis primùm Monialis.
Heredem FEFRUM dedit in quibus eſſe beatum.
Huic Broilum tribuit, qui Templum condidit illic,
Hîc duxit vitam, vitam finivit ibidem.
Meldica nunc ſignis floret provincia FEFRI.

* Chagnerici

Nomen Fefri *in* Fiacrium *ob vocis prioris aſperitatem mutatum putamus, quod in aliis Sanctis Hibernicis cõtigit. Sic* S. Frichorius *ſocius Caidoci, qui ambo S. Richarium ad ſanctiorem vitam adduxerunt,* ob rictum vocis *nomen accepit* Hadrianus. *Alterum notatu dignum in verbis Hildegarij, eſt, locum illum Fiacrio à S. Farone conceſſum, dictum fuiſſe aliquando* Broilum. *Tertium denique B. Fiacrium jam nono ſæculo miraculis celebratum fuiſſe: quod utrumque Fulcoïus verſibus confirmat. Quo magis mirari licet, cur Vſuardus, vicinus illorum temporum ac locorum, Fiacrium in Martyrologio ſuo prætermiſerit, ſicuti Beda, Vvandalbertus, Ado, aliique ſacrorum Faſtorum antiqui conditores.*

Miraculis celebris.

In Monaſterio S. Crucis moratus,

3. *Fiacrium aliquãto ſpatio temporis in Monaſterio S. Crucis, nunc S. Faronis, prope Meldorum urbem conſediſſe, probabile videtur. Quippe iſtud Monaſterium ad excipiendos ejuſmodi peregrinos Monachos S. Faro primùm ædificâſſe ac dotâſſe, ex dictis ſatis intelligitur. Verùm Fiacrius ſolitariæ vitæ cupidus locum à turba remotum concedente Farone obtinuit,* Broilum *nomine, ſilvis circumpoſitis tectum. Illic eremiticam ſeu anachoreticam vitam agens Fiacrius, Oratorium in honorem B. Mariæ conſtruxit, & ad obitum uſque permanſit. Vivo ac mortuo miracula non deſue-*

Broilum ſecedit.

rant. Ea cùm aliunde discere non liceat, repetemus ex Vita ejus non admodum vetustâ, quam Surius Tomo 4. ex apographo Trajectensi evulgavit modo subjecto. CIRC. AN. DC.LXX. Aug. XXX.

4. BEATUS FIACRIUS ex Hibernia nobilibus ortus parentibus, solitariam vitam appetens, Meldis ad S. FARONEM Episcopum cum quibusdam sociis suis advenit. Cujus desiderium cùm Pontifex cognovisset, & ei locum in nemore ad se ex proprio patrimonio pertinentem, nomine Brodolium * assignâsset, eum ibidem perduxit. Beatus autem Fiacrius, evulso nemore, Monasterium in honore B. MARIÆ Virginis construxit, & exiguam domum seorsum ædificavit, in qua manens, hospites suscipiebat: & de die in diem virtuti studens, in Deo proficiebat. Corpori proprio hostis nimis austerus, quod sibi subtrahebat, peregrinis & pauperibus erogabat. Famâ igitur ejus sanctitatis longè latéque compertâ, omnes robore privati, elingues sive contracti aut obsessi, aut alia incommoditate detenti, qui ad eum veniebant vel deferebantur, sola manûs impositione sanitati pristinæ reddebantur. Cujus beata opinio ubique discurrens, S. CHILLENUM *, qui ex Romanæ peregrinationis itinere applicuerat, adduxit ad videndum eum. Quem S. Fiacrius sibi sanguine conjunctum cognoscens, spirituali cognatione & gaudio susceptit; atque divino alloquio cum eo vacans, aliquamdiu apud se detinuit in Domino.

Oratorium construit. * Brolium

Chillenum excipit. *lege Vitam S. Faronis cap. 101.

5. Posthæc Fiacrius non habens unde inopiam advenientium relevaret, accessit ad Episcopum, petens ut liceret ei tantum nemoris evellere, ut ibidem posset hortum facere ad nutrienda olera pro pauperibus peregrinis. Cui Pontifex tantum rogati nemoris concessit, quantum in gyro circa domum suam propria manu fodiendo, in una die fossato posset circumdare; & quidquid intra fossatum concluderet, liberum absque cavillatione, quasi hereditarium possideret. Quo audito, ad solitudinem reversus, facta oratione, baculum quem manu tenebat, per terram trahebat, & (quod est dictu mirabile) ad nutum viri Dei, tractu baculi terra dehiscens patebat, & nemus hinc & inde funditùs corruebat.

Nemoris partem à Farone obtinet.

6. Interea mulier quædam advenit, quæ viso terræ dehiscentis miraculo, stupefacta ad Episcopum festinavit: Eremitam magnificum esse magum, maleficum, & incantatorem asserens, & non Dei cultorem. Deinde cum celeritate ad eremum reversa, sancto viro convicia, contumeliásque & blasphemias irrogavit, & eum auctoritate Episcopi ab incepto opere cessare præcepit: ipsum etiam Episcopum advenire nuntiavit. Hac de causa ab incepto opere cessans, Sanctus contristatus super petram resedit. Mirabilibus mirabiliora succedunt. Petra namque durissima, nutu Dei, ut sessioni Sancti esset habilior, sub ipso concavum eidem præstitit locum. Quæ petra in hodiernum diem, eodem in Monasterio servatur *, & locus sessionis ejus demonstratur: cujus tactu debiles sæpiùs restituuntur sanitati. Provocatus igitur Pontifex verbis mulieris, advenit: & videns utraque miracula, intellexit Eremitam magni esse meriti apud Deum, & deinceps eum ferventiùs dilexit, & quamdiu vixit, ei familiariùs adhæsit. Fossata verò tactu baculi viri Dei facta usque in hodiernum diem ab incolis demonstrantur. Ab illo tempore quo mulier sanctum virum Dei accusavit apud Episcopum usque in præsens, mulieres in ejus Monasterium non intraverunt. Ad iram siquidem provocatus à muliere, oravit quòd omnis mulier, quæ ejus Monasterium ingrederetur, sui corporis infirmitatem incurreret.

A femina accusatur apud S. Faronem.

Petram sedendo habilem reddit. * *ita est.*

Mulieres oratorij sui aditu arcet.

7. Postmodum igitur quædam mulier dives & nobilis volens experiri quid accideret mulieri Monasterium prædictum intranti, ad illud ancillam suam manibus propriis impulit. Quo facto, videntibus omnibus qui aderant, ipsa unum oculum amisit; ancilla verò illæsa permansit. Sed & moderno tempore mulier de Latiniaco * in Monasterio unum pedem posuit, qui statim intumuit, tumórque adscendendo, tibiam genu & crus occupavit. Sunt & alia multa, quæ mulieres ab ingressu Monasterii prædicti compescunt. Beatus itaque Fiacrius in eodem loco signis & virtutibus coruscans, cursum vitæ feliciter consummavit:

* *Lagny*

CIRC. AN. DC. LXX. AUG. XXX. ad cujus tumulum quaſi continuè glorioſa fiunt miracula.

Merſos è fluvio mirè educit.

8. Inter quæ accidit, quòd quidam vir de Montiaco, qui duos habebat parvulos diutiſſimè infirmatos, & tandem ut ad B. Fiacrium duceret, jumento impoſuit, unum ante, alium retro, mediùs verò ipſe reſedit: & cùm iter aggreſſus perveniſſet ad pontem qui dicitur Pons-rapidus, jumentum ſuum pedem offendit, & in fluvium corruit cum patre & filiis proclamantibus: Sancte Fiacri ſuccurre nobis. Et cùm rei exitus à circumſtantibus præſtolaretur, ſubitò pater emerſit & filij. Aqua inſuper duorum hominum longitudine profunda ſe calcabilem patri præbuit, qui filios dexterâ lævâque arripiens, ſine difficultate ad terram reduxit, ſanctum aſſerens ſibi affuiſſe Fiacrium. Quod ut manifeſtiùs pateret, ſicut de periculo, ita de morbo, quo, ut dictum eſt, diu prius laboraverant, in ipſo articulo liberati ſunt.

* *Noyon* * *l'Oiſe*

9. Quatuor pueri balneantes ſe apud Noviomum, *in flumen Iſara *nomine, fortuitò ſubmerſi & à piſcatoribus à ſexta hora uſque ad Solis occaſum quæſiti nec inventi, tandem à matre duorum illorum, quos S. Fiacrius à ſubmerſione & morbo pridem liberaverat, invocatus eſt ab ea adjuratus, ut ſimili facto oſtenderet quantum poſſet apud Deum. Poſt ipſius mulieris orationem, ſtatim pueri emerſerunt viventes, dicentes ſe à quatuor dæmonibus fuiſſe ligatos, ſed per S. Fiacrium nunc ſolutos.

Tuberem curat.

10. Quidam de territorio Ambianenſi, polypum* quaſi ovum ſuper naſum habens, ut anſer ſibilans, omnibuſque monſtrum apparens, ad ſancti Dei Monaſterium confluens, ibique orans obdormivit, ac ſtatim ſurgens ſanatum ſe invenit.

Deriſores cæcati lumen recipiunt.

11. Septem peregrini de S. Dionyſio venientes, cùm non longè eſſent à Monaſterio S. Fiacrii, dixerunt quatuor ex illis: Eamus ad S. Fiacrium. Reliqui verò tres dixerunt: Nos viſcoſi non ſumus, non habemus neceſſe ire ad eum, ipſe non habet peregrinos niſi viſcoſos. Quatuor tamen ad Sanctum incedentibus, tres prædicti eos irridentes ſæpiùs clamabant: Ite viſcoſi ad Medicum viſcoſorum. Nec mora cæci facti ſunt, & apertis oculis nihil videbant. Pœnitentes igitur clamabant poſt quatuor ſocios, qui ad Sanctum Dei properabant. At illi putantes eos ut priùs irridere, ipſis non intenderunt. Tandem viſitato S. Fiacrio reverſi, prædictos tres ſocios ſuos invenerunt cæcos, errare per agros. Cognoſcentes verò culpam eos ad S. Fiacrium duxerunt, & cum ipſis Sancti miſericordiam implorantes, obtinuerunt eis viſum reſtitui. Tanta autem quotidie meritis beati Confeſſoris perpetrantur in diverſis partibus miracula, quòd de ſingulis non eſt noſtræ poſſibilitatis ſcribere.

Mulierum ingreſſus in ejus Oratorium etiamnunc punitur.

12. *Quod narrat anonymus iſte de vindicta mulierum in S. Fiacrii Oratorium ſeſe ingerentium, plurimis teſtatum manet experimentis. Anno* M. DC. XXIII. *cùm mulier quædam de ſuburbio Pariſiaco, S. Germani dicto, vulgatum Fiacrii interdictum parvipendens, Sacellum eidem Sancto ſpeciatim nuncupatum (quod communi majoris Eccleſiæ tecto concluſum è regione altaris principalis ſitum eſt) ſubiiſſet, repentè in amentiam & furorem verſa, poſtea quidem parentum precibus furorem, ſed non amentiam depoſuit. Mulierem illam, quæ S. Fiacrium apud Beatum Faronem inſimulavit,* Becnaudam *vulgò la* Becnaude *appellant, eodémque nomine tuguriolum ejuſdem feminæ, quod hodie quoque oſtendunt.*

Viſcoſos præcipuè curat.

13. *Quamvis S. Fiacrium in quibuſvis morbis patronum invocent, auxiliarémque experiantur Galli; præcipuè tamen* Viſco *laborantes, quos* viſcoſos *appellant, curare conſuevit. Hinc affectionem illam vulgari nomine* le Fix de S. Fiacre, *hoc eſt* Viſcum S. Fiacrii *nuncupant. Viſcus, cancri genus, carnoſis partibus adhærere ſolitus, primò quidem calli inſtar dureſcit: poſtea callus in pus converſus, proximas partes ſenſim depaſcitur.*

S. Fiacrii Monaſterium reſtitutum.

14. *S. Fiacrii Cella ſeu Monaſterium, tertio ferè milliari à civitate Meldica diſtans, eſt Prioratus Monaſterio S. Faronis ſubjectus, à noſtris excultus: ubi ob pias Fidelium peregrinationes vicus ejuſdem Sancti nomine inſignitus accrevit. Locum illum à*

lum à S. Fiacrii ævo paullulùm neglectum & juſto Monachorum numero deſtitutum reſtituit Adam *Faronianus Abbas, ut patet ex his ejus litteris ſcriptis.* Frater ADAM Divina permiſſione Monaſterii S. Faronis Ord. S. BENEDICTI Abbas humilis totúſque ejuſdem loci Conventus devotus æternam in Chriſto ſalutem. Ut in noſtro Prioratu de S. FIACRIO Meldenſis diœceſis Deus & Dominus noſter JESUS-CHRISTUS, ſacratiſſima ejus Genitrix MARIA, omnéſque Sancti ejus, & præcipuè beatus ille Confeſſor FIACRIUS devotiùs, celebriùs, & ſollemniùs honorentur, ibíque Divinus cultus, quem cordis deſiderio deſideramus augeri, per nos noſtris temporibus augeatur; Nos in noſtro Capitulo congregati, habito ſuper hoc diligenti tractatu, cum deliberatione provida dignum duximus ordinandum, quòd deinceps in Prioratu noſtro prædicto noveni Monachi, de gremio tamen noſtri Monaſterii, ibidem Divinis obſequiis mancipati, & unà cum eis unus Converſus & una Converſa qui eorum inſiſtant obſequiis ſub habitu Regulari, per Priorem qui denarium numerum faciet (quem Abbas dicti noſtri Monaſterii de ipſius Monaſterii gremio inſtituet & eis præficiet) ſub regularibus diſciplinis & obſervantiis noſtri Ordinis gubernando continuè reſideant, noctu diéque, ſicut in noſtro Monaſterio conſuetum eſt fieri, Domino famulantes... Volumus & etiam ordinamus, quòd Prior prædictus pro ſe & aliis perſonis prædictis ad opus ſuſtentationis ipſorum unà cum antiquis ipſius Prioratûs reditibus, proventibus & juribus, habeat & poſſideat & percipiat in futurum omnes & ſingulas oblationes, quæ prætextu & reverentiâ capitis glorioſi prædicti Confeſſoris & aliàs in Eccleſia ipſius Sancti decetero fient. CIRC. AN. DC. LXX. AUG. XXX.

15. *Quod attinet ad ejuſdem ſancti Reliquias, ſacrum ejus corpus in proprio Oratorio manſit ad annum* M. D. LXII. *quo ob Calviniſtarum furorem in civitatem Meldas delatum, in Majori S. Stephani Eccleſia repoſitum eſt: quamvis Fidelium concurſus locum Sancti veſtigiis & converſatione conſecratum frequentare non deſinit. Sæpiùs repetitas Patroni ſui Reliquias recuperare non potuerunt Monachi, quibus Illuſtriſſ. Meldarum Epiſcopus* DOMINICUS Seguierius *anno* M. DC. XLIX. *vertebram dorſi S. Fiacrii thecæ argenteæ à ſe incluſam conceſſit. Nec prætermittendum illud, quod in veteri ejuſdem Monaſterii membrana legitur. Nempe Philippus Meldenſis Epiſcopus in litteris quibus Indulgentias in gratiam S. Fiacrii à Gregorio* IX. *Pontificatûs ſui anno* X. *conceſſas probat, hæc addit:* Nos verò qui ab Incarnatione Domini anno M. CC. XXXIV. die feſto S. Trinitatis corpus glorioſiſſimi Confeſſoris S. FIACRII de voluntate & petitione religioſorum virorum Abbatis & Conventûs S. Faronis Meldenſis, quibus ſubeſt Eccleſia dicti Sancti, Divino invocato auxilio levavimus, & dicti glorioſiſſimi Confeſſoris brachium in vaſe honorifico repoſitum in pratis ſubtus villam dicti S. Fiacrii deferri fecimus & oſtendi, & ibidem univerſis Chriſti Fidelibus qui ad hoc apud dictum locum convenerant, verbum Domini nuntiari, & indulgentiam & remiſſionem ſuorum eiſdem in multa parte (quantum in nobis erat) conceſſimus peccaminum; de voluntate & aſſenſu dictorum Religioſi Abbatis & Conventûs ordinavimus in hunc modum, quòd caput glorioſiſſimi Confeſſoris ſingulis annis anno revoluto in die feſto S. Trinitatis ad locum memoratum proceſſionaliter deferatur, *&c. Fidelibus verò ad celebritatem confluentibus* quadraginta dies de injunctis pœnitentiis, peccata oblita, vota fracta, ſi ad ea redierint, offenſam patrum & matrum ſine manuum injectione, quantum in nobis eſt, miſericorditer relaxamus. Datum anno Domini M. CC. XXXVII. menſe Maio. *Denique* Johannes de Belleau *Epiſcopus Meldenſis anno* M. DC. XXVII. *die 6. Octob. reſeravit thecam S. Fiacrii, ex qua protulit Reliquiarum portionem Hetruriæ Duci conceſſam: qui Dux in ditione ſua egregium Templum S. Fiacrio erexiſſe dicitur. Varia ubique locorum in Gallia habet idem Sanctus Oratoria, in quibus ob crebra miracula honoratur.* Reliquiæ.

16. *Quam Regulam tenuerit Fiacrius, conjicere utcumque licet, certò definire* Regula & mors.

Circ. An. Dc. lxx. Aug. xxx. *non licet. Demigravit ex Hibernia nondum Benedictinis inſtitutis informatâ, an jam Monachus, incertum. Nullum excoluiſſe legitur Cœnobium in Gallia, ubi S. Benedicti Regula paſſim recepta erat, niſi fortè in S. Crucis Aſceterio tantiſper hoſpitatus eſt. In ſolitudine anachoreticam vitam egit. Illic peregrinos excepiſſe, non diſcipulos habuiſſe legitur. Ejus mortem ad annum circà* DC. LXX. *collocamus; feſtum diem III. Kalend. Septemb. celebrant Meldenſes, aliæque Eccleſiæ quamplures.*

Soror. 17. *S. Fiacrii ſororem fuiſſe aiunt* S. Syram, *quæ Monaſticam vitam in Eboriacenſi ſeu S. Faræ Parthenone duxerit, & Monaſterium puellarum prope Catalaunum civitatem exſtruxerit gubernaveritque. Locum conditi Cœnobij oſtendunt ubi modò S. Sulpicij parochus ſuas ædes habet, quem locum* S. Syræ Clauſtrum *haud ita pridem appellabant, uti Deſguerroiſius tradit in Vita S. Syriæ matronæ ac Martyris Tricaſſinæ, diſtinguendæ à S. Syra, quæ à Meldenſibus* X. *Kalend. Novemb. colitur, à Catalaunenſibus verò* X. *Idus Iunias: qui dies non S. Syræ, ſed S. Syriæ matronæ, ſacratus eſt.*

Circ. An. Dc. lxx. Sept. xi.

VITA S. ADELPHII ABBATIS HABENDENSIS,

Auctore Monacho anonymo æquali (ut patet ex numm. 3. & ult.) qui etiam SS. Amati & Romarici Acta ſcripſiſſe videtur.

Ex cod. MS. V. C. Andreæ Cheſnij & Philippo Labbeo.

Præfatio Auctoris. *Matt. 5. 16.*

1. Ineffabilis & clementiſſimus Deus Jesus-Christus, cùm Fidelibus ſuis normam vivendi traderet, quodam loco ait: *Sic luceat lux veſtra coram hominibus ut videant opera veſtra bona, & glorificent Patrem veſtrum qui in cælis eſt.* Quamobrem ille glorificandus eſt, qui ut operetur bonum tribuit effectum. Et idcirco non ſilenda eſſe cenſuimus opera bona & laudabilia, quæ moderno tempore erga ſupremum obitûs ſui [a] laudabiliter Pater noſter pius atque dulciſſimus Domnus Adelphius* Abbas peregit adjuvante Chriſto qui dixit: *Nemo venit ad me niſi quem Pater meus cæleſtis attraxerit.* Et beatus Paulus dixit: *Ne fortè det illis pœnitentiam*, &c. Quibus verbis perſpicuè patet, quoniam pœnitentiæ bonum à Deo petentibus clementer tribuitur.

* *al.* Adelphus. *Iob. 6. 44. 2. Tim. 2.*

[a]

Adelphii virtutes. 2. Jam igitur nunc ipſius Adelphii Abbatis narranda aggrediar acta. Fuit enim lenis in verbis, hilaris in adſpectu, dulciſſimus hominibus, bonis mitis, & affabilis cunctis, officiis Dei promptiſſimè intentus, alienarum rerum non cupidus, ſervientibus Deo obnixè & dulciter ſubjectus, & modeſtiæ ſectator, omnibus hominibus laudabiliter aptus.

Acri torquetur dolore. 3. Denique ante hos niſi fallor triennii annos, illo videlicet ſciente qui ſolus hominum corda novit, per eremi vaſta huc illúcque locatim divertens, ultrices flammarum globos ubertate fletuum ſecretè exſtinguere nitebatur. Et quoniam pietas inenarrabilis Dei crebrò permittere ſolet, ut ſuperveniens infirmitas corporis maculas animæ miſericorditer abſtergens purificet; cùm gravi & infeſto quateretur dolore, gemitibus & lacrymis multis animæ flagitabat medelam. Denique accito Sacerdote, ſi quid ſe meminit deliquiſſe, proſtratus humi exomologeſin fecit, poſcens animæ ſuæ medendæ pœnitentiam impertiri, atque ſup-

[a] Hæc igitur S. Adelphii Vita ſolùm comprehendit ſuprema ejus geſta, quæ jubente Tecta ſeu Tetta Abbatiſſa litteris mandata dicuntur infrà num. ult.

plex ait: Dulciſſime meus, ab omnibus Fratribus & Sororibus commeato* accepto, volo & deſidero Luxovium uſque ad Fratres ſanctos properare, quoniam illis ſimiliter confeſſionem meam facere diſpono: quibus orantibus veniam & remiſſionem de peccatis meis adipiſci non ambigo. Nec mora deſtinationem illius ſecutus eſt effectus. CIRC. AN. DC.LXX. SEPT. XI. * commeatu Luxovium pœnitentiæ causâ petit.

4. Cùm ergo Cœnobium fuiſſet ingreſſus, mox S. Abbas INGOFREDUS cultor Dei unà cum Fratribus ſuis velut ob cõquirendæ æternitatis præmia velut de ſupernis munus deſtinatum amplectentes illum ſuſceperunt, ibíque ſancto Fratri EMMONI[a] Monacho electo Dei commendatus, cum multo & grandi ſtudio dilectus eſt. Nam illi tunc, id eſt Emmoni de hoſpitibus inſtabat cura. Erat vir ille ſanctus opere & gratus in actu, qui cum ſummo ſtudio famulabatur ſancto Adelphio. Emmoni Monacho commendatur. a

5. Dúmque per aliquod ſpatium temporis fraternâ invicem fruerentur dilectione, adeſt extrema dies, ut effetum Adelphium Abbatem ſui funerarẽtur dilecti. Denique jam aderat ſurgendi hora diei & ait: Qua hora vis, Domne Emmo, ut ſurgamus & pergamus ad orationem? Tum ille: Quieſce modicùm, Domne, donec ſignum agitetur & pergamus ad orationem. Ilico Emmo digreſſus foras, & puer officialis inibi remanſit cum illo: & ecce ſubitò brachium illius dolor ingens perculit, ſtatímque præpeti verbo ait: Surge, accede huc, Frater, quia ſæviſſimus dolor percuſſit brachium meum. Et vexillum Crucis ſupra frontem & corpus ſuum conabatur facere, & dicebat: Chriſte adjuva, Chriſte adjuva. Et hac voce emiſſa atque ſigno Crucis ab eodem facto illius ſancta egreſſa eſt anima. Tunc proculdubio in eodem ſuppletum reor Prophetæ monitum quo ait: *Omnis quicumque invocaverit nomen Domini ſalvus erit.* Et illud: *Sapientia viri in exitu canitur.* Emmone abſente moritur. *Ioel.* 2. 32.

6. Statim ergo ad Monaſterium Habendenſe pernix nuntius venit. Móxque vir illuſtris Domnus GARICHRAMNUS Abbas[b] de nocte conſurgens cum non parva & promiſcua turba populi, atque Monachortm turbis, Luxovium uſque perrexit, acceptóque corpore Sancti viri cum Sanctorum Reliquiis, cereis & crucibus ingentique triumpho in caſtello Habendenſe ad urnam uſque ſuam mirabiliter tranſvexit. In Monaſterium Habendenſe ejus corpus defertur. b

7. Nam cùm alveum Moſellæ geſtantes jam tranſmeâſſent, ecce veniens ſancta Tecta*, quæ & CEBEDRUDIS, Abbatiſſa occurrit obviàm: unà cum ſanctis Sororibus geſtantibus Sanctorum Reliquias cum cereis & crucibus, diviſúſque eſt populus turmatim in tres cuneos. Pergebant namque & chori Monachorum ſancti viri corpuſculum ferentes præibántque omnibus: & ilico eminus ſequebatur almifica Tecta Abbatiſſa præcedens chorum ſanctarum Virginum; vulgúſque populi poſt tergum capiebat iter. Reſonabant namque in excelſum voces pſallentium paſſim in laudem Dei. Omnis namque illic repleta eſt terra vocibus & cantibus antiphonarum & pſalmodiæ. Sic namque diſponente Deo factum eſt, ut in die illo quo feſtivitas S. Amati agebatur[c], filiolus ipſius ſanctus ADELPHIUS in eadem Baſilica cum magno ornatu ſepeliretur. Sanctimoniales obviam veniunt. * *al.* Tetra, *an* Thecla? c Sepelitur in feſto S. Amati.

8. Poſtquam autem ſepultus eſt, quæ vel quales viſiones de eodem quibuſdam Fidelibus apparuerint, ſaltem aliquæ ſilendæ non ſunt. Nam antequam ſepultus eſſet, in Baſilica ſancti Petri geſtatus eſt, ibique à pernoctantibus vigiliarum excubiæ celebratæ ſunt. Sed quàm grande miraculum & virtus ibidem audita fuiſſet, ſub ſilentio reticendum non eſt. Et quoniam gemina S. Amati Adelphius mortuus ceciniſſe dicitur.

a In nonnullis Martyrologiis B. Emmo Monachus Luxovienſis v. Kalend. Septemb. colitur.

b Garichramnus Abbas Adelphio Præfecturam deferenti ſuffectus fuerat.

c Nempe 13. Septemb. Adelphius verò die 11. ejuſdem menſis obiit, quo die ejus feſtum in Martyrologio Benedictino & in Romaricenſi Eccleſia colitur. Et tamen Adelphius Abbas Montiſ-Romarici 29. Auguſti, qui dies fortè Tranſlationis eſt, memoratur. Nam S. Adelphii corpus in novum B. Romarici Monaſterium circa annum DCCCC. X. unà cum Reliquiis SS. Amati & Romarici tranſlatum diximus in iſtorum Actis. Notandum verò eſt Adelphium hìc dici B. Amati filiolum, qui ab Menardo in lib. 2. Obſervat. ad diem 11. Septemb Romarici nepos, & Gebertrudis frater dicitur, neſcio an ſundamento ſatis firmo.

CIRC. AN. DC. LXX. SEPT. XI.

(ſicut jam præfati ſumus) atque Adelphii feſtiva aderat dies, peractis Matutinis hymnũ B. Amati canere cœperunt, quem Adelphius à primo verſu uſque ad finem alta voce jugiter cantavit cum illis, atque levata dextera manu ſignaculum Crucis conabatur facere. Vir quippe religioſus erat qui juxta illius corpus innixiùs vigilabat. Hic illum cantantem ſolus audivit atque cum lacrymis teſtificans Deum & Domnum Petrum, iſtud miraculum nobis narravit.

Auctor teſtis.

Voces ad ejus ſepulcrum audiuntur.

Pſal. 118.

9. Poſthæc autem viro Dei Adelphio urnæ tradito quidam Diaconus Procurator Monaſterii ob quaſdam utilitates diſpenſandas in platea ſancti Petri advenit; & ecce in Oratorio audivit pſallentes tamquam feſtivitatem celebrantes. Canebant autem hunc verſum: *Vivet anima mea & laudabit te*, Deus. Suſpicatus denique eſt inibi famulas Chriſti cantare, ſed poſt puſillum ſciſcitatus, nullum hominem reperit ibidem adeſſe.

10. Alia denique die cùm quędam famula Dei in Baſilica S. Petri innixa in oratione jaceret, audivit in ſupradicto Oratorio tamquam Miſſas celebrantes canere. Pſallebant autem: Lætabitur juſtus in Domino. Et accitis aliis Famulabus Chriſti utræque audierunt voce alta canentes, ſuſpicantes quippe Fratres ibidem Miſſarum ſollemnia celebrare.

Auguſtini & Gregorii auctoritate Scriptor hæc geſta tuetur.

11. Igitur viſiones illas quæ de eodem viſæ ſunt jam narrandas aggrediar, auctoritate fultus de talibus B. Auguſtini & almifici Papæ Gregorii, qui quoſdam Monachos hoſtium phalangas incurriſſe, móxque ſtipite interemptis per totam noctem ibidem ad corpora eorum animas Pſalmos canentes ab iiſdem hoſtibus aliis narrantibus audiſſe fatetur. Nam & B. Auguſtinus refert cùm Juſtorum animæ in locis amœnis Juſtis fuerint ſociatæ, licentiâ adeptâ quos in hac vita dilectos habuerunt revertuntur inviſere per ſomniorum revelationes & conſolationum hortamina: quod & crebrò actum per Sanctorum comperimus libros.

Murmur in ejus tumulo auditur.

12. Nam nec illud ſub ſilentio reticendum eſt quod de ſancto Adelphio comperimus. Quædam namque Sanctimonialis famula Chriſti, ſancta repleta devotione ad ſepulcrum illius dum intentè Pſalmos caneret, factum aſſeruit infra urnam illius tamquam murmur lene, in aliud latus vertendum. Móxque locus ille inenarrabili dulcedine atque odore ſuavitatis repletus enituit. Erant namque ibidem gaudentes & quaſi exſultantes lætitia inenarrabili.

Tecta Abbatiſſa jubet hæc ſcribi.

13. Hæc quippe pauca narrata ſunt de multis quæ ſancta atque almifica TECTA Abbatiſſa ob memoriam beati viri Adelphii ſeu propter exemplum Fidelium in proceſſu temporis recolenda commentariolo indita ſtilo ſulcari præcepit, adjuvante omnipotenti Deo, cui laus eſt & gloria & poteſtas per immenſa ſemper ſæcula ſæculorum, Amen.

CIRC. AN. DC. LXXI. MAII XIV.

VITA S. EREMBERTI EPISCOPI TOLOSANI.

Ex MS. codice deſcripta à R. P. noſtro Anſelmo Rollio & ex Catello.

CAP. I. *a* Erembertus ex Monacho Epiſcopus.

EREMBERTUS igitur ſanctus atque religioſus ortus erat territorio Pinciacenſi[a], in loco nuncupante Viliolicorte, qui vicinus erat fiſco quondam Regio Alpico & fluvio magno Sequanæ, tempore DAGOBERTI Regis inclyti ſive filii ejus HLODOVEI. Deinde proceſſu temporis ſæculi rebus ſpretis in Fontanella Monaſterio ſub regimine S. Patris Wandregiſili Monachicum aſſumpſit habitum: ſícque demum Domino jubente ſub Rege

a Pinciacum ſeu Piſciacum, *Poiſſy*, villa quondam Regia in agro Pariſiaco, S. Ludovici Franc. Regis ortu illuſtrata. Alpicus, vulgò *Aupec*, nominatur in Ch on. Fontanell. cap. 2. ubi HILDEBERTUS Rex S. Baino, Abbati Fontanellenſi *villam quæ vocatur Adpiecum quæ ſita eſt in pago Pinciacenſi ſuper alveum Sequanam* conceſſiſſe dicitur.

HLOTHARIO juniore, filio videlicet præfati Hlodovei Regis & Balthildis Reginæ, juſſu Regum populíque electione Toloſanæ urbi ordinatur Antiſtes. CIRC. AN. DC. LXXI. MAII XIV.

Conſecratus ergo in Pontificem indeſinenter ſanctæ Religioni caſtæque converſationi ac imitandæ humilitati, continentiæ quoque laudandæ, lectioni ſacræ atque prædicationi cum operibus concordanti ſummopere curam impendebat, atque ad inſtar magnæ lampadis lumine ſuorum meritorum in domo Domini fulgebat. Cujus qualia fuerint vitæ merita, non defuêre atteſtantia virtutum ſigna. Ex quibus unum memorabile huic opuſculo cenſui inſerendum. II. Egregiè ſe gerit.

Quodam namque tempore egreſſus ab urbe diſpoſuerat animo patriam propinquóſque inviſere: quod & feciſſe contigit. Denique proſperè cœptum peragens iter, pervenit ad prædictam poſſeſſionem Viliolicortem, quam tunc germanus ipſius nomine GAMARDUS ex ſucceſſione parentum jure hereditario poſſidebat. Morante autẽ eo in eodem loco, ignis repentè vehemens exortus eamdem poſſeſſionem exurendam invaſit. Cúmque furentis incendii flamma omnem abſorptura vicum, ædificia ædificiis hærentia conſumendo adiret, nulláque lympharum injectio quippiam adjutorii inferret, immo ſublimior ejuſdem incendii vis aſſurgeret; vicani omnes jam nullam ereptionis loci ſpem habentes, interceſſionem beati Antiſtitis Eremberti contra tumidum efflagitant ignem. III. Incendium exortum reſtinguit.

Erat autem in eodem loco Baſilica in honorem S. Martyris atque Pontificis Saturnini à præfato S. Pontifice olim conſtructa, in qua tunc iſdem Præſul Divinæ pietatis opem flagitabat. Cùm hæc ignis tempeſtas ingrueret, tunc concitè clamor populi repercuſſo aëre in altum attollitur, Baſilicæ fores à vulgo pulſantur: & ubi humanum deerat, Divinum petebant auxilium citiſſimè ſibi aſſore. At verò Antiſtes aliorum caſus conſiderans, compatiendo eorum miſeretur querimoniis, ac proinde pedum ſuum, ideſt baculum incurvum paſtoralem quem manu geſtare ſolebat, extemplò obviàm flammæ direxit furenti: iterúmque humo proſtratus orationi incubuit. Nec mora in articulo ſuæ precis atque in adventu baculi paſtoralis contra ignem elatum deſtinati, Eurus qui vico incendia ſparſerat veluti habenis poſt tergum revinctus, contráque Auſtrum reflexus, primò vim ſui furoris amiſit, ac mox funditùs flammarum globis ſopitis ſedatíſque compeſcuit. Lacrymæ deinde populi vertuntur in gaudium, mæror exſultationi dedit concitè locum; auctorem tanti miraculi cunctipotentem Chriſtum vox populi clara collaudat, & Erembertum Pontificem ſanctum ſummi apud Deum meriti fore * pronuntiat. IV. * eſſe

Sub eodem ferè tempore ſeceſſit ad Monaſterium Fontanellam, ubi tum temporis venerabilis præerat Rector LANTBERTUS, ibíque aliquantulum in ſancta degens converſatione, ultimo confectus ſemo languore corripitur parvo: quo ad extrema perductus, inter Divinas laudes & colloquia dulcia exhortationéſque jocundus Viaticum ſumens ac vexillo S. Crucis ſe muniens, ultimúmque vale faciens Fratribus feliciter migravit ad Chriſtum pridie Idus Maii. Sepultúſque eſt venerabiliter in Eccleſia S. Pauli Apoſtoli primò in inferiori parte ejuſdem Baſilicæ. V. Fontanellæ obit.

Cùm verò poſt aliqua temporum intervalla honorificè transferrentur ſanctorum corpora Confeſſorum Wandregiſili ſcilicet, Anſberti & Wlframni de præfata Baſilica à S. BAINO Epiſcopo in Eccleſiam S. Apoſtoli Petri; tunc in eminentiorem locum præfatæ Eccleſiæ S. Apoſtoli Pauli poſitum eſt ab eodem S. Baino Epiſcopo corpus ejuſdem ſanctiſſimi Pontificis Eremberti [a] in abſida vide- VI. Corpus ejus elevatur.

a Nempe anno Chriſti DCC. IV. ex Chron. Fontanel. cap. 2. *cùm antea in inferiori loco ejuſdem Eccleſiæ ſubter arcubus tumulatus, annis plus minúſve triginta tribus requieverat, die trigeſimo primo poſt Tranſlationem prædictam*, nempe SS. Vvandregiſili & aliorum, quæ pridie Kalend. Aprilis facta eſt. Hinc annus quo S. Erembertus obiit colligendus. Nam ſi annus Tranſlationis poſt annos triginta tres à morte ejus elapſos anno DCC IV. facta eſt, annus obitus conſignari debet anno Chriſtiano DC. LXXI. & quidem pridie Idus Maii, quo die ejus memoria celebratur tum Toloſæ, tum in Monaſterio Fontanella, in quo ejus Reliquiæ honorantur.

CIRC. AN. DC LXXI. MAII XIV.

licet prædictæ Basilicæ: in quo loco per multorum requievit curricula annorum, orationibus suis plebem Domini illuc convenientem & obsecrantem & quærentem in veritate Dominum perpetim salvans, præstante omnium Salvatore Christo.

VII. Gamardus ejus frater fit Monachus cum 2. filiis.

Consequenti quoque tempore germanus supradicti sancti Præsulis Eremberti GAMARDUS nomine, largitus est possessionem suam quæ vocatur Viliolicors ditioni Monasterii Fontanellensis, comáque capitis depositâ Monachus factus est, filiíque ejus Namnacus & Zachæus similiter mundalium rerum ærumnis exuti in eodem Monasterio Monachi effecti cælestia sperare didicerunt.

VIII. Pedum & vestimenta Sacerdotalia ubi? * Pedum

Pedum verò sancti Antistitis, in quo miraculum dignè factum erat, longo annorum ævo in prædicta S. Saturnini Martyris mansit Ecclesia, donec eâ ruinis quassatâ ad vicum transferretur Bruarium unà cum Episcopali ejusdem Pontificis vestimento. Allata verò est præfata Pedes*, postea ad Fontanellæ Monasterium, quæ usque ad nostra mansit tempora. Ferunt quoque quia in prædicto vico quidam Presbyter minùs religioni & honestæ deditus vitæ, vestimentum Sancti quod in scriniolo super altare pendenti servabatur temerè indui ausus est. In quo & temeritatem sui reatûs, & illius sanctitatem extemplò expertus est. Nam febre arreptus maximâ, virtutem sancti confitebatur Antistitis: sícque diutiùs eadem molestia febris vexatus, tandem precibus sancti Præsulis Eremberti salutem reimpetravit pristinam. Corpus verò præfati sancti Pontificis Eremberti de Ecclesia sancti Pauli Apostoli translatum requiescit nunc in Ecclesia sancti Petri Apostoli in Oratorio sancti Martini Pontificis.

CIRC. AN. DC. LXXII. OCTOB. XXVIII.

VITA S. FARONIS EPISCOPI MELDENSIS,

Auctore (ut videtur) HILDEGARIO Meldensi Episcopo, regnante CAROLO Calvo Imperatore.

Ex MS. cod. Monast. S. Faronis in suburbio Meldensi.

OBSERVATIONES PRÆVIÆ.

* Meaux
* la Brie
Sancti Briegenses.

I. CIVITAS *Meldorum* **seu Meldarum Episcopalis ad Matronam fluvium, Metropoli Senonicæ pridem, modò Parisiacæ subjecta, caput est Briegy** *pagi quem ſij homines ac Sancti complures secessu ac præsentiâ sua illustrârunt. Exemplo sunt* SS. AGILUS *Abbas Resbacensis ac* FILIBERTUS *ipsius discipulus*; FIACRIUS & CHILLENUS; FURSEUS, *ac* MUMBOLUS *Abbates Latiniacenses*; FARA, THEODECHILDIS, BERTILLA, *Abbatissæ, ut interim Audoënum, Adonem fratrem ac utriusque patrem Autharium taceamus, qui omnes aliique hoc Æræ Christianæ sæculo* VII. *in Briegio floruerunt. Hos inter uti*

* S. Faron

dux ac magister enituit S. Faro Meldensis Episcopus, cujus Acta hîc subjici postulat instituti nostri ratio. Quamvis enim haud constet nobis de Monastica ipsius professione, quem ex Clerico factum Episcopum Acta propria testantur; quia tamen Monachos réſque Monasticas præcipuo studio semper est prosecutus, non immeritò locum in Martyrologio Benedict. obtinuit: nec eum debito fraudabimus elogio, cùm ipsius gesta rebus nostris illustrandis conferant plurimùm. Iohannes Iperius in Chron. Sithivensis cap.* 1. §. 10. *Faronem* primò militem, inde Clericum, deinde Monachum in Resbaco sub Agilo Abbate cognato suo *fuisse scribit. Quæ Iperij sententia prorsus stare non valet: siquidem Faro jam Episcopus Ecclesiæ Resbacensis dedicationi interfuit.*

Vitæ S. Faronis Scriptores.

2. S. FARONIS *Vitam litteris tradiderunt Scriptores tres. Primus Hildegarius ex Monacho sancti Dionysij prope Parisios Episcopus Meldensis, de quo postea. Secundus* FULCOÏUS *Bellovacensis ortu, gradu Subdiaconus Meldensis, qui rogatu* GAUFRIDI *Abbatis S. Crucis, nunc sancti*

Faronis Monaſterij in ſuburbio Meldenſi, ejuſdem Sancti facta heroïcis verſibus cecinit. En operis inſcriptio & exordium ex codice Faroniano excerpta : Fauſti FARONIS Principis terræ nobiliſſimi, Meldenſis Eccleſiæ Paſtoris piiſſimi, Vita à GAUFRIDO Abbate & Fratribus cariſſimis poſtulata à FULCOÏO Belvacenſi, Subdiacono Meldenſi heroïcè compoſita ad laudem Domini. CIRC. AN. DC. LXXII. OCTOB. XXVIII.

Præclarus quondam præclaram condidit arcem,
Sidereum lumen ſuper exponendo cacumen.

Tertius Scriptor eſt anonymus, qui Hildegarij fetum in compendium redegit, & locis aliquot auxit: quem anonymum, vel fortè alium quempiam Surius paraphraſticôs reddidit. Tres iſtas lucubrationes legimus in codice membranaceo è Monaſterio noſtro ſancti Faronis accepto, manu deſcripto tempore Gaufridi Abbatis, qui videtur ſub finem decimi ſæculi Monaſterio Faroniano præfuiſſe, & quidem (ut Indices nonnulli habent) poſt Fulcardum, qui anno CM. LXXXV. *eumdem locum regebat. Certè annos minimùm ſexcentos præ ſe ferunt characteres membranacei apographi, in cujus calce hæc leguntur:* Breviarium librorum quos invenit Abbas GALFRIDUS S. Crucis ſanctique Faronis. Veteris ac novi Teſtamenti volum. duo. ... Vitæ B. Faronis proſaicè III. verſificè I. Legis Salicæ libri II. &c. *Fulcoii Carmen & anonymi de S. Farone fetum omiſimus, rati ſatis eſſe Hildegarium exhibere, qui inſtar omnium utpote antiquior eſſe debet. Si quid in aliis notatu dignum occurrerit, ſuis locis deſignabimus.*

3. HILDEGARIUM *tametſi non præfert exemplar Vitæ hîc ſubjectæ, genuinum nihilo ſecius auctorem ejus eſſe argumenta quædam perſuadent. Auctor cap.* 64. A viceſimo, *inquit*, ordine B. Faronis uſque ad præſentem HILDEGARII HUMILIS EPISCOPI ex Collegio Monachorum clariſſimi Mart. Dionyſij Cœnobio degentium per electionem adſumpti, ac munere Divino unà cum præſtantiſſima liberalitate inclyti Regis Caroli ad tanti regiminis culmen evecti, eſt muliplicatus ordo Præſulum priorum aduſque hunc quem ſextodecimo numero rota annorum torquet volvendo. *Sanè honorificentiùs alius quivis Auctor Hildegarij meminiſſet, quàm ut* humilem Epiſcopum *appellâſſet. Præterea iſte Scriptor cap.* 119. *miraculum recitat de* LUPO *Abbate Ferrarienſi, ſæculi* IX. *viro clariſſimo*, de cujus ore *illud accepiſſe ſe dicit. Denique cap.* 123. *tempore Nortmannorum quorùm incurſiones memorat, ſe vixiſſe profitetur. Quæ omnia rectè conveniunt Hildegario, qui Caroli Calvi nutu Meldenſis Epiſcopus creatus, ab anno circà* DCCC. L. *ad* LXXIV. *Sedem tenuit, qui in Lupi Ferrarienſis Epiſtola* 99. *nominatur, cui Hincmarus Remorum Epiſcopus Epiſtolam de judicio per aquam direxit. Lege auctiorem Galliam Chriſt. Verumtamen ipſius Vitæ conditor dum de Baſilica ſeu Monaſterio S. Crucis loquitur*, hoc Monaſterium, hanc Baſilicam *vocat: fortè quòd Hildegarius licèt Epiſcopus, in ipſo Monaſterio Monachus inter Monachos ſapiùs verſabatur. V. C. Andreas Cheſnius jam aliquot fragmenta ediderat hujus Vitæ, quam primùm integram proferimus in lucem, reſectis capitulis nonnullis, quæ nihil ad hiſtoriam facere videntur.* Hildegarius auctor quis? *Cheſn. To. I. Hiſt. Franc.*

VITÆ CAPITULA.

CAP. I. *De eo quòd laus Sanctorum eſt Dei, à quo & per quem procedit.*
II. *De vero eſſe, id eſt Deo, & quod nihil verè poſſit eſſe ſine vero eſſe, id eſt Deo.*
III. *Quòd ſancti & boni ut poſſint eſſe ſancti & boni, accipiunt à verè ſancto & verè bono, id eſt Deo.*
IV. *Quomodo Sancti tot corruſcent in mundo miraculis.*
V. *Quod à ſcriptoribus viſa & à bonis de Sanctorum virtutibus relata fideliter debeant credi, cùm ex Deo & per Deum opetentur illa.*
VI. *Cùm Sancti honorantur, Deus qui operatur in illis & per illos honoratur.*
VII. *De argumento à nota, id eſt nomine & compoſitione ipſius nominis, id eſt* S. FARONIS.
VIII. *Quare Burgundia ſic dicta, & cur à Gallia ſeparata.*
IX. *Quibus determinetur Gallia limitibus.*
X. *De nomine Meldis & ejus compoſitione.*
XI. *Quomodo ſanctus Faro in aulam Regis Theodeberti ſit nutritus & quibus parentibus progenitus.*
XII. *Quòd laus Agnerici Patris, ſcilicet ſancti Faronis in vita Sancti habeatur Columbani, quem in domo ſua uti cæleſte ſuſcepit donum.*
XIII. *Quomodo filiam ſuam Faram manu ſanctificationis ſancti Columbani Deo obtulerit.*
XIV. *Quòd amore ſancti Autharij prædictum Dei virum ad ejuſdem deduxerit domum.*
XV. *De benedictione ſancti Columbani in filios ſancti Autharij.*
XVI. *De Monaſterij conſtructione à ſancto* Adone ſub Inſtitutione S. Columbani Regula.* * NOTA.
XVII. *De eo quòd ſuper fluviolum Reſbacenſem Briegenſi in ſaltu ſub ejuſdem Regula viri ſanctus Dado Monaſterium dicavit Deo.*
XVIII. *De laudibus ſanctæ Faræ fraternis viciſſim aptiſſimè junctis.*
XIX. *De adventu ad Regem ſancti Columbani, ductu tamen & ope beati Agnerici.*

CIRC. AN. DC LXXI. MAII XIV.

licet prædictæ Basilicæ: in quo loco per multorum requievit curricula annorum, orationibus suis plebem Domini illuc convenientem & obsecrantem & quærentem in veritate Dominum perpetim salvans, præstante omnium Salvatore Christo.

VII. Gamardus ejus frater fit Monachus cum 2. filiis.

Consequenti quoque tempore germanus supradicti sancti Præsulis Eremberti GAMARDUS nomine, largitus est possessionem suam quæ vocatur Viliolicors ditioni Monasterii Fontanellensis, comáque capitis depositâ Monachus factus est, filiíque ejus Namnacus & Zachæus similiter mundalium rerum ærumnis exuti in eodem Monasterio Monachi effecti cælestia sperare didicerunt.

VIII. Pedum & vestimenta Sacerdotalia ubi? * Pedum

Pedum verò sancti Antistitis, in quo miraculum dignè factum erat, longo annorum ævo in prædicta S. Saturnini Martyris mansit Ecclesia, donec eâ ruinis quassatâ ad vicum transferretur Bruarium unà cum Episcopali ejusdem Pontificis vestimento. Allata verò est præfata Pedes*, postea ad Fontanellæ Monasterium, quæ usque ad nostra mansit tempora. Ferunt quoque quia in prædicto vico quidam Presbyter minùs religioni & honestæ deditus vitæ, vestimentum Sancti quod in scriniolo super altare pendenti servabatur temerè indui ausus est. In quo & temeritatem sui reatûs, & illius sanctitatem extemplò expertus est. Nam febre arreptus maximâ, virtutem sancti confitebatur Antistitis: sícque diutiùs eadem molestia febris vexatus, tandem precibus sancti Præsulis Eremberti salutem reimpetravit pristinam. Corpus verò præfati sancti Pontificis Eremberti de Eccclesia sancti Pauli Apostoli translatum requiescit nunc in Ecclesia sancti Petri Apostoli in Oratorio sancti Martini Pontificis.

CIRC. AN. DC. LXXII. OCTOB. XXVIII.

VITA S. FARONIS EPISCOPI MELDENSIS,

Auctore (ut videtur) HILDEGARIO Meldensi Episcopo, regnante CAROLO Calvo Imperatore.

Ex MS. cod. Monast. S. Faronis in suburbio Meldensi.

OBSERVATIONES PRÆVIÆ.

* Meaux
* la Brie
Sancti Briegenses.

I. CIVITAS *Meldorum* seu Meldarum Episcopalis ad Matronam fluvium, Metropoli Senonicæ pridem, modò Parisiacæ subjecta, caput est Briegij* pagi quem ij homines ac Sancti complures secessu ac præsentiâ sua illustrárunt. Exemplo sunt* SS. AGILUS *Abbas Resbacensis ac* FILIBERTUS *ipsius discipulus*; FIACRIUS & CHILLENUS; FURSEUS, *ac* MUMBOLUS *Abbates Latiniacenses*; FARA, THEODECHILDIS, BERTILLA, *Abbatissæ, ut interim Audoënum, Adonem fratrem ac utriusque patrem Autharium taceamus, qui omnes aliique hoc Ærâ Christiana sæculo* VII. *in Briegio floruerunt. Hos inter uti dux ac magister enituit S. Faro* Meldensis Episcopus, cujus Acta hîc subjici postulat instituti nostri ratio. Quamvis enim haud constet nobis de Monastica ipsius professione, quem ex Clerico factum Episcopum Acta propria testantur; quia tamen Monachos réque Monasticas præcipuo studio semper est prosecutus, non immeritò locum in Martyrologio Benedict. obtinuit: nec eum debito fraudabimus elogio, cùm ipsius gesta rebus nostris illustrandis conferant plurimùm. Iohannes Iperius in Chron. Sithiensis cap.* 1. §. 10. *Faronem* primò militem, inde Clericum, deinde Monachum in Resbaco sub Agilo Abbate cognato suo *fuisse scribit. Quæ Iperij sententia prorsus stare non valet: siquidem Faro jam Episcopus Ecclesiæ Resbacensis dedicationi interfuit.*

* S. Faron

Vitæ S. Faronis Scriptores.

2. S. FARONIS *Vitam litteris tradiderunt Scriptores tres. Primus Hildegarius ex Monacho sancti Dionysij prope Parisios Episcopus Meldensis, de quo postea. Secundus* FULCOÏUS *Bellovacensis ortu, gradu Subdiaconus Meldensis, qui rogatu* GAUFRIDI *Abbatis S. Crucis, nunc sancti*

Faronis Monaſterij in ſuburbio Meldenſi, ejuſdem Sancti facta heroïcis verſibus cecinit. En operis inſcriptio & exordium ex codice Faroniano excerpta : Fauſti FARONIS Principis terræ nobiliſſimi, Meldenſis Eccleſiæ Paſtoris piiſſimi, Vita à GAUFRIDO Abbate & Fratribus cariſſimis poſtulata à FULCOÏO Belvacenſi, Subdiacono Meldenſi heroïcè compoſita ad laudem Domini. CIRC. AN. DC.LXXII. OCTOB. XXVIII.

Præclarus quondam præclaram condidit arcem,
Sidereum lumen ſuper exponendo cacumen.

Tertius Scriptor eſt anonymus, qui Hildegarij fetum in compendium redegit, & locis aliquot auxit: quem anonymum, vel fortè alium quempiam Surius paraphraſticôs reddidit. Tres iſtas lucubrationes legimus in codice membranaceo è Monaſterio noſtro ſancti Faronis accepto, manu deſcripto tempore Gaufridi Abbatis, qui videtur ſub finem decimi ſæculi Monaſterio Faroniano præfuiſſe, & quidem (ut Indices nonnulli habent) poſt Fulcardum, qui anno CM. LXXV. *eumdem locum regebat. Certè annos minimùm ſexcentos præ ſe ferunt characteres membranacei apographi, in cujus calce hæc leguntur:* Breviarium librorum quos invenit Abbas GALFRIDUS S. Crucis ſanctíque Faronis. Veteris ac novi Teſtamenti volum. duo. ... Vitæ B. Faronis proſaicè III. verſificè I. Legis Salicæ libri II. &c. *Fulcoii Carmen & anonymi de S. Farone fetum omiſimus, rati ſatis eſſe Hildegarium exhibere, qui inſtar omnium utpote antiquior eſſe debet. Si quid in aliis notatu dignum occurrerit, ſuis locis deſignabimus.*

3. HILDEGARIUM *tametſi non præfert exemplar Vitæ hic ſubjectæ, genuinum nihilo ſeciùs auctorem ejus eſſe argumenta quædam perſuadent. Auctor cap.* 64. A viceſimo, *inquit*, ordine B. Faronis uſque ad præſentem HILDEGARII HUMILIS EPISCOPI ex Collegio Monachorum clariſſimi Mart. Dionyſij Cœnobio degentium per electionem adſumpti, ac munere Divino unà cum præſtantiſſima liberalitate inclyti Regis Caroli ad tanti regiminis culmen evecti, eſt muliplicatus ordo Præſulum priorum aduſque hunc quem ſextodecimo numero rota annorum torquet volvendo. *Sanè honorificentiùs alius quivis Auctor Hildegarij meminiſſet, quàm ut* humilem Epiſcopum *appellàſſet. Præterea iſte Scriptor cap.* 119. *miraculum recitat de* LUPO *Abbate Ferrarienſi, ſæculi* IX. *viro clariſſimo*, de cujus ore *illud accepiſſe ſe dicit. Denique cap.* 123. *tempore Nortmannorum quorum incurſiones memorat, ſe vixiſſe profitetur. Quæ omnia rectè conveniunt Hildegario, qui Caroli Calvi nutu Meldenſis Epiſcopus creatus, ab anno circà* DCCC. L. *ad* LXXIV. *Sedem tenuit, qui in Lupi Ferrarienſis Epiſtola* 99. *nominatur, cui Hincmarus Remorum Epiſcopus Epiſtolam de judicio per aquam direxit. Lege auctiorem Galliam Chriſt. Verumtamen ipſius Vitæ conditor dum de Baſilica ſeu Monaſterio S. Crucis loquitur*, hoc Monaſterium, hanc Baſilicam *vocat: fortè quòd Hildegarius licèt Epiſcopus, in ipſo Monaſterio Monachus inter Monachos ſæpiùs verſabatur. V. C. Andreas Cheſnius jam aliquot fragmenta ediderat hujus Vitæ, quam primùm integram proferimus in lucem, reſectis capitulis nonnullis, quæ nihil ad hiſtoriam facere videntur.* Hildegarius auctor quis? *Cheſn. To. I. Hiſt. Franc.*

VITÆ CAPITULA.

CAP. I. *De eo quòd laus Sanctorum eſt Dei, à quo & per quem procedit.*
II. *De vero eſſe, id eſt Deo, & quod nihil verè poſſit eſſe ſine vero eſſe, id eſt Deo.*
III. *Quòd ſancti & boni ut poſſint eſſe ſancti & boni, accipiunt à verè ſancto & verè bono, id eſt Deo.*
IV. *Quomodo Sancti tot corruſcent in mundo miraculis.*
V. *Quod à ſcriptoribus viſa & à bonis de Sanctorum virtutibus relata fideliter debeant credi, cùm ex Deo & per Deum operentur illa.*
VI. *Cùm Sancti honorantur, Deus qui operatur in illis & per illos honoratur.*
VII. *De argumento à nota, id eſt nomine & compoſitione ipſius nominis, id eſt* S. FARONIS.
VIII. *Quare Burgundia ſic dicta, & cur à Gallia ſeparata.*
IX. *Quibus determinetur Gallia limitibus.*
X. *De nomine Meldis & ejus compoſitione.*
XI. *Quomodo ſanctus Faro in aulam Regis Theodeberti ſit nutritus & quibus parentibus progenitus.*
XII. *Quòd laus Agnerici Patris, ſcilicet ſancti Faronis in vita Sancti habeatur Columbani, quem in domo ſua uti caleſte ſuſcepit donum.*
XIII. *Quomodo filiam ſuam Faram manu ſanctificationis ſancti Columbani Deo obtulerit.*
XIV. *Quòd amore ſancti Autharij prædictum Dei virum ad ejuſdem deduxerit domum.*
XV. *De benedictione ſancti Columbani in filios ſancti Autharij.*
XVI. *De Monaſterij conſtructione à ſancto* Adone ſub Inſtitutione S. Columbani Regula.* * NOTA.
XVII. *De eo quòd ſuper fluviolum Reſbacenſem Briegenſi in ſaltu ſub ejuſdem Regula viri ſanctus Dado Monaſterium dicavit Deo.*
XVIII. *De laudibus ſanctæ Faræ fraternis viciſſim aptiſſimè junctis.*
XIX. *De adventu ad Regem ſancti Columbani, ductu tamen & ope beati Agnerici,*

CIRC. AN. DC. LXXII. OCTOB. XXVIII.

XX. *De discordia & prælio Regum, id est Theodeberti & Theoderici Fratrum*

XXI. *Quòd clarus adhuc etiam tiro in aula Theodeberti Regis habebatur B. Faro.*

XXII. *De susceptione filij Regis scilicet Chilperici ab eo ex sacri fontis lavacro.*

XXIII. *Quòd merito S. Faronis Chlotharius Rex ejus ex fonte filius monarchiam trium Regnorum promeruerit.*

XXIV. *Quòd Rex Chlotharius honorificè S. Columbanum adusque miserit Agnericum.*

XXV. *De Chlodoveo I. Francorum Rege strenuo, suasu autem suæ conjugis & prædicatione sancti Remigij converso.*

XXVI. *De Chilperici Regis occisione insidiis quidem Fredegundis Reginæ.*

XXVII. *De ingressu sancti Columbani in Italiam & susceptione ejus honestissima.*

XXVIII. *De stili reflexione ad vitæ narrationem sanctissimæ Faræ.*

XXIX. *De percussione divinitus Theoderici Regis secundùm scripta in vita quidem S. Columbani, juxta tamen Francorum Gesta veneno periit, suæ autem Reginæ odio Brunechildis.*

XXX. *De repetitione eorum quæ debebantur imperio Chlotharij, præsumptione tamen prophetiæ pollicitationis beati quidem Columbani.*

XXXI. *De fuga, comprehensione, jugulatione Sigiberti Regis simúlque filiorum acerrimè.*

XXXII. *De merita turpissimáque morte Brunechildis Reginæ & radicitùs abolita Theoderici Regis stirpe.*

XXXIII. *De Legatione Regis, dico autem Chlotharij, ad virum Dei Columbanum per beatum quidem Eustasium.*

XXXIV. *Quòd prius S. Columbanus mandata Regis perceperit, quàm Legati finirentur voce, & responsalia ad eumdem Regem remiserit devotissimè.*

XXXV. *De diversione S. Eustasij ad B. Agnericum responsa S. Columbani ad Regem ferentis.*

XXXVI. *Quod S. Chanoaldum fratrem S. Faronis vir Dei Columbanus ministrum habuerit à patre quondam in pueritia delegatum.*

XXXVII. *De præcepto sancti Columbani ad feram.*

XXXVIII. *Quòd ursus plus pomorum agrestium non sit ausus attingere, ni quantum B. Chanoaldus ex S. Columbani delegaverat parte.*

XXXIX. *De oculorum luminis amissione S. Faræ pro nuptiarum dolore.*

XL. *De objurgatione S. Eustasij in patrem S. Faræ.*

XLI. *De obfirmatione virginitatis à S. Fara invictissima.*

XLII.* *De invectiva quidem increpatione in patrem tamen humillima atque Evangelij auctoritate auctorata.*

* *omissa hæc capitula*

XLIII.* *De excusatione invictæ quidem redargutionis in patrem apud S. Eustasium, non tamen prolatæ livido corde.*

XLIV.* *De visione, collocutione, atque Angelica ad S. Faram consolatione.*

XLV.* *Quòd boni semper sint bonorum in Deo potentes, at contra mali semper impotentes sint, cùm etiam quod possint nihil sit.*

XLVI.* *Cùm Deus sit omnipotens, malum nihil est quod facere idem non potest.*

XLVII.* *Quòd qui sint mali, non habent purum & simplex esse.*

XLVIII.* *Quod malitiæ dedecus nullo sit nixum principio, sed tantùm est principis malorum excogitatio.*

XLIX. *Quòd malorum potentia non à virtute sed potiùs descendit ab imbecillitate.*

L.* *De allocutione ad S. Eustasium. B. Faræ.*

LI. *De febrium fugatione, & B. Faræ per sanctum Eustasium luminis oculorum reparatione.*

LII. *Quòd pater firmat jura connubij irrita ad S. Eustasium promissione pacti.*

LIII. *De fuga puellæ ad præsidium sancti Petri Basilicæ.*

LIV. *De ejus oratione per sanctum ab ea Petrum Deo oblata humillimè.*

LV. *Quòd ei patrij mortem intentaverunt Missi.*

LVI. *Quòd puella plus optaverit mortem, quàm Christo Virginitatis pollicitam rumpere fidem.*

LVII. *Relatis B. Columbani Regi responsalibus per Agnericum beatus revertitur Eustasius.*

LVIII. *Quòd puellam à custodia exemptam Sanctimonialibus induit per Episcopum vestimentis.*

LVIX. *Quòd Monasterium in hereditario jure ei procuratum sit à patre.*

LX. *Quòd Fratres ejusdem Virginis sanctus Chanoaldus scilicet & B. Vualdebertus procuratores fabricæ loci sint ordinati.*

LXI. *Quòd illius loci structura & opulentia maximè creverit S. Faronis munificentiâ.*

LXII. *Quòd Vualdebertus frater Faronis in hac urbe Meldensium Præsul fuerit, in qua primus Episcopus magnus claruit Dionysius, signis & prædicationibus virtute invictissimus*

LXIII. *Quòd Chanoaldus horum germanus Clavati Lauduni fuit Episcopus.*
LXIV. *De* HILDEGARIO *ex Cœnobitarum S. Dionysij collegio hujus Meldensis urbis Episcopo.* CIRC. AN. DC. LXXII. OCTOB. XXVIII.
LXV. *Quod verè venerandus sit locus S. Faræ pro multarum inibi Virginum collectione.*
LXVI. *De venerabilis Bedæ laudibus ejusdem S. Faræ loci in Gestis Anglorum, & quòd non solùm inibi, sed etiam B. Faronis atque Sororis flores operum inter Annales fastos habeantur Regum.*
LXVII. *Quòd ideò mixtim utriusque habeantur laudes, quia quasi lilia duo, ita ex una caritatis radice eorum pullulârunt opera.*
LXVIII. *Abhinc singularia S. Faronis ordiuntur opera.*
LXIX. *Quòd regni magnificentiam Regis Chlotharij S. Faro etiam viro nobilitavit consilio.*
LXX. *Qualem & quantum Dei ope se S. Faro exhibuit bonitate & consiliorum arte.*
LXXI. *De superbissimo Regis Bertoaldi mandato Saxonum ad Regem Chlotharium Francorum.*
LXXII. *Quòd Nuntios Saxonum Rex capitali jussit puniri sententia contra fas & Francorum Iura.*
LXXIII. *Quòd obtentu S. Faronis industriæ dantur illis unius noctis inducia.*
LXXIV. *Qualiter sanctus Faro Legatos Saxonum consiliis liberaverit prædicationum.*
LXXV. *Quòd eos sanctus Faro nuntiat Christianos esse quos Rex deliberabat morti tradere.*
LXXVI. *Quòd sic primitias Christianitatis B. Faro Germaniæ miserit.*
LXXVII. *Quòd Rex perdurantis Germaniæ proceritatem superbiæ ad mensuram quam ferebat decurtaverit spadæ.*
LXXVIII. *Quòd etiam tantæ apud Regem gratiæ esset S. Faro, ut ei conjungeretur carmine publico.*
LXXIX. *De eo quòd pretium pro reo etiam damnato solverit ex proprio.*
LXXX. *De præpositione venationis à Rege clamoribus pauperculæ.*
LXXXI. *De validissima S. Faronis in Regem redargutione pro obduratione cordis in pauperculam.*
LXXXII. *Quòd Regem ultio Divina insecuta sit, qui S. Faroni in agendam pauperculæ justitiam obedire noluerit.*
LXXXIII. *De adventu S. Faronis ad sororem.*
LXXXIV.* *De admonitione ad eam virginitatis conservandæ non mentis supercilio, sed Spiritus-sancti dono.* * *omissa hac capitula*
LXXXV.* *De tumidis tumore virginitatis quòd superbiam non vitent virtutum absorbtricem.*
LXXXVI.* *Paradigma virginitatis hortandæ de Helia Vate.*
LXXXVII.* *Paradigma ejusdem causæ de Helisæo.*
LXXXVIII.* *Paradigma ejusdem virtutis firmandæ de Daniele.*
LXXXIX.* *Paradigma tenendi calibatus trium puerorum ab igne veneratorum.*
XC. *Quòd S. Faronis animus sit mollitus suis ad sororem monitionibus.*
XCI. *De contemptu ab eo mundi principatu & deliciis, spretóque conjugio & Clericatu adepto.*
XCII. *De Ecclesiis Christi ab eo decentissimè prædiis & facultate ditatis.*
XCIII. *De Dedicatione Meldensis Ecclesiæ sancti Stephani & villarum ad eam ab eo largitione.*
XCIV. *Quòd ejus studio & possessionum ditamento omnis locus sanctæ sublimatus sit Faræ.*
XCV. *Quòd non solùm conterraneis Ecclesiis virisque vicinis proderat, sed & omnibus quos usquam gentium ad se fama bona sanctorum operum attrahebat.*
XCVI. *De Anglorum gente Virgines suas nobiles per eum Deo sponte offerente.*
XCVII. *Quòd gentis Scottorum multi in Galliam confluentes amore S. Faronis Monachilis inibi vitæ normam primùm docuerint.*
XCVIII. *Quod multos Scottos in Gallia Anglicè viventes partim suarum hereditatum fecerit heredes.*
XCXIX. *De Broilo Monasterio quod S.* FERUS *accepit in possessione largiente sibi S. Farone.*
C. *De Atrabatensi provincia Deo acquisita, misso illuc S. Chilleno beati Faronis industriâ.*
CI. *De vase vitreo à pincerna incautè fracto atque in convivio B. Faronis clam à S. Chilleno oratione quidem redintegrato.*
CII. *Quòd post dormitionem S. Vualdeberti sui ipsius fratris, quasi jure hereditario Meldensis Præsulatus S. Faronem promeruerit Præsulem.*

CIRC. AN. DC. LXXII. OCTOB. XXVIII.

CIII. *Quòd confirmante S. Farone unâ dierum Paſchalis ſollemnitatis orta eſt lux à nativitate cæco chriſmatis liniamento.*

CIV. *Quòd pœnitentes unctos ſolo verbo ſolverit à compedum vinculo.*

CV. *De ſterilitate frugum etiam tempore meſſis converſa in abundantiam benedictione S. Faronis.*

CVI. *De beata Blidechilde quæ ſibi totondit cæſariem ob eum quem ad ſe vir ejus jam factus Epiſcopus habebat amorem.*

CVII. *Quòd virile factum ſuæ ipſius conjugis omnem carnalis concupiſcentiam à S. Farone amputaverit amoris.*

CVIII. *De repetitione viri Dei laudum per epilogum.*

CIX. *Quòd vir iſte ſanctus diu vixerit pro utilitate hujus mundi, & de morte ipſius.*

* Hildeverto

CX. *De Eccleſia ab* DALLAVERTO * *Epiſcopo non ſatis perito invidè conſtructa in Eccleſiam S. Faronis.*

CXI. *De allocutione S. Faronis ad cuſtodem Eccleſiæ non juſtè conſtructæ.*

CXII. *De ſubverſione juſto judicio Dei Baſilicæ contra fas & iura erectæ.*

CXIII. *De cæco à nativitate & divinitus in ſopore monito in finibus Rotomenſium, quòd in Eccleſia S. Faronis Meldis reciperet viſum.*

CXIV. *De ſalute inſperata ſubitò hoc in Templo contracto orta.*

CXV. *Quòd cujuſdam matrem percutientis brachia in ſeſe percutiendo ſunt reverſa, ſed obtentu B. Faronis hoc in loco priſtino ſunt reddita officio.*

CXVI. *De dæmoniaco per fœda veſtigia in porticu forenſi purgato.*

CXVII. *Quòd Scriptorum negligentiâ plurima de demoniacis ſunt neglecta miracula.*

CXVIII. *De Monacho Ferrarienſi cui nomen erat* LUPO *mirabiliter per ſoporem à S. Farone ſanato.*

* Otgerio

CXIX. *De milite* ROTGARIO * *nomen Sancti in pugna invocante jam ab equo excuſſo, ſed clementiſſimè à B. Farone ſubvento.*

CXX. *De femina curva ac omnino membrorum officio deſtituta, ſed de eulogiis tantùm à Monaſterio S. Faronis miſſis ſanatâ.*

CXXI. *De* ISPANELLO *à navi in Matronam lapſo, quem ab undis ereptum jubet vox Divina nocturnum cum aliis Monachis pſalmodiæ explere Curſum.*

CXXII. *Quòd ante tempora Caroli filij Ludovici Imperatoris Galliæ flumina Nortmannis fuerint incognita, & de primo eorum in Franciam introitu, & de tributo à Francis eis ignominiosè dato.*

CXXIII. *De ſecundo eorum poſt decimum annum in Franciam ingreſſu & de obſeſſione Pariſij, & plurimarum cum Epiſcopis captione civitatum.*

CXXIV. *De captivatione Ludovici Abbatis Cœnobij S. Dionyſij, & inæſtimabili theſauro prædato.*

CXXV. *Quòd Nortmanni per decem hebdomadas circumſepti à Carolo mirabili navigio, nec ita defecerunt à robore proprio.*

CXXVI. *De tertio ſuperventu Nortmannorum cum ineſtimabili multitudine qui priores fugavêre, accepto tamen graviſſimo auri atque argenti pondere.*

CXXVII. *De Nortmannorum infidelitate & itineris quartò reflexione.*

CXXVIII. *De occupatione & captione Meldis civitatis.*

CXXIX. *Quòd elapſis Monachis Nortmanni Divino nutu arciti * Monaſterium S. Faronis non potuerunt ingredi.*

CXXX. *Quòd irritati à Chriſtianis Nortmanni forenſes officinas Monaſterij tradiderunt igni, qui tamen quievit ante oſtium Eccleſiæ veſtibuli.*

CXXXI. *De honore mirabiliter ab igne Eccleſiæ S. Faronis exhibito, quam ne fuligine quidem maculaverit.*

INCIPIT VITA.

I.  AUS Sanctorum ſi ſtudio celebretur Divini amoris, eſt regula magnæ remunerationis, non pravum dogma erroris.

II. Quidquid enim cultu religionis impenditur Sanctis, ipſi attribuitur qui fons & origo eſt in operibus ſanctis. Ergo quos vocamus Sanctos, non hoc eſſe habent à ſeipſis, ſed à Dei Bono quod unum ſolúmque eſt: quod tantum bonum eſt, ut aliud ſine ipſo nihil ſit.

III. Quæ enim ſunt non ſimplicia, eadem nec eſſe omnino poterant, niſi ea eſſe voluiſſet, id quod ſolum bonum eſt. Idcirco quoniam eſſe eorum à bona voluntate defluxit, bona eſſe dicuntur & ſancta. Unde liquet Sanctos non à ſe ſanctos bonóſque eſſe: quoniam eorum bonum & eſſe & poſſe ex eo fluxit, cujus ipſum eſſe bonum eſt.

IV. Et ob hoc ſciendum eſt tot miraculis coruſcare Sanctos, quoniam non eſt aliquid in re-

bus creatis quod à ſummo & ſolo Bono non regatur & diſponatur. De quibus Sancti, quia rationabili natura ſunt excellentiores, operantur in mundo mira, complectente tamen omnia ipſo potentiſſimo Bono communi gubernatione, ſcilicet & iſtorum poſſe & earum rerum ſubſiſtere. CIRC. AN. DC.LXXII. OCTOB. XXVIII.

V. Propterea ſi Scriptores famoſis laudibus aliqua à ſe viſa vel à bonis relata ad honorem Sanctorum componunt, non eſt errori deputandum vel incredulitati, præſertim cùm Veritas dicat: *Omnia poſſibilia ſunt credenti.* Hoc enim illis clarius & potentius omnibus miraculis eſt, quòd jam tranſſcendendo cuncta terrena vivunt cum Deo, in quo omnia miracula poſſe & facere illis eſt. *Marc.9.23.*

VI. Igitur cùm honorantur, coluntur, ſupplicantur patrocinia Sanctorum, Dei indeflexa pietas & majeſtas per illos & cum illis & in illis adoratur & confitetur. Ac ideo omnibus votis feſtiváque veneratione eos oportet indeſinenter celebrari. Quapropter præclara vita beatiſſimi Antiſtitis Faronis qui laudibus Angelicis gratulatur in aſtris, hodie ſollemniter exſultando celebretur in arvis. Digniſſima eſt enim ad exemplum ſanctitatis ac ad imitandam virtutem utiliſſima Religioni.

VII. Ipſum namque ejus nomen quod eſt Faro, magnum quiddam ſignificat opere pretioſo. Habet quippe ſonum compoſitionis à famine & rore, quòd cæleſtis doctrina fando ſicut ros manabat ejus ab ore. Exhibebat verò in officio digne quod geſtabat in nomine. Non enim diſſonabat operationis actio quod retinebat nominis enuntiatio. A quo ſequentia quoque narrationis pendent veluti ubera diſtenſa copiâ lactis in interioribus nutriæ mentis, & exſpectant expreſſionem congruo in loco ſermonis, quo fluant collecta verba ex ſinuamine concavo oris. Sit enim iſte libellus noſter calathus, in quo de miraculis ejus exprimantur linguâ ubera ſenſûs, qui datus levi calamo fluit ſcribendo rivos verborum per areolas paginarum, quouſque ſummitas complectionis imponat finem dictando.

VIII. Cur Burgundia ſic dicta. Si enim pergam repetens ab origine prima, & placeat audire quare BURGUNDIOFARO de nomine inſignitur, ſeries antiquarum gentium revolvetur. Olim à Romanis devicta eſt Germania, quæ poſt Scythiam inferiorem à Danubio inter Rhenum fluvium Oceanúmque concluſa cingitur: in qua fuit conſtitutum quoddam genus per limites caſtrorum à Tiberio Cæſare pro officio militari. Ubicumque enim caſtra Romanorum cuſtodiam militarem exſpectabant, hoc genus circa ſe per limites ordinabant, audebántque illi animas atque corpora ſua credere, curáſque ſecuritatis cum die noctéque partiri, atque in gentem coaluit magnam: & ex locis nomen ſumpſit, quia pro limitibus crebra habitacula conſtituta Burgos vulgò vocant. Unde ſunt Burgundiones vulgò dicti, facto nomine à nomine Burgi. Hi præterea rebelles Romanis effecti, pluſquam octoginta millia armatorum ripæ Rheni fluminis inſederunt, & nomen gentis obtinuerunt, ex qua poſtera ſæcula tam magnum Patronum videlicet FARONEM ortum mundo læta tulerunt. Et quod antiquitas à candore ſui populi olim Galliam dixit, poſteritas per provincias diviſam unam partem mutato nomine ex ſe in Burgundiam vertit.

IX. Galliæ limites & diviſio. Omnis namque Gallia his limitibus determinatur: ab Oriente Alpium jugis tuetur, ab Occaſu ſinu Oceani clauditur, à Meridie prætupta Pyrenæi obſtant, à Septemtrione Rheni fluentis atque Germaniâ obcluditur. Quæ namque in decem & ſeptem provincias eſt diviſa. Ad harum quoque diſtinctionem duæ Provinciæ adnotantur, quarum una Gallia Belgica dicitur, & altera Gallia Lugdunenſis ſive Celtica, quæ nunc Burgundica appellatur, ducta per longum & per anguſtum inflexa, Aquitanicam provinciam ſemicingit. Hæc ab Oriente habet Belgicam, à Meridie partem provinciæ Narbonenſis quæ Arelas civitas eſt, & mari Gallico Rhodani flumen accipitur. Siquidem Galliarum Provinciæ ſortiuntur nomina à civitatibus ſuis Metropolitanis, quarum pluralitatem quindenarius complectitur numerus: inter quas rollit ad ſidera nomen, capútque inter nebula condit civitas profus Senonum Metropolitana feliciter decorata, cui adjunctæ ſunt aliæ Civitates per comprehenſionem ſenarij numeri.

X. De nomine Meldis. Ex quibus una civitas, quæ dicitur Meldis pollet clariſſima, ſitúque loci aptiſſima, & opibus feliciſſima: in cujus inſulæ ſpatioſiſſimo & amœniſſimo ambitu circumvirectat flumen Matrona. Inibi ſiquidem electiſſimus Antiſtes Chriſti Faro Monaſterium famoſiſſimum [a] omni laude dignitatis ac religionis nobilitavit ſuæ requietioni. Causâ quoque requietionis magnifi-

[a] Celebre etiamnunc eſt iſtud Monaſterium, S. Crucis poſtea S. Faronis dictum, vulgò *S. Farон*, in ſuburbio Aquilonari Meldarum ſitum, quod ipſe S. Faro ante annum DC. XXVIII. conſtruxit: ſiquidem Chlotharius eo anno mortuus, Privilegia eidem Cœnobio conceſſiſſe infrà cap. 23. legitur. HELIAS primus inter Abbates locum habet; aliorum certa fere nomina, at ſucceſſionis tempora incerta. B. MAIOLUS Abbas qui S. Hildeverti Faronis ſucceſſoris & S. Faræ Tranſlationem curâſſe dicitur, in omnibus fere Mſſ. Indicibus deſideratur. Iſtius Cœnobij Monachi in primis Congregationis Benedictinæ S. Mauri inſtitutum amplexi ſunt. Lege caput 110. infrà.

CIRC. AN. DC. LXXII. OCTOB. XXVIII. centiſſimi Antiſtitis Faronis introduximus cum adnotationibus aliarum civitatum urbem Meldis, cujus nomen ſonat dulciſſimè, quaſi à melle & dite deductum, eoquòd ſit mellita omni abundantia dignitatis atque ditata.

XI. Faro in aula Theodeberti nutritus. Ut ergo tanta ac talis lucerna Chriſti paullatim pullulare potuiſſet, à primævo flore teneræ juventutis intra aulam Regis Theodoberti nobiliter cum doctrina Chriſtiana nutriendo lactavit. Genitor quippe ejus inter Primores Proceréſque illius Regis non mediocriter fulſit. Pollebat namque inſignis de nomine AGNERICUS, conſiliis Regalibus gratus ac nobilitate ſapientiæ vallatus. Hujus enim laus in deſcriptionibus vitæ B. Columbani exarata memoriæ

XII. Agnericum ejus patrem Columbanus inviſit. floret, quem Meldenſi urbe, velut cęleſte munus hoſpitio recepit, ab extrema Gallia eò veniente ſancto viro ad Oceanum poſitâ. Acceſſionem denique amici Dei ad hanc urbem cauſa ſubſequens pandit. Adierat autem Chlotharium vir Dei Regem, qui Neuſtraſiis Francis regnabat, ut ſolamen largiretur, quo per Theodoberti Regnum ſi valeret ad Italiam Alpium juga tranſſcendens perveniret. Datis ergo comitibus qui ejus tramitem uſque ad Theodobertum Regem procurarent, feliciter itinere arrepto, ad urbem Pariſij viam pro hoſpitio advertit. Dehinc urbis Meldenſis viam ei tranſeundo donat, ubi præfato viro Agnerico conjungitur: qui curam optimi viri in omnibus habere ſe ſpopondit, qualitérque ad Theodoberti aulam accederet: non eſſe neceſſe comites alios è regio latere habere. Ad hoc nempe meditabatur aſtutè aliorum alienare curam, ut amore viri Dei diu valerer delectando

XIII. frui & ejus adminiſtratione verbi ſuam domum Chriſto exornare. Igitur benedictione amici Dei domo ejus decorata, filiam ejus nomine FARAM in qua infra infantiæ annos flos puellaris vernabat, manu ſanctificationis ſuæ Deo vovit.

XIV. Autharium ejúſque filios benedicit. Progreſſus inde B. Columbanum fecit habere tranſitum per villam quæ ad notitiam vulgarem dicitur Wilciacus prædictus Agnericus, ob amorem ſui propinqui illuſtriſſimi viri, qui clarus erat juſtis actibus & notus nomine AUTHARIUS. Cujus enim Conjunx AIA * dicebatur, à quibus miro gaudio ſuſceptionéque deſiderij amplexatus eſt. Obtulerunt itaque proprios duos filios benedictioni illius, quos ſpiritualibus verbis roréque cæleſtis gratiæ cum genitore, matréque eorum perfundens invocavit electos Dei fieri, participéſque regni æterni. Cujus verbis hodie fulget S. AUTHARIUS [a], cælo meritis, & in territorio ſuper fluvio Matrona villæ

* *l.* Aiga

XV. a b prefatæ humatus coruſcat magnis miraculis [b]. Nec etiam filij ejus ab hac gratia Chriſti exſtiterunt remoti, ut qui unius viri Dei benedictione fuerunt uniti, eſſent & pares & æqualis

XVI. Ado & Dado. meriti. Quorum major natu ADO nomine ſemet cum ſuis voluptatibus abdicavit, póſtque intra Jotri ſaltum Monaſterium ex beati Regula Columbani conſtruxit: junior verò nomine

XVII. DADO intra Briegenſem ſaltum ſupra fluviolum Reſbacem ex ſupradicti viri Regula Monaſterium Deo dicavit. Hæc ideo iſta inſerendo promimus, oſtendere nitentes ex quàm magna progenie egregius deſcendit Faro, quæ terræ fuit clara & cælo digna.

XVIII. Quia iſtos pro jure propinquitatis piiſſimi Faronis tranſegimus verbo laudis, nunc flectamus habenas vocifici ſermonis ad FARÆ geſta Virginis præclara ejus ſororis, per quam poſſimus pervenire ad propoſitum ſuæ narrationis. Laudes quippe ſororis ſociæ ſunt fratris, atque fratris verſa vice ſororis: ob hoc par ſit illis ſermo commixtus narrationis, quos unus uterus ortu nativitatis atque una gratia coæquavit cæleſtis.

XIX. c Igitur cùm venerabilis Columbanus ſpatio aliquo temporis votis Agnerici genitoris [c] Præſulis Faronis deſideriiſq; illius ſatisfeciſſet, tandem cura illius amoris cum honore potito Regis

XX. Bellum inter Theodericum & Theodebertum. aulam Theodoberti attigit. Sæviebat enimverò tunc impudens fraterna diſcordia inter THEODERICUM & THEODOBERTUM Reges, & ad invicem impendebant omnes curas animadverſi, & inſtabant odiis quibus alter ab alterius poſſet occumbere armis. Denique præcipiti certamine arma inter ſe corripiunt in loco qui dicitur Tulpiacum * Caſtrum: horreſco referens, jamjamque in ipſo limine belli dum vir virum legit, tollunt clamores obripilationis [d] ad ſidera, ítque novus pavor per oſſa gelida, cælúmque ſubtrahitur nube ferruginea, fuſa jacet innumera caterva, fit ſeges armorum per campos patentes horrida, ſtat quoque quaſi gloria palmæ inglorio Theoderico, dum fratricida inſequendo Theodobertum civitate Coloniæ peremit.

* *Zulpich*

XXI. Faro à Regibus honoratus. Illis itaque diebus dum hæc controverſia germana fuſcis alis perturbationum volitaret, clarus in aula Regis Theodoberti Miles habebatur adhuc tiro B. Faro juvenili pollens ætate. In qua tantum virtute prudentiæ ubertim floruit, ut à Regibus honore magnificentiſſimo ampli-

XXII.

a S. Autharius colitur in pago Vviltiaco, ſeu Vultiaco *Euſſy*, ad Matronam fluvium, & in Monaſterio Resbacenſi, ut ad Vitam S. Agili anno 650. fuſiùs adnotatum.

b Hîc obſervandum nullam Radonis inter Autharij filios haberi mentionem.

c Et tamen Jonas in Vita S. Euſtaſij Chagnerico duos tantùm attribuit liberos Burgundofaram & Chagnoaldum, fortè quòd tum temporis Faro in palatio morabatur.

d Obripilationis vocabulo uſus Scriptor libri 2. Vitæ S. Cæſarij Arelat Epiſc. Seculo 1. pag. 672. num. 11. ad exprimendam (ut videtur) horripilationem.

ficaretur, ac pro pacto amicitiæ filium Chilperici Regis à ſacro fonte ſuſcipiens*, Baptiſmatis novus regenerator efficeretur. Qui Chlotharius nomine poſtmodùm Monarchiæ trium Regnorum primus obtentor ex origine Francorum eſſe meruit. Unde manifeſtè datur intelligi, meritis viri Dei hanc dignitatem emeruiſſe, à quo accidit ſpiritaliter regeneratum eſſe. Hic quoque poſt culmen Regni cum ſumma veneratione in ſcriptionibus privilegiorum huic conceſſis ad opus jamdicti Monaſterij [b] non neglexit eum Patrem vocare, nec cultor Deique Antiſtes ob indicium Chriſtianitatis ipſum filium adnotare. Hunc ergo Chlotharium florentem in pueritia quem ſuperior narratio expreſſit, vir Dei Columbanus adiit, & hic legatione ſuorum aduſque Agnericum genitorem cultoris Dei Faronis, ipſum diligenti adminiſtratione perduxit, & quod regimen trium Regnorum ei à Deo ordinaretur à B. Columbano tunc didicit: quod votis ſuſpenſis exſpectabat.

CIRC. AN. DC. LXXII. OCTOB. XXVIII. a XXIII. b XXIV.

Iſtius enim proavus fuit Chlodoveus, qui primus Rex Francorum Chriſtianæ militiæ cognitor exſtitit cauſa belli Alamannorum exhortatus à Regina ſua nomine Chlothilde, quem S. Remigius undâ ſacri Baptiſmatis cultorem ſanctæ fidei Trinitatis effecit, cunctúmque Regnum ejus novum populum baptizando, Chriſto & ſanctæ Dei Eccleſiæ regeneravit. Fuit enim iſte Chlodoveus à primo Rege Francorum Crinito nomine FARAMUNDO quartus. Ex cujus filio nomine CHLOTHARIO qui B. Medardum humavit Sueſſionis civitate, natus eſt Rex nomine CHILPERICUS qui occiſus eſt inſidiis Reginæ ſuæ FREDEGUNDÆ propter adulterium LANDERICI [c] principis Palatij ſui: cujus Chilperici iſte CHLOTHARIUS filius fuit, filiolus ſcilicet B. Faronis.

XXV. Chlotharij genus. XXVI. c

Interera cultor Dei Columbanus cùm ſenſiſſet (ut diximus) devictum à Theoderico Theodobertum, relictâ Galliâ atque Germaniâ Italiam optato deſiderio ingreditur, cujus ab AILULFO* ſuſceptione Rege Longobardorum decentiſſimè omnis Italica tellus gratulata eſt.

XXVII. * Agilulfo

Igitur quia iter narrationis noſtræ paullulum à vita beatiſſimæ Faræ Virginis viando defleximus, non valentes rectum adſumere exordium, niſi per præmiſſa declinaremus tranſitum; retorqueamus ipſum iterum ut promiſſum exſequamur debitum. Sed tamen non valet de ea ordiri initium, niſi compendiosè repetamus de promiſſis aliqua iterum, & ſic ad optatum perveniemus votum.

XXVIII.

Porro THEODERICUS poſt internecionem ſui fratris Theodoberti jam ſuprà revelati penes Mettenſe morans opidum, divinitus percuſſus juxta Geſta B. Columbani, ſed juxta Francorum [d] à Brunechilde veneno infectus infeliciter hominem exivit*, poſt quem BRUNECHILDIS filium ejus nomine SIGEBERTUM in Regnum ſucceſſorem deſtinavit nequicquam.

XXIX. Theoderici, &c. cædes. d * exuit

Igitur Chlotharius ſupramemoratis verbis ſæpe iteratus beatiſſimi videlicet Faronis ſpiritalis filius, non immemor prophetiæ viri Dei Columbani, contracto in unum exercitu fines Regni quæ ſuæ ditioni debebantur audacibus molitur recipere viribus. At contra Sigebertus impar armis conſiliiſque hoſtium cuneis nequicquam pugnaturus ſeſe ei ultro offert: cujus præſumptionem inglotiam pugna acerrima ad nihilum redegit, poſtmodúmque captus eſt: & quem ſervavit ad modicum fuga belli, comprehendit in brevi jugulatio gladij unà cum filiis ſuis, quos propagatio ſeminis ad hanc infelicitatem ei [e] ſorte protulit. Brunechildem verò ipſe Chlotharius ignobiliter camelo impoſitam exercitui ſuo gyrando oſtendit, póſtque indomitorum equorum caudis inretitam vitâ privavit. Funditùs ergo radicitúſque abolita Theoderici ſtirpe Chlotharius potitus eſt trium Regnorum monarchiâ, atque egregius Faro inter Proceres Regnorum nobiliter eſt ſublimatus.

XXX. XXXI. e XXXII.

Deniq; præfatus Chlotharius viri Dei Colũbani prophetiæ effectum fuiſſe impletum cernens, de honore Regni B. Euſtaſium qui ejus in loco Monaſterium Luxovienſe regebat, ad ſe accerſitum, pio affamine orat ut ſibi cum ſupplemento publico legatione fungi curaret, ad beatúmque Columbanum in Italiam pergeret, & dulci ſuaſu ad ſe revertendi animum inclinaret. Pergénſque ille, mandatúmque Regis ſecum habens tegmine cordis, Magiſtri ad aures con-

XXXIII. Chlotharius Columbanum in Galliam revocat. XXXIV. Columbanus recuſat.

a Gregorius Turon. Epiſcopus in lib. 10. c. 28. ſcribit, Guntchramnum in vico Nemptodoro Chilperici filium de ſacro fonte excepiſſe, ac Chlotharium nominâſſe anno ipſius Guntchramni XXX. Chriſti D. XCI. Paullò ante Baptiſmi celebritatem ipſe Guntchramnus Placitum Pariſiis indixerat, *commotis Epiſcopis, id eſt* ÆTHERIO *Lugdunenſi*, SYAGRIO *Auguſtidunenſi* FLAVIÓque *Cabillonenſi & reliquis quos volvit.* Nulla iſthic mentio FARONIS, quem eo anno adhuc minorennem, necdum idoneum Baptiſmi fuiſſe miniſtrum ex dicendis conſtabit. Errandi occaſionem aperit Hildegarius verbis ſubſequentibus, dum ex eo quòd Faro Chlotharium appellavit filium, Chlotharius Faronem Patris nomine dignatus eſt ob dignitatem & reverentiam Epiſcopalem; id in alienum ſenſum poſteri detorſerunt.

b Nempe Monaſterij S. Crucis, à S. Farone conditi, ejúſque nomine ac Reliquiis modò illuſtrati, de quo Auctor ſuprà cap. 10.

c Nec Landericum nec Fredegundis adulterium cauſatur Gregorius Turon. in lib. 6. cap. 46. ubi de Chilperici nece agit: utrumque liber qui de Geſtis Regum Franc. dicitur, cap. 35. commemorat.

d Nempe juxta librum qui de Geſtis Regum Franc. inſcribitur, in cujus libri cap. 39 id memoratur.

e Sigibertus minorennis exſtinctus, nullos liberos habuit, ut ex Fredegarij Chron. cap. 21. conſtat, ac proinde iſte locus de Theoderici filiis intelligendus. Lege Fredegarij Chron. cap. 42. & Geſta Regum Franc. cap. 38.

CIRC. AN. DC.LXXII. OCTOB. XXVIII. cavas tandem adveniendo dulciſſima afflatione vocis illud propinavit. At ille antequam verba Regis perveniendo cuncta ſediſſent ejus in mente, reluctanti animo expulit ea his reſponſionibus: Faciem itaque corporis meam jam non luſtrabit natantibus luminibus oculorum, niſi verbis ſcriptiſque tantùm aut recordatione animi ſibi me imaginaverit, monendo ſe ſuóſq; in Chriſto vitam felicem ducere, prudenter ſemetipſum regere, diligenter acta moderari, regimen adſumptum cautè attendere, mores animi gubernare, ſtabilitatem fidei in omnibus conſervare, ante omnia in Dei fervidus amore ſancta Monaſteriorum loca ſtudiosè excolere, ac totis niſibus ad promerendum ſibi auxilium Dei in cunctis ea fundare atque amplificare.

XXXV. Euſtaſius ex Italia redux Chagnericum inviſit. Hæc verba amabilis Deo Euſtaſius auribus concavis hauſta, recondénſque abditis in mentis, híſque cura diligenti onuſtus ad Regem repedat, qui tunc in ultimis Galliæ finibus Oceano vicinis conſultu ſui honoris ſiſtebat. Fecit nempe arreptâ viâ tranſitum per ſaltum pagúmque Briegium, acciditque divertendi neceſſitas ad quamdam villam Agnerici genitoris clariſſimi Faronis, quem ſuperior frequens mentio ingeminavit: ubi Magiſter ejus ſecus ordinem præmiſſum narrationis aliquando hoſpitalitate collectionis commoratus fuerat.

XXXVI. Digreſſio de Chagnoaldo Faronis fratre. Eſt quoq; vocabulum villæ Pipimiſium, quæ interjacet ſitu poſitionis ab urbe Meldis circiter millibus duobus. Tunc verò tempus illud ibi aptaverat Agnericum genitorem amantiſſimi Dei Faronis cum conjuge ſua, matre ipſius electi Dei, LEODEGUNDA nomine, Chriſticola & ſanæ mentis femina. Horũ proles inſignis de nomine CHANOALDUS ibi aderat, qui miniſter Dei viri Colũbani in officio Clericatûs puer à Deo devotus quondam, cui paruit bellua olim ad præceptum Magiſtri Columbani cùm morarentur in ſolitudine vaſti eremi. Nam cùm illic ille Beatus jejuniis corpus domaret, & nihil aliud quàm poma ruris in ipſa ſolitudine penes Bricaniam* urbem in cibos caperet, venit adſueta abditæ voracitati fera urſus, cœpítque neceſſarios delambere cibos, ac paſſim poma ore detrahere. Cúmque horam refectionis dies terminâſſet, Chagnoaldum germanum piiſſimi Faronis obſecutorem ſuum direxit, ut cõſuetam menſuram pomorum deferret. Qui cùm parens abiiſſet, urſum inter ruris furtices rubóſque pervagare conſpexit ac poma lambendo carpere: feſtinus rediens Patri Columbano indicat. Ille imperat ut eat, partémque fruticum in cibos feræ dimittat, aliámque ſibi reſervet. Abiit namque Chanoaldus juſſum viri Dei implens, diviſítque virgâ frutices, rubóſque qui poma ferebant, & partem ſuam juxta viri Dei imperium ait ut fera comedat, aliámque partem in uſus viri Dei reſervet. Mira in fera obedientia! nequaquam ex prohibita ſibi parte auſa eſt carpere cibos, ſed in ſegregata & permiſſa ſibi fruticum parte tantummodo pabula requiſivit, quoadúſque vir Dei in eo commoratus eſt loco. Iſte etenim Chanoaldus germanus B. Faronis Præſul Lugduno Clavato floruit, ut in Vita B. Euſtaſij* repertum eſt.

* Briganiam

XXXVII.

XXXVIII.

* *ad ann.* 625.

XXXIX. Euſtaſius Burgundofaram ſanat *&c.* Itaque dum ad præfatam villam inſperatus acceſſiſſet cultor Dei Euſtaſius, collegit eum mirogaudio officioſiſſimè Agnericus genitor militis Chriſti Faronis: erátque cum patre, matréque & filia BURGUNDIOFARA, quam devotus Dei Columbanus Regi æterno ſacraverat in ipſo ævo infantiæ tenello quo lactabatur, ut ſuperior mentio præmonſtravit *. Hujus verò Virginis tantus dolor interiora cordis fundendo ſeſe per venas patulas præoccupaverat, eoquòd curas patris ſciret omnes verſare in ſua deſponſatione, ut lumen oculorum in ea rivulorum lacrymarum fluentis penitus infuſis tenebris obnubilaretur fuſcis, febriúmque igne tota maſſula tenerorum membrorum ſuccenderetur. At vir Dei Euſtaſius dum ibi præſens intellexiſſet minimè fruſtrari poſſe ſacrationem B. Columbani in Virginem, objurgavit patrem verbis aculeatis, eíque proloquendo oſtendit promulgari ſuâ culpâ, quòd virgo tanto diſcrimine periculi afficeretur. Ad hæc genitor ſimulationem ſono vocis exprimens ait: Utinam felici ſoſpitate mihi meíſque redderetur anxiis deſideriis, & iura hymenæi violarentur, jámque quoquomodo illius dolores abducti, meíque quos illa infundit hoc voto meo eſſent procul amoti! His vir Dei delinitus verbis depoſitáque indignatione fellis, ſerenus greſſum properando ad puellæ ſtratum uſque inflectit, quo clade deliteſcebat amaritudinis, ſciſcitaturus quid volveret ſuper hac re ejus deſiderium mentis.

* *cap.* 13.

XL.

XLI. Fara Deo virginitatis votum firmat. At illa ſuffuſa lacrymis facie pudoréque virgineo obducta, vix inter quatientes lamentorum ſingultus, ac inter crebra ſuſpiria trahendo ea ab imo pectoris erupit in vocem: quòd numquam, inquiens, thalamo ſubderetur, potiùs ſiquidem pudicitiam ſe affirmat coruſcis lampadibus & lychnis olei, & caſtimoniam quæ juxta Angelicam naturam rutilat deſiderare, quàm ſponſalia decreta ſervare, optabilibúſque ſupernum Sponſum feliciter concupiſcere, quàm terreno flebiliter inhærere: atque elegantiùs à voluntate patris hac in re diſſentire, quàm pulcherrimum florem Virginitatis amittere: Addens inſuper nullis minis ab hoc votivo propoſito quod inter ſe & ſponſum ſuum Chriſtum erat ſe poſſe avertere, nec fixam intentionem aliquibus figmentis adulationum avellere.

XLII. Quin etiam Patrem adſtantem lacrymabili voce aggreditur: Num, inquit, modò novus orbis primùm naſcendo floret, ut indigeat pro humana fecunditate prolis fœderato conjugio fratris ſororiſque? &c. *Iſtos Auctoris diſcurſus B. Faræ adſcriptos reſecare viſum eſt.*

XLIII. Itaque advertito, Pater dulciſſime Euſtaſi, juxta Evangelica præconia me debito honore

ſubditam eſſe patri, & hæc vulnifera ſpicula verborum quæ de obtruſis pharetratæ latibulis mentis deprompſi, non de toxicato corde, arcu atque lingua cum ſtridenti voce exemi, ſed affamine Angelico in ſomnis iſta excepi de illo meo genitore. Et aliud ex te quod auribus audivi bibulis, in eo flante ſpiramine vocis jam nunc capiendo attrahe. Non enim imaginariam, nec coloratam arte mendacis Simonis formâ equi deſtruentis mœnia antiquæ Troïæ tibi pandam viſionem, ſed certam atque experimento liquido declarandam tuo. CIRC. AN. DC. LXXII. OCTOB. XXVIII.

Cùm roſcida non jam irrevocabilis præterita pictum aſtris flammivomis deponerer peplum, & cùm auroræ circulus orbitam inquietaret, jam fatiſcente crepuſculo, nondum tamen apices limpidiſſimi Solis erant per diverſa porrecti, viſus eſt adſtitiſſe juvenis reverendi admodum vultûs, oculis ardentibus & ultra communem hominum valentiam perſpicacibus, & hoc dulci affamine triſtem animum mollire: Enimverò certa eſto meiſque promiſſis firma virum tibi advenire, quo ſcias optatæ ſoſpitati te reddendam. *Cetera cum diſcurſibus capitulorum* XLV. XLVI. *& ſequentium ab Auctore excogitata omiſimus.* XLIV. Faræ viſio.

Dehinc hac expleta viſione jam ſol aureus novas faces per polum longo micans umbone diffundebat: & ecce tuis conſpectibus, inquit Virgo Fara, huc ingrediendo, deſiderate Euſtaſi, certificabas me de his omnibus. Nunc te per ordinem iſta expertum non neceſſe eſt pro dubietate admonere, quin maturatò juſſum opus eſt accelerare. Tum Euſtaſius ait: Mei eſt, inquit, tuam ſententiam approbare, & inglorium me in hac re ſperare*. Quòd ſi hanc medelam ſenſeris provenire, & à te didiciſſe, & hoc ipſum quod eſt ſanare mirabor. Atqui nobis monitis oraculo Divino, in interiora mentis eſt intrandum, ubi oratu Deus eſt inveniendus, & ſic exitus iſtius rei ſine hæſitatione eſt quærendus. Enimverò ire eſt lacrymis, quibus potiùs felicia omina firmentur his in rebus ſpectatis. L. Euſtaſius Faram ſanat. * *id eſt* credere

Hoc ab illis ſic eſt actum, & promiſſo munere accelerante ſanitate, lætantur conſecuto: febrium ignis incommodus in virgineis membrorum compagibus exſtinguitur, irradiati oculi lumine coruſcant, & liberè videndo in orbibus concavis natantur. Hac conſecutione ſoſpitatis genitor gratulatus felici, firmat ejus jura ſponſi, decernit ſtatutum tempus* hoc exſequi, verſâtque omnes curas in hoc animi. LI. LII. * ſtatuto tempore

Econtra renitens puella in viribus fugæ confidens, unà ſecum comitante juvencula clam à domo genitoris eſt elapſa. Pavitanti curſu Principis Apoſtolorum non longe ab urbe Meldis apprehendens Oratoria, ilico illa & ſocia in orationibus percutientes pectuſcula, lacrymis rigabant terram per oculorum currentia fluviola, premebant cum facie terram eorum labella, frontéſque pulchras genáſque roſeas proſternebant, ſqualebat in pavimento ſordidula hæc virgo Faraſic orans: O Petre qui cæli regna Juſtis referas Dei miſericordiâ, injuſtíſque obſeras ejuſdem juſtitiâ, datâ tibi cognitionis bonorum malorúmque claviculâ, fidens confugi huc ad tua ſacra limina pavida ego ancillula Chriſti, & tua volens eſſe virguncula. Et tu, ô Chriſte, graves hominum labores piè ſemper miſerate, per æterna gubernacula qui ſemper humilium precibus flecteris, remittendo ſordium piacula ſerva virginitatem meam oblatam tibi per æterna ſæcula. LIII. Fara Virginitatis amore in Eccleſiam ſe recipit. LIV.

Dum hæc ſecum volveret mente tacita, nec mora juſſu Patris pernix curſus puerorum per recentia ilico eam ſubſequitur veſtigiorum ſigna, atque ut eam perimant in ipſorum ictu furoris dat crudelia mandata. Illiſque poſt eam pulverem viæ ejus curſu adhuc turbidum currendo ſecantibus, reperiunt eam in ſupradictæ Baſilicæ interioribus, cautéque ab injuria Virginis Faræ abſtinent ſe manibus, provido conſilio quoque illic aliquantulum ſubſiſtunt ut morarum ſpatio patris mitigarentur pulmones, quibus ſunt ſedes iræ; nam rubore mixto cum pallore faciei, oculóſque ſuffuſus ſanguine acriter ſæviebat. Denique argumentosè miniſtri patris comminationem mortis ei intentant, in quo hæc tela verborum intorquet: Num, inquit, à genitore talia munera filiæ debentur? At jocundius eſt mihi hoc in loco pulchram mortem oppetere, tantùm ut patri detur venia piaculi commiſſi, quàm florem virginitatis redolentem perditum ire. Omni rerum mortalium voluptate de mei animi ſede pulſa, nulli impudendæ delectationi ſubdar umquam. Hæc dicta, ſi optabilem mortem ad præſens mihi retardatis, colligite inoblita, & refertote patri à me ſic prolata. LV. Pater mittit qui eam occidant. LVI.

Dum iſta infeliciter ita gererentur, remittente Rege Chlothario ab expletione ſui mandati venerabilem Euſtaſium, per ipſum Agnericum iter reverſionis componit diſponente hoc gratia Divina. Quin mores diſſonos patris natæque percontatus, puellam cuſtodiæ deputatam ſolvit, ſimplicitatem animi patris aculeatis dictis quoad pœniteret pungit. Dehinc puellam Sanctimonialibus diu deſideratis veſtibus per Antiſtitem urbis illius Meldenſis GUNDOALDUM nomine, virum Deo carum ornatam, ſub meditullio regularis diſciplinæ ac ſub ſcamnis Agoniſtarum pro Chriſto decertantium delegavit. LVII. Euſtaſius reverſus patrem corripit. LVIII. Faram Deo ſacrat.

Et ut aptus eſſet locus exercitationi, Athletæ Chriſti Monaſterium procuratur Virginale jam à patre. Flexus tandem pietate paterna, in ſolo jure ſibi hereditario libens illud præparat, ac inter amœnos fluvios videlicet Mugram & Albam divitibus donis niſibúſque opulentis præſtantiſſimè componit. Providentur enim conditores hujus operis à præfato Præſule LIX. Pater Monaſterium in filiæ gratiam condit.

LX.

CIRC. AN. DC. LXXII. OCTOB. XXVIII.

Gundoaldo fratres dulciſſimi B. Faræ CHANOALDUS & WALDEBERTUS, qui ſucceſſor felix iſtius Gundoaldi hac in urbe claruit, teſtante Vita S. Euſtaſij *. Iſtorum verò initiamento ille locus à fundamento oritur, ſed ſtructura maximæ ædificationis decúſque omne ornamenti pulchritudinis ac ditamentum in facultatibus juris curâ ſtudióque ſagaciſſimo beati Præſulis Faronis in poſterum adſcribitur atque reſervatur.

* *lege Vitam S. Euſtaſij ann. 625. & Elogium ſancti Vvaldeberti ann. 665.*

LXI. LXII. LXIII. LXIV. Hildegarius Epiſc. Vitæ ſcriptor.

A Waldeberto verò de quo jam retulimus poſt Gundoaldum nonusdecimus ordo à S. Dionyſio primo Antiſtitum in hac urbe fulſit. Poſt quem magnificentiſſimum Faronem viceſimus ordo ornavit, qui omni laude ſanctitatis non impar à prioribus nec à ſequentibus radiavit. Siquidem & tertius iſtorum frater uterinus nomine Chanoaldus, quem prælocutio adnotavit, ſimili officio Præſulatûs Monte Clavato emicuit. Quomodo ad naſcendum æterna ſapientia prævidit germanos uno utero, ſic ab æterno præordinavit ſub ſacrato trino numero æquales ſacratiſſimo Apoſtolicatûs officio. A viceſimo quippe ordine B. Faronis uſque ad præſentem HILDEGARII humilis Epiſcopi ex collegio Monachorum clariſſimi Martyris Dionyſij Cœnobio degentium per electionem adſumpti, ac munere Divino unà cum præſtantiſſima liberalitate inclyti Regis CAROLI ad tanti regiminis culmen evecti, eſt multiplicatus ordo Præſulum priorum aduſque hunc quem ſextodecimo numero rota annorum torquet volvendo.

LXV. Faræ Monaſterium floret. *Lge Vitam 3. Burgundofara an. 655.*

Interea quàm mirabiliter fulſerit ille præfatus Angelicus locus Virginis Faræ ſub typo pudiciſſimæ caſtitatis, & ſpontaneo famulatu Religionis; beatæ Sanctorum animæ quæ gratiâ Dei in cælum evolavêre, núncque ante thronum Agni lætantur, plurima in terris largiendo beneficia miſeris mortalibus indicant. Ex quo etiam vir venerabilis BEDA ad exemplum Sanctorum ſuccinctè memorat deſcribendo Geſta Anglorum. Ceterùm namque præclariſſima geſta virginis Faræ Præſuliſque Faronis ſunt inſerta (ut ſuperiora docent & inferiora) inter annales faſtos * ſeriémque Regum terrenorum velut liguſtra inter redolentia floſcula balſamorum ac liliorum. Qui enim ex una radice quaſi duæ fiſtulæ liliorum albentium, & quaſi plena cacumina pullulant floribus, ideo floſcula virtutum eorum narrando inter ſe collidere gaudent leni ſibilo verborum. Sed nunc ſeparatim carpamus aliqua ex digniſſimi Præſulis Faronis vernantibus floſculis meritorum, ad reſpargenda ſuavitate odoris corda Auditorum. Unde & in Canticis Canticorum dicitur: *Fulcite me floribus*, id eſt conſolamini me exemplis bonorum.

LXVI. *Beda lib. 3. cap. 8.*

a

LXVII. *Cant. 2.*

LXVIII. Regreſſus ad geſta S. Faronis.

Igitur dum tempus ſuperiora Virginis Faræ geſtæ quæ prompſimus in ſeſe volvendo tranſcurreret, aula Regis Theodoberti, ex quo mentio præterita ſeſe frequens ingeminavit, in decore juventutis Militem Dei Faronem florentem alebat, ut ſibi ad dignitatem honoris jam futura eum gloria provideret. Cujus magnificentiam regni, ut jam præmiſimus, ejúſque fratris Theoderici cùm ad Chlotharij ditionem hujus vitæ malefida felicitas vertiſſet mirabiliter, & quampulchrè aula ipſius Regis cura militari beatiſſimi Faronis nobilitabatur.

LXIX.

LXX.

Et quomodo inter crepundia mundi, & phalerata ſæculi ornamenta ſalubria ſibi potuiſſet quærere, ac rumuſculos glorioláſque hujus delectationis vitæ diverberatas mentis volatu ſupernis deſideriis calcare, ac in commune qualiter cunctis felicibus meritis ſplendeſcere, amabilitérque conſiſtentibus palatij clarere omnibus quoque actibus, moribúſque compoſitus ire, & laudibus apicéque dignitatis famoſiſſimos excellere, conſiliáque regalia publicè ac privatè amoris Dei magnificentia prudentiſſimè diſponere, intantum ut in deſcriptionibus B. Chilleni viri Scotticæ gentis exaratum videatur habere, ne reſpublica Regni à ſtatu ſuæ magnificentiæ atque potentiæ aliqua violatione juris vacillaretur, tali arte conſilij aſtutè curavit providere.

LXXI. Legati Saxonum temeraria Chlotharío aſſerunt.

Nam gens Saxonum illo in tempore fide inſtabilis rebellis effecta, efferatáque duris animis, ad dignoſcendum quòd ſub nullius ditione eſſe decreviſſet, mittit Nuntios unà cum conſilio Regis ſui nomine BERTOALDI Regem ad Francorum in hæc verba: Scio, inquit, quia non colligis tu, CHLOTHARI, vires bellandi in animo adversùs potentiam virtutis meæ, nec tantam ſpem concipis in robore pectoris. Quapropter mitiùs agam ne depopuletur terra jam non tua, ſed mea, ubi glorioſus reſidere fida diſpoſitione diſpono, & occurrere mihi obviam ductorémque mei per ignotam terram te præmoneo. Ibi enim conſilio meorum tractandum eſt, bella cum quibus agenda erunt, quoniam in te & in tuis imbellibus non experiemur ea.

LXXII. Mortis ſententiam excipiunt.

At Legatorum verba dum per aures uſque ad notitiam animi Regis Chlotharij perveniſſent, ilico ejus fel quo eſt ſedes iræ immoderatè efferbuit, móxque furibunda voce, oculíſque ſanguine ſuffuſis tulit inretractabíliter in eos capitalem ſententiam. Nam ſtipatores & & Archiſeniores Principum hoc Edictum iræ ingeminando ab ore Regis auribus concavis ut

* Cùm nec S. Faronis nec ſororis Faræ geſta, neque in Chronico Fredegarij, neque in libro de Geſtis Regum Franc. aliíſque reperiantur, hos Annales excidiſſe dicendum eſt. Nam Aimoino qui in Hiſtoria ſua S. Faronis meminit, Hildegarius ætate ſuperior fuit.

hauſerunt,

hauſerunt, contradicendo pulſu vocum ſuarum refringere tentaverunt. Violari namque, inquiunt, nefas eſt ritum ac legem regni Francorum interfectione horum atque omnium, ſi reminiſceretur, ab origine nationum. CIRC. AN. DC. LXXII. OCTOB. XXVIII.

Sed illius irâ ruptis habenis recti conſilij liberè impatientérque per ejus animum ſævien- LXXIII.
te, B. Faro qui aderat inter Magnates illic non mediocris, aſtutè verbis Regis obtemperare Faronis
prædmonuit ad præſens, ſed tamen hoc differre in craſtinum, ut ſic dilata res cauſa liberationis prudentiâ
eorum fieret. Hoc autem dum cunctorum ſediſſet animis & jam dies illa decederet, claudente ſervantur.
jam veſpere olympum nox humida ruit, amicáque lucentibus aſtris: Miſſique Saxonum cuſto- LXXIV.
diæ militum deputantur trepidantibus animis. Quorum corda inter mortem & vitam pavi- Baptiſ-
tando pendentia occultè miles Chriſti Faro alloquiis Divinis miſerando aggreditur, ſuadens mum eis
fonte Chriſtianitatis ſibiipſis ſubveniri & à duplici morte præſenti videlicet & æterna ſeſe perſuadet.
ſervare. Ad hæc animis illi inclinati, prævalentibus meritis miſericordiſſimi Faronis, fonte ſacri ſunt abluti baptiſmatis, nóxque erroris converſa eſt illis in diem fidei & claritatis, & de numero ſervientium idolorum mutati in conſortium ſunt Chriſtianorum.

Dum in his ſic nox occupata ſibi tranſiret, & dies redderetur jam terris novo lumine ſolis, LXXV
Procerum cohortem jam contrahebat concilium ad tecta Regis, causâ conſilij quærendi ſuper verbis Legatorum directis à gente Saxonum, vel quid utilitatis quídve damni conferret interitus eorum. Sed cùm de his ſermonem alternatim ad eligendum utilius conſilium conferrent inter eos, miles Chriſti Faro longas querimonias dubietatis ſolvens ait: Hos Legatos certum eſt non eſſe gentis Saxonum, ſed modò conſortes effectos Chriſtianorum. Sicut enim ſemper mirabiliter Auctor orbis & ſpes unica mundi Deus operatur, ita in his etiam mirabilia ejus opera hac non defuerunt nocte, dum converſi ad militiam Chriſtianitatis fortè alicujus Dei fidelium gratia prædicationis operante abluti ſunt à ſordibus undâ ſacri Baptiſmatis, quos etiam me huc accedente vidi albere novis veſtibus baptizatorum. Ad hæc Rex, cunctique in admirationem verſi qui tractabant eorum de morte pericli, ſtatuunt jam donis pretioſis eos confirmare in fide Chriſti quaſi in alios viros mutati. Dehinc redeunt ad patriam LXXVI.
maternam remiſſi. Hanc quippe novellam plantationem egregius Chriſti Faro primus pænè de gente Saxonum ſemine verbi Chriſto excoluit portendens jam officium futuri paſtoris, cujus ſeges multiplicata prædicatione votis ipſius felicibus reſpondit in cælis. Poſtmodùm autem LXXVII.
ipſa eſt gens à Chlothario Rege depopulata ex humano ſemine in tota terra illa, neminémque reliquit majorem niſi ad eam menſuram quâ Regis enſis[a] ſe attollebat. Ex qua victoria
carmen publicum juxta ruſticitatem per omnium pæne volitabat ora ita canentium, feminæ- LXXVIII.
que choros inde plaudendo componebant:

De Chlothario eſt canere Rege Francorum,
Qui ivit pugnare in gentem Saxonum,
Quàm graviter proveniſſet Miſſis Saxonum,
Si non fuiſſet inclytus Faro de gente Burgundionum.

Et in fine hujus carminis:

Quando veniunt Miſſi Saxonum in terram Francorum,
Faro ubi erat Princeps,
Inſtinctu Dei tranſeunt per urbem Meldorum,
Ne interficiantur à Rege Francorum.

Hoc enim ruſtico carmine placuit oſtendere, quantum ab omnibus celeberrimus habebatur.

Eſt & aliud non ſilentio de eo tegendum ut in vita B. CHILLENI jamdicti invenimus. LXXIX.
Dum leges publicæ quæ quotidie diſcutiebantur ipſo in Palatio, multos conſtringerent ad Reum à
ſæcularia judicia, interfuit quidam quem vis legis ad emendationem intantum obligaverat, morte libe-
ut etiam omnis facultas illius rerum ad ſatisfactionem non ſufficeret. Ob hoc quippe ejus rat.
prædia, cunctáque ſtips ſupellectilis ei abſtrahitur, Regíſque poteſtati ſubjicitur. Super quo tactus ſpiritu miſericordiæ electiſſimus Dei Faro, innocens quaſi nocens in debito reddendo apparere voluit pro eo. Acceſſit quaſi reus pro reo, & debitor proximus pro extraneo. Stetit quaſi accuſatus in judicio, ne ferveret lex ſine miſericordia in proximo, attendens exemplum de Chriſto qui mulierem deprehenſam in adulterio non condemnavit ore alieno, ſed potiùs dimiſit miſertus ei.

Fluat & tertium imitationis exemplum ab ipſo. Ecce quædam dies ſe præbuit opportunam LXXX.
venatum ire Regi Chlothario, & via ductrix ſilvæ pauperculam ex latere habuit, quæ tran- Supplicat
ſeuntem Regem clamore ſuæ infelicitatis proſequitur magno. Qui intentione venationis am- Regi pro
pliùs devictus, ſonipede citiſſimo ab ejus voce diſceſſit elongatus. Quem miles Chriſti Fa- afflicta.
ro cum eo equitans, zelo Dei accenſus his monitionibus eſt aggreſſus: Non, inquiens, hæc LXXXI.
paupercula triſti dolore clamat pro ſe, ſed pro te: quamvis illa anguſtetur lacrymabili cor-

[a] Ea res in lib. de Geſtis Regum Franc. cap. 41. & de Geſtis Dagoberti cap. 14. refertur, ubi Chlotharius Berthoaldum manu propria interfeciſſe, & Saxones internecione deleviſſe dicitur: quamquam Hadrianus Valeſius in lib. 18. Reg. Franc. non omnia iſta probat.

CIRC. AN. DC LXXII. OCTOB. XXVIII. de, tibi anguſtandum eſt potiùs pro commiſſo regimine. Illa in te ſpem ponit humili prece pro ſe, & tu de propriis rebus in Deo pro te. Pro quacumque enim voluntate tua qua animus ardet expetis Deum intentè, & hæc tibi à Deo commiſſa expetit te non pro magnis, ut tu Deo; ſed pro infima ſua parvitate. Quomodo enim Maximus omnium tibi magno facto ac præ ceteris ſublimato jam ultrà diſponet majora præparare, quando ſuæ tibi commiſſæ pauperculæ nec etiam curas attendere? Ergo quod eſt ſcriptum reminiſcere: *Ne avertas aurem à pauperis clamore.* Ad hæc Rex: Omnium inquit dierum acceſſus & ſub receſſus tali meas ſollicitant aures nauſeâ frequenter diverberatas, & ad hæc curandum continuè animus ſopitur laſſatus. Hæc dicens ſubtraxit ſe à culmine paulo cæli concitus, & umbraculis frondium ſilvarum ſeſe immiſcens condidit. Tunc cornu curvo plenis buccis anhelitu adſpirato latratus canum argutos acuit, per luſtra ſilvarum errabundos componit, quæ latè circumquaque reboantibus vocibus echo longè reſponderunt. Sicque ſecutor per invios ſaltus prævio latratu canum exſtitit, & ab equo fidenti quo ſuſpenſus umbras ſilvæ diverberabat curſu concito corruit, gravíque dolore pedis adſtrictus uno in loco contabuit. Tandémque in ſe converſus eſt, profunda præcordiorum ſuſpiria & queruloſos queſtus contra ſeipſum erigens, videlicet quòd deſiderium venationis præpoſuerit clamori pauperculæ, pro qua gratia Dei non protectus hanc meruerit injuriam laceſſitus. Ex hoc manifeſtè datur intelligi, quòd Dei ſpiritu verba B. Faronis prolata ſint in Regem, quem mox ultio Divina inſequitur graviter ulciſcendo ad correptionem.

Deut. 15.

LXXXII. Rex punitur ob gratiam negatam.

LXXXIII. Poſt aliquantulum autem temporis præfatus Faro remiſſo remige animi à curis rerum palatij venit ad ſanctam ſororem Faram jam confectam longo deſiderio viſendi eum gratiâ, cui jam fundabantur ad conſervanda ſacra velamina nova ſigna Monaſterij. Quàm pulchrè per florulenta Scripturarum arva latè vagans miles Chriſti Faro memorabile ſororis ſuæ mentis ingenium madefecit, ac bibula curioſitate infecit, mirantur etiam hodie auditorum mentes eum ſequentium. O inquit gratiſſima ſoror *&c. omiſſa ad cap.* XCI.

LXXXIV. XCI. Uxore velata fit Clericus Faro.

Denique intantum ex his ſuis dictis quæ dono Spiritus protulerat ſorori inſpiratus amore Divino exſtitit, ut gloriam regalem deliciáſque principatûs funditus contemneret, licitaque conjugia in flore juventutis refrenaret, ſéque Eccleſiaſtico ordini ſociaret, ac conjugem ſuam nomine BLIDECHILDEM nom imparem hujus ſanctæ voluntatis ſacro velamine Deo conjungeret. Et ad obtinendam magis Chriſti gratiam, & ad faſtigium perfectionis & Divinæ contemplationis culmen promerendum latebroſa prioris vitæ evaneſcens per gratiam Evangelicæ prædicationis, quæ eſt: *Vade, vende omnia quæ habes & da pauperibus, & veni ſequere me*; & caliginem propriæ voluntatis denegans, multimodas opulentáſque poſſeſſiones terræ Eccleſiaſtica adminicula pro centenis meritorum recipiendis fructibus ampliſſimè ditavit.

XCII.

Matth. 19.

XCIII. Eccleſiam rebus ſuis ditat.

Siquidem paupertate marceſcentem Eccleſiam civitatis Meldenſis, quæ compta ſuffragiis Proromartyris B. Stephani ac ejus roſeo ſanguine decenter fulget ædificata, ditiſſimis villarum opibus munerans magnificentiorem ac nobiliorem omnium reddidit oculis. Illius ſiquidem ſupplemento ac ſtudio quin poſſeſſionum ditamento omnis locus Virginis Faræ ſublimis per orbem aduſque polum ſcandit nomine alto. Quàm pulchra etiam domorum habitacula pompaticis erexerit ſtructuris, Epiſcopii ſcilicet atque Monaſterii, poſſeſſores uſque hodie, ceterique videntes dignè mirantur, & viſus humani ac converſatio aptiſſima laudatorio deſiderio concupiſcentiæ teſtantur. Aptificat ea etiam fluvius Matrona piſcoſus pro qualitate locorum affluenter, fecundátque ubertate paſcuarum herbida, ſuiſque temporibus aptiſſima.

XCIV.

XCV. Anglos & Scottos peregrinos excipit.

Non ſolùm enim conterraneis civium ſuorum, quos regio communis vitalibus auris paſcebat, miniſtrabat ex reditibus ſuis facultatum opem ad titulos Eccleſiarum Chriſti erigendos, ſed etiam peregrinis exſulibúſque quos inſulæ maris gravi diſpendio navigii mittendo adtrahebant ad ejus odoriferam famam, quæ longè latéque diffuſa uſque ad ultima Tyle * ſono laudis reboabat. Unde gens Anglorum in ejus conjunctione amantiſſimæ venerationis inretita, ſuas nobiles quaſque Virgines illuſtréſque feminas Monaſteriis ſcilicet Faræ atque Kalæ Deo militandum per eum mancipabat.

XCVI. * *Tile nomen* INSULÆ *Hibernicæ*

Similiter quoq; ex gente Scottorum quāplurimi amore illius ad hanc regionem accelerabant: & ſic pro ejus hoſpitalitate largitatis atque ſui Patris, religio Monachorum ex fonte doctrinæ ac ſanctitate eorum novit habere initium ac documentum in gente Francorum. Intantum verò pro ſtudio vitæ Angelicæ diligendo officicioſiſſimè eos Scottos excolebat, ut etiam heredes eos de propriis ſuis rebus faceret, atque ex Reliquiis eorum corporum, dum ſæcula labentia volaverint, ad protectionem noſtram eorum meritis hæc clarior provincia fulgebit, ut ex B. FEFRI [a] munere miraculorum hæc noſtra Meldica claret. At in quodam terrritorio ſuo Monaſterium quod dicitur BROILUM ſitum retinetur, tribus diſtans millibus ab urbe Meldis, quod accepit ille vir ſanctus Fefrus in poſſeſſione copioſiſſima ab Antiſtite Chriſti Farone. Ipſe nam-

XCVII. XCVIII.

XCIX. Fiacrio Monaſterium concedit.

a Sic ante annum Chriſti milleſimum vocabant S. Fiacrium, de quo anno 670. egimus.

C.

que egregius Faro virum gratiâ Dei plenum nomine CHILLENUM[a] ex genere Scottorum ortum ſanctis exhortationibus ad provinciam Atrabatenſem miſit, quam doctrinâ ſanâ Chriſto acquiſivit, & non ſolùm verbo Divino, ſed etiam miraculis ſanctitatis Chriſto adtraxit. Hæc ipſa quoque provincia modò de ejus dormitione corporis clariſſima, habetur fulgida ejus meritis ac noriſſima in regnis. CIRC. AN. DC. LXXII. OCTOBR. XXVIII.

Non eſt quoque ejus virtus à memoria abolenda, per quem hoc in Monaſterio cum beatiſſimo Farone Divina per eum gratia eſt operata. Nam cùm quadàm die ſecundùm debitum corporis Chillenus ſanctus cum Antiſtite Farone convivaretur, pincerna caſu exceſſionis calicem quo vinum epulantibus propinabat, qui vitreali elemento infido compoſitus erat, fregit. At B. Chillenus intuens faciem miniſtri præ nimio pavore pallentem, particulas calicis ſibi tribui latenter poſcit, ſuper quas oratione compoſita, inviſibiliter redintegrata eſt calicis fabrica, & ſic oculis omnium in miraculo eſt converſa. CI. Chillenus vas vitreũ fractum reparat.

Interea factum eſt poſt dormitionem WALBERTI Epiſcopi hujus urbis, de quo jam præmiſimus, qui nonuſdecimus exſtitit à S. Dionyſio, ut electus Dei Faro ejus lege conſanguinitatis quaſi jure hereditatis fraternam ſucceſſionem Pontificatûs hac in urbe Meldenſi mereretur, ſicut in deſcriptionibus Vitæ clariſſimi Euſtaſii noſtra relatio invenit[b]. A viris etenim religioſiſſimis hujus provinciæ miſſa eſt ſuggeſtio de eo Regem ad Chlotharium ejus filiolum ſacri fonte Baptiſmatis, ut ſuo aſſenſu præberet conſtituendum digniſſimum Pontificem in populo. Qui gratulatione digna ex hoc valde placidus, non ſolùm conſenſioni animum inclinavit, ſed etiam fieri ſine ſcrupuloſitate aliqua adjudicavit. Poſt quod præclariſſimum factum quàm mira ſanctitatis opera eum in cunctis ornaverunt, teſtantur digna admiratione Chriſti magnificæ virtutes, quæ ob meritum illius mundo celebrem valuerunt reddere. CII. Faro Vvalberto ſuccedit. *b*

Hoc namque miraculum quod placidis auditoribus inferemus, in denotationibus Vitæ B. Chilleni noſtræ notitiæ adſumpſimus. Cùm quodam tempore feſta Paſchalia per octonarium dierum numerum mediâſſent, electus Dei Faro Pontifex in miniſterio Confirmationis, in quo animæ corporum baptizatorum donum ſancti Spiritûs accipiunt, per liniamentum chriſmæ ſanctificationis ſe devotiſſimè obligavit. Cúmque inumerabilis turba mixta ex ſexu rationabili, pavimentum Eccleſiæ ab oculis ſubtraxiſſet replendo, & ordo ſe ſe ſequentium ad confirmandum turmas ejus præſentiam antè applicuiſſet, orta eſt lux cuidam puero qui lumine oculorum fuerat orbatus. Namque dum per chriſmam unctionis à B. Farone donum ſancti Spiritûs percepit, ejus tactu clarè vidit omnia. Tunc ergo primùm natus eſt ei novus orbis, ac omnis fabrica mundi cum luce orta eſt ei. Poſt ſe quodammodò natum miratus eſt mundum, cùm videndo miratus eſt agnitum, cui decorem ſuum mundus per cæcitatem diu negaverat, gratia Chriſti meritis Antiſtitis Faronis ſubitò frui eo diſpoſuerat. CIII. Confirmationis ſacramento cæco lumen reddit.

Nec illud prætereundum quod evenit vinctis & vinculo carceris compeditis. Nam dum ſanctus Antiſtes Faro cura paterna per domunculas civitatis viaret causâ viſitationis, accidit ei in proſpectu viæ tranſitum ante carcerem vinctorum facere. Quem dum compedes adſtricti viantem ſenſiſſent, clamant pœnitentiam facinorum ab eo ſibi conſequi. Ad hæc pietate commotus vir Dei; Exite, inquit, abſoluti, eoquod pœnitemini. Statimque diſſoluta ſunt vincula, non ferre valentes obaudiendo tanti ponderis verba. Obtemperaverunt autem viri Dei mandatis, eoquòd ſenſerunt Factorem rerum voluntarium ita. Quàm admirandi ſunt amici Dei laude digna, qui juſtè diſponunt cum illo omnia! CIV. Incarceratos ſolvit.

Quid dignum etiam referam, quod ſua benedictione ſteriles ſulci multiplicatas ſuas ſegetes ſunt mirati? Quadam die cùm maximum cuneum ruſticanorum villulæ pro penuria famis jam imminente collectione meſſium ad eum miſiſſent, eoquòd viderent non reſpondere ſulcis pro ſterilitate votis agricolarum, alimoniam petierunt ab eo. Qui ſpiritualibus armis docendo viam ſalutarem eos muniens, benedictionem uberrimam ſuper eos infudit, hortans in fide ſtabili perſiſtere, & credere potentem eſſe Opificem rerum ipſam ſterilitatem frugum ſuarum mutare in maximam copiam abundantiarum. Qui feliciter revertentes ad propria, mirantur novas fruges in ſulcis ſuis dum reviviſcunt ſubitò ortas, & ſeges rara quæ antea terram patebat, jam denſa occultando gravabat. Nec mirum ſi hoc tantum Dei vir fide obtinuit, qui nihil in ea juxta præceptum Magiſtri hæſitavit, qui promiſit fidelibus ſuis dicens: ***Si habueritis fidem ut granum ſinapis, & non hæſitaveritis, quidquid petieritis abſque impoſſibilitate obtinebitis.*** *Matth.* 17. CV. Annonæ fecunditatem benedictione obtinet.

Nec etiam ſilentio eſt obmittendum, quantæ virtutis ejus digna conjux nomine BLIDECHIL- CVI. Uxorem relictam invi-

a S. Chillenus in Martyrologio Bened. colitur Idib. Novemb. Ejus Reliquiæ unà cum S. Fiacrii Reliquiis in Majori Eccleſia Meldica aſſervantur. Colitur etiam Albiniaci, qui vicus eſt Atrebatenſium cum Collegio Canonicorum.

b Vvalbertus ſeu Vvaldebertus nec Epiſcopus Meldenſis, nec S. Faronis frater fuiſſe in Actis S. Euſtaſii dicitur, ut ſuprà ad an. 665. oſtendimus: S. Faro ſucceſſit Gundoaldo Meldenſium Epiſcopo, de quo ſuprà cap. 58. & in Vita S. Euſtaſii ad ann. 625. Succeſſit, inquam, anno circà DC. XXVII. poſtquam Gundoaldus ipſius deceſſor Synodum Remenſem anno 625. ſua ſubſcriptione confirmaverat. Hinc colligas S. Faronem longè poſt Chlotharii tinctionem, immo paullo ante illius mortem factum fuiſſe Epiſcopum.

CIRC. AN. DC. LXXII. OCTOBR. XXVIII.

dis ſacro velamini mancipata claruerit, ſecundum quod ex relatione publica antiquiſſimorum virorum qui canicie lactea compoſiti erant comperimus. Hæc cùm curis ſtudioſiſſimus Deo militaret in villa reſidendo quæ vulgò Pinnevindo dicitur ex jure ſuæ proprietatis, Præſul Dei Faro mandato eam ſuæ præſentiæ adeſſe optavit. Quæ cùm prima auditione renuiſſet, non diſtulit Antiſtes Dei mandatum iterum ingeminare. At illa huic ſecundò primam negligentiam conjunxit. Cúmque his duobus mandatis tertio adjecto eam inquietâſſet, violenter perpendens non poſſe ſuam deliberationem animi obſiſtere, videlicet ut viſione B. Faronis jam non laberetur in aliqua titillationis delectatione, callidiſſimo conſilio reperto intra ſe totondit totam cæſariem capitis, in qua conſiſtebat ornamentum pulchrius corporis, indutáque pro ornamento cilicio, tandem tali modo devicta adſtitit ejus præſentiæ incompta. Qui dum ſuper ſpecie ei diu deſiderabili putâſſet animo videndo ſatisfacere, ilico ut attulit feneſtras oculorum in eam, amariſſimo tædio exhorruit, ac veſtigium ejus prioris amoris atque alicujus ſequentis illiciti per illius intuitum faſtidio deliberationis animi funditùs evomuit. Valde quidem admirabilis in hoc facto hæc caſtiſſima Deique ſacra femina, quæ ſe atque Antiſtitem ſuum, cujus aliquando conjux, conſilio ſagaciſſimo ab illicita offenſione Dei curavit providere juxta illud Evangelicum: *Si oculus tuus ſcandalizat te, erue eum & projice abs te.* Projecit namque omne ſcandalum pulchritudinis à ſuo corpore, ne per oculum corporis præparatum habitaculum Dei ſcandalizando violaretur, quod ædificaverat vovendo in mente. Sciebat namque quia oculi prima ſunt tela libidinis, & mens per oculos capitur ad deſiderium inordinati amoris. Unde quidam Philoſophus: Ante ignem, inquit, conſiſtens etſi ferreus ſis diſſolvêris.

NOTA pium feminæ conſilium.

CVII.

Matth. 18.

CVIII. Interea ſi per ſingula opera fluendo à rivulo ſenſûs curratur ſermo, qualiter in mandatis ac juſtificationibus Domini ſtuduit animum excolere, prolixitas videbitur mentibus auditorum intolerantiam parere: maximè cùm hæc uſquenunc decurſa narratio per inſignia geſta ac dicta devotáque opera eum ſtuduerit mirificis laudibus pompare ac exaltare. Jam tempus eſt ſpumantia labra claudendo tergere, digitóſque curvos calamum deponendo erigere. Adſit voluntas narratoris finem imponere, eritque mentes Auditorum ab intentione quieſcere.

CIX. Moritur & in Baſilica S. Crucis ſepelitur. [a]

Permanſit itaque uſque ad Regis tempora CHILDERICI nepotis Clotharii Regis filioli ſui B. Faro, & feliciter certamen hujus vitæ conſummans, viam univerſæ carnis glorioſè eſt ingreſſus [a]. Amma quoque beata ſcandit ad alta poli ſupernis choris lætantibus Electorúmque amplificato ex eo numero, urbe Meldenſi flente, militia cælorum exſultante. Conſervantur ejus nempe ſancta membra, quibus ad omne opus bonum velut organo uſus eſt Spiritus-ſanctus, hac in ſpecioſiſſima Baſilica habitaculum Angelorum facta, quam ipſe miro opere in fundo proprietatis ſuæ fundavit in honore ſalutiferæ ac vivificæ Crucis, necnon Baptiſtæ B. Johannis atque omnium Apoſtolorum. Ibi enim Angelicæ excubiæ dies cum noctibus æquantur, intemeratam ab omnibus periculis cuſtodientibus. Perlonga etenim ſæcula diſponunt eam excubare, ſervando nutu arbitrii Cunctipotentis ad laudem dignam ejus clariſſimi Confeſſoris, ut ſequens dilucidabit oſtenſio patentibus indiciis ita.

CX. [b] Hildeverti Epiſcopi factum.

Exſtitit enim Præſul hujus urbis Paſtórque hujus loci inſignis de nomine DATLEVERTUS [b], mediocris verò in Divinis intellectu dogmatibus, intantum ut etiam quondam viſum ei fuerit ædificare Eccleſiam in honore Sancti Chriſti contra Fidem ſanam, unde ejectum ſancta Synodus ab officio Epiſcopali voluit rationabiliter ſentire. Ipſe ſiquidem Epiſcopus juxta hanc Baſilicam conſervatricem Reliquiarum ſacri corporis Antiſtitis Faronis conſtruxit pompaticæ magnitudinis alteram apparatúque mirifici decoris. Quæ pulchritudine pollente ſuperaret annullando priorem Antiſtitis Faronis, quam intentione indevicta conſummaret, quouſque ædificatio finem poneret, ſi fors adverſa non obſtitiſſet. Cúmque nox palluiſſet quæ reddituram ſe falsò dicebat diem ſubſequentem ædificationis ipſius Eccleſiæ, noctis per viſum non imaginarium, ſed poſteris viſibilibus indiciis veridicum voluit electus Dei Faro venire cuſtodi illius Baſilicæ in hæc verba: Quæ dies, inquit, præſtolatur conventum populi cum Epiſcopo, ut hæc dedicetur domus ad ruinam meæ domûs? Craſtinus (inquit cuſtos ille) dies ad hoc ſe futurum ſollicitando nos promittit, curáſque omnes noſtras in ſeſe adſumendo verſat,

CXI. Eccleſia ab eo conſtructa cælitùs ſubvertitur.

[a] Nempe anno circà DC. LXXII. & quidem V. Kalend. Novemb. quo die Uſuardus & Ado ſic ejus memoriam celebrant: *Civitate Meldis S.* FARONIS *Epiſcopi & Conf.* Annus obitûs à nobis adſignatus, tum ex principatu Childerici qui ab anno DC. LX. ad LXXIII. excurrit, tum à tempore adventûs Theodori Cantuarienſis Epiſcopi & Hadriani Abbatis Itali in Galliam anno (ut Beda in lib 4. cap. 1 ſcribit) DC. LXVIII. qui Hadrianus à B. Farone Meldis exceptus ibidem legitur. Hinc colligas B. Faroni annos Pontificatûs non LXVI ſed (uti Carolus *le Cointe* reſtituit) XLVI. eſſe tribuendos. Siquidem Gundoaldus Faronis deceſſor, Concilio Remenſi ſubſcripſit anno DC. XXV. à quo anno ad ann. DC. LXXIII. quo Childericus exſtinctus eſt, anni tantùm duodequinquaginta intercedunt. S. Faro Hildevertum non Vvaldebertum habuit ſucceſſorem, uti in hujus Vvaldeberti Elogio ad ann. 665. probavimus.

[b] Sic MS. codex, cùm Auctores poſteriores ſcribant *Hildevertum*, qui vir Sanctus ſequens factum invidiâ & impulſu Clericorum patrâſſe in propriis Actis dicitur.

tantùm hæc nox ſit decurſa. Ad hæc B. Faro: Accipe nunc mea verba credulus, ut citò te eli- CIRC. AN. DC. LXXII. mines extra hanc ædem meæ contrariam, ne tardè te pœniteat adſumere quod moneo. His dictis cuſtodi beatus Faro, ilico totum cælum omniáque elementa in ira contra eam domum OCTOB. XXVIII. ſunt incitata, intonuerúntque quatuor climata orbis ejus ad ſubverſionem cum colliſionibus ventorum cúmque tonitruis fulminum, cælúmque omne remugit, terráque commota dehiſcit. Structura verò illa uſque ad ſolum diruta evertendo ſubruit, materiaminâque lignorum volatu concito aër adſumit per vim ventorum. Sic quoque ultione Divina eſt concuſſa, & ad magnifi- CXII. candam domum iſtam ſanctiſſimi Faronis perpetua dejectione funditus eſt evulſa. Et quod dictu eſt mirabile, ſic hæc ſæviſſima ruina juſto moderamine Dei eſt peracta, ut dum proximè hæc & illa Baſilica conjunctione alterna ſe proſpexiſſent, una à ſævientibus elementis cæli graviter proſternendo feriretur, altera quæ ornamento ſepulturæ B. Faronis decentiſſimo fulget clementer illæſa conſervaretur. Actúmque eſt illud ad ſimilitudinem magni miraculi quod accidit in Ægypto, quando tenebræ ſolos Ægyptios noverant, & filios Iſraël luci reliquerant, omnéſque plagæ hos & illos in ſævitione diſcreverant.

Dehinc ratio perſpicua judicavit ea quæ mirabiliter divinitus ob honorem tanti Confeſſo- CXIII. Cæco lumen reſtituitur. ris geſta ſunt Chriſti gratia, hac in Eccleſia litteris commemoratoriis mandare, ſæculíſque labentibus tradere. Ex quibus plurimis hoc miraculum teneat tali modo principatum. Nam dum nativitas quæ eſt communis humano generi, diverſos diversè in hoc ſæculo per corpora fundat hanc ad lucem, accidit quemdam fuſum eſſe ab utero ſine luminibus oculorum, atque eum uſque ad adoleſcentiam ætatis ſic perduxiſſe. In qua dum tempus orbatum volveret, tandem clementia Divina fabricam ſui juris in illo reſpiciens, monere voluit cum viſu nocturno à finibus Rotomenſium hanc urbem longè remotam advenire, luménque oculorum in domo B. Faronis ſibi quærere, quoniam non alicujus Sancti meritis niſi illius à Deo diſpoſitum eſſet ſibi viſum promereri. Qui fidei credulus hunc locum palpantibus plantis pedum aggrediens, retulit cuſtodi hujus Eccleſiæ ordinem viſionis præmiſſum. Et dum per aliquantos dies ſupernam viſitationem ſuſpenſis deſideriis exſpectaret, omnibúſque horis dierum noctiúmque hac in Baſilica cum Monachis pſallentibus ſe jungeret conſiſtendo ante ſepulcrum magni Confeſſoris; nocte quadam cùm jam nova aurora claro ſuo crepuſculo dilucidaret ac concinentes Monachi reſonarent Eccleſiam quodam verſu *Deus miſereatur noſtri & benedicat nobis, &c.* ejus palpebræ quæ clauſæ originaliter fuerant, illuminatæ ſtillantes guttulas ſanguinis cum clamore, dant acceſſum claræ luci in concavos orbes: ſícque pupillæ oculorum lumen inſolitum adtractum infundendo ſe per feneſtras orbium, vident nova omnia, & mirantur ſe & Factorem omnium in cuncta mundi fabrica, novus qui cunctis, & cuncta per illum, mirantibúſque nonnullis qui aderant & adhuc aliqui ex ipſis vitales auras paſcendo mirantur.

Pulſat & aliud miraculum ſermonem noſtrum, ut eum in auribus bibulis intendentium CXIV. Contractus erigitur. mittamus, quibus currat ad mentem memoriam longam facientem. Dum quædam dies infelicem quemdam virum hujus Baſilicæ gremiis officio membrorum deſtitutum obtuliſſet, & reptantem manibus & calamellis * tibiarum contractum vix oſtium Eccleſiæ eum intus re- * *f.* columcepiſſet; ſubitò inſperata ſalus per ejus oſſa dura pérque venas patulas pérque fila nervorum cœpit diſcurrere, totámque maſſam corporis cum gravitate horridi clamoris extendendo curvam rectam facere, & ad intreprehenſibilem novámque formam reparando per omnia exornare. Enimverò hoc manifeſtiſſimè verum eſſe plurimorum viſus adhuc recordatione mentis imaginando teſtatur, ac ad referendas debitas laudes B. Faronis excitatur.

Nec minùs etiam noſtro conſulit animo res illa ad referendum mirabilis, quæ per multo- CXV. Matris perculſor cælitùs punitus curatur. rum ſtupentium ora adhuc volitando diſcurrit. Quidam tranſgrediens prævaricando quartum legis mandatum quod eſt, *Honora patrem & matrem*, irâ ſtimulatus infelici, dum redargueretur à matre, ipſos maternos artus quos illa in ejus partu cum dolore gravi exinanivit, immitis ac exſecrabilis crudelibus pugnis turpiter eam percutiendo fædavit. In quo ultio Divina pœnam acerbam immiſit, converſáque ſunt ipſius brachia quæ vulnera exſtiterant matris, in ipſum, ſine intermiſſione pugnis manuum impatientibus quaſſabat pectus, bumboſum cum confuſione videntûm reddens ſonum. Quod factum viſus atque auditus omnium uſque ad lacrymas flebiles movebat. Qui loco B. Sebaſtiani à cura propinquorum deputatus, veniénſque illic quæſitum oracula feſſis animis, accepit in extaſi mentis reſponſum, nequaquam à pœnis miſerabilibus abſolvi niſi meritis Confeſſoris magni Faronis ac ejus Templo cum fide devotionis. Qui huc viſitatione hac Divina adductus, Clauſtra hujus Templi dum ejus terribilibus quaſſationibus lacerati pectoris bumboſè reſonarent, improviſè per membra dulci laxatus ſopore, diúque jacendo metiens terram corpore, non multùm ſuper ſpatium unius horæ cum evigilatione cognovit ſe abſolutum pœnâ ab eo longè diſcedente. Tempus quoque mundiale vitales auras adhuc ſervando miniſtrat aliquantis ex his qui hoc viſu notaverunt miraculum.

CIRC. AN. DC.LXXII. OCTOB. XXVIII.

Ad iſta enimverò delectabilis auditus ſibi poſcit narrationem aliquam his præcedentibus ſignis amplificando adnecti. Accedit cuidam ab invaſione antiqui hoſtis dæmoniacum appellari & eſſe, qui fraternâ curâ cum ligaminibus fortiſſimis vix à ſæviſſima laceratione hominum detinebatur, quem eventus proſper ad hoc Templum curandi cauſa miſit. Cúmque adjurationibus ſacrarum Scripturarum domicilium corporis miſerrimi hominis linquere luctaretur dæmon, ad amplificandas laudes egregij Faronis tandem poſſeſſus ille ab immundo ſpiritu purgationem ventris expetiit in atrio forenſi ſanctæ Eccleſiæ. Qui per fæda veſtigia à fædiſſimo poſſeſſore ſeſe purgans, totúmque hoc intolerabili fætore Monaſterium replevit, oſtendens à quo ſordidiſſimo hoſte in interioribus præcordiis afficiebatur. Et hoc quippe non multo tempore à viſione plurimorum, quorum ſpiritus adhuc vivificando regit artus, diſtat.

CXVI. Dæmoniacus liberatur.

CXVII.

Vidit etiam & noſtrum tempus ſalutifera liberatione à ſimili detentione dæmonum plurimos curatos non minùs mirabiliter, quorum ordinem calamitatis non judicabat ſtilus piger aſciſci narratione prolixa. Denique hactenus iſta quibus hic locus pro honore tanti Patroni mirè claret proſecuti ſumus. Nunc ea quæ regiones nobis ignotæ ex eo mira nuntiaverunt expediamus.

CXVIII. Lupus Ferrarienſis Abbas à dolore acerrimo liberatur.

Publicatam ſiquidem ex certa perſona rem admodum mirabilem hac inſertione notavimus, ut poſteris quoque futuris ſit monimentum. Nam non de incerta alicujus fama hoc dictum ab imo emanabit mentis, ſed de illius ore* accepimus, cui oſtenſum eſt mirabiliter qui dicitur de nomine Lupus [a], ornatus luce ſapientiæ, Paſtor modò pro religione ſanctitatis in Monaſterio famoſiſſimo Ferrarienſi, ubi cœtus Monachorum in Chriſto cum illo toto orbe eſt venerandus. Hic verò cum in viridi ætate, videlicet juvenili, ſtudio ſophiæ floreret, & ob hoc ab Abbate ſuo qui vocabatur ODO, cujus amor ſpiritualis reverendiſſimum cunctis præſtabat, dulciſſimè tractaretur, quoniam altera ſpes illius loci ex beneplacitis initiamentis jam præmeditabatur; accidit aliquando Abbati præfato itinere eum ſibi ſociari, quo palatium quod vulgò dicitur *Franghenevvrt* attingeret. Qui cùm jam longitudinem viæ diſpoſitæ ſuperâſſet ex parte, párſque reſidua ad ſuperandum ſollicitâſſet, fortè juveni prædicto Lupo ipſum iter jam propè mediatum acerrimum dedit dolorem corporis in inguine, intantum ut etiam via abſumpta uno in loco ſacrato qui dicitur de nomine S. Trudonis [b], eum defectum debilitate gravi collocaret, & ibi per omnia membra cruciatus moleſtior acriter ei inferendo deponeret. Jam verò languor validiſſimus eum ex ſupremis tantum ſollicitabat, & ecce ſalutifer viſitator clementiſſimus Faro cubiculo adeſt, ubi ſopor inanis ejus membra preſſa fatigabat. Ex quo loco umbris noctis fugatis amicus Chriſti Faro niveâ ſui famosâ corporis ac lacteâ canicie vultus apparuit, & cum eo puer præſtanti forma bajulus ampullæ olei greſſus illius cereo accenſo quaſi regens, ſícque blandis luminibus in eum juvenem intentus his lenibus ex media parte lectuli adſtitit verbis: Agnoſcíſne me? inquit: ſi neſcis, Epiſcopum atque Patronum urbs Meldica me habet, & nomen meum quod eſt BURGUNDOFARO, ipſius incolæ dum ſæcula labentia current, per generationum ſucceſſiones ſuarum decurrere facient. Me etenim Auctor medicinæ tibi miſit, fidus eſto advenire ſanitatem hac mea unctione olei. Ad hæc autem ubi in eum deduxit juvenis præfatus oculos intuitúmque defixit, leniter admovit Dei Antiſtes vulneri manum liquore olei madefactam, & membra dolentia tactu molliſſimo cuncta percurrens, donec ampulla manualis pueri defecit adminiſtratione olei. Curre, inquit inclytus ad puerum, ad Meldenſe meum Monaſterium, hoc enim liquore abundanter affluit, & ex eo hoc vaſculum refice. Hæc dixit B. Faro ad cognoſcendam medicantis faciem reíque veritatem. Evigilans juvenis à vano ſopore, hauſit cælum triſtitiæ moleſtiis diſſolutis: & quod dictu eſt mirabile, convocatis qui aderant comprehendit vera eſſe hæc, non vana ſomnia, dum clara luce pertractant oculis membra ejus ſudare madentis pinguedine olei. Quid clarius in miraculis Sanctorum & uſitatius, quàm manifeſtis indiciis inter humanum genus corporaliter operari? Patet namque quantum per gratiam Divinam valet in inviſibilibus rebus excellentioribus, qui ſic in inviſibilibus minoribus potens mundo claret.

* NOTA.

a

b

CXIX. Rotgarij ſive Otgerij vera hiſtoria converſionis.

Accedat & aliud miraculum non minùs audientibus delectandum. Italia quippe regio cùm plurimos Comites ex primoribus Magnatorum juxta regalem potentiam Regis CHLOTHARII [c] filij LUDOVICI Imperatoris cognomento PII olim poſſediſſet, ſpecialiùs unum novimus ex his ad amorem Dei hereditaſſe ad dilectionem timorémque juſtitiæ ſanctitatem in omnibus quæſiiſſe. Hìc enimverò à bonis operibus paſſim divulgatus claruit de nomine ROTGA-

c

a Hic ille eſt Lupus Abbas Ferrarienſis, Hrabani diſcipulus doctrinâ rebúſque geſtis clariſſimus, qui temporibus Caroli Magni ejuſque filiorum floruit.

b Abbatia S. Trudonis, vulgò *S. Tron*, diœc. Leodienſis in Hasbania. Lege S. Trudonis Vitam.

c Lotharium Imperatorem intelligit, à quo Lotharingia dicta.

rius [a]. Ut enim gratia Divina occultum mundo non redderet, magnificavit eum in quodam bello quod Chlotharius ſuperiùs memoratus exacuit contra Bulgrorum gentem. Ipſius præfati Rotgarij denique relatione frequenti ac probatione operis certum mente tenemus, ſicut hoc ordine inferemus. Pugnæ ſiquidem conflictus ex utriſque partibus Francorum ac Bulgrorum provocatus, inter mixtos cuneos adverſariorum prefatum Rotgarium fors improviſa attulit, ac de equo fidenti circumſeptione reſiſtentium corruere compulit. Cúmque telis aculeatis loricam reluctantem ad ejus mortem conarentur penetrare, illi ad memoriam invocationis in hoc agone poſito acceſſit ſolum clariſſimi Faronis nomen ex innumerabilibus Sanctorum nominibus. At ipsâ momentaneâ horâ voto firmiſſimo Deo ſe obligans ut ſi adeſſet liberator tantus præſtantiſſimus Confeſſor, hoc in loco ad ſerviendum ei ſpreto malefido ſæculo accederet devotiſſimus debitor; ilico huic voto adfuit Divinum auxilium, qui invocatione tanti Confeſſoris mirabiliter liberatus evaſit ab ipſis faucibus crudeliſſimæ mortis inlæſus. Qui poſtmodùm hanc devotionem obligationis libentiſſimè exſecutus, quàm laudabiliter pondus iſtius abnegaverit ſæculi adhærendo hoc in loco Religioni Monaſticali, quàm aſſiduus in orationibus publicis atque furtivis, parcus in cibis, continuus in vigiliis, cotidie etiam intentus in renovandis Confeſſionum pœnitentiis exſtiterit, non ſimilem nobis tempora admirantur noſtra, nec ad exemplum vix ſimilem aut rariſſimè largiuntur. Talem ac tantum voluit ſibi admirabilis Antiſtes Dei Faro in longinquis regionibus procurare, qui ad ejus loci excubias curâſſet vitam Angelicam ad illuminationem multorum ducere.

CIRC. AN. DC.LXXII. OCTOB. XXVIII. a

NOTA.

CXX. Mulier ſanatur.

Offert ſe res mirabilis cujuſdam feminæ, & ſe cupit his præmiſſis miraculis ſociare. Famoſiſſimum namque Monaſterium puellarum quod vulgò dicitur JOTRUM*, miſit nobis ſuam per quamdam pauperculam forenſem relationem miraculi hoc modo expliciti. Cùm enim locus ille Angelicus inter peregrinorum curam ex familiis alendo quamdam feminam officiis membrorum totam curvam ab annis quamplurimis ſuſtentaret, monita divinitùs ſopore felici benedictionem alicujus munuſculi à grege ſancto B. Faronis mitti, ſícque ſibi optatam ſtabilitatem ſoſpitatis aſſequi. Quo facto fidei & devotionis adipiſcitur accelerante ſanitate donum promiſſionis, prævalentibus meritis magni Antiſtitis Faronis.

* *Iouarre*

CXXI. Monachus quidam ab undis ſervatur.

Recipiant & iſta inter ſe illud quod accidit miraculum cuidam Monacho de hujus loci grege noto. Iuxta conſuetudinem autem Monaſteriorum quà procurantur officinæ forenſes ad neceſſaria uſûs ſumendau, ovit priorum relatio. Unde noſtrûm eſt referre unum ex hac Congregatione deputatum, vocabulo ISPANELLUM, ad excolendum quaſdam vineas. Has enim & hanc Monaſterij poſitionem intercurrit fluvius Matrona. Quadam autem hora veſpertina non proſperè, immò infeliciter accidit ei procuratori tranſitum fluvij memorati adſumere, dum carina tentâſſet vitreas aquas ſulcare, ab hac caſu delapſus in mollibus undis eſt receptus; ſed jam ripam adlapſus, uncis manibus ad papyrum litoreum ſuſpenſus ad vacillandum undis criſpantibus eſt datus. Sícque ſtelligeræ nocti illi ad cuſtodiendum in vinculis aquaticis eſt deſtinatus, quouſque ſignum excitatur ſomnolentum galli cantus. Hujus quoque Baſilicæ ſonus ſigni cùm gallo plaudenti reſpondiſſet, ille orſus eſt orare hoc modo à loco quo pendebat: O piiſſime cuſtos atque dulciſſime protector ſervorum tuorum Faro, de quo fama eſt celeberrima priorum quam fidi credimus numquam in tuis meritis confidentem poſſe ab aliquo periculo detineri; nunc vel ſi non mihi merito, ſaltem vel quia de numero tua merita confitentium præ anguſtia computari videor, adeſto lacrymanti ſervulo, ſpémque vitæ nullam præſumenti tuam ad confirmandam antiquiſſimam laudem, opem mihi conferto. His verbis mente lacrymatus ab imis aquarum undis ſenſit ſe molliter amplecti, manúſque uncas à papyro fidenti avelli, ſícque prorſus ad aliam ripam vergentem contra hunc locum tranſponi, híſque cum verbis urgeri: Currens eſto pernicibus pedum plantis, ut jungere te poſſis nocturnis horis cum tuis, & reviſere domum domini tui Faronis, cujus magnis confiſus es de ſubmerſione liberari meritis. Et ſtatim hoc dictum adimplet gaudendo, auribúſque multorum retulit publiciter mirandum.

[a] Hic eſt ROTGARIUS, quem poſteri OTGERIUM, moderni OGERIUM DANUM appellârunt, cujus converſionem longè aliter commemorant. Ferunt ſiquidem hominem inter Caroli Magni bellatores facilè principem, rerum mundanarum pertæſum, de Monaſtica vita apud ſe ſtatuiſſe: ob idque varia luſtrâſſe Cœnobia Monachorum, quorum modeſtiam ac religionem, jacto per chorum baculo ſphærulis ferreis ceu quibuſdam tintinnabulis inſtructo, exploraverit, demúmque Cœnobitas S. Crucis ſeu S. Faronis ceteris prætuliſſe, ac veſtem Monachicam, adducto ſecum BENEDICTO quodam prœliorum ſocio, apud eos induiſſe. Cujus Otgerij ſuaſione Carolus S. Faroni dediſſe fertur *quamdam ex ſuo domenatu Abbatiam in honorem* S. MARIÆ *& S. Petri Apoſtoli dicatam in loco qui* REDA *dicitur*, diſtante ab urbe Meldorum *ſpatio ſtadiorum octoginta; alteram* (ſcilicet Abbatiam) *quam olim in ſuburbio Vercellenſi tenuerat.* Verùm præferenda videtur fides iſtius Auctoris contemporanei, qui *ipſius* ROTGARII *relatione frequenti ac probatione operis* ſe id quod ſcribit didiciſſe affirmat. Certè quod de mimico illo baculo circumfertur (etſi in membranis ſat vetuſtis itaut mox recitatum eſt occurrit) pro vera tamen hiſtoria venditare non eſt animus. Et tamen nonnihil ſimile Conradus Rex in Cœnobio S. Galli feciſſe apud Ekkehardum juniorem in lib. de Caſib. S Galli cap. 1. dicitur, dum *in proceſſione infantum, pomis in medio Eccleſiæ pavimento ſterni juſſis, cùm nec unum parviſſimorum moveri nec ad ea attendere vidiſſet, miratus eſt diſciplinam.*

CIRC. AN. DC LXXII. OCTOB. XXVIII.

Hactenus læta à corde ſpiranti cucurrerunt miracula, ſed hoc noviſſimum cum fine dabit cum dolore maxima ſuſpiria. Expediam enimverò ſummatim, quantum nunc tempora noſtra ſunt mæſtifica, Paganorúmque deſolatione terra dulcis cultoribus ſuis mæſtifica. Regna quoque quæ olim glorioſa, nunc ingloria; Principúmque virtus ac potentia quàm infirma. Hæc verò quæ dicimus teſtantur adhuc recenti cæde tepentia flumina, quæ purulentis cadaveribus innumerabilium Chriſtianorum inundant tumentia maria, & illud maximè flumen, cujus nomen ſonat Sequana: albent enim hujus inſulæ multæ oſſibus captivorum innumerabilium. Poſtquam autem tranſitus bonæ memoriæ HLUDOVICI Imperatoris decimum duxit annum [a], Caroli filij ejus regni pars veſtigia prioris gloriæ & pacis mutavit in diſcordiam. Et ob hoc gemere cœperunt flumina illius Regni intrantia maria ſub Nortmannorum maxima carina, quæ à principio conditæ gentis Francorum erant inſcia [b]. Tunc primùm ſulcantes Sequanam, dederunt ſtragem horrendam cælo hincinde habitantibus circa eam: tandémque nullo reſiſtente applicuerunt multitudinem navium ad urbem Pariſij* ipſam. Quantum ibi attraxerit hoc Regnum populum cum Rege Carolo ſuo nequicquam, terra eum vix ſuſtinente, cælumque ſub pelle ſua obumbrante incertum nobis ſcire miramur numerum. Cúmque non tantam audaciam in pectore concepiſſent Franci, ut utraſque partes fluminis bello obſediſſent, conſilium inierunt ad ruinam & ad interitum per omnia labentia ſæcula dato tributo copioſiſſimo terræ. Cum magna gloria reddiderunt eos opulentiſſimos omni abundantia auri & argenti mari, ad confuſionem & ignominiam ſuorum.

CXXII. Normannorum in Galliam prima incurſio.

* *anno* DCCC. L.

a

b

* *ſic Mſſ.*

CXXIII. Secunda incurſio.

* *anno* DCCC. LX.

Poſt hanc ingloriam hujus Regni, & improperium aliorum Regnorum venit decimus annus*, qui iterum crudeliorem atque majorem multitudinem claſſium regente eas gubernaculo Nortmannorum dedit Sequanæ mittente eaſdem mare. Hi verò velut Parcæ Furiæque inſatiabiles ac aviditate crudeli immites, ab egreſſu maris omnem pulchritudinem regionum illarum quas fluvius Sequana hinc & inde velut paradiſum Dei irrigabat, gladio impatienti voraverunt, ac voraci flammæ cuncta tradiderunt, quouſque concluderent in ſævitione civitatem Pariſij. Civitates verò quædam turribus firmæ non potuerunt Epiſcoporum ſuorum ſervare vitam [c].

c

CXXIV. Ludovicus Abbas S. Dionyſij ab illis captus.

Clarior autem atque potentior princeps inſignis de nomine LUDOVICUS, Paſtor Eccleſiæ S. Dionyſij, quæ caput extollit ſuper ceteras Eccleſias terrarum potentiâ dignitatis & principatum omni honore ſapientiæ ac religionis, impotens fuit ab eorum captivatione ſe obſervare. Cujus redemptione ponderibus inæſtimabilibus auri & argenti ablata eſt omnis gloria & ornatus atque decor ab univerſis Eccleſiis Regni, atque ipſa aurea Roma ſe ſpoliatam ſuo decore aliquo modo ſentit.

CXXV. Normanni à Carolo concluduntur.

Intantum enimverò ira Dei concitata exarſit contra populum, ut nulla ratione quinque anni temporum ſcirent poſſe eos ſuperari. Circumſepti ſunt namque à Carolo navigio mirabili, ac numquam in noſtris Regnis ſimili viſo, per revolutionem duodecim ſeptimanarum cum toto regni populo in quadam Inſula Sequanæ, adjuncto etiam altero regno ſibi Carolus, nepotis ſui videlicet LOTHARII. Nec ita etiam defecerunt à potentia ſuarum virium quam cœperant, ſed invalidum duorum Regnorum populum cum ſuis Regibus ab Inſula dira fatigatione dimiſſum captis omnibus navibus quibus obſidebantur, cum deluſione pudentiſſima regni gentis Francorum, & retinet Inſula eos victores.

CXXVI. Tertia incurſio. Priores à poſterioribus victi.

Poſthæc itaque ad hoc nefandiſſimum hujus Regni malum vomuit iterum mare ampliorem Nortmannorum multitudinem, quam valde extimuit prior multitudo Nortmannorum. Priores vero à ſequentibus Nortmannis obſeſſi, nomine Regis Caroli ſunt devicti, ſtatutis tamen donis graviſſimis auri & argenti ex Regno immenſáque adhibita ad hæc pro obſidione prioris multitudinis victus abundantiâ. Sícque tandem aliquando obſeſſione diutiſſima nefandi à nefandioribus viſi ſunt ſuperati aſtutiâ acutiſſimâ. Ita quoque eſt ab illis actum & fide vana illorum acceptum eſt promiſſum, ut diſcedendo utræque partes jam ultra neſcirent finium noſtrorum introitum.

CXXVII. Quarta incurſio.

Quos cùm mare recepturos ſperaret, illi infidelitatis itinere flexo terminos prioris devaſtationis adaucti numero prætercurrunt. Saltum namque Briegium arripiunt, cúmque à ſuis poſſeſſoribus gladio cruenti ignéque calenti ſpoliant, & ad ultimum hanc civitatem Meldis navigio improviſo accelerant; prima autem parte noctis eam occupant & ſorte

CXXVIII. Meldas diripiunt & incendunt.

a Cùm Ludovicus Auguſtus anno DCCC. XL. vivere deſierit, annus ab ejus morte decimus anno Chriſti DCCC. L. reſpondet: qui calculus aliis Scriptoribus qui de Normannorum excurſionibus ſcripsêre non conſentit, quorum alij anno DCCC. XLIII. alij alio anno primum Normannorum in Galliam impetum collocant.

b Et tamen apud Monachum Sangallenſem in l. 2. de Reb. bellicis Caroli Magni c. 22. Nortmanni exploratores tempore Caroli Martelli in Galliam appuliſſe, & principatu Ludovici Pij naves pyraticas tredecim advexiſſe in Vita ipſius Ludovici anno DCCC. XX. feruntur.

c Nempe in civitate Namnetica S. Guihardum die natalis S. Johannis Bapt. ſacris operantem peremerunt cum infinita Clericorum, Monachorum, & promiſcui vulgi multitudine: quod alij anno DCCC. XLIII. alij LIII. referunt. Et *Emmo Noviomagenſis Epiſcopus*, teſte Dudone in lib. 1. de Actis Normann. *cum ſuis Diaconibus* IV. *Kalend. Maij eſt peremptus.*

igni

igni desolatorio accendere destinant; flammæ quoque ejus incommodè lucentes vertunt noctem quasi in diem, ignotásque vias circumquaque penetrant. Domos etiam gementium atque diversas semitas urbis miserrimè sanguine humano maculant, Ecclesiásque olim venerandas omni supurcitia fædant. Pulsat ad hæc clamor confusus cælum, terra atque aër gemitibus prægnantium atque lactantium concutiuntur, aureáque sidera flammis ejus voracibus subtrahuntur. CIRC. AN. DC.LXXII. OCTOB. XXVIII.

CXXIX. A prædatione Monasterij S. Faronis divinitùs arcentur.

Audiens autem hæc inspectè hoc Monasterium illi vicinum civitati, vix Senatores * dimisit à se suos; totum concussum novo pavore. Custodem tamen potentissimum ac suum dominum B. Faronem secum retinens, tandem tamen advenientes ferocissimos recepit vastatores, qui cum equis advolando in hac sancta domo aggredi superbè tentâssent, equites * fixi uno loco nutu Divino hærebant, nullis prorsus acribus verberibus movendo sessores suos obaudiebant. At verò cernentes mausoleum tanti Confessoris, incontaminatam hanc Ædem sanctam atque habitationem hujus interiorem pro timore ejus magnificentiæ observaverunt.

* *id est* equi
* Seniores.

CXXX. Ecclesia ejusdem ab igne servatur.

Denique quadam die irâ inordinatâ Christianis irritati, habitacula circa hunc locum posita quæ forensibus studiis patebant, ignis pabulo tradunt, qui cùm sua voratrici flamma irretractabiliter omnem forensem pulchritudinem hujus loci sparsisset levibus favillis in aëre nullis moderatus habenis, sævit tandem in ipsis liminibus ostij quod erat ante porticum atrij hujus sanctæ Ecclesiæ, porticum inquam, omnium viantûm, ibique vigorem virtutis suæ ignis mirabiliter cœpit deponere. Replet quoque totam porticum vi caloris sui, omnia materiamina lignorum ejus flamma amicabili suavitate lambendo innocua percurrit, summáque culmina Ecclesiæ quatuor ejus partes igneis ictibus pulsans, non solùm inlæsam non servat, sed nec etiam aliquod vestigium fuliginis eam, neque eos qui in circuitu ipsius continentur maculat. Qui victor namque omnia in cinerem resolvendo illuc usque venerat, meritis tanti Confessoris victum ab ipsis materiaminibus lignorum quæ paullulùm antè vicerat, se sentit. Dat quoq; ignis honorem loco tanti Patroni adsignato, discrevitque eum ab aliis locis ejus merito. Recognovit enim se non ampliùs valere nisi juxta permissum Divini moderaminis, & didicit taliter venerari Sanctos Dei, & intellexit se non posse in omnibus secundùm se, sed ab alio qui est simplex à se, & omnia ab illo & non à se, cujus ipsum esse ejus est esse. O quàm glorioſus es Domine in Sanctis tuis, qui meritis Confessoris Faronis hunc locum ab incendio tibi servasti. Ideo laudes in excelsis tibi damus, precantes cum Patrono nostro magnificentissimo Farone, ut nos & Templum istum * conserves in æternum, qui & moderaris omnia ab æterno, cujus Imperium æternum, potestas & majestas æterna manens per infinita sæculorum sæcula. CXXXI.

* istud

MONITUM.

IN apographo Faroniano miraculis superiùs ab Hildegario recensitis subjicitur aliud à S. Farone præstitum, dum S. Remigij Basilicam extramuranam, orationis gratiâ pro more adiens, populi multitudinem Matronâ fluvio demersam undis immisso baculo eripuit. In eodem codice hæc de S. Faronis Translatione leguntur: Anno ab Inc. Domini millesimo centesimo quadragesimo, regnante LUDOVICO juniore Francorum Rege, Divinâ (ut postea rei docuit exitus) inspirante clementia, venit in mentem Domno Abbati Andreæ, qui tunc temporis B. Confessoris Christi Faronis regebat Cœnobium, ut ejusdem sacratissimi Præsulis revisteret membra. Peracto itaque Quadragesimali jejunio, in ipso sacro sancti Paschæ sabbato, eâ scilicet horâ quâ ad condiendum corpus Dominicum Maria Magdalene unguenta præparavit, jamdictus Abbas non tantùm Monacho comite contentus, ad loculum quo sacra quiescebant membra, pius violator accessit: patefactóque à capite locello, invenit corpus pretiosum sindone mundissima involutum, in quo illud insigne apparuit, eamdem sindonem ita incorruptam fuisse repertam, acsi eadem die facta fuisset, cùm per trecentos & eo amplius annos (*lege sexcentos fere annos*) inibi sacri Antistitis ossa jacuissent. Cúmque Domnus Abbas à Fratribus rogaretur, ut thesaurum sibi à Domino revelatum etiam populo manifestaret; ex consensu Meldensis Præsulis diem quo id ageret constituit. Die itaque statuta non solùm Meldenses, verumetiam plurimi convenêre forenses, &c. *Varia deinde recitantur miracula, in his pœna cujusdam rustici* apud Fontanas præclarum Ancillarum Dei Monasterium *manentis, qui cùm vulgatis S. Faronis miraculis detraxisset, à Sancto percussus, ad ejus tumulum postea curari meruit. In istius Translationis memoriam agitatur annua celebritas ac supplicatio Dominicâ primâ post octavam Paschæ, in qua præsentibus Cathedralis Ecclesiæ Canonicis caput S. Faronis defertur ad locum, quem* Crucem S. Faronis *vocant. Reliquiæ ejus præcipuæ in Faroniana Ecclesia adservantur, anno* M.D. LXII. *subductæ furori sævientium Calvinistarum, qui Monasterio* IX. *Kal. Julij direpto thecam ac supellectilem sacram argento spoliaverunt.*

CIRC. AN. DC. LXXIII. JANUAR. I.

VITA S. FRODOBERTI ABBATIS PRIMI CELLENSIS PROPE TRECAS,

Auctore Monacho Cellenſi, aut forſitan ADSONE Abbate Dervenſi.

Ex Camuzati Promptuario & Bollando.

OBSERVATIONES PRÆVIÆ.

Vitæ Scriptores. * *S. Fraubert* * *infrà n.* 21.

1. VITAM S. FRODOBERTI * *Abbatis ac conditoris Monaſterij S. Petri in Inſula Germanica prope Trecas Campaniæ civitatem*, licèt juſto breviùs ſcriptis aligavit LUPELLUS * *ejus diſcipulus: cujus lucubrationem utique deperditam auxit exornavitque alter Monachus Cellenſis anonymus, etſi longè poſterior ætate, non tamen auctoritate aut eruditione deſtitutus. Hunc Monachum Cellenſem fuiſſe, conjicimus ex Vitæ ſubjectâ num. 11. nec longè poſt Tranſlationem tempore Caroli Calvi factam vixiſſe, colligimus ex num. 23. ubi de Frodoberti ſtatura loquens ait:* Ut illi quoque perhibent, qui ejus ſacratiſſimi corporis oſſa ſe adſpexiſſe fatentur. *Niſi fortean is eſt* ADSO *Abbas Dervenſis, qui* ODONIS Abbatis Cellenſis precibus, Vitam Confeſſoris Chriſti FRODOBERTI primi ipſius Monaſterij (Cellenſis ſeu Inſulæ Germanicæ) inſtauratoris & Abbatis ſermone veraciſſimo & ſimplici ſtilo exaraviſſe, *ſæculo ſcilicet decimo, legitur in libro 2. de Geſtis S. Bercharij Abbatis. Quidquid ſit, ſolam hanc nanciſci potuimus lucubrationem, cui in codice MS. Monaſterij Vallis-lucentis præponitur carmen quoddam haud ſpernendi Auctoris, qui ſæculo* VIII. *vivebat: ſubjicitur verò Tranſlatio S. Frodoberti heroïco metro ſcripta, cum duobus ſermonibus in feſto S. Frodoberti habitis: quæ omnia beneficio R. P. Claudij Mailletij Exprioris, ex ipſo Monaſterio accepimus. Solum damus Carmen prævium, ne eadem cum nauſea recantare videamur.*

Monaſterij nomina & ſtatus.

2. *Monaſterium Inſulæ Germanicæ in ſuburbio Tricaſſino, ad Occidentalem ejuſdem urbis plagam, in loco paluſtri* Inſula Germanica *dicto circa annum Chriſti* DC. L. *ædificatum; poſt ſæculum octavum à tumulo S. Bobini Epiſcopi Tricaſſini, Monachi antea amplificatoriſque ſui,* Cella Bobini, *ac ſæpe* Cella, *recentioribus* Monaſterium S. Petri de Cella, *vulgò* Monſtier-la-Celle *appellatum eſt. Quo ex Monaſterio prater* ALDOBERTUM *&* S. BOBINUM *Epiſcopos,* S. ROBERTUM *Abbatem poſtea Moliſmenſem aliòſque, prodiit* PETRUS, *Cellenſis dictus, Abbas ejuſdem Cœnobij, deinde S. Remigij apud Remos, demum Epiſcopus Carnotenſis, ſcriptis & doctrinâ illuſtris. Nunc Cella ſub RR. Patribus Congregationis Benedictinæ S. Vitoni refloreſcit.*

CARMEN *ex cod. Vallislucentis.*

De ſancto Frodoberto Trecenſi Abbate.

QUI cupis in paucis perpendere grandia verbis,
En potis es parvo cernere magna libro.
Si placet antiquos ſtudio percurrere faſtus,
His placeat rebus hoc novitatis opus.
Fortia magnorum celebrantur geſta virorum:
Nos celebramus opes hîc, FRODOBERTE, tuas.
Qui puer à primo doctrinæ deditus ævo,
Imbueras teneros rore madente animos.
Luxovij Monachus. Indéque Luxovij vitæ ſubjectus honeſtæ,
Relligionis opem ſumis amando fidem.
Cellam conſtruit. Mox Trecaſſinam repetens cæleſtibus urbem
Muneribus plenus & bonitate probus:
Lucida Divinæ diffundens dogmata normæ,
Ut proſis multis utilitate viris.
Cella dehinc placuit, ſtrictis habitatio ſeptis;
In qua concluſo fida fuit ſtatio.
O quàm multiplices dedit hæc clauſura labores,

Solus in aſtrifero dum tenet ora polo:
Sed mage mens artata ſuos habitura triumphos,
Quò ſtrictè vixit, latior inde fuit.
Tunc artus paries tenuit parviſſimus antri:
Nunc retinet magni ſpiritus ampla poli.
Cujus opus, BOBINE ſacer, te præſide crevit,
Antiſtes meritis magnificande tuis:
Per tua nunc Frodobertus ovans conſulta beatus,
Continet Eccleſiæ culmina celſa ſuæ.
Hoc opus egregium quod cernimus[a] undique ſaxis
Collatis fundas, altáque tecta levas.
In quibus æterna ſtabilis ſub laude cohortes,
Stat Monachile decus, quod regit Altithronus.
Stant & millenæ numeroſa præmia palmæ,
Quas hæc aula ſuis conferet emeritis.
Hîc redeunt triſti venientia lumina fronti;
Morborúmque greges hîc cecidêre graves.
Claudus init greſſum nodis compage ſalutis:
Hícque dedit faciles terra negata vias.
Dæmonis & ſolitas furor hîc collapſus in auras
Deſinit in mentem membra redire ſuam.
Quos anguſta premunt ſurgentûm damna malorum,
Hîc refluunt cauſæ corporis atque animæ.
Si quemquam ſcelerum depreſſit culpa nocentûm,
Si petit hîc veniam, hinc retulit ſalubrem.
Innumerabilium retinet liber iſte bonorum
Præmia, virtutes, miráque geſta, dapes.
Quos ſi quis recitare velit, millena ſuperſunt,
Pagina quæ ſiluit, nec liber iſte canit.
Nam pia facta ſacris ſi quis comprehendere libris
Vellet, inexhauſtus vinceret hora dies.
Pauca fidem faciant brevibus qui incredulus iſtis,
Et dubitator erit, nec potiora capit.
Jam tibi perpetuæ maneant in ſæcula laudes,
O Frodoberte, tuo & miſerere gregi.
Te retinet regnum per gaudia longa ſupernum:
Tandem fac tecum nos retinere polum.

CIRC. AN. DC. LXXIII. JANUAR. 1.

Bobinus Baſilicam amplificat.

Ibi miracula crebra.

[a] Hinc apparet Poëtam iſtum, qui Monachus Cellenſis fuiſſe videtur, vixiſſe paullò poſt S. Bobinum, & quidem ante ſæculum IX. ſiquidem ex ſequenti Vita num. 26. Baſilica à S. Bobino exornata & amplificata, circa medium ſæculum IX. *antiquitate operis collapſa ſuccubuit* Colitur S. Bobinus in Martyrologiis Bened. & Gallicano IX. Kalend. Maij qui dies Tranſlationis ejus eſt, nam dies ejus natalis ignoratur. De eo infrà num. 13.

INCIPIT VITA.

1. EXIT vir vitæ valde venerabilis, egregiæ ac pretioſæ memoriæ FRODOBERTUS, quem ſingulari fide & probitate ſanctiſſimum, cive feliciſſimo divinitus cumulata Trecaſſenſis opidi tellus effudit, parentibus quidem mediocribus ortum, ſed incomparabili mentis nitore clariſſimum. Quippe qui inter ipſa jam teneræ ætatis primordia vas electionis manifeſtiſſimè deſignatus, in infantis pectore ſpiritualem ac perfectiſſimum agebat virum, annorum exiguitatem ſanctitatis & gratiæ dote compenſans. Diligentiùs ſanè temporis ſerie revolutâ', ſub Rege

Frodobertus Tricaſſinas quo tempore floruerit.

CIRC. AN. DC. LXXIII. JANUAR. 1. Francorum CHLODOVEO DAGOBERTI filio, itémque CHLOTHARIO juniore ejuſdem Chlodovei filio, hic ipſe Sacerdos pretioſus & Abbas eximius deprehenditur floruiſſe; cùm apud præfatam urbem Trecaſſinam RAGNEGISILUS Pontifex vicem Apoſtolicam miniſtraret. Fuit autem idem Ragnegiſilus natione Aquitanus, ſeptimus-decimus jamdictæ civitatis Epiſcopus: de quo fertur inter cetera, quòd Baſilicam B. Savinæ Virginis in fundo ſui juris conſtruxerit, Eccleſiam cui præſidebat heredem inſtituens, in quáque honorificè ſepultus jacet[a]. Vixit autem B. Frodobertus ſub quinque ſuæ civitatis Epiſcopis [a], uſque ad ABBONEM, qui viceſimus primus ejuſdem urbis Pontifex exſtitiſſe cognoſcitur.

Studiis traditur. 2. Verùm ut ad rerum ordinem recurramus, confeſtim ut ætas pertulit, prædicti Pontificis Ragnegiſili ſcholis parentum ſtudio mancipatur. Ibi ſanctis ſtudiis enutritus, quid fidei, quid probitatis jam in ſemetipſo prætulerit, explicari non poteſt. Denique amore cæleſtis patriæ impensè flagrans, quidquid in Divinis lectionibus intellectu capere poterat, mox ad effectum ſancti operis inſtantiſſimè transferebat. Itaque indefeſſo ſtudio puriſſima Scripturarum fluenta frequentans, interioris hominis faciem, quaſi adhibito quodam ſplendidiſſimo ſpeculo componebat: ſcelúſque reputabat permaximum, ſi vel parum quiddam legeret, quod non eveſtigio efficaciter adimpleret; illud ſecum & frequentiùs & familiariùs replicans, non auditores tantùm legis apud Deum, ſed factores potiùs juſtificari. Tum verò cerneres eum priorum ſibi Patrum exempla certatim æmulanda proponentem, víxque diſcernere ſufficeres in quo virtutum genere perfectiùs emicaret. Atque ut ſe totum Deo rationabilem victimam, & ſpirituale mactaret holocauſtum, ad uſum ſe continuæ orationis applicuit, quietíſque impatiens, Apoſtolicum præceptum, quod ſine intermiſſione orandum docet, à ſeipſo importuniùs exigebat. Jejunij verò obſervantiam non tam frequens quàm continuus exercebat, doctus auctoritate Dominicâ, hoc duplici pugnandi genere nefandiſſimum illud dæmoniorum genus poſſe depelli. Hujuſmodi armaturam jam tum in Divinæ militiæ ſcholis novus Chriſti miles adſumpſerat, & cæleſte nuper profeſſus tirocinium, ſeſe ad debellandas ſpirituales nequitias circumſpectiùs præparabat.

Implet opere quod diſcit.

1. *Theſſal. 5. 17.*

Dæmonem ſigno Crucis fugat. 3. Interea his tam ſanctis támque optimis ſtudiis non defuêre livida hoſtis callidi tentamenta. Futuræ enim in eo ſanctitatis excellentiam, humanæ ſalutis adverſarius jam in annis puerilibus invidebat. Unde ſicut ipſo poſtmodùm referente compertum eſt, dum pro diſcendo Pſalterio ſcholam expeteret, crebrò ſe diabolus ejus adſpectibus ingerebat, pavidos per naturam animos ingenti minarum & formidinis arte concutiens. Verùm puer Divini ingenij, dæmonicæ fraudis & verſutiæ non ignarus, ſalutaris ſigni clypeo non minùs frontem quàm pectus armabat, Deúmque ſibi adjutorem invocans, argumenta inimici callidà viriliter proterebat.

Matri viſum reſtituit. 4. Jámque tempus aderat, ut lucerna quæ ſub modij latibulis eatenus fuerat occultata, ſidereæ claritatis in populo jubar infunderet. Namque ut cujus eſſet apud Deum meriti longè latéque clareſceret, ſibi placitam puerilis innocentiæ puritatem, ſuperna diſpoſitio dignata eſt miraculo declarare. Contigit itaque matrem ejus oculorum ſuffragio deſtitutam luminis diſpendium incurriſſe: cúmque longam in cæcitatem noctem trahens, vitam mærore conſumeret; die quadam filium inter amplexus demulcens obſecrat, ut manu ſua Crucis ſignum ſuper oculos ejus exprimeret. Quòd cùm ille abnueret, mater verò importuniùs perurgeret, tandem maternâ permotus inſtantiâ, invocato Domino, ſalutiferum ſignum ſuper oculos genitricis expreſſit. Ilico cedentibus tenebris, lux amica revertitur, & parvuli merito filij magnum matri beneficium cumu-

[a] Nempe Ragneſilo, Leuconio, Bertoaldo, Vvammiro & Abbone-Felice, qui cum Leudegiſilo Antiſtite Remenſi nonnulla commutâſſe legitur apud Frodoardum lib. 2. cap. 6.

latur. Hoc confeſtim miraculum per cuncta vulgatum, univerſos quidem ſtupore perculit, quoſdam verò etiam ad ſanctæ vitæ imitationem ardentiùs incitavit. CIRC. AN. DC. LXXIII. JANUAR. I.

5. Exin prænominatus Pontifex egregiam in adoleſcente animi puritatem & præcelſam virtutis efficaciam contemplatus, Divinis eum miniſteriis impoſito Clericatûs officio mancipavit. Poſthæc caritatis ſollicitudine & Divini lucri ſtudio animatus ad Luxovium Cœnobium ſpiritualis profectûs gratiâ dirigere inſtituit, ut Religioſorum imitatione allectus, & ipſe in virtutibus creſceret, & regioni ſuæ poſtmodùm ſanctitatis ac perfectionis exempla dulciſſima reportaret. Præerat tunc ei Cœnobio WALBERTUS Abbas, vir & religione inclytus & ſanctitatis opinione famoſus. Quò cùm ex præcepto Pontificis perveniſſet, à ſanctis illius loci Patribus, gratâ exſultatione ſuſcipitur, atque in Congregationis contubernium deputatur. Cujus animi candor & præclara ſimplicitas brevi cunctis innotuit. Mirabantur omnes in juvene humilitatem eximiam, abſtinentiam incomparabilem, patientiam ſingularem, quódque cæleſtibus ſemper intentus deſideriis vitam Angelicam inter homines proferebat. Erat eo tempore prænominatum Luxovienſe Cœnobium in Gallicis regionibus pænè ſingulare, tam in religionis apice, quam etiam in perfectione doctrinæ. Qua ex cauſa plurimi quibus in utramvis partem proficiendi fervor inerat, ad eumdem locum certantibus ſtudiis undique confluebant. Clericus Luxovium tum celebre petit.

6. Quo ergo tempore B. Frodobertus inibi morabatur, vir Apoſtolicus BERTOALDUS Lingonicæ urbis Epiſcopus, quemdam ex Cœnobio S. Sequani [a] Abbatem, TEUDOLENUM nomine, eruditionis gratiâ illuc deſtinare curavit. Ad cujus diverſorium B. Frodobertus frequentiùs accedebat, ut adſolet ætas juvencula coævorum ſibi familiaritates ardentiùs applicare. Ille autem tantâ in viro Dei animi puritate compertâ, curioſâ levitate impulſus, ſedulò explorare cœpit, utrùm ea ſimplicitas ex fonte manaret intimæ puritatis, an ſicut nonnullis familiare eſt, ſubdolam mentem ſimulatâ innocentiâ palliaret. Ob hanc rem tam ab ipſo, quàm à quibuſdam loci Fratribus, ludibriis crebrò fatigabatur ineptis: cùm tamen ille nulli contradiceret, neminem læderet, ſed nec læſus vicem referret. Ita enim vitam inſtituerat ſuam, ut illatas injurias patientiâ vinceret, illud Davidicum frequentiùs replicans: *Vt jumentum factus ſum apud te.* Itaque ſimplicitatem infucatam mundanæ ſemper aſtutiæ præferebat, eligens ludibriis ſtultus effici ſæculo, ut poſſet ſapiens eſſe in Deo. Simplicitas ejus ſuſpecta tentatur à Teudoleno. [a] *Pſal.* 27. 23.

7. Unâ igitur dierum cùm ſe ad præfati Teudoleni hoſpitium contuliſſet, ille ludibrij ſimul & experimenti gratiâ rogavit eum, ut ad cujuſdam Fratris in Monaſterio cellulam pergens, circinum ad ſe deportaret, adſerens uſum illius ſibi eſſe neceſſarium in ſcribendo. Ille dicto citiùs greſſum rapuit, atque ad deſignatum Fratrem rapido curſu pervenit, qui & ſimplicitatis ejus conſcius, & ludibrij ob quod directus fuerat non ignarus, medium molæ collo ejus impoſuit, útque id ad diverſorium Teudoleni quamcitiſſimè ferret obnixiùs imperavit. Nihil ille cunctatus, exceptum onus ferebat æquanimiter, quamquam ita lapidis pondere gravaretur, ut vix alternis paſſibus promoveret inceſſum. Inter hæc reverendiſſimum virum Walbertum Abbatem obvium habuit, cui hoc ipſum à nonnullis Fratribus jam fuerat nuntiatum. Cernens igitur venerabilis Abbas ovem Chriſti manſuetiſſimam injuſto faſce gravari, altiùs ingemuit, & hujus afflictioni, & illorum condolens levitati. Móxque vehementiùs increpatum impoſitum onus humeris dejicere imperat, cauſámque perquirit diligentiùs quâ ſe tantopere fatigaret. At vir ſummæ innocentiæ, ſcribendi uſibus aſſerit eſſe neceſſarium quem ferebat circinum, dicens quòd ex præcepto Teudoleni ad cujuſdam Fratris cellulam deportaret. Cùm enim eſſet omnimodæ aſtutiæ expers, quid eſſet circinus penitùs ignorabat, hoc tantùm eſſe exiſti- Eximium ſimplicis obedientiæ exemplum edit.

[a] De S. Sequano ejúſque Cœnobio in Sæculo 1. Bened. ad ann. 580. egimus.

CIRC. AN. DC. LXXIII. JANUAR. I.

mans, quod impoſitum collo ferebat. Tandem Abbas ſimpliciſſimum viri animum conſpicatus, pietatis intuitu erumpit in lacrymas, accitiſque eis qui ſanctum virum tanta crudelitate fatigare præſumpſerant, acriùs ſolito increpat, ac pro facti temeritate debitæ ſatisfactionis pœnitudinem indicit. Hiſque ita correptis, ceteri deinceps Fratris injuriis temperarunt. O virum Angelicæ puritatis participem, & Salvatoris noſtri imitatione felicem, qui ſicut ovis ad victimam ductus eſt, & cùm malè tractaretur non aperuit os ſuum! Fidenter dixerim, inquam, præceptis Evangelicis ſingulariter parens, percutientem ſe non repercuteret, atque mille paſſus à quolibet angariatus, duo millia ultro properaret. Utque ampliùs inferam, ſi quis eum ad ſupplicium protraheret, pœnalem ei crucem impoſuiſſet, ſponte ſuſciperet, manſuetiſque ferens in humeris, Chriſtum Dominum ſequeretur.

Trecas reverſus ab Epiſcopo retinetur.

8. Annis poſthæc pluribus interjectis, ad urbem Trecaſſium pro Epiſcopi ſui deſiderio & parentum viſitatione cum quibuſdam Fratribus remeavit. Aliquot ſanè diebus apud præfatum ſuæ urbis Antiſtitem commoratus, redeundi unde venerat licentiam poſtulabat. At Pontifex ſaniori uſus conſilio, tantum ac talem virum à ſe dimittere non ſibi fore integrum arbitratus, violenta hunc auctoritate retinuit. Sancto igitur Quadrageſimæ tempore accedente in ſecretiore ſe cellulâ condens, cum orationis & vigiliarum inſtantia, acerrimis ſe cœpit jejuniis coartare. Cùm enim ſemper incomparabili abſtinentiæ virtute polleret, his tamen diebus auſteriorem ſibi carnis macerationem corporis ſui hoſtis indixerat; adeout plures continuóſque dies abſque ullius cibi adminiculo conſummaret. Denique annorum curriculo recurrente, dum ſe duabus vel tribus Quadrageſimis hujuſmodi crudelitate conficeret, hæc vitæ illius inſtitutio ad notitiam defertur Pontificis, nec defuêre malevoli, qui ſanctitatem ejus invido dente carpentes, dicerent eum, aut latenter edere, aut corpus ſuum inediâ velle perimere. Proxima igitur imminente Quadrageſimâ, Pontifex talium curioſus, intra porticum Eccleſiæ cellulam ei conſtituit, in quâ ſolitæ devotionis officio, abſtinentiæ tempora conſummaret. Sæpius namque cellam eximproviſo penetrabat Epiſcopus, certiùs cupiens experiri quanto ferveret ſtudio ſanctitatis, quantámque in virtute abſtinentiæ ſuperna pietas illi gratiam miniſtraret. Móxque criminatorum fallacia patuit, & ſanctæ converſationis ejus ſinceritas Epiſcopali curioſitate probata refulſit: quódque anteà ſimulationi deputabatur, ad Divinæ laudis tranſiit incrementum.

Quadrageſimale jejunium rigidè exercès, ab Epiſcopo probatur.

Oleo ſacro morbos curat.

9. Ex eo tempore fama beatitudinis ejus longè latéque perſonuit, adeout ex remotioribus quoque locis, infirmantium ad eum catervæ confluerent, ſanctitatis ejus merito ſoſpitatis beneficia repoſcentes. At vir Deo dignus in humilitatis arce perſiſtere cupiens, nil de ſe præſumere, nil umquam paſſus eſt ſuis viribus aſſignare. Oleum tantummodò benedicens, ſuper ægrotos Chriſti nomen obnoxiùs invocabat, quo peruncti, receptis viribus votorum compotes ad propria remeabant. Jam verò in effugandis dæmonibus eâ virtutis præſtantiâ præpollebat, ut cuicumque energumeno in fronte vel pectore ſignum Crucis imprimeret, mox ejus compellente imperio malignus ſpiritus effugatus abiret. Jure enim tanta ei poteſtas in expulſione dæmonum applaudebat, ut eis fiducialiter imperaret, qui totum ſe Divinorum ſubmiſerat obedientiæ præceptorum.

Crucis ſigna fugat dæmones.

Suas virtutes ſuis propalat.

10. Erat mos viro ſanctiſſimo, ut ſiquando cum diſcipulis colloquium familiare inſerebat, quæ à ſe clàm geſta fuerant, ædificationis vel exempli gratiâ eis narraret, bona ſcilicet opera ſua non arroganter oſtentans, ſed ſapienter & humiliter manifeſtans, ut & Divina laus per ipſum immo in ipſo creſceret, & audientium animos ad ſanctæ imitationis ſtudium informaret. Quantum enim favoris vel jactantiæ refugus fuerit, cultus vitæ ſolitariæ declaravit.

Chlodoveo juvante Cœnobium condit.

11. Denique humanæ converſationis ardens vitare collegia, ſollicita ſecum frequentiùs mente volvebat, quonam loco ſuæ profeſſioni ac propoſito opportu-

num habitaculum collocaret. Et quamquam plurimi nobilium regionis, ſanctitati ejus familiariſſime cohærerent, ineptum tamen duxit à quoquam eorum partem agri vel prædij poſtulare, non ſibi ſolùm, ſed etiam poſteris conſulens, ne religioſa fraternitas, quam ipſe in ſacro habitu aggregare cupiebat, à quolibet ſæcularium pro loco ſuæ habitationis quid inquietudinis vel moleſtiæ pateretur. Quocirca Divino adſpirante conſilio regiam profectus ad aulam, munificentiâ CHLODOVEI illuſtris quondam Regis Francorum, locum quemdam paluſtrem in ſuburbio Trecaſſinæ urbis obtinuit, qui antiquo ritu Inſula Germanica vocabatur. Deinceps verò poſt deceſſum Chlodovei, filium ejus CHLOTHARIUM ſecundo* anno regni ejus expetens, annuente venerabili BALTHILDE Reginâ ejuſdem Chlotharij matre, ſuper præfato loco privilegium* Regiæ auctoritatis denuo meruit adipiſci: quod quia in Archivis Cœnobij noſtri [a] uſque hodie continetur, hîc quidem inſerere ſuperfluum duximus, quoniam legere cuique volenti inpromptu adeſſe fatemur. CIRC AN. DC. LXXIII. JANUAR. 1. * anno DC. LVI. * Exſtat in Promptuario Antiq. Tricaſ. pag. 19.

12. Erat autem locus idem partium quidem fiſci, tamen, ut dictum eſt, paludibus refluens ac crebra lacunarum eruptione ſcaturiens, arbuſtíſque refertus ſilveſtribus, beſtiarum potiùs ac ſerpentum, quàm hominum frequentiæ competebat. His itaque Regum auctoritatibus inſtructus, quódque eſt maximum ſuperno auxilio roboratus, horribilis loci ſqualores expetiit, datáque principali operâ, virgultis erutis, lacubúſque ſiccatis, ſpatium habitationi congruum præparavit. Ibi cellulâ Oratorióque Frodobertus conſtructo, cum paucis primò quidem Fratribus ſolitarius vixit Divinæ contemplationi deditus, & Angelicis ſemper actionibus occupatus. a

13. Inclytus ergo Frodobertus jam tunc cœpit amplificare ſibi ſuíſque conceſſum habitationis locum, patrimonij ſui quæcumque fuerunt prædia poſſeſſionéſque ex integro in commune inibi contradens, & quæſtum copioſum, ſervorum, ancillarum, agrorum prætereà & vinearum, ſub teſtamentis, quæ hactenus habentur, dato pretio inſtantiſſimè acquirens. Sed & mox parentes illius viri beati largiſſimas ei rerum gazarúmque ſuarum condonaverunt portiones inſtrumentis ex lege ritè perfectis. Proceſſu verò temporis, locus idem Religioſorum frequentia in robur incrementi convaluit, nobiliúmque eò confluentium largitate ditatus, rerum ac poſſeſſionum terminos dilatavit: ſed & congregationis Monaſticæ numerus in dies copiosè ſuccreſcens, nobile ac famoſum reddidit uſquequaque Cœnobium. Nec illud prætereundum, quod ex ejuſdem loci Cœnobitis B. Frodoberti vitam inſtitutionémque ſequentibus quamplures poſtmodum in urbe Trecaſſium exſtitêre Pontifices, inter quos, ALDOBERTUS vir ſummi ingenij & præcipuæ ſanctitatis; itémque BOBINUS * natione Aquitanus: quorum uterque ipſi loco ingentia commoda contulêre, intra extráque quibus poſſibile fuit amplificando modis, ſícque in plenitudine bonorum operum diem ultimum conſummantes, intra ſepta Baſilicæ ejuſdem Monaſterij nobilem ſortiti ſunt ſepulturam. Quibus ita digeſtis rerum geſtarum ordinem repetamus. Monaſterium rebus & perſonis auget. Inde plures ad Epiſcopatum aſſumpti. * lege Carmen ſuprà.

14. Florebat in ſancto viro ſpiritualium profectuum indeficiens gratia non exemplis ſolùm & moribus, ſed etiam miraculorum ſplendore ſollemni commendata. In quo quanta fuerit largitas, quantáque affluentia caritatis, una ipſáque ſimplici relatione conſtabit. Contigit eum quodam tempore in Puellarum Cœnobio, quod B. Quintini Martyris [b] nomini conſecratum, intráq; urbem ſitum eſt, duo vini vaſcula triginta fermè modiorum capacia commendâſſe, quòd locus idem ei eſſet familiariſſimus, ac ſpeciali caritatis glutino copulatus, ejúſque eruditioni ac regimini peculiariter mancipatus. Nam cùm pro ſuæ ſanctitatis merito ab omnibus principali reverentia coleretur, id ſibi quiſque ſummum deputabat bonum, ſi ejus familiaritati vel mediocriter conjungi meruiſſet; In Parthenone ſancti Quintini ejus meritis vinum augeſcit. b

a Sic etiam nomine Monachorum S. Baſoli loquitur Adſo, Abbas licet Dervenſis, in Actis S. Baſoli ſuperiùs ad ann. 620.

b Illud Parthenon redactum eſt in Prioratum Moliſmenſi Abbatiæ ſubjectum.

Circ An. DC LXXIII. Januar. I.

útque in omnibus & apud omnes ſeſe affectuoſiùs ageret, déque omnibus incunctanter præſumeret, cunctis gratiſſimum & peroptabile erat. Cúmque illic ſæpe caritatis officio, ad ſumendum poculum plurimos convocaret, die quadam apothecariam ſolito cellam ingreſſus, pavimenti faciem vini exuberantiâ reperit ſuperfuſam: veritúſque ne fortè vaſculi incontinentiâ liquoris diſpendium proveniſſet, Fratrem qui ſecum fortè venerat, os ſuperioris meatus inſpicere præcepit. Quo facto (mirum dictu quod eſt) vinum ſupernè redundans adſpicitur: ſatíſque apertè conſtitit, quòd quantò hauriebat propenſiùs caritas, tantò benigna Creatoris largitas hauſta profuſiùs reformabat. Ejus nimirum hoc factum creditur pietate, qui cùm nos miſericordes eſſe jubeat & dare indigentibus, ut nobis quoque plurima dentur; in qua tamen menſura tribuimus, in eadem nobis remetiendum nihilominus repromittit. Eſt enim manus Divina non larga ſolùm, verumetiam dives & profluа. Nec metuendum ne fortè largitatem ſequatur inopia: quoniam, ut ait Apoſtolus; *Qui ſeminat in benedictionibus, &c. quique adminiſtrat ſemen ſeminanti, & panem ad manducandum præſtabit, & multiplicabit incrementa frugum juſtitiæ noſtræ.*

2. Cor. 9. 6. & 10.

Sanctos piè colit.

15. Familiare fuit prætereà viro Dei ſupernam patriam infatigabiliter ſitienti ſacra loca devotiùs circuire, ſanctorúmque Martyrum vel Confeſſorum feſtivitates, ſiquando revoluto anni circulo recurriſſent, debita cum veneratione ſuſcipere. Nam illud ſibi ſpecialiter indixerat, ut ſacrorum dierum ferias peculiari quadam obſervatione tractaret, ut putares cum ipſis jam Martyribus commori, nec jam terrenæ molis uſibus detineri.

In feſto S. Quintini à dæmone in oratione turbatur.

16. Ita quondam adveniente ſplendidiſſima ſollemnitate B. Quintini Martyris pretioſi, à Monaſterij ipſius Abbatiſſa Rocula nomine, ceteríſque Sanctimonialibus religionis gratia invitatus eſt, ut officiis Divinæ celebritatis vir ſanctiſſimus intereſſet, tantæque feſtivitatis gaudia, ſanctitatis ac meritorum ſublimium lampade illuſtraret. Nam excepta devotione erga Sanctos incomparabili, etiam illud eum ſacra loca feſtis diebus frequentare cogebat, quòd eis ſpirituale regimen adhibebat. Nec diſtulit quin veniret, devotarum Deo Sanctimonialium deſideria reputans non debere fruſtrari. Expleto igitur ſacrarum vigiliarum officio veſpertino, vulgíque multitudine ad nota diverſoria redeunte, vir ſanctus in Eccleſia perſtitit, ſéque ipſum ſecretis orationibus mancipans, ſpirituales excubias exercebat. At præfata Abbatiſſa, quid ſanctus vir gereret non minimùm curioſa, cum quibuſdam Sanctimonialibus in Baſilica ſe occultans, egregiam orationis inſtantiam compunctioníſque illius largiſſimam ubertatem ſedulò cum Sororibus mirabatur. Mox ſaluti humanæ contrarius, feliciúmque operum quammaximè æmulus affuit inimicus, qui mundiſſimum Dei holocauſtum etſi non penitùs tollere potuit, veneno tamen ſuſpectæ fraudis fædare tentavit. Nam candelabrum cui cereus impoſitus erat ſubvertit, exſtinctóque lumine, quod noctis & tenebrarum eſſet amator evidenter oſtendit. Vir tamen Domini in orationis ſtudio perſtitit; nec mundanis tenebris fuſcari potuit, cui Chriſtus auctor & fons luminis præſentiſſimus fuit: cujus exterior oculus etſi nocturnis tenebris caligavit, mens tamen intima, ſempérque ad contenplandum Deum puriſſima, veræ lucis lampade coruſcavit.

Ab energumeno ridetur.

17. Interea paucorum dierum interlabente curriculo, ab Baſilicam B. Aventini Confeſſoris, ejus gratiâ ex more Chriſti famulus accedebat. Cúmque jam fores Eccleſiæ perintraret, contigit quemdam energumenum dæmone exagitante vexari: qui rabida peſte captivus cùm miſerum os in amentia verba laxaſſet, inter cetera famina pectoris furioſi, B. Frodoberti ſæpius nomen ingeminans, ſancto viro verbis procacibus inſultabat, quòd eo ſacras exercente vigilias, ſolatium luminis detraxiſſet. At miles Chriſti ſtrenuiſſimus, diabolicæ fraudis conſcius, nulla hoſtis arte concuti, nulla potuit minarum intentione terreri, cui Chriſtus erat præſidium, & contra hoſtiles machinas inexpugnabile firmamentum. Quin potiùs quantò adverſum ſe certamina dæmonum

acriora

acriora cognoverat, tantò ſe robuſtiùs ad ſpiritualem pugnam contra inviſibiles nequitias præparabat. CIRC. AN. DC. LXXIII. JANUAR. 1.

18. Operæpretium eſt illud quoque fidelium auribus tradere, quòd ei ſæpè, annuente Domino, ſecreta cæleſtis curiæ pandebantur: & quoniam ſemper mente in cæleſtibus habitabat, hauſtum ſupernæ jucunditatis Divina ei pietas frequentiùs propinabat, ut tantò ad hanc ardentiùs curreret, quantò ſuavitatis ejus dulcedinem appetentiùs deguſtâſſet. Die enim quadam venerabilis THEUDECARIUS ejuſdem Abbas ſuburbij, viſitationis pariter & inſtructionis ſuæ gratiâ ad eum venerat, ut mos erat cunctis per circuitum Religioſis hunc ipſum ſanctum virum frequenter expetere, quatenus ejus & exhortatione inſtrui, & benedictione poſſent ſanctiſſima roborari. Cùm itaque circa horam ferè tertiam Frodobertus Spiritu-ſancto plenus, cum præfato viro Chriſtianiſſimo Theudecario Abbate, fructuoſum ac ſpirituale colloquium ſereret, audivit Angelorum choros armonicâ ſuavitate ineffabilíque concentu cæleſtes hymnos ad ſanctæ & individuæ Trinitatis gloriam concinentes. Cujus canorem dulcedinis poſtquàm aliquamdiu attonitis auribus hauſit, prefatum Theudecarium huic miraculo teſtem adhibuit. Quo etiam poſtmodùm referente, ad notitiam plurimorum res tam mirifica decurrit. O beati viri meritum ſingulare! qui quamvis adhuc mundi incolatum ageret, voces tamen agnoſcebat in cælis Angelicas, Redemptore noſtro hoc illi divinitus largiente, qui diſcipulis ſuis horâ tertiâ Spiritum-ſanctum miſit de cælo. Angelicas voces audit.

19. Quædam ejuſdem regionis mulier, Bertha à parentibus nuncupata, ſenſûs rectitudine perdita, miſeræ dementiæ alienationem incurrerat; quæ humanæ cohabitationis contubernium fugitans, vaga ſemper & inſtabilis incertis ſedibus ferebatur. Hanc parentes anxij ad beati viri præſentiam perduxerunt. At ille viſceribus pietatis commotus infelicis ſortem indoluit; ſéque mox in orationem corruens dedit, profuſis lacrymis alienæ lucraturus commercia ſanitatis. Nec diu dilata ſunt ſupernæ clementiæ munera copioſa: namque ut ab oratione conſurgens vivificæ ſignum Crucis capiti ejus impoſuit, mox miſerabili cedente dementia, plenitudinem ſenſûs ſoſpitatis integritate recepit, longóque vivens poſtea tempore, ad ſanctitatis ejus teſtimonium, ſuæ ſecum circumtulit gaudia ſoſpitatis. His & hujuſmodi virtutibus gratiſſimum ſibi militem Divina excellentia provehebat: quémque in ſuperni regni apice eminentiſſimum collocare decreverat, in hujus quoque ſæculi excurſu inſignem ac celebrem reddere per frequentia miracula non ceſſabat. Furioſam mentis reſtituit.

20. Jam enim tempus è proximo ferebatur, quo athletam ſuum Chriſtus à periculoſo mundi hujus agone ſubtraheret, atque in ſtatione caſtrorum cæleſtium victorem quietiſſimum ſolidaret. Jam, inquam, tempus aderat, ut pro multorum ſudore certaminum, pro ſingularis abſtinentiæ cruciatibus, pro univerſis denique operibus pietatis, feſſum jam corpore bellatorem ad ſeſe reciperet, atque in paternis manſionibus collocatum gloriæ & honoris ſtemmate decoraret, æternitatiſque & immortalitatis amictu circumdatum Angelis inſereret, Apoſtolis ſociaret. Itaque facili corporis ægritudine corripitur, qui tamen animo indeficiente robuſtus, bravium æternæ remunerationis proſequi nitebatur. Jamdudum enim ut Chriſto coëſſet, corporeæ molis præoptabat carcere ſolvi: quamquam propter inſtructionem fidelium, in carne eſſe neceſſarius probaretur. Cui ad ſummæ ſecuritatis ſolatium hoc etiam muneris Divina Majeſtas adjecit, ut eidem ſacri ſui tranſitus diem à ſæculo revelaret. Qua tandem revelatione percepta, totum ſe mox ad Divinitatem contulit, nec mori metuens, nec corporeæ depoſitionis diſpendium reformidans: verùm id ſecum ſæpenumerò volvens, quoniam ſi terrena hujus noſtræ habitationis ſtructura diſſolvitur, multò melior in cæleſtibus præparatur. Quinetiam illi anteactæ vitæ conſcientia terroris minimum, fiduciæque plurimum conferebat, quòd non præſenti ſæculo, ſed Deo vixerat; quòd ſuæ voluntati Divinam ſemper Morbo correptus diem mortis præciſcit.

CIRC. AN. DC. LXXIII. JANUAR. I.

prætulerat, quòd præmiis cæleſtibus indefeſsè ſuſpirans, Deum ſibi præ oculis poſuerat eſſe præſentem. Igitur ægritudine invaleſcente diſcipulos convocat, eíſque quam ex Divina revelatione perceperat, ſui diem tranſitûs declarat. Cúmque grex mitiſſimus de vigilantiſſimi Paſtoris deceſſu ſimul & abſentia triſtaretur, altiùs exhortationis ſermone concepto, omnes compeſcit à fletibus, congratulandum potiùs ſibi quàm dolendum affirmans, quòd qui hactenus exſul vixerat, nunc patriæ redditus ad ſui Regis convivium vocaretur. Illud vel maximè ſæpe conteſtans, ut normam ſanctæ inſtitutionis, quam ipſo & docente didicerant, & operante conſpexerant, inviolabili tenore uſque ad vitæ terminum conſervarent.

Eccleſiam novam die Natali Domini poſtulat dedicari.

21. Intereà dies Dominicæ nativitatis cælo terráque feſtiviſſimus, ac toto orbe colendus illuxerat. Accitis itaque duobus nominatim diſcipulis, LEONE [a] ſcilicet viro ſanctiſſimo, qui tum in eodem ſuburbio Abbas mitiſſimus exſiſtebat, itémque LUPELLO, qui vitæ & converſationis ejus inſignia, ut ipſius ſcripto declaratum eſt, licet juſto breviùs litteris alligavit; ad ABBONEM virum reverentiſſimum ejuſdem tunc urbis Antiſtitem ſumma eos celeritate direxit, obnixiùs ſupplicans, ut Oratorium quod ipſe honori Apoſtolorum Principis in ſuperiùs deſcriptâ palude conſtruxerat, die ortûs Dominici conſecraret. Creverat ſiquidem opitulante Deo Monachorum Congregatio, & majorem quàm prima fuerat alteram cõſtruxit Eccleſiam. Quâ Pontifex ſupplicatione perceptâ, atque apud ſe rationabiliter expenſo negotio, prudenti moderatione excuſavit factum, aſſerens illud die qua petebatur minimè poſſe compleri; quòd eum cum Clero ſuo & feſtivitatis officioſitas cumulatiùs occuparet, & conſuetudo Eccleſiaſtica eo die id fieri nullo modo conſentiret. Diſcipuli feſtinantiùs remeantes ſancto Patri reſponſa Pontificis detulerunt: quod ille pertractans diligentiùs & rationabile eſſe perpendens, elevatis manibus in cælum & lacrymis ora perfuſus; Parcat, inquit, mihi Dominus, vóſque filij indulgete, quòd minùs circumſpectè negotium cogitans, fraternitatem veſtram in eundo & redeundo caſſo labore compulerim. Ne tamen ſancta mens ſuis uſquequaque deſideriis fruſtraretur, Divinâ eſt pietate conſultum. Siquidem ſacri obitûs dilatione percepta, in octavum Dominicæ nativitatis diem ſpatium vitæ produxit, ita Domino vota ejus ſanctiſſima proſequente, ut unâ eadémque die per manus jamdicti Pontificis, & Baſilica conſecrationem, & gleba ſacri ejus corporis acciperet ſepulturam.

Epiſcopo recuſante, vitæ inducias impetrat.

22. Itaque cùm juxta morem Chriſtianæ obſervantiæ Kalendis Januariis Dominicæ Circumciſionis celebritas immineret, ad felicem tranſitum urgente ægritudine ſancta anima citabatur. Nec ſic tamen à ſanctis monitis linguæ officium continebat, aſſiſtentes ſibi diſcipulos indefeſſus exhortans, quatenus inter ſe inſolubile caritatis vinculum cuſtodirent, atque in exhibitione ſalutaris obedientiæ perſiſtentes, timorem Dei ſemper ſibi ante oculos revocarent. Jamque ſole ad telluris infima declinante, prefatum Lupellum, qui ei familiariùs obſequi conſueverat, maturiùs præcepit evocari. Eo coràm adducto ut ſacrum Evangelium ante ſe legeret imperavit. Ille autem dolore capitis acriùs torquebatur. Cúmque, ut ipſe poſtmodùm retulit, ad parendum ſanctis imperiis quamvis ægrè animum appuliſſet, in ipſo mox legendi exordio ita univerſus dolor abſceſſit, ut nil doloris, priſtinæ nil moleſtiæ reſideret. Interea per totius noctis excurſum Deo ſemper intentus, cùm inter ſpiritualia colloquia hora ſuccederet, expleta ſollemniter à Fratribus in Eccleſia pſalmodiæ & orationum quantitate, univerſos denuò jubet adeſſe diſcipulos; dúmque ante eum textus Paſſionis legeretur Dominicæ, ſub oculis omnium ſancta anima carnis exuta velamine, felici deceſſu cæleſtia penetravit [b].

Lector coram eo Evangelium legens, capitis dolore liberatur.

Sanctus moritur.

a De alio S. Leone Abbate Mentuniacenſi prope Trecas, egimus Sæculo I. Bened. ad ann. 650.

b Nempe Kalendis Januariis, ſicuti in Martyrologio Cellenſi: quamquam in aliis fere Martyrologiis recentioribus vr. Idus ejuſdem menſis, qui dies Tranſlationis ejus eſt, celebratur. Cùm Chlotharioꝰ Chlodovei, junioris filio haud diu ſupervixerit ex num. II. ſuprà, ejus obitum anno circà DC. LXXIII. reponimus. Ejus Reliquiæ ibidem adſervantur.

23. Et illo quidem ita ex humanis aſſumpto collegiis, extemplò reverentiſſimus nepos ejus WALDINUS, qui poſtmodùm loco avunculi in eodem ipſius Monaſterio Abbas ſucceſſit, greſſu concitò in Cœnobio S. Quintini ad memorabilem GIBITRUDEM Abbatiſſam perveniens, Sancti viri obitum nuntiavit. Ilicò omnium pectora novus quidam & pæne intolerabilis dolor irrupit, párſque ſalutis abſumpta putabatur, tanti Patris abſentia ſuccedente. Univerſo itaque Sanctimonialium cœtu in fletum & lacrymas erumpente, venerabilis Abbatiſſa viſcerali commota pietate, rapto curſu ad Sancti viri exſequias quamcelerrimè properavit. Cúmque inter eos de funeris diligentiâ tractaretur, illa perquirente an loculus tumulando præparatus corpori adeſſet, reſponſum eſt, emptum quidem eſſe à quodam illuſtri viro WALBERTO nomine lapideum monumentum, verùm proceritati corporis ejus nullo modo convenire. Fuit enim ibi ſacratiſſimus vir non ſolùm animo ſplendidus, ſed etiam venuſto & procero corpore ſpecioſus, ut illi quoque perhibent, qui ejus ſacratiſſimi corporis oſſa ſe adſpexiſſe fatentur. Miſſis itaque raptim miniſtris ad id devehendum, mox mirum in modum miraculo claruit quòd ſummi eſſet meriti, cui funebres exſequiæ parabantur. Nam cùm idem Walbertus quoſdam è domeſticis direxiſſet, qui emptum ſarcophagum iis qui illud deferre venerant aſſignarent, ſuperna diſpenſante clementia, tanta eos alienatio mentis eluſit, ut pro vaſculo breviore quod emptum fuerat, aliud ſpatioſius & capacius, quod ſibi idem Walbertus præparaverat deſignarent. Quod illi vehiculo imponentes, ad locum quo vir Sanctus ſe tumulandum decreverat, quamcitiſſimè perduxerunt. Ita omnipotens Deus, cui cura eſt de omnibus, nec ipſis quidem cineribus electi ſui famuli quidpiam deeſſe paſſus eſt opportunum.

CIRC. AN. DC LXXIII. JANUAR. I. Gibitrudi & Sanctimonialibus ſui deſiderium relinquit.

Proceræ fuit ſtaturæ.

24. Univerſis igitur ad uſus ſepulturæ pertinentibus elegantiſſimè præparatis, ſupradictus reverendiſſimus Pontifex, Abbatum ſuburbanorum Cleríque ac populi agmine circumſeptus, ad B. Frodoberti exſequias properat, cùm adhuc ſacrum ejus corpus in cella Chriſtiano more compoſitum jaceret. Qui primùm, ut ratio expetebat, ad præfatæ Baſilicæ dedicationem accingitur peragendam: quam cùm ſollemni officio expleviſſet, ſacrum corpus cum reverentia elevans in Eccleſiam intulit, ac die ejuſdem dedicationis, Kalendis ſcilicet Januariis, cum hymnis & laudibus & univerſo Eccleſiaſtici officii apparatu pretioſè in eadem Baſilica, quam ipſe conſtruxerat, tradidit ſepulturæ. Ita vir Domini terræ viſceribus officioſiſſimè commendatus, ſeptimam Sabbati cum Chriſto in anima celebrat, octavam verò noſtræ omnium reſurrectioni generaliter repromiſſam interritus, immo de gloria ſecurus exſpectat, etſi corpore mortuus, meritis tamen vivacibus inperpetuum glorioſus.

Sepelitur ab Epiſcopo poſt Eccleſiæ novæ dedicationem.

25. Requievit itaque in eadem Baſilica per quamplura annorum volumina, multo confluentium undique populorum agmine frequentatus, & pænè aſſiduis miraculorum ſucceſſibus ſedulò declaratus. Quis enim ad ſanctam ejus Memoriam fideliter oraturus acceſſit, quem non continuò affectus devotæ orationis adjuverit? Varia denique ibi tam animarum quàm corporum remedia præſtabantur, dum & debilibus optata ſoſpitas, ſcelerum immanitate depreſſis felix indulgentia proveniret. Sed & ſiquis capitali qualibet afflictione detentus, ad Sancti ſe præſidium contulit, ejus conſolatus beneficio, celere mox levamen invenit. Ita benignus Conditor per electiſſimum ſui nominis Confeſſorem multa & mirifica peragebat: quémque viventem copioſis bonorum operum ſtipendiis cumulaverat, mortuum quoque indefeſſis miraculorum titulis ſublimabat. Quocirca univerſorum pectora mirus erga Sanctum fervor accenderat, itaut plurimi contiguorum nobilium, ſed & Sanctimonialium feminarum, non modica locum ipſum prædiorum quantitate ditarent, tam pro adipiſcenda ſepultura, quam omnes ibidem quammaximè expetebant; quàm etiam ut his qui ſacro famulabantur corpori, competens alimonia non deeſſet, útque ij, quos ex remotis re-

Miraculis fulget.

CIRC. AN. DC. LXXIII. JANUAR. 1.

gionibus Sancti fama ſedulò contrahebat, impenſæ humanitatis officio juvarentur.

Sancti cultus unde neglectus.

26. Interea currentium temporum labente defluxu, cùm & iniquitas abundaret, & multorum cœpiſſet refrigeſcere caritas; univerſus ille erga Sancti officium fervor intepuit, cultúque religionis ceſſante, illa olim frequentia rareſcente, ad tempus tepuêre miracula. Hujus autem temporis vel torporis pernicioſa incuria hoc ordine incurrit. Fabrica ejus Eccleſiæ, quam ipſe (ut ſuperiùs conſtitit) ædificaverat, in qua ſacrum ejus corpus debitis obſequiis diutiùs fuerat frequentatum & conſervatum, antiquitate operis paullatim collapſa ſuccubuit, ac nemine fulciente, ruinæ funditus diſpendium traxit. In cujus loco altera cùm exſtrueretur Eccleſia, venerabile B. Confeſſoris corpus in crypta prioris Baſilicæ immotum intactúmque permanſit. Erat per idem tempus præfatæ Sedis Antiſtes, PRUDENTIUS[a] nomine, natione Hiſpanus, Pontificalis vitæ inſtitutione clariſſimus, in Divinis rebus undecumque non mediocriter eruditus. Is ad prædictæ Baſilicæ conſecrationem à Fratribus evocatus, diligentiùs percunctatur, utrum inter ſacrandos parietes ſepulta aliquorum cadavera tegerentur. Cúmque comperiſſet ineſſe quamplurima, univerſa priùs de Templo eliminanda præcipit, conteſtans ſe non aliter conſecrationis officium ſuſcepturum: ignorabat enim adhuc prænominatus Pontifex B. Frodoberti meritorum eximiam claritatem, temporum negligentiâ obſcuratam: quippe qui vitam illius fide & miraculis plenam, nec lectione perceperat, nec uſpiam eatenus haberi compererat.

[a] Prudentius novam Eccleſiam remotis priùs corporibus dedicat.

S. Frodoberti corpus referre volens Prudentius morte prævenitur.

27. Explicita ſanè Templi dedicatione, cùm in urbem reverſus miracula per ſanctiſſimum Confeſſorem patrata ex revolutione geſtorum ejus curioſiùs cognoviſſet; primò quidem ſemetipſum præteritæ ignorantiæ vehementiùs arguit, quódque tanti Patris cauſam minùs honeſtè tractaverat, mordaciter reprehendit, ac deinceps ſuæ Sedis Archidiaconum cum univerſo Clericorum dirigit apparatu, obnixè præcipiens, ut corpus viri præcellentiſſimi in Eccleſiam cum ingenti reverentia referretur. Simúlque terminum diémque præfixit, ut ipſe veniens, condignâ illud honorificentiâ collocaret, ac ſacræ Tranſlationis ejus feſtivitatem, publicâ officioſitate percelebrans, perpetuo ritu poſteris frequentandam indiceret. Verùm hujus Sancti proventum deſiderii, ſupervenientis ægritudinis pondus eluſit. Nam vicina eveſtigio morte præventus, quod piè diſpoſuerat, explere non valuit.

Otulfus id exſequitur. * Calvi * XXXII.

28. Itaque uſque ad annum incarnati Verbi DCCC. LXXII. qui eſt annus KAROLI* Imperatoris & Regis Franciæ XXXI*. negotium reſtitit imperfectum. OTULFO religioſiſſimo ac venerabili Epiſcopo, qui poſt ipſum tertius[b] floruit, Trecaſſinæ jam Eccleſiæ gubernacula diſponente, ſolummodò intra Baſilicæ ambitum collocatus, à loci Fratribus cautâ venerabatur diligentiâ, nullis populorum conventibus frequentatus, nullâ ſollemni præeminentia celebratus. Non tamen ſuperna benignitas ſidus illud perſpicuum caliginoſis latebris diutiùs paſſa eſt occultari, quin & ipſius merita mundo pateſcerent, & efficax interceſſio populis ſubveniret. Ea itaque tempeſtate cœpit ſe erga locum Divinæ præſentiæ magnitudo quamplurimis Fratrum oſtendere, ac frequentium viſionum portentis ſervorum Dei pectora perurgere. Nonnulli enim ſecretioribus per noctem vigiliis in Eccleſia occupati, voces mellifluas ſuper ſepulcrum ejus quaſi Clericorum concinentium audiebant, alii per gyrum ſepulcri diſpoſita quaſi quædam ſplendidiſſima luminaria cernebant: ut apertè conſtaret, quòd cui humana obſequia minùs aderant, Divina ei & Angelica officia ſuppetebant. Prætereà co-

[b]

Sancti ſepulcrum variis prodigiis illuſtratur.

[a] Colitur VIII. Id. Aprilis S Prudentius, Hincmaro Antiſtiti Remenſi cariſſimus, ſcriptis contra Gothescalcum aliiſque famoſus. Non diu vixit poſt Concilium Sueſſionenſe II. cui anno DCCC. LIII. ſubſcripſit.

[b] Quippe inter Prudentium & Otulfum medius ſedit Fulcricus, qui Concilio Sueſſionenſi anno DCCC. LXVI. interfuit; Otulfus verò Pontigonenſi anno DCCC. LXXVI.

lumba candoris lactei de cælis visa est descendisse, ac postquàm aliquamdiu circumvolitaverat, sepulcri abdita penetrâsse. Per soporis nihilominus quietem pluribus videbatur, tamquam idem Pater sanctissimus, sacro emergens à tumulo ante aram Apostolorum Principis sese ageret, atque ad orationis studium daret. Per hæc & hujusmodi portenta mirifica, luce clariùs eminebat, quòd Confessor Domini pretiosus, inertem culturam indignè ferens, & sepulturam sibi condigniùs præparari, & obsequii reverentiam impensiùs institui decernebat. Illud quoque ad hanc rem auctoritatis non minimùm afferebat, quòd quibusque ad sacrum sepulcrum procumbentibus, affectus orationis & ubertas compunctionis largior affluebat: atque ut quod de eo visiones evidentissimæ suggerebant Cleri consummarentur affectu, omnium inexplebiliter animus æstuabat, occultâ nimirum inspiratione Dei singulorum pectora inflammante, atque ad tanti effectum negotii sancti desiderii stimulis perurgente. CIRC. AN. DC. LXXIII. JANUAR. I.

29. Talibus támque conspicuis prodigiis animati, venerabilem OTULFUM Pontificem adeuntes, tantíque Patris præ manibus gesta ferentes, ut ipse Divinæ voluntatis erga Sanctum & cooperator & maturator exsisteret, instantissimè supplicabant. Utque cerneres Divinitatem votis famulorum fidelium usquequaque faventem, confestim Episcopus intimæ inspirationis ignibus animatus, eo ardore negotium suscipit, ut Abbatem & Fratres à quibus fuerat supplicatus, ipse postmodùm ad accelerandam cœpti operis efficaciam, monitis frequentibus perurgeret, indefessis precibus persistendum exhortans, ut Divina pietas quos suæ voluntatis conscios fecerat, votorum quoque utilium compotes esse donaret. Translatio nova indicitur.

30. Itaque ad tanti inchoationem operis primam diem Quadragesimalis abstinentiæ [a] delegerunt, in qua ineffabilis Divinæ dignatio pietatis, hoc primum humanæ evidentię miraculum declaravit. Accedente Abbate cum Fratribus ad pavimenti lapides revolvendos, lapis ille qui sacro superpositus fuerat monumento, nemine impellente ita in partem lubricus ruit, ut ceteris immobiliter persistentibus hunc summo impellentium nisu coactum violentiùs cessisse putares. Intellectum est ab omnibus sacri virtute corporis eum fuisse repulsum, quod piè quærentibus ultrò se videbatur ingerere. Pertinaciùs itaque operi insistentes, ad reverendi tandem thecam corporis pervenerunt, cujus intima debitæ cautelą reverentiæ illis perscrutantibus, ad augmentum miraculi in quodam osse corporis sanctissimi Confessoris guttæ auri purissimi splenduerunt, credo illud evidentissimè monstrantes thesaurum locupletissimum, qui Divini largitate muneris patefactus, piâ Fidelium diligentiâ tractabatur. Et ea quidem nocte sanctum pignus eo perstitit modo, continuis laudibus ac vigiliis sinceriùs honoratur. Crastino subeunte, Pontifex maturiùs adesse curavit, solemníque oratione prę̀missa ad sacrum tumulum reverenter accessit cum Fratribus psalmodiæ & litaniis attentè insistentibus. Ipse cum Abbate & Sacerdotibus sancta ossa reverenter elevans, linteísque pretiosis obducens, in loco mundissimo ritè composuit, quem Pontificali annulo diligentiùs signans, sacris de more expletis ad propria remeavit [b]. Tumulo reserato grana auri in osse apparent. *a* Corpus sacrum è terra levatur. *b*

31. Exinde pervigili instantia sacri compositio ornatúsque sepulcri accuratiùs parabatur, in cujus dilatione temporis, quid miraculi per prę̀cipuum Confessorem superna dispensatio dignata fuerit declarare, nullâ ratione credimus omittendum. Ratbertus quidam nomine, pagi Ledunensis indigena, adversus matrem suam pro dividendis fortè alimentis in segete jurgabatur. Matris percussor horrendè punitur.

a Diem designat Poëta ineditus, nempe XII. Kalend. Martias his versibus:

Quos Februi medio conscendit calle gradivo
Intrâssit partem quartam, lucem duodenam
Quum Lector Martis sibi calculat ante Kalendas;
Compulsi hinc inde meditantur viscera terra
Rastro scrutari.

b Post hæc duas Frodoberti apparitiones Bodoni Abbati factas memorat Poëta: unâ septimo die ab elevatione sacri corporis, Bodo de inventione verarum Reliquiarum Frodoberti certior factus dicitur: aliâ XII. Kalend. April. Frodobertus dormienti Bodoni apparuisse in crypta dicitur, & advocâsse AREMBERTUM Monachum, virtute & sanguine clarum.

CIRC. AN. DC. LXXIII. JANUAR. I.

Cúmque ſuæ parti majores ſecernens manipulos, minores quoque matri relinqueret, illa fraudis impatiens, filium ne talia faciendo Deum in ſe provocaret ſedulò commonebat. Tum miſer furiali pectore inflammatus effertur in matrem, crinibúſque ejus ſiniſtro brachio circumplexis, ante pedes ſuos miſeram impudenter eliſit. Quem mox Divina ultio comes excepit: nam ſequenti nocte ſiniſtri oculi cæcitate multatus, ejuſdem quoque brachii tali efficitur detrimento, ut retro & antè ſemper illud motu agitans inquieto, conſcientiam ſceleris, exterioris quoque membri impatientiâ teſtaretur. Quinetiam in augmentum vindictæ ſenſu ſubducto, amentiâ plectitur infelici. At mater hujuſmodi acerbitate confecta, tertiâ die miſerabili morte finivit. Pro hoc nefandiſſimo ſcelere à Sacerdote loci, ad EGILEM Senonicæ urbis Archiepiſcopum perductus eſt: cujus præcepto carceri mancipatus, ſqualores ergaſtuli triennio pertulit; fame deinceps invaleſcente dimittitur, ne inopiâ deficiens moreretur.

32. Hinc ad S. Michaëlis Eccleſiam properat, eo loci qui ad duas Tumbas[a] ex antiquo vocatur: unde digreſſus Romam expetit, quo tunc HADRIANUS * Papa Sedem Apoſtolicam gubernabat. Qui cùm eum pergentem ad Eccleſiam S. Johannis quæ Lateranenſis dicitur inſpexiſſet, mirabili portento quod miſer ob ſcelus circumferebat attonitus, ad ſe eum præcepit evocari, cauſáque ejus ſolliciùs perquiſitâ, benignè eum ad pœnitentiam exhortatus, denuò eum ad B. Michaëlis Eccleſiam pergere, itémque ad ſe imperat remeare. A quo dimiſſus cùm in pagum Trecaſſinum fortuitu deveniſſet, unâ noctium ſomnio commonetur, ut ad Baſilicam ſanctæ Dei Genitricis & Virginis MARIÆ ſitam in villa cui Falcarias vocabulum eſt, candelam ſuæ longitudinis deportaret: ad quam quia labore pariter & ægritudine feſſus ire non poterat, per internuntiam perſonam dirigere curavit. Hinc ad S. Petri Cœnobium, quo B. Frodoberti pretioſa pignora venerantur, fortè devenit: cúmque die Dominicâ, quæ Domini Adſcenſionem ſecuta eſt, Sacerdos ex more publicis ſacris operam daret, illéque ad oſtium Eccleſiæ orationi incumberet, vidit, ut ipſe poſtmodùm retulit, Clericum quemdam juvenili decorum habitudine ad ſe accedere, lumbíſque ejus acerrimè coartatis toto ſe corpore validiſſimè concuſſiſſe. Quo impulſu in terram eliſus, diù immobilis jacuit, ut pænè exanimis putaretur: cujus ſpatio intervalli, & quietem brachii, & ſenſûs, capitíſque integritatem recepit. Indéque conſurgens hauſtu aquæ percepto, præ ingenti laſſitudine cùm iterùm obdormiſſet, eumdem Clericum quem ſuprà conſpexit hæc ſibi verba familiariùs inculcantem; Hoc, inquit, indumentum quo amictus es, ſuſpende ad limina Frodoberti. (Erat autem pœnitentium more cilicio tantùm indutus.) Cúmque de hoc ſermone ſollicitus, & domum Frodoberti ſe neſcire fateretur, & non habere indumentum aliud cauſaretur, inter hæc ab uno de cuſtodibus excitur. Tunc ille anxius enarrans quid viderat, Frodoberti domus quanam in parte eſſet ſedulus exquirebat. Cúmque ipſam Eccleſiam comperiſſet, ante cujus procumbens fores ſoſpitati fuerat reformatus, inexplicabili alacritate perfuſus, Templum inſiluit, magnificans eum gratéſque perſolvens, cujus beneficio & ſalutem receperat, & graviſſimi levamen ſceleris ſe adeptum eſſe gaudebat: depoſitóque illic cilicio ad S. Archangeli Michaëlis Eccleſiam ex præcepto Apoſtolico properavit. Res verè mirabilis & ad Divinæ pietatis præconium ſolitò referenda: quòd ejus interventu ſalvatus eſt, cujus ne nomen quidem antè perceperat: cujus vocabulum mox ut divinitùs didicit, animæ corporíſque ſalutem ejus merito ſe recuperâſſe perſenſit. Multa præterea per eoſdem dies, quibus ſacri corporis depoſitio parabatur, ejus merito beneficia provenêre languentibus, híſque maximè qui diverſa febrium valetudine profligati, ad B. Frodoberti opem ſe ſubmiſſiùs contulerunt.

a

* ſecundus

Multis Sanctorum locis luſtratis, ad S. Frodebertum curatur.

NOTA.

a Eadem appellatione *ad duas tumbas* Odo Glannafolienſis deſignat Montem S. Michaëlis in Epiſtola præfixa Vitæ S. Mauri, quam Sæculo 1. Bened. ad ann. 684. retulimus.

33. Interea temporis ſerie defluente, Kalend. Janu. dies illuxit, quo illum diximus mundanis exemptum laboribus ad ſupernæ civitatis culmina ſubvolâſſe. Sed quoniam illa dies Circumciſioni Dominicæ ſpecialiter mancipata, celebritatis alterius non patitur obſoleſcere ſuperventu, B. Frodoberti dignitas iiſdem ſuſcepta Kalendis, minùs celebris, minùs videbatur eſſe ſollemnis; quòd populus Dominicæ feſtivitatis cæremoniis occupatus non haberet liberum ad B. Confeſſoris gaudia ex voto confluere. Venerabilis itaque & memoratus Trecaſſinæ urbis Pontifex, cum Abbate & Fratribus participato conſilio, rationi congruum judicârunt, ut in octavum abhinc diem prænominata celebritas differretur, quatenus & feſtivitatis dignitati proſpicerent, & populorum deſiderio, qui erga B. Frodoberti gloriam jam tunc inexplebiliter ardebant, conſultiùs proviſerent. Igitur die ſexto Iduum Januariarum accedente, nocturnalis officii functione completa, ſacrum corpus devotis levantes in humeris, in vicinam B. Michaëlis Eccleſiam detulerunt. Quod ideò eis decernere libuit, ut & populi frequentia copioſior accederet, & effectus Tranſlationis die ſuccedente celebrior redderetur. Ibi itaque matutinalibus hymnis auguſtiùs celebratis, miſſis ab Abbate Fratribus Pontifex invitabatur, qui eo quo dictum eſt fervore ſuccenſus, rapto agmine Cleri & populi maturiùs adeſſe curavit.

CIRC. AN. DC. LXXIII. JANUAR. I. Tranſlatio S. Frodoberti 8. Januarii.

34. Quid ſanè miraculi tum quoque contigerit, ſuccincta relatione conſtabit. Erat tempus implacidum, & ut ſe habent hiberna, profuſis paludibus inquietum. Noctis itaque præteritæ ſuperventu, cùm ea quæ ad futuræ Tranſlationis obſequium pertinebant, Abbas cum Fratribus præpararet; conſiderata aquoſa temporis qualitate, anxiè ſecum de populi ſuperventuri inquietudine pertractabat. Et, Utinam, inquit Abbas Fratribus, ſuperna pietas per hujus B. Patris meritum paludis mollitiem gelu conſtringeret, & nivium ſuperventu difficultatem itineris temperaret. Mox devota deſideria clementia Creatoris excepit, noctémque totam glacialis rigor validiſſimè coartavit. Circa gallicinium verò tanta nivium congerie terra obducitur, ut univerſis liquidò clareſceret, B. Frodoberti patrocinio ad ſuæ Tranſlationis occurſum facultatem opportuni itineris populo præparatam.

Tempeſtas commodior obtenta.

35. Itaque omnibus ritè proviſis quæ tanta diei officioſitas expoſcebat, pretioſi gleba corporis de B. Michaëlis Baſilica à Pontifice elevata, hymnorum concentibus in ſublime ſublatis, in Apoſtolorum Principis Eccleſiam introfertur, tantâ gaudiorum pompâ, tanto tripudio populorum, ut ſole clariùs pateſceret, præcellentiſſimi hunc apud Deum eſſe meriti, cujus apud homines tanta támque ingens gloria refulgebat. In loco igitur præparato incomparabilis ille ſanctiſſimi corporis theſaurus deponitur, cunctíſque ſepulcri ornamentis opportunè compoſitis, à parte capitis ara honori Innocentium Martyrum conſecratur, ſacrorum quoque cultus ſollemnibus officiis expenditur, & feſtivitatis ejus privilegium, cunctis poſtea ſæculis immutabiliter obſervandum Pontificali auctoritate ſancitur. Dies tota omnibus lætitiis afflata peragitur, quantóque ſtudio à poſteris frequentari debeat, iis primis officiis deſignatur.

Tranſlationis anniverſaria ſollemnitas præcepta.

36. Tantis itaque per B. Frodoberti merita beneficiis cumulati, grates & beneficia & gratias inexplebiles omnipotenti Deo & agimus & habemus: qui nobis ſibi famulantibus, noſtræ gentis, noſtri Ordinis peculiarem dignatus eſt præparare patronum, qui loci iſtius & à fundamentis propagator exſiſteret, & ſua illum habitatione proveheret, exemplis beatiſſimis illuſtraret, obitu ſanctiſſimo conſecraret, quíque vivens ſignorum dote refulſerat, mortuus immo feliciter immortalis, locum ſuum & præſentiâ lætificaret, & patrocinio protegeret, & miraculis indeficientibus perornaret: horum omnium auctore, auſpice, & cooperante immortali Deo, cui perpes gloria, infinita victoria, majeſtas & dignitas ſempiterna, extunc & nunc & in omnia ſæcula ſæculorum, Amen.

AN. CHR. DC. LXXIV. JAN. XXV.

VITA S. PRÆIECTI EPISCOPI ARVERNENSIS ET MARTYRIS cum S. AMARINO seu MARINO Abbate.

Auctore anonymo æquali.

Ex Iohanne Bollando ad 25. Ianuarij.

OBSERVATIONES PRÆVIÆ.

Vita duplex. * *S. Prix, S. Priet.*

1. *EN tibi, Lector, S.* PRÆJECTI * *seu* PROJECTI *Episcopi Arvernensis & Martyris Vita duplex, utraque ab suo Auctore coævo litteris commendata, typisque vulgata à Iohanne Bollando: cujus distinctiones numerorum initialium retinuimus. Auctor primo loco editus ætatem suam indicat num. 5. & 17. alter in Prologo suo, dum* JONAM *S. Columbani discipulum, suæ memoriæ virum appellat. Neutrum prætermittendum censuimus, quòd in utroque singularia nonnulla commemorentur.*

Memoria celebris.

2. *Mirum quàm celebris fuerit, éstque etiamnunc S. Præjecti memoria, cui plurima altaria, Oratoria & vici non solùm in Arvernis, sed etiam in aliis regionibus nuncupata sunt. In antiquis Martyrologiis honorificè prædicatur VIII. Kalend. Febr. quo die sincerum Bedæ Martyrologium* Natale S. PROJECTI *celebrat. Et Florus Lugdunensis Subdiaconus in Addit. ad Bedam:* In pago Arvernico natalis PROJECTI Episc. & Mart. qui more prophetico electus ab utero, purpurantem stolam servavit in triumpho. *Uterque* Projectum *vocat, silet* Amarinum, *quem Usuardus & Ado* Præjecto *martyrij socium addunt his verbis:* Civitate Arvernis S. PRÆJECTI Epiſc. & AMARINI viri Dei, qui passi sunt à Proceribus præfatæ urbis. *Adjungendus ergo Præjecto* AMARINUS *seu* MARINUS *Abbas, non item* ELIDIUS *Præjecti* satelles *ab antiquis haud laudatus: qui quidem cum Præjecto occubuisse infrà legitur, sed interest quis quâ causâ patiatur, ut inter Martyras (sic tum vocabant homines piæ vitæ à sicariis quacumque ex causa interemtos) locum habeat.*

Monasticus status.

3. *Præjectum Benedictinis nostris adnumerant Usion & Menardus, quòd Candidinense Monasterium regendum susceperit. Adversantur nonnulli, opponentes istud Monasterium non Monachorum fuisse sed Sanctimonialium, quas Præjectus Presbyter direxerit. Hic litigare non est animus, cùm antiqua quibus res definiatur nobis argumenta deficiant. Id tantùm observandum, in more tum positum fuisse, ut Cœnobiis Virginum etiam adjungerentur Asceteria virorum, à quibus ille regebantur, sicuti in Elogio S. Theodechildis Abbatissæ Iotrensis ad ann. 660. docuimus. Et ne longiùs exempla petamus, S. Genesius Comes Arvernensis, Camelarinensis Parthenonis conditor, Ecclesiam* quartam S. Cæciliæ fecit, cui Monachos adjunxit. *Quamquam etsi aliæ desint rationes, hoc uno solo recensendus à nobis est S. Præjectus, quòd cum eo passus sit* S. AMARINUS *ignoti Cœnobij, at Benedictini quidem (ut conjicere licet) Abbas: cùm aliàs Genesius Comes hortatore S. Præjecto Camelarinense Parthenona* ad Regulam S. Benedicti & S. Cæsarij atque Columbani *composuisse, Præjectus aliud sumptibus suis erexisse infrà legantur.*

a Genesius illustris Arvernus,

1. SUB diva memoria HILDERICI Regis qui Germaniæ gerebat principatum, cùm Arvernorum Ecclesia pæne Sacerdotali esset culmine destituta [a], GENESIUS eo tempore vir illustris & generositate pollens opibúsque opulentus, in præfata urbe municipatum obtinebat. Quæ urbs immensitate divitiarum olim præpotens, nunc Martyrum sanguine ditior claret, tellus amœna, nisi quòd zephyrorum flabris fulminibúsque incursantibus

b sæpiùs fatigatur. Ubi haud procul Liger [b] fluvius præcipiti cursu præterfluens, Aquitanicam provinciam semicingens, post multos anfractus & prolixa terrarum spatia Oceanum quoque latè ingreditur mare. Sed ad propositum revertamur.

a Nempe post mortem Felicis Episcopi, de quo in alia Vita num. 11.

b Arvernorum civitas seu Clarus-mons, vulgò *Clermont*, amplius viginti milliaribus distat à Ligeri fluvio: at vix mille passibus ab Elavere *l'Allier*, qui in Ligerim influit.

2. Cùm

2. Cùm opinio de adepto Sacerdotio catervatim, ut in talibus rebus fieri aſſolet, rimaretur, & alius alij præferri niteretur, atque inter ſe diſceptarent; cùm pars maxima præfatum Geneſium ad Pontificale culmen ſublimandum ſummo adniſu regalibus edictis diſpoſuiſſent; ille metu perculſus, ne contra edicta Canonum ageret, indignum ſe Sacerdotio fore aſſerens concionabatur. At cives in electionem PRÆJECTI verba deprompſerunt, qui illis diebus officium Sacerdotalis ordinis in præfata urbe gerebat. Quorum cùm ad aures vulgi perveniſſet conſenſus, vox omnium Clericorum & laïcorum una efficitur, Præjectum dignum fore * Sacerdotio. Quid plura? auctore Deo ordinatur Epiſcopus. Erat enim piiſſimus, & omni ſuavitate conſpicuus, vultu hilaris, ſermone lenis, eleëmoſynis & jejuniis præditus, virginitate pollens, corpore nitidus, caritate diffuſus, humilitate perſpicuus, ſcientiâ & eloquentiâ præclarus, ornatus moribus, itaut humana ſub ſpecie Angelicam cerneres vitam degere. Habebat enim tunc temporis ſocium ſacræ religionis ſagaciſſimum perſpicuæque ſanctitatis virum EVODIUM, qui multos Arvernorum vicinarúmque urbium populos antiqui anguis irretitos habenis ad ſanctæ Eccleſiæ Catholicæ gremium per pœnitentiæ ſalubris antidotum revocavit.

AN. CHR. DC. LXXIV. JANU. XXV. Epiſcopatum recuſat.

Præjectus eligitur.

* eſſe

3. Sed cùm jam pridem his bonis, Chriſto præſule ſine quo nihil boni agitur, polleret, cœpit affatim prædicto Geneſio [a] Comiti conſilium præbere ſalubre, ut quia ſoboles ei quæ hereditario jure ſuccedere deberet deerat, Eccleſiam ſibi quæ maculam & rugam non haberet adoptaret. Quo conſilio vix tandem iſdem vir illuſtris adepto, Monaſterium ſacrarum Virginum ſuburbano præfatæ civitatis in loco, cui Camelaria nomen inditum eſt, omni niſu atque conamine fabricare adorſus eſt ex Regula dumtaxat virorum Sanctorum, id eſt S. BENEDICTI & S. CÆSARII, atque COLUMBANI [b]. In quo Monaſterio ad exercendam normam fidei, religioníſque ac mortificationis cuſtodiam, præfatum Evodium, cujus ſuperiùs mentionem fecimus, ſummum prefecit, & ad neceſſitatem eorum res ſuas jure obtentas inibi delegavit. Sanctus verò Pontifex quamdam feminam illuſtribus ortam natalibus, & quam ab adoleſcentia in Chriſtiano vigore dilexerat, vocabulo GUNDILANAM, ibi Matrem inſtituit.

Monaſterium Virginum ædificat.

a

b

4. Cernens itaque vir Deo plenus ubertim Chriſti familiam creſcere, aliud Monaſterium in ſuburbano prædictæ urbis, in agello Cæſariæ quondam feminæ conſtrui præcepit, & ipſum de puellis Deo dicatis ſacravit. Ante illud etenim tempus puellarum in illis locis Cœnobium vix reperiebatur. Xenodochium quoque in propriis rebus, Orientalium morem ſecutus, in loco qui Columbarius dicitur, fabricare curavit. Medicos vel ſtrenuos viros qui hanc curam gererent ordinavit: ita tamen ut ſemper ibidem viginti ægroti mederentur, & ſtipendia ſibi acciperent; poſtquam verò convaleſcerent, aliis locum curandi darent.

Item aliud ac Xenodochium.

5. Verùm quia prolixitas rerum & curioſitatem & obſcuritatem (ut ait Oroſius) generare ſolet, nos paucis differimus verbis: neque vitam pandere tantùm, ſed paſſionem texere rerum exitus depromit. Opinio vera habetur, quòd in eadem urbe ſub paganis Principibus legio ſancta occubuerit Sanctorum, qui pro Chriſti nomine proprium ibi fuderunt ſanguinem. Hujus legionis principes CASSIUM, & VICTORINUM, ANATOLIANUM quoque fuiſſe confirmat antiquitas. Inibi etiam Cœnobium conſtrui voverat, ſed humanis præpeditus obſtaculis cœptum opus imperfectum reliquit. Diſpoſuerat tamen animo, ut quos ex memoratorum ſociis reperiſſet, deberet per loca honeſta transferre. Sed cùm vigilias per Abbates vel Clericos per loca Sanctorum inſtituiſſet, ut in prom-

SS. Martyrum Reliquias perquirit.

a Non confundendus Geneſius Comes auctor Camelacenſis Parthenonis (de quo in alia Vita) cum Geneſio Epiſcopo Felicis prædicti deceſſore, qui *non procul ab urbe Monaſterium collocavit & regulariter vivere inſtituit*, à nonnullis etiam cum Geneſio Epiſcopo Lugdunenſi idem perperàm creditus.

b Has Regulas in unum compactas Sanctimonialibus aptaverat S. Donatus Veſontionenſis Epiſcopus, quemadmodum in ejus Elogio ad ann. 651. diximus. Lege Notas in aliam Vitam.

An. Chr. dc. lxxiv. Janu. xxv.

ptu, ex eorum videlicet Reliquiis, rei veritatem inveniret; cùm ipſum ferrum arripuiſſet, & rura in quibus ſancta corpora tumulata fuerant aperire juſſiſſet, Divino nutu pauper quidam, qui per tria ferme luſtra tenebatur debilis, ſanitatem ibi recepit. Et hoc ne cui incredibile videatur S. Præjecti virtute geſtum fuiſſe, intantùm veritas patet, ut qui hæc vidit, ipſe verbis intimaverit. Nec immeritò Dominus Sanctos ſuos ita remunerari in terris dignatur, qui ſuas propter ipſum crucifixérunt voluntates. Corpora verò Sanctorum à ſucceſſore prædicti Pontificis Avito Papa mirificè ſunt tranſlata.

Auctoris ætas.

Epilepticum ſanat.

6. Cúmque his & aliis miraculis polleret, audiens hæc Chrodobertus Turonicæ urbis Epiſcopus, Diaconem ſuum cum eulogiis causâ viſitationis ad ipſum direxit. Cúmque eum alacri recepiſſet animo, ſecum in convivio diſcumbere fecit. Accepto iſdem Diaconus poculo, ſolitus ei labor aſſequitur, cadivâ denique fatigatur inſaniâ. Cúmque venerabilis Præſul phreneticum atque furibundum & ſtridulis dentibus inſpexiſſet, cœpit eum levi conamine conſolari, per Divinum adminiculum adjurans, ne diutiùs pars adverſa corpus Chriſto deditum uſurparet. Mox mirum in modum ſanus efficitur, & numquam deinceps tali eſt fatigatus labore.

Furem divinitus agnoſcit.

7. Alio quoque tempore cùm ſacratiſſimo Dominico Paſchæ Reſurrectionis die convivium habuiſſet, quidam ex miniſtris, cui inferre mos erat ipſius cibum, vaſculum argenteum quod tueri debuerat furtim abſtulit, quod ſub rure poſitum occultare niſus eſt. Cúmque alij miniſtri inter ſe conquirere cœpiſſent, quidnam rei de argento actum foret, ad aures Pontificis facti ſcelus pervenit. Juſſit itaque omnes, qui illo officio deſerviebant, ſuis obutibus præſentari, & paterno eos cœpit monere affamine, ut quod malè ablatum fuerat, per confeſſionem bene proderet noxa. Quod ſi non, nocte opaca Domini auxilium ſe dixit imprecaturum, ut facinus admiſſum detegeret, & noxa illicitè uſurpata inſontes ſervaret, & noxium ſua pietate elucidaret. Expletis itaque vigiliarum excubiis, cùm ſe vir Deo plenus ſopori dediſſet, vidit in ſomnis virum candida veſte fulgentem, utpote Angelum pacis, qui ei ſupradictum vaſculum, ubi abditum erat humóque opertum, indicaret. Evigilans è ſomno B. Præjectus officiales cunctos qui eidem miniſterio deſerviebant accerſiri jubet. Cúmque viciſſim omnibus ſermocinatus fuiſſet, quid ex illo furto reperiſſent, omnes unanimiter denegantes, nihil ſe ex hoc ſcire ediſſerunt. Tunc vir Dei manu annuens, & digito deſignans, nomen latronis indicavit, addens etiam: Illo & illo ite in loco, & furtum abditum reperietis. Cúmque ad locum miniſtri denominatum veniſſent, vaſculum quod pridie perdiderant, prædicto Pontifici detulerunt. Latronem verò coram omnibus arguens, & ad pœnitentiam agendam cohortans, quantum ad ſe pertinebat, indulgentiam accommodavit.

Hilderico adiēs, Amarinum febricitantem ſanat.

8. Per idem tempus evenit, ut vir Dei ad aulam Regis Hilderici pro conditione Eccleſiæ pergeret. Arrepto itinere cùm jam per vaſtam eremum Voſagum nomine iter carperet, poſt laborioſum callem per juga montium & convallium, vix tandem venit ad locum, quem Doroangus [a] gentili linguâ Barbari vocitant, ubi haud procul cellulam beatæ recordationis & venerandus vir Amarinus, ex permiſſo & conniventiâ Warnecharii [b] Optimatis, ſummo labore conſtruxerat. Eodem tempore cùm ibi in paupertate Dei tirunculos haberet, ut vix panem paximatij ad menſuram cum lympharum potu ſumerent, licet ſub paupertatis inopia, Chriſto Domino famulabantur juxta illud Evangelij præceptum, dicens: *Matt. 5.3.* ***Beati pauperes Spiritu, quoniam ipſorum eſt regnum cælorum.*** Sed quid ibidem Dominus per Præſulem ſuum venerabilem Præjectum

a Savaro legit *Cloroangus*, quam lectionem præferendam putamus, tametſi locus nobis ignotus eſt. In alia Vita *Claro.mgus* non *Doroangus*, & *Moragus* non *Voſagus* ſcribitur. Lege Notas infrà.

b Non Vvarnacharius Majordomus in Burgundia à Chlotharío ſecundo inſtitutus, cùm anno regni Chlotharij xliii. Chriſti dc. xxvi. teſte Fredegario ſit mortuus: aliàs octogenario major occubuiſſe dicendus eſſet S. Amarinus.

miraculi oſtenderit, non eſt ſilendum. Denique prædictus Amarinus febre jampridem fuerat correptus, intantùm ut nec greſſum movere, nec alimentum ullum, niſi laticem tantùm, haurire poſſet. Quod cùm ad aures beati viri Præjecti inſinuantibus Fratribus perveniſſet, ſolitas Domino preces fudit, & ad cellulam ubi venerabilis Abba ægrotus jacebat pergens, ſcuto fidei armatus, tugurium ingreſſus, vexillum Crucis indeptus, ſalute allatâ febris diſceſſit è corpore: apprehenſáque manu ejus, ad refectionem domus (mirum dictu!) adduxit illæſum. Congratulantur Fratres priſtinam ſanitatem recepiſſe Patrem. Quid ibidem gaudij fuit, quòd tale miraculum per famulum ſuum Præjectum Dominus operari dignatus eſt, ut in eremi vaſtitate ſubitò æger recepiſſet ſalutem? AN. CHR. DC.LXXIV. JANU. XXV.

9. Sed poſt ſacra ſalubriáque verba cùm ſe ſopori dediſſet, & excubias atque vigilas pernoctans uſque ad auroram diei vir Dei conſummâſſet, cùm jam auroráque diei ſol rutilans gratiſſimus fuiſſet redditus terris, cum benedictione Fratrum iter quod cœperat arripuit, atque ad Principem perrexit in pace. Cui Dominus tantam apud Majorem-domus præſtitit gratiam, ut quod verbis deprompſiſſet, ſummo cum honore adeptus ſit. Gaudent Rex & Aulici ejus, Proceres atque Optimates, à Domini Sacerdotibus ſtrenuè ſuſceptus eſt. Privilegio autem Eccleſiæ ex auctoritate Principis roborato, Chriſto favente remeavit ad propria. Honorificè ab Hilderico Rege ſuſceptus.

10. Erat illo tempore in ſupradicto territorio Arverno quædam femina Deo dicata nomine CLAUDIA, quæ ſedulò propter cauſam prædicationis veniebat, réſque ſuas ex parte prædicto Pontifici, vel pauperibus quos ipſe regebat contulit. At non poſt multum ſpatium temporis, debitum implevit naturæ: quæ à B. Præjecto ſummo cum honore eſt tumulata. His ita tranſactis, erat quidam infamis vir, HECTOR nomine, qui apud Maſſiliam Patriciatûs honorem adeptus fuerat, qui filiam ſupradictæ Claudiæ raptam ex ſcelere ſibi ſociaverat, & deinceps concubinatûs miſeriam adorſus, ad Hildericum Principem, qui eo tempore utraque Regna ſuſcepta gubernabat, alio ſibi in ſcelere ſociato nomine LEODEGARIO, pervenit ad Regem, quod poſtea in ejuſdem martyrio perficiendo fomes ſcandali fuit. Incuſat Pontificem, quòd prædia prædictæ feminæ Claudiæ ſibi vindicaret, causáſque Regi depromit: obtinuítque cum Principe, ut Miſſos ex latere dirigeret qui eum per fidejuſſores nuntiarent, & in aula Regis facerent præſentari. Apud Regem calumniam paſſus,

11. Cúmque ille inſtructus de hac cauſa ad reſponſum dandum veniret, multo mœrore conſtrictus eſt, quia jam dies ſancti Paſchæ imminebat, & in propria urbe ipſam ſacratiſſimam Paſchæ noctem ſollemniter ei celebrare non licebat. Sed ut verum proverbium dicitur, Integritas Sacerdotum non timet imperium Regis; fide armatus; & galeam ſalutis juxta egregium prædicatorem Paulum indutus, ad palatium properat. Sed ut mos eſt, apud Regis aulam in loco ubi cauſæ ventilantur introiit, ut cum ſupraſcripto Hectore de ſupradicto negotio rationes haberet. Ipſe cœpit renuere, & rationem veram reddere, juxta ſtatuta Canonum vel legem quæ dicitur Romana [a], quia magnus dies Sabbati erat, quo vigiliæ ſancti Paſchæ celebrari ſolent, ſe nullo modo de hac causâ reſpondere poſſe. Sed ut eſt collatorum mos, omnes cœperunt cogere, ut tali pro cauſa non differret dare reſponſum. Cúmque vir Dei ſe undique artatum cognoviſſet, neceſſitate compulſus ita reſpondit, ſe cauſas Eccleſiæ IMNICHILDÆ Reginæ [b] ditioni commendatas habere. Cúmque hanc aſſertionem cognoviſſent, imperfectum opus remanſit. Beatus igitur Præjectus operis ſui laborem, & quomodò per fidejuſſores veniſſet exhibitus tandem de- Palatium petit. *Eph.* 5. 17. Cogitur pridie Paſchæ coram Rege reſpondere.

[a] Theodoſius Auguſtus Arcadio Aug. II. & Ruffino Coſſ. legem tulit, *ut actus omnes publici, ſive privati, diebus quindecim Paſchalibus conquieſcant.* Quod attinet ad Canones; exſtat apud Ivonem patre 4. q. 46. decretum Liberij Papæ præcipientis, *ut in jejuniorum diebus nulla lites, nulla contentiones eſſe debeant*; &c. quod poſtea Concilia Sueſſionenſe, Triburienſe & alia ſæculo IX. definierunt.

[b] Imnechildis ſeu Chinechildis uxor Sigiberti Dagoberti filij fuiſſe dicitur, de qua hunc locum explicat Godefridus Henſchenius in lib. 2. de trib. Dagob. cap. 2.

AN. CHR. DC. LXXIV. JANU. XXV.

promit. Rex verò & Regina timore perculsi, veniam coram omnibus à prædicto Episcopo expetunt, & pro ejus labore mærore sunt inflicti. Erat itaque in præsidio Hectoris tunc temporis LEODEGARIUS Pontifex. Cúmque jam meridianam plagam sol lustrâsset, & occasu tenus occumberet, & hora (quod est consuetudinis) jam in promptu cerneretur, ut sollemnes vigilias Paschæ celebrare licitum esset, ex Regali permisso vel majorum natu, Pontifices vel Sacerdotes qui in Æduorum urbe ob Regiam potestatem conglobati fuerant, beatum virum Præjectum supplici voce enixiùs poscunt, immo precantur, ut eadem sacræ noctis vigiliâ ipse pro statu Regis, vel pace Ecclesiæ sacrificium Deo immolaret.

Sacris operatur coram Rege.

Hector cum S. Leodegario fugâ elapsus dat pœnas.

12. Cúmque hæc de tanta veneratione Hector cognovisset, maximéque quia WLFOALDI Senioris-Domus fiduciâ perusus erat, intempestâ nocte cum S. Leodegario malè multato uterque fugam ineunt. Cui versa vice illud aptari potest elogium, quod in S. Silvestri actibus describitur de Perpenna Tarquinio, ubi inferitur, quòd eâdem horâ quâ B. Silvestrum ad tribunal suum producturus esset, de domo sua ejectus feretro ferebatur ad tumulum. Sed cùm aurora diei daret initium, & jubar solis jam emineret terris, comperto Rex per Proceres Hectorem terga vertisse, magis ac magis in honorem Pontificis satagere cœperunt. Hector verò captus, Regalibúsque edictis peremptus est. Leodegarius verò pœnitentiâ ductus, & in exsilium Luxovio [a] trusus, atque post inde sublatus, & infra urbem propriam, apud UGIMEREM [b] quemdam perfidum & nequissimum virum, qui postea Trecassinam incubavit urbem, luminibus evulsis, ac non post multum ab EBROINO Comite palatij, aliàs strenuo viro, sed in nece Sacerdotum nimis feroce, impiè valde peremptus, palmam martyrij adeptus est, sacríque nunc virtutibus pollet.

a

b

Ad suos redit Præjectus cum Amarino.

13. Igitur S. PRÆJECTUS ex Regalibus edictis, vel munificentiâ Regis, ut sibi placuerat, de prædiis quæ præfatus Hector requirebat judicium adhibuit, qualiter hæc perpetuo jure Ecclesia possideret. valedicénsque Regi atque Optimatibus, magnificè honoratus ad propria est regressus. Hæc audiens prædictus Amarinus Abba, circa virum Dei omnia prosperè gesta, eum in Arverna secutus est urbe, credens quia solam ibi ob alimoniam sustentandorum Fratrúmque egestatem ac laborem, quem in eremo pro Christo exercebant, suo adminiculo præfatus Præsul præsidium afferret. Quo viso egregius vir velut munus Divinum suscepit, & die noctúque secum socium superni muneris, quod posteà rei probavit eventus, habebat.

Ab Agricio quæsitus ad necem.

14. Sed cùm jam his bonis Christo præsule degerent, inimicus humani generis hæc ferre non valens, dum unius caritatem, alterius invidet receptionem, de quo scribitur, cujus mille nocendi sunt artes, quemdam nequissimum & filium Belial aggressus, per quemdam AGRICIUM ad viros industrios Arvernorum populos properat, ut arte quâ posset in viri Dei necem [c] eorum animos incitaret. Tempore illo Agricius cùm consilium pravorum esset adeptus, nec mora posthæc velut bellua infrenis, totis utpote antiqui anguis innexus habenis, ad virum Dei Volvico * villâ cum satellitum turba stipatus advenit, & quantum milliario uno à supradicta villa, velut lupi rapaces ad caulas ovium vociferantes, cum sonitu buccinæ de saltu miserunt. Beatus verò Præjectus atque Amarinus ubi sonitum audierunt buccinarum, uterque se in orationem dederunt, exspectantes à Domino immarcescibilem recipere coronam. Omne verò officiũ *, qui in comitatu præfati Episcopi erant, audientes clangorem tubarum, pavore perculsi, vestibus nudati, & armis exspoliati, per sentes spinarum vel nemora condensarum veprium verterunt terga. Cùm ad ostium jam domus viri ini-

c

* *Volvic*

* *id est* omnes officiales

a Alia causa sccssûs S. Leodegarij in Cœnobium Luxovienſe refertur in propriis Actis infrà.

b Apud Chesnium *Grinno*, in Vita S. Leodegarij *Vuaimerus* dicitur, Camuzato *Vuammirus*.

c Sigebertus ad ann. 670. id factum dicit *in ultionem Hectoris Massilicnsium Patricij ab Hildrico Francorum Rege perempti.*

qui acceſſiſſent, & introire vellent, tunc (ut fertur) unus ex officialibus viri Dei & oſtiarius domûs nomine GODOLENUS, ſe in certamine pro viro Dei dedit, magis optans gladio collum ſubmittere, quàm in ſæculo ſupra mortem viri Dei inducias promulgare. AN. CHR. DC.LXXIV. JANU. XXV.

15. Sed ubi viginti ſatellites pravorum ſociorum domum ingreſſi ſunt armati, tunc fertur dixiſſe venerabilis Amarinus ad Dei virum Præjectum: Domine mi, inquit, ſi tui conſilij aſſenſus aderit, ad has voces ululantium & nefandorum hominum locum demus: forſitan immenſa Dei pietas nos eruere dignabitur de pravorum inſidiis. Ad hæc vir Dei Præjectus reſpondit: Sile, Frater, ſile, quia ſi modò tibi hanc coronam defraudas, ipſam deinceps nequaquam reperies. In hac voce Amarinus conticuit. Beatus verò Præjectus prolixiùs preces ad Dominum fundens, ſacrum Domino commendabat ſpiritum. Mortem effugere renuit.

16. Completâ quoque oratione ingreſſi nequiſſimi viri, in angulo domûs primitùs pro B. Præjecto Amarinum Dei famulum jugulârunt. Et dum vir Dei in ſtratu ſuo jaceret, & lacrymis ſuum recubitum rigaret, lictores quò venerant remeabant, & B. Præjectum illæſum relinquebant. Quod vir Dei cernens ſibi coronam fraudari, perſecutoribus ſe ultro offerens, ait: Hic eſt quem queritis, implete quod vobis imperatum eſt. Et hæc dicens, unus ex apparitoribus qui erat in ſcelere audacior, RADBERTUS nomine, genere Saxo, pugione arrepto B. Præjecto perfudit in pectus. Vir autem Dei ſacri ſanguinis undâ perfuſus, mucronem videre non ferens, oculis ſuis digitos impoſuit, & poſthæc lictor in caput ejus gladium vibravit, cerebrúmque ejecit. Sic ſancta illa anima carnis nexibus ſoluta migravit ad Dominum *. Occiditur cum Amarino.

17. BODO verò & PLACIDUS inſinuatores viri, qui conſenſum præbuerant de ipſo martyrij loco, cùm non longè adſtarent, viderunt tres ſtellas procedentes cælitus ſuper ipſam domum, in qua Sancti Dei interfecti jacebant, è quibus una majorem dedit fulgorem. Quam viſionem uſque hodie prædicti viri ſe vidiſſe confirmant. Quod miraculum & illorum credimus demonſtrare gloriam, & iſtos revocare ad pœnitentiam. Nullus enim in hac poſitus vita, ſi converti voluerit, deſperandus eſt de venia. Denique, ut legitur, LONGINUS miles Domini latus lanceâ perforavit, & deinceps converſus coronam martyrij adipiſci meruit. Necis auctores converſi. Auctoris ætas.

18. Satellites verò qui hoc facinus perpetrârunt, manibus cruentis corpus B. Præjecti, ſuum ut completum ſcelus probarent, foras in perſecutorum conſpectibus traxerunt. Iſdem verò Radbertus, qui manus funeſtas in Dei Sacerdotem extenderat, ultione Divina percuſſus, conſumptúſque à vermibus indignam vitam digna morte finivit. Interfectores puniti.

* *de anno infrà.*

ALIA VITA SANCTI PRÆIECTI.

PROLOGUS AUCTORIS.

1. STUDII fuit apud veteres, & eruditiſſimos viros, ut eorum geſta, quos miraculis & ſanctis actibus pollere cernebant, ſagaci ſtudio, Chriſto auſpice ſine quo nihil boni agitur, ſtilo promulgarent, quatinus de præcedentium meritis imitanda, vel memoriæ commendanda, cognoſcens ventura ſoboles gloriaretur. EUSEBIUS verò Cæſariēſis urbis Epiſcopus, vir eloquētiâ & facundiâ pollens, majorū exempla ſecutus innumeros Martyrum deſcripſit agones, quem imitatus RUFINUS uſq; in Conſulatu Theodoſij Principis ſtilo elicuit. Sed ut ad ſacros veniā Anachoretas atq; Cōfeſſores, B. ATHANASIUS Alexandrinus Epiſcopus, Antonij; ſanctus verò & eruditiſſimus vir HIERONYMUS, Pauli, Sanctorum geſta ſcripſerunt antiqui.

An. Chr. dc.lxxiv. Janu. xxv.

& Hilarionis, vel ceterorum quos cultus bonæ vitæ laudabiles reddebat, edidit acta. Posthumianus verò, Severus, & Gallus Martini egregij vitam ſuis edidere ſchedulis. Sed & beatiſſimus quoque Gregorius Romanæ Eccleſiæ Pontifex, cui etiam ſecreta cæli patuerunt, in libris quibus titulum Dialogorum inſeruit, Sanctorum agones, multimodáque geſta melliflua condidit facundia. Jonas etiam noſtræ memoriæ tempore vir eloquens, vitam B. Columbani, & diſcipulorum ejus Athalæ, Euſtaſij, & Bertulfi, luculentiſſimè edidit.

Auctoris ætas.

Ad quorum comparationem, velut viles vernaculi eſſe cenſemur: ſed memores illius Domini & Salvatoris noſtri præcepti; *Petite & dabitur vobis, quærite & invenietis, pulſate & aperietur vobis*; & illius Pſalmographi oraculi, *Aperi os tuum, & implebo illud*, quamvis temerario, non tamen ſubreptivo, aut præſumptionis anniſu, juſſionibus veſtris ſatisfaciens, ea quæ de ſummo Præjecto Pontifice tam indaganti ſtilo, quàm relatione plurimorum reperi, aggrediar texere geſta. Unde Lectorem obſecro, (ſi quis tamen captus amore Pontificis legere decreverit) non quærat in his Tullianam eloquentiam, nec Oratorum facundiam, nec Philoſophorum floſculos, & Stoïcorum diverſas aſſertiones; ſed puritatem ſanctæ Eccleſiæ. Neque enim aquila extenſis alis ſemper ad æthera volitat, ſed crebriùs remiſſioribus pennis divertit ad terras, & inter Regias ſæpe dapes, etiam vilia poma, lactucæque agreſtes, optimæ quoque cenſentur. Orandus eſt igitur Deus Pater & Salvator noſter Jesus-Christus, ut auram ſancti-Spiritus afflare dignetur, ut caliginem cordis abradat, facultatem accommodet loquendi, ut ita præfati Antiſtitis, qui ſemper amore Chriſti flagravit, valeamus actus diſſerere; quatinus exemplum illius, virtúſque animi ſagacis, in poſteris debeat propagari. Quod tribuat ille rerum Sator æternus opitulante oratu veſtro, qui linguas infantium facit eſſe diſertas. Amen [a].

Matt. 7. 7. *Pſal.* 80. 11.

[a]

[a] Hîc ſequebatur in apographo Compendienſi alius Prologus à nobis omiſſus, qui apud Bollandum Vitæ initium facit.

INCIPIT VITA VEL PASSIO.

Præjectus Arvernus Martyr præſignatus.

2. Sanctus igitur Præjectus clarâ natalium lampade oriundus, Gundoleno, atque Helidia parentibus procreatus, Arvernico territorio eſt exortus, ac priuſquam naſceretur, revelationis myſterio deſignatur. Denique cùm adhuc clauſus eſſet in utero, matri oſtenſa eſt viſio, ſancto monſtrante Spiritu. Vidit namque ſibi per latera pignus egredi, tinctum roſeo baptiſmate, undâ ſanguinis rubricante. Quod cùm cuidam Dei ſervo genitrix Chriſtiana narrâſſet, ilicò agnovit quod naſciturus puer magnus in ſæculo fieret, & palmam martyrii donante Domino obtineret.

Litteris imbuitur. [a]

3. Interea naſcitur puer elegans: labentibus annis infantiæ, pueritiæ tempore ſubintrante, traditur ſcholæ Iciodrenſi [a], atque favente Deo præ cetera turba ſodalium proficiebat Eccleſiaſtico nutrimento. Cúmque polleret induſtriâ cantûs & litterarum, parentes illius eum Genesio Archidiacono ſtuduerunt commendare, qui poſtmodum Arvernis urbe Præſulatûs obtinuit dignitatem. Qui cùm vidiſſet naturæ nobilis puerum diligentiùs enutritum, priùs pecuniam illi credidit in alimoniam pauperum: creſcente poſtmodum eruditionis indagine, ſuo eum frequentiùs faciebat intereſſe conſilio.

Ab æmulis cælitùs defenditur.

4. Verùm quia ſiniſtro ſæpius alterius felicitas adſpicitur oculo, cernentes hoc quidam ex Clericis, invidiæ accenſi ſtimulo, cœperunt ei tendere inſidias calamitatis. Denique Martinum Cantorem incitant, ut cædendi Præjectum aditum quærat. Jubetur puer ſonum reddere, quem vix puncto ore audierat decan-

[a] Iciodrum ſeu Iciodorum & Iſſiodorum, vulgò *Iſſoire*, opidum in Arvernis, Benedictino S. Auſtremonij Cœnobio decoratum, ad Elaverem fluvium. De ejus inſtauratione per Monachos Carrofenſes facta lege To. 2. Bibliothecæ Labbeanæ p. 506. Iſtud Monaſterium Congregationi S. Mauri recèns adjunctũ eſt.

tari: ſed intelligens innocens laqueum ſibi paratum, mentem tendit ad Chriſtum, ſanctum invocat Martyrem Julianum, Divinum expoſcit auxilium. Mox igitur ſancto ſe docente Spiritu ita cantum memoriter reddidit, ut cuncti patenter agnoſcerent, quòd illam melodiam magiſtralem in puero Divina pietas infudiſſet: atque hoc modo invidia in admirationem converſa ceſſavit. Hæc illius ſunt opera qui vellicantem ſicomoros paſtorem puerum Prophetam * fecit. AN. CHR. DC. LXXIV. JANU. XXV. * *Amos* 7. 14.

5. Cúmque bonis polleret moribus, à prædicto Pontifice Iciodrenſe diœceſi[a] eſt prælatus: cœpítque caſtitate fulgere, caritate vernare, jejuniis inſiſtere, orationibus incumbere, Scripturarum volumina perſcrutari, ac diebus Quadrageſimæ ſæcularium conventicula declinare, cum domeſticis tantùm fidei humilitatis parſimonia, cum eleëmoſynarum largitate vacare. [a] Animarum curam accipit.

6. Die igitur quadam cùm plures ad eum pauperes adveniſſent, & eleëmoſynam poſtularent; vir Dei per miniſtrum cognovit, quòd amplius quàm duos nummos aureos non haberet, deferri ſacculum jubet, JESUM prece tacita invocavit. Ilicò virtus Divina affuit, in ſacculo aurum crevit, tantáque ibidem eſt nummorum inventa pecunia, quanta pro foribus pauperum ſtabat caterva. Nec mirum ſi ille inclytus artifex qui ſolem ſuum extendit radio, invocante ſe fideli ſervulo aurum fudit in ſacculo. Nummos multiplicat.

7. Quâdam namque die dum cum hoſpitibus abſtinentibus convivaretur, & piſcem omnimodis anxius non haberet, caſu ad miniſterium aqua defuit. Puer cum ſitula ad fontem perrexit; dum haurit aquam, inſperatò piſcis vaſculum intravit. Regreſſus puer aulicus, piſcem cum latice præſentavit, quod abundè Præjecto cum hoſpitibus ſufficere potuiſſet. Facilè hoc ille præſtitit, qui quaterdenis annis Iſraëliticam in eremo turbam pavit. Piſcem inſperatò obtinet.

8. Sollemnitas ſancti Paſchæ advenerat, Præjectus Arvernis ad Præſulem properat. Dúmque die quadam ſibi in ſolario convivium pręparâſſet, multíque viri ſæculares & nobiles ibidem invitati veniſſent, tres inter eos abſtinentes [b] aderant, qui carnes in eſum ſumere recuſabant. Sed quia ſemper gravis eſt pravis mentibus vita Sanctorum, cùm eos ſæculares viri irriderent, & riſus atque opprobria jactitarent; à viro Dei admonentur, ut quos venerari debuiſſent, irritando non increparent. Sed cùm illi nequaquam ſe corrigerent, ſubitò pavimentum ſolarii cum irriſoribus cecidit, tantúmque Præjectus cum pœnitentibus reſidens ad menſam remanſit: ſícque incauta præſumptio & digna confuſio cum ſuis actoribus ad propria petivit abſceſſum. Abſtinentes tuetur cælitùs vindicatos. [b]

9. Interea dum iſta geruntur, vir Domini Præjectus Diaconus ordinatur. Cœpit cantu pollere, ſapientiâ redundare, mellifluâ ſanctitate fulgere, in omni prudentiâ decoratus incedere: & quia non poterat Eccleſiæ lucerna abſcondi ſub modio, claritatis radios diffundebat inclyto inſerta candalabro. Nam paſſiones Martyrum Caſſij & Victorini, Anatoliani & Aſtremonii *, ac ceterorum Sanctorum qui in eadem urbe ſanguinem fuderunt pro Chriſto, glorioſo lucubravit ſtilo. Optabat etenim particeps fieri Martyrum, qui tam diligens exceptor eorum erat geſtorum. Diaconus Acta Sanctorum deſcribit. * *al.* Aſtreobundij

10. Non multum poſt iſta tempus effluxerat, FELIX urbis prædictæ Cathedram poſſidebat, & tunc Candidinenſe [c] Cœnobium tradidit ad regendum Præjecto. Cúmque ille ibidem Monaſticam attenderet diſciplinam, & tam animarum lucra quàm ædificiorum proveheret ſtructuram; cujuſdam domûs volens repa- Parietis ruina oppreſſum ſervat.

[a] Diœceſis ſignificat territorium Epiſcopi, & pagum ſeu ditionem (uti in Vita S. Serenici ad ann. 670. notavimus) item parochiam, quo ſenſu hìc uſurpatur.

[b] Bernardus Guidonis in lib. de SS. Lemovic. num. 52. Tomo 1. Bibl. Labbeanæ S. Gonſaldum his tribus adnumerat. *Hic*, inquit, *ſicut in quodam libro veteſto Eccleſiæ ſuæ legitur, fuit ſocius S. Præjecti Martyris Epiſc. Claromontenſis, fuitque unus de illis tribus abſtinentibus in die Paſchæ &c. Hic gutturnioſis invocatus opitulari ſolet.*

[c] Candidinenſe Monaſterium non aliud quibuſdam videtur fuiſſe quàm Cantoënnenſe, vulgò *Chantoën*, poſtea Eccleſia parœcialis ad Auſtralem civitatis plagam, quæ nuper PP. Carmelitis Excalceatis ceſſit. Johannes Savaro, in Notis ad lib. 1. de altarib. Claromont. §. 26. ſuſpicatur, Cantoennenſe Monaſterium illud ipſum fuiſſe, quod *non procul ab urbe* Virginibus paravit S. Geneſius Epiſcopus.

AN. CHR. DC. LXXIV. JANU. XXV.

rare materiam, quæ quadraginta pedum numero elevabatur in altum, cùm haberet omnia præparata, & ſtructores ſtarent in machina, ſubitò à fundamento paries cecidit veteranus, unúmque ex operariis ita ſua mole oppreſſit, ut nullatenus inter lapides & pulverem appareret. Tunc vir Dei repletus anxietate, lacrymarum imbrem effudit ante præſentiam Chriſti: juſſítque molem lapidum amovere, ut ſaltem vel quaſſatum cadaver traderet ſepulturæ. Quod cùm fuiſſet impletum, invenerunt hominem ita ſanum, acſi nullo fuiſſet caſu ruinæ præventus: & quia Præjecti opera placerent Altiſſimo, teſtabatur oſtenſa virtus in homine liberato.

Felice & Giroaldo mortuis,

11. Defuncto itaque Felice, cùm maxima pars Cleri vel populi Præjectum cuperent habere Antiſtitem, Archidiaconus urbis præfatæ GIROALDUS [a] nomine, cupiditatis inſtinctu, Clero contempto, laïcorum uſus conſilio, Epiſcopatum urbis Arvernicæ uſurpavit præmio: ſed quadraginta dierum evoluto curriculo, mortis ſortitus eſt tranſitum.

a

Epiſcopus ordinatur.

12. Igitur cùm urbs Arvernica Præſulis deſtituta ſolatio, GENESIUM virum inclytum & Senatoriâ dignitate præclarum Pontificalis Cathedræ ſublimare voluiſſent in ſolio, ipſe vir potens & ſapiens honoris gradum incautè non appetens, indignum ſe huic officio fatetur coram omnibus: quin potiùs concionatur ad cives, ut Præjectum à Rege poſcerent in ſede Paſtoris. Tunc itaque favore populi concordante, immo magis ſancto Spiritu gubernante, inito conſilio Præjectum elegerunt Antiſtitem, decreto etiam Regis & populi petitionibus annuente. Cúmque ſublimatus in Cathedra benedictione percepta fulgeret Angelica converſatione, agebat Deo gratias plebs devota, quòd talem Sacerdotem recepiſſet Eccleſia, quæ antè fuerat morte ſui Antiſtitis deſtituta. Erat enim vir Dei ſanctus Præjectus piiſſimus, & omni ſuavitate conſpicuus, vultu hilaris, fulgentibus oculis, blandus verbis, virginitate præcellens, corpore pulcherrimus, cute nitidus, ſtaturâ decorus, omni bonitate repletus.

Adjutorem prædicationis Evangelicæ aſſumit.

b

13. Cúmque ſanctis polleret moribus, quemdam religioſum virum EVODIUM [b] nomine ſocium ſibi elegit, per quem multorum animas ſancta prædicatione ad cæleſtia deſideria incitavit. Cœpit interea vir Domini Præjectus prædicto Geneſio ſuadere, ut quia mundanas ſoboles non haberet, Eccleſiam Dei ſibi pro filiis adoptaret. Tandem itaque vir nobilis ejus verbis conſentiens in ſuburbano memoratæ urbis Monaſterium [c] conſtruens, ſub norma ſanctæ Regulæ ibidem vivere inſtituit Virgines, reliquam ampliſſimam facultatem poſt ſuum obitum per loca deputavit Eccleſiarum ſanctarum. Conſtruxit etiam vir Dei aliud Cœnobium Virginum in territorio Arvernorum. Nam ante illud tempus, in eadem provincia nulla fuerant Virginum Monaſteria inſtituta. Xenodochium quoque de propriis rebus aptavit, medicos ſtrenuos adunavit, atque ita conſtituit, ut ſemper ibidem viginti ægroti ſanandi adeſſent, quibus curatis, alij totidem medendi ſuccederent.

c

Cœnobia & Xenodochium conſtruit.

Martyrum corpora perquirit.

14. Addantur paginæ quæ cumulantur myſteria. Illo in tempore quo erga Chriſti cultores antiquitùs perſecutionis fervor incanduit, integram legionem virorum fidelium unà cum conjugibus ac liberis carnifex cruentus exſtinxit. Vir igitur Domini Præjectus optavit, ut eorum corpora diligentiùs per loca conſti-

a Bollando *Gairoaldus*, al. *Garivaldus*. Savaro in lib. cit. §. 8. ubi in Eccleſia S. Galli requieſcere dicitur *ſanctus Gerivaldus*, miratur homini *Sancti* titulum attribui, niſi *Sanctus*, inquit, vocetur propter Epiſcopatûs honorem &c.

b An alius ab Evodio quem S. Geneſius Epiſcopus Magnilocenſi Monaſterio præfeciſſe in Vita S. Boniti legitur, incertum.

c Nimirum *in loco cui nomen Camelaria* vulgò *Chameliere*, & quidem *ſub Regula SS.* PP. BENEDICTI, CÆSARII & COLUMBANI, teſte alio Vitæ ſcriptore num. 3. *Conſtruxit Geneſius*, inquit ipſius Geneſij hiſtoricus, *Divino admonitus oraculo apud caſtrum proprium Camelariam à camelis ſic nuncupatam quinque Eccleſias, quarum unam in honore Salvatoris condidit, alteram in honore Dei Genitricis* MARIÆ; *tertiam Petro Apoſtolo dicavit, quam ſextûs virgineî perſonis donavit; quartam S. Cecilia fecit, cui Monachos adjunxit; quintam in exaltatione S. Crucis ædificavit, cui Eccleſiaſticos dumtaxat Presbyteros dare arbitratus eſt, non ſecundum ullius prædictarum Regularum conſuetudinem viventes.* Nunc iſtud Monaſterium exciſum eſt. Eſt & Prioratus S. Ægidij Camalarienſis dictus, vernaculè *S. Gilles de Chamalieres*, diœceſis Anicienſis, ad Ligerim, paullo infra Abbatiam S. Theofredi, cui ſubjectus eſt Prioratus.

tuta

tuta transferret: ſed inquietudine temporum inſurgente, & celeri martyrio propinquante plenè cœptum opus implere non potuit, ſed ſucceſſori ſuo ex parte aliquâ ad peragendum reliquit. Cùm igitur corpus unius Sancti transferre cuperet, & vigilias more ſolito celebrâſſet, accepto raſtro terram fodere cœpit: ſtatímque pauper quidam adveniens, qui annis ter quinis tenebatur debilis, integram ſanitatem recepit operantibus Sanctis. Unde credimus in hac virtute S. Prejectum habere ſocietatem cum Martyre: ut quia & ipſe Martyres venerans, eorum ſemper deſiderabat fieri particeps, cum illis per Dominum miraculo jungeretur virtutis. Nec immeritò illis glomerabatur per ſignum miraculi, qui illis ſociandus erat per ſanguinem. AN. CHR. DC. LXXIV. JANU. XXV.

15. Cumuletur in laudem, quod Chriſtus operatus eſt per Martyrem. Dies ſancti Paſchæ rotato anno advenerat, & quidam ex miniſtris vas argenteum, quod ipſe ſalvare debuerat, furtim ſubtrahens celabat. Quod cùm viro Dei nuntiatum fuiſſet, & ſcelus cum auctore lateret, ſubſequenti nocte orationi incubuit, móxque illi Divina virtus & furem pariter & furtum deſignavit. Mane autem facto cùm inquirerentur miniſtri, & ſinguli cœpiſſent admiſſum facinus excuſare, vir Domini ad locum ſibi divinitùs oſtenſum direxit, argenteum reperit, reum cum magna manſuetudine miſericorditer caſtigavit, ne talia ulteriùs perpetraret: ſícque vir ſanctus ſervans in pectore virtutem diſtrictionis & patientiæ, & prodendo vitium exſtinxit, & parcendo reo miſericordiam cuſtodivit. Hæc illius eſt oſtenſio, qui fraudulentum diſcipulum oſtendit in ſpiritu Elizæo. Furem orando cognitũ corripit.

16. Inſerantur paginæ Martyris clara miracula. Cùm vir Dei exigente causâ ad Regis CHILDERICI feſtinaret præſentiam, itinere deducente pervenit ad locum qui Claroangus [a] vocatur in Morago, ubi milites Chriſti beatæ paupertatis obtentu more vivebant Monaſtico. Cúmque à Monachis fuiſſet exceptus cum gaudio, reperit Patrem Monaſterii AMARINUM vocabulo febrium laborantem incommodo, itaut nec greſſum movere, nec præter aquam aliquod alimentum potuiſſet percipere. Sed cùm Dei vir ad conſulta arma recurrens, vexillum Crucis ſuper ægrum feciſſet, protinus fugata febre ſanatus æger ſurrexit, ſícque gaudentes, ſtatim noctem ſequentem in pſalmis peregerunt & hymnis. Cúmque ad Palatium perveniſſet, gratificè à Rege ſuſceptus, & cum ſumma veneratione ab Optimatibus illius honoratus, quidquid à Principe petiit & voluerat, impetravit: atque valedicens Childerico Regi & Reginæ ipſius dignæ Dei famulæ BERECHILDÆ * vel Proceribus Regni, Arvernicam repedavit ad urbem. Childericũ adiens, Amarinum febre liberat. * *Boll.* Belichildæ

17. Audiens igitur vir Domini Marinus de ſoſpitate Pontificis, cum gratia caritatis eſt ſubſecutus Arvernis, Chriſto ſcilicet diſpenſante, ut qui ſic erant caritate conjuncti, ſimul eſſent martyrio coronati. Dúmque Sancti in mandatis Domini pariter aliquantulum temporis converſarentur, contra eos hoſtis antiquus per miniſtros ſuos exarſit. Denique AGRICIUM quemdam virum nefarium commovit, atque illius conſilio Arvernorum Proceres in necem Sanctorum armavit. Cúmque viri Dei ſimul conſiſterent in loco nuncupato Volovico *, repentè ſuper eos turba ruit perſequentium, proferentes fremitum & ſonitum buccinarum. Quod cùm milites Chriſti cœpiſſent audire, in orationem proſtrati ad agonem martyrij ſe ſtuduerunt præparare: miniſtri verò eorum ſubito timore perculſi, qui evadere potuerunt, fugæ præſidium quæſierunt, præter duos tantùm qui cum S. Prejecto perſtiterunt: reliquos verò quos malignantium turba invenit, nudos abire permiſit. Cúmque ſacer Domini Amarinus foras voluiſſet egredi, & per prædicationis gratiam furorem mitigare, eum vir Domini Præjectus cum Amarino martyrio coronatur. * *Volvic*

[a] Sic legit Vvion in Martyrologio: Bollandus verò *Daroangus in Voſago*. Ignotus locus ſive *Claroangus* ſive *Daroangus*, *Dorosngúſve* legas. Cauſam profectionis Præjecti in curiam, diſcimus ex alia Vita, in qua Præjecti ad palatium profectio duplex deſcribitur.

AN. CHR. DC. LXXIV. JAN. XXV.

Præjectus compeſcuit dicens: Noli, Frater cariſſime, præparatam coronam differre: quia ſi modò eam non aſſequeris, forſitan poſtea non attinges.

18. Quod ille audiens reſtitit, & ingredientibus duobus miniſtris iniquitatis coronam martyrij prior accepit. Cúmque carnifices S. Præjectum occidiſſe ſe crederent, & foras ad ſocios remearent, ille eos de loco in quo orabat vocavit & dixit: Ecce hic eſt quem quæritis, facite quod cupitis. Tunc unus ex illis genere Saxo, nomine RADEBERTUS, B. Præjectum gladio percuſſit in pectore. Tunc ille roſeâ ſanguinis undâ perfuſus Dominum orabat attentiùs dicens: Ne ſtatuas illis hoc peccatum, Domine, quia neſciunt quid faciunt. Hæc S. Præjecto dicente, & orationem fundente, cruentus lictor gladio caput ejus percuſſit, cerebrúmque ejecit. Sic ſancta anima vinculis corporeis abſoluta [a], inter choros Angelorum remunerante Chriſto cæleſtia pervenit ad regna, obtinens cum Sanctis martyrij palmam. More namque Prophetico electus ab utero, purpurantem ſtolam ſortitus eſt in triumpho.

Necis auctores miraculo cõverſi.

19. Quidam verò ex Senatoribus BODO & PLACIDUS, qui in mortem viri Dei conſenſum præbuerant, non longè adſtabant: cernentes ſubitò viderunt tres ſtellas ſuper domum in qua Sancti jacebant ſplendere, & una ex ipſis majorem dabat fulgorem. Cognoſcentes illi per pietatem Domini hoc oſtenſum fuiſſe, & ad Sanctorum gloriam & ſua peccantia corda per pœnitentiam revocanda; terrore compulſi cœperunt de commiſſo ſcelere pœnitere: ſatellites verò qui hoc facinus perpetraverunt, corpora Sanctorum inhumata reliquerunt. Radebertus verò qui Dei famulum peremit, vivens conſumptus eſt à vermibus, & indignam vitam digna morte finivit.

Tortor punitus.

Sanctorum corpora ſepulta miraculis fulgent.

20. Tunc multitudo Sacerdotum, Sanctorum corpora deferentes, cum honore maximo & magnâ elegantiâ tumulaverunt, ſanctum ſcilicet Præjectum & Amarinum & unum è ſatellitibus ejus ELIDIUM. Cœpit namque Divina virtus ad prædictorum Martyrum corpora plurima monſtrare miracula: reddebantur cæcis lumina, claudis plantæ ſolidabantur, contractis membra ſanata, leproſis cutis nitida. Declarabantur ſæpiùs juramenta, reorum ſolvebantur vincula; fugabantur ab obſeſſis corporibus larvæ: quo agnito AVITUS Epiſcopus in loco ubi Sancti fuerant interfecti Monaſterium ſtuduit collocare, Baſilicam erigere, & unum ex parentibus ſancti Præjecti, GODONEM nomine, præfecit Abbatem.

Miraculũ triplex in ægro ſanato.

21. Erat quidam æger de loco qui dicitur Reomaüs*, dira febre confectus: votũ in corde vovit, ſi adjuvantibus Sanctis ſanitatem reciperet, de ſubſtantiola ſua ad jamdictam Eccleſiam deportaret. Cúmque convaleſcere cœpiſſet, & promiſſa complere vellet, difficultate portandi ponderis ad calcem montis laſſatus reſedit. Cúmque anxius ſtaret, ne mendax de promiſſo voto ante Sanctorum obtutus appareret, videns venire pauperes, votum quod portabat diſtribuit; ipſe reſumptis viribus ad Sanctorum limina pergit: ingrediénſque intro, vaſculum vacuum ante Eccleſiæ fores dimiſit. Egreſſus ab Eccleſia vas vinarium, quod reliquerat vacuum, operante Chriſto reperit ſubitò plenum. Sícque Chriſtus in perſonam unius ægri triplici miraculo fulſit per Martyrem: reddidit vires languido, turbam pauperum pavit, auxit & ſuſcepit votum promiſſum.

* *de eo in Vita S. Iohannis Abb. Reomaenſis an. 541.*

Alia miracula.

22. Erat quodam loco ſcamnum, ubi conſuetudo fuerat ſedendi Præjectũ: quod cùm joculatores viri ad ſuum artificium deportâſſent, agnoſcentes tanta miracula per ſanctum Dei oſtendi, timore perterriti ipſum ſcamnum in Baſilica S. Symphoriani [b] ſtuduerunt reportare. Audiens igitur ſervus Dei VENERIANUS quod per præfatum Sanctum virtutes multas oſtenderet Dominus, ipſe ad hoc videndum direxit quantocius. Orto jam ſole Eccleſiam ingreſſus, in oratione proſtratus, cùm ſubitò ſurrexit, omnes illius Eccleſię lampades divinitùs accenſas lucere conſpexit. Cùm ergo Avitus Pont. Abbati loci illius quod de ſumptu pro-

[a] S. Præjecti martyrium contigit ſequenti Januario poſt annum ſupremum Childerici Regis, qui Auguſtoduni Paſcha celebrato, poſtea circiter Autumnum anno Chriſti DC. LXXIII. necatus eſt.

[b] Hodie Eccleſia Collegiata S. Geneſij teſte Savarone in lib. 1. de altarib. Clarom. n. 25.

prio acquiſierat adſignâſſet,& eſſet neceſſitas ipſius loci familiã deſcribendi,prædictus Abbas per ſemetipſum hoc facere dubitans, ſancti Veneriani conſilium ob hoc credidit expetendum. Cúmque pergeret ad eum, Angelus Domini per viſum cauſam pandit Veneriano. Tunc ille accerſitos Notarios ipſius rei utilitatem excepit, convivium parari juſſit, & quòd memoratus Abbas ibidem venturus eſſet Fratribus indicavit. Cúmque verba compleſſet, ipſe Abba affuit, deſcriptionem adſpexit, de revelatione cognovit, & uterque Domino gratias retulit, qui eorum adjutor eſſe in omnibus conſuevit. AN CHR. DC. LXXIV. JAN. XXV.

23. Addatur ad Chriſti præconia virtus per Martyrem patefacta. Quidam ex auctoribus necis Sanctorum URSIO nomine, pergens obtentu venandi, ad terram de equo corruit, fractóque dextro brachio ceterorum membrorum debilitatem incurrit. Sed cùm nullatenus à medicis vel incantatoribus medelam conſequi potuiſſet, ad ſemetipſum reverſus, ſuum agnoſcens facinus, cum conjuge contulit, & ad Sancti ſepulcrum direxit ut ſibi indulgentiam poſtularet, & de lampade quæ ibidem ardebat aſſiduè oleum mereretur accipere, & debilia membra perungi. Quòd cùm fuiſſet impletum, dicto citiùs recepit ſanitatem membrorum. Hoc ille conſpiciens decem librarum pondere vas direxit argenteum ad polyandrum S. Pontificis exornandum: quod agnoſcentes ceteri qui eodem lapſu fuerant inquinati, cœperunt pœnitentiam agere, & auri atque argenti copiam ad ſepulcra Martyrum deſtinare. Auctor necis ſanatus ac cum ceteris pœnitens.

24. Erat in Arvernico locus de proprietate Sancti, quem Verſetonem antiquitas voluit nuncupare, ubi virtutes multas dignabatur Dominus demonſtrare, ad lectulum ubi ſcilicet Sanctus ad dormiendum conſueverat reclinare. Cúmque jamdictus ibidem adveniſſet, miniſtro præcepit ut aliquantulum olei in lampade Eccleſiæ ponere debuiſſet. Cúmque magis quàm libras duas omnimodis non haberet, miniſter vaſculum cum oleo attulit, tantámque abundantiam olei Divina virtus infudit, ut omnes lampades Eccleſiæ habuiſſet unde compleret. Quod cùm factum fuiſſet, adhuc oleum remanſit, atque in alia Baſilica quam ipſe Urſio in honore S. Præjecti condiderat, vaſculum deportare præcepit, & triginta lampades exinde complevit. Cúmque adhuc in vaſe eodem oleum remanſiſſet, ad alia Sanctorum loca exinde tranſmiſit ubertímque habuit. Oleum cæleſtius auctum.

25. Hæc namque de mirabilibus prioribus excerpta ſufficiant, quatinus nec generet faſtidium prolixitas lectionis, & ad laudem Chriſti per Martyrem incitetur devotio populorum. Det mihi Chriſtus Dominus, ut obtineam illius veniam, quia multa præterii, qui ſenſu tenui vix pauca conſcripſi. Perſeverat hodie oſtenſa per Præjectum virtus Altiſſimi, non ſolùm in territorio urbis Arverniæ, ſed ubicumque in honore illius ſanctæ conduntur Reliquiæ, multiplicia vota præſtantur petentibus operante potentia Chriſti, cui & honor eſt gloria cum Patre & Spiritu ſancto per omnia ſæcula ſæculorum, Amen[a].

[a] In MS. codice Compendienſi ſubjicitur *miraculum Romæ patratum* Henrico tertio imperante erga Petrum Judicem quemdam forenſem, S. Præjecti cultui addictiſſimum, ob idque à pœnis ſibi ob injuſta judicia à Deo reſervatis præceptum.

DE TRANSLATIONIB. RELIQVIARVM SANCTI PRÆIECTI.

1. *SANCTI* PRÆIECTI *corpus in Volovicenſi Monaſterio quievit ad Pippini Regis principatum, quo Sancti Reliquiæ in Flaviniacum Monaſterium, pars deinde in Monaſterium S. Præjecti prope Auguſtam Veromanduorum tranſlatæ ſunt. Id antequam exponamus, pauca de Volovico dicenda.*

2. Volovicus *ſeu* Volvicus, *vulgo* Wolvic, *vicus eſt quinto fere milliari ab urbe Arvernorum ad borealem plagam, medio fere itinere inter Mauzacum Monaſterium & prædictam civitatem.* AVITUS *Epiſcopus illic Cœnobium condidiſſe &* GODONEM *Abbatem Præjecti conſanguineum cum Monachis ad ſacri tumuli cuſtodiam ordinâſſe ſuprà num.* 20. *legitur. Quem etiam* Volovicenſe Monaſterium.

AN. CHR. DC LXXIV. JANU. XXV.

in locum B. Auſtremonii Epiſcopi Reliquias à loco qui vocatur Iciodorus, *fuiſſe ab eodem Avito tranſlatas, in hiſtoria ejuſdem Tranſlationis Tomo 2. Bibliothecæ Labbeanæ advertimus, ac deinde Mauzacum rogante* LANTFRIDO *Abbate, concedente* PIPPINO *Rege illatas. Vbi Cœnobium Mauzacum* ab Arvernica urbe decem diſtans millibus *ſic cognominatum dicitur*, eoquòd inter aquas conditum ſit. *Perſtat etiamnunc hæc Abbatia Cluniacoſubjecta, à qua pendet Volvicus in Prioratum (ut vocant) ſimplicem redactus. Iſthuc etiamnunc confluunt undiquaque populares, ii maximè qui rheumate & podagrâ torquentur, vota ſua reddituri S. Præjecto, cujus aliquot Reliquiæ ibidem oſtenduntur in theca, alterum verò brachium in ſcrinio peculiari. Ibidem etiam habentur Reliquiæ non paucæ S. Amarini, qui poſtridie feſti diei S. Præjecti officio proprio colitur.*

Tranſlatio Flaviniacum.

3. Tempore Mauricii Imperatoris, *inquit Hugo Flaviniaci Abbas in Chronico*, Pontificatum Romanæ Eccleſiæ tenente Papa Gregorio anno IX. conſtructio Cœnobii Flaviniacenſis in caſtro facta eſt à D. WIDRADO Abbate, & MAGOALDUS Abbas ordinatus eſt. *In Sirmondi Analectis To. 2. Bibl. Labb. legitur* teſtamentum WIDERADI Abbatis filii CORBONIS V. J. qui regebat Baſilicas S. Andochii Sedelocenſis, S. Reginæ Alſenſis, S. Ferreoli, ubi ipſi in corpore quieſcunt, & inſuper Monaſterium in re propria fundarat in loco nuncupante Flaviniaco in agro Burnacenſe, in pago Alſenſe* ad honorem S. PRÆJECTI, quod Magoaldo Abbati cum Monachis ſuis delegârat. *Addit Hugo Abbas in Chronico jam citato:* Anno ab Incarn. Dom. DCC. LV. Indict. VIII. poſt Gayronum Epiſcopum (Verodunenſem) qui in expeditione Imperatoris obiit, Domnus MANASSES ordinatus eſt Abbas in Flaviniaco dono Imperatoris PIPPINI. Hic corpus B. Præjecti Mart. à Volovico delatum Eccleſiæ ſuæ intulit VIII. Idus Novemb. *Majorem partem Reliquiarum S. Præjecti ac S. Amarini unà cum S. Reginæ Virginis & Martyris aliorumque Sanctorum Reliquiis hodie quoque adſervant Flaviniacenſes noſtri, caput quidem S. Præjecti in ſcrinio argenteo, alia verò oſſa in theca ex ligno deaurato: illúcque voti causâ confluunt qui capitis dolore laborant. S. Præjectus trina celebritate in Eccleſia Flaviniacenſi honoratur, primâ quidem ejus Depoſitio* VIII. *Kalendas Februarii; ſecundâ ejus Tranſlatio* VIII. *Idus Novembris, utraque cum Octava; tertiâ ejus Revelatio corporis* XVII. *Kalend. Auguſtas.*

* *l'Auſſois in Burgundia*

Alia Auguſtam Veromanduorum.

4. Tempore regni Caroli Magni ſtrenuiſſimi Regis *facta eſt quarumdam S. Præjecti Reliquiarum Tranſlatio in urbem Auguſtam Veromanduorum, quam ex Mſs. codicibus Eccleſiæ S. Quintini publicavit Claudius Hemeræus in Probat. Hiſt. Veromand. hoc modo:*

Hodiernæ feſtivitatis, Fratres cariſſimi, ſplendor irradians nos illuſtrat, qui non lunari defectu, ſed ſolari ſemper integritate lucem ſuæ claritatis expandens manifeſtat. Hanc ergo ut dignis laudibus ſuſcipiamus, B. Martyr PRÆJECTUS nos inſtanter invitat, dum trina ſui advectione celeberrimam oſtentat... In hac etenim die fit annua recordatio, qualiter huc primùm advectus fuerit à finibus Arvernicæ regionis, & nobis attulerit vernantiam florum & virtutum ſuaviſſimi odoris. Recolitur & in ipſa & jure habetur recolendum, qualiter à Flaviniaco huc iterum fuit allata pars ejus corporis Reliquiarum. Tempore namque regni CAROLI Magni ſtrenuiſſimi Regis, Monaſterium S. Quintini quod ſitum eſt in pago Veromandenſi ſuper fluvium Somenæ Fulradus Abbas regebat ſtrenuè. Hic enim Fulradus Pippini Regis filius fuit, frater* verò Caroli M. Audiens ergo de virtutibus ſanctorum Martyrum, adiit præfatum Regem Carolum, humiliter deprecans, ut darentur illi Reliquiæ de B. Martyris PRÆJECTI corpore. Quod Rex libenter annuit, & illi dari juſſit cerebrum, quod Radebertus gladio à corpore Martyris excuſſit, & aliud membrum corporis quod alam vocant Latini. Cùm autem præfatus Abbas Reliquias attuliſſet, & in pagum Veromandenſem perveniſſet; miſit legatum ſuum ad S. Quintini Monaſterium, mandans Fratribus ut pararent proceſſionem, & cum debito honore ſanctas Reliquias reciperent. Volebat enim iſdem Abbas ſociare Reliquias S. Martyris & Pontificis corpori B. Quintini tam inclyti militis & Martyris. Sed qui omnia antequam fiant prævidit, præfatas Reliquias aliò transferre & locare diſpoſuit: ubi à Fratribus Monaſtico Ordine decenter ornatis & Abbate prædicti Monaſterii, revelatione, locatæ honorificè requieſcunt. *Nimirum in Abbatia S. Præjecti, quæ ad Auguſtæ muros anno* CM. XCVI. *ab Adalberto Veromanduorum Comite exſtructa, anno* (*habet Hemeræus*) M. CCCC. LXXV. *diruta à Ludovico Rege* XI. *vallandæ urbis gratiâ, in urbem tranſlata eſt, ubi etiamnunc ſub S. Benedicti Regula & Ordine perſiſtit. Canonici Eccleſiæ Collegiatæ Auguſtæ Veromanduorum maxillam inferiorem S. Præjecti, Monachi verò Præjectini quaſdam ejuſdem Sancti Reliquias ſervant.*

* *ſcilicet patruèlis, nam filius fuit Hieronymi anteceſſoris ejus, Carolo Martello & Suanichilde orti.*

An quædam portio apud Murbacenſes.

5. *Ex his corrigas Ferrarium, qui ad 25. Ianu. & 18. Nov. ſcribit B. Præjecti Arvernorum Epiſcopi Reliquias Parentii in Iſtria adſervari. Nec ſatis clarum eſt, an Murbacenſes Cœnobitæ illas potiori jure ſibi vindicare poſſint. Audiendus Auctor qui ſeriem Epiſcoporum Baſileenſium anno 1658. vulgavit.* Sanctorum porro lipſana (id eſt Projecti & Amarini) in ampliſſimo Murbacenſi Cœnobio hactenus cultu religioſo aſſervata ſunt. Quando autem primò condita, & diu pòſt ex faucibus Voſegi montis Thannas tranſlata ſit celebris horum Sanctorum cultu Eccleſia,

ita fere tradit liber Statutorum (ut vocant) Eccleſiæ Thannenſis. Quamvis de origine pervetuſtæ & celebris Eccleſiæ SS. Projecti & Marini (vulgus * Amarinum * vocat) ejuſque fundatore nihil ad nos tranſmiſerit obliviosa antiquitas, probabile tamen eſt eam cum illuſtri Murbacenſi Cœnobio cœpiſſe circa annum DCC. XXVII. & Collegium hoc intra fauces Voſegi montis primitùs erectum fuiſſe in honorem SS. Projecti & Marini; unde locus ille in opidulum excrevit, & vulgò à Patrono nomen ſortitum eſt S. Amarinum* Forſitan illo in loco ſitum erat Monaſterium S. Amarini, de quo ſuprà in Actis num. 16.

" AN. DC. " LXXIV. " JANUAR. " XXV. " *Immo docta antiquitas.* * *S. Damarin*

DE S. EMMIANO SEV ÆMILIANO ABBATE LATINIACENSI SECUNDO, UBI DE SS. MUMBOLO ET ELOQUIO ABBATIBUS.

CIRC. AN. DC. LXXV. MART. X.

1. *LATINIACVM * Briegij pagi Cœnobium ad Matronam, plures colit Sanctos domeſticos,* FURSEUM, EMMIANUM, *ſeu* EMINIANUM ÆMILIANUM*ve,* MUMBOLUM *Abbates, Maldegarium Priorem, &* ANSILIONEM *Monachum Latiniacenſes: quibus alii* ELOQUIUM *Abbatem addunt, uti in Vita S. Furſei ad an. 650. diximus. Nec verò ab iſtorum numero excludendus eſt* S. GERARDUS *ex Monacho Latiniacenſi Abbas Fontanellenſis, qui in Chron. Fontanell. Appendice cap. 7. unà cum Præceptore ſuo* HERBERTO *Abbate plurimùm commendatur. De SS. Emmiano, Mumbolo & Eloquio, quorum res geſtæ confusè referuntur, collatis in unum teſtimoniis hìc agendum.* Sancti Latiniacenſes. * *Lagny* * *S. Momble*

2. *Quis S. Furſeo in regimen Latiniaci Monaſterii ſucceſſerit, lis eſt inter Auctores. Alii Emmianum, alii Mumbolum, alii Eloquium præferunt. Emmiano favet Vitæ S. Furſei Scriptor gravis & perantiquus, cui aliorum cedere debet auctoritas. En verba ex libro Mirac. num. 10. & 11.* S. Furſeus Latiniacum ſuis manibus conſtruxit... Ac non multo pòſt audientes hæc ultramarini cognati atque amici, ſimul cum B. EMMIANO acceleraverunt venire ad ſanctiſſimum virum FURSEUM, qui eos honorificè ſuſcipiens & ſimul cum eis manibus operans magnopere conſtruxit illum locum. Et poſt ſpatium aliquot annorum contigit ei ut reverteretur in Saxoniam viſitare proprios germanos ſuos, ideſt Foillanum & Ultanum, quos dimiſit ad regendum ſuum Monaſterium. Qui in ſua relinquens ſede EMMIANUM virum ſanctum curam gregis agere, iter accelerabat. *Non ergo* Mumbolus, *ſed* Emmianus *ſeu* Eminianus, *vulgò* Æmilianus, *Furſei locum in Latiniacenſi prælatura accepit. Ejus memoria quotannis in eodem Monaſterio celebratur ſexto Idus Martii: cetera ejus geſta uti & Reliquiarum ſedes ignorantur.* Furſei ſucceſſor Emmianus.

3. *Præter Emmianum* Eloquius *&* Mumbolus *S. Furſei ſocii inter Abbates Latiniacenſes numerantur: uter verò alteri præferendus ſit, non ſatis conſtat. Legimus S. Mumboli Acta tum in Breviario Latiniacenſi, tum in MS. codice Compendienſi, quæ eadem omninò ſunt cum Vita S. Eloquii à Surio ad diem 3. Decembr. vulgatà. Quippe* regnante Chlodoveo Mumbolus ex Hibernia inſula in Galliam veniſſe dicitur cum aliquibus venerabilibus viris Furſeo, Ultano, Foillano, Boëtiano, Eulogio, *(is fortè eſt Eloquius aliàs dictus)* Adadgiſo* atque Cobano, *quem* Columbanum *recentiores pingunt. Hæc totidem pæne ſententiis de Eloquio referuntur apud Surium, ubi* Adadgiſo atque Cobano *prætermiſſis,* Etto *pro* Eulogio *ponitur. Deinde Mumbolus Latiniaci Monaſterii curam jubente Furſeo ſuſcepiſſe falsò legitur.* Poſt multos verò dies B. Mumbolus ſciens diſcipulorum animos diaboli inſtinctu contra ſe excitatos, relictis omnibus cum paucis Fratribus ſupra fluvium cui vocabulum eſt Iſara, loco qui antiquo vocabulo Gundarinus nuncupatur, eremiticam duxit vitam: ibique à viris religioſis honorificè ſuſceptus & ab Eligio venerabili Epiſcopo Preſbyter eſt conſecratus, atque per ſuam undique diœceſim licentiam accepit prædicandi. *Quæ totidem verbis apud Surium Eloquio tribuuntur, niſi quod pro* Gundarinus *ſubſtituitur* Girimacus *ſeu* Grima- Eloquii & Mumboli geſta confuſa. * *Is videtur Adalgiſus, cujus corpus in Monaſterio S. Michaelis in Tiraſcia requieſcere dicitur in Chronic. Vualciod.*

CIRC. AN. DC. LXXV. MARR. X.

cus. *Quin etiam miracula eadem eadémque oratione utrique tribuuntur, ut quid cui competat, definire non poſſis. In reliquo illud ſolùm diſcriminis eſt, quòd Mumbolus* menſe Novembrio ſub die XIV. Kalend. Decemb. *Eloquius verò* tertia die Decembris *obiiſſe fertur: hic ſepultus fuiſſe* in quodam monte juxta aggerem publicum ſuper fluvium nomine Sommeron, *eo in loco ubi confluit in Oeſiam*, ubi poſtea ædificata eſt ædicula ſuper tumbam ejus propter crebra miracula ibidem oſtenſa: *ille verò, Mumbolus ſcilicet*, in loco à ſe conſtructo, qui antiquo vocabulo Gundrinus nuncupatur. *De utriuſque Tranſlatione certiora ſuppetunt teſtimonia.*

Mumboli Tranſlatio.

4. *Nam ut de Mumbolo primùm agamus*, poſtea diſponente Deo viſum eſt ALITHGARIO* Pontifici Cameracenſis* Eccleſiæ, ad cujus dominium pertinet ipſe locus, & ACHARDO Præſuli Noviomagenſi, in cujus diœceſi requieſcit, ut ob virtutes quas Dominus per merita ipſius oſtendebat, inde transferrent ſanctiſſimum corpus, quia ſuî parvitate ex affluentia populi (ut tanto viro dignum eſt) erat incongruus: atque in alia tumularent Eccleſia, quæ eſt Principis Apoſtolorum Petri nomine dedicata. Hi itaque ad dedicationem iſtius Baſilicæ ad transferendas in illam ſacri corporis Reliquias venerunt: ubi verò tumulo ſacro removerunt cooperculum, repererunt inſperatum Divinæ virtutis miraculum, corpuſculum videlicet ſancti Patris, ut ibi per multa annorum curricula jacuerat incorruptum. Tunc demum tam inopinata ſtupefacti novitate miraculi, gratias egerunt ſummæ Divinitati: quia ſanctitas quæ in vivente claruerat, in mortuo non latebat. Deportatum itaque beatiſſimum Confeſſoris Chriſti corpuſculum in jam memoratæ Baſilicæ intravit habitaculum. *Poſthæc referuntur Duidini Presbyteri febricitantis curatio, cæci ac paralytici reſtitutio: quæ miracula etiam S. Eloquio adſignantur. Iſtius Tranſlationis tempus ex* ALITHGARII *&* ACHARDI *ætate repetenda eſt.* HALITHGARIUS *Cameracenſis &* EIKARIUS (*ſic enim ſcribendum videtur aut Aicharius, non Fikarius*) *Noviomagenſis, Pontifices hìc deſignari videntur, qui Ludovici Pii principatu ſuam uterque Sedem tenuerunt. Hodie S. Mumboli Reliquiæ in Auguſtiniano Canonicorum Regularium Cœnobio*, Fontis S. Eligii *dicto prope Calniacum agri Noviomagenſis opidum adſervantur. Ex his corrigas Martyrologij Gallicani Auctorem, qui Mumboli corpus Latiniaci ſepultum, ac ex eo loco Cagniacum revectum affirmat ad diem* 18. *Novemb. tum in Martyrologio tum in Supplemento.*

* *al.* Lithgaro
* *al.* Calniacenſis

Eloquii Tranſlatio.

5. *Apud Surium breviter perſtringitur Reliquiarum S. Eloquii Tranſlatio in Vvalciodorenſe Cœnobium, in Comitatu Namurcenſi ad Moſam, quæ Tranſlatio in Chronico ejuſdem Cœnobii Tomo 7. Spicilegii Acherianì fuſiùs deſcribitur his verbis:* Igitur memorabilis Chriſti Confeſſoris ELOQUII in tempore illo* fama vulgante notitia partes mundi expleverat, qui cum B. Foillano (quem fratrem * ſuum ferunt Scriptores antiquarum relationum) atque cum B. Furſeo cui ſucceſſit in regimine Latiniaci Monaſterij, quod in Occidentali Francia eis egredientibus à ſua terra ſcilicet Hibernia conſtructum fuerat ab utriſque, ad noſtras devenit partes. Ob dilectionem ejuſdem S. Eloquij corda utrorumque, devoti ſcilicet Comitis (Eilberti) & clariſſimæ conjugis (Herinſindis) Divinus amor accendit, & propter fervorem inſtantium miraculorum quæ ab eo fieri indeſinenter contemplabantur, in concupiſcentia ejus magis exarſerunt, & ambitione majori cœperunt ſcrutari, quo ordine ad ejus corpus pervenirent. Deinde quoniam in procinctu Laudunenſis Eccleſiæ, quo in contemplatione Divina eremiticâ duxerat vitam relicta paſtorali cura, & in memorato Monaſterio ejuſdem Sancti corpus jacebat, eum qui eodem tempore Laudunenſis Eccleſiæ regebat Pontificatum humiliter rogârunt, quatenus concederet eis exinde memorabile B. Eloquij corpus transferre, quò illud honorabiliùs & devotiùs cum obſequio Divini famulatus à Chriſto famulantibus collocaretur. Eccleſia enim illa, in qua Deo ſedulum in vita ſua exhibuerat famulatum, quamquam in ſtatu eremitico & vaſtatione eo tempore videretur eſſe, in vita ſua à Fidelibus Chriſti

* *Circa an.* 670.
* *Foillani fratres fuêre SS. Furſeus & Ultanus, at non Eloquius, ut ex S. Furſei Actis conſtat.*

Rodoardus Laudunenſis Epiſcopus corpus concedit.

magis prædiorum honoribus locupletata fuiſſe dignoſcitur : ipſa, inquam, in qua memorabile corpus ejus tempore illo tumulatum requieſcebat, ſæviente paſſim per orbem crudelitate Danorum cremata eſt, & in negligentia ita diebus multis permanens, abſque Divini famulatûs miniſterio quievit, miraculorum prodigiis per eum coruſcantibus indeſinenter, corpus Eloquii conceſſum eſt Comiti à venerabili RODOARDO Laudunenſi Pontifice. Sícque memorabile corpus cultu honorabili & non mediocri devotione Clerus ex Epiſcopatu cum Epiſcopo, Comite & clariſſima Comitiſſa ac populo terræ tranſtulerunt ex eo loco, & non ſine magnorum miraculorum opitulatione uſque ad Baſilicam B. Michaëlis detulêre, in qua requievit ad diem anniverſarium ſuæ depoſitionis, quæ III. Nonarum Decembrium celebratur. Nam ob hoc ejus annalis Tranſlatio dilata eſt, quoniam in loco Giriniaco, unde tranſlatum eſt corpus ejus, die hac ex longinquis regionibus quotannis conventus diverſarum gentium congregabatur, ibíque ex more ſollemnizantes reddebant vota ſua Deo & ſancto Confeſſori; ita in lætitia deductis duobus vel tribus diebus alacres revertebantur cum ſalutari recreatione animæ ſuæ. Hanc ſollemnitatem inclytus Comes, & B. FORANNANUS in melius informare cupientes, ſtatuerunt quatenus provinciæ, in qua ſubſidium iſtius memorabilis Patroni venturum erat, nuntiando oſtenderetur, & gratantes ſpectatores præſtolarentur adventum ejus, cujus ope apud Dei clementiam, & interceſſione ejuſdem refugium, conſolationem, auxilium in tempore opportuno conſequerentur.

CIRC. AN. DC. LXXV. MART. X.

Tranſlationis dies indicta.

6. His itaque diſpoſitis cùm famâ iſtius nominis provincia repleretur, & ad aures induſtriorum virorum talis auditus & tantæ cognitionis rumor perveniſſet, fit gaudium omnibus, vox exſultationis in excelſis attollitur, & cum tripudio communis jucunditatis ab omnibus iſte deſiderabilis adventus præſtolatur. Statuto ſiquidem temporis termino, denominata die, videlicet depoſitionis ſuæ, confluentia diverſorum hominum & gentium ex longinquis partibus congregata cum univerſo mercimonio, ad hanc condictam ſollemnitatem invicem ſe cohortans ſtuduit præparare, & celebrem recolendæ jucunditatis & futuræ proſperitatis tota mentis aviditate diem exſpectare. Quid multa? celebrabilis ſollemnitatis prædictæ dies III. Nonarum Decembrium adveniens initiatur. Et ecce adveniente B. Eloquio cum ſignis & miraculorum prodigiis, catervatim ei occurrit diverſarum plebium exercitus. Qui dum deferretur per Falemanienſem pagum, contigit ei tranſitum habere per vicum qui dicitur Romunthinſim: quo dum impetu populi ad eum confluentis à delatoribus deponeretur ob ſuperexcreſcentem frequentiam, & ſedata plebe iterum illud deſiderabile onus portitores tentarent reſumere, nullo molimine illud moveri potuit. Cúmque mirarentur attoniti, & ſtupor vehemens comprehenderet eos, ex hoc accidenti fama iſtius tremoris, ad quemdam nobilem Widricum Falemanienſem pervenit, qui mox in conſpectu omnium in eodem vico beato Confeſſori duos manſos terræ tribuens conſtituit, quatenus ex tota Falemanienſi parochia unaquæque domus ſingulis annis dimidium denarium perſolvat in Valciodoro, ob venerationem egregii Confeſſoris. Legaliter completa donatione hac, cum cæleſtibus melodiis venerabile corpus iterum levigatum, immenſa velocitate elevabatur, & cum tripudio magnæ jucunditatis à Clero & turbis undique congregatis uſque ad Valciodorenſem Baſilicam deducitur.

Tranſlatio peragitur.

Corpus redditur immobile.

7. Cúmque populi multi cum B. FORANNANO, Comite EILBERTO & Comitiſſa HERESINDE ex tota provincia inhianter exſpectarent adventum ejus, die condicta ecce advenit lumen eorum, & munimentum provinciæ, refugium miſerorum & languentium portus, ſicut evidenter aperuit ingreſſus ejus. Nam die eodem illius ingreſſionis multi à variis infirmitatibus liberati ſunt, & antequam ingrederentur habitaculum ſanctificationis, virtutem Dei in ſe ſenſerunt viſitatione ſua. Sed ne prolixitas dicendi faſtigium generaret legentibus, textum miraculorum ejus replicare diſtulimus. Sufficienter enim hæc inveniet,

Miracula patrata.

CIRC. AN. DC. LXXV. MART. X NOTA.

qui codicem * geſtorum ejus & tranſlationis legendo requiret.

8. Nos autem ut ambiguitatem auferamus ab eis, qui ex hoc quod ibidem reperitur de ejus Tranſlatione & Templi conſecratione ſcandalizantur; opus eſt oſtendere evidenti ratione, ex tribus ſollemnitatibus quonam noſtris modo diebus utcumque veneratio, Templi conſecratio, & Confeſſoris Tranſlatio, & unaquæque ſollemnitas principaliter per ſe retinet ſuam dignitatem: ne error pullulet in cordibus ſuccedentium, neceſſe eſt oſtendendo intimare à quo prima Templi conſecratio, & primæ Tranſlationis obſervantia acta fuerit; diem etiam cum tempore in quo utraque ſollemnitas ſtatuta fuit, & quare eodem die fuerit inſtituta, citiſſimè demonſtrare. Superiùs namque præfati ſumus, quòd eodem in loco unde tranſlatus eſt, maxima populi frequentia die eadem ex antiquo more congregabatur, & peracta Divinæ ſervitutis ſollemnitate tempus deducendo cum ſalutari refugio ſuæ animæ revertebatur. Hoc itaque ſollemne tempus conſilio ſuo B. Forannanus in melius reformare deſiderans, quatenus majoris ambitionis & venerationis dignitate dies & ſollemnitas recolenda ab omnibus magis amplecteretur, has tres ſollemnitates celebres ſub una obſervatione compaginavit, & annuatim ita ſtatuens cuſtodiri, Dedicationem Eccleſiæ, Tranſlationem ejus in eadem die Depoſitionis ſuæ ſtatuit.

* *Hunc codicem reperire nequivimus.*

Triplex uno die S. Eloquij ſollemnitas.

9. *Hæc Chronographus Vualciodorenſis ante annum* M. CC. XL. *ſcripſit. S. Eloquij Reliquias hactenus ſervant Vualciodorenſes Monachi, tametſi Iuviniacenſes Sanctimoniales, prope Satanacum opidum ad Moſam, ejuſdem Sancti caput cum oſſibus undecim penes ſe haberi affirmant.*

CIRC. AN. DC. LXXV. SEPT. III.

VITA SANCTI AIGVLFI ABBATIS LERINENSIS ET MARTYRIS,

Auctore ADREVALDO Monacho Floriacenſi, qui Caroli Calvi principatu floruit.

A Surio contracta & expolita, ſed ad MSS. codd. reſtituta.

OBSERVATIO PRÆVIA.

* *Aigulfe al. S. Ayoul*

LEGERAT *Laurentius Surius* S. AIGULFI *ſeu* AYGULFI* *Vitam ab* ADREVALDO *ſcriptam, Auctoris tamen nomine deſtitutam, eámque à ſe contractam & alio ſtilo redditam anno* 1580. *ediderat. Non placuit Vita Suriana Vincentio Barrali, qui Tranſlationis S. Benedicti in Galliam obſcurare memoriam volens, aliam Vitam* ex variis MSS. perantiquiſque codd. Cœnobij Lerinenſis compilatam, *eliminatâ prædictæ Tranſlationis narratione, vulgavit anno* 1613. *in Chronologia ſua Lerinenſi. Quod quidem in Monacho Congregationi Caſſinenſi addicto utcumque ferendum, probari utique non poteſt in recenſione Suriana anno* 1618. *Coloniæ facta, cui reiectâ priori hiſtoriâ à Surio probatâ, Barralis compilatio inſerta eſt. In MS. cod. Floriacenſi S. Aigulfi Vita à nobis hîc germano ac nativo ſtilo repræſentata iſtam præfert inſcriptionem:*

PROEMIUM PATRIS ADREVALDI de Vita & Paſſione Venerabilis Monachi AIGULFI Floriacenſis loci.

Vitæ Sanctorum utiles.

1. SANCTORUM, fortiſſimorúmque Chriſti Athletarum pia arduáque certamina, quibus diabolum mundúmque truculentum triumphârunt, litteris committere, ſúcciduíſque tranſmittere, non eſſe cujuſcumque officium, nemo eſt pæne qui non norit. Etenim talibus rudimenta credentium fideíque auſpicia dedicantur, ſpei fiduciâ adulti animantur,

animantur, caritatis piæ dulcedine perfecti delectantur, cautelâ agonothetæ ne succũbant quasi quodam oleo perfunduntur; & si lassaverint, hoc medicamine fortitudini pristinæ redduntur. Huc accedit quòd Sanctorum societati, quos jam retinet beatitudinis sinus nobis adhuc intercluſus, his allecti frequenter interſumus. Neque enim eos propter lineamenta diligimus forinſeca, ſed quòd pulchros novimus meritorum prærogativâ: quæ dum noſtris cordibus per hiſtoriam eorum recitata inſeruntur, quaſi per quoddam ſpeculum ad noſtros mentis oculos præſentanda reducuntur. E quorum collegio nos unius Vitam Paſſionémque, id eſt AIGULFI nomine, ipſius amore pro quo ſic vixit & paſſus eſt, ſcripto tradendam ſuſcepimus; non freti ingenij acrimoniâ, ſed illius juvamine qui linguas infantium facit diſertas: & cujus promiſſum tamquam firmiſſimam tenemus anchoram dicentis: *Aperi ostuum & ego implebo illud.* CIRC. AN. DC.LXXV. SEPT. III. *Pſal.* 80.11.

2. Sed non me fugit quorumdam uſus ſemper quæritantium, quò dentem lacerum figere queant, quorum forſan ſententia erit: Quid nobis rudem adducitis, vel potiùs confingitis Martyrem? Num eum aliquis pro fide Chriſti jugulavit perſecutorum? Antiquorum eſt tale Martyrum trophæum, non novitij alicujus minùs cautè caventis inſidias inimicorum, cui laus quàm breviſſima ſi emerſerit, ſufficiat ei. Quid enim præjudicat utrum ante quadringentos vel ducentos annos aliquis Martyrum agonis ſui curſum conſummarit? Numquidnam inſpector certaminis idem ſemper eſt? Sed hæc non ſunt velut vina penſanda, quæ quò vetuſtiora, eò ſolent eſſe gratiora. Sed eſto, non eum perſecutorum quiſquam interfecit pro Chriſti confeſſione; num Johannem illum inter natos mulierum maximum Herodes propter Chriſtum capite plexit; & non potiùs quia adverſarius ei in via iniquitatis exſtitit, propter veritatem, quæ Deus eſt, eum rebus humanis exemit? Ideóque ſi aliunde quidquam proruperit, quod pro B. Johanne ſuſceperit, hoc & pro iſto viro venerabili ſe ſuſcipere debere meminerit. His ergo quàm breviſſimè prælibatis, ad narrationem, Chriſto præeunte & noſtra conamina juvante, veniamus. Aigulfus verè Martyr. Auctoris ætas.

INCIPIT VITA.

3. MOREM fuiſſe antiquorum ſeu modernorum Scriptorum, ut cujus geſta erant relaturi, ejus priùs & genus & nativum exprimerent ſolum, etiam ſimplicibus quibuſque patet. Quorum nos quoque non aſpernantes uſum, B. AIGULFI patriam genúſque neſcientibus ſignificare curamus. Caſtrum Bleſenſe * in latere cujuſdam eſt ſitum montis, cui contiguum eſt litus Ligerici amnis, idémque Liger * perinde præterlabens, præter piſcium copiam, quam illi loco ſollemniùs ceteris exhibet, aliarum quoque frugum, vini ſcilicet & rei frumentariæ ceterarúmque humanæ neceſſariarum naturæ magnam repræſentat gratiam. Hujus pagi & caſtri incolas fuiſſe parentes B. Aigulfi, certiſſima relatione didicimus: non quidem multùm ſanguinis alti ventoſitate ſublimes nec opum mundialium affluentia tumidos, tanta tamen prole felices. Erat enim unus eorum de quibus Apoſtolus: *Infirma mundi hujus*, inquit, *& contemptibilia elegit Deus, & ea quæ non ſunt.* Hic ergo indolis quidem ætatem qualiter tranſegerit narratu difficile eſt; qualiter ſcilicet Eccleſiæ dulce habuerit aſſiduè terere limina, Sacerdotum obſequiis inſervire, vigiliarum excubiis operam dare, pauperum neceſſitatibus pro viribus concurrere, totúmque ſe in dies ſingulos hoſtiam vivam, ſanctam, Deo placentem in aræ ſui cordis ſpiritualiter Domino ſpiritum mactare. Aigulfus Bleſæus. * *Blois* * *le Loir* 1.Cor.1.27.

At verò ubi annos appulit juventutis, cœpit eſſe oneri non modò vita, ſed & habitus ſæcularis: verſábátque animo quonam pacto ejus retinaculis abruptis, mutata ſorte, Chriſti compedibus ſalubriter pedem innecterer. Sed dum in his diſtenderetur, moráſque innecteret moris, mox conſilium utile quærendo (neque enim tanta res præcipiti ſe debet credere voluntati, ſed multam B. Mummoli diſciplinæ ſe tradit.

CIRC. AN. DC.LXXV. SEPT. III

retractationem talia poſtulant) rumor B. viri MUMMOLI Abbatis Floriacenſis ejus aures occupat, fama namque vitæ ejus longè latéque ferebatur. Hac audita opinione impiger Sanctum virum adire audiréque quæſiit: quo adito, deſiderium quo diu flagrabat aperuit, & ut ſe numero eorum quos in ſchola Chriſti inſtituebat inſereret, humillima petitione poſtulavit. Quod beatus vir audiens, more diſciplinæ ſemper amico & regulari vitæ ſolito, diebus probationis tranſcurſis & probationis competentibus tranſſcenſis, corpori ſanctæ Congregationis ſuæ veluti membrum idoneum univit.

Religiosè vivit.

5. Idem autem caulæ indeptus Monaſticæ, mox operante ſancti Spiritus virtute, cœpit monſtrare animal ſe eſſe mundum & gregi aptum cæleſti. Enitebat in eo velut in ove innocentiæ puritas, in imperio propriorum membrorum vera arietina poteſtas, in bello dæmonibus indicto quodammodo taurina inflexibilis auctoritas, in animi puritate columbina dulcedo, in caſtitate mentis & corporis turturis munditia præeminens: nec obliviſcebatur in lege illud animal mundum decerni quod ungulam findit & ruminat: ideóque ungulæ diviſionem in diſcretione intelligebat, non ſolùm boni & mali, ſed etiam interni hominis cauſam. Porrò in ruminatione verbi Dei tenebat aſſiduam meditationem, ſecundùm quod Dominus dicit: *Oportet ſemper orare, & non deficere.* Et Pſalmiſta: *Benedicam*, inquit, *Dominum in omni tempore: ſemper laus ejus in ore meo.* Tot ergo coactis ſub uno virtutibus, veluti pinax ſpiritualis, omnium vernabat gratiâ virtutum; & ne aliquam tanta poſſent bona incurrere jacturam, agebat quod de viro ſcribitur juſto, quia meditabitur in lege Domini die ac nocte. In cujus exercitatione ad id culminis evaſit, ut non modò comprovincialibus, ſed etiam procul poſitis ejus doctrina miraculo foret: Divinitati verò quòd magnipenderet eum cui talia contulerat munia, ſignis jam evidentibus oſtendere placuit.

Luc. 18. 1.

Pſal. 33. 1.

Pſal. 1.

S. Benedicti Reliquias in Galliam defert.

6. Namque Deo amabilis, & toto orbe celebratus atque canendus, Regulariſque vitæ ſingularis Inſtitutor BENEDICTUS, in Beneventana provincia multis præcedentibus annis vitæ hujus ultimam clauſerat diem, & in caſtro Caſſino acceperat ſepulturam: ſed poſt non multum temporis, ſecundum prophetiam ejuſdem ſanctiſſimi viri, idem locus à Langobardis captus atque in eremum eſt redactus. Volens autem Divina diſpoſitio & prædicti ſanctiſſimi viri Reliquias, ut dignum erat, honore congruo venerari, & Gallicarum partes per earum adventum conſolari; apparuit jamdicto benigno Abbati Mummolo, præcipiens ut prædictum Aigulfum ad Caſſinum uſque montem ſive caſtrum mitteret, quatinus piiſſimi Benedicti oſſa tranſveheret: quod & factum eſſe conſtat. Deo namque ſemet præcedente & viam ejus mirabiliter proſperante tantum emenſus iter, facili indicio quod quærebat, reperit, & repertum maximo cum tripudio ad Patrem qui ſe miſerat revexit. Cujus facti dignoſcentiam ſi quis ſcrupuloſiùs noſſe cupit, Libelli* de hac re compoſiti lectione addiſcere quibit.

* *ad ann.* 653.

Abbas Lerinenſis efficitur.

7. Hæc res licet illo nil talia curanti immenſam tam apud Regem, quàm aulicos viros peperit ſancto viro ſanctitatis opinionem. Igitur cùm fama virtutis ejus & fragrantia ſanctitatis ubique reſpergeretur, & lychnus igne Divinitatis accenſus jam ſuper candelabrum Divino judicio poni deberet; ecce Monachi Monaſterij Lirinenſis [a] præſtò adſunt, petentes ſpiritualem ſibi adtribui Patrem. Idem namque Monaſterium cùm antiquâ floruerit prærogativâ, itaut ejus magiſterio longè latéque plura fundata ſint loca ſervitio apta Divino; eo tamen tempore, auctore diabolo, emergente diſcordia, ſecus quàm decebat res vacillabant. Cùm ergo ad Regem Proceréſque ejus delata eſſet prædictorum poſtulatio Monachorum, & (ut aſſolet) Rex Conſiliarios quorum auctoritate Rempublicam adminiſtrari conſtabat conſuleret, quid tali facto opus eſſet;

* In Actis à Vincentio Barrali conſarcinatis Aigulfus priùs Monaſterio S. Anniani apud Aurelianos præfuiſſe dicitur: quod pauci præter Barralem prodidiſſe videntur.

vox una, diſſenſio nulla, talem tantúmque virum tali oportere loco præfici, per quem certum foret & collapſa erigi, & neglecta in antiquum ſtatum reformari. Quid multa? B. Aigulfus quàmlibet renitens atque reluctans coràm adducitur, curáque ei Monaſterij prælibati imponitur gaudente Rege, exſultantibúſque ejus Principibus, eoquòd talem gregi ſuo præponendum eis monſtraverit Paſtorem. Licet namque Sanctum virum ſua plus mulcerent ſilentia, attamen Apoſtolici non immemor erat præcepti, quo præcipitur, ut omnis anima poteſtatibus ſublimioribus ſubdita ſit: animal namque oculatum, & undique circumſpectum erat, & ut immaculatum maneret, hinc inde circumſpectabat. Jam verò oneri ſuperpoſito cervicem ſupponens, Fratres ſuſceptos adiit, & quia opinio ejus jam eorum aures allexerat, lætis eum devotionis amplectuntur ulnis; eóſque & ipſe reciproco gremiali confovebat amore.

CIRC. AN. DC. LXXV. SEPT. III.

Rom. 13.

8. Cœpit interea in eorum interioribus arvis ſemina Divini ſerere verbi, quo doceret eos vitiis* abdicatis virtutum prendere culmen: oculorum aciem purgandam interiorum, quia mundus Deus videri nonniſi claris obtutibus poſſit: iræ feſtucam trabémque odij penitùs propellendam, libidinis hoſtem non modò á corpore verùm & ab animo ſummoperè arcendum: aſſerens non eſſe domum dignam habitatione Spiritus-ſancti, immo refugere cor colluvionibus immundis aſſuetum. Mundum & quæ ejus ſunt, à cordis amore ſecludendum penitùs affirmans, nihil præter quod Deus juſſit in ſede amoris, id eſt in principali cordis locandum, id eſt dilectionem Dei ſuper omnia, & proximi poſt Deum: & quiſquis præter hæc, & quæ ad hæc pertinent pedem dilectionis detenderit, fornicationis non effugere crimen; & ideo feriendum ſententiâ David quâ dicit: *Perdidiſti omnes qui fornicantur abs te.* His & talibus veluti Medicus ſpiritualis antidotis myſticis non modò mederi languoribus ſtudebat præſentibus, ſed & futuris obviare nitebatur incommodis.

Præclara ſuis dat monita.

* *al.* vanis

Pſal. 72.

9. Aderat autem Dominus ejus conatibus, ſine cujus juvamine fruſtra laborant qui ædificant domum. Tantam denique gratiam Dominus ejus impertiri dignatus eſt doctrinæ, ut non tantùm præſentes eum cum maxima audirent aviditate; ſed & hi qui olim à Monaſterio defecerant, ſummo cum ardore repedarent, & Congregationi ſemet uniri gauderent. Cernere erat Monaſterium veluti alvearium quoddam omnes recipere advenientes, qui ſe apes Dominicas aut eſſe aut velle fore ferebant: necnon ſæcularium multos ſua conferre, & ſpiritualia à Sancto viro referre, qui ſecundum Apoſtolum ſeminanti ſpiritalia, ſua metenda exponebant carnalia.

Lerinenſe Monaſterium ejus curâ reflo-reſcit.

10. Talia cernens invidus diabolus cujus invidiâ mors introivit in orbem terrarum, ægrè ferebat: dolebat ſe ab iis expelli, quos dudum gaudebat ſibi ſubjici. Ideóque callidus explorator ad artes nequitiæ ſolitas convertitur, exploraturus utrùm inveniret aliquem ſuorum inter oves Dominicas ſub ovina pelle fuſcatum, ſciens quoniam imitantur eum qui ſunt ex parte ejus. Tandem ergo reperit duos, quibus tamquam fiſtulâ uſus ſerpentinâ in paradiſo, aliorum corda ſollicitabat, & ad diſcordiam urgebat. Horum unus ARCHADIUS, alter dicebatur COLUMBUS contrario ſibi utens nomine: cor namque ejus non à malitia fellis alienum, ſed ſicut Apoſtolus Petrus Simoni ait, in felle amaritudinis, & obligatione iniquitatis erat converſum. In horum ergo corda, ſicut & Judæ, immiſit ſe diabolus, ut Magiſtrum traderent, quatinus eo profugato oves ſine Paſtore confligatas diſtraherent. Itaque diu ſua occuluêre conamina, clanculò adſciſcentes ſuæ quos potuêre perfidiæ. Sed quadam die cùm jam & numero confiderent, & rabiem ultrà celare nequirent, veluti flamma diu preſſa repentè in publicum prorumpunt. Factio enim malorum à duobus excitata ſigniferis adeò convaluit, ut vix à Magiſtri cæde & bonorum virorum qui ſibi adhærebant manibus temperarent. Videntes porro quibus periculum imminebat, quò vota tendebant inimicorum*, fugæ ſubſidio ſe eorum manibus eripuerunt, & in

Monachorum malorum factiones patitur.

Act. 8. 23.

* *al.* iniquorum

CIRC. AN. DC. LXXV. SEPT. III. Eccleſiam S. Johannis ſeſe contulerunt, Domini poteſtati & miſericordiæ cor animáſque ſuas commendantes.

Corda eorum mollire tentat. 11. Beatus autem & per omnia mitiſſimus Aigulfus non immemor patientiæ ſuæ & manſuetudinis ſolitæ ad eos acceſſit, & leniſſimis verbis eorum tumentia corda mollire ſtuduit. His enim verbis eos convenit: O mihi dulciſſimi & nimiùm amantiſſimi Filij, quo impulſu fœdus paternum fraternúmque violatis? Quid illud eſt quòd vos proprios Fratres fecit neſcire? An ignoratis quòd diabolus cauſa ſuperbiæ & diſcordiæ à cæli perturbatus ſit culmine? Num mente exceſſit ſuperbis ſolis ablatam eſſe pro ſumma vindicta unionem linguæ, & numquam reparatum niſi adventu Spiritus-ſancti coagulum caritatis ſignificantis in ignis ſpecie? Diſcite ergo ſimultatibus renuntiare, & Domini verbis obedire dicentis: *Diſcite à me quia mitis ſum & humilis corde.* Quòd ſi propter me hoc agitur, dico vobis Jonæ verbis: Tollite me & mittite in mare: ſatius eſt mihi à vobis ſecerni corpore, quàm præſens veſtrâ cruciari diſſenſione.

Matt. 11.

Jona 1.

Iterum paullo pòſt rebellantes placare nititur. 12. Hac oratione viſus eſt quidem ad tempus compreſſiſſe motum & mitigâſſe furorem: intantum ut ipſi faterentur culpam, obtenderent ſatisfactionem; ſed arte prætexebant culpam. Anno enim integro diabolus in ſpeluncis cordium illorum ſub tali ſimplicitate delituit; nec viri Dei valuit quamquam crebris, immo continuis monitis à latibulo mentis eorum tamquam aſpis obturata aure abduci, quin ſemper machinarentur, quatinus cœptum ſuum optato fine concluderent. Sed cùm jam talia per multorum ora volitarent, & ad Regem uſque perveherentur, verentes conſpirationis auctores, Regis ne ſeveritas in eos animadverteret, decreverunt ut alter eorum, id eſt Archadius Monaſterio diſcederet, commoturus Clericos civitatis, & quoſcumque ſæcularium valeret: Columbus verò infra Monaſterium reſidens, eos qui à Sancto viro deſciverant in perfidia cœpta confirmaret, & ſi quos poſſet ſibi ſociaret. At verò Sanctus vir Aigulfus ſemper doctrinæ inſtabat dicens: Fratres Spiritus-ſancti verba ſunt dicentis: Dominus unanimes facit habitare in domo. Qui ergo unanimitatem non tenent, habitationem domûs Dei perdiderunt, & in diaboli ſortem conceſſerunt. Ideóque oportet nos caritatis vinculis necti, & non ſciſſionibus dividi.

Pſal. 67.

Archadium ſeditionis incentorem ejicit. 13. Taliter illo agente & dicente, quadam die Archadius reverſus fucata humilitate, fictíſque verbis, promiſſa præteritorum correctione, habitationem priſtinam precabatur. Vir autem Domini peſtem prævidens latentem, Fratribus adnitentibus, non modò non annuit, ſed etiam eum extra Monaſterium eliminavit. Sed ille injuriæ impatiens ad quemdam ſe contulit Vicetiæ civitatis Principem [a] nomine MUMMOLUM, ſuaſítque ei ut ad Monaſterium iret quaſi multas pecunias ibidem reperturus. In cujus pectus cùm notam ſibi facem cupiditas injeciſſet, incunctantet iter arripuit, & Monaſterium ſanctúmque virum adiit: & quia crebrò cum eodem Mummolo de utilitate animæ conferre erat ſolitus, nihil veritus eum ſuſcepit, & magnifico convivio eum curari fecit. Jam verò inſidiarum concinnationes per AUDOENEM cognoverat Epiſcopum *. Mummolo ergo prandente & ceteris ſceleris conſpiratoribus, ſubitò Archadius ad ſimilitudinem Judæ turbâ ſtipatus malignâ conſtitit, & Magiſtrum comprehendi, vinciri, fuſtibúſque tundi juſſit: quod & factum eſt. Interea vir totius patientiæ, reminiſcens Dei, & Dominum noſtrum JESUM-CHRISTUM non pro ſe, ſed pro nobis amariora pertuliſſe, & ideò totâ fiduciâ decantabat dicens: *Quid retribuam Domino pro omnibus quæ retribuit mihi? Calicem ſalutaris accipiam & nomen Domini invocabo.* Laceratus ergo & vinctus, ludi-

[a]

* Rotomagenſem

Capitur & ligatur cum ſuis.

Pſal. 115.

[a] Lege *Vcetiæ civitatis Principem*, id eſt Epiſcopum, ſic enim non rarò Epiſcopos appellant. In Vita S. Amandi cap. 23. ad ann. 679. dicitur *Mummulus Ozidenſis*, id eſt Uticenſis *Epiſcopus*, S Amando necem molitus eſſe. Quæ hominis ſævitia, ſicut & ætas, ſatis præſenti facto reſpondet: tametſi Lerinus inſula non parum diſtat ab Ucetia civitate Galliæ Narbonenſis. Sanè in apographo V. C. D. Herovallij pro *Vicetiæ* legitur *Nicetiæ*, ſeu *Niceæ*, quæ urbs Lerino vicinior eſt.

brióque habitus, ante ora perſecutorum ſuorum exponebatur, quouſque nox luci ſuperduceretur : quæ cùm ſuo tempore terras operire cœpiſſet, miniſtri ſatanæ eos quos ſancto viro familiariùs adhæſiſſe ſciebant, à Clauſtris Monaſterij eductos, ad Patrem adducunt tamquam pariter audiendos, re autem vera ut ſimul paſſuros : non enim volebat Divinitas ſolum pati Paſtorem, ſed habere participem gregem. At verò Sancti veræ virtutis, utpote Spiritu-ſancto confortati, quaſi jamjámque jugulos enſibus præbituri, ultimum vale ſibi dicebant, & alterutrum in oſcula ruentes commendabant ſeipſos Domino, dicentes ei cum maxima fiducia: Propter te, Domine, morte afficimur tota die, æſtimati ſumus ſicut oves occiſionis : ne ergo nos repellas in finem. Itémque dicebant : Collocâſti nos in obſcuro ſicut mortuos ſæculi. His & ſimilibus vocibus & noctis tenebras & proprias ſolabantur ærumnas. CIRC. AN. DC. LXXV. SEPT. III.

14. Inter hæc autem & mutuis armabantur alloquiis, ne quis infirmorum in talibus deficeret, cùm dicat veridicus Apoſtolus: *Non ſunt condignæ paſſiones hujus temporis ad futuram gloriam quæ revelabitur in nobis.* Sanè ut ſe habet humani corporis natura, præ triſtitia ſopor ſolito gravior eos pariter corripit, & vinctos ſcilicet & cuſtodes : ſed unus cuſtodum miſericordiâ tactus tectum cuſtodiæ ſubiit, culmen nudavit, & ad fugam capeſſendam Sanctos invitavit: Sanctus verò Aigulfus gratias illius devotioni egit, ſed & hortatui minimè adquievit, dicens: Sive vivimus, Domino vivimus; ſive morimur, Domino morimur; ſive ergo vivimus, ſive morimur Domini ſumus. Et quia ſemel diſpoſitioni illius manus dedimus, ejus animo minimè refragabimur. Opus enim ipſius ſumus, & ipſe figulus noſter. Non ergo teſteum vas contra plaſtem ſuum conqueri fas eſt, ideóque Domini fiat voluntas. Aigulfus è carcere exire recuſat. *Rpm.* 8.

15. His ita dictis reliquum noctis laus ſibi vindicavit Divina : poſt cujus abſceſſum lucíſque ſucceſſum importator calamitatis Archadius imitans diaboli & perfidorum quorumcumque uſum, cùm ipſe (ut ſupra monſtratum eſt) caput fuerit totius criminis, advenit verbis quodammodo dulcoratis, Sanctorum volens lenire dolorem. At verò unus illorum, TRUCARIUS nomine, juſto commotus dolore quæque mens dictavit dolórve ſuaſit, in faciem ei objecit, dicens : Eum imitatione verè eſſe filium diaboli, qui cùm ad interitum impellat quemque, conſultor inſuper videri appetit : ſed & fratrem Judæ, Domini traditoris, qui ad ſimilitudinem ipſius pro oſculo ficto verba ferret melle quidē blandimentorum ſed ſuccis venenatis referta. At verò facies impudorata crudelitati conjuncta non ſenſit increpationis monita : inſuper importunè præſtat inceptam ſententiam. Namque idem miſer Archadius, ut fidem videretur facere non ſe * egiſſe quæ geſſerat, ad horam tertiam Sanctis cibos & pocula obtulit, & ad reficiendum tamquam eorum compatiens dolori invitabat: Sancti tamen, licet extrinſecùs angerentur, non ideò propoſiti Regularíſque obliti conſuetudinis, reſponderunt, non ſe perdere poſſe inſtituta Regularia, quæ illo tempore ad nonam uſque horam extendi jejunia jubent : ſícque remotis eduliis conſueto more ad horam uſque ſolitam ſollemnia dilata ſunt jejunia. Cùm verò tempus ſolvendæ adforet abſtinentiæ, unanimiter pro ipſo Archadio preces fuderunt, & ſic ab eo oblatum cibum ſumpſerunt. Archadij falſa blandimenta. * *ſuppl.* ſic-tè NOTA.

16. Mummolus autem qui talibus offenſum ſe videri volens à Monaſterio receſſerat, tertio die rediit, atque cum intentione maxima ſingulorum pecunias cœpit inquirere. Sed Monachis reſpondentibus non licuiſſe umquam ſub manu ſancti viri conſtitutos aliquid proprium habere, neque voluntatem quidem, ſed eſſe omnia omnibus communia ; ille cernens ſe abs ſpe decidiſſe, aliorsùm ſe vertit : quia enim non reperit privata, irruit in publica ; & quidquid rerum Monaſterij fuit, & auferre cupiditas ſuaſit, nihil penitùs reliquit. Mummolus res Monaſterij deprædatur.

17. Eo porro recedente ſanctus Aigulfus cum ceteris ſecundum libitum Archadij & Columbi cuſtodiebatur, & per dies decem in ergaſtulo conficiebantur corpore, ſed ſemet ſolabantur hortamentis Domini dicentis: *Nolite timere* Sancti navi imponuntur.

CIRC. AN. DC LXXV. SEPT. III. *pusillus grex, quia complacuit Patri vestro dare vobis Regnum.* Itémque: *Per multas tribulationes oportet nos intrare in Regnum Dei.* Posthæc autem ministri diaboli, Columbus scilicet & Archadius, moventes, tam S. Aigulfum, quàm reliquas sancti-Spiritûs victimas navi imposuerunt, & mari sese crediderunt. Sancti porrò certissimè jam noscentes quòd filij mortis perdere eos decrevissent, mutuò semet hortabantur monitis secundum Apostolum, tantò magis quantò videbant appropinquantem diem, ne quis illorum amore vitæ præsentis aut timore mortis incertæ inimicis cederent: quia & mors præsens si differtur, non evaditur; futura verò numquam terminatur; dicente Domino impiis: *Ite in ignem æternum.* Sed & felicitatis Sanctorum fine carebit, Domino itidem dicente fidelibus suis in ejus fidelitate usque in finem perseverantibus: *Venite benedicti Patris mei, percipite Regnum quod vobis paratum est ab origine mundi.* His & similibus athletæ Christi in palæstra spiritali adversùs versutias diaboli & ministros ejus furiis exagitatos dæmonicis armabantur.

Luc. 12. 32. *Act.* 14. *Matth.* 25.

Tempestate jactantur.

18. Sanè postquam navis quæ utrosque pariter ferebat, persecutores videlicet & persecutionem patientes, altum petiit mare, venti contrarij se tollunt, & aliorsum persecutores ducuntur voluntate, alibi autem ventorum flamine: sicque per quadraginta dies, quod dictu quoque mirabile est, rotabantur toto illo oberrantes freto, ut nec ipsi litus prendere, nec undæ maris navem mergere possent: credo monstrante Deo quid mererentur impij: sed ut non paterentur quod merebantur fontes, obices quidem esse insontes quodammodo ipsa elementa etsi non voce, opere clamarent: Fas fuerat furciferos hos aut syrtibus illidi, aut charybdi vorari, si non essent his mixti, qui non merentur talia experiri. Et quidem in diluvio in promptu fuit noxios undis involvi, qui erant à bonorum societate secreti: Ægyptios liberè voravimus, quia nullum justorum eis mixtum vidimus. Jonam ad ulciscendam inobedientiam suscepimus, sed à Deo præparatum alumnum nostrum scimus, qui & illum salvandum carcerali custodia susciperet, nec quasi cibum corrumpendo in sua membra trajiceret, sed quasi depositum cùm reposceretur repræsentaret. Quid talibus Creator velit, anceps apud nos sententia fluctuat: sed hîc unum simile recordamur, Pauli scilicet naufragium, qui similiter ab iniquis vinctus, cum eis periculum expertus est marinum: sed ne & ipse & ceteri perirent, ejus oratione donatum est. Forsan ergo & modò huic Sancto viro impari discrimine par tribuitur munus: ideóque dum exspectatur ejus sententia, hac & illac jactantur, sed evadendi aditus ei negatur; & secundum Scripturam quia impij in circuitu ambulant.

Psal. 113. 9.

Linguis abscissis loquuntur.

19. Inter hæc Columbus videns clausum sibi mare, & reputans si terras prenderent, & Sanctorum innocentia & sua pateret crudelitas, linguas Sanctorum fecit abscidi. Quo facto quasi integris linguis psallebant: Domine labia nostra aperies, & os nostrum annuntiabit laudem tuam. Sed tanto nequaquam motus miraculo, in similitudinem Pharaonis corde obduratus, radicitùs eas jussit abradi. Videre erat patens baratrum, & nihil inesse plectri, & tamen verba perfectissimè absolvi. At cùm audiret eos Columbus inaudito more loquentes, impietatem suam augmentans, lumina eorum jussit terebrari: qui tamen à laude Divina non cessabant. Et licet extrinsecùs privati luminibus, ea tamen quibus Deus videtur lumina salva se habere scientes, fidenter coram eo, immò ipsi psallebant dicentes: *Ad te levavimus oculos nostros, qui habitas in cælis.* Immanitas porrò Columbi & socij ejus erga Sanctos nec sic quievit: enimverò vestimentis eos exui quibus induti erant præcipiunt, & sordida pro eis vilissimáque mutari: non respicientes miseri, quia qui Christo indutus est secundum Apostolum dicentem, *Induite Dominum nostrum* JESUM-CHRISTUM; & iterum; *Induite vos viscera misericordiæ, &c.* nihil veteris, nil sordidi eum dedecorare possit.

Oculi eorum eruuntur. *Psal.* 122. Vilibus induuntur vestibus.

Pascha in insula Capraria celebrant.

20. Taliter sanè eis per multos jactatis dies, appulerunt insulam quæ vocatur Capraria. Hujus sinus retinebat maximum examen Monachorum: ad quo

divertentes quintâ feriâ ante Paſcha, quæ Cœna Domini dicitur, benigniſſimè atque humaniſſimè ſunt excepti, ut ſic dicam, ſicut decet Monachos. Cognita enim prolixa eorum tribulatione, qua longiſſimè & infeliciſſimè vexati fuerant, feſtinabant eos recreare quibus poterant modis. Illis ibidem morantibus ſacratiſſimus advenit Paſchæ ſollemnitatis dies: in qua cùm Miſſarum officium celebraretur, infeliciſſimus & flagitioſiſſimus omnium hominum Columbus, infulis Diaconio aptis officio adopertus tamquam Diaconus miniſtravit, conſpicuus humanis, ſed peroſus obtutibus Divinis. Inſuper cùm ad id loci ventum eſſet, quo Corporis & Sanguinis Chriſti ſacramenta percepturi oſcula ſibi invicem libant, ille infelix non dubitavit à ſe ſic crudeliter multatis oſcula porrigere, non columbina, ſed prorſus corvina aut certè canina. Beatus porrò vir Aigulfus cum ſociis ſuis, cum ſumma exſultatione Deo gratias quas poterat referebat, non modò pro ſui recreatione, quantum pro immenſa Fratrum ad quos Chriſtus eos adduxerat caritate. CIRC. AN. DC. LXXV. SEPT. III.

21. Expleta Paſchali feſtivitate Columbus Epheſum petivit, utpote homo ſæculi ſæcularibus negotiis inſerviturus. Interim S. Aigulfum cum reliquis Sanctis in eodem Monaſterio dimiſit, præcipiens ut ſemet reverſurum opperirentur. Tantam ergo Dominus ſancto ſuo Aigulfo, quouſque iniquus ille reverteretur, gratiam attribuit in loquendo, ut ſemper ſatietatem auditorum aviditas comitaretur: ipſe enim qui dederat gratiam ut elinguis loqueretur, ipſe addebat gratiam gratiæ ut gratiùs audiretur. Columbo Epheſum profecto illic morantur.

22. Reverſus autem Columbus ab Epheſo, Sanctos à Monaſterio abſtrahit, & navi iterum imponit: & cùm ſuſtuliſſent à portu & aliquid ſpatij proceſſiſſent, occurrit eis quædam navis ex Africa veniens, cui Sanctos Martyres impoſuerunt, ſatellitibus ſuis præcipientes, ut ad inſulam venientes, vocabulo Amatim *, inter Corſicam & Sardiniam ſitam, ibi Sanctos gladio conficerent: quod & factum eſt. Pervenientes enim carnifices ſacrarum victimarum ad locum ſibi deſtinatum, præceptis impiiſſimis officinam nequitiæ ſuæ impendere parant: ſed rogantibus inducias oraturis indulgent. Sancti autem propenſiùs ac diutiùs animas ſuas Domino commendantes, tandem ab oratione ſurgunt, & cum omni fiducia & alacritate inter verba orationis & Dominicæ laudis ſpiritum emiſère de vaſculis carnis, ſub die tertio Nonas Septembris [a]. In ea abducti trucidantur. * *Sur.* Amatunam

23. Et quidem quantum conjici datur, ſalutis humanæ perpetuus æmulus diabolus (ut ſibi videbatur) nimis callidè agebat, ut ſcilicet ſic Sanctos perimeret, quatinus eorum paſſio mortales lateret; nec haberent viventes è proximo exemplum, quo roborarentur ad patientiæ bravium capeſſendum. Maximum namque incitamentum eſt ad virtutem ſodalis & proximi cernere inexhauſtum vigorem; & pudori eſt apparere degenerem, quem cernant coæqualem ad præmia glorioſa per laborum evaſiſſe certamen. Invidebat etiam mortalibus nequiſſimus beneficia profutura, quæ per Sanctorum Reliquias eis conferenda divinitùs anxius prævidebat. Sed quàm veraciſſimè Deo cantetur; *Draco iſte quem formaſti ad illudendum ei*, hinc conjici valet. Diaboli fraude eorum martyrium obſcuratur, *Pſal.* 103.

24. Etenim dum truces quæſtionarij circa Sanctorum occupantur lanienam, unus eorum, RICOINUS* nomine, ſpiritu adactus Divino, ſcapham nactus ſubiit, & internecioni fraternæ ſeſe ſubduxit: quem ad hoc credimus divinitùs reſervatum, ne Sanctorum paſſio occuleretur. Ipſius enim relatu & modus paſſionis Sanctorum ad notitiam mortalium eſt proditus, & corpora ad conſolationem noſtram per Dei gratiam manifeſtata ſunt, & ad fines noſtros relata. Fas eſt autem credere eum non eſſe expertem gloriæ fraternæ, quem non timor à Martyrio inhibuit, ſed Deus ad tantam utilitatem delegavit. Itaque redeunte Per Ricoinum declaratur Rigomiro Aigulfi ſucceſſori & Angariſmæ.

[a] Quamvis S. Aigulfi memoria in duobus veterrimis Martyrologiis Cœnobij Floriacenſis non configatur primaria manu ſed recentiori, conſtat tamen ejus feſtum diem à Floriacenſibus ante annos ſexcentos ſollemniter celebratum fuiſſe. Id teſtatur Scriptor libri de ejus miraculis, qui principatu Ludovici VI. vivebat, uti inferiùs in lib. Mirac. num. 8. videbimus.

CIRC AN. DC. LXXV. SEPT. III. eo ad Monaſterium, jam in loco Sancti viri Aigulfi ſubſtitutus erat vir venerandæ vitæ, RIGOMIRUS nomine; cujus rei nuntio tam ipſi, quàm Fratribus, magnus indictus eſt luctus. At verò cùm carni compaterentur, ſpiritui congratulabantur, ſcientes ſucceſſiſſe eis poſt habitaculum luteum, penetrale æternæ civitatis, cujus Rex & conditor Deus eſt. Præterea hujus nuntij participem faciunt quamdam ANGARISMAM nomine, quæ in vicino Monaſterio Sororibus præerat Sanctimonialibus, à ſancto viro à primæva ætate tam in Scripturis Divinis, quàm Monaſterialibus imbuta doctrinis.

Corpora ſacra revehuntur.

25. Igitur communi conſilio & ope naves præparant, comites delegant, & ei qui locum noverat adjungunt: qui Deo proſperante, ſecundis flatibus, blandáque aurarum temperie uſi, devecti ſunt ad locum in quo Martyrum glorioſæ jacebant exuviæ, hominum quidem deſtitutæ cuſtodiâ, ſed manus Divinæ protectione defenſæ. Quibus ut optaverant repertis, cum maxima alacritate, & ſumma reverentia, utpote Martyribus digna, navi imponunt, & concito itinere redeunt; eíſque Deo duce & reduce, ſecundis potientibus effectibus, & corpora Sanctorum Monaſterio Lirinenſi inferre parantibus, obviam ſe tulit dicta Abbatiſſa Angariſma, cum multa prece obſecrans, ut ſibi facultas attribueretur Magiſtri corpus humandi in Monaſterio ſuo, cujus eſt vocabulum Oratorium [a]: cujus devota petitio, & filiorum erga Patrem incomparabilis affectio, hujus ſolùm (ut ſic dicam) amicabile fuit jurgij ſeminarium. Nam femina venerabilis deſiderio flagrans corpus petebat; diſcipuli autem nec modicum ab illius præſentia ſecerni volebant. Sed inter hæc mediam ſe obicémque interpoſuit caritas, quæ talia dirimere conſuevit. Namque & feminæ repreſſit avidiorem voluntatem, & iſtorum devotiorem ampliavit tenacitatem: adeout illi attributum caput ſancti corporis cum brachio dextro ſufficeret: reliquum autem corporis cum Reliquiis Sanctorum ceterorum ad Monaſterium Lirinenſe à B. Rigomiro & Fratribus transferretur [b] humandum.

Angariſma S. Aigulfi corpus poſtulat.

a

Caput cum brachio impetrat.

b

24. Porrò ſanctæ Abbatiſſæ devotio nequaquam indonata relicta eſt. Erat enim in Monaſterio illius quædam Sororum, cui viſum glaucoma abreptum inofficioſas reddiderat videndi feneſtras: palpebrarum namque tegmina oculorum globulos retegebant. Plena igitur fide cum reliquis, quæ ſacris funeribus ſollemnes exhibebant excubias, noctem totam orationibus, laudibúſque oneravit Divinis: mane autem facto lux fugata diu rediit, & ſera licet Divina luce donata, mundum ſole luſtratum lætabunda conſpexit. Quo miraculo adeò omnium allecta ſunt corda cernentium, ut non eos tæderet amiſiſſe Patrem corpore, quem commanere gauderent miraculorum tam efficaci repræſentatione.

Cæca viſum recipit.

Columbus viſo Aigulfo dat pœnas.

27. Non modò autem devotis & à Deo per ſe beneficia poſcentibus idem B. Pater aderat, ſed & perſecutori ſuo munus opitulationis impendit. Nam Columbus ejus mortis concinnator, cùm nocte quæ diem Martyrii ejus ſequebatur, ſe lectulo commiſiſſet, utpote membra relaxaturus in quietem, repentè vir Domini adſtitit, cur immeritum ſe tantis malis addixerit increpavit, quare crudelitatis ejus immanitas uſque ad homicidium innocentium exarſerit, vehementer invexit. Quibus dictis, ſanguinis effuſi guttam digito ſumpſit, & ejus pectori ac dorſo ſignum in modum circuli impreſſit. Quo viſo miſer tremebundus ad pedes ejus concidit, & obſecrare ſolitam ejus invictámque pietatem cœpit, ne ſe tanto obnoxium judicio, examini reſervaret Divino. Tunc Sanctus ejus precibus motus unum nævum deterſit; alium autem aboleri non poſſe indi-

a Inſignis lapſus! Oratorium Monaſterium in Provincia nullum umquam fuit, ſed in Gallia Belgica prope civitatem Bellovacorum, *Oroër* vulgò appellatum, cui præfuit S. Angadriſma Virgo nobilis, quæ Provinciam inſulámve Lerinum neutiquam incoluiſſe dicitur in propriis Actis ſub finem Sæculi iſtius Benedictini referendis. Si qua fides eſt Actis S. Aigulfi à Vincentio Barrali interpolatis, *Aigulfus Cœnobium in loco qui Arlucus dicitur conſtruxit ſeu reparavit, præpoſuitque eis Sanctimonialem Virginem nomine* ANGARISMAM *Bleſenſem, quam cum aliis virginibus è Gallia venire juſſerat.* Angariſma proinde diſtinguenda eſſet ab Angadriſma, quæ origine Tarvennenſis fuit.

b Nimirum die ſextodecimo Maij, ut Vincentius Barralis inſeruit.

cavit,

cavit, donec ante CHLODOVEUM [a] Regem HEBROINÚMQUE Majorem-domus, & publicum Francorum judicium adhiberetur ei remedium : quod & factum conſtat. Juſſu enim Regali perquiſitus, inventus eſt, & in vincula conjectus, atque judicio Francorum pœnarum ferocitate uſque ad mortem vexatus. CIRC. AN. DC. LXXV. SEPT. III. a

28. Licet autem in his non conjectari aliquid, ſed planè intelligere quid hæc portenderent. Sanguis enim ille Martyris fuſus, innocentia intelligitur vim perpeſſa, juſtam poſtulans vindictam : unde Deus de primo talium, ideſt Abele, dixit ad primum perſecutorem, id eſt Cain : *Vox ſanguinis fratris tui clamat ad me.* Impreſſio porrò ſanguinis in dorſo vel in corpore perſecutoris, animadverſio vindictæ quæ ei debebatur pro admiſſione ſceleris. Unde & Ezechieli Dominus dicit, quòd requirat ſanguinem peccatoris de manu non adnunciantis paſtoris. Et Dominus Judæis : Ut *veniat ſuper vos omnis ſanguis juſtus qui effuſus eſt ſuper terram*, id eſt vindicta omnis ſanguinis juſti innocenter fuſi. Porrò circuli effigies inevitabilem præſagabatur ſententiæ ultionem : circulus enim in ſemet recurrit, non habens angularem exitum. De hoc circulo Dominus contra Syriam ſub typo diaboli : *Ponam*, inquit, *circulum in naribus tuis, & frenum in maxillis tuis.* Quòd autem bis idem circulus eſt, geminam portendebat impio fieri ultionem, ut ſcriptum eſt, *Duplici contritione contere eos* : antepoſita, & poſtpoſita circuli figura, & præſenti ſignabat, & pòſt futurâ plectendum malignum Divinâ ſententiâ. At verò unus deterſus circulus innuebat eumdem ſanctum virum precibus ſuis obtinuiſſe, ne perſecutor ſuus æternis ſervaretur cruciatibus, ſecundum præceptum Salvatoris & exemplum, quo præcipimur orandum pro perſecutoribus noſtris. Alter autem permanens & hominum judicio delendus, indicat quia Sancti etſi impetrant à Deo futuram vindictam tam propriam vel inimicorum relaxari, ne ſcilicet æternis incendiis depoſcantur, non tamen eis impunè cedere volunt quæ vel in Deum, vel in proximos commiſêre flagitia, ſed oportet & ab eis implere quod ait Apoſtolus : *Si noſmetipſos judicaremus, non utique judicaremur : dum judicamur autem, à Domino corripimur, ut non cum hoc mundo damnemur.* Hinc eſt quòd David peccans, & coram ſe arguente Propheta, confitens dicit : *Peccavi Domino* : audire meruit : *Dominus tranſtulit peccatum tuum, non morieris.* Et tamen quot afflictionibus propter peccatum dimiſſum affectus ſit, lector hiſtoriæ ejus agnoſcere quibit. Paulus vas electionis plus omnibus laboravit ; & quia fuit blaſphemus, ut ipſe fatetur, & perſecutor, ſtigmata ſe Chriſti dicit in corpore ſuo circumferre, notas videlicet inflictas per ſatisfactionem vitæ præteritæ. Horum ergo & nos reminiſcamur ; & ſi nobis (ut ſcimus) per judicium Sacerdotum donantur peccamina actuum noſtrorum ; nequaquam tamen nobis parci putemus, donec Deo ut dignum eſt, & hominibus quos læſimus, ſatisfaciamus, ſcientes quanti Deus habeat ſervos ſuos, de quibus dicit: *Qui tangit vos, quaſi qui tangit pupillam oculi mei.* Immo honorantes eos in quibus habitare Deum per fidem, ceteráque bonorum operum exercitia noverimus, audiamus ab eo : *Venite benedicti Patris mei.* Et tunc cum eo Patre ejus & Spiritu-ſancto regnare mereamur, ipſo auxiliante, cujus regnum & imperium ſine fine permanet in ſæcula ſæculorum, Amen.

Auctoris pia meditatio.

Gen. 1.

Matth. 23.

4. Reg. 19. 28.

Ierem. 17. 18.

1. Cor. 11. 32.

2. Reg. 12. 13.

NOTA

Zach. 2.

Matth. 25.

[a] Legendum *Theodorici*. In Chronico Malleacenſi S. Aigulfi martyrium diebus Theodorici Regis & Ebroini Majoriſdomus accidiſſe legitur. Certè Ebroinus poſt Erchinoaldum adeptus Palatij Præfecturam, aut nullo aut breviſſimo tempore ſub Chlodoveo eam adminiſtravit. Unde S. Aigulfi necem anno circà DC. LXXV. reponimus.

CIRC. AN. DC. LXXV. SEPT. III.

DE TRANSLATIONE RELIQVIARVM SANCTI AIGVLFI IN CASTRVM PRVVINENSE.

QVAMVIS inſtituti noſtri ratio exigere videatur, ut S. Aigulfi Tranſlationem Reliquiarum in proprium ſæculum referamus; quia tamen hiſtoria quæ hac de re ſcripta eſt, varias Tranſlationes diverſis temporibus factas ſimul colligit, hîc uno intuitu eas commemorare juvat. Id antequam exſequamur, obſervandum eſt, Lerinenſes Cœnobitas cum Pruvinenſibus de S. Aigulfi poſſeſſione Reliquiarum contendere. Quippe Vincentius Barralis in Chronologia Lerin. affirmat, Lipſana S. Aigulfi trigintáque trium Monachorum ejus ſociorum in Sacello S. Crucis penes ſe adſervari in quadam arca lignea cum hac inſcriptione: HÆC SUNT CORPORA SS. AIGULGI ET SOCIORUM EJUS. cranium verò S. Aigulfi in ſtatua eleganti anno 1452. fabrefactâ. *Contrà Monachi Prioratûs Pruvinenſis in caſtro ſeu opido Pruvino diœceſis Senonenſis, non paucis argumentis ſacras B. Martyris exuvias ſibi vindicant, & tam caput ipſius quàm magnam partem Reliquiarum oſtendunt: aliquam etiam ſacri corporis portionem ante Calviniſtarum cladem oſtendebant Floriacenſes noſtri. Id generis lites dirimere, res eſt difficultatis & invidiæ plena. Verùm cùm ante annos ſexcentos Pruvinenſe Monaſterium in honorem S. Aigulfi conditum fuerit ad continendas ejus Reliquias, quas* SEGUINUS *ſeu* SEGUINUS *Senonum Archiepiſc. cum aliis probavit, & argenteæ thecæ incluſit; cauſa Pruvinenſium præponderare forſan videbitur cauſæ Lerinenſium, qui ſi S. Aigulfi Reliquias conſervâſſent, eas ſine dubio non promiſcuè cum aliis ſociorum ejus corporibus, ſed ſeparatim uti & cranium, retinuiſſent. Tranſlationis hiſtoriam primò quidem è Monaſterio Lerinenſi in Floriacenſe, ac poſtea è Floriacenſi in caſtrum Pruvinum, ſic Auctor anonymus in codice Bibliothecæ Remigianæ apud Remos perſtringit.*

Reliquiæ S. Aigulfi ubi?

Tranſlationis hiſtoria.

Multa eſſe præterita clarorum virorum geſta negligentiâ & pigritiâ Scriptorum perlucidum conſtat eſſe & manifeſtum...Quod de B. Aigulfi Abbatis eximij tranſmutatione corporis accidiſſe perſpicuum eſt: quoniam nullius Scholaſtici ſtudio & opera amodò ſcriptum reperitur, quomodo vel qualiter ad Pruvinenſe caſtellum perlatum fuerit...Hic cùm honeſtis vitam tranſigeret moribus, corpus Patris communis noſtri Benedicti à Caſſini montis loco, multo cum labore in Franciæ partes ad Monaſterium ſuper Ligerim poſitum detulit. Poſtea verò Lerinenſis Monaſterij Pater conſtitutus, ut Paſſio ipſius pleniter exſequitur, à duobus ſceleratiſſimis ſolo nomine Monachis, Archadio & Columbo, qui erant immaniores ſcelere ante alios, cum aliis pluribus Fratribus obtruncatione capitis martyrij coronam promeruit. Sepulturam verò condignam ſibi ibidem ſortitus eſt à quadam Abbatiſſa venerabili, & longo poſt tempore apud Monaſterium S. Benedicti delatum eſt corpus ipſius, & honorificè tumulatum in pacis quiete dormivit. Dum verò ASTINGUS Nortmannus à finibus ſuis egreſſus Franciam depopulando ſæpiùs attereret, quatuor Monachi S. Benedicti corpus S. Aigulfi Abbatis & Martyris uſque Pruvinenſe caſtrum fugiendo detulerunt, igne cremato jam Monaſterio S. Benedicti ab eodem Aſtingo. Depoſuerunt autem Corpus ſanctiſſimum in Eccleſiolam ligneam in honore S. Medardi Epiſcopi dicatam in ſuburbio ejuſdem caſtri poſitam. RODULFUS denique Rex Francorum, vir armis bellicoſus, eumdem nequiſſimum Aſtingum bello aggreſſus, ſuppetias ferente illi B. BENEDICTO, ut in miraculis ejus legitur, gladio peremit, & Francorum fines ab ejus direptione eripuit. Cùm ergo perſecutionis dira rabies Nortmannorum ante mortem Aſtingi non quieſceret, unus illorum Monachorũ corporis infirmitate tactus moritur. Tunc reliqui tres Fratres, ſimilem ſe mortis caſum habituros intelligentes, ne ſanctum corpus furtivè auferretur aut violenter, effoſſa humo in tenebris furtivæ noctis in fundo telluris repoſito mauſoleo ibidem oſſa pretioſi Martyris reponunt latenter, poſito ad caput ejus libello paſſionis illius. Accidit verò ut unus poſt unum finem facerent vitæ, nulli ſuperſtitum intimantes de ſacri theſauri occultatione. Verùm ne B. Martyris oſſa laterent in abſcondito, lucerna quæ erat ſub modio cœpit quaſi poſita ſuper candelabrum lucere, & crebris miraculorum ſignis clareſcere. Nam febricitantes & quartano typo laborantes & frigoretici & variorum dolorum laboribus attriti, dum Eccleſiæ B. Medardi limina tererent, dum pernoctarent aſſiduitate vigiliarum, incolumes ad propria læti repedabant, quamvis ſuppreſſo nomine Martyris, cujus omnino erant ignari. Factum eſt autem in una dierum, dum populus occurrens ad Miſſarum ſollemnia audienda, devotus quidam qui vexari inſtinctu dæmonis conſueverat, horribiles intonat voces inclamans: Sancte Aigulfe Martyr & Abba incendor tuis orationibus. Tunc populus ſtupidus ad clamores vociferantis, interrogant phreneſim patientem, quid ſit cur tantum intonaret clamorem. At ille denotans digito locum ait: Hìc, hîc fodite humum, & apparebit loculus lapideus, ubi jacet Aigulfi Abbatis & Martyris corpus. Ilico populus arreptis raſtris effoſſa humo inveniunt ſarcophagum cooperculo deſuper optimè tectum: quo per manus Preſbyterorum remoto, vident intus poſitum capſam ligneam & libellum paſſionis Martyris: dæmoniacus

Hìc nonnullos verſus inutiles reſecuimus.

autem confeſtim à dæmonio liberatur. Retecto igitur mauſoleo dirigunt ſumma cum feſtinatione ad dominum Archiepiſcopum SEVVINUM legatos, qui ei hæc omnia narrant. Quod ille audiens, convocatis Abbatibus IDRAMANDO Abbate nepote ſuo viro probis moribus decorato, & Abbate ſancti Remigij Domno WINEMANNO viro religioſo, & Archidiaconorum nobiliſſimo Domno Leoterico, qui ei in regimine Archiepiſcopatûs digniſſimus ſucceſſor exſtitit, plurimis etiam Clericorum & multitudine plebeia populorum, dux ſacer egregius ire perrexit ad Eccleſiam, in qua Sanctorum oſſium digna congeries erat repoſita. Dum revolvit cum diligentia cooperculum, intuetur capſam ligneam ſanctis oſſibus confertam. Mox ædificari jubet cryptulam lapideam, in qua ſacrum corpus per manus Archiepiſcopi depoſitum eſt. CIRC. AN. DC. LXXV. SEPT. III.

Sevvinus ſeu Seguinus Archiepiſcopus præfuit Eccleſiæ Senonicæ ab anno 978. ad milleſimum: quo tempore Vvinemannus Cœnobij S. Remigij in ſuburbio Senonico, nunc deſtructi, Abbas erat, ut in fine libri Mirac. S. Romani Abbatis ad ann. 545. Sæculo 1. Bened. vidimus.

MIRACVLA S. AIGVLFI.

Ex Cod. MS. V. C. D. Herovallij.

1. PRÆTERITIS temporibus ſæpe contigiſſe novimus, necnon & in noſtris frequenter evenire probavimus, multa quæ digna eſſent memoria & relatione, per incuriam ſeu per quorumdam deſidiam ad nihilum redacta fuiſſe. Sed quidquid de quibuſdam aliis evenire ſoleat, vita tamen Sanctorum inſignis & miracula glorioſa nequaquam oblivionis taciturnitate debent operiri, ſed ad notitiam & corroborationem Fidelium litteris aſſignata in publicum decernimus proferenda. Quapropter ego licet infimus omnium litterarum ſcientiâ & exercitio, non altus ingenio, quoddam inſigne miraculum Beatiſſimi AIGULFI martyris ad laudem Dei & augmentum Fidei catholicæ veſtris auribus intimare, dilucidaréque præſumo.

2. Poſtquam enim ſanctiſſimum corpus Aigulfi Martyris divinitùs revelatum & inventum fuit, per manus Archiepiſcopi Senonenſis SEUBINI nomine, in quodam loco tranſpoſitum eſt de cæmento & lapidibus compoſito, quouſque argenteum vas præparatum eſſet, in quo beati viri corpus tranſlatum quieſceret. Præparato autem illo vaſe argenteo enuntiatus & demonſtratus eſt dies in quo tanti viri tranſlatio fieret, ad quam totius populus regionis conveniret. Adveniente verò die illo & congregato hujus regionis populo, necnon & STEPHANO [a] Comite & ALA Comitiſſa conjuge ſua cum multa Principum multitudine, in quoddam pratum Monachi hujus Eccleſiæ glorioſum Martyris corpus detulêre. Finito autem ſermone ad populum præparaverunt ſe viri religioſi ad deponendum in vaſe argenteo corpus ſanctiſſimum. Dum autem membra tanti Martyris in capſa præparata digna veneratione reponuntur cum hymnis & laudibus, ecce allatus fuit quidam debilis impræſentiarum & originaliter contractus tota membrorum compagine deſtitutus, naturalis indigena hujus villæ, Stephanus Rondellus cognomine. Non enim poterat iſte contractus oculos ad cælum erigere, ſolis manibus & genibus ut poterat incedens, talaribus fixis in natibus, nec niſi per alicujus auxilium ſe movere poterat. Iſte debilis vocibus immenſis auxilium Martyris reclamare cœpit dicens: S. Aigulfe Martyr Chriſti glorioſe, adeſto meis precibus pius ac propitius, & da mihi ſanitatem in corpore. Exaudivit Deus omnipotens vocem ejus, Martyris ſui merita declarare volens: & cœperunt membra ægroti crepitare, & ſonitum magnum dare. Nec mora, prævenientе Dei gratia & Marryris ſubſequentibus meritis, omnis compago membrorum

Corpus S. Aigulfi in thecam argenteam tranſpoſitum.

Contractus erigitur.

[a] Is fuit Stephanus, cognomento Henricus, Comes Campaniæ & Bleſarum filius Theobaldi III. de quo in vetuſto apographo Monaſterij S. Remigij apud Remos hæc leguntur: *Anno* M. XLVIII. *apud Senonas celebratum eſt Concilium, in quo fuit confirmata fundatio S. Aigulfi Pruvinenſis per* THEOBALDUM *Campaniæ Comitem facta.* Huc ſpectat Henrici Francorum Regis diploma à Camuzato in Promptuario Tricaſſino relatum, quo Rex annuit Theobaldo Comiti, *ut in Eccleſia S. Aigulfi ſub Pruvinenſi epiſcopio ſitam, quam ab ipſo beneficiosè tenebat, liceat Monachos de Monaſterio Domni Petri Trecaſſini, Cellenſis cognominati, primitivè ponere. Actum publicè in Senonico palatio, anno incarnati Verbi* M. XLVIII. *& regni Henrici Regis* XVII. Cui diplomati ſubſcribunt GILDUINUS Archiep. Senonenſis, IMBERTUS Pariſiacenſis, ISAMBARDUS Aurelianenſis, MAINARDUS Trecaſſenſis, HUGO Nivernenſis, HERBERTUS Autiſſiodorenſis. VVALTERIUS Meldenſis, Epiſcopi, aliique Proceres. Nunc Prioratus S. Aigulfi apud Pruvinum, uti & Monaſterium Cellenſe cui ſubjectus eſt, à RR. Patribus Congregationis S. Vitoni regitur.

CIRC. AN. DC. LXXV. SEPT. III.

quæ priùs diſſoluta fuerat, videntibus cunctis ſanitatem recepit, & quaſi nullam antea corporis debilitatem ſenſiſſet, ſanus & incolumis ſurrexit. Ille verò ſanus factus, junctis manibus S. Aigulfi ſervus efficitur. Reſtituta itaque ſanitate integra illi gratulatur valde plebs Fidelium quæ ad diem feſtum ejus Tranſlationis advenerat, & omnipotentis Dei magnalia vocibus excelſis collaudat. Comes autem Stephanus ſumpto conſilio cum Comitiſſa & cum quibuſdam viris boni teſtimonij qui ei familiares erant & conſiliarij, ſciens quia medietatem feriæ* Domnus EUGENULFUS pridem dederat Eccleſiæ, ipſe medietatem medietatis ſuæ quam tenebat laudante Comitiſſa conceſſit, & confirmavit jure perpetuo poſſidendam Eccleſiæ B. Aigulfi & ſervitoribus ejus. Siquidem tres partes feriæ habet Eccleſia, & Comes quartam partem ſibi retinuit & conductum, ut per hæc fortiores eſſent partes Eccleſiæ. Compoſitis & honorificè collocatis Reliquiis glorioſi Martyris, Monachi revertuntur laudantes & glorificantes Deum, qui mirabilis eſt in Sanctis ſuis & glorioſus per infinita ſæcula ſæculorum, Amen.

* *id eſt* nundinarum, gallicè *la Foire*

Cæcus lumen recipit.

3. Erat enim quidam famulus in infirmaria qui debilibus & infirmis ad ſerviendum deputatus erat: cui cùm ſecretarius Eccleſiæ præcepiſſet ut aquam deferret ad abluendas manus Sacerdotum, continuò aquam de puteo detulit & in loco ubi poni ſolebat repoſuit. Qui cùm ad domum regredi vellet, ſtupor immenſus circumdedit eum, & quaſi aculeis pungeretur in oculis, lumen oculorum protinus amiſit, nihil omnino videns, nec ante, nec retro movere ſe potuit. Ille itaque tam ſubitò lumine amiſſo præ dolore cœpit manus detorquere & clamare: S. Aigulfe dulcedo pauperum, tu pius conſolator miſerorum ora pro me miſerrimo peccatore Dominum. Ad cujus voces cucurrerunt Monachi Eccleſiæ & alij viri & feminæ hoc quod ei acciderat cupientes cernere: qui omnes vocibus excelſis clamores ad ſidera tollunt. Denique hortantur illum ut ſub corpore beati Martyris ſe proſternat, & invocans miſericordiam Dei & clementiam Martyris exſpectat quouſque Deus illum reſpiciat. Tota die ille nihil videns ibi jacuit quouſque die ad occaſum jam declinante paulliſper obdormivit. Veſpere facto quaſi de gravi ſomno evigilans ſurrexit, & reſtituto ſibi lumine gratiâ Dei & ejus beatiſſimi Martyris apertis oculis clariùs vidit quàm anteà vidiſſet & meliùs, & omnes qui aderant cœperunt Deum & ſanctum Martyrem laudare & glorificare quantum poterant. Tunc ipſe qui ſanatus fuerat obtulit ſe, ut deinceps Eccleſiæ & Monachis quibus ſe dedit diligentiùs ſerviret. Quod Comitiſſa & dominus HENRICUS filius ejus, quibus ille homo erat, conceſſerunt & laudaverunt ad laudem Dei cui eſt honor in ſæcula ſæculorum, Amen.

Tempeſtas avertitur.

4. Alio quoque tempore in introitu Septembris infra Pruvinum grando non modica cecidit inconſueta, quam nemo viderat, aut audierat tam formidoloſam tempeſtatem cecidiſſe ſuper terram. Cujus grandinis quantitas major erat quàm mali punici, & duricies ejus ſicut lapidis. Grando hæc tegulas & domos S. Aigulfi findebat: quapropter Monachi valde perterriti & populus totius opidi ad Eccleſiam concurrunt, corpus B. Martyris ad terram deponunt, clamantes omnes vocibus & lacrymis: S. Aigulfe quare dormis, quare nos perire pateris? Si verè Dei Martyr es, ſuccurre nobis in articulo tantæ neceſſitatis. Ecce continuò Divina miſericordia venit & glorioſi Martyris ſuffragium apparuit. Nam tempeſtas illa quæ valida fuerat, ſine læſione Monachorum & totius populi citò remanſit intervenientibus B. Aigulfi meritis & precibus, agente id voluntate & miſericordia noſtri Redemptoris, qui cum Patre & Spiritu-ſancto vivit & regnat Deus per omnia ſæcula ſæculorum, Amen.

Incendium reſtinguitur.

5. Hiemis verò tempore & noctis principio dum gravis ſomnus aliquando incubuiſſet hominibus, ignis accenſus eſt in opido S. Aigulfi vehementiſſimus in ea parte qua ditiores domus & meliores eſſe videbantur. Et cœpit ille ignis mirabiliter creſcere ut omnia conſumeret, eoquòd tunc ſiccitas non modica erat & gelu omnia conſtrinxerat: ventus etiam convaleſcens quaſi furore permotus admodum ventilabat. Tunc cives & Monachi expergefacti clamore inſolito ex-

citati unanimiter impetum fecerunt contra ignem cupientes exſtinguere. Sed fruſtra fuit, quia tanti incendij ardorem & jam alongè non poterant ſuſtinere. Videntes autem flammas tendere ad Eccleſiam S. Aigulfi cum dolore & gemitu clamabant: S. Aigulfe Martyr pretioſe faveto noſtris vocibus, libera domum tuam ab iſtis incendiis, & erue nos à periculis. Tunc ampliatis greſſibus ad Eccleſiam currunt, & auferentes inde corpus ante tantum ignem deferunt, ut ignem illum exſtingueret, aut corpus ejus inibi concrematum remaneret. His ita propoſitis & populis clamantibus continuò præſens affuit miſericordia Dei & glorioſi Martyris clementia: nam ignis ille horridus ſtatim ſedatus eſt, & ſui ardoris viribus conſumptis ex toto compeſcuit, & ſævitia venti omnino conticuit. Liberati ergo à tantæ perſecutionis peſte magno gaudio repleti ſunt, & glorioſum corpus S. Aigulfi cum hymnis & canticis ad Eccleſiam ſuam referentes cum magna veneratione in ſede ſua reſtituunt. CIRC. AN. DC. LXXV. SEPT. III.

6. Quodam tempore circa finem Auguſti Clericus quidam Pruvinum deveniens & dicens ſe Canonicum Lugdunenſis Eccleſiæ & de Scholis venire, miſerat (ſicut dicebat) in patriam ſuam pro pecunia: ideò nuntium ſuum Pruvini exſpectabat. Et cùm Eccleſiam frequentaret & familiaritatem cum Monachis haberet, dicit ſe quadam die cum eis velle prandere, quia piſces ad comedendum non poterat invenire. Quem æſtimantes propter exteriorem apparentiam honorabilem & juſtum, libenter ad prandium ſuſceperunt, & caritativè de bonis ſuis refecerunt. Poſt refectionem autem non attendentes in eo ſecundum faciem nihil malæ ſuſpicionis, euntes quieſcere in Dormitorium, reliquerunt ipſum in Eccleſia, credentes quòd ob calorem diei vellet inibi quieſcere, aut orare. Sed dum ille nequam nihil ſibi obeſſe ſenſit, clavem ubi ſæpe reponi viderat accepit, armarium diffirmavit, & tres calices cum patenis inde rapiens, refirmato armario & clave in loco ſuo repoſita, ipſos calices cum patenis (quod horribile eſt dictu) in famularibus * ſuis occultavit. O quanta patientia Dei! Calices illos in quibus cotidie conſecratur verum corpus & verus ſanguis JESU-CHRISTI, per quos ſignificatur ſepulcrum Domini in quo poſt paſſionem ejus ſacratiſſimum corpus ſuum ſepultum fuit; patenas per quas ſignificatur lapis poſitus ad oſtium monumenti; & corporalia per quæ ſignificatur ſudarium Salvatoris, mirandum eſt quòd paſſus eſt Deus ita inhoneſtè tractari. Poſteà relevatio pulſatur, poſt Nonam cum Monachis idem latro habens in famularibus calices, bibit, & poſthæc acceptâ licentiâ lætus & alacer, ſicut ille de quo nulla dubitatio erat, progreſſus eſt foras. Mane autem facto diſperſa corporalia viderunt, ſed pro Miſſis celebrandis calices minimè repererunt. Quid inde Monachi poſſint facere neſciunt, rumor velocior aura exiit in populum, hoc ſcelus Monachi feciſſe feruntur. Dicebant omnes quaſi una voce: Amodò quæ ſit vita Monachorum oſtendetur: mandemus Comiti ut iſti nequam & luxurioſi foras ejiciantur, & alij religioſi loco eorum introducantur. Ipſe etiam latro cum aliis vociferabat vituperando vitam eorum. Cùm enim aliquem de Monachis videbat foras, quaſi latronem digito alter alteri demonſtrabat. Unde his valde Monachi perterriti & verecundi de Eccleſia foras egredi verebantur. Sumpto itaque conſilio ſuper hoc placuit omnibus, ut corpus S. Aigulfi cum capſula ad terram deponeretur & tamdiu ibi jaceret, quouſque ſacrilegum Deus revelaret. Decreverunt etiam ut poſt Orationem Dominicam in Miſſa tres pſalmi cum tribus orationibus cantarentur, ut Dominus petitionem eorum per meritum ſancti Martyris exaudire dignaretur. Hoc per octo dies factum, quouſque petitio eorum exaudita eſt. Quædam enim vidua quæ poſt meſſores ſpicas ad campos colligebat, vidit prædictum Clericum in campis ſuper acervum lapidum calices confringentem: ad quem cùm veniret & interrogans quid ageret, reſpondit ille, quia infirmus eſſet. Quæ eum præteriit & eo recedente citò rediit, & veſtigia ubi calices fregerat invenit, Monachíſque S. Aigulfi quæ viderat nuntiavit. Cuſtos etiam vinearum deſuper quadam arbore qua per vineas reſpiciebat, videns ſuperdictum

Clericus calices furatus deprehenditur.

* *id eſt* mantica *vel qui ſimile.*

CIRC. AN. DC. LXXV. SEPT. III.

acervum lapidum præfatum Clericum, ad locum protinus venit, ibíque duos lapides quibus calices confregerat & in eis auri & argenti veſtigia reperiens cum parvo fruſto argenti, ad Eccleſiam S. Aigulfi totum detulit & Priori reddidit. Quo comperto quæritur clericus & invenitur, & ſi hæc ita ſe habent interrogatur. Qui omnia ita eſſe recognovit & argentum reddidit, ac omnia ſicut geſta fuerant narravit, & addidit quòd ex quo calices rapuit, nec abire, nec fugere de villa potuit, nec etiam comedere vel dormire. Quod cùm audiſſet univerſitas populi qui foris exſpectabat, ad Eccleſiam currunt, tundunt pectora, terram oſculantur, magnificant Deum & ſanctum Martyris corpus de terra levatur & in loco proprio cum hymnis & laudibus adſtante populo collocatur. Latro ille indicatur & dignus ſupplicio, vel ut igne comburatur, ſive ſuſpendatur, vel aliquo horribili modo crucietur, ab omnibus acclamatur. Qui ligatus ad Archiepiſcopum mittitur, ſed de eo quid poſtea factum ſit, nos neſcimus.

Digiti contracti extenduntur.

7. Eo tempore quo GUILLELMUS Provincialis Prioratum Eccleſiæ S. Aigulfi regebat, manebat in domo Clementis Sacerdotis quædam pediſſequa bonæ vitæ & boni teſtimonii. Hæc femina cùm die quadam ad opus ſuum faciendum ſe præpararet, continuò digiti manus ejus dexteræ, quaſi rupti eſſent, ita retroflexi ſunt in ſuperficie manus, ut nullo modo reduci, nullo modo inde valerent divelli. Quod cùm illa vidiſſet, flens & ejulans currit ad Eccleſiam B. Aigulfi Martyris, & ſub capſa in qua continentur oſſa ejus ſe proſtravit, deprecans eum vocibus & fletibus ut ſui ipſius miſereatur. Jacuit ibi ab ortu ſolis uſquequo hora diei tertia pulſavit. Tunc orantibus Monachis & mulieribus pro ea videntibus cunctis ita manus ejus eſt reſtituta ſanitati & digiti ſolidati, ut nulla in eis ægritudinis veſtigia videri poſſent per meritum S. Aigulfi Martyris.*

* *hic amentis feminæ curatio omiſſa.*

Recapitulatio de S. Aigulfo.

8. In pago Aurelianenſi ſuper fluvium Ligeris ſitum eſt Cœnobium quoddam magnæ auctoritatis & nominis. Locus ille in Priori tempore FLORIACUS vocabatur, ſed poſtea mutato nomine gratia & veneratione S. Benedicti modò S. BENEDICTUS nuncupatur. Eſt autem cauſa quare dicitur hoc nomen accepiſſe. Beatus enim Aigulfus ejuſdem Cœnobij Monachus, vir Monaſtici Ordinis egregius, per revelationem Dei & Domini noſtri, & per injunctam obedientiam MUMMOLI ſui Abbatis prænonitus Montem-Caſſinum ſollicitus adiit, de quo B. Benedicti corpus uſque ad locum prænominatum viriliter & audacter duce ſancto Spiritu totum detulit. Poſtea verò factus Abbas Eccleſiæ Lirinenſis, ab infidelibus Monachis ejuſdem Monaſterij multas perſecutiones & injurias ſuſtinuit, quouſque paſſionis & martyrij palmâ coronatus feliciter ad Dominum migravit. Cujus corpus ſanctiſſimum longo tempore per revelationem Dei ad Monaſterium S. Benedicti delatum fuit. Deinde verò ingruente perſecutione HASTINGI Principis Normanniæ, timore illius ex voluntate & diſpoſitione Dei S. Aigulfus uſque Pruvinum deportatus fuit ubi quieſcit, ubi ſigna & miracula multa facit. Cujus ſollemnitas apud Pruvinum & apud S. Benedictum annuo redeunte curriculo quotannis ſollemniter celebratur & feſtivè feriatur. Accidit autem præterito in tempore apud S. Benedictum, ut mulier quædam Eremburgis nomine in die ſollemnitatis B. Aigulfi Martyris feriantibus omnibus aliis illa colum & fuſum acciperet & filare incepit. Quam cùm Clericus quidam filantem conſpiceret, timens Dominum & Martyrem Aigulfum valde illam redarguit, quòd quidquam operis faceret in die tantæ ſollemnitatis. Quæ reſpondens ait: Neſcio quis S. Aigulfus eſt, nec habetur in hac villa, & ubicumque ſit, nec bona, nec mala mihi facere poteſt. Vos præcipite parrochianis veſtris feriare, quia ego minime feriabo hodie, nam iſte Aigulfus nihil mihi miniſtrabit unde poſſim vivere. Hoc locuta eſt veluti una de ſtultis mulieribus. Et cùm adhuc ab opere nollet quieſcere opprimente illam inedia, ecce manus ejus dextera uſque ad brachium detorta eſt, pollice fixo in palma, nervis digitorum retractis, quæ nec movere poterat faciente id virtute divina & glorioſi Martyris Aigulfi juſtitia. Crura quoque ipſius & pedes ſub ea recurvati prout ſedere con-

Mulier ob feſtum S. Aigulfi violatum punita, ab eodem ſanatur.

ſueverat penitus contracti ſunt, itaut nec ſurgere, nec de loco illo movere ſe potuiſſet. Quæ mulier cùm tantam debilitatem corporis ſui percepiſſet, quaſi amens effecta clamans & ejulans & B. Benedicti beneficia reclamans, ab amicis & vicinis uſque ad ejus Eccleſiam deportata eſt, ut ipſius ſuffragantibus meritis per Dei gratiam ſanitatem impetrare valeret. Mirantibus Domno GUILLELMO ejuſdem loci Abbate & Monachis & orantibus pro ea, novem diebus in Eccleſia jacuit, nec tamen ullum ſanitatis ſignum recuperavit. Quæ ad domum ſuam deportata, per triennium tantæ infirmitatis dolorem ſuſtinuit, multis miſeriis oppreſſa, multis doloribus afflicta, nullum incolumitatis remedium adipiſci potuit, quia bene promeruerat. Hæc itaque Eremburgis deſolata & ex membris deſtituta, nocte & die orabat ad Dominum ut poterat & ſciebat: & ecce in vigilia Natalis Domini (ut ipſa retractabat) in viſione apparuit ei quædam perſona candida, facie decora, prolixâ barbâ, veſtibus albis induta, confortans illam & dicens: Vade Pruvinum, quære Aigulfum qui ibi eſt, ibi eum invenies, ipſe tibi ſanitatem tribuet. His ita mandatis, ab ea perſona receſſit. Quid faceret mulier? quæ audierat tacuit, in ſe ſilentio tenuit & tamen ſoli Guillelmo Abbati viſionem illam ſecretò revelavit. Ipſe verò quidquid perſona dixerat, mulieri faciendum eſſe laudavit. Neſcit illa quid faciat, quia hiems gravis inhorruerat, & pluvia, nives & gelu iter ejus impediebant, & ideò conductum invenire non potuit; quamvis illam dolor infirmitatis affligeret, tamen uſque ad Pentecoſtem iter ſuum atterminavit. Itaque adveniente S. Spiritûs ſollemnitate mulier cum filio ejus Joſcelino deportata vehiculis, iter ſuum arripuit & uſque Braïenſe * pervenit caſtrum, non habens ultrà quid ampliùs vehicularii poſſet dare. Inde à filio uſque Pruvinum deportata eſt & hoſpitati ſunt in porticu Eccleſiæ B. Aigulfi. Non auſa tamen fuit in Eccleſiam intrare, donec haberet quod B. Aigulfo offerret. In craſtino verò ex labore filij duas candelas emens, Eccleſiam intravit, unam offerens ad altare, ipſum cum devotione oſculans, & alteram ante crucifixum ponens. Et cùm veſpere diei Sabbati intrâſſet Eccleſiam, tota nocte vigiliis & orationibus intenta deprecans Deum & ſanctum Martyrem ibidem permanſit. Poſt Matutinas Monachorum, antequam aurora diei clareſceret, perſona quæ ei apud ſanctum Benedictum apparuerat, iterum in viſione apparuit ei dicens: Mulier noli timere, delectare in Domino & in ſancto martyre Aigulfo, & ipſe dabit tibi petitionem cordis tui. Adveniente die Dominica dum Sacerdos & populus proceſſionem circa Eccleſiam ſequerentur, affuit miſericordia Salvatoris & pietas Aigulfi. Nam membra mulieris prædictæ diſſoluta prioribus officiis, oſſibus & nervis crepitantibus in momento reſtituta ſunt priſtinæ ſanitati. Crura ejus ſolura ſunt & pedes ſolidati, manus retorta & digiti recurvati & indirecti ſunt extenſi multis videntibus. Mulier ſentiens ſe ſanatam eſſe, ſurrexit in pedibus ſurſum, & ſecuta eſt proceſſionem cum aliis uſque ante Crucifixum. SIMON Prior Eccleſiæ & Monachi audientes miraculum & Sacerdos cum populo videntes currunt ad ſigna, trahunt chordas, vocis altis *Te Deum laudamus* cantant in excelſis.

CIRC. AN. DC. LXXV. SEPT. III.

* *Bray ſur Seine*

Moribundus vitæ reddituR.

9. LUDOVICI Regis tempore fuit quidam homo tertio miliario ab urbe Carnotenſi habens manſionem. Hic morbo ex improviſo correptus, lectulo quaſi requiem habiturus famulorum miniſterio reponitur. Necdum in illo morbo trium dierum profluxerat ſpatium, cùm vocis & ſolitum admitur officium & ſolus vitalis calor frigido palpitabat in pectuſculo. Eo igitur in tali agonia fatigante adeſt ei S. Aigulfus in viſione veneranda ſpecie & ſchemate Monachico conſpicuus tanti incommodi gravamen fugaturus. Et tertio nomine ejus iterato, revocato amiſſæ vocis officio quomodo ſe ſe haberet benigniſſimè ſciſcitatur. Ille autem Divinæ ſeveritatis ſententiam in ſe conteſtans, vehementer jaculatam ſedulò ab eo depoſcit liberationis ſolatium. Cui taliter infit Martyr egregius: A Domino miſſus ſum, ut tibi ſalutis impendam beneficium: ſurge igitur & amodò incolumis permaneto, & Domino gratias age pro collata ſoſpitate. Scias autem me à

CIRC. AN. DC. LXXV. SEPT. III.

Deo immpetrâſſe, ut ab hac convaleſcas ægritudine. Surgit vir de lectulo gratias agens & Martyri Aigulfo: & adveniens caſtrum Pruvinenſe uxore comitante in laudem Martyris Aigulfi plurima perſonans præconia cum gaudio remeavit ad propria.

Contractus erigitur.

10. Quod ex parte vidi, & ex parte ab eis qui geſtum viderunt audivi Martyris Aigulfi juſſus ſum referre miraculum. Igitur à Caſtello quodam Italiæ quod Mortarius dicitur contractus nomine Richardus, ſui nimis impotens, uſque Pruvinum devectus, ante fores Eccleſiæ B. Martyris ſubter menſas quas Cambios vocant hoſpitatus eſt. Ubi cùm à Kalendis Novembris uſque ad Kalendas Auguſti tam hieme quàm æſtate æquanimiter continuâſſet, ad Eccleſiam beatæ Mariæ de Valle Pruvini, ubi plura miracula fieri didicit, ſe tranſvehi petiit. Cui S. Aigulfus indutus alba veſte & amictus cappa purpurea per viſum apparuit & dixit: Ego ſum Aigulfus hujus loci defenſor & cuſtos; & quia ſub alas meas confugiſti, utpote meus hoſpes, mei juris es & ad me diverte, & in proximo eſt ut à Deo cureris. Quam admonitionem ſimul & conſolationem cùm ſemel & ſecundò ſancto Martyre ſibi apparente tardiùs quàm debuit retuliſſet, à Deo percuſſus obmutuit, iterúmque viſitatus ex alto ſecretum aperuit, & ad Sancti martyris corpus ſe pertrahi ut ejus miſertus in eum reſpiceret cum multis lacrymis exoravit. Eorum autem qui præſentes aderant manibus deportatus, horâ Miſſæ ante gradus altaris parrochialis allatus eſt, ibíque depoſitus. Miſſâ denique celebratâ cui ipſe devotus interfuerat exorator, manibus & pedibus retrocurvatis prout potuit conabatur exſurgere. Quod cùm nondum valeret, cœpit tamen repere ſi Deo volente deſideratam ſibi præſentiam benigni Martyris poſſet attingere, cujus interventu plenitudinem ſanitatis obtinere ſperabat. Dei tandem & adſtantium fultus auxilio conſcenſis gradibus & ad ſancti Martyris locum uſque perductus, ſtridentibus nervis & oſſibus & tantum facientibus crepitum, ut qui aderant mirantes audirent, erectus ſtetit ſanctum feretrum deoſculans, pro tanto beneficio gratias egit. Qui ab infirmitate quam triennio ſuſtinuerat perfectè curatum ſe ſentiens, ſponte ſancto Martyri hominium fecit, & à Domno JOSCELINO portarius conſtitutus in tantum robur corpus invaluit, ut onus animalis fortiſſimi ferret.

CIRC. AN. DC. LXXVII. JUL. XIV.

S. VINCENTII SEV MADELGARII CONFESSORIS SONEGIIS IN HANNONIA

ELOGIUM HISTORICUM.

Vincentius nobilis Francus.

1. DE S. VINCENTIO *ſeu* MADELGARIO *pauca explorata nobis dicenda occurrunt. Illuſtris genere fuit* Madelgarius *primùm, deinde* Vincentius *appellatus, quem Baldericus Epiſcopus Noviomagenſis in Chronico, & Philippus Bonæ-Spei Abbas* Comitem *vocant. Falluntur qui eum patriâ Hibernum dicunt: nec forſitan meliùs ſapiunt qui Aquitanum*, Madelgarium *confundentes cum* Amalgario, *quem à Dagoberto adverſus Vvaſcones miſſum Fredegarius in Chron. cap. 78. docet. Natus eſt Vincentius in loco cui nomen* Sterpea * *prope Binchium, in Hannonia, ut teſtantur ampliſſimæ poſſeſſiones, quas habebat in pago Hainonenſi, qui hodiernæ Hannoniæ pars eſt, nomènque ab Haina fluvio ſortiebatur. Vincentij nobilitas ſatis probatur, tum ex vetuſtis Auctoribus, à quibus* vir illuſtris *prædicatur; tum ex copula* Waldetrudis *conjugis, quæ clariſſimos parentes*

* Strepy

rentes & propinquos, in his GUNDELANDUM Majorem domûs *avunculum habuit.* CIRC. AN. DC. LXXVII. JULII XIV.

2. *Vincentius in conjugio unà cùm Vvaldetrude piiſſimè vivens, plures liberos ex ea ſuſcepit. Quatuor ei adſignant nonnulli*, Landricum, Aldetrudem, Madelbertam, & Dentlinum *ſeptennem in albis defunctum, Reſæ* ad Rhenum in Clivia ſepultum & cultum.* Aldetrudem & Madelbertam, *unam poſt alteram Abbatiſſas Melbodienſes, Vincentij & Vvaldetrudis filias fuiſſe, in Actis S. Aldegundis anno 684. obſervabimus.* Aldetrudis *cum amita Vvaldetrude Melbodij*, Madelberta *Leodij in majori S. Lamberti Eccleſia coluntur. De Landrico infrà.* Quot proles habuit? * Reés

3. *Inter præcipua pietatis opera à S. Vincentio patrata, non poſtrema cenſeri debet Altimontenſis Monaſterij ædificatio, quæ ipſi tribuitur.* URSIO *Abbas Altimontenſis in hiſtoria de S. Marcello Papa quam* LIETBERTO *Cameracenſi Epiſcopo circa finem ſæculi XI. nuncupavit, ſic hanc in rem loquitur in lib. 2. cap. 1. apud Bollandum die 16. Ianu.* Eſt locus ſuper fluvium Sambram nuncupatum ſitus, à parte non à toto (neque enim adeo eminens eſt) Altus-mons dictus, quem illuſtrat Cœnobium formoſæ antiquitatis, &, ut conjici datur ex veſtigiis anteceſſorum, antiquæ nobilitatis. Siquidem metatâ ab Angelo ejuſdem Templi menſurâ, Vincentius Madelgarius potenter laboravit in ejus ſtructura. *Audiendus Baldericus in Chron. lib. 2. c. 35.* Nec pręteream vicum, quẽ Altum-montem dicunt, nec immeritò ſic nominatum, cùm B. Vincentius cum multis viris religioſis qui cum eo fuerant, ſua converſatione reddiderit ſublimatum. Porro iſte Vincentius Comes egregius, S. Waldetrudis maritus, juxta quidem ſæcularem eminentiam & rebus & genere potentiſſimus, eruditione tamen & crebris monitionibus B. Autberti Pontificis Cameracenſis informatus, ſæcularis militiæ pompam procul abhorruit, Deíque obſequiis mancipare ſe potiùs æſtimavit. Igitur cùm de loco ſuæ converſationis expetendo ſollicitus curam gereret, non defuit Divina pietas ſancti viri deſiderium completura. Nam quadam nocte pluit Dominus nivem, & omnem regionem circùm videlicet & circà niveo rore reſperſit, excepto paullulo loci, quod in ſupradicto vico, in modum videlicet Crucis, reſpergendum reſervavit. Quod vir Dei ſuo deſiderio cælitùs contigiſſe, altiore conſilio intellexit, Divinóque indicio certior factus, mox eodem loco Monaſterium ex proprio ſumptu fundavit. Quod etiam ſuus Magiſter Autbertus viris ſecum religioſis adhibitis, in honore Apoſtolorum Petri & Pauli dedicavit: ibíque vir ſanctus feliciter converſatus, laudabilis vitæ ſanctitatem ducere adſtuduit. Ad cujus piam converſationem multi viri religioſi confluxerant, traditíſque prædiis & propriis rebus cum ſancto viro degentes, ad vitæ regularis normam ſeſe conſtrinxerant. *Addit Vrſio loco citato:* DAGOBERTUS Imperator locum excoluit, rebus & reditibus ditavit & ampliavit: Reliquiis quoque Sanctorum, prout potuit uterque eorum, decenter muneravit & illuſtravit, ad quibus ſerviendum ter centum ferme Monachos conſtituit. Inter quos S. Vincentij intercеſſu & Dagoberti Regis conductu, S. Marcellus Papa & Martyr ad prædictum locum cum honoris gratia eſt tranſlatus. *Vrſionis calculus mendoſus eſt, ſiquidem Dagobertus mortuus eſt ante annos decem, quàm Martinus in Pontificatum adſumeretur. Vnde nihil certi pronuntiari poteſt de Altimontenſis Cœnobij origine, quam ad annum circà* DC. L. *revocamus.* Altimontenſe Monaſterium condit. A Dagoberto dotatum & Reliquiis ditatum.

4. *Cùm verò Deus* Waldedrudæ ignem amoris ſui inſpirâſſet, *inquit Scriptor antiquus Vitæ S. Aldegundis*, videns eam beatus vir ejus Madelgarius ſub nutu Dei eſſe conſtrictam, converſus eſt ad Monaſterium quod vocatur Alto-monte, ut ſub ſancta norma Monachorum conſtitutus vitam ſpiritualem degeret, & bonis actibus perduraret. Præfata verò conjunx ejus cùm jam remota eſſet à carnali concubitu, à B. Pontifice Audeberto conſecratum pallium accepit, ſéque in Monaſterio (Caſtrilocenſi) quod priùs ædificare cœperat, retrudi præcepit. *Madelgarij converſionem Auctor Vitæ S. Giſleni à Surio editus factam dicit eo tempore, quo Baſilicam Monaſterij Cellenſis dedicârunt* Autbertus & Amandus, qui- Vincentius illuc ſe recipit.

AN. CHR. DC. LXXVII. JUL. XIV.

bus prædicantibus Comes illuſtris Madelgarius compunctus eſt, & fallaciſſimo mundo nuntium remittens, Autberti Epiſcopi manibus tonſus eſt, & in Altomonte Monaſticum indutus habitum, incluſus vixit uſque ad obitum ſuum.

Sonegias ſecedit.

5. Cùm autem locus, *ait Baldericus præcitatus*, à Regibus & Principibus augmentari & frequentiâ Fratrum populoſus cœpiſſet haberi: ut liberiùs Deo vacaret, in ſecretiorem locum ſeceſſit. *Et cap. 46.* Hic profectò ab incolis Sungeias * nuncupatur, ubi ipſe vir Dei à frequentia populari remotus, Fratribus ſociatus Monaſterium ſtruxit, ibíque exactis hujus vitæ curriculis feliciter, ſepultus cum filio ſuo LANDRICO Meldenſi Epiſcopo in pace quieſcit. *An Landricus Meldenſis fuerit Epiſcopus, dubitant non pauci. Colitur in Eccleſia Sonegienſi in hunc uſque diem cum Vincentio, qui pridie Idus Iulij anno circà* DC. LXXVII. *deceſſit. Monaſterium Sonegienſe, tertio milliari diſſitum à Montibus Hannoniæ, accrevit in opidum, eóque in loco B. Bruno Archiepiſcopus Colonienſis & Dux Lotharingiæ* inſigne Canonicorum ſæcularium collegium ordinavit *anno* GM. LXV. *uti Miræus in Orig. Bened. ex Iacobo Guiſiano commemorat. Petrus Albanenſis Epiſcopus, Apoſtolicæ Sedis Legatus, caput S. Vincentij ſejunxit à reliquo corpore, quod in Sonegienſi Eccleſia Collegiata hactenus cuſtoditur.*

* *al.* Sonegias *Soignies*

Moritur ac ſepelitur.

Sonegienſis Monaſterij ſtatus.

Altimontenſis Monaſterij varia fortuna.

* *Haumont*

6. *Quod attinet ad Monaſterium Altimontenſe* *, *varias ejus fortunas deſcribit Baldericus tum in lib. 2. cap. 35. tum in lib. 3. cap. 5. in hæc verba:* Sub Regia manu per multos annos non mediocriter floruit. Supervenientibus autem cauſis diverſarum tempeſtatum quas legimus, Comitibus in beneficium traditum eſt, & ad tantum caſum paullatim devolvitur, ut Monachis egeſtate coactis, paucorum Clericorum cuſtodiæ mandaretur. Procedente verò tempore contigit Arnulfo patri Domni Epiſcopi, à Comite Herimanno in beneficio compenſari. Hic profectò audito de antiquitate & ſumma veneratione loci, ſicuti vir ſanus ad priſtinum gradum voluit reformare, ſed ſubripientibus cauſis bellorum non potuit. Poſt cujus exceſſum cùm Arnulfi filio hereditariè ceſſit, hujus nimirum meliorare volentis deſiderium Divina clementia ſecundavit. Ipſo enim tempore frater ſuus ad Pontificatum ſublimatur, cujus tam conſilio quàm auxilio, pulſis quidem Canonicis, Domno Abbate RICHARDO Monachorum religio revocatur: qui Richardus poſtea FULCUINUM Abbatem ſibi ſubſtituere æſtimavit, &c. *Quod anno* M. XXXVI. *contigit, quo ex tempore illic ſemper Ordo Benedictinus perſeveravit. Præerat iſti Cœnobio* HALIDULFUS *Abbas, cùm S. Ansbertus Rotomagenſis Antiſtes juſſu Theoderici Regis eo in loco exſulavit. Floruit & in eodem Cœnobio* S. WLMARUS, *Abbas poſtea apud Morinos, de quo agemus Sæculo inſequenti.*

CIRC. AN. DC. LXXVIII AUG. VIII.

SANCTI MVMMOLI ABBATIS FLORIACENSIS SECUNDI ELOGIUM HISTORICUM.

Floriacenſis Monaſterij initia.

1. DE S. MUMMOLI *Abbatis Floriacenſis geſtis paucas res habemus exploratas, de quibus antequam dicamus, Floriacenſis Monaſterij primordia inveſtiganda ſunt.*

2. ADREVALDUS *Monachus Floriacenſis, omnium qui de origine Cœnobij Floriacenſis ſcripſerunt antiquiſſimus, tradit in hiſtoria Tranſlationis S. Benedicti ad annum 653. relata,* LEODEBODUM *Abbatem Monaſterij ſancti Anniani (quod tum erat* ſitum prope mœnia urbis Aurelianæ, *nunc Collegiata Eccleſia muris ejuſdem civitatis incluſa) facta commutatione accepiſſe* à Chlodoveo Rege Dagoberti *ſenioris filio*

agellum quemdam Floriacenſem cum appendiciis ſuis haud longè à litore Ligeris *duodecim milliaribus ſupra urbem Aurelianam:* quod Teſtamentum, *inquit*, mutuæ viciſſitudinis uſque hodie in Archivis publicis noſtri reſervatur Monaſterij. Prædictus autem Leodebodus in ſupradicto agello cœpit ædificare habitationes Monachis utiles: ædificánſque ibi Baſilicam in honore S. Petri, itémque aliam in honore S. MARIÆ Domino dedicari voluit. Collegit ibidem quamplures ad ſerviendum Domino ſub norma regulari vivere paratos, Patrémque & Abbatem his præfecit nomine MUMMOLUM: qui quamdiu rebus humanis interfuit, ut idoneus Paſtor gregis ſibi commiſſi ſollicitè curam exhibuit. *Hæc Adrevaldus.* CIRC. AN. DC. LXXVIII AUG. VIII.

3. HELGALDUS *Monachus itidem Floriacenſis, Roberto Francorum Regi familiaris, initio Vitæ ipſius Roberti præmiſit Teſtamentum Leodebodi ab Adrevaldo memoratum, ſalebris reſperſum haud paucis: ex quo nonnulla carptim delibamus.* Anno ſecundo regnante domino Chlodoveo glorioſiſſimo Rege ſub die v. Kalend. Julij LEODEBODUS Baſilicæ Domni Anniani Abba, *res ſuas in portiones tres diſtribuit. Et aliam quidem legat* Baſilicæ Domni Anniani, *aliam* Baſilicæ Domnæ MARIÆ quam JOHANNES Floriacus à novo quondam conſtruxit, ubi venerabilis vir Fulcadus Abba cuſtos *tum præerat; tertiam* Monaſterio *quod* in honore S. Petri ædificare deliberat in agro Floriaco, quem cum glorioſo atque præcelſo Domno CHLODOVEO Rege & glorioſa Domna uxore ejus BALTHILDE Regina viſus eſt commutâſſe, in quo Monachi juxta Regulam ſanctiſſimi BENEDICTI & Domni COLUMBANI conſiſtere debeant. Quam donationem, ut firmior habeatur, geſtis municipalibus alligari *jubet*, & duas Epiſtolas, *ſeu exemplaria*, uno tenore conſcriptas fieri, unam quæ in Archivo Domni reſideat Anniani, aliam Monaſterium Domni Petri per futura tempora reſervandam recipiat. Actum Aurelianis publicè anno Inc. Dominicæ DC. XXIII. in menſe Junio, anno ſecundo Domni CHLODOVEI Francorum Regis, filij DAGOBERTI Senioris. *Subſcribunt* LEODEBODUS peccator Abbas, AUDOENUS peccator Epiſcopus, rogante venerabili viro Leodebodo Abbate, LEODEGARIUS acſi indignus (*uti ipſe præfert*) Epiſcopus, BECCELENUS Abba, ADO Abba, SALOMON Abba, LEOTSINDUS Abba, aliíque homines promiſcuæ dignitatis octodecim. Leodebodi Teſtamentum.

4. *Tria in hocce Teſtamento diſtinguenda*, Donationes, notæ Chronologicæ, Subſcriptiones. *Et* Donationes *quidem veriſſimas eſſe conſtat: ſiquidem plura prædia in eo memorata hactenus poſſident Floriacenſes noſtri. At* characteres chronologici, *ipſæque* ſubſcriptiones *conciliari nequaquam poſſunt. Nam* anno ſecundo Chlodovei *Audoënus nondum erat Epiſcopus, nec ipſe Chlodoveus, tum minorennis, uxorem duxit ante annum regni decimum. Certè Balthildis diu antequàm Chlodoveo nuberet, in miniſterio fuerat Erchinoaldi Majoris Palatij, quam dignitatem Erchinoaldus anno regni Chlodovei tertio dumtaxat obtinuit. Deinde* annus Inc. Dominicæ DC. XXIII. *cum regno Chlodovei nullatenus conſentit: qui tamen error in Aimoino præceſſit, dum in libro ſuo 2. de Mirac. S. Bened. cap. 1. ſe anno* M.V. *ſcribere teſtatur: quem annum cap. ultimo illigat anno trecenteſimo octogeſimo quinto à conditu Cœnobij Floriacenſis. Denique* anno ſecundo regni Chlodovei *nondum* ſenior *dici poterat* Dagobertus, *quum Sigiberto ipſius filio necdum alter Dagobertus natus erat.* Examinatur.

5. *Sic igitur res geſta videtur.* CHLODOVEUS *teſte Fredegario in Chron. cap. 89.* anno IV. regni ſui, *hoc eſt anno* DC. XLI. cum Nanthilde Regina *ſeu matre ſua*, Aurelianis in Burgundiæ Regnum venit, ibíq; omnes Seniores, Pontifices, Duces & Primates de Regno Burgundiæ ad ſe venire præcepit, *excepitque benignè. Tunc Leodebodus Abbas Monaſterij S. Anniani* Floriacum vicum *dato* Attiniaco prædio ad Axonam *ſito cum Rege commutavit. Eodem vel inſequenti anno condidit Teſtamentum v. Kalend. Julij, cui Teſtamento* AUDOENUS, anno III. regni Chlodovei *ordinatus Rotomagenſis Epiſcopus* die Dominica ante Litaniam *Rogationum; & Leodegarius Aurelianenſis Pontifex ſubſcripſerunt. Mox Leodebo-* Emendatur.

CIRC. AN. DC LXXVIII AUG. VIII. *dus manu operi admota Floriacenſe Monaſterium exædificat, duabus Baſilicis, alterà* S. MARIÆ, *alterà S. Petri decoratum, eique anno circà* DC. XLV. *ſupremam impoſuit manum.* Ipſe verò, *inquit Helgaldus in Prologo ad Vitam Roberti Regis,* uſque ad XVIII. annum memorati Regis Chlodovei perdurans, poſtmodùm laudabilis vitæ curſum ſancto fine concluſit, *anno proinde* DC. LV. *qui Chlodovei ultimus fuit. B. Balthildis litteras direxiſſe ac Privilegia conceſſiſſe legitur* Baſilicis S. Petri & Domni Anniani, &c. *ubi* Baſilicæ S. Petri *nomine, Monaſterium S. Petri Floriacenſis (ita enim primitùs dictum fuit, aſſumpto paullopòſt* S. BENEDICTI *vocabulo) intelligendum videtur.*

Rigomarus I Abbas Floriacenſis. 6. *De primo Abbate qui Monaſterio Floriacenſi præfuit, variant Auctores. Adrevaldus in loco ſuperiùs citato primum locum* MUMMOLO *tribuit. Aimoinus in lib. 4. hiſt. cap. 42. ab Andrea Cheſnio ex Mſſ. adjecto* RIGOMARUM *Mummolo præmittit his verbis:* Ædificatis duabus Baſilicis, unâ in honore Apoſtolorum Principis Petri, aliáque in veneratione Genitricis Dei MARIÆ, mox etiam conſtruxit (Leodebodus) habitacula Monachorum uſibus congrua: adunatíſque quibuſq; nobilibus, vel etiam Deo ſervire cupientibus Abbatem inſtituit nomine RIGOMARUM, qui quinquiennio expleto ex hoc tranſiens ſæculo ſucceſſorem accepit nomine MUMMOLUM. *Quæ verba Auctor Chronici S. Maxentij ſeu Malleacenſis exſcripſit, & in ſuum Chronicon retulit. Et tamen Aimoinus in Carmine de Tranſlatione S. Benedicti prædicto capiti apud Cheſnium ſubjecto (quod Carmen ſuperiùs edidimus) omiſſo Rigomaro, Mummoli ſolius, uti Adrevaldus, meminit. Quippe cùm uterque ageret de S. Benedicti Tranſlatione, cujus Mummolus auctor fuit, facilè prætermiſſo Rigomaro conceſſerunt in Mummolum, cui iſtius facti laudem tribuere volebant. Certè cùm* librum de Vita vel actibus Abbatum Floriacenſium *hactenus ineditum ſcriptum à ſe dicat in Vita S. Abbonis Abbatis ſui Aimoinus; huic de ſerie Abbatum Floriacenſium datà operà agenti potius quàm cuivis alij credendum eſt.*

Mummolus ſucceſſor.

7. *Quo ex loco Monaſterióve aſſumptus ſit Mummolus in regimen Cœnobij Floriacenſis, non liquet. In Breviario MS. Monaſterij S. Crucis apud Burdigalam (ubi ſub nomine* S. MUMMOLENI* *colitur, ejúſque ſepulcrum & Reliquiæ oſtenduntur) ex Abbatia S. Anniani electus dicitur. Aimoinus in Carmine de Tranſlatione S. Benedicti Mummolo generis nobilitatem tribuit:* MUMMOLUS huic nomen, generis quoque nobile germen. *Et ab Adrevaldo in hiſtoria Tranſlat. ipsóque Aimoino* bonus Paſtor; *& in Vita S. Aigulfi per Adrevaldum,* Beatus vir Mummolus *prædicatur. Cetera preſſit antiquitas.*

* vulgò *S. Mommolin*

Mummoleni Epitaphium. 8. *In prædicto S. Crucis Monaſterio noſtro Burdigalenſi rudè legitur Epitaphium S. Mummoleni in marmore inciſum, affixúmque parieti, qui tumulo ejuſdem Sancti adhæret. Epitaphium hoc modo ſe habet;*

† HIC REQUIESET BONE RECORDATIONES
HUMILIS XPI MOMMOLENUS
QUI VIXIT ANNYS CCC SEPTUAGENTA
APUD QUEM NULLUS FUIT DOLUS MALUS
QUI FUIT SENE IRA JOCUNDUS
HOC EST ACCEPIT TRANSITUM
SUB DIE VI. IIDUS AGUSTAS
UBI FECIT AUGUSTOS DIES SEPTEM.
ANNO V. REGNUM DOHNI NOST
CHLODOVEI RES †

Quid mereatur auctoritatis mendoſiſſima illa inſcriptio, viderint alij. Certè primo intuitu lectio ipſa perſuadet, characteres & ſcribendi modum eſſe poſteriorum tem-

porum : ipsúmque Epitaphium, cùm fortaſſe penitùs oblitteraretur, ab indocto quo- CIRC. AN. DC. LXXVIII AUG. VIII.
piam ſculptore depravatum ac mutilatum fuiſſe. Et quidem ratio illa computandi per annum quintum Chlodovei *nonnihil bonæ antiquitatis redolet: quamquam an retinendus ſit* Chlodoveus, *meritò dubitare licet.*

9. *Antequam de iſto Epitaphio feramus ſententiam, diſquirendum an idem ſit* Mummolus, *qui hìc* Mummolenus *dicitur. Id quidem affirmat Burdigalenſium & Floriacenſium Monachorum pia traditio, cui dum certior non opponitur auctoritas, contradicere fas non eſt. Certè parum differunt* Mummolus *&* Mummolenus, *& facilè utrumque nomen uni eidémque homini accommodari potuit. In vulgato Teſtamento Leodebodus Monaſterij S. Anniani Abbas* villam Camberon quæ eſt juxta terminum Clariacinſe * vel Ucello vico de heredibus MUMMOLI compârâſſe *dicitur: eidémque Teſtamento* MUMMOLENUS *ſubſcripſiſſe reperitur. An fortè ille ipſe* Mummolus *in Teſtamento memoratus, immo an* Mummolus *poſteà Floriacenſis Abbas, qui ob votum paupertatis Monaſticæ heredes vivens habuerit? Quod ſi ita eſt, quæ illi neceſſitas aut occaſio petendi civitatem Burdigalam, ubi eum mori contigerit? Qui hominem ſanctum ad S. Iacobi Templum in Callæciam peregrinatum aiunt, & in reditu apud Burdigalenſes morbo interceptum diem clauſiſſe, non ſatis attendunt, quo primùm tempore peregrinatio Iacobæana celebrari cœpit, nimirùm principatu Caroli Magni, ſeu Leone III. Pontifice Maximo: tum enim ſancti Iacobi corpus apud Compoſtellam repertum fuiſſe tradunt Hiſpanici Scriptores. Alio proinde modo hic nodus ſolvere quis poſſit, dicendo,* Mummolum *ſeu (uti volunt)* Mummolenum, *propagandi Inſtituti Benedictini gratiâ in Aquitaniam profectum, Burdigalæ obiiſſe. Quippe in charta reſtaurationis Monaſterij* REGULÆ, *vulgò* la Reole, *Ord. S. Bened. diœc. Vaſatenſis in Vvaſconia, ipſum Monaſterium ante inturſiones Nortmannorum Monaſterio Floriacenſi fuiſſe ſubjectum legitur. Sic nempe* GUMBALDUS Epiſcopus Waſconiæ, & WILLERMUS Sancij Dux Waſconum frater *ejus, illius Cœnobij inſtauratores in Inſtrumento anno* CM. LXXVII. *hac de re confecto inter cetera loquuntur:* Notum verò erat omnibus, ibidem ex antiquo Monaſticæ inſtitutionis Regulam floruiſſe: & idcirco cùm antiquitùs idem locus dictus fuerit SQUIRS, modernis temporibus dicitur REGULA. Quibus ſuper tali deliberatione multimoda animi anxietate fluctuantibus, per eam quæ in antiquis ſapientiam compertum eſt, ante Nortmannorum irruptionem & ſuî deſtructionem, idem Monaſterium Cœnobio Floriacenſium fuiſſe ſubjectum.... Unde communi conſilio propinquorum ſeu fidelium noſtrorum quemdam Clericum, legationis noſtræ bajulum ad venerabilem Abbatem RICHARDUM Fratréſque Floriacenſes cum omni ſupplicatione direximus precantes, ut ipſe, ſi fieri poſſet, ad præfatum locum deſcenderet, &c. *Cur enim quæſo Monaſterium Regula* ante ſui deſtructionem * *per Nortmannos factam Cœnobio Floriacenſi ſubjectum erat, niſi quia Floriacenſibus Monachis, & forſitan Mummolo noſtro primordia ſua referebat accepta? Legimus in ſchedis quibuſdam de origine Regulæ, Carolum Magnum in procinctu Hiſpanicæ expeditionis conceſſiſſe* RICHARDO Abbati Floriacenſi pagum Aliardenſem, qui duobus rivulis ab Oriente & Occidente fluentibus & Garumnâ à parte Meridiei ut ibi Monaſterium conſtrueret: *idque à Richardo exſecutioni demandatum, tranſmiſſis Floriaco Monachis quatuor ac viginti, quibus* Priorem *ac* Clavigerum *præpoſuerit. Carolum verò ex prædicta expeditione reverſum juſſiſſe Abbatiam S. Crucis prope Burdigalam aliáſque ædificari. At narrationi illi non tuta fides, in qua cùm multa errata deprehendantur, tum illud imprimis occurrit caſtigandum, quòd hiſtoria rîſtituti per Richardum Abbatem Monaſterij Regulæ cum primo ejus conditu Richardo itidem attributo confunditur. Monaſterij S. Crucis Burdigalenſis origo non minùs obſcura. An ad S. Mummolum Mummolenúmve referri poſſit, non definimus; nec definit quidem noſter Iohannes Petrus* Dabadie, *qui iſtius Cœnobij hiſtoriam conſcripſit. In Conſtituto Ludovici Pij Imp. inter Monaſteria* quæ dona & militiam facere debent, *memoratur*

Mummolus an idem cum Mummoleno?

* *Clery* ad Ligerim

Burdigalæ an mortuus?

To. 2. Bibl. Labbeana p. 543.

* *anno 847. ſecundum Ademarum al. anno 853. Burdigala crematur.*

CIRC. AN. DC. LXXVIII AUG. VIII. *Monaſterium S. Crucis, an Burdigalenſe, incertum. Certè inter Monaſteria Vvaſconiæ ibidem non recenſetur.*

Epitaphium emendatum. 10. *His ita præmiſſis, ſiquidem* Mummolenus *idem eſt qui* Mummolus, *ita reſarciendum videtur Epitaphium:*

HIC REQUIECIT BONÆ MEMORIÆ HUMILIS CHRISTI SERVUS [1] ſeu ABBAS MUMMOLENUS, qui vixit annis circiter [2] SEPTUAGINTA, APUD QUEM NULLUS FUIT DOLUS AUT [3] MALITIA: QUI FUIT SINE IRA, JOCUNDUS. HIC [4] HOSPES ACCEPIT TRANSITUM DIE VI. IDUS AUGUSTAS, UBI (id eſt POSTQUAM) FECIT (ſeu ABSOLVIT) AUGUSTUS DIES SEPTEM, ANNO QUINTO REGNI DOMNI NOSTRI THEODERICI [5] REGIS.

11. *Epitaphium in locis quinque emendavimus. Et* primò *quidem poſt* humilis Chriſti *adjecimus* ſervus *ſeu* Abbas, *nam aliàs manca eſt ſententia.* Secundò *facilè fuit homini imperito pro cerc. ſeu circ. ſubſtituere* CCC. *qua vitioſa lectione decepti nonnulli*, trecentos ſeptuaginta annos *Mummolo tribuerunt.* Tertiò *pro* dolus malus *repoſitum*, dolus aut malitia; *quis enim* dolum bonum *dixerit?* Quarto *loco ubi legitur*, hoc eſt accepit tranſitum (*quid enim iſtud rei eſt?*) *correximus*, hîc hoſpes accepit tranſitum, *quod & piæ traditioni convenit, nec multum à primaria ſcriptione abhorrere videtur.* Quintò *denique, cùm anno quinto Chlodovei nempe ſecundi deceſſiſſe non potuerit Mummolus, qui Floriacenſi Monaſterio condito principio regni Chlodovei poſt Rigomarum Abbas impoſitus eſt; loco* Chlodovei *repoſuimus* Theodericum, *ipſius Chlodovei filium, cujus regni anno quinto, aut certè Chlotharij fratris, Mummolus forſitan obiit. Similis lapſus irrepſit in Acta ſancti Aigulfi, qui principatu Chlodovei martyrio affectus dicitur: cùm conſtet illud regnante Theodorico Rege contigiſſe, uti ad ann. 675. obſervavimus. Conjecturarum ſatis.*

12. *S. Mummolus ſexto Idus Auguſti & per octo continuos dies à Burdigalenſibus colitur ac frequentatur magna religione, ægriſque capitibus ſæpiùs mederi fertur. Ejus memoria in pervetuſto Martyrologio Floriacenſi* anno 1087. *exarato* VI. Kalend. Auguſti *conſignatur & quidem primaria manu in hunc modum:* Mummoli Abbatis; *qui in antiquiori Martyrologio adſcriptus eſt manu recentiori. Ejuſdem Reliquiæ in Monaſterio noſtro S. Crucis apud Burdigalam in monumento marmoreo columnis æquè marmoreis innixo ac thecâ ligneâ deaurata veſtito adſervantur, præter brachium alterum quod ſcrinio argenteo incluſum eſt.*

Sancti Floriacenſes. 13. *Quod attinet ad Cœnobij Floriacenſis decora, iis hoc loco non immoramur, ne pauciora dicendo (multa enim dicere inſtituti noſtri ratio non ſinit) argumenti dignitatem deprimamus. Floruit ſiquidem Aſceterium iſtud pietate, litterarum ſtudiis & Academia, floruit & viris ſanctis, quos inter* SS. AIGULFUS *de quo ſuprà*, ODO *Abbas &* OSWALDUS *Epiſcopus Vvigornienſis ſæculo* IX. *inſequenti verò* ABBO *Abbas ac Martyr, de quibus ſuo loco. Lege Carolum Sauſſeyum lib. 4. Annal. Eccleſ. Aurel. ubi* de gloria Cœnobij Floriacenſis *ex profeſſo agit.*



VITA S. LEODEGARII EPISCOPI AUGUSTODUNENSIS ET MARTYRIS,

AN. CHR. DC.LXXVIII OCTOB. II.

Auctore anonymo Monacho Auguſtodunenſi, æquali.

Ex MS. cod. & Tomo I. hiſtor. Franc. V. C. Andreæ Cheſnij.

OBSERVATIONES PRÆVIÆ.

Vitæ ſcriptores tres. * *S. Leger*

1. SANCTUS LEODEGARIUS* *ſeu* LEUDGARIUS, *inclytus Chriſti Martyr, tres habuit Vitæ ſuæ Sriptores antiquos,* URSINUM *ſcilicet & anonymos duos: de quibus nonnulla prænotanda ſunt.*

Primus.

2. *Primus Auctor, aliis utique præferendus, Monachus fuit Auguſtodunenſis, & quidem (ut videtur) S. Symphoriani in urbe, qui ſcriptionem ſuam nuncupavit* HERMENARIO *ex Abbate Monaſterij S. Symphoriani Auguſtodunenſi poſt Leodegarium Epiſcopo, quem alij* Hermenarium & Hermenacarium *vocant. Auctor iſte ſe Monachum prodit tum in Prologo, tum etiam cap* 13. *dum* Winobertum Abbatem unum è ſuis Fratribus *appellat; & quidem Auguſtodunenſem, dum præclara monimenta à Leodegario Auguſtoduni relicta cap. 1 commemorat. Teſtis fuit in pluribus oculatus Nam & cap. 11. ſatis innuit, audiſſe ſe ex ore Ebroini, Leodegarium* famis inediâ *conſumendum eſſe; & cap.* 13. verba *ſe* vidiſſe ultra ſolitum effluere ex ore Leodegarij *poſt linguæ reſtitutionem. Hanc lucubrationem aggreſſus eſt impulſu* Ermenarij Auguſtidunenſis Epiſcopi & ſpiritualium Fratrum flagitatione, *quemadmodum in Prologo ſcribit.* ERMENANAM *etiam Abbatiſſam Cadurcenſem id à ſe exegiſſe teſtatur cap.* 17. *ubi agit de miraculis in S. Leodegarij Tranſlatione patratis, quæ priùs ab* AUDULFO *Monaſterij S. Maxentij Abbate ſcripto mandata fuiſſe tradit.*

Secundus.

3. *Secundus Auctor eſt* URSINUS *ætate æqualis, qui petentibus* ANSOALDO *Pictavenſi Epiſcopo &* AUDULFO *mox laudato (quorum ille Tranſlationis auctor, hic exſecutor exſtitit) S. Leodegarij geſta calamo etiam excepit. Hic nonnumquam diſſentit, nonnumquam verbistenus conſentit cum alio Auctore, qui Hadriano Valeſio meritò præferendus videtur, tametſi hactenus Vrſino minùs notus. Vtrumque Auctorem jam vulgavit V. C. Andreas Cheſnius, primum quidem ex codice MS. Iacobi Sirmondi, alterum ex interpolatione Suriana: nos etiam dabimus utrumque, primum ad apographum Cheſnianum iterum exactum, alterum ad MSS. codices Monaſteriorum S. Germani Pratenſis & S. Cornelij Compendienſis genuinæ phraſi reſtitutum. Diſtinctiones capitum à Surio & Cheſnio appoſitas retinebimus.*

Tertius.

4. *Tertium Auctorem à nobis omiſſum invenimus in Legendario manu exarato Bibliothecæ Fulienſis inclyti Cœnobij S. Bernardi apud Luteciam Pariſiorum, qui Auctor anonymus, non multo poſt S. Leodegarium tempore, Vrſini lucubrationem interpolavit. Ætatem ſuam indicat ab initio Vitæ dum de Leodegarij parentibus etiam ſuo tempore claris loquitur his verbis:* Illum erenim clariſſimi inter Francorum Principes non mediocris potentiæ parentes* genuerunt, de quorum ingenuitate, quoniam adhuc plures ejuſdem proſapiæ principantur in glorioſo Regno Franciæ, non fuit opus hîc plura dicere. In illis enim ſi cupit quis, valet experiri, quàm nobili ortu vir beatus de quo loquimur enituerit. *Cauſam ſuæ ſcriptionis declarat in Prologo ad quemdam* Patrem *ſeu Abbatem in hunc modum:* Præcepiſti ut B. LEODEGARII venerabiles actus celebrandámque paſſionem ad lucidiorem ordinatiorémque modum ſcribendo reducerem. Sæpiùs etenim ſeu negligentiâ tranſcribentis, ſeu fortè ignorantiâ dictantis, ſive utroque, non bene ordinatam minúſque intellectum admittentem ſolitus eras habere conqueſtionem. In qua, ut fatebaris, maximè te offendebat, quòd antiquus ille ejuſdem Paſſionis ſcriptor *(Vrſinus ſcilicet, neque enim alium agnoviſſe videtur hic Auctor)* injuſtè & ſine diſcretionis temperamento B. Leodegarium, nefariúmque illius perſecutorem Hebroinum pluribus in locis æquales facere non dubitaverit. Dicebas enim fraudulentiam nequiſſimi carnificis, juſti hominis ſanctitati nullo modo potuiſſe coæquari. Virtutem namque cum vitio amentis eſt credere uti umquam amicabili conſortio. Tam obſequendæ ſiquidem præceptioni nil anteponendum commodè exiſtimavi. *Opus ſuum Auctor in libros partitur duos, Vitæ ſcilicet ac Miraculorum. Primum ſic orditur:* Sancti Leodegarij, Fratres cariſſimi, venerandam paſſionem dilectioni veſtræ relaturus. &c. *Vbi ſingulare nihil habet præter colloquia ab ipſo ſubinde inſerta, præterquam quòd cùm Vrſinus ſcribat, Leodegarium Luxovium accedentem ab Ebroino petiiſſe veniam, confeſſum ſe* aliquid in eo peccâſſe; *hic nihil ſimile commemorat, ne Leodegarium cum Ebroino comparare videa-*

* *lege Vitam S. Odilię Sæculo inſequenti.*

AN. CHR. DC. LXXVIII OCTOB. II.

tur. Ex ſecundo ejus libro quis fuerit iſte Auctor diſcimus his verbis: Audiſtis, Patres venerandi & Domini, quâ conſtantiâ benignitas Salvatoris Martyrem ſuum corroboravit; dehinc cognoſcatis miraculorum ſuavitatem... Omiſſa faſtidifera multiplicitate, dicemus pauca de illis miraculis quæ legimus eſſe facta in partibus Aquitaniæ, ubi corpus S. Martyris colitur ſumma veneratione; dicemus & de illis pauca quæ vidimus dum moraremur in Gallia... Pòſt habemus illa narrare, quæ videndo didicimus in finibus Alamanniæ, UBI GLORIOSUM CAPUT INCLYTI MARTYRIS dignis laudibus, Sancti Patres, veneramini. *Hinc apparet, Monachos illos ad quos ſcribit Alamannos fuiſſe, qui caput S. Martyris penes ſe eſſe dicerent. Apud Iohannem Ruyrium in Voſagi ſacra lib. 5. poſt cap. 22. legimus, S. Leodegarij caput (qua de re poſtea) adſervari* apud Murbacenſes Monachos, *quos hîc deſignari non dubitamus. In codice Fulienſi deſiderantur illa miracula, quæ tum in Gallia, tum in Alamannia à ſe viſa fuiſſe Auctor affirmat.*

Alia exemplaria.

5. *Ad hæc venit in manus noſtras S. Leodegarii Vita duplex à prædictis paullo diverſa: una ſcilicet à V. C. Blaſio* le Feron *Doctore ac ſocio Sorbonico, Canonico Carnotenſi, ex Eccleſia Carnotenſis apographo antiquo deſcripta ac tranſmiſſa; alia in codice Moſacenſi, qui nunc eſt V. C. Claudij Iolij Canonici Pariſiacæ Eccleſiæ. At prima eſt ipſa Vrſini lucubratio locis aliquot expolita & aucta, uti quibuſdam exemplis oſtendemus: altera eſt fragmentum Monachi Anonymi, qui opus ſuum Ermenario Epiſcopo dedicavit: quod fragmentum officiis Divinis aptatum incipit ab his verbis*: Audite, Fratres, & intelligite quomodo diabolus feſtinat pugnare contra genus humanum, &c.

Leodegarius Monachus.

6. *Monachorum Pater ac Monachus fuit* S. LEODEGARIUS: *nulli enim ante Caroli Martelli Principatum Monachis præficiebantur Abbates niſi Monachi, non Clerici quidem, quos Gregorius Magnus non ſemel in epiſtolis ſuis ab Monachorum regimine excludit. Si quis tamen ex Clerico Monachorum Prælatus ordinabatur, is Monaſtico habitu aſſumpto Ordinem profitebatur. Inſignis eſt hanc in rem Venantij Fortunati locus de S. Germano, qui antequam Pariſiorum Epiſcopus eſſet, creatus fuerat ex Auguſtodunenſis Eccleſiæ Preſbytero Abbas Monaſterij S. Symphoriani, ob idque Monachum induerat. Nam* adeptus gradum curæ Paſtoralis *Pariſiacæ ſcilicet Eccleſiæ,* de reliquo Monachus perſiſtebat. *Idem de Leodegario cogita, cùm ex Archidiacono Pictavenſi factus eſt Monaſterij S. Maxentij Abbas. Hinc illi jam Epiſcopo ſtudium fuit de reſtituenda S. Patris Benedicti Regula in nonnullis Cœnobiis, quæ ad laxiora ſuo tempore deficiebant: id quod Synodus Auguſtodunenſis eo præſidente habita manifeſtè declarat.*

PROLOGUS AUCTORIS AD ERMENARIUM EPISCOPUM.

DOMINO *verè ſancto & Apoſtolica veneratione colendo* ERMENARIO *Auguſtidunenſis urbis Epiſcopo.* Perſæpe à vobis juſſus & ſpiritualium Fratrum flagitatione compulſus, geſta B. Leodegarij Martyris atque Pontificis tandem ſcribere ſum aggreſſus. Ideo enim diu implere juſſa vel petita diſtuli, quia duplicem pœnam contra me videbam conſurgere, unam ignorantiæ caliginem metuens & ignaviæ, aliam prudentibus inde riſu* verens pateſcere. Oro ergo veſtram fidelem devotionem inprimis, ut meæ ruſticitati veniam detis, & tantummodo quæ vobis placuit, clam ſoli interim lectitetis, donec aut altiori ſermone ea quæ nos vobis jubentibus uſurpavimus reparetis; aut aliorum ſapientum correcta judicio inreprehenſibilis, quam pòſt legatis, à vobis probata placeat dictio. Hoc autem ſpecialiter peto, ut vires ad hoc opus exſequendum, quas mhi conſcientiæ denegat imperitia, veſtrarum precum ſollerti ſtudio apud Dominum obtineant opportuna ſuffragia.

* riſui

INCIPIT VITA SEU PASSIO.

CAP. I. Leodegarius in omnibus perfectus, ab Adone inſtruitur. *al.* ab Adone

GLORIOSUS igitur ac præclarus Leodegarius urbis Auguſtidunenſis Epiſcopus, qui Chriſtianorum temporibus effectus eſt Martyr novus; ut terrena generoſitate nobiliter eſt exortus, ita Divina gratia comitante dum à primæva ætate in virili robore accreſceret, in quocumque gradu vel ordine provehebatur, exſtitit præ ceteris electus. Cúmque à DIDONE* avunculo ſuo Pictavis urbis Epiſcopo, qui ultra adfines ſuos inſigni copia prudentiæ divitiarúmque opibus erat

erat repletus, fuiſſet ſtrenuè enutritus, & à diverſis ſtudiis, quibus ſæculi potentes ſtudere ſolent, adplenè in omnibus diſciplinæ limâ eſſet politus; in eadem etiam urbe ad Archidiaconatum fuit electus. Tantę in eo ſubitò fortitudinis atque ſapientiæ robur emicuit, ut impar præ ſuis anteceſſoribus appareret, præſertim cùm mundanæ legis cenſuram non ignoraret, ſæcularium terribilis judex fuit. Et dum Canonicis dogmatibus eſſet repletus, exſtitit Clericorum Doctor egregius. Erat quoque in diſciplina delinquentium vividus, qui carnis luxu numquam exſtitit reſolutus; ſagaci cura pervigil in Eccleſiaſticorum officiis, ſtrenuus in ratiociniis, prudens in conſiliis, rutilans in eloquiis. Incubuit interim cauſa neceſſitatis, ut in Auguſtudunenſi urbe eum ordinare deberent Epiſcopum[a]. Siquidem nuper inter duos contentio de eodem Epiſcopatu exorta fuerat, & uſque ad ſanguinis effuſionem certatum. Cúmque unus ibidem occubuiſſet in morte, & alter pro perpetrato ſcelere datus fuiſſet in exſilii extruſionem; tunc BALTHILDIS Regina, quæ cum Chlothario filio Francorum regebat palatium, Divino (ut credimus) inſpirata conſilio, ad memoratam urbem hunc ſtrenuum direxit virum ibidem eſſe Epiſcopum: quatinus & Eccleſia quæ pæne biennio jam quaſi viduata in ſæculi fluctuatione remanſerat, hujus gubernatione vel fortitudine tueretur, & ab iis quibus impugnabatur defenſaretur. Quid multa? ita in adventu ejus territæ ſunt omnes Eccleſiæ vel urbis illius adverſarii, necnon & hi qui inter ſe odiis & homicidiis inceſſanter certabant, ut memoriam tranſacti ſcandali nollent audire: quia quos prædicatio ad concordiam non adduxerat, juſtitia & horror cogebat. Jam enim ad Epiſcopatũ diſpenſante Domino elevatus, quantũ in alimonia pauperum ejus exſtitit præcipua cura, longum eſt enarrare per ſingula. Sed nobis ita tacentibus ejus teſtantur opera, vel matricula quæ ab eodem inſtituta reſidet ad Eccleſiæ januam, vel ſpecierum pulchritudo quæ aureo fulgore rutilant in Eccleſiæ miniſterio; necnon & Baptiſterii ornamenta miris operibus fabricata. Quantum quoque in amore Martyrum ejus mens fuit devota, ſilentibus indicat S. Symphoriani Martyris ſepultura ſeu tranſlatio ſancti corporis glorioſa. Præterea innuunt ejus induſtriam Eccleſiæ pavimenta vel laquearia aurea & atrii conſtructio nova & murorum urbis reſtauratio & domorum reparatio, & quæ erant nimia vetuſtate conſumpta per ſe erecta reddunt vera videntibus teſtimonia. Sufficiant hæc in primis pauca de plurimis. Ad illud tempus convertamus eloquium, quo Athleta Chriſti contra diabolum dimicandi ſumpſit exordium.

AN. CHR. DC. LXXVIII OCTOB. II.

Archidiaconus ut ſe gerit.

Epiſcopus Æduorum orta contentione ordinatur.

Quid in Epiſcopatu egerit.

II.

Sanctus itaque Pontifex Leodegarius dum in Auguſtudunenſi urbe felix in pace conversaretur Epiſcopus, poſtquam omnia quæ diruta fuerant innovâſſet & Divinis officiis Clerum erudiſſet, prædicationéque aſſiduus cæleſtia alimenta populum commoneret, & eleëmoſynarum largitate foveret, & in Dei cuſtodiendis mandatis ejus animus eſſet totus intentus; ita efficax fuit illius voluntas in omnibus, ut quæque implere decreviſſet, ei à Domino abſque difficultate tribueretur effectus. Nec enim immeritò ſuam Omnipotens illi contulit gratiam, quia priùs ipſe ſe totum devoverat cuſtodire ejus mandata. Sed quia à bona voluntate ſemper diſcordat malitia, & antiquus ſerpens invidus ſemper invenit per quos ſcandalum ſeminet; aliqui honorati ſpiritalia neſcientes, ſed potiùs potentiam ſæcularem timentes, videntes hunc virum inflexibilem per juſtitiæ culmen exſiſtere, invido cœperunt livore torqueri, & ſtatuunt ſi ſit aditus ejus obviare profectibus. Erat enim in illis temporibus HEBROINUS *(ut diximus*) Major-domus, qui ſub Rege Chlothario tunc regebat palatium. Jam Regina quam ſuprà diximus, in Monaſterio quod ſibi antea præparaverat reſidebat: propterea memorati invidi adeunt Hebroinum, & contra Dei virum ejus in furore

Ebroinum adverſarium patitur.

al. * Ebrinus

* *Nihil ſuprà de Ebroino.*

[a] Omiſit iſte Auctor commiſſam Leodegario curam Abbatialem in S. Maxentii Monaſterio, id quod ex ſecunda Vita repetendum eſt. Ferreolo Epiſcopo Auguſtodunenſi mortuo contentio hîc deſcripta exorta eſt: tandémque poſt biennium ſuffectus Leodegarius anno regni Chlothatii IV. uti in alia Vita dicitur, Chriſti verò DC. LVIII. aut inſequenti.

AN. CHR. DC.LXXVIII OCTOB. II.

fuſcitant animum: & dum veritatis accuſationem non invenerunt, mendacium falſitatis confingunt, quaſi dum omnes Hebroïni juſſionibus obedirent, ſolus Leodegarius Epiſcopus ejus juſſa contemneret. Erat enim memoratus Hebroïnus ita cupiditatis face ſuccenſus & in ambitione pecuniæ deditus, ut illi coram eo juſtam cauſam tantùm haberent, qui plus pecuniæ detuliſſent. Cúmque alii causâ timoris, alii pro redimenda juſtitia eum auri argentíque repleſſent pecunia; quorumdam animi ob hujus cauſam exſpolii dolore tacti contra eum fuerant jam commoti. Et quia non ſolùm rapacitatis exercebat commercium, pro levi offenſa ſanguinem nobilium multorum fundebat innoxium.

III. Qua cauſa?

Sanctum itaque Leodegarium ideò habebat ſuſpectum, quia eum ſuperare non valebat in verbo, nec adulationis ut ceteri ei impendebat obſequium, & contra omnes minas ſuas ſuper eum cognoverat permanere intrepidum. Tyrannicum enim tunc dederat edictum, ut de Burgundiæ partibus nullus præſumeret adire palatium, niſi qui ejus accepiſſet mandatum. Tunc de metu prioris omnes fuerunt ſuſpecti, quòd hoc excogitaret ad ſuum facinus cumulandum, ut aut quoſdam capitis amiſſione damnaret, aut diſpendia facultatum infligeret. Interim donec cauſa ſuſpenditur, Rex LOTHARIUS à Domino vocatus de hac luce migravit*. Sed cùm Hebroïnus ejus fratrem germanum nomine THEODERICUM convocatis Optimatibus ſollemniter (ut mos eſt) debuiſſet ſublimare in Regnum, ſuperbiæ ſpiritu tumidus eos noluit deinde convocare[a]: ideò magis cœperunt metuere, quòd Regē quem ad gloriam patriæ publicè debuerat ſublimare, dum poſt ſe eum retineret pro nomine, cui malum cupierat ille audenter valeret inferre. Cúmque multitudo nobilium qui ad Regis novi properabant occurſum, mandante Hebroïno itineris accepiſſent repudium; inito in commune conſilio, relicto eo omnes expetunt HILDERICUM ejus fratrem juniorem, qui in Auſtro ſortitus erat Regnum. Quorum conſilio qui tunc noluit adquieſcere, aut fugaciter evaſit, aut cum vitæ periculo incendio comminatus adquievit invitus. Cùm enim omnes ob Hebroïni tyrannicum metum Hilderico induxiſſent tam Neuſtricum quàm Burgundiæ Regnum; agnoſcens tyrannus ſuum hoc facinus perpetratum, ad Eccleſiæ confugit altare, ejúſque in multis partibus ſubitò theſaurus fuit direptus; & quod iniquus diu congregaverat malè, diſperſum eſt ſubitò benè. Epiſcopis tunc quibuſdam intercedentibus, & præcipuè interventu Antiſtitis Leodegarii eum non interficiunt, ſed Luxovio Monaſterio dirigitur in exſilium, ut facinus quod perpetraverat evaſiſſet pœnitendo. Sed quia terrenæ cupiditatis pulvere oculos cordis habuit cæcos, ideò in animam malevolam ſpiritalis non profuit ſapientia. Cùm enim Hildericus germanum ſuum ſupra quem petitus venerat, ſibimet præſentari juſſiſſet ut colloqui ei deberet; tunc quidam qui in Regno videbantur eſſe primarii, & Hilderico cupiebant placidè adulando placere, crinem ſui domini temeritatis auſu juſſerunt amputare: ſícque fratri ſuo eum ſtuduerunt præſentare. Sed cùm Rex ab eo interrogaret, quid de ſe agere vellet; ille verò hoc ſolùm quòd injuſtè fuerat de loco Regni dejectus, judicem ſibi Deum cæli eſt exſpectare profeſſus. Tunc ad Monaſterium S. Martyris Dionyſii reſidere eſt juſſus, ibíque uſque ſalvatus, donec crinem quem amputaverant enutriret: & Deus cæli quem ſe judicem eſt habere profeſſus, feliciter poſtmodùm ipſum permiſit regnare.

Chlotario mortuo, Optimates in Childericum conſentiunt, cur? AN DC. LXIX.

Ebroinus contrarius apud Luxovium exſulat Leodegario deprecante.

Theodericus tonſus ad S. Dionyſii Monaſterium relegatur.

IV. Childericus edictū juſtū condit, móxque reſcindit.

Interea Hilderico Regi expetunt univerſi, ut talia daret decreta per tria quæ obtinuerat Regna, ut uniuſcujuſque patriæ legem vel conſuetudinem obſervaret, ſicut antiqui Judices conſervavêre, & ne de una provincia Rectores in aliam introirent: neque ullus ad inſtar Hebroïni tyrannidem aſſumeret, & poſtmodum ſicut ille contubernales ſuos deſpiceret: ſed dum mutua ſibi ſucceſſione culminis habere cognoſcerent, nullus ſe alii anteferre auderet. Ut verò illi

[a] Quippe tum ſolebant Optimates Francorum ad conſtituendum Regem convenire, ac in electi ſinguli verba jurare, traditáque in manum haſtâ pro ſceptro, excelſo ſolio impoſitum debito honore venerari, quemadmodum Hadrianus Valeſius in Rer. Franc. lib. 21, obſervavit.

libenter petita conceſſit, ſtultorum & pæne gentilium depravatus conſilio, ut erat juvenili ætate præventus, ſubitò quod per ſapientum conſilia confirmaverat refragavit. Sanctum igitur Leodegarium eoquòd cognoverat præ omnibus ſapientiæ luce eſſe conſpicuum, ſecum aſſiduè retinebat in palatio. Hujus rei causâ crevit malorum invidia rediviva, atque contra eum rurſum accuſationum exquirebant initia, itaut quæque Rex ageret aut juſto injuſtóve judicio, dicerent illius crimine factum. Cujus ſi obtemperâſſet conſiliis, in mandatis ambulâſſet Divinis. Sed quia cælitùs jam ſupervenerat data ſententia, ideò cor ejus non valuit apprehendere juſtitiæ diſciplinam: ſed judicium quod THEODERICUS ſe à Deo exſpectare profeſſus eſt, celeri meruit ſententiâ terminari. Vir autem Domini ut cognovit contra ſe invidiam diaboli recaleſcere, tunc juxta Apoſtolum ſumens loricam fidei & galeam ſalutis & gladium ſpiritûs, quod eſt verbum Dei, contra antiquum hoſtem inivit ſingulare certamen. Et quia Sacerdotalis integritas minas Regis neſcit metuere, Hildericum cœpit arguere, cur conſuetudines patrias quas conſervare præceperat tam ſubitò immutâſſet, ſimúlque fertur dixiſſe, quòd Regina quam habebat conjugem, filia ſui eſſet avunculi: & niſi hæc facinora cum reliquis illicitis ſceleribus emendatione corrigeret, Divinam certè ſibi ultionem ſubitò imminere cognoſceret. At Hildericus quidem primitùs libenter cœpit auſcultare: ſed ſatellitum præventus conſiliis, dum verba ejus debuerat ad emendationem aptare, de illius morte occaſiones cœpit inquirere, ſuadentibus hoc illis, qui juſtitiam cupiebant evertere, & indiſciplinati juvenilia opera Regi favebant exercere, necnon & his qui ſuum decretum ei elicuerant irrupiſſe. Metuebant enim hi omnes & horum ſimiles in voluptatibus ſæculi converſantes, à Dei homine ſua opera deſtrui, dum eum jam noverant per juſtitiæ callem inflexibiliter gradi: virilitatem enim cæleſtis civis ſeneſcens mundus gravatus vitiis non valuit ſuſtinere.

An. Chr. dc. lxxviii Octob. 11.

Rex in Leodegarium commovetur.

Epheſ. 6. 17.

Ab eo correptus, de ejus nece cogitat.

V. Nova cauſa prætexitur.

Affuit enim tunc in illis diebus vir quidam nobilis HICTOR* vocatus nomine, qui tunc gerebat in faſcibus Patriciatum Maſſiliæ, quíque generis nobilitate & prudentia ſæculari, ut claro ſtemmate ortus, ita erat præ ceteris præditus. Hic enim ad Hildericum Regem pro quadam cauſa[a] advenerat, & per viri Dei interceſſionem obtinere petita ſperabat, eúmque gratiâ hoſpitalitatis in urbe ſua Dei Sanctus receperat, donec ſicut petierat ſuis interceſſionibus eum Regi commendaret. Nam ſæpedictum Hildericum in Eccleſia urbis ſuæ in Paſchali ſollemnitate rogaverat advenire. Hanc invidi reperiunt occaſionem, per quam nequitiam, quam nuper in cor Regis effuderant, adimplerent. Majorem-domus tunc nomine WOLFALDUM* in ſua accuſatione conjungunt, mendacem fabulâ de Leodegario & Hictore confingunt, quaſi ideò inſimul fuiſſent conjuncti, ut Regiam dominationem everterent, & poteſtatis jura ſibimet uſurparent. Aderat etiam tunc quidam ſub religionis habitu ad Monaſterium S. Symphoriani Martyris, corpore non mente Recluſus, nomine MARCOLINUS*, ſed ut poſtea publicè patuit, potiùs pro ambiendis humanis laudibus vel honoribus ſpecie religionis cupidus nimiùm. De cujus converſatione, maximè dum omnibus patuit, meliùs puto ſilere, quàm loqui. Hunc ergo ſæpedictum Rex ignorans, quaſi Dei Prophetam habebat in omnibus, eoquòd de viri Dei accuſationibus ejus voluntati favendo adulabat præ omnibus. Ea igitur nocte qua ſanctæ Paſchæ vigiliæ celebrabantur in urbe, Rex jam quaſi ſuſpectus, ibidem noluit advenire[b], ſed cum paucis tunc fautoribus ad præfati hypocritæ recurrens conſilium, jam contra Dei famulum malignum geſtans animum, illic temporaneum non metuit Paſchale recipere ſacrificium: poſteà verò cum dedecore jam à vino temulentus aliis jejunis ſancta ſol-

* Hector *a*

* *al.* Vvl foaldum

* *Cheſnio* Marcolmus

Paſchæ vigiliâ ad necem quæritur Sanctus. *b*

a Nempe ad repetendam à Rege Claudiæ ſocrûs ſuæ hereditatem, quam Claudia Arvernenſi Eccleſiæ fruſtratâ filiâ reliquerat. Lege Vitam S. Præjecti Epiſcopi ſuprà ad ann. 674.

b Et tamen in Vita ſecunda aç tertia *communionem ſanctam* cum Rege percepiſſe legitur: quod fortè non in eadem Eccleſia, ſed in eadem urbe factum intelligere licet. S. Præjectus Arvernorum Epiſcopus coram Rege ſacra celebrâſſe in propriis Actis dicitur.

AN. CHR. DC.LXXVIII OCTOB. II.

lemnia præſtolantibus cùm Eccleſiam fuiſſet ingreſſus, Leodegarium clamitans requirebat ex nomine, ut eum quaſi in fugam verteret, dum gladii percuſſione jam inter nuntios minitans terruiſſet. Cúmque eum ſæpiùs clamitans eſſe in Baptiſterio cognoviſſet, ibi quoque introiens, ad tanti luminis claritatem ſeu odorem chriſmatis, quæ illic in baptizatorum ſanctificatione gerebantur obſtupuit. Sed cùm ad clamorem ejus ipſe reſponderet, Adſum; ipſum nullatenus recognoſcens pertranſiit, atque in Eccleſiæ domum ubi paratum erat reſedit. Epiſcopi verò alii qui cum Dei viro vigilias celebraverant, redierunt ad hoſpitia: ipſe verò ut ſacrum peregit officium, Regem intrepidus adiit, iratúmque eum verbis mitibus requiſivit, cur ante vigilias non veniſſet, vel in tam ſacratæ noctis ſollemnia repletus irâ perſiſteret. Nam dum illius ineffabili ſapientiæ aliud turbatus non valuiſſet reſpondere, ſuſpectum ſe eum quadam de cauſa dixit habere. Igitur vir Dei Leodegarius cernens apud animum ejus eſſe defixum, quòd ſuadentibus ſatellitibus eum unà cum Hictore, ſicut decreverat, redderet interfectum, aut Hictor in anguſtia ſicut timebat contra Regem ſubire contemptum; non de ſua veritus morte, ſed illorum qui ad eum causâ tuitionis advenerant pertractans ſalutem; elegit potiùs interim latêre per fugam, quàm occaſionem præbere, ut per ejus martyrium Reſurrectionis Chriſti ſollemnia cruentarentur, vel diriperetur Eccleſia, ut ne[a] hi qui ad eum convenerant, inconſultè amitterent ſuam vitam. Nec enim quis eum æſtimet formidâſſe adeouſque martyrium. Nam cùm pridem per quemdam Monachum nomine BERCHARIUM ei in Dominica Cœna de ſuo interitu fuiſſet nuntiatum, die Paſſionis Domini craſtino Regis adiit palatium, & ultrò ſe ingerens in eo die ſanguinem offerre voluit Chriſto, quo pro mundi ſalute ſanguinem Chriſtus effuderat ſuum. Nam & Rex eadem die ipſum propria manu percutere voluit, ſed ob Dei reverentiã Optimatum quorumdam ſapientum conſilio prohibitus fuit. Indubitanterverò credendũ ad hoc eum divinitus tunc fuiſſe ſervatum, ut ſi quid humana converſatione, quæ ſine culpa non ducitur, aliquid contrarium fortaſſis attraxerat, longæ perſecutionis fornax exureret, ut poſtea velut aridum mundum[b] in ea de manu ſui Regis impoſitus, ad inſtar gemmarum fulgentium miraculorum virtutibus coruſcaret. Cùm igitur ab his qui occaſionis hujus exſpectabant eventum, perſecutio velox fuiſſet commota poſt eum, prædictus Hictor ibidem eſt interfectus: & quia viriliter ſe fuerat defenſare conatus, permittente Domino à multitudine fuit oppreſſus cum aliquibus qui comitabantur cum eo. Nec enim impoſſibile creditur ſancti Martyris meritis poſſe apud Deum illis animabus veniam obtinere, qui cum eodem innocenter perſecutionis procellam voluerunt declinare.

NOTA.

Regem adit intrepidus.

Mortem ob diem ſacrum declinat.

a

b

Hictore occiſo.

VI. detentus ab invidis, Luxovium relegatur.

Igitur Leodegarius Dei famulus cùm à quibuſdam fuiſſet detentus, Hilderico ſubitò nuntiant factum: maximam gratiam Regis ſe credidit habiturum, qui valuit comprehendere Leodegarium. Per conſilium tunc Optimatum vel Epiſcoporum jubetur interim duci Luxovio Monaſterio, donec in commune conſulerẽt quid facerent de tanti nominis viro. Interea cùm hi qui primi videbantur eſſe palatii, cùm ſimul ab Hilderico fuiſſent conquiſiti quod judicium de Sancto Dei decernerent; hoc conſona reſponderunt voce, ut ſi ei vitam concederet, ſub perpetuo exſilio eum in Luxovio permanere juberet: confirmans ſubitò ſuper hoc decretum judicum; Epiſcopis verò aliquibus vel Sacerdotibus ideò conſentientibus, ut ad præſens eum ab ira Regis redderent liberũ. Nam ſæpedictus Rex pravorum illectus conſilio eum adduci juſſerat de Luxovio, ut ad voluntatem cauſantium cum irriſione depoſitum, prout voluiſſent, redderet interfectum, ſicut quondam Herodes diſpoſuerat Judæis facere Petrum. Aderat autem venerabilis vir Abbas S. Symphoriani Baſilicæ nomine HERMENARIUS*, cui poſt diſceſſum viri Dei Rex petitionibus populi Auguſtudunam commendaverat ur-

Ab imminente nece per Hermenarium liberatur.

* *al.* Ermenarius

a Apud Cheſnium: *ut ne id quod contra ſe fiebat, in Conſulem verterent, & ſic idem Conſul vitam amitteret.*

b Cheſnius legit, *velut arido mundo deſpecto in diadema ſui Regis impoſitus.* Legendum videtur, *velut aurum mundum, in ea* (id eſt perſecutione) *de manu ſui Regis impoſitus.*

bem; cum immenſibus precibus crebrò Regis pedibus eſt provolutus, ut eum in Luxovio reſidere permitteret, ne ad exſpectationem crudelium, quos diabolus contra eum in furore ſuccenderat, juberet adduci. Taliter ab hujuſcemodi precibus & tunc ab interfectione ſalvatus, falsò quidam opinantes, quaſi ideò Regis habitacula frequentaret, ut accuſantium primus eſſet, quò faciliùs ei Epiſcopatum illius tenere liceret. Nam longè aliter exſtitit, & quia carnalis oculus ſpiritualem delectationem non vidit, teſtes ei poſtea exſtiterunt illius opera: quia quouſque præſenti ſuperfuit vitæ, ejus neceſſitatibus in quo valuit caritate miniſtravit devota. AN. CHR. DC.LXXVIII OCTOB. II.

VII. Cum Ebroino reconciliatur. Regni ſtatus poſt Hilderici mortem.

In illis igitur diebus adhuc exſul in Luxovio reſidebat Hebroinus Monachili habitu tonſoratus, ſimulatam gerens concordiam, quaſi dum uterque unam, ſed diſpares exſilii accepiſſent ſententiam, concordem ducerent vitam. His interim ita geſtis Divina non diu diſtulit ultio ſuum de Hilderico dare judicium. Nam ejus diſſoluta converſatio omnibus increverat Palatinis Optimatibus. Tunc unus ex eis hoc moleſtiùs ferens præ ceteris, dum venationem in ſilva [a] ſecurus exerceret, eum vulnere mortis percuſſit. Igitur priuſquam hæc eveniſſent, dum Duces quidam duo, quibus juſſum fuerat, S. Leodegarium adduci de Luxovio eatenus demorâſſent, conſpiraverat unus eorum miniſter, ut ſi famulum Dei extra Luxovium cerneret, ipſum gladii percuſſione occideret. Ut autem ad hoc perventum fuit, ita cor ejus intolerabilis pavor perfudit, ut non ſolùm dixiſſe, ſed cur etiam de Dei famulo tam gravia cogitâſſet, voce publica confiteretur, & tremens ejus pedibus eſt provolutus, indulgeri ſibi ab eo hanc nequitiam deprecaretur. Igitur cùm Hilderici mors ſubitò nuntiata fuiſſet, tunc hi qui ob ejus juſſionem exſilio fuerant condemnati, tamquam veris tempore poſt hiemem ſolent de cavernis ſerpentes venenati procedere, quidam ſine metu fuerunt reverſi: quorum debacchante furore ſurrexit magna turbatio patriæ, itaut manifeſtè crederetur adventus imminere Antichriſti. Hi verò qui Rectores regionum eſſe debuerant, continuis odiis ſe invicem cœperunt laceſcere; & dum Rex tunc non erat ſtabilitus in culmine, quod unicuique rectum videbatur in propria voluntate, hoc agebat ſine formidine diſciplinæ. Adeò tunc iram Dei manifeſtè cognovimus eveniſſe, ut etiam ſtella appareret in ſidere, quam Aſtrologi cometem vocant [b]: in cujus ortu aſſerunt fame terram turbari, mutationem Regum, vel commotionem gentium, percuſſionis gladium imminere. Hæc enim omnia manifeſtè tunc conſtitit eveniſſe. Sed quia, ut ſcriptum eſt, ſtulti non corriguntur verbis, quantum minimè ſignis; hi qui cum malevolo animo redierunt de exſilio, quidquid propter ſua pertuliſſent facinora, Leodegarii factionibus hæc ſe incuſant fuiſſe perpeſſos.

Cometes. *b*

VIII. Leodegarius à viris religioſis protectus.

His enim diebus vir Domini à commemoratis Ducibus erat ob ſalvationem detentus, à quibus nuper de Luxovio fuerat eductus. Tunc enim famulo ſuo gratia ſuperna conceſſerat venerabilem dignitatem, ut in illis locis tam prædicti Duces quàm eorum matronæ, ſimúlque miniſtri univerſæque familiæ necnon & vulgus populi ita imminerent, ut ſemetipſos pro eo non dubitarent offerre. Cúmque illi qui ſecum Dei famulum retinebant, circa ſe manentibus poteſtatibus aliis nuntiâſſent, eoquòd Divinam gratiam ſuper Dei famulum Leodegarium cognoviſſent; religioſo Chriſtianitatis amore ita in ejus auxilium fuerunt ſociati, & conſpirantes inter ſe confirmaverunt, ut dum indiſciplinata hæc dominata erit exorta turbatio, ſi priuſquam Theodericum pariter ſublimâſſent in

a Nempe in ſilva Lauconia, Calæ villæ Regiæ proximâ, ubi cùm Childericus in palatio moraretur, à Bodilone armato quem paullò antè virgis fædè ceciderat, aliíſque, ſatellitibus crudeliter interimitur cum Bilichilde uxore prægnante anno regni IV. Chriſti DC. LXXIII. quę res in geſtis Franc. cap. 45. deſcribitur: quorum corpora in Baſilica S. Vincentii, quæ nunc S. Germani Pratenſis dicitur, ſepulta, anno M. DC. LVI. detecta ſunt.

b Venerabilis Beda in lib. 4. Hiſt. cap. 12. *Anno Do. Inc.* DC. LXXVIII. inquit, *apparuit menſe Aug. ſtella quæ dicitur Cometa & tribus menſibus permanens*, &c. Quo circiter anno Theodoricus cum Dagoberto Sigiberti filio, Dagoberti ſenioris nepote, de Regno apud Lingonas decertâſſe legitur in Actis S. Salabergæ ad ann. 655. relatis.

AN. CHR. DC.LXXVIII OCTOB. II. Ebroinus Luxovio egreſſus, de perdendo Leodegario cogitat.

Regno, aliqui forſitan ſanctum voluiſſent lædere Leodegarium, eorum protegeretur auxilio. His enim diebus egreſſus eſt de Luxovio etiam Hebroinus Juliano ſimilis, qui vitam fictam Monachorum tenuit. Etenim cùm ipſe tam amicorum quàm famulorum conſtiparetur ſubitò comitatu, prædicti exſules ejus expetentes obſequium, malum quod de ſua accuſatione confinxerunt, ipſum in caput conſtituunt, ut ejus auxilio vel conſilio uſi in Dei hominem valerent unanimiter vindicare. Ipſe enim Hebroinus caput relevavit venenoſum, & quaſi vipera reſtaurans venena ſua, ſimulans ſe eſſe tunc Theoderici Regis fidelem, & ob hoc ad eum cum ſociis quantociùs feſtinare. Cùm enim vir Domini cum ſociis ſupraſcriptis eodem feſtinarent itinere, quantum nec unius diei factum eſt itineris ſpatium; antequam Auguſtidunum urbem accederent, urgentibus fautoribus Hebroinus immemor amicitiæ dudum promiſſæ, eum ibidem voluit comprehendere, niſi GENESII Metropolis Lugdunenſis Epiſcopi conſiliis fuiſſet prohibitus, aut manu valida quę cum eo aderat perterritus: & fictam rurſus ſimulans amicitiam mixto agmine pariter pervenerunt in urbem. Lætatur civitas & omnis Eccleſia de Paſtoris præſentia rediviva: platcæ ornantur, aptant Diaconi cereos, Clerici tripudiant cum antiphonis, gaudet civitas tota de adventu ſui Pontificis poſt perſecutionis procellam. Nec immeritò laudum exhibebantur excubiæ, quia præſente* Domino ad coronam properabat martyrii: ibíque pro adventu Præſulis delicias paraverunt etiam adverſariis. Craſtina verò die exinde pariter promoventes, ut ad occurſum Theoderici Regis Franc. pervenirent uniti. Interim dum iſti cœpto itinere perveniſſent ad Regem, de ipſo itinere pæne jam medio Hebroinus tyrannus eorum deſerens comitatum, ad ſuos uſque pertranſiens, Clericatum* abjiciens, ad mulierem[a], ut canis ad vomitum, poſt ſacrum velamen rediens. Et quia in caſtris Chriſti militare non potuit, cum adverſariis ſæcularia arma arripuit. Et dum jam dereliquerat fidem & Deum, contra terrenum dominum etiam apertum ſe prodidit adverſarium. Noviento enim villa jam recuperato Regno tunc Theodericus reſidebat ſecurus, cùm repentino ſuperventu venit Hebroïnus cum Auſtraſiis. Quis enim enumerare plenè valeat, quæ tunc fuit direptio de regali theſauro vel Eccleſiæ miniſterio, quod ob amorem Chriſtianitatis Catholici retrò Principes devoti in Dominicum contulerunt ſanctuarium, Majore-domus[b] tunc etiam interfecto? Ideò autem perpetravit hoc malum, quia à diabolicis viris invido armabatur conſilio. Dolebant enim ſe abjectos eſſe per meritum, dum populum univerſum fideliter cernebant declinare poſt Theodericum, eúmque jam confirmatum in Regno, & Dei famulum Leodegarium cum illius gratia in ſua urbe reſidentem; livore invidiáque uri cœperunt iterum: quia dum Juſti ſtabant erecti, ad recuperationem accedere non valebant perverſi. Et quia ſuadente diabolo qui eos fide nudaverat, dum veritatis conſilio jam cæcati, non invenerunt per quod deſtruerent Dei Sanctum; declinant ad majorem interitum per falſitatis commentum, per quod in Regnum intulerunt magnum malum & ſtragem depopulationis in perſecutione multorum. Denique acceperunt quemdam puerulum, quem Chlotharii[c] fuiſſe confinxerunt filium, hunc in partibus Auſtri ſecum levantes in Regnum. Qua de re multum collegerunt hoſtiliter populum, eoquòd veriſimile cunctis videbatur eſſe. Etenim cùm depopulando patriam ſubjugarent, etiam in nomine ſui Regis quem falsò fecerunt, præcepta Judicibus dabant; tunc qui eis volens noluit adquieſcere, aut jura poteſtatis amiſit, aut ſi non fugâ latenter diſceſſit, gladii internecione deperiit. Quanti enim per hoc calliditatis figmentum Theodericum

A S. Geneſio impeditus, Auguſtoduni cū Leodegario excipitur.

* præſciente Theoderico cum adit, Monaſtica veſte abjecta, reſumpta uxore.

[a] * *Id eſt*, Monachatum, *ſeu* Monaſticam veſtem.

Impetu in eum facto, theſaurum ſacrum diripit.

[b]

Leodegarium rurſus exagitat.

Chlodoveū Chlotarii filium ſupponit.

[c]

[a] Ebroini uxor fuit Leudutrudis, quę marito auctor fuit condendi Parthenonis B. Mariæ apud Sueſſionas, ubi ſine dubio velum tonſo Ebroino acceperat. Lege adnotata inferiùs ad S. Leodegarii Epiſtolam. Cheſnio vox *velum* deeſt.

[b] Is fuit Leudeſius Erchinoaldi quondam Majoris-domûs filius, de cujus nece lege Geſta Reg. Franc. c. 45.

[c] Hinc rectè colligit Hadrianus Valeſius, Chlotharium moriente patre vix quadrimum, non annos tantùm quatuor, ut quidam ſcribunt, ſed quatuordecim regnâſſe, ut ei filium Ebroinus ſubſtituere potuerit, idque populo perſuadere.

tunc defunctum, & CHLODOVEUM CHLOTARII esse filium crediderunt? Erant enim in hoc mendacium primi & quasi Rectores palatij DESIDERATUS cognomento DIDDO*, qui in urbe Cabilone quondam habuerat principatum, necnon & ejus collega ABBO *, qui civitatem Valentiam habuerat in dominium. Nec enim digni sunt ut hi nominentur Episcopi, qui magis terrenis desideriis vel lucris temporalibus augenda pecunia vigilant, dum de animabus sibi commissis unde districto Judici reddituri sunt rationem nil curant. Horum talium Sacerdotum & similium Optimatum Hebroinus tyrannus usus consilio, adeousque elevatus & excæcatus est in hoc sæculo, quousque impœnitens præcipitatus est in inferno. Redeamus ad opus cœptum. AN. CHR. DC.LXXVIII OCTOB. II. * *Sic fere Mss. al.* Dido. * *al.* Bobo

IX. Didoni & Yvaimero perdendi Leodegarij mandatum committit.

In illis diebus ita gestis & per singula volutis, postquam Childericus est interfectus, postquam Episcopi vel Patricij cum Optimatibus de Neustrico vel præsentia Theoderici partibus rediissent Burgundiæ, etiam in regno confirmato ad propria residerent securi; interim invidi hostem * moverunt ex adverso, primóque circa eum cum quo Regem Childericum egisse putabant. Tunc adjunctis sibi in consiliis nequissimis inimicorum sociis consulere cœpit, quemadmodum eumdem Pontificem destruere potuisset. Ex his enim Consiliariis duo videlicet DIDDO & WAIMERUS ex nomine caput effecti malitiæ, dixerunt posse secum rapere de civitate, & in eum facere vindictam, ex qua malitia Hebroini esset satiata. Gavisus namque Hebroinus de eorum responso, dedit eis exercitum copiosum valde. Qui festinè perrexerunt ad civitatem Augustidunum. Vir autem Domini Leodegarius cùm ad suam plebem restaurandam resideret urbe sua, ubi destinatum contrà hostium sensit impulsum, non est passus ut ultrà fugaciter tenderet gressum, sed intrepidus de se Domini exspectabat judicium. Cùm enim tam familiares quàm Clerici vel fideles imminerent, ut thesauros quos sibi ipse contulerat auferret & abscederet, quatenus hostes hoc audito à perditione civitatis vel illius persecutione desisterent; ille hæc nullatenus adquiescens, sed eos continuò in thesauros convocans, omnia quæ ibi addiderat adsignans, talia prosequens verba: Hæc omnia quæ cernitis, Fratres, quamdiu terrenorum hominum me voluit gratiam Deus habere, ad communem ornatum prout potui huc fideliter contuli. Nunc verò forsitan ideo mihi irati sunt homines terreni, quia Dominus nos vocare dignatur ad gratiam cæli. Ut quid enim hæc hinc auferam, quæ mecum in cælum non tollam? Ergo si vobis placet, ego eligo consilium hæc potiùs dare in usus pauperum, quàm cum turpi sarcina huc illúcque oberrare per sæculum: ut imitemur B. Laurentium, qui pro eo quòd dispersit & dedit pauperibus, justitia ejus manet in sæculum sæculi, & cornu ejus exaltatum est in gloria. Statímque jussit custodi discos argenteos reliquáque vasa quamplurima foras ejicere, & argentarios cum malleis adesse, qui minutatim cuncta confringerent, quæ per fidelium dispensationem jussit pauperibus erogari. Quæ autem exinde fuerunt Ecclesiasticis usibus apta, Ecclesiæ addidit ministerio. Monasteriorum sanè tam virorum quàm Virginum infra urbem vel territorium de eodem argento consolatus est paupertatem multorum. Quæ fuit tunc vidua vel orphana, vel omnis in commune paupertas quæ ibi affuit, quæ de ejus largitate consolationem non habuisset? Vir autem Domini ut erat plenus spiritu sapientiæ, hæc verba locutus est Fratribus: Ego, Fratres, decrevi jam de hoc sæculo nihil penitùs cogitare, sed magis spiritalem nequitiam quàm terrenum hostem metuere. Terrenus homo si talem à Deo accepit potestatem, ut persequatur, comprehendat, perdat, incendat, interficiat; hæc nullatenus possumus declinantes effugere. Et si hîc trudimur* de rebus transitoriis ad disciplinam, non desperemus, immò potiùs gaudebimus in futuro de venia. Muniamus ergo virtutibus animam simul & civitatis custodiam, ne inveniant utrique hostes aditum per quod inferre possint periculum. Commovens igitur universum urbis illius populum, cum triduano jejunio, cum signo Crucis & Reliquiis Sanctorum, murorum circumiens ambitum, per singulos etiam aditus portarum terræ adhæ- Æduam urbem obsident. Sanctus thesauros suos in pios usus expendit. Egregia suis dat monita. * *al.* tra-dimur Jejunia & supplicationes indicit.

An. Chr. DC LXXVIII Octob. II.

rens, Dominum deprecabatur cum lacrymis, ut ſi illum vocabat ad paſſionem, plebem ſibi creditam non permitteret captivari : & ita præſtitum eſt eveniſſe. Itaque cùm ob metum hoſtium certatim populi undique ſe recepiſſent in urbe, & meatus portarum forti obturâſſent ſeratu, & ſuper omnia ſtabiliſſent in ordine propugnacula ; juſſit vir Domini univerſos ingredi in Eccleſiam, cunctorum inſimul poſtulans indulgentiam, ut ſi quempiam illorum ; ut aſſolet, dum pro zelo rectitudinis increpâſſet, aut in verbo læſiſſet, ei indulgentiam darent. Sciebat autem vir Dei iter paſſionis ingrediens, non prodeſſe martyrium, ubi livore deterſo non priùs fuerit cor emundatum vel caritatis lampade illuſtratum. Nullus fuit tunc ibidem tam ferreum poſſidens pectus, qui etiam ſi fuiſſet graviter læſus, non omnem cordis malitiam indulſiſſet devotus. Poſthæc necdiu vallatur civitas ab exercitu, eodémque die ab utroque populo fuit fortiter uſque ad veſperam dimicatum. Sed cùm ab agmine hoſtium eſſet civitas obſidione valida circumdata, & die noctúque vociferantes ut canes circumirent urbem ; proſpiciens vir Domini civitatis imminere periculum, compeſcuit omnem ſuper murale conflictum, & his verbis ſuum exorare aggreſſus eſt populum : Sinite quæſo contra hos pugnando confligere. Si mei tantùm causâ huc iſti advenerunt, de me ipſo paratus ſum eorum ſatisfacere voluntati, eorúmque mitigare furorem. Tamen ne inauditi videamur egredi, mittatur unus è Fratribus eos inquirere, qua de cauſa hanc obſederunt civitatem. Cùm ſubitò hi Meroaldo Abbati per muri repagulum* parâſſent deſcenſum, perveniens ad Diddonem ait ei : Si hæc noſtra commiſerunt facinora, peto ut interim Evangelicam recorderis ſententiam, ubi Dominus dixit : *Si non dimiſeritis hominibus peccata eorum, nec Pater veſter dimittet peccata veſtra.* Et illud : *In quo enim judicio judicaveritis, judicabimini.* Simúlque deprecans ut hoſtem compeſceret, & redemptionem quam volebat acciperet. Sed quia tamquàm lapidis duritia, ſicut quondam Rex Ægyptius obduraverat cor, ad verba Divina nullatenus potuit emolliri. Comminatus eſt quippe non ſe ab impugnatione civitatis diſcedere, quoadúſque Leodegarium valeret comprehendere, & ſui furoris veſano deſiderio ſatisfacere ; & niſi Chlodoveo, quem falsò Regem fecerant, promitteret fidem. Hæc enim erat ſimulata occaſio, quia omnes cum ſacramento Theodericum Regem aſſerebant fuiſſe defunctum.

Conflictu interdicto, inquirit adverſariorũ conſilium.

* *Cheʃnio* repugnaculum *Matth. 6. 15. id. 7. 2.*

Theoderico fidem renuit violare.

X. Auditis itaque vir Domini his verbis, hæc dedit illis reſponſa : Hoc vobis notum ſit omnibus tam amicis & fratribus, quàm inimicis & hoſtibus, quia quouſque me Deus in hac vita juſſerit ſupereſſe, non mutabor à fide quam Theoderico promiſi coram Domino conſervare. Corpus meum decrevi potiùs in mortem offerre, quàm animam pro infidelitate turpiter denudare. Hoſtes verò his auditis reſponſis, cum telorum jaculis ac cum incendio feſtinanter undique inſiſtebant inrumpere civitatem. Ipſe verò univerſis Fratribus valedicens, panis & vini participatione communicans, eorúmque dubia corda confirmans, ſuam eis ut Chriſtus diſcipulis memoriam paſſionis commendans, ad portarum aditus perrexit intrepidus, apertíſque clauſtris ſponte ſe obtulit pro civibus inimicis. Adverſarij verò gaviſi, tamquam ovem innocuam ipſum ut lupi ſuſceperunt in prædam. Qui exclamans fertur dixiſſe : Gratias ago omnipotenti Deo, qui me dignatus eſt hodie glorificare. Illi autem iniquiſſimum pæne excogitantes commentum, nam ab ejus capite lumen evulſerunt oculorum : in qua evulſione ultra humanam naturam inciſionem ferri viſus eſt tolerâſſe. Teſtes enim ſunt multi illuſtres viri qui aderant in præſenti, quia nec vinculum in manibus eſt paſſus imponere, nec gemitus proceſſit ab ore, dum ejus fuerunt oculi abſtracti à capite, niſi glorificans Dominum ſemper modulamina ſtuduit canere Pſalmorum. Inter ceteros Dux quidam erat Campaniæ, Waimerus vocatus in nomine, qui ad hoc malum perpetrandum à finibus Auſtri venerat cum Diddone. Hi duo cuidam Boboni, qui nuper cum anathemate fuerat de Epiſcopatu Valentiæ urbis dejectus, Auguſtidunum adſignaverunt in dominium, immò potiùs devaſtandum.

Hoſtibus ſævientibus ſeſe offert ſumpto Viatico.

Oculorum evulſionem ſine gemitu patitur.

Boboni Auguſtodunũ adſignatur in prædam.

ſtandum. Cives verò oppreſſi receperunt adverſarium, qui jam Paſtorem amiſerant ſuum, per cujus diſpenſationem pæne omne præſidium aſportaverunt Eccleſiæ. Nam pro civitatis redemptione, occaſione reperta, in quinque millibus ſolidorum fuit Eccleſiæ argentum diſtractum, præter ſpolia civium. Et quamquam Eccleſia pertuliſſet de tranſitoriis rebus diſpendium, nullum exinde permiſit Dominus abduci captivum. AN. CHR. DC. LXXVIII OCTOB. II.

XI. Vvaimero Sanctus committitur.

Igitur cùm hoſtes lætanter diviſiſſent ſpolia, ſupraſcripto Waimero Dei hominem tradiderunt in cuſtodiam, qui cum eodem vel exercitu repedavit ad patriam. DESIDERATUS verò cognomine DIDDO unà cum BOBONE & cum ADALRICO * Duce, quem ipſi volebant Patricium eſſe Provinciæ, ad Patriciatum ſubjugandum perrexerunt uſque ad Lugdunum, ut ita exinde abducerent Geneſium, ſicut de Auguſtiduno dudum expulerant Leodegarium. Sed manu valida populi undique collecti urbem hanc maximam Deo Præſule non permiſerunt irrumpere. Hi verò qui Dei famulum duxerunt Leodegarium, ut nuntiaverunt Hebroino quod fuerat factum, in ſilvarum ſecreta eum jubet retrudi, & de ejus morte quaſi enecati in aquis fabulam mendacem confingi, etiam tumulum ſepulturæ ejus conſtitui, donec ipſum longæ famis inediâ deberet conſumere. Quod qui audire potuit aut videre [a], verum credidit eſſe. Sed qui Heliam per corvum pavit in eremo, nec ſuum ibidem deſeruit famulum. Etenim poſt longam quam Dei Martyr pertulit famis inediam, reminiſcens Waimerus humanam in eo naturam non aliter ita poſſe durare, niſi eum Chriſti gratia ſuſtentaret; in domum ſuam eum jubet perduci: dura etenim viſcera pietate cœperunt emolliri. Cùm enim in familiari colloquio ei fuiſſet adſuetus, ita feritatem illius in parvo tempore proſtratam edomuit, & tam ipſum quàm conjugem ad Dei timorem convertit, ut argentum Eccleſiæ quod nuper pro redemptione civitatis Auguſtiduni receperat, ei devotus offerret, ut faceret quidquid exinde facere decreviſſet. Quod vir Dei acceptum per quemdam fidelem Abbatem nomine BERTONEM ad prædictam redirigens urbem, ipſúmque juxta Apoſtolum ad domeſticos fidei dividens, voluntatem ejus opere caritatis fideliter adimplevit.

* *al.* Chaldarico

S. Geneſius à ſimili caſu eripitur.

Ebroinus inediâ conſumi jubet Leodegarium.

Vvaimerus erga eum mollitus.

Leodegarius acceptum à Vvaimero argentum Æduenſibus dirigit. *Gal.* 6. 10.

XII. Ebroinus Pſeudo-Chlodoveo rejecto, Major-domus Theoderici efficitur.

Igitur cùm ſicut ſupradictum eſt, ſuum facinus diutiùs Hebroinus perditus occultare non poſſet, de Rege quem falsò fecit declinat ingenium, ut in Theoderici rediret palatium. Quorumdam factione ſuſcipitur, & iterum ſubitò palatij Major-domus efficitur. Sed cùm eum alij gaudentes, alij timentes in culmine ſublimâſſent honoris, continuò tale dedit edictum, ut ſi quis quid cuiquam dum in turbatione fuerat intuliſſet diſpendium vel prædam, nullius ex hoc generaretur calumnia. Hæc fuit occaſio ut non redderet ſpolium, quod miniſtri ſui ei contulerant de prædatione multorum. Cùm autem * in rediviva cœpiſſet ſuperbia, dolens ſimul & metuens ne ſuperſtites haberet æmulos, quorum parentibus intulerat malum: jam enim jura poteſtatis adeptus, duplicavit malitiam cum invidia. Nam priores Optimates cœpit inſtanter perſequi, quos autem comprehendere valuit, aut gladij interfectione proſtravit, aut ad gentes extraneas ablatis facultatibus effugavit. Sanè feminarum nobilium Monaſteria deſtruens *, earúmque religionis primarias in exſilium dirigens. Et quia margaritarum ornamenta conculcandi acceperat poteſtatem, ideo ſine ulla miſeratione ut porcus non timuit theſaurorum ornamenta conculcando irrumpere Chriſti. Et quoniam non valebat reſpicere cælum, ideò cor ejus in terrenis cupiditatibus luto ultra modum fuit defixum. Etenim cùm Hebroinus crudelis de ſupradictis rebus ſuum ſatiâſſet furorem, rurſum occaſiones cœpit exquirere, ut blaſphemiam ſuę crudelitatis valeret ab oculis humanis auferre. Tunc Childerici mortẽ ſimulabat ſe velle vindicare, cùm nullus eum prior quàm ipſe voluiſſet interire, (publicè enim aliter quem odiſſet non audebat perſequi) juſſerunt Principes unà cũ germano ſuo S. Leodegariũ ex Monaſterio in quo tenebatur abſcõditus egre-

Sævit & graſſatur in omnes.

* deſtruxit

Leodegarium de Childerici nece accuſat.

[a] Hîc ſeipſum Auctor deſignare videtur, cum ad modum quo S. Johannes in Evang. cap. 14. *Et qui vidit, teſtimonium perhibuit.*

AN. CHR. DC. LXXVIII OCT. II. di, & in præſentia Regis juſſus eſt accerſiri. Qui converſus ad Hebroinum dixit: „ Dum ſuperare cupis omnes habitatores in tota Francia, tuam potiùs aufers quam „ indignus accepiſti gloriam. Hoc [a] audiens Hebroinus nequiſſimus, furore magno repletus juſſit miniſtris GAIRINUM fratrem ejus foras abſtrahi, & à germano ſeparari, ut ſeparatim juberentur puniri, ne ſimul eos delectaret talia verba fari. Cùm autem duceretur, B. Leodegarius fratrem ſuum alloquitur dicens: „ Æquo animo eſto, frater cariſſime, quoniam oportet hæc nos pati, quia non ſunt „ condignæ paſſiones hujus temporis ad futuram gloriam quæ revelabitur in nobis. *Rom.* 8. 12. „ Peccata etenim noſtra multa ſunt, ſed miſericordia omnipotentis ſupereminens „ magnáque ad abluenda delicta ſe laudantium ſemper eſt parata. Hæc ad tempus patimur quia mortis debitores ſumus, ſed illa nos exſpectat vita, ſi patienter „ ferimus iſtam pœnam, ubi ſine fine lætabimur in cæleſti gloria.

a Leodegarius germanum hortatur ad patientiam.

XIII. Gairinus lapidibus obruitur. Tunc miniſtri ligatum ad ſtipitem germanum lapidibus obruere cœperunt. „ Ille verò deprecabatur Dominum dicens: Domine JESU bone qui non veniſti „ vocare juſtos ſed peccatores, ſuſcipe ſpiritum ſervi tui, ut qui dignatus es ad ſimi„ litudinem Martyrum lapidibus à me vitam iſtam mortalem auferre, jubeas cle„ mentiſſime veniam ſcelerum meorum tribuere. Hæc dicens orando ultimum efflavit ſpiritum. Beatus itaque Leodegarius cupiebat cum germano vitam finire, ut ſimul mererentur futuram ac beatam participari. Sed Hebroinus tyrannus differre volens ejus exitum, ut per pœnas longè dilatas ei præpararet æternas, & ne coronã acciperet martyrij, quin potiùs careret præmiis gloriæ ſempiternæ; tunc juſſit eum nudis greſſibus per quamdam piſcinam tranſduci, in qua erant petræ quaſi clavi incidentes acutæ. Quamobrem labia ejus & faciem concavam crudeliter juſſit incidi ferro, necnon & linguæ plectrum ferro ſecante auferri, ut dum oculi ablati, pedes jam forati, lingua ac labia eſſent inciſa, & dum ſibi cernebat omnem felicitatem ablatam, corporíſque pariter vires undique defeciſſent negatæ, dum nec oculis cernere viam, nec pedibus incedere callem, nec lingua officium dante laudare quiverit viris undique Creatorem, ac per hoc caderet in blaſphemiam deſperans, auferendo ſibi ſalutem, quem laudando cælitus adipiſci meruiſſet ingentem. Sed qui abſque vocibus cordium auditor eſt Deus, magis amat cor contritum quàm elatione ſuperbum, & ſuſcipit vocem tacentis magis quàm elatè loquentium; non poſtulat ſibi auxilium vocis, ſed humilitatem cordis. Nam cùm ſe cognoviſſet præſidium omne amiſiſſe humanum, totis viribus ſibi petiit adeſſe Divinum. Nam quantum impietas humana revocare cupivit ab alto, tantum pietas Divina ſociari eum fecit cælo. Sanctum itaque Domini Leodegarium diutiùs ad vindictam ſervaverunt vivum, & turpiter denudatum per platearum paluſtria juſſerunt pertrahi nudum, eúmque ad vindictam quaſi deformatum tradiderunt viro nomine Waringo[b], ut ſub ejus gravi dominio emitteret cruciatus ſpiritum. Cui ait iniquus Hebroinus: Accipe, inquit, Leodegarium quem aliquando vidiſti ſuperbum virum, & conſtitue ſub tuta cuſtodia: erit enim tempus ſuæ vocationis, ut recipiat quod meritus eſt à ſuis inimicis. Cùm autem longè eſſet ejus hoſpitium, ſanctum Dei Martyrem impoſuerunt ſuper vile jumentũ. Et ut cognovit ita eſſe impletum, arripiens hunc Pſalmi verſiculum; *Vt jumentum*, inquit, *factus ſum, & ego ſemper tecum.* Et cùm labia jam non haberet & linguam, laudes Dei ſilere non potuit; ſed mens devota voce qua valuit de cordis arcano inſonuit. Cúmque omnes eum cruentatũ graviter cernerent, crediderunt ut ob hoc dimitteret ſpiritũ. Etenim cùm unus è noſtris Fratribus Abbas, nomine WINOBERTUS, prædictum Sanctum Dei uſque ad hoſpitium alongè ſecutus fuiſſet, deprecans cuſtodes ut ſibi latenter ad ipſum accedere liceret, invenit eum jacentem in ſtramine opertum de vetuſto panno tentorij, tenui ſpiritu palpitantem. Et dum illum ad præſens crederet exſpirare, inſperatum invenit miraculum

Vvaningo cuſtodiendus traditur. *b*

Pſal. 72. 23.

Sanctus vocis uſum recuperat.

a Hic articulus cum ſequenti ad verbum ſecundo ſcriptori concordat, uti capita 11. & 12. Vitæ ſequentis conferenti patebit.

b In ſecunda Vita *Vvaningo*, in tertia *Vvarnigoni*, cujus Acta inferiùs referemus.

Nam inter ſputamina ſanguinum inciſa lingua ſine labiis ſolitum cœpit reddere eloquium. Et quia defectio labiorum ordines nudaverat dentium, ab intus afflatum tantùm ſonitum reddiderunt verborum. Tunc is qui ei excubias venerat exhibere ad tranſitum, cœpit flere præ gaudio, & concito gradu HERMENARIO Epiſcopo nuntiat factum. Ipſe quoque audiens Waringum poſtulat, ut ad Dei Martyrem ſe intromittat. Cúmque etiam ſui merito ei fuiſſet conceſſum, (omnes enim ut leonem iratum metuebant EBREMERDUM [a], id eſt HEBROINUM, filium perditionis & ſtipulam inferni, ſævum tyrannum) idem bonæ memoriæ Hermenarius, qui poſt eum (ſicut ſupra taxavimus) Epiſcopatûs honore ſublimatus eſt, vulnera ejus diligenter ſtuduit curare, & arte qua valuit, potu cibóque reficere, veſtémque quam habuit meliorem induere. Non enim ut jam terreno homini, ſed ut tranſlato Martyri reverenter impertiuntur honorem. Qua de re non ſolùm indulgentiam de præteritis, verumetiam ab eo promeruerunt de futuris. Poſtquam enim Waringus eum duxit ad propria, Dei comitante gratia cœperunt velociùs contra naturam ejus labia recreſcere, ſimiliter unà cum lingua necnon & verba vidi ultra ſolitum ab ejus ore effluere. Cùm hoc miraculum cognoviſſet Waringus, non obdurat animum ei impendere malum, ut à tyranno fuerat juſſum, ſed verſâ vice jam Dei Martyrem recognoſcens, acceptum eum ad ſuum perduxit Cœnobium quod vocatur Fiſcamnum, ubi erat Congregatio Virginum, quibus præerat CHILDEMARCA famula Chriſti: in qua multis diebus habitator converſans ſub cuſtodia ſtetit. Nam & lingua præciſa ſolitum recepit officium, & magnum doctrinæ ſuæ ſemen oſtendit in populo. Quandoque inter Virginum acceſſit catervam, tantum (ut fertur) dulci ſuo fulgebat eloquio, ut mirarentur quicumque audientes, quanta Dei eſſet clementia: & converſi à pravis operibus velociter peterent pœnitentiæ fructum. Ubi dum intra parvum ſpatium labiorum, faucium vel linguæ recepiſſet officium, eoquòd oblatus fuerat ipſe jam Domino, cotidianum immolare ſtuduit ſacrificium. Et dum intrinſecùs eum lux ſpiritualis impleverat, de corporeis oculis nil curabat. Nam diebus ac noctibus in Dei laudibus pervigil adſtabat, ut vel paullulùm ad neceſſaria corporis vix aliquando ab Eccleſia procederet, ut vel quippiam ſomni cibíque capere potuiſſet.

AN. CHR. DC.LXXVIII OCTOB. II.

Ab Hermenario curatur.

[a]

Ejus labia & lingua recreſcunt. Auctoris ætas. Fiſcamnum perducitur Leodegarius.

Igitur cùm poſt tot flagella, utdecebat Martyrem, fideles populi ei famulatum exhiberent venerabilem, quia non poteſt ſub modo lucerna abſcondita non lucere, manifeſtè omnipotens Deus omnibus declaravit. Namque cœpit adverſarios ejus ulciſci derepentè. Nam dum per biennium fere ibidem in Dei laudibus reſideret, eos illi nuntiaverunt interfectos, aut pro infidelitatis culpa in regionibus aliis effugatos. Quos ille graviter deflens, non de ultione gaviſus, ſed cur ſine pœnitentia eos comprehenderit mortis occaſus. Eodem tempore vir glorioſus THEODERICUS Rex & idem Hebroinus Synodum convocaverunt, ad quamdam villam Regiam convenientes multam Epiſcoporum turbam adeſſe fecerunt, ibíque inter ceteros DIDDONEM qui ſanctum virum Leodegarium cum Waimero expulit de ſede ſui Epiſcopatûs, & tradidit pœnæ illectus, condemnatum ab ipſa Synodo calvariâ acceptâ in capite expulſum ſegregant à ſancta Congregatione. Deinde exſilio condemnatus mortéque ſecuta pœnâ capitis exſolvit quidquid doli in ſancto viro exercuit. Alij verò Epiſcopi tunc à Rege per Hebroinum in ipſa Synodo pæne ſimilem pœnam ſortiti, perpetuo exſilio ſunt deportati. Waimerius etenim qui ad ſupradictum Dei famulum capiendum ad explenda Hebroini dicta ſocius perniciei exſtiterat, poſteaquam ab ipſo eoquòd in ejus ultione conſenſerat, Epiſcopatûs gradu dolosè fuerat ſublimatus, poſt paullulùm intervallo poſito in offenſam ejus decidens, Dei (ut opinamur) nutu multis flagellationibus obrutus eſt, nempe (ut fertur) laqueo fuit ſuſpenſus, ac morte turpiſſima (ut decebat Juſti proditorem) condemnatus, tranſmiſſus

XIV. Inimicorum ruinam luget.

Epiſcopis ſibi contrariis in Synodo exturbatis,

NOTA.

[a] Cheſnius habet: *Omnes enim ut leonem iratum metuebant ſævum tyrannum.*

AN. CHR. DC.LXXVIII OCTOB. 11.

Ad Synodum ipſe ſiſtitur.

* *al.* unus

NOTA. *a*

Childerici necem à ſe deprecatur.

Regi multa prædicit. NOTA.

Chrodoberto poſt ſciſſam tunicam traditur perimendus.

* *in Vita* 3. Ruotberto.

Lumine cæleſti commendatur.

Mortis ſententiam æquo animo excipit.

eſt ad tartarum. Adhuc enim vir Dei S. Leodegarius in eodem Monaſterio Sanctimonialium in quo ad cuſtodiendum poſitus fuerat commorabatur. Igitur ad beati Martyris perfabricandam coronam artifex verſutus ex illis Hebroinus tyrannus ſuperfuit vivus*, qui ea quæ paſſionis ejus gloriæ ſupererant adimplere deberet. Iterum antiquus ſerpens invidus, moleſtè ferens ſe ab eodem loco ejus orationibus fuiſſe expulſum, ſtimulare rurſus cœpit Hebroinum, atque reduci eum præcepit ad palatium, ut Epiſcoporum conſilio, ejus diſrumperet veſtimentum [a], quatenus ob hoc eſſet ei interdictum, ut ultrà non præſumeret offerre ſacrificium. Ubi dum deductus fuiſſet ad medium, inquirebant ab eo verbum, ut de Hilderici morte confiteretur ſe conſcium. Cognoſcens per diabolicum commentum rurſum ſibi imminere conflictum; ut de humano ſe non excuſaret delicto, ita de hoc facinore nullatenus dixit fuiſſe ſe conſcium, ſed Deum potiùs quàm homines hoc eſt ſcire profeſſus. Tunc & ipſum ad eamdem Synodum accerſierunt non tamen infra Concilium confirmatur fuiſſe, ſed ſeorſum. Eo tempore cum Rege eodem collationem feciſſe dicitur, in qua ei multa prædixiſſe futura, quæ eveniſſe manifeſtè conjiciuntur. Et cùm diu flagitantes ei aliud non valuiſſent elicere, ejus tunicam conſciderunt à capite: eúmque CHRODOBERTO* cuidam, qui tunc Comes erat palatij, juſſit tyrannus impius tradi, & præſentem vitam in gladij percuſſione auferri. Lætabatur enim Dei Martyr in omni patientia, quia debitam ſibi remunerante Domino martyrij ſentiebat appropinquare coronam. Acceptum eumdem Chrodobertus ad ſuam domum deduxit: cernens eum ex itinere ac infirmitate defeſſum juſſit ei dari ad refocillandum potum. Antequam ei pincerna adſiſteret, lumen magnum quaſi in rotæ circulo de cælo deſcendens ſuper caput ejus refulſit. Tunc trementes omnes qui hoc ſignum viderunt, Quid eſt hoc, inquiunt, domine quod apparet ſuper caput tuum, quaſi in circuli modum ſplendidum de cælo, quod numquam à nobis ſimile eſt viſum? Ille pronus in terra adoravit dicens: Gratias tibi » ago omnipotens Deus conſolator omnium atque refero, qui ſuper ſervum tuum » oſtendere dignatus es tale miraculum. Tunc videntes omnes quaſi in exceſſu mentis poſiti, tandem quidem reſumpto ſpiritu ſimul glorificantes omnipotentem Deum, & converſi alter ad alterum dicebant: Verè hic homo ſervus Dei eſt. Et pollicebantur ad Deum prorſus ſe tendere pro viribus. Etenim commemoratus vir cùm eum in domum ſuam perduxiſſet, ita in ejus adventu benedictionem cæleſtem recepit, ut cùm omnes illic habitantes hoc cognoſcerent, peccata propria confitentes certatim ad pœnitentiæ medicamenta confugerint. Hac enim gratia ſuum famulum Dominus illuſtraverat, ut ubicumque exſul fuiſſet traditus ut ei inferrentur nequitiæ, verſa vice famulabilem illi omnes impenderent reverentiam. Tandem pervenit dies muneris, in quo perſecutionis ejus eſſet jam finis. Tunc à palatio ſententia mandatur decreti, Leodegarium diutiùs vivere non debere. Cùm autem impius Hebroinus vereretur, ne à fidelibus Chriſtianis honor ei impenderetur martyrij, in ſilvarum condenſa jubet perquiri puteum, & ibidem corpus ejus immergi trucidatum, quatenus os putei terrâ vel lapidibus obturatum, incognitum hominibus faceret illius ſepulcrum. Præfatus autem Chrodobertus interim prædicante eo jam aliquantulùm cœperat eſſe converſus. Ideóque non valens mortem viri Dei conſpicere, injunxit quatuor è famulis, ut ea quæ fuerant ſibi juſſa explerent. Ut enim in illius domum

a Hoc in articulo duos obſervamus modos redigendi Epiſcopos in ordinem, ſcilicet per decalvationem, & per tunicæ ſciſſionem. Primi modi ſpecimen habemus in Regula prima S. Fructuoſi Epiſc. Bracarenſis cap. 16. ubi præcipit, ut *Monachus parvulorum aut adoleſcentium conſectator* exceptis aliis pœnis, *coronam quam geſtat capitis amittat, decalvatúſque turpiter opprobrio pateat.* Secundi verò modi exemplum exſtat apud Gregorium Turonicum Epiſc. in l.b. 5. cap. 19. ubi agit de Conſilio Pariſiaco in cauſa Prætextati Rotomagenſis Antiſtitis habito, nutu Chilperici Regis, qui Prætextati depoſitionem urgens, petiit, *ut aut tunica ejus ſcinderetur, aut centeſimus octavus Pſalmus qui maledictiones Scarioticas continet, ſuper caput ejus recitaretur, aut certè judicium contra eum ſcriberetur, ne in perpetuum communicaret.* Lege quæ de decalvatione diximus in Vita S. Bavonis ad ann. 651.

pervenit hoc nuntium, ejus conjux luctu flere cœpit amaro, eoquòd in viri ſui miniſterium perveniſſet tam crudele flagitium. AN. CHR. DC.LXXVIII OCTOB. II.

Igitur ut cognovit vir Domini ſuum jam adeſſe terminum, mulierem cœpit conſolari lugentem dicens: Noli quæſo mei tranſitus causâ flere, quia nequaquam tibi mors mea ad vindictam requiretur, ſed potiùs benedictio de cælis dabitur à Deo, ſi corpuſculum meum devotè condideris in ſepulcro. Et cùm hæc dixiſſet, urgentibus miniſtris valedicens, in ſilvam eum ducunt ut juſſionis implerent ſententiam. Jam enim antea quæſierant puteum, ubi corpus ejus abſconderent, ſicut fuerat juſſum; ſed nullatenus fuit ultrà ab eis repertum. Et ducentes eum per loca incognita uſque in quemdam locum in quo adſtitit inquiens: Non neceſſe habetis, filij, longiùs fatigari: ad quod veniſtis citò facite, ut impleatis votum maligni. Hi verò qui eum ad perimendum ducebant, erant quatuor numero. Tres enim ex his provoluti ad pedes ejus deprecati ſunt, ut eis indulgentiam daret, & benedictionem ſuam ſuper eos dignaretur tradere. Quartus verò [a] ſuperbus adſtabat evaginato gladio paratus eum ad interimendum. Poſtquam benedictionem ſuper eos tradidit, & ſuis interfectoribus verbum Dei adnuntiavit, tunc vir Dei incumbens orationi ait: Domine Deus omnipotens, Pater Domini noſtri JESU-CHRISTI per quem tui notitiam accepimus, Deus virtutum ac totiùs creaturæ Creator, te benedico, te glorifico, qui me dignatus es ad hanc certaminis diem perducere. Rogo deprecórque Domine, ut ipſe in me jubeas miſericordiam tuam largiri, & meritis Sanctorum tuorum me dignum facias participem & vitæ æternæ conſortem, & tribue indulgentiam his qui me tribulant, quoniam ego per eos credo in conſpectu tuo clementiſſime Pater glorificatus fieri. Et exſurgens cervicem tetendit, gladiatorem commonuit ut quod ſibi juſſum fuerat adimpleret. Cúmque hæc diceret, percuſſor extendens gladium amputavit caput ejus. Et erectum corpus ejus ſubſtitiſſe quaſi unius horæ ſpatio dicitur. Sed dum non ſtatim eum cadere gladiator cerneret, eum pede percuſſit ut ſic citiùs in terram decideret. Sed non multo pòſt percuſſor ejus arreptus à dæmonibus & mente captus ac Dei ultione percuſſus in ignem ſe projecit, ibíque vitam finivit. Tunc juſſu conjugis hujus viri Chrodoberti in quamdam villam Sarcinio [b] cum magno fletu plangentium latenter à ſuis deportatus, & hujus feminæ decreto cum veſtibus, in quibus trucidatus fuerat, in parvulo Oratorio beatus Martyr eſt ſepultus.

XV.
Hoſpitam conſolatur.
In locum martyrij deductus,
a
carnificibus Deo commendatis,
datis cervicibus percuſſus ſubſiſtit,
percuſſor impius perit.
Sanctus ſepelitur.
b

His itaque diebus Sacerdos quidam qui hujus Oratorij fungebatur officio, lumen ſplendidum abſque miniſterio humano in eodem cognovit noctibus refulſiſſe loco, & terribiliter cum jurejurando canticum ſe illic afferuit audiſſe Angelicum, adeo ut tremens refugeret, ne inſolens * ſpiritali viſu intereſſet. Unde rumor magnus emanavit in circuitu loci hujus. Qui venerabilis Martyr multas turbas languentium & diverſis infirmitatibus detentas venientes ad ejus venerandas orationes ſanavit, claudis etiam greſſum dedit, cæcis lumen tribuit, obſeſſos à dæmonibus mundavit, multíſque virtutibus in hujus loci venerando habitaculo emicuit: hoc ejuſdem Eccleſiæ Sacerdos atteſtatur. Nam & hujus Sacerdotis miniſter Clericus & ipſius Eccleſiæ cuſtos quadam nocte latrocinium paſſus eſt, itaut à latronibus omnis ſubſtantia ſua fuiſſet ablata: inter quam caligulam beati Martyris quam pro reverentia ſibi habebat abſconditam, latro neſciens ſecum deportavit. Qui maturè ab Oratorio conſurgens, & ad domicilium ſuum pergens invenit omnia ſua furata. Feſtinus igitur pergit ad hujus viri ſepulcrum, deprecans ut ei redderet quod furtim perdiderat. Nam tota illa die & ſequente nocte in oratione ad ejus tumulum jejunans & pſalmodiæ

XVI.
Sepulturæ locus cæliùs illuſtratur.
* *f.* ſolus ſpiritali viſui
Fures ſacrilegi omnibus reſtitutis puniuntur.

[a] Auctor tertius ſcribit: *Quartus, nomine* VVADARNUS, quem VVADHARDUM codex Carnotenſis pingit.

[b] Baldericus Noviomenſis ac Tornacenſis Epiſcopus in Chron. Atrebat. lib. 1. cap. 20. hanc hiſtoriam ſic breviter perſtringit: *In territorio Atrebatenſe tranſductum decollari fecit* Ebroinus, *in loco qui dicitur Silva S. Leodegarij, ſepultúſque eſt in villa quæ dicitur Sorcin, quæ eſt in confinio Cameracenſis Epiſcopij & Morinenſis.*

AN. CHR. DC.LXXVIII OCTOB. II. insistens adstabat. Cùm verò expleta oratione ad suam cellulam remeâsset, omnia quæ perdiderat & nihil ex eis diminutum cum caligula beati Martyris salva invenit. Dominus verò latronis qui pro servo jurejurando juraverat quòd nequaquam hoc malum egisset, reversus domum vitam finivit; servus verò scelus quod fecerat malè consummavit. Tunc magis magísque fama sanctitatis sancti Martyris latebras rumpit, & paullopòst ea quæ gesta sunt Hebroino non latuit. Quo audito nuntium misit occultè, qui hæc inquirens studiosè sibi vera nuntiaret. Qui nuntius jussis ejus obtemperans ad ejus accessit tumulum, & interrogans à custode didicit ubinam Leodegarius jaceret. Cùm cæcus qui visum receperat in virtutibus Dei huic ubi corpus Sancti requiescceret diceret, & cui ipse recepto lumine serviret; hoc nullatenus credidit, sed superbiâ tumidus accedens orationi distulit incumbere, quin potiùs despiciens humum pede percussit, & stultè loquutus est eoquòd nesciret virtutem; Etenim mortuus, inquit, virtutes nequaquam faciet. Nam miser reversus priusquam ea nuntiaret huic à quo missus fuerat, in semetipso cognovit quantum sanctus Martyr virtutibus polleret. Dum verò iter carperet, ille vitam perdidit, & ei à quo missus fuerat minimè nuntiavit; & quem elatus non credidit, allisus compulsus est cognoscere quẽ despexit. Sed cùm tantæ rei divulgaretur opinio, & Fidelibus proveniisset ad gaudium; His ita cognitis Hebroinus iniquissimus tacito corde retinebat, & tremens intra se verecundè præter conjugem nemini manifestare audebat, ne fortè crescente gloria Martyris, sua qui tale lumen exstinguere cupiebat esset diminuta in populis. Nam his spatiis dierum quantum ille miser hoc bonum latêre cupiebat, tanto magis ubique rumor virtutum supradictarum B. Martyris dilatatus radiabat. Mox etiam ut Hebroino fuit percognitum, noluit corrigere malum, sed corde jam cæco cum suis sequacibus incredulitatis obduratur obstaculo. Jubebat enim minando abscondi, quod Christus Dominus ad confortandum incredulos ad gloriam sui Martyris supra candelabrum Ecclesiæ positi ad illustrationem Fidelium dignatus est demonstrare. Etenim cùm mens tyranni hæsitans errabunda nutaret, & nullatenus ad humilitatem vel emendationem sui converteretur, etiam ultra solitum in fastu superbiæ cervicem suam contra omnes diabolus eriguisset[a]; tunc in eo fuit impletum Salomonis proverbium: *Priusquam humilietur cor hominis, elevatur, & ante ruinam exaltatur spiritus.* Et ne tanti piaculi factum impunitum evaderet, ipse sibi velut phreneticus articulum mortis inquirit. Nam cuidam Optimati, qui tunc functionem fiscalem ministravit, inventa occasione eousque intulit spolium, donec pæne auferret omne ejus prædium: insuper minabatur etiam mortis periculum. Cernens autem vir ille jam post exspolium, mortis sibi imminere exitium, obfirmat animum atque ad ejus ostium ante lucem observat egressurum. Dies autem agebatur Dominica, ideóque[b] processurus erat ad Matutinarum sollemnia. Cùm enim ille pedem foras misisset de limine, ecce iste insperatè prosiliens gladio eum percussit in capite: cujus ictu duplicem decidit in mortem. Et ita est ablatum de Regno ejus iniquum dominium, sicut quondam David à filiis Israël abstulit opprobrium prostrato Allophylo Philistæo.

Ebroinus ad tumulum mittit exploratorem.

Exploratoris impietas morte punitur.

Ebroinus impœnitens exstinguitur.

a *Prov.* 16. 18.

qua occasione?

NOTA. b

XVII. Quo tempore? Transacto verò spatio trium pæne annorum, in semper lugendo Hebroino qui hanc lucernam nisus fuerat exstinguere, sermo Divinus impletur. Nam qui multos gladio interemit, percussus gladio & ipse periit. Infelix ac miser qui tantis honoribus sublimatus in tribus mundi partibus dilatatâ famâ industriæ suæ pollebat inter homines, quoniam noluit suis inimicis Dei mandatum implendo indulgentiam tribuere, ulciscendo eos multos ad regna cælorum fecit abire. Quamobrem verendum valde est, ut qui tantos Sacerdotes ac Proceres ultionis suæ crudelitate interemit, sibi potiùs pœnam præparâsset* æternam: & qui tam

* præparaverit, &c.

a Lege *erexisset*. Breviùs in alia Vita Ebroini interitus cap. 19. describitur.

b Mos ergo tum temporis erat Christianis quantumvis remissis aut spectabilibus, ut die Dominica Matutinis interessent officiis.

excelſam quam nullus Francorum habere meruit gloriam perdidiſſet,& beatam vitam quam per patientiam adipiſci quiverat amiſiſſet. Sed poſtquam infelix Hebroinus vitæ finem dedit, quod invidiâ ductus de Dei ſervo abſconderat,magnis laudibus longè latéque percrebuit. Poſthæc igitur ut Serenitati Regis ejúſque palatio de virtutibus ſancti Martyris veraciter fuit cognitum , quòd Chriſtus Dominus ad titulum ſuæ laudis eum clarificâſſet ſignis virtutum, cum admiratione Rex credidit factum: & cœpit venerari ut Martyrem, quem per accuſationem tyranni priùs crediderat fuiſſe culpabilem. Tunc perlatum eſt cum laude in palatio, quod multis diebus ab æmulo latuit abſconſum. Erat enim ibi multitudo magna maximorum Epiſcoporum ſcilicet ac Procerum,qui dum collationem de ſancto Martyre inter ſe haberent, & mirarentur quod de eo audiebant; vir magnæ ſanctitatis ANSOALDUS urbis Pictavenſis Antiſtes verbum intulit dicens: Utinam daretur mihi optio, quia notum eſt meum eſſeparentem, & ex Parochia mihi commiſſa ad honoris proceſſit gratiam, ut vel ejus corpuſculum meruiſſem habere mecum. Ibi enim aderat HERMENARIUS Pontifex qui ei ſucceſſerat in Epiſcopatu Auguſtidunenſis urbis; & ipſe ait: Jure mihi datur hujus viri corpus, quoniam juſtum eſt ibi eum requieſcere ubi fuit Epiſcopus. Tunc etiam VINDICIANUS Præſul Atrabatenſis, in cujus fuerat diœceſi interfectus, dicitur reſpondiſſe: Nequaquam ita fiet ut vos ſancti Pontifices loquuti eſtis; ſed mihi donetur facultas hujus beati corporis habendi, quoniam huic loco datus eſt in quo dignatur requieſcere. Adſtante verò cunctorum turbâ Præſulum, decernunt ut jejunia & orationes in hoc conflictu fierent, ut per hoc dignaretur Dominus oſtendere in cujus diœceſi jure deberet requieſcere. Hæc audientes adquieverunt decreto, & facta oratione cum jejunio in tribus parvis epiſtolis definitione ſcripta & ſuper altare poſitis, ut tranſacta oratione Dominus declararet, in cujus ſorte hoc ſanctum beati Martyris corpuſculum perveniret. In craſtina die oratione completa ac Miſſarum ſollemniis conſummatis, unus ex miniſtris juſſus à Pontificibus manum incognitam * ſubter pallam poſuit, & cognitio veritatis in manu ſua venit. Quod cuncti videntes qui huic ſpectaculo aderant, cognoſcentes conclamaverunt Anſoaldi Pontificis eſſe juſtitiam, quoniam hujus rei epiſtolâ apparuiſſe declarabatur, quod veraciter teneretur. Jam tunc ſine ambiguitate confirmato conſilio, cuidam viro Dei Abbati ſuo nomine AUDULFO iſdem Pontifex Anſoaldus juſſit, ut feſtinus propter hoc ſanctum corpus pergeret, & cum reverentia debita ipſum uſque ſolum Pictavenſe deferret: ut ubi priùs cœperat cultum Dei exercere, ibi ejus lucerna omni tempore emicaret. Tunc vir Dei ſancti ſui Pontificis juſſis obtemperans, gaudens cum feſtinatione perrexit ad locum ubi requieverat corpuſculum. Quod audientes qui inhabitabant in circuitu loci Monachi ceteríque viri ac mulieres, devotione magna compuncti feſtinantes concurrebant ad locum. Ubi cùm ſanarentur multi à languoribus diverſis, exſultabant, ac lætantes cum magnis laudibus, & turba multorum canentium ſimul & flentium, ipſius ſancti Martyris (ſicut juſſum erat à glorioſo Domno Rege THEODERICO) promoverunt hoc ſanctum corpus. Ergo cùm iter jam pergerent, divulgatum eſt per itineris loca, cœperúntque undique ſponte dextra læváque concurrere ex Monaſteriis, viculis ac villis turbæ Monachorum ac Clericorum per publicum cum crucibus accenſíſque cereis & ſuavitatum odoribus obviàm procedentes. Tanta etenim multitudo erat, ut vix quiſquam accedere poſſet ad feretrum, & acceptis cornibus deferre poſſet ſcapulis. Nam quiſque qua detinebatur infirmitate etiam ſi feretro accedens tangere potuiſſet manu, ſtatim ad priſtinam revertebantur ſanctitatem. Nulli enim negabatur ſanitas, ſi cum fide tangeret hujus feretri opertorij fimbrias. In pago enim Caturcino *, quibuſdam fidelibus poſcentibus Fratribus, & præcipuè petitionibus ERMENANÆ Abbatiſſæ (quæ ad hoc opuſculum impatienter inter ceteros nos compulit ſcribere de ſanctis quæ comitabantur virtutibus) relationem veram miſit

AN. CHR. DC. LXXVIII OCTOB. 17. Contentio de S. Leodegarij corpore oritur.

* *al.* incognitè

Anſoaldus forte acceptum, Pictavos deferri curat.

Ermenanæ Abbatiſſæ rogatu hæc ſcribit Auctor.

* *al.* Caturvino

AN. CHR. DC LXXVIII OCTOB II. Audulfus Sancti miracula deſcripſit.

memoratus AUDULFUS, ubi inſeruit quædam, pro multitudine non valere ſcribere, ſolummodo dum ferretur quanta cooperante Domino viderat miracula coruſcare: ſed afferens, inquit, ſi ea quæ viderat quiſquam paginæ inſerere voluiſſet, ad magnitudinem rei in ſcribendo volumen Pſalmorum excedere. Nos verò quod per eamdem relationem cognovimus, audire deſiderantibus breviter intimamus.

XVIII. Carnotenſis puella trinâ infirmitate curatur. *Ioüy

In quadam villa cujus eſt vocabulum Gaudiacus *, erat puella quædam nomine Radinga, quæ ab annis ſeptem in parentum domo jacebat cæca, muta & paralytica. Sed cùm allata à parentibus ad feretrum beati Martyris fuiſſet, eadem nocte ſopore detenta viſu vidiſſe dicitur duos viros ſplendidos in equis ſibi adſiſtentes. Sed cùm evigilâſſet, & ſecum viſionem miraretur, oculi ejus receperunt viſum & pedes greſſum & lingua locutionis officium, itaut ipſa exclamaverit dicens: Gratias tibi ago omnipotens Deus, qui per ſanctum Martyrem Leodegarium ad integram ſanitatem reſtituta ſum. Ab hac laude * erecta, omnibus membris ſana, cum parentibus perrexit ad propria longo tempore poſtmodum victura. Deinde cùm in territorium Turonicæ civitatis perveniſſent in vico Solnaco * qui propè erat, quædam mulier à dæmonio vexata à parentibus trahebatur ad feretrum ſancti viri: quæ cùm tandem invita atque coacta adveniens tetigiſſet hujus feretri veſtimentum, mundata protinus eſt à dæmonio: & reverſa ad ſenſum proprium, magis adhuc volebat circa feretrum adſiſtere, quoniam ab adverſario metuebat ſe iterum arripi. His ita geſtis perlatum eſt ad urbem. Hoc audiens ejuſdem civitatis Pontifex, qui tunc erat vir Dei BERTUS *, proceſſit obviàm cum choris pſallentium, cum lampadibus & cum magno honore ſuſcepit feretrum. Et cùm per civitatem tranſirent, quædam mulier accuſata pro morte viri ſui collo ac manibus catenata ducebatur. Illa autem cùm traheretur ſit clamabat: Subveni mihi, beate Leodegari, quia innocens pereo falſis accuſatoribus alligata. Cùm hoc dixiſſet, illico confracta catena ex collo cecidit, & manibus ſuis eamdem catenam mox mulier projecit ſub feretro, & apparuit idonea, quæ fuerat abſque pœna punita. Cùm verò idem Pontifex cum magnis laudibus per ſuam Parochiam hoc ſanctum corpus deduxiſſet, & intraviſſet Pictavenſe ſolum ad quod erat deſtinatum, requievit paullulùm in quodam viculo Igorande * vocabulo: ubi obviàm occurrens quidam claudus, cùm ſe in orationibus ad ſancti viri corpus in terram projeciſſet, ſtatim ſanus factus & ſuper pedes ſuos erectus ad propria incolumis eſt regreſſus. Tunc audiens quædam mulier à cujus manibus ablata fuerat ſpecies, & facti erant ejus digiti curvi, itaut medio infixæ eſſent palmæ, intantum ut ungues in carne abſconſæ propriam amiſerant virtutem; ipſa tamen cùm appropinquâſſet ad feretrum, invocato nomine Domini & ſancti Martyris directa ad priſtinam ſanitatem magnas gratias agens Deo reverſa eſt ad propriam domum. Sed & hoc non eſt ſilendum miraculum, quia vir Dei Anſoaldus Pontifex audiens ſanctum appropinquâſſe jam corpus, velocem miniſtrum direxit, qui ex Interamnis villa ſua daret abundantiam vini, unde pauperes & reliquum vulgus, qui comitabantur ſanctum corpus, habere potuiſſent ad refocillandum ſe refectionem. Sed cùm hoc fuiſſet actum, non multum poſt ſpatium, nuntiatum eſt quòd omnia vaſcula quæ intra apothecam, unde ipſum vinum exierat, pæne vacua remanſerant, tam plena eſſe videbantur, ut etiam ſupereffluentia vina in pavimento deciderent, ipſa tamen plena remanſiſſent. Poſthæc cùm ad Vigennam fluvium in vicum Sannone vocabulo perveniſſent, erat ventus contrarius ſupereminens ipſum flumen tumidum undis. Unde metuentes nautæ cœperunt prohibere navigantes introire, ne periclitarentur in flumine. Tunc vir Dei Abbas jamdictus cujus curæ erat deferre Sancti corpus, confidens de meritis ſancti Martyris compulit eos dicens: Mittite in navim & tranſite ſecuri, quia Dominus potens eſt per hujus Sancti meritum has undas compeſcere. Cùm autem poſitum fuiſſet in navi, & navigare cœpiſſent nautæ,

* *al.* clade apud Turones dæmoniaca. * *Sonay*

* *al.* Theodebertus Mulier catenata ſolvitur.

* *Ingrande*

Alteri digiti explicantur.

Vaſa vino redundant.

Undæ fluvij procelloſæ detumeſcunt.

nautæ, ſtatim undæ quieverunt & proſperè ipſum flumen tranſierunt. Sed cùm noctu in Eccleſia requieviſſent, quædam peregrina mulier dùm cum infantulo cæco adveniſſet, tota illa nocte pervigilans in oratione, diluculo infans lumen quod amiſerat recepit. Inde recto itinere perventũ eſt ad quamdam villam Gelnacum, ad quam vir Dei Anſoaldus Antiſtes obviàm proceſſit cum multitudine Clericorum, vulgi populorum & pauperum cum thuribulis ac incenſi fragrantia, cum crucibus & cereis accenſis agminibúſque multis canentibus: hoc ſanctum corpus ſuſcipiens pergere cœpit ad urbem. Tunc ibidem quædam aderat femina multis jam annis intantùm curva, ut etiam caput inflexum pæne adhæreret genibus, cùm paullulùm oculos erexiſſet orans ad ſancti Martyris feretrum, reverſum eſt ad priſtinum vigorem ejus corpus. Mirante Pontifice & omnibus cum ipſo adſtantibus virtutem Dei ac beatiſſimi Martyris, tunc cum canticis & magnis laudibus perventum eſt ad urbem. Eſt in ſuburbano Baſilica in qua beata Radegundis requieſcit, in quam introivit Pontifex cum ſancto corpore Martyris, ibique aderat quidam paralyticus qui in ejus adventu ſanus effectus eſt. Sed cùm ad Baſilicam S. Hilarij [a] delatum fuiſſet beatum corpus, alius paralyticus jacens in via, hujus tangens feretrum, ſanus protinus factus eſt. Paullopòſt quædam puella cæca Sanctum Dei invocans, lumen amiſſum recepit: quæ ſæcuta uſque ad ejus tumulum perveniens hucuſque devota deſervit.

AN. CHR. DC.LXXVIII OCTOB. II.

Puer cæcus lumen recipit.

Contracta erigitur.

Pictavis paralyticus & cæca curantur.

a

Igitur cùm ipſum ſanctum corpus amotum fuiſſet ab urbe, & ab ipſius civitatis Præſule cum ſuis Sacerdotibus & miniſtris propriis humeris fuiſſet quibuſdam ſpatiis loci deportatum & uſq; Zezinoïalo * quodam viculo cum magno tripudio fuiſſet delatum; ibi turba magna Monachorum de S. Maxentij Monaſterio, in quo priùs Abba fuerat cõſtitutus, obviàm proceſſerunt, Paſtorem cum magno favore ſuſcepturi devotione magna & pſalmodia in eadẽ Eccleſia pernoctantes. Diluculo verò quædam accedens mulier deferens ſemivivum in brachiis infantulum pæne annorum trium, qui priuſquàm ad ſanctum corpus perveniret, amiſiſſe fertur ſpiritum, peracceſſit. Quem deportando accedens poſuit ſub feretro, & cum fletu invocavit ſanctum virum dicens: Domine mi, redde filium meum. Et cùm fere horarum trium ſpatio hæc deprecando clamaret, quaſi de gravi ſomno evigilans infans voce qua valebat matrem requirens ait: Mater ubi es? Ipſa gaudens recepit filium redivivum, quem amiſerat mortuum. Hoc magnum & mirabile fuit miraculum, ex quo magna fides proceſſit in populo de tam perfecto viro, cujus gloria magna manet in cælo. Deinde verò ſublatum eſt corpus beatiſſimi Martyris, & quemadmodum decebat talem virum deferri, perlatum eſt. Et cœperunt ire ad Monaſterium B. Maxentij, in quo priùs Pater fuerat Monachorum. Et quia inibi cœperat priùs mentes hominum perverſorum mutare ad cultum Divinum, juſto judicio Dei ac providentiâ cenſetur, ut virtutibus fulgendo ſummis exemplis plurimos adnecteret Dei operibus. Cùm autem deferretur, occurrunt ei in via duo pauperes, ſcilicet vir cum uxore, vir enim unum oculum ablatum habens, conjux verò duos, uterque accedentes ad feretrum, mulier fide lumen recepit oculorum, vir ejus dubitans receſſit cum uno cæcus. Priùs enim quàm accederent, vir trahebat funiculo cæcam, recedentes vero uxor reddens vicem viro trahebat poſtmodùm cæcum. Nam cùm priùs Monachi ex ipſo Cœnobio in ejus properarent occurſum, quædam puella quæ jacebat in atrio B. Maxentij paralytica, omnia membrorum amiſerat, ut notum erat, officia. Quæ cùm nomen audiſſet B. Leodegarij, manus ei una reſtituta eſt ſanitati. Cùm verò die tertia B. Martyris corpus in ipſo perventum fuiſſet atrio, omnia membra ejus diſſoluta, omni infirmitate amiſsâ in priſtinis reverſa ſunt officiis, ac ipſa tota incolumis eſt reddita. Hoc videntes qui ibidem aderant miraculum, tanta undique congreſſa fuit populi multitudo, ut vix Eccleſiæ ſeu atria capere potuiſſent omnium advenientium

XIX. Monachi S. Maxentij ſacrum corpus excipiunt.

* *al.* Zizolliolo

Puer exanimis revivificit.

Mulier fidelis viſum recipit, vir infidelis amittit.

Paralytica convaleſcit.

[a] Auctor tertius *Monaſterium S. Hilarij* vocat.

AN. CHR. DC.LXXVIII OCTOB 11. populorum catervas. Interea mulier alia ex longinquo veniens, lumen oculorum cùm ad ſancti Martyris acceſſiſſet tumulum, recepit quod amiſerat. Quidam adoleſcens ſimul & puella dæmoniis vexati cùm tremefacti ad locum ſancti Martyris perveniſſent, vomitu ſanguinis evulſis dæmonibus ad ſuam pervenerunt ſanitatem.

Alia miracula.

XX. Multæ & innumerabiles virtutes illis diebus per eumdem Martyrem operatæ ſunt. Nam quicumque veniſſent multorum languentium, cæcorum, ſurdorum, mutorum, aridorum, claudorum atque à dæmonibus vexatorum, reddita eſt eis ſanitas incolumitatis. Nam dum in itinere deferretur, pæne ſine numero fuit multitudo portantium. Matronæ verò nobiles veſtimentorum ornamenta geſtantes, oblatis palliis velamenta ex auro & holoſerico & ornamenta offerentes ſuper feretrum Martyris, intantum ut ea melior in meritis eſſe gauderet, quæ in honorem Martyris priùs votum ſuum Domino obtuliſſet. In ipſius beatiſſimi Martyris honore juſſu Pontificis domni Anſoaldi opere Abbatis Audulfi Patris Monaſterij miræ magnitudinis fabricata eſt domus, cujus fabricæ ædificatio eſt diſſimilis omnibus Baſilicarum conſtructionibus. Qua ſupradictus Pontifex votum perficere volens, huic loco acceſſit cum omnibus ſuæ Eccleſiæ Sacerdotibus, ac turba magnificorum caterváque populi magna. Et quidem cum magnis laudibus ſanctum ſepelivit corpus beati Martyris, in quo loco operatur culmina virtutum. Ubi ad laudem nominis Chriſti perpetuò fit gaudens recurſus, & ad medelam populi indulgentiámque peccatorum & omnibus qui ex fide adeunt, precum ſuarum obtinere concedatur ſupplementum, regnante Domino noſtro, cui eſt honor & imperium, virtus & poteſtas per infinita ſæcula ſæculorum. Amen.

Fidelium religio in ſacrum corpus.

In Baſilica nova Sanctus ſepelitur.

XXI. Conſummatum eſt ſancti Leodegarij martyrium quinto Nonas Octobris, & dedicatio Baſilicæ ipſius tertio Kalendas Novembris, tranſlatio verò ſancti corporis medio menſe Martij.

Martyrij &c. tempus.

ALIA VITA S. LEODEGARII

Auctore URSINO ejus æquali.

Ad MSS. codd. Germinenſem & Compendienſem reſtituta.

PROLOGUS AUCTORIS AD ANSOALDUM EPISCOPUM.

I. DOMINO *meo ſanctòque Pontifici* ANSOALDO *Præſuli Pictavenſi* URSINUS *peccator.* Juſſioni obtemperans veſtræ parui, beatiſſime Papa, inſiſtente maxima ex parte AUDULFO Patre Monaſterij B. Maxentij, ut de vita vel paſſione B. LEODEGARII pauca de multis ejuſdem bonis ſcribendo narrarem. Quod opus tuis imperiis obſequendo edicere cupiebam, ſed ſimplicitas cordis mei & iners facundia non valet explicare tanti viri laudes virtutum. Cujus patientia modernis temporibus quanta ſuſtinuit retrorſus, quæ nemo novit niſi ille ſolus, cui protulit intrinſecùs. Qui occultis latibulis privatus oculorum acie, quid & quantum egiſſet boni, quis enarrare poſſit, ubi nec adſiſtebat miniſter qui hoc cernere valeret, ut quod oculis non videbat narrare quiviſſet? Nam finis operis oſtendit extrinſecùs quanta intus latendo fuiſſet operatus. Tamen in quo agnita ejus mihi vita fuit & multorum relatione com-

Auctoris fides.

peri, quamquam ruſtico ſermone, vobis imperantibus edicere non diſtuli. Si quid quibuſdam longiùs verbis propagare ſtudui, ad diſſerendam veritatis lineam hunc tramitem poſui: ſin verò de ejus virtutibus aliquid prætermiſi; nec ſtudiosè geſſi, quin verò ignorantiâ intermittendo præterij. Hoc etenim ſciendum puto, quia quamvis quiſquis alti ſermonis eloquentiâ ejuſdem viri Dei acta diſſerere cupiat, apertiùs & abſque fallacibus verbis fari non valeat. Et forſitan valueram & ego annuente Deo clauſis ac ab aliquibus incognitis verbis narrare: ideo autem nolui, ut quique ruſtici & illiterati hæc audierint intelligant; & devoti appetant ejus imitari exempla, cujus intellexerint audiendo miracula.

AN. CHR. DC LXXVIII OCTOB. 12.

Cur eloquentia neglecta?

INCIPIT PASSIO EJUSDEM.

CAP. I. Leodegarius tum in palatio, tum in avunculi domo informatur.

ITUR beatus LEODEGARIUS ex progenie celſa Francorum ac nobiliſſima exortus, à primævæ ætatis infantia à parentibus in palatio HLOTHARIO Francorum Regi traditus, ab eodem verò Rege non poſt multum temporis DIDONI * Præſuli Pictavenſis urbis, avunculo ſcilicet ſuo, ad imbuendum litterarum ſtudiis datus eſt. Quem idem Præſul cuidam Dei Sacerdoti viro eruditiſſimo ad erudiendum tradidit: quem per annos plurimos magnis curis edocuit, edoctúmque Pontifici reddidit, receptúmque ſecum in ſuis cubiculis * ſub cuſtodia diſciplinæ retinuit, ut quemadmodum idem Pontifex ſe caſtum corpore cuſtodierat *, eumdem quoquem ſimilem ſibi effici voluit dicens ei, monendo ſummâ frequentiâ, ut ſe virginem conſervaret *, & vas electionis in Eccleſia Dei dignum fieret, quoniam optabat * eum hujus civitatis poſt ſe eſſe Epiſcopum [a].

* *al.* Dudoni

* *al.* cum ſuis Cubicullariis

* *al. Carnot. codex addit* & mente,

* *al.* conſecraret

* *al.* oportebat

Sed cùm ad hoc opus eum cerneret perſpicuum, & cùm ferè viginti eſſet annorum, ad officium Diaconatûs electus eſt, atque ab ipſo Pontifice conſecratus. Deinde non poſt multum temporis Archidiaconus effectus, curâ ſub Pontifice omnibus Eccleſiis ipſius diœceſis eſt prælatus. Erat enim multùm facundiæ honeſtiſſimæ deditus, ſtaturâ procerus, inter pleroſque pulcherrimus, adſpectu decorus, eloquio ſuavis, ingenio acutiſſimus, prudentiâ providus, zelo Dei & amore fervidus, perpetuæque virginitatis (ut erat monitus) cuſtos. Scripturis ſacris ac legum doctrinis ſimúlque canonicis præ cunctis præcellebat in Parochia * quam regendam ſuſceperat habitantibus. Intantum verò aptiſſimus omnium ſeniorum ac coæqualium ac ſubditorum erat, ut eloquentiâ ſuâ placeret omnibus ſibi colloquentibus, itaut mærentibus redderet lætitiam, ſcelera gerentibus diſciplinam. Nam in parvi temporis ſpatio, ſub Pontificis ſcilicet imperio, magnam pacem providentia ſui regiminis tradidit Pictavenſi ſolo.

II. Diaconus, pòſt Archidiaconus,

* *id eſt* diœceſi

Deinde cùm quidam Pater ex Monaſterio quod eſt ſitum in honore B. Maxentij obiiſſet, juſſu Pontificis idem ſuſcepit regendum: quod per ſex fere annos ſtrenuè rexit, illúdque magnis opibus ditavit. Sed cùm juxta monita ſui Pontificis idoneum ſe præpararet, & clarus haberetur præ omnibus; tunc odor ejuſdem ſuavitatis intantum proceſſit, ut uſque in palatium Regis redoleret. Erat enim eodem tempore minor HLOTHARIUS cum BALTECHILDE matre Rex regens Francorum Regnum. Qui agnitâ ejus prudentiâ, cupientes eum ſecum habere in aula Regia, petierunt Pontificem ut ſuam ei daret licentiam ſecum inhabitare palatium. Qui ſtatim juſſa complens, magnis rebus ditatum & ſapientiæ floribus adornatum obtemperans eorum voluntati viſus eſt deſtinare virum.

III. Abbas deinde,

In aulam vocatus, Æduorum creatur Epiſcopus.

[a] Hîc codex Carnotenſis inſerit nonnulla in hunc modum: *Inerat autem ei in parva adhuc ætate maturum jam ſtudium, adhærere ſcilicet dictis majorum: & ſi quid dignum potuiſſet auditu percipere, non ſegniter oblivioni tradebat, ſed tenaci potiùs memoriæ commendabat. Hauriebátque jam tunc ſitibundo doctrinæ fluenta pectore, quæ poſt congruenti in tempore mellito gutture aliis erudiendo ructaret.* Quæ totidem verbis de Gregorio M. à Paulo Diacono ſcribuntur: ex quo aliiſque locis patet, codicem Carnotenſem interpolatum eſſe.

AN CHR. DC. LXXVIII OCTOB. II.

Quem Rex atque Regina videntes honorificè ſuſceperunt, & in paucis diebus dulcia ſua verba & bonitatem oſtendit, intantum ut Rex ſimul & Regina, plerique Pontifices & Proceres ſupra omnes eum in amorem ſuſciperent. Et quia eum videbant dignum ad ſuſcipiendum honorem, cunctorum conſenſu præcipui Francorum ad honorem pontificalem eum eſſe idoneum proclamaverunt. Quem ad hoc omnes electum, Auguſtoduni, quæ eſt Æduorum civitas, creaverunt Pontificem.

IV. Quam cùm per annos decem [a] ſtrenuè gubernaret, eodem tempore Rex Hlotarius, qui eum conſtituerat Epiſcopum, defunctus eſt. Tunc idem Præſul hæc audiens, concito curſu in palatium perrexit, ac cum ſuis ſimilibus de Rege tractare cœpit. Qui audientes HILDERICUM Auſtraſiorum Regem in adoleſcentia Regnum juxta ſui temporis ætatem optimè diſponentem, elegit quædam pars Francorum, volentes eum habere Regem. Nam EBROINUS, qui Major domus fuerat ſub Rege Hlotario, THEODERICUM germanum ejus cupiebat ſubrogare fratris in Regno. Ipſe verò Ebroinus erat tunc odioſus inter Francos. Et quia metuebant hujus ponderis jugum, quod per eumdem ſuſtinuerant ſub Rege Hlotario, relicto ejus conſilio Hildericum in toto ſublimaverunt Regno Francorum. Tunc Ebroinus videns ſe deſtitutum & pro nihilo ſuum eſſe conſilium, territus pavore Regem petiit ut relictis omnibus vitam ſibi concederet, & in Monaſterium abire permitteret. Cui deprecanti & Domno Leodegario intercedente Rex conſenſit, & in Monaſterium Luxovij ilico deſtinavit ut Monachus effici deberet. Rex verò Childericus confirmatus in Regno, germanum ſuum Theodericum cuidam Dei ſervo [b] conſervandum ad nutriendum dedit. Idem verò S. Leodegarium Pontificem ſuper omnem domum ſuam ſublimavit, & Majorem-domûs [c] in omnibus conſtituit.

[a] Chlothario mortuo favet Childerico, contra Ebroinum Theoderici fautorem.

[b] Ebroino Monacho facto, Childerici aulæ præficitur.

[c]

V. Qui acceptis hujus Regni gubernaculis, quidquid maximè adversùs leges antiquorum Regum ac magnorum Procerum, quorum vita laudabilis conſtabat, reperit ineptum, ad priſtinum reduxit ſtatum. Intantum verò uſquequaque omnia Regna Francorum reſtituit, ut omnes ſe gratularentur Regem ſibi habere Childericum ac Rectorem palatij Leodegarium. Cùm hæc pæne annis tribus cum decore magno agerentur, tunc adverſarius, cujus eſt conſuetudinis invidiâ conditionis ſuæ bona deſtruere, cœpit ſodales ſuos quos ſecum elegerat idem Pontifex habere ſocios gubernaculi, per invidiæ malum inſtigare, & inter ipſum & Regem zizania diſcordiæ ſeminare. His itaque diebus jam eminebat celeberrimus Paſchalis dies. Tunc flagitante Pontifice, ut apud Auguſtodunum urbem ſuam ipſum ſanctiſſimum diem Rex juberet celebrare; ille nequaquam renuens implere nititur votum deprecantis. Qui cùm appropinquâte jam die ad Miſſarum ſollemnia celebranda quæ eſt ſabbatorum (ut mos erat antiquis) quæ eſt in vigilia Paſchæ, irent pariter [d], & malum ſeminarium odij ſimul haberent abſconditum; tunc inſtigator utriuſque malorum accedens eidem Pontifici dixit: Obſerva te, inquit, ſancte Pontifex, quia tranſacta celebritate Miſſarum à Rege ſcias te eſſe interficiendum, quoniam ſemen nequam adverſus te ab inimicis tuis, quemadmodum & in ejus corde jam quidem olim eſt ſeminatum, in hac nocte conſummari eſt decretum.

Poſt tres annos Regi fit inviſus.

Paſchæ pervigilium cum Rege Auguſtoduni celebrat.

[d]

VI. Quod audiens Pontifex diſſimulando diſtulit, & ſe lætum oſtendit, nec pro magno ducens apparuit vultu clarus, & ſollemnia Miſſarum quæ cœperat ho-

Sacris peractis clam abſcedit.

[a] Ergo anno Chlotharij principatûs quarto, Chriſti DC. LIX Leodegarius in Sedem Auguſtodunenſem aſſumptus eſt, ſiquidem Chlotharius annos XIV. regnavit.

[b] Nimirum Abbati Monaſterij S. Dionyſij, quod ex Vita prima conſtat. Attamen Hadrianus Valeſius Theodoricum Monachum factum negat, ſed tantùm in eo Cœnobio cuſtodiri juſſum eſſe affirmat, ibique exſpectare dum coma inciſa recreſceret. Valeſij ſententiæ favet primus Auctor; hîc verò Theodoricus Abbati *conſervandus ac nutriendus* tantùm dicitur datus.

[c] Hadrianus Valeſius in Rer. Franc. lib. 11. & poſt eum Carolus *le Cointe* ad ann. 670 *Majorem-domûs* hoc loco *Conſiliarium* interpretantur; contenduntque Majoratum domûs Regiæ fuiſſe laïcam dignitatem, quæ Pontifici minimè conveniebat.

[d] In prima Vita Rex cum Leodegarij Paſcha celebrare noluiſſe dicitur, ſed cum Marcellino Reclufo apud S. Symphorianum id celebraſſe.

neſtiſſimè conſummavit. Sed communionem ſanctam cùm ipſe ac Rex perce- AN. CHR. DC. LXXVIII OCTOB. II.
piſſent, Rex ad palatium pergens abiit pranſurus: Pontifex verò cùm ſuum perconſummâſſet officium, & merum cum ſuis accepiſſet, ſicut eſt fragilitatis humanæ, metuens animoſitatem Regis, tractare cum ſuis cœpit quid in hoc conflictu agere deberet. Cogitans & orans ad Dominum conſilium reperit, melius ei eſſe omnia relinquere & Chriſtum ſequi, quàm locum Regi dare, & manus Regis ſanguine Sacerdotum in tam magno die feſto coinquinari, ne fortè fieret Regni Francorum opprobrium, & per ſe unum hominem in tota plebe fieret diſceptatio. Tunc relicto Rege & omnium poteſtatum ſublimitate, pro nihilo reputans quod habetur in mundo, eadem nocte procedens cum paucis ire cœpit ubi pauper Chriſti fieri potuiſſet. Hoc Rex audiens contriſtatus eſt valdè, ac mærens quemdam ex ſuis fidelibus cum exercitu magno poſt ipſum miſit. Et ſequutus eum per totam noctem illam diluculo reperit, & juxta juſſum Regis eum reduxit. Ipſóque Pontifice deprecante, ad Luxovij Cœnobium ut ei liceret relicto ſæculo vacare Deo, humili popoſcit prece ſe dirigendum: quem protinus illuc dirigere non diſtulit. Qui feſtinus in Monaſterium perveniens, ibidem Ebroinum jam Clericum * invenit, dicens ſe aliquid * in eo peccâſſe; viciſſímque veniam petentes ſteterunt concordes. Jubente tamen Abbate ſejuncti, aliquod ſpatium temporis utrique pœnitentiam agentes, inter contubernia Monachorum ſtrenuè habitare quaſi perpetui Monachi conati ſunt.

Rege annuente Luxovium ſe recipit, atque Ebroino reconciliatur.
* *id eſt* Monachum
* *al.* graviter

Per idem tempus HILDERICO Rege defuncto, ejus germanus THEODERICUS in Regno ſublimatur. Hæc audientes utriuſque amici, deſiderantes adſpectum eorum cernere, cum favore magno vota complentes ad propria nituntur reducere, pergentes de utriſque partibus ad ſupradictum Monaſterium cogebant eos procedere & ad eorum domos remeare. Qui angore multum æſtuantes, tandem dilectionis amicitiarúmque gratiâ, quia fatigati ſpatiis terrarum longævis valde fuerant, conſentientes adquieverunt deprecantibus. Cum benedictione quippe Patris Monaſterij ipſius conglutinati pacis concordiâ, procedentes venerunt ſimul Ebroinus ſcilicet cum Pontifice Leodegario ad civitatem ſuam Auguſtodunum. Quam rem tota civitas audiens ſuſcitata eſt in gaudium: & cives procedentes obviàm receperunt eos cum gaudio & magno tripudio lætantes, eoquòd recepiſſent Patrem, quem amiſiſſe plangebant olim gubernatorem. Quem receptum collocaverunt in ſedem priſtinam, ut frueretur cum ſuis lætitia. Qui cùm ſimul lætati ſummo gaudio tripudiarent, cupiebat in craſtinum ditatum Ebroinum cum magnis honorum muneribus ad propria deſtinare. Idem verò Ebroinus non eſt paſſus ſuos vel modicum requieſcere, ſed fugaciter noctu ab hac abſceſſit civitate, & cum Auſtraſiis quos aliquando habuerat adverſarios, ſe ſociavit ut amicis. Sed non poſt multum temporis multis ſceleribus geſtis, collectis ſibi malorum ſociis, Francorum per vim penetravit fines: & cum tyrannide crudeliſſimè ſe gerens, Theoderici glorioſi Regis ſe præſentavit obtutui, atque ab eodem Rege reſtitutus eſt in priore gradu.

VII. Childerico mortuo in ſedem ſuam revocatur Ebroino comite.

Et cùm Major-domus effectus eſſet, cogitare cœpit de ultione inimicorum qui eum noluerant habere Subregulum. Qui ut leo rugiens inter ceteras feras, reſonuit rugitus ejus per Francorum terras. Omnes verò qui adverſus eum olim cogitaverant mala tremefacti, qui remanſerant ex ejus cæde perrexerunt in fugam. His itaque diebus vir Dei Leodegarius cùm ad ſuam plebem reſtaurandam reſideret urbe ſua Ædua, reminiſcens Ebroinus malorum omnium quæ circa eum cum Rege Hilderico egiſſe illum putabat, tunc adjunctis ſibi nequiſſimis inimicorum ſociis conſulere cœpit quemadmodum eumdem Pontificem deſtruere potuiſſet. Ex his Conſiliariis duo, videlicet DIDDO [a] & WAIMERUS

VIII. Ebroinus reſtitutus de perdendo Leodegario cogitat.

[a] Dido ſeu Diddo *in urbe Cabilone quondam habuerat principatum*, Vvaimerus verò *Dux Campaniæ* erat, uti dicitur in alia Vita, poſtea Epiſcopus Trecaſſinus, ex Vita S. Præjecti Epiſcopi. S. Bercharius Abbas, Dervenſis *abiens Hieroſolymam, fertur duxiſſe ſecum* VVAIMERUM *tormentorum S. Leodegarij reum*, inquit Monachus Dervenſis in lib. Mirac. S. Bercharij num. 11. infrà ad ann. 685.

AN. CHR. DC.LXXVIII OCTOB. 11. Æduâ urbe obſeſſâ inimicis obviàm procedit Leodegarius.

ex nomine caput effecti malitiæ, dixerunt ſe poſſe eum rapere de civitate & in eum facere vindictam, ex qua, malitia Ebroini eſſet ſatiata. Gaviſus itaque Ebroinus de eorum reſponſo dedit eis exercitum copioſum valde. Qui feſtini perrexerunt ad civitatem Æduorum, & circumdantes eam eodem exercitu devaſtabant circa muri circuitum. Hæc vir Dei proſpiciens, zelo magno accenſus ſuper plebe ſibi commiſſa, Domini ſequutus exemplum, animam ſuam malens ponere pro ovibus ſuis, eáſque cupiens lucrifacere, quàm ſuam temporalem quereret ſalutem; omnem Clerum civitatis aggregare juſſit, & cum Reliquiis & crucibus & choris pſallentium obviam abiit cum Dei laudibus ſuis inimicis, & ſponte ſe obtulit ad palmam Martyrij, ſi voluntas non defuiſſet percuſſoris.

IX. Oculis privatur.

Qui autem venerant ad eum puniendum, abſque reverentia Reliquiarum eum comprehenderunt. Qui exclamans fertur dixiſſe: Gratias ago Deo omnipotenti Redemptori, qui me dignatus eſt hodie glorificare. Qui pergentes duxerunt eum extra civitatem, & implentes juſſa Principis Ebroini, eruerunt oculos ejus à capite. Sed cùm ei lumen ſuſtulerunt foriſecùs humanum, intrinſecùs incluſerunt Divinum. Et tradentes cuſtodibus in quoddam eum perduxerunt Cœnobium, in quo latuit per annorum circulum duorum, ibique magnum reliquit humilitatis ſuæ exemplum & patientiæ.

Biennio in Monaſterio detinetur.

X. Cum fratre accuſatur coram Rege ab Ebroino.

Eodem tempore ejuſdem germanus GAIRINUS * nomine, qui ob metum ſupradicti Ebroini cum aliis quos fugaverat ex Francorum Proceribus Wacœorum * luſtraverat partes, juſſu Regis glorioſi Theoderici ac Principis Ebroini decretum eſt ut ad Palatium reverteretur. Tunc etiam B. Leodegarium ex Monaſterio in quo tenebatur abſconditus egredi & in præſentiam Regis juſſum eſt accerſiri. Qui cùm ſimul conjuncti & obtutibus Principum fuiſſent oblati, multis contumeliis affecti & opprobriis ab Ebroino ſuſceptis reſpondiſſe feruntur *: Hæc dignè patimur, quia Domino peccavimus: ſed major eſt ejus clementia qui nos dignatus eſt vocare ad talem gloriam. Sed tu, miſer Ebroine, qui tantam pœnam ingeris Francorum genti, potiùs in te ulciſceris, qui vitam aliis auferre cupis. Multos equidem decepiſti, & exſules à ſolo paterno feciſti: ſed magis tu exſulabis, quia & temporalem & futuram gloriam citò perdis: quoniam dum cupis ſuperare omnes habitatores in tota Francia, tuam potiùs aufers quàm indignus accepiſti gloriam.

* *al.* Vvarinus
* *id eſt* Vvaſconum.
Calumniis impoſitis reſpondent.
* *al.* conjicitur

XI. Guarinus acceptis fratris monitis lapidibus obruitur. *Rom.* 13.

Tunc audiens hæc Ebroinus furore magno repletus juſſit miniſtris Gairinum abſtrahi & à germano ſuo ſeparari, ut ſeparatim viderentur puniri, ne ſimul eos delectaret talia verba fari. Cùm autem duceretur, B. Leodegarius eum alloquitur dicens: Æquo animo eſto, frater cariſſime, quoniam oportet nos hæc pati, quia non ſunt condignæ paſſiones hujus temporis ad futuram gloriam quæ revelábitur in nobis. Peccata etenim noſtra multa ſunt; ſed miſericordia omnipotentis ſupereminet magna, quæ ad abluenda delicta ſe laudantium ſemper eſt parata. Hæc ad tempus patimur, quia morti debitores ſumus, ſed illa nos exſpectat vita, ſi patienter ferimus iſtam pœnam, ubi ſine fine lætabimur in cæleſti gloria. Tunc miniſtri ad ſtipitem ligatum Gairinum, lapidibus obruere cœperunt. Ille verò Dominum deprecabatur dicens: Domine JESU bone, qui non venisti vocare juſtos ſed peccatores, ſuſcipe ſpiritum ſervi tui: & qui mihi dignatus es in ſimilitudine Martyrum lapidibus vitam iſtam mortalem auferre, jubeas clementiſſime veniam ſcelerum meorum tribuere. Hæc dicens, orando ultimum efflavit ſpiritum.

XII. Leodegarius juſſu Ebroini diré mutilatur.

Beatus itaque Leodegarius cupiebat cum germano ſuo vitam finire, ut ſimul mererentur futuram vitam ac beatam participare. Sed Ebroinus differre volens ejus exitum, ut per pœnas longè dilatas ei præpararet æternas, & ne coronam acciperet martyrii, quin potiùs careret præmiis gloriæ ſempiternæ; juſſit eum nudis greſſibus per quamdam piſcinam tranſduci, in qua erant petræ ſicut clavi incidentes acuti. Deinde terræ proſtrato incidere linguam labiáque præcepit,

ut dum oculi ablati, pedes jam forati, lingua ac labia inciſa, & dum à ſe cernebat omnem felicitatem membrorum ablatam, corporiſque pariter vires undique paruiſſent negatæ, dum nec oculis cerneret viam, nec pedibus incederet callem, nec linguæ officio laudare quiret Creatorem, ac per hoc incideret in blaſphemiam deſperans, auferendo ſibi ſalutem, quam laudando cælitùs adipiſci meruiſſet ingentem. Sed qui abſque vocibus cordium eſt auditor Deus, magiſque cor contritum quàm elatione ſuperbum complexatur, ſuſcepit vocem tacentis magis quàm elatè loquentium; poſtulantis ſibi auxilium, non ſono vocis, ſed humilitate cordis. Nam cùm ſe cognoviſſet præſidium omne amiſiſſe humanum, totis viribus ſibi petiit adeſſe Divinum. Nam quantum impietas humana revocare eum cupit ab alto, tantùm pietas Divina ſociare fecit eum cælo. AN. CHR. DC. LXXVIII. OCTOB. II.

XIII. Fiſcamnũ relegatus, uſum linguæ recipit.

Tunc Ebroinus quemdã accerſivit virum nomine Waningum, & ait: Accipe, inquit, Leodegarium, quem aliquando vidiſti virum tam ſuperbum, & conſtitue ſub tuta cuſtodia. Erit enim tempus ſuæ vocationis, ut recipiat quod meretur à ſuis inimicis. Tunc acceptum ad ſuum perduxit Cœnobium, quod vocatur Fiſcamnus, ubi erat congregatio Sanctimonialium Virginum, quibus præerat CHILDOMERGA famula Chriſti: in quo multis diebus converſans habitator ſtetit ſub cuſtodia. Nam & lingua præciſa ſolitum recepit officium, & magnum doctrinæ ſuæ ſemen oſtendit in populo. Quandocumque inter Virginum accederet catervam, tanta (ut fertur) dulcia ſua fulgebant eloquia, ut mirarentur quicumque audientes, quanta Dei operata ſit clementia, & converſi à pravis operibus velociter peterent pœnitentiæ fructus. Nam diebus ac noctibus in Dei cultu pervigilans adſtabat, ut vel paullulùm ad neceſſaria corporis vix aliquando ab Eccleſia procederet, vel quippiam ſomni ac ciborum perceptionem capere potuiſſet.

XIV. Ejus vexatores dant pœnas.

Eodem tempore vir glorioſus Theodericus Rex & idem Ebroinus Synodum convocarunt, & ad quamdam villam Regiam venientes, multam Epiſcoporum turbam adeſſe fecerunt. Ibique inter ceteros DIDDO, qui ſanctum virum Leodegarium cum WAIMERO expulit de ſede ſui Epiſcopatûs, & pæne tradidit illectus, condemnatus ab ipſa Synodo calvariam accepit in capite, & expulſus ſegregatur à ſancta Congregatione. Deinde exſilio condemnatus, mortéque ſecuta pœna capitis geſſit quidquid doloſè in ſanctum virum exercuit. Alii verò Epiſcopi tunc à Rege per Ebroinũ in ipſa Synodo pæne ſimilem ſortiti pœnam, perpetuo exſilio ſunt deputati. Waimerus etiam ſimilem excepit ſententiam cum ceteris. Tunc Ebroinus dixit ad B. Leodegarium: Quid tantos perſuades loquendo? Martyr eſſe ſuſpicaris, ideò te tam temerarium oſtendis. Adhuc multùm, inquit, dilataberis, fruſtrà tale deſideras habere præmium. Nam ut merueris ita eris accepturus martyrium. Optabat enim eum funditùs exſtinguendum, ut quia à ſæculi gloria jam videbat conſumptum, revocare potuiſſet ſaltem à meritis Sanctorum. Nam unde eum putabat abſcidi, inde potiùs eum faciebat Chriſto quem deſiderabat adhærere, quia quantum protendebatur ejus pœna, tanto magis ei augebantur præmia.

XV. Chrodoberto traditus, cælico lumine illuſtratur.

Tunc tradidit eum cuidam viro CHRODOBERTO*. Accipe, inquit, eum ſub magna cuſtodia ſervandum: adhuc namque tempus vèniet mortis ſuæ. Acceptum eumdem cùm ad ſuam domum deduceret, cernens eum ex itinere ac infirmitate defeſſum, juſſit ei dari ad refocillandum potum. Ante quem cùm pincerna adſiſteret, lumen magnum quaſi in rotæ circulum è cælo deſcendens ſuper caput ejus reſulſit. Tunc trementes omnes qui hoc ſignum viderunt; Quid eſt hoc, inquiunt, domine quod paret ſuper caput tuum quaſi in circuli modum lumen ſplendidiſſimum emiſſum de cælo? numquam à nobis ſimile eſt viſum. Ille protinus in terram cadens adoravit dicens: Gratias tibi, omnipotens Deus, conſolator omnium refero, qui ſuper ſervum tuum oſtendere dignatus es tale miraculum. Tunc videntes omnes quaſi in exceſſu mentis ſunt poſiti, ſed tamen ſpiritu reſumpto, ſimul glorificantes Deum omnipotentem converſi ſunt alter ad alte-

* *In Vita* S. Ruotberto

AN. CHR. DC.LXXVIII OCTOB. II

rum dicentes: Verè hic homo ſervus Dei eſt. Et pollicebantur ad Deum prorſus totis tendere viribus. Tunc deinceps ejus prædicationibus pæne omnes parentes, conjux ac familiæ domûs ejus ſunt converſi ad Dei cultum; ac per hoc ejus famam audientes per circuitum loci concurrebant ad eum verbum ſalutiferum audire cupientes. Ille verò non ceſſabat ſua prædicatione cunctos inſtruere, qualiter ad regna cælorum valerent pervenire.

XVI. Equites quatuor ad necandum Sanctum mittuntur.

Sed non poſt multum temporis cùm jam Deus omnipotens pro tantæ patientiæ dono decreviſſet remunerare ſuum fidelem famulum, Ebroinus jam obſtinatus crudelitatem ſuam volens in eum perficere, velociſſimos poſt eum emiſit equites nimiùm pernicioſos qui eum morte perimerent. Qui venientes ſuſceperunt eum de domo viri cui fuerat traditus ad cuſtodiendum, & ducentes eum per loca incognita uſque in quemdam locum in quo ſubſtitit inquiens: Non neceſſe habetis, filii, longiùs fatigari: ad quod veniſtis citò facite ut impleatis votum maligni. Hi verò qui venerant ad eum perimendum erant quatuor numero. Tres etenim ex his provoluti ſunt ad pedes ejus, deprecantes ut eis indulgentiam à Deo daret, & benedictionem ſuam ſuper eos dignaretur tradere. Quartus verò * ſuperbus adſtabat evaginato gladio paratus ad eum interimendum.

* Vvadardus.

XVII. Oratione facta capite plectitur.

Verùm poſtquàm benedictionem ſuam ſuper eos tradidit, & ſuis interfectoribus verbum Dei adnuntiavit, tunc vir Dei incumbens orationi ait: „ Domine „ Deus omnipotens Pater Domini noſtri JESU-CHRISTI, per quem notitiâ tui ac„ cepimus, Deus virtutum & omnis creaturæ Creator, ac totius generis humani „ Redemptor, te benedico, te glorifico, qui me dignatus es ad hanc certaminis „ diem perducere. Rogo deprecórque, Domine, ut ipſe mihi jubeas miſericor„ diam pietatis tuę largiri, & meritis Sanctorum tuorum me dignum facias partici„ pem & vitæ æternæ conſortem: & tribue indulgentiam his qui me tribulant, „ quoniam per eos in conſpectu tuo credo clementiſſime Pater glorificatus fieri. Cùm hæc diceret, percuſſor extendens manum, evaginato gladio amputavit caput ejus: & corpus ejus ſubſtitiſſe erectum, quaſi unius horæ ſpatio dicitur. Sed dum non ſtatim eum cadere gladiator cerneret, ipſum pede percuſſit, ut ſic citiùs in terram decideret. Sed non multo pòſt percuſſor ejus arreptus à dæmonibus & mente captus ac Dei ultione percuſſus in ignem ſe projecit, ibíque vitam finivit. Tunc juſſu conjugis hujus viri Chrodoberti in quamdam villam Sarcingo* nomine cum magno fletu plangentium à miniſtris deportatus eſt hujus feminæ decreto, cum veſtibus in quibus trucidatus fuerat, in parvulo Oratorio beatus Martyr eſt ſepultus. Hoc verò die ſexto* Nonarum Octobrium actum eſſe creditur: in quo ſepulcro annis duobus & dimidio humatus fuiſſe dicitur.

Sarcingi ſepelitur.

* *Sorcin*

* *In Vita* S. quinto

INCIPIT TRANSLATIO EJUSDEM.

XVIII. Miracula ad ſepulcrum facta.

HIs itaque diebus Sacerdos quidam, qui hujus Oratorii fungebatur officio, lumen ſplendidum abſque miniſterio humano in eodem cognovit noctibus fulſiſſe loco. Unde rumor magnus emanavit in circuitu loci hujus. Verùm venientes ad hujus beati Martyris venerandum Oratorium, multam turbam languentium diverſis infirmitatibus detentos ſanavit, claudis ſcilicet greſſum dedit, cæcis lumen tribuit, obſeſſos à dæmonibus mundavit, multíſque virtutibus in hujus loci Martyr venerando habitaculo emicuit. Hoc itaque ejuſdem Eccleſiæ atteſtatur Sacerdos. Nam & hujus Sacerdotis miniſter Clericus, *& cetera ferè ad verbum ut in prima Vita cap. 16.*

Fures ſacrilegi omnibus reſtitutis puniuntur.

XIX. Ebroini explorator impius pœnas luit.

Tunc magis magíſque fama ſanctitatis beati Martyris latè prorupit, quæ paullopòſt per ea quæ geſta ſunt, Ebroino non latuit. Quo audito nuntium miſit occultè, qui hoc inquirens ſtudioſè ſibi vera nuntiaret. Qui nuntius juſſis ejus obtemperans ad ejus acceſſit tumulum: & interrogans diligenter, à cuſtode didicit ubi ſanctum corpus requieſceret. Sed accedens orationi diſtulit incumbere,

cumbere, quin potiùs deſpiciens humum pede percuſſit & ſtultè loquitur dicens, eoquòd neſciret virtutem Dei: Etenim, inquit, mortuus virtutes nequaquam facit. Nam miſer reverſus priuſquam renuntiaret huic à quo miſſus fuerat, in ſemetipſo cognovit, quantum ſanctus Martyr virtutibus polleret. Dum verò iter carperet, ilico vitam perdidit, & ei à quo miſſus fuerat minimè renuntiavit. His itaque cognitis Ebroinus tacito corde retinebat, & tremens intra ſe verecundiâ præter conjugem nemini manifeſtare audebat, ne fortè creſcente gloria Martyris, ſua (qui tale lumen exſtinguere cupiebat) eſſet diminuta in populis. Nam his ſpatiis dierum quantum ille miſer hoc bonum latêre cupiebat, tanto magis ubique rumor virtutum ſupradictarum beati Martyris dilatatus radiabat. Tranſacto verò ſpatio pæne annorum trium [a] ſemper lugendus Ebroinus, qui hanc lucernam niſus fuerat exſtinguere, ſermo Divinus in eodem impletur. Nam quia gladiis multos interemit, percuſſus gladio ipſe periit. Infelix ac miſer, qui tantis honoribus ſublimatus, in tribus mundi partibus dilatatâ famâ induſtriæ ſuæ pollebat inter homines: & quoniam noluit ſuis inimicis Dei mandatum implendo indulgentiam tribuere, eos ulciſcendo multos ad Regna cælorum fecit ire. Quamobrem verendum valde eſt, ut qui tantos Sacerdotes ac Proceres ultionis ſuæ crudelitate interemit, ne ſe potiùs æternæ pœnæ præparaverit. Et tam celſam quam nullus Francorum habere meruit gloriam perdidit, & beatam vitam, quam per patientiam adipiſci quiverat, amiſit.

AN. CHR. DC. LXXVIII OCTOB. II.

Ebroinus etiam ipſe. *Confer Vitam* I. *cap.* 16.

a

Sed poſtquam infelix Ebroinus vitæ finem dedit, quod invidiâ ductus de Dei ſervo abſconderat, magnis laudibus longè latéque percrebuit. Tunc perlatum eſt cum laude in palatium, quod multis diebus ab æmulo latuit abſconſum. Erat enim ibi multitudo maxima Epiſcoporum ſcilicet ac Procerum, qui dum collationem de S. Martyre inter ſe haberent, & admirarentur quod de eo audiebatur; tunc vir miræ ſanctitatis Anſoaldus Antiſtes verbum intulit dicens: Utinam daretur mihi optio, *&c. quæ ex prima Vita cap.* 17. *& ſequentibus repetenda ſunt.*

XX.

a Idem habet primus Auctor cap. 17. *Tranſacto ſpatio trium pæne annorum*, &c. Hinc annum quo S. Leodegarius obiit colligere licet. Ebroinus regni Theodorici anno IX. (ſi Sigeberto credimus) Chriſti DC. LXXXI. aut inſequenti exſtinctus eſt, & quidem poſt tres ferè annos quàm martyrio affectus fuerat Leodegarius: qui proinde anno Chriſti DC. LXXVIII. necatus eſt, uti etiam Carolus *le Cointe* cenſet. Hic calculus confirmatur ex eo, quòd Ebroinus palatii præfecturam anno regni Theodorici primo iteratò adeptus eſt, paullò pòſt cœpit vexare Leodegarium, qui ſub Vvaimeri Campaniæ Ducis cuſtodia per biennium in quodam Monaſterio detentus; poſteà Vvaningo commiſſus, *multis diebus*, hoc eſt annos ferè duos apud Fiſcamnum exſulavit. Tandem poſt Synodum anno Theodorici Regis VI. (ut Sigebertus ſcribit) habitam, juſſu Ebroini abductus eſt à Chrodoberto in pagum Atrebatenſem, ubi paullò pòſt capite percutitur VI. Nonas Octobris: ipſòque die in antiquis Martyrologiis (ſi Bedæ faſtos excipias) commendatur, apud ſincerum Uſuardum hoc modo: *In territorio Adartenſi Paſſio B. Leodegarii Auguſtudunenſis Epiſcopi, quem variis injuriis & diverſis ſuppliciis pro veritate afflictum Ebroinus Major Domûs Regiæ interfecit.* Ado verò; *In Atratis, villa Sirieynio, Paſſio B. Leodegarii*, &c. ut Uſuardus: addito, *cujus ſacrum corpus in diœceſi Pictavorum tranſlatum, in Monaſterio B. Maxentii eſt humatum. Adartenſes* ſeu *Adarctenſes* vocabantur olim Atrabates ad Arctum, *Oſtrebates* qui ad ortum, qui verò ad Auſtrum *Auſtrebates*, uti Malbrancus in lib. 2. de Moriniis cap. 57. rectè obſervavit. Et tamen *Sarcingum*, Leodegarii ſepulturæ locus, uti & locus ubi necatus eſt, uterque vicus S. Leodegarii dictus; (ille quidem ad fontes Alteïæ fluvii, hic verſus caput Quantiæ) Auſtrebatibus Occidentalis eſt: quamquam poſterior locus paullulùm ad Septemtrionem vergens, Adartenſibus attribui poteſt.

AN. CHR. DC.LXXVIII OCTOB. II.

DE S. LEODEGARII TRANSLATIONE ET RELIQVIIS OBSERVATIONES.

1. SANCTI *Leodegarij corpus ex villa Sarcingo in S. Maxentij Monaſterium Pictavenſe, jubente Anſoaldo per Audulfum Abbatem tranſlatum, ibidem quievit uſque ad cladem Normannorum: quibus per Pictavenſe ſolum graſſantibus Maxentienſes Monachi ſacras prædicti Martyris exuvias unà cum B. Maxentij Reliquiis primò quidem in Armoricam, deinde ad Arvernos, poſtea Autiſſiodorum invexerunt. Demum ædificato in S. Leodegarij honorem Ebrolio Monaſterio (quod ab Arvernorum urbe ſex circiter millibus diſſitum in opidum acrevit, hodie quoque Ordini Benedictino ſubjectum) ibidem majorem partem Reliquiarum S. Leodegarij cum corpore S. Gairini ejus fratris dimiſerunt prater* caput & manus, *quæ Bernardus Guido Lutevenſis Epiſc. in Tract. de SS. Lemovic. num.* 40. apud Monaſterium Maymacum *Ordin. S. Bened.* pia devotione *coli affirmat, oſtenduntque hactenus Maymacenſes noſtri.*

Lege Vitam S. Maxentij Sæcul. I. Benedict. ad ann. 615.

Leodegarij caput ubi?

2. *Et tamen in Monaſteriis Benedictinis Murbacenſi, Gemeticenſi & Pratellenſi caput S. Martyris adſervari dicitur. Sanè Murbacenſes ſuperioris Aleſatiæ Monachi primariis Abbatiæ ſuæ inſtrumentis & antiquo nituntur teſtimonio illius Auctoris, qui S. Leodegarij Vitam tertius ante annos octingentos ſcripſit. Quippe* EBERHARDUS *Aleſatiæ Dux Murbacenſis Cœnobij conditor, Eccleſiam S. Petro & B. Leodegario per Vvidegernum Argentinenſem Epiſcopum anno Chriſti* DCC. XXXIII. *dedicari curavit. Vnde in ipſius Epitaphio legitur hic verſus:*

Pro tibi donatis, LEODEGARI, junge Beatis.

Et Vitæ Leodegarij ſcriptor tertius, de quo in Obſervat. præviis diximus, teſtatur, in finibus Alamanniæ glorioſum caput inclyti Martyris *ſervari ac miraculis illuſtrari in quodam Monaſterio, quod non aliud eſt ſine dubio à Murbacenſi. Nam iſtud Monaſterium in confinio Voſagi, Alamanniæ & Aleſatiæ poſitum eſt, monſtrántque uſque hodie S. Leodegarij caput Monachi Murbacenſes, quod à primo loci conditu penes ſe haberi aſſerunt, ob idque Eccleſiam ſuam in S. Leodegarij honorem conſecratam eſſe.*

3. *Non deſunt tamen argumẽta, quibus Pratellenſes noſtri jus ſuum tueantur. Quippe oſtendunt litteras* RADULFI Lexoviẽſis Epiſcopi, *ad cujus diœceſim attinent,* anno milleſimo centeſimo octogeſimo tertio *conceſſas, quibus fidem facit de conſecratione altaris in honorem S. Thomæ Cantuarienſis & S. Leodegarij Martyris, cujus caput illic haberi ſignificat in hunc modum:* Notum ſit omnibus tam præſentibus quàm futuris, quòd ego RADULFUS Dei miſeratione Lexovienſis Epiſcopus conſecravi hoc altare in honore S. Thomæ Martyris & B. Leodegarij in die Exaltationis S. Crucis anno ab Inc. Dominimilleſimo centeſimo octogeſimo tertio, regnante Francorum Rege PHILIPPO, HENRICO Rege Anglorum, Rothrodo Archiepiſcopo Rotomagenſi. Confiſi ergo de miſericordia Dei & interceſſione prædictorum Martyrũ, omnibus qui ad hoc altare à nobis indignis conſecratum pio cordè & contrito acceſſerint per totum primum annum illius conſecrationis, & eleëmoſynas ſuas obtulerint; tertiam partem injunctæ pœnitentiæ relaxamus, & peccata quæ memoriter humana fragilitas retinere non potuit, de quorum tamen oblivione & contemptu peccator dignè pœnituit, nihilominus relaxamus. Singulis autem annis à Dominica ante Aſſcenſionem inter tres hebdomadas omnibus venientibus & eleëmoſynas ſuas offerentibus ſimili modo ſuccurrendum decrevimus: quoniam illis diebus CAPUT GLORIOSI MARTYRIS LEODEGARII à Monachis hujus Eccleſiæ populo veniente debet oſtendi, & orationes & eleëmoſynæ ab ipſis fieri, & pro ſalute offerentium Miſſa ſollemniter celebrari. Hoc igitur ad memoriam poſterorum ſcripti noſtri munimine & ſigilli impreſſione duximus roborandum. *Hactenus de capite.*

Reliquiæ aliæ.

4. *Præter iſtas S. Leodegarii Reliquias, ejus brachium alterum in Fiſcamno Monaſterio apud Caletos celeberrimo, alterum in S. Baſoli Cœnobio agri Remenſis; denique alter ex S. Martyris oculis effoſſis in Regalis S. Dionyſij Abbatia prope Luteciam Pariſiorum haberi feruntur. Habent & minutas quaſdam ſacri corporis particulas Maxentiani noſtri, apud quos vir Sanctus aliquamdiu vixit, & poſt mortem diu requievit. At magna pars ejus Reliquiarum in Ebrolio Monaſterio Arvernorum, quod in Sancti honorem conditum diximus, hactenus cuſtoditur.*

Cultus.

5. *Non facile dictu eſt, quantam B. Leodegarius apud populares ſuos habeat venerationem; quot Eccleſias, Oratoria, & aras meruerit. Robertus Francorum Rex teſte Helgaldo Monacho Floriacenſi* Monaſterium S. Leodegarij in ſilva Aquilina *conſtruxit. Exſtat præterea Abbatia S. Leodegarij Ord. S. Benedicti in diœceſi Sanctonenſi, inter Malleacum & Abbatiam S. Maxentij, cui olim præfuit Leodegarius. Multos per Galliam Prioratus habet ſibi nuncupatos.*

AN. CHR. DC.LXXVIII. OCTOB. II. Scripta.

6. Quod attinet ad S. Leodegarij ſcripta, circumfertur quoddam ejus Teſtamentum, quod eruditis hominibus meritò non probatur. Lege hoc de inſtrumento Sammarthanos in Gallia Chriſtiana, Stephanum Perard *in Collectione veterum Inſtrum. ad Hiſtoriam Burgundicam pertinentium, & Carolum* le Cointe *ad ann. 666. Melioris videtur notæ epiſtola illa conſolatoria S. Leodegarij ad matrem ſuam, quam licet Philippus Labbeus in Tomo 1. Bibl. vulgaverit, hic tamen ex MS. codice Maxentiano ſubjiciendam eſſe haud abs re putamus.*

EPISTOLA CONSOLATORIA,

Quam S. LEODEGARIUS *Epiſcopus Heduorum poſt obitum germani ſui* GAIRENI, *poſt amiſſos oculos & labia inciſa, direxit ad genitricem ſuam Sueſſionis in Cœnobio Puellarum, incipit.*

DOMINÆ & Sanctiſſimæ Genitrici SIGRADÆ, quæ antea per cognationem carnis, modò per conjunctionem ſpiritûs facta es vera mater, & impletum eſt illud quod Sancta Veritas dicit, *Quicumque enim fecerit voluntatem Patris mei qui in cœlis eſt, ipſe meus frater, ſoror;* Mat.12.50. *& mater eſt;* LEODEGARIUS ſervus ſervorum JESU-CHRISTI Salvatoris noſtri, gratia vobis & pax à Deo Patre noſtro & Domino JESU-CHRISTO. Gratias ago Deo meo, qui non abſtulit miſericordiam ſuam à me, ſed dedit auditui meo gaudium & lætitiam pro fide noſtra & patientia in omnibus perſecutionibus & tribulationibus ejus, quas ſuſtinuiſti in exemplo juſti Judicis Dei, ut digna habearis in regno Dei, in quo elegit te Dominus Deus noſter JESUS-CHRISTUS ante conſtitutionem mundi, & dedit tibi non ſolùm ut in eum credas, ſed etiam ut pro illo patiaris, ſi qua conſolatio in Chriſto, ſi quod ſolatium caritatis, ſi qua ſocietas ſpiritus, ſi quæ viſcera miſericordiæ in ipſo, impleſti Sanctorum gaudium, omnis triſtitia verſa eſt in lætitiam, quia nullo modo oportebat triſtari, ſicut ait beatiſſimus Petrus: *Modicum nunc ſi* 1.Cor.1.4. *oportet contriſtari in variis tentationibus, ut probatio veſtræ fidei multo pretioſior ſit auro quod per ignem probatur.* Ita & B. Paulus teſtatur dicens: *Id enim quod in præſenti eſt momentaneum* 1. Petr.1.6. *& leve tribulationis noſtræ ſupra modum in ſublimitate æternæ gloriæ pondus operatur in nobis, &c.* Et alibi: *Rememoramini priſtinos dies in quibus illuminati magnum certamen ſuſtinuiſtis paſ-* Hebr.10. *ſionum, &c.* Et ut confirmatio & retributio maneat in æternum, addidit dicens: *Nolite itaque amittere confidentiam veſtram, quæ magnam habet remunerationem. Patientia enim neceſſaria eſt ut facientes voluntatem ejus reportetis promiſſionem, adhuc enim modicum aliquantulum, qui venturus eſt veniet: Juſtus autem ex fide vivit. Quod ſi ſubtraxerit ſe, non placebit animæ meæ, nos autem non ſumus ſubtractionis in perditione, ſed filij in adquiſitione animæ.* O Domina quantum gaudium oportet te habere in Domino, nec lingua effari, nec pagina valet continere. Dereliquiſti quod de[illegible]iquendum erat, adepta es quod deſideravit anima tua. Exaudivit Dominus orationem tuam & vidit lacrymas tuas, quas multis peractis fudiſti in conſpectu ejus, & quod paullulùm videbatur impedire ad capiendam æternam beatitudinem truncavit à te, ut ſoluta à vinculo familiarium & libera ab omni compede mundi hujus vaces & vivas Domino, & guſtes quàm ſuavis eſt Chriſtus. Ipſe eſt Deus noſter, ipſe eſt Rex noſter, ipſe eſt Redemptor noſter, ipſe via & veritas & vita in agnitione Dei Patris, & Filij, & Spiritus-ſancti; ipſi ſerviendum eſt in perpetuo, de quo Pſalmiſta ait: *Quid retribuam Domino pro omnibus* Pſal.115. *quæ retribuit mihi?* Significans quid retribuendum ſit, ilico adjunxit: *Calicem ſalutaris accipiam & nomen Domini invocabo.* O felix mors quæ vitam tribuit! felix amiſſio rerum, quæ divitias reſtituet ſempiternas! felix triſtitia, quæ gaudium affert Angelorum! Impreſentiarum probâſti, quantum clementiſſimus Dominus JESUS-CHRISTUS miſertus eſt tui, qui devotionem ſpiritualem & cuſtodiam ſanctæ diſciplinæ & contemptum mundi tibi habere conceſſit, & pignora uteri tui de ærumna hujus ſæculi & de errore præſentis vitæ eripuit, & dedit ſpem vitæ æternæ iis quos lugere poteras quaſi mortuos, ſi ſuperſtites reliquiſſes in mundo; de quibus non eſt habenda mæſtitia, ſed multimoda gratiarum actio referenda Deo Patri & Domino JESU-CHRISTO. Ecce ablâta eſt caligo, quæ obſcurabat pupillam animæ, ecce abjecta eſt ſubfaſcinatio & cura præſentis vitæ. Jam non habet nudus luctam ubi adhæreat manus ſua ſuſcepto jugo levi portans crucem Chriſti. Sequentes itaque Dominum, ejus præcedente miſericordia, intrepidi procedamus ad certamen: fidelis enim eſt, dabit nobis victoriam, quia ipſe prœliabitur pro nobis, & conteret ſatanam ſub pedibus noſtris velociter. En quò Deus ſuos milites vocat ad certamen, quibus poſt victoriam paratas habet coronas, & talibus armis induit, qualia inimici eorum non habent, id eſt ſcutum fidei, loricam juſtitiæ, galeam ſalutis, in quo poſſint omnia tela nequiſſimi ignita exſtinguere, & gladium ſpiritûs quod eſt verbum Dei, per omnem orationem & obſecrationem orantes omni tempore in ſpiritu, & in ipſo vigilantes. Nihil vult Rex noſter in ſuis militibus de veteribus armis, nec de veteri veſtimento reperire, ſed innovatos vult probare ad prœlium: & ſi aliquid fuerit (quod abſit) de vetuſta conſuetudine, quamvis parvum videatur, maximum generat detrimentum, præcipuè ſi aliquid odij contra inimicos fuerit in corde, quod avertat Deus ab

AN. CHR. DC. LXXVIII OCTOB. II.

animo Chriſtianorum fidelium. Quæ enim poteſt perfectior eſſe virtus, ut diligendo inimicos mereatur effici filius Dei, & dimittendo debito mereatur abſolvi à vinculo delictorum ſuorum? dicente Domino: *Si quis mihi miniſtrat, me ſequatur, & ubi ſum ego, illic & miniſter meus erit.* Qualem viam Dominus docuit ſequi, audi eum dicentem cùm ad Crucem iret, *Domine Pater, dimitte illis, quia neſciunt quid faciunt.* Si Auctor vitæ æternæ qui carnem de Virgine abſque peccati macula aſſumpſit, pro inimicis orabat; quanto magis nos qui pleni ſumus peccatis, oportet inimicos diligere, & orare pro eis, ut imitando Dominum & ſequendo illum, mereamur partem habere in regno illius cum Sanctis? Et ſi ſunt nonnulli quos perverſitas vitæ in communione à nobis ſeparabat, tamen in id quod conditi ſunt non ſunt odiendi, ſed potiùs propter præcepta Dei diligendi. Illud namque ſummopere cavendum eſt, ut quos Divina pietas de cura rerum temporalium liberavit, nullatenus nec corpore, nec animo revertantur: & ſi qua ſint quæ jure legitimo debentur, cum omni feſtinatione vendita aut data, vel etiam diſpenſata pauperibus, ad theſaurum regni cæleſtis & æternam beatitudinem animus incaleſcat. Huic exemplo Maria obſequens, quæ ſedebat ad pedes Domini, audiebat verbum illius: Martha autem ſatagebat circa frequens miniſterium. Quæ ſtetit & ait: Domine non eſt tibi curæ, quòd ſoror mea relinquit me ſolam miniſtrare, dic ergo illi ut me adjuvet, & reſpondens dixit illi Dominus: Martha, Martha ſollicita es, & turbaris erga plurima, porro unum eſt neceſſarium: Maria optimam partem elegit quæ non auferetur ab ea. Tanti amoris æſtu Maria intrinſecùs anhelabat, ut etiam à corporali miniſterio Domini vacaret, & ſolam ejus potentiam Deitatis, inquantum Dominus ei præſtabat, contemplaretur. Ideo oportet, ut quiſquis ad hanc contemplationem ſurgere meruerit; & malis impediatur obſtaculis, die ac nocte Pſalmis & Hymnis & Canticis ſpiritualibus vacans, & obedientiam SANCTÆ REGULÆ cuſtodiens, præſtoletur venientem Dominum accenſa lampade, ut cùm venerit & pulſaverit, confeſtim aperiatur ei. Nihil melius quàm timor Dei, nihil dulcius quàm reſpirare in mandatis ejus. O bona domina, quod tibi pius Dominus præparatum habet, nec oculus vidit, nec auris audivit, nec in cor hominis aſcendere poteſt. Qualiter in præſentem vitam te Dominus remuneravit, audi & auſculta. Pro obſequio famularum dedit tibi omnes Fratres ſanctos, qui cotidie pro te orant; pro ſervitio ancillarum dedit tibi Sorores ſanctas, quarum conſortio frueris; pro labore præſentis vitæ, quietem in congregatione Monaſterij; pro amiſſione rerum, Scripturam Divinam & meditationem Sanctam & orationem aſſiduam; pro amiſſione parentum, habes venerabilem & ſanctam Dominam ITHERIAM Abbatiſſam: eſt tibi mater, eſt tibi ſoror, eſt tibi filia. Tu itaque ei viciſſitudinem redde, quia, ut certus ſum in Chriſto JESU, eſt vobis cor unum & anima una. Ideo te confido ita omnia accepiſſe, quia non meis meritis, ſed ſolâ miſericordiâ Chriſti per tuam orationem & ſanctitatem omnia mihi à Chriſto collata ſunt. Fidelis ſermo & omni acceptione dignus, quia Chriſtus JESUS venit in hunc mundum peccatores ſalvos facere, quorum primus ego ſum, ſed ideo miſericordiam conſecutus ſum, ut in me clementiſſimus JESUS oſtenderet patientiam ſuam ad conſolationem omnium peccatorum & ſpem veniæ. Quòd minùs apud nos terrena habetur ſubſtantia, de theſauris ſacrarum Scripturarum vobis direximus: & cùm legeritis & audieritis, gratias agite Domino per ſæcula æterna, Amen.

Luc. 23. 34.

Luc. 10.

Ioh. 12. 26.

7. *Monaſterium Puellare S. Mariæ apud Sueſſionas Ordin. S. Benedicti, hactenus florentiſſimum, condidit Ebroinus cum* LEUTRUDE *uxore ſua & Bovone filio, primò quidem in angusto fluvij Axonæ meditullio extra urbem, poſtea intra ipſius urbis mœnia:* quo Monaſterio ita fundato, *inquit ſcriptor Vitæ S. Drauſcionis*, maximam ibi Sanctimonialium catervam aggregavit Drauſius, eiſque Abbatiſſam præfecit nomine ÆTHERIAM, (*à Leodegario ſuprà* ITHERIAM *dictam*) quam ex religioſo Jotrenſi Cœnobio ſibi adſciverat. *Exſtat apud Melchiorem Reginaldum in Compendio Hiſtor. Sueſſion. Privilegium eidem Monaſterio conceſſum à Drauſcione, prolixius apud Bollandum ad diem 5. Martij & in Addendis, datum* Auguſtæ Sueſſionum anno XIV. regni domini noſtri Chlotharij Regis, *in quo* ſecundum Regulam S. Benedicti, ad modum Luxovienſis Monaſterij quod B. Columbanus tenuit, *militare jubentur Puellæ Deo ſacratæ. Eandem Regulam Leodegarius ſuprà* Regulam ſanctam *appellat. Illuc ſucceſſerat Sigrada Leodegarij mater, antequam is ab Ebroino vexari cœperat: niſi ſi fortè eo loci ab Ebroino relegata, volens in vota religioſa conceſſit.*

IHS

VITA S. AMANDI EPISCOPI TRAJECTENSIS,

AN. CHR. DC. LXXIX. FEBR. VI.

Auctore BAUDEMUNDO Monacho Elnonenſi, æquali.

Ex Mſſ. codd. Surio & Bollando.

OBSERVATIONES PRÆVIÆ.

1. *SANCTVM* AMANDUM *jure Apoſtolum Gallo-Belgæ, Epiſcopum Trajectenſes ſeu (ut veteres libri pingunt) Trajectenſes vindicant; at Vormatienſes, Argentoratenſes perperam ſibi attribuere moliuntur, ſicuti eruditè demonſtrat Henſchenius. Habent quidem Vormatienſes inter Epiſcopos ſuos S. Amandum, qui teſtante Ægidio in Addit. ad Herigerum de Epiſc. Tungr. & Traject. cap. 26.* S. Servatum Tungrenſem Epiſcopum Wormatiæ appropinquantem ſuſcepit. *Et in Synodo Agrippinenſi anno* CCC. XLVI. *habita* Amandus Argentinenſium Epiſcopus *Euphratæ Epiſcopi Colonienſis damnationi conſenſiſſe legitur. At ſanè uterque terno ſæculo antiquior eſt noſtro Amando: qui etiam diſtingui debet ab Amando Burdigalenſi Antiſtite, ad quem S. Paulini Epiſtolæ aliquot directæ habentur. Quamquam Burdigalenſes multa debent Amando noſtro, qui Vaſconibus etiamtum Paganis Evangelium prædicâſſe legitur. Quod forſan occaſionem dedit Hiſpanis, ut eum Caſtellonenſem Epiſcopum fingerent: quos rectè refutat Henſchenius.* Amandus ubi Epiſcopus?

2. *Vitam S. Amandi Trajectenſis Epiſcopi primus ſcripſit* BAUDEMUNDUS *ejus diſcipulus, qui ipſius Amandi Teſtamentum à Philippo Abbate relatum manu propria ſcripſiſſe dicitur. Baudemundo ſupplementum & hiſtoriam Tranſlationis ac Elevationis adjecit, eamdémque Vitam quatuor libris metricè* ad Haiminum Abbatem Vedaſtinum *edidit* MILO *Monachus ac Sacerdos Elnonenſis, qui medio ſæculo nono vivebat, ut ex ſupplementi cap. 7. num. 22. & ex cap. 8. apparet. Tertio poſt ſæculo nimirum anno* M.C. LXX. PHILIPPUS Harvengius, *dictus* ab Eleëmoſyna, *Bonæ ſpei Abbas Ord. Præmonſtrat. Acta S. Amandi expolivit. Denique* Auctor quidam Aquitanus *Geſta* S. Alani (*ſic Amandum vocat*) *in compendium redegit, homo utique Vaurenſis civitatis incola, in qua S. Alanus Patronus colitur. Quatuor iſtas Vitas cum Herigeri fragmento edidit Iohannes Bollandus Tomo* I. *Febr. eáſque Godefridus Henſchenius eruditiſſimis commentariis illuſtravit: nos ſolum Baudemundum cum Milonis Supplemento exhibebimus, cum aliquot miraculis quæ per S. Amandi Reliquias per Galliam & Brachantum delatas patrata ſunt.* Vitæ Scriptores.

3. *E pluribus Cœnobiis à S. Amando conſtructis, celeberrimum eſt Elnonenſe ſeu Helnonenſe, quod & Pabularium vocant, nunc S. Amandi dictum, opido ejuſdem nominis decoratum, quo maximè delectatus eſt S. Amandus, ubi & ſepulturam elegit: cujus rei* Alcuinus *in Epigram. 65. fidem facit. Quo anno S. Amandus iſtius Monaſterij fundamenta poſuerit, non ſatis conſtat. Exſtat* DAGOBERTI *Francorum Regis diploma* anno regni XI. *hoc eſt anno Chriſti* DC. XXXII. *datum, quo* locum inter duos fluvios Scarp & Elnonem *Amando concedit: quam conceſſionem* MARTINUS *Papa confirmâſſe dicitur. Ex vicino fluviolo Cœnobium Elnonenſe appellatum.* JONAS *Monachus Bobienſis in Prologo Vitæ S. Columbani, quam anno tertio à morte S. Bertulfi, hoc eſt anno* DC. XLIII. *ſcribebat, Elnonem conventum à ſe Amandum teſtatur his verbis:* Quamquam me & per triennium Oceani per ora vehat & ſcabra lintris adacta, has quoque ſcatens molles ſectando vias madefacit ſæpe & lenta palus Elnonis plantas ob venerabilis AMANDI Pontificis ſuffragium, qui his conſtitutus in locis veteres Sicambrorum errores Evangelico mucrone coërcet. *Hinc colligas, Elnonenſe Monaſterium jam fuiſſe ante annos aliquot ædificatum, cujus primordia ad annum circà* DC. XXXV. *referimus. Locum ſic deſcribit Philippus Abbas in Vitæ cap. 7. n. 64.* Locus ipſe intra Menapiorum fines poſitus, Propontiis Nerviiſque conterminus, ſicut Regni Germanici & Romani finis eſt Imperij; ſic Belgicæ Remenſis portio, ſic limes dignoſcitur eſſe Francorum. Hic duobus in unum confluentibus fluviis Elnone & Scarpo ſpatioſus in medio diſtenditur angulus, circa quem fluentis irrigua prata, paſcualis ubertas & piſcatio fecunda porrigitur: dehinc apta venatibus ſilva receſſus productioris offertur. Gleba nec adprimè fertilis, nec jejuna, lactis & mellis copiam prærogat uſibus incolarum. Illic S. Amandus in honore Apoſtolorum Principis Petri fundavit Eccleſiam. *Grege multiplicato* novam à fundamentis in honore B. Andreæ Apoſtoli fabricari juſſit Eccleſiam. Elnonenſe Monaſterium.

4. *Iſtud Cœnobium per ſe aliquamdiu rexit S.* AMANDUS, *quod Romam iterum profecturus* Abbates.

AN. CHR. DC. LXXIX. FEBR. VI. S. JONATO *Abbati Marcianenſi commiſit. Cùm verò ſe jam morti proximum cerneret*, evocatum, *inquit Philippus cap.* 48. ad ſe venerabilem ANDREAM, quem Bariſiaco * priùs Abbatem præfecerat, conſtituit ſuper familiam ſuam. *Andreæ Epitaphium qui annis decem Amando ſupervixiſſe dicitur, ex Molano & Hiſtoria Tornacenſi ſic accipe:*

* *de eo in Supplem. c.* 1.

HUnc tumulum quique non irreverenter adite,
Andreæ Sancti loculum quia claudit & artus.
Qui pius & prudens, humilis fuit, & venerandi
Diſcipulus Patris ſimul & ſucceſſor Amandi.
Hunc Paſtor caulæ præſentis conditor aulæ *,
HUGO levans lymphâque luens thecâque recondens,
Mundato tumulo ſollemniter hîc relocavit.
Febre fatiſcentes hîc convaluêre frequenter.

* *nim. Eccleſiæ S. Stephani.*

Studia litterarum. 5. *Iſthic litterarum ſtudia antiquitus pro captu temporum viguiſſe manifeſtum eſt ex* MILONE & HUCBALDO *Monachis Elnonenſibus, quorum nonnulla exſtant opuſcula. Huc ſpectat id quod Iohannes Iperius in Chron. cap.* 19. *§.* 1. *refert de* BODULFO *Abbate Sithivenſi*, qui modicè litteratus ab Abbate S. Amandi Gauſcelino Monachum ejus HUCBALDUM virum litteratum impetravit ad ſe mitti, ut ab eo inſtrueretur. *Et §.* 2. conceſſit in præſtariam Hucbaldo Monacho de Monaſterio S. Amandi, qui eum inſtruxerat in litteratura, villam hujus Monaſterij (Sithivenſis) in pago Viromandenſi dictam Heldini-curtem cum villulis ad eam pertinentibus, tam pro temporalis ſolatio neceſſitatis, quàm pro mercede laboris. *Ejuſmodi donaria olim Præceptoribus erogabantur. Nam Sigebertus Monachus Gemblacenſis* multa ad uſum & ornatum Eccleſiæ, quæ adquiſierat voluntariâ eorum quos inſtruxerat liberalitate, conceſſiſſe *legitur in Chron. Gemblac. Tomo 6. Spicilegij Acheriani. Perſtat etiamnunc vigétque celeberrimum Elnonenſe S. Amandi Cœnobium Ord. S. Bened. diœceſis Tornacenſis, à fundamentis recens inſigni magnificentia inſtauratum. De Regula Benedictina primitùs inibi ſervata in Præfatione iſtius Sæculi diximus.*

Amandi memoria. 6. *S. Amandi memoriam celebrant antiqui Martyrologi Vſuardus & Ado* VIII. *Idus Februarij, quo die Florus in Addit. ad Bedæ Martyrologium hæc habet*: Elnone Monaſterio depoſitio S. Amandi Epiſc. qui multorum miraculorum virtutibus pollens, inter alia fertur, quòd reum cui ante mortem à ſævo judice vitam non potuit impetrare, poſt mortem à pio judice Chriſto vitam impetravit & ſalutem.

PROLOGUS AUCTORIS.

SCRIPTURUS vitam B. AMANDI, habitatorem ejus invoco Spiritum ſanctum, ut qui ejus virtutes largiri dignatus eſt, mihi etiam eas ſermonem tribuat narrandi: quatinus ex caritate veſtræ debitum ſervitutis impendam officium, & ne is lateat qui omnimodis eſt imitandus. Licet enim tanti ſim impar ingenij, atque nugacitatis vel deſidiæ pondere opprimar, ad illum tamen ſpem erigo qui dixit: *Aperi os tuum, & ego adimplebo illud:* maximéque veſtris fretus ſuffragiis, ut quod meis meritis obtinere non valeo, orante pro me Beatitudine veſtra, opus tam arduum atque difficile, à méque hactenus indiſcuſſum, ſuperna opitulante gratia poſſimus aggredi. Priùs enim ſcire vos cupio, me ad omnes virtutes quas per eum Dominus operari dignatus eſt, attingere minimè poſſe: & quamvis ad omnia illius pervenire nequeam, tamen prout Dominus vires infuderit, pauca è pluribus curſim ſuccinctéque &, ut ita dicam, breviter aggredi conabor. Indignum eſt enim ut de tanto viro ſilere quis audeat, dum pius rerum Arbiter talem in Eccleſiaſticæ culturæ campo cultorem inſtituit, per quem agrum ipſius intenta operatione fidei raſtro colenti ad centeni numeri reditum Chriſti ſeges excreſceret. Satis enim ſunt ſollicita circa humanum genus immenſæ Divinitatis proviſura remedia, dum talem ad illuminationem patriæ dignatus eſt dirigere miſericordia conſulente: & licet longè latéque ſe per rumigerulos favores divulgare noluerit; tamen, ut ait ipſa Veritas, civitas in monte poſita latere non potuit. Et (quod mihi pace Sanctorum omnium liceat confiteri) nulli eſt ſecundus in meritis eorum, quorum agnovimus virtutes. Igitur ne prolixa oratio horrorem incutiat generétque (ut aſſolet) legenti faſtidium, vitam S. Amandi qualiter à pueritia uſque ad perfectam

Pſal. 80. 11.

Matth. c. 14.

vixerat ætatem, qualitérve ante Episcopatum vel in Episcopatu gesserit, aut circa beatum finem qualis exstiterit, vel qualiter rigorem mentis atque propositum tenuerit, licet rustico ac plebeio sermone, propter exemplum tamen vel imitationem memoriæ contemptâ verecundiâ tradere curabo. AN. CHR. DC. LXXIX. FEBR. VI.

INCIPIUNT CAPITULA DE VITA VEL VIRTUTIBUS S. AMANDI EPISCOPI.

I. *De initio conversationis illius.*
II. *De serpente ex Oia insula orationibus illius fugato.*
III. *De responso ad patrem qui eum sæcularem rursus cogebat assumere habitum.*
IV. *De adventu ipsius ad sanctissimi Martini sepulchrum & de Clericatûs honore.*
V. *De eo quod civitatem Bituricas ad sanctum petiit Austrigisilum & de conversatione ejus.*
VI. *De abstinentia ipsius & qualiter Romam petiit.*
VII. *De eo quod sedente eo in extasi mentis ante fores Ecclesiæ subitò sanctus eum alloquitur.*
VIII. *De reversione ipsius in Gallias & de assumpto Episcopatu.*
IX. *De pueris emptis, & de institutione eorum.*
X. *De reversione ipsius à Roma, & de puero in Centum-cellensi loco à dæmone erepto.*
XI. *De tempestate in pelago orta, & oratione ipsius sedata.*
XII. *De eo quod in navi residens, sanctus eum alloquitur Petrus.*
XIII. *De pago cui vocabulum est Gandavus ab errore liberato.*
XIV. *De mortuo suscitato.*
XV. *De Fanis destructis & Gentilibus conversis atque baptizatis.*
XVI. *De eo quod prædicationis gratiâ ad Sclavos perrexit.*
XVII. *De eo quod Dagobertus Rex sancto Dei viro Amando petiit ut filium ejus de sacro exciperet fonte atque nutriret.*
XVIII. *De eo quod Ecclesiam Trajectensium ad regendum suscepit.*
XIX. *De Insula reperta & militatione ipsius in ea, & contemptoribus verbi Dei.*
XX. *De eo quod dum gentem Vasconorum verbum Domini admoneret ab eis repulsus sit, & de mimilogo à dæmone erepto.*
XXI. *De cæco ex aqua in qua vir Dei manus abluit illuminato.*
XXII. *De reversione ipsius in finibus Francorum cum Monachis, & de Cœnobio ædificato.*
XXIII. *De comitatu ipsius ad Childericum Regem & municipio imperato, & de Mummolo qualiter interficere eum voluit.*
XXIV. *De muliere cæca in pago Belvacensi illuminata & destructo fano.*
XXV. *De Monacho propter inobedientiam dissoluto paralysi & oratione ipsius sanato.*
XXVI. *De obitu vel sepultura ipsius atque virtutibus reliquis.*

SEQUUNTUR TITULI SERMONUM DE GESTIS ET LAUDE IPSIUS.

I. *Vppletio quæ addita est libello vitæ sancti Amandi à* MILONE *Monacho & Sacerdote Cœnobij ipsius.*
II. *Exemplar Epistolæ* MARTINI *Papæ.*
III. *Titulus de obitu Amandi Episcopi.*
IV. *Argumentum quo tempore beatus Christi Confessor Amandus vel natus vel defunctus sit.*
V. *Sermo legendus in Transitu sive in Depositione ipsius quæ est* VIII. *Idus Februarij.* Omissus.
VI. *Qualiter corpus beati Amandi in loco quo nunc requiescit fuerit translatum* VII. *Kalend. Novembris.*
VII. *Sermo de elevatione corporis ipsius quæ facta est à Lothario custode duodecimo Kalend. Octobris.*
VIII. *De igne cælesti in memoriam ipsius Divina virtute mirabiliter accenso.*

INCIPIT VITA.

AN. CHR. DC. LXXIX. FEBR. VI.

I. AMANDUS igitur ſanctiſſimus atque religioſiſſimus Aquitaniæ partibus [a] haud procul à maris Oceani litore ex Chriſtianis atque inclytis parentibus editus puer eſt. Pater ejus SERENUS nomine, genitrix verò AMANTIA vocabatur. Sed cùm jam adoleſcentiam tranſiens in robur migraret virile, & immodicis deſideriis in Chriſti flagraret amore, patriam parentéſque relinquens, Oïam inſulam quæ à litore Oceani maris quadraginta diſtat millibus felici navigans curſu, tandem portum Monaſterij [b] petiit, ibíque à Fratribus ſpiritalibus cum magno receptus eſt gaudio. Et quia ſacras ab infantia didicerat litteras, ex hoc majori deſiderio ſuccenſus, ampliùs quotidie in Dei rebus creſcebat.

II. Quadam igitur die dum ei à Fratribus imperatum fuiſſet, ut obedientiæ causâ per inſulam deambularet, fit ei obviàm repentè miræ magnitudinis ſerpens, ſicut iſdem vir Dei narrare conſueverat, ita ingens & immanis, qualis nec pòſt, nec antea in eadem viſus eſt inſula: quo viſo perterritus puer, ſicut ipſa patiebatur ætas, quid ageret ignorabat. Tum ſubitò ſupernâ reſpectus gratiâ ad orationum confugit auxilia; ſtatímque ſolo proſtratus, cùm aliquantiſper orationi incubuiſſet, ſignum Crucis contra immanem oppoſuit anguem, potentíque virtute verborum ut ad latebras quantociùs rediret imperat. Qui dicto obediens atque ad ſignum viri Dei fugiens, rapidóque curſu ad latebras remeans, in eadem inſula ulteriùs nuſquam comparuit: ſícque eamdem inſulam per orationem B. viri Amandi omnipotens Deus ab imminenti liberavit periculo. Hoc initium ſignorum ejus ad nos multorum fama volante perlatum eſt.

III. Deinde* cœpit pater ejus blandis eum ſermonibus irretire, ut quantociùs de Monaſterio egrederetur & rurſus ſæcularem aſſumeret habitum. Cúmque his atque hujuſcemodi perſuaſionibus animum illius conaretur avertere, obteſtans niſi citiùs aſſenſum daret ut de Monaſterio egrederetur, jam paterna privaretur hereditate; reſpondiſſe fertur: Nihil mihi Pater tam proprium videtur, quàm ut Chriſti aſſumam ſervitium qui eſt pars & hereditas mea. De paternis enim ſubſtantiis nihil adipiſci cupio: ſolummodo Chriſti militem me permitte.

* *Bolland. addit*, cùm adhuc in puerili eſſet ætate.

IV. Sícque in eodem permanens deſiderio, relicto ſolo parentibúſque Turonos ad ſepulcrum ſanctiſſimi petiit Martini, ibíque proſtratus, & profuſis in oratione uberrimè lacrymis, ex toto cordis petiit affectu, quatinus vir ſanctus in oratione ſua apud Deum obtinere mereretur, ut numquam eum Dominus ad ſolum proprium remeare permitteret, ſed omnem vitæ ſuæ curſum in peregrinatione expenderet. Cúmque ab oratione ſurrexiſſet, ſtatim comam capitis ſui abſcidit; adeptúſque Clericatûs honorem, omnem gratiam tranſſcendebat in Clero.

V. Poſthæc verò ab Abbate ipſius loci & à Fratribus benedictione percepta, civitatem Biturigas ad ſanctum petiit AUSTREGISILUM,* qui tunc in Dei rebus magnificus atque inſignis habebatur. Cúmque ab eo & ab ejus Archidiacono ſanctiſſimo videlicet SULPICIO * qui poſtea Epiſcopus claruit, clementiſſimè fuiſſet ſuſceptus * omni ei humanitate exhibita, cellulam juxta Eccleſiam in ſuperiori civitatis muro conſtrui fecerunt: in qua cellula multis diebus ob amorem

* *Vita an.* 624.

* *Vita an.* 644.

* *Anno circà* DC. XII.

a Milo Monachus in Suppl. cap. 4. infrà Amandum *in provincia Aquitanorum & pago Herbatilico* natum dicit: Et Philippus Abbas; *Herbatilicus*, inquit, *loco nomen eſt, qui titulo nativitatis ejus inſignis, ſicut ab Oceano non plurimùm diſtat, ſic Aquitanica collimitat regioni.* Immo olim Aquitaniæ ſecundæ attribuebatur pagus ille Herbadilicus, vulgò *Herbauge*, in agro Namnetenſi, Comitatûs titulo inſignis; nunc Britanniæ Armoricæ adjunctus. In eo exſtitit quondã urbs Herbadilla terræ hiatu (ſicuti fertur) abſorpta. Lege Acta S. Mirtini Abb. Vertavenſis Sæculo 1. Bened. In Martyrologio pervetuſto Abbatiæ S. Martini Tornacenſis, Amandi *Nativitas Nonis Maij* commemoratur, anno circà D. XXCIX. collocanda ex dicendis infrà.

b Inſula Oïa, ſeu Ogia, *Oye*, in finibus Pictonum è regione Rupellæ poſita, inſulæ Reaco ſeu S. Martini vicina, pertinet ad Monaſterium S Michaëlis in Eremo, quod Anſoaldus Pictavorum Epiſcopus ædificâſſe legitur in Chronico Malleacenſi ad ann. 877. *Eblus* verò Lemovicenſis Epiſcopus poſt Normannorum cladem reſtaurâſſe in Chronico Ademari ad ann. 917. Eſt & terræ angulus Ogia dictus in Flandria in Oceani Britannici litore inter Caletum & Gravelingam: & inſula Ogia in diœceſi Trecaſſina Briegio pago confinis.

æternæ

æternæ vitæ cilicio tectus & cinere, jejuniis attritus atque inedia, hordeaceo tantùm pane contentus atque aqua perpaullulùm, corpus ſuum ſuſtentavit potiùs quàm aluit: ſícque ibidem tribus fermè militans luſtris, à vino & ſicera omnino abſtinuit. AN. CHR. DC. LXXIX. FEBR. VI.

VI. His ita geſtis, cæleſti iterum inflammatus deſiderio, incidit ei cogitatio, ut ad limina beatiſſimorum Apoſtolorum Petri & Pauli properare deberet: aſſumptóque ſecum uno tantummodo comite, ſqualida atque devia luſtrans loca, tandem Romam pervenit, ibíque ſancto ſatiatus deſiderio, prædulcia in liminibus Apoſtolorum figens oſcula, diebus Eccleſiarum Dei circumibat loca, nocte verò ad S. Petri revertebatur Eccleſiam.

VII. Quadam namque die jam appropinquante veſpera, cùm cuſtodes juxta morem in Eccleſia feciſſent diligentiam, ſanctus vir Domini Amandus egredientibus cunctis, in Eccleſia paullulùm ſubſtitit, ibi ex devotione tota nocte vigilare cupiens: tum verò unus è cuſtodibus eum inventum contemptibiliter affectum injuriis ejecit extra Eccleſiam. Sedente autem eo in extaſi mentis in gradibus ante fores Eccleſiæ, ſubitò ei ſanctus apparuit Petrus, blandè lenitérque eum alloquitur, ut etiam in Gallias ad prædicationem exercendam reverti deberet admonuit. De qua viſione ſanctus vir Dei Amandus hilarior redditus, accepta benedictione Apoſtoli atque patrocinio feliciter remeavit in Gallias.

VIII. Cùm interim paucis pòſt tranſactis diebus coactus à Rege ac Sacerdotibus Epiſcopus ordinatus eſt[a], acceptóque Pontificatûs honore Gentibus[b] verbum Evangelizare cœpit Domini, atque ſeipſum in omnibus exemplũ præbere bonorum operum. Erat autem piiſſimus, atque omni bonitate repletus, vultu ſerenus, eleemoſynis largus, ſenſu ſobrius, corpore caſtus, atque inter divites & pauperes medius: itaut pauperes illum quaſi pauperem adſpicerent, divites quaſi ſuperiorem ſe æſtimarent. Vigiliis atque orationi deditus, ſermone cautus, ſi quos etiam captivos vel pueros tranſmarinos inveniſſet, dato pretio redimebat, ſpiritalíque eos regenerans lavacro, litteris affatim imbui præcipiebat: præmiſſáque libertate per diverſas relinquebat * Eccleſias, pluréſque ex his poſtea Epiſcopos vel Preſbyteros ſeu honorificos Abbates fuiſſe audivimus.

a
b
Anno circ. DC. XXVI.

* *al.* diſtribuebat.

IX. Illud etiam non eſt prætermittendum, quòd iſdem vir Dei Amandus à Roma ſecundò[c] rediens, aſſcenſa nave pervenit ad Centumcellenſem * locum. Quadam igitur nocte dum ſolus, ut illi mos erat, oraret, immundus ſpiritus unum è famulis apprehenſa manu trahebat ad mare, volens eum ibi demergi. Sed iſdem puer qui trahebatur magnis cœpit vocibus clamare dicens: Chriſte adjuva me, Chriſte adjuva me. Mox malignus ſpiritus eidem puero inſultando reſpondit: Qualis Chriſtus? Sed dum puer qui trahebatur minimè reſponderet, ait illi ſanctus Amandus: Dic illi, fili, Chriſtus filius Dei vivi crucifixus. Statímque ad vocem illius inimicus ut fumus evanuit.

c
* *Cincelle* Hetruriæ portus.

X. Nec multo pòſt cùm quadam die per medium pelagus navigaret, nautáſque verbum moneret Domini, ſubitò apparuit illis miræ magnitudinis piſcis. Nautæ verò miſſo in pelagus rete, eumdem piſcem ceperunt. Cúmque epularentur mutuíſque plauſibus exſultarent, ſubitò inopinata tempeſtas eſt orta, quæ omne eorum gaudium in luctum convertit. Cœperunt autem quidquid in navi habebant tam ad ſtipendium cibi, quàm ad omne ſubſidium, vel etiam arma-

a Amandus ordinatus eſt Epiſcopus, Regionarius ſcilicet, jubente Rege CHLOTHARIO, uti deſignat Philippus Abbas, & quidem anno circà DC. XXVI. *Ordinatio S. Amandi* in nonnullis Martyrologiis VII. *Kalend. Novemb.* recolitur. Lege Milonis Suppl. cap. 1.

b Nimirum Tornacenſibus, Gandenſibus, poſtea Brabantiis, Sclavis & Vaſconibus. S. Audoënus in Vitæ S. Eligij lib. 2. cap. 2. Tornacenſes, Flandrenſes, Gandenſes & Corturiacenſes Eligio Noviomagenſi Epiſcopo ideo attributos dicit, *quòd incola ejuſdem regionis magna adhuc ex parte gentilitatis errore detinebantur, & variis ſuperſtitionibus ſatis dediti erant: quique velut agreſtes feræ, nullumſpiam ſalutare verbum recipere poterant*

c Philippus Abbas triplicem Amando peregrinationem Romanam tribuit, quas peregrinationes Henſchenius revocat ad annos DC. XXVII. XXX. & I. Duplicem tantùm agnoſcere videtur Baudemundus: primam anno circà DC. XXVI. alteram anno DC. LII. cum Carolo *le Cointe* reponimus. Certè Milo in Vita metricè ſcripta binas tantùm Amandi profectiones Romanas agnoſcit.

AN. CHR. DC. LXXIX. FEBR. VI.

menta navis in pelagus projicere, vehementérque labori inſiſtere, ut ad terras egrederentur : ſed nihil omnino proficere valebant. Navis verò quaſſata huc illúcque ferebatur, atque omnes de vita ſpem nullam habentes reddiderat : ſtatimque nautæ ad ſervum Dei concurrerunt Amandum, rogantes ut Dominum deprecaretur, quatinus eos per orationem ipſius de imminente liberaret periculo. Vir namque Domini Amandus blandè eos conſolatus confidere juſſit, & ut de Domini miſericordia fiduciam haberent fideliter admonuit. Nautæ verò nimio feſſi labore huc illúcque in navi jacebant ſopore depreſſi : ipſe etiam Sanctus in puppi navis reſidens quieſcebat. Tum ei ex improviſu ſanctus apparuit Petrus tranſiens per puppim navis, excitánſque eum ac blanditer alloquens ait : Noli timere Amande, non peribis, neque qui tecum ſunt. Mox verò ad verbum illius ſedata tempeſtate, tranquillitas reddita eſt magna, & facto mane, omnes qui in navi cum viro Dei erant, ſani atque incolumes ad terras egreſſi ſunt.

XI.

Per idem autem tempus cùm loca vel diœceſes ob animarum ſollicitudinem vir Domini circumiret Amandus, audivit pagum eſſe quemdam præter fluenta * *l'Eſcaut* Scaldi * fluvij, cui vocabulum eſt Gandavum *, cujus loci habitatores iniquitas * *Gant* diaboli eo circumquaque laqueis vehementer irretivit, ut incolæ terræ illius relicto Deo arbores & ligna pro Deo colerent, atque fana vel idola adorarent. Propter ferocitatem enim gentis illius, vel ob terræ infecunditatem omnes Sacerdotes à prædicatione loci illius ſe ſubtraxerant, & nemo audebat in eodem loco verbum annuntiare Domini. Quo audito vir ſanctus magis eorum miſeratus errorem, quàm de vitæ ſuæ periculo pertimeſcens, AICHARIUM Epiſcopum, qui tunc Noviomenſis urbis Cathedram præſidebat Sacerdotalem, adiit, eumdémque humiliter poſtulavit, ut ad Regem DAGOBERTUM quantociùs pergeret, epiſtoláſque ex juſſu illius acciperet, ut ſi quis ſe non ſponte per Baptiſmi lavacrum regenerare voluiſſet, coactus à Rege ſacro ablueretur Baptiſmate. Quod ita factum eſt [a]. Percepta namque à Rege poteſtate & benedictione à Pontifice illuc vir Domini Amandus perrexit intrepidè. Vix enim quis dignè enarrare ſufficiet, quantas ibidem pro Chriſti nomine perpeſſus ſit injurias, & quàm frequenter ab incolis loci illius cæſus ſit, necnon & à mulieribus vel à ruſticis non abſque injuria ſit repulſus, verùm & in flumen ſæpe præcipitatus : quæ omnia vir ſanctus pro nihilo deputans, verbum Domini non deſtitit monere, memorans *Iohan. 15. 13.* illam ſancti Evangelij ſententiam quæ ait : *Majorem caritatem nemo habet, quàm ut animam ſuam ponat quis pro amicis ſuis.* Comites etiam illius qui eum fuerant germana caritate ſecuti, ob inediam vel ſterilitatem loci ad propria remeantes, eum ibidem ſolum reliquerunt : ipſe verò in prædicationis permanens officium, alimentum propriis adquirebat manibus. Sanè captivos innumeros redimens ſacro baptiſmate emundabat, & ut in operibus bonis perſiſterent, fideliter hortabatur.

a

XII. Auctoris ætas.

Illud etiam operæ pretium huic ſchedulæ annectendum putavimus, quod viro venerabili Preſbytero nomine BONO narrante didicimus, qui teſtabatur ſe præſentem fuiſſe, quando hæc geſta res eſt. Aiebat namque quòd Comes quidam ex genere Francorum cognomine DOTTO, congregata non minima multitudine * *Tournay* Francorum in urbe Tornaco *, ut erat illi injunctum ad dirimendas reſederat actiones. Tum ſubitò à lictoribus ante eum præſentatus eſt quidam reus, quem omnis turba acclamabat dignum eſſe morte. Erat namque iſdem fur, plagis jam crudeliter affectus vehementérque cæſus, corpore etiam ſemivivus. Cúmque præfatus Dotto decreviſſet, ut eum patibulo deberent affigere; vir Domini Amandus adveniens obnixa prece poſtulare cœpit, ut ei vitam concedere dignaretur.

a Id etiam præſtitit Chilpericus in Francia teſte Gregorio Turonico Epiſcopo in lib. 6. cap. 17. & Siſebutus Veſigothorum Rex in Hiſpania, lege data ut Judæus Baptiſmum recuſans, *centum flagella decalvatus ſuſcipiat, & debitâ multetur exſilij pœnâ.* Quamquam Gregorius Magnus in lib. 1. Epiſt. 45. ad Virgilium Arelatenſem & Theodorum Maſſilienſem Epiſcopos *prædicationis ſuavitate, non neceſſitate* id faciendum monet. Lege Fredegarium in Chron. cap 65. & Aimoinum Hiſt. lib. 4. cap. 22. Hæc quæſtio à duobus magni nominis Theologis in Gallia nuperrimè ventilata eſt.

Sed ut erat sævus atque omni bellua crudelior, nihil apud eum obtinere potuit. Tandémque à ministris vel apparitoribus isdem furaffixus patibulo est, atque extremum exhalavit spiritum. Dotto igitur domum reversus est populi constipatus catervâ: Sanctus verò vir Domini Amandus citiùs ad patibulum cucurrit, hominémque jam mortuum invenit, depositúmque de ligno ad cubiculum in quo familiariter orare consueverat deferri fecit, Fratribúsque cellulâ egressis, ipse super defuncti membra orationi tamdiu incubuit lacrymis ad Dominum profusis ac precibus, donec jubente Deo anima in corpus rediit, atque cum viro Dei loqui cœpit. Adveniente itaque matutinali tempore, convocatis Fratribus aquam jussit afferri, illis autem suspicantibus ut corpus ad sepeliendum, sicut mos est, abluere deberet; subitò cellulam ingressi viderunt eumdem hominem quem mortuum reliquerant, sanum cum viro Dei sedentem atque incolumem colloquentem: mirarique vehementer cœperunt, quòd vivum videbant, quem paullò antè mortuum reliquerant. Tunc igitur sanctus vir Domini Amandus adsistentes cunctos vehementissimè obtestari cœpit, ut ne cuiquam umquam proderent hoc videlicet quod per eum Dominus operari dignatus est, asserens non suæ hoc esse adscribendum virtuti, sed misericordiæ Domini, qui in se sperantibus ubique dignatur adesse. Loto itaque omni corpore atque cicatricibus, carni carnem restituit, itaut de plagis quas antea pertulerat, in ejus corpore nullum indicium appareret: sicque eum ad propriam remittens domum, parentibus restituit incolumem. AN. CHR. DC. LXXIX. FEBR. VI.

XIII. At ubi hoc miraculum longè latéque divulgatum est, statim incolæ regionis illius cursu celeri ad eum concurrerunt, & ut eos faceret Christianos humiliter postulabant. Fana etiam quæ antè adorare consueverant propriis destruentes manibus, ad virum Dei omnes unanimiter pervenerunt. Nam ubi Fana destruebantur, vir Domini Amandus tam ex munificentia Regis, quàm ex collatione religiosorum virorum religiosarúmque feminarum, statim Monasteria * aut Ecclesias constituebat: verbíque sacri pabulo populum reficiens, omnium corda mandatis cælestibus illuminabat. * *Lege Milonis supplementum infrà.*

XIV. Cùm jam vir sanctus videret prædicatione sua quosdam ad Deum converti, ex hoc majori æstuabat desiderio, quatinus adhuc alii converterentur. Audivit denique quòd Sclavi nimio errore decepti à diaboli laqueis tenerentur oppressi: illúcque martyrii palmam se assequi posse confidens, transfretato Danubio eadem circumiens loca, libera voce Evangelium Christi Gentibus prædicat. Paucis verò ex eis in Christo regeneratis, videns etiam sibi non satis accrescere fructum, & martyrium quod semper quærebat nondum adepturum, ad proprias iterum reversus est oves: curámque gerens earum, ad cælestia regna prædicando perduxit.

XV. Interea DAGOBERTUS Rex amori mulierum pluſquam oportebat deditus, omníque spurcitia libidinis inflammatus, sobolem minimè videbatur habere, sed tamen ad Domini confugit auxilium, deprecabatúrque sedulò, ut ei filium dare dignaretur, qui post eum Regni sui gubernaret sceptra. Quod ita dante Deo factum est. Cúmque sibi nuntiatum fuisset quòd ei Dominus filium dare dignatus esset, magno mox gaudio repletus cœpit cogitare cui ipsum puerum traderet, qui eum sacro Baptismate regenerare deberet. Statímque accersitis ministris, ut sanctum perquirerent Amandum sagaci intentione præcepit. Nam dudum ipse Pontifex dum pro capitalibus criminibus (quod nullus ex Sacerdotibus facere ausus est) ipsum redargueret Regem, jubente eo non absque injuria de Regno ejus fuerat expulsus. Ille verò remotiora perquirens loca, verbum Dei Gentibus prædicabat.

XVI. Cúmque à ministris tandem fuisset repertus, & ut ad Regem iret admonitus, memorans illud Apostoli præceptum, potestatibus sublimioribus se subdi debere, tandem pervenit ad Regem qui in illis diebus in villa cui vocabulum Clipiaco* est morabatur: visóque Rex beatissimo Amando, magno repletus est gaudio, *Rom.* 13. 1 * *Clichy in agro Parisiaco.*

AN. CHR. DC. LXXIX. FEFR. VI. proſtratúſque beati viri pedibus, deprecabatur, ut tanto ſceleri quod in eum perpetraverat, veniam largiri dignaretur. Sed ille ut erat mitiſſimus atque ſupra modum patiens, citiùs eum elevavit à terra, facinúſque in ſe perpetratum clementiſſimè indulſit. Tunc Rex ad ſanctum ait Amandum: Pœnitet me valde quòd ſtultè adverſus te egerim: precor igitur ne memineris injuriæ quam tibi irrogavi, atque precimeæ qua ſummoperè poſtulo ne dedigneris annuere. Dedit mihi Dominus filium non meis præcedentibus meritis, precórque ut eum ſacro digneris abluere Baptiſmate, atque in filium tibi ſpiritalem ſuſcipere. Quod vir Domini vehementer renuens, ſcilicet ſciens eſſe ſcriptum, militantem Deo
1. *Tim.* 2. 4. non oportere implicari ſæcularibus negotiis, & quietum atque remotum palatia non debere frequentare Regia; è conſpectu Regis abſceſſit. Statim igitur Rex miſit ad eum virum illuſtrem DADONEM atque cum eo venerabilem virum ELEGIUM, qui tunc in palatio Regis ſub ſæculari degebant habitu: quos tamen poſteà egregios Sacerdotes atque præclaros in meritis, ſignis quoque atque virtutibus fuiſſe, plurimis compertum eſt. Hi verò humiliter virum Dei petierunt, ut precibus Regis daret aſſenſum, atque filium ipſius ſacro dignaretur diluere fonte, & ut eum enutrire atque lege imbuere Divina quantociùs aſſentiret: dicētes quòd ſi hoc vir Dei non renueret, per hanc familiaritatem liberiùs in Regno ipſius vel ubicumque eligeret, haberet licentiam prædicandi, ſeu nationes quamplures per hanc gratiam ſe poſſe conquirere fatebantur. Tandem fatigatus precibus amborum, facturum ſe eſſe promiſit. Audiens autem Rex quòd precibus ſuis Sanctus non renueret Amandus, ſtatim puerum ipſum afferri [a] præcepit, qui fatebatur non plus à nativitate habere quàm dies circiter quadraginta. Accepit igitur vir ſanctus in manibus puerum, & benedicens eum Cathecumenum fecit. Cúmque finita oratione nemo ex circumſtante multitudine reſpondiſſet, Amen; aperuit Dominus os pueri, atque audientibus cunctis clara voce reſpondit, Amen: ſtatímque eum regenerans ſacro Baptiſmate, impoſitóque nomine SIGEBERTO, Regem atque omnem ejus exercitum S. Amandus magno replevit gaudio.

XVII. *b* His ita geſtis[b], adveniente obitûs ſui die, Trajectenſium Epiſcopus feliciter migravit ad Dominum. Rex igitur hujus venerabilis viri comperiens obitum, ſanctum accerſire fecit Amandum, congregatáque multitudine Sacerdotum, populíque turba non modica, ad regendam Trajectenſium Eccleſiam eum præpoſuit. Illo verò renuente atque ſe indignum vociferante, omnes una voce clamabant dignum eum eſſe Sacerdotio, atque ob animarum ſollicitudinem Eccleſiam magis quàm pecuniæ quæſtum debere ſuſcipere. Coactus igitur à Rege ac Sacerdotibus, Pontificalem ſuſcepit Cathedram: ſícque per triennium fere vicos vel caſtra circumiens, verbum Domini conſtanter omnibus prædicavit. Multi etiam (quod dictu quoque nefas eſt) Sacerdotes atque Levitæ prædicationem illius reſpuentes audire contempſerunt: at ille ſecundum Evangelii præceptum, pulverem de pedibus in teſtimonium excutiens, ad alia properabat loca.

XVIII. *c* Igitur tandem parvam reperiens inſulam cui vocabulum eſt Canelaus[c], juxta Scaldum fluvium, aliquantis diebus cum Fratribus ſpiritalibus ibidem Chriſto militare ſtuduit; ſed verbi Dei contemptores per biennium fere ingens attrivit plaga, itaut everſæ domus & agri in ſolitudinem eſſent redacti, necnon etiam vi-

a Nempe in civitatem Aurelianorum, ubi Charibertus Sigibertum *de ſancto lavacro excepiſſe* legitur apud Fredegarium in Chron. cap. 62. & quidem regni Dagoberti anno VIII. qui anno Chriſti DC. XXX. reſpondet.

b Poſt Baptiſmum Sigiberti non continuò Amandus Trajectenſium Epiſcopus creatus eſt: ſed inter utrumque factum, fere ſeptemdecim annorum ſpatium interceſſit. Quippe Johanni Agno ſucceſſit Amandus anno circa DC. XLVII. cùm anno regiminis Trajectenſis tertio inviſerit Martinum Pontificem Romanum, qui anno DC. XLIX. ſedere cœpit. Porrò Trajectum civitas ad Moſam, vulgò *Maeſtrich*, quam Amandus per tres annos rexit, diſtinguenda eſt ab alia cognomine, *Virech* vernaculè dicta, quæ Trajectum infetius dicitur, ad Rhenum ſita. De Remaclo S. Amandi in Sede Trajectenſi ſucceſſore ſuprà ad an. 664.

c Al. Chavelaus, vulgò *Calloo*, inſula Friſiis adjuncta in Scaldis fluvij æſtuariis.

ci vel caſtra deſtruerentur, nullúſque pæne in his regionibus remaneret, qui virum Dei contempſerat prædicantem. AN. CHR. DC. LXXIX. FEBR. VI.

Nec multo pòſt, cùm à Fratribus, quos ob animarum curam per diverſa reliquerat loca rogaretur, ut eos præſentiâ ſuâ viſitaret, & ut verbi ſacri pabulo reficere dignaretur; tandem prece accepta pervenit ad eos, audivítque ab eis gentem quamdam quam Vacceïam[a] appellavit antiquitas, quæ nunc vulgò nuncupatur Waſconia, nimis errore deceptam, itaut auguriis vel omni errori dedita, idola etiam pro Deo coleret. Quæ gens erga Pyreneos ſaltus per aſpera atque inacceſſibilia diffuſa erat loca, fretáque agilitate pugnandi frequenter fines occupabat Francorum. Vir autem Domini Amandus eorum miſeratus errorem, enixè elaborare cœpit, ut eos à diaboli revocaret ſervitio. Dum autem eis verbum prædicaret Divinum atque Evangelium annunciaret ſalutis, unus è miniſtris aſſurgens levis ac lubricus, necnon & ſuperbus, atque etiam apta cachinnans riſui verba, quem vulgus mimilogum vocat, ſervum Chriſti detrahere cœpit, Evangeliúmque quod prædicabat pro nihilo ducere. Sed eadem mox horâ arreptus à dæmone miſer propriis ſe cœpit manibus laniare, atque publicè confiteri, quòd ob injuriam quam Dei irrogaverat ſervo, hæc perpeti mereretur: ſícque in ipſo conſtitutus tormento, ſpiritũ exhalavit extremum. a

XIX.

Illis autem adhuc in eorum cæcitate permanentibus, dum vir ſanctus ad alia demigraret loca, pervenit ad civitatem quamdam: ubi cùm ab Epiſcopo civitatis illius honorificè fuiſſet ſuſceptus, & ei hoſpitalitatis more Epiſcopus aquam in manibus funderet, ſecretiùs præcepit miniſtro, ut eamdem aquam in qua vir Dei abluerat manus, diligenter in ſacrario Eccleſiæ cuſtodiendam deportaret. Quod ita factum eſt. Præfatus namque civitatis Antiſtes ſatis fidens exſtitit, quòd eadem viri Dei benedictio ſalutem Fidelibus reſtituere poſſet. XX.

Eodem quoque tempore homo quidam cæcus ſedebat ante fores Templi mendicans, qui multo jam tempore corporalem amiſerat viſum. Ad quem civitatis ipſius Epiſcopus ait: O homo, ſi habes fidem, ablue oculos tuos ex aqua in qua vir Dei Amandus abluit manus: confido enim, quòd per ipſius ſanctitatem priſtinam conſequaris ſalutem. Cúmque iſdem cæcus oculos ex eadem aqua abluiſſet, ſtatim jubente Deo priſtinum recepit viſum, itaut omnia clarè videret. His ita peractis, iſdem vir Domini Amandus in fines remeavit Francorum, elegítque ſibi locum prædicationi aptum, in quo cum Fratribus qui cum eo per diverſas provincias, multas pro nomine Chriſti perpeſſi fuerant paſſiones, ædificavit Cœnobium[b], atque ex eiſdem Fratribus plures poſtea Abbates ſeu honorificos vidimus viros. XXI. b

Eodem ferè tempore vir ſanctus Domini Amandus HILDERICUM adiit Regem, eúmque humiliter poſtulavit, quatinus ei aliquod municipium ad conſtruendum Monaſterium non ambitionis gratiâ, ſed ob animarum ſalutem largiri dignaretur. Deditque præfatus Rex ei locum nuncupante Nanto[c], XXII.

a Hadrianus Valeſius in rer. Franc. lib. 19. arguit erroris Baudemundum, Iſidorum Hiſpalenſem Epiſcopum, Audoënum & Fredegarium, Vaſcones antiquiùs Vaccæos dictos eſſe ſcribentes: quòd Vaccæi gens Hiſpaniæ Tarracon. Durij amnis accola, longè à Pyrenæo Vaſconibúſq; abſit. Lege Act. S. Rictrudis infrà.

b Henſchenius conjectat, Monaſterium hîc memoratum haud aliud eſſe quàm Cœnobium in agro Borbonio conditum ad Carim fluvium, ubi nunc opidum S. Amandi & Prioratus Priori de Monteto ſeu Monticulo-Monachorum diœceſis Claromontanæ ſubjectus. At certè ut Monaſteriũ illud Amando ſuam debeat originem; non viderur tam celebre fuiſſe, ut ex eo *plures Abbates & honorifici viri* aſſumpti ſint. Credibile eſt hîc deſignari Cœnobium Elnonenſe, quod quidem antea ab Amando fuerat ædificatum, ſed tum ab ipſo ob prædicationis opportunitatem habitationis gratiâ aliis Monaſteriis prælatum. Certè Philippus Abbas in cap. 7. expoſitioni noſtræ omnino favet, & Monaſterium Elnonenſe *in limite Francorum* locat, uti Baudemundus paullo ſuperiùs dicit, Amandum *in fines remeaſſe Francorum*.

c Exſtat etiamnunc iſtud Monaſterium Nantenſe dictum Ord. S. Bened. in diœceſi Vaurenſi, à nonnullis perperàm confuſum cum Cœnobio Nantua ſeu Nantuaco in Bugeſio diœceſis Lugdunenſis, nunc Prioratu Congregationis Cluniacenſis: cujus Nantuaci Cœnobij primordia, nominis Nantenſis ſimilitudine, Amando auctori malè affinguntur. Quæ hîc de Nanto prædio à Childerico donato, & Monaſterio inibi ædificato narrantur, paullo aliter in alia Vita breviori Scriptoris Aquitanici, qui Amandum vocat ALANUM, referuntur his verbis: S. ALANUS *impetravit à Rege Sigeberto* (hîc Childerico) *locum unum in Gallia qui dicitur* VAURUM *& ibi Cœnobium ædificavit. Sed Epiſcopus proximæ civitatis hoc moleſtè gerens, juſſit famulis ſuis, ut inde eum ejicerent aut certè occiderent*, & cetera quæ hîc commemorantur. S. Alanum ſeu Amandum Patronum agnoſcit Eccleſia Vaurenſis, *la Vaure*, nunc civitas Epiſcopalis ſub Metropoli Narbonenſi ad Agotum fluvium.

AN. CHR. DC LXXIX. FEBR. VI.

in quo vir Domini ſagaci intentione cœpit ædificare Cœnobium. Mummulus[a] quidam autem Ozindiſis urbis Antiſtes valde ferebat moleſtè, quòd iſdem vir Domini eumdem locum impetraverat à Rege, invidiæque facibus accenſus, eumdem virum Domini exſtinguere conabatur: miſsíſque agilibus viris, juſſit ut eumdē virum Dei à loco ipſo contemptibiliter injuriis affectum ejicerent, aut certè in eodem punirent loco. Venientéſque ad eum miniſtri, ſimulato dolo dixerunt quòd ei locum aptum ad conſtruendum Monaſterium oſtendere deberent: tantummodo cum illis illuc properare deberet. Sed eorum fallacia revelante Deo latêre non potuit. Cúmque eum ad prædictum locum ducere ſimularent, non inſcius vir Domini Amandus quo eum in loco interimere diſponerent, tandem pervenerunt ad ſupercilium montis, ut eum ibi capite truncarent. Vir tamen Domini ſuis hoc antè indicare noluit, quia ad martyrium libentiſſimè properabat. Sed ſubitò orta tempeſtas pluviæ grandiníſque, omnem illius montis locum tenebroſæ obtexerunt nubes, itaut apparitores qui ad interficiendum eum fuerant miſſi, amiſſo lumine nihil penitùs viderent, ſpémque vitæ jam nullam habentes, proſtrati pedibus ſancti viri veniam poſtulabant, & ut eos vivos abire ſineret humiliter deprecabantur. Tunc vir Domini ad conſueta recurrit præſidia, ſcilicet ad orationum auxilia, profuſíſque uberrimè lacrymis tamdiu orationi incubuit, donec reddita ſerenitate, lumine etiam apparitores recepto, non abſque metu vel ſtupore ad propria reverterentur: talíque percuſſis timore miniſtris, vir Domini mortem incolumis evaſit.

XXIII. Auctoris ætas.

Nec illud quoque prætereundum putavi, quod Preſbytero quodam nomine ARCHENGISILO venerabili atque fideli viro narrante didici. Quadam die dum vir Domini Amandus in pago Belvacinſe verbum Domini prædicaret, pervenit ad quemdam locum, cui vocabulum eſt Roſſonto, juxta Aronnam fluvium: erátque ibi mulier quædam cæca, quæ longo jam tempore amiſſo lumine, nihil præter tenebras agnoverat. Ingreſſus autem vir Dei domum illius, cœpit percunctari ab ea, qualiter ei hæc cæcitas eveniſſet. Reſpondítque illa, quòd non ob cauſam aliam ei ipſa cæcitas eveniſſet, niſi quòd auguria vel idola ſemper coluerat. Inſuper oſtendit ei locum, in quo prædictum idolum adorare conſueverat, ſcilicet arborem quæ erat dæmoni dedicata. Ad quam vir Domini ait: Non miror ſi pro hac ſtultitia cæca facta ſis, ſed admiror clementiam Domini, qui te exſpectando ſuſtentat, ut cùm Factorem & Redemptorem tuum adorare debeas, adores dæmones, & idola muta, quæ nec tibi nec ſibi poſſunt prodeſſe. Nunc igitur accipe ſecurim, & hanc nefandam arborem quantociùs ſuccidere feſtina, per quam lumen amiſiſti corporis, & animæ perdidiſti ſalutem: confido enim quòd ſi firmiter credideris, lumen priſtinum à Domino poſſis conſequi. Deducta autem mulier puellæ ſuæ manibus, ad arborem citiùs pervenit, atque eam excidere conabatur. Tum vir Domini Amandus eam ad ſe advocans ſignúmque Crucis ſuper oculos ejus imprimens, invocato Chriſti nomine priſtinæ reddidit ſanitati: inſtructámque qualiter ſe agere deberet relinquens, omnibus diebus vitæ ſuæ caſtè ac ſobriè ſe exhibuit, & correctiorem deinceps vitam gerens, mores commutavit in melius.

XXIV.

Hoc quoque quod ad cumulum laudis ejus Dominus oſtendere dignatus eſt, non videtur ſilentio contegi. Quodam itaque tempore cùm cuidam Monacho, videlicet Præpoſito Monaſterii ſui CHRODOBALDO cognomine, per quemdam miſſum juſſiſſet, ut vehicula ad unum in uſibus Fratrum Monaſterio deferendum præparare deberet, dicitur inobediens exſtitiſſe. Sed eum nocte eadem ultio Divina ſubſecuta eſt. Nam eo iter agente ut ad virum Dei pergeret excuſatio-

[a] *Mummolus Vicetiæ Princeps* ſeu *Cómes S.* Aigulfum Abbatem Lerinenſem multis injuriis affeciſſe legitur ſuprà ad an. 675. an idem cum iſto Mummolo Ozidinſi ſeu Ozindinſi? quem Uticenſem ſeu Ucetienſem Galliæ Narbonenſis Epiſcopum fuiſſe Henſchenius cenſet. Audoënus in Vita S. Eligij lib. 2. cap. 12. AURELIANUM *Vzecenſem Epiſcopum* ſcribit. Familiaris eſt elementi V in O, facilis C in D permutatio. Certè in Vitæ S. Amandi exemplaribus & Auctoribus quibuſque legitur *Ozidinſis*, rariùs *Ozindinſis*.

nis causâ, quòd vehicula minimè haberet, ita dicitur omni corporis compage paralyſi diſſolutus, ut nec manum quidem vel pedem poſſet movere, omníque jam carne velut mortua in ſolo pectore vitalis anhelabat ſpiritus, tenuíque flatu confiteri ut valebat nitebatur, quòd ob inobedientiam & contumaciam hæc perpeti merebatur. Igitur præfatum Monachũ Fratres mittentes in navim, ad Monaſterium cui vocabulum Majores indiderunt Helnonem, & ad virum Dei adduxerunt Amandum. Cúmque jam veſperaſcente die finitis Miſſarum ſeu Veſpertinarum ſollemniis vir Domini ad reficiendum juxta morem iſſet, ſubitò ei nuntiatum eſt, qualiter iſdem Monachus ægrotaret, lenitérque (ut aiunt) ſubridens dixiſſe fertur: Adhuc majora ſuſtinebit pericula: quia valde jactantię atque inobedientiæ deditus erat. Sed tamen Preſbyterum quemdam fidelem virum ad ſe vocari præcepit, eidémque Monacho calicem vini & fragmen panis per eumdem tranſmiſit Presbyterum eíque mandavit dicens: Vade & dic Monacho illi, ut ſumat partem panis iſtius & vini, & cras jubente Deo cùm ad eum viſitandum perrexero, obviam mihi procedat, & in lectulo jacere non patiatur. Quod ita factum eſt. Accepta itaque iſdem Monachus Patris benedictione*, ita totius corporis recepit ſanitatem, acſi numquam ullam pertuliſſet leſionem. Adveniente igitur ſancto viro obviam ei proceſſit, atque cum eo loqui cœpit: miraríque vehementer Fratres cœperunt, quòd vivum & incolumem videbant, quem mortuum fore ſuſpicabantur. Vir autem Domini Amandus indultâ Fratri veniâ, ut mores deinceps in melius commutaret admonuit, atque eum ſanum ad Monaſterium direxit. AN. CHR. DC. LXXIX. FEBR. VI. * *Id eſt*, collegia, munere

XXV. Alia quidem ſunt multa quæ per eum Dominus operari dignatus eſt, nobis quidem incognita, Deo autem nota: ſed quantum ad noſtras fidelibus narranti-bus viris perlatum eſt aures, ſi omnia cupiam perſequi; dies ut opinor antequam ſermo ceſſabit. Nam quas per eum Dominus virtutes non edidit, cùm & mortuis vitam, cæcis viſum, paralyticis greſſum, leproſis munditiam, ſurdis auditum, à dæmonibus oppreſſis reſtituit ſanitatem?

XXVI. Igitur ſanctiſſimus dominus Amandus curſu fideliter peracto, repletúſque omnium bonorum operum fructu, adveniente ſanctiſſimi obitûs die feliciter migravit[a] ad Chriſtum, ſepultúſque eſt cum magnifico honore in loco cui vocabulum eſt Helnone, in quo loco multa fiunt ejus orationibus beneficia, & laudatur ibi ab omnibus nomen Domini JESU-CHRISTI, cui eſt cum æterno Patre & Spiritu ſancto virtus & honor, gloria & imperium, laus & poteſtas per infinita ſæcula ſæculorum, Amen. a

a Aldegundi Abbatiſſæ Melbodienſi apparuiſſe legitur S. Amandus poſt obitum ſuum, cujus tempus infrà diſcutiemus. Sanctus Amandus Teſtamentum à Philippo Abbate cap. 8. Vitæ relatum condidiſſe fertur *anno ſecundo regni Theoderici*, Baudemundo ſcribente, quo ſub excommunicationis & damnationis perpetuæ interminatione jubet, *ut corpus ſuum in Monaſterio Elnone inter ſuos Fratres requieſcat.* Veri quidem ſimile eſt Amandum hoc ita voluiſſe: ſed id tam gravi comminatione exegiſſe, non facilè fortaſſe aliqui perſuaſum habebunt: Et tamen Milo in Supplem c. 6. meminit iſtius Teſtamenti, quod referemus inferiùs, ubi etiam de S. Amandi Reliquiis agemus.

I. *SUPPLETIO QUÆ ADDITA EST LIBELLO VITÆ* S. AMANDI *à* MILONE *Monacho & Sacerdote.*

1. PRÆLATO libello de virtutibus Sancti edito, ſciendum eſt quantus vir idem, & cujus honoris habitus eſt apud homines, licet ipſe declinare honores mundi ſemper deſideraret. Nam Reges & Reginæ pluréſque illuſtres viri ei venerationem & gratiam plurimùm impendere ſtuduerunt, & de facultatibus ſuis vivo adhuc illum in corpore manentem non modicè ditaverunt; villas quoque & prædia ac proprias hereditates, cognoſcentes eum eſſe ſervum Domini, fideliſſima devotione ei ſe conferre gaudebant. Ubi ipſe vir Domini Amandus ſagaciſſimâ induſtriâ fidelibus viris & Chriſto ſincerè deſiderantibus militare, Monaſterio conſtruendo ſtudioſiſſimè elaborabat. Nam Mo-

AN. CHR. DC.LXXIX. FEBR. VI. Monaſteria ab Amando conſtructa.

naſterium quod dicitur BLANDINIUM, in Caſtro Gandavo ſitum,[a] aliúdq; quod vocatur Marcianas, necnon & illud cui ipſe ſanctus vir Lotoſa nomen impoſuit, ſeu Rotnace quod eſt præfato pæne contiguum; cellulámque quæ nuncupatur Bariſiacus[b], quem locum cum adjacentibus ſibi appendiciis HILDERICUS Rex[c] & HYMNECHILDIS Regina viſi ſunt condonâſſe: cuncta hæc ab ipſo Dei viro ædificata fuiſſe pæne omnibus notum eſt, in quibus locis Fratribus vel Monachis ſub Regulari norma conſtitutis, ſuperpoſitíſque Abbatibus & omnibus bene ordinatis, ad poſtremum Helnone Cœnobio ædificato, ipſe ibidem cum ſuis uſque ad ſanctiſſimi obitûs diem Chriſto feliciter militavit.

a *b* *c*

Amandus Martino P. familiaris.

2. Ergo & apud MARTINUM ſanctiſſimum ac beatiſſimum Papam ſanctæ & Apoſtolicæ ſedis urbis Romæ, qui ſeptuageſimus quintus poſt Petrum Apoſtolum Romanam rexit Eccleſiam, plurimam familiaritatis ac reverentiæ gratiam obtinuit. Cui etiam præfatus Apoſtolicus inter cetera tantæ dilectionis digna exenia, direxit volumen Synodalium Decretorum quæ ipſe edidit, utpote Paſtor vigilantiſſimus, cuſtodiens cum ſumma ſollicitudine in nocte hujus ſæculi vigilias ſupra gregem Dominicum ſibi creditum adverſus lupos ac prædatores Eccleſiæ hæreticos CYRUM Alexandrinum Epiſcopum, SERGIUM Conſtantinopolitanum Epiſcopum, PYRRHUM, PAULÚMque Patriarcham ſucceſſores ipſius, concurrentes ſibi viciſſim in hoc certamen, unam operationem in Chriſto Domino noſtro Deo Divinitatis & humanitatis profiteri audentes: cùm Orthodoxa Fides Eccleſiæ Catholicæ pio ſenſu confiteatur duas in Chriſto convenientes naturas & operationes. Operatur itaque utraque forma Divina atque humana in una Salvatoris noſtri perſona cum alterius communione quod proprium eſt, Verbo quidem operante quod Verbi eſt, carne autem exſequente quod carnis eſt; & unum horum coruſcat miraculis, aliud autem ſuccumbit injuriis: ut ſit proprietas Divinæ naturæ Chriſti, divinitùs eum velle & operari Divina; proprietas verò humanæ naturæ, humana velle & operari humanè, ut approbetur in una quidem perſona, ſed in duabus naturis Deus & homo naturaliter eſſe. Quam columnam Orthodoxæ Fidei ſancta Synodus Chalcedonenſis ſtatuit, univerſorúmque chorus Patrum Catholicorum confirmavit.

Monothelithæ à Martino P. damnati.

Concilium Romanum ſub Martino *anno* DC. XLIX.

3. In deſtructionem itaque ſuprаſcriptæ hæreſeos atque expugnationem ſuperbiæ contra ſcientiam Dei ſe elevantis, ſeu & confirmationem Dogmatum Divinorum, ſupranominatus Martinus pietatis Advocatus, ſicut in geſtis Pontificalibus legitur, miſit & congregavit in urbe Roma Epiſcopos centum & quinque, & fecit Synodum ſecundum inſtituta Patrum Orthodoxorum juxta Epiſcopium Lateranenſe, reſidentibus Epiſcopis, Preſbyteris adſtantibus, Diaconibus ac Clero univerſo: & condemnaverunt Cyrum Alexandrinum Epiſcopum & Sergium Conſtantinopolitanum Epiſcopum, Pyrrhum etiam ſucceſſorem ejus, Paulum quoque ejuſdem urbis Patriarcham, qui inflati ſuperbiæ ſpiritu adverſus recta ſanctæ Dei Eccleſiæ Dogmata audacter præſumpſerunt paternis definitionibus contraire, atque novitatis commentum contra immaculatam

a Præter Monaſterium Blandinium S. Amandus in caſtro Gandavo conſtruxit Cœnobium Gandam appellatum, poſtea S. Bavonis dictum, de quo in Vita S. Bavonis ad ann. 655. De Marcianenſi in Actis S. Rictrudis. De Lutoſano in Hannonia & Rotnaſcenſi in Bracbanto conſtitutis, quæ nunc ſunt collegia Canonicorum, legendus Baldericus Epiſc. in Chron. Camerac. & Atreb. lib. 2. cap. 43. & ſeq. His inſuper S. Amandi conſilio & inſtinctu S. Vincentius ſeu Madelgarius Sognienſe in Bracbanto ad fluvium Sennam; S. Gertrudis Nivialenſe itidem in Brabantia; S. Giſlenus Cellenſe in Hannonia, nunc conditoris ſui nomine decoratum; S. Vvaldetrudis Caſtrilocenſe; S. Vincentius ejus maritus Altimontenſe; S. Aldegundis Melbodienſe, & alij alia Monaſteria condiderunt, ut in propriis eorum Actis legitur.

b In vico Bariſiaco, *Baryſy*, diœceſis Laudunenſis abopidis Cociaco & Calneio ac fluvio Oeſia unâ fere leucâ diſparato exſtat etiamnunc Prioratus Abbatiæ Elnonenſi ſeu S. Amandi attributus: cui Andreas S. Amandi diſcipulus, poſtea Elnonenſis Abbas, ab ipſo Amando primus præfectus eſt.

c Quis ſit Hildericus iſte & Hymnechildis Regina, lis eſt inter eruditos. Henſchenius in Comment. in Vitam S. Amandi num. 10. & alibi, cenſet Childericum iſtum eſſe Sigiberti filium, qui cum Hymnechilde matre poſt Sigiberti obitum Auſtraſios rexerit. Alij Childericum eſſe volunt Chlodovei ſecundi filium: & Hymnechildis loco reponendam eſſe vel Balthildem matrem vel Blidechildem Childerici ipſius uxorem.

Fidem

Fidem conati ſunt innectere. Quippe quoniam ipſam excludere properantes, hæreticorum dogmatum contra Catholicam Dei Eccleſiam confuſionem concinnaverunt, anathematis ultione percuſſi ſunt. AN. CHR. DC.LXXIX. FEBR. VI.

4. Præterea Martinus Papa beatiſſimus faciens exemplaria prædicti voluminis ſynodalis, per omnes tractus Orientis & Occidentis direxit, eáque per manus Orthodoxorum Fidelium diſſeminavit. Cujus etiam exemplar in papyreis ſchedis editum Patri noſtro ſibi dilectiſſimo Pontifici direxit Amando, quatinùs ipſius induſtrioſa ſollicitudine ejuſdem ſacroſanctæ & intemeratæ Fidei promulgationes Galliarum Eccleſiis vulgarentur. In hujus inſuper fine voluminis, quod uno quidem corpore, ſed quinque inciſionibus librorum diviſum eſt, ſæpedictus Martinus Epiſcopus ſanctæ ſedis Apoſtolicæ etiam ſpecialem Epiſtolam viro Dei tranſmiſit Amando, per quam Decreta ſynodalia, ſuámque erga ipſum benignam dilectionem ſatis abundéque monſtravit, ac ne afflictionum angoribus coartatus à pio mentis propoſito recederet admonuit, & ſermonibus inſuper exhortatoriis ad tolerantiam tribulationum quibus à contrariis Divinæ religioni Preſbyteris ſeu Diaconibus, aliiſque Sacerdotalis officij miniſtris gravabatur, animare ſtuduit. Pro quorum poſtea augeſcentibus in deterius ſceleratorum actuum incorrigibilibus exceſſibus (ſicut librum vitæ ejus legentibus liquet) etiam Cathedram Epiſcopij ſibi commiſſi deſeruit, pulverémque pedum ſuorum ſuper contemptores ſuæ prædicationis juxta Evangelicum Domini præceptum in teſtimonium illis excutiens, ad loca aliæ demigravit. Præterea etiam jamdictus Apoſtolicus ejuſdem Patris curæ SIGEBERTUM DAGOBERTI filium, Regem videlicet Francorum commendare ſtuduit, qui olim adhuc infans, necdum adhuc quadragenarium dierum excedens numerum, dum à B. Amando benediceretur, *Amen* dulce quod necdum corporis uſu didicerat, pro tanti pædagogi merito declarando, clara voce poſt ſacræ finem orationis pronuntiavit. Ut verò prædictæ locutionis noſtræ aſſertio deterſo dubietatis nubilo confirmetur, præfatam Epiſtolam ejuſdem Papæ ad B. Amandum directam huic noſtro ſermoni ſubjungere placuit, cujus iſte modus eſt: Concilij exemplum miſſum ad Amandum cum Epiſtola.

II. *Exemplar Epiſtolæ* MARTINI *Papæ.*

1. *Dilectiſſimo Fratri* AMANDO MARTINUS. Fraternitatis tuæ ſtudio pietatis congeſtam Epiſtolam ſuſcipientes, animos noſtros relevari cognoſcimus: quippe quoniam hujus ſæculi fluctivagas atque tranſitorias deſpiciens oblectationes, illa quæ perpetua & ſublimia dona pro Domini Dei noſtri obſequiis tribuuntur, appetere certa eſt. Ex relatione igitur juxta tenorem tuæ Fraternitatis epiſtolæ latoris præſentium, laborum tuorum certamen cognovimus, ex quibus cæleſtis patriæ aſſcenſum humiliatis mentibus atque contritis corporibus vobis futurorum gaudiorum largienda ſunt munera. Nam cùm ſit nullæ omnino comparationi coæquandum, quod à Creatore noſtro pro bonis ſervitiis compenſatur, dum brevi atque parvo temporis ſpatio finiuntur labores, quos pro dilectione ipſius ſuſtinemus; conſideratione refrigerij nos oportet libenti animo tolerare præſentis vitæ anguſtias. Sed quantum nobis laborum veſtrorum operatio magnam gaudij veritatem inducit, tantum pro duritia Sacerdotum gentis illius conterimur, quòd poſtpoſitis ſalutis ſuæ ſuffragiis, atque Redemptoris noſtri contemnentes ſervitia, vitiorum fœderibus ingravantur. Quibus ad præparandam ſalutem quandoquidem tanto nos neceſſe eſt importunis prædicationibus imminere, quanto nos perfectæ negotiationis creditorum nobis talentorum duplicat aſſignatio, atque Dominicæ vocis ad ſuſcipiendam ejus requiem perſuadet aſſertio. Suggeſtum eſt namque nobis quòd Preſbyteri ſeu Diaconi, aliíque Sacerdotalis officij poſt ſuas ordinationes in lapſum inquinantur: & propterea nimio mærore fraternitatem tuam ad-

AN. CHR. DC. LXXIX. FEBR. VI.

„ ſtringi, velléque paſtorale obſequium pro eorum inobedientia deponere, & „ vacationem ab Epiſcopatus laboribus eligere, & ſilentio atque otio vitam de- „ gere, quàm in his quæ tibi commiſſa ſunt permanere, dicente Domino: Beatus „ qui perſeveraverit uſque in finem. Unde namque beata perſeverantia, niſi de „ virtute patientiæ? quia ſecundum Apoſtolicam prædicationem, omnes qui vo- „ luerint in Chriſto piè vivere, perſecutionem patientur. Ideóque, Frater cariſ- „ ſime, non vos afflictionum amaritudo à pio mentis veſtræ propoſito coartet re- „ cedere, conſiderans quanta pro abſolutione noſtri & liberatione Creator Do- „ minúſque noſter pertulerit, quibúſve contumeliis ſe afficiendum tradiderit, ut „ nos à vinculis poteſtatis diabolicæ liberaret. Propterea nullatenus in hujuſmodi „ peccato delinquentibus ad deſtructionem Canonum compaſſionem exhibeat. a „ Nam qui ſemel poſt ſuam ordinationem in lapſu[a] ceciderit, deinceps jam de- „ poſitus erit, nullúmque gradum Sacerdotij poterit adipiſci; ſed ſufficiat ei la- „ mentationibus fletibúſque aſſiduis, quouſque advixerit, in eadem pœnitentia „ perdurare, ut commiſſum delictum Divinâ gratiâ exſtinguere valeat. Si enim „ tales quærimus ad ſacros Ordines promovendos, quibus nulla ruga nullúmque „ vitæ contagium præpediat: quanto magis ſi poſt ordinationem ſuam quiſpiam „ in lapſu ceciderit, & prævaricationis peccato deprehendatur obnoxius, omni „ modo prohibendus eſt cum manibus lutulentis atque pollutis myſterium no- „ ſtræ ſalutis tractare? ſítque hujuſmodi ſemper juxta ſacrorum Canonum ſta- „ tuta in hac vita depoſitus, ut ab illo qui mentis interiora ſcrutatur, nullámque „ de ovibus errare congaudet, dum adſpexerit ſinceram pœnitentiam ejus, in ter- „ ribili judicio habeat reconciliatum. Ideóque iterum hortamur caritatem tuam „ exemplo ejus qui pro nobis pati & mori voluit, promptos vos in cunctis ejus „ ſervitiis permanere, neque vos pigeat temporales cruciatus pro Chriſti nomi- „ ne ſuſtinere: ſed emolumento futuræ remunerationis hujus ſæculi vexationes „ tolerare perſuadeant. Scriptum namque eſt: *Quid retribuam Domino pro omni-* „ *bus quæ retribuit mihi? Calicem ſalutaris accipiam & nomen Domini invocabo.* „ Tantum enim à nobis exigitur, quantum poſſumus famulatus noſtri obſequia „ commodare. Cúmque cuncta quæ nobis ad confortandos Fraternitatis veſtræ „ animos poterant miniſtrari, largiente ſupernæ Majeſtatis clementia vobis ſunt „ proculdubio manifeſta; reſtat ut de aliis, quæ nos per ſua ſcripta conſuluit, „ Fraternitati veſtræ ſignificemus. Credimus etenim ad vos perveniſſe, quomodo „ in conturbatione rectæ Fidei & Eccleſiæ Catholicæ conculcatione ante hos plùs „ minùs quindecim annos à SERGIO falſo Epiſcopo Conſtantinopolitano, in au- „ xilio habente tunc imperantem HERACLIUM, exſecranda & abominanda „ hæreſis pullulavit, Apollinariſtarum & Severianorum, Eutychianiſtarum at- „ que Manichæorum errorem renovans, quam ſucceſſor ejus PYRRHUS idém- „ que Epiſcopus, qui ambitionis faſtu Conſtantinopolitanam Sedem arri- „ puit, in deterius auxit. Pro qua re ſæpiùs Apoſtolica Sedes perſuaſionibus, „ conteſtationibus atque increpationibus plurimis admonuit eos, quatenus ab „ hujuſmodi errore recederent, & ad lumen pietatis ex quo lapſi ſunt remea- „ rent. Et non ſolùm quia hoc facere nullatenus voluerunt, ſed & nunc ſucceſ- „ ſor ejus PAULUS temerator Fidei Epiſcopus Conſtantinopolitanus aliud nequius b „ excogitavit in præjudicio Catholicæ Fidei conamen, quaſi quæ à deceſſoribus „ ſuis hæreticè expoſita fuerant deſtruens, & Imperialem Typum[b] ſacrilego auſu „ totius plenum perfidiæ à clementiſſimo Principe noſtro fieri perſuaſit, in quo „ promulgatum eſt ut omnes populi Chriſtiani credere debuiſſent. Ideóque ne- „ ceſſe habuimus, ne pro quadam negligentia & animarum detrimento, quæ no-

a Nempe in lapſum culpæ carnalis, quam perpetua depoſitione Canones ferunt. Lege quæ ſuperiùs in Elogio S. Helladij num. 7. anno 632. & quæ ad priorem Vitam S. Goaris num. 14. ann. 649. obſervavimus.

b Sic vocant Conſtantis Auguſti Edictum de Fide ubique tenenda, quem Typum damnavit Theodorus Papa Martini deceſſor, ipſámque damnationem ſanguine Chriſti Domini ſignavit. Simile de una Chriſti voluntate Edictum, Eccheſin edictum, antea ediderat Heraclius Conſtantis avus, à Johanne Papa ęquè proſcriptum.

bis commiſſæ ſunt, culpæ reatitudinis adſtringamur, cœtum generalem Fratrum & Coëpiſcoporum noſtrorum in hac Romana civitate congregare: quorum præſentiâ memoratorum hæreticorum ſceleroſa conſcripta examinata & denudata ſunt, & Apoſtolico mucrone, Patrúmque definitionibus uno ore unóque ſpiritu condemnavimus: ut cognoſcentes univerſi errorem qui in eis continetur, eorum pollutione nullatenus maculentur. Unde prævidimus volumina geſtorum Synodalium in præſenti vobis dirigere unà cum encyclia * noſtra, ex quorum ſerie omnia ſubtiliter poteſtis addiſcere, & tenebras illorum nobiſcum ut filij lucis exſtinguere. Idcirco ſtudeat Fraternitas tua omnibus eadem innoteſcere, ut tam abominandam hæreſim nobiſcum exſecrentur, quámque ſuæ ſalutis ſacramenta indiſcere valeant, atque Synodali conventione omnium Fratrum & Coëpiſcoporum noſtrorum partium illarum effecta, ſecundum tenorem encycliæ à nobis directæ ſcripta unà cum ſubſcriptionibus veſtris nobiſmet deſtinanda concelebrent, confirmantes atque conſentientes eis, quæ pro Orthodoxa Fide & deſtructione hæreticorum veſaniæ nuper exortæ à nobis ſtatuta ſunt. Et SIGEBERTUM præcellentiſſimum filium noſtrum Regem Francorum pro ſuæ Chriſtianitatis remedio conſultiſſimè admonere * atque precare, dirigere nobis ex corpore Fratrum noſtrorum dilectiſſimos Epiſcopos, qui Sedis Apoſtolicæ legatione, Divinâ concedente propitiatione, fungere debeant, & quæ in noſtro Concilio peracta ſunt cum his Synodalibus apicibus noſtris ad clementiſſimum Principem noſtrum ſine dubio aſportare faciemus: ut noſtrorum laborum particeps effectus, mercedis cumulum adipiſci valeat, & ſui Regni protectorem invenire eum, cujus cauſa flagitari dignoſcitur. Hoc namque & in ejus epiſtola exhortari eum cognoſcimus. Reliquias verò Sanctorum, de quibus præſentium lator nobis admonuit, dati præcipimus. Nam & codices exinaniti ſunt à noſtra bibliotheca, & unde daremus ei nullatenus habuimus. Tranſſcribere autem non potuit, quoniam feſtinanter de hac civitate regredi properavit. His igitur ita prælibatis, quæ à nobis per epiſtolam vobis ſcripta ſunt, effectui mancipare Fraternitatem veſtram hortamur. Deus te incolumem cuſtodiat, dilectiſſime Frater.

« AN. CHR. DC. LXXIX. « FEBR. VI.

« * Epiſtola circulari

« * f. admone

III. *Titulus de obitu beati Amandi Confeſſoris.*

6. ANNO Incarnationis Domini noſtri JESU-CHRISTI ſexcenteſimo ſexageſimo primo [a], Indictione quarta, Epacta quintadecima, Concurrente quarto, termino duodecimo Kalendas Aprilis, Paſcha quinto Kalendarum Aprilium, Lunâ vigeſimâ primâ, octavo Idus Februarij, die Dominicâ, Luna prima, obiit S. AMANDUS annorum circiter nonaginta.

[a]

IV. *Argumentum quo tempore beatus Confeſſor Amandus vel natus vel defunctus ſit.*

7. DE tempore nativitatis & curſu vitæ atque obitu beati Pontificis Chriſti Amandi, aliqua lectioni inſerere ob plenam cognitionem legentium neceſſarium duximus: qui ſicut probabili argumento hiſtoriis ac chronicis ſibi concinentibus inveſtigavimus, anno ab Incarnatione Domini noſtri Jeſu Chriſti quingenteſimo ſeptuageſimo primo Nonis Maij menſis in provincia Aqui-

[a] Hic calculus, quantumvis ſtudiosè ab Auctore indagatus, ſtare haud quaquam poteſt. Cùm enim ex Baudemundo, & ex ipſo Milone infrà, Amandus ad Theoderici principatum pervenerit, ſupervixeritque Childerico haud ante annum DC. XIII. interfecto; omnino Amandi obitus ultra iſtum annum producendus eſt. Sic igitur Amandi ætas componenda. Mortuus eſt Amandus regnante poſt Childericum Theodorico, ex dictis, & quidem die Dominica in diem ſextum Februarij litterâ B præditum incidente, ut prælaudati Auctores ſcribunt. Toto Theodorici Regis principatu dies Dominica in ſextum Februarij incidit annis dumtaxat DC. LXXIX. & DC. XC. Poſterior annus Amandi obitum ſeriùs differt: proinde retinendus poſterior, quemadmodum Carolus *le Cointe* rectè ſtatuit.

AN. CHR. DC LXXIX. FEBR. VI. Summi Pontifices Amando coęvi.

taniorum, & pago præfatæ regionis vocabulo Herbatilico, ex patre Sereno, genitrice Amantia, nativitatis initium habuit, anno ſcilicet ſeptimo quo JUSTINIANI ſucceſſor JUSTINUS minor, cum Sophia conjuge jure publico arcem Imperij tenebat, quo videlicet tempore JOHANNES Pontifex Romanæ Eccleſiæ in ordine Pontificum ſexageſimus tertius Cathedram ejuſdem urbis anno ſui præſulatûs octavo ſtrenuè gubernabat. Computantur autem ab anno nativitatis præfati viri Dei Amandi uſque ad obitum ipſius Pontifices Romanæ Sedis ſexdecim, à Johanne ſcilicet incipientes numerari, cujus octavo anno Pontificatûs natus eſt, hoc modo: primus idem JOHANNES, ſecundus BENEDICTUS, tertius PELAGIUS, quartus mirabilis Doctor Eccleſiæ GREGORIUS, in cujus ordinationis initio vir Dei Amandus viceſimum ſecundum ætatis agebat annum, in obitu verò ipſius propè trigeſimum quintum, qui erat annus á nativitate Domini ſexcenteſimus quintus, regni autem FOCÆ Cæſaris annus ſecundus, ſicut Beda venerabilis Preſbyter in Chronicis ſuis refert. Et ut cœptum perſequar calculum, ſucceſſor Gregorij Pontificis quintus SABINIANUS, ſextus BONEFACIUS, ſeptimus alter BONEFACIUS, octavus DEUSDEDIT, nonus BONEFACIUS, decimus HONORIUS, undecimus SEVERINUS, duodecimus JOHANNES, tertiusdecimus THEODORUS, quartusdecimus MARTINUS B. Amando familiariſſimus, quintusdecimus EUGENIUS, ſextusdecimus VITALIANUS, cujus tertio anno Pontificatûs B. Amandus eſt defunctus octavo Idus menſis Februarij: atque ita computati ab anno Incarnationis Dominicæ quingenteſimus ſeptuageſimus primus, qui erat annus octavus Præſulatûs Johannis Papæ, uſque ad annum Domini ſexcenteſimum ſexageſimum primum, qui erat annus Epiſcopatûs Vitaliani Papæ tertius [a], quo S. Amandus obiit, inveniuntur anni vitæ præfati Patroni nonaginta, quibus præſentis vitæ munus explevit.

Imperatores.

8. Simili etiam modo ſi Reipublicæ Imperatores revolvas, ſeptem in tempore vitæ præfati Patris Amandi Regio officio functos invenies hoc ordine: primum Juſtiniani ſucceſſorem JUSTINUM juniorem, cujus ſeptimo anno regni natus eſt, ſecundum TIBERIUM, tertium MAURICIUM, quartum FOCAM, cujus ſecundo anno imperij, ut jam diximus, qui erat annus Domini ſexcenteſimus quintus, Gregorius Papa obiit, poſt quem B. Amandus, vixit annis quinquaginta ſex, quintum Romani Imperij principem ERACLIUM, ſextum CONSTANTINUM [b], ſeptimum ejuſdem nominis CONSTANTINUM, cujus anno regni vigeſimotertio [c], qui erat annus Dominicæ Incarnationis ſexcenteſimus ſexageſimus primus ultimum præſentis ævi tempus ſæpedictus Pater explevit.

Francorum Reges.

9. Quòd ſi & Principes Regni Francorum qui tempore vitæ ejus jus Regium tenuerunt, aliquis quærere voluerit; (quamquam id non facilè propter hiſtoriarum ſemiplenam indaginem videatur fieri poſſe) diligentiùs animi vivacitate perſpiciens, reperiet tempore vitæ ejus hos apud Francos honore functos Regio hoc ordine: Primum CHILPERICUM, ſecundum LOTHARIUM, tertium DAGOBERTUM, quartum SIGEBERTUM, ejúſque Fratrem LODOVEUM quintum, cujus filij fuerunt hi, LOTHARIUS, HILDERICUS, ac THEODERICUS: ſed Lothario in juventute mortuo, ac deinde Hilderico à Francorum Primatibus interfecto, Regalem quam nuper tonſoratus amiſerat Theodericus recepit dignitatem: ad cujus uſque tempora beatum vixiſſe Amandum Chartarum inſtrumentis quæ apud nos hactenus habentur docemur. Quibus etiam diebus EBRORINUS Majordomus nefandas Regno Francorum fraudes inferebat calamitates, augens de die in diem uſque ad ſeram ſcelerata piacula mortem; qui Regi-

[a] Vitaliani Pontificatûs initium illigat Auctor anno DC. LVIII. Baronius verò anno DC. LV. Conſule Chronologiam noſtram in limine hujuſce Tomi.

[b] Heraclonam Conſtantini filium, Conſtantini alterius ſeu Conſtantis fratrem omittit.

[c] Ergo Conſtantinus ex mente Auctoris anno Chriſti DC. XXXIX. regnum iniit. Cui calculo favet Fredegarius in Chron. cap. 81. qui Heraclonâ ob regni brevitatem ſimiliter expuncto, Conſtantinum Conſtanti locum dediſſe anno regni Chlodovei junioris ſecundo affirmat: tametſi Baronius Conſtantis principatum ab anno DC. XLI. orditur.

bus cum omni populo perturbatis ad ultimum omnium malorum ſuorum cumulum B. LEODEGARIUM diverſis tormentorum pœnis excruciatum Chriſti Martyrem fecit. Si quis verò hunc ſermonem ab exiguitate ingenioli noſtri depromptum quaſi minùs idoneum ac veritate ſuffultum probabili argumento inveſtigare voluerit; hunc monemus, ut primò annum obitûs præfati Confeſſoris Chriſti Amandi, qui fuit à nativitate Domini ſexcenteſimus ſexageſimusprimus diligenter memoriæ figat, quia in eo ſicut priores noſtri nobis non ſolùm in libris, ſed etiam lapidibus ne oblitterari poſſet ſcriptum reliquerunt, ab hoc mundo ad Dominum tranſiit. Unde hoc numero quaſi fundamento in animo ſtabiliter collocato, ab ipſo demum ad ſuperiora calculando nonaginta annorum quibus vixit numerum computet, & ſic ad quingenteſimum ſeptuageſimumprimum Nativitatis Dominicæ annum quo natus eſt ſæpedictus Pater gradatim perveniet. His igitur duobus calculis, uno ortûs, & altero obitûs diligenter animo commendatis, adhibeat ſibi hiſtorias Regum qui eo tempore jus regium tenuerunt, inſuper & Chronicas venerabilium Patrum, necnon & librum de Pontificibus Apoſtolicæ Sedis editum: eóſque quaſi antè & retro oculatus hinc & inde ſenſûs vivacitate circumſpiciat, atque qui Apoſtolici, quíve Imperatores vel Principes B. Amando in corpore adhuc vivente fuerint ſollerter conſideret. Etſi poſt nullam laboris operam rei veritatem invenire quiverit, nequaquam hæc noſtra dicta qualiacumque ſunt, ut opinor, reprobabit. AN. CHR. DC. LXXIX. FEBR. VI.

VI. *Qualiter corpus B. Amandi in loco quo nunc requieſcit fuerit tranſlatum, & de dedicatione Baſilicæ aut de ordinatione Epiſcopatûs ipſius ſeptimo Kalend. Novemb.*

10. DIEM hodiernam ſacroſanctæ feſtivitatis ſollemni devotione Religioſorum conventui celebrabilem ipſe revoluti temporis curſus indicit. Et quoniam plurimi in hac plebe hujus penitùs expertes adhuc exſtant rationis, non otioſum duximus eis notitiam tantæ ac tam gratæ pandere celebritatis. Dignum igitur, immo neceſſarium credimus, ut qui iſta celebrant & quare celebrent ignorant, cognitione hujus rei capiant: & qui hactenus minùs nota feſtivo ſtudio honorabant, glorioſiùs ac reverentiùs jam nota excolere atque venerari diſcant. Quia ergo Vitæ ter beati ac dilecti Confeſſoris Chriſti AMANDI libellus ſatis plenè ſufficientérque diſſeruiſſe cognoſcitur, qualis quantúſque idem dum adhuc mortalitatis iſtius ærumnis teneretur exſtiterit, qualibúſque inter caliginoſos hujus ſæculi anfractus virtutum ſignis claruerit, necnon & quàm longè ſitos illuſtraverit, atque de tenebroſa hujus ſæculi Ægypto, columnâ Legis, Divinaéque gratiæ protectione præeunte, per varias piorum profectuum manſiones ad terram repromiſſionis (per quam patria viventium figuratur) quali fine migraverit; his interim poſthabitis, ad indaganda aliqua de multis Divinorum operum magnalibus quæ circa ipſum ejúſque corpuſculum poſt ejus obitum Divina clementia, quamquam impolitum dirigamus ſermonis officium. Ea ergo quæ referimus, à Patribus fideliter referentibus audivimus, quorum fidem omnipotenti Chriſto committimus, apud quem etiam peracta quaſi inſtantia, & pro præſentibus haberi futura credimus: cui mendacium, quia ex malo eſt, diſplicere cognoſcimus. Non enim beati viri merita ut clara hominibus appareant mendaciis egent adſtrui, ſed ampliora quàm explicari verbis queant, remota omni ambiguitate debent credi. Sed quia de his non pro ſui (quod impoſſibile eſt) dignitate, ſed pro noſtri paupertate ingenioli aliqua præloquendo tetigimus; nunc Divina nos præeunte clementia propoſitum nobis iter carpamus. Auctoris fides.

11. Anno igitur Incarnationis Dominicæ ſexcenteſimo ſexageſimo primo *, qua Conditor & Redemptor mundanos miſeratus errores humanæ dignatus eſt S. Amandus quando mortuus? * *ſuprà n. 6.*

AN. CHR. DC. LXXIX. FEBR. VI.

uiri naturæ, Deo bonísque cunctis amabilis AMANDUS poſt multa bonorum actuum inſignia ad cæli aulam perenniter cum Chriſto, cui devotè ſervivit, regnaturus aſſcendit. Nec immeritò ei introeunti cæleſtia patuêre palatia, pro quibus ipſe in terris poſitus voce cantaverat indefeſſa: Quàm amabilia ſunt, inquiens, Domine virtutum tabernacula tua! concupiſcit & deficit in his anima mea. Requievit verò anno ætatis ſuæ nonageſimo, menſe Februario, febris tactus incommodo, die quoque Dominico, cui mors via ad patriam, ac præſentis vitæ exitus, ſequentis ac numquam finiendæ factus eſt introitus. Ad quam multiplicibus hujus mundi ærumnis abſolutus, ſui Domini obtutibus, plenis oleo lampadibus, virtutum ſcilicet piarum fertilitate, meruit apparere coruſcus. Sepultus ſanè eſt debito Fidelium honore in Cœnobio à ſe ædificato, cui ex nomine fluvioli ibi decurrentis HELNONIS vocabulum hæſit. Quem videlicet locum quondam ipſi viro Dei Francorum princeps DAGOBERTUS ſilveſtri coma[a] non indignum prona indigni contulit devotione, rata legum ſanctione ſtabilitum. Cujus licet crebra plurimorum opinione didicerit ſanctitatem, ampliùs tamen (ut in libello Vitæ ejus legitur) eumdem iſdem Princeps in filij ſui Sigeberti contra naturam mirabili propter infantiam locutione, ſub ſua præſentia Chriſto Sanctum ſuum mirificante, meruit agnoſcere manifeſtam. Prædicto igitur in loco quia ampliùs ipſum ceteris à ſe conſtitutis diligendo excoluit, etiam corpuſculum ipſius diſcipulorum ſuorum obſequio tumulum ſumpſit, ſicut etiam Teſtamento * terribili ſcripto pro hac re, quod in archivio noſtri Monaſterij hactenus ſervatur, decrevit. Non tamen in ipſa qua nunc requieſcit poſitus eſt Baſilica, ſed in altera quæ adhuc ſupereſt Principis Apoſtolorum Petri nomine dedicata: quæ quoniam pro ſui parvitate tanti Præſulis tumulo viſa fuit incongrua, atque etiam ſecundo ſexui propter Monachorum habitacula inacceſſa, frequenti Religioſorum virorum conventu * viſum eſt aliam magnitudine præſtantem debere ædificari, quæ ex utroque ſexu à confluentū illo ſufficeret multitudini populari. Completo itaque Deo devotorum ſumptu opere illius ædificij, tempus aderat quo ille deberet transferri.

Elnone ſepultus.

a

* *infrà.*

NOTA.

* conventui

Corpus incorruptum transfertur, b

12. Illis igitur diebus ſupererat adhuc humanis rebus venerandus Chriſti Confeſſor mirabiliúmque operum patrator ELEGIUS[b], qui beatiſſimo Pontifici Amando dum adviveret fuerat familiariſſimus, ac ſanctitatis ipſius non ignarus. Hic itaque ad Dedicationem novæ Eccleſiæ atque ad transferendas in illam ſacri corporis Reliquias in urbe Noviomagenſi venerat: plurimâ quippe in ſuæ diœceſis ſollicitudine ſagacitatis induſtriâ pollebat. Ubi verò tumulo ſacro removit cooperculum, reperit inſperatum Divinæ virtutis miraculum, corpuſculum ſcilicet ſancti Patris, ut ibi ante ſexdecim annos poſitum fuerat incorruptum. Tum demum tam inopinati ſtupefactus novitate miraculi, gratias egit ſummæ Divinitati, quia ſanctitas quæ in vivente claruerat, in mortuo non latebat. Ne cui fortè hoc prodigium videatur incredibile, non defuit adhuc qui mirabilius aliquid in ipſius ſancti viri ſacratiſſimo corpore noſtra in ætate miraculum ſe confirmat vidiſſe: quod etiam in altero de Elevatione incorrupti cadaveris ejus ſermone habito, qui voluerit noſtra qualiacumque ſint legere, poterit cognoſcere. Si enim aromata pigmentariorum arte confecta humana nequaquam poſt mortem ſinunt putreſcere cadavera; multo magis credi decet tanti Patroni merita mirabilium operum indiciis declarata ſervare potuiſſe membra,

[a] In Regno Francorum ſolis Regibus *flagella crinium*, ut loquitur Gregor. Turon. lib. 6. c. 24. id eſt prolixos capillos gerere licebat. Hinc prædium Elnonenſe Rege haud indignum dicitur.

[b] Milonis calculum hoc etiā in loco aberrare conſtat. Quippe teſte S. Audoëno in Vitæ S. Eligii lib. 2. cap. 1. Eligius tantùm *uſque ad initium regni junioris Lotharij manſit in corpore.* Non ergo attigit Theodorici Regis principatum, quo tempore Amandus denatus eſt. Certè vulgato S. Amandi Teſtamento MUMMOLENUS *Epiſcopus* Eligij ſucceſſor ſubſcripſiſſe legitur. Non ergo Amandi Elevatio tribui poteſt Eligio. Sed nec ipſi etiam Mummoleno, qui anno circā DC. XXCIV. (ut ad Vitam S. Audomari ſupra ad ann. 667. obſervavimus) deceſſit, ante annos circiter undecim quàm S. Amandi corpus è loco moveretur: quod anno poſt obitum ſextodecimo factum eſt, ut legitur infrà.

vaſcula videlicet ſua in quibus habitaverant, incontaminata. Deportatum itaque beati Pontificis Amandi corpuſculum ſibi præparatæ eadémque die dedicatæ Baſilicæ intravit habitaculum. Ibi uſque in ſequentem diem famulantûm eſt obſequio cuſtoditum, donec completa à præfato Antiſtite Elegio Miſſarum ſollemni celebratione, ingens ſpectaculum univerſæ plebi præbuit ad has exſequias congregatæ. Collocatum etenim in medio Templi atrio coram altario corpus honorificum omnibus circumſtantibus præbuit contemplandum, ejuſdémque venerabilem vultum detectum cupientibus turbis monſtravit intuendum, paciferos inſuper ipſius Sancti pedes atque manus conceſſit oſculari virtutum operatrices. Qualis quantúſque ibi ſtupor gaudio mixtus fuerit, excellentia tam mirabilis facti prodit. Inenarrabile etenim tunc Chriſticolis inerat gaudium, cùm gemini Sacerdotes Amandus atque Elegius ordine & merito inclyti, velut duo luminaria mundi cæleſtia meritis & terrena complentes virtutum radiis, coram Divino altario poſiti ſuffragia orationum ſuarum largirentur turbæ circumſtanti; unus horum ſuperata antiqui hoſtis tyrannide jam cum Chriſto ſcilicet Rege ſuo in cæleſti gloria triumphans, alter inter varia hujus mundi certamina pro eodem ut invincibilis Agonitheta deſudans: unus ex his ut emeritus miles jam ſine labore præmia indefectiva recenſens, alter contra numeroſos hujus vitæ labores ac multiplicia pericula ſudoris gravatus anxietate perſiſtens: unus horum jure Pontificali, more videlicet ſuo, peracto officio repauſans, alter necdum terminatis ſollemniis ut Pontifex Chriſtum Pontificum Pontificem interpellans. Fragrante igitur in ſacratiſſimo famuli Dei Amandi corpuſculo incorruptione membrorum & meritorum, ſi qui intererant qui eo vivente de ſignorum ipſius magnitudine dubitaverant, in mortuo quod multiplici timoris anxietate paveſcerent videbant. Qui autem eo audito non obtemperâſſe ſe ejus ſalubribus monitis meminerant, ſe hæc parvipendiſſe ſummo mœroris lamento plangebant. At qui ejus magiſterio præcepta vitalia nuntianti inhæſerant, ſe hæc & auribus audiiſſe & actibus exercuiſſe gaudebant. Ut verò turbis quamvis adhuc deſiderantibus prædictus Antiſtes Elegius duxit ſatisfactum, pretioſiſſimum depoſiti corpuſculi Theſaurum altiùs telluri (ut tunc moris erat) credidit abſcondendum, videlicet ut omnibus non piè quærentibus inveniendi illud negaretur facultas. Illius itaque Tranſlationis ac ſepulturæ decus & qui aderant votis celebravêre ſollemnibus atque ſuis poſteris celebrandum decretis ſtatuêre ſalubribus, ſacræ ſcilicet encænias Baſilicæ, atque die eadem deportati cadaveris prodigium memorabile, quod hactenus à nobis numeroſo populorum cœtu ad hæc ſollemnia confluente, anniverſariè ſeptimo Kalendarum Novembrium die, debito celebratur honore. Ordinatis igitur omnibus atque univerſis quæ ad ornatum loci ſive ſtipendia Ordinis Monaſtici pertinebant, pro facultate ſua bene congruentérque diſpoſitis, ſinguli quique Fidelium ad propria repedârunt gaudentes, gratias ſanctæ & individuæ Trinitati ſuper inenarrabilibus ejus agentes muneribus, quibus ab initio ſæculi omnibus ſe in veritate quærentibus eſt miſereri dignatus. Rationem ut credimus hodiernæ feſtivitatis reddidimus, ac quid in ea colimus, utcumque his pauciſſimis ſermonibus explicavimus, ſacræ videlicet Baſilicæ Dedicationem atque Tranſlationem in ipſam Pontificis Chriſti Amandi memorabilem.

An. Chr. Dc. Lxxix. Feb. vi.

Nota.

13. Prętерea ut etiam veneranda ejus ſollemnitas diei trino non indecora ſit calculo, tertia ſupradictæ celebritati cauſa concurrit, Epiſcopalis ſcilicet honoris aſſumptio, quia reverendum Patronum noſtrum hodierna die venerabiliter recolimus ordinatum, atque ſaluti plurimorum ſuperna dirigente clementia Pontificem cælitùs datum. Hæc ergo ſummo devotionis officio honeſtiſſimè celebremus, eumdémque orationum noſtrarum adjutorem ac ſuffragatorem quæramus. Plurimum quippe in cæleſtibus ſedibus obtinere poſſe creditur jam cum Chriſto poſitus, cui in terris converſatus in omnibus bonis actibus ſervire ſtuduit indefeſſus. Ab ipſis ſiquidem pueritiæ ſuæ crepundiis Divinis fa-

Quo die ordinatus fuerit Epiſcopus.

AN. CHR. DC LXXIX. FEBR. VI.

mulari elegit obſequiis, ac toto corde vivificis Domini ſui obedire mandatis. Nec immeritò Apoſtolico vocabulo vivens meruit inſigniri, quorum exempla concupivit imitari: ſiquidem excelſis eorum meritis dignus habitus eſt particeps fieri, qui patriâ, parentibus, ac omnibus mundi poſſeſſionibus ſpretis, Chriſti elegit diſcipulus effici, ut heres ipſius mereretur inveniri, pro quo univerſas voluptates caduci contempſerat mundi. Nec tamen tantùm Apoſtolicis dignus eſt laudibus adæquari, ſed etiam Angelicis ſpiritibus ac univerſis agminibus cæli, &c.

VII. *Sermo de Elevatione ipſius quæ facta eſt à* LOTHARIO *cuſtode* XII. *Kalend. Octobris.*

Tob. 12. 7.

14. QUIA opera omnipotentis Dei enarrare fore honorificum, per Raphaëlem Archangelum cæleſtis medicinæ docemur bajulum, dignum arbitramur, immo neceſſarium, Elevationem corporis ſacratiſſimi Pontificis Chriſti Amandi memorabilem non tacere. Eſt quippe in ea & Divini miraculi portio non minima, & ejuſdem beati viri laudis ac ſanctitatis materies infinita.

Anno 809. ſepulcrum S. Amandi inundatione atcingitur. * c. XXX. *ſuprà*

15. Igitur anno Verbi carnem facti ſcilicet Filij Dei pro ſalute ac redemptione humani generis incarnati, octingenteſimo nono, qui erat annus à tranſitu viri Dei Amandi centeſimus quinquageſimus *, plurima ultra ſolitum aquarum inundatio facta, multis in locis metas ſuas exceſſerat, atque circumjacentes fluminibus agros damnoſa ſegetum vacuatione nudaverat. Quod periculi malum adeouſque excreverat, ut etiam incolæ fluminibus proximi habitacula avita cogerentur deſerere, & in ſublimibus colliculis, donec decreſcerent, mutatis tabernaculis habitare. Hæc verò excreſcentium aquarum copia de die in diem augmento imbrium intumeſcens, etiam oras fluvij vocabulo *Scarp* nimietate ſua impleverat, qui beatiſſimi Patroni noſtri Amandi tumulo pæne contiguus, non amplius ab eo quàm viginti paſſibus diſtabat. Qui quotidiano crementó ſupereffluens, intantum excrevit, ut ad ſacroſanctam ſacratiſſimi corporis ſepulturam accederet, atque omne illud ædiculæ ipſius ſpatium quod circa pedes adjacet, ſuperfuſis aquis impleret, ſiccúmque pergentibus ibi gradiendi iter negaret.

Corpus à Lothario levatur.

16. Hujus itaque incommoditatis triſtis eventus, Monachorum animis mærorem non modicum intulit, præcipuè verò venerabilem LOTHARIUM, ſacri Templi illo in tempore Ædituum, non mediocriter perculit. Cujus ſagacis animi induſtriam operúmque efficaciam, & corpora librorum noſtro archivo indita, ac totius Cœnobij in melius augmentata, etiamſi humana lingua taceat, fabricæ ſtructura clamat. Hic igitur inſoliti permotus novitate diluvij, ſecum cœpit pertractare mente ſagaci, quibus modis imminenti ſuccurreret periculo, aut tali ac tantæ perniciei quali obſiſteret ſuffragio. Sollicitus enim erat, ne uſque ad pretioſiſſimi Theſauri depoſitum, ſacri videlicet Patris corpuſculum, altiùs telluri, ut in altero ſermone diximus, à beatæ memoriæ Antiſtite Elegio defoſſum, eadem aquarum affluentia penetraret, atque ipſum circumflua humectatione & improbo auſu contingendo violaret. Tandem ergo ancipiti dubietate ſubmota ad hoc ſe ſalubre conſilium ſuſtulit, Divino (ut credi decet) inſtinctu animatus, quatenus ipſam ſacri corpuſculi urnam de inferioribus ad altiora ſubrigeret, eandémque deinceps ab omni hac alluvione tutiſſimam limoſáque pallude ſecretiſſimam ſua proviſione redderet.

17. Die igitur conſtituta Clericorum caterva ad tantum opus congregata, foſſores neceſſarios adhibuit, atque ſarcophago elevando plurimam diligentiam impendit. Quod ſummâ cautelâ, ut dignum erat, levatum, in ſiniſtra parte deponi fecit, ac feſtiva celebritate per ampla Ædis ſpatia lychnis relucentibus Miſſarum ſollemnia pro tanti Præſulis honore devotiſſimè exorſus, ſu-

per

per eumdem tumulum implevit. Et quamvis in circuitu ipſius ſepulcri, aquatilis humor extrinſecùs fuerit, non tamen intrinſecùs lutulentis ſordibus ſeu aquæ guttulis introitus patuit. Nec immeritò credibile eſt, Deum qui omnium creaturarum naturas pro ſuo arbitrio in quaſcumque vult rerum ſpecies transformat, ac tumeſcentia maria proprio nutu arenis quaſi habenis fortiſſimis frenat, etiam dilecti ſui cadaveri, tanti honoris beneficium præſtare potuiſſe: ut intra ipſius urnæ vaſculum, quo pretioſum tenebatur depoſitum, nihil intraret ſordium: ut cunctis fieret ejuſdem venerandi Pontificis meritum manifeſtum. AN CHR. DC.LXXIX. FEBR. VI.

18. Expletis igitur Miſſarum ſollemniis, paucis ſecum quos voluit ex Monachis retentis, ceteros abſcedere fecit, ac non tam temerario auſu, quàm fidelis animi devotione fervens, explorare diligentiùs amica curioſitate duxit congruum, quid ſub oculis poſitum intra uterum ſuum teneret vaſis receptaculum: ſimúlque æſtimans neceſſarium, ut ad devotionem venerandam quærentium, de pulvere carnis ſive de oſſibus illius tolleret aliquantam portiunculam Reliquiarum. Interea omni dubietate ſubmota, idem archicuſtos ad tumulum jam ſuperficie pavimenti poſitum humiliter acceſſit, atque operculo lapidis quo tegebatur remoto diligentiùs introſpexit. Et ecce obtulit ſe obtutibus illius vir cano capite reverendus, abſtinentiæ ac jejuniorum marcore quibus comitibus vixerat pallidus, ſanctitate morum meritorúmque præcipuus, incorruptione quoque membrorum ſuave fragrantium quaſi aromaticus ac toto corpore incontaminatus, hoc ſolo quod in ſepulcro jacebat dormienti ſimillimus, veſtimentis Pontificalibus honeſtâ pulcritudine adornatus. Res raritate ſui valde mirabilis, atque pro ſui magnitudine humano ſermone vix explicabilis. Qui enim putaverat ſe putrefactæ carnis, uti in mortuis fieri aſſolet, reliquias inventurum, reperit ultra æſtimationem, inviolati corporis memorabile prodigium. Quali hæc viſio digna miraculo, quámque immenſo ſtupore proxima fuerit, eloquentia humani ingenij effari nequit, quin minùs ariditas noſtri ſermonis hæc explicare ut decet, tenuiſſimis valeat verbis. Stupefactus igitur, ut par erat, tam inopinati viſione portenti, omnipotenti Deo debitis laudibus benedixit, tantorúmque donorum largitori gratias egit. Congaudens etiam tanti inventione theſauri, non modico iterum cœpit ſollicitudinis angore cruciari, multa animo volvens, quid ex ipſo ad commemorationem ſequentium pro munere deberet auferri. Corpus integrum reperitur.

19. Ubi verò fluctuantem animum anchorâ conſilij ſtabilivit, caſulam quâ erat indutus, à ſacratiſſimo ejus collo abſtulit, eumdémque in latus utrumque verſans, cannas arundinum fluviales, quæ ſub ipſo olim poſitæ fuerant propter humorem aquatilem, ſubduxit, ídque ſuis deſideriis minùs eſſe perpendens, niſi etiam ex corpore aliquam tolleret inviolatorum portionem membrorum, vertit audaces, ut ita dicam, ad cadaver venerabile manus, unguéſque ſpiritualis vituli cornua producentis & ungulas ſecuit. Quæ poſt obitum illius contra naturam ita excreverant, ut etiam manicas manuum ejus cremento ſuo penetrarent. Necnon & barbam Pontificis, noſtri ſcilicet Aaronis, poſt ſepulturam ipſius recreſcentem totondit. Caſula tollitur.

20. Hæc verò omnia ſibi ſummo devotionis obſequio recondens, nec ſibi tamen ſuíſque deſideriis ſufficere credens, ad os ſacratiſſimum per quod Divinæ pietati crebræ orationum preces fuerant fuſæ, ac variis populis frequentes prædicationes directæ, auſus eſt manum mittere, atque ſi aliquem de dentibus illius poſſet eximere, ſtuduit pertentare. Sed & cùm hoc pro eorumdem firmitate nequiret perficere, fabrili inſtrumento, tenaci videlicet forcipe uſus, de gingivis pulcherrimi oris duos dentes eduxit, rubicundo ebore, ut credi decet, ac antiquo ſapphiro pretioſiores. Mirum dictu fidelem quærens auditorem, quod contra naturam eſt! mortui cadaveris de dentibus eductis ſtillæ fluxerunt cruoris, hujúſque monimenti uſque in diem hodiernum teſtimonium acerra præ- Dentes duo extrahuntur fuſo cruore.

AN. CHR. DC.LXXIX. FEBR. VI. bet eborea, adhuc eodem quo infusa fuerat sanguine, cum ibi servandi mitterentur (mirabile dictu!) cruentata, &c.

Corpus in altiori loco reponitur.

21. Igitur ablatas de corpore viri Dei Amandi supramemoratas Reliquias congruo loco debito honore depositit: lapidum etiam cæsores, necnon & cæmentarios adhibuit, aliáque perplura, quæ ad hoc opus apta videbantur, exquisivit. Corpus verò venerabile à die duodecimo Kalendarum Octobrium quibus elevatum est, usque ad decimum Kalendarum Novembrium quibus restitutum est, per triginta duos dies supra terram manere permisit, ac die eodem, magno Cleri, populíque conventu congregato, in loco præparato recollocavit: urnámque sepulcri, non ut anteà fuerat in profundioribus posuit, sed in superioribus, itaut fundamentum illius videri, & lumen sub illo accendi posset, collocavit atque in eo illum Psalmi versiculum, *Hæc requies mea in sæculum sæculi, hìc habitabo, quoniam elegi eam*, suprascripsit. Utramque verò, Elevationem videlicet corporis atque Restitutionem, celebrem esse fecit, suis etiam successoribus honorabilem in perpetuo fore sanxit. Quod hactenus nos devotissimè hodierna celebritate colimus, ac nostros ut ea maneat cura posteros monemus.

Auctoris ætas.

22. Hæc nos cum à Patribus qui his interfuêre, & adhuc numerosi supersunt, audissemus, frequenti sermone narrantibus, silentio nequaquam infructuoso tegere permissi sumus: sed ad laudem Christi Pontificísque ipsius, licet vili dictatu, posteris transmisimus. Talibus & tantis usque in præsens virtutibus, ejus celebrabilis honoratur tumulus. De sanitatibus verò in Basilica ejus, qua requiescit, ipsius intervenientibus meritis patratis, aliqua hîc commemorare supersedimus: quoniam de his satis in libello vitæ illius expressa cognoscimus. Siquidem ad ejus Memoriam cæcitas visum, surditas auditum, debilitas gressum, & taciturnitas linguæ recipit officium. Hæc nempe quasi communia Sanctorum dona referre omittimus, quia ad ignem in ejus Memoria divinitus accensum stilus festinat stolidus, cui hebes prona devotione concurrit animus [a].

VIII. *De igne cæleſti in Memoria beati Amandi Divina virtute mirabiliter accenſo.*

23. DENIQUE anno ab Incarnatione Domini octingentesimo quinquagesimoquinto, à transitu verò beatissimi Amandi centesimo nonagesimoquinto, atque ab Elevatione corporis ipsius quadragesimoseptimo, die vigesimo mensis Septembris, celebritas anniversaria sæpedictæ Elevationis illius imminebat, quæ minùs digno devotionis studio sollemnis exstabat. Siquidem quotidianis diebus consueto contenta officio nullo feriali honorabilis erat obsequio: quam negligentiam Divino correctam prodigio sequenti manifestiùs liquebit

[a] Hanc historiam paullo aliter describit Alcuinus Epiggrammate 54. postquam in tribus præcedentibus de Basilica S. Amandi & Monasterio per GISELBERTUM Præsulem restitutis, de Ecclesia S. MARIÆ & de tumulo S. Amandi egit. Sic canit Epigrammate 54.

Dum ſacra præſentis pervadit limina Templi
Sæpiùs accreſcens cumulatur gurgite flumen.
Non tulit ARNONUS *fœdari Templa Sacerdos.*
Iuſſerat in melius renovari hæc omnia Præſul,
Latior ut fieret crypta & ſublimior iſta,
Supponens tectis firmatos ter quater arcus,
Myſticus ut totam firmaret calculus aulam.
Parvula præcelſo conſecrans tecta Miniſtro
Michaëli cœli Chriſti qui adſiſtit in arce,
Atque preces offert Sanctorum Rege Polorum.
HLOTHARIUS *Cuſtos fecit mandante Magiſtro*
Semper in æternum Chriſtus conſervet utroſque.
Qui legit hos verſus dicat rogo pectore puro
ALCUINO *veniam ſcelerum da Chriſte precamur.*

Item Epigrammate 64. ARNONUS *S. Amandi membra renovâſſe* dicitur. Et Epigram. 228. ARNONUS *Præſul jacentem* Basilicam renovâsse & *melius conſtruxiſſe*, atque in honorem S. Michaelis, S. Petri ac S. Amandi dedicâsse fertur, voluisséque *ut ſanctum polyandrum*, hoc est cœmeterium, *Fratribus eſſet*. In fine ipsius Epigrammatis Alcuinus seipsum Lectorum precibus commendat. In istis Carminibus observanda sunt quædam. Alcuinus in Chronico Turon. aliíque anno DCCC. IV. obiisse dicitur. Quî igitur hanc Amandi Elevationem quinto pòst anno factam ceciniſſe potuit? Deinde an Gislebertus in Epigr. 51. memoratus idem est cum Arnono, & quis ille Arnonus? Certè Gislebertus ex Abbate Elnonensi Noviomagensis Episcopus anno DCC. XXCII. obiit, Elnone sepultus: cujus Epitaphium citato loco Alcuinus composuit. Versus modò relatos Arnoni Episcopi Ecclesiæ Salzburgensi tribuit Vitæ S. Rudberti Scriptor Tomo 6. Antiq. lect. Canisij: at potiùs Elnonensi Monasterio convenire manifestum est.

eloquio. Non enim (ut aliquid etiam in tranſcurſu dicamus) Dei omnipotentis miracula ſive per ipſum, ſive per miniſtros ſuos acta, tantùm ad ſtrepitum & plauſum favorémque vulgi excitandum credimus patrata; ſed ad fidem corroborandam credentium correptionémque animarum errantium cæleſtia terrigenis monſtrari opera tenemus certiſſimum: ut quia quotidianis præceptorum ſacrorum admonitionibus non emendamur, portentis quibuſdam quaſi ſtimulatorum aculeis corrigamur. Et quia more generorum Loth obdurati, ut perituræ Sodomæ terga fugiendo præbeamus, atque ad montem virtutum aſcendamus obedire nolumus; fit ut nobis ſermonem Divinum qui per Loth figuratur, quaſi per ludum loqui videamus, terribiliáque præcepta mortem ac perditionem minantia juxta Prophetam in canticum oris noſtri vertamus. AN. CHR. DC. LXXXV. FEBR. VI.

24. Quid itaque iſto de quo loqui incepimus ſigno, ignis videlicet Divini accenſione nos admonitos putare debemus, niſi ut flammam geminæ dilectionis, Dei videlicet & proximi, in noſtris cordibus accendamus, qua in conſpectu ſummæ Majeſtatis lucere valeamus, vitiorúmque rubiginem de actibus noſtris ardore illius ignis, quem Dominus noſter in terram, hoc eſt terrena corda miſit, ad purum expurgemus, ut depulſâ plumbi, id eſt iniquitatis & peccati à nobis gravedine, ad cæleſte diadema noſtri Regis quaſi aurum puriſſimum nos præparemus? Sed de his ſatis, quámvis præpoſtero ordine dicenda fuerint, præoccupando diximus: nunc ad ipſius ſigni magnitudinem linguæ plectro & calamo ſcribere accedamus.

25. Die igitur qui jamdictam elevationem ordine temporis præcedebat, terminata ſynaxi veſpertinæ celebritatis, non ita pleno ut dignum erat apparatu luminis, neque etiam feſtivo conventu ut decebat turbæ popularis, ſolvebat ſol jam à curru flammeo ignivomos quadrupedes, ac fraterno amore ſorori Cynthiæ vicariam functionem præbebat; hácque viciſſitudine alternante, æmula nox cæruleo circumamicta peplo veniebat, Completoriíſque completis tenebrarum horror jam lucernis egebat; ac quoniam quieſcendi tempus jam venerat, Monachorum ſinguli lectiſternia petierunt cuſtodibus in aula Baſilicæ relictis. Qui more ſibi ſolito lucernis nocturnis horis ardere ſuetis accenſis, atque univerſis per tota Ædis ſpatia cereis exſtinctis, dum unus eorum poſt parviſſimi intercapedinem temporis diligentiam Templi obſervans rediiſſet, cereum ad Sancti veſtigia ardere ſolitum ac paullò antè exſtinctum fuſo cælitùs ignis candore reperit radiantem. Quem dum ab aliis æſtimat illuminatum, iteratò credit exſtinguendum. Sic à ſingulis viciſſim ſuccedentibus tertiò exſtinctus, tertiò nihilominus apparuit cæleſti igne coruſcus. Qua de re quod ſupererat in unum convenientes, ac ſinguli ſe eumdem exſtinxiſſe memorantes, & qui ipſum reaccenderit conquirentes, ita eumdem denuo exſtinguendum putaverunt, ut etiam carbonem qui ex filo remanſerat emunctoriis digitis adimerent, probare volentes utrùm rurſus repetito luminis candore radiatilis appareret. Necdum quippe rem tanti miraculi pleniter agnoſcebant: quamdam tamen animo ſollicitudinem de hoc facto jam omnimodis capiebant. Qua de re dum ipſum cereum quartò reaccenſum conſpicerent, ſtupefacti, immo perterriti, quòd quaſi temerario (ut ita dixerim) auſu eidem prodigio obviare exſtinguendo tentaviſſent, ipſum toties evindicatum à lumine ipſi conceſſerunt. Quid multis? permiſſus eſt ejus eſſe juris, cujus virtutis majeſtate tantis vicibus apparuit invincibilis. Diu itaque ſuper hac repentini novitate miraculi gaudio ſummo attoniti, tandémque dormitum euntes, ſtupidos oculos ſoporiferæ tradiderunt quieti.

26. Jámque nox ipſa tanto illuſtrata lumine propè tranſierat, & aurora rubeſcente Matutinorum ſollemnitas propinquabat, cùm interea cuſtodes grabatis quibus quieverant ſurrexerunt, ac de cereis ſeptem maximis qui ad caput viri Dei ſub ipſo mauſolæo intra cancellos ſub conclavi poſiti ſtabant, duos gemino candore flagrantes repererunt. Ex illo autem ad pedes poſiti quem paullò ante accendi viderant, unde iſti ad caput ſtatuti accenſi fuerunt non dubitabant.

AN. CHR. DC. LXXIX. FEBR. VI. Finitis verò Matutinorum ſollemniis, ac die jam clareſcente, vulgatâ facti famâ omne Monachorum agmen in Baſilicam venit, atque ſummæ, ſanctæ & individuæ Trinitati excelſis laudibus vocibúſque jubilantibus benedixit, Miſſarum deinde ſollemnia pro ejuſdem honore Patris ultra ſolitum devotiſſimè implevit. Auctoris ætas. Cujus inexplicabilis melodiæ cantilenam diutiùs protelatam ego ipſe qui hæc qualiacumque ſunt deſcribo, coràm poſitus & audivi auribus, & ignem oculis vidi, atque hos etiam verſiculos in ipſis concentibus tanto Pontifici dixi.

Lumen in æthereo quàm clarus haberis olympo
Monſtraſti Monachis, Præſul AMANDE, tuis.
Da famulis ambire tuæ conſortia vitæ,
Ut valeant donis participare tuis.

Hoc igitur geminum divinorum beneficiorum munus, elevationem ſcilicet ſacri corporis admirabilem, ac dationem ignis de cælo miſſi memorabilem, ſummo devotionis tripudio qui affuere celebrârunt, atque ut àpoſteris eorum honoretur decreverunt, credentes levamen adepturos æternum, qui ejus memoriam cum debita habuerint actione gratiarum.

APPENDIX EX LIBRO MIRACULORUM S. AMANDI,

Dum corpus per Franciam delatum eſt.

Auctore GISLEBERTO *Monacho Elnonenſi, teſte oculato.*

Incendium Elnonenſe. 1. ANNO ab Incarnatione Domini M. LXVI. à tranſitu verò S. Amandi CCCC. VI. ſub tertio Iduum Februariarum Elnone accenſæ ſunt domus in foro hora fere tertia, unde & in ipſam prædicti Pontificis Eccleſiam plumbeis tabulis tectam per tegulas ſub ipſis tabulaticis flamma prorupit, antiqui hoſtis (ut credimus) invidiâ. Quæ ipſa cum omnibus Clauſtris ſuis ſtatim eſt incendio devaſtata, necnon & Apoſtolorum Principis, ſed & * Andreæ alia germani ipſius * Eccleſia. Campanæ fundendo in pulverem ſunt redactæ, diruta etiam quæque ornamenta Eccleſiæ, columnas dico de pario lapide cum analogio honeſtæ fabricæ. Ubi quiddam contigit relatu digniſſimum, quod ſicut videntes & audientes in ſtuporem vertit non minimum, ita lecturis, ut reor, erit veluti monſtrum. Nam mox ut ipſæ campanæ à flamma ſunt invaſæ, cœperunt inſimul nullius niſi ſolius Dei impulſu reſonare, acſi divinitùs monerentur plangere ruinam ſui & Eccleſiæ, donec, ut prælibatum eſt, in pulverem ſunt redactæ.

Corpus S. Amandi defertur. * Lamberto ſeu Fulcardo 2. Cujus habitationis reſtituendæ gratiâ Fratres cum Abbate * ipſius loci ex conſulto Marchionis terræ atque Epiſcoporum, petitione quoque Francorum obnixa, feretrum quo corpuſculum venerandi Patris recubabat, per Galliam detulerunt: quos cum tanto Theſauro Galli ubilibet locorum honorificè & ſumma cum devotione ſuſceperunt. Exceſſimus ſanè Monaſterio VII. Idus Junij, repedavimus in idem ſub die IV. Nonas Julij. Quid autem hac intercapedine quatuor hebdomadum meritis ſæpedicti Pontificis coram immenſitate vulgi in ipſa regione ſit geſtum, non ducit mater Eccleſia reticendum.

Cameraci amens ſanatur. 3. Quædam itaque peragrantes loca, Cameracum urbem devenimus cluentem Pontificali Cathedra: in qua propter valvas quidam inſenſatus conſtrictis ariſſimè in nervo pedibus reſidebat, qui ut ab incolis palam factum eſt nobis, ob nimiam capitis amentiam quamdam propinquarum ſuarum ſauciaverat. Ubi cùm honorificè ab Antiſtite LIETBERTHO cunctóque ipſius loci Clero recepti hoſpitandi gratiâ commaneremus, illum miſerum donari S. Amando interpellavimus, quatenus ſolutum vinculis corporalibus, Sanctus cui donaretur apud Divinam

clementiam obtineret dæmoniacis abſolvi nexibus. Quod & ita factum eſt. Nam & Pontifex noſtris aſſenſum præbuit petitionibus, & ille Pontifex noſter cujus corpus deportabatur, liberam mentem eatenùs captivato à ſummo Pontifice Chriſto impetravit: itaut inde nobiſcum progrediens, nullum maleſani capitis indicium ultrà prætenderet. AN. CHR. DC. LXXIX. FEBR. VI.

4. Ab ipſa quoque urbe veſtigia detorquentes cum immenſo comitatu civium, tendebamus verſus opidum cui vocabulum eſt Coceïum: ubi multæ averſiones ab opidano ſeu judice ejuſdem loci, familiæ inferebantur S. Amandi, quæ circa ipſum degebat opidum. Sed ubi loco quò diſpoſitum erat tendere propiavimus, ecce quemdam Preſbyterum Eccleſiæ in honore S. Remigij exſtructæ, Aldonem nomine, cum plebe promiſcui ſexus non modica obvium habuimus humiliter deprecantem, ut thecam tanti Pontificis in ipſam S. Remigij Eccleſiam deferri, ibíque paullulum requieſcere permitteremus. Eſt autem ab hoc loco non multùm diſtans quidam viculus quem dicunt Vernulium *. In hoc jacebat mulier ſtratu recubans ob immenſum languorem membrorum, quæ à lecto nequiverat egredi per curricula bis quinque annorum. Hæc ubi aure percepit ſonos & cantus plebis eò divertentis, cauſam percunctatur. Cúmque didiciſſet corpus S. Amandi à fidelibus turmis illò transferri, continuò in hæc verba prorupit: O ſi daretur me ſaltem manibus reptantem quaſi quadrupedem obviam fieri! implorarem Sanctum quatenus interventione ſacra meæ ſuffragaretur imbecillitati. Sed cùm inhianter arderet quæ optaverat completum iri, interventu tanti Patris, ejus vota clemens prævenit Dominus. Confeſtim denique ſanguis diſcurrens circa nervos membra languidæ firmavit &c. * Coulſy diœc. Lugdunenſis. * Verneuil

Deinde duo ſubduntur miracula, de hujus feminæ conſobrino loquelâ donato: de puero debili ſanitati reſtituto in ipſo limine portarum caſtri prælibati.

5. Poſtea denique aurora finem dante montem Laudunij acceſſimus, ipsúmque ſtatim conſcendimus, atque ibi ab Epiſcopo ELENANDO univerſóque ejuſdem loci Clero cum ingenti veneratione recepti eo die quievimus. Laduni miracula facta.

Illic inſanus mentis compos effectus in Eccleſia S. Mariæ, *clauda mulier erecta, cæca illuminata, mutæ loquelæ conceſſa.*

6. Inde utique cum immenſa vulgi alacris preſſura detorquentes veſtigia, proceſſimus tendentes verſus Noviomi mœnia. Jam currum immergere ſol Oceano parabat aureus, cùm caſtellulum quod vocant Calneïum * advenimus: ibíque hilariter hoſpitio recepti noctu quievimus. Calneij. * Chauny opid. ad Oeſiam.

Ibi matrona puerum à nativitate cæcum habens, noctem pervigilem duxit, excubans ſub feretro S. Amandi. *Monachi Elnonenſes ab ea rogati*, dentem ſæpedicti Patris fabrili opere, auro decenter politum, baculum quoque ſumentes quo prædicationis ſuæ rexerat præſulatum, poſuerunt ut popoſcerat genitrix ſuper loca luminum: parvóque expleto intervallo, mox pueri ocelluli ſuo utuntur officio: nec mora Canonici proſiliunt ad campanas, nos autem (*inquit Auctor*) cum populo in laudes prorupimus Divinas.

7. Dehinc Noviomum * quò ire pergebamus pervenimus, ibíque S. Eligij quondam S. Amando, dum uterque adviveret, familiariſſimi loculos geminos, alterum cum Monachis, alterum verò cum Clericis obviam habuimus. Ubi ex diverſis quibuſque ordinibus ſuburbani, opidani, Clerici cum Monachis affuêre, qui noſtri Patroni thecam cum immenſa ſuſcipientes veneratione ac ſumma devotione, in ipſam Pontificalis Cathedræ Eccleſiam detulêre. Tenſo itaque in platea urbis noſtro papilione, iidem haud ſine ipſius loci Antiſtite BALDEWINO reverenter recipientes, eò aſportavêre tanto gaudentes hoſpite. Ubi nocturnis de more expletis vigiliis, Matutinorum quoque noſtratim peractis ſollemniis, en mulier affuit oppreſſa enormi dolore vertiginis, intantum ut ſurſum aut dextrorſum ſive ſiniſtrorſum non valens caput deflectere, foret gaudio caſſa luminis. Quæ ſecus feretrum adſtans ad ipſam uſque mediantem lucem diei, reddita eſt incolumis. Noviomi * Noyon

Subditur curatio hominis diſtorto pede laborantis, additque Auctor: ad præſens ea ſcribimus dumtaxat, quorum noſtros oculos non latuerunt inſignia.

AN. CHR. DC. LXXIX. FEBR. VI.

8. Sed & illud reticere non ducimus commodum, quod Duaci * perſpeximus inſigniter perpetratum. Quædam namque inter alias incolumis proceſſit nobis femina, ſed neſcio cui reatui obnoxia, non eſt inventa Sancto occurrere digna: fortaſſis in eum alicujus blaſphemiæ rea, quam necdum dignâ punierat pœnitentiâ. Unde factum eſt, ut ſtatim ubi domum rediit, pedes ejus natibus, manus quoque pectori quaſi clavis infixæ hærerent ac ſemimortua jaceret. Hanc utique vidimus ipſi ad perfugium noſtri Patroni quaſi mortuam, atque nullum penitùs in ſe vitæ ſpiraculum prætendentem quodam deferri vehiculo: ſed non multo pòſt vidimus eam pedibus reſolutis ac manibus verſa vice coram ipſo erectam adſtare feretro. Hæc ſunt quibus per Gallicam provinciam beatiſſimi Amandi merita eâ tempeſtate declarare dignatus eſt Dominus.

* Duaci *Douay*

Ex libro Mirac. S. Amandi dum corpus ejus per Bracbantum delatum eſt.

9. Anno Dominicæ Inc. M. C. VII. Cœnobio Elnonenſi præſidente domino Abbate Hugone vigeſimo ſecundo anno ordinationis ejus, feriâ ſecundâ Pentecoſtes, deportatum eſt corpus Sancti in Bracbantum. Ventum eſt ad prædium Sancti quod dicitur Anduennium *, & ad aliud quod dicitur Ad S. Salvatorem: populus unde multus accurrit. Ibi quædam mulier ægra per decem & octo annos in lecto decumbens corporis infirma parte, id eſt cruribus & tibiis debilitata, audivit Sanctum tranſire. Facit illuc ſe deportari, ponitur ſub feretrum Sancti: ubi per aliquot horas præ nimio dolore volutata populis adſpicientibus rectè ſubrigitur, adſtat ſana.

* *Auvain* ad Ronam fl.

10. Cum de Anduennio ad Geraldi montem deportatum corpus Sancti, de Geraldi monte ad Herlengovam defertur ſui juris villam.... Cúmque circa horam tertiam ante ſacratiſſimum corpus inciperent Miſſam celebrare, viſus eſt in cælo circulus candidi coloris ſupra corpus Sancti reſplendere: támque diu permanſit, donec Sacerdos Miſſam explevit.... Inde perlatum eſt idem pretioſum corpus ſuper terram, unde ſibi violenter à quibuſdam malignis hominibus injuria fiebat; per ſilvas & terras quas illi per injuſtitiam invaſerant: hos quoque Sanctus æquiſſimè nullo reſiſtente ſubjiciens mancipavit. Atque in præſentia Sancti corporis, cui viventi S. Petrus Apoſtolus poteſtatem ligandi dedit atque ſolvendi, omnes qui deinceps de terris illis ac ſilvis aliquam Sancto præſumerent injuriam inferre, Fratrum qui Sanctum comitabantur & circumſtantis populi conſenſu, oris & vocis proclamatione ſunt excommunicati.

Excommunicantur bonorum Eccleſiæ invaſores.

Subjicitur deinde contracti pueri curatio in itinere Gandam verſus; & puellæ cæcæ & ſurdæ in quadam terra de qua miles quidam Razo Demonto Sancto faciebat injuriam, *qui miles viſo miraculo reſipuit.* Item miraculum de auditu ſurdo reſtituto Tornaci &c.

Mulier ſponte ſuſpenſa vitæ reſtituitur.

His omnibus addit Henſchenius Epiſtolam MARSILIÆ Abbatiſſæ *Rotomagenſis* ad BOVONEM Elnonenſem Abbatem, *quâ Epiſtolâ* Marſilia Abbatiſſa Ancillarum Chriſti ultima & univerſa Sororum congregatio in urbe Rotomagenſi Deo & ſancto Præſuli Amando ſerviens *teſtatur*, quamdam illuſtrem feminam in pago Lyſiacenſi * anno Dominicæ Inc. M. C. VII. *ex zelotypia triſtem & deſperabundam*, ad Eccleſiam B. Amandi adductam, cui hoc ſpecialiter genus virtutum à Salvatore collatum creditur, ut ei nulla vis dæmoniaca valeat reſiſtere. Tunc ab his qui integræ fidei & intellectu perſpicaciores erant decretum eſt, ut aqua dolio infuſa benediceretur, & in craſtino per manus Sacerdotum cum invocatione nominis Chriſti & ejus virtutis ac poteſtatis ibidem deponeretur. *Quod ipſa refugiens, noctu facto ex parte pepli quo caput tegebat ſtrangulo ſeſe ſuſpendit. Exanimis in terram depoſita, cùm antea* Archidiaconus conſilium dediſſet, ut antequam illuceſceret, cadaver de Eccleſia abſtraheretur, & quamlibet in foveam projiceretur; *invocato à Sanctimonialibus S. Amando vita reſtituta eſt.*

* *Lizieux*

DE TESTAMENTO ET RELIQVIIS S. AMANDI.

AN. CHR. DC. LXXIX. FEBR. VI.

1. ANTEQUAM Amandum dimittamus, juvat quædam de ejus Reliquiis obſervare, ac referre ejus Teſtamentum à Milone ſuprà cap. 6. laudatum, à Philippo ejus Actis inſertum ſub hac forma:

In nomine Domini noſtri JESU-CHRISTI, *ego* AMANDUS *miſerrimus, & peccator. Credimus ubique Divinam nos pietatem regere & clementer ſalvare velle, quia & ingreſſum noſtrum in mundum, & exitum de mundo ante ſæcula ipſe prænoſcit. Proinde omnibus non habetur incognitum, qualiter nos longè latéque per univerſas provincias ſeu gentes propter amorem Chriſti ſeu verbum Dei annuntiare vel Baptiſmum tradere diſcurſum habuimus: & nos de multis periculis pietas Dei eripuit, & uſque tempore iſto perducere dignatus eſt. Sed dum jam corpore feſſo & multis laboribus fatigato jam in ſummâ ſenectute pene corpore præmortuo exitum de hoc mundo in proximo habere ſperamus, & quia nos Deus in iſtum locellum qui vocatur Elnonis perducere dignatus eſt, quem ſuper largitate Regia proprio labore viſi fuimus conſtruxiſſe; Si nos ibi Deus de hoc mundo decreverit emigrare, peto & coram Chriſto* JESU *filio Dei conjurare præſumo, ut nulli Epiſcoporum vel Abbatum, ſeu ſæcularium virorum, aut quibuſlibet poteſtatibus hoc contrarium ſit, ut corpuſculum meum in ipſo Monaſterio quòd ſuperiùs diximus Elnone, inter illos Fratres requieſcat, ubi jam nos ad ipſos Fratres & corpore & animâ commendavimus. Et ſi in itinere, aut ubiubi finis noſter provenerit, ad ipſum locum, quem ſuperiùs memoravimus, corpuſculum noſtrum licentiam habeant Fratres vel Abba de ipſo Monaſterio Elnone ibidem revocare. Si quis verò contradicere, aut de ipſo Monaſterio corpus meum per fortia abſtrahere, aut temerario ſpiritu contradicere voluerit; imprimitùs ſanctæ Trinitatis incurrat offenſam, & ab omnibus Eccleſiis Catholicis excommunicatus appareat, & à ſocietate Sanctorum extraneus efficiatur: & damnationem quam Dathan & Abiron ſuſtinuerunt, quos infernus vivos abſorbuit, ipſe ſuſtineat, & ſit anathema maranatha, quod eſt perditio, in adventu Domini noſtri* JESU-CHRISTI. *Et nec ſic noſtram voluntatem mutare valeat; ſed hæc deliberatio noſtra in perpetuo firma & inviolata permaneat. Et ut certiùs credatis, manu propriâ ſubſcripſi: & omnibus hominibus Deum timentibus ut ſubſcribant ſupplicamus & rogamus. Quam Epiſtolam Fratri noſtro* BAUDEMUNDO *Preſbytero fieri rogavimus. Facta epiſtola in Monaſterio Elnone anno ſecundo regni Domini noſtri* THEODORICI *glorioſi Regis ſub die decimâ quintâ Kalend. Maij. Ego* AMANDUS *peccator hanc epiſtolam à me factam conſenſi & ſubſcripſi. Ego in Chriſti nomine* REOLUS * *acſi peccator ſubſcripſi. Ego in Chriſti nomine* MUMMOLENUS * *Epiſcopus ſubſcripſi. Ego in Chriſti nomine* VINDICIANUS * *ac ſi peccator Epiſcopus hanc epiſtolam rogante Domno Amando conſenſi & ſubſcripſi. Ego* BERTINUS *Abba* * *ſubſcripſi. Ego* ALDEBERTUS *Abba ſubſcripſi. Ego* JOHANNES *rogatus à Domno Amando conſentiens hanc epiſtolam ſubſcripſi. Ego* BAUDEMUNDUS *peccator jubente Domno meo Amando hanc epiſtolam deliberationis ſuæ ſcripſi & ſubſcripſi.*

* Epiſc. Remenſis
* Noviomenſis
* Cameracenſis
* Sithivenſis

2. Hactenus Teſtamentum S. Amandi, cujus votis factum eſt faris, ſiquidem ſepulturam fortitus eſt in Monaſterio Elnonenſi, ubi etiamnunc ejus Reliquiæ in theca inaurata affabrè elaborata oſtenduntur. Certè continua ac perpetua ſacri depoſiti poſſeſſio Elnonenſibus poteſt vindicari his argumentis. Amandi corpus è tumulo poſt annos à morte ſexdecim elatum eſt, & in nova S. Petri Eccleſia depoſitum. Deinde ineunte ſæculo IX. è terra levatum per Lotharium Æditum. Anno M. LXVI. ad inſtaurandam Elnonenſem Eccleſiam, quæ fortuito incendio conflagraverat, defertur corpus S. Amandi per Galliam. Denique anno M. C. VII. per Bracbantum: quæ omnia ex ſuperioribus conſtare videntur. Nulla poſthæc neceſſitas corporis ſacri aliò transferendi. Et tamen *anno* M. CC. LXVII. *S. Amandi Epiſcopi corpus* inventum dicitur in Eccleſia Monaſterij noſtri S. Germani Pratenſis prope Lutetiam Pariſiorum: cujus inventionis hiſtoriam aboculato teſte conſcriptam, hactenus ignotam, ſic accipe ex Mſ. cod.

Reliquiæ apud Elnonem.

Quoniam (ſicut dixit Iſidorus) litteræ ſunt indices rerum, ſigna verborum, quibus tanta vis ineſt, ut nobis dicta abſentium & præteritarum facta ſine voce loquuntur; & uſus litterarum repertus fuerit propter memoriam rerum, ut ne oblivione fugiant litteris alligentur. In tanta enim varietate nec dici audiendo poterunt omnia, nec memoriâ retineri. Indignum enim reor ſub ſilentio præterire, qualiter beatiſſimi Chriſti Confeſſoris AMANDI *Trajectenſis Epiſcopi venerabile corpus in Eccleſia invictiſſimi Martyris Vincentii, necnon glorioſiſſimi Confeſſoris Chriſti Germani Pariſienſis Epiſcopi repertum fuerit. Eſt igitur illa prædicta Eccleſia conſtitutione antiquiſſima, multis Sanctorum fulta patrociniis, quorum corpora ibidem honore condigno ſepulta ſunt. Sed quia peccatis exigentibus civitas Pariſienſis cum ipſo Monaſterio vaſtata fuit, pluries à barbaris deſtructa, neceſſe fuit Monachis aut ſuccumbere gladio barbarorum, & à prædonibus Sanctorum capſas dirimi, ac Sanctorum Reliquias occultare, vel etiam dare fugam. Sicque actum eſt, ut quorumdam occultantes corpora in ſubterraneis & obſtructis armariolis, diſperſi per patrias cum quorumdam Sanctorum corporibus abirent. Sed ingraveſcente moleſtia præliorum, Regnum Francorum pene deſtruitur.*

AN. CHR. DC. LXXIX. FEBR. VI.

Tunc hinc & inde properantes Monachi multas invenientes vastatas Ecclesias, & urbes penitus desolatas, multa Sanctorum corpora pluribus in Ecclesiis sine honore condigno civium repererunt. Siquidem ea deportantes ad Monasterium proprium, tandem pace restituta in prædicto Monasterio sunt honorificè collocata. Nam à Cordubensi Hispaniarum civitate pretiosum Martyrem GEORGIUM *Bethleemitem Monachum, & illustrissimum militem* AURELIUM, *sed & beatam ejus conjugem nomine* NATALIAM *ad præfatum Monasterium detulerunt. Ceterùm à Nortmannia gloriosum Archipræsulem* THURIAVUM, *qui minoris Britanniæ Dolensium rexit Ecclesiam, cum* B. LEUTFREDO *Abbate sanctissimo, sub quo dictus Archipræsul decus Pontificis derelinquens, Monachi sumpto habitu monachatus est in Ordine sacro. Sed quia longum est singula de singulis scribere, multa Sanctorum corpora undecumque ad suam Ecclesiam detulerunt. Inter quæ venerabile corpus S. Amandi Trajectensis civitatis Episcopi à partibus Alamanniæ creditur adventâsse. Sed (ut superius præfatum est) præliorum ingruente violentia, in subterraneis armariolis obstructis diu Sanctorum ipsorum corpora latuerunt: quia qui ea occultaverant, martyrio sunt consumpti. Fuit autem supradicti Præsulis corpus venerabile in quodam armariolo Ecclesiæ præfati Germani reconditum retro videlicet altare sanctissimi Thuriavi*. Sed hoc jam ferè ab antiquorum memoria recedebat: licet (non tamen humanâ scientiâ, sed sola inspirante Divina clementia) quòd inibi veneranda membra Pontificis requiescerent diceretur. Siquidem ad illud altare multorum peregrinorum conventicula cotidie affluebant, ut à suis languoribus sanarentur. Ibi advenientes cum devotione steriles, meritis Sanctorum Præsulum post modicum temporis fecundari se gaudebant. Sed & si clausum in utero puerum prægnantes timuissent abortivum projicere, illuc venientes cum oblationibus & candelis, partus à periculo meritis Sanctorum continuò salvabatur. Sed quia dictum altare operis erat vetustissimi, illud voluerunt Monachi in meliori schemate reparari. Anno igitur verbi incarnati* M. CC. LXVII. *Pontificatus Domini* CLEMENTIS *sacrosanctæ Romanæ Ecclesiæ Papæ IV. anno 3. regnante piissimo Dei cultore,* LUDOVICO * *Rege Francorum illustrissimo, regni vero ipsius 41. dies festivus apud Parisios ab ipso per maximus sub die Pentecostes indicitur. Quo filium suum Philippum nobilissimum juvenem cum aliis pluribus Regni ipsius Proceribus voluit fieri milites. Ad præfatum siquidem diem multitudo copiosa Prælatorum, Comitum & Baronum, & aliarum gentium ab omni Regno Franciæ colligitur. Tunc inaudita festivitas & incomparabilis Parisius celebratur. Igitur pridie Nonas Iunij videlicet illo die quo vigilia Pentecostes celebrabatur, venientes Monachi prædictum armariolum fregerunt: & introspicientes viderunt capsam unam ligneam, ex panno serico coopertam. Tunc Monachi cum timore & reverentia albis induti foris ab armariolo capsam hujusmodi abstrahentes, super altare deposuerunt sanctissimi Thuriavi. Discooperta verò capsa viderunt sacrata membra Pontificis in panno serico involuta. Igitur sollicitè perquirentes, si scripta possent aliquatenus inveniri, quæ certos eos redderent cujusmodi essent hujusmodi Reliquiæ; sed adhuc minimè reperientes, hæsitantes quid deberent facere, non modicum turbabantur. Nam quidam eorum volebant ut armariolo unde extractum fuerat; alij verò contradicentes ut in sacrario cum aliis Sanctorum capsis collocaretur, aiebant. Dum hujusmodi fit inter ipsos altercatio, subitò quidam eorum prosiexit interiùs, vidénsque schedulam & eam accipiens ad manus Prioris tradit ad legendum. Tunc aperta schedula legit Prior audientibus omnibus:* HIC JACET S. AMANDUS EPISCOPUS. *Quo audito omnes repleti lætitiâ clamaverunt:* Te Deum laudamus. *Pulsantibus itaque signis & Monachis in laudem Dei psallentibus, convenit multitudo non modica tanto rumore concita. Tunc omnibus qui aderant Clericis & Monachis ad legendum schedula ostenditur, & omnibus ad deosculandum traditur. Postea in sacrarium psallentibus Monachis corpus sanctissimum deportatur. Omnibus siquidem hæsitantibus quid de theca ubi corpus sanctissimum erat reconditum facere deberemus; cùm de ipsa theca latus superius ex toto deficeret, nunc alicubi fuisset repertum, sed ex eo latere maneret totaliter discooperta. Et hoc utique creditur accidisse propter vicinam infestationem Vvandalorum persequentium vel Gothorum, aut propter celerem fugam quam Monachi citiùs arripere cogebantur: sicuti nos credimus eosdem Monachos sagaci consilio hoc egisse, ut viliori thecha & etiam non serata sinè magnarum copia litterarum seu etiam sigillorum membra sanctissima collocarent: ne fortè infideles prædictum armariolum frangerent, veluti qui nihil aliud quam thesauros quærentes reconditos, honore condigno sepulta membra Pontificis invenirent, & sic de eisdem aliquid sacrilegum perpetrarent: quoniam infideles tanto odio habent Fidelium corpora, ut ea tradere soleant ignibus, aut aliquando projiciunt in cloacam. Illud siquidem credimus divinitùs accidisse, quòd sic fuerint membra Pontificis reservata in viliori loco, theca vilissima, sine literis aut sigillis, præterquam superiùs nominatam minimam schedulam, & illam scilicet occultatam: quia quod propriis oculis Monachi viderant, & manus propriæ tractaverant, oblivioni tradendum deinceps nullatenus existimabant: ut si forsitan à perfidis sanctam corpus inventum fuisset aliquatenus, quasi alterius hominis ossa spernerent, ut etiam sepulturam: cùm apud illos moris semper exstiterit usitatus, suorum corpora mortuorum, & Magnatum præcipuè honorificentissimè sepelire. Nunc igitur vertamus calamum ad incepta & rem gestam per ordinem narremus. Acciderat siquidem quod prædictus Rex ad tanti diei sollemnia celebranda quamplurimos Regni sui Prælatos & Proceres provocarat, inter quos* GERARDUS *Abbas nostri Monasterij exstitit evocatus. Et quia absente Abbate*

* *S. Thuriavi etiam S. Amando dedicata fuerat anno 1163. quo Alexander Papa III. Basilicam S. Germani consecravit. anno 1227.*

* *nono scil. & Sancto.*

S. Amandi Episcopi corpus inventum,

tempore crucesignationis,

bate ſacra membra contingere nullatenus audebamus, nec etiam juſtum erat ut hoc ſine magnorum copia peritorum fieri debuiſſet, adventum ipſius præſtolavimus in craſtinum, ut per ipſum quid inde deberet fieri, ſanius conſilium haberetur. Involutâ ſiquidem thecâ, prout melius potuimus, in quodam panno ſerico circumligavimus eam ſtolis quamplurimis, omnibus modis ſigilla per circuitum imponentes: ne quis ſancta pignora qualibet occaſione poſſet contingere. Tunc thecam ſuper altare Patroni noſtri ſanctiſſimi Germani repoſuimus, ibidem cuſtodibus deputatis, qui uſque ad adventum Abbatis nocte dieque corpus ſanctiſſimum cuſtodirent. Hîc duobus miraculis cedo locum. Et factum eſt in una dierum nobis omnibus in Capitulo congregatis Abbatem noſtrum prædictum tum unanimiter petivimus, ut ſuper præmiſſis conſuleret reverendum Patrem SIMONEM tituli ſanctæ Cæciliæ Preſbyterum Cardinalem, Apoſtolicæ Sedis Legatum: qui jam per triennium Pariſius moram fecerat pro decimis colligendis, quæ Eccleſia Gallicana ad ſubſidium Romanæ Eccleſiæ & Regnorum ſibi adjacentium conceſſerat per triennium colligenda. Quæ Regna iniquiſſimus MANFREDUS impiiſſimi FREDERICI filius occupaverat violenter, cum multitudine Saracenorum & aliarum gentium innumerabili. Sed CAROLUS Comes Frater prædicti Regis Franciæ qui ad rebellandum hinc à Romanis fuerat evocatus, tam de ipſo Manfredo quàm de ſuis militibus victoriam obtinuit una die, & ſibi totam terram penitùs ſubjugavit. Eſt hæc terra ciborum fertiliſſima, quos ad partes tranſmarinas Saraceni qui tunc morabantur in Apulia, navigio ſuis complicibus transferre conſueverant. Et ideo in Regno Apuliæ fecerunt Nucherias nobiliſſimam civitatem in qua nuſquam alius habitabat niſi ſolummodo Saraceni. Hac ſiquidem capta civitate, & occiſis habitatoribus, ne tranſmarinis de cetero ciborum ſubventio fieret, à Comite penitus inhibetur, ſine quibus in illis partibus nullatenus poterant commorari. Urgente verò fame ſuis Principibus & Soldanis ſunt conqueſti de illa ciborum quam patiebantur penuria. Tunc egreſſi ſunt unanimiter inimici Fidei contra Chriſtianos adeo debellantes, quòd eorum pleroſque ad dicti fluminis ripas finitimas repulerint, & terræ ſanctæ loca deſtruxerint. Hoc audito rumore peſſimo, Rex LUDOVICUS & CAROLUS cum ſuis Regni Proceribus condolaerunt mirabiliter terræ ſanctæ. Tunc prædictus Legatus prædicationem Crucis exorſus eſt. Sicque factum eſt, ut ipſe Rex cum fratribus & filiis, & multitudo non modica Militum, Comitum & Baronum, necnon promiſcui ſexûs plebs innumerabilis cruces acceperint pro ſubſidio terræ ſanctæ. Tum Crucis prædicatio longè latéque diffunditur: hácque de cauſa & pluribus aliis negotiis dictus Legatus multipliciter occupatus, quamvis promiſiſſet ſe venturum tam ſua devotione quàm Abbatis noſtri precibus excitatus ad Sancti pignora reviſenda, tamen his præpeditus negotiis non potuit perſonaliter intereſſe. Sed miſſis venerabilibus Patribus, ODONE ſanctæ Genovefæ, & GERARDO noſtri Monaſterii Abbatibus, ſed & Magiſtris CLEMENTE[a] Archidiacono Laudunenſi, & BARTHOLOMEO Canonico Aurelianenſi, tale dignum commiſit officium, ut Sancti corpus valerent de theca in qua manebat tollere, & in alia honorificè reponere. Statuto denique die Veneris ante feſtum B. Mariæ Magdalenæ, quo hæc debebant fieri: & illuceſcente die ad noſtrum Monaſterium convenerunt: celebratáque Miſſa ſollemniter in honorem ſanctiſſimi Confeſſoris Chriſti Amandi ad altare B. Germani, theca ſuper altare S. Vincenti deportatur ab ipſis Abbatibus indutis ſollemnibus ornamentis. Tunc de theca ſancti corpus extrahitur, & ſuper altare membratim deponitur: intuentes ſolliciè, ſi apud nos MEMBRA OMNIA EX INTEGRO haberentur. Sed nulli deinceps aliquomodo dubium habeatur, quin omnia membra totaliter haberemus. Omnes ad hoc præſentes adfuimus, adfuit ſiquidem quidam ſollemnis Nuntius Hiſpaniæ Regis qui nobis ſuas direxerat litteras, ut illi de noſtrorum Sanctorum Reliquiis mittere deberemus: illud nobis humiliter ſupplicando (hoc enim in ſuis litteris aiebat) quòd pro victoria quam ei Deus eodem anno dederat ſuper pluribus millibus Saracenorum, cum quibus diu dimicaverat, ſed omnibus ipſis interfectis, & à Regnis penitùs effugatis, Eccleſias undecumque conſtruere faciebat: nam illis in locis nulla penitus erat Eccleſia) & idcirco Sanctorum Reliquias requirebat, ut in Eccleſiis honorificè reponeret, & in honorem ipſorum eſſent Eccleſiæ conſecratæ. Prædicto ſiquidem Regi ſancti Amandi mentum mittitur cum omnibus dentibus inferioribus: caput cum aliis noſtris ſanctuariis in cuſtodiam ſacriſtæ traditur: de coſtis, dentibus, & digitis ab Abbatibus retinetur. Poſthæc Reliquiæ corporis primo in quadam pala mundiſſima, & poſt in panno ſerico diligentiùs involvuntur. Circumligatis itáque ſigilla ſua cum ſchedulis & magnis litteris ſigillatis, quæ rei geſtæ memoriam retinerent, tam Abbates quàm alii miſſi impoſuerunt. Nos itaque credentes quòd in aliis armariolis adhuc eſſent abſcondita Sanctorum Reliquiæ, petivimus ut omnia pariter armariola frangerentur, & quid eſſet interiùs videretur. Fracto igitur S. Nicolai armariolo vas vitreum invenitur: ſed ruente lapide frangitur. Erat ſiquidem ſanguine coagulato plenum, mixtis oſſibus, dentibus & veſtimentis, lapidibus & aliis minutis rebus. Quo viſo mirati ſunt univerſi, ſed cujus ſanguis iſte fuerit penitùs ignoramus. Niſi fuerit de glorioſis Martyribus Georgio, Aurelio, Natalia, Felice & Liliosa: qui dum ad martyrium traherentur, ora eorum & corpora lapidibus contundebantur. Quorum ſanguinem quædam Deo devota mulier collegit, & poſt mortem corpora ſepelivit: de quibus quorumdam corpora nobis ab Hiſpaniis ſunt allata. Tunc ſancti membra Pontificis in quodam ſcrinio nobili reponuntur: Sanguis verò in ſimili

AN. CHR. DC. LXXIX. FEBR. VI.

Simone Legato Apoſtolico.

Reliquiæ examinantur.

Corpus integrum reperitur.

Auctor teſtis.

Mentum Legato Hiſpaniæ conceſſum.

a

a Is ſepultus eſt in Monaſterio ipſo Germanenſi, exſtatque ejus tumulus ante Capitulum rudi Epitaphio donatus.

AN. CHR. DC. LXXIX. FEBR. VI.

scrinio in panno serico involutus, & firmatus scriniis, impositio Responsorio cantantibus Monachis in Pontificalibus signis hinc & inde juxta sanctum Leutfredum super majus altare reponuntur. Acta sunt hæc in Ecclesia B. Germani, anno Domini M. CC. LXVII. *idibus Julij.*

Cujus Amandi Reliquiæ?

3. Ex ipsa narratione intelligitur, non partem tantùm Reliquiarum S. Amandi, sed *membra omnia ex integro* hic fuisse inventa. Et quidem in Ecclesia nostra Germanensi adservatur etiamnunc S. Amandi caput scrinio inaurato inclusum, & major pars Reliquiarum in theca ex ligno deaurato reposita. Cùm ergo Elnonenses Cœnobitæ non sine fundamento affirment, S. Amandi corpus penes se haberi; non deerunt forsitan qui opinentur, corpus S. Amandi in Pratensi Monasterio inventum, non Amandi Trajectensis Episcopi, sed alterius S. Amandi Episcopi esse. Nam & plures fuisse Amandos diximus in Observationibus prævis, & in scheda reperta cum corpore scriptum erat dumtaxat, *S. Amandus Episcopus*, nulla sedis mentione facta. Hæc amore veritatis sincerè exposuimus, æquis lectoribus permisso judicio. De S. Amando satis.

AN. CHR. DC. LXXIX. JUN. XXIII.

VITA S. ETHILDRITÆ VIRGINIS ET REGINÆ, ABBATISSÆ ELIENSIS PRIMÆ.

Auctore THOMA Elienſi Monacho, qui ſæculo XII. vixit.

Ex Mſſ. codd. RR. PP. Benedictinorum Anglic.

OBSERVATIONES PRÆVIÆ.

* *Sainte Audry. Vitæ Auctores.*

SANCTÆ ETHILDRITÆ * *ſeu* ETHELDREDÆ EDILTRUDISVE *geſta breviter deſcripſit venerabilis* BEDA *in lib. 4. Hiſt. cap. 19. latiùs explicavit* THOMAS *Monachus Elienſis, qui altero libro ſanctæ Reginæ Tranſlationem anno* M. C. VI. *factam complexus eſt. Exſtant in Monaſtico Anglicano quædam fragmenta iſtius Vitæ à nobis primùm ex Mſſ. codd. erutæ, cujus ſcriptor Thomas ſe Monachum Elienſis Cœnobij profitetur in hiſtoria Tranſlationis cap. 2. his verbis:* Quapropter, Fratres cariſſimi, à vobis qui non momentaneè, ſed continuè tantæ Virginis memoriam in conſpectu præſentiæ ſacri corporis juſtè & ſanctè recolitis, & orandum eſt, & attentiùs orandum *&c. Vivebat Auctor non multo poſt illam Tranſlationem, uti apparet ex cap. 2.* Hoc verò ſolùm, *inquit*, de pluribus quæ in Tranſlatione contigerunt ſacratiſſimæ Virginis ac Reginæ Etheldredæ ad æternam referimus memoriam, quod Fidelium innumeri adhuc ſuperſtites & patres noſtri qui viderunt & adfuerunt narraverunt nobis. *Verùm licet à S. Ethildritæ ætate longè abfuerit, fide tamen omnino dignus eſt, utpote gravis ac diſertus auctor; qui ſuæ lucubrationis cauſam & argumentum exponit infrà cap. 33. hunc in modum:* Fratrum itaque deſiderio diligenter ac ſollicitè operam dantes ſatisfacere curavimus, quæ in Beda atque in ſcriptis Anglicis vel Latinis de glorioſa domina & Patrona noſtra Etheldreda apud nos inventa ſunt ſcripta, juxta modulum intelligentiæ noſtræ in unum hiſtorialiter texuimus. *In catalogo Scriptorum Britanniæ Pitſeus aliique omiſerunt* THOMAM *iſtum, quem ab alio* THOMA, de Arundell *cognominato, Elienſi Epiſcopo longè poſteriori diſtinguere neceſſe eſt.*

Memoria in faſtis ſacris.

2. *S. Ethildritæ memoriam celebrant Martyrologia ſincera Bedæ, Vvandalberti, Vſuardi & Adonis.* IX. Kalend. Julii, S. Ediltrudæ Virginis & Reginæ in Britannia, cujus corpus cùm undecim annis eſſet ſepultum, inventum eſt incorruptum. *Hæc Beda, iiſdémque pene verbis Vſuardus & Ado. Ethildritam apud priſcos Anglos maximo in honore habitam fuiſſe fateri cogitur Abrahamus Vvheloeus in Notis ad Saxo-Latinam Bedæ hiſtoriam.*

Elienſis Cœnobij conditrix.

3. *Ethildrita Annæ Orientalium Anglorum Regis filia, poſt ſervatam in duplici matrimonio virginitatem* anno DC. LXXIII. *condidit Cœnobium in inſula* Ely, *dictum* Elienſe, *in quo vixit ac ſepulta eſt. Illic* cœtum utriuſque ſexûs ſub Monachili habitu congregavit, quibus ipſa prima fuit Abbatiſſa: & ita ſuccedente tempore durabat ſancta Religio ſub Abbatiſſarum regimine C. XCVII. annis uſque Dominicæ Inc. DCCC. LXX. in quo quidem anno Eccleſia Elyenſis à Paganis combuſta eſt. Anno CM. LXX. B. ETHELVVOLDUS Wintoniæ Epiſcopus ipſam Eccleſiam innovavit, Preſbyteros inde expulit Monachóſque introduxit, & virum religioſum nomine Brithnodum eis ordinavit Abbatem. Anno Domini M. C. VIII. regni verò Regis Henrici I. anno nono, facta eſt tranſmutatio Abbatiæ in Epiſcopatum (*manentibus tamen Monachis*) per Papam Paſchalem anno Pontificatûs ſui decimo. *Hæc ex Monaſtico Anglicano. De Regula in Monaſterio Elienſi primùs ſervata lege Notas in caput* 10.

CAPUT I. *Eſtanglorum Regum ſeries.*

1. ANGLI ſecundum veteres hiſtorias tempore Martiani Principis annos centum quinquaginta ſex ante beatorum Auguſtini ſociorúmque ejus adventum in Britanniam (quæ nunc Anglia dicitur) ſunt advecti, qui de tribus Germaniæ fortiſſimis populis, ideſt, Saxonibus, Anglis & Jutis advenerant. De Jutarum origine ſunt Cantuarij, de Saxonibus Orientales Saxones, de Anglis verò, hoc eſt de iſta patria quæ Angulus appellatur, Orientales Angli ſunt exorti, & Orientalem ipſius inſulæ partem (quæ uſque hodie linguâ Anglorum *Eaſtangle* dicitur) ſortito nomine ſunt adepti, & funiculo hereditatis potiuntur. Ex quorum ſtirpe multarum provinciarum Regium genus originem duxit: à quibus præcelſa virgo ETHELDREDA carne propaganda exſtitit, quæ tam eximia ſanctitate mirabilis, quàm Regia dignitate ſpectabilis feliciter emicuit. Quod celſius apparet, cùm ſingula ex Beda vel hiſtoriis comprobantes, Reges adnumerando provinciæ, ortum beatæ virginis ita retexendum aggredimur. Fuit autem Rex Eſtangliæ REDWALDUS nomine, dudum in Cantia Fidei ſacramentis imbutus, ſed fruſtra. Nam ab uxore ſua ſeductus, habuit poſteriora pejora prioribus: & licet actu ignobilis, tamen natu erat nobilis, filius videlicet TYTILI, cujus pater fuit WLFA *, à quo Reges Orientalium Anglorum WLFINGES * appellant. Jamdicto verò Redwaldo ſucceſſit ARTHWALDUS filius ejus, qui perſuadente Rege Northunhambrorum ÆDWINO Fidem Chriſti & ſacramenta primùm ſuſcepit cum eadem provincia, ſed non poſt multum temporis occiſus eſt. Cujus frater Sigilbertus vir per omnia Chriſtianiſſimus atque doctiſſimus, cùm Regno potitus eſt, provinciam tribus annis in errore verſatam ad rectam Fidem & opera juſtitiæ per ſanctum FELICEM Epiſcopum perduxit. Is illi in Gallia exſulanti familiaris effectus, Angliam cum eo poſt mortem Arthwaldi venit, & Eſtanglorum Epiſcopus efficitur, accepta ſede in Civitate *Dummoc*, quam ſua prædicatione à longa iniquitate atque infelicitate juxta nominis ſui ſacramentum liberavit.

AN. CHR. DC. LXXIX. JUN. XXIX. Angli Britanniæ invaſores.

Reges Orientalium Anglorum.

Beda lib. 2. c. 15. * *Bedæ* Vvffa, *Vvffinges

2. Interea Rex idem relictis Regni negotiis & cognato ÆGERICO commendatis, qui & antea partem ejuſdem Regni tenebat, Monaſterium quod in *Betrichesvvrde* ſibi fecerat intravit, acceptâque tonſurâ æterno Regi multo tempore devotè ſervivit. Quod dum faceret, contigit gentem Merciorum duce Rege, PENDA nomine, adverſus Orientales Anglos in bellum procedere. Qui dum inferiores ſe eſſe in bello proſpicerent, rogaverunt Sigilbertum ad confirmandum militem ſecum venire in prælium. Illo verò nolente ac contradicente, invitum Monaſterio eruentes duxerunt in certamen, ſperantes minùs militum animos trepidare, minùs præſente duce quondam ſtrenuiſſimo poſſe fugam meditari. Sed profeſſionis ſuæ vir ſanctus non immemor, dum opimo eſſet vallatus exercitu, non niſi virgam tantùm in manu voluit habere, occiſúſque eſt unà cum Rege Ægerico & cunctus eorum inſiſtentibus paganis cæſus ſive diſperſus exercitus. Acta ſunt hæc anno ab incarnatione Verbi Dei ſexcenteſimo triceſimo ſeptimo. Succeſſor autem Regni illorum factus eſt ANNA filius ENI de regio genere, vir optimus atque optimæ ſobolis genitor Etheldredæ jamdictæ atque ſororum ejus, ſicut ſequentia declarant. Qui Regnum adeptus, Monaſterium quod vir Domini FURSEUS (de quo mirabilia leguntur) à præfato Rege Sigilberto acceperat in caſtro & lingua Anglorum *Cnobberesburch* dicitur, Rex provinciæ illius Anna ædificiis & donariis pluribus adornavit.

Sigberichthus Rex interit.

Beda lib. 3. c. 18.

Anna ſuccedit.

II. *Quòd pater & mater ſanctæ Etheldredæ ſanctam genuêre ſobolem.*

3. REX igitur ANNA uxorem * tanto condignam ſponſo ſortitus eſt gloriosè, non diſparem naralibus admodúmque moribus egregiam, pluribus antequam Regnum adeptus eſt annis. Horum vitam & mores tam copioſa Deus benedictione locupletavit, ut per virtutum incrementa ſemper animos elevarent

* *ſcil.* Hereſvvitam *infrà num.* 4.

AN. CHR. DC. LXXIX. JUN. XXIII.

ad ſupera; pauperibus Chriſti officium ſedulò impendentes, eorum miniſteriis inhærebant. Et talibus dediti operum exercitiis, ingenua carnalis genituræ ſucceſſione ditantur. Nati ſunt eis liberi quos vita laudabilis & mors nihilominus pretioſa commendat; filij autem duo, ALDULFUS & ſanctus JURMINUS; ac filiæ quatuor, primogenita videlicet SEXBURGA femina incomparabilis, ÆDELBERGA, ETHELDREDA, atque WITHBURGA, quæ propter Dominum carnis illecebras reſpuentes, inter prudentes virgines oleum in vaſis ſuis habere meruerunt. ALDULFUS verò quòd fuerat Annæ Regis filius, ut in præſenti contexitur opere, nonnullis deſignatur indiciis; etiam juxta Bedam atque hiſtorias, ſi attendimus, comprobatur. Jurminus autem quem ſanctitas vitæ & juſtitiæ meritum beatum commendant, ſicut in Geſtis Pontificum Angliæ legitur, frater fuiſſe virginis Etheldredæ perhibetur.

4. Sed jam qualia prædictarum fuerint primordia feminarum, qualis progreſſus, quis finis, diligenter inſpiciendum. Hæc namque mater, de qua progenies tanta prodiit, filia fuit Hererici nepotis Regis Edwini Northamhumbrorum, & nomen ejus HERESWITHA. Etenim in Vita ſanctæ virginis MILBURGÆ legitur: Sexburga major Annæ Regis filia Arcomberto Regi Cantuariorum datur in conjugium, ſoror ſanctæ virginis Etheldredæ, cujus mater Hereſwita dicebatur. Neque alia tunc temporis in tota Anglorum hiſtoria, ſed neque in Chronicis Anglicis vel Latinis reperitur, quæ tali nomine cenſeretur, præter hanc ſanctarum genitricem feminarum, quam Beda procul dubio matrem Aldulfi Regis aſſerit, de qua in annalibus ſcriptum legimus.

5. Rege Eſtanglorum Ædelvvoldo defuncto ſucceſſit Aldulfus. Cujus mater Hereſvvitha, ſoror ſanctæ HILDÆ Abbatiſſæ, quarum pater HERERICUS, cujus pater ÆDFRIDUS, cujus pater EDVVINUS. Ipſa namque (ſicut Beda teſtatur) de viro altero filiam habuit nomine SEDERRIDAM quę virgo ſancta permanſit. Sexburga verò (ut præmiſſum eſt) nupſit viro anno quinto regni patris ejus Erconberto Regi Cantuariorum: altera autem filia Ædelberga Deo dilectam perpetuæ virginitatis gloriam in magna continentia ſervavit. Nam eo tempore necdum multis in regione Anglorum Monaſteriis conſtructis, multi de Britannia monaſticæ converſationis gratiâ Francorum Monaſteria adire ſolebant, ſed & filias ſuas erudiendas ac Sponſo cæleſti copulandas eiſdem mittebant, maximè in Brige, & in Cale & in Andigelam[a] Monaſterio. Inter quas erat prædicta Sedrida filia uxoris Annæ Regis Orientalium Anglorum de alio genita viro, & filia naturalis ejuſdem Regis Ædelburga, ſerviens Domino in loco qui dicitur Brige: Withburga verò adoleſcentior filiarum, Regum natos & parentum honores contemnens, humilem locum in paterna provincia poſt interfectionem patris apud Dyracham ſolitariè volens vivere elegit. Hæc prout ſeries competit, licet breviter attexentes, de ſingulis Lector propria volumina ſufficienter inveniet.

Lib. 3. c. 8.

Id. ibid.

a

III. *Quòd S. Etheldreda in infantia ſanctè vivere cœpit.*

6. BEATA & glorioſa virgo Etheldreda apud Orientales Anglos in loco famoſo *Æreninge* nuncupato nobiliſſimis parentibus orta, ut venerabilis Doctor & veraciſſimus Hiſtoriographus teſtatur Beda, Annæ Regis Orientalium Anglorum exſtitit filia, de matre vocabulo Hereſvvita (ſicut ſuprà dictum eſt) genita. Generis itaque proſapiâ nobiliter ſublimata, nobilitatem meritis & gloriâ ſanctitatis decoravit. Nam in ipſa infantia vivens bona in omnium oculis crevit ſemper in melius, prætendens aliquid in ſe dono Dei futurum. Creſcebat Etheldreda à Deo præelecta bonæ indolis, domi adulta, ut aſſolet ætas illa, cum

Num. 4.

a Lege *Andilegum* uti apud Bedam in lib. 3. cap 8. Brigenſe Monaſterium, nunc S. Faræ dictum & Calenſe ſeu Kalenſe etiamnunc ſubſiſtunt; Andilegenſe verò ad Sequanam, quarto milliari ſupra Rotomagum, jamdudum exſtinctum eſt: quamvis eo in loco *Andely* etiamnunc appellato aliud Parthenon Benedictinum recèns ædificatum eſt.

parentum copiis, nulli umquam moleſta, verùm ſuavis, dulcis omnibus ac mitis. Sed hoc mirabile valde eſt & laudabile, quod ab ipſis infantiæ rudimentis ſobrietati & pudicitiæ indulgens, nunc parentum veſtigia comitata, nunc ſola Eccleſiæ frequentabat limina, neglectis puellarum otiis Deum ſedulò exorare gaudebat. Mirantur parentes filiam ſuam talibus delectari ſtudiis, eam potiùs intelligentes gratiâ Dei ampliore virtutum munere donandam. Non enim laſciviam complexa mundi, immo curſum vitæ præſentis in virginitate conſummare, piè, ſanctè, religioſéque vivendo elegit atque contendit; ut de ea in ævo jam imbecilliore dictum ſapientis appareret, *Ætas ſenectutis vita immaculata.* AN. CHR. DC. LXXIX. JUN. XXIII. *Sap. 4. 9.*

IV. *Quomodo Etheldreda primùm data eſt viro, qui parvo tempore vixit.*

7. CUMQUE beata virgo laudabilis vitæ proceſſu pueriles annos tranſegiſſet, & ipſa jam adulta nubilis appareret, atque fama divulgante ſanctitudo animi ac pulchritudo corporis illius longè latéque celebris exſiſteret; accedunt plurimi, atque formæ virginis excellentiam admirantes, virgineæ puritatis titulos egregia laude proſequuntur. Innumeris etenim ejus pulchritudo Principibus complacebat, & venuſta facies ejus ad puellares promovebat amplexus. Illa ſolius Dei ſuſpirabat ad thalamum, cui virgineum ſollemniter epithalamium concinebat, jugis in cantico, & ſuæ carnis jugi ante Deum inſudabat holocauſto. Interea ſuperno Judice providente ad feſtivum virgo diſponitur Etheldreda conjugium & ad thalamum diverſis organis ſollemniter & feſtivum. Nec hoc agebatur ut ejus pudicitia læderetur, ſed quò majore in hoc certamine probaretur patientiâ, eò ampliore atque pretioſiore Martyrii coronoretur victoriâ. Tandem poſtulatur in conjugium à TOMBERTO Principe Auſtralium Giruiorum: qui in amorem virginis animum informandum inſtituit, ſuóque eam matrimonio copulari à patre Rege donari expoſcit. Aſſentit votivo petentis juvenis deſiderio, & ei ſatisfacere Rex fidelis intendit. Quod illa audiens multùm perhorret, diu recuſat, diu denegat, utpote quæ omni deſiderio vitam in virginitate optabat implere: ſed vincit parentum auctoritas, immo animi ejus ſententiam Divina immutat providentia, quæ eam præſciebat ex matrimonii ſarcina glorioſiore coronandam caſtitatis laureâ. Deſponſatur itaque apparatiſſimè biennio ante interfectionem patris ſui, alligatur licet invita conjugali copulæ, (ſicut ſcriptum reperitur) inſulam *Elge* ab eodem ſponſo ejus accepit in dotem: quo facto perpetuò manet virgo. Ecce quod inſolitum mundo miratur omnis homo, ut quævis virgo deſponſata viro maneat immaculata: ſed nulli fiat ambiguum in cogitatu hominum apud Deum fieri facillimum, quidquid ejus adſpectus elegerit potiſſimum. Deſponſata igitur Matrem Domini meruit imitari, ut ex concupiſcentia carnis invicta eſſet ſancta corpore ac ſpiritu. Etenim cùm inter dotales tabulas incorrupta virgo corruptibilis vitæ premeretur anguſtiis, per cæleſtia cotidie deſideria ineffabili coronabatur martyrio. Et licet donaretur à patre ſponſa marito, ſi tamen maritus dicendus eſt, qui pudicitiæ damna non intulit. Crebris autem precibus & eleëmoſynarum fructibus intenti in in omni juſtitia & ſanctificatione, non in impudicitiis aut ſuperbia ejus vitæ ducebant dies ſuos: uterque enim noverat juxta legum condicta ex pari voto ſanctiora fore conjugia.

8. Sed illo poſt modicum temporis (ſicut Beda teſtatur) ex quo eam accepit defuncto & pro merito caſtitatis coronam vitæ percepit à Domino; tamen in virginis contubernio, ut à veridicis vulgatum eſt, homo ille juſtus & ad teſtimonium conjugale ſemper manſuræ virginitatis electus atque conſtitutus ſub jugo maritali fermè triennio vixit: in quorum copula non commixtione carnis unum corpus, ſed (ut creditur) in Chriſto unus erat animus, dum uterque Apoſtoli conſilium tenuit, nec tamen diſſidium aut diſcordia aliquando interceſſit. Et quamvis Virgo piè excidium defleverit ſociale, gaudebat potiùs ſolutam ſe eſſe *Lib. 4. c. 19.*

AN. CHR. DC. LXXIX. JUN. XXIII.

in Chriſti libertate, de jugo conjugii ſperans ſic evaſiſſe impedimenta mundi. Hinc precibus & eleëmoſynis ſe Deo thurificat, lacrymas & aromata fragrat, Chriſtum cælóſque reboat. Et cùm vix aut numquam poteſt quælibet reperiri quæ concupiſcentiæ non ſubjiciatur illecebris, hæc ad nuptias ſpecioſè pervenit, ſed ignara maritalis negotii, indefeſſis precibus apud Deum obtinuit, ut illam cuſtodiret immaculatam. Sed non diffidendum eſt, noſtra ætate fieri potuiſſe, quod ævo præcedente aliquoties factum fideles narrant hiſtoriæ.

V. *Quòd Beda exemplum poſuit de B. Etheldreda & ſponſo ejus Tomberto.*

9. QUÆRUNT nonnulli in qua pagina ſive hiſtoria reperitur, quòd Beda in teſtimonium Tomberti ac ſponſæ illius & Etheldredæ factum aliquoties aſſerunt, ſicut fideles narrant hiſtoriæ; videlicet quinam vir & mulier in conjugio degentes immaculati ab alterutro perſeverâſſent. Quibus præ omnibus & ſuper omnes benedictas mulieres Domini noſtri Genitricem cum ſuo marito caſtum conjugium ſervâſſe (ſicut ſacra nobis Evangelia præbent indicia) ſingularem virginem præſignamus MARIAM, & alias quarum commemorationem ſancta veneratur Eccleſia. Verùm nonnulli propter hujus rei aſſertionem, aliunde probationem magnificè contendunt audire. Unde ſedulò librorum volumina inquirentes, exemplum illorum advertere cupientes, ſed potiùs more ſolito in libro [a], quem Collationes Patrum nominant, ſtudium adhibentes, optatum ac diu quæſitum præ manibus inveniſſe contigit, quod ad narrationis ſeriem convenienter adducimus. Duo quidam Patrum rogaverunt Deum, ut oſtenderet eis in quam perveniſſent menſuram. Et venit illis vox dicens: Quia in villa illa quæ eſt in Ægypto, eſt illic ſæcularis quidam Euchariſtus nomine & uxor ejus vocatur Maria; nondum perveniſtis ad menſuram ipſorum. Exſurgentes illi duo ſenes venerunt in vicum illum: & percunctantes invenerunt cellam ipſius. Et videns illos ſenex, paravit menſam: miſitque aquam in pelvim ut lavaret pedes eorum. Et dixerunt ei: Non guſtabimus quidquam, niſi indicaveris nobis operationem tuam. Tunc ille cum humilitate dixit eis: Ego ſum Paſtor ovium: & hæc uxor mea eſt. Cùm verò perſeverâſſent illi ſeniores rogantes eum ut omnia denuntiaret eis, & ipſe nolebat dicere, dixerunt ei: Deus nos miſit ad te. Audiens autem hoc verbum timuit, dixítque: Ecce oves iſtas habemus à parentibus noſtris, & quidquid ex ipſis donaverit Deus nobis, facimus illud in tres partes, partem unam pauperum, aliam in ſuſceptionem peregrinorum, tertiam verò ad uſum noſtrum. Ex quo autem accepi eam uxorem, neque ego pollutus ſum neque ipſa; ſed virgo eſt: ſinguli autem à nobis remoti dormimus. Et quidem in nocte induimus ſaccos, in die verò veſtimenta noſtra; & uſque huc nemo hominum hæc cognovit. Cúmque hæc audiſſent illi Patres, admirati ſunt, & recedentes glorificaverunt Deum. Exemplum autem hoc ex librorum auctoritate propter antiquitatem non inutiliter ponitur, ut qui Tombertum & ejus ſponſam Etheldredam in conjugium & pòſt, docente Beda, ſtolam legunt ſervâſſe caſtitatis, & in iſtis (ſicut dictum eſt) aliquoties factum non diffidant. Et quoniam non eſt perſonarum acceptor Deus, ſed in omni gente, in omni ordine, in omni gradu, in omni dignitate novit Dominus qui ſunt ejus; & quos prædeſtinavit illos juſtificavit, ut nec paupertas, nec divitiæ adimant ſanctitatem, nec perfectum obſcuritas, nec reprobum caritas faciat.

[a] Nempe apud Caſſianum Collat. 14. cap. 7. ubi ſequens hiſtoria paullo aliter narratur, omiſſo viri atque uxoris nomine: nec ruſticus duos Patres excepiſſe, ſed exceptus dicitur à Johanne Abbate, qui ab eo facti veritatem extorſerit. Iſti exemplo addere poterat Auctor Pulcheriam Auguſtam, quæ Martiano Imperatori nupta, virginitatem illibatam ſervavit.

AN. CHR. DC. LXXIX. JUN. XXIII.

VI. *De tranſitu* FELICIS *Epiſcopi, ubi ſepultus jacuit.*

10. FELIX etenim Orientalium Anglorum Epiſcopus, de quo præmiſſum eſt, dum decem & octo annis eidem provinciæ Pontificali regimine præfuiſſet, ibidem apud Dummoc in pace vitam finivit, anno duodecimo regni Annæ Regis. Hic autem locus ad introitum inſulæ de *Ely* dicitur eſſe, ubi Monaſterium magnum & famoſum fuit, in quo non minima congregatio Monachorum à quodam venerabili DITONE-LUGTINGO nomine conſtructa ordinem ſanctæ Regulæ ſub Abbate WEREFERDO obſervavit. In Anglico quippe legitur, quòd ſanctus Felix vetus Monaſterium apud Seham & Eccleſiam in Redham primitùs condidit: ſed Paganorum gens crudelis & impia veniens de Danemarchia, deſæviens in omnes fines Angliæ, locum prædictum ac quæque per circuitum ferro ac flammâ depopulans, in ſolitudinem poſtea commutavit. Unde locus à Divino cultu diutiùs evacuatus, tempore Regis CANUTI Reliquiæ ſanctiſſimi Felicis Confeſſoris in Rameſcienſe Cœnobium ſunt tranſlatæ, & digno cum honore reconditæ. Scribere autem de hoc Confeſſore Domini ipſa ſeries narrationis popoſcerat, qui Regem Annam & domum ejus totam cum eadem provincia (ſicut tradunt hiſtoriæ) undâ baptiſmatis abluit, & ſalutaria documenta impertivit.

VII. *De interitu Annæ Regis, & quòd fratres ſui poſt eum regnaverunt.*

11. SUCCEDENTE autem tempore præfatus Rex Anna, nomine quidem ac dignitate in Anglia præeminens, in gloriam tamen non eſt elatus humanam; ſed Dei in ſe bonitatem altiùs recognoſcens, ſedulò meditabatur non ſublime ſapere: & cùm eſſet Rex ſolio ſublimis, domeſticis ſe præbebat æqualem, Sacerdotibus humilem, plebi gratum. Mira illi circa Dei cultum devotio, mira in Eccleſiis conſtruendis ſollicitudo. Fuerat enim pater orphanorum & judex viduarum, ac patriæ defenſor validus: ad cujus præſidium quilibet inſidias & hoſtium non ferentes incurſus confugerunt. Quod ad oſtendendam tanti Regis magnificentiam ſcribere propoſui, ut venire poſſim ad hiſtoriam latiorem. Accidit autem cùm KENWALLA qui patri KINEGILSO ſucceſſit in Regnum, fidem & ſacramenta regni cæleſtis accipere renuit, verùm poſtmodùm etiam regni terreſtris potentiam perdidit. Repudiatæ Pendæ Regis Merciorum quam duxerat, aliam accepit uxorem: ideóque bello petitus, ac regno privatus eſt ab illo. Cùm præſidium in aliquo non inveniſſet, ſeceſſit ad Regem Orientalium Anglorum cui nomen Anna, apud quem triennio exſulans Fidem cognovit ac ſuſcepit veritatem. Nam & ipſe apud quem exſulabat, Rex erat bonus, & bona ac ſancta ſobole felix, pater videlicet beatarum feminarum, de quibus maximè hoc conſtat opus. Baptizatus eſt Rex KENWALLA in eadem provincia à Felice Epiſcopo: quem de fonte ſacro Rex Anna ſuſcepit, cujus poſtmodùm auxiliis rediit in Weſtſaxoniam, paternúmque potenter ab hoſtibus obtinuit Regnum. Quod celebri ſermone univerſo Anglorum orbi vulgatum patuit, aliis Regis Annæ ſtudium & affectum in Deum admirantibus, aliis ſanctitatem laudantibus, cum eo fœdus undique pepigerunt: ſola tantùm Mercia adhuc ſpirans & anhelans ſedem Eſtanglorum, interitum minabatur. Et ſuffultus copiis bellatorum illos aggreſſus eſt expugnare. Cui Rex Anna obviare feſtinans, ab eodem Penda Rege Merciorum occiditur anno regni ejus nono-decimo, ab Incarnatione verò Domini ſexcenteſimo quinquageſimo quarto: cui frater ÆDELHERUS ſucceſſit in regnum. Hic Pendæ Regi amicus factus, ſub eo regnaturus, deinde ſuſcepit imperium. Eſt in eadem provincia locus vulgò *Blideburch* vocitatus, in quo corpus venerandi Regis Annæ ſepultum eſt, & uſque ad hanc diem pia Fidelium devotione veneratur. Illic etiam ſepultus eſt filius ejus Deo acceptus JURMINUS, ſed apud BE-

ANNO DC. LIV.

AN. CHR. DC LXXIX. JUN. XXIII. TRITHESWORDE (quod nunc S. Edmundum appellant) postea translatus est & honorificè collocatus.

Hereswvvita & Hilda Kalam se recipiunt.

12. Turbatis hujuscemodi rebus Orientis Angliæ, Regina post sui Regis interitum despiciens mundum, apud Gallias peregrina in Monasterium Cale secessit, illic regularibus subdita disciplinis coronam exspectabat æternam. Ad quam veniens & postea HILDA soror ipsius, relictâ patriâ ejus æmulata exemplum, in eodem Monasterio peregrinam pro Domino vitam ducere volens; sed ab AIDANO Episcopo post annum ad patriam revocata; vitam Monachicam in magna vitæ duxit abstinentia.

Osvvius Pendam superat. *Beda lib. 3. c. 24.*

13. Posthæc anno sequenti perfidus Rex Merciorum Penda Sigilberti, Egerici, Annæ Regum Estanglorum, necnon Edwini atque Oswaldi Regum Northanhumbrorum occisor, triginta legionibus totidémque nobilissimis Ducibus instructus, in Berniciam ad debellandum Regem OSWIUM adscendit. Cui ille cum Elfrido filio unam tantùm legionem habens, sed Christo duce confisus occurrit. Nam filius alius ejus ÆGFRIDUS tempore illo in provincia Merciorum apud Reginam ejusdem Regis KYNESWIDAM obses tenebatur, qui accepturus erat in conjugem sanctam virginem Etheldredam, de cujus vita & virtutibus convenienter hîc texitur liber. Sed & filius Osvvaldi Regis Odivvaldus, qui eis auxilio tunc esse debuerat, in parte erat adversariorum, ejusdem contra patriam & patruum suum pugnaturus ductor exstiterat, quamvis ipso tempore sese subtraxerat, eventum discriminis tuto in loco exspectabat. Initóque certamine fugati sunt & cæsi Pagani, Duces Regis triginta, & qui ad auxilium ejus venerant pæne omnes interfecti, in quibus EDELRERIUS frater Annæ Regis Estanglorũ qui post eum regnavit, auctor ipse belli, interemptus est. Tunc Rex Osvvius pro collata sibi victoria duodecim possessiones ad Monasteria construenda & filiam suam EDELFLEDAM Deo obtulit perpetua virginitate consecrandam. Hoc bellum Rex Osvvius tertio-decimo regni sui anno cum magna utriusque populi utilitate confecit. Nam suam gentem ab hostili Paganorum depopulatione liberavit, & ipsam gentem Merciorum finitimarúmque provinciarum defecto capite perfido, ad Fidei Christianæ gratiam convertit.

Monasterium condit & filiam Deo sacrat.

14. Sed quarto pòst anno Duces gentis illius adversus illum rebellavêre, levato in Regem WLFERO filio Pendæ quem occultè servavêre: sícque cum suo Rege, Christo gaudenter serviêre. Qui uxorem accipiens filiam ERCONBERTI Regis & Sexburgæ sororis venerandæ virginis Etheldredæ, nomine ERMENILDAM, de qua sanctam virginem genuit WERBURGAM, regnavítque decem & septem annis, sicut in Beda legimus. Occiso autem Rege Estanglorum Ædelhero, ut præmissum est, tertius frater vocabulo ÆDELVALDUS Regnum susscepit, homo bonus ac verus Dei cultor, juxta quod Anna frater ipsius in fide & operibus sanctis incedens. Ad quem cùm Rex Orientalium Saxonum SVVITHELMUS frequenter ratione consortii adscenderet, eum amicabili & quasi fraterno hortatus est consilio, ut relicta idolorum vanitate crederet in Dominum JESUM-CHRISTUM. Qui faventibus amicis credidit, & baptizatus est à CEDDA Merciorum Episcopo, qui tunc in provincia Orientalium Anglorum advenerat: quem susscepit ex unda Baptismatis idem Rex ipsius gentis Estanglorum frater Annæ Regis eorumdem, regnavítque annis quinque. Post quem Annæ Regis filius, frater videlicet virginis Etheldredæ de quo jam diximus, Regnum susscepit ADULFUS, cujus filia REDBURGA in Rependuna Abbatissa famulo Dei Guthlaco sarcophagum plumbeum linteúmque transmisit, quo idem vir Dei post obitum locaretur & circumdaretur.

Ibid.

AN. CHR. DC. LXXIX. JUN. XXIII.

VIII. *Quomodo Etheldreda iterum datur viro, videlicet Regi Northanhymbrorum, & qui cum illa venerunt, & quàm ſanctè vixit.*

15 DUx verò præfatus Giruiorum Tombertus, cùm non poſt multum temporis ex quo Etheldredam acceperat conjugem, ex hac inſtabili diſceſſit vita; móxque illa velut poſt naufragium recepto litore ad propriam in *Ely* deſcendit domum, in ipſa magis inſula ab occurſantium remota conventibus, Chriſto Domino famulari decertat, in reliquum vanos mundi fugiens honores, ſilentium ſemper & vitam prorſus ignobilem affectans, ut pòſt apparuit. Locus autem ille difficultate adeundi & arboribus hincinde circumdatus, habens aquas de ſupercilio collis tenues, ſed irriguas, quaſi in eremo ſecum habitare cœpit; & quos præcipuæ religionis eſſe noverat, admodùm ſibi in amicitiam copulavit. Corpus namque attenuabat vigiliis, ciborum abſtinentiâ, jugi pſalmodia, & intentione tota anhelabat ad cæleſtia. Talibus Etheldreda officiis exercitata, intendit nihil dulcius, nihil delectabilius quàm exſultare in Domino, ut ei placeat cui ſe probavit. Creſcebat quotidie ipſius veneranda devotio, & magis ac magis ejus ſanctum deſiderium igne ſancti Spiritûs accendebatur. Sic in ea naturam inſtituerat conſuetudo, ut quibuſdam parſimoniæ retinaculis carnales cohiberet cupiditates. Quid plura? jam Dei judicio primo labore determinato, iterum beatæ Virgini priore gravius demandatur certamen, ut palma virginitatis ejus mundo excellentiùs appareret. Eodem verò tempore Egfridus in finibus Aquilonis inter Anglos tenens imperium, cujus Eboraca civitas Regni obtinet principatum: hic Rex præclarus & nobilis inflammatur in amorem Virginis, hic opes confert innumeras, dotéſque ſpondet multiplices. Dúmque honores incertos commendare diſponeret, Principis petitio vehementiùs illi facta eſt oneri potiùs quàm honori: deinde parentes ejus pulſat petitionibus obnixis. Numquam voluntati eorum diutiùs reluctari non ſuffecerat, licet invita ad ultimum votis petentium adquievit. Igitur (quod non ſperavit) anno poſt interitum patris ſui ſexto * unanimi voluntate parentum tempore Edelvvaldi patrui ſui, qui poſt beatum Annam & alterum fratrem ejus nomine Edelherum regnavit, iterum datur in conjugem alteri viro, Regi videlicet Egfrido filio Oſvvii Regis Northanhumbrorum, cujus pater EDELFRIDUS, cujus pater EDELRICUS. Hic Regnum obtinuit poſt ALLE, qui Deirorum regnum triginta annis ſtrenuiſſimè rexit: ad cujus nomen B. Gregorius cùm Angligenas pueros in foro Romano inveniret poſitos alludens ait: *Alleluia* laudem Dei Creatoris illis in partibus oportet cantari.

* ANNO DC. LX.

16. Habuit autem iſdem Rex Oſvvius fratrem ſanctum Dei Martyrem OSWALDUM, qui ante illum novem annis regnum tenuit, & ceteros quos Chronicon enumerat, & ſororem unam nomine EBBE, ſub cujus magiſterio Regina Deo grata Etheldreda depoſito Regni diademate habitum ſacræ Religionis poſtea induit, & quæ Monaſticæ inſtitutionis ſunt & obſervavit & didicit. Genuit autem Rex prædictus filios & filias, ſicut Anglorum narrat hiſtoria, conſtituítque filium ſuum Elfridum Regem ſuper Deirorum provinciam; Egfridum verò minorem, quem intimo dilexerat affectu, ſibi conſortem Regni ſuper provinciam Eboracam, hoc eſt Berniciorum adhibuit, quoniam corporis gravitate depreſſus regni jura difficilè protegebat.

Oſvii Regis progenies.

17. Erat autem Egfridus juvenis circiter triginta annorum, ſermone jocundus, moribus civilis, vir in armis ſtrenuus, Wilfridi amicitiis valde adſtrictus. Et ſicut in quarto hiſtoriarum Angliæ libro legitur, accepit Rex Egfridus conjugem nomine Etheldredam filiam Annæ Regis Orientalium Anglorum, viri benè religioſiac per omnia mente & opere egregii, quam & alter ante illum vir habuerat uxorem, Princeps videlicet Auſtralium Giruiorum, cujus mentionem ſuperiùs fecimus. Illa tamen obſtaret, ſi poſſet reniti contrà. Ducta eſt igitur Virgo filia

Beda l. 4. cap. 19.

An. Chr. dc. lxxix. Jun. xxiii. Sion ad cives Babylonis, ſed fornacis ejus incendio minimè eſt aduſta. Dies indicitur nuptialibus conſecranda ſollemniis, quo Rex filiam Regis ſibi deſpondeat. Nubit itaque Etheldreda cum multimodo decore ac diverſo lætantium tripudio venerando Regi, magis ſuſpirans ad nuptias cæleſtis Sponſi. Etenim illius ſanctum propoſitum amor cæleſtis à carnis deſiderio ſervavit, & ſi quid eis Regalis gloria non inglorium contulit, unde ubi Regis filia glorioſior appareret, magis pro conditione byſſus & purpura quàm luxu & faſtu per quos decideret complacebat. Siquidem in aula ubi ceteræ virgines commorantes deſideriis ſolent æſtuare carnalibus, hæc illius cremabatur incendio, in quem deſiderant Angeli proſpicere. Itaque multis annis addicta, obumbratione Divina ſemper manſit intacta.

Vvilfridus Regi ac Reginæ carus. 18. In id verò temporis Egfridus Rex operibus ſanctis deditus cum ſua Regina Etheldreda ſimul Epiſcopo Wilfrido in omnibus obedientes facti; pax & gaudium in populum & anni frugiferi victoriæque in hoſtes Deo adjuvante ſubſecutæ ſunt, ſicut in Vita ejuſdem Confeſſoris Domini legitur. Sed & anima Reginæ mox ad Sanctum Dei in Chriſti amore colligata eſt, atque ex his quæ ſibi fœdere conjugii competebant, cum illo participare curavit. Nam Auguſtaldenſe adepta ipſa Regina Deo dilecta Etheldreda, domum Domino in honorem B. Andreę Apoſtoli fabricavit columnis variis & porticibus multis ſuffultam, quæ pleniùs viſu quàm auditu intelligitur. Sed cùm ad ſingula latiùs vagamur, propoſitum operis tardiùs reformamus: tamen compertâ cognitionis causâ, utres probat intimamus.

S. Ovvini elogium. [a] 19. Venerant cum ea nonnulli fideles viri ac feminæ de provincia Orientalium Anglorum, inter quos præcipuæ auctoritatis vir magnificus erat Owinus nomine, Monachus magni meriti, & pura intentione ſupernæ retributionis mundum derelinquens: dignus cui Dominus ſpecialiter ſua revelaret arcana, dignus cui fidem narranti aures accommodarent. Nam & ipſe venerat cum eadem Regina Etheldreda de provincia Orientalium Anglorum, erátque primus miniſtrorum & princeps domûs ejus. Talem itaque ac tantum decebat eam habere cuſtodem & ſuorum proviſorem, cujus vita apud homines miræ ſanctitatis & apud internum teſtem magni meriti fuit: qui etiam inter vacillantes mundi honores noverat eſſe, ſed nec aliquando ſecretis cæleſtibus per animum deeſſe. Nam poſt almæ ſuæ hujus inſignis Reginæ converſionem, adeo mundi rebus, poſt quas hærere putabatur, ſe exuit, ut tantùm habitu indutus cum ſecuri & aſcia in manu ad Monaſterium reverentiſſimi Ceddæ Merciorum Epiſcopi veniret, & non ad otium, ut quidam, ſe Monaſterium intrare ſignabat. Ubi pro ſuæ reverentia devotionis inter Fratres eſt habitus, & ſancto Epiſcopo valdè factus amicus, audivit ſuper eum cæleſtes ante ipſius obitum venire cœtus. Prætermitto plurima ne videar in narratione ſingulorum materiam excedere.

Ethildritæ vita in conjugio. 20. Hoc quoque dicam ad propoſitum rediens, quòd Rex in matrimonio Reginæ ſit lætatus: aſſiduis eam mulcet eloquiis, ſed deſideriis non emollit. Cujus piam converſationem ac devotionem intendens admiratur, quòd ſolio Regni ſublimata, morum gravitatem quam conſueverat, nequaquam mutavit. Noctem enim ſæpe duxit inſomnem, diem abſque ciborum alimento; &, ut nunc fatear, dies ac noctes continuabat in oratione: & cum more conjugatorum Regio thoro accubuiſſet, vix compreſſo ſomno ad conſuetas fugit precum orationes, nec ad lectum ultrà redire ſolita fuerat, ſicut ex Bedæ verbis poſtea docetur. Spiritus enim ſanctus, cujus corſuum habitaculum præparaverat, ſuæ inhabitationis domicilium ab omni corruptione liberabat, unde virgo fortis inter adverſa & proſpera fixa ſtetit & imperterrita, ut nec illam violentia frangeret,

[a] In Martyrol. Bened v. Nonas Martias fit commemoratio B. Ovvini Monachi, de quo Beda in lib. 4. cap. 3. De eo iterum infrà cap. 10.

nec amor Principum à ſummi Regis obſequiis inhiberet, pro cujus dilectione Regina Etheldreda propoſuit in voto virginitatis potiùs hanc vitam tranſigere, quàm aliena libidine violari. Tamen juncta erat ei lege conjugali, non conjunctione carnali : ſed dolet improbus prædo & ingemiſcit in priore certamine ſe eſſe proſtratum : unde contra eam denuò inſurgit acriùs. Idcirco acriores Egfrido ſtimulos adjicit, & ad copulam virginis præparandam feroces illius animos vehementer incendit, & callidâ jam conatur aſtutiâ ſeducere, quam publica converſatione thalami non poterat violare : & quæ ad conjugalem copulam uſu communi neſciebat inflecti, per integumenta diſciplinæ ad carnales illecebras ſperabatur inclinari. Sed Deus benignè diſponit ad gloriam, quæ hoſtis antiquus vertere nititur ad ruinam : & quemadmodum primam ex illo virgo obtinuerat victoriam, ita de virgineo corpore exiſtimat obtinere & ſecundam. AN. CHR. DC. LXXIX. JUN. XXIII.

IX. *Quomodo Rex non potuit uti virginis connubio, & per ſanctum Vvilfridum ejus animum ſibi illicitè tentabat, ſed ipſe monita caſtitatis prætendit.*

21. ET ne quis de Reginæ continentia dubitans tantæ virtuti deroget, ſciat temporibus illis hoc per totam Angliam divulgatum & creditum, ut de facto certi plurimi aſſerebant. Rex, inquam, virtute cælitùs (ut credi fas eſt) aliquâ correptus in ſe territus ſtupuit : Reginam beatiſſimam impudicè non tetigit, neque contriſtavit, nec quidquam moleſtiæ intulit : quoniam non ut Reginam aut parem, verùm tamquam dominam per omnia venerabatur. Fit ille maritus mente non carne, nomine non opere : fit illa conjux, non mente, nec carne, ſolo nomine non opere. Tamen ille optat debitum à conjuge ſed nec precibus, nec promiſſis animum illius ſuæ voluntati potuit inclinare. Denique S. Wilfridum tam per ſe quàm per amicos adiit, ſæpiúſque convenit orans & obſecrans ac maximorum pollicitatione allicere tentans, quò Reginæ perſuaderet, ut omiſſo virginitatis propoſito ei aſſenſum præberet, quod etiam verbis Bedæ poſtea explicandum imminet. Vidit ejus aſſiduam cum beato Præſule familiaritatem, ipſius informabatur hortamentis, ipſum æmulabatur in Chriſti caritate : hinc Dei præconem fruſtra Rex fatigat præmiis, numquam enim hic Virgini nuptias ſuadere, nec illa Regi voluit adquieſcere. Cujus conſortio cum duodecim annis uteretur (ſicut ſcriptum eſt in libro ſermonum Bedæ Preſbyteri) perpetua tamen manſit virginitatis integritate glorioſa. Mira res! mira Dei gratia! Virgo manet in thalamis; ſolius Dei ſecreto pervia eſt hujus rei mirabilis cognitio, quomodo Regina Etheldreda prioris mariti virile robur effeminaverit : & qua ſancti Spiritus arte alterius concupiſcentias evaſerit infeſtantes. Sanctificatum verò ſibi Templum Deus in virgineo corpore nuptiali lege violari non permiſit, nec dedita juſtitiæ innocentia contagio victa conſenſit. Sícque Regia virgo Domini emicat Etheldreda, clara in Deo & ſæculo Regina. Wilfridus etenim virginei voti fautor exſiſtens vigilantis animi ſagacitate procurabat, ne qua femineæ mentis inconſtantiâ votum ab intentione Virgo mutaret, & terrenis illecebris animum aliquando devicta ſubponeret. Diſſimulavit autem providè atque prudenter tamquam Regi favens & deſiderij ſui efficaciam Reginæ perſuadendum pollicens, veritus ne, ſicut contigit, ob rem hujuſcemodi offenſum illum haberet. Et dum circa talia, ut æſtimabatur, ſanctus Pontifex Reginam alloqui intenderet, de cæleſtis vitæ dulcedine tractare ſtuduit : sícque Dei virtute prædita, per conſilium ſancti Præſulis nullatenus Regi aſſenſum præbuit : egítque vir beatus ſuâ induſtriâ, ut potiùs divortium quæreret, quatinus libertate potita ſæculum relinquere & thalamis æterni Regis feliciter poſſet inhærere. Cujus monitis obtemperans & ſuggeſtio- *lib. 4. c. 19.*

AN. CHR. DC.LXXIX JUN. XXIII. nibus Virgo Chriſti dilectiſſima (quippe quem merito Religionis vera ſibi nexuerat caritas) ut ejus deſiderio ſatisfaceret in proximo apparuit.

22. Diſpoſitione autem Divina ad multorum illuc venerat ſubſidium, piè ac miſericorditer auxilium cunctis ſtudebat impendere: ubi dum conſiſteret, ſanctæ religionis miniſtros in fœdus amicitiæ viros ac mulieres ſibi admittebat, quorum conſilio atque conſortio in omnem ſanctimoniam provehi, & ſuorum præſidio meritorum confoveri arbitrabatur: præſertim ad tale negotium idoneos pro vitæ munditie & honeſta converſatione in familiaritatem colligendum fore ex cœtu & gradu Monaſtico aſſerebat: inter quos ſanctiſſimum præſulem Wilfridum, de quo in præſenti agitur, alium verò vitæ ſanctitatis decore inſignitum beatiſſimum CUTHBERTUM Anachoretam, necdum verò Epiſcopum, in gratiam ac dilectionem exhibuit, & ei de ſuorum facultate bonorum plurima devotè miniſtravit. Inſuper opus eximium atque præclarum, ſtolam videlicet & manipulum ſimilis materiæ ex auro & lapidibus pretioſis, propriis (ut fertur) manibus, docta auritexturæ ingenio fecit, eique ob internæ dilectionis intuitum pro benedictione offerendum deſtinavit, quæ in ſignum utriuſque venerationis apud Eccleſiam Dunhelmi ſervantur: quibuſdam petentibus pro magna adhuc oſtenduntur dignitate, & de noſtris quidam ſæpiùs adſpexerunt. Juſtè enim & piè virgo virginem, dilecta dilectum tali decebat oppignerare obſequio, ut iis ſolùm in conſpectu Regis Domini adſiſtens uteretur, & illius memoriam inter ſancta Sanctorum Miſſæ ſollemnia faciliùs repræſentare poſſet, & pro ea Dominum majeſtatis pia poſtulatione placaret. Hoc in Beda nequaquam invenimus, ſed pro cunctorum uſque nunc teſtimonio ſcribendum exiſtimavimus. Non ſolùm autem hi quos diximus, verùm innumeri longè latéque beatitudinem ſanctæ Reginæ minorem eſſe quàm fama diſperſerat cognoſcentes, illius notitiâ ſimul & colloquio potiri deſiderabant, ac diverſa exeniorum largitate decorabant. Erat omnibus amabilis, alloquio dulcis, adſpectu decora, eximij pudoris ſummæque pudicitiæ ornata virtute, diligens rectum, nulla curans ſuavia præter cæleſtia. Eccleſiam Dei frequenter adiit, orationi jugiter vacavit: unde vita illius compluribus facta eſt diſciplina, quia adhoc eam natura peperit, & voluntas exercuit, & gratia ſervavit.

Cuthberto ſtolam ac manipulum donat.

X. *Quomodo Regina Etheldreda monitis B. Præſulis edocta divortium à Rege diu poſtulaverit, ſed vix obtinens Monaſterium ſubiit, & velamen ſanctitatis ab eo ſuſcepit.*

23. QUIS enim dignè memoret in quanta bonorum exſecutione virgo ſub jugo maritali vixerit, tentationibus carnis & æſtibus ſatis examinata nec tamen ſuperata? grave nimis tulit vinculum conjugij, cupiens diſſolvi & eſſe cum Chriſto. Perpendit itaque omne decus lubricum; vitam ſolùm cæleſtem ſpiritu intelligentiæ perennem cognoſcens, appetiit deſiderantiſſimè vivere ſolitariè. Noverat enim ſibi conſtare rarò quempiam poſſe, qui inter mundi divitias animi quærit libertatem: & quòd animus ad ſuperiora difficilè pervenit, qui inferioribus exoneratus non incedit. Unde cum innumeris ſuſpiriis excutere ſe tentabat de jugo regni, ardens ad Chriſtum evolare & in Chriſto requieſcere. Et cùm per tot annos matrimonij lege teneretur, nolens differre ulteriùs quod jam diu mente conceperat, ſed notato diligenter die & hora, non occultè ſed manifeſtè, non rarò ſed crebrò Regem maritum poſtulat, ut ſæculi curas relinquere atque in Monaſterio tantùm vero Regi Chriſto ſervire permitteretur. Reſiſtit Princeps cùm audit, nec facilè adquieſcit, gravitérque dolendum ſe aſſerit, ſi aliquando contingat à conjuge dilecta ferre divortium, licet ei numquam conjunctus eſſet more conjugatorum. Poſtulat iterum Regina quod petierat, fletibus & diutinis poſtulationibus tanto importuniùs inſiſtit,

quanto difficilùs obtinendum credidit quod petebat. Tranſtulit autem totum ad ſuperos deſiderium: in amorem cæleſtis ſponſi flagrantiſſima, ipſius opportunè præſidium flagitabat; & quò graviùs de quo eripi deſiderabat, eò artiùs ferventiúſq; eum per quem eripiendam ſe novit exorare intendit. Non eam blanda cotidie ſuorum obſequia, non ſollemnes apparatus, non rerum opulentia grandis poterant eam à propoſito revocare. Rex verò tandem victus ipſius importunis precibus, licet invitus, tamen eam dimiſit invincibilem. Illa nimirum gaviſa valde de Regis conceſſu atque licentia, quamvis difficulter & ſerò impetratâ, ſumptibus ſecum pluribus paratis, nobilis virgo & potens Regina intravit Monaſterium ſanctæ EBBÆ* Abbatiſſæ (quæ erat amita Regis Egfridi & S. Oſwaldi Martyris Oſwini Regum germana) poſitum in loco quem *Coludi*[a] nominant urbem, accepto velamine Sanctimonialis habitûs à præfato Antiſtite Wilfrido: quam de Regno multi proſequentes viri ac feminæ Eccleſiis pro Domino ſe ſubdiderunt, ſicut Owinus major familiæ ejus meritò Deo carus, ſecretorum cæleſtium auditor, dominæ ſuæ veſtigia ſecutus, non oblitus qualis fuerit, vitam Monachicam repetiit, ut ſuprá recolimus. Sed & tantæ Virginis & Reginæ converſionem longè cognoſcentes plures ſæculo renuntiârunt, vel in bonis operibus abundantiùs ſe exercuerunt.

AN. CHR. DC LXXIX. JUN. XXIII.

* *de ea ad cap.* 14.

[a]

24. Ingreſſa igitur Monaſterium Etheldreda, hoſtiam vivam ſe Deo obtulit, cuncta quæ mundi ſunt deſeruit, ſprevit, atque à corde ſuo procul abjecit. Inſuper pro Regali diademate, humili obumbratur velamine, pro byſſo & purpura ambitur nigra[b] veſte & aſpera. Tunc verò primùm ſe regnare inclyta Regina credidit, cùm ad ſervitutem Chriſti de Regno libera exiit, itaut non ſolùm Regalia ornamenta deponens Deo ſuam ſubſtantiam contulit, ſed pro illius amore monaſticæ Religionis normam ſuſcipiens voluntatem propriam & carnem ſanctæ obedientiæ ſubdidit, ubi quoad viveret dum tentatur infirma, inventa eſt perfecta. Meritò felix, meritò glorioſa, probata obedientiæ glorificatur paſſione, & ſanctæ conſtituta diſciplinæ, tantùm Divinitatis cultus exercens ob ſuavitatem Divinæ contemplationis ab humanis cœtibus delectabatur abjungi, ut ſub ſpecie Marthæ reſideret, quieti ſummopere vacaret Mariæ. Augmentabatur in ea fama bonitatis, æquè creſcebat in eadem devotio Religionis ſuper omnes ſocias illius Congregationis: ubi per anni ſpatium didicit, quia jugum Domini ſuave eſt & onus ejus leve. In quo etiam loco tam ſanctæ converſationis culmen arripuit, tam perfectæ humilitatis exemplum oſtendit, ut in ejus vita expreſſum intelligeret magiſterium, ſi quis ſanctæ inſtitutionis requireret documentum; & verè inquam, nunc felix geminis ornatur virgo triumphis. Nam duobus maritis deſponſata, priùs videlicet Duci ac denuo Regi, ſed Dei virtute amborum fruſtrata eſt connubio. Et ecce contigit, ut quia in virginitatis propoſito ſemper animum geſſit invictum, numquam corrumpi potuit duorum violentiâ maritorum. Ipſe Etheldredam protexit à flamma corruptionis, qui tres pueros eruit à camino ignis Babylonis.

[b] Nigra veſte induitur.

XI. *Quòd Rex Egfridus de Monaſterio eam eripere laboravit, ſed Dei miſeratione ſalvatur.*

25. REGINA verò Etheldreda, ut præfinitum eſt, Monaſterialibus jam ſubdita diſciplinis, ſed Rex Egfridus qui ejus illibatæ copulationi diu fue-

[a] Coludi urbs hodiernæ Scotiæ ſubjacet in provincia Marchia ſeu Merſia.

[b] Non ergo vigebant in Cœnobio Coludenſi Inſtituta Scottorum, qui veſte candida utebantur: nec proinde in Elienſi Monaſterio à S. Ethildrita poſtea conſtructo. Certè Edgiſſus Monachus Coludenſis, poſt incendium Coludenſe de quo infrà cap. 14. ſe recepit teſte Beda in Hiſt. lib. 4. cap. 25 in Girvvienſe Bedæ Monaſterium; quod ſanè non permiſiſſent Girvvienſes Monachi, Benedictinæ Regulæ & Romanorum rituum ſervantiſſimi, ſi Edgiſſus Scottorum regulas ac mores tenuiſſet. Denique Vvilfridus Epiſcopus, Ethildritæ Præceptor, per Britanniam inſulam Romanos uſus in Eccleſiis, in Monaſteriis verò Regulam Benedictinam inſevit, uti Vvillelmus Malmesburiæ Monachus aliíque diſertè tradunt: nóſque Sæculo inſequenti in S. Vvilfridi Vita obſervabimus.

An. Chr. dc.lxxix. Jun. xxiii. rat deditus, non leviter ferens divortium ſponſæ dilectæ ſupra modum, mox de illius abſceſſu cœpit contriſtari & mæſtus eſſe. Unde ſuorum ſuggeſtione atque inſtinctu, de Monaſterio illam, licet jam ſanctitatis velamine obtectam, eripere conabatur. Nec mora, ad Monaſterium ubi ſancta virgo degebat, cum furore & fremitu feſtinanter adſcendit. Quo audito Mater Congregationis Ebba ex ſola fuga præſidium fore ſuggerit, eremúmque ſuadebat ad fugæ præſidium petendam. Ibi Dei virtute munita, donec perſecutio ceſſaret exegit: & ſpiritu citata Divino, quo cunctetur virgo in reliquum actitare ſtuduit: nec quieſcendum donec in domum ſuam perveniat in *Ely*, illic Dei virtute incontinentiæ charybdim poſſe vitare decrevit. Porro quæ fuerat Regni domina nudiuſtertius, & imperium terrenum contemnens Monaſterium ſubiit, facta eſt nunc Ancillarum Chriſti famula, occupans ultima miniſteriorum ſervitia. In talibus namque delectabatur virgo Deo devota, habens illud ſemper ante oculos: *Quanto magnus es, humilia te in omnibus.* Eccli. 3. 20.

26. Sed proſperis optatæ quietis Divino munere conceſſis non defuere inſidiæ inimici: unde probatur in ea veriſſimè Apoſtoli teſtimonium, quod *omnes qui volunt piè vivere in Chriſto, perſecutionem patiuntur.* 2. Tim. 3. 12. Inſtat enim Rex in matrimonio cupiens eam reſumere, non omittens perſequi, ſi fortè valeat comprehendere: ſed ſanctimonialis femina gemens & anxia nunc geminato timore dulces latebras coacta fugit, & exiit, Dominóque ſuam intentiùs pudicitiam commendavit. Et digreſſa clam ambitum loci cum duabus Dei ancillis Sewenna & Sewara collem eminentem prope qui *Coldeburch-hevet*, quod latinè *Caput-Coldeburci* dicitur, adiit & adſcendit. Sed Deus qui ventis & mari imperat & obediunt ei, non derelinquit ſperantes in ſe; illius juſſu credimus fieri quod mare ſuum alveum egrediens nunc aquas multipliciter effundens, locum in quem ſacræ Virgines adſcenderant circumdedit, & ſicut ab incolis loci accepimus, per ſeptem continuos dies ſine cibo & potu in oratione conſiſtentes eas occuluit, & (quod mirabile dictu eſt) ſolitos recurſus obliviſcens, quamdiu Rex illic aut penes locum morabatur. Stetit itaque aqua ad oſtendendum cunctis Virginis meritum: & aqua erat ad adjutorium & ad tuendum, & quaſi aqua non erat ad nocendum ſive diſperdendum. Taliter ancilla Chriſti munita præſidio, evaſit minas Regis, nec ſenſit quamque læſionem ab eo. Nam tulit auxilium Dominus miſerator egentium, atque ſponſam clementis dextræ clypeo protexit inermem. In momento enim locus ſecretus ac ſubitò prænunitus gratiâ Dei factus eſt, ut ex uno latere montis de medio præciſa excelſa rupes haberetur, & æquam planiciem maris fluctus reducto paullulùm ſinu oſtenderent; ut nec ad evadendum hoſtem vaſta eremi ſolitudo peteretur. Percrebuit fama undique hujus rei ac tanti miraculi, & timuerunt qui viderunt vel audierunt, cognoſcentes Deum jugiter eſſe protectorem ejus.

27. Cúmque diutius eſſent in ſupremo rupis accumine & aquarum multitudine undique circumdatæ, ſed qua parte eas poſſet Rex aggredi nequaquam inveniſſet; tandem nihilominus factum admirans, in ſtuporem verſus de loco receſſit, Eboracum rediit; nec deinceps Confeſſorem Dominicum Wilfridum à ſecretis ſeu affectu ut antea coluit, ſed iram diu tacito contra illum ſub pectore geſſit, & exſpectatâ horâ ob iſtiuſmodi cauſam eum de ſede ſui Epiſcopatûs expulit. Denique cùm omni fiducia ad copulam ſanctæ Reginæ reverti poſſe deſtitueretur, Ermenburgam ſibi matrimonio copulavit.

Vvilfridus Regi inteſtus.

Rex aliam ducit uxorem.

28. Sanctimoniales autem in rupis vertice degentes cum ſitis ariditate nimiùm æſtuantes gravarentur, Ebba venerabilis Abbatiſſa Etheldredam commonet Dominum Chriſtum exorare, ut guſtum aquæ illis præſtet in hac ſitis neceſſitate, qui de petra potavit populum ſuum in deſerto. Et fuſâ intentiùs ad Dominum oratione cum ſumma mentis devotione, fons aquæ juxta eam confeſtim erupit lucidiſſimus, atque ad preces ejus quæ per naturam non habuit, per gratiam Dei arida rupes aquas profudit, quæ in uſum ipſarum ſuffice-

Etheldrida fontem precibus impetrat.

rent, nec neceſſitati deeſſent: & uſque in ævum manare non ceſſat, unde potum ſumentes Deo gratias egerunt & infirmis adhuc ſaluberrima præſtat. Inſuper memoriale & præ ceteris mirabile eſt, quòd veſtigia pedum illius adſcendentis & deſcendentis in latere montis infuſa tamquam in calida cera nuncuſque oſtenduntur ad laudem Domini noſtri JESU-CHRISTI. In hoc etenim facto ſi diligenter attendimus, quatuor admiranda ſatis admiratione digna perpendere poſſumus: unum quòd miſericorditer Deus illas ab oppreſſione Regis protexit; aliud quòd mare ſuas aquas ad earum munimentum tamquam pro muro effudit: tertium quòd rupis aſpera in ſiti earum aquas donavit, quartum quòd duritia petræ velut ſuæ oblita naturæ mutato more ad tactum plantæ illius molleſcere potuit. Hoc de ſcriptis Bedæ non cepimus, ſed quicumque locum Coludi norunt, cum aſſertione hujus rei teſtes exſiſtunt. Non enim vir beatus ſuffecerat ſingillatim cuncta meminiſſe vel audire, vel ſchedis imprimere, quæ de omnibus per Angliam ſuo tempore Sanctis fiebant, ſed niſi quòd diu & plurimùm à religioſis & veridicis fuerunt vulgata, litteris commendare diſpoſuerat. His ita geſtis ad propoſita revertimur. Verùm quantùm inde laboribus ſeu fatigationibus beata virgo exacta fuerit, donec in *Ely* quo tendebat perveniſſet, ex ſequentibus comprobatur.

AN. CHR. DC LXXIX. JUN. XXIII. alia mira.

XII. *Inſigne teſtimonium virginitatis ejuſdem.*

19. DE hac igitur Deo dicta dicata femina Etheldreda nemo diffidat, nemo vereatur quòd poſt Regificos virgo ſervata maritos illibata perſtiterit. Nam deſponſata quidem virgo manet ut data pridem: à Domino factum eſt iſtud. Sed quoniam his diebus aut nullatenus aut vix probatur in conjugatis, hinc ſtupeſcimus, & eſt mirabile in oculis noſtris. Sanctiſſimi Wilfridi quoque Eboracenſis Archiepiſcopi aſſertione ac inclyti Kinefridi, aliorúmque veridicorum, ſed & communis atteſtatione vulgi, ſicut Beda Sanctus didicerat, ſcripſit, cujus etiam inſigne virginitatis teſtimonium perhibens ita commendabat, dicens: Quoniam cum quibuſdam veniſſet in dubium de iſta Chriſti ſponſa & virgine, imminet ſciſcitanti an hoc ita eſſet, idem beatæ memoriæ Wilfridus Pontifex referebat dicens, ſe teſtem integritatis ejus eſſe certiſſimum, adeo ut Egfridus promiſerat ſe ei terras ac pecunias multas eſſe donaturum, ſi Reginæ poſſet perſuadere ejus uti connubio, quia ſciebat illam nullum virorum plus illo diligere. Iſtius tam ſacræ virginis pudicitiam prædicare dignum eſt, quæ ei & in adverſis ſocia & in proſperis comes individua exſtitit. Ut libet quique accipiant: ego quòd claudos curaverit in vita ſua, quòd cæcos etiam illuminaverit, & quòd in nomine JESU ſanaverit innumeros, ex piorum atteſtatione comperi, atque ſcriptura teſte noſſe contigit. Ipſa enim eſt virgo ſacratiſſima & una de numero prudentium quæ neſcivit thorum in delicto, nec digreſſa eſt cum Dina filia Jacob, ut videret mulieres alienæ regionis, nec oppreſſa à Sichen filio Emor quandoque corruptioni conceſſit, quia fundata erat ſupra firmam petram. Nil ei prorſus de terrenæ rei placebat ſpecie, ſed regnum mundi & ornatum ſimiliter contempſit propter amorem Domini JESU-CHRISTI, quem mente & puro corde ſuper omnia dilexit, à quo illi nunc reddita eſt corona juſtitiæ. Et licet martyrium quietis tempore haud pertulit, tamen gloriâ decoratur martyrij, cum vitiis & concupiſcentiis confligens, crucem Domini jugiter in ſua carne portavit. Spero certiſſimè atque confido eam acceptiſſimam eſſe illis qui ſtolas ſuas laverunt in ſanguine Agni, & canticum novum dulciſſimè ante thronum Dei cantitant. Quòd ſi ſub Nerone vel Diocletiano dimicare tunc licuiſſet; procul dubio equuleum ſponte adſcendiſſet, ignibus ſe ultro intuliſſet, numquam ferris vel laminis deſecari membra timuiſſet. Jam verò adverſum omnes pœnas atque ſupplicia, quibus plerumque ceſſit humana infirmitas, ita à confeſſione Domini non recedens immobilis obſti-

lib. 4. c. 19

AN. CHR. DC. LXXIX. JUN. XXIII.

tiſſet, ut læta ulceribus, gaudens cruciatibus quælibet inter tormenta riſiſſet. Sed quamquam iſta non tulerit, implevit ſine cruore martyrium. Quas verò pro ſpe æternitatis humanorum dolorum non pertulit paſſiones, famem, vigilias, nuditatem, curam pro infirmantibus, ſollicitudinem pro periclitantibus; quia ſolùm cæleſtis vitæ dulcedinem in terris amaverat, ut in comparatione ejus quæcumque adverſa mundi & proſpera vileſcerent.

XIII. *Qnomodo Etheldreda tetendit ad* Ely, *& quid in itinere ei contigit.*

30. RES eſt valde opinata & ſeniorum noſtrorum relatione nobis tradita, quam omnis provincia, in qua acciderat, velut heſternam recitare ſolet & meminit. Sponſam igitur Domini Etheldredam locum ubi pro Chriſto ſe ſuppoſuit, mutare & manſionem aliàs petere Egfridi Regis quondam ſponſi ſui infeſtatio compellabat. Et aſſumptis ſecum præfatis Dei ancillis Sewenna & Seware, à loco atque provincia receſſit, Domini tenens præceptum: *Si perſecuti vos fuerint homines in una civitate, fugite in aliam*; ad flumen quod dicitur *Humbre* perveniens, cujus alveo levis auræ impulſu tranſito in portum *Vvintringeham* proſperè eſt advecta, ſed inde quaſi ſtadiis decem ad viculum divertens in modum inſulæ paludibus ferè circumdatum *Alfitham* nominatum, cum jamdictis puellis hoſpitium petiit & accepit: ibíque paucis diebus manſitans, ob meritorum inſignia non poterat abſcondi, Domino Eccleſiam conſtruxit: quo in loco per ipſius ſuffragia crebra incolis præſtantur beneficia. Inde beata virgo iter arripuit tamquam una de Chriſti peregrinis in veſte humili, ut non ſolùm mente, ſed etiam habitu propter Dominum ſe humiliaret. Non recto calle quò tendebat, immò præter viam gradiebatur, & ne ab inſidiatoribus proſecuta poſſet comprehendi latitando inceſſit, nulli ſuum volens revelare myſterium, aut cuiquam digreſſionis ſuæ exponere cauſam. Cúmque ambularet, calore ſolis urente & ex labore inſolito nimiùm fatigata, vix ſubſiſtere valuit: locum umbraculi & amœnitatis, quo ſinus ſudore diffluos refrigerare & novis membra poſſet tabeſcentia viribus reficere, diligenter appetiit; nec diu fruſtratur voto, ſed celeris efficacia mancipavit optatum. Et lento pede progrediens diſponente Dei gratia comminùs locum ſuis neceſſariis aptum oſtendit virenti amictum decore, ad repauſandum tranſeuntibus congruum, miranda planitie conſitum, ut potiùs ex induſtria putaret adæquatum, undique adſperſum floribus variorum colorum. Intendit valde optatum, videt delectabilem, juvat pauſabilem miros halitus ex herbarum odoribus dulciter ſpirare. Cujus amœnitate ſancta Mater delectata modicùm repauſare, modicùm ſe relevare exoptabat, ut reparato membrorum tabeſcentium vigore, reliquum itineris ſupplere. Denique ſe collocavit, atque dormivit, ibíque tantummodo quieſcebat, ubi eam quieſcere laſſitudo coëgiſſet.

Mat. 10. 23.

31. Et mirandum valde quod narro, cujus rei vobis impertire cupio notitiam, quam veram eſſe nullus ambigat audientium. Cúmque de ſomno evigilata poſt paullulum ſurrexiſſet, invenit baculum itineris ſui quod ad caput antea fixerat aridum & diu inveteratum, jam viridi amictum cortice fronduiſſe, ac folia prodiſſe: quod illa intuens admirando ſtupuit, & pro tali facto Deum ex intimo corde cum conſortibus ſuis laudans benedixit. Sed nequaquam hoc velut commenticium æſtimetis: cuncti quidem novêre provinciales atque veriſſimum aſſerunt. Hoc quippe de hiſtoriis non invenimus, ſed tali compulſi neceſſitate incompoſitum non relinquimus. Et cuncta quæ fecit JESUS cùm ſcripta non ſunt in libris Evangeliorum, ſi poſtea ab aliquo memorentur, numquid ideo non vera eſſe probari poſſunt? Crevit ergo quidem lignum illud, & facta eſt fraxinus maxima cunctarum arborum illius provinciæ, quam ex noſtris adhuc plures viderunt. Appellatus eſt locus ille uſque in hodiernum diem *Edeldredeſtonne*, quod latinè ſonat Repauſatio Etheldredæ: facta eſt etiam illic

Eccleſia

Eccleſia in honore beatæ Virginis ad laudem Domini noſtri JESU-CHRISTI, qui venerabilis eſt in Sanctis ſuis. AN. CHR. DC.LXXIX. JUN. XXIII.

XIV. *Quòd Eccleſia Coludi poſt illius deceſſum igne conſumpta eſt.*

32. NEc diu poſt deceſſum venerandum Etheldredæ Monaſterium Virginum quod Coludi ſitum fuerat, in quo habitum Religionis accepit, per culpam incuriæ flammis abſumptum eſt. Quod tamen à malitia inhabitantium in eo, & præcipuè illorum qui majores eſſe videbantur contigiſſe, omnes qui noverunt facilè potuerunt advertere, quod hîc minimè præterimus. Sed non defuit puniendis admonitio Divinæ pietatis, qua correpti per jejunia, fletus & preces iram à ſe ad inſtar Ninivitarum juſti Judicis averterent. Erat namque in eodem Monaſterio vir de genere Scottorum ADAMNANUS [a] nomine, ducens vitam in continentia & orationibus multùm Deo devotam. Hic occupatus noctu vigiliis & pſalmis, vidit ſubitò adſtare ſibi quemdam incogniti vultûs, cujus præſentiâ cùm eſſet exterritus, dixit illi ne timeret, & quaſi familiari eum voce alloquens; Benè facis, inquit, tempore nocturnæ quietis non ſomno indulgere, ſed vigiliis & orationibus inſiſtere, & ſedulò Deum deprecari. Totum hoc Monaſterium ex ordine perluſtrans modò ſingulorum lectos inſpexi, & neminem præter te ſolum erga ſanitatem animæ ſuæ occupatum reperi, ſed prorſus omnes viri ac feminæ aut ſomno torpent inerti, aut ad peccata vigilant. Virgines Deo dicatæ contemptâ reverentiâ ſuæ profeſſionis ad vicem ſponſarum in periculum ſui ſtatûs ſe adornant, aut externorum virorum ſibi amicitiam comparant: unde meritò loco huic & habitatoribus ejus de cælo vindicta flammis ſævientibus præparata eſt. Quod mox congregationis Matri vocabulo Ebbæ [b], quæ (ut diximus) Deo dignam Etheldredam in Religionem ſuſceperat, & in filiam adoptivam nutrierat atque docuerat, curavit indicare. At illa de tali præſagio meritò turbata dixit: Quare non citiùs hoc compertum mihi revelare voluiſti? Qui reſpondit: Timui propter reverentiam tuam, ne fortè nimiùm conturbareris: ſed tamen hanc conſolationem habebis, quòd in diebus tuis hæc plaga non ſuperveniet. Qua viſione vulgata, loci accolæ aliquantulùm paucis diebus timere & ſeipſos intermiſſis facinoribus caſtigare cœperunt: verùm poſt obitum illius Abbatiſſæ redierunt ad priſtinas ſordes, immo ſceleratiora fecerunt. Et cum dicerent, pax & ſecuritas, extemplò præfatæ ultionis ſunt pœnâ multati. Proh dolor! concitæ nimirum illius exſtiterat indicium everſionis, quòd non merebantur gratiſſimæ virginis ſuffragari conſortio, cujus præſentiâ fruſtrati impiè & perversè agentes, incorrigibiles permanſerunt, ut nec Divino converſi admonitu, nec venerabilis Etheldredæ compuncti devotione, ob ſcelerum enormitatem & ſe & locum perdidiſſe, ſicut Beda meminit, agnoſcimus: ſed mementote qui legitis vel auditis, non ſine dolore nimio & timore hoc me ſcripſiſſe: ſemper enim ſperatio bonorum detrimentum eſt peſſimorum.

[a] De iſto Adamnano & hiſtoria hoc capite deſcripta agit Venerabilis Beda in lib. 4. Hiſt. cap. 25. Adamnanus iſte diſtinguendus videtur ab alio Adamnano Abbate Hiienſi, cujus operâ plurimi Scottorum Paſcha & ritus Romanos receperunt teſtibus Beda in lib. 5. cap. 17. & Ceolfrido Abbate in Epiſt. ad Naitonum Pictonum Regem apud eumdem Bedam lib. 5. cap. 22.

[b] Ebba Abbatiſſa familiaris fuit S. Cuthberto Epiſcopo, uti ex vita S. Cuthberti per Bedam cap. 10. intelligitur. De ea ſuprà cap. 10. & Beda in lib. 4. Hiſt. cap. 25. In Faſtis Benedictinis celebratur IV. Kalend. Septemb. aliis IV. Non. April. Obiit ann. 4. ante obitum S. Cuthberti, id eſt anno DC.XXCIII. Corporis ejus inventionem factam poſt Danorum cladem Cappgravius refert. Diſtinguenda eſt ab alia cognomine Ebba itidem Abbatiſſa Coludenſi, quæ anno DCCC. LXX. egregium tuendæ virginitatis conſilium cum ſuis adverſus Danorum inſultus excogitavit, uti commemorat eo anno Matthæus Vveſtmonaſterienſis Monachus, cujusque ſuo loco non omittemus. Ebba ſenior habuit & aliud Cœnobium Virginum ad Dorvventionem fluvium *Ebcheſter* appellatum, cujus Martyrologium Anglo-Benedictinum ad 25. Auguſti meminit.

ÆR. CHR. DC. LXXIX. JUN. XXIII.

XV. *Quòd B. Etheldreda in* Ely *ad poſſeſſionem propriam rediit, cœtum utriuſque ſexûs ſub Monachili habitu congregavit, quorum auxiliis illic fabricavit Eccleſiam.*

33. INTEREA virgo Domini Etheldra poſt annum ex quo velamentum ſanctitatis ſuſceperat, per innumera itinerum diſcrimina & labores diverſos ad ſua redit in *Ely* in poſſeſſionem propriam, quam à Tomberto primo ſponſo ejus jure dotis, immò divinitùs illi prædeſtinatam & perpetuò poſſidendam acceperat, devenit, & cum ea memoratæ ancillæ Dei jugiter ſibi adhærentes, quæ ſudoribus illius participes, dum eſſet in Regno & dum diverſa peragraret latibula, multifaria cum ea ſuſtinuerunt pericula. Itaque loci ejuſdem habitatio Etheldredæ JESU-CHRISTI famulæ in ſortem cecidit: illícque debito cum honore ſuſcepta, inſulam poſſedit, & ut jus proprium liberè diſpoſuit, quam in æternum ſub Chriſto præſule gratiarum munere illuſtrat & continet. Secutus eſt eam vir laudabilis, HUNA nomine, ſanctus Sacerdos, qui monita ſalutis illi dabat & Sanctorum inſtituta actúſque diſſeruit, de quo in ſequentibus dicendum eſt. Nunc autem loci dignitatem & nomen præſignare opportunum eſt, ut qualiter vel à quibus reparandus eſſet, lector facilius advertat. Nec quidem juxta quorumdam obſtinationem *Elge* de provincia eſt Cantebrige; ſed revera (ſicut Beda docet) Orientalium Anglorum, dignitate & magnitudine Regia vocata familiarum circiter ſexcentarum, in ſimilitudine inſulæ vel paludibus circumdata, vel aquis quæ maria vocantur. Unde & à copia Anguillarum, quæ in eiſdem paludibus capiuntur, nomen accepit, quæ mutato nomine meliorando *Ely* nuncupatur, modò ſcilicet digna Dei domus, cui nomen convenit ejus; vel ſicut quidam ex duobus verbis Hebraïcis diſſerunt, Elge: quoniam dicitur *El* Deus, *ge* terra, quod ſimul Dei terra ſonat. Dignè enim inſula tali ſignatur onomate, quæ ab initio Chriſtianitatis & Fidei in Anglia Dominum JESUM mox credere cœpit & colere: ubi Monaſterium habere deſideravit memorata Chriſti famula, quæ de provincia eorumdem Orientalium Anglorum ipſa (ut præfati ſumus) carnis originem duxit. Ibi etiam prophetiæ ſpiritu magníſque miraculis cunctis longè latéque habitantibus vita ejus inclaruit.

34. Et quia ſol juſtitiæ Dominus eam ſplendore ſuæ claritatis illuſtraverat, & ut cunctis luceret ſuper montem virtutum illius perfectionem collocaverat, felicibus prodentibus meritis ſub ipſa nonnulli vivere decertabant, ſed & filias ſuas ab ea informandas tradebant. Ad quam dum multi pergunt, exemplo illius æternæ vitæ accendi deſiderio cœperunt, atque ſub illius magiſterio in omnipotentis Dei ſervitium ſubdiderunt: inter quas virgo Domini WERBURGA filia ERMENILDÆ germana ſuæ ſanctæ Sexburgæ ſanctæ filiæ advenit, atque ab ea normam Religionis accepit & didicit. Cernens itaque beata Mater plebes ad ſe certatim currere, laudavit Dominum, & ad profectum animæ ſingulos cohortabatur, dicens præterire figuram hujus mundi, & illam eſſe veram vitam quæ præſentis vitæ emeretur incommodo.

35. Non enim adhuc in inſula tunc temporis niſi una fuerat Eccleſia à B. Auguſtino Anglorum Apoſtolo facta, ſed à perfidi Regis Pendæ poſtea exercitu ad ſolum deſtructa: quam dilectrix Dei Etheldreda poſt longam deſolationem renovare atque reformare ſummopere laboravit. Et dum reædificata ut primitus in honorem ſanctæ Dei Genitricis MARIÆ fuit, innumerabilibus ſignis & virtutibus Deo cotidie operante refulſit. Demum loci ſitum Monaſterialibus ædificiis decentiſſimè adornavit. Solutis verò prioris fundamenti reliquiis nova omnia præparantur. Verùm locus tanta jugiter libertate atque libera dignitate potitur, ut à nullo Regum Angliæ ſeu gentis vicinæ adverſaretur, vel pro quolibet juris debito calumniaretur; ſed tamquam regio libera haberetur atque conſiſteret. Solus autem Wilfridus Pontifex, quem virgo Regina præ omnibus

in Regno dilectum & electum habuerat, ſuis tunc neceſſitatibus proviſorem adhibuit, jura illic adminiſtravit Epiſcopalia, à quo ipſa (ſicut in Beda legitur) facta eſt Abbatiſſa. Decretum igitur decenti ratione à cunctis tunc Angliæ primoribus tam ſæcularibus quàm Eccleſiaſticis fuit, ut inſulam *Elge* (quam eadem Sanctimonialis femina pro dote poſſederat, nunc verò in Divinum mancipaverat officium) non de Rege, non de Epiſcopo libertas loci diminueretur vel impoſterum confringeretur: quod plurimorum auctoritate Apoſtolicorum fuiſſe confirmatam ex Papæ VICTORIS Privilegio comprobratur, ut ſuis locis plenè inſeremus[a], neceſſariè primùm attendentes operis incepti hiſtoriam explere. Ipſa ſiquidem & devotiſſima Etheldreda poſt modicum fratris ſui memorati Regis Aldulfi auxiliis majore inibi conſtructo Monaſterio, Virginum Deo devotarum perplurium Mater Virgo exemplis vitæ cœpit eſſe & monitis, quarum uſibus ex integro inſulam & perconſtituit, & per dilectum ſuum Wilfridum Romæ nutu Apoſtolico corroborandum deſtinavit, ut abſque ulla penuria in Domino ſervitio degentes, ſeu inquietudine cujuſlibet exactionis miniſtri regulariter permanerent. Quàm recta Dei conditoris ſunt diſpoſita! Virgo Virginibus eſt præpoſita, juxta quod in cruce paſſionis Chriſti Virgo fuit commiſſa Virgini; ut viventes Virgini conregnent Domino cumulatæ fructu centeno. Nec ſanè ibi minorem putetis converſantium in multitudine eſſe virtutem, quæ ſexum & ſæculum propter Deum vicerunt, quàm eorum eſſe cognoſcitis, qui ſe antiquitus ab humanis cœtibus removerunt. Omnibus ibi una eadem Regula eſt, præcipua virtus & prima eis obedientia amor Divini cultûs, & decorem domûs Dei tota obſervantia cuſtodire. In Chronicis verò Anglicis & Latinis habetur, quòd anno ab Incarnatione Domini ſexcenteſimo ſeptuageſimo tertio Etheldreda in *Ely* fabricas inceperit, atque in brevi cœtum utriuſque ſexûs Deum timentium ſub tramite vitæ regularis collegit, ſicut Beda ſcripſit: dicens in ejuſdem Deo dicatæ Virginis tranſlatione, omnem congregationem hinc Fratrum illinc Sororum pſallentem circumſtetiſſe ſepulcrum ejus. Unde intelligitur viros & mulieres in eodem ſimul Monaſterio cælibem actitare vitam, atque in Eccleſia diutiùs ſervatum, ut ipſa ſtatuerat, donec locum & patriam Dani ſubverterunt, agnoſcimus: quod etiam apud Coludi & in pluribus tunc Anglorum fuiſſe Eccleſiis Anglorum teſtatur hiſtoria.

AN. CHR. DC. LXXIX. JUN. XXII.

XVI. *Quomodo S. Etheldreda in* Ely *à S. Wilfrido facta eſt Abbatiſſa.*

36. SANCTUS verò Domini Wilfridus beatæ Virginis non immemor, nec ſe à viciſſitudine dilectionis illius excludens, ut eam in *Ely* deſcendiſſe cognoverat, feſtinus advolat. De animæ commodis, de ſtatu mentis, de qualitate converſationis tractatur: deinde in Abbatiſſæ officio eam gregémque illic adunatum conſecravit, locum ſua diſpoſitione conſtituit, ſéque in omnibus ſollicitum exhibuit: ubi vitam non ſolùm ſibi, ſed etiam cunctis ibidem exſiſtentibus utilem aliquando tempore duxit: à quo ipſa plurimum regendi conſilium & vitæ ſolatium habuit. Debriabatur beata Virgo meditatu cælorum, efferens largam manum eleëmoſynarum, continuationem diligens orationum, frequentiam exercitans vigiliarum: quod Bedæ ex verbis plenius exponi videtur. Verumtamen ex quo Monaſterium petiit, numquam lineis ſed ſolùm laneis veſtibus uti voluerit, raróque in calidis balneis præter imminentibus majoribus ſollemnitatibus, verbi gratiâ Paſchæ, Pentecoſtes, Epiphaniæ lavari voluerit. Item: Noviſſima omnium lotis priùs ſuorum ſuarúmque miniſtrarum obſequio ceteris quæ ibi eſſent famulabus Chriſti. Quæ enim lota erat corde, non neceſſe erat ut lavaretur corpore. Commiſſúmque ſibi gregem & orationibus prote-

« *lib. 4. c.* 19.

[a] Exſtat iſtud Privilegium in Monaſt. Anglic. To. 1. directum *Eduardo Regi Anglorum*, cujus principatu ſedebat Victor II. Hinc patet Auctorem iſtum alicubi decurtatum fuiſſe.

AN. CHR. DC. LXXIX. JUN. XXIII.

gebat assiduis, & monitionibus saluberrimis ad cælestia provocabat: & (quod magis est) quæ agenda docebat, ipsa priùs operando præmonstrabat. Itaque mater pia allactabat dulces soboles Christi dulcedine, in perpetua caritate trahens secum omnes flagrantissimè ad coronam gloriæ, quibus humilitatis & mansuetudinis formam se exhibuit, atque abstinentiæ virtutum exercere vita
» ejus ministra præmonuit. Namque rarò præter majora sollemnia vel artiorem
» necessitatem plusquàm semel per diem manducaverit, fugiens velut immanem
» pestem intemperatam ventris satietatem. Et si non infirmitas gravior prohi-
» buisset, in tempore synaxeos usque ad ortum diei in Ecclesia post Matutinos precibus intenta perstiterit. Quot tunc genuum flexionem, quot intimi cordis emiserit contritiones, precum ejus novit susceptor, virginitatis integræ compos & adjutor.

XVII. *Quomodo virgo Domini Werburga habitum Religionis in* Ely *sub Etheldreda suscepit.*

37. REX autem WLFERUS Merciorum, filius Pendæ, tunc temporis vitâ decesserat, qui primus in eodem Regno fidem & lavacrum sanctæ regenerationis accepit, atque in tota gente sua dæmoniorum culturam destruxit, Christíque nomen ubique locorum Regni sui prædicare jussit, & in multis locis Ecclesias ædificavit. Insuper famosum illud Monasterium *Yvedeshamstede*, nunc *Burch* vocatum, possessionibus & ornamentis multùm dilavit per SEXULFUM, qui primus Abbas & fundator loci ejusdem ac postea Episcopus Merciorum sub eodem Rege exstitit. Cujus Regina ERMENILDA, Cantuariorum Regis Erconberti & Sexburgæ Reginæ filia, peperit ei magnarum virtutum virginem S. Werburgam; quæ patre defuncto sæculo renuntiavit, & habitum sanctæ conversationis susceptura, genitricis suæ materteræ, beatæ videlicet Etheldredæ, Monasterium intravit, ubi Deo operante multa patravit miracula. Fuerunt autem germani Regis Vvlferi ETHELDREDUS, qui post eum sceptra Regni gubernavit: Alius PEDA qui Australium Anglorum Regnum tenuit, sed suæ conjugis proditione in ipso Paschalis festi tempore peremptus est multùm nefariè; Tertius MEREWALDUS, qui in Occidentali paga Merciorum Regnum tenuit. Cui Regina sua sancta ERMENBURGA, Regis Ermenredi filia, peperit tres filias, sanctam MILBURGAM, S. MILGIDRAM, & S. MILDRIDAM, unúmque filium MEREWINUM nomine, eximiæ sanctitatis puerum.

XVIII. *De Adventu beatæ Sexburgæ in* Ely.

38. IN eodem quippe Monasterio ad venerandam Abbatissam Etheldredam diversæ dignitatis & ætatis plurimi convenerant, sub illius regimine vivere cupientes. Et cùm quidam magnifici viri & nobiles matronæ, sive quilibet minoris ætatis, sæculi actibus abdicatis se suscipi rogarent, licet difficiliora Ecclesiæ constituta eis proponerentur, gravésque esse Monasticæ disciplinæ labores agnoscerent, quippe ubi maximè severior efferbuit disciplina; non his terroribus permoti facilioribus legibus vivere poscerent, sed magis illic viri ac feminæ susceptí omnem obedientiam præripiunt, ut nullum aliquando quàmlibet arduum ac difficile constitutum recusando diffugerent. Ex quibus S. HUNA illius Presbyter magnæ humilitatis vir loco professionem fecit, atque in brevi tempore virtutum exercitatione perfectus emicuit, potens jejuniis, humilitate conspicuus, fide firmus, facilè se antiquis Monachis studio religionis æquaverat: unde à nonnullis, etiam ab ipsa Matre congregationis maximi honoris & amoris dignus habebatur. Sed & Sanctorum genitrix Sexburga, soror ejusdem beatissimæ Matris Etheldredæ, considerans desolationem in Regno futu-

ram, ſicut ab Angelo Dei oraculum acceperat, concepit affectu vitam pauperiorem arripere, & ſe redigere ſub alterius poteſtate : incongruum arbitrata aliis præeſſe, cùm ipſa ſubeſſe priùs non didicerat. Accerſit proinde Mater Filias, Abbatiſſa Moniales ſibi conſortes in Chriſto, eiſque ſuam prodit voluntatem ac votum dicens : Vobis, ô filiæ, JESUM derelinquo tutorem ſanctóſque Angelos ejus paranymphos ; filiam præterea meam Ermenildam vobis Matrem conſtituo, ut illius corda veſtra animentur monitis, & ſalutaribus ad cæleſtia erudiantur diſciplinis. Ego verò Orientalem Angliam, in cujus oris orta ſum, inviſere glorioſæ ſororis meæ Etheldredæ magiſterio informanda, & regularibus ejuſdem minanda doctrinis, illius profectò communicare laboribus, illius participare intendens & præviis. Deinde cùm eis neceſſaria utiliter & honeſtè providiſſet, in *Ely* uſque pervenit, & in occurſum illius tota inſula gratulatur ; Regina Reginam excepit, ſoror ſororem cum tripudio introducit : fundunt uberrim præ gaudio lacrymas, ex vera caritate inter eas lætitia geminatur. Cæleſti namque dulcedine delectatæ, alterna invicem conſolatione proficiunt. Venit dives illa de prælatione ad ſubjectionem, de magiſtratu ad diſcipulatum, quærens à beata ſorore formam diſciplinæ & humilitatis, tamquam Paulus ad pedes Gamalielis. Fœderatæ invicem beatæ ſorores in unitate fidei, per omnia viam mandatorum Dei ſollicitè exſequentes, curſum Deo placitum conſummare intendunt, ſanctíſque virtutibus proficiebant, atque creſcebant uſque ad extremum vitæ ſuæ. AN. CHR. DC. LXXIX. JUN. XXIII.

XIX. *Quomodo S. Etheldreda prophetiæ ſpiritum habuit, & Wilfridus Romam perrexit, ſed rediens illam obîſſe cognovit.*

39. EXhinc crebreſcunt miracula, multiplicantur ſigna, & ad virginis Etheldredæ merita ſublimiùs declaranda manus Omnipotentis extenditur. Interea dum ſe de die in diem majoribus virtutum profectibus exerceret, fugandorum de corporibus obſeſſis dæmonum incredibili prædita poteſtate, inaudita per ſingulos dies ſigna faciebat, non ſolùm præſens neque verbo tantùm, ſed abſens quoque interdum ejus invocato nomine, multi à diverſis mortibus cotidie eripiebantur ; & mirum in modum frequentabatur à populis, venerabatur ab omnibus, amabatur à cunctis. Per ſpiritum verò prophetiæ, & peſtilentiam qua ipſa eſſet moritura prædixerat, & numerum quoque eorum qui de ſuo Monaſterio ac de mundo eſſent rapiendi, palàm cunctis præſentibus intimaverat, quorum animos ferventiùs terrena ſpernere & cæleſtia quærere admonuit. Nec tamquam caſſa improbata eſt ſententia virginis, cùm ſingulæ quibus in Monaſterio proprium præconata fuerat exitum, parvo interjecto temporis ſpatio in pacis ſomno quieverunt. Beatiſſimam verò Etheldredam quæ virginales manipulos in domicilium præmiſerat recondendos ſupernum, & ut ipſa ſubſequeretur immortali in cælis diademate coronanda, ultimam omnium dolor graviſſimus illam occupavit. Statuit autem *Elge* Monaſterium in quo (ut diximus) virgineos choros ſub normali diſciplina per ſeptem continuos annos honeſtiſſimè rexit. Alma igitur Virgo paritura Deo progeniem Virginum, docta à Spiritu-ſancto ſuſcepit Monaſterium regendum, quod ſuâ præſentiâ perpetuò ſtat conſecratum : & ſicut tunc in corpore illuſtrabat vitæ ſanctitate, ita & nunc poſt mortem Divina virtute. Ipſius quidem plurima referuntur inſignia, nec potuerunt celari. Quædam enim dum jactantiam vitat occultavit, neque in hominum notitiam paſſa eſt pervenire : quippe quæ humanam ſubſtantiam ſupergreſſa, virtutis ſolum conſcientiâ mundi gloriam calcans, cælo teſte foveretur. Quod verum eſſe, vel ex his quæ nobis comperta ſunt, nec latêre potuerunt, poſſumus æſtimare.

40. Per idem tempus Wilfridus Archiepiſcopus, qui hoc ante triennio exſi-

AN. CHR. DC.LXXIX. JUN. XXII.

lium paſſus eſt, ſicut Beda ſcripſit. Nam orta inter ipſum & Regem Egfridum diſſenſione, pulſus ab eo de ſede ſui Epiſcopatus, apud *Ely* cum beatiſſima Ethel. dreda morabatur, ubi tunc & quoties neceſſitas popoſcerat, quoad vixit, offi. cij jura Epiſcopalis adminiſtravit. Inde paratis itineris adminiculis Romam adiit, ubi BENEDICTI Papæ ac plurimorum judicio Epiſcopatu inventus eſt dignus eſſe. Brittanniam rediit, provinciam Suthſaxoniam Chriſto credere fecit. Attulit autem de Roma ad munimentum quorumdam Cœnobiorum Privile. gia, quæ hactenus diligenter & cum ſollicitudine ſervata magnam locis firmitatem conferre noſcuntur. Accepit etiam ab eodem Privilegium ſuper Elge Monaſterium, ut optaverat & eum rogaverat Mater inſignis Etheldreda, quatenus auctoritate S. Petri contra improborum irruptiones ſecuriùs ſtarer. Factum eſt autem dum ibi maneret, eodem anno (ſicut in Chronicis legitur) Ethel. dreda quæ diu ſuum præcinuerat finem, de ſæculo migrâſſe denuntiatur. Nam poſt paucos dies, veniente nuntio, illius dormitionem audivit.

XX. *Quòd infirmata palam cunctis pœnituit.*

41. INSTANTE igitur tempore quo Dominus ſponſam ſibi dilectam ab hujus ærumnoſæ vitæ nexibus exemptam ad ineffabile cæleſtis patriæ gaudium ſuſtolleret, preſſa eſt quodam maxillæ tumore ac colli dolore, ita quòd infirmata habuerit tumorem maximum ſub maxilla. Et graveſcente languoris incommoditate, mollioribus nutrimentis corpus alleviandum lecto proſternitur. Nam tumor ille plurimum addebat acrioris incitamenta doloris; ſed nihilominùs conſuetæ orationi intenta gratias agit Deo, qui omnes quos diligit, flagellat, ut corrigat. Dolet familia; genitus quippe populus timet amittere dominam, virginalis caterva Matrem egregiam, pauperes eleëmoſynarum largitricem, Clerus fœcundam virtutum operatricem. Et cùm præfato tumore premeretur, multùm delectata eſt hoc infirmitatis genere, tota amplectens alacritate quaſi delicias & ornamenta gloriæ, ac ſolita dicere: Scio certiſſimè quia meritò in collo pondus languoris porto, in quo iuvenculam memini ſuperva. cua monilium pondera portare *. Illud enim mihi ætas juvenilis ingeſſit, quod collum monilibus perornare conſuevi: unde Divinæ pietati laudes & gratias refero, quòd illic dolor prodeat, ubi eram ſolita delectabilem miniſtrare fulgorem. Et credo quòd ideo me ſuperna pietas dolore colli voluit gravari, ut ſic abſolvar à reatu ſupervacuæ levitatis: dum mihi nunc pro auro, & margaritis de collo rubor tumoris ardórque promineat.

* *Sic etiam apud Bedam lib. 4. c. 19.*

XXI. *Qualiter majoribus aggravata doloribus, ſpiritum cælo reddidit tertium diem.*

42. CUM itaque pretioſſima virgo inter ſplendidiſſimos pretioſæ vitæ triumphos Deo referret gloriam, & ad videndam ſereniſſimam Auctoris ſui faciem æſtuaret, nec obſequium ejus præmio, nec longa exſpectatio cæleſti mercede defraudatur. Sed jam ingruente magis ac magis membrorum incommoditate, auxilium Medici inquirere ſtudent, vel ſi poſſent mitigantes doloris importunitatem auferre. Quidam verò à circumſtantibus accerſitur Medicus, KINEFRIDUS nomine, ut per eum virginalis moleſtia temperetur: jubétque tumorem illum incidere, ut efflueret noxius humor qui inerat. Quod dum faceret, videbatur illa per biduum aliquanto leviùs habere, itaut multi putarent, quia ſanari poſſet à languore, mortémque tali remedio jam poſſe declinare. Tumor etenim effluxit, ardor per biduum aliquantulùm receſſit: gratulantur univerſi, ſed eorum gaudia ſubita ex improviſo Dei terminavit providentia. Sed quòd plerumque dies tertia gravior eſſe vulneratis & prolixiorem moleſtiam generare ſolet afflictis; Dominus volens ſuam virginem ſecum conregna-

re in cæleſtibus, tertio die prioribus aggravata doloribus, mortem temporalem ſibi ſentiens imminere, cunctam ad ſe congregationem venire præcepit, tempus & horam ſuæ vocationis nunc deſignans, ſicut ante certum prædixerat diem. Sed & quantum aſperitas ægritudinis admittebat, dulcedinem doctrinæ cæleſtis qua affluebat, & verba vitæ æternæ transfundebat, monens eas ut animum de ſupernis numquam deponerent, & ſuavem cibum cæleſtis jocunditatis in Chriſti amore ſuſpirando guſtarent, quem adhuc in carne degentes perfectè apprehendiſſe non poterant. Talia quippe dans monita ſalutis non patiebatur jam audire vel loqui, niſi quæ Chriſti ſit caritas. Totâ enim animâ atque virtute Chriſti dilecti ſui ſponſi faciem præveniens, hymnis flagitabat & pſalmis, ut ſpiritum ejus à ſanctis Angelis ſuſcipi jubeat: deinde Corpore & Sanguine Domini exitum ſuum munivit: illum deprecabatur attentiùs propitium fore jugiter ſuper loci habitatores & cuſtodem perpetuum. AN. CHR. DC.LXXIX. JUN. XXIII.

43. Dum hæc fierent, rapta eſt confeſtim de mundo, ſpiritum in manus Creatoris commendans; & (ſicut ſcriptum eſt in libro hiſtoriarum Bedæ Presbyteri) dolorem omnem ac mortem perpetua ſalute ac vitâ mutavit. Factum eſt dum de ſæculo migraret, ut Elienſe Monaſterium in triſtitiam verteretur haud modicam deſolationis & luctûs. Ingens enim dolor & fletus Fratrum atque Sororum exortus eſt, qui dominam ſuam atque patronam non immeritò amariſſimè diu perplangere potuerunt: ſed virgo ſancta atque glorioſa carnis ergaſtulo educta, ad æterni Regis amplexus in cæleſte cubiculum eſt introducta, Agni ſequens veſtigia inter Virginum agmina. Victis jam carnis incendiis lætatur cum Angelis ejus beata anima, cui patebant æthera, quæ præſcire & prænuntiare meruit adeunda gaudia. De deſerto namque præſentis ſæculi, comitantibus hincinde Angelorum choris, tota pulchra, tota immaculata adſcendit: quam filiæ Sion videntes beatiſſimam prædicaverunt & Reginæ laudaverunt eam. Rapta eſt ad Dominum virgo Etheldreda in medio ſuorum nono Kalendas Junij poſt annos ſeptem, ex quo Abbatiſſæ gradum ſuſceperat: & æquè (ut ipſa juſſerat) non alibi quàm in medio ſuorum juxta ordinem quo tranſierat, ligneo in locello eſt ſepulta. Tranſivit autem anno ab Incarnatione Domini ſexcēteſimo ſeptuageſimo nono à cœnolenta voragine hujus mundi ad cæleſtis gaudia regni ſub Regibus Anglorum, fratre ejuſdem videlicet Aldulfo Orientalium, & Lothero ſanctæ Sexburgæ filio Cantuariorum: atque à dextris Chriſti ſponſi ejus feliciter collocata, pro omnibus nobis in conſpectu ſummi Patris interventrix adſiſtit aſſidua. Quàm felix es beata virgo, quæ vivens incorrupta corrumpi neſcis etiam tumulata! Jam vitæ decus quoddam ſplendet reſurrectionis, immutata partem habes Chriſti reſurgentis. Nam etiam ſignum Divini miraculi quo ejuſdem feminæ ſepulta caro (ſicut Beda teſtatur) corrumpi non potuit, indicio eſt quia à contactu virili incorrupta perduravit. Denique poſt ipſius obitum dum in tumba pauſarent oſſa ſepulcri, ſignorum non vacat expers, verùm miraculorum frequentiâ mox undique celebris refulſit. Nam adverſa corporis valetudine diverſi laborantes, cùm opem fideliter ad tumbam illius expoſcerent, ſoſpitate ſibi reddita Chriſti certatim laudabant magnalia. Nonnulli verò morbo detenti acerbiore in ſomnis admonentur ejus feſtinanter adire mauſoleum: quò citiùs cùm perveniſſent, cęleſtis ibi medelæ beneficia adipiſci merebantur. Hinc fugantur variæ paſſiones & dæmonia, exaudiuntur ſupplices per Dominum noſtrum JESUM-CHRISTUM qui cum Deo Patre & Spiritu-ſancto vivit & regnat in ſæcula ſæculorum, Amen. *ibid.* Moritur IX. Kal. Junij anno 679.

XXII. *De ſancto* HUNA *Sacerdote.*

44. CIRCA hoc tempus S. HUNA Sacerdos exſtitit, qui de ordine Monachorum & Preſbyter almæ Etheldredæ fuiſſe perhibetur. Hic (ut fertur) cum illa venerabili congregatione in lacrymis & maximo gemitu, ſed & multitudo plebis diverſæ conditionis & ętatis convenerat, quæ in vita ejus beneficia

An. Chr. dc. lxxix. Jun. xxiii.

plurima fuerant experta, ejuſdem ſanctæ Matris celebravit exſequias, & eam non in lapide cęlato aut arcubus auro circumactis; ſed (ſicut ab ipſa mandatum acceperat) in cimiterio Eccleſiæ juxta ſuos ſepelivit. Et poſt venerandum illius obitum non in Eccleſia conſtitit, ſed in eadem palude prope *Ely* ad quamdam modicam inſulam, quæ ejus nomine vacatur Huneia, ſeceſſit ſolitariam eligens vitam, ut tantum quieti vacans Domino militaret; ubi quamdiu vixit glorioſam vitam duxit, quæ omnibus latè claruit: ad cujus tumbam multos recuperandæ ſanitatis gratiâ accedentes ſoſpitatem ipſius recuperâſſe meritis plerique teſtantur. Quod quidam cognoſcentes, ſecretè ejuſdem Reliquias, ſarcophago poſtea fracto, apud Torneiam tranſportantes repoſuerunt, ſperantes à Domino ejus patrociniis gratiam & miſericordiam.

XXIII. *Quòd quidam miniſter beatæ virginis per Sacrificium ſalutare non potuit vinculis teneri.*

Beda lib. 4. c. 22.

45. IN anno quo Dominus venerabilem virginem ſuam Etheldredam ad perennem cæleſtis vitæ gloriam ab hac vita corruptibili provexit, mirum & admirandum accidit de quodam illius miniſtro, quod Beda ſaluti multorum intellexit enarrandum. Inter Egfridum ergo Regem Northanhumbrorum jam dudum ſponſum ejuſdem virginis & Ethelredum Regem Merciorum conſerto gravi prœlio juxta flumen Trenta, ubi occiſus eſt Alwinus frater Egfridi Regis, cujus ſororem Eſtridam prędictus Rex Ethelredus habuerat uxorem; inter alios de militia ejus invenis, nomine Ymnia, occiſus eſt, qui die & nocte ſequente ſimilis mortuo jacebat: tandem recepto ſpiritu revixit, prout potuit vulnera ſua alligavit, deinde levavit ſe & cœpit ire: ſed citò captus à viris hoſtilis exercitûs & ad dominum ſuum comitem videlicet Ethelredi Regis adductus eſt. At ille ſuſcipiens eum, curam vulneribus ejus egit, & ubi ſaneſcere cœpit, ne fugeret vinciri præcepit, ſed vinciri non potuit. Mox verò ut abire cœperant qui eum vinxerunt, ejus vincula ſunt ſoluta. Interea Comes cœpit mirari & interrogare quare ligari non poſſet. Ille reſpondit: Habeo fratrem nomine Tunna Preſbyterum & Abbatem Monaſterij in civitate quæ ab ejus nomine *Tunnaceſtre* vocatur, qui me interfectum putans, pro me Miſſas crebras facit: & ſi nunc in alia eſſem vita, ibi anima mea per interceſſionem ejus ſolveretur à pœnis. Dum verò vinculis teneri non poſſet, vendidit eum Lundoniis Preſo cuidam: ſed nec ab illo, cùm illic duceretur, ullatenus potuit alligari, ſed horâ quando Miſſæ fiebant, ſolvebatur. Et cùm vidiſſet qui eum emerat, vinculis non poſſe cohiberi, donavit ei facultatem ſeſe redimendi ſi poſſet. Aſt ille jurejurando ut rediret vel pecuniam illi pro ſe mitteret, venit Cantiam ad Lotherum Regem, qui erat filius ſororis ſanctæ Etheldredæ Reginæ (quia & ipſe quondam ejuſdem Reginæ miniſter, id eſt pincerna fuerat) petiitque & accepit ab eo pretium redemptionis ſuæ, ac ſuo Domino ut promiſerat pro ſe miſit. Qui poſt ad fratrem reverſus, cuncta quæ illi ſolatia in adverſis perveniſſent ex ordine replicavit. Cognovítque eo referente illis maximè temporibus ſua fuiſſe vincula ſoluta, quibus pro ſe Miſſarum fuerant ſollemnia celebrata, ſed & alia periclitanti illi commoda contigiſſe, & proſpera per interceſſionem fraternam & oblationem hoſtiæ ſalutaris cælitùs ſibi fuiſſe donata intellexit. Multi hæc audientes à præfato viro accenſi ſunt fide ac devotione pietatis & ad orandum vel eleëmoſynas faciendas vel ad offerendas Deo victimas pro ereptione eorum qui in fide de ſæculo migraverunt. Intellexit enim quòd Sacrificium ſalutare ad redemptionem valeret animæ & corporis ſempiternam. Sed nequaquam hoc admirandum putabimus quod de Bedæ opuſculis huic operi duximus inſerendum, ſi gratiam Dei in ſancta Regina multipliciter collatam attendamus: cujus devotionem iſte in myſterium exhibens, contemplatus quid cavendum quídve agendum novit, ut Deo devotior exſiſteret æmulabatur

batur. Et non ſolùm iſte de quo præſens ſermo eſt, verùm innumeri viri & fe- AN. CHR. DC LXXIX. JUN. XXIII.
minæ in illius contubernio degentes, cùm eſſent in Regni ſolio ſive in Religione poſiti, exemplo illius & monitis ſpretis mundi deliciis atque illecebris morum exſecutione Domino complacebant : ſicut ex præcedente capitulo ejus Preſbyter & Monachus S. Huna vitæ & ſanctitate inſignis, atque alius quidam OWINUS nomine, Monachus, ſed pædagogus & princeps domûs illius conſcius & ſecretorum cæleſtium auditor, ut ſuprà retulimus. Sed & vir merito ſancti- *cap. 8.*
tatis egregiæ, cuſtos agrorum ipſius erat (ut nuper Divina viſione oſtenſum eſt) vocabulo S. ÆLGOTUS apud *Betritheſvvorde*, quæ eſt villa beati Martyris Edmundi, corpore requieſcens: de quo in ſequentibus minimè eſt reticendum.

XXIV. *Quòd virgo Domini Werburga de* Ely *aſſumpta, quibuſdam Eccleſiis præficitur.*

46. NAMQUE prudens virgo Chriſti WERBURGA in *Ely* ſub regimine Etheldredæ Abbatiſſæ ritè (ut ſuprà memoravimus) Divinis mancipata officiis, omnes Monaſterij famulatus anticipabat, omnibus ſe inferiorem præbebat, erga omnium neceſſitates vulneratæ caritatis viſcera impendebat. Cujus ſanctitatem cùm prædictus Rex Etheldredus patruus ſuus comperiſſet, eam inde cepit, ac quibuſdam Virginum Monaſteriis Abbatiſſæ jure præfecit, ſcilicet *Heamburch* atque *Tritingeham.*

XXV. *Poſt obitum S. Etheldredæ ſoror ejus Sexburga in* Ely *facta eſt Abbatiſſa, & divinitus inſpirata levari oſſa ejus de ſepulcro.*

47. IGITUR poſt glorioſum beatæ & glorioſæ Etheldredæ tranſitum, quo de hac miſera mortalium vita, cupiens diſſolvi & eſſe cum Chriſto, migravit ad immortalem Sponſum ſuum, in cujus conſpectu ſemper ſuorum mors eſt pretioſa Sanctorum : providentia Divina hominum ſaluti ſalubriter providente ſubſtituta eſt in regimine animarum in Elienſe Monaſterio ſub vitæ Regularis obſervantia ſoror ejuſdem Deo devota SEXBURGA, non tam ſoror carnis cognatione quàm boni operis imitatione : quam habuerat in conjugem Erconbertus Rex Cantuariorum. Quæ Divina diſpoſitione poſt mortem ſororis à Sororibus electa & dilecta, meruit præeſſe in Abbatiſſæ officio : ſub tramite juſtitiæ ſororis ſequebatur exempla. Cúmque gregi Dominico ſuo & ſororis ſuæ exemplo (quæ carne mortua apud eum vivebat bonorum operum atteſtatione) ac magis prodeſſe ſatageret & ſtuderet quàm præeſſe, zelo Divino mota atque ſollicita ſecum diu pertractat atque diſponit levare oſſa glorioſæ Virginis de loco quo priùs fuerat tumulata : nam tumulatio ejus celebris habebatur. Unde cum ſuis crebreſcente miraculorum frequentia & quodammodo exigente diem conſtituit, quo tantum poſſent reviſere theſaurum, in Eccleſia beatæ Dei Genitricis MARIÆ honorabiliùs ac decentiùs collocare, atque in locello novo glorioſiùs reponendum transferre, cùm jam ſexdecim annis ſepulta eſſet. Laudant cælibes feminæ dictum quod audiunt, ac propè adſtantes gratulantur ex voto.

XXVI. *Sexburga quoſdam de Fratribus miſit lapidem quærere ſepulcralem.*

48. PLACUIT itaque prædictæ Abbatiſſæ, ut dictum eſt, ſororis ſuæ Reliquias reverenter de terra colligere, quam Chriſtus multorum teſtimonio ſignorum gloriâ & reverentiâ mundo prædicandam innotuit : juſſítque quoſdam è Fratribus quærere lapidem de quo locellum facere poſſent. Dirigítque eos ad quærendum exteriùs lapidem ſepulcralem tantæ virginis iteratæ humationi idoneum, quia interiùs inſula tali neceſſitati nequaquam congruum habere poterat. Ipſa enim regio *Elge* ex natura loci undique aquis & paludi-

AN. CHR. DC LXXIX. JUN. XXIII.

bus est circumdata, neque lapides majores in se habet nisi aliunde venerint. Qui statim adscensa navi applicantes venerunt ad civitatulam quamdam tunc temporis desolatam non procul inde sitam, quæ lingua Anglorum *Granteceſter* [a] vocatur. Et dum nimiùm solliciti deambularent, mox invenerunt juxta muros illius civitatis locellum de marmore albo pulcherrimè tectum in loco qui usque hodie *Ermenſvvrthe* dicitur, id est Opus misi. Mirantur singuli, negant vicini hujusmodi lapidem se habuisse illo in loco vel aliquando vidisse. Et accedentes propiùs non à quolibet illic positum asserebant, sed Dei potiùs jussione ad ipsorum usus cælitùs fuisse collocatum: non enim talis naturæ lapis aut quantitatis illic repertus est: poterat verò nominari sed non videri. Verumtamen totius regio Angliæ illis temporibus aut penitùs marmorei expers lapidis adhuc fuisse videbatur: sed nostris diebus & habere atque in ea posse abundanter inveniri, insignium ædificia operum undique demonstrant. Operculum quoque simili materiei coloris & idoneæ quantitatis & qualitatis reperiunt, atque absque ulla partium congruarum distantia sive dissonantia sarcophago similimum, in quo etiam prædicti coloris decens candor decenter emicuit. Illi autem de invento supra modum gavisi, unde & intelligunt à Domino suum iter prosperatum & negotium acceleratum, gratias agentes Deo pro cunctis beneficiis ejus, quantociùs vento secundo retulerunt ad Monasterium. Sexburga verò magis Divini muneris exhilarata beneficio, benedixit Deum qui facit mirabilia magna solus. Tandem exonerant onere grato carinas, & mausoleum optatum nec diu quæsitum ad locum devehitur. Notatur hora memoriæ celebris, & exsultatio (ut credimus) fit in supernis, cùm honor Sanctis exhibetur in terris. Accurrit populus patriæ undique, ægrotantium maxima confluxit turba: febribus fatigati, & quacumque incommoditate depressi, ad tumbam illius levi sopore intercepti, ejus subvenientibus meritis adepta sibi sanitate gaudebant: aliorum diversis subveniebat incommmodis, quorum vota fidei puritas comitabatur. Hoc revera beatæ Sexburgæ animos maximè erexit, ut eam de veteri extraheret sepultura, & in Ecclesia recondendam collocaret, quam in terra diutiùs clausam salvat & servat Christi bonitas contra naturam.

a

XXVII. *Quòd corpus ſacratiſſimæ virginis Etheldredæ incorruptum invenit, & quòd mirabile fuit vulnus in carne mortua curatum.*

49. CUmque statuto die post tot annos sacræ virginis corpus ac sponsæ Christi elevanda essent ossa de tumulo, & in Basilica decentiùs tumulanda; pars plurima devotæ plebis confluxerat ad hujus Translationis sancta sollemnia. Et quoniam res talis confirmari debet testimonio plurimorum, præfatus Antistes sanctus Wilfridus, qui beatæ Etheldredæ quamdiu Egfrido Northanhumbrorum Regi solo nomine & non opere conjugali licet sacramento conjugij desponsata fuit, familiarissimus & testis veracissimus ejus perpetuæ virginitatis exstitit, eique velamen Sanctimonialis habitûs sub Ebbæ Abbatissæ magisterio Regis Egfridi amitæ apud urbem Coludi sacratum imposuit, atque cùm in regimine fuerat statuta animarum in Elyense monasterio, sicut Beda asserit, assidua familiaritate in omnem ejus necessitatem diligens & sollicitus adjutor adstiterat; & huic tam speciosо & jure spectando spectaculo interfuit, & qui eidem miraculo insolito suâ præsentiâ & auctoritate magnum credulitatis pondus contulit, atque innumeri qui novêre & adfuêre idipsum testati sunt: sed & inter ceteros ad ampliorem rei certitudinem & veritatis evidentiam Medicus Kynefridus, qui sicut morienti illi, ita & elevatæ de tumulo præsentialis affuit, ut huic tam mirando & pro raritate pretioso miraculo testis exsisteret.

a Istius urbis hactenus dirutæ cernuntur vestigia prope Cantabrigiam provinciæ metropolim teste Johanne Speedo in Theatro Britanniæ.

50. Memor itaque inciſuræ quam quondam fecerat in ejus corpore, qui referre erat ſolitus quòd illa infirmata habuerit tumorem maximum ſub maxilla: aptato igitur & deſuper decenter compoſito papilionis umbraculo cùm omnis congregatio hinc Fratrum illinc Sororum pſallens ſepulcrum ejus circumſtaret; aggere dejecto foſſa defoditur & theca de pulvere elevatur. Ipſa autem Abbatiſſa ſancta Sexburga adaperto ſepulturæ oſtio, cum paucis tamquam oſſa elatura & delatura ingreditur: & facto modico intervallo repente deintus audivimus ipſam voce magna proclamare: Sit gloria nomini Domini altiſſimi, & ut iſta patefierent ſub probatione & præſentia teſtium, etiam nec multo pòſt clamaverunt me *intus reſerato papilionis oſtio, vidíq; elevatum de tumulo & poſitum in lectulo corpus ſacræ virginis dormienti ſimile. Cúmque corpus ejus adaperto ſepulcro eſſet prolatum in lucem: ita incorruptum inventum eſt, acſi eodem die fuiſſet defuncta ſive humi condita. Stupendum inuſitatúmque miraculum & cunctis ſæculis prædicandum! ſanctiſſima virgo Etheldreda irritam faciens Deo imperante naturam, quia carnem ſuam vivens ſervaverat immunem à libidine, immunis poſt mortem reperta eſt à corruptione. Et cùm per ſexdecim annorum curricula in terreno pulvere delituiſſet obtecta, quaſi ex reſurrectione rota iterum rediviva effloruit, ſpeciémque repręſentat in lecto ſuaviter quieſcentis, in nullo obnoxia humanæ conſuetudinis corruptioni, immò tota pulcra, tota formoſa, tota integra eſt reperta. Et diſcooperto vultûs indumento monſtraverunt etiam mihi vulnus inciſuræ, quod feceram, curatum: itaut mirum in modum pro aperto & hiante vulnere cum quo ſepulta erat, tenuiſſima tunc cicatricis veſtigia apparerent. Quis audivit umquam tale? aut quis vidit huic ſimile? vulnus, quoad viveret quod putruerat in maxilla, incorruptum & integrum diuturna reddidit ſepultura. Ceterorum caro defunctorum ſepulta diſſolvitur, iſtius viventis tumore diſſoluta poſt ſepulturam reparatur: aliorum corpora exterminantur, iſtius plaga poſt mortem redingratur: aliorum natura putredine conſumitur, iſtius vulneri in maxilla hianti medela cæleſtis adhibetur. Qui verò præſentes aderant, Dei mirabilia venerantur, nullam in cicatrice reperiunt turpitudinem, ſed fœderatam gratiæ novæ gloriæ portione. Nam guttur illud glorioſum, quod evanuiſſe ſperaverant in favillas, totum redintegraverat Dei virtus & poteſtas. Sed nec ſtupendum & admirandum videtur, ſi conſideremus omnipotentem Domini gratiam, qua omnia quæcumque voluit, fecit in cælo & in terra, & meritum Virginis miſericorditer donavit, ut non ſolùm ab illicitis pro amore ejus declinaret, verumetiam, quo uti licenter potuit, terreni ſcilicet ac carnalis ſponſi conſortium contempſit. Præclara igitur prædicanda eſt virtus Dei & pietas in omnibus, qui rubum ardentem à combuſtione, qui Danielem in lacu leonum ab eorum morſibus ſervavit illæſum; præter morem humanæ conditionis quadam prerogativa carnem corruptibilem glorificavit in virgine, jam collata carnis incorruptione.

AN. CHR. DC. LXXIX. JUN. XXIII.

*Verba ſunt Medici Kynefridi ex Beda lib. 4. c. 19.

XXVIII. *Quòd divinitus lapis ſepulcralis virgineæ glebæ coaptatur, & poſito operculo compago non apparet.*

51. TANDEM verò cum multa reverentia levaverunt illud, & novis diligenter indutum veſtibus tanto theſauro conſervando idoneis intulerunt in Eccleſiam cum magno & multimodo devotè exſultantium tripudio, atque in eo quod allatum eſt ſarcophago poſuerunt. In quo quieſcens exſpectat reditum Domini ſponſi ſui, ut reformet corpus humilitatis ejus, configuratum corpori claritatis illius. Et mirum in modum hoc in loco minimè eſt reticendum, ſed ſæpe ſollemniter & inceſſanter prædicandum, quòd tantam aptitudinem & congruam æquipollentiam eidem mauſolco gratia Divina contulit, atque ita aptatum corpori virginis ſarcophagum inventum eſt, acſi ei ſpecialiter præparatum fuiſſet, ut nec quantitas lapidis in continentia quantitatem ſacri

AN. CHR. DC. LXXIX. JUN. XXIII.

corporis excederet, nec infra ſeſe tamquam minùs continens inutiliter cohiberet: & locus quoque capitis ſeorſum aptiſſimè figuratus apparuit.

52. Modus namque Deo diſponente proviſus, menſura non diſſimiliter coæquata. Superpoſitus autem lapis oſtendit quàm pretioſa intrinſecùs latitet margarita: ultra citráque non imminet, intus vel ſuprá non diſſidet, unde lætitia tanta vacillet. Juncturam nullam reperies, ubi lapis lapidi cæmento connectitur. Apparet numquam veſtigium, quo compagem aliquam inveſtigare ſufficias: ſic operculum ſuo unitum eſt vaſculo, ut nulla diviſionis ſit ſimilitudo: lapis unus de duobus efficitur, ſícque ad virginalis integritatis teſtimonium redintegratur. Naturale nonnumquam eſt ex lapide uno duos dividere, duos autem nullum audivimus artificem in unum naturaliter copulâſſe. Et præterea verè eſt artifex ille mirabilis, cujus omnis natura famulatur imperio, & ab ejus voluntate inuſitata etiam non diſcordant. Qui enim in deſerto filiis Iſraël aquas de petra produxit, ipſe de duobus ad obſequium virginis unum fieri lapidem imperavit. Nullatenus prævalet aperiri nec qualibet poteſt arte diſſolvi, quem cæleſtis manus polivit Artificis, & cæmento indiſſolubili teſte materia ſolidavit: quoniam jucundum & inſignem Deus in illo præparavit thalamum, ubi in carne florida incorrupta virgo diem cæleſtium præſtolatur nuptiarum. Hic eſt theſaurus ille incomparabilis ſapientiæ Dei, quem creatrix omnipotentia clauſum & illibatum ſuo munivit ſignaculo, ne adſpectui ulteriùs patefiat humano: nec immeritò. Quæ enim uſquam femina cuilibet ſponſo maritali lege depacta ignem ita corporeæ voluptatis evicit, ſicut beatiſſima virgo Etheldreda ſponſos ſortita geminos, quæ pudorem caſtitatis integerrimum cuſtodivit? Hæc & alia innumera pietatis beneficia Fidelibus ſuis ejus præſtat miſericordia, qui quondam Martyri ſuo Clementi in modum templi marmorei habitaculum præparavit, cujus exſequias Angelico legimus celebratas eſſe obſequio. Forma corporis formæ ſepulcri fit conformis. Eadem ferè prærogativa beatiſſimæ virginis Etheldredæ, cui ſepulcrum Chriſto donante præparatum, Angelico (ut confidimus) patrocinio ex inſperato eſt inventum. Et cùm ignotum habeatur quibus cæſoribus informatum quibúſve ſit politum artificibus; ſalva opinari fide non officit, quòd & iſta cæleſtium ſint officia miniſteriorum. Tranſlatum eſt itaque egregium corpus pretioſiſſimæ Virginis & Reginæ inſignis Etheldredæ, anno videlicet ab Incarnatione Domini ſexcenteſimo ſeptuageſimo nono [a] ſub die Kalendarum Novembrium ſextodecimo [b], & in Eccleſia beatæ ſemper Virginis MARIÆ, quam ipſa à fundamentis conſtruxerat, collocatum, ubi uſque hodie in maxima veneratione habetur ad laudem Domini noſtri JESU-CHRISTI, qui eam elegit & præelegit ut eſſet templum & habitaculum Spiritus-ſancti.

a

b

XXIX. *Quòd de veſtimentis virginis Etheldredæ beneficia præſtantur.*

53. PLURA quoque de ea tunc temporis divulgabantur geſtorum inſignia, quæ ſcriptura teſte gloriosè fiebant, nec eſt incongruum iſthinc adjicere. Linteamina verò omnia, quibus involutum erat corpus venerabile, ita integra apparuerunt & ita nova, uti ipſo die viderentur caſtis ejus membris eſſe circumdata. Contigit autem à tactu indumentorum eorum & dæmonia ab obſeſſis effugata corporibus, & infirmitates aliquoties eſſe curatas. Hydropici veniunt & ſanantur, & diverſis afflicti paſſionibus per ejus merita liberantur. Nec immeritò, quippe quæ ſpirituales in carne ſua triumphaverat poteſtates, corporeas rectè in ægrotis curat infirmitates.

a Legendum anno DC. XCV. Ethildrita quippe anno DC. LXXIX. mortua, poſt annos ſexdecim ex dictis cap. 26. & ex dicendis cap. 34. tranſlata eſt. Sanè anno ſextodecimo ab ipſius obitu factam eſſe primam hanc Tranſlationem, teſtantur Bedæ Hiſtoriæ exemplaria cùm edita tum manu exarata: quamquam in MSS. ipſius Bedæ, Uſuardi & Adonis Martyrologiis non anni ſexdecim, ſed undecim tantùm numerantur.

b Eodem die & alia facta Tranſlatio per Richardum Abbatem anno M. C. VI. de qua ſuo loco.

AN. CHR. DC.LXXIX. JUN. XXIII.

XXX. *De locello in quo ſepulta fuit miracula narrant.*

54. SED & per loculum ligneum, in quo pretioſa virgo ſepulta fuerat, nonnulli oculos dolentibus ſaluti fuiſſe redditos perhibent: qui cùm caput ſuum eidem loculo apponentes orâſſent, mox doloris ſive caliginis incommodum ab oculis amoverunt.

XXXI. *Quòd fons oritur in loco ſepulturæ ejus.*

55. DE loco autem in quo hujus virginis corpus fuerat primò ſepultum, fons aquæ oritur lucidiſſimus, & uſque in ævum manare non deſinit, unde in potum ſi ægroti quilibet ſumpſerint, ſive de illo conſperſi fuerint, in priſtinum convaleſcere vigorem memorantur.

XXXII. *Oratio auctoris ad Dominam ſuam beatiſſimam Etheldredam.*

56. NUNC igitur quoniam in extendendo materiam aliquantulùm moras inveximus, & labor ſtudij maximè imbecillibus gravis eſt; opus finem debitum poſtulat, ſtilum figere licet, cùm Dei opitulante gratia opus exaravimus promiſſum. Inculta autem ſcriptoris oratio veniam mereatur, etſi non meruit ſperare mercedem. Et ſi elegantia verborum non ſonuit, deſideria tamen votiva complevimus. Quiſquis autem ibi dicatum opus perlegerit, vel legenti ſobrium glorioſa virgo adhibebit auditum. Miſeræ eorum ſorti compatere, quos tibi devotos, beata Mater, intenderis, orationibus tuis juva, & certamen bonum futura immortalitas proſequatur pauperis tui cultoris, cujus tuæ laudi ſudavit ingenium: dedicentur Chriſto te intercedente labores ejus: illius te lingua reſonabit, quamdiu in hoc corpore peregrina verſabitur: túque eum ſaltem in ultimo tuere examine, ut cæleſtis gloriæ participatione perfruatur. Quinimmo tua univerſis in affliction poſitis merita prætende, & fideles tui per tua ſancta ſuffragia æternæ vitæ gaudia mereantur, per eum qui te ſibi ſponſam aſſignavit JESUM-CHRISTUM Virginis filium & Virginum ſponſum, Redemptorem mundi & Dominum, qui cum Patre & Spiritu-ſancto vivit & regnat Deus per omnia ſæcula ſæculorum, Amen.

XXXIII. *Quòd de ipſa hiſtoria Beda primùm compoſuit, his etiam verſibus aſſeruit.*

57. FRATRUM itaque deſiderio diligenter ac ſollicitè operam dantes ſatisfacere curavimus, quæ in Beda, atque in ſcriptis Anglicis vel Latinis de glorioſa Domina & Patrona noſtra Etheldreda apud nos inventa ſunt ſcripta, juxta modulum intelligentiæ noſtræ in unum hiſtorialiter texuimus: etiam quid metro de eadem ipſe recenſuit, nunc addere oportet. Sic enim ille ſcripſit: Vi- « *Beda lib. 4. c. 20.*
detur opportunum huic hiſtoriæ hymnum virginitatis inſerere, quem ante an- «
nos plurimos in laudem & præconium ejuſdem Reginæ ac ſponſæ Chriſti ele- «
giaco metro compoſuimus, & imitari morem ſacræ Scripturæ, cujus hiſtoriæ car- «
mina inclyta & hoc metro ac verſibus conſtat eſſe compoſita. «

ALMA Deus Trinitas, qui ſæcula cuncta gubernas,
Annue jam cœptis Alma Deus Trinitas.
Bella Maro reſonet: nos pacis dona canamus,
Munera nos Chriſti; bella Maro reſonet.
Carmina caſta mihi, fœdæ non raptus Helenæ:
Luxus erit lubricis, carmina caſta mihi.
Dona ſuperna loquor, miſeræ non prælia Troiæ:
Terra quibus gaudet, dona ſuperna loquor.

AN. CHR. DC. LXXIX. JUN. XXIII.

En Deus altus adit venerandæ Virginis alvum,
Liberet ut homines en Deus altus adit.
Femina Virgo parit mundi devota parentem:
Porta Maria Dei, femina virgo parit.
Gaudet amica cohors de Virgine matre Tonantis,
Virginitate micans gaudet amica cohors.
Cujus honor genuit casta de Virgine plures,
Virgineos flores cujus honor genuit.
Ignibus usta ferit virgo non cessat Agathes:
Eulalia & profert ignibus usta feris:
Casta feras superat mentis pro culmine Tecla:
Euphemie rapidas casta feras superat.
Læta ridet gladios ferro robustior Agnes:
Cæcilia infestos læta ridet gladios.
Multus in orbe viget per sobria corda triumphus,
Sobrietatis amor multus in orbe viget.
Nostra quoque egregia jam tempora virgo beavit
ETHELDREDA *nimis nostra quoque egregia:*
Orta patre eximio, regali & stemmate clara:
Nobilior Domino est orta patre eximio.
Percipit inde decus Reginæ, & septa sub astris
Plus super astra manens percipit inde decus.
Quid petis alma virum sponso jam dedita summo?
Sponsus adest Christus, quid petis alma virum?
Regis & æterni Matrem jam credo sequaris,
Tu quoque sis mater Regis ut ætherei.
Sponsa dicata Deo bis sex regnaverat annis,
Inque Monasterio est sponsa dicata Deo.
Tota sacrata polo celsis ubi floruit actis,
Reddidit atque animam tota sacrata polo.
Virginis Alma caro est tumulata bis octo Novembris,
Nec putet in thalamo virginis alma caro.
Christe tui est operis quia vestis & ipsa sepulcro
Inviolata nitet, Christe tui est operis.
Hydros & ater abit sacræ pro vestis honore,
Morbi diffugiunt, hydros & ater abit.
Zelus in hoste furit quondam qui vicerat Evam:
Virgo triumphat ovans, zelus in hoste furit.
Adspice nupta Deo quæ sit tibi gloria terris:
Quæ maneat cælis, adspice nupta Deo.
Munera læta capis festivis fulgida tædis:
Ecce venit Sponsus, munera læta capis:
Et nova dulciſono modularis carmina plectro,
Sponsa hymno exsultas & nova dulciſono.
Nullus ab altithroni comitatu segregat Agni.
Quam affectu tulerat nullus ab altithroni.

XXXIV. *Quòd Beda non solùm in historiæ Anglorum libro, sed etiam in illo quem de Temporibus condidit, ex illa scripsit.*

58. QUOD in libro Regum Angliæ Beda doctissimus plano sermone seu metro de sacratissima Regina Etheldreda edidit, digestum habemus: nunc etiam quid ex ipsa in libro de Temporibus, quod ad multorum efficaciam commentatus est, licet breviter, sub eodem tamen sensu quid meminit præterire

non convenit. Anno autem Dominicæ Incarnationis ſexcenteſimo ſeptuageſimo octavo (juxta quod Beda docet) Synodus univerſalis Conſtantinopoli celebrata eſt temporibus Papæ AGATHONIS ſub Conſtantino Principe, Legatis Apoſtolicæ Sedis & Epiſcopis centum quinquaginta adſiſtentibus. Quo videlicet anno ſancta & perpetua virgo Chriſti Etheldreda filia Annæ Regis Anglorum & primo alteri viro permagnifico & poſt eum Egfrido Regi conjux data, quæ per duodecim annos thorum incorrupta ſervavit maritalem, poſt Reginam ſumpto velamine ſacro virgo Sanctimonialis efficitur: nec mora etiam Virginum Mater & nutrix pia Sanctarum accepto in conſtruendum Monaſterium loco, quem *Elge* vocant. Cujus merita varia teſtatur etiam mortua caro, quæ poſt ſexdecim annos ſepulturæ cum veſte qua involuta eſt incorrupta reperitur. Verùm ſeries hiſtoriarum, & cum maximo ſtudio computantes, etiam in Beda invenimus annum præmonſtratum depoſitionis almæ Virginis fuiſſe, in quo Theodorus Dorovernienſis Archiepiſcopus audiens Fidem Eccleſiæ Conſtantipoli per hæreſim (de qua nunc diximus) multùm eſſe turbatam, Eccleſias Anglorum, quibus præerat, ab hujuſmodi immunes perdurare deſiderans, imperantibus in Anglorum Regnis Egfrido Northanhumbrorum ipſius videlicet ſanctæ Etheldredæ quondam conjuge, Etheldredo Rege Merciorum & Aldulfo Rege Eſtanglorum hujus Deo dicatæ feminæ germano, & Lothario Rege Cantuariorum ejuſdem nepote: ſub quorum præſentia collectio Epiſcoporum Doctorúmque plurimorum cœtu, ſicut mandaverat Agatho Papa præfatus, ut cujus eſſent Fidei ſinguli ſedulò inquireret, omniúmque unanimem in Fide Catholica reperit conſenſum. «AN. CHR. DC. LXXIX «IND. XXIII

XXXV. *De obitu beatæ Sexburgæ Abbatiſſæ.*

59. SANCTA denique Etheldreda cùm ſubito mutatione de hoc fragili corpore raperetur, ſoror ejus Sexburga pretioſa virago in Monaſterij regimine ſucceſſit, ut jam dictum eſt, gregémque ibi Dominicum doctrinâ & formâ veræ religionis inſtruxit. Hoc quippe in augmentum virtutis eam valde provexit, quòd corpus jam dictæ virginis Etheldredæ adeò integrum illibatúmque invenit, acſi eodem fuiſſet die humatum, quod per ſpatium plurimorum annorum demolitum atque conſumptum æſtimaverat. Et cùm multis volventibus annorum orbitis indefeſſa ad cæleſte regnum anhelaret, graviter ægrotare cœpit, diémque ſuæ vocationis imminere præſenſit: quæ in medio ſuorum poſita, ſacroſanctis JESU-CHRISTI myſteriis exitum ſuum munivit, cum fidei puritate in manus Creatoris ſpiritum commendavit, ſícque in ſenectute bona diem ultimum clauſit. Sepulta eſt in decenti loco poſt beatiſſimam ſororem ſuam, ubi virtutum ſuarum merita florere non deſinunt: ſempérque ejus præconia arripiunt incrementa; ut in libro[a] illius enarratur.

XXXVI. *Quòd Ermenilda poſtea facta eſt Abbatiſſa, & Werburgæ ſuæ Eccleſiam de Repeya commendavit.*

60. ELGE autem Monaſterium ſolatio Matris & auxilio, Deo providente, qui diſponit hominum ſaluti omnia ſuaviter, diu non deſtituitur. Etenim voto unanimi & conſenſu totius Congregationis ſancta Ermenilda poſt obitum beatæ Sexburgæ loco ejus ſucceſſit. Quæ totius dominationis ambitione neglecta, commendatis Chriſto Virginibus quibus præfuit, ſanctiſſimam Matrem ſecuta, ad Chriſti paupertatem quam optaverat, pauper ipſa devenit. Et dum apud homines honorari refugit, apud Deum & apud homines honorem percepit ampliorem: ubi à cunctis dignè ſuſcepta, totius Congregationis Mater eſ-

[a] Librum illum repetire nobis non licuit. Sexburga in Martyrologio Benedictino colitur prid. Nonas Julij; cujus de Tranſlatione ad ann. M, c. VI. agemus, ubi S. Etheldritæ referemus hiſtoriam Tranſlationis.

AN. CHR. DC. LXXIX. JUN. XXIII. fecta eſt. In Anglico quidem legimus, quòd Sexburga in Eccleſia de Srapeya, quam conſtruxerat, à B. Theodoro Archiepiſcopo ſanctitatis velamen accepit, atque ibidem filia ipſius Ermenilda ſub ea normam Religionis ſpreto Regni culmine poſtea ſumpſit. Quæ dum iter ad *Ely* paraviſſet, filiam ſuam Werburgam pro ſe in miniſterio Abbatiſſæ, ſicut diu optaverat, conſtituit. Tranſiit autem plena ſanctitate & juſtitia ad regna cæleſtia [a], & cum matertera ſua ſancta videlicet Etheldreda juxta matrem ſuam requieſcit condita. Teſtatur mors ejus pretioſa quantæ ſanctitatis & pietatis exſtiterit, quod liber vitæ ejus pleniùs docet.

XXXVII. *Quòd virgo domini Werburga poſt obitum matris ſuæ Ermenildæ Monaſterium* Elge *regendum ſuſcepit, & ubi ſepulturam elegit.*

61. SPONSA igitur Domini Werburga cum quibuſdam Eccleſiis præeſſet, ut ſuprà dictum eſt, poſt dilectæ genitricis ſuæ obitum jure prælationis etiam Monaſterium *Elge* ſuſcepit. Elegit tamen Divina præſcientia & voluntate Heanburgenſe Monaſterio requieſcere corpore: in quo loco Dei margarita cum debita reverentia tumulata, pluribus ſignorum indiciis ſe probat vivere in cæleſti gloria. Unde tandem in Ceſtram, qua nunc requieſcit, eſt tranſlata [b]. Eam quippe poſt ipſius deceſſum, beatæ feminæ quarum nomina ſolius Dei novit ſcientia, nobis autem incognita, ſub vitæ Regularis obſervantia locum *Elge* in honore & ſanctificatione uſque ad vaſtationem à Danis geſtam ſervaverunt.

XXXVIII. *Quòd apud* Ely *cultus Divini operis ſanctarum floruit feminarum, donec igne & ferro vaſtabatur à Danis.*

62. POST diſceſſum verò ſanctarum Etheldredæ, Sexburgæ, Ermenildæ atque Werburgæ, Eccleſia *Elge* minimè vacabat ab opere Dei: immò virtus Divini cultûs ſub beatarum regimine feminarum non tepeſcente, ſed magis ac magis in ea ferveſcente fervore diſciplinæ Regularis ac cuſtodiâ Monaſticæ profeſſionis multis annorum evolventibus orbitis floruit. Sed & Eccleſiæ ac Monaſteria, quæ quaquaverſum in Anglia erant, quamquam diverſis provinciis diverſis Reges præeſſent, & vario ſub eventu frequentia invicem bella ſuccederent, in pace & ſecuritate atque Chriſtianæ legis augmento conſervavit gratiam ſupernæ miſericordiæ. At humani generis improbus hoſtis tantæ ſerenitatis tempora non ſuſtinens (quoniam appetitu bonæ voluntatis caret, bonis invidere non ceſſat) ſolito livore infectus iram ac nebuloſam concitavit tempeſtatem in cunctis Angliæ finibus.

XXXIX. *In quorum temporibus Dani devaſtaverunt Angliam, & de illorum interitu.*

63. ANNO autem ab Incarnatione Domini octingenteſimo ſexageſimo ſexto, regnante Rege Etheldredo Occidentalium Saxonum, magna Paganorum claſſis ſub Rege INGUARE cum duobus fratribus ejus EVULFO & HALSDENE cum collega ſuo UBBA nomine, totius doli & malitiæ illi per omnia conſimili, comitantibus illos tribus Regibus, HOSTENIO. BAGSEG & GUTHRUM & eorum fortitudine, cum plurimo comitatu Ducum & Procerum (quos enu-

[a] S. Ermenilda colitur Idibus Febr. Cujus Reliquiæ cum materteræ ſuæ Etheldritæ corpore anno M. C. VI. è terra levatæ ſunt.

[b] Johannes *Bromton* in Chronico ita rem commemorat: *Anno Domini* DCCC. LXXV. *quo Burredus Rex Merciorum per Danos apud Ripendon expulſus fuit, Hamburgenſes indigenæ qui circiter quinque millibus à* RIPENDON *diſtabant, favore ſolutæ corpus S.* VVERBURGÆ *Virginis diu ibidem ſepultum, ad Ciſtriam tamquam ad locum tutum tranſtulerunt.*

merare

merare oneroſum eſt, in Chronica verò deſcribuntur) cum innumerabili mul- AN. CHR. titudine fortium pugnatorum de Danubia in Brittanniam advenit, & in Regno DC.LXXIX. Orientalium Anglorum, quod Eſtangle dicitur, hiemavit: ubi Deo acceptus JUN. XXIII. Edmundus Fidei Chriſtianæ cultor tenebat imperium. Hi omnes perſecutores Chriſtianorum erant adeò crudeles naturali ferocitate, ut neſciant malis hominum miteſcere: abſque ulla miſeratione paſcuntur hominum cruciatibus; & juxta Prophetæ vaticinium, quòd *ab Aquilone venit omne malum*, flante borea, *Ierem. I.14.* à gelidis nativitatis ſuæ ſedibus gens eadem nequam profilivit, ſubitos ac neciferos turbines in omnes fines Brittanniæ flavit, nunc mari nunc terrâ circuiens, flammis ac ferro cuncta depopulans: & niſi Divinâ impediretur miſeratione, conata eſt in exterminium adducere totius fines Brittanniæ. Et quia legis Dei cultores eos eſſe noverat, omnino delere aut ſervituti eos ſubjugare nitebatur. Cum Chriſticolis pacem habere noluit: unde Monaſteria Divino permittente judicio univerſa ab ipſis fundaminibus diruens, cædibus & incendiis devaſtabat. Geſta ſunt hæc anno primo regni præfati Regis ETHELDREDI filij Edelwlfi. Deinde anno ſecundo gens prædicta atrox & impia de Orientalibus Anglis ad Eboracam civitatem migravit: illic maxima ex parte omnes fere Northumbrenſium cœtus occiſis duobus Regibus Oſbrith & Elle deleti occubuerunt: qui verò evaſerunt, pacem cum Paganis pepigerunt. Tertio autem pòſt anno prædictus Paganorum exercitus Northumbros relinquens venit Merciam, & Swthingham adiit, & ibi hiemavit. Quibus illic advenientibus BURTHREDUS Rex Merciorum pacem iniit: quem poſt annos ſeptem pace rupta Regnum deſerere Romámque contra ſuam voluntatem adire coëgerunt, Regnúmque Merciorum ſuo dominio ſubdiderunt. Loca Sanctorum & Monaſteria Ancillarum atque Servorum Dei undique deprædantes combuſſerunt. Et iterum anno quarto Eboracum rediit, ibíque per annum manſit. In quinto verò per Merciam ad Orientales Anglos tranſivit, & in loco qui dicitur *Theodford* hiemavit: quo etiam anno glorioſus Rex EDMUNDUS ejuſdem provinciæ (ſicut in Chronica legitur) à præfato Rege pagano Inguare martyrizatus eſt: ſícque Rege occiſo Pagani nimiùm gloriantes, totam illam regionem ſuo dominio ſubdiderunt. Quo etiam (ut ſequentia inſinuant) anno Eccleſia de *Ely* igne combuſta eſt exſtinctis omnibus qui intus erant.

64. His ita geſtis prædictus Rex EDEREDUS Dei fultus adjutorio, ex omnibus qui tunc Angliæ præerant, ſolus reſiſtere potuit. Hic congregato non modico exercitu apud Æſemdum hoſtes invaſit, ubi diu atrociter utrimque pugnatum eſt. Quo in loco Pagani Divino judicio Chriſtianorum impetum non ferentes; alter de duobus Paganorum Regibus Ubba... & quinque Comites occiſi occubuerunt, & multa millia illorum occiſa corruerunt. Cecidit ergo BASEG Rex, SIDROC ſenex Comes, SIDROC Comes junior, OSEBERTUS Comes, FRENE Comes, HARALDUS Comes; & totus eorum exercitus in fugam verſus eſt: ſed eodem anno Rex Ederedus ex hac vita diſceſſit, cui ſucceſſit frater ipſius Elwredus: qui acer ingenij per BALDUM & JOHANNEM doctiſſimos Monachos tantum inſtructus eſt, ut in brevi librorum omnium notitiam haberet, totúmque novum & verus Teſtamentum in olalogiam Anglicæ gentis tranſmutaret. Hæc ſi quis pleniùs ſcire voluerit, in Chronico per ordinem ſingula reperiet.

XL. *Quòd Dani ad* Ely *applicantes, Monaſterium combuſſerunt, & quoſcumque invenerunt neci tradiderunt.*

65. POSTQUAM igitur permiſſu Divino præfata gens Barbarorum hoſtili pervaſione cuncta Anglorum bona diripuit, vaſtavit, incendio conſumpſit, Monaſteriorum ſepta diabolica rabie fœdavit; tandem ad notitiam Elyenſium pervenit accolarum. Omnis undique ætas, omnis utrimque ſexûs conditio,

An. Chr. DC.LXXIX. Jun. XXIII.

vivendi condúcta amore, maluit huc atque illuc fugiendo ſubſtantiæ diſpe dium pati, quàm feritatis hoſtium globis congredi. Hujus ſiquidem commu tribulationis & miſeriæ nullatenus expers fuit Elyenſis inſula præſertim, cù tamen palúdes & aquæ quibus circumcingitur in mare porrigantur, & ſit ab ip æſtuantis æquoris fluctibus quarumlibet navium ad eamdem inſulam non dif cilis acceſſus. In hanc vecta eſt aliquando gens eadem cum multis manibus, p tans vacuatum defenſoribus occupare locum. Exitus loci deprecationibus a que etiam inſidiis urget, ut inhabitantes aut vinceret, aut obſidione fatigat in deditionem ſuſciperet, aut loco excedere compelleret: adverſum qu atrociores quique accolarum indigenæ obſiſtere nituntur. Contigit namq cùm finitimam regionem ſuæ ditioni ſubjugarent, multos ex Anglorum nob li genere ad inſulam ſe conferre: tamen veriti tantæ multitudini fortè ne quic quam infortunij occurreret, quamquam vividi bello geſtarent dextram, ſatí que ſufficiens his crederetur negotiis, & quandoque aliis prævalerent Barb ris; ſed miſſa undique legatione vicinos in auxilium convocant, atque dele tam armatorum manum ſibi applicantes ad internecionem hoſtem ut citi proſternunt penitúſque delent.

66. Hoc denique pacto ab oppreſſione liberati aliquando, diu reſpirare vid bantur: ſed non adeò hac libertate exſultare valuerunt: verùm prædictus ma lignorum cœtus virtute fortiore congregato exercitu cum ſuo Rege plurim ſtipato militum agmine ruente, debacchationis ſpiritu ſæviens in eos irruit pervadit, atque proſternit. Plurimi incolarum vectibus cæſi in capite, quorur funera ſollemni ſepulturæ tradi prohibita ſunt, eſcis beſtiarum & volatiliur ſunt projecta. Ad Cœnobium autem Virginum quod glorioſa virgo & ſponſ Chriſti Etheldreda conſtruxerat, tandem perveniens, prô dolor! invadit, ſan cta contaminat, conculcat ac diripit: protenditur rabidorum gladius in lacte ſacratáque colla, mactatur ut victima innocua Sanctimonialium caterva, & quoſcumque reperit ſacri deſiderij Fratres & Sorores, abſque ulla humanita tis conſideratione præcipiti peremit ſtrage. Sícque Monaſterio quod vera De Chriſticola Etheldreda conſtruxerat, cum Virginibus & ornamentis & Reli quiis Sanctorum & Sanctarum combuſto, civitate etiam ſpoliata & cremata, prædæ ubertate ditati, omniáque ejuſdem loci adimentes mobilia atque uten ſilia, inimici Domini redierunt ad propria.

XLI. *Quòd Paganus foramen fecit in ſepulcro Virginis, ſed mox ultione Divina percuſſus eſt.*

67. Erat inter ipſos ferociſſimorum hoſtium cuneos quidam aliis immanior & crudelior ſatelles diaboli, ſpirans cædis & ſanguinis, avaritiæ ſectator, alienarum rerum truculentus appetitor. Is dum tumulum Deo dilectæ Virginis Etheldredæ intueretur, repoſitum inibi theſaurum eſſe arbitratur: nil moræ interponit, & mox bipenni quam cruentis geſtabat manibus, marmoreum vas quo corpus pauſabat virgineum, crebris ictibus ferit à latere, ut eo ſcilicet effracto, pecunias quas intus falsò credebat reconditas avidè diriperet, neſciens infelix quàm properum tempus Divinæ animadverſionis immineret, quo pœnas luiturus miſerabiliter de medio foret rapiendus. O piratam miſerrimum, culturæ Deitatis neſcium, terreni lucri cupidum, infelici caſu ruiturum! Qui dum corruptibilis pecuniæ facibus exitialiter ardet, theſaurum virginalem & incorruptibilem inquietare non timet: tota vi ferientis percutitur lapis ſepulcralis, quo velut in thalamo requieſcit Chriſti ſponſa perennis. Multiplicantur ictus, foramen efficitur, quod uſque hodie manens cernitur.

68. Quo facto nulla cæleſtis vindictæ fit dilatio: ſed confeſtim oculis ab ejus capite divinitus avulſis, ſacrilegam inibi vitam finivit. Quod cernentes ceteri, ulteriùs almam virginis glebam inquietare non præſumpſerunt. Ad ultimum

ferro & flamma cuncta conſumunt, nec quidquam poteſt eſſe reſiduum, quod non diſperdat manus impia Barbarorum. Totus pæne trucidatur Clerus, adducitur in captivitatem quiſque reſiduus. Sícque locus miſerè jacebat à cultu Divini officij & timoris omnino deſolatus, nullus qui miniſterium impleat remaner, aufertur canticum laudis & lætitiæ, ſonat vox luctus undique & miſeriæ. Ex ipſis denique Clericis qui deprecati* ſunt, poſt aliquot annos octo reverſi ſunt: de quibus aliqui in decrepita ætate tranſcurſis multorum annorum curriculis uſque ad tempus EDREDI Regis pervenerunt. Hi prout poterant tantæ calamitatis tempore Eccleſiæ porticus reſarcientes, Divinum ſolvebant obſequium: verùm ipſis alij ſuccedendo Clerici, more perverſorum ſuperbiæ & avaritiæ dediti, non Canonici, immò vitam irreligiosè ducentes, in errorem & temeritatem contemptâ honeſtatis reverentiâ inciderunt. Quorum inſolentiam Deus ob ſanctæ Virginis meritum mira indignatione diſſipavit, ac juſta examinatione damnavit: de quibus ſuo loco dicendum eſt. Hæc quoque geſta ſunt anno Dominicæ Incarnationis octingenteſimo ſeptuageſimo; centeſimo autem & nonageſimo ſexto ex quo beata Etheldreda in *Ely* facta eſt Abbatiſſa.

AN. CHR. DC. LXXIX. JUN. XXIII.

* *al.* deprędati

ANNO DCCC. LXX.

XLII. *De victoria Regum Angliæ, & de nativitate* EDGARI *Regis.*

69. ALWREDUS igitur Rex prædictus poſt fratrem Regnum ſtrenuiſſimè tenuit viginti octo annis & dimidio; ſed laborioſiſſimè impugnatus, videlicet ab ea qua frater ipſius pagana gente, quam ipſe & filij ejus de cælo adjutus protrivit atque delevit. Ab iſto verè Anglia uſque in hunc diem ſub uno Rege aucta eſt, regnavítque filius ejus pro eo Edwardus dictus ſenior. Hic multo latiùs quàm pater fines Regni dilatavit, ſiquidem civitates & urbes maximáſque provincias, quas Dani multo tempore poſſederant, obtinuit & poſſedit, Regéſque plures in deditionem accepit. Inſuper duos Reges, fratres ſcilicet Inguare Regis, Ewlfo & Halſdene poſt plurimos annos occidit, & cum eis cæſa multa millia paganorum corruerunt. Poſt multas verò res egregiè geſtas anno regni ſui viceſimo-quarto ex hac vita tranſiens, EDELSTANO filio Regni gubernacula reliquit: quod ſtrenuiſſimè per decem & ſex annos tenuit.

70. Poſt quem frater ejus EDMUNDUS ſucceſſit, cui Regina ſua EDIDRA duos filios peperit EDWINUM & EDGARUM. Et cùm peperiſſet Edgarum, S. Dunſtanus audivit in ſublimi voces pſallentium atque dicentium: Pax Anglorum exorti nunc pueri & Dunſtani noſtri tempore. Hæc genealogia nobiliſſimi Regis Edgari Anglorum Baſilei multorum Cœnobiorum fundatoris & reſtauratoris inclyti, qui Elgicam Eccleſiam glorioſiùs reſtauravit & poſſeſſionibus locupletavit: quod inpoſterum præterire indignum eſt. Edmundus quoque Rex præfatus cum per ſeptem & dimidium annos Regnum magnificè tenuiſſet interficitur, & Glaſtoniam delatus, à B. Dunſtano Abbate ſepelitur: móxque proximus heres Edredus fratri ſuccedens, Regnum novem annis & ſex hebdomadibus tenuit. Hujus autem tempore mirum & audientibus valde ſtupendum apud *Ely* de Sacerdotibus ibidem degentibus contigit, quòd unus illorum Alfelmus nomine ſub perſona alterius de ſe, qui errori & facinori eorum conſenſerat, aſſeruit, ſcripſit, quod hîc ſub ſilentio non prætermus.

XLIII. *Exhortatur Sacerdos Archipreſbyterum ſuum narratis ei quæ ſequuntur miraculis, cupiens eum amovere de ſua temeritate.*

71. TRANSACTIS haud eminùs ætatis hujus temporibus in Anglorum gente, Edredo regnante, quando zelo caritatis frigeſcente atque jugo iniquitatis ferveſcente Brittannici orbis Cœnobia pæne ab ipſis fundaminibus omnia aut ultione omnipotentis Dei in univerſa jacebant provincia ſemirutis (prô nefas!) maceriis deſolata; aut ſi quæ in antiquis urbibus remanſerant in-

AN. CHR. DC. LXXIX. JUN. XXIII.

tegra, ab utriuſque ſexûs Canonicis nomine non dignitate erant occupata diutiſſimè; contigit quoque ut Monaſterium *Elge*, quod ſitum eſt in inſula in qua ſancta virgo Etheldreda requieſcit cum germana nomine Sexburga ac venerabili nepte Ermenilda, ſub eorum tranſiret dominia. Quorum Archipreſbyter Præpoſitus & magiſter inſtinctu fraudis demoniacæ auſus eſt ſepulcrum ſacræ Virginis violare, licet haud impunè, tamen iſta ratione. Appropinquante quadam tempeſtate ejuſdem præpollentis ſanctæ prædictæ ſollemnitatis die, convocavit ceteros Sacerdotes ac Clericos quibus præerat, cum quibus Baſilicam ingreſſus ad eos dixit: Volo indubitanter ſcire, ſi venerabilis virgo Etheldreda etiamnunc integra manet carne, ſicut referunt ſacra ſcripta venerabilis Bedæ in hiſtoria gentis Angligenæ; aut ſi aliquid omnino ex ea manet in monumento, in quo olim tumulata eſt corpuſculo: quoniam mihi non videtur eſſe veriſimile, ſed potiùs credo quòd nihil eſt in ſarcophago. Qui reſpondentes magiſtro dixerunt infauſto: Quomodo auſus fuiſti mente tantum ſcelus concipere, ut mauſoleum virginis intemeratæ ullo modo cogitares aperire? nónne omnes ſcelerata morte properanter debemus vitam finire, niſi ociùs ceſſaveris à tam illicita præſumptione? Quibus ille reſpondit protinùs: Credo quòd ſi virgo tam ſancta, ut olim, in præſenti jaceret Baſilica; per eam Deus plurima iſthic feciſſet miracula. Tunc unus illi de Sacerdotibus dixit: Idcirco, didaſcale, tales profers ſermocinationes, quia noviter ad iſtam ex alia veniens Inſulam provincia, minimè virtutum vidiſti miracula quæ Conditor rerum peregit innumerabilia per hujus ſacræ virginis merita. E quibus ex pluribus tibi referam perpauca, quæ paullo antequam huc adventares ſunt patrata.

Etheldredæ miracula.

72. Quædam matrona in quodam huic vicino commanebat vico, quæ circiter ſex annos ita erat contracta intolerabili morbo & paralyſi reſoluta omni membrorum compage, ut nulla ratione manus ad os dirigere, nec venerabile ſalutaris ſignum crucis propriæ fronti imprimere, à fulto * valeret ſurgere abſque famularum juvamine. Hæc poſtquam Medicis multam irrogaverat pecuniam, nec curationis ullam ab eiſdem ſuſcepiſſet medelam, ſupernæ reſpectu clementiæ ad iſtam bis quatuor mancipiis deferentibus acceſſit aulam: in qua cùm ipſa vigilaret nocte, meruit ſanitatem recipere, & propriis incedens veſtigiis reverſa eſt ad propria laudans & glorificans Dei omnipotentiam.

* *f.* aut à lecto

73. Quidam etiam adoleſcens per ſeptem annorum curricula degebat illo in tempore in quadam villa, quam *Bradeforde* appellat illius loci incola: qui ſimiliter ut à parentibus ad hoc Templum eſt deductus, ſtatim ſoluta ſunt vincula ejus & profatus eſt rectis ſermonibus, dicens coram cunctis circumſtantibus: Redeamus fratres ad hoſpitium, quoniam per beatæ virginis Etheldredæ meritum, largiente omnia creante Deo, curatus ſum.

74. Quædam denique puella à primordio ſuæ nativitatis cæca, poſt tranſacta decem annorum ſpatia, in illis diebus feliciter eſt delata ad hæc Templi mœnia. Hæc, mox ut ingreſſa eſt Baſilicam, ſuſcepit oculorum medelam, & cœpit mirari hujus mundi machinam luculentam ac fulgidam, jubárque ſolis rutilans quod numquam antè viderat; Deum auctorem rerum magnificans, qui omnia quæ cernebat miranda creaverat.

75. Quidam namque juvenis manum habens aridam acceſſit ad ſacratiſſimam hujus almæ virginis tumbam, quam ilicò extenſis lacerti nervulis me adſtante valuit aperire viribus receptis: quod videntes populi qui aderant, benedixerunt Dominum qui creavit omnia.

76. Quidam etenim Sacerdos in iſto commanebat Cœnobio, qui propriam compulit ſervulam in horto colligere olera Dominica die ante Tertiam. Hæc dum ſudem arripuiſſet ingentem, quatinus properanter domini ſui expleret juſſionem, manus ejus tam firmiter adhæſit ligno quod tenebat avidè, & unde herbas evellere deſiderabat illicitè, ut nullus hominum quolibet conamine ſtipitem à manu mulieris potuiſſet dirimere. Quæ dum immenſo torqueretur

cruciamine, nullum valentes miseræ aliud juvamen impendere, fustem manus in utraque inciderunt parte, sícque permansit annos quinque. Quibus expletis rotante cæli cardine, contigit nos convivaturos quadam die ad domum prædicti Sacerdotis convenire. Quam dum conspexissemus cruciari ultra modum, facturam Dei perire cõdolentes nimiùm, concordi voto ad cõvivantem diximus Presbyterum: Antequam sumamus cibum, pariter ducamus ad istud hanc mulierculam Templum, suppliciter deprecantes omnium Auctorem creaturarum, quatenus ei dignetur misereri per glorioſum sanctæ virginis Etheldredæ interventum. Qui respondens omnibus gaudens dixit Fratribus: Omnipotens Deus pro tam utili consilio vos collocet in cæleſti Regno, ubi Sancti fruuntur lumine perpetuo. Qui Basilicam ingressi, mox ut rogaverunt Dominum, extensa de manu mancipij prosiliit lignum, quod jam carne consumpta adhærebat compagibus ossium: sícque mulier Divinum percepit medicamentum, & cœtus Clericorum regressus est ad convivium, gratias ac laudes referens Salvatori Christo. Quapropter te moneo, Magister, ut ab audacibus & illicitis cessis inchoamentis properanter. Quod si sermonibus meis credere nolueris, condignâ inprimis morte moriêris, ac deinde suppliciis condemnatus sempiternis infeliciter, perpetuis cruciatibus subjacebis, vermibúsque tartareis, ac infernabilibus incendiis. Qui bis ac ter commonitus à prudenti sene, noluit cessare à scelestissimo conamine: sed convocavit quatuor juvenes ex clericali ordine, quos conduxit in ruinam facilè ac condemnationem perpetrato crimine. AN. CHR. DC. LXXIX. JUN. XXIII.

XLIV. *Quòd judicium Dei in prædicto Archipresbytero & suis consortibus eluxit.*

77. ERAT namque in arca qua quiescebat virgo sancta, quædam rimula, quæ nobis (ut quidam senex retulit quod ab ipsis Sacerdotibus qui hæc viderunt didicit) à Paganis Christi culturam dissipantibus facta fuerat. Namque Nortmanni crudeles populi olim, quemadmodum Anglorum plurimas atque Francorum provincias, deprædaverunt Elgicam nihilominus insulam. Qui postquam omnem Clerum, Sanctimoniales, ac populum ferro & igne depopulati sunt, pueros atque senes crudeli morte perimentes, adolescentes captivos ac juvenes ad extraneas duxerunt regiones. E quibus unus immanis Nortmannus ausus est accedere ad sepulcrum virginis egregiæ qui exiguam manu ferens bipennulam, ter quatérque marmoream in qua jacebat percutiens cistam, sperans immensam invenire pecuniam, confestim ut exiguam fecit feneſtrellam, oculos amisit & vitam. Ex ipsis denique Clericis, qui ex Elgico deprecati sunt Cœnobio, post aliquantos annos VIII. ad ipsum repedaverunt locum. E quibus aliqui jam in decrepita ætate provecti transcursa multorum curricula annorum retulerunt seni præfato eo tempore adolescentulo, sicut scriptum est in hoc codicillo. Quid plura verbis prosequor superfluis? Ad hanc Presbyter infelix cum scelerum sodalibus accessit, qui accipientes sacculos marati* unde fuerat compta totius superficies pavimenti, quosque ponentes in sarcophagi foramine, post triduum omnes magistri ausi sunt palpare corpusculum sanctæ Virginis. Tunc Sacerdos ait: Nunc remoto ambiguitatis scrupulo indubitanter scio, quia adhuc in hoc tumulo requiescit sacra virgo, sic integra permanens carne. Tunc senex qui antè prohibuit ad eum dixit; In proximo plus debes scire, quòd percussus jacebis Dei ultione. Qui rursus ait flocci pendens vaticinia senis: Modò volo videre si vestes ejus etiamnunc permanent integræ. Qui candelam cohærentem virgulæ per foramen immisit arculæ quæ beata continebat membra Sanctæ: sed plùs intus nequivit adspicere quàm si foret cæcatus utroque lumine. Verùm ardens candela (ut perhibent) cecidit supra Sanctam, & tamdiu ardens super sacras mansit vestes, donec tota concremata est eas con-

* marathus, *herbæ genus.*

AN. CHR. DC.LXXIX. JUN. XXIII.

tingere flamma metuente. Cuncti tamen qui aderant lumen candelæ proſpicie-bant, quod per foramen de ſepulcro exibat, & quidquid infrà latebat cremari pertimeſcentes, dixerunt Sacerdoti totius criminis auctori: Melius foret te non fuiſſe natum, quàm committere ſcelus tantum: quia nec ideo ceſſavit à malo diræ mentis propoſito. Accipiens namque partem virgæ acuit eam in uno capite, quod rurſus findens cultelli mucrone infixit veſtibus virginis ſanctiſſimæ, quater quatérque in gyrum complicans toto conamine omnium qui aderant ad foramen uſque pertraxit: & quia nullam læſionem habebant, mirari cœpit. Qui confeſtim ingentem machæram arripuit, & exiguam exinde particulam dæmonum ſuaſione incidit, ceteris ſodalibus, quatuor videlicet prædictis juvenibus, ipſam veſtem ſurſùm trahentibus & omni virtute retinentibus. Quæ poſtquam ſceleratorum contactu eſt violata, ita ab immundis eorum manibus eſt ſubtracta, (ſicut retulit Preſbyter qui hujus criminis fuit particeps) quaſi eam infra tumbam duo fortiſſimi milites retraherent, & quaſi ipſa adhuc virgo ſancta vivens eis diceret: Nec Dei nec meam habeatis gratiam, quia auſi eſtis corrumpere ſindonem meam. Quid multa? mox ingens peſtis arripuit domum illius Sacerdotis, quæ conjugem ejus ac liberos omnes cita morte percuſſit, totámque progeniem funditùs exſtirpavit. Ipſum quoque ad alterum commigrantem locum poſt paucos dies deduxit in infernum, quoniam non purgavit per pœnitentiam ſcelus commiſſum. Sed & de ipſis quatuor fautoribus Divina ultio peremit duos ociùs; tertius cùm eſſet inſtitutus officiis litteralibus, Eccleſiaſticis, ac Sacerdotalibus, ita protinus in amentiam verſus quidquid ſcivit eſt oblitus, quaſi nihil didiciſſet penitùs; adhuc vivens luit pœnas de tam grandi facinore, quoniam per ſingulos menſes perdit ſenſum, mentis vigore deficiente, luna ætatem quantum habebat repetente. Quartus verò fuit prælibatus Preſbyter Alfelmus qui & ipſe gravi ægritudine correptus fermè per octo menſes manſit paralyticus, donec parentes mæſti ac dolentes, quibus erat unicus, detulerunt eum cum plurimis muneribus ad beatiſſimæ virginis corpus. Qui dum ibidem ipſa vigilarent nocte promittentes per ſacramenta ſatisfactionem, meruit eorum æger recipere ſanitatem per Virginis almæ Etheldredæ interceſſionem; & mane glorificantes coſmi Redemptorem, læti reverſi ſunt ad eorum manſionem. Ecce quod infideliter dubitantis temeraria generavit præſumptio, ecce quod injuſta juſtè promeruit actio. Habeant ex hoc quilibet ſacrarum Virginum indigni attrectatores Reliquiarum, quia nonniſi cum cordis munditia & humilitate id debent præſumere. Sed nec quidem Eccleſia ſic ab iniquorum ceſſavit Preſbyterorum dominio, verùm ſub eorum naufragoſa gubernatione uſque ad duodecimum regni glorioſi Regis Edgari annum fluctuabat.

XLV. *Quomodo Rex Edgarus regnavit.*

78. EGREGIUS quoque Rex Anglorum præfatus Edredus decimo anno regni ſui ægrotavit & mortuus eſt: cujus frater, dico Edwinus, Regis ſcilicet Edmundi & ſanctæ Edrigydræ Reginæ filius, Regnum ſuſcepit; quatuor annis regni peractis defunctus eſt, & Wintoniæ in Monaſterio novo eſt ſepultus. Cujus Regnum ſuus germanus Edgarus ab omni Anglorum populo electus anno ætatis ſuæ ſexto decimo ſuſcepit (& ipſe de genere Kinegilſi eximij Regis, qui primus Veſtſaxonum Regum Fidem Chriſti à S. Birino percepit) à B. Dunſtano decenter inſtitutus, Regno Anglorum leges juſtas conſtituit, Regnóque tranquilliſſimo omni tempore potitus eſt: deſtructas quoque Eccleſias renovavit & ditavit, abjectis ex Cœnobiis Clericorum næniis, ad laudem Dei, Monachorum & Sanctimonialium catervas aggregavit, ſicut & ſequente docetur opere. Nunc his finem imponentes nimiam prolixitatem devitavi; tempus enim eſt ut ſequentis libri ordinetur initium, & ut loquendi vires interim per ſilentium reparentur.

MONITUM.

SANCTÆ Etheldridæ Translationem anno Christi M. C. VI. *per* RICHARDUM *Elienſem Abbatem factam ſuo loco referemus.*

VITA S. BALTHILDIS REGINÆ FRANCORVM, poſtea Sanctimonialis Kalenſis.

CIRC. AN. DC. XXC. JANU. XXX.

Scripta ab Auctore Anonymo ejus æquali.

Ex MS. cod. RR. PP. Fulienſium Pariſ. & Iohanne Bollando.

OBSERVATIONES PRÆVIÆ.

1. *SANCTA* BALTHILDIS *ſeu* BALTECHILDIS, *ex Anglo-Saxonum regione captiva in Franciam abducta, ex Erchinoaldi miniſterio in Chlodovei junioris thalamum evecta, demùmque ex Regina Monaſterij Kalenſis Monacha uti & conditrix, duos meruit Vitæ ſuæ ſcriptores, unum ejus ætatis æqualem, gravem quidem at impolitum; alterum interpolatorem, qui prioris ſententias paullò elegantiori ſermone non tam mutavit quàm exornavit, nec multò poſt alium vixit; quemadmodum ex verbis ipſius in Vita ſubjecta num. 19. relatis manifeſtum eſt. Præſtulimus proinde ſcriptorem antiquiorem, qui regnante adhuc* THEODORICO *Balthildis filio,* THEUDFREDO *Abbate primo Corbeienſi, tum Epiſcopo ſcribebat, prout num. 3. & 6. diſertè teſtatur. Poſteriorem lucubrationem à Surio editam, à Bollando reſtitutam, explicationis gratiâ ſubinde citabimus, ne ſi daremus integram, eaſdem res verbis paullo diverſis incaſùm repetere cogeremur.* Vitæ Scriptores.

2. *Sanctæ* Balthildis *nomen variè pinxerunt antiqui homines. Alij* Balthildem *ac* Baltildem, Baltechildem *ſeu* Baldechildem *alij, recentiores* Bathildem *præferunt: nos verò ſequimur Auctores antiquiores, Bedam, Aluredum in verſione Bedæ Saxonica, Adelardum Abb. Corbeienſem in Statutis, & alios, qui* Balthildem *ſcribere amant; rariùs* Baldechildem *ſeu* Baltechildem, *ſicuti ex Mſſ. codicum collatione obſervavimus. Galli etiam noſtrates vulgare piæ Reginæ nomen variè efferunt.* Baudour *ac* Bautheur *efferebant patres noſtri; nunc in ore omnium* Bathilde *auditur: quod nomen* Balthildis, audacem Heroida; Bathildis, utilem Heroida *Germanicè ſignificat.* Nomen.

3. *Balthildem natione Saxonicam prædicant omnes. Falluntur qui in Germanica Saxonum regione ejus patriam locant.* Chlodoveus accepit uxorem de genere Saxonorum nomine Bathildem pulchram valde & omni ingenio ſtrenuam, *ut liber de Geſtis Franc. cap. 43. habet. Et Fredegarij continuator cap. 91.* Chlodoveus filius Dagoberti ex genere alienigenarum Reginam accipiens nomine Baldechildem, prudentem atque elegantem, genuit ex ea filios tres. *Gentem Saxonum, Saxones interpretare ex Germania unà cum Anglis & Iutis in Britanniam inſulam ſæculo v. effuſos, à quibus Britanniæ gens univerſa quandoque* Saxones *ſeu* Angli-Saxones *appellatur. Saxones Germanici nondum Chriſtum didicerant, Britannici partim confitebantur. Hinc Balthildis Chriſtiana,* de partibus tranſmarinis (*verba ſunt Interpolatoris*) Divinâ providentiâ deprædata, & vili pretio ſed incomparabili commercio venundata advenit *in Franciam,* ipſa pretioſa & optima Dei margarita: atque à Principe quodam Francorum viróque clariſſimo Herchinoaldo qui tunc Palatium gubernabat, conſtat eſſe receptam. *Si ex Saxonia Germaniæ proceſſiſſet Balthildis, non* de partibus tranſmarinis *advenisse dicenda fuiſſet. Equidem præter Gregorium Magnum Eligius multos redemiſſe captivos dicitur in Vitæ lib. 1. cap. 10.* præcipue ex genere Saxonum, qui aliunde eo tempore veluti greges à ſedibus propriis evulſi in diverſa diſtrahebantur. *Quod etiam præſtitit B. Richarius Abbas Centulæ, ſæpe in Britanniam hac de cauſa profectus.* Patriâ.

4. *Balthildem illuſtri genere ortam fuiſſe teſtatur Interpolator, cujus hæc ſententia paullo poſt ſuperiora:* Non levis in eloquio, non præſumptuoſa in verbo, ſed cuncta opera ſua honeſtiſſimè moderabatur ingenio. Claro namque ſanguine (licet alterius gentis ſerviret obſequiis) progenita Saxonum demonſtrabatur. *Et infrà,* Nutu Divino factum eſſe creditur, ut quæ Principis nuptias devitaverat, poſtea Chlodoveum Dagoberti quondam Regis filium in conjugium acciperet, & merito humilitatis ad altiorem gradum eam adtolleret. In quo Divina diſpenſatio eamdem honorare decreverat: ut dum miniſtrum Regis contempſerat, ad Regis copulam perveniret, atque ex ipſa Regalis progenies procederet. Quod ideo peractum eſt, ſicut omnibus patet, ut ipſa quæ ERAT EX REGALI PROGENIE, Regiam ſumeret copulam, Regiámque gigneret ſobolem. *Iohannes Strovve in hiſt. Anglic. & ex eo Iacobus Malbrancus in lib. 3. de Morin. cap. 30. Balthildis Regium genus deducunt ex* Vvodeno *Saxonum Duce per* Ethelbertum *&* Eadbal- Genus.

CIRC. AN. DC. XXC. JANU. XXX.

dum *Britanniæ Reges, Balthildis avum & patrem: cujus Balthildis ex fratre* Ercomberto *neptis fuerit* Urſana, *Rigoberto poſtea Remorum Epiſcopo deſponſata: ex qua S. Berta Abbatiſſa Blangienſis prodierit. Certè apud Bedam in hiſt. lib. 1. cap. 15. invenimus,* ex Wodeni ſtirpe multarum provinciarum Regium genus originem duxiſſe: *& in Actis S. Bertæ legimus Vrſanam Balthildis neptem Rigoberto Bertam genuiſſe. At cùm in illis Actis multa emendatione indigeant, ex illis nihil certi hac de re conficere licet.*

Monaſteria ab ea condita.

5. *Dici non poteſt quantum Reſpublica non ſolùm civilis, ſed etiam Monaſtica Balthildis prudentiæ ac pietati debeat. Nec immeritò ſanè Chrothildi, Radegundi, aliiſque claris Reginis comparatur. Ejus piam magnificentiam hodie quoque prædicant præclara quæ vel condidit vel dotavit Monaſteria, ab Auctore Vitæ breviter commemorata. Duo tamen præ ceteris extulit, Corbeienſe ac Kalenſe: de Corbeienſi dicendum, ubi Theodefredum ejuſdem loci Abbatem primum laudabimus; hìc de Kalenſi paucis agendum. Chrothildis Chlodovei M. conjux parvum Oratorium cum aliquot cellulis conſtruxerat in Kala ſeu Cala villa Regia agri Pariſiaci ad Matronam fluvium, ibique Virgines paucas Deo ſacras poſuerat, uti infrà num. 18. ſcribitur. Illic inſigne Parthenona à fundamentis erexit Balthildis, &* locum, *teſte Vitæ Interpolatore,* villis affluentiſſimis & quampluribus cum earum reditibus amplificavit & exornavit, & in poteſtate ſub religione ibidem viventium ſacrarum Virginum tradidit. Quarum quidem vocabula propter tædium legentium reticui. Illud verò inſerere curavi, quod Rectoribus ejuſdem loci valde timendum eſt. Nam Præceptum ſuper his conſtituit, & manibus propriis ac filiorum Regum roboravit, ſigillóque ſignavit: in quo Teſtamento interminata eſt per invocationem S. Trinitatis & diem tremendi judicij, ut nemo per ſuccedentia tempora Rector quiſlibet ejuſdem loci quidquam de his villis quas in uſus diverſos ejuſdem Cœnobij habitantium contulerat ſubtraheret, aut beneficiarios exinde haberet. Quod ſi feciſſet, pœnis infernalibus cum Juda traditore nequiſſimo & cupidiſſimo afflictus ſine fine puniretur. Ipſúmque Teſtamentum ſi quis quæſierit, in Archivo ejuſdem Eccleſiæ reperiet. In hoc etiam prædicto Cœnobio venerabilem religioſámque valde Dei famulam* BERTILAM, *quam ex Monaſterio Jodro evocaverat, in loco Matris primam conſtituit &c. Duplex eo in loco Monaſterium virorum ac Puellarum fuiſſe ex Vita S. Bertilæ ſuo loco referendâ conſtat. Balthildis nomen loco plurimùm dignitatis contulit & honoris. Illuc confluebant Virgines ex diverſis provinciis, etiam ex inſula Britannia, teſtante Beda in lib. 3. Hiſt. cap. 8.* Monaſticæ converſationis gratiâ, *quam Virgines Kalenſes ſumma religione tenebant. Quippe* HILDA, *& ſoror ejus* HERESVVITA *Aldulfi Orientalium Anglorum Regis mater, Britanniæ dignitati Kalam prætulerunt. Bedæ verba hoc loco prætermittenda non ſunt.*

Illuſtres Monachæ Kalenſes.

Hilda.

6. Anno, *inquit lib. 3. cap. 23.* Dominicæ Inc. DC. XXC. religioſiſſima Chriſti famula Hilda, Abbatiſſa Monaſterij quod dicitur Streaneſhalh, poſt multa quæ fecit in terra opera cæleſtia, ad percipienda præmia vitæ cæleſtis de terris ablata tranſivit die XV. Kalendarum Decemb. cùm eſſet annorum ſexaginta ſex: quibus æqua portione diviſis, triginta tres primos in ſæculari habitu noviſſimè converſata complevit, & totidem ſequentes nobiliùs in Monachica vita Domino conſecravit. Nam & nobilis natu erat, hoc eſt filia nepotis Edvvini Regis vocabulo Heririci, cum quo etiam Rege ad prædicationem beatæ memoriæ Paulini primi Northanymbrorum Epiſcopi Fidem & Sacramenta Chriſti ſuſcepit, atque hæc uſquedum ad ejus viſionem pervenire meruit, intemerata ſervavit. Quæ cùm relicto habitu ſæculari illi ſoli ſervire decreviſſet, receſſit ad provinciam Orientalium Anglorum. Erat namque propinqua Regis illius: deſiderans exinde, ſi quo modo poſſet, derelicta patriâ & omnibus quæcumque habuerat, Galliam pervenire, atque in Monaſterio Calæ peregrinam pro Domino vitam ducere: quò facilius perpetuam in cælis patriam poſſet mereri. Nam & in eodem Monaſterio, ſoror ipſius HERESVIT, mater Aldulfi Regis Orientalium Anglorum, Regularibus ſubdita diſciplinis ipſo tempore coronam exſpectabat æternam: cujus æmulata exemplum & ipſa propoſito peregrinandi annum totum in præfata provincia retenta eſt. Deinde ab Aidano Epiſcopo in patriam revocata, accepit locum unius familiæ ad Septemtrionalem plagam Wiri fluminis, ubi æquè anno uno Monachicam cum perpaucis ſociis vitam agebat. Poſthæc facta eſt Abbatiſſa in Monaſterio Heortheu*. *Deinde* contigit eam ſuſcipere etiam conſtruendum ſive ordinandum Monaſterium in loco qui vocatur Streaneſhalh, quod opus ſibi injunctum non ſegniter implevit. Tantæ autem erat ipſa prudentiæ, ut non ſolùm mediocres quique, ſed etiam Reges ac Principes nonnumquam ab ea conſilium quærerent & invenirent. Tantum lectioni Divinarum ſcripturarum ſuos vacare ſubditos, tantum operibus juſtitiæ exerceri faciebat, ut facillimè viderentur ibidem, qui Eccleſiaſticum gradum hoc eſt altaris officium aptè ſubirent, plurimi poſſe reperiti. Denique quinque ex eodem Monaſterio poſtea Epiſcopos vidimus, & hos omnes ſingularis meriti ac dignitatis Viros, Boſa, Athla, Oſthfor, Johannes & Vvilfrid. *Hæc fuſiùs perſecuti ſumus, ne alibi eamdem rem iterum agere cogeremur. Hereſvvida ſeu Hereſvita colitur in Martyrologio Benedictino Kalendis Septemb. Hilda verò Abbatiſſa* XV. *Kalend. ejuſdem menſis. Hereſvvidæ ſepulcrum in Monaſterio Iotro oſtenditur in Oratorio S. Pauli: quod mirum videtur, ſiquidem apud Kalam Sanctimonialis vixit.*

Hereſvita.

* *al.* Heruteu.

Bertila.

7. *Harum Sanctimonialium Magiſtra & Abbatiſſa fuit S.* BERTILA, *cujus Acta initi*

Sæcul

Sæculi III. *Benedict. referemus. Eo in loco etiam Antiſtita fuit* Hegilwich genitrix Judith Imperatricis, *Ludovici Pij conjugis, uti in Hiſtoria Tranſlationis S. Balthildis ad ann.* DCCC. XXXIII. *videbimus.* CIRC. AN. DC. XXC JANU. XXX.

8. *Antequam has obſervationes finiamus, operæpretium eſt maculam ac notam delere, quam Balthildis memoriæ Venerabilis Beda in lib.* 5. *Hiſt. cap.* 20. *Fridegodus Poëta quidam in Carmine de Vita S. Vvilfridi, & Vvillelmus Malmeſburiæ Monachus inuſſerunt. Quippe aiunt, Vvilfridum, poſtea Eboracenſem Epiſcopum, cùm Romam ad ritus Eccleſiæ Monachorúmque diſcendos proficiſceretur, Lugduni à Dalfino urbis Pontifice detentum, ac poſtea peracto Romano itinere iterum ab eodem humaniſſimè exceptum fuiſſe: quo tempore Dalfinus Balthildis juſſu necatus dicitur. Neque audiendi ſunt, qui* Brunechildem *loco* Balthildis *ſubſtituunt: tum quia libri omnes antiqui ac Bedæ verſio Saxonica ab Aluredo Rege facta* Balthildem *præferunt, tum quia nondum in vivis erat Vvilfridus, quum Brunechildis vivere deſiit. Verùm quiſquis Balthildis Acta legit, quantum ab inferenda Epiſcopis præſertim piis ac ſanctis nece abhorrens fuerit, ſtatim intelligit.* Diligebat *enim* Sacerdotes ut patres: *nec aliâ viâ Sigoberrandi ſeu Sigebrandi Epiſcopi interfectores declinare ſe poſſe Balthildis juſtitiam exiſtimaverunt, quàm ſi abſque mora in Kalenſe Monaſterium, uti dudum optabat, ſe recipere ſineretur. Et quidem in illa Dalfini hiſtoria multa correctione digna videntur. Nullus enim Epiſcopus nomine Dalfinus Eccleſiam Lugdunenſem rexit. Pro* S. Annemundo *juſſu Ebroini interfecto* Dalfinum *ſubſtituit Beda, qui ex popularium ſuorum narratione incertâ ac in vulgus jactatâ id adſcripſit Balthildi Regnum tum adminiſtranti, quod Ebroinus Major Domus Regiæ eâ inconſultâ aut etiam fortaſſe invitâ peregit. Sunt qui* Sigoberrandum *ſeu* Sigebrandum *Epiſcopum, de cujus cæde infrà num.* 10. *agitur, eumdem eſſe exiſtiment cum* Annemundo, *qui à Patris* Sigonis *nomine* Sigoberrandus *cognominatus ſit. Id ſanè à vero non multùm recedit. Nempe Vvilfridus Romanam peregrinationem cum Biſcopo cognomento Benedicto aggreſſus eſt anno Chriſti* DC. LIII. *aut inſequenti, ſi Ranulfo Ceſtrenſi in lib.* 5. *cap.* 16. *& Florentio Vvigornienſi credimus: immo etiam ſerius, uti ex Beda in lib.* 1. *Hiſt. Abbatum Monaſterij ſui colligitur, qui Auctor duas primas Biſcopi Romanas profectiones factas innuit Pontificatu* Vitaliani Papæ *qui non ante annum* DC. LVI. *Sedem Romanam iniit. Vvilfridus in illo itinere correptus morbo, apud Lugdunenſem Epiſcopum donec convaluit moratus eſt. Romam indè profectus,* menſes aliquot ibi in ſtudiis occupatus felicibus exegit, *inquit Beda lib.* 5. *Hiſt. Angl. cap.* 20. *ac poſtea* rediit ad Dalfinum in Galliam: & tres annos apud ipſum commoratus, attonſus eſt ab eo, & in tanto habitus amore, ut heredem ſibi illum facere cogitaret. Sed ne hoc fieri poſſet, Antiſtes crudeli morte præreptus eſt. *Ex his intelligitur, Sigoberrandi cædem eodem contigiſſe tempore, quo Annemundi Epiſcopi Lugdunenſis: qui proinde non immeritò idem cum Sigoberrando fuiſſe videtur. Lege Hadrianum Valeſium hac de re in Rer. Franc. lib.* 21. *accuratè differentem, ac poſt eum Carolum* le Cointe *ad ann.* 654. *Denique Iohannem Bollandum, qui ante utramque hoc argumentum tractavit, cujus diſtinctiones in ſubjecta Vita retinuimus.*

Balthildis à Dalfini cæde immunis.

PROLOGUS AUCTORIS.

1. MIHI quidem ut imperatum eſt, dilectiſſimi Fratres, ad tam ſubtile piúmque opus peragendum præſule Chriſto, etſi imperitia denegat vires delicatæ hiſtoriæ ſcholaſticorúmque verborum ordinem proferendi; ſed validiùs nobis imperat pleniſſimæ caritatis affectus, ut veritas pateat, & jactantia non inflet. Novimus enim Dominum JESUM-CHRISTUM in ſiculnea magis fructum requiſiſſe quàm folia. Et ideo veritatis fructum ſuper lucernæ candelabrum ad ædificationem multorúmque profectum perpetefacere & non occultare decrevimus. Minùs licet periti ſcholaſtica, ſed magis ſtudere volumus patêre ædificationi plurimorum, qui velut apes prudentes dulce requirunt ex floribus nectar, id eſt ex verbis ſimplicibus veritatis augmentum quòd magis ædificat audientem, quàm inflat, ut imitari cupientibus compendium pietatis apertè oſtendat. Hic ergo non tam detractoribus, ſed potiùs fidelibus quam potuimus veritatem oſtendimus.

INCIPIT VITA.

2. BENEDICTUS Dominus qui vult omnes homines ſalvos fieri, & ad agnitionem veritatis venire, qui & operatur omnia in omnibus velle & perfi- Balthildis vendita Erchinoaldo ſervit.

CIRC. AN. DC. XXC. JANU. XXX.

cere. Et ideo meritò ipſius laus canenda eſt priùs in Sanctorum meritis ſive virtutibus, qui de parvis efficit magnos, immò qui de ſtercore elevat pauperem, & eum conſedere facit cum principibus populi ſui, ſicut & præſentem venerabilem magníque meriti feminam Domnam BALTHILDEM Reginam: quam de partibus tranſmarinis Divina providentia advocans, & vili pretio venumdata huc advenit ipſa pretioſa & optima Dei margarita: receptáque eſt à Principe Francorum viróque illuſtri ERCHINOALDO quondam, in cujus miniſterio ipſa adoleſcens honeſtiſſimè converſata eſt, itaut pia ejus converſatio & admirabilis complaceret tam Principi quàm & hominibus ejus miniſtris. Erat enim benigna animo & moribus omnibus ſobria, prudens & cauta, nulli machinans malum. Non levis in eloquio, non præſumptuoſa in verbo, ſed in cunctis actibus ſuis honeſtiſſima. Et cùm eſſet ex genere Saxonum * formâ corporis grata ac ſubtiliſſima, & adſpectu decora, vultu hilaris, & inceſſu gravis. Et cùm talis eſſet, fuit ommino grata Principi, & invenit gratiam in oculis ejus. Quam inſtituit ut ſibi in cubiculo pocula porrigeret, & ut pinceerna honeſtiſſima ſæpiùs præſens adſtaret in miniſterio ejus. De cujus dignitatis gratia nullam habuit extollentiam, ſed potiùs in humilitate fundata, omnibus erat ſuis conſodalibus obediens atque amabilis; honore congruo miniſtrans ſenioribus, itaut de earum pedibus calceamenta detraheret ac dilueret, aquam quoque ad lavandum adferret, & veſtimenta earum feſtinanter pararet. Et hoc abſque murmurio bono & pio animo exercebat eis miniſterium.

* *Lege Obſervat. prævias.*

Ejus nuptias fugit.

3. Ex qua ejus nobili converſatione, maxima ei inter ſocias laus atque amor adolevit. Et intantum felicem famam promeruit, ut matronâ ſupraſcripti Principis Erchinoaldi defunctâ, ei complacuiſſet ut denuo ſibi Balthildem honeſtiſſimam Virginem in thoro matronali ſibi ſociaret. Qua re ipſi comperta, latenter ſe & ſtudioſè ab ejus ſubtraxit adſpectu. Et cùm jam vocaretur ad Principis cubiculum, ſecretò ſe ipſa abſcondit in angulo, ſuperjectis ſibi vilibus pannuſculis, itaut nemini pateret illic aliquem latêre potuiſſe. Ipſa verò ut prudens & aſtuta Virgo jam tunc honores vanos fugiens & humilitatem diligens, tentabat ut poterat humanum devitare thorum, ut mereretur ad ſpiritualem cæleſtémque pervenire Sponſum. Sed & illud procul dubio Divinâ peragebatur providentiâ, ut ipſe Princeps ipſam tunc quæſitam minimè inveniret, & ſibi ad conjugium aliam ſociaret. Et tunc ita demum Balthildis puella inventa eſt nutu verè Dei; ut quæ Principis nuptias devitârat, poſtea CHLODOVEUM DAGOBERTI quondam Regis filium in conjugium acciperet, ut meritum humilitatis ad altiorem gradum eam attolleret. In quo gradu ipſam Divina diſpenſatio decreverat honorare: ut dum miniſtrum Regis contempſerat, ad Regis copulam perveniret, atq; ex ipſa Regalis ſoboles procederet [a]. Quod nunc peractum eſt, ſicut omnibus patet, ipſa ejus nunc Regali regnante progenie.

Chlodoveo II. nubit.

Piæ Reginæ optimè implet officium.

4. Sed & ipſa collatâ ſibi à Deo prudentiæ gratiâ, vigilanti ſtudio & Regi obtemperabat ut domino, & Principibus ſe oſtendebat ut mater. Sacerdotibus ut filia, juvenibus ſeu adoleſcentibus ut optima nutrix, erátque amabilis omnibus. Diligens valde Sacerdotes ut patres, & Monachos ut fratres, pauperes ut pia nutrix, largáſque eleëmoſynas diſtribuens ſingulis. Principum honorem conſervans, conſiliáque eorum congrua retinens. Juvenes ad religioſa ſtudia ſemper exhortans, Regi humiliter & aſſiduè pro Eccleſiis & pauperibus ſuggerens. Jam enim ſub ſæculari habitu Chriſto miniſtrare cupiens, frequentabat orationem, cotidie commendans ſe cum lacrymis Chriſto Regi cæleſti. Quam ipſe Rex pius conſolans juxta fidem & devotionem ejus dedit ei adjutorium ſuum fidelem famulum Abbatem GENESIUM, per cujus manus miniſtrans ipſa

Geneſio Eleëmoſinario utitur.

[a] Chlodoveus ex S. Balthilde tres filios ſuſcepit, viciſſim Reges futuros, Chlotharium, Childericum & Theodericum, de quibus legenda Vita S Eligij, qui non ſolùm Chlotharij ortum piæ Reginæ promiſit, ſed etiam utrorumque ſortem & caſus Divino afflatus ſpiritu prædixit, uti Audoënus in lib. 2. cap. 31. commemorat.

Sacerdotibus & pauperibus, paſcebat egenos, & induebat veſtibus nudos, ſtudioſéque ſepelire ordinabat mortuos, dirigens per ipſum ad Cœnobia virorum ac Virginum auri vel argenti largiſſima munera. Qui ipſe Chriſti famulus domnus Geneſius poſtea Chriſto jubente Lugduno Galliæ ordinatus eſt Epiſcopus. Tunc enim in palatio Francorum erat aſſiduus, per quem (ut diximus) ipſa Domna Balthildis unà cum Regis Chlodovei imperio & ſuggerente ipſo Dei famulo in cunctis pauperibus larga procedebat Regis eleëmoſyna per loca multa. CIRC. AN. DC. XXC. JANU. XXX.

5. Quid plura? Deo jubente Rex CHLODOVEUS vir egregius migravit[a] à corpore: relictáque ſobole filiorum cum matre, ſuſcepit ilico poſt eum filius ejus CHLOTHARIUS quondam Francorum Regnum. Tunc etenim præcellentibus Principibus CHRODOBERTO Epiſcopo Pariſiaco & domno AUDOENO, ſeu & EBROINO Majore-domus cum reliquis Senioribus vel ceteris quampluribus, & Regno quidem Francorum in pace conſiſtenti. Tunc enim nuper & Auſtraſij pacifico ordine ordinante Domna Balthilde per conſilium quidem Seniorum receperunt CHILDERICUM filium ejus Regem Auſtri, Burgundiones verò & Franci facti ſunt uniti. Et credimus Deo gubernante juxta Domnæ Balthildis magnam fidem ipſa tria Regna tunc inter ſe tenebant pacis concordiam. Chlodoveo mortuo Regnum pacificè administratur. a

6. Factúmque eſt tunc per eam nutu Dei & exhortantibus bonis Sacerdotibus[b], ut hæreſis ſimoniaca quæ pravo uſu maculabat Dei Eccleſiam, itaut dando præmia contra ordinem Epiſcopatus acciperet, ut præfata Domna Balthildis hoc impium nefas prohiberet, ut nullum præmium pro percipiendis ſacris gradibus omnino intercurreret. Ordinavit etenim immò per eam Dominus, & ut alia peſſima & impia ceſſaret conſuetudo, pro qua plures homines ſobolem ſuam interire potiùs quàm nutrire ſtudebant, dum dividebat actiones publicas[c] quæ eis ex conſuetudine ingerebantur accipere, ut illis ex hoc graviſſimum rerum ſuarum inferrent damnum. Prohibuit hoc ipſa Domna pro mercede ſua, ut hoc nullus facere præſumeret: ex quo facto copioſam & valde magnam mercedem exſpectat. Simoniam & pravas conſuetudines tollit. b

7. Quis enim valeat dicere quanta & quàm magna commoda per Religioſorum Cœnobia largiendo integra præſidia, & ſilvas magnas ad cellulas ſeu Monaſteria conſtruenda conceſſit? Quo etiam & ipſa velut proprias ſeu & peculiares Dei cauſas, id eſt Kala in Pariſiaco Deo ſacratas Puellas Cœnobium magnum Virginum ædificavit: ubi Dei famulam religioſam valde puellam BERTILAM in locum Matris eſſe primam conſtituit. In quo & ipſa venerabilis Domna Balthildis dein converſari ſub integra Regula Religionis, & in pace requieſcere conſueverat, & in veritate devota id voluntate complevit. Prætereundum non eſt, quia ad laudem Dei pertinet quidquid in Sanctis & Electis ſuis mirabiliter Deus operatur, quia (ut dicit Scriptura) mirabilis Deus in Sanctis ſuis. Cujus Spiritus Paraclitus cooperatur interiùs per bonam voluntatem, ut ſcriptum eſt: *Omni volenti bonum Deus cooperator eſt illi*; ſicut & iſti magnæ feminæ conſtat veraciter fuiſſe. Ut enim præfati ſumus, neque noſtra, neque cujuſlibet, ut arbitror, lingua quamvis erudita enarrare ejus omnia bona valet. Quantas conſolationes vel adjutoria ad caſas Dei vel ejus pauperibus pro Chriſti amore quantáſque opportunitates & commoda ipſa largita eſt, qualéque Monaſteriũ quod vocatur Corbegia in Ambianenſi parrochia ſuo opere conſtruxit, ubi Monaſterium Kalenſe ædificat. *Pſal. 67. 36.* item Corbeienſe.

a Interpellator: *Interea dominus Rex* CHLODOVEUS, *vir ejus, gratia evocante Divina, ſeptimodecimo regni ſui anno, rebus exemptus humanis migravit à ſæculo: relictáque ſobole filiorum cum matre, ſuſcepit ilico filius ejus Lotharius Rex Francorum regimen. Et ſuffraganibus præcellentiſſimis Principibus* (en Epiſcopi Principes appellati) CHRODOBERTO *Epiſcopo Pariſiaco & Domno* AUDOËNO *Rotomagenſi, ſeu* EBROINO *Majore-Domus cum reliquis Senioribus vel ceteris quampluribus Regni honorem quærentibus, ad regimen Francorum in pace conſtituitur.* Ex hoc utroque teſtimonio ſolus Chlotharius jam ab ipſo patris obitu ſuſcepiſſe videtur imperium, Childerico & Theoderico obtenebratis ætatem ſub materna diſciplina conſiſtentibus.

b Præcipuè Eligio & Audoëno, ſicuti in Vita S. Eligij lib. 2. cap. 1. dicitur.

c Clariùs Interpolator: *dum de eis videbant exactiones fieri; publicáque, ex antiqua conſuetudine, mala urgebantur accipere, unde graviſſimum rerum ſuarum patiebantur damnum.*

CIRC. AN. DC. XXC. JANU. XXX. venerabilis vir Domnus TEUDOFREDUS, nunc enim *Epiſcopus, tunc verò Abba magno gregi Fratrum præfuit: quem de Luxovio Monaſterio præfata Domna Balthildis à reverentiſſimo viro Domno GALBERTO quondam Abbate [a] expetivit, & mirabiliter ad ipſum Cœnobium Fratrem [b] condirexit, qui nunc ipſe & laudabiliter conſtat.

*ſ. jam

a

b

Cœnobiis aliis munifica.

8. Quid enim? ad Gemeticum Domno FILEBERTO viro religioſo & ſilvam magnam ex fiſco ubi ipſum Cœnobium Fratrum ſitum eſt, & multa munera & paſtus de fiſco dominico ad ipſum Monaſterium conſtruendum conceſſit. Quantáque verò Domno LEGOBERTO *ad Curbionis [c] Monaſterium & villam magnam vocabulo Nugaretum, & talenta multa argenti vel auri etiam ipſum Regale quo ipſa cingebatur cingulum de ſupra ſacris lumbis ſuis devotè abſtulit, & Fratribus in eleëmoſynam ipſum direxit. Et hoc totum hilari vultu ac benigno diſpenſabat animo. Ut enim Scriptura dicit: Hilarem datorem diligit Deus. Similiter ad Fontenellam eulogia [d] plura conceſſit & compendia. Quanta enim ad Luxovium vel ad reliqua Monaſteria in Burgundia, & villas multas integras conceſſit, & pecuniam innumerabilem direxit. Quid ad Jotrum Monaſterium, unde illas ſacras Virgines cum præfata Domna BERTILANA Abbatiſſa ad Kala ſuum Monaſterium arceſſivit, quanta ibi munera & de agris & pecunia multa contulit. Similiter & ad Monaſterium S. Faræ, ſua ſæpe larga munera direxit. Ad urbem verò Pariſiacam ad Sanctorum Baſilicas ſeu Monaſteria & villas multas & magnas contulit, & muneribus plurimis ditavit. Quid plura? ut diximus, hoc narrare non valemus per ſingula. Sed neque vix media totáque dici ejus bona omnino à nobis non poſſunt.

* *al.* Laigoberto

c

d

Monachos ad Regulæ cuſtodiam hortatur.

9. Præterire enim non debemus quòd per Seniores Baſilicas ſanctorum Domni Dionyſij & Domni Germani, & Domni Medardi & S. Petri, vel Domni Anniani ſeu S. Martini, vel ubicumque ejus pertinxerit notitia, Pontificibus ſeu Abbatibus ſuadendo pro zelo Dei præcepit, & epiſtolas pro hoc eis direxit, ut ſub ſancto regulari Ordine Fratres in ipſa loca conſiſtentes vivere deberent. Et ut hoc libenter adquieſcerent, in Privilegio eis firmare juſſit, vel etiam emunitates conceſſit, ut meliùs eis delectaret pro Rege & pace Summi Regis Chriſti clementiam exorare. Et illud commemorandum eſt, quia ad mercedis ejus cumulum pertinet, quòd captivos homines Chriſtianos ire prohibuit: datáſque præceptiones per ſingulas regiones, ut nullus in regno Francorum captivum hominem Chriſtianum penitùs tranſmitteret. Sed magis & ipſa dato pretio captivos plurimos redimere præcepit, & liberos relaxavit: & alios ex ipſis in Monaſteria intromiſit, & præcipuè de gente ſua viros & puellas quamplures denutritas ſecum. Quantas enim attrahere potuit, eas per ſancta Cœnobia commendavit, & ut pro ea exorarent eis præcepit. Etiam ad Romam uſque ad B. Petri & Pauli Baſilicas, vel ad Romenſes pauperes plura ac larga ſæpiùs direxit numera.

Kalam tandem ſe recipere permittitur.

10. Erat enim ejus ſancta devotio, ut in Monaſterio quod prædiximus Religioſarum feminarum, hoc eſt in Kala quòd ipſa ædificavit, converſari deberet. Nã & Franci pro ejus amore hoc maximè dilatabant, nec fieri permittebant, niſi

a Non Epiſcopo. Hinc confirmatur id quod in S. Vvalberti Elogio ad annum 665. diximus, eum numquam Eccleſiæ Meldenſi præfuiſſe.

b Bollandus legit *Fratrum*: ita etiam legiſſe videtur Anonymus ſic verſum reddens: *& ad præditum Fratrum Cœnobium condirexit*, omiſſa alia parte ſententiæ, quæ de Theudofredo etiam tunc ſuperſtite intelligenda videtur

c De Curbionenſi Monaſterio diximus Sæculo 1. Bened. in Vita S. Launomari Abb. ad ann. 590. acturi de Gemeticenſi in Vita S. Filiberti infra ad ann. 684. Porro de Farenſi ſuprà ad ann. 655. in Actis Burgundofaræ, de Jotrenſi verò in Elogio S. Theodechildis anno 660. egimus.

d Alia Vita habet: *Similiter & ad Fontinellam & Logium plura conceſſit beneficiorum compendia*, quæ germanior lectio videtur. Logium erat Cœnobium Puellarũ in ea Neuſtriæ regione quæ nunc Nortmannia dicitur. In eo Parthenone mater Milonis Recluſi Vviſla, *Mater Logenſis Cœnobij* dicitur in Chron. Fontanell. cap. 4. Anſegiſus Fontanellæ Abbas *ad Logium libram unam* legavit. Logium Cœnobium ſitum erat haud procul à Cella Milonis ipſius ad ripam alvei Sequanæ: unde Logienſis portus opido Caudebecco proximus nomen accepit.

commotio illa fuiſſet per miſerum SIGOBERRANDUM Epiſcopum [a], cujus ſuperbia inter Francos meruit mortis ruinam. Et exinde orta intentione dum ipſum contra ejus voluntatem interfecerunt, metuentes ne hoc ipſa Domna contra eos graviter ferret, ac vindicare ipſam cauſam vellet, permiſerunt eam ſubitò pergere ad ipſum Monaſterium. Et fortaſſe dubium non eſt, quin ipſi Principes tunc illud in bono animo permiſiſſent. Sed ipſa Domna Dei voluntatem conſiderans, ut hoc non tam eorum conſilium, quàm Dei fuiſſet diſpenſatio, ut ejus ſancta devotio per quamlibet occaſionem Chriſto gubernante eſſet impleta. Deductáque ab aliquibus Senioribus, venit ad præfatum Monaſterium ſuum Kala, ibíque à ſanctis Puellis ut decebat honorificè & ſatis amabiliter in ſancta Congregatione recepta eſt. Habuit enim tunc non modicam querelam contra eos [b], quos ipſa dulciter nutriverat. Pro qua re falſam *ipſi eam habuiſſent ſuſceptam, vel etiam pro bonis mala ei repenſarent. Sed & hoc conferens cum Sacerdotibus citiùs eis clementer cuncta indulſit, & ut ipſi ei illam cordis commotionem indulgerent ſupplicavit. Et ipſa pax inter ipſos Domino largiente pleniſſimè reſtituta eſt.

CIRC. AN. DC. XXC. JANU. XXX. *a*

Indulget iis à quibus injuriam paſſa erat. *b*

* *l.* falsò

11. Ipſa verò piiſſimo affectu diligebat Sorores ut proprias filias, & ſanctæ Abbatiſſæ earũ obediebat ut matri. Et miniſterium exhibebat eis ut viliſſima ancillula ex ſancta devotione: itaut etiam cùm adhuc regeret publicum palatium, & ipſa viſitabat ſuum ſæpe ſanctum Cœnobium, ita humilitatis magnæ fortiter exhibebat exemplum, ut ipſa quoque in coquina miniſtraret Sororibus; & munditias viliſſimas, etiam deambulationes ſtercorum ipſa mundaret. Et hoc totum cum gaudio ac læto perficiebat animo tam humile pro Chriſto miniſterium. Quis enim crederet ut ſublimitas tantæ potentiæ ita viliſſimis adminiſtraret rebus, niſi ei hoc magnus Chriſti exegiſſet omnimodo pleniſſimus amor? Inſiſtebátque aſſiduè orationi devota cum lacrymis, & Divinam lectionem ſæpiùs frequentabat. Conſolationem verò continuò per ſanctam exhortationem, & frequentem viſitationem infirmorum faciebat. Dolebat enim cum dolentibus per ſtudium caritatis, & cum gaudentibus gaudebat: & pro ſanis ut conſolarentur, Domnæ Abbatiſſæ humiliter ſæpiùs ſuggerebat. Cujus petitioni ipſa ut Mater amabiliter cuncta præſtabat, quia verè erat eis more Apoſtolico cor unum & anima una, dum ſe invicem tenerè ac pleniſſimè diligerent in Chriſto.

Abjectis miniſteriis ac piis exercitiis totam ſe tradit.

12. Cœpítque ipſa Domna Balthildis corpore infirmari & viſcerum inciſione, peſſimo infirmitatis vitio graviter laborare. Et niſi Medicorum ſtudia ſubveniſſent, pæne deficere. Sed magis ipſa ad cæleſtem Medicum ſemper fidem habebat de ſalute ſua. Ipſa verò ſancta conſcientia & pia non ceſſabat Deo gratias agere de ſua caſtigatione, & bona & aſtuta miniſtrare conſilia ſemper, & humilitatis magnæ exemplum ex miniſterio ſuo Sororibus oſtendere formam pietatis. Et conferens ſæpe cum Matre Monaſterij, ut & Regem & Reginam & Pro-

Illorum dolorem fert patienter.

[a] In alia Vita SIGEBRANDUS dicitur, quem Pariſiorum Epiſcopum fuiſſe aiunt, de quo ſuprà in Obſervat. 8. Iſta Sigoberrandi cædes contigit anno circà DC. LXIV. quo Balthildis, cùm ei jam per filij Chlotharij ætatem ad regnum habilem liceret, in Kalenſe Parthenona ſeceſſit. Certè anno regni Chlotharij filij VII. adhuc Regnum adminiſtrabat, ſiquidem eo anno Berthefridus Ambianorum Epiſcopus Privilegium immunitatis Monaſterio Corbeienſi, petentibus Chlothario & *Baltechilde Regina* conceſſiſſe legitur.

[b] Interpolator legit *contra eas quas ipſa dulciter enutriverat, pro qua cauſa falsò ipſa eam habuiſſent ſuſpectam, &c.* Quaſi Balthildis adverſus Monachas habuerit querelam. At retinenda lectio noſtra, interpretanda utique de Optimatibus nonnullis, qui feminam ſanctam falſi criminis accuſaverant. Antè verò quàm Balthildis Kalam ſe reciperet, curavit funus B. Eligij Noviomagenſis Epiſcopi, cjúſque corpus Kalam transferre fruſtra conata eſt, teſtante Audoëno in lib. 2. de Vita S. Eligij cap. 34. & ſeqq. qui & addit cap. 39. S. Eligium poſt obitum ſuum uſque tertiò apparuiſſe *cuidam perſonæ in aula Regis habitanti, cui præcipit, ut ſine aliquo cunctamine adiens Reginam Balthildem commonere eam deberet, quò inſignia auri gemmarúmque ornamenta quibus adhuc in cultu utebatur, ob Chriſti jam reverentiam deponere non gravaretur, Regina verò non ambigua de Confeſſoris admonitione, omnia à ſe confeſtim ornamenta rejecit, nec præter brachiles aureos ſuper ſe quidquam ornamentorum reſervavit. Omnia itaque in eleëmoſynis diſpertiens, potiora quæque in crucis opere aptavit, quam ad caput S. Eligij ſtabiliri præcepit, & crepam*, id eſt tumbam, *ex auro atque argento mirificè fabricare, quam ſupra Confeſſoris membra depoſuit.* Hæc Audoënus.

CIRC. AN. DC. XXC. JANU. XXX. ceres condigno honore cum eulogiis ſemper viſitarent, ut erat conſuetudo, ut ipſa domus bonam famam quam ceperat non amitteret, ſed ampliùs ſemper in affectu caritatis cum omnibus amicis atque validiùs in Dei nomine permaneret in dilectione, ut ſcriptum eſt: *Oportet & teſtimonium habere bonum ab his qui foris ſunt*; & præcipuè curam pauperum & hoſpitum cum ſummo ſtudio pro miſericordia & dilectione in ipſis ſemper impendi. Pro Chriſti amore ſalutis monita ſancta ipſa Mater Monaſterij, audita alacri ac læto animo adimplebat omnia; ſed neque ea deinceps ullomodo adimplere ceſſabat, pro mercedis communis augmento.

Abbatiſſæ præclara dat monita.

1 Tim. 3, 7.

Cælica viſione obitum ſuum præſignari diſcit.

13. At vero jam propinquante glorioſo ejus obitu, viſio præclara ei fuit oſtenſa. Scala enim erecta & ſtans ante altarium S. MARIÆ, cujus culmen cælum contingeret, & quaſi Angelos Dei comitantes, ut ipſa Domna Balthildis adſcenderet per eam: ut ex hac revelatione patenter daretur intelligi, eoquòd per ſublimia ejus merita patientia & humilitas eam ad celſitudinem æterni Regis & ad præmij coronam citiùs exaltandam perduceret. Qua etiam ipſa Domna viſione comperta cognovit ſe quantociùs è corpore eſſe migraturam, & illuc ubi jam olim theſaurum optimum reconderat * perventuram. Illud verò ſilere præcepit [a], ut uſque in tranſitum ſuum pro doloris mæſtitia Sororibus vel Matri Monaſterij ipſa viſio non indicaretur. Sed potiùs ipſa pia & alacri mente magis ac magis ſanctæ inſiſtere preci, & ſemetipſam cum cordis contritione humiliter cæleſti Regi Domino JESU-CHRISTO commendare attentiùs. Et occultò exhortabatur ſemper vel conſolabatur Domnam BERTILANAM & Sorores, eoquòd ipſa jam aliquantulùm ab infirmitate ſua convaleſceret meliùs. Et diſſimulabat venturam mæſtitiam de tranſitu ſuo, quæ magna poſtea & ſubitanea eis contigit.

* recondiderat Abbatiſſæ & Sororibus id celeſtari præcipit.

a

14. Cùm verò ipſa Domna ſenſit proximum finem ſuum, tunc mens ejus ſancta ad cælum erecta eſt. Certáque facta de beatitudinis retributione & præmio magno, prohibuit ſecum conſiſtentibus, ut aliis Sororibus hoc nullatenus innoteſcerent, nec Domnæ Abbatiſſæ quæ valde & ipſa infirmabatur, ne illa pariter periclitaretur ob magnitudinem triſtitiæ. Et erat aliqua quædam tunc infantula ſua filiola [b], quam præcepit ut ſecum iret, quæ & ipſa ſubitò è corpore exiit, & eam ad tumulum præceſſit. Tunc conſignans ſe confidenter & pios oculos ac ſanctas manus ad cælum erectas*, ſancta illa anima à corporis vinculo in pace ſoluta eſt. Statímque divinus ſplendor in ipſo cubiculo clariſſimè coruſcavit. Et ſine dubio ab Angelorum choro vel obviante amico ſuo fideliſſimo quondam GENESIO [c] Epiſcopo glorioſè ipſa ſancta anima recepta eſt, ut magnum ejus exigebat meritum.

Filiolâ præmiſsâ piè moritur.

b

* *pro* erectis &c.

c

15. Et hoc ita pauliſper Sorores illas cùm in tanti doloris gemitu conticuerunt & ut ipſa juſſerat ſub ſilentio, ita tantùm ut ſoli tantùm Sacerdotes qui ejus beatiſſimam animam Domino commendaverunt, illis eſt denuntiatum. Quam rem poſtea cognoſcens Abbatiſſa & cuncta Congregatio, cum magno fletu requirentes quomodo ſic ſubitò & improviſò nec ſibi cognita eſſet exitûs ſui hora, & quaſi rapta fuiſſet ab eis gemma illa omnibus deſiderabilis. Omnibúſque obſtupefactis pariter proſtrati ilico ſuper humum multíſque ibi profuſis lacrymis cum immenſi doloris gemitu flentes, & pio Domino gratias agentes & collaudantes commendaverunt ejus ſanctam animam pio Regi Chriſto, ut ipſe eam in ſanctæ Mariæ choro, vel Sanctorum conſortio perduceret.

Deo precibus commendatur.

[a] Idem aſſerit Interpolator. *Hoc verò ſilere Sororibus quæ conſcia hujus mirabilis viſionis fuerant præcepit, ne Matri Monaſterij vel cuicumque Sororum hæc viſio manifeſtarent.*

[b] Interpolator. *Habebat præterea ipſa Domna Balthildis quandam infantulam, quam ex fonte Baptiſmatis ſuſceperat, &c.* Quæ infantula in hiſtoria Tranſlationis appellatur RADEGUNDIS, *quæ ſeptimo ætatis ſuæ anno ab hoc ſæculo migravit*, cujus corpuſculum poſt Balthildis Tranſlationem in ſanctæ Reginæ tumulo collocatum eſt; nunc inter ſacras Reliquias aſſervatur.

[c] Alius Auctor id aſſeverantiùs affirmat his verbis: *Et cum ipſo lumine ab Angelorum choro, obviante ſibi fideliſſimo Geneſio ſcilicet Epiſcopo, qui viſus eſt aſſtantibus inter agmina Angelorum a juſſe, glorioſa & ſancta illa anima eſt recepta.*

Et ut tunc erat decus ipsius, sepelientes [a] eam cum magno honore & multa reverentia. Tunc Domna Bertilana Abbatissa pro studio pietatatis sollicita, commendavit sanctis Sacerdotibus & per plures Ecclesias ut esset memoria sancta in sacris oblationibus assiduè facienda. Quod nuncusque per loca multa merito ejus assiduè celebratur. CIRC. ANN. DC. XXC. JANU. XXX. *a*

16. Reliquit sanctum exemplum sequentibus humilitatis & sapientiæ, mansuetudinis & plenissimæ dilectionis studium, immóq; infinitæ misericordiæ, astutámque prudentiæ vigilantiam & confessionem puritatis, & cuncta per consilium, & nihil sine commeato [b] omnino esse faciendum, sed temperata & rationabilia fieri universa. Hanc pietatis regulam consodalibus exemplum sanctissimum dereliquit, pro quibus nunc sanctis virtutibus & multo pluribus sanctis suis meritis recepit magni præmij coronam sibi à Domino olim repositam. Et modò perfruitur inter Angelos in conspectu Domini & Sponsi sui cum candido Virginum grege quod desideravit immensum ac sempiternum gaudium. Et nunc ad declarandum Fidelibus sublime ejus meritum Divina pietas ad sacrum ejus sepulcrum plura perficit mirabilia. Ita quisquis ibi febre correptus seu à dæmonio vexatus vel dentium dolore contritus ad fidem * accesserit, ilico per Divinam virtutem & per ejus sanctam intercessionem statim depulsa qualibet morborum peste, sani atque incolumes in Dei nomine exinde procedunt, ut & modò nuper de aliquo puero manifestè contigit [c]. Quale fuit exemplum reliquerit. *b* Sepulcrum ejus miraculis illustratum. * *al.* cum fide *c*

17. Venit quippe ex partibus Provinciæ quidam vir venerabilis LEUDEGAUDUS [d] Episcopus, amicus & fidelis Monasterij Kalensis cujus puerum ita sævus dæmon arripuit, ut contineri à sociis non posset, nisi ejus manus pedésque colligâssent, eoquòd ob nimiam sævitiam dilaniaret quos contingere poterat. Qui dum ad locum sacrum perveniret, & sarcophagum aliorum ductu tetigisset, subitò & sanatus & mitis velut ovis effectus est opitulante Domini nostri JESU-CHRISTI gratia, qui regnat in sæcula sæculorum, Amen *. Puer dæmoniacus curatus. *a* * *fi desinit codex Fuliensis.*

APPENDIX EX INTERPOLATORE POST PRÆDICTA.

18. RECOLIMUS quidem in Francorum Regno nobiles & Dei cultrices quasdam fuisse Reginas, CHRODECHILDEM scilicet neptam GUNDEBALDI Regis atque magni & antiqui CHLODOVEI Regis conjugem, quæ ita eumdem paganissimum veris instruxit exhortationibus, ut tota mentis intentione ad cultum Christianæ Religionis fervente fidei calore converteret. Et non solùm ipsum, sed etiam Divinâ gratiâ adjuta plurimos Francorum Proceres traxit ad Christi agnitionem & ad Catholicæ Fidei dilectionem. Ecclesiam quoque in honore S. Petri, ubi Religio Monastici ordinis vigeret, Parisius fecit, necnon & Cœnobiolum in honore S. Georgij sacrarum Virginum in Kala prima construxit. Quod postea quia ambitus Ecclesiolæ strictior erat, ad capiendum plurimum gregem Sanctimonialium à sæpe memoranda Domna BALTHILDE eversum, & Basilica prægrandi spatio amplitudinis constructa: cujus medium altare in honore sanctæ Crucis, atque illud * in parte dextera in honore sancti Georgij; quod verò ad lævam est, in honore sancti Stephani Protomartyris titulatur consecratum. Alia etiam quamplurima pro mercede æternæ remunerationis in honore Sanctorum edidit loca & muneribus plurimis ditavit; parique modo de ULTROGOTHA fertur Regina CHILDEBER- Balthildis aliis piis Reginis comparatur. NOTA. * *f.* aliud

a Clariùs expolitor: *Sicque, ut decentissimum erat, excubias condignas agentes, in Ecclesia S. Crucis quàm ipsa à fundamentis construxerat, corpus beatissimum portaverunt, & merito honore summáque reverentia ibidem sepelierunt.*

b Bollandus legit *sine commento*, Interpolator *docuit quoque ut nullus temerè vel præsumptuosè aliquid definiret, sed omnia cum consilio esse faciendo temperato & rationabili sermone discretionis.* Primarius Auctor *commeato* scripsit pro *commeatu*: quo nomine licentiam intelligunt antiqui Scriptores.

c Idem scribit Auctor libri de Vita S. Serenici num. 8. quam suprà ad ann. 669. retulimus.

d In alia Vita *Leudegangus*, an Leodrandus Episcopus Tarentasiensis?

Circ. An. DC XXC. Janu. XXX. TI. videlicet Chriſtianiſſimi Regis conjuge, eoquòd nutrix eſſet orphanorum, conſolatrix pupillorum, ſuſtentatrix pauperum & Dei ſervorum atque adjutrix fidelium Monachorum. Rectè quoque & illud prædicatur memorabile factum ſanctæ & venerabilis RADEGUNDIS Reginæ Chlotharij quondam anterioris Regis conjugis, quam tanta ſancti-Spiritûs ſuccenderat gratia, ut vivum relinqueret conjugem & ſe Chriſto Domino ſub ſacro velamine conſecraret, multáque alia quæ in actibus ejus leguntur perageret.

Interpolatoris ætas. 19. Sed quamquam illud conſiderare libeat quod ab ipſis ſanctis feminis actum eſt, ſummopere tamen nobis ad ſanctam matrem Domnam Balthildem quæ noſtris effulſit temporibus, necnon & ad ejus merita glorioſa quæ ipſi ab ea geſta novimus & vidimus, recurrendum eſt. De quibus hîc quidem pauca de plurimis commemoravimus, per quæ non putamus eam inferiorem meritis fuiſſe illis prioribus, ſed multo magis in ſanctis ſtudiis & bonis operibus eas præceſſiſſe cognovimus. Quæ poſt multa memoranda quæ geſſit opera, Evangelicæ perfectionis adimplevit mandata, deſpexit mundum & concupiſcentiam ejus, contrivit diabolum & pompas ejus, ſecutáque eſt Chriſtum & præcepta ejus, útque vera Monacha ſub integra religione beatam vitam feliciter conſummavit, atque III. Kalendas Februarias[a] terrena deſerens & cæleſtia appetens, animam beatam benigno JESU qui eam dederat, mundam & immaculatam reconſignavit, humatáque in pace requieſcit in Kala Monaſterio, & regnat in perpetua jocunditate cum Domino, non immemor ut credimus, ſuorum fidelium, qui ejus cupiunt veraciter attollere præconium. Nos verò etſi non ſicut debuimus, ſaltem ut potuimus veſtrum imperium adimplere curavimus. Imperitiæ ſermonis indulgentiam date, & pro culpis negligentiarum cum caritate Deum exorate. Nos ergo qui adhuc mole carnalis ergaſtuli preſſi ac multiplici ſcelerum pondere prægravati in hujus labentis ſæculi fluctibus vagamur ambigui, ejus ſuffragia pia devotione poſcamus aſſidui, ut pro nobis apud miſericordem Dominum intercedere dignetur, quatinus ablutos omnes labe criminum perducat pro ſua pietate ad cæleſte regnum, ubi eſt gloria indeficiens, perpetua pax, lumen ſempiternum cum Patre & Filio & Spiritu-ſancto, quæ præparavit his qui diligunt eum.

Balthildis dies mortis.

[a] Ipſo die S. Balthildis laudatur in ſacro Uſuardi Martyrologio his verbis: *In territorio Pariſiacenſi* BALTHILDIS *Reginæ*. Item in veterrimo Corbeienſis Abbatiæ Kalendario ante annos ſeptingentos exarato, III. *Kal. Febr. Kala Monaſterio depoſitio* BALDECHILDIS *Reginæ*: quo die in Monaſteriis Corbeienſi & Kalenſi ejus ſollemnitas celebratur. Corrigendi ergo libri editi Uſuardi, corrigendus & Ado qui VII. Kal. Febr. corrigendus etiam Vvandalbertus qui VI. eaſdem Kalend. deniq; corrigenda etiam Martyrologia Romanum, Benedictinum ac Gallicanum, in quibus S. Balthildis Natalis VII. Kal. Febr. collocatur. Annum quo S. Regina obiit, quadamtenus deſignant duo characteres Chronologici, unus à regno Theodorici ejus filij qui *matri ſuperſtes* regnâſſe dicitur in Vita ſecunda S. Vvandregiſili cap. 23. alter ex morte S. Geneſij Lugdunenſis Pontificis, qui ſanctæ animæ de corpore migranti obviaviſſe legitur ſupra num. 14. Obiit S. Geneſius anno V. regni Theodorici, Chriſti DC. LXXVII. Kalend. Novembris: ſiquidem anno Theodorici ſeptimo Ansbertus qui Lantberto Abb. Fontanellenſi ad infulas Lugdunenſes poſt Geneſium evecto ſuffectus eſt, annum regiminis ſecundum agebat, quemadmodum ex Actis S. Condedi inferiùs referendis conſtat. Anno proinde circa D. LXXX. S. Balthildis ad ſuperos tranſiit. Ejus feſtum diem inter celebriores feſtivitates S. Adelardus Abbas Corbeienſis in lib. I. & 2. Statut. Corb. cap. 2. recenſet.

MONITUM.

CORPUS *S. Balthildis thecæ argenteæ, caput verò proprio ſcrinio incluſum etiamnunc in Monaſterio Kalenſi religioſè colitur, præter inſignem maxillæ ſuperioris portionem, quam Corbeienſes noſtri anno ſexcenteſimo quadrageſimo ſeptimo ſupra milleſimum ab illuſtri ac venerabili Abbatiſſa Magdalena obtinuerunt, & in argentea effigie unà cum S. Reginæ ac Monachæ velo alteróque calceo poſuerunt. Duplex celebratur S. Balthildis Tranſlatio, altera XVI. Kalend. Aprilis, altera pridie Kalend. Ianuarij, hæc quidem in Monaſterio Kalenſi ob quamdam ſine dubio ſacri corporis tranſlationem in novam capſam; illa in Corbeienſi æquè ac Kalenſi ob ejus elevationem*, quæ fuit facta anno ab Incarnatione Domini DCCC. XXXIII. anno vigeſimo imperante Hludovvico ſereniſſimo Auguſto, & celebratur XVI. Kalend. Aprilis, *uti in veterrimo codice Corbeienſi legitur. Ex quo corrigas Martyrologium Benedictinum, in quo hæc elevatio ſeu Tranſlatio XV. Kal. April. memoratur: cujus Elevationis hiſtoriam ſuo loco referemus Sæculo IV. Benedictino.*

VITA

S. VLTANI ABB. PERRONENSIS

CIRC. ANNO DC. XXC. MAII 1.

ELOGIUM HISTORICUM.

1. *VLTANVS clarissimo genere in Hibernia, antiquis Scottia dicta natus, fratres habuit sanctissimos* FURSEUM *&* FOILLANUM *Abbates, cum quibus in Saxoniam Brittonum profectus,* diuturna Monasterij probatione dimissa, ad eremitalem vitam multis jam annis ab eodem electam, derelictis omnibus curis & rebus nudus ad fratrem suum (Furseum) qui jam theoricâ pascebatur vitâ solus profectus est, *quemadmodum Auctor qui B. Fursei acta descripsit attestatur. Furseus Monasterij sui Saxonici curâ Foillano demandatâ in Galliam accessit, ibique Cœnobium Latiniacum juvante Erchinoaldo Majoredomûs ædificavit.* Post spatium aliquot annorum, *inquit Auctor libri ejus Mirac.* contigit ei ut reverteretur in Saxoniam visitare proprios germanos suos, id est Foillanum & Ultanum, quos dimisit ad regendum suum Monasterium. *Verùm morbo ac morte in pago Pontivovico Macerias interceptus, in castro Perrona sepultus est. Ex quibus redarguas eos, qui Foillanum & Vltanum vivente Fratre in Galliam appulisse existimant.* Ultanus in eremo degit.

2. *Mortuo Furseo uterque germanus Galliam adeunt: aiuntque nonnulli, eos Fursei corporis Elevationi post annos à morte quatuor peractæ interfuisse. Gertrudis Abbatissa Nivialensis Foillanum & Vltanum excepit, eisque locum Fossuense seu Fossense dictum condendo Cœnobio delegavit. Illic post necem Foillani fratris superiùs* à nobis relatam permansit Vltanus, quem Gertrudis morti proxima de imminente obitûs die consuluit.* Cùm *enim* appropinquaret dies assumptionis animæ illius, vocavit unum de Fratribus & præcepit ei dicens: Vade festinanter ad illum peregrinum, qui nomine vocatur VLTANUS, qui est remotus in Monasterio quod vocatur Fossuense, & dic ad illum: Virgo Christi Geretrudis misit me ad te interrogandum iri, quali die migratura sit de hac luce. *Legato diem signavit Vltanus, cujus verba in Vita S. Gertrudis ad ann. 658. adduximus.* Galliâ adita Gertrudis obitûs diem prædicit.

* *In Vita S. Fursei ad ann. 650.*

3. *Post annos aliquot Vltanus Monasterio Perronæ, ubi frater ejus Furseus sepultus jacebat, Abbas præfectus est. Amatus Senonum Antistes tunc temporis* jussu Theodorici ad Perronam, quæ est urbs Regia in pago Viromandorum, usque perductus, ibidem sub honorifico Abbate Ultano custodiæ perstitit manciparus. *Narrat deinde Vitæ S. Amati Scriptor, S. Fursei in Galliam accessum ac mortem:* Post cujus decessum, *inquit*, duo germani ejus, sanctus scilicet Foillanus Episcopus & antè monstratus Abbas Ultanus, fraterno ducti amore, immo Divina ordinatione subsequentes, Foillanus Fossensis Cœnobij privilegio poritus, Ultanus quoque curâ paternitatis de Perronensi Monasterio implicatus, & moribus viguerunt, & actibus valuerunt. Ad sui igitur juvamen, *subdit paullo post idem Auctor*, sacrum B. Ultani Abbatis experiebatur solamen Amatus, cujus Ultani providentiâ decentissimè in verbis gratiæ & subsidio alimoniæ proficiebat assiduè. Permansit itaque sacer Præsul Amatus in hoc loco non parvo temporis spatio, & exsulavit sub Abbate sæpedicto verè sancto & per omnia Dei servo: donec pro meritis meritam in astris percepturus coronam Ultanus Pater ab Angelis veheretur ad sideream palmam. *Vltani obitus contigit anno circà* DC. XXC. *cùm Theodoricus Rex annum regni septimum agebat. Colitur S. Vltanus in Martyrologio Bened. aliisque recentioribus Kalendis Maij, distinguendus ab Vltano Monacho Lindisfarnensi, qui vt. Idus Augusti in Martyrol. Bened. memoratur. Primus testante Molano quiescit prope Fossas opidum diœcesis Leodiensis in Ecclesia quam in honorem S. Agathæ ædificâsse creditur. Ejus tamen festum Fossenses Canonici pro.* Abbas Perronæ Amatum in custodiam accipit.

Moritur & colitur.

CIRC. AN. DC. XXC. MAII I.

pter feſtum Apoſtolorum in tertium Nonas Maias rejiciunt ; Perronenſes verò in ſextum Nonas eaſdem, uti & noſtri Monti-Quintinenſes, qui Vltanum Abbatem ſuum primum agnoſcunt : qua de re paucis agendum.

An Abbas Baſilicæ Perronenſis S. Furſei.

4. *Perrona ſeu Parona ac Parrona caſtrum ſive Palatium antiquis, opidum ad Suminam fluvium, diſtingui debet à* Perrona villa ſuper Savum fluvium, *de qua Baldericus Epiſc. Noviomagenſis in Chron. lib. 1. cap. 12. ubi nunc Caſtrum Cameracenſium, & Abbatia S. Andreæ Ord. S. Bened. quæ apud Miræum in Notit. cap. 84.* in ſuburbio Perrona *ſita dicitur. Perronam caſtrum ad Suminam poſſidebat Erchinoaldus Majordomus Chlodovei ſecundi, ibique Baſilicam condidit, olim* Monaſterium *appellatam, modò Eccleſiam collegiatam. An aliquando Baſilica illa Monachis paruerit, dubitant nonnulli : negat Iohannes Deſmaius in Vita S. Furſei à ſe gallicè edita, ubi Canonicos Eccleſiæ Perronenſi à primo conditu impoſitos fuiſſe contendit.*

Monaſterij nomen Clericorum Baſilicis aptatum.

5. *Id antequam diſcutiamus, obſervare convenit primò, Monaſterij nomen non tantùm Monachorum ædibus, ſed etiam Clericorum Templis ab antiquis fuiſſe attributum : quod in Auctoribus mediæ ætatis, in Capitularium libris, in Conciliis ſæculo IX. habitis, immò etiam in ſequioribus hiſtoricis,* Balduino *Epiſcopo & aliis paſſim occurrit. Et Eccleſiæ etiam Cathedrales non tantùm in Anglia ubi plures à Monachis habebantur, ſed etiam in Gallia donabantur hac appellatione. Sic Baldericus in Chron. lib. 2. cap. 1. Eccleſiam primariam civitatis Cameraci vocat* Monaſterium S. Mariæ ; & *cap. 13. Atrebatenſem Baſilicam majorem appellat* Monaſterium S. Mariæ ubi quondam Pontificalis Cathedræ principatus fuerat, *ubi* quadraginta Canonicos *eſſe ait.*

Scottorum xenodochia.

6. *Secundo loco obſervare juvat, multa per ſæculum ſeptimum erecta fuiſſe xenodochia in gratiam Scottorum ſeu Hibernorum Monachorum, qui pro innata peregrinandi devotione Galliam frequentabant. Sic B. Gertrudis Virgo & Abbatiſſa Nivialenſis locum* Foſſas *dictum Foillano & Vltano conceſſit, ubi Monaſterium (ſic enim xenodochia illa cognominabant) conſtrueretur. Sic S. Fiacrius in Monaſterio ſuo Broilo populares ſuos, uti & S. Faro Meldorum Epiſcopus Scottos ſeu Hibernos, excipiebat. De ejuſmodi xenodochiorum dilapidatione Concilium Meldenſe anno* DCCC. XLV. *celebratum ita conqueritur cap. 40.* Admonenda eſt Regia magnitudo de Hoſpitalibus quæ tempore prædeceſſorum ſuorum & ordinata & exculta fuerunt, & modò ad nihilum ſunt redacta... Sed & Hoſpitalia Scottorum quę ſancti homines gentis illius in hoc Regno conſtruxerunt, & rebus pro ſanctitate ſua adquiſitis ampliaverunt, ab eodem hoſpitalitatis officio penitùs ſunt alienata. Et non ſolùm ſupervenientes in eadem Hoſpitalia non recipiuntur, verumetiam ipſi qui ab infantia in eiſdem locis ſub religione Domino militaverunt, exindè ejiciuntur, & oſtiatim mendicare coguntur, &c.

Quæſtio de Perrona Monaſterio ſolvitur.

7. *His ita præmiſſis inquirimus, an* Parrona Monaſterium (*ſic enim Vſuardus in Martyrologio loquitur*) *ab origine Canonicis fuerit addictum, an Monachis? Poſterius ſanè admittendum videtur. Quippe Erchinoaldus ejus conditor non in Canonicorum, ſed in Furſei Abbatis & Monachi gratiam id operis molitus eſt. Sic enim Auctor gravis & æqualis in libro de S. Furſei miraculis num. 10. rem exponit. Erchinoaldus poſt Latiniaci Monaſterij conſtructionem,* pergens poſt virum ſanctum Furſeum dicit ei: Deo gratias agò, qui mihi tale dedit proprium, ubi tibi dignum inveniſti habitaculum : ædifica & ordina diligenter, ut ſit tibi & tuis aptum perennibus temporibus. Ego autem interim præparabo montem Cygnopum qui Perrona nuncupatur : ut ſi acceptior tibi fuerit, habeas & ipſum : quia Deo jubente ibi requieſcent corpuſcula noſtra. *At licet Furſeus morte præpeditus locum incolere non potuerit vivus, quem mortuus ſepulturâ & miraculis illuſtravit ; Erchinoaldus tamen propoſiti haud immemor, Baſilicam à ſe conſtructam Vltano Monacho S. Furſei fratri regendam commiſit. Sententiam noſtram calculo ſuo diſertè approbat Hadrianus Valeſius in Rer. Franc. lib. 22.* Vltanus, *inquit*, præerat Cœnobio Perronenſi ab Erchinoaldo Patricio exſtructo, in quo frater ipſius B. Fur-

ſeus ſepultus erat: quod quia Scotum Abbatem & multos ejuſdem nationis Monachos habebat, Scotorum Monaſterium vulgò appellabatur. *Hæc vir clariſſimus, cui Carolus* le Cointe *ad ann. 659. num. 5. ſubſcribit.* CIRC. AN. DC. XXC. MAII 4.

8. *Sanè ſi probare potuerimus Scottorum Monaſterium fuiſſe, non Monaſterium S. Quintini in monte prope Perronam, de quo poſtea agemus; ſed Baſilicam S. Furſei Perronenſem; Monachos Scottos eo loci fuiſſe quondam, nemo non fateri tenebitur. Id verò ex Annalibus Francorum, quos Mettenſes vocant, ſæculo IX. conditis manifeſtum eſt. Auctor enim Mettenſis Monachus ad ann. 690. poſtquam Pippini Ducis victoriam adverſus Theodoricum Regem ac Bertharium Majorem domûs apud Texitricium reportatam deſcripſit;* Plurimi, *inquit de Theodoricianis*, ex prœlio fugâ lapſi Eccleſiis & Monaſteriis ſeſe defendendos crediderunt: quorum maxima turba ad B. Quintini Martyris limina, nonnulli AD PERRONAM SCOTORUM MONASTERIUM IN QUO B. FURSEUS CORPORE REQUIESCIT, confugium fecerunt. Pro quibus interventu Abbatum locorum illorum mitiſſimus Princeps Pippinus, acceptis ab his tantummodo ſacramentis, cunctis vitam & hereditatem donavit. *Ergo* Perrona Monaſterium Scottorum Monachorum *illud ipſum erat*, in quo B. Furſeus corpore requieſcit: *cui etiam Monaſterio S. Vltanus præfuit.*

9. *Hoc eſt Monaſterium de quo Auctor Sermonis de Tumulatione SS. Quintini &c. Anno* DCCC. LXXXI. ...Pagani, *id eſt Normanni*, Curtraium invadentes & Franciam ſine Rege & Principibus reperientes, uſque Peronam Scotorum venerunt, eámque igni ſuccenderunt. *Quo ex tempore Monachorum illic conventus deſiſſe videtur, ac poſtea loco reſtituto Canonicorum collegium ſucceſſiſſe. Certè ante ſæculum XI. Clerici locum illum poſſidebant. Nam Arnulfus Abbas Latiniacenſis, qui ſub finem iſtius ſæculi Acta S. Furſei tertius Auctor ſcripſit, habita ſui temporis ratione, Canonicis in Baſilica S. Furſei primarium locum tribuit.* Erchenaldus, *inquit*, & præfata uxor ſua RELIGIOSOS CANONICOS ad ſerviendum Deo & Sanctis ſuis, & præcipuè eis quorum præſentia ibidem habebatur, juxta beatorum Patrum decreta inſtituunt ac poſſeſſionibus ſuis ampliſſimis ditaverunt. *Et qui S. Marculfi corporis delationem Perronam anno* M. C. I. *factam in litteras retulit Monachus Remigianus, ita de Perrona & Clericis Perronenſis Baſilicæ refert.* Perronam appropinquavêre, opidum ſitu quidem loci munitiſſimum, incolarum numeroſitate populoſum, præeminenti ædificiorum magnitudine celeberrimum, opulentiâ ſupellectilis & antiquæ dignitatis gloriâ ceteris Viromadenſis provinciæ caſtris præcellens, habens in ſe non modicæ quantitatis & operoſæ compoſitionis Templum, meritis & corpore B. Furſei ampliſſimè decoratum, & ad ſuæ magnificentiæ cumulum honeſtiſſimi Cleri ibi ſervientis quaſi cujuſdam egregij Senatûs nobilitate venuſtum, &c. Canonici inibi quando inſtituti.

10. *Idem Auctor qui rei geſtæ teſtis interfuit, meminit* Domni Henrici Abbatis montis S. Quintini, quod Cœnobium, *inquit*, à Perrona duobus circiter diſtare videtur milliariis, (*immo ne uno quidem*;) *additque*, Monachos Montis S. Quintini relatione Paſtoris ſui incitatos, eodem comitante, nudis pedibus cum obſecratione letaniæ ad S. Marculfi feretrum Perronam veniſſe & xenia ſua obtuliſſe. *Deſmaius qui Canonicos in S. Furſei Baſilica Perronenſi à primordiis exſtitiſſe aſſerere conatur, exiſtimat S. Vltanum non Baſilicæ Furſeanæ, ſed Montis S. Quintini Monaſterio ac Monachis præfuiſſe. Suffragatur charta quædam Adalberti Comitis Veromandenſis ſcribentis in hunc modum:* Ego ADALBERTUS Comes notum eſſe volo tam præſentibus quàm futuris in meo Viromandenſi Comitatu ab antiquo tempore exſtitiſſe Eccleſiam in honore S. Quintini Martyris dedicatam in monte ſitam juxta vicum Peronam, quam quondam Dagoberti Regis auctoritate, Erchenaldi Præfecti donatione, S. Eligij Pontificis benedictione, ULTANUS quidam genere Scotus, profeſſione Monachus, Eccleſiaſticis ſanctionibus ac Monaſticis inſtituit inſtitutionibus, Abbatis honore functus. Poſt cujus exceſſum, incuriâ ac Barbarorum inſectatione ad tantam deſolationem ipſa pervenit Eccleſia, ut vix rara antiquæ habitationis apparerent veſtigia. Hanc igitur pro Montis S. Quintini Monaſterium.

CIRC. AN. DC. XXC. MAII I. meæ remedio animæ, prædecessorum sive heredum meorum salute, Divina compunctus inspiratione jussi à fundamento reædificare; & Abbate constituto cum consilio fidelium meorum Abbatiam studui dotare, sicque in perpetuum ratum & inconvulsum permanere. *Cetera ex Notis ad opera Guiberti Abbatis Novigentini repetenda; ex quibus discimus* anno æræ Christianæ CM. XLIII. *Evraldum Abbatem primum instaurato loco impositum fuisse. Adalberti Comitis litteræ quæ Cœnobij Montis S. Quintini ædificationem ac dotationem ab eo factas spectant, suspicionis omnino expertes esse debent: quatenus verò Cœnobium ab Erchenoaldo antiquitùs exstructum præferunt, diligenti inquisitione indigent. Canonici nimirum Peronenses, ut Monachis Ecclesiæ suæ repetendæ occasionem præcluderent, forsitan sparserunt in vulgus, Vltanum non Furseanæ Basilicæ præfuisse, sed Monasterio cuidam in monte proximo quondam exstructo: quod Adalberti Comitis ævo jam vulgo persuasum erat. Nihil enim de Cœnobio Montis S. Quintini apud ullum Auctorem decimo sæculo anteriorem reperire licet: ex quo justæ dubitationi locus relinquitur. Equidem in illis Adalberti Comitis litteris, non Dagoberti sed Chlodovei ejus filij auctoritati res tribuenda esset. Ceterùm etiamsi Vltanus Monti S. Quintini præfuerit, Basilicam Furseanam nihilo seciùs & Monachos Scotos in ea positos rexit. Qui Monachi abjectis patriis institutis receptam illo ævo in Gallia S. Benedicti Regulam admittebant.*

CIRC. AN. DC. XXCI. OCTOB. IX.

VITA S. GISLENI CONFESSORIS, CONDITORIS CELLÆ IN HANNONIA,

Auctore anonymo qui ineunte Sæculo x. vixisse videtur.

A R. P. Simone Guillemotto eruta ex MS. cod. Gisleniano.

OBSERVATIONES PRÆVIÆ.

Vitæ Scriptores. * *S. Guislain, Ghislain.*

I. GISLENUS * *seu* GHISLENUS *(barbarum, non græcum nomen) non unum sortitus est Vitæ suæ scriptorem. Primus fuit anonymus quidam antiquus, quo usus est secundus Auctor item anonymus à nobis hîc editus, cujus hæc verba num. 16.* Multa sunt & innumerabilia quæ de hoc viro sanctissimo Gisleno populorum rumor refert, vel quæ in chartulis antiquissimis difficilè intueri valent, &c. *Hucbaldus Monachus Elnonensis, qui desinente sæculo nono ac decimo ineunte vixit; Vitam S. Gisleni laudat in Actis S. Aldegundis apud Bollandum.* Posthæc, *inquit*, ut in Vita B. Gisleni plenius invenitur, dum B. Amandus Dominica nocte plenus dierum tamquam frumentum maturum in horreum cælestè condendum paleâ carnis depositâ migraret; in ipsa hora B. Aldegundis vigiliis & hymnis in Ecclesia Cœnobij Melbodiensis coram altari gloriosæ Genitricis D. N. J. C. MARIÆ incumbebat suppliciter, &c. *Qualem Vitam S. Gisleni intelligat Hucbaldus, primariam an secundariam, incertum. Et Baldericus Sæculi XI. Scriptor in Chron. Camerac. lib. 2. cap. 40. Gislenum vocat* Gislanum, qui quantus, *ait*, vel qualis vixerit, liber qui de vita ipsius componitur largiter edisserit. *Secundus Auctor vixit paullò post Carolum Magnum & Ludovicum Augustum, sicuti ex fine Vitæ ab eo scriptæ intelligitur. Tertius Auctor* RAINERUS *Cellensis Monachus novam lucubrationem unà cum libro Miraculorum aggressus est jussu* RATHBODI Abbatis, *quem anno* M. XLII. *decessisse Vinchantius in Annal. Hannon. cap. 17. affirmat. Rainerum suppresso nomine edidit contraxitque Surius, Epistolâ dedicatoriâ, libro Mirac. & Præfatione omissis. Ut verò secundum Auctorem anonymum Rainero superiorem ætate existimemus, suadet Raineri ipsius lectio, qui res nonnullas ab anonymo secundo prætermissas suæ scriptioni immiscuit, uti suis locis observabimus. Quartus Auctor est* PHILIPPUS ab Eleëmosyna *Bonæ-spei Abbas Ord. Præmonst. qui labente sæculo XII. floruit. Prologum sic instituit:* Sancti qui de hujus carnis ergastulo &c. *& Vitæ initium:* Auctor rerum omnium Deus, &c. *Quintus Scriptor est* Poëta *ignotus ac rudis, cujus nomen incipit ab his elementis* W. *Sic enim habet exemplar Gislenianum in Epistola dedicatoria:* Præceptori O*. particulariter Prælato W. Monachus particularis & infimus quod valet in munusculis melius, &c. *Sextum itidem Poëtam qui S. Gisleni gesta versibus æque perstrin-*

* *f.* Oduino *Abbati Cellensi anno* 1142, *mortuo.*

xit, missum facimus. Secundum, tertium, quintum, ac sextum Auctores ex Bibliotheca Cellensi seu Gisleniana accepimus beneficio R. P. D. Simonis Guillemotti Supprioris, numquam satis à nobis laudati, quem in hisce Actis eruderandis adjutorem studiosissimum habuimus. Ex illis Auctoribus unum selegimus Anonymum secundum hactenus ineditum, cum quibusdam Miraculis à Rainero descriptis, relaturi in Notas si quid in aliis singulare occurrerit. CIRC. AN. DC. XXCI. OCTOB. IX.

2. *Iuva tamen* Raineri Epistolam dedicatoriam ad Rathboduin Abbatem *Cellensem ex MS. cod. Gisleniano huc adducere. En Raineri verba:* Domino Abbati RATHBODO merito venerando & amplectendo minimus sibi subditorum Frater RAINERUS quod suis Fidelibus repromittit omnium bonorum largitor Deus. Terruit me, Pater amantissime, vestra non contemnenda jussio, &, ut vera fatear, quæ enervata est ad imperium vestrum meæ pusillanimitatis compago, ferre non valens negotium, quod sub auctoritate obedientiæ infirmo animo vestra imposuit magnitudo. Præcepistis, amantissime Patrum, meæ parvitati precatu D. Abbatis SIMONIS *(an fuit Simon Abbas Cellensis ante Rathbodum anno* M.XV. *mortuus? cui successerunt* Wenricus, Guido, Poppo *&* Heribrandus *Rathbodi decessor)* Vitam B. Gisleni luculento stilo exarare, atque miracula ipsius non minùs polito sermone futuris sæculis dirigere. *Et infrà.* Plura desunt huic opusculo quæ inesse debuissent, sed quæ nec legendo, nec videndo nec audiendo comperi, ne deprehenderer falsarius scriptor, inferere aliud non præsumpsi, nisi quod in chartulis atq; membranis sparsim vix reperi: præsertim cùm omnipotentis virtus quæ semper mira operatur, in Sanctis suis minimè egeat adstrui mendaciis. Pauca tamen utcumque * pegi, quæ auditu fidelium Fratrum quorum Sacerdotalis infula & Regularis cuculla dotem ad credendum mihi fecit fidei. Quale est illud quod pinxi de pisce, qui saltum dedit in siccum in adventu B. Amandi, sicut ab Abbate SIMONE didici, & cetera quædam quæ sejunctim diligens Lector facilè cognoscere poterit. Qualecumque sit, Domine, quod vestro jussu est exaratum, vestræ examinationis & emendationis exspectat judicium. *Reliquam Raineri lucubrationem omittimus, & ex libro Mirac. ab eo descripto selegimus dumtaxat potiora: nam scribendi modus Auctoris réspue ipsæ ab eo relatæ Lectori minùs sapiunt.* Raineri Epistola dedicatoria. NOTA. * pepigi,

3. *Gisleni memoria in antiquis Bedæ, Vvandalberti, Vsuardi, Adonis, Hrabani & Notkeri Martyrologiis desideratur. Molanus in Addit. ad Vsuardum Gislenum laudat* VII. Idus Octobris *ex Martyrologio proprio Cellensis Monasterij hæc inferens:* In pago *Hainau*, in loco qui tunc à circumjacentibus pagensibus nominabatur Ursidongus, nunc Cella vocatur, natale S. GISLENI Episcopi & Confess. miræ sanctitatis viri, qui Athenienſium Episcopus fuit, &c. *An S. Gislenus* Episcopus *fuerit, non satis constat. Nam neque Hucbaldus in Vita S. Aldegundis, neque Fulbertus Episcopus in Vita S. Amandi, nec Auctor à nobis editus Raineriúsve in propriis Gisleni Actis, nec Baldericus in Chron. aut Philippus Abbas in Vita ejusdem Sancti, ullam dignitatis ejus Episcopalis mentionem faciunt: sed eum Sacerdotem factum, ex quodam Græciæ Monasterio* petita Abbatis benedictione *in urbem Romam, deinde in Galliam profectum esse scribunt. Primus Gisleno Episcopi nomen tribuisse videtur Poëta anonymus, qui ejus Vitam metricè edidit. Ita enim canit cap.* 3. Gisleni memoria. Episcopalis dignitas.

Argolici summo defuncti nempe Patrono,
Hinc spirante Deo plebs alma probabile voto
Consultum peragit, Gisleni dogmata poscit
Præsul ut Ecclesiæ statuat sublimia quæque.
Abnegat & refugit: demum sub pondere sistit,
Suscipit effectum, &c.

4. *Cella Monasterium in Hannonia ad Hainam, à S. Gisleno conditum, à conditoris nomine modò cognominatum, varias sortes pertulit. Elefans Abbas principatu Caroli M. Ecclesiam & Monasterium instauravit, Normanni paullo pòst subsidéque uti pleraque alia everterunt: locum postea Clerici occupaverunt ad annum usque* CM. XXXI. *quo tempore Fulberti Episcopi Cameracensis auctoritate, jussu Gisleberti Ducis & Reginarij Hannoniæ Comitis, per S. Gerardum Abbatem Bronienſem Monasterium restitutum est Monachis Benedictinis, qui illud etiamnunc religiosissimè administrant sub felicibus Congregationis reformatæ S. Placidi auspiciis. Coluntur in eo Monasterio SS.* LAMBERTUS *&* BELLERIUS *B. Gisleni discipuli,* S. GERARDUS *&* S. POPPO, *Abbates: inter pios* ELEFANS *seu* ELEPHAS *&* ODWINUS *Abbates, ille sæculo* IX. *hic labente* XII. Monasterium.

PROLOGUS AUCTORIS.

Circ. An. Dc. xxci. Octob. ix.

1. OPPORTUNUM nobis, Fratres cariſſimi, ac valde commodum reor, de Sãctorum exemplis Patrum aliqua licet impolito ſermone veſtris auribus tradere. Sed memor imperitiæ meæ vereor aggredi opus, quod Sancto agente Spiritu ſanctus explevit Hieronymus. Licet ſim indignus tanto operi, credibiliter tamen ſciendum eſt Dominum dixiſſe homini recta cogitanti & agenti: *Aperi os tuum, & ego adimplebo illud.* Sanctum ergo Spiritum qui in cordibus manſit Electorum ſuppliciter exoro, atque illius ſpiramen tota mentis intentione invoco: ut ſicut bruti animalis ſenſum inſpiravit ad loquendum, ita mei concavitatem palati ſuavitate dulciſoni ſermonis repleat, quò valeam corda audientium intenta reddere, & ad laudandum Dominum multimoda voce ut perſtrepent mecum indeſinenter admonere. Sed quid ego tantillus miſellus? quid pæne elinguis de Dei dignè poſſum explicare amicis, qui præceptis obedientes Dominicis, Chriſti veſtigia indefeſſi ſunt ſecuti animi votis? Dignum namque & juſtum eſt, ut de quo fari geſtio, cœpta vobis pandat oratio.

Pſal. 82.

INCIPIT VITA.

Giſlenus Græcus litteris dat operam.

2. VENERANDUS igitur Dei Sacerdos GISLENUS in gente Attica inclytis juxta ſæculi gloriam parentibus, Chriſtiana nobilitate nitentibus exſtitit oriundus: quorum popularem pompam bonæ indolis puer floccipendens, Chriſti autem egeſtate gaudens, nobili mente quærebat qualiter ſuperno Regi placeret. Traditus ergo liberalium artium pædagogis ac imbutus pleniter his, ſtuduit Philoſophiæ pòſt apud Athenas nobiliſſimam Græcorum urbem, quæ cunctis nationum linguis tribuit totius flores eloquentiæ. Hoc itaque ſæculari ſtudio affatim edoctus, nihilque in hoc veræ Divinitatis perpendens, unde tenebras ignorantiæ expellere poſſet; ſemet educandum tradidit ſacræ ſcripturæ magiſtris.

Monachũ induit.

3. His ergo auſpiciis à puero in robur virile ſublimatus, dignum duxit haud fore ſatis Deo gratùm, ſi ſe ſpontanea cordis voluntate in Omnipotentis obſequio conſtringeret; æquius eſſe ſubdi majorum inſtitutis. Enimverò Cœnobium intrans Monachorum, regulariter S. BASILII [a] normam ſervavit fortiter. Ubi ut apes prudens in mentis intimæ concha diverſarum virtutum addidit mella, majoribus cum minoribus humilitatis & obedientiæ ingentis tribuens exempla. Plenus quippe virtutum chariſmate quibat cum Pſalmiſta dicere: *Quàm dulcia faucibus meis eloquia tua, Domine ſuper mel & favum ori meo.*

[a]

Pſal. 118.

Sacerdos Romam, deinde Galliam petit.

4. Juſtitiæ ergo nectare redimitus venerabilis GISLENUS, ad Ordines Eccleſiaſticos eſt promotus. Sacerdos itaque jam factus, amor Dei Sanctorúmque cordi ejus acceſſit inedicibilis, mente revolvens qualiter priorum Juſtorum inſtrueretur exemplis. Talia ſiquidem deliberans corde ſimplici, recordatus eſt ſanctiſſimum Chriſti Martyrem Dionyſium olim Athenis egreſſum Romam adiiſſe negotio viſendorum principum Apoſtolorum Petri & Pauli, qui jam martyriſati cælos adſcenderant. Iſtius Dei teſtis animatus exemplo & Abbatis Monaſterij & omnium Fratrum hortatu benigno, egreſſus è loco petiit Romam præcum gratiâ: ubi etiam in Dei precibus ac Sanctorum locis diutiſſimè immoratus, voce Divina admonetur, quò intra Gallias veniens pagum quæreret *Haynau*, & in eo Oratorium ædificaret in honorem Petri & Pauli, ac Deo ibidem ſerviens vitæ ſuæ metam præſtolaretur. Tali itaque viſione geſtiens aggreditur iter Galliarum petens provinciarum, haud impar illi ſummo Patriarchæ, cui dictum eſt

[a] Giſlenus in Gallia (ut quidem exiſtimare par eſt) ſectatus eſt S. Amandi inſtituta, de quibus in iſtius Sæculi Præfatione.

veteri Scriptura teſtante : *Exi de terra tua & de cognatione tua, & veni in terram quam monſtravero tibi.* Galliam verò Franciæ penetrans cum duobus diſcipulis LAMBERTO [a] & BELLIRIO luſtratis paſſim urbibus & regionibus pervenit tandem aliquando eximius Pater Giſlenus pagum *Haynau*: cujus quoque vicis Cœnobiíſque ex aſſe conſpectis, audivit famâ diffusâ de B. Præſule AMANDO multa & ſtupenda dicere. Proficiſcens namque ad eum, ſimul colloquio ſe ſalutantes, denique de his quæ Dei ſunt loquentes, venerabilis Præſes venerandum ſinit abire Giſlenum. Sic enim pervenit Dei Antiſtes [b] Giſlenus ad locum qui Caſtrilocus dicitur : ubi ſiquidem locum eſſe æſtimans qui ſibi divinitùs fuerat dictus, cœpit totis viribus ſpinas ac tribulos & noxia quæque radicitus exſtirpare, cupiens ſibi cellulam conſtruere, qua Deo ancillari poſſet.

CIRC. ANN. DC. XXCI. OCTOB. IX. *Gen.* 12.

[a] S Amandi adit.

[b] Caſtrilocū ſecedit.

5. Ea quidem tempeſtate totius Regni Francorum Monarchiam adminiſtrabat Rex inclytus DAGOBERTus, ſed tunc venationis causâ erat in pago *Brachant.* Quamobrem quadam die hujus negotio peragrans ſolitudinem Hainæ fluvio contiguam, nanciſcentes ingentem moverunt canes urſam, quæ rapido curſu petiit locum quo præfatus Antiſtes Giſlenus ærumnoſo labori inſiſtebat, ſéque abdidit ſub Sancti veſtes quæ de arbore pendebant : quam veſtigiò ſequentes canes, nequaquam audebant vel proximare ad eam. Venientes autem & venatores laſſabundi, perpendentes quòd non auderent canes propiùs accedere, ferè inſurrexerunt in Dei ſervum, ejúſque diſcipulos verbis ac fuſtibus eos arguentes vocabant magos & maleficos, quorum incantatione ſtupefacti canes minimè auderent rapere belluam. Interea adveniens Rex præfatus juſſit quieſcere ſuos, atque converſus ad Dei virum Giſlenum ait : Dic nobis quis es, & hi qui tecum ſunt, aut cur noſtris canibus carminando nocuiſtis ? Beatus verò Giſlenus taliter ei reſpondit intrepidus : Nos prorſus tuos non læſimus canes, fera quam quæris illo quieſcit in loco, ſi placet Rex accipe eam, quia nullo modo indigemus eâ, indigemus autem Dei miſericordiâ. Animadvertens Rex in viro cæleſtem virtutem, receſſit cum canibus ferâ quieſcente ſub veſtium dependentium umbra.

Dagoberto inter venandum fit notus per urſam.

6. Sancto itaque Giſleno cum ſuis cœpto operi inſiſtente ſurrexit urſa, apprehenſáque ſancti viri ſportâ in qua ejus myſterium erat, quo utebatur in ſacris Miſſarum ſolemniis, pedetentim egrediebatur. Quod adſpiciens vir beatus, vehementer ingemuit dicens : O Deus immenſæ pietatis adeſto miſello, quod mihi ſervâſti per regna maligna repende. Talia dicens beatus Giſlenus arripit iter cum ſuis poſt feram ſportam ore ferentem : & ecce ei obviàm advolat aquila grandis præbens ſeſe ducem Sancto eunti poſt belluam, ſenſim autem volitantem ac ſubinde reexſpectantem, perpendit propter ſui cauſam cælitùs advenisse : quam proculdubio ſequens uſque ad agros patentes, cùm aquila ſe ſublimi reddidiſſet aëri, repertos ſciſcitatur pecorum cuſtodes an vidiſſent feram aliquid ferentem, & per condenſa ſaltûs abeuntem. Cui Paſtores ; Ecce, inquiunt, ante te properat portans quaſi quoddam veſtimentum ore. Hoc etiam vir almus audito cucurrit poſt feram, reperítque eam in dumeto quod tunc vocabatur *Vrſidongus*, ideo ſic dictus, quòd ibi ſolita erat eadem urſa catulos fovere: modo verò nuncupatur CELLA nomine. Catuli verò tenentes delatam à matre ſportam, ore brachiíſque ludebant ex eâ. Recepto ergo immaculato ſanctus Giſlenus indumento præcepit feræ cum fetibus ex Dei verbo remotas redire in ſilvas continuò, nullíque hominum pecudúmve nocere ulteriùs in illo pago. Parens quippe fera Sancti verbo receſſit, nec ulli deinceps in eiſdem locis nocuit. O nimium nequiores belluis, qui non ſolùm Sanctorum, verumetiam Omnipotentis ſpernunt, prô dolor ! verba. Ecce vir pius ac mitis jubet, crudelis & immi-

Aquila indice ſportam ab urſa raptam recuperat.

Vrſæ aliò abire præcipit.

[a] Lambertus S. Giſleni *filiolus* appellatur infra in libro Mirac. num. 5. Lambertus & Bellirius colunt in Monaſterio Giſleniano, & in parochiana opidi Eccleſia, feria 2. poſt Dominicam 4. Paſchæ : qua in Eccleſia ab annis circiter centū eorundem Sanctorum Reliquiæ ex conceſſione Monachorum habentur.

[b] Hinc occaſionem ſumpſiſſe videntur Neoterici, ut Giſleno Epiſcopi dignitatem attribuerent : tametſi Abbates non raro Antiſtites vocantur.

CIRC. AN. DCC. XXCI. OCTOB. IX.

tis fera paret: homo propter quem facta ſunt omnia, attendens talia, ſubde te Creatori, & omnis creatura obediet tibi. Poſtpoſitis illis, ex ordine cuncta loquamur.

Celleníe Monaſterium ædificans, à S. Autberto arceſſitus probatur.

7. Gaviſus enimvero excolendus Giſlenus de ſacro veſtitu ac loco ſibi à Deo deſtinato, acceptis ſecuribus ligonibúſque, cœpit cum prædictis ſuis paribus locum exſtirpare, dumos & vepres funditùs evellere. Emundato autem ſolo de omnibus arboribus noxiis, ædificare primùm decrevit Baſilicam in honore SS. Apoſtolorum Petri & Pauli, uti divinitus fuerat imperatum ei. Erat namque iſte laudabilis exſul, totius peritiæ floribus comptus, pervigil in orationibus, hoſpitalitate præcipuus, frugalitate eximius, dapſilis pauperibus, & omnium virtutum gratiâ ex aſſe decoratus. Unde ſicut Apoſtolus ait, *Chriſti bonus odor ſumus*, opinio ſanctitatis ejus per vulgus diffuſa, pervenit uſque ad ſedem almi Præſulis AUTBERTI. Cui opinioni noluit mox ſanctus Epiſcopus aſſentire, quia noverat ſcriptum eſſe: *Nolite omni ſpiritui credere, ſed probate ſpiritus ſi ex Deo ſunt*, & illud, *Omnia probate, quod bonum eſt tenete*, & reliqua. Itaque præcone miſſo Præſul Cameracenſium S. Autbertus mandavit, ut ad ſuæ auctoritatis ſuggeſtum ne differret quantociùs ire[a]. Præcepto ſiquidem Pontificali grataner obtemperans, aggreſſus eſt proficiſci in urbem. Cúmque Phœbo terræ umbras petente ad villam veniret cui Racemus *nomen eſt; diu multúmque quæſitum hominem invenit, qui ei tribuit hoſpitium. Nocte quidem illic Sanctus quievit, mane verò diſceſſurum hoſpes rogavit dicens: Pater prout perpendo grata ſunt Deo opera quæ agis: ideo tuæ humiliter ſupplico bonitati, qualiter poſt collationem cum Epiſcopo ad me digneris reverti. Quod & agere ſanctus Giſlenus non deſpexit. Perveniens etenim ad urbem Cameracum, ſancto præſentatus eſt Epiſcopo Autberto, quem ſic affatur Epiſcopus inquiens: Dic nobis Frater, cujatis es, cujuſve dignitatis? Sanctus reſpondit Giſlenus: Græcus quidem ſum gente, Chriſtianus verò dignitate. Athenis nempe ortus & altus, Chriſti Baptiſmate renatus: ita Romam adiens per Dei præceptum hanc perveni in patriam. In pago *Hainau* ſuper flumen Hainæ in loco qui dicitur Urſidongus operor manibus, ædificare geſtiens Deo Oratorium in Apoſtolorum Petri & Pauli honore. Deſiderabam equidem tuam expetere ſanctitatem, petiturus licentiam agendi quæ ſunt cœpta: ſed prævenit gratia tua quæ me accerſivit. Intuitus autem almus Epiſcopus viri juſti ſermones, nihílque in eis reprehenſionis deprehendens, dilexit eum ac benedictum dimiſit abire, rogans quod cœperat Dei opus perageret, atque peractum cùm audiret ſe ſpopondit benedicturum.

a

* *Riſſim*

Fœminam in partu periclitantem ſanat.

8. Regreſſus ergo ritè colendus Giſlenus, venit ad ſuum fidelem hoſpitem in villam Racemum, ac ejus uxor valde ægrotans laborabat ob partum: quamobrem religioſus hoſpes virum ſanctum in alia fecit decenter manere domo. Uxoris præterea infirmitate gravius creſcente, feſtinat vir ociùs ad Sanctum perfuſo lacrymis vultu dicens: Serve Dei, meæ mulieri ſuccurre jam morituræ, neque dedigneris Dei pietatem orare pro extremum ſpiritum trahente. Cujus fletibus Dei famulus miſertus, prophetica voce ait ei: Depone homo omnem mæſtitiam, quoniam reverſus domũ tuam invenies ſoſpitem puero nato uxorem tuam. At vir licet mæſtus ſtatim rediens domum, ſumpſit de conjuge ſana duplex gaudium, ſicut viva voce audierat fari Chriſti alumnum. Natum ſiquidem puerum S. Giſlenus de ſacro fonte ſuſcepit, atque vir ille pro tantis beneficiis per beatum vatem ſibi à Deo collatis, quidquid ſui juris in villa Racemo fuit, almo compatri ſuo tradidit ad opus SS. Apoſtolorum Petri & Pauli, quibus Oratorium agebat. Reverſus præterea Dei teſtis Cellam, perfecit quam inchoaverat Baſilicam[b].

b

Dagoberti excipit.

9. Prædictus igitur Rex Dagobertus, poſt multum tempus, iter ducebat juxta

a Idem ſcribit Baldericus in Chron. lib. 1. cap. 18. ubi S. Autbertus Giſlenum *cum magna veneratione ſuſcepiſſe* dicitur, & *Eccleſiam quam idem Sanctus conſtruxerat aſſumpto ſecum B. Amando in honore Apoſtolorum conſecrâſſe*: quod etiam Fulbertus in Actis S. Autberti Epiſcopi confirmat.

b Poſthæc apud Surium inſeritur adventus S. Amandi ad Giſlenum, & miraculum de piſce divinitùs conceſſo ad Amandi refectionem.

Sancti

Sancti Cellã : ſed quia propter paludes difficilis erat via euntibus ad illam, ſumptâ lymphâ ſanctificatâ, thuribulo, cum thymiamate ſanctóque Evangelio præparat Sanctus obviàm Regi, ſciens ſcriptum : *Subjecti eſtote omni humanæ creaturæ propter Deum, ſive Regi tamquam præcellenti.* Adſpiciens verò Rex vatem ſanctum recognovit interrogans eum : Quid vis Dei dilecte ? Ait illi Sanctus : Exſul & peregrinus ſum, Domine mi Rex, & has in partes de terrâ longinqua veni, hoc eſt de Athenis nobiliſſima Græcorum urbe, Dei utique juſſione : veſtram nunc obnixè depoſco caritatem, quò noſtro dignemini locello largiri de Regia veſtra poſſeſſione unde aliquid victûs habeant famulantes Deo in eo, queántque pro Regis incolumitate æterno Chriſto Imperatori ſupplicare jugiter. Poſtulationi itaque S. Giſleni Rex aurem libenter accõmodans, tradidit SS. Apoſtolis Petro & Paulo locellum præfatum, qui modo Cella vocitatur, & quidquid in circuitu ejus eſt ſilvarum, aquarum, aliarúmque rerum eidem loco habilium, inſuper & villam Hornutum cum ſuis omnibus appendiciis. Datis autem his mente hilari legaliter, abiit Rex viam ſuam gaudenter. Tali quoque Regio ſolamine vir laudabilis Giſlenus alacrior redditus, gratias agens ei qui cuncta benigno moderamine peragit.

Circ. An. DC. XXCI. Octob. IX.

1. *Petr.* 2. 13.

Prædiis ab eo donatur.

10. Peracto ſiquidem Oratorio almus Antiſtes Giſlenus ſuggeſſit dominis Epiſcopis Autberto atque Amando, uti venientes Pontificali auctoritate benedicerent illud. Quod & venerabiles Epiſcopi egerunt venerabiliter cum ingenti populorum ambitione.

Oratorium dedicari curat.

11. Tunc etiam temporis erat quidam nobilis vir nomine Madelgarius, qui Vincentius pòſt dictus eſt in Palatio ſupradicti Regis, cujus uxor erat conſanguinea Regi, nomine Waldetrudis. Quíque Madelgarius Deo inſpirante, ſanctorúmque præfatorum Præſulum admonitionibus compunctus, S. Autberti manibus tonſurâ capitis acceptâ, in Alto-monte ſub S. Benedicti norma ſeſe humiliter recluſit, quámque feliciter finetenus ſervavit. Uxor verò ejus beata Waldetrudis in ſæculari habitu degens, proles prædiáque ſibi à Seniore* collata nobiliter regebat. Enimverò ne tanti viri conjux ſæculi actibus illuderetur, Divina voce Sacerdos domini Giſlenus edocetur, quò eam inviſere dulci affatu animaret in bono, ut mundi pompis abrenuntiatis, exemplum ſui ſequeretur jam cælibis Domini. Abiens quippe Sanctus, hortatus eſt eam affatim caritoſa cæleſtíque doctrina. Auditis ergo Chriſti famula Waldetrudis eximij Patris Giſleni documentis, dixit nequaquam ſe velle degere in ſæculi gloria, ſed neſcire ubi aut qualiter in Dei famulatum ſemet adſtringeret. Poſt hujuſmodi ſacras admonitiones, vidit Dei ancilla Waldetrudis in viſu quaſi intraret Eccleſiam quæ eſt in villa Buxuto*, & S. Gaugericus[a] Epiſcopus hilariter eam adſpiciens dabat ei calicem optimo plenum vino, dicens : Age quod agis, placent enim Deo & mihi quæ agis. Quaviſione acſi fervens in utre muſtum, ita Chriſti pediſſequa ſancti Spiritûs gratiâ compuncta, cœpit in Dei fervere obſequia, dicens cæleſti Sponſo cum Pſalmographo: *Calix tuus inebrians quàm præclarus eſt.* Quam etiam viſionem cùm quibuſdam ſuarum famularum ſimpliciter intimâſſet, ut talibus perſonis mos fore aſſolet, inter ſe viſum jocolariter conferentes pervenit ad ignobiles vulgi aures. Quod contra Dominicus ſermo talia cohibet fieri, loquens in Evangelio : *Nolite ponere margaritas ante porcos.* Porcorum etenim more vulgus ſtolidum & ignobile, juſtorum dicta ac opera ceu grunniendo deridens incuſat. Unde quoque hoſte communi ſeminante nonnulli cœperunt de Chriſti famula calumniantes fari ſecus quàm res ſe haberet. Conſternata igitur ſuper his ancilla Dei, ut pote adhuc in fide rudis, Angelica admonitione edocta in ſomnis depoſuit extemplò mærorem inutilem.

* *id eſt domino ſeu marito.*

* *Boſſu a*

Pſal. 22.

Matth. 7. 6.

12. Poſthæc iterùm veniens ad eam ſanctus Giſlenus, intimavit eadem Sancta ei viſionem quam viderat, & quòd illam narrâſſet mente ſimplici ſuis famulabus, quódque ei derogâſſent plures, necnon & Angelica viſitatione per viſum eſſet

Eamdem in propoſito confirmat, eíque locum indicat.

a Id etiam, uti & ſequentia, in Vita S. Vvaldetrudis ad ann. 688. commemoratur.

Circ. An. Dc. XXCI. Octob. IX.

recreata. Auditis autem his ſanctus Giſlenus dixit ei humiliter : Tam myſticam Dei viſionem viris ſpiritualibus patefacere debuiſſes qui te inſtruere dignè ſcirent, non ſæcularibus mulierculis ſæculo deditis. Nunc itaque quod ſæpiùs ſuggeſſi tibi ne differas agere ; ſed tota mente in Dei famulatum temet converte. Oſtendam ergo tibi quid agas. Inprimis enim cùm has attigi partes, quærens ubi degere ac Deo quiviſſem famulari, nactus ſum quidem montem ſilvoſum, ſic aptum ſi foret exſtirpatus Deo obſequi cupientibus : illum etenim ſi vales eme, & ibi ædifica tibi habitacula tuíſque ſequacibus. Ducens verò illuc eam, oſtendit. Collibuit quidem ſanctæ Waldetrudi locus, ſancti autem conſilio Giſleni miſit ad virum venerabilem Hildulfum, cujus uxor Aia erat Sanctæ conſanguinea, obſecrans eum ut in monte ſibi oſtenſo conſtrueretur domus, quo Creatori ſuo die noctúque ſerviret. Veniens autem Hildulfus venerabilis valde hilaris effectus ſuper iſtiuſmodi mandato, emit à poſſeſſoribus locum, atque conſtruxit in montis vertice nimium eminentem domum. Cúmque Dei Ancilla iſſet videre ædem ſibi paratam, abhorruit ejus eminentiam, nolens Chriſti paupercula ſuperbam habitare ædem. Cujus humilitatem ſupernus Artifex attendens, nocte ſecuta miſit ventum validum cum grandine, evertítque funditus illam domum. Præſcriptus quoque vir Hildulfus audito quod acciderat, remeavit ad locum, ac ſicut per S. Giſlenum didicerat Sancta, oſtendit ei quem Sanctus cœperat exſtirpare locum : ibíque noxiis radicitus amputatis arboribus, reſtructa eſt ei domus in montis latere, ac Oratorium in SS. Apoſtolorum Petri & Pauli honore[a].

a

Velari eam curat.

13. Sanctus igitur Dei Sacerdos Giſlenus ex toto S. Waldetrudis prudentiſſimus conſiliator, hortatus eſt eam proficiſci ad almum Pontificem Autbertum, ut ejus auctoritate ſuſciperet innocentis vitæ indumenta; quod & gratanter fecit. Acceptis itaque ſacris velaminibus mox ſemetipſam ſuáque omnia Divinis tradidit actibus, oſtendens paſſim ſuæ ſanctitatis exempla pluribus. Animadvertens ſiquidem glorioſus pater Giſlenus eam in ſancto propoſito per omnia eſſe roboratam, gaviſus eſt valde ; quia quod in eo diu optaverat, oculis intueretur propriis.

Aldegundis etiam & aliorum converſionem molitur.

14. Decetero monuit Sanctus Sanctam ſuper ſorore ſua Aldegunde virgunculam, ut & ipſa ſicut ſe lucraret Deo, filias quoque ſuas non negligeret, quin eas conſecraret Deo, Aldetrudem ſcilicet ac Madelbertam. Enimvero inſpirante Divinitate ac ſancta Waldetrude ſuggerente & Patre almifluo Giſleno clarente, ſeſe alma Aldegundis contulit Dei famulatui in Cœnobio Melbodienſi, quod ei fortè ex patris matríſque hereditate contra neptem ſuam ſanctam Gertrudem dimiſſum erat. Ubi quoque ædificato Oratorio aliíſque habitaculis virgo Aldegundis ſuam adiit ſororem inviſere in monte Caſtriloco. Quæ etiam egeſtati ſororis condolens, conata eſt eam hortari, uti relicto illo loco iret ad ſuum, qui major ac melior eſſet ſervorum ancillarúmque frequentiâ. Cui ſancta Waldetrudis : Malo, ait, hoc in loco, licet inops diebus vitæ meæ Deo obſequi, quàm ire quò cogis : Deus enim ubique non patietur me perire fame. Divites quidem, ut Pſalmiſta inquit, eguerunt & eſurierunt : inquirentes autem Dominum, non minuentur omni bono. Loco nempe hoc fruar quoad vivam, quem per ſuum famulum Giſlenum Divina pietas mihi deſtinavit. Redi ergo cum tuis conſanguineis, ô dulcis Soror, alens eas regulariter. Abiit enim ac receſſit Deo comite.

Aldegundi obitum prædicit.

15. Ea tempeſtate ſanctus Pontifex Amandus ſui curſu laboris conſummato ſpiritum divitiis cæleſtibus oneratum reddidit Regi æterno. Quem ſancta virgo Aldegundis in viſu ab eodem Rege Regum Domino vidit cæleſti diademate coronari. Quam quidem viſionem puellarum ſuarum ſecum degentium nulli voluit referre, ſed miſſo nuntio ad Dei virum Giſlenum, petiit cùm ſorore ad ſe viſitandi gratiâ venire. Venientibus autem iis, occurrit obviàm ſancta virgo,

a Nempe apud Caſtrilocum : quo de Oratorio & Monaſterio circumpoſito in Actis S. Waldetrudis agendũ.

in loco qui dicitur Meinrivus, & mutuò ſe ſalutantes loquebantur de cæleſtibus exſultantes. Tunc alma Aldegundis intimavit viſum eis. Cui venerabilis ait Giſlenus: Quia meruiſti, ô virguncula, Deum videre ſui amici animam coronantem, pro certo ſcias non propter illum qui coronabatur, ſed propter temetipſam quæ adhuc in certamine es tibi fore oſtenſum. Imminere autem tibi ſcito vitæ inſtantis finem: ideo rogo temetipſam in Dei opere ſtabiliter firma, depoſcens ejus pietatem ut in te aliquam incommoditatem mittat, per quam purgatior reddita queas cum ſancto Amando remunerari perpetim. Quæ utique virgo ſancta, Evangelij perficiens verba dicentis; *Qui odit animam ſuam in hoc mundo, in vita æterna cuſtodit illam*; petiit à Deo incommoda & impetrare meruit. Nam in dextera ejus mammilla morbus cancri ortus eſt. Quam incommoditatem vehementer dilexit, quia ſciebat hanc ſibi profuturam ſi patienter ſufferret, quodque fecit finetenus. Prædulcia itaque conferentes inter ſe verba Sorores prædictæ cum S. Giſleno Confeſſore, communi conſilio decrevêre, ut Cella prædicti hominis Dei omni tempore conjuncta eſſet Monaſterio almæ Aldegundis: quod hactenus ita permanet. Statuerunt etiam ut Abbates ſeu Abbatiſſæ Melbodienſis Cœnobij in univerſis neceſſariis præſtò forent Abbati Fratribúſque habitantibus Cellæ S. Giſleni, pontémque conſtruerent, per quem fidelis populus orátum pergeret ad locum prædictum: quia, ut dignoſcitur, propter paludes invium eſt iter per quod ad illam Cellam pergitur. Hæc verò quæ dicuntur præcepto CAROLI Regis Magni firmata ſunt tempore ELEFANTIS Abbatis ipſius loci.

CIRC. AN. DC. XXCI. OCTOB. IX.

Ioh. 12. 25.

Cellenſe Monaſterium Melbodienſi ſociat.

16. Interea S. Giſlenus cum alma Waldetrude redeuntes, venerunt in villam Framereias, quam eadem ſancta emerat, & dedit ex ipſa ſancto viro partem unam dicens: Accipe ſerve Dei partem de hac mea poſſeſſione, unde habeas qualiter vivere queas cum tuis ſociis. Ita reverſi ſunt ad propria. Prorſus nemo poteſt eloqui quantæ fuerint S. Giſlenus ac Dei famula Waldetrudis caritatis, quámque ſervarunt uſque in ultima ſuæ ſenectutis. Præ ſenecta enimvero nemo eorum jam quibat inviſere alterum, unde communi decreverunt conſilio in villa Quaternione* ędificari Oratorium in S. Martyris Quintini honore; illúcque ſoliti erant colloquii cauſa convenire. Quod etiam Oratorium Giſleno tradidit ad opus SS. Apoſtolorum Petri & Pauli, ad refocillandos inopes quos præfatus Antiſtes ſuper aurum & topazion ob Chriſti amorem diligebat, cupiens audire illam mellifluam Domini vocem in die extremi examinis: *Quamdiu feciſti uni ex meis minimis, mihi feciſti.* At ultra nempe ſunt & innumerabilia quæ de hoc viro ſanctiſſimo Giſleno populorum rumor refert, vel quæ in chartulis antiquiſſimis difficilè intueri valent: in quibus tamen reperitur quantum aſſiduus fuerit orationi, vigiliis ſacris intentus, parſimoniâ conſpicuus, paupertatis veritate contentus, egenis dilectus, & cunctis Dei virtutibus refertus.

Aldegundē munificam ac familiarem habet.

* *Quare gnon*

17. Igitur cùm Rex ſæculorum pro ſui laboris agone palmam perennis gloriæ ei decreviſſet rependere, plenus dierum gratiarúmque, ſæculo quod ob metum Dei viriliter vicit relicto, ſpiritum Divinis fatigatum obſequiis ſuo reddidit Creatori[a] viventi atque regnanti per ſæculorum ſæcula. Cujus beatas exſequias ejus diſcipuli venerabiliter proſequentes, corpus ſanctiſſimum cum ingenti honore humaverunt in beatiſſimorum Apoſtolorum Petri & Pauli Baſilica, ubi præſtantur Divina beneficia dignis ejus meritis intervenientibus ad laudem & gloriam Domini noſtri JESU-CHRISTI, cui cum Patre ſanctóque Spiritu permanet ærernitas, majeſtas & imperium per cunctorum temporum ſpatia. Amen.

Moritur ac ſepelitur.

18. In quo loco per multa annorum curricula prædicti S. Giſleni corpus quievit; quouſque Magnus Rex CAROLUS cuidam Abbati propinquo ſuo nomine

Ejus corpus Halitgarius loco movet ob novæ Eccleſiæ dedicationem.

a Quo die deceſſerit Giſlenus, Vitæ Scriptores non produnt. Natalem ejus diem VII. Idus Octobris celebrant Giſleniani alumni, Tranſlationem Dominicâ tertiâ poſt Octavas Paſchæ, reſtitutionem Reliquiarum VIII. Idus Novembris, tametſi in libro ſequenti Mirac. *Idibus Decembris* ipſa reſtitutio facta dicitur, num. 5. Obitus S. Giſleni paullo poſt mortem S. Amandi, at paullo ante S. Aldegundis deceſſum ſtatuendus eſt ex dictis, id eſt intra annos DC. LXXIX. & DC. XXCIV.

CIRC. AN. DC. XXCI. OCTOB. IX.

ELEFANTI[a], præfatum locum conceſſit ſervandum, ſublimiúſque & pulcriùs conſtruendum Oratorium, quo iſdem ſanctus quieſcebat. Honorificentiùs autem illo ædificato, popoſcit idem nobilis Abbas Epiſcopum Cameracenſium HALYDGARIUM venire & conſecrare illud more catholico. Veniens ergo Epiſcopus dixit non debere illud benedici manente intus alicujus Sancti corpore aut aliquibus Sanctorum Reliquiis. Initóque ſimul conſilio elevantes Beati artus detulerunt foras Monaſterii Oratorium, abdentes eos poſt abſidem altariſque feneſtram, cupiens Abbas Elefans pòſt referre illos intrò. Benedicta eſt itaque Baſilica in honore Apoſtolorum Petri & Pauli atque ceterorum Sanctorum, octauo Kalendas Auguſti tempore LUDOVICI Regis prolis inclyti Caroli. Sciſcitato deinde Epiſcopo Abbas quid de ſacro-ſancto corpore fieri deberet, reſpondiſſe fertur Epiſcopus: Quieſcat illic Sanctus, donec Dei pietas dignetur patefacere ejus merita manifeſtiùs cunctis hominibus. Quievit ſiquidem ibi Sancti gleba annis multis propter Paganorum frequentiam & Seniorum ſegnitiem, quouſque locus rediit in eremi vaſtitatem.

[a] Elefans Abbas in ſubjecto Excerpto num. 1. dicitur *multarum Abbatiarum Rector*. Hinc conjectant nonnulli eum ab Eginhardo Caroli M. genero haud alium fuiſſe. Elefans Prioratum quemdam *d'Alemans* appellatum in diœceſi Sueſſionenſi dotâſſe dicitur. Rainerus in libro Mirac. S. Giſleni *villulam Alamannis* vocat, *quam ex parte Abbatis Elefantis dicunt ceſſiſſe B. Giſleno*: qua de villa cùm orta eſſet contentio inter *Giſlebertum quemdam SS. Martyrum Criſpini & Criſpiniani famulum* & clientes Giſlenianos; cauſa tandem Giſlenianis miraculo ceſſit.

EX LIBRO MIRACULORUM S. GISLENI

Scripto à RAINERO Monacho Cellenſi.

1. QUAMVIS priſcis temporibus à loci primoribus tam ædificiis quàm inſtitutis Regularibus, necnon etiam luce ſapientiæ & ſcientiæ non minimùm locus Cellenſis fuiſſet decoratus; paullatim tamen per incuriam cultus & veneratio ipſius deceſſit, uſquedum deprecatione ac juſſione CAROLI Regis Abbas ELEFANS tunc temporis multarum Abbatiarum Rector opinatiſſimus & Regularis normæ ſervantiſſimus in meliorem ſtatum eum omnimodis reparavit. Nec ſic quidem Satanæ invidia ceſſit, verùm ampliùs malignitatis fomite exarſit: nec deſtitit quouſque hoſtili piratarum incurſu acſi quòdam incendio intra Gallias graſſaretur, unde præſcriptus locus cum multis aliis in vaſtiſſimam ſolitudinem redigeretur.

Cellæ reſtitutio & clades.

2. Sed jam nunc qualiter Divina pietas ſupramemoratæ Cellæ miſerta ſit, qualitérve cineres Sancti in lucem protulerit, pro captu ingenioli pandamus. Vir Dei apparuit in ſomnis cuidam ſuæ familiæ WINCRADO nomine, monens illum blanda voce, ut corpuſculi ſui urnam ex ſepulcri imis in oculos efferat Solis abſque ulla cunctatione. Qui bis admonitus & ipſe nihilominus de die in diem juſſa monentis procraſtinat, neſciens utpote ruſticus, tenorem viæ qua id explere valeat. Qua de cauſa vir ſanctus quaſi indignatus apparet ei tertiò, comminans & fremebundus: Ibi me, inquit, proculdubio invenies quieſcentem corpore, ubi contra feneſtræ abſidem viſus tibi ſum heſterna nocte. Si autem quæris ſcire volens diem adſumendi laboris, non labatur memoria dies pridie Kalendas Octobris, quæ dicata ex nomine Michaëlis Archangeli cunctis Chriſticolis per mundum fulget celebris. Wincradus verò ſomnó excuſſus, triduanum conſultè & devota mente explens jejunium, Clericis advocatis ad opus ſibi injunctum properat ad locum ubi jacebat corpus ſacroſanctum: ſícque intimato ex condicto viri Dei Kalendarum die fodiens, invenit congaudentibus qui aderant cæleſtem theſaurum. Corpus ſindone munda diligentiſſimè involutum

S. Giſleni corporis Elevatio.

& ſub agalmatis [a] clave firmiſſimè obſeratum in eadem urna deponitur, deputatis pro tempore excubiis Clericorum : quoniam non audebant qui aderant ſacros cineres quoquam transferre timore correpti Synodalium legum [b], donec causâ delatâ ad Cameracenſis Epiſcopi auditum, ſcirent quale ſuper hujuſcemodi negotio ab eo acciperent decretum. CIRC. AM. DC. XXCI. OCTOB. IX.

a Agalma Simulacrum ac Templorum ornatum ſignificat, hoc loco ſerinium.

b In Synodo Maguntiaca anno DCCC. XIII. ſtatutum eſt cap. 50. *Ut deinceps corpora Sanctorum de loco ad locum nullus præſumat transferre ſine conſilio Principis & Epiſcoporum & ſanctæ Synodi licentia.*

3. Quod aure accipiens STEPHANUS [c] Cameracenſis Epiſcopus, præparat ſe ad transferendum ſanctiſſimi viri corpus : ſed quidam legatus ſalutem & gratiam affert ei à Regalibus ſedibus, offerens ſimul diploma cum edictis Imperialibus, quibus non parum occupatus intermittit profectionem ; ſed præcepit OILBOLDO Archidiacono, ut ſumptis Cameracenſis Eccleſiæ primoribus Sanctum transferat. Qui ut miniſter fidelis accelerans parêre præceptis venerandi Pontificis, adit locum cum Primatibus civitatis. Demum congregatâ Cleri populíque vulgaris turbâ non modicâ, ſacri corporis urnam efferunt cum honore ſummáque reverentiâ, inferentéſque in ſanctorum Apoſtolorum Petri & Pauli Baſilicam, ubi dudum per plura tumulatus fuerat annorum curricula ponunt, non in inferioribus, ne videretur lucerna à Domino accenſa modio ſuppoſita ; ſed potiùs in ſuperioribus officioſiſſimè tractantes ſacra recondunt pignora. Deinde ordinatis rationabiliter omnibus pro temporis copia quæ circa ſacrum corpus videbantur neceſſariò ordinanda, Archidiaconus cum ſuis civibus revertitur ad propria.

c Stephanus Cameracenſis Epiſcopus teſtante Balderico in lib. 1. Chron. Camerac. cap. 68. *clauſit diem anno Dominicæ Inc.* CM. XXXII. *tertio Idus Februarij.*

c Cameracenſi Epiſcopo jubente.

De Reliquiis Sancti à Malbodienſibus furtim ſublatis, ſed revelatione Divina patefactis.

4. HIs autem & aliis longè latéque de S. Giſleno diffuſis, viſionis & operum Divinorum ſignis cœpit undique populi multitudo concurrere cum oblationibus, ac frequentare libenter locum divinitùs patefactum. Invidiæ præterea facibus quique maligni accenſi conati ſunt furto Sancti corpus rapere & (ut fertur) tranſmarinis partibus transferre. Diſponente ergo Divina clementia quæ ſuum fidelem Eremitam de tam remotis longíſque regnis ad iſtud venire decrevit, hominum nequam conatus prudenter repreſſit. Nam Malbodienſis Congregatio æſtimans rapere S. Giſlenum per Caſtriloci habitatores, inito communi conſilio miſerunt nonnullos, qui clam venerandum corpus auferrent. Euntes autem egerunt cum ingenti cautela, quod animo Domino inſpirante conceperant, reverſíque cum gaudio venerunt uſque Malbodium : quibus obviam venientes Clerici cum Sanctimonialibus ac plebe fideli, ſuſceptum ſalutare onus detulerunt in Eccleſiam Dei Genitricis cum ambitione multa.

5. Die itaque ſequenti Sacerdos præfati loci (Cellenſis) non invento ſacro corpore nimio turbatus eſt metu, & cuncti circùm manentes audito quod acciderat, nimiùm turbabantur, ignorantes quo quærerent ſuum nuper propalatum protectorem. Poſthæc nocte ſecuta vidit quidam EGRARDUS in viſu quaſi in Oratorio eſſet ejuſdem Cellæ ante Dei Genitricis MARIÆ ſtans altare ; cùm ecce vir quidam apparens dixit ei Sanctus : Quis ſum ego ? Cúmque ille reſpondiſſet, Neſcio ; Ego ſum, inquit LANTBERTUS mei Domni Giſleni filiolus : triſtitiam deponite quam habetis de eo qui citò revertetur ad vos meus patrinus. Surgens ergo vade, dic HERBERTO Comiti qui jugiter exſtitit domino meo optimus vicinus, quod eat Malbodium dicens Fratribus & Sororibus loci, ut reddant S. Giſlenum, quem latenter abſtulerunt hinc, quémque ſecum retinent. Etenim neque Deus neque ipſe cupit illic manere, ſed in loco quem ei dignatus eſt Omnipotens providere. Negligens verò Egrardus viſionem, nihil horum re-

CIRC. AN. DNC. XXCI. OCTOB IX.

tulit Comiti, ſed Fratres conſolans ac Patres reddidit hilares & jocundos. Apparuit denuò S. Giſlenus in villa Havagio cuidam Francigenæ nomine ADELELMO dixítque ei: Non tetrices adire Malbodium dicturus Prælatæ THEODRADÆ & aliis Sororibus & Sacerdotibus, ut reddentes ſine cunctatione corpus meum, reſtituatur loco ſuo. Mane verò ſurgens jamdictus Adelelmus fecit omnia quæ juſſerat Sanctus: illi verò negligenter ejus dicta ſpreverunt. Miſſo autem præcone ad Epiſcopum Cameracenſium Domnum Stephanum, venit accedens uſque ad caſtellum Malbodienſe: ſtánſque foris intromiſit qui dicerent majoribus natu: Reddite quæſo, Fratres ac Sorores, almi vatis Giſleni corpus, ut ſuo à Chriſto dato reſtituatur loco; ſin ſecùs excommunicabo, ne quis in hoc loco Miſſas nec alia Dei obſequia celebret. Quod audientes Malbodienſes, licet coacti, paruerunt tamen Epiſcopo. Tunc quoque juſſit Epiſcopus Decanum venire cum omnibus Decaniæ ſuæ Fratribus, atque Sancti glebam referre cum reverentia & honore condigno. Quibus juſſis obtemperantibus, præcepit etiam Epiſcopus, ut ſinguli Sacerdotes per ſingulas hebdomadas cuſtodirent locum cum ſancto corpore, donec cum Duce GISLEBERTO quæreret, qui locum eumdem ſervarent diu noctúque. Facta eſt ſiquidem Idibus Decembris relatio ſacrorum cinerum, & reconditur eadem die cum maximo Cleri plebíſque tripudio in ſæpe memorata Baſilica Apoſtolorum, ubi deputatis excubiis ſacrorum ordinum gloria perſolvitur diu noctúque illi qui eſt laus Angelorum, veneratio quoque Sancto per omne hujus vitæ curriculum.

Canonicis Monachi ſubroganțur in Cellam per S. Gerardum.

6. Cùm reſpirare cœpiſſent priùs vaſtati populi, qualicumquè modo ipſum locum Cellam vocatum requietionis S. Giſleni temerè ingreſſi ſunt Canonici, qui enormi more vivere gaudentes, conjugiis adhærentes, ſæcularibus negotiis ſe implicantes, famulatum almi Confeſſoris quem cum religioſitate gerere debuiſſent, erant dehoneſtantes: quia majorem ſollicitudinem capiebant de ſua familia nutrienda, quàm de Dominica Eccleſia decoranda. Ipſum etiam corpus S. Confeſſoris Giſleni per quæque loca deportabant, & quidquid pro oblatione ad feretrum ejus circummanentium Fidelium largitas conferebat, non Eccleſiæ inſtrumentis dabant, ſed ad proprios uſus furtim retinebant. Quæ res ſæpè miris modis dignitatem prædicti Confeſſoris offendebat, nec taliter famulantium conſuetudinem approbabat. Quadam verò nocte ſuprafato Duci GISLEBERTO in ſomnis viſus apparuit, quem talis petitionis voce admonuit: Da mihi ſcutum unum, cujus protectione muniatur habitaculum meum, quia omnibus diripientibus pateo ad ruinam, nec ſentio damnatus advocationem aliquam. Duci autem interroganti, quem ſcutum habere optaret, dedit almus Giſlenus reſponſum, quòd GERARDUM Abbatem vellet, qui multas Abbatias regens in ipſis diebus, probabilis vitæ habebatur non tantùm coram Deo, ſed etiam coram hominibus. Tunc Dux curam gerens hujus rei, conventum Principum ſtatuit ad placitum tenendum apud portum *Dinant* vigore præcepti ſui. Cùm igitur horâ ſtatuti temporis ad juſſionem Ducis convenirent Satrapæ, adfuit etiam inter eos Gerardus Abbas bonæ memoriæ, ad quem cœpit Dux hujuſmodi ſermonem facere: Vos ex Imperiali edicto quamplures Abbatias regitis, quæ donante Deo & veſtra ſollerti diſpoſitione poſſeſſionibus abundant multis & ſervientibus Deo placitis: ſed neceſſitas poſcit quod confractum ſolidare, & quod decidit in melius roborare. Eſt quædam Abbatia in honore Primatum Apoſtolici Ordinis, videlicet Petri & Pauli, necnon S. Confeſſoris Giſleni fundata, vocabulo Cella appellata, quæ ſub regimine domini noſtri Imperatoris eſt cum multis aliis computata, ſed pro culpis noſtris hactenus nimis neglecta: quam caritativi anteceſſores de rebus ad ſe pertinentibus conſtruxerunt, ſed mutato per ſeditionem ſæculi Monachorum ordine qui ibi quondam famulabantur, nunc Clericorum turpem vitam illic ducentium manus ad nihilum trahunt. Quam precor ut ad vos recipiatis, & ſecundum inſtitutionem veſtri Ordinis tranſmutetis, ejectis inde voracibus Clericis. Quod præceptum primò Abbati viſum fuit difficile, pro

multis aliis Abbatiis quas habebat gubernare: ſed potiùs ea conſilio ceterorum Principum ſibi comparium rogatus non ſprevit Ducis petitionem implere: ſicque locum illum recepit [a] ad ſeſe: quem dum vixit, non neglexit quantum potuit amplificare. CIRC. AN DC. XXCI. OCTOB. IX. a

7. Tempore ARNULFI & RAINERI Comitum ſequens patratum eſt miraculum. Tunc temporis dira neceſſitas adamantinis clavis fixerat vicinia Hainacenſium, videlicet ſterilitate terrarum, raritate pluviarum, ſeditione hominum, multiſque cauſis quibus laborare ſolet genus humanum. Ipſi etiam Montenſes & Hornutenſes tantos irarum ſtrepitus exercebant in invicem, ut cùm quadam die, ſicut ſæpè ſolebant, pugnando concurſum facerent, ex parte Montenſium caderent decem. Unde Montenſes tantas inſidias ingerebant Hornutenſibus, ut ſi copia poſſibilitatis illis daretur, irrecuperabilibus eos annihilarent cædibus. Pro hujuſmodi clade pacificanda, necnon & alia multimoda neceſſitudine in melius reſtituenda, decretum eſt ab Abbate SIMONE [b], qui ipſis diebus præerat Cellenſi Eccleſiæ, ut ſimul comportarentur corpora S. Giſleni ac S. Waldetrudis in Grandem-locum: ante quorum præſentiam omnes malefactores ſponderent ſe abinde à maleficis operibus ſuis quibus antè inſiſtebant ceſſare, & ſic placeret Domino flagellum quod ſupereminebat antiquare. Ille nimirum conventus ſub tali tenore inductus fuit à Præceptoribus, ut omnes qui conventuri erant, ſine armis properarent, nudis & ad orationem extenſis manibus. Sed Montenſes dolore cordis tacti intrinſecùs pro occiſis parentibus quos prædiximus ab Hornutenſibus, clam antè cucurrerunt, atque in frutecta & arbuſta arma ſua furtim contexerunt: de quibus venientes Hornutenſes ignorantes & improviſos occidere voluerunt. Indigenæ etiam Hainacenſes in ipſis diebus quadam falſa fruſtrabantur opinione muſſitantes alterutrum, quòd venditum haberetur corpus S. Giſleni Comiti BALDUINO ab Abbate Simone: quod poſtea rei exitus pro mendaci probavit exiſtimatione. Quid plura? ad locum ſuprafatum cum corporibus ſanctis pervenitur, caſtigatio populi ab Abbate Simone incipitur, & ad ultimum excuſatio de venditione ſancti corporis ab ipſo Abbate ita inchoatur: O Domine, cujus viſus dominatur in mente, ſi verè ſcitur à te, integrum corpus noſtri Patroni hîc adeſſe, clarifica hoc ante conſpectum dubitantium indicio virtutis tuæ. Quam orationem ſecutus eſt tantus fragor tonitrui & nebulæ atque commoti deſuper aëris, inſuper & pallium excuſſum eſt quod tegebat ſecretum digni Confeſſoris: ut proculdubio cognoſcerent hi qui priùs hæſitabant certò corpus ibi adeſſe, quod putabant abeſſe venditionibus illicitis. Quâ visâ cauſâ qui inſidiantia arma attulerant, compuncti necnon & cuncti alij proſtrati communi voto conclamant, ſub pacis ſponſione obſervandum auxilium S. Giſleni: multiſque muneribus eum ditantes, cum gaudio retulerunt eum ad propriam Cellam repedantes. S. Giſleni corpus unâ cũ S Valdetrudis Reliquiis pacis ergò defertur. b

Hîc interponitur reſtitutio cæci cujuſdam nomine Dominici, qui lotis oculis ex aqua puteì S. Giſleni *quam* HUNOLDUS *Ædituus ſibi præbuerat, lumen oculorum recepit.*

8. Neceſſitate compulſi Domnus Abbas HERIBRANDUS cum ſuis Fratribus anno ab Inc. Domini noſtri J. C. milleſimo trigeſimo quinto, non valentes ferre vaſtationem ſui loci, cum corpore B. Giſleni viſi ſunt adiiſſe elementiam Imperatoris CONRADI, lacrymabiliter ſe reclamantes de vaſtatione ſui loci & de indigentia ſui Cœnobij: à quo benigniſſimè conſolati, & munificentiis Regiis ditati, inſuper & regali imperio optata pace donati, ad notum ſibi Cœnobium cum ſacris pignoribus non ſine lætitia ſunt reverſi. Cùm igitur veniſſent ad villam quæ vocatur Riuſatium, ſanctámque glebam S. Giſleni ad hoc detuliſſent ad Monaſterium, ut ibi adimplerent Divinum obſequium; matricularius Eccleſiæ videns illos alongè, obſeravit oſtium, & ſic reſedit ante Monaſterium, negans ſe eſſe illius Templi clavigerum. Petentibus ergo Fratribus qui vehebant ſacrum corpus, ut aperirentur illis januæ Eccleſiæ, ut poſſent explere Divinum opus, nullo Ad Imperatorem defertur pro aſſerendis Monaſterij rebus an. 1035.

a Id anno M. XXXI contigiſſe, Vinchantius in Annal. Hann. cap. 27. docet.
b Simon Abbas Cellenſis anno M. XV. mortuus eſt, uti diximus ſuprà in Obſervat. prævijs.

CIRC. AN. DC. XXCI OCTOB. IX. modo voluit adquiescere illorum petitionibus prædictus matricularius. Qui diù morantes, & ut illis aperirentur unanimiter orantes, non potuerunt impetrare quod poscebant unanimes. Sed cùm jam in id illorum esset consilium, ut inde redeuntes in insula quam propter cingebant brevia Mosæ brachia, suum tenderent tentorium; ecce Divina virtute aperiuntur ostia Ecclesiæ clamantibus omnibus, Gloria tibi Domine.

Ecclesiæ fores ultro aperiuntur Sancto.

Gisleni memoria Torneiensibus celebris, cur? a

9. Præfatus igitur Abbas Heribrandus iter suum peragens, cùm perveniisset ad Sanctimoniales quæ in Torno militant Deo sub institutis Regularibus [a], Vitam S. Gisleni transcriptam Dominabus illis indulsit multùm super hoc gaudentibus: cujus rei gratiâ præclarum Confessorem Christi Gislenum in magna veneratione habentes, omnipotenti Deo in festivitate ipsius devotè offerunt debitæ servitutis laudes.

a Nunc Monasterium Thorense diœcesis Leodicensis ad Mosam versum est in collegium Canonicarum, quarum Abbatissa sola profitetur vota Monastica secundum Regulam S. Benedicti.

CIRC. AN. DC. XXCII. MART. XXV

VITA S. HVMBERTI CONFESSORIS

ex Monasterio Maricolensi in Hannonia.

Ex variis libris MSS. & editis.

OBSERVATIONES PRÆVIÆ.

Vita ejus triplex.

1 PLURES *legimus* S. HUMBERTI *Vitas, unam à Surio, aliam ab Henschenio editas ad 25. Martij, tertiam nancti sumus ex codicibus MSS. breviorem quidem, sed non pauciora complectentem quàm alias, superfluis amplificationibus* [illegible] *quæ suis locis ex aliis Actis inseremus.*

An conditor Cœnobij Maricolensis.

2. *S. Humbertus vixit quiescitque in hunc usque diem in Monasterio Maricolensi, cujus an auctor primarius fuerit, non satis liquet. Baldericus in Chron. lib. 1. cap. 27. exhibet Chartam donationis cujusdam* factæ Monasterio Maricolensi sub præsentia & favore B. Vindiciani Episcopi: *quæ donatio tribuitur* CHONEBERTO *Abbati tum in titulo capituli, tum in ipso textu, quamquam Colvenerius in Notis* Humbertum *loco* Chonoberti *restituendum censet: ad quem modum Miræus in Cod. Donat. cap. 5. & Henschenius ediderunt ex ipso (ut aiunt) autographo in hæc verba:* Anno duodecimo regni Domni nostri HILDRICI glorioſi Regis, Ego in Dei nomine HUMBERTUS etsi indignus peccator, cogitans de Dei timore vel æterni boni retributione seu abluendis meis peccatis ... dono quod in perpetuum donatum esse volo ad sacrosanctum Monasterium quod vocatur Maricolas, quod vir illustris RADOBERTUS quondam suo opere construxit, consecratum in honore S. MARIÆ matris Domini nostri JESU-CHRISTI & SS. Petri & Pauli Apostolorum vel reliquorum Dominorum qui in ipsa Basilica venerantur, situm in pago Fanomartensi* super fluvium qui vocatur Helpra, partem maximam de possessione nostra super fluvium qui vocatur Isaram, quam de avia mea Deo sacrata Andiliana quondam dato pretio per venditionis titulum comparavi, hoc est mansos dominicos, ubi ipsa Andiliana mansit vel postea nos ædificavimus, & terrationes & servos & ancillas, &c. Actum Maricolis, ipse tamen Humbertus etsi peccator propria manu confirmo. *Non ergo Humbertus primarius censendus est Maricolensis Cœnobij auctor, sed Radobertus: tametsi contradicunt S. Humberti Acta, in quibus nihilominus Humbertus floruisse dicitur* Childerici Regis *Principatu, quo superior donatio facta est.*

* *Famars*

Abbásne sæcularis.

3. *Neq; putes, (quod putavit Colvenerius) Humbertum, ob factam rei propriæ donationem, fuisse Abbatem sæcularem non Regularem. Id enim in more quondam positum fuisse, ut Regulares Abbates facultates suas in pios usus retinuerint expenderintq; sexcentis exemplis constat, uti aliàs observabimus. Certè Humbertum in Laudunensi Monasterio recluſum vixisse, patet ex sequentibus Actis: quod Monasterium S. Vincentij fuisse opinamur. Quamquam in S. Iohannis Baptistæ Parthenone per B. Salabergam ædificato etiam viri seu Monachi proprias ædes habebant. Fuit proinde Humbertus Abbas (si unquam tamen fuit) Regularis non sacularis.*

Humberti memoria.

4. *Humberti memoria in antiquis Martyrologiis exstat nulla, at in vetustis* Ludovici Pij Augusti *apud Miræum lib. 2. Donat. cap.* 8. Caroli cognomenti Simplicis *apud eumdem in Notitia cap.* 50. *aliisque aliorúmque diplomatis,* Humbertus sanctus *prædicatur, ejusque corpus in Monasterio*

naſterio Maricolenſi quieſcere dicitur. Quod utrumque confirmat Baldericus in Chron. lib. 1. cap. 67. & lib. 2. cap. 52. Perſtat etiamnunc inſignis Abbatia Maricolenſis, vulgo Maroiles, *in Comitatu Hannoniæ, diœceſi Cameracenſi, vix altero milliari à Landreciaco opido diſtans, ad Helpram fluvium, qui dexteram Sabis ſeu Sambræ ripam infra Landreciacum ſubit.* CCIR. ANN. DC.XXCII. MART.XXV Monaſterij ſtatus.

1. EMPORE HILDERICI glorioſi Francorum Regis floruerunt multi ſancti viri ſanctitate inſignes, è quibus enituit Pontifex AMANDUS, & egregij Antiſtites URSMARIUS & NICASIUS ac B. HUMBERTUS miræ ſanctitatis vir. Hic ingenuis ortus progenitoribus [a], nobilior patuit fide & moribus. Genitor quidem ejus B. EURARDUS, genitrix verò POPITA, claram de ſtirpe Francorum originem duxêre. Parentes advertentes puerum ſuperna viſitatione illuſtratum, planè non ſine Divino conſilio Laudunenſis Sedis urbem adeunt: ubi ſumpto Eccleſiaſticæ habitu militiæ, ipſe velut Nazareus depoſito crine capitis regia & Sacerdotali corona inſignitur. Parentibus vale facto & ad propria remeantibus, venerandus puer in Monaſterio recluditur: ubi ſacris diſciplinis affatim inſtruitur, moribus egregiis adornatur, Eccleſiaſticis ſanctionibus decenter informatur: & ſic proficiens ætate & gratiâ, per gradus ſingulos ad Sacerdotij culmen uſque provehitur. Humbertus fit Lauduni Monachus & Sacerdos. a

2. Contemplatus itaque aptum ſacris ædificiis locum ſecus alveum Sambræ, quem priores ruricolæ Maricolas dixêre, impetrata à Cameracenſis Sedis Epicopo licentiâ Oratorium conſtruxit [b], in quo juxta rerum ſtipendiariam facultatem viros ſub habitu Monaſticæ converſationis conſtituit, qui per aliquot temporum ſpatia ibi deſerviſſe feruntur: ſed noſtris quibuſdam incertum, qua incumbente difficultate, an loci ſterilitate, an circummanentium inquietudine locus ille aliquo tempore abſque Monaſtici cultûs obſervantia vacabat [c]. Verùm illo relicto, haud procul exſtruxit aliud Cœnobium, quod ad noſtra uſque tempora ſuperfuit, in quo Clericos utriuſque conditionis & gradus triginta conſtituit. Maricolenſe Cœnobium condit. item aliud. b c

3. Inſtante die reſolutionis ſanctiſſimi viri Humberti, tandem inter Diſcipulorum flentium voces, & mixtas pſallentium laudes ſancta illius anima carne ſoluta ad æthereas evecta eſt ſedes. Cujus corpus ſanctiſſimum Diſcipuli ejus aromatibus condientes detulerunt in Oratorium quod ipſe conſtruxit cum hymnis & Pſalmis, ibíque ſepelierunt in magna gloria. Poſt exceſſum B. Humberti præfati illius loci propinqui, locum ipſum cum ſuis appendiciis rexerunt per aliqua temporum curricula. Iis autem è mundo ſublatis Abbatia ſine Rectore multis exſtitit annis. Moritur.

APPENDIX I. EX HVCBALDO ELNONENSI MONACHO in Vita S. Aldegundis.

4. STUDIOSISSIMA Divinæ legis, indeſinenter eſuriens verbo cæleſti ſatiari, virorúmque Sanctorum ac religioſorum vitam cupiens imitari, B. Humbertum apud Maricolas habitantem, virum in ſanctitate magnificum, illuſtratum ſcientiâ Scripturæ, ſignum Crucis ab Angelo impreſſum geſtantem Aldegundi fontem impetrat.

a Ex *villa Maceriis*, uti in alia Vita legitur: qui vicus diſtingui debet ab opido Maceriis ad Moſam, & abalio vico in pago Atrebatenſi, *ſitus in pago Laudunenſi ſuper fluvium Iſaram*, uti præfert donatio Humberti, de qua ſuprà.

b Si Inſtrumentum donationis à Miræo relatum valet, Rodobertus priùs ædificaverat Cœnobium Maricolenſe, quod poſtea Humbertus exornavit & auxit.

c Humbertus dum apud Maricolas morari cœpit, dicitur in aliis Actis excepiſſe SS. Amandum & Nicaſium, & unà cum iis Romam profectus eſſe, poſtea verò iterum repetiiſſe: quod utrumque Philippus Harvengius Bonæ-Spei Abbas primus tradidiſſe in Actis S. Amandi videtur. Humbertus ex ſecunda peregrinatione reverſus inviſiſſe dicitur S. Amandum Elnone commorantem, atque Dominicæ Crucis ſpeciem in capite prætuliſſe fertur: *quo facilè poſſet intelligere, illi ſe per crucem mortificationis holocauſtum mactáſſe, cujus ſignum exteriùs retinebat in corpore.* In eadem ſpecie apparuiſſe legitur S. Aldegundi de qua in appendice 1. Poſt binam illam profectionem Romanam Humbertus Cœnobium Maricolenſe conſtruxit, ſi aliis ejus Actis fides eſt.

CIRC. AN DC. XXCII. MART. XXV

in vertice, virgo prudens visitaverat, pabulo Divini verbi per aliquot dies affluentiâ oris ejus epulata, cum illo circa vicina Monasterij quadam vice deambulabat: sed æstuante fervore diei cum pæne siti deficeret, orante viro Dei cum ipsa Virgine, fons ilico dulcis è terra novus emanavit: Virgo reficitur, fons usque in præsens non deficit.

Vestes funereas ab ea accipit.

5. Beatus autem Humbertus depositionis suæ diem prænoscens, lineas vestes ad usus exsequiarum suarum ab ipsa Virgine postulavit: propter quas dum mitteret deferendas, missus alter à Virgine præsaga futuri, legato beati viri in medio itinere cum vestibus postulatis occurrit [a].

a

APPENDIX II. EX MARTIO BOLLANDIANO.

Obitûs dies.

6. EXSTAT depositionis ejus celeberrima dies octavâ ante Kalendas Aprilis die [b]: cujus corpus sanctissimum discipuli ejus aromatibus condientes, detulerunt in Oratorium quod ipse construxit cum hymnis & Psalmis, ibíque sepelierunt cum magna gloria: ubi suffragantibus meritis ejus beneficia præstantur Divina ad laudem & gloriam Domini nostri JESU-CHRISTI.

b

Rodinus Abbas Maricolensis,

7. Post excessum B. Humberti, præfati illius loci propinqui locum ipsum cum suis appendiciis rexerunt per aliquot temporum curricula: his autem è mundo sublatis, Abbatia sine Rectore multis exstitit annis. Quodam verò tempore venerabilis quidam Sacerdos, nomine RODINUS, ad idem Monasterium gratiâ orationis advenit. Captâ autem occasione Fratres circumsteterunt illum, ut eis præesse deberet unanimiter postulantes. Quod cùm humiliter refugeret, & indignum tanti culmine honoris se reclamaret; tandem illorum precibus infractus, CAROLUM Magnum adiit, referens illi quanta Fratrum petitione adstrictus ad regimen Ecclesiæ sollicitaretur, quódque nihil inanis gloriæ aut temporalis lucri gratiâ inductus, summæ rei præesse optabat; sed quia considerabat reatum obstinationis subterfugere se non posse, si utilitatem Fratrum negligeret, & ad restituendum hoc quod utiliter subire movebatur, pertinaciter repugnaret; hujus rei formidine actus, Regis benevolentiam attrectandam æstimaverat. Nam & loci poscere videbatur utilitas, ut ea quæ vetustate collapsa fuerant, renovarentur: dari ergo sibi rogavit prædictam Abbatiam regendam. Audita ergo Rex Fratrum petitione, & viri non ignobili conversatione, adquievit voluntati eorum. Regressus ergo venerabilis Sacerdos ad Monasterium, cum alacritate à Fratribus excipitur.

Humberti corpus è tumulo levat.

8. Superveniente verò tempore contigit, ut nocte quadam cùm se sopori dedisset, in somnis ab Angelo moveretur, quatenus beati Confessoris corpus transferret è tumulo, in quo multis jam annis quieverat. Convocatis igitur Fratribus expositit illis revelationem, indictóque jejunio hortatur ut sacrum tumulum submoverent. Tertio jejuniorum die Abbas, accitis præsentibus vicinísque Confratribus sed & multâ laicorum turbâ, intimavit illis qualiter de sancti corporis monitione cælitùs fuisset commonitus. Auditis Fratres suæ vocationis causis & expositâ visione, glorificant Deum, simúlque se accingunt Sacerdotalibus indumentis, impositáque antiphona cœperunt sepulcrum detegere. Quod dum altiùs pertentarent, cœpit paullatim nectarei odoris fragrantia naribus eorum infundi. Ut autem sanctissimum corpus apparuit, admirari quidem non satis dignè, dicere autem quis nequaquam sufficit, quanta miri odoris suavitate perfusi sunt qui aderant. Et quod magis stupeas, centesimus quinquagesimus tertius annus depositionis ejus fuerat, cùm illud sacrum

a Utrumque factum in aliis Actis à Surio & Henschenio editis etiam commemoratur: at præferendus Huebaldus, qui primus hac de re scripsisse videtur.

b De anno obitûs S. Humberti nihil exploratum. Ei superstes fuit S. Aldegundis anno DC. XXCIV. mortua, ut proinde Humbertus uno aut altero anno priùs decessisse videatur: siquidem id quod extremum gessisse fertur Aldegundis, est concessio vestis funereæ Humberto facta.

corpus ita illæſum & incorruptum inventum eſt, acſi eadem die ſpiritum emiſiſſet; ut ſi lectulum compoſitum videres, dormire hominem æſtimares. Verùm etiam linteamina, quibus involutus exſequiarum tempore fuerat, nihil corruptionis in ſe habere omnibus paruerunt. Sed & herbæ, quæ ſepulturæ ejus die appoſitæ fuerant, quas aut nullas eſſe pro temporum antiquitate, aut in pulverem reſolutas putares, adeo virides ſunt repertæ, acſi terræ radicitus inhærentes irriguis aquis vireſcerent. Levantes autem cum reverentia ſanctum corpus tranſtulerunt in Eccleſiam quam prædictus Abbas ampliatis ædificiis dilataverat. CIRC. ANN. DC.XXCII. MART.XXV

9. Multo denique tempore Abbatia tantò rerum facultatibus eſt imminuta, quantò ſæcularis poteſtatis nutibus mancipata. Nam & hi qui Eccleſiaſtici cultûs officiis præeſſe videbantur, negotiis ſæcularibus tanto liberiùs inhærebant, quanto nullo Rectoris freno coërcebantur. Porro ſi quid pro ſui abſolutione viri religioſi ad communem famulantium uſum contulerint, hi in uſus proprios retorquentes, ſubditorum indigentiam non adeo curabant: quæ autem ad ſollemnem templi ornatum ſervabantur, vilis mercaturæ impendiis diſtrahebant. Unde factum eſt, ut OTTONE Imperatore, Henrici quondam Regis filio, dum FULBERTUS Cameracenſis Sedis illuſtris Epiſcopus ſuper hujuſmodi querelam deferret, ille Princeps Catholicus[a] Abbatiam de manu ISAAC, qui tunc temporis Comitatûs dignitatem adminiſtrabat receptam, S. Mariæ Cameraci ſubjectam faceret, & Epiſcopali regimine moderandam deſtinaret, quæ uſque in hodiernum ad eamdem matris Eccleſiæ Sedem ſpectare videtur. Verùm res Eccleſiæ, quæ malè ab externis tenebantur, & aut violentis invaſionibus aut infauſtis (ut diximus) Clericorum conventionibus fuerant alienatæ, nondum uſque ad tempus GERARDI[b] Epiſcopi dirimi potuerunt. Hic quartodecimo Henrici Imperatoris anno Pontificale ſceptrum adeptus, dum luſtratis diœceſis ſuæ finibus, per ſingulas Eccleſias qualiter Divina miniſteria tractabantur perquireret, & ad hunc locum fortè tranſitum faciens diverteret, reperit deformi horrentem ſpecie, ſemiruta ædificia, omnia diſſipata, ut hinc hoſtilem exercitum tranſiſſe putares. Tantæ igitur deſolationis cauſam percunctatus, cùm didiciſſet maximè ex inſolentia Clericorum tantam rerum ruinam obortam, & ipſe univerſos eorum mores tum privatis tum publicis correptionibus increpitans, nequaquam ab errore pravæ conſuetudinis poſſet revocare; deſperata correptione, ejecit illos à loco, ſubſtituens pro his Ordinem Monachorum, conſultiùs eos arbitratus Regularis diſciplinæ normam tenere, & ſi quid oriretur inſolentiæ faciliùs ad rectum duci. Renovato itaque atque ampliato Monaſterio, cœpit poſſeſſiones Eccleſiæ, ſicubi fuerant, reſtaurare.

Maricolenſe Cœnobium Eccleſiæ Cameracenſi ſubjectum.

a

b

Clericis expulſis ad Monachos rediit.

10. Verùm hi qui ejecti fuerant, nequaquam ſuæ offenſionis culpam reputantes, ſed melioribus indignantes, cœperunt quærere opportunitatem, quomodo rebus amiſſis conſulerent. Miſſa igitur ſpeculatione, congruum nefariis ſtudiis eventum reperiunt, quo Templum ſolum offenderent, & Abbatem deeſſe cum Monachis, qui fortè Cameraci pro certis cauſis Eccleſiaſticis apud Synodum illis diebus detinebantur. Rapientes itaque tempus ad occaſionem ſceleris perpetrandi, coacta manu latrunculorum, factáque irruptione, Monaſterium violenter intrarunt, & fractis ſcriniis & ornamentis, quæ fortè repererant, partem ſuſtulerunt; dementes, ut qui nec ſacrilegas manus ab ipſo Confeſſoris corpore continuerunt. Sed & illud aſſumentes ad remotiora ſaltûs deſerta trans-

Humberti corpus à Clericis furtim ſublatum.

a Id Carolo Simplici Francorum Regi primùm tribuit Baldericus in lib. I. cap. 67. ubi Caroli referuntur litteræ: deinde confirmationem ab Ottone factam cap. 72. commemorat. Otto cùm ab obitu Patris Henrici cognomento Aucupis anno CM XXXVI. Germaniam regere, cœpiſſet, anno CM. LXII. conſecratus Imperator poſt annos undecim finem imperandi ac vivendi fecit. Donationem prædictam emiſit antequam eſſet Imperator, ſiquidem Fulbertus Epiſcopus Sedem Cameracenſem rexit ab anno CM. XXXIV. ad CM. LVI. Et Regem tantùm ſe præfert in Diplomate apud Baldericum relato in lib. I. cap. 72.

b Gerardus Epiſcopus conſecratus eſt anno M. XV. quum annum XIV. regni S. Henricus Imperator agebat.

CIↃC AN. DC.XXCII. MART.XXV

tulerunt, quo si non alia mercede, saltem per hoc pateret eis recursus ad antiquum locum, aut certè in externam regionem venale deferrent. Sic ab illis depositum per quosdam didicimus. Sed concluſit illos Divina Dei bonitas, quæ cuncta fortiter regit & suaviter disponit, ne patria tanto Patrono destitueretur, nec prava voluntas effectus sui reatum incurreret. Nam fideles Episcopi, mox ut eis res innotuit, revocatis ab intentione Clericis, receptum ei thesaurum reddiderunt, veniam Clericis implorantes.

restituitur.

Defertur in Flandriam in cujusdam villæ restitutionem.

11. Instabat fortè causa Monasterij, quam prosequi Abbas Monasterij debuerat: nam Clerici, de quibus superiùs mentio facta est, villam unam in pago *Hagnou*, quam Seviercas vocant, cuidam Militi pro censûs annui solutione donaverant, quæ in manu BALDUINI Marchisi post obitum viri devenerat. Hanc repetitum Abbas, si qua fieri posset, ire parabat. Unde post quæsitum ab Episcopo consilium statuit in pagum Flandrensium B. Humberti corpus devehendum, ubi ipse Balduinus in locis maritimis pro rerum opportunitate se eo tempore continebat: arbitratus Comitis animum ad benevolentiam posse inflecti, dum se hominem, quem jure mortalitatis sciret corruptioni obnoxium, à sancto Dei Confessore requiri specie precantis conspiceret, quem postmodum indigeret habere precatorem. Sicque factum est.

Mulier profluvio laborans sanatur.

* *Bruges* civitas Episc.

12. Translato itaque in præfatum pagum sanctissimo corpore, quid ad insigne virtutum ejus emicuerit, silentio comprimi nefas esse indicavi. Fortè mulier in vico, cui nomen Brugas* antiquitas dederat, commanebat, quam omnis vicinia ex multo tempore sanguinis profluvio noverat laborantem. Hæc rebus primùm locuples, jam in eo fuerat, ut omnem pæne substantiam suam in medicis consumpsisset. Desperata itaque sanitate cùm votis mortem optaret, quæ viribus exhaustis invisum spiritum trahebat; audivit B. Humbertum haud procul à domo exsultante populo deportari. Exsiliente fide, certior de salute, postulat se deferri ad corpus, quæ certè limen domûs suæ multo ex tempore transire nequiverat. Bajulantibus itaque viris duobus, primùm quidem brachiis innixa suspenso gradu cœpit, ut poterat, festinare ad corpus, cùm paullatim refusis viribus cœpit jam meliùs sentire. Sed turbis comprimentibus, dum hi qui vehebant feretrum vehementiùs urgerentur, & illa consequendi difficultate tardaretur, missa legatione, obtestatur morari eos paullisper. Qui corpus bajulabant, nescientes causam legationis, & parvi curantes mandatum, dum ire festinant; accersito uno ex Monachis qui comitabantur, indicat infirmitatis morbum & sumptâ ex collo catenulâ argenteâ, hujusmodi intulit verba: Hoc mihi, Pater, residuum est ex pecunia quam numerosam habueram, reliquam in medicis consumpsi, hanc in sumptus peregrinationis deputaveram, requisitura subsidia Petri & Pauli. Sed quia non dubia sum B. Humberti me posse meritis juvari, hoc in fabricam domûs illius sumite, sacrúmque feretrum restare dum ego fimbriam sindonis ejus contingam facite. Confido enim, si tetigero, salutem optatam me reportare. Quod & factum est. Perveniens enim ad corpus, mox ut pallium quo tegebatur attigit, sanata est: & exsiliens & laudans Deum, rediit ad propria, non sine admiratione multorum, dum quæ alienis vehiculis advenerat, propriis gressibus exsultantem redire vidissent.

In reditu equus à fure abductus restituitur.

13. Reportatus à Flandrensibus finibus B. Humbertus in urbem Cameracensem, diebus paucis quievit in Ecclesia B. Martini, quæ sita est extra murum haud procul ab urbe. Fortè jumenta Monachorum non longè à Basilica hospitio custodiebantur: resolutis vino & somno custodibus, dum negligenter claustra hospitij munita forent, patentibus intempesta nocte ostiis, unus ex summariis[a] eorum exsiliit, errabundus in lucem usque progrediens. Quem solivagum offendens vir quidam ad ruralia opera mane exiturus, nec satis usque fidelis, capta occasione recluſit in domum suam, noctem opperiens quæ furtis

[a] Summarius seu saumarius, equus sarcinarius, ἀπὸ τῆς σαγμης quod sarcinam significat.

opportuna videtur, ne per diem deprehenderetur, ſi quo minare tentaret. Mane autem facto, cuſtodes, cùm aperto oſtio adverterent deeſſe jumentum, clamant tentatum à furibus hoſpitium. Quæſtione facta auctorem damni nuſquam reperiunt. Triduo denique exſpectato cùm nulla darentur indicia, & deſperatione facta jam à quærendo deſiſterent, mulier quædam quæ orationis gratia fortè convenerat, velut indignantis affectu ſe circumſtantibus infit: Scilicet illud credibile dixerim, quòd ſanctus Domini Humbertus miniſtrorum ſuorum uſibus perire jumentum pateretur, cui amiſſo equo aiunt quondam indomabilem urſum præbuiſſe officium. Illud incertum, an id derogando, velut incredula debaccharetur, an certior de meritis ſancti viri Dei, hoc veritatis ſpiritu reſultâſſet. Sed necdum illa verba finierat, & ecce qui jumentum ſubduxerat, pœnitentiâ ductus, licet invitus, ante feretrum S. Humberti cum lacrymis proſternitur, tundénſque pectus miſerabili queſtu Baſilicam omnem replebat. Taciti qui aderant exſpectare, quidnam egiſſe tantopere doleret; cùm ille adſurgens à circumſpectis qui adſtabant, Abbatem ſibi demonſtrari rogat: quem intuitus, mox ejus pedibus provolvitur, & reum ſe criminis accuſans; Ego, inquit, Pater, ego ſum perditiſſimus ille, qui veſtra commoda latrocinandi fraude perturbavi, veſtrúmque jumentum, non veſtri diſpendij, ſed duro infelicitatis meæ nomine, ſubduxi. Culpam non diſſimulo, ſed erroris veniam poſtulo, dum quod amiſeratis, ſalvum ecce recipitis. Sit ſatis exhauſtum ſupplicij, quòd per totum hoc triduum hinc plector ultricis pœna formidinis & inevitabilis laboris. Nam ut ſciatis quantis crucier miſeriis, tertia dies eſt quo conventus hominum fugiens, lucem ipſam timeo, & ſicubi datur, obſcuro me recipio umbraculo: nocte verò fugam apprehendo. Sed dum viciniæ hujus fines transfugiſſe, cunctáque pericula mihi evaſiſſe videor, facto crepuſculo ante januam hujus Eccleſiæ, tamquam ſomno deluſus, me adſtare comperio. Per has igitur ſingulas noctes, inextricabilis fugæ crucior labore, cùm nec animal deponere, nec tuta fas eſt latibula reperire. Convenior digne reatûs mei pretio, non ſuppetit facultas ad effugium, nec ratio ad deciſionis argumentum. Concluſit me, fateor, iniquitas mea, inſtat offenſionis meæ haud pœnitenda ultio. Sed nec fruſtra crediderim his me malis urgeri ex indignatione S. Humberti. Jam nunc Pater, ſalvum & incolume quod veſtrum eſt ſuſcipite, mihíque quam non mereor veniam donate: non ingratum dicetis cras tantis beneficiis, cùm non ampliùs audieritis talibus immerſum flagitiis. Supplicibus itaque verbis flexus Abbas ad miſericordiam, indulget homini quod rogârat: denuntians ut emendatiùs viveret. Denique per aliquot dies B. Humbertus quievit in Baſilica, cujus ſuprà mentionem fecimus. CIRC. AN. DC.XXCII. MART. XXV

14. Dignum interea viſum eſt Epiſcopo, hinc corpus ejus ſubmotum, ſtatui in Eccleſia B. Andrææ [a] Apoſtoli, quam ipſe conſtruxerat, quatuordecim millibus ab ipſa urbe diſtantem, pro eo quòd locus ille munitiſſimus eſt, ad refellendos hoſtiles incurſus. Sed & loci opportunitas tanta eſt, ut nulla ejus pars ſit fructibus infecunda, ſed univerſa terra optima & ferax. Nam & ſpontaneos fructus ſoli ubertas miniſtrat, & eſt nemorum ferax, & ideo dives pecoris, & abundans lactis. Terra ſolubilis & mollior ad exercitium, culturæ gratiâ & pulcritudinis ſpecie, externis habitatoribus ſuî deſiderium immittit, ut relictis finibus ſuis ad hanc unà habitaturi è diverſo conveniant. Aquæ ejus dulces hauſtu, & ad potandum habiles: ſiquidem nec paluſtris uliginis craſſum aliquid aut turbidum alveus recipit, quia arenoſo littore circumcingitur; unde & genera piſcium quàm in alio flumine præſtantiora ſunt. Hac tanta rerum opportunitate inductus, & maximè propter frequentiam populi ſtatuerat Epiſcopus

Caſtelli Cameraceſij ſitus commodus.

S. Humberti iſthuc recondere ſtatuit Epiſcopus.

[a] Eccleſia ſeu Monaſterium S. Andreæ in Caſtello Cameraceſij loco Perrona dicto à Gerardo Epiſcopo inceptum, à Lietberto ejus ſucceſſore perfectum, hactenus Ordini Benedictino ſubjectum eſt. Lege Baldericum in lib. 2. cap. 49. & Miræi Cod. Donat. cap. 46. & 47.

CIRC. AN. DC.XXCII. MART. XXV.

S. Humbertum eo loci exponi: sed reputans quia ipse vir Sanctus, urbana conventicula & arva fertilia devitans, aridum potiùs solitudinis locum delegisset, timuit ne ex occasione celebrioris loci pareret causam offensionis. Revocatâ igitur sententiâ ad antiquam sedem remittendum existimavit: considerans autem ne veteris malitiæ nondum satiato furore, contra sanctum locum aliquid Clerici molirentur; convocatis vicinæ regionis Primoribus, ne quid insidiarum contra præfatum locum fieri paterentur, eos sacramento constrinxit. Repositus est igitur pretiosus Domini Confessor Humbertus honorificè, & cùm magna plebis exsultatione in loco suo, ubi corpus quidem illius incorruptibilem

Maricolas tamen refertur.

resurrectionis gloriam & adventum resurrectionis exspectat[a], spiritus verò in cælis optatæ quietis visione & incomparabili cum Sanctis fruitur æternæ felicitatis jocunditate. Ad quam nos ejus interventu pervenire concedat ipse auctor humani generis Deus, qui pro nobis dedit unicum Filium suum Dominum nostrum JESUM-CHRISTUM, qui unus cum eo & Spiritu-sancto vivit & regnat per omnia sæcula sæculorum, Amen.

[a] S. Humberti Reliquiæ hactenus in Maricolensi Monasterio Ord. S. Bened. adservantur.

CIRC. AN. DC.XXCIV. JANU. XXX.

VITA S. ALDEGVNDIS ABBATISSÆ MELBODIENSIS PRIMÆ,

Auctore anonymo æquali, ut patet ex num. 18. 25. & 29.

Ex MS. cod. RR. PP. Fulienſium Monaſterij S. Bernardi Pariſ.

OBSERVATIONES PRÆVIÆ.

Vitæ Scriptores.

1. IOHANNES *Bollandus ad diem* 30. *Ianuarij tres ſanctæ* ALDEGUNDIS *ſeu* ALDEGUNDÆ *Vitas edidit: primam Auctore anonymo, qui aliâ Vitâ* vetuſtiſſimâ *ſe uſum fatetur; ſecundam auctore (ut creditur)* HUCBALDO *ſæculi* IX. *Monacho El. nonenſi, tertiam ab anonymo Cellenſi ſeu Giſleniano Monacho deſcriptam. Veterrimam illam diu à Bollando perveſtigatam nec repertam invenimus tandem in Bibliotheca RR. PP. Fulienſium Abbatiæ S. Bernardi apud Pariſios, eámque nobis à R. P. Carolo à S. Ioſepho benignè communicatam hìc proferimus, variis aliorum Auctorum ſententiis in adnotationes relatis. Æqualis fuit hujus Aldegundis alia cognominis, quæ* 20. *Iunij Trunchinij juxta Gandavum colitur, de qua hìc non agimus.*

Melbodienſis Monaſterij initia. * *Maubeuge*

2. *Non uno die Martyrologia antiqua noſtræ Aldegundis mentionem faciunt, uti inferiùs dicemus. Notanda verba Flori Diaconi Lugdunenſis in Addit. ad Bedæ Faſtos.* III. Kal. Febr. In Malbodio * Monaſterio depoſitio S. Aldegundis Virginis, quæ ex proſapia Regali edita, ſuaſionem matris ſuper conjunctionem mariti ſpernens, Chriſtum ſponſum elegit: unde & ejus allocutione & ſæpe Angelica meruit perfrui. *Malbodium ſeu Melbodium olim* locus nemoroſus ac deſertus *teſte Hucbaldo, poſtea Parthenon ab S. Aldegunde erectum & dotatum, nunc opidum eſt Hannoniæ in Belgio ad fluvium Sabim**. *Monaſterij primordia ſic deſcribit Hucbaldus in Vita S. Aldegundis à Surio & Bollando edita. Aldegundis nuptias Eudonis proci declinatura,* fugit noctu in locum nemoroſum qui vocatur Melbodius, & aliquot diebus ibi latuit. Sed cùm audiſſet adveniſſe S. AMANDUM atque venerabilem AUTBERTUM Epiſcopos in Monaſterium Altimontis, nudis pedibus illuc properavit. Deducta eſt à ſanctis Epiſcopis in Oratorium quoddam ejuſdem Cœnobij in honore & memoria S. Vedaſti dedicatum, ubi benedictione Sacerdotali ab ipſis dignè conſecrata, ſacræ Religionis velamen ſuſcepit & habitum. Spiritus-ſanctus in columbæ ſpecie paullatim ſe ſubmittens, velum quod conſecrabatur elevatum pedibus & ore ſuſtulit. Aldegundis de Altomonte reverſa in locum ubi priùs latuerat, quem ipſa Melbodium nominaverat, qui locus adhuc deſertus erat, cœpit ſagaciſſimè locum excolere, vepribus & arbuſtis radicitùs exſtirpatis habitacula conſtruere, Servos & Ancillas Dei ibidem congregare. *(Erat ergo ibi Monaſterium duplex, uti & in Nivialenſi, Iotrenſi, &c.)* Denique poſthæc ædificavit ibi Eccleſiam in honore & memoria ſanctæ Dei Genitricis MARIÆ. Prædia ſua & facultates & omnia ornamenta

* *Sambre*

ad loca Sanctorum legaliter distribuit & pauperibus erogavit. Locum * ubi pater & mater ejus sepulti fuerant in melius reparavit, & ibidem duodecim Sanctimoniales ad serviendum Christo Domino constituit. In supradicto vero loco Melbodio consilio B. Præsulis Amandi & auxilio Dagoberti Regis cum duabus sororis suæ B. Vvaldetrudis filiabus semetipsam contradidit. Harum una MADELBERTA, altera vocabatur ALDETRUDIS. *Paullo aliter Anonymus Giselenianus, qui egregiè hallucinatur, dum S. Ansbertum Rotomagensem Archiepiscopum tum in Altimontensi Cœnobio exsulâsse scribit, & tamen* Audoënum Rotomagensem *dicit interfuisse dedicationi Ecclesiæ Melbodiensis cum SS.* Amando, Ursmaro, Ermino, Humberto, Ethone, & Eloquio. *Idem Auctor præter Basilicam S.* MARIÆ *alias duas ab Aldegunde ædificatas scribit, nempe alteram* in honore SS. Apostolorum, *tertiam* parochialem in honore & commemoratione S. Quintini Martyris. *Baldericus Episc. in Chron. Camerac. lib. 2. cap. 36.* In Melbodio, *inquit*, Monasterium Puellarum beata Christi Virgo Aldegundis ad opus suæ conversationis ex propriis prædiis struxit: quod etiam B. Autbertus multis viris secum adhibitis dedicavit. *Illic Monachas non Canonicas (sicut modò) ab initio exstitisse, in Præfatione probavimus.*

CIRC. AN. DC. XXCIV. JANV. XXX.

* *V. infrà notas ad num. 4.*

1. SANCTARUM Virginum festivitates anniversarij circulum * revolventem sedulè celebrantes Christo præsule adsistimus, dum istius mundi nubilosa curricula transeunt, nostrorum quoque tempora crescentia decrescentiáque decurrunt: ut dum carnalia carnalibus impendimus, spiritualia quoque spiritali Domino procuremus, ut qui Cæsareum nummum Cæsari impendi præcepit, sua cum magna voce non tardare compellit. Ideo Electis Dei exempla virtutis narrantur, ut & qui audiunt de bonorum sectis illuminati lætificentur, & de beata memoria primùm ardescant; inde ad gaudia æternæ patriæ anhelent: ut quarum annua votiva celebramus officia, earum intercessionibus adjuvari mereamur.

Prologus Auctoris.

* *pro* circulo revolvente.

2. Fuisse memoratur vetusta serie sub tempore DAGOBERTI inclyti Regis Francorum beata virgo ALDEGUNDA Christo amabilis, quæ à sanctis actibus annis puerilibus non recessit, sed magno cum amore ejus inhians vestigiis, pro quo fragili hoste superato exsultat. Cui Mediator Dei & hominum Dominus noster JESUS-CHRISTUS tribuit adminiculum pacis, quod est amor caritatis, qui per semetipsum tartareos decrevit absolvere nodos, victórque exsuperato hoste triumphans, captivitatem nostram sua duxit virtute captivam, dedit dona hominibus. Ipse enim in sexu fragili virtutem castitatis contulit, qui omnia ex nihilo creavit. Ortum humanæ conditionis ejus nobili ex progenie parentela testatur. Quapropter propinquitatem ipsius strictim brevitérque prænotavimus, ut sequens generatio dubitationis otio vacaret. Venerabilem genitorem ejus WALDEBERTUM [a] meminimus, & genitricem ejus BERTILANEM, qui sub carnali conjugio, radio inflammante Divino, vitam elegerant spiritualem, Pauli imitantes vestigia dicentis, ut qui habent uxores tamquam non habentes sint. Duorum quoque avunculorum ejus GUNDELANDI [b] & LANDRICI nomina præfiximus, qui primatum pugnæ istius regionis tenuisse memorantur, quos Græci Scholares, nos quoque Bellatores vocamus. Mira est humana conditio, sed plus miranda Dei potentia. De tam nobili genere pro Christi amore pauper effecta est, de cujus paupertate ipsa & omnes ditamur: & cùm esset dives pro nobis pauper apparuit, ut nos illius paupertate ditaremur, ipso teste qui dicit: *Beati pauperes spiritu, quoniam ipsorum est regnum cælorum.*

Aldegundis ex nobilissima stirpe procreatur Dagoberto Rege.

[a]

1. *Cor.* 7. 29.

[b]

Matth. 5.

3. Ab hoc auditu spirituali beata virgo ALDEGUNDA admonita, fulmine cælesti accensa, duorum viatorum ardore Christi in comitatu sancire cælestia jejuniis & orationibus, cœpit cogitare qualiter possit terrena relinquere propter nomen Domini & amare cælestia. Crebrè eleemosynis & vigiliis pio animo intenta, in lectione assidua, omnísque prosperitatis studium plus in suis tribula-

Piè vivens, de incundo connubio interpellatur.

[a] Bollandus suspicatur Vvaldebertum seu Vvalbertum S. Aldegundis patrem esse ipsum Vvaldebertum *Chlotharij Domesticum & Ducem* à Fredegario capp. 54. & 90. memoratum: additque Reliquias parentum Aldegundis etiamnum asservari in vico Curtisfolra seu Crisoria, vulgò *Courtfore*, inter Malbodium & Laubacum Cœnobium sito: *ubi uterque suus parens tumulati esse dicuntur*, inquit Anonymus alter.

[b] In Erchamberti fragmento Gundolandus *Major domus* Chlotharij II. & *vir egregius* appellatur, non alius fine dubio ab isto, qui in secunda Aldegundis vita *Majoris-domatus dignitatē administrâsse* legitur.

CIRC. AN. DC. XXCIV. JANU. XXX.

tionibus perpeſſa, quàm in noſtris dictionibus divulgatur: quia cùm etiam tempus jungendi matrimonio propinquaret, quid debitæ voluntatis carnalis animus vellet, ignorans mater & explorare deſiderans admonita dixit: Conſilium humanæ fragilitatis Deo inſtigante edoceri cupio, ſi materno more, dilectiſſima, matrimonio copulari deſideras. Quæ ſolito more bonitatis ſtudium cogenti matri detulit dicens: Dei omnipotentis, inquit, conſilium ignoro, ac tantùm meæ ſpontaneæ voluntatis Deo inſpirante verba non denego. Chriſti ſub jugo deſervire cupio, & in ejus præceptis perſiſtere, ut luridis vaníſque pompis hujus ſæculi proſtratis, Chriſti bravium in ſupernis gaudiis valeam comprehendere, brachio quoque ſancto ejus defenſa, inoffenſo pede cæleſtem Jeruſalem ſcandere, & infra portas paradiſi collocari merear. Iſta quæ audis, ô dilectiſſima mater, plus omnibus holocauſtomatibus diligo. In talibus me admone, in iſtis exhortare, ô fideliſſima genitrix; quia hæc eſt voluntas & petitio mea.

Valdetrudem ſororem inviſit.

4. Hoc ea deſiderante, cùm Dominus omni petenti ſuæ pietatis levamen tribuit, & pulſanti veraciter bona ſuæ largitatis myſteria pandit, qui venientes ad ſe non deſerit, ſed in locis tutiſſimis municipia collocare permittit; auxilium ſuæ dilectæ virgini Aldegundæ geminavit, donúmque ſibi ex una lucida maſſa amplificavit: quia ſorori ſuæ nomine WALDEDRUDÆ *ignem amoris inſpiravit, quæ cœpit in ipſa exhortatione perſiſtere, & bonis operibus inſudare. Videns autem eam beatus vir ejus MADELGARIUS ſub nutu Dei eſſe conſtrictam, omnipotenti Deo gratanti animo gratias agens, qui ſponte ſua ſpiritualia dona ſuis fidelibus diſpertire dignatus eſt, magna cum voce ait: Memento noſtri, Domine in beneplacito populi tui, viſita nos in ſalutari tuo. Iſtius fine verſiculi completo, converſus eſt ad Monaſterium quod vocatur Altomonte, ut ſub ſancta norma Monachorum conſtitutus, vitam ſpiritualem degeret, & bonis actibus perduraret. Dum illuc iret pſallebat dicens: Dirige me in veritate tua & doce me, quia tu es Deus ſalvator meus & te ſuſtinui tota die. Poſtquam verò Dominus ſcintillarum igniculum ſingillatim ſuis accolis ſecundùm propriam voluntatem diſtribuit, carnalis facultas evaneſcit, rorem cæleſtis patriæ perfundit, & omnia aromatum virgulta floreſcunt. Præfata verò conjunx ejus cùm jam remota eſſet à carnali concubitu, nimio vapore fidei accenſa, à Pontifice B. AUDEBERTO conſecratum Pallium [a] accepit, ſéque in Monaſterio * quod priùs ædificare cœperat retrudi præcepit. Hoc namque ſectans, & jugiter Dei implorans auxilium, ut ſororem ſuam maximè ab hujus ſæculi laqueis poſſet eripere, ut Deo illam uſuram reddere valeat, quam à pigro ſervo exigit ubi dicit: *Serve nequam, ſciebas quia homo durus ſum, meto ubi non ſeminavi, colligo ubi non ſparſi, cur non dediſti talentum meum nummulariis, ut cùm veniſſem ego recepiſſem utique quod meum eſt cum uſura?* Hoc audiens beata Virgo terrore concuſſa timuit eam poſt ſe ſuperſtitem dimittere, & ne à bonis actibus apoſtataret prædictæ matri Bertilanæ epiſtolas direxit; ut eam ad ſe viſitandam dirigeret. Illa pietate commota ire conceſſit, juſſítque ut celeriter remearet [b]. Dum autem iret aiebat: Perfice greſſus meos, Domine, in ſemitis tuis, ut non moveantur veſtigia mea. Hæc omnia B. Virgo conſiderans in corde ſuo, deſiderabat quippe ut germana ſua accepto privilegio Mater fieret animarum.

* *Vita infrà.*

[a] * Caſtrilocenſi.

Matth. 25. 17.

[b]

[a] Sic velum Sanctimonialium nonnumquam appellatur. Collectio Canonum Hibernienſ. lib. 43. cap. 10. To. 9. Spicil. *Virgines Palliatæ id eſt velatæ.*

[b] Hucbaldus ſcribit, Aldegundem poſt ſororis congreſſum revertiſſe ad matrem *quæ tunc morabatur in prædio ſuo quod nuncupatur Curtiſſolra*: & petitâ à matre licentiâ petendi *habitaculum quod erat juxta Eccleſiam*, accepiſſe à matre *optima linteamina, ut inde ſponſalia ſibi veſtimenta præpararet.* Aldegundem verò *veſtes ad uſus baptizatorum*, ſeu, ut Anonymus Giſlenianus loquitur, *chriſmalia veſtimenta, pia fraude compoſuiſſe*: nuptias ſibi paratas fugientem, ſiccis pedibus ſuper aquas *Sambræ fluvij, dextram lævámque ſuſtentantibus Angelis* inceſſiſſe, & *in quodam loco multimodis arbuſtorum generibus inculto* (quod parentum prædium erat) *breviſſimam Eccleſiolam conſtruxiſſe*: parentes tandem ejus receſſui ægre annuiſſe. Nec ibi tamen Aldegundem à proci Eudonis perſecutione ſecuram, mortua matre fugiſſe in Altimontenſe Monaſterium, ubi *Religionis velamen ſuſceperit & habitum in Oratorio quodam ejuſdem Cœnobij, in honore & memoria S. Vedaſti dedicato*, Spiritu-ſancto ei velum imponente: demúmque Melbodium Monaſterium conſtruxiſſe. Anonymus Giſlenianus eadem fere commemorat, niſi quòd Aldegundis cum ſorore congreſſum priorem reticet. Quæ omnia in alio anonymo uti hîc prætermiſſa ſunt. Lege Obſervationes prævias.

5. Dum

5. Dum verò ſub carnali conditione maneret, atque in domatibus parentum verſaretur, audivit Beatiſſima per viſum quodammodo altitudinem divitiarum ſe habituram. Cujus viſionis oſtenſionem inſolitam meus puellaris ſupraquàm credi poteſt admirans, quidnam vellet viſio ænigmatica ignorabat. Ipſa quoque arcana Chriſti conſiderans, quæ jam ducta ſtetit ad oſtium domûs magnæ ſeptem columnis ſigillatim ſubnixæ, clara cuncta ornamenta aromatum fragrantia introſpexit, miro vapore ſuaviſſimóque odore Chriſti imbuta. Quapropter cœpit clariùs videre jam ſolutis ſquamis ab oculis, donum cæleſte ſibi promiſſum percipere ab illo qui dicit: *Venite ad me omnes qui laboratis & onerati eſtis, & ego reficiam vos.* Jam verò Deo opitulante ambæ conjunctæ in unitate Spiritus ſancti & vinculo pacis, uno tenore quæ Domini ſunt magis magiſque poſt agnitam veritatis viam ſectantes, lurida quæque ac vilia ut noviſſima refutantes, ceu duæ volucres in ipſis paſſibus junctis alis ad aſtra properantes, adſimilantur his de quibus Dominus dicit: *Qui ſunt iſti qui ut nubes volant, & quaſi columbæ ad feneſtras ſuas?* Quapropter apoſtolicam geminationem meruerunt percipere, quos in prædicationem binos miſiſſe veridica lectio teſtatur; pſalmis canentes, ſequuntur oracula dicentes: Cuſtodi nos Domine ut pupillam oculi, ſub umbra alarum tuarum protege nos.

Circ. An. Dc. XXCIV. Jan. XXX. Viſione ſuprema honoratur. *Matth.* 11. 28. *Iſa.* 60. 8.

6. Cùm jam Aldegunda crebriùs in oratione cotidiana ſacrata virgo Chriſto favente perſiſteret, cœpit Dominus majeſtatis ſuæ ſignorum miracula coruſcantia per viſum noctis ei demonſtrare. Videns quaſi elevata à terra hominem juxta ſe ſtantem Angelicum habens * intuitum nimio ſplendore coopertum, quem ſancta virgo non dubitat eſſe benivolum: & reſponſum ab eo deſiderans appeti, ait ad illum: Proſperitatis viſionem quam vides in me, ô bone Sator, elucida. Interrogatus mox ſpiritualia verba attulit dicens: Video quaſi litteras per circuitum capitis tui. Iterum ſecundò admonitus intimans ait: Video virgam ſurſum erectam à capite tuo uſque ad cælum. Tertiò inquiſitus ait: Audivi vocem in Jeruſalem, quòd Sanctimonialis eris. Cæleſtia cæleſtis commemorans qui dicit: *Qui eſt de terra, de terra loquitur, qui de cælo venit, ſuper omnes eſt*; hoc quod vidit & audivit, hoc teſtatur. Quo plus quippe vigilat ſcintilla fidei, plus accenditur amor Chriſti. Poſt diſceſſionem iſtius adminiculi, oculos elevans ad cælum orans ait: O Rector ſalutis æternæ tremende, qui per Angelum tuum indignam famulam tuam viſitare dignatus es: tuus eſt honor & virtus per infinita ſæcula ſæculorum. Facto fine, audivit vocem Angelicam dicentem ſibi: O virgo florigera cæleſti vincta cultori, ſi ſcires donum cæleſte tibi à Deo Patre promiſſum, parva tibi eſſet ſpecies hujus mundi. Qui manifeſtè aſſerens dixit: Non habebis alium ſponſum, niſi Chriſtum Dominum. Sícque confortans eam & loquens multa de regno Dei, illa conjunctis viſceribus præ gaudio dixit: Fiat ancillæ tuæ ſecundùm verbum tuum.

Alia viſione diſcit ſe fore Sanctimonialem. * *l.* habentem. *Iohan.* 3. 31.

7. In ſequenti verò nocte poſt matutinam orationem vidiſſe ſe memorat per viſum veſtem habere pretioſam, quæ à terrenis veſtibus diſtabat ineffabili dictu, adſiſtens coram eo, qui formoſam gerens ſpeciem in puerili habitu ait: Si ſcires qualis videtur eſſe ſtola cęleſtis quam tibi dabit Dominus! non ſimilis iſtius eſſe dignoſcitur; ſed fulget ſicut ſol & luna in regno Patris mei. Dum hæc inter ſe conferrent, alius in clara luce refulſit, affatus hæſitantem: Quis tibi videtur eſſe, ô ſalvifica, qui loquitur tecum? At illa æſtimabat Angelicam eſſe viſionem. Ille autem patenter ait: Hic eſt Chriſtus Filius Dei vivi qui loquitur tecum, ſpes conſolationis & virtus bonorum operum, panis ſuperſubſtantialis qui de ſe ipſo ait: *Ego ſum panis vivus, qui de cælo deſcendi.* Gaudens & exſultans in corde ſuo, jam omnibus præguſtatis mellifluis pabulis Chriſti, creſcentibus ſignis & miraculorum portentis, iterum ænigmaticè videt palmam ſe habere in manu lucifluam omnibus obtutibus clariorem, ſimilémque coronam auro gemmíſque regalibus pertextam non manufactam, ſed in cælis à Deo ſolo formatam: & mox in ad-

Duplici alia viſione ad relinquendum ſæculum excitatur. *Iohan.* 3. 41.

CIRC. AN. DC. XXCIV. JANU. XXX. quisitione horum humanas res relinqui desiderat, Apostoli considerans sectam dicentis: *Omnis qui in agone contendit ab omnibus se abstinet: Ille quidem ut corruptibilem coronam accipiat, nos autem incorruptam.* Perennis regni præmia adipisci cupit, & vitam possidere æternam. 1. Cor. 9. 25.

Dæmonem sibi adblandientem fugat.

8. Ecce jam in assertione bonorum operum occurrit ei diabolus ceu lupus rapax, hostis antiquus velut leo frendens, stridénsque dentibus suis, qualiter solet relictis catulis siccis faucibus tempore venerio per lucos saltúsque vagari quærens quem devoret, & procaci ore ait: Cur mihi illudis columna immobilis? Regnum quod perdidi dabit tibi Omnipotens. Displicet mihi valde tua virginitas, & conatus sum eam tibi eripere, sed nequaquam. Virgo verò Christi Aldegunda firmato pectore increpans eum ait: Nocifera pestis furiarum, mens malivola, prostravit te Dominus noster JESUS-CHRISTUS pedibus suis, iterúmque sævis contra hominem qui est imago ipsius, & conaris mortiferas spargere flammas in famulos famuláive Dei, quibus intima vena casti animi fervet de Christi lampade. Apostata, præcipio tibi in nomine Domini nostri JESU-CHRISTI, qui te exsuperato in cælis triumphat cum Patre, ad inferni claustra descendere. Inimicus diabolus statim confusus evanuit, virgo Domini in fide permansit. Statímque Angelus Domini in confortatione beatæ virginis Aldegundæ adfuit dicens: Pax tibi, confortare, viriliter age: Dominus tecum, benedicta tu inter Virgines: scriptum est enim nomen tuum in libro vitæ, & portio tibi vera terminata est in numero sanctarum Virginum. Quapropter, ô beata Virgo, oportet te permanere in virginitate tua, si vis accipere coronam, quam tibi per visum noctis monstravit Omnipotens, quæ omnibus donis visibilibus & invisibilibus supereminet, & ab illius tentatoris decipula nequissima evadere. Sicque exhortans & admonens eam Angelus Domini, sine intermissione virgo Dei Aldegunda cum lacrymis præ gaudio psallebat dicens: Voluntariè sacrificabo tibi, & confitebor nomini tuo, Domine, quoniam bonum est. Iterum dicebat: Psallam & intelligam in via immaculata; quando venies ad me? Et iterum: Fac mecum signum in bonum ut videant qui oderunt me & confundantur; quoniam tu Domine adjuvisti me & consolatus es me.

Ab Angelo confirmatur.

9. Jam à sarcinis peccatorum mole & jugo carnalis curæ Christo flagrante sciens se beata virgo esse ereptam, quæ anhelitum gratiæ perennis per multas ostensiones ineffabiles senserat; jam ovis à fauce lupi, boni Pastoris Christi manu erepta, ad caulas perennis Regis ejus curiosâ diligentiâ est reducta, omnipotentis Dei jugiter implorans victoriam: ut illuc immaculatus captivúsque spiritus per semitam justitiæ redire valeat, unde huc te largiente advenerat: cùm licet mirabilis sis in minimis, mirabiliùs tamen operaris in maximis, qui arida pectora paradisigeno fonte mirimoda largitate irrigas, te ipso teste qui dicis: Si quis sitit veniat ad me & bibat, & non sitiet ultra, quoniam de ventre meo fluent aquæ vivæ. Mihi enim indignæ revelâsti secreta tua Deus meus, te decet laus & virtus per infinita sæcula sæculorum. Amen. *Johan.* 7. 38.

B. Deipara ipsius desiderium per Angelum explorat.

10. Cùm etiam in appetitu itineris superni regni staret orans, & diurno postulans in stadio, adfuit Divino in nutu puellula miro affectu ornata, pallida gerens ora, affatur amicè: Soror casta, Genitrix Domini nostri JESU-CHRISTI misit me ad te explorare quid velis. Illa sine mora dicenti sibi ait: Nihil amplius indigeo, ô admirabilis progenies rosarum, nisi ut voluntatem ipsius in omnibus adimplere valeam, qui interrogante quodammodo servulo dicente, Domine quid faciam ut vitam æternam possideam, respondens ait: *Diliges Dominum Deum tuum, ex toto corde tuo, & ex tota anima tua, & ex omnibus viribus tuis; & proximum tuum sicut te ipsum.* Ista super omnia sectari cupio, ô castissima radix vinearum. Illa in auras evanuit ignicoma flavescentibus crinibus ad astra remeans. Dum in ipsa statione adforet & mirâsset euntem, apparuit alius in clara luce, adveniens per iter quo illa tenderat, columbarum gerens oculos & Apostolicum habens vul- *Matth.* 22. 37.

S. Petrus eam invisit.

tum adſtitit coram ea & ait : Quid ſtupes ? Ego ſum Petrus Apoſtolus JESU-CHRISTI miſſus ad te, ligandi atque ſolvendi habens poteſtatem. In numero Sanctorum es recenſita, ô pudica. Illuc egredere, deſiderat te Dominus, quoniam mora in hujus ſæculi... pœnam habet. Noli timere : qui timet non eſt perfectus in caritate ; ſed perfecta caritas foras mittit timorem ; quoniam timor pœnam habet. CIRC. AN. DC. XXCIV. JANU. XXX.

11. Quadam die dum eſſet in ſecreto cubiculo domus ſuæ, & clauſo aforis oſtio oraret, Spiritus-ſanctus per inſertas feneſtras radios ad ſimilitudinem Solis & Lunæ emittebat ſuper eam. Quæ genu flexo præ nimio ſplendore perterrita reſpiciens vidit Angelum Domini in aëre ſtantem, qui dixit ad eam : Inveniſti gratiam apud Altiſſimum. Nonne vides magnum ſplendorem Solis & Lunæ micantem ſuper te ? At illa reſpondens ait : Video, Domine mi, ſed ignoro quid iſta figurent. Angelus admonitus ab illo qui nequit bona celare ſed pandere, qui candelam non ſub modio, ſed ſuper candelabrum poni præcipit ut luceat omnibus qui in domo ſunt ; iſdem mellifluo ore cæleſte pandens myſterium ait : Per radios Solis Dominus noſter JESUS-CHRISTUS figuratur, qui de ſe ipſo ait : *Ego ſum lux vera.* Per ſplendorem lunæ, remuneratio Juſtorum perennis intelligitur, de qua Evangeliſta dicit : *Præcinget ſe & faciet illos diſcumbere, & tranſiens miniſtrabit illis.* In talibus hortatur Dominus ſuis fidelibus quando dicit : *Diſcite à me quia mitis ſum & humilis corde, & invenietis requiem animabus veſtris : jugum enim meum ſuave eſt & onus meum leve.* Loquar an fileam ? Chriſti mihi magis hortantur fari miracula, quàm ſilere auctoritas : ut dum magis lucerna fidei accenditur, plus nubilo ſuffoſſi modij obſcuratur. Haud aliter Dominus noſter ſpiritualia ſuæ ſalutis humanis obtutibus patefacere dignatus eſt : ut ſaxigena corda monſtris ſaxigenis domaret, & per viſiones Angelicas adeptum nobilium repararet. Plura referre mora eſt. Alia viſio. *Iohan. 8. 2.* *Luc. 17. 8.* *Matth. 11.*

12. Quadam nocte ſolito more dum Curſum Matutinarum perageret, unáque ſecum in comitatu de Sororibus adforet, jam nox atra opaca ſilentia clauſerat. Quæ ſtetit ante fores oſtij domûs, reſpiciénſque vidit erga locum platearum ſubitò ſplendeſcere, & velut globos igneos in uno deſcendere, viſionem Angelicam ſciens eſſe veridicam lætatóque animo currit intrinſecùs. Quæ genu flexo, more ſolito orans ; O bone Præceptor tripliciſque luminis auctor qui mentes renovas noſtras, hîc reſpice turmas. Laus, decus & virtus quæ te decet bone gloriæ Chriſte : Chriſte ſalus hominum, fac bona quæ cupimus. Ore tonans patrio cæli de ſedibus altis : Subarrhavi te, dotem detuli, monilibus ſacris ornavi : Veni, percipe quod novi. Illa verò quæ cum ea fuerat, currens velociter nuntians Sororibus ait : Vidi mirabilia in adventu dominæ noſtræ. Ignis accenſus eſt in medio platearum, quem ſubitò evaſit. Illæ lætantes una voce dixerunt : Grates laudes tibi Chriſte referimus, qui nos ſub jugo ſpiritualis Matris conſtituiſti : Te decet laus per plurima. Item alia.

13. Contigit namque ut per viſionem Divinam monſtraretur ei exitus humanæ fragilitatis. Ecce duo viri adſtiterunt luciflui, narrantes qualis eſſet remuneratio Juſtorum perennis unicuique ſecundùm proprium meritum. Sciens autem à Domino miſſos lucifluos in confortatione ſui exitûs ne trepidaret, benivola gratias agit. Poſtera die Angelicis viſionibus admonita audivit vocem dicentem ſibi : Sponſavit te Dominus in ſempiternum, ut incorruptibilem coronam accipias. Statim videns ſe ab illo ornari ſponſalibus veſtimentis, gaudio repleta interrogans ait : Quomodo tibi nomen eſt ? Qui reſpondit : Glorioſum eſt nomen meum. Iſta non miror ſentienda Fidelibus ab illo qui dicit : *Cælum mihi ſedes eſt ; &, Anima juſti ſedes ſapientiæ.* Exitûs ſui diem imminere intelligit. *Act. 7. 49.*

14. Illis temporibus erat quidam Epiſcopus nomine AMANDUS, amicitia ſpirituali familiaritate adnexus. Quadam nocte dum ſe ſopori dediſſet, beata virgo vidit illum à Domino coronari, & magnam catervam animarum cum illo beatitudinem Chriſti percipere, & vociferabant Angeli : Ecce munus amabile : quod S. Amandi gloriam videt.

CIRC. AN. DC. XXCIV. JANU. XXX.

ore prædicando adquiſivit, Domino contulit. De amici ſalute virgo beata evigilans, gaudet exſultans in corde ſuo [a].

Diaboli artes ludit.

15. Iterum obvians ei diabolus nimiam gerens invidiam contra eam ait: Sanè Fide priorum Patrum ſervata, ſecreta paradiſigeni pectoris percepiſti, & manſionem quam per inobedientiam perdidi, obediendo percipere feſtinas in iſto loco cœnoſo: invidiâ ductus confundor. Cui econtra beatâ Virgo reſpondit: Jam tibi dixi, fraus ſævæ malignitatis, ne me vacillares in proſperis, qui ſemper moraris in adverſis. Dominus noſter JESUS-CHRISTUS qui te exſuperato triumphat in cælis, non eſt localis ſed firmans regnum noſtrum perenniter, tibimet chaos latebroſum reparavit, ut maledictioni ſubjaceas. Jámque phreneticus auditis verbis evanuit [b].

[b]

Obitū ſuū prædiſcit.

* proſternitur

16. Poſt dies autem non plures dum eſſet ſuſpenſa à cibo potúque carnali, ſolita oratione proſtratur*, ſine quibus hoc genus non ejicitur. Erat autem dies Paraſceven. Mane autem ſabbati facto, videt Angelum Domini loquentem ſibi atque dicentem: Promiſſam tibi à Domino remunerationem ſcito percipere, proximáque afflictione quam perpeſſura es in hoc labenti ſæculo, coronari ab eo quaſi unus ex nobis. Audiens autem hæc, læta cecidit in faciem ſuam. Qui ſtatim abſceſſit. Dum in tali ſuſpenſu adforet, ſtatim recogitat ſibi * ab eo ſalvari, qui ſe in multis afflictionibus confortavit, affirmans namque *; Manſio tibi luciflua in cælis eſt præparata.

* *lege* ſe

* *f.* inquit

Morbo decumbens dæmonem videt.

17. Deinde verò volente Deo illam velut obrizum aurum in fornace probare, cœpit ſacrata Virgo Chriſti ægrotare, nimióque languore carnis affligi. Circa noctis media nimio ſitis caloríſque infirmitate conſtricta, cœpit ſe fortiter ſitis caloríſque coartatione conſtringere uſquequo aurora conſurgeret: factóque mane vidit illum antiquum hoſtem ſatanam ignicomis ſpiris flantem circa locum in quo jacebat. Et ait ad illam: Conſtrictus, fateor, minis Angelicis cur iterum auſus ſum fatigationem imponere, cùm jam multoties erubeſcentiâ ductus confuſus abſceſſi? propria matre invidia coactus hæc feciſſe fateor, quæ me de ſede florigera proſtravit. Jamque iniquus hoſtis excommunicatus evanuit, Virgo Chriſti fatigatione ſoluta orationi ſolitæ ſubjacuit. Die autem quarto allatus eſt ad eam puer propè jam mortuus: propinqui namque illius jam deſperabant de vita parvuli. Juſſit namque Chriſticola ſancta collocare illum ante cornu altaris, loco in quo locutus fuerat ei Dominus: oratione Virginis ſtatim ſanus effectus eſt innocens. Et cùm miniſtri ejus rei geſta detuliſſent de incolumitate pueri, ſtatim ſenſit à Domino virtutem fieri. Non meis, inquit, meritis illum reſuſcitavit Dominus, cùm ſim inutilis in omnibus.

Exanimem ſuſcitat.

Auctor multa omittit.

18. O ineffabile myſterium Chriſti! Quis valet conſiderare dona ſancti Spiritûs aut verbis explicet, factis affirmet? Nam ſi per ordinem ea replicentur quæ per ora Fidelium tertiò audivimus, antea clara finietur dies veſpere clauſo olympo, quàm textus lectionis explicetur à nobis. Sed tantùm juxta id quod vidimus, aut per idoneos teſtes audivimus, jubente Chriſto petitionibus veſtris obediens ſcribere conabor. Ne paginolæ noſtræ ruſticitatis legentibus vel audientibus tædium generent, ad ordinem titulorum redeamus. Supradicta famula Dei Aldegunda de viſionibus atque revelationibus ſpiritualibus quas Chriſtus ſponſus ejus revelavit, cuidam viro religioſo SUBINO Abbati de Nivialenſi Monaſterio narravit ordinanter, & ſcribendo tradidit. Ex noſtra parvitate puellæ parvulæ coram ſe legere præcepit: ſatiſque mirati fuimus, quia ante iſta tempora ultima ſimile non audivimus, & ea quæ audivimus veraciter credimus.

Auctoris ætatē hinc diſce.

[a] Hucbaldus addit Aldegundem expoſitâ B. Giſleno hacce viſione didiciſſe obitûs ſui tempus non longè abeſſe: quod etiam in Vita S. Giſleni commemoratur.

[b] Subjicit Hucbaldus Aldegundem inviſiſſe *B. Humbertum apud Maricolas habitantem, & cùm circa vicina Monaſterij cum illo deambularet orante viro Dei cum ipſa Virgine, fontem ilico dulcem è terra manâſſe.* Quibus addit: *Beatus autem Humbertus depoſitionis ſuæ diem præſcens, lineas veſtes ad uſus exſequiarum ſuarum ab ipſa Virgine poſtulavit.* De fonte eadem habet Anonymus Giſlenianus. Confer Vitam ſanct Humberti Abbatis Maricolenſis.

19. Dúmque foret puella parvula in domo parentum, crevit cum ea amor vitæ cæleſtis & cura eleëmoſynarum in pauperibus Chriſti: & cùm non haberet inquantum mens larga pauperibus ut erogaret, genitrix illius habebat reconditos ſolidos quos frequenter enumerabat. Sanctáque virgo Aldegunda in virtute Chriſti cognovit ut illos in pauperibus Chriſti erogare deberet. Per aliqua namque exſpectans revelationem, ut veraciùs cognoſceret quid exinde voluntatis Dei eſſet; contigit aliquo die ut prædicta genitrix ſua ipſos requiſiſſet ubi erant reconditi, quos intactos per plurimas vices dereliquit. Et tunc Dei Electa propria devotione accepit, quos pauperibus pro Chriſti amore diſtribuit. Sed cùm Mater Cœnobitarum eſſet, & antè perfecta bonis operibus exemplíſque Divinæ gratiæ repleta, miſit ex pecunia miniſtrum veſtimenta egenis emere. Fecit namque quod ei fuerat imperatum, & quod ſuperfuit famulæ Dei detulit, & momentum ſtateris ipſum pondus quod emptura commiſit invenit. Ipſa namque & germana ſua valde mirantes qualiter ita pondus creviſſet, ſtatim recogitant locum Scripturæ ubi dicit: *Qui habet, dabitur ei & abundabit*; hoc eſt qui minimis fratribus Chriſti & neceſſariis miniſtrat fructum eleemoſynarum, multiplicatum in æterna retributione poſſidebit. *Matth.* 13. 12.

CIRC. AN. DC. XXCIX. JANU. XXX. Aldegundis in pauperes liberalis.

20. Contigit namque ut ſuus piſcator quadam die immanem piſcem ab amne vivum extraxiſſet, quem Domnæ Aldegundæ detulit. At illa juſſit illum in fontanis vivum projicere. Qui ſtatim incognitâ aquâ trepidans in aridam deſiliit: volucres namque de vicinis arboribus convolantes, piſcem devorare rabido ore deſiderabant. Adfuit namque in proximo agnus anniculus decarpens herbam, vidénſque circa piſcem corvos cucurrit intrepidus, cornibúſque evicit ne devorarent illum. Sanctimoniales namque videntes alongè, mirantur quod agnus huc illúcque decurreret. Quæ feſtinantes invenerunt piſcem vivum, eúmque Matri ſpiritali detulerunt. Agnus verò ſequebatur illas. Videns namque famula Chriſti ſancta Aldegunda gaudio repletur, & omnes Sorores mirabantur hujuſcemodi rei factum, nihil dubitantes pro cujus merito talia fiebant.

Piſcis intactus ab agno ſervatur.

21. Quadam nocte cùm Dei famula Aldegunda & germana ſua pariter in habitaculo de amore vel de converſatione ſancti gregis qui ſub doctrina vel exemplo ejus vivebat conloquebantur, candela coram eis poſita ſubitò in terram cecidit & exſtincta eſt. Exſpectantes paullíſper ut aliqua puella curreret ad reilluminandum, inclinans ſe beata Mater candelam à terra elevavit, & in manu ejus claro lumine refulſit: glorificavit Patrem ſuum cæleſtem qui in multis tribulationibus eam confortabat.

Candela divinitus reaccenditur.

22. Poſt paullulùm dum illas ſeniores germanas de cura gregis & de ſtabilitate Monaſterij miniſtras intrinſecùs ordinanter inſtrueret, ad horam orationis ſextam ad Eccleſiam venientes pulſaverunt oſtium. Miniſtræ Eccleſiæ defuerunt. Quis ſcit pro quolibet opere foras exierunt? Dum ſtant in exſpectatione, ſubitò Dei juſſione ſine humano auxilio ultro oſtia patuerunt. Mirantes hujus rei geſtum miraculum, officium orationis redditum, ad earum habitaculum glorianter redierunt.

Eccleſiæ fores ultro aperiuntur.

23. Jugiter Dei famula mandata Domini in mente gerebat, memor ſcilicet Dominici reſponſi dicentis: *Si vis perfectus eſſe, vade vende omnia quæ habes, & da pauperibus, & habebis theſaurum in cælo, & veni ſequere me.* Iſta conſiderans ſancta Virgo omnia quæ à proximis jure hereditario perceperat, res proprias, aurum, argentum, lapides pretioſos, veſtes mirabiles, ſana mente ſalubríque conſilio ad ornamentum Eccleſiarum & in res pauperum, præter vile veſtimentum & victum cotidianum, ad præſens diſtribuit: quia per Scripturarum diverſa teſtimonia, melius eſt unum ſolidum manu propria pauperibus tradere, quàm centum poſt mortem promittere. Ideo quòd legens intelligit, vivens adimpleat. *Matth.* 19. 21.

Res ſuas in pios uſus expendit Aldegundis.

24. Iſta peracta *, contigit in vicina nocte cùm ad hauriendam aquam de fon-

Aqua in vinum convertitur.

* *pro* iſtis peractis

CIRC. AN. DC. XXCIV. JANU. XXX.

te ad opus ſuum ſecundum conſuetudinem ad bibendum miniſtri attuliſſent, ſtatim in odorem vini fuit converſa. Hoc non dubium eſt illi poſſe declarare ſignum, qui præceptum Domini noſtri JESU-CHRISTI in omnibus adimplet. Iterum evenit, ut una ex miniſtris ſanctæ Virginis implevit urceum aquâ ad manus lavandas, cùm ſubitò reverſa invenit illum vacuum, velociter recurrens ad aquam tremebunda. Et cùm eſſet reverſa invenit illum de juſſione Dei plenum, itaut mirarentur cauſam rei geſtæ.

Urceus aquâ divinitus impletur.

Auctoris ætas.

25. Fuit quidam Preſbyter boni teſtimonij, à pueritia in Monaſterio deſerviens, qui veraciter nobis narravit, cùm eſſet ante fores ſuæ domus prima hora noctis, vidiſſe globum igneum ex aëre quaſi coopertum pennis pavonis. Deſcendens namque ſedit ſuper habitaculum ubi virgo ſancta Aldegunda ægrota jacebat. Poſt nocturnas & matutinas vigilias una Soror de locis Monaſterij cùm ſe ſopori dediſſet, myſticam oſtendit ei Deus viſionem quaſi ſanctæ memoriæ B. Aldegunda adſtetiſſet ante altare in loco Sacerdotis, & oblationes Miſſales manibus in calicem fregiſſet. Et converſa ad ſupradictam ſororem dixiſſet: Vade & dic Sacerdoti, ut ſuper hunc calicem Miſſarum ſollemnia canat: quia heſterna die gravis infirmitas membrorum me prohibuit communicari, hodie Domino auxiliante de corpore Chriſti & ejus ſanguine participari deſidero. Facto die proceſſit Sacerdos, more ſolito panem & calicem benedixit, quem ſubitò in aëre ſuſpendere vidit, & rurſum eâ horâ ſtabilis ſteterit, & pariter poſtea puella de viſione & Sacerdos de ſuſpenſo calice famulæ Dei narraverunt. Et tacita cogitatione conſervans intra ſe, non dubitans quòd velox depoſitio corpuſculi ſui eſſet futura.

Varia de Aldegundis obitu indicia.

Monacha ab igne ſervatur illæſa.

26. Simili modo quadam die cùm Sorores ignem exſtruerent ad aquas calefaciendas, ſtabat una ex Sororibus ad prunas. Invidioſus namque hoſtis qui animas Sanctorum cotidie debellare non ceſſat, hic impulſu in prunas & flammas ſubitò eam projecit. Ænioli* ferventibus aquis deſuper pendebant. Invocato nomine bonæ memoriæ Aldegundæ, de incendio ac poteſtate inimici intercedentibus meritis ſanctæ Virginis, incolumis Domino adjuvante ignium minas evaſit.

* *id eſt* vaſa ex ære

Item alia.

27. Aliqua puella de rebus neceſſariis Monaſterij curam gerens ſecus pedes Magiſtræ & amitæ ſuæ à cunabulis regulariter nutrita eſt, nomine ALDEDRUDA [a]. Cui beata Magiſtra ſua præcepit ut fragmenta ceræ in unam maſſam funderet, & in pulverem frigeraret. Dum in loco illum divertiſſet, cera liquefacta fervens igne & flamma conſcendit in altum. Hæc videns illa, dolore detrimenti commota indubitanter cucurrit, & nudis manibus vas ſimul cum cera de igne elevavit, brachia & articulos & manus de igne & cera bulliente ſuperfuſas in pavimento depoſuit. Et factum eſt intercedentibus meritis ac precibus beatæ Virginis, in carne vel cute nullum ſignum incendij vel doloris apparuit. A Domino ſana à periculo incendij effecta apparuit.

[a]

Quidam periculosè laborans convaleſcit.

28. Homo quidam peccatis præpedientibus privatus ſenſu, de vita jam dubitans, à parentibus ductus eſt ante conſpectum Virginis, narrantibus quali infirmitate detineretur homo: juſsítque illum veſpere reduci ante ſe, ſignum Crucis imponens ſuper eum. Qui domum reverſus, inſequenti nocte cibum & potum ſumpſit, ſomnum recuperans accepit, ac deinceps ſanus permanſit.

Mors S. Aldegundis variis modis cælitùs deſignatur.

29. Quinto die ante ſuum obitum germanæ ſuæ magna & mirabilis apparuit revelatio, quaſi miſſis Apoſtolis Chriſti vel Angelorum agminibus ad æthereas ſedes germana ſua ſancta Aldegunda deduceretur in Nivialla Monaſterio. Mirabile ſignum factum minimum fateor, ſed duo viſa eſſe veraciter novimus.

[a] Anonymus Vitæ S. Aldegundis Scriptor *Aldetrudem filiam ſororis Vvaldetrudis* fuiſſe dicit. Aliam Aldegundi neptem MADELBERTAM, itidem ſororis ſuæ filiam tribuit Hucbaldus: utrumque Vita S. Giſleni confirmat. Aldetrudis amitæ Aldegundi in Melbodienſis Cœnobij regimen ſucceſſit, Aldetrudi Madelberta.

Die Paraſceve [a] ante Sabbatum dormitionis famulæ Dei Aldegundæ, quædam femina velata ante triennium, pura ſimplicitate & obedientia, in ſtratu ſuo feſſa labore ſopori ſe dedit. Circa noctis medium vidit ingentis luminis claritatem per feneſtram ingredientem, itaut omnis domus à pavimento uſque ad trabes, quaſi per Solis radium meridianum eſſet illuſtrata. Dum hoc miraculum trepida intuitá eſſet, auribus ſonus choris pſallentium diverſis vocibus magnis ac minimis in Eccleſia B. Petri Apoſtoli auditur, ubi virgo Chriſti ſancta GERTRUDIS * cum aliis Virginibus ſanctis corporaliter requieſcit: & in momento temporis lumen & ſonus pſallentium pariter per aures ſparſerunt. Tunc Sanctimoniales ſtupefactæ inter ſe conferentes, cognoverunt divinitùs tranſitum ſacratæ Virginis Aldegundæ adeſſe, viſis mirabilibus quæ fiebant à Domino exigentibus meritis illius. Tertia nocte egreſſionis ejus è corpore, exeuntes causâ pietatis & viſitationis de diverſis advenimus locis. Craſtina die germana ejus Dei famula narravit nobis, quoniam quædam Soror circa mediam noctem orans ſtabat ante fores domûs, vidítque vigilans claritatem vehementem deſuper deſcendentem ſuper habitaculum ubi electa Dei incontaminatum reddidit ſpiritum, ac deinde continuò in auras ſparſit. O mira circa omnes Dei pietas! idcirco humanis obtutibus talia præſentantur à te, ut ne quiſquis de fidelibus Chriſti dubitet gratiam pro gratia Sanctis à Domino percipere, ubi tanti fulgoris claritatiſque ſunt miracula. Sparſim ſonus pſallentium cæleſtium agminum auditur: & multa innumerabilia ſigna à Domnio fiunt in exitu Sanctorum ſanctarúmque Virginum, ut cujus nutu gubernantur in terris, ejus adjutorio perducerentur in cælum: vel quorum exempla imitata virgo Chriſti Aldegunda fuerat in terris, illorum comitatu felici pergeret ad cælum [b], juuante Domino noſtro JESU-CHRISTO cui hæc virgo illibata inviolatáque ſervivit, qui cum Patre in unitate Spiritus ſancti regnat Deus per infinita ſæcula ſæculorũ. Amen.

CIRC. AN. DC.XXCIV. JANU. XXX. a

* *Vita ad an. 658.*

Auctoris ætas.

b

a Id eſt *ſextâ ſeriâ ante diem Sabbati & dormitionis famulæ Chriſti Aldegundis*, ſicuti alius Anonymus interpretatur. Ut enim quælibet dies Dominica ab antiquis dies Reſurrectionis Dominicæ dicitur, ſic & feria ſexta dies Paraſceves. Hinc intelligas Aldegundem Sabbato mortuam eſſe.

b Obiit S. Aldegundis die Sabbati, ex dictis, & quidem III. Kalend. Februarij, non ita multo poſt mortem S. Amandi, quem anno DC. LXXIX. deceſſiſſe probavimus. Proinde Aldegundis obitus anno DC.XXCIV. littera Dominicali C ante biſſextum prædito collocandus eſt. *Sepulta eſt*, inquit Anonymus alter, *in villa ſua quondam ditionis ubi animam reddidit Creatori ſuo vocabulo Curtiſſolra, ubi uterque ſuus parens tumulati eſſe dicuntur. Poſthæc à Rege inclyto* SIGEBERTO *atque beatiſſima Virgine* ALDETRUDE *Abbatiſſa tranſlatum eſt corpus ejus in municipium Malbodium, quod ipſa (ut in titulo chartarum comperimus) à fundamento conſtruxerat: ubi vernat ejus memoria, ac miraculis coruſcat magnis & prodigiis floret eximiis. Eſtque ipſe locus grege Puellarum farcitus, aliorúmque Deo ſervientium numeroſitate repletus, &c.* De Curtiſſolra dictum ſuprà. Nullus è quatuor Vitæ Scriptoribus ſignat diem obitûs S. Aldegundis, quem variis diebus Eccleſiaſtici Faſti celebrant. Nempe Yvandalbertus ejus meminit VI Kalend. Februarij, Florus in Addit. tertio eaſdem Kalendas ejus depoſitionem memorat, quo etiam die Ado eam celebrat: Uſuardus verò, qualis apud nos Auctoris ætate exaratus habetur, Idibus Novembris, quo die Surius in prima editione Vitam S. Aldegundis repoſuit. Diem Natalem S. Aldegundis recolunt Malbodienſes III. Kalend. Februarij, Tranſlationem Idibus Octobris. Plures leguntur iſtius Sanctæ Tranſlationes. Prima facta ab Aldetrude Abbatiſſa è Curtiſſolra in Cœnobium Malbodium, quæ à Sigeberto Rege etiam facta dicitur, ubi pro Sigeberto Theodericus reponendus videtur. Henſchenius tamen in Exegeſi liminari ad Tom. 3. Martij putat retinendum eſſe Sigebertum, qui Dagoberti tertij filius in Auſtria regnaverit. Hæc Tranſlatio Idibus Octobris facta videtur: quo die in minutis ad Bedam additionibus *in Malbodio Tranſlatio S. Aldegundis Virginis* notatur. ALIA TRANSLATIO ſeu Oſtenſio corporis S. Aldegundis, ab Hadriano Præpoſito Malbodienſi teſte oculato deſcripta, contigit anno M. C. LXI. die 6. Junij, quo advenit NICOLAUS *Cameracenſis Epiſcopus & cum eo Archidiaconi & quamplurimi S. Mariæ & S. Gaugerici Canonici, advenit &* BALDUINUS *Comes Montenſis, &c. allata ſunt & corpora S. Giſleni & S. Vvaldetrudis. Inſuper & magiſter* GALTERUS *Laudunenſis Epiſcopus advenit.* Miſſâ celebratâ, *ad vetus feretrum acceſſerunt, & ſanctum vaſculum in quo corpus S. Virginis quieſcebat invenerunt. Quo aperto ſtatim exit odor ſuaviſſimus, cujus ſuavitate*, inquit Auctor, *ſumus omnes adſtantes mirabiliter refecti. Cameracenſis Epiſcopus oſtendit unum de pedibus corio imputreſcibili & unguibus veſtitum, & caput ſanctum ex maxima parte cute incorruptibili coopertum.* Corpus panno ſerico incluſum in nova theca reponitur. TERTIA TRANSLATIO facta eſt *anno Incarn. Dom.* M. CCCC. XXXIX. *feria 3. in feſtis Penteceſtes qua tunc fuit 26. menſis Maij, ſede Cameracenſi vacante:* quo die Reverendus in Chriſto Pater D. Hugo Dagnenſis Epiſcopus à Capitulo Cameracenſi ad hoc rogatus, è veteri feretro non ſine odoris fragrantia extraxit caput, (*in quo cutis & capilli ſatis multi & aliquot dentes* ſupererant) *ut* ſeparatim in reliquiario, corpus verò in novo feretro argenteo reponeretur. Hujuſce Tranſlationis celebritas nunc Idibus Octobris agitur. Ad hæc die 18. Octob. fit *B. Aldegundis commemoratio ob Elevationem aliquam vel Tranſlationem qua eo die facta creditur*, ut ex Breviario Malbodienſi Bollandus adnotavit. S. Aldegundis Reliquiæ ſeparatis (uti diximus) thecis incluſæ adſervantur in majori Eccleſia Canonicarum Melbodienſium dedicata S. Aldegundi, cujus patrocinio cancer, mammillarum exulcerationes, dolor capitis, ſcabies, angina & febres pelluntur.

CIRC. AN. DC.XXCIV. AUG. XX.

VITA S. FILIBERTI ABBATIS GEMETICENSIS ET HERIENSIS PRIMI,

Auctore Gemeticensi Monacho anonymo suppari.

Ex MSS. codd. & Hist. Trenorc. Petri Fr. Chiffletij.

OBSERVATIONES PRÆVIÆ.

Vitæ Scriptor. * S. *Filbert*

1. VITAM S. FILIBERTI* *Abbatis ab antiquo Auctore descriptam fuisse, testatur qui S. Austreberta Acta litteris mandavit coævus Scriptor anonymus his Prologi sui verbis:* Vereor ne mihi contingat quod cuidam contigisse audivi, qui rogatus a quibusdam viri reverentissimi Filiberti Monasterij Gemeticensis quondam Abbatis vitam atque conversationem stilo diligentiùs exarare, ilico scribere conatus est. Cúmque ad manus cujusdam legendi gratiâ pervenisset, despexit & irrisit, & longè aliter textum & ordinem multo meliùs dissimiliter immutavit. *Hinc discimus, S. Filiberti Vitam primò quidem rudi minerva ab imperito quopiam homine exaratam, dein ab alio expolitam. Vnicam exhibent veteres membranæ à nobis hîc editam, quæ sanè haud alia quàm secundaria illa esse videtur* COSCHINI *Abbatis Gemeticensis jussu composita. Et tamen Hariulfus Monachus in Chron. Centul. lib. 1. cap. 26. istam lucubrationem incultam vocat in hunc modum:* Hic *(Coschinus)* ad incitamentum virtutis & ad exemplum ædificationis animatum sibi commissarum, B. Filiberti Vitam describi jussit, vero quidem sed non valdè culto sermone: quippe qui sic loqui gestiebat, ut & simpliciores ex lectione admodùm plana fructum intelligentiæ capere possent.

Coschini Abbatis ætas.

2. *Coschinus Abbas Gemeticensi Monasterio præerat longè ante Ludovici Augusti principatum, contra quàm Chiffletius censet: siquidem Filiberti discipulus exstitisse, & Aicadro Filiberti successori proximus Abbas, atque Centulense Monasterium tertio post Richarium loco rexisse dicitur. Nec refert, quòd* ERMENTARIUS *Monachus Gemeticensis, postea vagæ Congregationis Herienſis Abbas, hanc ipsam lucubrationem direxit nuncupavitque* Hilduino Abbati *cum libro primo Translationis ac miraculorum S. Filiberti ab se condito. Id enim præstitit in eum finem, ut Hilduinus non solùm miraculorum S. Filiberti, sed maximè ejusdem Vitæ lectione moveretur, sedémque Monachis Herienſibus palabundis à Carolo Calvo impetraret, quemadmodum ex subjectis versibus intelligitur. Quippe Ermentarius Monachus Gemeticensis librum primum Translationis S. Filiberti* in Monasterium Deas *cognominatum, anno* Inc. Dom. octingentesimo trigesimo sexto factæ, *dictavit jubente* Hilbodo venerabili Abbate *Herienſi: librum verò alterum Translationis & miraculorum jam Abbas edidit post* annum Inc. Dominicæ octingentesimum sexagesimum sextum, quando S. Filiberti corpus de Conaldo motum ad Mesciacum villam est translatum. *Primum (ut dictum est) unà cum antiqua Vita dedicavit Hilduino Abbatiæ S. Dionisij Abbati, alterum itidem ipsi dedicaturus, nisi mors Hilduinum præripuisset.*

Ermentarij scripta.

Filiberti nomen.

3. *S. Filiberti nomen duobus modis pingitur, aliis* Filibertum, *aliis* Philibertum *præferentibus. At certè veterrimi quique libri* Filibertum *unico digammate exprimunt, recentiores quandoque* Philibertum, *quòd hocce vocabulum Græcæ originis esse à nonnullis existimaretur, cùm potiùs sit Gallicæ veteris aut Germanicæ. Certè* Bertus *Germanorum linguâ*, clarum, fulgentem splendidúmque *significat: quid verò* Fili, *(quod nomen Filibertus à Filibaude patre traxit) nondum adsequi potuimus. Non placet Claudii Roberti sententia, qui ad calcem Galliæ Christ.* Philibertus *interpretatur* amans barbam, *(nam &* Bert *Germanis* barbam *sonat.) Si enim hybrida ejusmodi compositio hîc admittenda esset, præferremus utique eam, quâ* Filibertus *Latino ac Germanico idiomate* filius clarus *diceretur.*

Memoria in Fastis.

4. *S. Filiberti memoria in sinceris Vsuardi & Adonis Martyrologiis* XIII. Kalend. Septemb. *ita celebratur:* Herio insula S. Filiberti Abbatis, qui post militiam temporalem Christi tirocinio mancipatus, Monasteriorum exstitit fundator devotus. *Eumdem signat diem Vitæ Auctor infrà. Hinc corrigendus Wandalbertus, qui Filibertum Martyrologio suo inscripsit XIII. Kalend. Augusti hoc versu:* Et ternam denam FILIBERTUS sanctus adornat. *Eumdem laudat Grimlaicus Presbyter in Regula Solit. cap. 44. & Alcuinus in Epigrammate* 135.

Hanc Pater egregius aram FILIBERTUS habebit,
Plurima construxit qui loca sancta Deo.

Laudatur etiam Filibertus in aliis SS. Actis, Agili Resbacensis, Wandregisili Fontanellensis, Ai-

cad.

cadri Gemeticenſis, Abbatum; tum etiam in Vita S. Balthildis Reginæ aliiſque.

CIRC. AN. DC. XXCIV. AUG. XX. Monaſteria.

4. *Monaſteria duo conſtruxit Filibertus, Gemeticenſe & Herienſe; Quinciacenſe item virorum; ac Villarenſe ſeu Montivillarenſe, necnon Pauliacenſe Virginum ordinavit: ex quibus Gemeticenſe, Quinciacenſe, & Montivillarenſe etiamnunc perſtant; Herienſe poſt everſionem à Nortmannis factam converſum eſt in Prioratum Trenorcienſi Abbatiæ ſubjectum; Pauliacenſe item in Prioratum, qui anno* M. LX. *Monaſterio ſancti Catharinæ in monte Rotomagenſi attributus eſt. Pro Quinciacenſe lege Acta ſancti Aicadri infrà, & Vitam ſanctæ Auſtrebertæ pro Pauliacenſi. ad annum 704. referendam. Gemeticenſe Monaſterium infrà cap. 8. deſcribitur: ab ipſis fere primordiis legitur habuiſſe nongentos Monachos, quorum mediam partem Aicadro Abbate uno die obiiſſe & in cælum abiiſſe ipſius Aicadri Acta teſtantur. Eumdem numerum ante Nortmannorum cladem iſthic exſtitiſſe, Willelmus Gemeticenſis in lib. 2. Hiſt. Nortman. cap. 6. auctor eſt: ut verè Gemeticum Sanctorum ſeminarium eſſe dixeris. In eo præter Filibertum floruerunt SS.* AICADRUS *Abbas*, SYDONIUS *Monachus ſæculo ſeptimo*, S. HUGO *Abbas & Antiſtes* Rotomagenſis *ſæculo octavo*, S. MARTINUS *primus poſt Cœnobij reſtitutionem Abbas ſæculo x. de quibus agendum ſuis locis. Floret etiamnunc inſigne iſtud Monaſterium, quod à Patribus Congregationis Benedictinæ S. Mauri adminiſtratur.* Gemeticenſe.

6. ERMENTARIUS *ſuprà laudatus Vitæ ab Auctore anonymo jam editæ præmiſit Carmen & Præfationem ad* HILDUINUM *Abbatem hoc modo:*

PRÆFATIO ERMENTARII AD HILDUINUM ABB.

HILDUINO Abbatum ſummo ſit vita ſalúſque,
Sit felix vita, gloria perpes, Amen.
Tu meritis almi fultus valeas FILIBERTI,
Vitam & virtutes cujus habenda cape.
Sis memor oro ſui, noſtri quoque ſis miſereſcens;
Utque tui ille memor ſit, memor eſto ſui.
Ille preces pro te Dominum fundendo precetur,
Ut felix vivas, & jugiter vigeas.
Tu quoque poſce pium Regem CAROLUM reverenter,
Quo nobis tandem det miſerando locum[a].
Vive diu felix, gaudens per tempora multa,
ERMEN- enim veſter -TARIUS iſta cupit.

Vitam Beati FILIBERTI atque miracula in ejus Tranſlatione declarata, quæ * ego tunc temporis tirunculus minùs culto compoſui ſtilo, Claritudini veſtræ mittere curavi: quatenus talia recolentes, de ejus iterum tranſpoſitione conſideretis. Quia ſicut optimè noſtis, propter Nortmannorum infeſtationem à nullo ei præbetur officium: præſertim cùm nec ibi conſiſtere, nec alicubi locum quò transferri poſſit, obtinere valeamus. Si verò hoc negotium veſtro peractum fuerit adjutorio, (poteſtis namque id facillimè perficere, ſi poſſe comitatum fuerit velle, ſecundum quippe poſt Regem locum in omnibus tenetis) vobis quammaximè non modo inpræſentiarum, verumetiam in futurum proſpicietis. Nomen denique CAROLI glorioſiſſimi Regis noſtri idcirco in Miraculorum Præfatiuncula inter Fratres tacetur, quia quando hæc geſta fuerunt, in aula Regia puer nutriebatur, erudiebatur, inſtruebatur. Igitur ſi veſtra benigniſſima ſuggeſtione ejúſque liberaliſſima largitione admonita effectum obtinuerint; ſequens Libellus qui jamdicti Confeſſoris Miracula quæ ſuperſunt, vel quæ adhuc (ut creditur) pandentur continebit, veſtro adſignabitur nomini. Gratum ſanè judicavi ſagaciſſimum veſtrum petitum ire ingenium, ut ſi ſecus ac decet perſpicaſſimus in his veſter inſpexerit intuitus, non mordaci ſed leni poliatur pumice.

Ut valeas jugiter, Dominum depoſco frequenter.
Supplico ſuppliciter ut valeas jugiter.

* *ſcilicet* miracula.

[a] Carolus Calvus, haud dubium Hilduini rogatu, *Hilbodo Abbati & Monachis ex Monaſterio S. Filiberti, à facie inimicorum Dei & ſanctæ Eccleſiæ, crudelium ſcilicet Nortmannorum, fugientes, quaſdam villas ad refugium conceſſiſſe* legitur, *Meſſiacum* & alias, *anno regni ſui* XIV. demúmque *Abbatiam S. Valeriani* Trenorcienſis *anno* XXXV. Chriſti DCCC. LXXV. quarum donationum Litteræ exſtant in Chiffletij hiſtoria Trenorcienſi.

CIRC. AN. DC.XXCIV. AUG. XX.

PROLOGUS AUCTORIS.

INCLYTUS ille Arbiter, in cujus laude ſollemni Sanctorum chorus proclamat luculenter, ita ævi per circulum diſpoſuit ſapienter, ut miles ejus ſignifer non laboraret maniter: ſed in congreſſu victoriæ adjutus Divino munere & ſequacibus præberet normam vitæ; & ipſe foveretur cum gaudio palmâ regni. Quod cùm divino ſpiritu Rex David Prophetico cerneret oraculo, dixit ad Dominum: *Valde honorati ſunt amici tui Deus, nimis confortatus eſt principatus eorum.* Quapropter ego infimus intellectu vel opere, imperante Domno COSCHINO ſancti agminis Gemeticenſium Patre, quamquam indignus invoco clementiam Chriſti, ut ad ſcribendum Vitam beatiſſimi FILIBERTI ipſe ſenſum meum erudiat, qui bruta labia aſinæ fecit loqui, ſuper quam cordis greſſu claudicans Propheta ſedebat.

Pſ. 138. 17.

INCIPIT VITA.

CAP. I. Filibertus Aquitanus in aula Dagoberti educatur.

SANCTUS igitur FILIBERTUS Heliſano[a] territorio ortus, ſæculari prudentia non indoctus, undique juxta morem gentis ſtrenuus, urbe Vico-Julij eſt tritus, ea de cauſa maximè quòd genitorem ipſius FILIBAUDUM obtentu Regij numuneris laïcali adminiſtratione ceſſante, cives loci illius expetiſſent Pontificem. Qui cùm prædictum adoleſcentem bonæ indolis fore * cerneret, eum Regi DAGOBERTO commendare ſtuduit, qui inter reliquos Francorum Reges fortiſſimus fuit. Tunc ille nobilitatis lampade fulgens conſortium indeptus eſt AUDOENI Optimatis, qui ſub aureo balteo Deum valde diligens, inter reliquos Regni proceres valde habebatur illuſtris, & præfulgentibus vitæ meritis Cathedram ſubiit Rotomagenſium Civitatis, & nunc virtutum ſignis fulgurante radio coruſcat in terris.

* eſſe

a

II. Agili Abbatis diſciplinæ ſe committit.

Cùm igitur Filibertus juvenis quaternis annorum polleret luſtris, Divina præcepta audiens elegit Chriſti diſcipulus fieri propriis omnibus derelictis. Nec tamen ſuo arbitrio credidit: quia hoc didicit ut præeſſe non audeat qui ſubeſſe non didicerit, nec obedientiam ſubjectis imperet quam Prælatis exhibere non novit; ſed ſervum Dei inquirendum ſtuduit, cujus vehemens religio probatiſſima foret. Agnito igitur quodam Dei milite AGILO * nomine qui præerat Cœnobio Reſbacenſi, quod S. Audoënus cum ſuis conſortibus in propria conſtruxerat tellure, & ipſum virum Dei ibi inſtituerat de Monaſterio adductum Luxovienſium Patrem, quidquid habere potuit in eleëmoſynam idem erogavit. Nec quidquam exinde amicis vel parentibus gratis aliquid tribuit, ſed totum acſi Regalia negotia ſibi credita cautè & fideliter diſpenſavit. Cúmque ad prædictum Cœnobium perveniſſet, B. Agilus illum gratanter recepit, ibíque vir Domini Filibertus comam depoſuit, ac jugum Chriſti ſuave & onus ejus leve ſuſcepit: tantæque religionis culmine excrevit, ut viris perfectioribus imitabilis fieret.

* *de eo ſuprà.*

III. Gulæ vitium mortificat.

Juſſus igitur ad priorem menſam ſedere, ſtuduit ipſe omnibus miniſtrare, ut ipſum reficiendi ſolatium in Fratrum implicaret obſequium, ne ſatiatus à menſa conſurgeret peracto convivio. Cúmque antiquus hoſtis ejus invidens abſtinentiæ pulſaret animum illius ut ſumeret ampliora edulia, nutu Dei detectus viro Domini per ſomnium eſt oſtenſus. Nam cùm quadam nocte fuiſſet cibo refectus, ipſe ventrem illius palpare cœpit ac dicere: Modò hic benè, modò hic benè[b]. Tunc miles Domini cognoſcens ignita jacula inimici, Crucis ſe vallans muni-

b Dæmonem ſuperat.

a Illuſtriſſ. Petrus de Marca in Hiſt. Benarn. rectè hunc locum interpretatur de Eluſa Aquitaniæ urbe, Vico Julio ſeu Aturenſium civitati vulgò *Aire* finitimâ, cui Filibaudus S. Filiberti pater præfectus eſt Epiſcopus.

b Hoc factum apud Grimlaïcum Presbyterum in Regulæ Solitar. cap. 44. commemoratur.

mine rigorem abſtinentiæ ſtuduit triplicare & Dei auxilium implorare contra arma tyranni. Cùmque noctibus ſingulis Eccleſiam frequentaret, in tribus ſe contra ipſum tentamentis dirus anguis erexit. Nam cùm in urſi ſpecie eum intra Eccleſiam tentâſſet terrere, & ipſum nocte alia ferreo candelabro niſus fuiſſet transfigere, vel nocte tertia oſtium Eccleſiæ extenſis brachiis vellet prohibere; omnia ejus machinamenta Filibertus expulit virtute Divina per ſanctæ Crucis indagia*. CIRC. AN. DC. XXCIV. AUG. XX.

*Conch. victricia arma

Igitur cùm B. Agilus obiiſſet in Domino, Fratrum concordante conſenſu vir Domini Filibertus ſuſcepit regiminis locum. Cœpit namque humilitate pollere, hoſpitalitatem ſectari, abſtinentiâ vigere, prudentiæ lampade radiare, florigera caritate vernare, zelo Dei ſuccendi, domum ſibi traditam ſtrenuè gubernare, nullius perſonam accipere, inventa vitia radicitùs exſtirpare. Tunc nonnulli è Fratribus malignitatis ſpiritu inflammati, aſſumpta rebellione ſanctum Dei ab Eccleſia præſumpſerunt extrahere: ſed ultrix manus Dei hoc impunitum non pertulit. Nam unus ex iis fulminis ictu interiit, alius more Arii in ſterquilinium omnia ſua inteſtina depoſuit, atque indignam vitam digna morte finivit. Tunc reliqui timore perculſi petentes veniam pro facinore, eum in honorem priſtinum ſtuduerunt revocare, atque ei deinceps cum caritatis ſtudio obedire.

IV. Abbas Reſbacenſis eligitur.

Perſecutionem patitur.

Sed quia perfecti viri ſemper perfectiora ſectantur, cœpit Sacerdos Domini Sanctorum Cœnobia circuire, ut aliquid emolumenti ex ſuſceptione ſanctitatis valeret accipere. Luſtrans Luxovium & Bobium, vel reliqua Cœnobia ſub norma S. COLUMBANI degentia, atque omnia Monaſteria quæ intra ſuum gremium Francia & Italia ac tota concludit Burgundia, aſtuta intentione providens ut prudentiſſima apis quidquid melioribus florere vidit ſtudiis, hoc ſuis traxit exemplis. BASILII ſancti chariſmata, MACARII Regulam, BENEDICTI Decreta, COLUMBANI Inſtituta ſanctiſſima lectione frequentabat aſſiduâ: ſícque onuſtus virtute aromatum ſequacibus ſanctum monſtrabat exemplum.

V. Cœnobia varia luſtrat.

Sed cùm Divina virtus lumen illius ſuper candelabrum vellet conſtituere, ut lampas ſanctitatis illius longè latéque fulgurante virtutum radio deberet ſplendere; poſuit in corde viri ſanctiſſimi, ut ex proprio labore deberet Monaſterium fabricare. Tunc à Rege Francorum CHLODOVEO nomine, atque ejus Regina vocabulo BALDECHILDE[a], locum in pago Rotomagenſi, quem vetuſto vocabulo Gemeticum[b] antiquitas conſueverat nuncupare, obtinens ſuggeſtione ſupplici, nobile ibidem Cœnobium viſus eſt conſtruxiſſe. Verè digna etymologia nominis Gemeticum nuncupatum, qui diverſo vernat decore more gemmarum. Hinc frondium coma ſilveſtris, hinc multiplices arborum fruges; illinc placet uberrima tellus, illinc virentia prata graminibus, hinc hortorum odoriferi flores, hinc vinearum abundant botriones, qui in turgentibus gemmis lucentes rutilant in falernis. Cinctum undique aquis miratur inclyta ceſpis, paſtui pecorum congrua, fundens frugem lactiferam, diverſis venatibus apta; avium canora melodia. Sequana in parte trina millia gyrat*, in quino bíſque quaterno ſtadio, quo non ictu priſtino vergit curſum, unum tantummodò commeantibus dans ingreſſum. Nunc adſcendens mare eructuat, nunc ad ſinum rediens aquarum impetus manat, compendia návium, commercia plurimorum, nihil pænè

VI. Gemeticenſe Monaſterium condit.

[a]

[b]

Deſcriptio loci.

* *Conch.* gyrat bis quaterno ſtadio quod noſtros in ictus priſtinum vergit curſum.

[a] Suffragatur coævus Auctor Vitæ S. Balthildis his verbis: *Ad Gemeticum Domno Fileberto viro religioſo & ſilvam magnam ex fiſco, ubi Cœnobium Fratrum ſitum eſt, & multa munera & paſtus de fiſco dominico ad ipſum Monaſterium conſtruendum conceſſit.* Errant ergo qui ad Dagobertum referunt Gemeticenſis Cœnobii primordia, quæ anno circà DC. LIV. collocamus, poſtquam Filibertus annos aliquot regendo poſt Agilum Reſbaco variíſque peregrinationibus impendit. Confer Vitam S. Agili ſuprà ad an. 650.

[b] Haud inepta etymologia, ſiquidem teſte Percevallio Galli veteres materno idiomate efferebant *gemé*, pro eo quod latinè dicimus *gemmatus*. Unde qui Latinæ linguæ rationem habebant antiqui Scriptores, geminatâ litterâ *Gemmeticum*; qui Gallicæ ſeu Romaniſcæ, neglecta geminatione *Gemeticum* pingebant. Qui Gemeticum à gemendo derivant, non ſatis attendunt ad rationem temporum. Priùs enim Gemeticum ſeu Gemmeticum locus dicebatur, quàm à Monachis quos gementes vocant inhabitaretur. Dudo S. Quintini Decanus in lib. 2. de Geſt. Norman. Fulbertus in Vita S. Aicadri *Gimegius* ac *Gimeſienſe* Monaſterium ſcribunt. Si quis à voce græca Gemeticum deducere velit (nam & Galli noſtrates non ſatis græciſſabant) occurrit vox γέμος, quæ plenitudinem ſignificat.

CIRC. AN. DC. XXCIV. AUG. XX.

indigens quidquid miniſtratur vehiculis pedeſtribus & equinis plauſtris, etiam atque ratibus. Ibidem Caſtrum condiderant antiqui. Ibi adſtant in acie nobilia Caſtra Dei, ubi ſuſpirantes præ deſiderio paradiſi gemunt, qui gementes roran-tibus oculis, in flammis ultricibus gemituri non erunt. Ibi ſacer almus, de quo præſens loquitur textus, multiplicibus laudibus eſt colendus, qui Patriarchæ Ja-cob more vetuſto in ſeptuaginta animarum numero iſtam deſcendit in eremum, addito ſeptemplici virorum numero propter gratiam ſeptiformem Spiritûs-ſancti.

VII. Fabricæ deſcriptio.

Ubi ejus providentia conſtruxit per quadrum mœnia turrita mole ſurgentia, Clauſtra receptionis mira, adventantibus opportuna. Introrſus domus alma fulget habitantibus digna: ab Euro ſurgens Eccleſia Crucis inſtar erecta, cujus apicem obtinet alma Virgo MARIA, altare ante faciem lectuli condente beatiſſi-mo Filiberto pictum gemmarum lumine, comptum auri & argenti congerie, ab utroque latere Johannis & Columbani aræ dant gloriam Dei. Aderat à Borea Dionyſij Martyris & Germani Confeſſoris Ædicula: in dextris nobile permanet ſancti Petri oraculum, è latere ſancti habens Martini Sacrarium [a]. Vergit à Meridie Cellula ipſius Sancti Dei petreo margine floreſcente. Operoſa ſaxis clauſtra comitantur arcus, variúmque decus oblectans animum, cinctum trium-phantibus lymphis. Duplex vergens ad Auſtrum ducentorum nonaginta pedum longitudine, quinquaginta in latitudine eminet domus quieſcendi obtentu. Sin-gula per lecta lux radiat per feneſtras, vitrum penetrans lychnus fovet adſpectus legentis. Subter ædes geminæ duobus officiis opportunæ. Hinc falerna ſervan-da conduntur, hinc prandia clara parantur: ibíque conveniunt qui dignè Chriſto deſerviunt, nihil habentes proprium, nullo egentes compendio, quia ſperantes in Domino non deficient omni bono, ut verè in eis impleatur ſcriptum: *Pax multa diligentibus legem tuam, Domine, & non eſt illis ſcandalum.* Caritas ibidem fulget mira, abſtinentia magna, humilitas ſumma, caſtitas per omnia.

4.

Monachorum diſciplina. *Pſ.* 118, 164.

VIII. Piſcium commoditas.

Sed & illud mirum quod à ſæculo non erat auditum, de belluis marinis inve-nerunt compendium. Nam uncis ibi retibus & ratibus capiuntur piſces marini quinquagenis pedibus longi, qui ob juvamina Fratrum ſumpti in eſcas, etiam expellunt tenebras per lucernas: atque contra naturam ſui aqua quæ ignem con-ſuevit exſtinguere, per nutrimenta pinguedinis ignem mittit lucernæ. Agit hoc meritum ſancti Filiberti & Sanctorum multiplices ſepulturæ, qui Deo ſervientes aſſiduè per pacis tempora, confixi Cruci propria voluntate, agonem impleve-runt martyrij, & corpore Chriſto commortui exſpectant diem Domini, coronam magni certaminis recepturi. Hæc de ſitu loci breviter diximus. Nunc ad geſto-rum ordinem redeamus.

IX. Annonam divinitùs accipit.

Cùm igitur vir Domini meritis fulgentibus creſceret in virtute, & quidquid ſibi abſtinentiæ rigore ſubtraheret, hoc pauperibus & hoſpitibus erogaret: quà-dam die laborantibus Fratribus panis defuit, itaut etiam unde fieret omnimodis non adeſſet. Sed cùm ipſe Fratres ſemper in ſtudio religionis admoneret, dicens eſſe promiſſum quod Dominus animam Juſti fame nequaquam affligeret, ſubitò nutu Dei quidam Francus adfuit, qui ſeptem panes & bis terna farinæ ſata detu-lit horâ qua reficiendi corpuſculum neceſſitas popoſciſſet. Tunc illi fide firmiùs confortati, & exinde ſufficienter habuerunt, & advenientibus cum gaudio obtu-lerunt, atque ex illa die inanteà numquam defuerunt habitatoribus loci illius opportuna frumenta.

X. Monachi febrem imperio ſanat.

Addantur paginæ nova Chriſti miracula. Cùm vir Dei pro cauſa Monaſterij ad HEBROINUM Francorum Principem vellet quemdam Monachum deſtinare; in-veniens illum proſtratum valida febre, injunxit ei cauſam obedientiæ in virtute

[a] In cod. Ciſterc. & Vallis Luc. hic locus paullo diverſus ſic effertur. *Hujus viri quippe laude per cuncta digniſſima Baſilica, in qua omnipotenti Deo ſedulum exhibebat obſequium, à Meridie conſiſtebat, cujus amœ-nitas incomparabilis omnes qui aderant incredibiliter delectabat. Dormitorium verò reſpiciens ad Auſtrum, in nonaginta pedum longitudine, & quinquaginta in latitudine tendebatur: in quo ſolis nimia ſingulæ per lecta lux radiat per feneſtras vitrum penetrans, lumen optabile tribuens legentibus. Subter ſunt ædes gemina &c.*

Christi solo verbo usus imperij: Vade, inquiens, & revertere, & ampliùs noli febricitare. Statim ergo Monachus sanus factus perfecit quantociùs quod à sancto Patre fuerat jussus Ita viri Dei sermo & causam obtinuit, & morbum fugavit. CIRC. ANN. DC. XXCIV. AUG. XX.

XI. Chirothecas miraculo recipit.

Quodam verò tempore Parisius Civitatem exigente causa discordiæ vir Domini pacem perrexerat reformare [a]. Obtento quod voluit, latro wantos illius illicita præsumptione furatus est. Ipse dum in crastinum eos non invenisset, more solito patientiam tenuit, sed infelix ille percussus à Domino furtum quod fecerat patefecit, ardere se ejulans inclamabat, & aliud loqui non poterat, nisi extensis brachiis sinum cum furto absconditò demonstrabat. Illo morte multato cives loci illius ad sancti Dei Cœnobium prædictos wantos ejus repræsentaverunt obtutibus.

XII. Qualis in oratione.

Quadam nocte dum in Basilica sancti Petri vigilans psalleret, quidam Monachus qui interiùs vigilabat, repentè conspexit, tamquam duas lampades fulgẽtes, oculos illius in Spiritu-sancto micare prævidit. Erat enim ei gratia lacrymarum concessa, ut cùm se ad orationem dedisset, subitò lacrymarum flumina sancti illius oculi emanarent. Sed & maximum studium erat illi ut antea cibum non sumeret, quàm eum Dominus per compunctionis gratiam visitaret.

XIII. Moribundo confitendi facultatem obtinet.

Cùm unus Monachus venisset ad extremum mortis, mutus effectus est labiis. Ingressus Dei Sacerdos ad illum, blandiens suadere cœpit ut si haberet occultum facinus, unde pœnitentiam non egisset, manum ejus stringeret. Cúmque ille ita feciſſet, ingressus vir Dei Ecclesiam S. MARIÆ cœpit Dominum exorare, ut ægro dignaretur linguam reddere, ne adversarius animam pro absconso crimine valeret submergere in baratrum [b] inferni. Cúmque Sanctus de oratione consurgeret, ei Frater alius nuntiavit quòd æger loqui valeret, & confessionem ei dare flagitaret. Quod ita factum est: nam confessione data & recepta pœnitentia reddidit animam Domino, ut nec Sanctus de Domino diffideret, nec æger in desperationem transiret.

XIV. Procellam discutit.

Quadam die dum Fratres messem succiderent, & manipuli sparsim per agrum jacerent, tempestas frendens intonuit, & ventus cum turbine valido se ostendit. Tunc Sanctus ne Fratres laborem perderent, extensis brachiis Dominum JESUM-CHRISTUM inclamavit. Illo ab oratione surgente Divina virtus tempestatem abstulit, & in duabus divisam partibus effugavit. Mox serenitate reddita, reddiderunt Monachi Deo laudis præconia.

XV. Equum furto abductum recipit.

Dies erat Dominica, & vir Dei peracto itinere festinabat ad Cœnobium Missarum celebrare sollemnia: perveniénsque ad Sequanam ipse cum Fratribus ad scendit naviculam, caballos quos habuerat reliquit in pascuis. Quod Regius forestarius dum adspexit, equum cui vir Dei insederat furto abduxit. Sed cùm se ad dormiendum locâsset, repentè surrexit, & totam domum suam flammis exitialibus ardere conspexit. Sed cùm hoc uxor ipsius non videret, & ejus anxietatem conspiceret, subitò & ipsa hoc quod vir ipsius videbat conspiciens, percunctari cœpit si aliquid de rebus Servorum Dei vir suus haberet in fraude. Quod ubi cognovit, ambo pariter nullam moram fecerunt, donec & direpta redderent, & pœnitentiam cum indulgentia recepissent.

XVI. Monachũ febricitatem sanat.

Die quadam Monachus qui languentibus serviebat ex more, & ipse incommodum visus est incurrisse. Sed hoc vir Dei cognito dixit ei: Fidem habe, & ægrotantibus serviens tu noli ampliùs ægrotare. Mox Monachus ut audivit, jussionem Patris adimplens & ægrotis servivit, & ipse sanus permansit.

a Posthæc in cod. Conch. legitur: *Sed callidus hostis qui fœcibus ejus actibus invidebat, ut suprà diximus, semper ei adstabat causâ bellandi, ut pro pace discordiam seminaret, mittens in cor unì è civibus, ut manicia quæ nos peregrinâ linguâ wantos vocamus, ipsius beati viri furaretur.*

b Hoc loco innuere videtur Auctor, Confessionem amisso vocis officio per signa & nutus factam non valere, contrà quàm S. Leo Magnus in Epist. 91. ad Theodorum Forojulienſem Episcopum apertè docet.

CIRC. AN. DC. XXCIV. Aug. XX.

Dum vir Dei itineris agens curſum, ſuper fluvium Iſaram Romanorum [a] deveniſſet ad portum, non invento navigio orationis expetivit præſidium. Quo ſurgente de tellure, repentè invenerunt à Domino miſſam navim, quam cum Dei laudibus adſcendentes alveum tranſgreſſi ſunt fluminis.

XVII. * *l'Oyſe*

XVIII. Vinum benedicendo auget.

Quædam religioſa femina Pinverno in villa virum Dei in propriam recepit ædiculam, rogans eum in cellarium ingredi, & vas vinarium quod tunna dicitur benedicere, atque in eadem domo refectione peracta dignaretur nocte eadem commanere. Quo obtento cùm in honore Sancti cunctis habitatoribus vel hoſpitibus domi illius vinum fuiſſet largiter propinatum, illo maturiùs diſcedente prædicta femina ingreſſa cellarium, ita vas plenum reperit ipſum, acſi nihil ex eo fuiſſet expenſum.

XIX.

Quadam vice cùm ipſius pincerna percuſſus graviter à puſtella, jam morte depaſceretur acerba, mox ut ipſe benedictionem ſuper caput ipſius tradidit, æger vulnus in ſe mori perſenſit, & abſque aliqua obſervantia medicinæ recepit priſtinam ſanitatem. Nec diſſimile fuit illud, cùm eo Sequanam tranſeunte naves præ nimia tempeſtate periclitari cœpiſſent, ipſo orationem fundente, navis ſola in qua ipſe ſtabat, remanentibus aliis, ad oram tranſvecta eſt litoris.

XX. Auſtrebertam præficit Parthenoni Pauliacenſi *Pavilly*.

Erat conſuetudo Sancti de Monaſterio circumquaque ad exhortandas animas Fratres tranſmittere: & confluebant ad eum viri nobiles & potentes proprias voluntates reſpuentes, & Chriſto Domino ſervientes. Cùm igitur virorum increviſſet in Monaſterio multitudo, aliud conſtruxit Cœnobium nomine Pauliacum cum decem millibus à Gemetico ſequeſtratum, ubi ſanctarum congregavit multitudinem feminarum, quas ſub Religionis norma pro viri Dei obedientia gubernabat Mater prudentiſſima, orta nobili parentelâ, vocabulo AUSTROBERTA. Sed & multa Monaſteria per ejus exemplum ſunt conſtructa in Neuſtria [b]. Confluebant ad eum Sacerdotes Domini cupientes exemplum illius imitari, & de ejus Regula ſua ornabant Cœnobia.

b

XXI. Decimâ de rebus Monaſterij factâ captivos redimit.

Cúmque & Regio munere & Fidelium largitate copia ei ſuperveniret argenti, ſtudebat omnes ſpecies decimare. Sed cùm hoc rotatu anni faceret, ſemper plus inveniebat additum quàm antea fuerat decimatum. Ipſam igitur decimam in captivorum redemptionem & pauperum alimoniam deputabat, intantum ut Monachos ſuos propter hoc cum onuſtis navibus partibus tranſmarinis tranſmitteret, & greges captivorum per ipſum redempti laudarent potentiam Chriſti. Sed & cùm pro Fratrum compendiis mandaret exerceri negotia, ampliùs dare jubebat quàm dari à ſæcularibus conſuetudo poſcebat. Et propter hoc gaudente vicino populo de labore juſto ſanctum exuberabat commercium.

NOTA.

XXII. Ebroinum increpat.

Cùm igitur peſtifer HEBROINUS, qui à Francorum genere pro nimia crudelitate de palatino honore fuerat pulſus, comâ detonſâ Clericus Luxovium ingreſſus, apoſtata factus ſpiritu malignitatis armatus cœpiſſet rabidis dentibus fremere ſuper nobiles Sacerdotes & Francos, atque conſentientibus ſibi plurimis contra mandatum Dei recepiſſet locum honoris; Sanctus ad eum Filibertus abiit & prædicationis verba impendit. Cúmque ei ille dare munera magna vellet, vir Dei cuncta reſpuens ait apoſtatam eſſe eum, nec Chriſtianum hominem cum eo participare debere, exiſtimans quòd potuiſſet hoc facto per acumen ferri palmam martyrij obtinere. Sed ſervavit illum Dominus ad multorum profectum, qui per eum vocandi erant ad regnum cælorum.

XXIII. Truditur in carcerem juſſu B. Audoëni.

Fremens lupus rabidus animarum greges à ſuis rapi dentibus incitans, quoſdam urbis Rotomagenſium Clericos cœpit diſcordiam ingerere, & malevola

[a] Conchenſis codex *Rotomagorum*: at præferendum *Romanorum*. Eſt autem Romania, *le Roman*, tractus quidam Neuſtriæ, quem Sequana à Caletorum pago dirimit.

[b] Conch. addit: *Sed longum eſt enarrare cuncta per ordinem, quanta ejus opinio creverat magna, ut alij Abbates ſua propria Monaſteria relinquerent, vel Monachos probatiſſimos ad eum dirigerent, ut cum eo longo tempore demorantes diſcerent ejus vitam vel converſationem, ut in ſuis propriis recte prodeſſe deberent. Qui univerſis prædicans rectam Fidem Domini noſtri I. C. tenere in unitate Deitatis & Trinitate perſonarum coæqualis naturæ vel ſcientiæ, totis viribus ſuis admonebat, ut unitam & mutuam inter ſe haberent caritatem.* Quod quidem in aliis Mſſ. codd. deſideratur.

verba ſancto Audoëno Pontifici de Filiberto viro Dei incantare. Et quia dicente Apoſtolo, *Corrumpunt mores bonos colloquia mala*; credens ſanctus Audoënus Clericorum colloquiis, virum Dei Filibertum quem antè dilexerat nimiùm, retrudi juſſit ergaſtulo, quod ille ingreſſus eſt cum gaudio. Dum organum ibidem decantaret Davidicum, multitudo murium qui volandi retinent uſum & ibidem erant congregati ad cumulum, Dei eſt fugata imperio, & locum illum ſordidum & obſcurum Divina virtus convertit in odorem nectareum. CIRC. AN. DC. XXCIV. AUG. XX. 1. *Cor.* 15.

XXIV. Egreſſus ad Anſoaldum Epiſc. Pictav. ſe recipit.

Egreſſus de carcere per litteras beati Audoëni, adiit ANSOALDUM virum nobilem Pictavorum Pontificem ob Monaſterij gratiam conſtruendi, quia multitudo hominum qui per prædicationem illius ad Dominum confluebant, uno in loco capi non poterant. Illis itaque diebus in ſæculi potentia nimiùm fulgebat Anſoaldus, quem vir Dei ſecretò corripuit; & multa ei ventura prædixit, quæ poſtea rei eventus probavit. Cognoſcens igitur electus Dei ſacer Anſoaldus virum Dei ſpiritu prophetiæ repletum, culmine ſanctitatis erectum, in ejus ſe conſilio commendavit ex integro, & ſub Religionis norma Epiſcopalem cœpit inclinare potentiam. Cúmque eum vellet ſecum retinere in urbe, & S. Filibertus ſemper deſideraret eremi vaſtitatem; largiente Domino Herio[a] maris Inſulâ locavit Cœnobium Anſoaldus opere & eleemoſynæ largitate, Filibertus religione, doctrinâ, opere, & Monachorum congerie. In quem locum de gemmato favo Gemetici Divina mellaperrexerunt cum animarum examine, quem Apoſtolicus vir Anſoaldus de rebus propriis ditavit muneribus magnis, acta commutatione villarum cum Eccleſia Pictavenſi.

Eo opitulante Herienſe Monaſterium condit. *a*

XXV. Quos ſucceſſores in Gemetico habuerit.

Interim cùm ſanctus Filibertus nec cum Ebroino communionem jungere, nec in Neuſtriam redire vellet; ſanctus Audoënus cùm in loco illius vellet Abbatem conſtituere, & Monachi fortiſſimi abſque permiſſu Rectoris ſui nullatenus ad conſenſum potuiſſent minis ac terroribus vel blanditiis flecti, ut ei debuiſſent aliquatenus conſentire, & fidem quam datam habebant infringere; quidam miſer homunculus vocabulo CHRODOBERTUS, cujus filium in ſæculo S. Filibertus de ſacris ſuſceperat fontibus, & ipſe poſtea promiſsâ obedientiâ ejus exſtiterat Monachus, contra juſtitiæ modulum ipſum Monaſterium ſuſcepit ad regendum. Eadem namque die damnationis ictu percuſſus in pede tantum eſt cruciatus acerbiſſima peſte, ut illo vivente oſſa de ipſo deciderent, & miſerabilem vitam miſerrima morte conſumeret. Sed cùm in loco hujus RAGERTRANNUS * Archidiaconus fuiſſet à B. Audoëno Antiſtite ſubrogatus, invento loco Abricantinæ Eccleſiæ Cathedræ eſt prælatus, atque Hebroinus Apoſtata interfectus. * *al.* Rahentrannus

XXVI. Ebroino mortuo revocatus à S. Audoëno poſt octo annos.

Cœpit interim Spiritus-ſanctus B. Audoëni præcordia caritatis lampade inflammare intantum ut ipſe pro beato Filiberto miſſos dirigeret, quatenus in veræ pacis concordia ſe videre deberent: quo facto ſuum recepit Cœnobium. Gratulatur namque tota Neuſtria de tanti viri præſentia, obvia Monachorum turba cum laudibus & Reliquiis eſt egreſſa, ſícque ſanctum Dei infra proprij receperunt Clauſtra Monaſterij. Cúmque duo pariter Sacerdotes inclyti velut duo luminaria mundi, Audoënus & Filibertus, conveniſſent in unum, veniam mutuò poſtulantes, invicem colla & manus exoſculantes, ita glutinati ſunt in vinculo caritatis, ut numquam poſtea fuiſſent diviſi à compage cordis. Ingreſſus eſt namque Gemeticum anno peracto octavo * incipiente nono: quod ita antè futurum à ſancto prædictum fuerat Filiberto. Nam cùm quidam infelix Diaconatûs officio fungens crucem Monaſterij involutam argento aſportaſſet in furto: cùm incipiente die nono facinus fuiſſet inventum, vir Dei quibus credidit, verbo tenus dixit, quòd tot annis ipſum Monaſterium ſine Paſtore degeret, quot diebus crucis ſtigmata perdidiſſet. * *nim. à ſua egreſſione.*

a Herium ſeu Herio inſula in finibus Pictonum & Armoricorum, vulgò *l'Iſle de Hermonſtier*, corruptè *Noirmonſtier*, aliàs inſula S. Filiberti dicta ob Monaſterium, quod à Normannis deſtructum, poſtea redactum eſt in Prioratum, Trenorcienſi Abbatiæ ſubjectum. Johannes Beſlius in Hiſt. Comit. Pictav. cap. 5. memorat & aliam inſulam *Heronem* ſeu *Herum*, vulgò *Hieres en Marennes* appellatam, in regione *d'Aunis* prope Rupellam.

CIRC. AN. DC. XXCIV. AUG. XX

Deinde cùm firma caritas inter ipſum & Domnum Audoënum perſiſteret, convenit ut ubi Domnus Filibertus volebat perſeverare deberet, & in alio de ſuis Monaſteriis loco deputaret Rectoris præſentiam, quia longinqui itineris ſpatio ipſa Cœnobia inter ſe erant diſtantia. Converſante igitur illo Gemetico, ad viſitandum Dei famulum contigit advenire Præſulem ANSOALDUM [a]: cúmque ſimul converſarentur, nuntiatum eſt eis quòd quemdam Monachum ſpiritus malignus vexaret. Cúmque ingreſſi domum in qua æger jacebat pariter orationem fudiſſent, malignus hoſtis ſtatim abſceſſit, & is qui captus mente tenebatur ſanus remanſit.

XXVII. Energumenum liberat.

a

XXVIII. Villare Monaſteriũ condit.

Eodem igitur tempore Princeps Palatij WARRATTO nomine in Caltivo territorio opidum tradidit ad Monaſterium Virginum conſtruendum, vocabulo *Villare* [b], ubi uſque hodie Religionis norma fulget in loco.

b

XXIX. Aicadrum Gemetico præficit ac revertit Herium.

Regreſſus igitur Pictavo territorio ad ſupraſcriptum Pontificẽ Anſoaldum, magno receptus cum gaudio perrexit Quinciaco Monaſterio [c], quod & ipſum nobili eſt conſtructum in loco, unde iſdem ſacer veteribus deturbatis erroribus ipſum impleverat Monachis, ubi Chriſtus jugiter per famulos collaudatur in Sanctis: ibíque accepto conſilio unum de diſcipulis ſuis electum, AICADRUM nomine, virum idoneum direxit Gemeticum, ut ipſe paſtorali officio illius ſubrogaretur in loco. Et licet mærentes Monachi de prioris Patris corporali abſentia, tamen præſentes per gratiam viri ſancti impleverunt decreta, & eidem Aicadro promiſerunt obedientiam. Sanctus autem vir Dei eos veniens viſitare, commonebat attentiùs ut ſemper Religionis perſeverarent in opere. Itaque commendans eos Domino, benedictione data, pace præmiſſa Herium eſt reverſus in Inſulam, & Quinciacum Monaſterium alteri de ſuis Monachis tradidit ad regendum.

c

XXX. Miracula operatur.

Cúmque Herio in Inſula demoraretur, quidam Frater vaſto dolore dentium torquebatur: qui cùm petiſſet ex fide aquam ſibi dari ubi Sancti pedes fuerant loti, mox ut aqua illa locum doloris tetigit, protinus in virtute Chriſti dentium dirus dolor receſſit. Frater quidam ibidem dum febris incommodum ſuſtineret, ad menſam ſancti Patris acceſſit. Cúmque vir Dei paullulum olei cum fragmento panis eidem porrexiſſet, præcepit verbo ut ampliùs non ægrotaret. Qui mox ut comedit buccellam panis cum oleo, repentè ſenſit à Domino ſe ſanum factum. Sed & alius Frater dum in coquina ſatageret, caſu decidit, & brachium avulſum de ſuo loco cum dolore ſurrexit. Sed cùm pænè deficeret uſque ad mortem, adveniente viro Dei petiit ut ſupra dolorem brachij crucis ſignaculum faceret. Tunc ille humilitatis gratiâ ſubtus caſulam quâ erat indutus contra brachium ægri vexillum crucis appoſuit, & eum ſaluti priſtinæ dicto citiùs reformavit.

XXXI. Neceſſaria divinitus accipit.

Dum vir Dei clauſtra Monaſterij deambulans circuiret, Cellarius Monaſterij, SYDONIUS nomine, ei ſtuduit indicare quòd liquorem olei non haberet, unde in Eccleſia lumen conſuetum arderet. Interrogatus ſi haberet aliquid olei, ampliùs non habere ſe dixit quàm mediam libram olei, quam propter hoſpites vel in uſum illius tentaverat reſervare. Sed vir Dei præcipiens illud in lampadibus mitti, cœpit ei à Domino lumen olei ad totius anni ſpatium venturum promittere. Sed cùm dies declinaret ad veſperam, nuntius de portu maris advenit qui ei adeſſe navim cum oleo nuntiavit, quæ ab Burdegalenſi urbe veniens directa ſervo Domini ab amicis, quadraginta modios ipſius deferebat liquoris: atque

a Concilio Rotomagenſi ſub Anſberto anno DC. XXCIX. interfuit Anſoaldus, cui Urſinus Vitam S. Leodegarij dedicavit. Præter Herienſe Monaſterium Anſoaldus *Cœnobium S. Michaëlis ad Eremum ædificáſſe* legitur in Chron. Malleac. de quo infrà.

b Montiſvillare, *Montrvilliers*, inſigne Monacharum Benedictinarum Cœnobium adhuc floret in tractu Caletenſi, vulgò *le pays de Caux*. Lege Vitam S. Auſtrebertæ ad ann. 704.

c Monaſterium S. Benedicti de Quinciaco, vulgò *ſaint Benoiſt de Quincy* prope Pictavorum urbem, Benedicto Epiſcopo quem B. Hilario coævum putant nuncupatum, hactenus ſubſiſtit, ſuáque debet primordia B. Filiberto, qui illuc coloniam ex Gemetico tranſmiſerat. In Chron. Malleacenſi à Johanne *Beſly* citato in Hiſt. Epiſc. Pictavenſ. idem Filibertus rexiſſe dicitur *Cœnobium S. Mariæ Lucionenſis, quod Lucius quidam Imperialis incepit*. Lege Vitam S. Aicadri anno 687.

ita cum

ita cum prophetiæ ſpiritu fecundavit eum Deus oleo lætitiæ præ conſortibus ſuis. Vice denique alia cùm egeret pinguedine ad luminaria concinnanda, & à Domino peteret oratione aſſidua ut ejus munere eorum ſuppleretur indigentia; mane facto Monachus veniens nuntiavit, quòd magnum piſcem mortuum, Muſculum nomine, unda maris detuliſſet in litore, ex cujus carne triginta modios pinguedinis Fratres traxerunt in lumine. Sed alio tempore cùm territorium Pictavenſe cœpiſſet gravis inedia anguſtiare, & vir Dei ſollicitus de neceſſitate Fratrum attentiùs incumberet orationis ſtudio; mane facto multitudinem piſcium, quos Marſuppas vocant, invenerunt in alveo, quæ ducentæ triginta & ſeptem recedente mari remanſerunt in ſicco. Unde & per totum anni ſpatium Fratres habuerunt conſolationis compendium, & plurima Monaſteria vel pauperes refectionis auxilium. CIRC. ANN. DC. XXCIV. AUG. XX.

XXXII. Alio quoque tempore adventantes Brittones nautici juvencum Monaſterij ſubripuerunt in ſcelere furti: dúmque vellent ad propria remeare, cœpit mare intumeſcere, & ipſis periculum minari. Tunc quidam de nauticis ſenſûs ſani intelligentes navigium culpâ periclitari, ſollicitè perſcrutantes invenerunt corium & carnem pariter bovis, & revertentes impellente vento ad Inſulam cùm reddidiſſent direpta, acceptâ indulgentiâ, fidelitate promiſſa, benedictione percepta reverſi ſunt cum pace ad propria. Alio quoque tempore cùm detinente vento naves Britannicæ morarentur in litore, nauticis periclitantibus fame cùm vir Dei pietate cogente duo animalia & farinam vel panes præcepiſſet eis tribuere, orationem pro eis cum Fratribus faciens, obtento vento à Domino in craſtinum eis impetravit à Chriſto proſperum navigij curſum. Unâ dierum ſedens cum Fratribus ſpiritu prophetiæ repletus ait eis: Verè, Fratres, Deo gratias agamus per omnia, quia citò nobis à partibus marinis advenient opportuna compendia. Nec multo pòſt Scottorum navis diverſis mercimoniis plena ad litus maris adfuit, quæ calceamenta ac veſtimenta Fratribus largâ copiâ miniſtravit.

XXXIII. Virtutum ejus epilogus. Quid namque primum de eo dicatur, quid ultimum, non eſt noſtræ parvitatis explicare ſtilo, niſi illi Opifici ſummo qui numerat multitudinem ſtellarum. Tanta erat in eo ſagacitas, ut quidquid aliis prædicaret, ipſe priùs implere ſatageret. Erat enim pietate repletus, miſericordiâ præditus, in prædicatione paratus, in intellectu profundus, diſcretus in jejuniis, colloquio amabilis, vigore fortis, per omnia hoſpitalis, captivorum redemptor; dolentium conſolator, Eccleſiarum conſtructor, abſtinentiæ ſectator: non ſolùm autem ille, ſed etiam in exemplum illius multi. Ita fugiebat mendacium tamquam mortale venenum. Caſtiſſimus, ſobrius, in omni opere bono perfectus. Semper in ore illius Chriſtus, ſemper in corde illius refulgebat Spiritus-ſanctus. Nam XIII. Kalend. Septemb. flentibus populis, gaudentibus Angelis, anima inclyti Sacerdotis de mundi ludibrio migravit ad Chriſtum [a], perceptura à Domino palmam gloriæ in triumpho. Corpus terra ſuſcepit, anima Chriſto reddita eſt regnante Domino JESU-CHRISTO, cui eſt honor & gloria in ſæcula ſæculorum, Amen. MORS.

a B. Filibertus poſt Ebroini necem ab exſilio revocatus, non longo tempore ſuperſtes fuit. Anno regni Theodorici IX. Ebroinum occiſum eſſe tradit Sigebertus, hoc eſt anno Chriſti DC. XXCI. aut inſequenti. Proinde S. Filiberti obitus anno circà DC. XXCIV. collocandus videtur.

MONITUM.

DE variis *S. Filiberti Reliquiarum Tranſlationibus primò quidem* in Monaſterium Deas anno Inc. Dom. DCCC. XXXVI. *poſtea in loca Conaldum, Meſciacum &c.* anno DCCC. LXII. *demum verò in caſtrum Trenorcium ſeu Tornutium anno* DCCC. LXXV. *factis agemus Seculo IV. Bened.*

CIRC. AN. DC. XXCV. MART. XXV

VITA SS. BARONTI ET DESIDERII ANACHORETARUM PISTORII IN HETRURIA,

Auctore anonymo qui ſæculo XI. vixiſſe videtur ex num. 6.

Ex Martio Bollandiano.

Barontus Longoreti Monachus, extra ſe rapitur.

1. THEODORICI Regis tempore, in ejus Regno nobili exortus Francorum genere vir claruit inſignis BARONTUS nomine. Hic Divino ſuccenſus ardore, nato cum proprio, AGLOALDO nomine, omnem mundi poſtponens pompam, cœnobialem tota mente amplecti ſtuduit converſationem. In beatiſſimi itaque Petri Apoſtolorum Principis Monaſterio, Longoretum[a] vocato, proprij capitis comam depoſuit, ubi in Dei opere devotiſſimus perſeveravit. Eodem autem loco vir Domini tam mirifica monetur viſione, ut Angelico ſubvectus officio, Sanctorum cæleſtia contuendo *noſceret gaudia, & Averni dira proſpectaret tormenta. Mox ergo ſui Patrem Cœnobij ſedulis depoſcere cœpit precibus, ut ejus permiſſu Gallicum genitale ſolum ſibi liceret deſerere, & orationis causâ diverſa Sanctorum Oratoria adire, ſicque demum anachoreticam vitam ducere. Poſt plurimam tandem indeſinentémque petitionis ſuæ inſtantiam ejus Paſtor cum omni grege, licet inviti, ſuo ſatisfecêre deſiderio: quorum adepto conſenſu mox vir beatus Romam petiit, ut cælorum Clavigeri, qui jam ſe à dæmoniaca eripuerat poteſtate, diu deſideratum videre mereretur ſepulcrum. Confeſſor itaque Chriſti Barontus, adepta ſui Patris licentia, peregrè profectus, dum orans plurimorum perluſtrâſſet Memorias Sanctorum, Româ per Tuſciam remeans, eremíque ſibi inveniendæ ſolitudini inhians, Piſtorienſis[b] opidi applicuit territorio: ubi famoſiſſimum audivit eſſe locum, ſolitariæ vitæ ſatis congruum, ab Orientali plaga montibus circumſeptum.

[a] *V. infrà num. 7.*

Piſtorienſem in agrũ ſecedit.

[b]

Fontis venam à Deo impetrat.

2. Venerabilis igitur vir Domini incolendæ ſibi ſolitudinis viſere exoptans locum, cujus laudabilem jam auditu perceperat famam, ſancto ſe ducente Spiritu illucuſque pervenit: & geminorum inter radices montium planitiem exiguam, valdè tamen gratam reperiens, mox illic parvam ſibi conſtruere cœpit cellulam. Poſtquam devotiſſimus Chriſti eremicola cœptum ſolitudinis ſuæ peregit ergaſtulum, quoniam ipſe aquis careret locus, ibidem ſe in orationem ſtravit, ubi à Domino indeficientem ſalientis aquæ impetrare meruit venam, vicinámque propriis manibus excavans crepidinem, vivi fontis munere à vivo Fonte donatur.

Deſiderĩ alióſque ad ſe trahit. *Pſal.* 83. 2.

3. Eo itaque Dei ſervus perſiſtens loco, die ac nocte in Domini meditabatur lege, ut de virtute in virtutem provectus, Deum deorum in Sion videre mereretur, cum Propheta decantans, *Quàm dilecta ſunt tua, Domine Deus virtutum, tabernacula, concupiſcit & deficit in atriis tuis anima mea.* Cùm autem jam beati viri celeberrima fama paſſim divulgata huc illúcque ſpargeretur, quidam vir venerabilis, cognomento DESIDERIUS, conſtantiâ ſpei, fidei, caritatis armatus, ad hunc egregium acceſſit Patrem, ut ejus exemplo eruditus alta ſcanderet regna polorum. Hujus laudabile præconium ſubſecuti ſunt & alij adoleſcentuli quatuor, qui deſerentes ea quæ carnis ſunt, placidâ mente, benigno amore, beati viri magiſterio flectere diſcunt colla, quatenus Domini-

[a] De Longoreto Monaſterio diœceſis Bituricenſis dictum eſt in Actis S. Sigiranni Abbatis ad ann. 655.
[b] Piſtorium ſeu Piſtoria urbs Epiſcopalis ſub Metropoli Florentina ad Apennini radices, inter Florentiam & Lucam.

cum adimplerent præceptum quo ait: Qui dereliquerit patrem aut matrem vel omnia quæ ſua ſunt, centuplum accipiet. Itaque dum & hi perfectiſſimi Magiſtri imitantur doctrinam, vitam & exemplum, ad ſummum culmen ſanctitatis conſcendere digni fuerunt. CIRC. AN. DC. XXCV. MART. XXV

4. Poſtquam autem B. Barontus præfulgidis ornatus moribus variiſque virtutum floribus coruſcus, longo jam foret ſenio feſſus, carnis univerſæ ſequendo tramitem, terræ terram relinquens, ſub die octavo Kalendarum Aprilium feliciter migravit ad regna cælorum, cum Chriſto perenniter regnaturus. Cujus corporis pretioſiſſimam glebam diſcipuli ejus diligentiſſimè procurârunt, & in Baſilica quam ipſe vivens fundaverat, honorificè depoſuerunt. In quo loco & idem ipſe B. Deſiderius, poſt plurimum ſpiritalis exercitationis ſuæ laborem, cùm ex hoc mundo ad Dominum tranſimigrâſſet, ſecus ejus veſtigia ſepulturam promeruit ſuſcipere cum laude & gloriâ. Illic & alij quatuor, quorum ſuperiùs mentionem fecimus, poſt nonnulla annorum curricula ſingillatim de hac luce ſubtracti, glorioſiſſimè pariter ſunt tumulati. In quo loco mira Dei virtus per Confeſſores ſuos pretioſiſſimos cotidie refulget ſuper eos, qui devotè illuc pro aliquibus infirmitatum impedimentis confugiunt. Simili modo & pervaſoribus, ſi qui fortè eoſdem in aliquo offendere moliuntur, ultio gravis infertur. Moritur. Deſiderius & ipſe mortuus juxta eum ſepelitur cum aliis 4.

5. Longo autem poſt tempore dum B. Baronti tumulus plurimis diverſiſque aſſiduè coruſcaret miraculis, à quibuſdam ejus terræ Primatibus in ejus honore ibidem Monaſterium conſtructum eſt, in quod pretioſa ſui corporis membra à RESTALDO [a] Piſtorienſis urbis Epiſcopo tranſlata ſunt. Corpus Baronti in Monaſterium transfertur.

6. Poſt venerabilem autem atque admirabilem B. Baronti tranſlationem, ſanctæ recordationis ejuſdem conturbernalis Deſiderius, cujus ſuprà mentionem fecimus, nullatenus ferens ſe à ſancti Magiſtri corpore ſequeſtratum fore, creberrimè minitando non ſolùm Fratribus Cœnobij in viſione ſomnij apparere voluit, ſed & viris quamplurimis ac mulieribus ſeſe manifeſtavit. Rem quippe valdè injuſtam ſibi factam revelabat, ut à collega ſuo in ſepultura ſtaret diviſus, cum quo in Catholica conjunctus Fide, & anachoreticæ vitæ converſationem unanimiter tenuit, & uſque in finem ultimo tempore exhalantis ſpiritûs inventi ſunt uniti amore conſuetæ dilectionis. Multis itaque exterriti viſionibus, & certi jam redditi tam Abbas quàm ceteri ipſius Monaſterij Fratres, Deum clementiſſimum bonorum omnium auctorem devotis mentibus exorare cœperunt, ut qui beatiſſimæ Helenæ noſtræ Redemptionis lignum quod per multorum labentia annorum curricula occultatum fuerat, manifeſtare dignatus eſt; ipſe eorum acceleraret perficere votum reperiendi corpus beati viri. Demum ventum eſt ad locum, in quo ſperabatur egregij Confeſſoris Deſiderij corpus quieſcere humatum, quoniam fontem lucidiſſimum emanare ex eo nonnulli jam viderant in viſione. Sed ne fruſtra videretur eſſe ſpes tantarum viſionum, quæ cælitus revelatæ fuerant, è profundo terra evacuata ad venerandum excellentiſſimi corporis ſepulcrum pervenitur. Et quoniam perfecta & probata Sanctorum virtus apertè redarguere ſolet negligentes & incredulos, ne fortè Fratrum corda aliqua de Sancti corporis inventione diutiùs turbaret diffidentia, lapis marmoreus inibi ab eiſdem eſt repertus Latinis apicibus per ſingulas figuras taliter exaratus: HÎC REQUIESCIT CORPUS S. BARONTI ET S. DESIDERII CUM SOCIIS SUIS: qui poſtea novi Templi muro inſertus atque in propatulo poſitus, in teſtimonium Sanctorum corporum uſque in præſentem ſervatur diem, ab accurrentium populorum multitudine per ſæcula inſpiciendus ſive perlegendus. Ex his dehinc apicibus majori roboratione animati Fratres, huc atque illuc fodientes, ne titulus ille reprobus haberetur, alij ſingillatim requieſcentes, ab eiſdem in ſuis reperti ſunt monumentis. Et hi itaque cum B. De- Deſiderij etiam & aliorum.

[a] Reſtaldus ex Monacho Parmenſi Epiſcopus initio ſæculi XI. Piſtorienſi Eccleſiæ præfuit.

Circ. An. DC. XXCV. Mart. XXV anno 1018.

ſiderio pariter à reverendis Fratribus elevati in aulam novam Templi glorioſiſſimè ſunt tranſlati, ſub die ſexto Kalendarum Aprilium, anno à Paſſione Domini milleſimo octavo decimo. Beatus autem Deſiderius ad Meridianam plagam Templi poſitus eſt in locello novo, ubi ſi aliquis fidelis petitor accedit, quodcumque fideliter ſuggerit Confeſſori tanto, ejus meritis ſine dubio impetrare valet à Domino. Reliquorum verò ſociorum ejus corpora à Septemtrionali plaga ſunt repoſita, & cùm eorum nomina univerſis Fratribus eſſent incognita, Deo verò ſoli manifeſta, poſt Dei Genitricis Mariæ altare, Sanctíque Martini honorificè collocatæ eorum Reliquiæ fuerunt.

VISIO S. BARONTI.

Ex MS. cod. noſtro & Martio Bollandiano.

7. MEMORARE igitur vobis volo, Fratres cariſſimi, per ordinem, quid moderno tempore contigerit. In Monaſterio S. Petri Apoſtoli, quod nomine Longoretus nuncupatur, quidam nobilis progenie, BARONTUS nomine, nuper converſus, pervenit ad Monachatûs Ordinem: qui cùm Matutinas laudes Deo in Eccleſia cum Fratribus devotè compleſſet, mox ut ad lectulum ſuum rediit, repentè febre correptus, & ad extremum funus perductus, cœpit magnis doloribus exagitari, filiúmque ſuum nomine AIGLOALDUM vocare, ut cum ſumma feſtinatione ad EODONEM Diaconem deberet ambulare, ut eum pro Fraterno amore veniret viſitare. Tunc ipſe puer cœpit cum ejulatu magno currere, & vocatum Fratrem ſecum adducere. At ubi Frater in eamdem domum intravit, in qua æger Barontus jacebat, cœpit eum bis térque appellare. Sed ille nihil homini valuit parabolare; ſed digito gulam ſuam ei monſtrabat, & ante oculos ſuos palmis fortiter repugnabat. Tunc tremefactus Frater ad cotidiana arma converſus, cœpit ſe ſignare, & cum gemitu gravi rogabat conſparſum* in ipſam domum facere, ut turba malignorum ſpirituum exinde fugaretur. Sed ille Frater manibus ad latus ſuum extenſis & oculis clauſis, cœpit ſemivivus jacere, itaut nihil poſſet omnino videre.

* *id eſt* aquam benedictam ſpargere.

8. Tunc fere horâ tertiâ Fratres convenerunt, ut pro ejus anima Deo ſubnixiùs preces funderent: quem ut viderunt nullum membrum agitare, lacrymare præ dolore vehementer nimis cœperunt, & pro ejus anima componere turmas cœperunt, qui Pſalmodiæ cantus recitarent per ordinem, ut cæleſtis Medicus mitteret animam in ejus corpore. Sícque factum eſt, ut pſallentes Fratres tota die numquam interrumperent, uſquedum pervenit Veſpertinus ordo, in quo laudes Dei more ſolito in Eccleſia canendo imponerent. At ipſe Frater ſic tantiſper defecit in corpore, itaut jam nullus qui eum videbat, de ejus vita temporali habere fiduciam poſſet. Sed Servi Dei ut viderunt, pſallere fortiter cœperunt, & pro ejus anima cæleſtem rogare Conditorem, ut qui eam de Ægypto tollebat, collocaret in æterna regione. Sícque pernoctantes in pſallendo, pervenerunt ad pullorum cantum, in qua hora apparuit mirabilis virtus Chriſti oſtenſa, quæ non debet taceri per totam Catholicam Eccleſiam: ut qui audiunt expaveſcant de ſuis vitiis, & ex toto corde convertantur ad Chriſti ſervitia, ne in noviſſimo plangant in perpetua pœna, quæ hîc emendare noluerunt per pœnitentiam veram. Mox illis pſallentibus expergefactus, oculos aperuit bis térque, laudes Deo reddidit, & prima verba hæc ex ore edidit: Gloria tibi Deus: gloria tibi Deus: gloria tibi Deus. Contrà Fratres ut viderunt eum, cum tremore magno gratias Deo agere cœperunt, qui ſic ſuum ſervum reddidiſſet vivum in corpore, quem jam nullus ſperabat audire loqui.

9. Tunc omnes congregati ſunt in unũ, & interrogaverunt illum per ordinem, ubi fuiſſet, vel quid vidiſſet, ut eis per ſingula exponeret. Ille verò quaſi ex graviſſimo ſomno evigilãs dixit ad eos: Quando me vidiſtis heſterna nocte Matutinas

laudes Chriſti vobiſcum incolumem conſummare, mox ut ad proprium ſtratum ſum reverſus, tunc ſubitò ſomno gravatus obdormivi, ſed ſtatim in ipſo ſopore venerunt duo tetri dæmones, quorum adſpectum tremebundus ferre non poteram, quia me ſtrangulare violenter cœperunt; cupientes me efferatis dentibus deglutire, & ſic ad infernum deducere; & uſque ad tertiam horam cædebant me audaciter. Adfuit autem mihi in adjutorium S. Raphaël Archangelus in ſplendore claritatis fulgidus, qui illos cœpit prohibere, ne in me ampliùs durè agerent. Sed illi ſuperbi contra eum reluctantes dixerunt: Si claritas Dei eum à nobis non auferat, tu nullatenus potes auferre. Tunc ait ad illos S. Raphaël: Si ita eſt ut dicitis, eamus pariter ad Dei judicium, ubi repudietur veſtra audacia. CCIR. ANDC. XXCV. MART. XXV

Hîc latè deſcribitur viſio Baronti & animæ ejus raptus ad cælum & infernum, quæ hîc carptim verbis Auctoris referimus.

10. Rapido curſu pervenimus ſuper Monaſterium quod vocatur Millebeccus, ſuper quo S. Raphaël oravit prolixè... Poſt Archangeli viſitationem & confortationem Monachi qui æger jacebat in iſto Monaſterio, Abba LEODOALDUS aſſerit, quòd illâ horâ, quando ipſe Frater Barontus ſe dicit adfuiſſe ibidem cum S. Raphaël *(nimirum tempore veſpertini officij)* mirum ſplendorem ſuper iſtam domum ſe vidiſſe teſtatur, in qua ipſe æger præ infirmitate jacebat & multùm in pectore dolore gravatus; & ſubſecutum ſanctum Raphaël ſuper pectus ipſius impreſſo ſigno Crucis tranſeuntem: & illa hora de ſua infirmitate ſanatus eſt.

11. Poſt iſta omnia ut ipſum Monaſterium pertranſivimus, occurrerunt nobis alij quatuor dæmones nigerrimi... Sic poſtea ſecundâ pugnâ peractâ venimus ad Paradiſi primam portam, ubi plures vidimus ex Fratribus Monaſterij noſtri, qui erant congregati præſtolantes finem judicij, ubi gaudia æterna pleniter recipiant: quorum nomina ſunt FRAUDOLENUS Preſbyter qui dies ſuos bene cuſtodivit, AUSTRULFUS Diaconus qui * bene operando in ſæculo juſſu Dei migravit, LEUDOALDUS Lector quem Deus benedixit, Ibbo Lector Dei ſervus electus... Illi intrinſecùs tacti nimio dolore, ut cognoverunt me eſſe de illorum congregatione, gemere cœperunt & queri, quòd numquam diabolus de eodem Monaſterio ita laqueare præſumpſiſſe ullam animam... Expletâ oratione venimus ad ſecundam portam Paradiſi... per medium Sanctorum infantium cœpimus iter agere uſque ad aliam portam: ſed tanta erat multitudo Virginum in utraque parte, &c. Deinde venimus ad tertiam portam Paradiſi... ibi multitudo Sacerdotum, &c. Et Dum hæc omnia diligenter cernerem, adfuit unus ex Fratribus noſtris nomine CORBOLENUS qui jam olim obiit, & ipſe mihi in his locis monſtravit manſionem magno opere conſtructam & ait: Hæc eſt manſio Abbatis noſtri FRANCARDI, & nunc ejus merito eam Dominus præparavit. Ego enim pauca quæ de illius geſtis vidi, ex ordine referam: quia ille me enutrivit ab infantia. Erat in Dei timore devotus, & ſacra lectione inſtructus, & per illius religionem datæ ſunt ad ipſius Monaſterium nutu Dei poſſeſſiones, unde Servi Dei & peregrini habent plenam conſolationem. Erat enim nutritor & doctor filiorum nobilium: quem longa ægritudo purgavit, & per iſta bona facta præparavit illi Deus æterna gaudia. Deinde ingreſſi tertiam portam, viderunt nos ſancti Martyres, &c. Deinde pervenimus ad quartã portam, & ibi cognovi unum Fratrem noſtrũ nomine BAUDOLENUM, qui aliquando jacuit ad portam Monaſterij noſtri contractus in grandi tribulatione. Poſt monitionem factam juſſit S. Petrus duobus puerulis, ut me uſq; ad primam portam Paradiſi deducerent, & inde ad infernum, ut omnia tormenta peccatorum inſpicerem, & ſic deinde uſque ad Monaſterium noſtrum illæſum perducerent. Tunc ipſi pueri uſque ad prædictum locum me duxerunt. Sed ut Fratres me viderunt, rogaverunt unum ex Fratribus nomine FRAMNOALDUM, qui in iſto Monaſterio noſtro in puerili

* *Boll.* qui à momento de ſæculo juſſu Dei diſceſſit.

Francardi Abb. elogium.

CIRC. AN. DC. XXCV MART. XXV

ætate à corpore migravit, & ad limen Eccleſiæ S. Petri corpuſculum ejus jacet, ut ipſe me ad Monaſterium reduceret... Poſt iſta omnia acta, cœpit beatiſſimus Ibbo Fratres rogare, ut ipſi me in itinere deducere deberent; & infernum viſitarem... Ibi laſſus WLFREDUS Epiſcopus cum turpiſſima veſte in ſimilitudine mendici ſedebat; ibi DIDO Epiſcopus erat, & alij quos ex parentibus noſtris recognovi... Sic poſtmodum ego & ipſe Frater Framnoaldus iter carpentes, pervenimus ad noſtrum Monaſterium: ad ipſius adventum aperta ſunt oſtia Eccleſiæ & ingreſſus oravit prolixè, & expleta oratione pervenimus ad ipſius ſepulcrum, ſuper quod dixit hoc capitulum: Miſerere mei & reſuſcita me in adventu tuo Domine, &c.

12. Sic poſtea omnia ſuperiùs memorata, ego qui ſcribere præſumpſi, non ab alio dicta ſed per memetipſum ad præſens probata didici. Si quis hoc opuſculum à me factum legendum in manibus acceperit, poteſt me de ruſticitate verbi reprehendere, non poteſt de mendacij culpâ redarguere.

13. Quiſnam ille eſt, Fratres cariſſimi, rogo, tam ferream mentem habens, quem non terreant iſta denuntiata ſupplicia, ubi dæmones unumquemque peccatorem à corpore egredientem tam velociter rapiunt, & ſecum ad infernum trahunt? Hoc & S. Gregorius confirmat, quia animam peccatricem ideò Dominus diabolo à corpore trahere permittit, ut compulſa diſcat, cui ſe ſponte in præſenti vita tradidit in culpa. Quis tam alienus erit à fide, qui ſententiam iſtius non credat? Sed ideo multi non credunt, quia plus eos delectat amor ſæculi & commoda terrena, quàm delectat amor Dei & ſocietas Angelorum atque Sanctorum. Clamat Propheta & dicit: *Non tardemus converti ad Dominum, & ne differamus de die in diem: ſubitò enim venit ira ejus, & in tempore vindictæ diſperdet nos: & quæ per cupiditatem congregavimus, quid nobis proderunt?* Eccli. 5. 8. Vocat nos iterum dicens: *Venite filij audite me, timorem Domini docebo vos;* Pſal. 33. 12. vocat nos per Evangelium dicens: *Venite ad me omnes, qui laborati & onerati eſtis* ſarcinis peccatorum, *& ego vos reficiam*; vocat per ſemetipſum & dicit: Matt. 11. 28. *Venite benedicti Patris mei, percipite regnum, quod vobis paratum eſt ab origine* Matt. 25. 34. *mundi.* Prædicat nobis S Johannes Apoſtolus: *Fratres nolite diligere mundum, neque ea quæ in mundo ſunt, &c.* Sed corda humana cupiditas indurat ſæculi ut lapidem durum, ne reſurgere poſſint ad rectitudinem. Recaleſcat ergo, Fratres dilectiſſimi, fides noſtra, ad cæleſtem vitam deſideria noſtra revocemus, conſideremus quàm diſtrictus Judex venturus eſt, qui non ſolùm de malis operibus, ſed etiam de cogitationibus noſtris judicare diſponit. Mentem formemus ad lamenta, vita noſtra amareſcat in pœnitentia, ne per terrenum amorem vindictam ſentiat in æterna damnatione, ſed bona facta nos provocent ad æternam regionem: ut quando à corpore migraverimus, Angelus ſanctus ducat ad cæleſte regnum, & vitam æternam habere mereamur, quod ipſe præſtare dignetur, qui cum æterno Deo Patre vivit & regnat in ſæcula ſæculorum, Amen.

Acta ſunt hæc omnia VIII. Kalend. Aprilis in ſexto anno [a] regnante THEODORICO Rege Francorum.

a Ergo ineunte anno Domini conceptı DC. LXXIX. nam Childericus anno DC. LXXIII. autumno ineunte exſtinctus fuerat. Quamdiu ſuperſtes vixerit Barōtus, incertum. Ejus obitum, dum certior calculus non ſuppetit, ad annum circà DC. XXCV. revocamus. Prædicta Baronti viſio antiquis ignota haud fuit. Chronographus Malleacenſis Tomo 2. Biblioth. Labbeanæ decurtatus eam ex integro retulit: & Ratpertus Monachus in lib. de Caſib. Monaſterij S. Galli cap. 9. libros Hartmotti manu deſcriptos recenſens, *Viſiones Fvettini & Baronti* memorat. Hartmottus porro medio ſæculo IX. florebat. Hîc Philippi Ferrarij adnotationem ex Catalogo SS. Ital. referre juvat. Licet, inquit, Natalis SS. Baronti & Deſiderij in Martyrologio Romano VIII. Kalend. Aprilis deſcriptus ſit, in Eccleſia tamen Piſtorienſi feſti vitas v. eaſdem Kalendas, quæ potiùs Tranſlationis quàm Natalis eſſe videtur, ex antiqua conſuetudine celebratur. Niſi in hunc diem horum feſtum ob feſtum Annuntiationis, & feſtum S. Jacobi Apoſtoli quod agitur die 26. Martij tranſlatum dicamus. Ita ille.

VITA S. BERCHARII ABBATIS ALTIVILLARENSIS ET DERVENSIS PRIMI,

AN. CHR. DC. XXCV. MARTII XXVII.

Auctore ADSONE Abbate Dervensi qui anno 992. obiit.

Ex MS. cod. Compendiensi & Camuzati Promptuario.

OBSERVATIONES PRÆVIÆ.

1. ACTA S. BERCHARII* *Abbatis primùm quidem ab Auctore anonymo descripta stilo rudi & impolito, dein* ADSO *Abbas Dervensis post medium sæculum x. expolivit.* Gesta hujus sancti ac piissimi Protectoris nostri BERCHARII, *inquit Monachus Dervensis anonymus in libro sequenti Mirac.* ad extremum quoad potuit comens lepore facundiæ spectabilis, sparsit torius Galliæ oris, quæ eatenùs incultè exarata habebantur & abdita. *Et Frodoardus Ecclesiæ Remensis Canonicus in Hist. Rem. lib. 2. cap. 27. paullo ante Adsonem S. Bercharij gesta quædam perstrinxerat. Adsonis lucubrationem à Nicolao Camuzato jam editam unà cum subjecto libro Miraculorum in Promptuario Trecassino, cum MS. cod. Abbatiæ nostræ Compendiensis collatam hic exhibemus, quando antiquiorem S. Bercharij historiam nancisci non licuit. In MSS. codd. isti Vitæ non præfigitur Adsonis auctoris nomen: at geminum Adsonis esse fetum libri Miraculorum, qui subsequi solet, versus primi persuadent.*

* *S. Bercharre* Vitæ Scriptores.

2 *S. Bercharij nomen in antiquis Fastis desideratur. In veterrimo nostro Vsuardi exemplari ab annis octingentis exarato S. Bercharius manu quidem secundaria, at quæ annos quadringentos facilè præ se fert, memoratur* XVII. Kalend. Novemb. *(quem Translationis ejus diem esse inferiùs dicemus) his verbis:* Dervo Monasterio S. Bercharij Martyris atque Abbatis. *In Diplomatibus verò Ludovici Pij Augusti, Caroli Calvi aliorúmque litteris* Bercharius Sanctus *prædicatur, eíusque* corpus in Dervensi Monasterio requiescere *dicitur. Eum* Martyrem *vocant pro more Auctorum mediæ ætatis, qui viros pios violenter necatos quacumque ex causa* Martyras *appellabant Sic* S. Præjectum *Arvernorum*, Theodardum *Tungrorum*, Leodegarium *Æduorum Episcopos*; Arnulfum in Porciensi Comitiva *(uti in Chronico Mosomagensi To. 2. Spicil. Acheriani legitur)* à latronibus *interfectum*, Adalbaldum *S. Rectrudis maritum*, Eduardum *Anglorum Regem à noverca necatum, aliósque quamplures* Martyrum *nomine exornant. In Actis S. Leodegarii ab anonymo descriptis* leguntur hi versus. cap.* 5. Nec enim adeo æstimandum est, eum (Leodegarium) formidasse martyrium. Nam cùm pridem per quemdam Monachum nomine BERCHARIUM in Dominica Cœna de suo ei fuisset interitu nuntiatum, die Passionis Domini cruentum Regis adiit palatium &c. *Quod an S. Bercharío Abbati possit aptari, Lectoris judicium esto. Certè S. Bercharius* Waimerum tormentorum S. Leodegarij reum *secum perduxisse Hierosolymam dicitur in lib. Mirac. num. 11.*

Memoriâ.

* *supra ad ann. 678.*

3. *S. Bercharius præter varia Oratoria ædificavit duo Monasteria, Altivillarense primùm, postea Dervense, quibus ipse præfuit. Altivillarense* diœcesis Remensis ad Matronam fluvium, quarto milliari à civitate Remorum*, secundum Regulam Patrum S. Benedicti & Columbani *(uti in Nivonis seu Nivardi Remorum Antistitis Charta à Sammarthanis vulgata, à Frodoardo laudata præfertur) conditum est: Dervense* verò in Partensi* Campaniæ pago, diœcesi Catalaunensi subjectum, Trecassinæ finitimum ad fluvium Vigeram* sub Regula S.* BENEDICTI *itidem constructum à S. Bercharío fertur in Instrumento Ludovici Pij Imp. anno* DCCC. XV. *concesso, quod Sammarthani post Chesnium retulerunt. Viget etiamnunc utrumque Monasterium sub Benedictina S. Vitoni Congregatione: Altivillarense quidem S. Helenæ Reliquiarum cultu illustratum; Dervense verò ejusdem Sanctæ capite, opidulo & jurisditione spirituali, quam in ipsum opidulum & vicos quinque Monasterio subjectos exercet.*

Monasteria.

* *Hautvillers*

* *Monstierender*

* *le Parthois*

* *la Voire*

IHS

AN. CHR. DC. XXCV. MARTII XXVII.

PROLOGUS AUCTORIS.

1.  UM glorioſas virorum illuſtrium palmas, ac præmia meritorum, ſancta per orbem & univerſalis competentis obſequij functionibus ſollemniter perſolvat paſſim mater Eccleſia Catholica; nos quoque pro infructuoſi ignavia ſilentij multandos fore arbitror, ſi geſta ejus lateant, cujus ſpecialiter apud nos & virtutum exuberat copia, & ſanctæ inſtitutionis refulgent incrementa: præcipuè cùm facta præcedentium, ſalutis ſit materies ad memoriam relata poſterorum. Actus igitur ac laborum certamina B. BERCHARII Abbatis & Martyris glorioſi ſummatim perſtringere cupientes, tanto difficiliùs hanc narrandi materiam ſumimus, quanto ad explicandam hujus operis magnitudinem nos impares eſſe ſentimus: ſed non eſt illi difficile elinguem in verba reſolvere, quem conſtat muta etiam elementa conſonis vocibus ſollemniter prædicare. Ea itaque proſequi intendimus, quæ vel ab ipſo domeſtico ſanctiſſimóque ejus collegio notata claruerunt, vel poſtea Divino beneficio ipſius compenſata meritis, ætati noſtræ perferri potuerunt.

INCIPIT VITA.

Bercharius nobilis Aquitanus.

2. PRIORIS monimenta temporis pagum Aquitanicum ortûs ejus tradidêre ac generis fuiſſe exordium. Parentes ejus vita venerabiles & valde religioſi in vita ſua, exteriore affluentia rerum non mediocriter decorati, & (quod longè eſt excellentius) quodam ſingularis innocentiæ ac inter ſuos felicium proventuum privilegio inſigniti: qui cùm conjugalis pudicitiæ jura fidei integritate ſervarent commodis temporalibus præcellentes, Divinorum tamen operum pia intentione ſtudio perflagrantes, ſupernæ diſpoſitione clementiæ tantam ac talem meruerunt ſobolem accipere, cujus inſtitutione & meritis in cæleſtibus caſtris niveas militantium innumerabilis multitudo bonorum fructuum palmas perferret, & multiplex antiqui deceptoris verſutia ablatis fidelium animarum ſpoliis deperiret. Quod facile eſt deprehendere, ſi quis altioribus abſtinens, hæc pauca in conſequentibus dignetur advertere. Cui videlicet ex matris utero cum Divini jam tunc ſanctificatione muneris in luce prodeunti, more Aquitanico BERERUM* à parentibus inditum conſtat fuiſſe vocabulum, tamquam ab ipſo jam naſcendi exordio bonæ hereditatis herum.

* *al.* Berenum

Nivardo agente litteris imbuitur.

3. Eo tempore Francorum imperium Rege CHILDERICO [a] feliciſſimè diſponente, viro quidem rebus bellicis potentiſſimo, circa Eccleſiarum autem Dei cultum devotiſſimo, B. Pontifex NIVARDUS ſanctitatis ac religionis magnitudine toto Francorum orbe famoſiſſimus, Apoſtolica auctoritate cæleſtem in terris vitam agens, ſanctæ Remorum præſidebat Eccleſiæ. Qui quia eſſet plenus auctoritatis & gratiæ, cùm peteretur quoque diverſas terrarum vel nationum tam pro vitæ merito quàm etiam doctrinæ affluentis eloquio partes inviſere, fines Aquitaniæ aliquando contigit expetiſſe, atque ad illud uſque prædium traditur perveniſſe, in quo viri Dei parentes videbantur propria ſtatione reſediſſe. Nam inter cetera quæ ex dote ſupernæ diſpenſationis hic vir ſanctus acceperat, non mediocribus quoque paternæ hereditatis titulis à progenitoribus temporaliter etiam certum eſt floruiſſe, quod videlicet, ſi quis diligenter

[a] Sollemne eſt Auctoribus, qui res geſtas Sanctorum litteris mandaverunt, ut quo quiſque Rege floruit, eodem natum eſſe affirment: quod hîc quoque ab Adſone factum. Bercharius Chlotharij II. Principatu natus eſt, apud Luxovium admiſſus eſt non ab Euſtaſio, ſed à Vvaldeberto ſeu Vvalberto Abbate: anno circà DC. L. Altivillarenſe Cœnobium erexit, Dervenſe anno circà DC. LXX. denique anno (ut aiunt) DC. XXCIV. obiit.

velit,

velit, in promptu eſt agnoſcere, cùm pæne uſque ad hæc noſtra tempora ejus juris villas & prædia tam ultra Ligerim, ubi Diſeias dicitur, quàm etiam intra fines Aquitaniæ conſtituta, hi qui ſibi in Monaſterij ſui regimine probantur ſucceſſiſſe, per longa temporum curricula jure quieto viſi ſint poſſediſſe. Sed ingruentium causâ malorum, partim negligentiâ torpentium, partim etiam crudeli perverſarum infeſtatione gentium videntur amiſſa, quæ quondam Monachorum fuerant uſibus attributa. Sed ut ad id quod cœpimus exſequendum redeamus, cùm prædictus Pontifex ſanctus, à viri Dei parentibus debitæ venerationis liberalitate, ut par erat, officioſiſſimè ſuſceptus, quamdam futuræ habitudinis ſpeciem miraretur in puero boni operis candidato, Divino inſtinctu ſacris myſteriis eum applicandum eſſe præcenſuit. Hac itaque ſanctiſſimi Pontificis auctoritate animati devotiſſimi genitores, infra teneros annos exactæ infantiæ, temporis opportunitatem nacti, litteratoriæ profeſſionis ſalutaribus diſciplinis mox mancipandum eſſe decernunt, in quo præeunte ſupernæ illuſtrationis munere, cum ſacræ inſtitutionis inſtantiâ ſpiritalium etiam donorum fulſerunt incrementa. Qui ſcilicet non otioſè paſſus illa de lucidiſſimo litterarum fonte commercia ſub ætatis teneræ crepundiis ardentiùs aggregare, quibus poſtea in virile robur adſurgens, & ſibi & aliis ad menſuram Dominicæ diſpenſationis potuiſſet prodeſſe. Ita jam tunc puerilis inconſtantiæ motus, quibus ſæpe illa ætas labilis & fluxa reſolvitur, rigore virtutis ingenitæ & moderaminis juſti componens honeſtate, ut præter hæc quibus addictus fuerat litterarum conamina nil in ſe aliud reſidere patereturr, niſi fortè dum aut opera pietatis ageret, aut certè prout natura conceſſerit, ſacris orationum exercitiis devotiùs inſudaret. AN. CHR. DC. XXCV. MARTII XXVII.

4. Igitur dum puer ſanctæ indolis tam ſcientia quàm virtute animi coævos ſuos brevi præcederet, atque paullatim bonæ intentionis primordiis ad cæleſtis militiæ perfectius tirocinium decreviſſet intendere; ſupernæ vitæ æſtuantis animi deſiderio cœpit altius adſpirare, terrenarum rerum contemptu ſufficiens atque ea quæ ad virtutum incrementa reſpiciunt perennis intuitu gloriæ totis niſibus attentans, æterna præ oculis indefeſſa conſtituere, peritura manentibus compenſare, diverſis afflictionum generibus affectionum carnalium molimina coartare, atque adoleſcentiæ greſſus, Divini amoris virtute roborare. Spretis deinde propinquorum & patriæ retinaculis, diligenter replicans, quia qui novæ converſationis rudimenta ſuſcipiunt, tamquam peregrinos & advenas non cives ſuos mundus adſpiciat; præfatum ſanctiſſimum Nivardum Remorum Pontificem flagrat ardore expetendi. Qui, ſicut diximus, Apoſtolicæ inſtitutionis prærogativâ ſuffultus, nobilitatis honore clariſſimus, variis virtutum generibus adornatus, inter Francorum Proceres primus in aula Regis, vita & converſatione digniſſimus fulgebat. Per id temporis ea civitas Sanctorum ſtipata cohortibus, & licet inter militares alas ſub Principe ſuo Childerico, capiti tamen ſuo conſona, Divini amore cultûs urbs populoſa ſpirabat. Hujus itaque tantæ opinionis gratiâ provocatus felix adoleſcens Bercharius, Eccleſiaſticis ſacramentis, fide, habitu & actu aptiſſimus, cum illo beato ſene, cui jampridem dictum à Domino fuerat, *Egredere de terrâ & de cognatione tuâ, & veni in terram quam monſtravero tibi, & faciam te creſcere in gentem magnam*, fidem participans & meritum, cognationem relinquens & patriam, poſt longi laboris excurſum, fines ingreditur Franciæ, futurus cum S. Nivardo Pontifice civis feliciſſimus (ut patulum eſt in ſequentibus deprehendere) ſanctæ Remenſis Eccleſiæ, in augmentum videlicet operationis Divinæ, quam Domini omnipotentia Redemptoris, in lucrandis fidelium animarum quæſtibus per hos duos ſynergos feliciſſimos præordinaverat adimplere. Hic igitur beatus Pontifex ut ſemper optaverat, tali ac tanto ſuppare adepto, quoniam ipſe exterioribus tractandæ reipublicæ fuerat negotiis implicatus, regiæ diſpoſitionis conſiliis & actibus frequenter intereſſe, Pontificalis providentiæ pondus volens nolénſve Remos ad Nivardum ſe recipit. Gen. 5.

AN. CHR. DC.XXCV. MARTII XXVII.

cæleſti ordinatione perferre, miniſterium ſibi injunctum tum publicè tum privatim increpando, arguendo, obſecrando, ut perfectus agricola ſedulus exercere, gaudio replebatur non modico, familiari potitus adjutore atque in Divinis operibus devotiſſimo conſorte.

Remaclo informandus traditur.

5. Quapropter cupiens eum undecumque perfectiùs erudiri, ſanctioribus ac religioſioribus Divinæ ſcientiæ viris, quos ſibi undique collata familiaritate addiderat, copulandum eſſe conſtituit, ut videlicet plurimorum inſtituentium auctoritate diſceret, quod poſtmodum plurimis miniſtraret. Inter quos tunc temporis in Regis Francorum aula præpollentis beatiſſimi REMACLI Procuratoris [a] quidem ſacri ſcrinij palatij prudentiæ & ſanctitatis titulis commendata ubique excreverat opinio veneranda: qui ſcilicet vir inclytus, Confeſſor poſtmodum Domini glorioſus, multis ſignorum virtutibus approbatus, placidus cunctis, benignus univerſis, in proſperitate modeſtus, in adverſis patientiſſimus, vitâ laudabilis, eloquio affabilis, ſic temporalia cautus exhibebat, ut æterna ſemper ab oculis non averteret. Hujus talis ac tanti viri ſacris inſtitutionibus rore ſuperni nectaris illuſtrandum B. Bercharius nutu prædicti Pontificis ſe maluit pro tempore ire copulatum, ut in quo perfectam doctrinæ ſcientiam intellexerat, ipſe quoque per hunc ætatis ſuæ ac morum imbecillitati conſulens, non tam ſcientiæ quàm ſanctæ puritatis commercia reportaret.

Luxovium petit.

6. Interea cùm beati viri juſtus adoleſcens per aliquod tempus magiſterio frueretur, & cæleſtis pro viribus prælibâſſet hauſtum ſapientiæ, Luxovienſe Monaſterium accepto tulit expetere, quoniam B. COLUMBANI diſtrictis commendata Regulis, ad ſe perlata fuerat fama Religionis. Erat enim eo tempore in cunctis Galliarum partibus hoc Cœnobium cùm in multimodis rerum poſſeſſionibus, tum etiam Divinæ venerationis cultibus nomen ſingulare habens, quòd illic & diſtrictior inſtitutio, & ſtudium ſapientiæ pleniùs haberetur: quem videlicet miræ ſpectationis locum idem B. Columbanus Pater in vaſta Voſagi eremo à fundamentis conſtruxerat, inventis antiquiſſimi operis ædificiis cum aquis naturâ ferventibus è terræ venis ultrò prodeuntibus, ubi & ipſe poſtmodum aggregato fidelium numero ſexcentorum fermè Monachorum Rector exſtitit, longóque tempore eidem Monaſterio nobiliſſimè præfuit, multíſque miraculorum ſignis in eodem loco claruit, donec BRUNECHILDIS Regina impiiſſima, eoquòd duos filios ſuos quos ex adulterino THEODERICI nefandi Regis, filij videlicet regis Sigeberti, conjugio [b] ſuſceperat, ſuo colloquio & benedictione indignos judicâſſet, ab eo loco inſtinctu diabolico proturbavit. Qui non ſine magno mærore & luctu omnium receſſurus inde, EUSTASIUM virum æquè ſanctiſſimum dignitate generis & vitâ illuſtriſſimum, quem ipſe pago oriundum Lingonico à puero inſtituerat, eidem numeroſo Fratrum collegio Rectorem præfecit. Inde Italiam expetens, Bobienſe Cœnobium non minùs decenti opere ſtatuit, in quo conſummatus virtutibus, beato fine quievit. Sanctus verò Euſtaſius loco Patris reſidens, non minimam Monachorum multitudinem in Domini ſervitute verbis & exemplis præmuniens, nominis & meriti magiſtri heres exſtitit. Auditâ igitur famâ tanti nominis, viri religioſi illuc undecumque confluunt, ſeſuóſque liberos plurimi certatim imbuendos offerunt, illud ante omnia ducentes permaximum, ſi vel poſt longævam probantis injuriæ tolerantiam, quodammodo admitti mereantur in Congregationem. Jam verò quis locus vel civitas non gaudeat, ex beati viri diſciplina Rectorem habere Pontificem vel Abbatem, cùm conſtet ex hujus virtute magiſterij pæne totum Francorum orbem decretis Regularibus fuiſſe primùm decenter illuſtratum? Bercharius itaque famulus Chriſti ad altioris vitæ ſemper inſtituta conſcende-

a An Remaclus id munus in palatio geſſerit, an etiam Bercharius in aula alibíve cum eo vixerit, non ſatis conſtat. Lege Acta S. Remacli ad ann. 664.

b Fœdè hallucinatur Auctor, ſi Brunechildem putat filios proprios ſuſcepiſſe ex Theoderico, qui Brunechildis nepos fuit, eíque pronepotes ex pellice generavit.

re deſiderans, Pontificis ſui auctoritate & gratia, celeri greſſu ad locum hunc pro voto properat: præfati Patris [a] alacritate condignus approbatur ſanctæ Monachorum cohorti, non tam corpore quàm mente & actu ſociatur. AN. CHR. DC. XXCV. MARTII XXVII.

7. Suſceptus autem in commune cum ceteris, aggreſſúſque denuo tamquam athleta recentiſſimus militiæ gymnaſium cæleſtis, præteritorum immemor certaminum, & quaſi qui virtutum in ſcammate poſitus, ad perfectionem pugnæ nihil plenè antè peregiſſet; cœpit rurſus Divinis operibus ſpiritum coërcere, veluti eum cerneres Monaſticæ diſtrictionis tunc primùm rudimenta ſuſcepiſſe, ſeipſo ſemper validior, & gratiâ ſupernæ illuſtrationis vitæ præcedentis qualitate jocundior. Jam verò ſtili non patitur opera, quanta in viro Dei fuerit humilitas, quanta virtus obedientiæ, quanta modeſtiæ gravitas, quanta caritas, quanta benignitas, quanta manſuetudo, quanta etiam patientiæ fortitudo. Obedientiæ ſibi injunctæ negotium ita jubentis percurrit imperio, ut mentem in ſublime dirigens, nec laudis humanæ compendia quæreret, & ſuæ præmium gloriæ, rei pereuntis pretio nullo compenſaret. Studebat etiam aliorum conſideratione ſeipſum deſpicere, & cùm apud ſe cunctis judicaretur inferior, in humilitatis tamen culmine certabat omnibus inveniri ſublimior: mæſtiſſimum revolvens ſi quis in illo ſancto collegio aliqua fortia attrectaret, quæ ille favente Dei gratia ſegniùs attigiſſet. [a] Piè vitam inſtituit,

8. Traditur ſiquidem per idem tempus, hunc in eo loco factum aliquando miniſtrum à caliculis [b], in curam promptuarij, Rectoris nutu, vicibus ſucceſſiſſe. Cúmque ille hanc officinam corporum diſpenſandam acciperet, quippe quem ſtrenuum ad omnia ſancta obedientia fecerat, quæ commiſſa fuerant prudenter inferebat. Quadam verò die dum talibus tenetur implicitus, juſſu Patris eſt ſubitò vocatus. Fortè ille tunc promptuarium ingreſſus, ante vas ſteterat, & ſidem quæ vulgò ducidulum à potu ſcilicet educendo dicitur in manu tenens, cerealem [c] amphoræ potum infundebat; mirum dictu! ad unius juſſionis nutum audito Abbatis nomine, relictis quæ habebat præ manibus concitus cucurrit, oblitus ardore obedientiæ & vaſis obſervantiam & amphoræ cautelam. Cúmque vocatus adſtaret ante Abbatis præſentiam, interim potus ille in vaſculum non ceſſans defluere ſubter poſitum, poſtquam ad ſuperficiem vaſis pervenerat, in modum columnæ ſupernè conſtipatum in gyrum coronari cœpit. Ultrò cerneres illud genus liquaminis, quod vix clauſtris contineri valeat, ut quondam Dei tranſeunte populo abſque litoribus Jordanis fluenta in ſublime tolli; ut liquidò pateſceret quanta eſſet virtus obedientiæ, cujus fructus nullomodo poſſit in terram deperire. At verò ille non ſine Abbatis admiratione reverſus, factum ſtupuit, quod priùs potuiſſe à ſe fieri omnino non præſumpſit: tamen vir ille ſanctus hoc quod acciderat non ſuo, ſed totum Abbatis ſui merito deputavit. Pincerna factus, miraculo cõmendatur obediens. [b]

9. Ita verò cùm jam eſſet Regularibus adprimè diſciplinis edoctus, Divinæ militiæ in utramque partem armis præmunitus, ut videlicet per hæc quæ longo exercitio didiciſſet, in lucri Dominici diſpenſationem jam plurimorum ſaluti conſulere potuiſſet; in provinciam Remorum ad S. Nivardum Pontificem revertitur, qui tam virtutibus quàm rebus, ut diximus, ſupra gregis ſui cuſtodiam vigilans, hoſtis inſidias relidebat, atque Eccleſiaſticam dignitatem profuſis ſucceſſibus ampliabat: cuíque olim volventibus annis Divinæ inſpiratio- Remos reverſus, Nivardo Monaſterium conſtruere cogitanti ſociatur.

[a] S. Euſtaſius Cœnobio Luxovienſi præfuit ab anno DC. XIII. ad DC. XXV. quo tempore Remenſi Cathedræ præerat Sonnatius, cui poſt Leudegiſilum, Engilbertum & Landonem Nivardus anno circà DC. L. ſucceſſit. Non ergo Bercharius Luxovium admiſſus eſt ab Euſtaſio, ſed fortaſſe à Vvalberto ejus ſucceſſore, qui ab anno DC. XXV. ad DC. LXV. locum rexit.

[b] Tametſi *caliculas* pro *caligulis* nonnumquam uſurpant Auctores, hîc tamen intelligendi videntur calices ſeu pocilla, uti ex ſequentibus apparet.

[c] Ita cerviſiam ſeu zitum vocant, eoquòd ex cerere ſeu ex granis hordei potiſſimùm eliciatur. Id genus miraculi refertur in Vita S. Columbani num. 26. at Bercharo aptari non poteſt: ſiquidem factum dicitur Columbani imperio, quem Bercharius ſuppar videre non potuit.

An. Chr. DC.XXCV. Martii XXVII.

nis inſtinctu hic ardor ſenſibus inerat, uti in quolibet ſuæ diœceſis contubernio eo loci ad ſerviendum Deo viventi domum conſtrueret, ubi rerum competentia aptiora Divinæ ſervitutis commoda prætuliſſet. Illa erat in hac deliberatione morarum cauſa permaxima, quoniam deeſſet perſona voti ad id agendum ſocia, quæ & deſiderium ſuppleret Pontificis, & ſtrenua in Dei rebus inveniretur inſtantia ſuſcipiendæ tantæ collaborationis. Sed diu in dubio ſuſpenſus animus nequaquam fruſtrari potuit ſpe jampridem conceptæ intentionis. Bercharium itaque præripit, voto applicat, conſultu præeligit, virum quidem in Dei rebus idoneum, religione præditum, animo efficacem, exteriorum experientiâ non minùs agilem quàm prudentem. Cúmque per id temporis urbs illa, ut diximus, & multorum floreret ingenio, & in admiratione Reipublicæ, Divinorum operum inſignis haberetur commercio; hunc tamen ſolum, hunc ſibi adſciſcit præcipuum, cui conſona auctoritate & merito futuræ fabricæ curam deponeret, & ſani diſpoſitione, conſilij omni illi ſtructuræ ſpecialiter præficiendum decerneret. Prædium eſt publicum in pago Remenſi octo millibus ab urbe diſparatum, cui videlicet ævo precedenti Sparnacus* nomen fuiſſe conſtat impoſitum; quod olim quidem, tempore ſcilicet Chlodovei Francorum magni Principis, quem beatus Remigius Apoſtolica auctoritate & præditus & probatus, doctrinâ & virtutibus magnificus, cum ſuo exercitu, ut in geſtis ejus legitur, Angelico miniſterio ſacro chriſmate aquæ regenerantis illinierat; idem Pater mirificus non modicæ quantitatis pretio adquiſierat, ac Remenſem Eccleſiam, cui auctore Deo præſidebat, heredem conſtituerat. Denique glorioſiſſimus Dei Pontifex Nivardus Paſtoralis ſollertiæ condignè adminiſtrans officium, tum ad alia ſuæ diœceſis loca inviſenda, tum quoque ad hunc ſæpe vicum egrediens, non tam propriæ cauſas agebat utilitatis, quàm cunctis ſe affabilem quoque exhibens, ſalutem ſubjectorum ſedulus impendebat. Cúmque dies ac noctes ædificandi Cœnobium in aliquo prædiorum ſuorum, quibus nobiliter temporali quoque emolumento pollebat, deſiderij continuatione pervigiles duceret, aſſumpto ſuo illo, ut ſæpe ſolebat, domeſtico beato Berchario, cauſa exſtitit, qua præfatum vicum expetere pro more cogitaret. Hujus proceſſu itineris, quo ad eundem vicum Maternæ fluminis litoribus contiguum tenditur, quidam ſui juris locus erat gratiſſimus, qui paullulum reducto ſinu in montis latere amœniſſimo herbis virentibus aquarúmque rivulis ex ſublimi vertice leniter effluentibus, arboribúſque ac vineis in declivi circumquaque conſtipatus, intuentium oculis oblectamenta præſtabat.

* *Eſpernay.*

Nivardo in ſoporem verſo.

10. Sanctus igitur Pontifex hoc iter aggreſſus, cùm jam eas partes per clivum montis attigiſſet, qua decontra illa loci gradientis viſibus ſe amœnitas propiùs objeciſſet, ſuper equeſtre quo ferebatur vehiculum eo gravi ſopore deprimitur, ut omni protinus eundi facultate proſcriptus, ſymmiſtem ſuum B. Bercharium inclamaret, omnémque illum equeſtrem qui tunc fortè ſe comitabatur ordinem ſtare loco præciperet, & quibus ad ſoporem urgeretur ſtimulis patentiùs indicaret. Ecce, inquit, irruente ſoporis immanitate ſecùs ſolito concutior: ita ut hinc greſſum promovere, impotem me eſſe omnino confiderem. Procuretur ergo feſſis artubus inter hæc virecta amœnitas paullulum divertendi, ut redeuntibus per ſoporem viribus cœptum reddatur facultas iter peragendi. Inter latè patentia nemora diffuſis frondibus, virentibus foliis inſtanti rei grata fagus eligitur.

Hæc alias inter tantum caput extulit alnos,
Quantum lenta ſolent inter viburna cupreſſi.

Huic itaque arbori ociùs ſe ſubter injiciunt gratiâ quieſcendi. Ità individui ſui comitis B. Bercharij ſolo decumbentis feſtinans compoſito vertice gremio recipi, ſternitur hic patulæ recubans ſub tegmine fagi. Quid verò tunc miraculi

cælitùs ſit oſtenſum, ſtili duxi officio non improbè intimandum, ut ſupernæ illuſtrationis veritas oſtenderet, qui eſſent quos ſilvarum denſitas obtexiſſet. Interim Pontifice quieſcente, ſanctus vir Bercharius in cælum defixis luminibus adſpicit ſubitò aëre per ſerenum conſpicuo columbam [a] è ſublimibus deſcendere, niveo fulgore radiantem, atque eidem cui ſubſtrati manſerant arbori leniter inſidentem. Cúmque in eam oculorum dirigeret aciem, diligenter explorare cupiens, quáſnam in partes ales ille niveus declinare decerneret, repentè alarum ſoluto remigio, ab arbore cui inſederat profilit, & rumpens aëra vacuum, futuræ ſpatium fabricæ circumvolans, locum in quo Cœnobium conſtrui debeat, gyro deſignat, præſentiâ ſanctificat, expleto hoc luſtramine, rurſus nota recipitur arbore. Cúmque eoſdem ſui ambitus circulos cæli nuntius ad futuræ rei firmitatis indicium tertiò repetiſſet, patenti cælo reconditur, & nihilominus hominibus in terra degentibus Divinæ voluntatis præſagium aperitur, & novæ admirationis veſtigium relinquitur. Intelligit hic vir ſanctus, puro ut erat animo, ſignum eſſe cæleſte, quo & dubitantium animi firmarentur, & diu dilatum opus in Dei ſervitute fundaretur. O beatum virum cui oſtenditur corporali intuitu Angelicæ dignitas viſionis, in ſpecie columbæ rutilantis, ad comprobandum teſtimonium innocentiæ & puritatis. Eſt etiam in hac re illud quoque non minùs admirabile, quia quod iſte corporalibus deprehenderat oculis, hoc idem quieſcens ſanctus Pontifex ſenſerat ſopore cæleſtis viſionis. Qui cùm poſt aliquantulum perceptæ quietis ſpatium ſomno excitus, caput ab imis ſuperna revelatione præedoctus erigeret, O, inquit, votorum meorum compar fideliſſime, quàm gratum mihi eſt huc paullulùm gratia ſoporis pro tempore divertiſſe, quem conſtat per Dei gratiam tantæ revelationis myſterium cælitùs agnoviſſe. Ecce enim hinc jam lætus progredior, cælorum ſigna ſequor, quod diu differens corde geſtaveram, mirandæ viſionis arcano maturiùs aggrediendum eſſe compellor: ſed ne longiùs res inopinata te duxerit, quid viderim patenter expedio. Et priùs præſentias hîc eſſe domum Dei, ut feliciſſimo quondam antiquo Patriarchæ, & portam cæli mihi indigno Chriſti Domini famulo divinitùs oſtenſam. Nam mox ſummiſſis artubus, ſubitò hîc ſopore præreptus, cùm vix in utramlibet partem vis naturæ quieſcentem impelleret, videre mihi videor à ſupernis inſtar nivei candoris ſpeciem adeſſe columbæ, quæ poſt hujus arboris ſeſſum, non incerta quò tenderet, locum hunc præpeti curſu volando præcingit, trinóque gyro æquè peracto cæli cacumen tendit. Credo equidem hoc ſpei conceptæ proficuum à Deo portentum, ut quod erat voto ſuſceptum, jam cælo præmonente ſit celeriùs exſequendum. Sancto hæc Pontifice perorante; Me, inquit B. Bercharius qui ſancto viro gremij ſui reclinatorium fecerat, quidquid, Pater ſanctiſſime, cæleſti prodigio in viſione ſpiritus divinitùs tibi teſtaris illatum, manifeſta Dei virtute noveris etiam corporaliter fuiſſe conſpicatum.

An. Chr. dc. xxcv. Martii xxvii.

a

loco per Angelum deſignato,

II. His igitur alternis ita conferentibus, altero quidem quod in ſomnis ſenſerat, altero verò quod oculis corporeis adſpexerat, res in proſpectum deducitur, locum illum Angelica perluſtratione ſignatum, ad agendum Divinæ ſervitutis obſequium mira diſpoſitione à Deo eſſe quamdignanter electum. Ita verò percepta tantæ revelationis de cæleſtibus ſimul & conſolationis gratiâ certiores utrique facti, & quod erat ambiguum loci deſignatione ſpecialiter edocti, inde ambo conſurgunt, ac ſic oculos Antiſtes beatiſſimus in cælum dirigens, illum

mandatum de condendo Cœnobio Altiviſlarenſi accipit,

a Hanc hiſtoriam paullo aliter deſcribit Frodoardus in lib. 2. Hiſt. Rem. cap. 7. Quippe Bercharius poſt viſionem columbæ hîc relatam *lacrymas fudiſſe* dicitur. *Experrectus autem B. Præſul à ſomno, ex lacrymis ejus faciem ſibi reperit udam: & interrogans quæ illi cauſa fletûs exſiſteret. Accepit eum propter ſui ruinam fleviſſe operis*, Eccleſiæ ſcilicet in Villari à Nivardo bis exſtructæ, bíſque caſu incerto everſæ. *Invicemque ſibi viſa referentibus, traditur Pontifex hac etiam Dei ſervo cuidam nomine Bavoni, cujus erat ipſa poſſeſſio, viſa narrâſſe. Qui Oratorium in honore ſanctæ Crucis illic habens, ibi converſabatur. Qui etiam poſtquam viſionem Præſulis & ejus cognovit voluntatem, obtulit ei eamdem poſſeſſionem, partem quoque poſſeſſionis cujuſdam fratris ſui nomine Baldini.* Addit Frodoardus Theoderamnum alterum Bavonis fratrem, Reolum Comitem poſtea Epiſcopum Remenſem ipſiúſque filium Gedeonem illic Monaſticum habitum ſuſcepiſſe.

AN. CHR. DC. XXCV. MARTII XXVII.

protinus tota cordis intentione collaudans, gratias egit in quem ab æterni Patris ſecreto Spiritus-ſanctus corporali ſpecie in columba deſcendit, ac fluenta Jordanis ſacri corporis tinctione in noſtrorum ablutionem ſcelerum cælo patente beavit. Præcedente itaque in conditionem æterni tabernaculi tanto ac tali auſpicio, Tibi, inquit ad B. Bercharium Præſul eximius, tuæque induſtriæ hoc ſanctum opus diſpono committere, ut quem prudentia & ſanctitate perfectum eſſe non dubitem, principem quoque in conſtructione cæleſtis fabricæ te jure conſciſcam. Quod vir Domini, ardens ut erat, totis affluens in Dominum viſceribus, cui inimica profectò omnis ignavia, amica verò ind feſſa laboris efficacitas, libenter ſuſcipiens, tanto amplectitur deſiderio, quanta in eo ſupernâ gratiâ meritorum excreverat magnitudo. Et quoniam ſeipſum jam antè Spiritus-ſancti templum virtutis effecerat, ipſe quoque terrenæ molis pulcritudine templum Domino oculis etiam ſpectabile fundare exoptabat, confiſus videlicet undique tam Divino quàm S. Pontificis in cunctis auxilio. Nam & univerſis ſui temporis Francorum Regibus, Epiſcopis quoque ac Regiæ dignitatis Proceribus tam gratum acceptabilémque eum certum eſt exſtitiſſe, ut ſi quid in Divinis cultibus ſeu etiam terrenæ commoditatis opportunitatibus cordi eſſet, ab eis facilè obtineret: quod in conſequentibus quoque diligens lector ſuo loco patenter poterit invenire, ſi ea quæ diverſis temporibus Regiæ majeſtatis ac Francorum Principum munificentiâ ſibi conceſſa fuerint, recenſere voluerit beneficia. Quorum videlicet fultus auctoritate & gratia, jam maturiùs componendæ fabricæ negotiis accingitur, copias ſumptuum præparat, & univerſa quæ tanto operi neceſſaria videbantur ſedulus operator adſignat. Itaque in ſupradicti prædio loci quod in declivi montis latere (ut diximus) ſitum, reducto profuſiùs ſinu pulcherrimam blandientis amœnitatis planiciem reddit, atque in proſpectu ſuo ſubjacentia Maternæ fluminis longè latéque litora circumdeſpicit, mulcenti quadam viſionis voluptate compellat, ab antiquo ALTUM-VILLARE nomen acceperat, Angelicæ deſignationis ſpatium ut cælitùs oſtenſum fuerat, murorum ambitu jactis fundamentis complectitur, omnéſque illius parietes ædificij ad modum columbæ in aëre permeantis ſuſpecta permenſione metatur. Nec antè Divini cultoris opera deſtitit, donec ſuperna annuente providentia, CHILDERICI etiam Regis Francorum ac ſacri Antiſtitis opitulante clementia, opus quod ad laudem Dei ſuſceperat optata perfectione compleret.

Childerico juvante.

Eccleſiam S. Petro, a

12. Ea verò arbor, quæ quondam opulentiſſima fagus ſteterat, in qua columba cælitùs emiſſa pridem reſederat, ac ſuo gyro ſitum Monaſterij volando expreſſerat, habita deliberatione ſuccidítur, & collatis in commune omnium votis, in loco cui affixa fuerat, aram in veneratione B. Petri Apoſtolorum Principis [a] ſtatuit. Ad conſecrationem verò Baſilicæ cum S. Nivardo Metropolitano Pontifice, alij etiam Epiſcopi conveniunt, Clerus omnis & numeroſæ plebes utriuſque ſexûs irruunt, Proceres quoque Francorum non minori voto concurrunt, & per B. viri Bercharij opus laudabile in Dei laudibus pari omnes magnitudine jocunditatis exſultant. In auſtrali verò ejuſdem montis latere, aliam ſtruxit vir ſanctus Eccleſiam, quam Genitricis Dei & Domini noſtri JESU-CHRISTI ſemper Virginis MARIÆ nomine decrevit honorandam. Septa etiam Monaſterij & univerſas competentes Ordinis officinas, ad ſectandam vitæ Regularis obſervantiam prudentiſſimè compoſuit, Monaſticæ converſationis viros religioſos aggregavit, & cuncta quæ huic Ordini commoda judicabantur, diligenter implevit. Copioſos verò prædiorum ſumptus ſanctiſſimus Antiſtes, tam ea quæ ſui juris eſſe videbantur, quàm quæ etiam beato interveniente Berchario ab ipſis Francorum Primoribus obtineri poterant, in neceſſarios Servorum Dei delegavit uſus, ut videlicet in eodem Cœnobio & merito & numero populus Deo ſerviens utriuſque laboribus augeretur. Hæc ſunt igitur hujus B. Patris noſtri Bercharij ma-

aliam B. Mariæ curat dedicari.

Monaſterium rebus & perſonis inſtruit.

a Additur in diplomate Nivardi à Sammarthanis relato, *& Pauli, ſeu etiam S. Iohannis & ceterorum Martyrum & Confeſſorum, quorum pignora ibidem venerari noſcuntur.*

gnorum operum ſancta principia: ſed adhuc reſtant ad Divinæ obſequium majeſtatis piorum laborum majora certamina, quæ in hoc poſtmodùm monſtrabit opere rerum conſequentia. Qui videlicet cùm eſſet in ſpiritalis exercitij ſublimitate perfectus, in Divinæ legis meditatione continuus, temporalem tamen non auſpicatus eſt gloriam, ſed mentis puritate jugiter concupivit æternam, nec levi felicitati inclinari nec inani voluit laude reſolvi. Jam verò conſummata omni ſacri illius templi ſtructura, his duobus ſanctiſſimis viris quanta fuerit immenſitas exſultationis, quàm grata ſocietas unanimis affectionis, quantus Divinitatis amor, quantus vitæ cæleſtis ardor; nec ſermo capere, nec lingua ullo modo valet explicare. An. Chr. DC. XXCV. Martii XXVII.

13. At verò cùm in his ſanctorum operum ſtudiis quàm gloriosè tenerentur inſerti, ſanctæ exhortationis gratiam per populos infundentes & ad æternitatis gloriam quaquaversùm animos Fidelium incitantes, cùm jam ſuperna clementia Antiſtitis ſui Nivardi vitam laudabilem perpetuæ jocunditatis commercio compenſare & pro labore brevi palmam decreviſſet permanentis rependere gloriæ; opere perfectus, virtutibus conſummatus, adveniente Kalendarum Septembrium die, mortis nexibus abſolutus migravit ad Dominum, beatæ immortalitatis ſtolam conſecutus, Angelorum agminibus in illa cæleſtis curiæ dignitate concivis factus, Apoſtolorum particeps, Martyrum & Confeſſorum coheres, illius inſatiabiliter adſpectu fruitur, cujus amor ab ejus pectore numquam receſſiſſe certum tenetur: qui licet pro lege carnis debitum ſolverit humanæ conditionis, vivit tamen in gloria perpetuæ exſultationis, noſtris autem illic proculdubio miſeriis præſtantiùs, ſi ex corde rogatus fuerit, occurrere paratus, quanto nunc potentiùs illi ſummo atque inviſibili ſpiritui cernitur eſſe conjunctus, per virtutem univerſa ſcientis ipſe ſcius omnium ac exauditor effectus. Ad cujus exſequias corporis tota Remorum civitas ruit, Clerus ac populus utriuſque ſexûs convenit, ex vicinis etiam urbibus multi adfuerunt tanti Paſtoris exceſſum admixtis pio mærori hymnorum ſollemnibus obſequiis adſignantes. Cujus quidem corpus diverſis populorum catervis conſtipatum uſque ad Baſilicam S. Remigij à S. Bercharío necnon & ſanctis Pontificibus qui ea die illuc confluxerant, univerſa gregis ſui multitudine proſequente, condigno honore defertur, ac excellenti mauſoleo condendum, decentiſſimam ibidem accepit ſepulturam, ſanctiſſimo viro Berchario in ſupradicto Altivillari Cœnobio glorioſo Præſuli ſuperſtite relicto. Qui licet tanti Patris fuerit ſolamine deſtitutus, nequaquam tamen à cœpti operis intentione deſiſtens, ſubjectorum animos exemplis inſtruebat & verbis. Locum verò, quem ædificare cœperat, rebus ac vario decore colluſtrans, nihil ſubtraxit induſtriæ, donec ad culmen proveheret perfectionis ſummæ. Spiritualium enim donorum, perfuſus rore, vitæ jam conſertus Angelicæ, civis cæleſtis Patriæ, Nivardo mortuo. virtutibus, miraculis, & auctoritate clareſcit.

Dogmate juſtitiæ, Chriſti refovebat ovile,
Conſtituens plebi cæleſtia templa fideli.
Nec minùs in magnis flagrans reſplenduit actis,
Quæ geſſere Patres fulti pietate priores,
Optima dans vitæ populis documenta beatæ.

Domini namque gratiâ præeunte, multis miraculorum ſignis in eo loco claruit, ac ſupervenientibus diverſarum incommoditatum caſibus ſe opponens, multa cæleſtis beneficij emolumenta populis impendebat; ſanitates corporum, ſalutem animarum. Francorum quoque Regibus diverſo tempore ſibi ſuccedentibus ac palatij Optimatibus ita in cunctis erat affabilis, ut eorum uſus pro voto familiaritatibus, quæ intenderet citiùs obtineret, & in conſtruendis Servorum Dei habitaculis ſumptus ei & copias eorum largitas pleniter miniſtraret. Si quis his hæſitans fortè manet incredulus, prædicti loci miretur mœnia, adſpiciat ædificia, perluſtret diligenter opera: patebit ſcire cupienti quanti fuerit meriti, per quem Dominus tanta ac talia dignatus ſit operari.

AN. CHR. DC. XXCV. MARTII XXVII. Parthenona in ſaltu Dervenſi ædificat.

14. Rebus igitur tam exterioribus quàm interioribus prędicti Altivillarenſis Cœnobij ſecundum Dei cultum honorificè ordinatis, jamdictus Pater Bercharius corporeæ quietis impatiens, opportuna ſibi loca lucrificandi gratiâ perquirebat. Abinde namque egreſſus, Dei munere præcurrente, vaſtam ſaltûs Dervenſis ſolitudinem petere contendit: quo in loco qua venerat intentionis non immemor, aptum ædificandi Cœnobij ſtatum invigilando ſollicitè ſcrutabatur. Hæc igitur inter cogitandum, Dei gratiâ præduce contulit ſe ad quamdam matronam, WALTILDEM nomine, quæ ſuperbo nobilitata ſanguine * plurimorum à proavis prædiorum affluentiâ lætabatur: à qua vir ſanctus condicti pretij dono emit ſibi partem ſilvæ, eum ſcilicet locum qui dicitur vulgo Mangis-villare: ibique Cellulam [a] ædificans, eámque B. MARIÆ ad honorem conſecrans, Puellarum cœtum Deo Matríque ſerviturarum, prout poſſe fuit, diligentiſſimè aggregavit. Nam viam publicam vulgò Cantillam dictam expetens, pretio à prætereuntibus ſuſcepit captivas puellas octo, quas in ſancta Religione edocens, Deo dicatas ibi manere conſtituit. Ex hoc igitur Chriſti adminiculante ſuffragio excrevit numerus Virginum aduſque ſexagenarij cumulum, quibus etiam prędictus Pater neptem ſupra ſcriptæ matronæ Waltildis ſollemniter Abbatiſſam præfecit.

Oratoria etiam diverſa.

15. His quoque ritè peractis, ſecretiora ſaltûs infatigabiliter excutiens, cognoſcere ſummopere geſtiebat, ſicubi opportuniora loca ædificandi cellulas reperiſſet, veniens in quemdam locum, Lutoſas [b] nomine, cellam conſtruendi aptum reputans, nimia ſollicitudine vota explere ſtudebat. Hoc igitur propriis viribus nullo modo dignum ducens aggredi, cujus erat hoc prædium poteſtatis adiit. Eo ſiquidem tempore CHILDERICUS Rex Regnum Francorum nobiliſſimè gubernans, libentiſſimè ſancti viri petitionibus adquieſcebat. Hunc ergo Pater eximius adiit, atque ſibi ad bona vota conſortibus viris Dei amore ferventibus LEODEGARIO & MUMMULENO Epiſcopis, AMALRICO quoque & WLFAUDO Optimatibus, impetravit à Rege licentiam ædificandi ſibi in eodem loco Baſilicam, quam B. Martini in honore conſecratam prędictus Rex Childericus circumquaque ab Eccleſia ſilvæ leugâ unâ benignè donavit. Beatus verò Bercharius neque his contentus, cellulam ſibi juxta locum qui dicitur Puteolus, ea in parte quæ nunc Monaſteriolum [c] dicitur, ad honorem B. Mauricij condidit, ſperans aptum ſe Monaſterium ædificandi locum reperiſſe. Verùm cùm hoc etiam ſibi habile non videretur, ſuper fluvium Vigeræ * quamdam Eccleſiam S. Sulpicij honori dicavit. Neque ibi etiam ſtatum Cœnobij aptum fore ducens, mente pervigili ut ſapiens architectus, eum qui petentibus ſe adeſſe comprobat, dare votis congrua loca poſcebat.

Monaſterio condendo locum invenit,

16. Quodam igitur tempore cùm jam Divina clementia ulteriùs famulantis animum per diverſa diſtrahi nollet, præcurrentibus indiciis locum votis congruum iri repertum dedit. Nam abdita ſilvæ perluſtrans, caſu quemdam ad locum devenit, ubi paſtores ſubulcos reperit: quos blandè allocutus, aureíque illos numiſmatis munere donans, popoſcit oſtendi ſibi quæ habiliora aliquando ſilvas circumeundo ad habitandum loca pervidiſſent, dicens ſibi animum eſſe, uti congruo habitandi loco exſtirpando ſilvas Cœnobitarum tabernacula deſignaret: ſe quidem diverſa tentâſſe, ſed nullo penitùs loco commanendi habitacula fida inveniſſe. At illi præmio accepto, talibus animi votis ſancto viro reſpondent: Nos quidem cum fides teneat firma, munerati tuis ad vota proceſſibus parêre decrevimus, locúmque habitandi habilem pro noſtro ſcire oſtendere pa-

[a] Id eſt exiguum Monaſterium Sanctimonialium, quod teſte Camuzato ſeptingentis abhinc annis funditùs dirutum & everſum, Puellare-Monaſterium dicebatur. Noſtrates locum Gallico idiomate *Pèsle-Monſtier* appellant: qui locus vix tertio milliari diſtat à Cœnobio Dervenſi, ad Vigeram fluvium itidem ſitus. Lege Miracc. num. 1.

[b] Vicus Lutoſæ, *Louzes*, diœceſis Trecenſis diſtinguendus eſt à Villa Lutoſa *Lenze* diœceſis Cameracenſis, de qua Baldericus in Chron. lib. 2. cap. 43.

[c] Nunc locus redactus eſt in exiguum Oratorium S. Mauricij dictum, quod ſeſquimilliari diſtat à Dervo, verſus Vigeræ fontem.

* *la riviere de Voyre*

rati

rati ſumus : nam perſæpe inibi ſuillos greges jam deſperati invenimus, nec ſeductos aliorſum ſpes eſt requirere porcos, cùm illum ſemper abſque aliquo ductore perditi ſues expetant locum. Adeſt quoque ibi, domine Pater, quædam non ignoti miraculi fagus, ſubter quam luminaria ſæpè cùm accenſa abſque hominum acceſſu viderimus, Divini aliquid fore ſuſpicamur. Nunc, inquit B. Bercharius, ociùs præite, tanti præſagij loca ſignificate, méque conſequentem jamjámque diu ſuſpenſum animo quietiorem reddendo, tanta curarum mole abſolvite. His dictis prædictus Pater ad locum properat fidem dictorum excepturus: nec inaniter ferens teſtimonium paſtorum divinitus credidit factum eſſe miraculum, & à Deo ſibi locum oſtenſum, qui non pateretur ſervum ſuum diverſis intentum, proprio labore fruſtrari. Nam qui eo cœtum bonorum exſecutione operum pollentem adunandum prænoverat, dignè tali præſagio initia operum beati viri præſignavit : qui locus duobus integris milliariis à præfato loco, qui dicitur Puteolus, diſparatur. Ibi ergo B. Bercharius multo labore ſilvis radicitùs erutis, Cœnobij ædificandi ſtatum prælegit. Exinde ad palatium progreditur, Regis ſuper hoc negotio clementiæ ſupplicaturus. Auxiliantibus verò ſibi per Divinam gratiam, ex cujus deſiderio iſta agebat, S. LEODEGARIO Epiſcopo & ALMARICO Majore-domus, FULCOALDO quoque & WLFAUDO, NIVARDO etiam & ATELANO [a] Epiſcopis, impetravit ſibi dari à Rege ſilvam ex ſuo fiſco qui vocatur Vaſſiacus [b] in circuitu præfati loci, ſicut ex auctoritate Regia tenetur exterminatum, unde ſumptus habere valeret ac prædia ad Cœnobium [c] conſtituendum. Cùm etiam Deo diſponente ad plurima ſibi Rex libentiſſimè faveret, ad hoc uſque proceſſit, ut aulam ſibi decenti ornatu, ut Regiam decebat majeſtatem, in loco qui dicitur Puteolus fabricatam, ubi causâ venandi crebrò adveritare conſueverat, dono ei concederet : unde ipſe Domnus Bercharius Eccleſiam Deo in honore SS. Apoſtolorum Petri & Pauli conſecrandam conſtruxit, quam ex præfato loco Puteolum * appellavit.

AN. CHR. DC. XXCV. MARTII XXVII.

Rege fundum concedente.

a

b

c

* *Puyſie*

17. Sanctus verò vir quando ſupramemoratas puellas emit, ſimul cum ipſis pretio ſuſcepit viros octo captivos, quos in ſancta Religione edocens, primos in eodem loco Monachos conſtituit. Multi verò ſanctam converſationem illius ac religioſitatem admirantes, per ipſius exhortationem Deo favente, qui neminem vult perire, relinquentes omnia quæ in ſæculo habere videbantur, ſub Monaſtica norma & ſub doctrina ſancti ipſius Patris Deo ſe mancipaverunt. Ipſe ergo aquam ad ipſum Cœnobium delonge perduxit, officinas ad omnia neceſſaria paravit, habitacula quoque puellarum ordinatè diſponens, Hieroſolymam adiit [d]; ſacráſque plurimùm Reliquias impetravit, tabuláſque eburneas optimas ſecum deportavit : ſícque Romam multoties adiens, plurimorum Sanctorum Reliquias detulit, & honorificè cum Epiſcopis in præfatis locis conſervandas condidit : in quibus locis ſuffragantibus illorum Sanctorum meritis, quorum Reli-

Locũ Monachis, Reliquiis, &c. ditat.

d

a Al. AZELANO, qui videtur fuiſſe Attila Epiſcopus Laudunenſis, de quo Frodoardus in Hiſt. Rem. lib. 2. cap. 7. Iſtius donationis diploma refert Camuzatus in Promptuario, fol. 80. An Amalricus hîc memoratus Major-domus fuerit, dubitat Hadrianus Valeſius in Rer. Franc. lib. 21. Certè Nivardus ſuprà num. 13. mortuus dicitur, antequam Bercharius cogitaret de Cœnobio Dervenſi, cujus primordia anno circà DC. LXV. revocamus. Childericus anno regni tertio in Neuſtria, ſeu anno Chriſti DC. LXXI. prædia conceſſiſſe legitur in quadam charta à Camuzato & Sammarthanis relata, cui ſubſcribunt viri hîc memorati; ubi *Vvlfaudus* Major-domus, non Amalricus exprimitur.

b Vaſſiacus *Vaſſy*, opidum ad Bleſam fluvium in Matronam influentem, alius à Vvaſciaco Frodoardi, lib. 3 cap. 7.

c Dervenſe ſcilicet de quo in Obſervat. præviis dictum. Ejus primordia anno circà DC. LXV. collocanda ſunt.

d Et quidem comite Vvaimero cui S Leodegarius inediâ conſumendus commiſſus eſt : uti in libro Mirac. S. Bercharij num. 11. dicitur. Ex illo itinere S. Bercharius retuliſſe fertur corpus S. Theodoſiæ, de qua hæc legimus in MS. cod. Dervenſi : *Anno Verbi incarnati* M. C. VIII. *Epacta* XVII. *Idus Septemb. eodémque anno quo obiit Rex Philippus, filiúſque ejus in Regem unctus eſt; à D.* ROTGERO *Abbate anno ordinationis ſuæ* XI. *poſitum eſt in hoc ſcrinio corpus S. Theodoſiæ Virginis, quæ pro Chriſti nomine multa tormenta etiam capitis-abſciſſione in Cæſarea Paleſtinæ paſſa eſt : hanc tamen ex eadem urbe S.* BERCHARIUS *Abbas cum multorum Sanctorum Reliquiis detulit, ac in hoc Monaſterio quod dono Regali exſtruxerat, decenter collocavit.*

AN. CHR. DC. XXCV. MARTII XXVII.

quiæ ibi delatæ ſunt, præſtante Chriſto, uberiora fidelibus populis beneficia largiuntur.

Obitum ſuum prædicit.

18. Tantis igitur laborum certaminibus in hujuſmundi ſtadio pro vitæ cæleſtis bravio tranſcurſis, cùm jam Dominus operarium ſuum dignâ donare mercede diſponeret, reſolutionis corporeæ imminens tempus antè dedit agnoſcere. Nam jam Paſchali inſtante ſollemnitate, feriâ quintâ quâ Cœna Domini habebatur, gregis ſibi commiſſi Pater ſollicitus Monaſterium Puellarum devotè adiit, pro more Fidelium præcepta Domini expleturus. Inter igitur multa exhortationum verba & conſolationum affamina, hoc quoque eis prædixit, quòd de reſolutione proprij corporis divinitùs ſibi notificatum manebat. Scitote, Filiolæ, ſuperna inſtante vocatione, me in hoc ulteriùs corpore manere nullo modo poſſe: nec mæreatis quaſi paſtorem ablatum, cùm vos æterno cuſtodi Regíque ſponſatas certa cordis devotione teneatis fixum. Nullo igitur corporeo ex me adjutorio ampliùs ſuſtentandas, cæleſti Rectori ut proprias commendo filias. Ad harum ergo conſolationum affamina cum vehementi ululatu erumpentes in lacrymas, Pater ſanctus dolorem verbis exhortationum mitigans, valedicens eis & benedicens abſceſſit. Cùm pſalmis autem & hymnis peractis omnibus, ad Cœnobium redeundi iter aggreditur, eadem Monachis pauperibus & peregrinis facturus.

A Filiolo ſuo indiſciplinato appetitur cultro.

19. Inter ordinandum igitur plurima fortè accidit, ut filiolum ſuum quem de ſacro fonte ſuſceptum Monachum eſſe ſtatuerat, DAGUINUM nomine, exigentibus culpis ſuis, verbere increpationis, ut moris eſt, feriendum decerneret. Nam hic, ut poſtea claruit, peſſimus & flagitioſus, fronte polita ſub ovina pelle, rapacis contegebat geſtamina belluæ. Itaque ex merito ſuæ iniquitatis, diabolo cum Juda proditore traditus, indignè ferens doctrinalia Patris objurgamina, intumeſcente maſcula ſub pectore bili, contendit inſanus ſanctum virum injuſtæ tradere neci. Denique cùm beatus Pater diurno anxietatis labore non modicè feſſus, unà cum Fratribus lectulo reclinatus membra ſopori dediſſet; quia odium incurrit qui arguit criminoſos, idem filius ſatanæ armis impietatis armatus, poſtquam eum feſſum ſoporatum credidit, irruens in eum mortali vulnere attentavit. Nam cultello illum rabidus feriit, & patris ſanguine manus proprias impudens filius maculavit. Arreptum verò Daguinus quo ſanctum percuſſerat ferrum, reatûs ſui conſcius in piſcinam, quæ intra clauſtra Monaſterij tunc temporis habebatur, quamcitiſſimè potuit velut occultandum dejecit. Videres tunc laticem velut tanti ſceleris cognitorem, ferrum in ſe receptare expaveſcere. Nam mox ut aquam tetigit, velut leviſſimæ pluma materiei ſuper aquas mirabiliter natavit; ipſe autem homicida amens factus, Eccleſiam petiit, cruentíſque manibus ſignum pulſare cœpit.

Percuſſori veniam indulget.

20. Fratres verò ut audierunt ſignum inconſuetâ horâ, cum magna admiratione ſurgentes, & ſanctum virum interfectum audientes, ad lectum illius cucurrerunt: ſed adhuc anxietate nutantem in eo ſpiritum repererunt. Comprehenſum igitur prædictum Daguinum Fratres ſancto viro obtulerunt, ſcire cupientes quid de admiſſo tanto ſcelere ſeveritas clementiæ ejus judicaret. Denique ſanctus Pater verborum Domini non immemor, quibus Patri pro perſecutoribus ſupplicavit, dicens; *Pater ignoſce illis quia neſciunt quid faciunt*, clementer remiſit illi, quam in ſe exercuerat culpam. Deum tibi, Frater, inquiens, pœnitentialiter placabilem fieri ſtudeto: nam quantum ad me attinet omni te liberum impietate remitto. Romam ergo, Fili, progredere, ut te hoc ſcelere immunem exhibeat, qui ligandi ſolvendíque poteſtate ſuſcepta, diverſis morborum generibus ſubvenit corporis umbrâ. Egreſſus igitur Daguinus, ex præcepto beati viri Romam petiit, unde poſtea non eſt reverſus.

Moritur.

21. Beatus verò Bercharius diutiſſimè angore vulneris morbidus, tandem carne ſolutus, cæleſtis vitæ gaudia exſultanti ſpiritu felix petivit. Ad tanti quoque

viri obitum viris undecumque religioſis confluentibus, ſepultus eſt quodam loco extra Cœnobium *, multis inibi Deo donante miraculorum pollens effectibus. Sed cùm jam Dominus ulteriùs Sanctum ſuum occultare nollet, ex præfato cultelli miraculo ceteríſque ad tumulum ſancti viri oſtenſis, ſervis Dei viſum eſt inde corpus beati Patris debere transferri, ac illi inde tranſlatum tumulaverunt retro altare in Baſilica SS. Apoſtolorum Petri & Pauli, quam ipſe vivens ædificaverat, ubi ſuffragantibus ejus meritis multa tribuuntur dona populis. Ex cujus ſepulcro longo pòſt tempore oleum pullulans in vas ad hoc paratum viſum eſt defluxiſſe, cunctis morbo obſeſſis nimiùm ſalubre. Hujus igitur, quia peccatorum pondere prægravati ſumma operum adſequi propriis viribus nequaquam præſumimus, ejus qui dixit, Sine me nihil poteſtis facere, imploremus auxilium gratiæ, quatenus qui merito peccatorum deprimimur, dexterâ virtutis ſuæ ſublevemur, qui cum Patre & Spiritu-ſancto vivit & gloriatur Deus in ſæcula ſæculorum. Amen.

AN. CHR. DC. XXCV. MARTII XXVII.

* *al.* Eccleſiam In Eccleſiam tranſfertur.

Oleum è tumulo manat.

APPENDIX

Ex MS. cod. Dervenſi per R. P. Filibertum BOULANGER *Congreg. S. Vitoni Monachum Benedictinum communicato.*

22. BEATUS Bercharius duriſſimi languore vulneris morbidus, licet trahens longa ſuſpiria vix proloqueretur, feſſo anhelitu tamen Dominicæ paſſionis & Reſurrectionis ſollemnia, ſuæ etiam depoſitionis obſequium ac locum ſepulturæ humiliter ordinans, diſcipulis multa ventura prædixit: indicendo eis ſollicitudinem Divini timoris ac obſervantiam ſanctę Religionis. Tandem triumphanti Domino cum palma victoriæ occurſurus, mane Dominica ipſius ſacroſanctæ ab inferis Reſurrectionis carne ſolutus, cæleſtis vitæ gaudia exſultanti ſpiritu felix petivit.[a] Ad tanti viri quoque obitum viris undecumque religioſis confluentibus, ſepultus eſt ut juſſerat quodam loco extra Eccleſiam, multis inibi Deo donante miraculorum pollens effectibus.

Dies obitûs.

23. Sed cùm jam Dominus ulteriùs Sanctum ſuum occultare nollet: ex præfato cultelli miraculo ceteríſque ad tumulum ſancti viri oſtenſis, ſervis Dei viſum eſt inde corpus beati Patris debere transferri. Habita itaque collatione cum plurimo collegio Sacerdotum ob hoc in unum convenientium decretum id fieri ſexto-decimo Kalendas Martii. Nullam tamen capeſſunt audaciam tangendi glebam ſanctiſſimi corporis: neque fatigandi longa bajulatione lapidei quo tegebatur ſarcophagi, ſed humillimam quam potuerunt, deliberant transferendi facilitatem. Nam decenti fornice perforata orientali maceria ipſius Eccleſiæ quæ proxima ejus ſepulturæ erat; inde eo aditu infrà cum ſarcophago tranſlatum, ſecundò tumulaverunt retro altare in ipſa Baſilica Sanctorum Apoſtolorum Petri & Pauli quam ipſe vivens ædificaverat, ubi ſuffragantibus ejus meritis multa tribuuntur dona populis. Quando Deo diſponente Domni ADSONIS tempore hoc Cœnobium cœpit germinare, &c. *ut infrà num. 15.*

Tranſlationis dies & modus.

a In eodem MS. hæc leguntur: *Extremum vitæ diem obivit hic B. P. Bercharius anno ab Incarnat. Domini* DC. XXCV. *Indict.* XIII. *Epacta* XI. VI. *Kalend. Aprilis, mane ſacro Dominicæ Reſurrectionis.* Qui characteres chronologici non conveniunt, niſi legas VII. Kalend. Aprilis, in quem Paſcha anno DC. XXCV. incidebat. S. Bercharius inſcribitur in Addit. ad Uſuardum XVII. Kalend. Novemb. qui dies Tranſlationis eſt ex dicendis infrà num. 7. Corpus S. Bercharii in Eccleſia Dervenſis Monaſterii, caput quidem in ſcrinio argenteo, reliqua oſſa in theca adſervantur.

LIBER SECVNDVS,

De diverſis caſibus Dervenſis Cœnobii, & Miraculis S. Bercharii.

AN. CHR. DC. XXCV. MARTII XXVII.

Scriptus à Monacho Dervenſi anonymo juſſu Bernonis Abb. num. 12.

Ex Trecaſſino Camuzati Promptuario.

Adſo libri miraculorum S. Bercharii non explevit.

1. HUius anterioris exſecutionem operis, Divinæ dignationis ordinatione, ad memoriam informandam poſterorum, inſignis prudentia ſollertiſſimi ADSONIS Abbatis ſæpe denominatæ Eccleſiæ Dervenſis luculentiſſimo ſermone nobilitavit: ea ut prætulit intendens proſequi quæ qualicumque modo notata à ſucceſſoribus ſive diſcipulis ſanctiſſimi Abbatis & Martyris Bercharii, ætati ejus potuêre perferri. Quæ verò poſt obitum beati viri ipſius meritis Divino beneficio compenſata ſe relaturum promiſerat, minimè explicuit, relinquens etiam intacta adnotatorum plurima, ſcilicet impedimentis diverſarum actionum perturbatus, maximéque eventu feſtini obitûs interceptus. Unde noſtra ætas hactenus obnubilatur inſcitiâ miraculorum almi priùs ſæpiſſimè denominandi Bercharii, quæ innumeris antevolutis temporibus vel ad ejus tumulum, ſive per diverſa loca ipſius nominis invocatione Divinæ ſublimitatis operatio mirificè præſtiterat.

Bellorum tempeſtate omnia confuſa,

2. Hæc intuli minimè derogans vitæ ſimplicitati, aut affectans faſtum modernæ adulationis, ſed ne obloquatur alicujus levitas, quòd ante venerabilis Adſonis tempora ſit muta omnis noſtra antiquitas: quod contigit non tam incuriâ & Scriptorum raritate, quàm irrumpentium gentium barbara feritate, ſeu etiam crebra inter ſe populorum vicinorum concertatione. Nam haud longè poſt tranſitum glorioſi Martyris, exorta altercatione inter REGAFREDUM KAROLÚMque, qui ob nimiam & Chriſtianis temporibus antea inviſam inquietudinem MARTELLUS vocitatus eſt, innumeris nobilibus pæne aporiatis[a], Eccleſiæ plurimæ ſunt ad nihilum penitùs redactæ, diſtributis earum poſſeſſionibus, mancipiis quoque ac ſacerdotalibus vaſis & rebus, ſæcularia arma & inteſtina bellorum negotia tractantibus. Hujuſmodi perturbationis eventu compulſi ſunt Fratres ſupradicti Dervenſis loci cum Monaſtico habitu militaria arma arripere, decernentes proprio arbitrio ſibi ſuiſque poſteris opprobrioſæ fœditatis dedecus adſcribi, ſi causâ talis exercitii paterentur ſe perpetuò privari poſſeſſionibus rerum variæ opportunitatis, procuratione B. Bercharii eorum ſtipendiis diverſis in locis delegaris. Hac occaſione habitu potiti incongruo, primò à ſacri Ordinis tramite expeditionibus ſtudendo deviare, demum ipſa etiam veſtimenta propria velut armorum impedimenta monſtruoſa habentes, ægrè pati cœperunt: ſícque priori paullò meliùs adjicientes conſilium, ſpretis cucullis, Clericalibus ſeſe indumentis operuêre, judicantes ſe decentiùs eo ornamento Deo omnipotenti, mundanis quoque ſtudiis famulari.

[a] Eccleſiaſtica bona militibus data,

Monachi milites ac poſtea Clerici facti.

Ludovici Pii juſſu Dervus in melius reformatur per Odonem Abb. Stabulenſem.

3. Tali modo magnificentia ipſius loci facie mutata, peſſumdari atque in deterius labi variis impulſionibus cœpit, donec miſeratione Divina & meritis beatiſſimi Protectoris noſtri Bercharii, rumor tantæ proditionis attigit aures Auguſti LUDOVICI. Hic adeo omni bonitatis luce refulſit, ut jure proprium ſibi Pii nomen adſciverit, cujus prudentiſſimis conſiliis aſſiduè intererant Sacerdotes ſanctiſſimi, Abbates etiam religioſiſſimi, inter quos ſpectabilis vitæ honeſtate, om-

[a] Id eſt ad inopiam ſeu anguſtias redactis, nam græcè ἄπορία inopiam ſignat.

níſque ſcientiæ probitate habebatur Odo Abbas loci quem Stabuletum [a] vocitatum anterioris textûs deſcriptio prælibavit exſtructum à S. Remaclo Pontifice, cujus conditioni felix Martyr Bercharius quondam tradidit imbuendos primævos flores ſuæ adoleſcentiæ, relinquens eo loci conſpicuum memoriale proprii tirocinii. Cùm itaque Rex memoratus Eccleſiarum Dei cultum variis tribulationibus depravatum ſatageret in melius reſtaurandum reformare, regalis decreto conſilii ſupranominato Abbati curam delegavit Dervenſis Cœnobii: quo ejus induſtriâ quiret capeſſere idem locus alimenta & monimenta priſcæ inſtitutionis ac nobilitatis, quam plurimam exſtitiſſe etiam Annales Regii [b] teſtabantur. Itaque Domnus Odo Abbas venerandus, memorandæ operationis exſecutione ſuſcepta, Pontificum ac Coabbatum collegio fultus, præfatum locum adiens, religioſitate omni ab ævo proturbata, Fratribúſque ſui Ordinis ſtrenuiſſimis inibi ordinatis, Eccleſiæ prædia ſive xenia innumeris caſibus profligata, Regia inſimúlque Pontificum auctoritate, diſtributa etiam pretii maxima quantitate, uſibus Fratrum reſtituit, perquirens priſca Privilegia imperiali, ut decuit, munificentia roborata: nec deſtitit donec ad unguem polita cuncto Francorum orbi refulſit religio ipſius loci. Ipſis quoque ejuſdem loci Fratribus haud defuit ſpecialis proviſoris Bercharii conſpicua virtus, quâ eis ſuam cælitùs adeſſe magnificam notificaret præſentiam.

An. Chr. DC.XXCV. Martii XXVII.

4. Inſtante etenim annua ſollemnitate natalis S. Remacli Pontificis venerandi, Rectores delegati procurationis ejuſdem Cœnobii, inter multa prædicamenta ſacræ doctrinæ, etiam mirificos actus pretioſi Confeſſoris Chriſti, ſubditorum ſæpiſſimè inculcabant memoriæ: quibus accenſi Fratrum animi, pari voluntate cuncti ſpondent in ipſius vigiliis ſeſe celebrem ſancto Bercharío peragere noctem. Interea evenit Deo favente pridie ipſius celebritatis, adeſſe ibi quemdam contractum omnibus membris, adeout viderentur femoribus plantæ pedum ipſius conjunctæ, íſque magnarum conatibus precum cœpit inſiſtere, ut pernoctando in eadem Baſilica, foret ſibi licitum Dei exſpectare auxilium, dicens ſibi cælitùs notificatum, quòd in Eccleſia B. Martyris, feſtóque die S. Confeſſoris eſſet ſibi initium optatæ ſoſpitatis. Fratres verò hoc audientes, multo magis exhilarati, concedunt ſupplicanti omnem opportunitatem ut popoſcerat pernoctandi. Celebrata itaque ſynaxi Completorii, capeſſentibus Fratribus quietem primi ſomni, æger repentinis clamoribus ædituos templi ac cunctos excitat Fratres quieſcentes in conclavi Dormitorii. Surgentes autem ſubita perturbatione ſtupefacti, intrant (ut ita dicam) inviti ad peragenda ſollemnia nocturni officii: ritéque peractis omnibus, adeunt inſpicere mirabile factum, ſcilicet membra contracti reſtituta in integrum ſtatum. Inde nimiùm ut optaverant lætificati, iterum excitantur ad repetendas laudes omnipotentis Domini, reddentes altiſonis vocibus ſupplicia vota, ſuper prædictorum Sanctorum conſolatione piiſſima. Interrogatus verò ægrotus quid illi viſum fuiſſet, qua hora clamori ejus eorum inſonuit auribus, retulit vidiſſe ſe quemdam Angelici vultûs ac habitûs Eccleſiam ingredientem, eíque manum porrigentem, cujus viſu in pedes conſtiterat, non ſine nimio angore nervorum & vertibulorum. Itaque ſoſpitati redditus, qui antè aliorum fuerat ſubvectus auxilio, propriis jam greſſibus cœpit iter carpere gratulabundus, relinquens eo loci ſtuporem ingentis miraculi, cum maximo ſtudio ac dilectione Monaſtici propoſiti.

§ Remaclí meritis conciliatus erigitur.

5. Hoc modo primæ exorbitationis Dervenſis Cœnobii meritis glorioſi Martyris Bercharii ſtatu in melius reformato, per plurima temporum volumina ſa-

Hunnis & Nortmannis ſævientibus Bercharii corpus in Burgundiam delatum.

a In ſuperiori Vita mentio occurrit num. 5. de S. Remaclo, nulla verò de Stabuleto Cœnobio, de quo in Vita S. Remacli ſuprà ad ann. 664. diximus. Huc referendum eſt quod in libro Mirac. ejuſdem S. Remacli narratur num. 6. de Monaſterio Dervenſi. *Erat Abbatis noſtri*, inquit Monachus Stabulenſis, *qui tunc temporis ambobus præerat locis, permaximum omnino ſtudium, ut in ſuperius denominato loco (Dervo) Regularis creſceret cultus, quia ad ejus uſque tempora Canonici inſudabant*, &c. ubi ſequens factum Remacli meritis tribuitur. In Diplomate Ludovici Auguſti apud Camuzatum & Sammarthanos *Hanto* pro *Odone* ſcriptum habemus.

b Quinam ſint iſti Annales, nondum adſequi potuimus.

An. Chr. dc. xxcv. Martii xxvii.

cræ Religionis tramitem & antiqui decoris inflexibiliter tenuit gloriam : ſed tranquillitatem tam jocundæ pacis multis abuſivè vertentibus in augmentum impietatis, rurſus ſeveritas animadverſionis, Hunnorum rabiei exponit depopulationem Chriſtiani populi : maximè addictis ſtragi Neuſtriâ & pleraque parte Gallici Regni. Tempora hujuſmodi infelicitatis impediebantur regimine Karoli junioris, qui Simplex ferebatur nomine, non tam innocentia quàm ignavia omnis rei civilis ac militaris, omnino referens mores Ludovici genitoris, qui ob nimiam vecordiam vocitatus eſt Nihil-faciens[a]. Imperium ergo hujus, quippe juſto Dei judicio inſtigatus parvipendens Hunnorum exercitus, quaquaversùm debacchando inſignes funditùs evertens urbes, gladiis & incendio orationum domos plurimarúmque gentium delevit populos. Itaque tam immanis crudelitatis frequentibus nuntiis territi Fratres ſupradicti Dervenſis Cœnobii, erumpentibus etiam ab occiduis partibus Astingo duce Wiſigotis, qui & Nortmanni, communi conſilio, ut audierant aliarum greges Eccleſiarum, decernunt ſumptis ſecum oſſibus B. Bercharii fugâ perquirere latibulum : hócque ſtatuunt circa ripas Araris fluminis : quæ regio ipſis temporibus ferebatur immunis omnis inquietudinis regimine Rodulfi filii nobiliſſimi Richardi Burgundiæ Ducis, qui juſti tenax, ejúſque famoſiſſimus ultor exſtitit.

Crux in igne ſervata.

6. Cùm itaque deliberatione habita Fratres ſatagerent in quodam domicilio res Eccleſiaſticas, ac ſuas qualeſcumque involucris componere ſarcinulas, cruciculam quamdam à tempore S. Bercharii eidem loco venerabilem Secretarius Monaſterii ſuſpenſam parieti ejuſdem domicilii alió recurrens oblitus ad horam reliquit : cùm repentè ignis inibi accenſus congeriem ſtipularum ſibi vicinam nemine advertente corripiens, flammis intantum domum replevit, ut ingrediendi omnis abeſſet facultas. Fratres verò undique concurrentes, incendium domicilii utpote diſceſſuri parvipendentes, incommodum patrocinii ſibi à S. Martyre relicti ac per multa tempeſtatum diſcrimina eatenus reſervati, lacrymabili gemitu culpis exigentibus ſe admiſiſſe deflebant, querimonioſis vocibus flagitantes id ſibi vel ad ſolatium ſuæ exſultationis à beato Patrono reddi. Nec defuit pii Patris præſentia, ſolaturus mæſtiſſimos ſolitâ clementiâ. Nam conſumptis incendio contignatione parietibúſque domatis, ſuper prunas ardentes crucicula adeò reperta eſt illæſa, ut etiam tenue ligamentum auro textum quo hactenus ſuſpenſa, à vi ignis fuerit omninò incontaminatum. Hoc fauſto omine exhilarata Fratrum mæſtitia, eximii protectoris ſibi adeſſe munimen ſentientes, ac ſpem quandoque remeandi nacti, alacriores deliberata petiêre loca refugii. Quanta verò quibúſve in locis hic Pater ſanctus Divina dignatione miracula geſſerit, nulla noſtræ memoriæ retulit ſchedula vetuſtatis antiquæ : tantummodò innumera priſcorum adſtipulatione priores noſtri nobis teſtati ſunt exſtitiſſe, tam per ſpatia itineris, quàm in loco deſtinatæ manſionis.

Rodulfus Rex Sancto cultum, Monachis opem impertit.

7. Quorum rumore celeberrimo accenſus memoratus Princeps Rodulfus ſuſcepturus inſignia totius Francorum Imperii, ſupplex locum ipſum Reliquiarum B. Martyris adiit, ſe ſuámque felicitatem ejus committens ſuffragiis : multíſque donatum muneribus, Fratrum neceſſitates plurimis relevavit largitionibus, & eos benigniſſimè conſolatos, ſpem properè ac proſperè remeandi, Dei ſanctive Martyris auxilio, & ſui laboris juvamine repromiſit, quod feliciter Deo favente contigit. Nam idem memoratus Princeps laturus auxilium præfatæ calamitati, Imperium Francorum ſubiit, nequaquam tyrannicè, ſed Divinæ pietatis prædeſtinatione ob meritum ſuæ probitatis, electus à Pontificibus ac Pro-

a Huc ſpectat illud ex Aimoino in lib. 2. Mirac. S. Benedicti cap. 1. qui Aimoini primus eſt. *Auguſto Karolo rebus humanis exempto filius ejus Hludovicus ſucceſſit, qui Nihil-feciſſe præter nomen ſortitus eſt, ſive quòd vix duobus annis Regno potitus nihil ſtrenuè geſſit, ſive quòd Sanctimonialem quamdam (ſicuti à majoribus accepimus) Kalæ Monaſterio Puellarum abſtractam conjugio copulans ſuo, peccatum quod nihil eſſe noſcitur perpetrârit. Hludovico Principe poſt adminiſtratum biennio Regnum obeunte*, Karolus *ejus filius qui Simplex poſtea eſt dictus, in cunis ævum agens patre orbatus remanſit*, anno tantùm dccc. xciii. regnare cœpit.

ceribus totius Gallici Regni, ad effugandam inde rabiem paganæ perverſitatis. Ejus itaque formidine poteſtatis, protinus exterrita omni feritate barbarica, reſtaurata tranquillitate pacis, repedandi ad propria capeſſunt audaciam, qui ob metum paganorum diſperſi diverſa petierant loca exſilii. Grex quoque Eccleſiæ Dervenſis, juncto ſibi cœtu Fratrum Foſſatenſis Cœnobii, qui metu ſupramemoratæ internecionis eò confugientes devexerunt ſecum oſſa Confeſſoris Chriſti MAURI, pari conſilio aggrediuntur iter repatriandi, pariter incedentes, ſimúlque Divina celebrantes officia, donec itineris progreſſione attingerent, quo ab invicem diſceſſerunt, fines Dervenſes atque Campaniæ. Igitur adventui pretioſiſſimi Martyris occurrentibus cum plurima turba Sacerdotum Clericorúmque multis ac ejus familia quaquaversùm diſperſa undique recurrente, excipitur eximius protector patriæ liminibus Templi quod vivens exſtruxerat in honore SS. Apoſtolorum Petri & Pauli. Hoc longa ſolitudine incultum tribulis etiam & vepribus circum altaria horrentibus comentes undique Fratres famulíque, cum gloria magnæ laudis iterum in eo recondunt oſſa pii Paſtoris XVII. Kalend. Novemb. Hic dies eo loci celeberrimus habebatur ab antiquo, anniverſario Dedicationis ejuſdem Baſilicæ operatione B. Bercharii ipſius Dei ordinatione conſecratæ in honore ac nomine S. Salvatoris. Geminata itaque præſcripti diei ſollemnitate, auctoritate præſentium Sacerdotum decretum eſt, perpetuò celebrari ipſo die Natalis paſſionis glorioſi Martyris Bercharii, quam conſtat eveniſſe inſtante feſtivitate Paſchali, ob quam rem manebat incelebris more Chriſtianæ Religionis. Hinc inolevit jocunditas hujus præclaræ celebritatis, qua hactenus exhilarantur tempora noſtræ ætatis.

AN. CHR. DC. XXCV. MARTII XXVII.

Dervenſes Monachi Foſſatenſibus juncti.

S. Bercharii corpus revehunt.

Sollemnitate indicta.

8. His ſuccinctè prælibatis, ociùs exaretur ſeries inertium hæc ſubſequentium temporum, quæ adeo obnubilavit inſcitia negligentiáque ſacri Ordinis, ut Cœnobitæ iſtius de quo tractamus loci publicè intra clauſtra Monaſterii uterentur conjugibus, nuptiarum ſollemnia celebrantes, undique generos ac ſoceros adſciſcebant, diſtribuentes generis ornamenta vel prædia, undecumque bonorum ſtudio ſummo labore antiquitùs comparata. Hinc ad tantam pervenêre ruſticitatis ignaviam, ut ſpretis militaribus expeditionibus, conſpectúque Regalis ac Sacerdotalis conventûs, non tam zelo ſacri Ordinis quàm voluptate deſidis otii maluerint inrecuperabiliter amittere diſtribuendam vicinis militibus ſummam mille quingentorum & quinquaginta manſorum cum opportunitate ad ipſos pertinente, videlicet ſilvarum paſcui & agriculturæ. Abbatum tamen ſibi faventium ſubjacebant dominio, quorum quia infanda monimenta, etiam nomina à noſtra ſunt abraſa memoria, excepto eorum penultimo Domno ALARDO, cui ſucceſſit lues tantæ perverſitatis Domnus BENZO, juſtè ab ipſo deturbatus Cœnobio. Hujus itaque expulſio, ac ejuſdem Monaſterii iterata omnipotentis prædeſtinatione interiùs exteriúſve reſtauratio ut liquidiùs pateat, ſupramemorati excellentiſſimi Regis RODULFI memorandorum geſtorum referantur ad medium maxima præconia.

Dervenſis Monaſterii horrida facies.

9. Regula etenim ſanctiſſimi Patris noſtri BENEDICTI [a] adhuc inaudita hominibus Francorum Imperij, ſollertiſſimâ induſtriâ iſtius Principis jubár ſuæ claritatis plurimis infudit Eccleſiis. Qui verò ipſis temporibus qualecumque præferebant Monaſticum ſchema, famoſiſſimi quondam Luxovienſis nominis ſeſe tuebantur conſuetudine aliquantula. Sed Rex prudentiſſimus ad decoranda jura ſibi à Deo collati regiminis, ut juſtitiæ ſectator inſuperabilis, ita Eccleſiarum exſiſtens inſtaurator inflexibilis, nequaquam paſſus umbraticum Mona-

[a] Regula S. Benedicti per ſanctum Odonem Floriacenſibus reſtituta.

[a] Fœde hallucinatur Auctor hoc loco & ſequenti, ubi dicit S. Odonem primum Cœnobio Floriacenſi Regulam S. Benedicti intuliſſe. Id manifeſtè revincitur tum ex iſtius ac primi Sæculi Bened. Præfationibus, tum ex aliis quas poſtea edituri ſumus; tum denique ex Inſtrumento Ludovici Auguſti an. DCCC. XV. conceſſo, de quo ſuprà. Quamquam adeò labefactatus erat eo tempore Monaſticus ſtatus, ut S. Odo quaſi alter Ordinis Benedictini Auctor in Gallia dicendus ſit. Unde ipſe in Hymno quodam de S. Martino:

Monaſtico nunc Ordini jam pene lapſo ſubveni.

AN. CHR. DC.XXCV. MARTII XXVII.

chos geſtantes habitum, abſque aliqua ulteriùs aberrare doctrina, Cœnobium Floriacenſe, inſigne Reliquiis corporis piiſſimi Patris Monachorum Benedicti, corrigendum tradidit S. ODONI Abbati Monaſterij Cluniacenſis. Glorioſus autem Abbas locum prædictum (ut in Geſtis ipſius legitur) ſibi à S. Benedicto adoptatum religioſiſſimè ordinans, libellum Regulæ ejuſdem Patris primus eidem loco intulit. Tantæ poſtmodùm rei celeberrima famâ excitus Domnus

per Gauſlinum Epiſc. Monachis S. Apri,

GAUSLINUS Leucorum urbis Pontifex nobiliſſimus, prædictum locum adiit, inſpecturus rumore ad ſe perlatum ordinem Religionis: indéque remeans, ſollicitus gregis à Deo ſibi commiſſi, deſcriptionem omnis Monaſticæ converſationis quam inibi religioſiſſimam inſpexit, ſupradictam quoque Regulam beati Patris ſecum deferens, primus urbi Tullenſi innovationem Monaſtici oſtendit præpoſiti. Fretus igitur Pontifex ſapientiſſimus multimodis Divinæ inſtitutionis documentis, viris prudentibus undecumque collectis, Cœnobium S.

a

Apri [a] ſitum in ſuburbio Tullenſi Regularibus diſciplinis ſtrenuè imbutum multorum commoditati profuturum decentiſſimè reddidit illuſtratum. Hinc itaque exardeſcentibus etiam tyrannicis Principibus inordinatos actus habitatorum Dervenſis Cœnobij, pari conſenſu totius regionis Domnus BENZO ſupradictus Abbas abinde proturbatus, coactus petere cui loco Abbatis præerat

b

Cellam Bobini Germanicæ inſulæ [b], in ſuburbio Trecorum Auguſtæ. Diſceſſurus tamen, clientium pravorum hortatu cuncta privilegia ornamentorúmque aliquanta exoſæ ſibi Eccleſiæ ſecum tulit: Monachis verò ſuis metu inviſæ Regulæ in diverſa fugientibus, ſucceſſerunt Fratres adducti à Monaſterio S. Apri:

per hos Dervenſibus,

qui memoriam ſuæ prudentiæ noſtræ hactenus ætati oſtentant etiam Eccleſiaſticorum voluminum ſagaci ordinatione. Sed quibus auctoribus intromiſſi, priores fuerint expulſi, ſuperſedi ſcribere: ne ineptæ controverſiæ aliquando videar fomentum præbuiſſe. Qui autem qualéſve exſtiterint quorum optimo ſtudio idem locus poſt aſperitatem tantæ hiemis quaſi revireſcendo floruerit, decrevi promere ſcriptis, ut noſcant poſteri quantæ fuerint bonitatis, quos miſeratio venerandi Bercharij præordinaverit Paſtores poſthac, & per hos ſuo felici ovili.

Albericus Abbas primus.

10. Primus igitur eorum domnus claruit ALBERICUS, nobiliſſimis natalibus ortus, indigena Remenſis, Monachúſque S. Apri Tullenſis, qui poſt ſupradictum Benzonem, competens ſuæ bonitati cum regimine paſtorali ſuſcepit nomen Abbatis, adoptato ſibi ad ſupplementum omnis auxilij Domno ADSONE jamdicto ac frequentiùs memorando, doctrinâ philoſophicâ ac vitæ probitate ſpectabili. Hic ditiſſimis nobilibúſque parentibus Jurenſi tellure ſatus, Luxovio diverſis ſtudiis litteratoriæ artis pleniſſimè imbutus, quem in primævo flore juventutis affluentem verbo ſanctæ eruditionis cum puritate vitæ innocentis perſpicuè agnoſcens Pontifex Clerúſque Tullenſis, multis ſupplicationibus eductum à Voſago, ſubſtituerunt urbi Tullenſi ad magiſterium ſacri Ordinis ut lumen lucernæ ſuper ſtatuam candelabri. Ibi per aliquanta temporum volumina variis inſudans Divinæ præceptionis exercitiis, poſt maximam multorum inſtructionem, iterum claritas Divini ſplendoris videlicet Adſo opponitur effugandis Dervenſibus nebulis, ad inſerenda plantaria ſuperni obſequij.

Adſonis præclara facta.

11. Ibi poſtmodùm excedente vitâ Domno Alberico Abbas effectus, Baſilicam Sanctorum à B. Berchario quondam exſtructam parviſſimam reputans, maximi quod nunc frequentamus Templi fundamenta jecit ampliſſima. Villas duas Dreiam *, & eam, quæ vocatur Puellare-Monaſterium *, priorum incuriâ amiſſas, ruſticis earumdem agreſti rabie, ut ſunt adhuc peſſimæ inſtitutionis, fa-

* *Droyes*
* *Peullet-Monſtier in Vita num. 14. & infrà num. 14.*

[a] Monaſterium S. Apri, vulgò *S. Evre*, in ſuburbio Tullenſi, etiamnunc viget ſub Benedictina S. Vitoni Congregatione.

[b] De Cella Monaſterio ſuburbij Tricaſſini diximus in Vita S. Frodoberti Cellenſis Abbatis primi ad ann 670.

miliæ

miliæ Sancti ſibi vicinæ multas inferentibus injurias, cooperante HERIBETO[a] Trecaſſino Comite, expenſo pretio quantitatis non modicæ, propriæ reſtituit Eccleſiæ, deponens ab ipſis & à pluribus aliis exactiones importuniſſimas tyrannica vi ſuperpoſitas. Ipſo etiam Comite adminiculante, Privilegia ejuſdem loci quæ ſuprà retulimus, à Domno Benzone inſidiosè deportata ad locum Inſulæ Germanicæ, cuncta recuperaverit munificentiâ Domni ODONIS illius loci Abbatis, cujus precibus hic famoſiſſimus Adſo vitam Confeſſoris Chriſti Frodoberti* primi ipſius Monaſterij inſtauratoris & Abbatis ſermone veraciſſimo, ſimplici exoravit ſtilo. Hic etiam precibus ac juſſione S. GERARDI Tullenſis urbis Epiſcopi vitam B. Manſueti primi dirigente Petro Apoſtolo ipſius urbis Pontificis diſertiſſimè compoſuit. Geſta quoque S. Confeſſoris Baſoli Præfationibus* facundis antepoſitis cum ſubſequentia miraculorum lepidè edita digeſſit ad liquidum, hócque non præſumptivè, ſed interpellatus à ſapiente Gerberto tunc Remenſis urbis Archiepiſcopo, atque à ſibi cognomine præclariſſimo viro ſcilicet ADSONE Abbate Monaſterij prædicti Confeſſoris: cujus defuncti haud poſt multum temporis, tumulum gratiâ ſpecialis dilectionis verſibus honoraverit propriis, inquiens inter alia:

O felix Adſo, titulum tibi condidit Adſo.

Opuſcula præterea plura verſificè compoſuit, Hymnorum etiam aliquanta canitica, Ambroſianos hymnos elucidans gloſſulis. Sed & ſecundum librum Dialogorum S. Papæ Gregorij, videlicet Geſta Sancti Monachorum Patris BENEDICTI carmine nobilitavit heroïco, priſcorum Poëtarum carminibus excellentiori omnimodo, devictus ſupplicatione ſibi familiariſſimi ABBONIS Abbatis ſuprascripti Monaſterij Floriacenſis, qui vir maximæ prudentiæ ferro inſons noſcitur occubuiſſe. Geſta verò hujus ſancti ac piiſſimi protectoris noſtri Bercharij noſtri ad extremum quoad potuit comens lepore facundiæ ſpectabilis, ſparſit totius Galliæ oris, quæ eatenus inculte exarata habebantur & abdita. Nec verò tantummodò proderat Monachalibus Cœnobiis, verùm plurimis Clericalibus Eccleſiis, inter alia commoda tradidit modos & horas orationum ac multiplicis pſalmodiæ, tam æſtatis quàm hiemis Quadrageſimæve tempore, ut hactenus palam teſtatur verbis & affectu Clerus Trecaſſinæ Eccleſiæ. Hujus tunc temporis MANASSES Præſul hunc Abbatem miro colebat affectu, ſe propriæque parrochiæ * actus ejus committens induſtriæ. Iſtius Pontificis frater HILDUINUS nomine, eo tempore Comes Arceiacenſis Campaniæ, militari audacia multa crudelia commiſerat facinora. Hunc Adſo piiſſimus adeo eſt inſecutus quorum erat affluentiſſimus verbis ſanctæ prædicationis, ut eum in ſe reverſum cogeret cuncta relinquere, & profiteri laborem Hieroſolymitani itineris, ſeſe ei dans comitem ſubeundi tanti laboris gratiâ piiſſimæ conſolationis, referens actus B. Bercharij, qui adiens Hieroſolymam fertur duxiſſe ſecum WAIMERUM tormentorum S. Leodegarij reum. Itaque hujuſmodi opinionis promulgatione, multis viris illuſtribus excitis, determinatione iſtius Patris dies decernitur, loca cunctis congrua ordinantur ſubſequendi, aut opperiendi Adſonem doctiſſimum, operis paucis attentati famoſum ſigniferum. Igitur anno verbi Incarnati DCCCC. XCII. pius Pater vale dicens cariſſimis Filiis ac Fratribus ob hoc inibi plurimis congregatis, largiter flendo deoſculatis omnibus, ipſe proſecutus cunctorum ingenti ululatu & gemitu ingreditur iter viæ Hieruſalem mundanæ, jam ſibi pactis valvis matris noſtræ Sion cæleſtis. Secuti ſunt autem eum à Cœnobio Frater quidam & famuli uſq; ad ingreſſum maris, inde deportaturi ceteris conſolatoria verba Patris. Ipſe verò non tantùm verba, verùm manu propria conſcriptas inde direxit litteras, intimans ſe die datarum litterarum intrâſſe mare ducens ad portum urbis Babylonicæ. Sed feſtinantem ad majora certa-

AN. CHRI DC. XXCV. MARTII XXVII. a

* *ſuprà an.* 670.

* *ſuprà anno* 620.

* *id eſt* diœceſis

Adſo moritur an. 992. in itinere Hieroſolymitano.

[a] Heribeti Diploma exſtat in Prompt. Trecaſſ. fol. 85. *de mercato & Pontanatico in villa quæ dicitur Olumna, actum Monaſterio Dervo* XVI. *Kalend. Febr. anno* XIV. *regnante D. Lothario Rege Francorum*, qui annus anno Chriſti CM. LXIX. reſpondet.

AN. CHR. DC XXCV. MARTII XXVII.

mina dignatio Omnipotentis evocat ad bravium cæleſtis remunerationis. Nam in ipſo mari correptus languore ultimi exitûs, cœpit urgeri extremi angoris ſingultibus, lingua tamen inrecuperabilis, minimè vacans à laudibus piiſſimi Redemptoris, cujus flentes ſocios commendans cuſtodiæ, beatam animam à puppi exſultationis tranſmiſit ad gaudia patriæ cæleſtis. Hujus corpus defuncti comites illuſtres viri ipſius ſanctitatis conſcij, nequaquam paſſi (ut mos eſt) pelagi fluctibus dari, ſed maximo cum honore ſecum quatriduo devehentes, quinto die proſpero curſu ad portum Inſulæ quæ fertur Aſtilia appulſi, decentiſſimo, ut par erat, condiderunt inibi mauſoleo. Inde plurimis ejuſdem comitatûs perpetuum voluntariè ſubeuntibus exſilium, aliquanti optati itineris labore peracto remeantes, diem obitûs locúmque ſepulturæ ac extrema mandata diu exſpectati Patris mæſtiſſimis detulêre diſcipulis. Præcedentibus ſuccinctè tranſcurſis, libuit paulliſper immorari laudibus iſtius beati viri *, quia hic omni felicitate felix multorum Sanctorum geſta ſcriptis depinxit propriis, atque ab ejus in hunc locum cum Domno Alberico ingreſſu, omni infelicitate ſupradicta hæc caruit Eccleſia, nec dicam caruit ſolummodò, verùm quod fauſto utinam proferam omine, teſtor augmentatam omnis decoris honore uſque ad exitum Domni BRUNONIS, ſeptimi [a] à venerando Alberico Abbatis, ſeptem annorum luſtris hanc honorificè gubernantis.

* *de Aſone iterùm infrà.*

a

De BRUNONE *hujus loci Abbate.*

12. HIC vir prudentiſſimus ordinatus eſt Romæ à S. Papa LEONE IX. donatus ejus cognomine cum baculo paſtorali, & benedictione condigna tanto Patri. Hic etiam inter multa ſuæ ſagacitatis memoranda opera ſæpe adiens Romana Concilia [a], faventibus ejus probitati Archiepiſcopis magnæ auctoritatis, ATHELENARDO Lugdunenſi, HUGONE Chryſopolitano *, ac MAINARDO Senonenſi, aliiſque Sacerdotum quamplurimis, annuum cenſum Diſeiacenſis prædij, poſt tempora ſupramemoratæ infelicitatis primus ſuo loco, cujus erat juris, reſtituit. Uſus quoque ſibi decenti familiaritate ſucceſſorum ſuprà denominati S. Papæ Leonis, ſcilicet STEPHANI, NICOLAI, VICTORIS atque ALEXANDRI; plurima priſca privilegia, multáque moderna eorum auctoritatis confirmatione roborata, ſollicitus poſt ſe venturæ ætatis iſtius loci prudens recondidit Archivis. Ejus imperiis frequenter iteratis impulſus hoc arripui opuſculum mutâ paginâ à nomine auctoris, quæ (ut reor) ſtat aliquanti nimiùm loquaciſſima garrulitate inepti ſermonis. Sed ſcienter malui patêre irridentium cachinnis, quàm non implere juſſa tanti Patris, ſuper miraculis B. Bercharij, quorum ipſe plurima viſa vel à cernentibus vel fidelium & veracium teſtimonio ſubnixis tradita ſæpe recenſens, pariter oſtentabat aliquantula ſuis manibus ſchedulis adnotata. Horum gratiâ multa præfatus ſum minùs utilia, ſcilicet causâ excuſationis, cur rara ſint memoriæ tradita ante tempora ſæpe memorandi Adſonis, à cujus regimine quia narrandi inchoamus initium, eo vivente facta primum replicentur miracula.

b

* *de Beſançon*

Auctor Brunonis impulſu iſtud opus aggreſſus eſt.

Miracula S. Bercharij.

Heribertus Comes ſanatur.

13. HERIBERTUS Comes qui cognominatus Vetulus, cujus ſuprà meminimus, incurrit quondam validæ febris nimium incommodum: cujus ardoribus frigoribúſque dum laboraret multo tempore, plurimorum quæſivit auxilia Sanctorum, ut eorum meritis quiret adipiſci aliquod remedium. Pariſius,

a Corrigendus ergo Syllabus à Cheſnio & Sammarthanis editus, ubi inter Albericum (quem Albricum vocant) interponunt *Gratianum* contra iſtius hiſtoriæ fidem; & octavo poſt Albericum loco numerant Brunonem. Lege Indicem Abbatum Dervenſium infrà.

b Is Remenſi Conſilio interfuit anno M. XLIX. uti Camuzatus adnotavit.

Mettis, Trecis Sanctorum expetiit ſuffragia, ſancti quoque Remigij, & beati Memmij * adiens ſepulcra, aliorum etiam Sanctorum viſitavit loca, quorum non placuit meritis, ut præſtarent opem illius ſanitatis. Noviſſimè Vitriacum venit nimis afflictus, auxilium Domini ſperans, virtute qui inibi habetur Clavi ejus. Verùm Dominus noſter JESUS-CHRISTUS qui nec ſic ei largitus eſt ſanitatem, inſpiravit ut ſuper prædicandi Patris Bercharij interventu poſceret Fratrum hujus loci orationum ſolamen. Mittens ergo ad magnum Abbatem Adſonem, obſecrat ut pro eo tam ipſe quàm omnis Congregatio Dei ac ſancti Martyris imploraret meritum, quia vitæ ſuæ nullum ultrà aliud ſperabat auxilium, nec ei veniendi ad S. Bercharij limina aliqua ſuberat facultas. Hanc legationem recolendus Adſo benignè ſuſcipiens, quoniam (ut adhuc liquidò patet) hujus loci utilia idem Princeps acſi ſua procurabat, adſcita omni Congregatione, ſtatuit ut propriam ea nocte pro eo funderent orationem, ſoluturi in craſtino Miſſæ matutinalis itidem pro eo celebrationem. Ipſe quoque Deo devotiſſimus Abbas, Miſsâ peractâ, catenam S. Petri cum aliqua parte Reliquiarum S. Martyris lavans, ei in vaſe parviſſimo tranſmiſit ad potandum. Ipſam ergo lavationem ut libavit, mox ſomno corripitur: ſurgénſque poſt longam pauſationem, nullo monente cibum petiit, ſanitati deinceps reſtitutus. Ipſe autem ut Samaritanus Deo gratias reddens, ob memoriam tanti beneficij, nedietatem terræ, quam habemus Ulcenias, SS. Petro & Paulo & B. Bercharío Martyri dedit, ipſemet eò pergens, atque ad confirmationem largitionis indè ſe expelli à quodam noſtro Monacho nomine ALBUINO fecit.

AN. CHR. DC. XXXV. MARTII XXVII.

* S. Marge Catalaun. Clavus Chriſti Vitriaci, *Vitry* urbs ad Matronam fl.

14. Relatum eſt ſuprà *, ſtudio memorandi Adſonis ac auxilio jamdicti Heriberti Comitis, reſtitutas dominio hujus Eccleſiæ villas duas, id eſt Dreiam & Puellare-Monaſterium, quibus vicinus eſt locus parviſſimæ inſulæ, dictus ab antiquo Mangiſvillare. Ibi B. Bercharius avidus vitæ ſolitariæ, primam olim conſtruxit Eccleſiam in honore S. Albini, perluſtrans abdita Dervenſis ſilvæ, quo poſtea vitans frequentias ſæcularium, ſæpe Deo fudit gratarum libamina precum, ſolitus pernoctare ibi cum diſcipulis; ſi quando contigiſſet causâ alicujus neceſſitatis demorari circa Puellarum-Monaſterium, in villa iſtius nominis ab eo exſtructum. Verùm peccatis imminentibus Monaſterium illud Monialium poſtmodum eſt adnullatum, & Eccleſia illa funditùs redacta ad nihilum: non tamen omnino locus deſolatus largitate cæleſtium donorum. Namque villæ Puellaris Monaſterij quidam ruſticus nomine Wulfarus cernens ſtudio venerandi ADSONIS undecumque ſaxa adunari ad ampliationem hujus Templi, parvipendens, utpote alienus, dominium Monachorum, adnexis plauſtro quatuor paribus boum, pergit devehere lapidem altaris Eccleſiæ ſupradictæ inſulæ. Hunc ergo plauſtro impoſitum, rediens venit ad vadum per quod introierat, móxque tanto pondere fixi ſunt boves, ut trahere ad aquam minimè poſſent. Exclamat itaque ruſticus, ſtimulo fuſtibúſque agitando boves, ſed nequaquam proficit: volens flectere animalia ad dexteram vel ad lævam, nec ſic adipiſcitur efficiendi aliquam poſſibilitatem. Ad hoc factum villæ jamdictæ multi convenientes, mirabantur ſuper hac re, ac divinitùs inſpirati proteſtabantur nolle Deum, ut altare exſtructum opere famuli ſui, ab eo loco poſſet éduci: quod audiens ruſticus, verſus ad Orientem, ſpondet Deo ſanctóque Berchario lapidem ſeſe loco proprio relocaturum, ſi ejus nutu reciperent animalia perditum greſſum. Hæc dicens, boves concutit, & ſtatim mirum in modum videres eos citiùs retro redire, quàm antea feciſſent in nullo recto itinere: atque ita ſuo loco reſtitutum eſt altare. Exinde Dominus illic multas virtutes operari, & locus cœpit venerationi haberi: ea occaſione ac opera Adſonis Abbatis, quæ ſunt redditæ villæ ſupradictæ ditioni hujus loci.

* *hum.* ii. Fur cœlitùs impeditus.

15. Quando Deo diſponente Domni Adſonis tempore hoc Cœnobium cœpit germinare, ut iterum quaſi vireſcendo relevaretur, ſicut ſæpe ſuperiùs pró-

Cæca lumen recipit.

AN. CHR. DC. XXCV. MARTII XXVII.

tulimus, non ſolùm villæ cœperunt rehabitari, ſed etiam in locis & ſaltibus ubi numquam fuerant, cœperunt ruſtici qui undique confluebant incolæ fieri. Itaque per id temporis conſtruebatur quoddam manſionile ſuper Sufflanam [a] fluvium deſuper Lutoſas, quod adhuc à primi habitatoris nomine Haroath-manſionile nuncupatur. Ibi inter primos habitatores quædam vidua commanens, cæcam habebat filiam. Factum eſt autem ut monerentur à ſcientibus vicinis, quatinus ad Eccleſiam Lutoſas, quam S. Bercharius ædificavit ad honorem S. Martini, properarent imploraturæ Domini miſericordiam, ſancti quoque Bercharij ipſius conſtructoris, & S. Confeſſoris Martini, cujus nomini ac honori B. Martyr eam dedicando tradiderat. Mater ut hoc comperit, die ſtatuto petitura Eccleſiam, ibi quam ferret filia plena fide paravit candelam. Dum ergo pergentes ad oſtium veniſſent Eccleſiæ, filia cæca quæ à matre ducebatur, contemplatur divinitùs accenſam quam gerebat manibus ſuis candelam. Exclamans autem dicit matri ſuæ: Mater, candela mea accenſa eſt. Genitrix reſpiciens videt candelæ flammam, & cum exſultatione interrogat filiam: Tenerrima filia quomodo ſcis? Et illa: Quoniam bene domina proſpicio. Tunc utræque oblato munere ac fuſa oratione Chriſti Martyri ſanctóque Confeſſori, gaudentes & Deo gratias agentes, domum ſunt reverſæ. Ut autem comprobaretur juvencula utroque ſuffragatore ſanitati reddita, palam oſtendit ſe ibi ſuſcepiſſe munus gratiæ duplicis, ſcilicet reſtaurationem luminis, & cuſtodiam perpetuam virginitatis. Nam per fectiſſimè lumen promerita, ſacrum velamen ſuſcepit, quod per plures annos uſque ad obitum devotiſſimè ſervavit.

Violator altaris punitur.

16. Locus Monaſteriolus dictus cum Eccleſia quam ibi B. Bercharius in honorem S. Mauricij ædificaverat, ad nihilum ipſius temporibus ſic erat redactus, ut nec ſuper ſacratiſſimi altaris lapidem remanſiſſe contigeret operturam: nec etiam ab ullo frequentabatur, ſed cura & juge ſtudium officinas hujus Monaſterij renovantium haud procul ab illo repererat ſemitam, qua faciliùs poſſent lapides advehi. Ipſe quidem locellus undique ſilvâ magnâ circumſeptus, penitùs verò circa præſcriptum lapidem confuſa frutectis gramina abundabant. In hac præterea Monaſterij villa Johannes vocitatus quidam exſtiterat homuncio, habens malæ inſtitutionis filium nomine Dagobertum. Hic die quadam circa prædicti loci confinia, dum ob cuſtodiam ſequeretur animalia, ceteris cum paſtoribus ſequentibus gregem pro comperta fertilitate interiora penetrantem, ne quid adduceretur, adoleſcens nefandus ſolus remanens, ſacrum adſcendit altare, atque ipſum quod geſtabat ferro tangens ait: Mea hîc erit ſtatio, pecúſque meum cujus reverſionem haud comperero, inreverenter ab hoc exigam Sancto. Tali veſaniæ inſiſtentem ſocij ut repererunt, nimia vix ſupplicatione ut deſcenderet meruerunt. Sed ut ex tantæ benedictionis faſtigio maleſanus deſcendit, tantus nimiæ tribulationis vigor ſuper eum adſcendit, ut niſi per contribulium ſubvectionem, ad genitorum valeret repedare manſionem, plurimóſque dies letali angore contritus & oculis orbatus, poſt modicum lamentandæ pravitatis indultum ſpatium, præſentis vitæ accepit terminum. Exinde arborum denſitate radicitus eruta, Oratorium illud reædificatur, hactenus habitatorum aſſiduitate uſitatum, fruuntúrque illic Dominica miſeratione, qui tota eam expetierint devotione.

Item alius.

17. Non minùs mirabile accidit de lapide altaris, quem mellitus Pater & Paſtor Bercharius ad honorem S. Sulpicij dedicavit. Quidam militaris ordinis vir fuerat generoſus, plurimis excellens poſſeſſionibus, inter quas poſſidebat quoddam prædium, Cryptas vocitatum, cuncta opportunitate floridum, ac fecunditate, quam exigit ſimplex ruralis incolatus decoratum. Id verò duriter perturbabat eum, quoniam ſi terrenorum cunctæ adeſſent commoditates, illic

[a] Sufflana, vulgò *la Sonleine*, amnis eſt paullò ſupra Dervum in Albam influens

quo primum Dei quæreretur regnum numquam fuerat Chriſti tabernaculum. Volens igitur in eo Baſilicam ædificare, jubet devehi prædictum altare. Locus autem quo Eccleſia jamdicti S. Sulpicij fuerat, eſt juxta viculum, qui dicitur Tiliolus*, conſtans ex hujus Monaſterij manſo: ſed cuncta ejus conſtructio præter memoratum lapidem, deleta * erat ſub cælo. Itaque plauſtro adducto, quidam ruſticus petram ſuperponens, redditos ſemitæ boves deducere cùm cœpiſſet, poſt modicum ſpatium boves exorbitantes minimè ultra progredi valuerunt; miſer verò homuncio nimiùm fatigatus, ſæpiſſime conclamando & ſtimulando eos quamquam parum proficeret, ut potiretur requie ſupra conſcendens eo reſedit, neſciens ſe magis dolori oppoſitum, quàm fatigatione exutum. Mox etenim dolore obſidetur graviſſimo, boves etiam non potuerunt pedes movere à loco. Sic tandem convictus deſcendit, lapidem depoſuit, ac in loco illo eum relinquens domum petiit, eóque languore per aliquod tempus maceratus vitam amiſit, animalia etiam peſte conſumpta ſunt. Dominus verò qui hæc juſſerat, videns quod acciderat, nec lapidem à loco ubi fuerat projectus removit, neque Oratorium quod ædificare diſpoſuerat inchoavit, timens quod diſpliceret Omnipotenti: ſed poſt quinquaginta & ampliùs annos fillius prædicti divitis in viculo qui dicitur Villaris Eccleſiam condidit, ac ſæpiùs dictum lapidem advexit, & ex eo altare ibi conſtituit.

AN. CHR. DC. XXCV. MARTII XXVII.

* *Til, direc. Treceaſ.* * *f.* detecta

18. Fideliſſimus Dei Abbas BERENGERIUS ſucceſſor digniſſimus memorandi Adſonis, audiens quoſdam à partibus Tullenſium volentes cupiditate prædæ & ſpoliorum effringere iſtud Monaſterium, indixit ut ipſa cortis Cœnobij validè muniretur, & vigiles ipſam circumeuntes omni nocte inſiſterent. Poſt aliquas verò noctes dum circumiſſent ambitum cortis vigiles, & partem Orientalis feneſtræ ſecus altare S. Mariæ clamantes & clangentes, ut mos eſt caſtrorum, reſtitiſſent; ecce vox à parte Templi clamans vigilibus inſonuit: Qui eſtis vos tanta inquietudine inſiſtentes Deo & Sanctis ejus in hoc loco, quiſve juſſit ut hæ vigiliæ circa Dei agerentur tabernaculum? Illi reſpicientes ad Sanctuarium, imaginem loquentis teſtati ſunt ſe vidiſſe circumfuſam immenſa claritate, & ob nimium pavorem nihil aliud ſunt reſpondere auſi, quàm quòd illorum dominus Abbas hæc juſſerit. Quibus vox loquentis talia intulit: Dicite Abbati: Numquid non prævalet adhuc ſervare hunc locum, qui hactenus protexit eum? Videte ne ultrà convenientes taliter hîc inveniamini. His dictis diſparuit, & illi continuò halitum vix habentes, aufugerunt. Horum unus vocabatur Grimoldus de tribus Fontanis, alius Johannes. Hic Johannes circiter triginta poſtea vivens annos, meruit narrare multis hanc ſancti Martyris ſervorum ſuorum conſolationem: alter verbo Grimoldus metu ipſius viſionis infirmitate captus, ante annum vitam finivit. In eodem autem loco nullus deinceps vigil deputatus eſt, & illi qui eo tempore hunc volebant infringere, convenientes circa urbem Tullenſem, hoſpitiáque ſuſcipientes, orta inter eos contentione plures ex eis inibi ferro interîêre: qua de cauſa nimiùm perturbati reliqui, redierunt ad propria. Poſt aliquot etiam dies ductor eorum vitâ privatus eſt: ſícque Deus protexit hunc locum, propter ſui famuli & cuſtodis noſtri Bercharij meritum.

Bercharius Dervum protegit.

19. Quidam claudus ultra Moſam fluvium habitans nomine Girardus per viſum docetur, ut ſi ſanitatem recipere vellet, dilecti Dei Bercharij ſuffragium feſtinus quæreret. Optatum is callem dum requirendo teneret, ad cujuſdam noſtri Clerici qui BRUNO dicebatur manſionem pervenit, ac huic cauſam ſui adventûs aperuit. Qui prædictum debilem deduxit ad Monaſterium gaudens 15. die ante feſtum Adſcenſionis Dominicæ. Deinde per tres dies ante Adſcenſionem, in quibus Litania fieri ſolet, ultra poſſe ſuum ſecutus eſt turbam Monachorum, ſemper orans qui ferebantur merita beatorum: id quoque in die Adſcenſionis non minùs devotè peregit. Feriâ verò ſextâ & ſabbato ſic fuit fati-

Claudus vegetos recipit greſſus.

AN. CHR. DC. XXCV. MARTII XXVII.

gatus, ut ex hoſpitij lecto, quod Deo plenus Abbas Bruno ei deputaverat, requiret exire. Nocte igitur quam Dominicus dies ſequebatur, iterum quare Monaſterium reliquiſſet interrogatur, ac mox repetat jubetur. Mane facto Eccleſiam petiit, & uſque ad publicam Miſſam ab ea non diſceſſit. Dum autem legeretur Evangelium cœpit tremere, & paullatim vehementer planctus emittere. Ut enim perventum eſt ad Secreta, dum cogeretur ut quieſceret pro Miſſæ reverentia, perſonabat his vocibus: Ecce morior, ecce morior. Jacens enim ad terram ſecus dextri chori introitum, dirigebantur nervi ejus, ac velut ex aquæ exiſſet, fluebat ſudor per corpus ejus. Tali equidem paſſione vexatus eſt uſque ad Completas; tunc denique totus fuit extenſus, ſed manebat ut ad extrum ſpiritus. Quod quidam noſtrorum ODO nomine Seniorum cernens, tactus Dei fiduciâ & validus corpore, jacentem qui fuerat claudus, ſeminecem arripuit, & ante S. Petri altare depoſuit. Poſt modicum deinde ſpatij, ut ad ſe homo rediit, memoratus Senior cœpit eum deducere, quaſi mater docens eum incedere. Senioribus autem hinc laudes JESU bono pſallentibus, omne ſuburbium accurrit, & tantus in eis ardor excrevit, ut quaſi Salvatorem Dominum noſtrum præſentem intuerentur, quiſque certaret ſacro altari deferre munus. Qui verò hæc ignorans ſuperveniebat, & nil præter indumentum quo tegebatur detulerat, continuò illud offerebat Deo & ſuis Apoſtolis pro amore Bercharij ſui Martyris. Nequaquam ex toto poſſumus exprimere, quàm vehemens gaudium exſtitit ipſo die. Sed lacrymarum ubertas quæ à Monachorum gaudio procedebat, & occurſus populorum quo affluebat, teſtimonium perhibuit, quod paralyticus, de quo lectum eſt in Evangelio præſens... Unde tantus odor hinc emanavit, ut ex multis partibus ante noctem multa plebs advenerit, & à partibus Campaniæ & de Barro ſuper Albam, de cujus parte videlicet de vico qui Salex vocatur, quædam cæca affuit nomine Lamfendis, quæ continuò promeruit lumen; & hæc pro tanti muneris devotione ſacrum excepit velamen, quod uſque ad obitum magnificè geſſit. Convenit etiam magna multitude debilium videlicet, cæcorum, claudorum, ardentium aliorúmque infirmorum, ex quibus plures visûs, greſsûs, exſtinctionis, variæque ſanitatis gratiam adepti ſunt; nemo tamen exſtitit aliorum, qui non aliquod ſentiret remedium. Is verò Girardus per plures annos in hoc loco manſit, deinde Monachilem habitum accepit.

20. Altera die Rainardus quidam de Villa-carcerali corte adſtitit, cui totus dexter jam arſerat pollex. Hic athletam cariſſimum Domini Bercharium invocavit ad ſubventionem, & mox adipiſcitur arſionis exſtinctionem.

* *Creſpy* * *Brienne.* Latrones 700 Dervenſe Monaſterium direpturi, à paucis repelluntur. * *le Pariois*

21. Criſpiacus* villa quædam dicitur, ſita in confinio caſtri Breonenſis* & ſilvæ Dervenſis: hæc ab antiquo latronum exſtitit altrix, utpote admixta ſilvæ, quæ immenſa circumquaque diffuſa, præbet hujus ſtudij hominibus grata latibula. Iſtius itaque villæ Miles quidam Berterus nomine, cum ſuorum complicium turma, clanculùm aggreſſus villam quamdam ſuper Maternam fluvium in Comitatu Pertenſi*, maximam inde ſecum multitudinem adduxit. Hos inſecuti viri ipſius regionis, nequaquam valentes attingere, per hanc reverſi villam, ab hominibus hujus ſancti Martyris ſues ſuos cœperunt exigere, adſerentes eorum ductu ſe eos amiſiſſe. Iſtis verò hæc contradicentibus, ſeſe illic adfirmant reverſuros, nihílque in omni hac villa relicturos, verùm neque S. Bercharij corpus. Plurima ergo inſaniſſimè comminati diem ſtatuunt reverſionis, interim obligantes ſacramento omnes colonos ſupradictæ Pertenſis regionis ad direptionem hujus loci. Tandem ſtatuto tempore ſimul convenientes elegerunt ſeptingentos ex tanta multitudine, jubentes cereros ad propria remeare; validiores ſeptingentos, ut diximus, retinentes non causâ alicujus noſtrorum timoris, ſed ad oſtendendam magnitudinem ſuæ poteſtatis, ſibíque præfecerunt quemdam virum nomine Badinum. Prænuntiatur hujus Eccleſiæ Fratribus, unde perterriti ſunt non modicè: hinc quoque ampliùs angebantur

quoniam aberat Domni BERENGERII Abbatis venerabilis præſentia. Devotiſſimus etenim Deo Abbas WILLERMUS S. Benigni Divionenſis Eccleſiam religione & parietibus per auxilium BRUNONIS Lingonenſis Epiſcopi miro opere innovaverat, ad cujus dedicationem prædictum Patrem ſibi familiariſſimum invitaverat. Fratres itaque quod ſolùm repererunt conſilium, legatione directa hoſtes ut quieſcerent oraverunt, promittentes reverſo Patre, die ſtatuto ſe ſuóſque omne eis jus legaliter exhibere: ipſi interim pſalmis & orationibus ſancti Martyris notum flagitantes auxilium, ſignorum Eccleſiæ ſonitu notificabant ſuo parviſſimo populo hoſtium adventum. Adverſarij autem humillima Fratrum legatione ſpreta, ac quia inde ſæviores effecti cum fremitu valido appropinquantes, occupaverunt collem quo nunc habetur vinea prope Eccleſiam S. Remigij, quem ob pugnam inibi factam, hactenus incolæ Caſtellionem vocitant. Ruricolæ verò noſtri fere viginti animati ſpiritu Domini, fractis obſtaculis quibus detinebantur à Monachis eorum verentibus interitum, parvipendentes multitudinem hoſtium, pugnam inituri in eos irruunt, ſupervenientibus aforis eorum auxilio ſeptem equitibus tunc temporis in hac villa habitantibus, (nam ceteri equites & famuli diverſa petierant causâ obſequij Fratrum & Abbatis.) Itaque antequam convenirent, denſitas fumi ingens inter utroſque apparuit: quod cernentes adverſarij paucitati noſtrorum neglexerunt occurrere; ſed baculos quos omnes tantæ multitudinis cum lanceis geſtabant, ſuper eos jactantes, ut pulverem æſtimaverunt conſternere. Deus autem qui ſuorum ſervorum ſervos animaverat in rebelles ſuos, meritis S. Martyris ab ipſa baculorum grandine omnes ita reddidit illæſos, ut neminem eorum terigerit tanta fuſtium multitudo. Hac defenſione noſtri alacriores effecti, continuò ſe miſcentes adverſariis, ſupraſcriptum ductorem illorum necant, ruentibus ceteris, ut folia arborum vento tempore hiemis. Ita beati Martyris auxilio viginti ſeptem virorum impetu cedentibus ſeptingentis, ſilva proxima quam ſibi rebantur auxilio fore fugientibus, cauſa perniciei cœpit furore Domini imminente exſiſtere. Nam frondes undique ſuper eos cadentes plurimos vulnerabant, multos interficientes; quidam autem gemitu morientium, caſu ramorum vel foliorum adeò terrebantur, ut magis certarent ſe fruticibus inſerere, quàm iter fugiendi arripere. Stupore igitur tantæ ultionis circumquaque territi hujus Eccleſiæ adverſarij, haud parvo temporis ſpatio paſſi ſunt quieſcere familiam eximij protectoris Bercharij.

AN. CHR. DC. XXC. MARTII XXVII.

22. Frater quidam HUGO nomine dictus, cujus mirificam viſionem ſimúlque pia merita piiſſimæ Dei Genitricis MARIÆ, ſancti quoque Bercharij Martyris ab ipſius inferorum clauſtris manifeſtam liberationem ſcribere conamur; loco..... ſub ſtrenua Monachorum diſciplina, puer Deo fertur oblatus: cui à primis annis vivere ut libuit, majorum religio prohibuit, ſed diverſis artium exercitiis non mediocriter inſtruxit, & eorum rectos actus volens nolénſve ſecutus eſt uſque in tempora juvenilis ætatis, quando, ut illa fert ætas, nimis diſſolutè ut libuit vivere quæſivit. Sed quia Religionis uſus talia prohibendo compeſcuit, exoſum tenuit quod piè amare debuit, Fratrúmque cum quibus fuerat altus collegio poſthabito, fugit Catalaunum. Hujus tunc urbis Pontifex GIBUINUS agnitâ ejus ſcientiâ grataṅti eum benignitate retinuit, impellens eum ad renovanda opera ſuæ Eccleſiæ, quæ erant obnubilata multorum temporum vetuſtate, ſuarum opum ei tribuens fruendi liberum arbitrium. Ille verò dum hujuſmodi mortalis vitæ gloria fruitur liberè, ultra modum cœpit obliviſci futuræ. Sed amator benigniſſimus, qui omnes vult magis ſalvos fieri quàm perire; mirabiliter revocavit laqueis mortis devinctum miſericordiſſima ſua pietate. Nam prædictus Antiſtes cujus utebatur ſuffragio, ad conſecranda mœnia templi SS. Apoſtolorum Petri & Pauli, ſanctíque Bercharij Martyris, cujus prima fundamenta (ut præmiſimus) venerandus ADSO Abbas locaverat, ire diſpo-

Hugo puer in Monaſterio vivit.

Adoleſcens ſolutè vivens Catalauni detinetur ab Epiſcopo.

Dervum perducitur.

AN. CHR. DC. XXCV. MARTII XXVII.

nens, Deo ordinante ſecum duxit hunc ſibi familiarem. Itaque prudentiam ſtudiorum hujus auditu percipiens honorandus Abbas Berengerius cum ſuis, ingenti ſupplicatione impetravit ab ipſo eum ſibi dimitti. Redeunte autem Pontifice ad propriæ Sedis Cathedram prædictus Abbas Fratreſque hunc ſibi favorabiliter relictum in remoto diverſorio cum ſibi neceſſariis manere conſtituerunt, ubi ad votum cuncta ei etiam ſuperflua (quod dictu grave eſt) miniſtrantes, formam crucis Dominicæ jubent ut noverant eum poſſe formoſè componere. Sed Salvator ſæculi qui lavit crimina mundi, non paſſus eſt impune formari imaginem ſui vultûs ab ejus neglectis manibus, quem longanimi tolerantia jam exſpectaverat diu. Nam componens effigiem crucis, dum formoſè in ea ſculperet imaginem Redemptoris pro redemptione omnium patientis, acri languore correptus ad extrema perducitur. At verò oppreſſus ſupplicio vix tolerabili, lacrymoſis ſupplicationibus auxilium Fratrum implorare cœpit, ut eum quamcitiſſimè habitu Monaſtico renovarent, ſub quo confitebatur ſe vixiſſe ut lupum ſub ovina pelle fraudulenter. Fratres ergo ejus vehementiſſimæ anguſtiæ compatientes, diverſorium in quo languens decumbebat compleverunt lacrymantes, ac ferventi caritate quod petierat conceſſerunt regulariter. Invidus autem omnium bonorum & ſeductor animarum diabolus, cernens miſerum jam reformatum indumentis dudum ſtolidè ſpretis, diu conqueſtus injurias ſibi inlatas ab Ordine Monachorum ſacro eíque odioſo, infremuit in eum, renovans per multa machinamenta doloſum ac multiplex ingenium. Mox itaque cum immenſa dæmonum turba duo adſunt teterrimi, qui barbarico impetu irrumpentes domicilium ægri, moliebantur, ſi foret poſſibile, violenter abſtrahere miſeram animam à corpore. In quorum contentione dum fierent moræ Deo protegente, unus alterum arguit cur inducias darent pro qua venerant animam rapiendi. Cui cùm reſponſum opponeret, quòd præclariſſimus Dei Martyr Bercharius, cujus ſacra oſſa inibi tumulata venerabantur, eum protexerat; alter ſe non poſſe reſpondit, quoniam videret eum munitum Viatico corporis Chriſti, & defendi precibus Monachorum ipſius Martyris Bercharij. Sed dum prolongata altercatione, horrifico ſtrepitu terrerent miſerum, ſubitò & mirabiliter ipſi ægro patienti cernentíque hæc omnia apparuit manus ſola, quæ eis ineffabilili miſericordia fecit dividuum atque aufugium, ſic imperioſa Dei auctoritate liberans viribus defectum. Beata ſiquidem Dei Genitrix & verè beata omni refulgens pietate, dum piiſſimis auribus attenderet querimonias Fratrum exitum ægri orationibus præmunientium, non diſtulit mittere unici protectionem ad ſuſtentandam imbecillitatem infirmi. Ipſa quoque Archangelorum Domina non multo pòſt venit, ſua benigna pietate manifeſtè viſere diſſoluta membra infirmi, ne raperet malignus, quem ſacro ſanguine ſuo JESUS-CHRISTUS ejus redemerat filius. Nam in titulo Crucis qui ſtabat ad pedes artificis decumbentis, ſubitò viſus eſt illuceſcere globus æthereus lacteis involutus circulis, & condecoratus per deſignata loca radiantibus ſtellis. Hic viſus eſt mirabiliter Deo cooperante in binas partes dividi, ejúſque in medio cæleſtis Regina ſubtili & ineffabili veſte fulgere, ut nulli foret dubium Genitricem Dei eſſe: in cujus apice, dum tam ſancta micaret beatitudo, deſcenſum fecit per mediam Crucem à ſummo uſque ad imum ſtrata via auro reſidens quaſi domina in Filij ſolio. Tunc Fratrem non minùs attritum graviſſimis languoris tormentis quàmdæmonum inſidiis, Virgo piiſſima talibus dignata eſt roborare alloquiis: Ecce, miſer homo, meis & famuli ſui Bercharij precibus filius meus ad miſericordiam flexus, tibi pœnitentiæ indulſit tempus, ut ad locum in quo Deo & Sanctis ejus oblatus fuiſti rediens, vitam deinceps, ut expedit, corrigas. Hac dicens protenſa manu miſericordiæ pro turbato dæmonum agmine eum erexit, & reliquit bene ſe habentem, ac quæ pertulerat conſpexerátque adſtantibus flebiliter referentem.

Crucis effigiem exprimere tentatis morbo corripitur.

Monaſticum habitum reſumit.

A dæmonibus appetitus, cælitùs defenditur.

23. Feriatus quidam dies fuerat, vel ſicut qui illius temporis ſuperſunt plurimi proteſtantur, ſacratiſſimi JESU-CHRISTI Martyris Laurentij ſollemnitas totum orbem gaudio repleverat. Qua die quidam homuncio miſerandus, neſcius ſibi, ſed irrationabiliter uti aſinus vivens, meſſis campum quo immitteret falcem ingreditur: dúmque inſiſteret inciſioni, unus ex manipulis intrinſecùs manui affirmatur*, quem nullo modo valuit abjicere, quoniam nec manum aperire poterat, neque unam ex ſpicis, quas durities manus articulis impreſſerant, expellere quibat. Anguſtia itaque ingenti perterritus, ad manſionem greſſus dirigit, geſtans vicinorum gregi admirationem, & Dei rebellium inobedientiæ oſtentaturus confuſionem. Vicinorum itaque animatur conſilio, ac diverſa jubetur circumire loca Sanctorũ. Expetiit S. Mammetem Lingonis, Monachorum gemmam & Martyrum glorioſo agmine ſeptum Deſiderium, ſimúlque cæleſtes Geminos cum innumerabilibus circumquaque Sanctorum meritis. Deinde perluſtravit Trecis ſanctorum Martyrum Saviniani & Patrocli ſepulcra, cum cereris multis quos enumerare longum eſt, inter quos ut in cælo Lucifer coruſcat felix Lupus Antiſtes. Hi autem & alij Sanctorum ſpiritus, ſicut ante conſpectum Divinitatis ſummæ audierant deliberatum, quoniam alterius officium exſiſteret, exaudire diſtulerunt hujus hominis preces. Verùm JESUS noſter, qui agmen ſuorum magnificat, hujus appulit ſua pietate animum, quatinus non infimi Martyrum Bercharij efflagitaret ad hanc neceſſitatem merita. Dum enim volens intrare cortem, veniſſet ad pontem qui de parte pratorum venientibus præbet ingreſſum, ſupráque conaretur adſcendere, veſpertinale ſignum ilico forté ſonuit, atque anguſtiatus homo ſic ore clamavit: Senior * ſancte Berchari, ſuccurre huic meæ neceſſitati. Ad hanc vocem manus relaxatur, ac ſpicæ cadunt humotenus, quas collegêre conſequentes, & cum homine lætificato Senioribus perferunt: qui dum cantare habebant veſpertinales hymnos, cœperunt pſallere matutinales, ſiquidem *Te Deum laudamus*. Spicæ autem ad hujus rei teſtimonium multo tempore in hac Eccleſia pependerunt, & in loco ubi ceciderunt, invito portatore, uſque ad hæc noſtra tempora Crux erecta manſit.

An. Chr. DC. XXCV. Martii XXVII.

Violator divi ſacri punitur.

* *id eſt* adſtringitur

Per S. Bercharium curatur.

* *id eſt* domine, gallicè *Sirgneur.*

24. Milo nomine quidam miles terram de theſauro S. Petri in Baldulficorte ut causâ advocationis teneret invaſit, quam magis comprimebat quàm defenſabat. Multoties ſuper hoc Abbatis juſſu admonetur à Seniore, cujus providentia theſaurus regebatur: ſed dum nullam honori ſuperno reverentiam pertulit, febre valida corripitur. Cùm autem ex nulla parte poſſet remedium excipere, ad B. patris Bercharij veniens ſubſidium, ſe confitebatur reum & invaſionem poſſeſſionis non facturum. Mox ab infirmitate convaluit: & poſt aliquantum temporis relicta complectitur, prædictus dolor ac amplior eum arripuit, & ut priùs promiſſa emendatione ante Sanctum ſe reddidit culpabilem & adſecutus eſt ſanitatis gratiam. Veritas namque dixit, *qui quærit invenit*. Is mortem proſequebatur & reperit, nam tertiò B. Martyris bona abſorbuit, & triplex dolor eum contrivit. Coactus ergo reſtituit Sancto quod invaſerat, & jurejurando non facturum ampliùs promittebat: Deus autem ut ſcriptum eſt, ne ab eo deinceps derideretur, vivendi finem illi largitur. Antequam verò moreretur, mandavit ut miſericordiæ Patris corpus ſuum ferretur, quod & factum eſt, & intra Eccleſiam ſepultus. Recipiens Eccleſia res ſuas ſolidè poſſedit uſque ad hæc noſtra tempora, donec ut plurima Stephanus eas dolo obtinuit.

Invaſor rei Dervenſis tertiò punitur.

25. Locus piſcinæ quo impius Daguinus velut occultandum quo S. Bercharium percuſſerat dejecit cultellum, priſcis temporibus adeo oblivioni erat traditus, ut injecta humo par eſſet totius clauſtri planitiei ac prato, neque aliquis valde ſeniorum ipſum perfectè noverat. Exſtitit autem vir quidam in ipſis Aquitaniæ partibus à quibus exſtitit oriundus ſæpe memoratus proviſor noſter Bercharius, qui multatus cæcitate angebatur non modicè, aſſiduis precibus petens miſereri ſibi à Deo omnipotente. Monetur itaque per ſomnum ut S. Bercha-

Putei Dervenſis aquâ cæcus viſum recipit.

AN. CHR. DC. XXCV. MARTII XXVII.

rij in ſaltu Dervenſi adiret Cœnobium, ibíque perquireret, quo projectum nataverat ejus occiſionis ferrum, certus ex ipſius aqua ſibi lumen poſſe reſtaurari cæcitate depulſa. Hac viſione animatus prædictus cæcus, iter juſſum ingreſſus, hoc ad Monaſterium pervenit, narrans quæ ſibi fuerant dicta Fratribus ac Abbati: qui retulerunt ſe neſcire certiùs locum ulla oſtenſione antiquorum. At ille plenus fide obſecrat ut duceretur intra Clauſtra, indicaretúrve ſibi locus cognitus vel aliquâ famâ. Quid multa? veniens ad locum, fodere terram manibus cœpit. Hujus Fratres cernentes fiduciam animi, vocatis famulis juſſerunt ut ipſa humus foderetur ei. Nondum menſura trium pedum in profundo terræ effoſſa fuerat, & ecce cæcus manum ad foſſam applicuit, & terrâ humidâ orbes oculorum liniens, mox diu deſideratum recepit lumen.

Corpus ſuum altari imp oſitum non fert Bercharius.

26. Nocte quadam dum unus Fratrum cuſtos videlicet Eccleſiæ lecto membra reclinâſſet, cœpit intra ſe cogitans revolvere, ſi Sancti corpus quod ſuper debilem materiam jacebat, caſu inde cecidiſſet, ingens peccatum omnibus adeſſet. Hinc timore perculſus eâdem horâ à lecto egreditur, ſumma cum devotione præparatus ad ſanctum altare adſcendit, & B. Patris oſſa ſuper ipſum depoſuit: qui fuſa oratione & amota caſûs ſollicitudine, dormitum cum accepta ſecuritate vadit. Cui mox adeſt B. Pater Bercharius, & baculo quem tenebat manu (ſicuti narrare ſolebat) cum fremebundo vultu tangens eum vocavit. Quem prædictus cuſtos adſpiciens tremendo interrogat: Quis es tu domine? Ad quem beatus cum increpatione hæc intulit: Ego ſum ille, cujus ſuper Creatoris & Salvatoris noſtri Domini JESU-CHRISTI menſa Corporis compoſuiſti cinerem. Ergo propera ſurgens, & inde corpus meum ad priorem tranſvehito locum. An neſciebas quod ubique regnet Domini noſtri potentia, & ſuper timentes ſe illius ſemper ſit cuſtodia? Ex hoc idem Senior excitatus, ſanctiſſimos artus in priori loco pro jubentis relocat imperio: & quia tempus noctis urgebat, ſomno potiturus iterum repetit cubile. Tunc ſecundò venit ad eum benedictus Pater Bercharius dicens: Quia ſimplici mente hæc feciſti, & ut ſacra curares juſſum fuerat tibi Abbatis tui, ceſſum eſt ſeveritati: unde confitens hoc illi revela, ſimul caſtigatione adſumpta, nequaquam tale aliud præſumas.

NOTA

Reliquiæ ejus ablatæ reſtituuntur.

26. Vicus eſt quidam non longè ab hoc Monaſterio, cujus nomen nunc deſignare non cupio, qui non raro habitatore colebatur, & omni ubertate: in quo quidam exſtitit Sacerdos, cui ea intentio adſurrexit, ut de hoc Patre noſtro ac Protectore Berchario Reliquias depoſceret, & in ejuſdem vici Baſilica reconderet. Quod ſua perquiſitione diffidens adſequi, ad tanti negotij ſupplementum copulavit ſibi quemdam in hoc ſuburbio manentem Clericum, quémque ſi non propalo nomine, tamen cunctis notus agnoſcitur familiaritate. Itaque obtentis Reliquiis Preſbyter detulit, & in prædicta condidit Eccleſia. Nocte igitur ſequenti is qui compos repedaverat, & Clericus qui impetrator fuerat, clementi per viſum correctione percelluntur, audientes quòd tanti Patris benedictione, indignũ oppido excepiſſent ſuppreſſerant inde non per Dei imperium. Secunda ſiquidem nocte admonentur denuò, & tertia dum fuêre admoniti, pro nihilo ſunt arbitrati. Ecce poſtquam fuêre à ſomno excuſſi, tanta eos inquietudo pervaſit, ut in die nulla eis accederet comeſtionis delectatio, & nocte dum protinus oculis admiſiſſent ſomnum, ambobus aderat quidam horror, quo ad requiem non ſinebantur niſi momento, unde acriùs attererentur. Igitur dum per dies octo tali detinerentur tormento, perſona Clericalis Preſbyterum coactus petiit, viſa & perpeſſa pandit: qui rurſus eadem ſe confitebatur patientem, ac percunctatur congruum hujus calamitatis remedium. Unde illorum neuter nihil ſalubrius quidquam arbitrantes, benedicti Patris quàm quòd redderentur pignora; ſecundus quamquam cum enormi reddidit mæſtitia. Clericus ea deinde ſuo adhuc differens loco reſtituere, recondidit intra Monaſterium. Domum ergo revertitur, optata ut jam ſalute potiretur; ſed eodem teſtante ampliùs ſolito priori perturbatur incommodo. Aliquantis namque diebus his anguſtiis compulſus, indicat

locus mendoſus.

feriatim ædituo, quidquid ſibi accidiſſet cum Preſbytero, & quidquid ſolus præſumpſiſſet, quámque nunc proinde maceratur atrociter. Quid ultra? veriſſimè credito mihi multoties eſt ut reciperentur oratum, quamprimo ut largirentur quæſitum. Redditur utrumque, & B. Patris memoria quæ uſque hodie ſervatur ſepoſita; & perditæ ſanitatis officium, oſtentans hominem ſanum. Itaque poſt dierum paucitatem villæ Domini hoſtes combuſſerunt Baſilicam, ac deinde poſt aliquantulum temporis evelluntur ab ipſo etiam vico incolæ, ſuarum merito quarumdam præſumptionum. AN. CHR. DC. XXCV. MARTII XXVII.

27. Glorioſus Rex ROBERTUS, apud villam Aireyas [a] nomine noſcitur Concilium habuiſſe, ubi cùm innumeræ plebis multitudines, diverſi utriuſque ſexûs & ætatis concurrerent, ad cumulandam quoque populi proficiſcentis devotionem, plurima Sanctorum corpora à fidelibus viris advehi cœperunt. Inter quorum veneranda pignora, ſeniores noſtri de ſacro Patroni noſtri corpore non ignotas detulêre Reliquias, convenienter in feretro ad earum tranſlationem præparato. Factum eſt autem ut ſuper quodam Comite, LANDRICO nomine, noſtri Seniores facerent ob prædia B. protectoris noſtri quæ Comes prædictus invaſerat proclamationem: unde indignatus pretioſiſſimi Patris Reliquias diripere cogitabat, autumans in feretro eſſe ſanctiſſimum corpus, ſicut noſtrates exteriùs teſtificabantur. Non ergo Regis potentiam veritus, quoniam ipſe Rex mitiſſimus præ cunctis exſiſtebat, & magis manſuetudine quàm feritate ſuos vincere cernebat; idcirco direptionem ſancti corporis perpetrare ſatagebat: quatinus non reddendi occaſionem haberet injuſtè pervaſa, cùm poſſideret heredem ſimul & hereditatem. Poſt verò tanta ſpatia itineris venerunt ad aquam quæ Urmuntio * dicitur: antequam ad Caſtrum Florentini acceſſiſſent, invenêre tranſitum difficilem. Nam crepido laticis profunda reperitur, & pons etiam ſoli homini ſtrictiſſimus, ideóque equites ad transfretandum excipere non audebant, ne fortè ab humeris eorum laberetur: pedites verò qui ſolebant ferre, præ ſtrictura pontis non quibant conducere, quoniam minùs quatuor peditibus feretrum ferri non poterat. Ergo dum meditari vellent qualiter illius amnis tranſirent curſum, metus eos invadebat, ne hoſtis perſequeretur, dum ob feretri onus equites & pedites aquâ proturbaret. Tunc per admirabilem Patrem & Protectorem noſtrum antiqua & divinitus juſſa replicantur miracula. Nam, ſicut dictum eſt, cùm portitores & ſecutores Reliquiarum Sancti multum & diu turbarentur, unus ex eis velut quondam Moyſes eos adhortatus eſt dicens: Eia, cariſſimi commilitones & beatiſſimi hujus domini noſtri devotiſſimi ſervientes, pedibus tranſeamus per aquam, ſecuriùs transferentes tam pretioſiſſimæ mercis pondus noſtris humeris. Ad illius exhortationem & Dei noſtri juſſionem relinquentes pontem, & ex his quatuor pedites collo feretrum apponentes, tranſierunt per prædictum amnem. Cùm autem uſque ad renes in fluvio fuiſſent, & abſque impedimento egreſſi ſunt, & ampliùs exſiccati quàm fuiſſent ingreſſi, reperti ſunt. Unde non ſolùm ex noſtris orta eſt exſultatio, ſed & ex his qui noſtrorum comitatui ſe junxerant magna laudatio. Cucurrit & jam non parva multitudo audientium & ex vicis circumjacentibus ad hoc miraculum.

[a] Concilium Aireyenſe.

S. Bercharij Reliquiæ iſthuc delatæ.

* l. Armantio, l'Armançon

28. Tempore quodam exſtitit ita hominum prægrandis mortalitas, ut plurimi uno in die uno in loco obirent. Factum eſt ut hac de cauſa utriuſque dignitatis homines, Sanctorum quærerent ſuffragia: unde multi Patris optantes adminiculum petiêre, ut eis perduceretur ejus ſanctiſſimum corpus. Inter quos quædam potens perſona obtinuit legatione ſua, ut ſuper Bleſam * deferretur, quo procederet ipſe obvius comitante populorum multitudine. Glorificandi Patris illò delata ſunt membra, ubi undecumque & populi multitudo, & advenientium irruit magna devotio. Prædictæ perſonæ dum præſtolaretur adventus, reman-

Peſtis earumdem deportatione fugatur.

* la Blaiſe fl. influens in Matronam.

[a] In Aireyaca villa diœceſis Auguſtodunenſis, non Bituricenſis, habitum eſt Concilium anno circà M. XX. præſente Roberto Rege & Archiepiſcopis Gauzlino Bituricenſi & Leoterico Senonenſi, ex Clario in Chron. S. Petri vivi, ut Philippus Labbeus in Specimine Conc. adnotavit.

AN. CHR. DC. XXCV. MARTII XXVII.

davit non licere ſibi obviàm exire ; facerent de reditu quod Seniores vellent, Sancto tamen duabus illic noctibus cuſtodito & à confluentibus venerabiliter ad adjutorium ſibi invocato, quique redîêre in ſua : ſed occulto Dei judicio illi ad octo dies fuit terminus vitæ. Relatis itaque artubus Sancti, venit intentio villæ ruſticis, ut ubi ſanctum manſerat corpus, ad memoriam tantæ benedictionis quam per ipſius merita ſenſerant, ſignum Dominicæ Crucis configerent: nam Sancti cinere advecto fugit ipſa hominum mortalitas. Parata eſt materia, cujus onere boves decem onerati fuêre. Coloni advenêre, crucem erexêre, ſed elevata apparuit in tranſverſo. Quod cernentes, ruſtica manus ingemuit, & eorum unus magna voce intonuit : Si verè tanti Patris huc fuit corpus delatum, iſtius Crucis dirigam lignum: ſícque directum eſt, & quod omnes nitebantur, ille ſolus conſtituit.

Corpus aliò defertur.

* *Somme-Voire*

29. Nequaquam recordor qua pro cauſa devotio compulit quod cuncta Congregatio Eccleſiam S. Mariæ quæ eſt Summa Veræ * petiit, ac illic Patris glorificandi Bercharij geſtavêre membra : perrectum eſt enim ſexta feria Pentecoſtes. Finita autem oratione, poſt antiphonam quæ inchoatur ad introitum Eccleſiæ, dum cœpit vulgus adventare munera ferens ad altare, mox ingens advenit ventus, cum quo ſurrexit turbo eximius. Verùm multitudo populi, quæ foris Eccleſiam remanſerat, quoniam non omnis introire valuerat, cum huc illúcque aufugiſſet pro turbine, quædam mulier cæca inibi remanet, quæ continuò lumine eſt donata. Deinde noſtri Seniores, dum pro more vellent pſallere Rogationum preces, clamor attollitur pro re geſta populi, qui modulamina & preces cantatorum coëgit vertere ad jubilamina laudum. Nam ut ſurrexerunt adclamantes omnes dicere, *Te Deum laudamus*, & applauſerunt intonare : Ecce ſancta Dei mater propalavit ſæculo, quam ſibi puriſſimo vel caſtiſſimo affectu Martyr Dei ac proviſor noſtri Bercharius ſervivit ejus filio. Ipſa quoque imperioſa Genitrix, meritò deprecationem pauperum anticipat, quæ totius pietatis enixa eſt fontem, ac antequam me invocetis, dicam vobis ecce adſum promittentem. Nam propter ſui fideliſſimi ſervi & noſtri benigniſſimi Domni Bercharij amorem, non eſt paſſa diu clamores ſufferre populi poſt tanti itineris laborem : felix grex & populus quibus Pater talis & Paſtor tribuitur. Finita deinceps hymnorum canoritate & Miſſa, ingenti cum veneratione Dei miniſtrum ac noſtri proviſorem retulerunt lætantes, qui advenerunt gementes ad propriam ſedem.

Cæca lumen recipit.

Pluvia ſimili delatione obtinetur.

30. Miraculum quod patrum noſtrorum relatione cognovimus fuiſſe patratum à bono Patre noſtro Berchario temporibus priſcis, quódque noſtra ætate etſi diſſimili modo, pari tamen virtute & merito factum præſentibus vidimus oculis, noſſe optantibus velut poculum vini optimi propinamus : ut modernis idipſum, ſi devotio fidelium popoſcerit, & opportunitas temporum exegerit, non ambigatur poſſe fieri in futuris. Noſtra ætate ab ipſis fere glorioſæ Dominicæ Reſurrectionis diebus uſque in Natali SS. Apoſtolorum Petri & Pauli, ut credimus peccatis mundi hujus exigentibus, cæli facies prætendebatur ænea, & terra induruerat ut ſoliditas ferrea, adeout hæc bina elementa mortalibus intentarent mortem, exhibentia minimè quæ oportet exhiberi ab eis opportuno tempore. Hoc igitur infortunio non modicè pavefactis omnibus, majores natu plebis hujus Eccleſiæ in unum conglomerati, expetunt Domini Abbatis BRUNONIS præſentiam, poſtulantes concedi ſibi B. Patris Bercharij corpus, quatinus liceret eis per agros ſuos & confinia famulari bajulatione illud circumferre, ut ſuo ſancto interventu propitiatio cæleſtis ſubveniret afflictis. Tali ergo prece efflagitatus immo evictus Domnus Abbas cum Senioribus, annuit eis inſumpſítque id fieri prænominata die SS. Apoſtolorum Petri & Pauli. Veniente autem die hujuſmodi inſumptionis explicitíſque Matutinorum jubilationibus Apoſtolicæ ſollemnitatis, cum præcepto Domni Abbatis quidam è Fratribus depoſuerunt feretrum continens cæleſtem margaritam de loco pauſationis, ut acclamanti populo exhiberetur (ut præſcriptum eſt) bajulandum. Liquet huic Martyri noſtr

tunc competiſſe, quod de quibuſdam Sanctis * dicitur, quia linguæ eorum claves cæli factæ ſunt. Nam eadem nocte cœpit cælum nubibus obnubilari, & pluviæ guttas terris infundere. Sed ne glorificatio tanti luminis habitantibus noſtra ætate in domo Domini occuleretur, ſed magis in propatulo exhiberetur; luceſcente aurora poſt crepuſculum, ſol rutilus jubar ſuum mundo huic pleniter invexit. Horâ autem tertiâ qua creditur Spiritus-ſanctus fidelium mentes impleviſſe ſuâ gratiâ, adſunt multi populi in atrio & in Eccleſia, in foro & per platearum compita, obſecrantes ut reſpiciente eos de cælo Divinâ miſericordiâ, geſtare mererentur Patris ſui membra ſanctiſſima, geſtandóque impetrare de tribulatione tunc præſenti ſuffragia. Tunc munus Domini optatum tandémque collatum ſuſcipientes à Fratribus, egrediuntur Eccleſiam. Læta catervatim currit plebs corde fidelis, nec deſunt patres nec matres nec juniores. Portatur Pater Sanctus per ſervorum ſuorum confinia, púlſanſque pro eis prece ad valvas ſublimis miſericordiæ, confeſtim obtinet poſtulata, pro bajulantium ſemetipſum inopia. Mira canam verbis, opto quæ tradere ſcriptis. Cùm autem à Fratribus & populis præeuntibus & ſubſequentibus Pater ſanctus portaretur, iterum cœpit obducere omnipotens cæli faciem nubibus atris, & quaſi minaretur & diceret velle ſe pluere, ſed differre ne bajuli ſui dilecti cum obſequentibus impedimentum objiceret. Tandem expleto itinere devotæ proceſſionis cùm ambitum Templi repleſſet populus, & facto ſilentio pulſatíſque ſignis concentores impoſuiſſent Introitum Miſſæ Apoſtolicæ ſollemnitatis; ecce reſpectus miſericordiæ cæleſtis, qui demiſit largitatem ſuæ benignitatis. Nam duritia cælorum benignum ſuſcepit à ſecretioribus imperium, rorem mittens dulciſluum, quo reſoluta nubium tenacitas in largitate diu negatam terræ infudit abundantiam, terráque frugum ſuarum deſideranti plebi parturivit copiam. Tantis ergo ac talibus tamque evidentibus miraculis refrenat, concludit, obſtruit Dominus ora loquentium adverſus juſtum iniquitatem in ſuperbia & in abuſione, largiens magna multitudine dulcedinis ſuæ quod abſconderat timentibus ſe.

AN. CHR. DC. XXCV. MARTII XXVII.

* *de SS. Iohanne & paulo.*

INDEX ABBATUM DERVENSIUM.

LEgimus in MS. cod. Dervenſi Syllabum ejuſdem Monaſterij Abbatum, quem quia Indice apud Cheſnium & Sammarthanos edito accuratior eſt, juvat hîc repræſentare. Sic autem ſe habet. S. BERCHARIUS Abbas & Martyr obiit DC. XXCV. Sancto Berchario de hoc ſæculo tranſlato SYNNAULIUS Abbas ſucceſſit tempore Theodorici Fratris Childerici. Succeſſores ejus fuerunt HANTO, PARDULUS, ADALGARIUS (*al.* Algarius) ALTIVARUS (*al.* Altinarus) HUMFREDUS, WLFAUDUS, qui Wlfaudus (*alij* Wlfrandum & Wlfraudum *vocant*) præerat huic loco anno DCCC. LIX. Poſt quem uſque nongenteſimum ſexageſimum quartum annum per annos C. IV. ignoramus qui fuerunt ſucceſſores ejus præter extremos, id eſt ALARDUM & BENZONEM. Benzone autem expulſo ſubſtitutus eſt Domnus ALBRICUS, (*de quo ſuprà num.* 10.) AZO *vel* Adſo (*cui Cheſnius & Sammarthani perperam Gratianum quemdam præferunt, ex dictis ſuprà num.* 10. *&* 11.) BERENGERUS, (*al.* Berencerus *de quo ſuprà* num. 18.) NIVO, DUDO, MILO, BRUNO, GUENDELGERUS, (*ubi alij habent* Milo, Brimo, Vandelgerus cognomento Bruno.) DUDO, NOCHERUS, ROGERUS anno 1097. electus, GUILLERMUS, THEOBALDUS, GUALTERUS, JORANNUS, EBALUS, RAYNAUDUS, WITERUS, EVRARDUS, NICOLAUS, RAYNAUDUS 2. AUCHERUS, RADULFUS, (*hos duos alij omittunt*) ANSELMUS, PETRUS, HENRICUS, RAYNAUDUS, GUILLERMUS 2. FERICUS, JACOBUS; poſt Jacobum acceſſit PONTIUS de Mirevau, mortuus eſt anno Domini M. CCC. XCII. qui fere per viginti quinque annos abbatizavit. Poſt eum Simon de Ambouvilla, F. PETRUS de Changey, F. ODO de Ficonia, (*al.* de Ficocuria) SIMON Goy, F. JOHANNES de Bituneyo, (*al.* Betigneio) F. Simon d'Yeure, Jacobus de S. Martino, de Riviere, (Jacobus *omittitur in aliis*) FRANCISCUS de Tintavilla Epiſcopus Autiſſiodorenſis Abbas Commendatarius &c. *De S. Berchario & Dervenſi Monaſterio ſatis.*

Circ. An. DC. XXCV. Oct. XXI.

VITA S. CONDEDI MONACHI FONTANELLENSIS ET ANACHORITÆ.

Ex MS. cod. Fontanell. eruta à noſtro Alexio Breard.

OBSERVATIO PRÆVIA.

De hujuſce Vitæ Scriptore nihil certi pronuntiare poſſumus. Ejus antiquitatem probat numerandi ratio ab annis Regum, non ab Incarnatione Chriſti: nec indignus eſt fetus, qui Jonæ *Fontanellenſi Monacho tribuatur.*

Cap. I. Condedus Britto in Galliam ſecedit. * *S. Condé, Condede*

TRANSLATO igitur ad cæleſtia regna ſancto Patre WANDREGISILO poſt multiplices Sancti labores, & in loco regiminis Cœnobij Fontanellæ ſubrogato venerando LANTBERTO Abbate, eodem tempore ſanctus Preſbyter & Anachorita CONDEDUS*, genere Britto, natus in Oceani inſula Britannica, cui quondam Albion nomen fuerat, artioris vitæ ardore ſuccenſus & peregrinationis amore incitatus & Sanctorum converſatione inſtigatus, relictâ præfata inſulâ, propriâ videlicet patriâ, ob cæleſtis patriæ amorem, Galliarum devenit in partes. Ac primùm poſtquam Oceani æquor tranſvectus eſt, in loco qui vocatur Fontana Walarici[a] aliquot annis dulciſſimos ſupernæ contemplationis fructus, ſæculo nudus Deóque plenus, ſolitaria cotidie hauriebat converſatione.

a

II. Inde diſcedens, noctu in hoſpitio cæleſti luce illuſtratur.

Ediſcens autem fama pervolante S. Patris Lantberti Cœnobij Fontanellæ Congregationem non minùs ceteris religionis venuſtate clareſcere, diſpoſuit animo eorum ſe uniri conſortio. Eo deinde relicto loco mare ingreſſus, ac Divina comitante gubernatione proſpero curſus actus, nec mora, oſtio appulit fluvij Sequanæ, atq; ſecundâ navigans aquâ, Arelaunium prædium pervenit, illícque velis depoſitis in portu ejuſdem prædij conſedit. Cúmq; apud quamdam religioſam Matronam hoſpitandi gratiâ divertiſſet, aliis in eodem prædio belluino more viventibus nec eum recipientibus, poſt indulta corporis neceſſaria ac Divinas decantatas laudes quieti membra dediſſet unà cum aliquibus diſcipulorum in domuncula ſibi deputata, præfata mulier fidelis intempeſtâ noctis quiete interrumpens torporem ſomni, aperiénſque feneſtram cubiculi, adſpicit ſubitò ſupra tectum domûs in quâ miles Chriſti requieſcebat pharam igneam miræ magnitudinis, alta cæli ſublimiter ſcandere. Patet namque cujus ſpiritu vir iſte plenus fuerit, nimirum illius qui in deſerti loco populum gradientem quadraginta annis in columna nubis per diem & in columna ignis præibat in nocte.

III. Fontanellâ luſtratâ in inſulam Belcinnacam ſe recipit. * *Reg. S. Ben. cap. 53.* b

Venit quoque vir Sanctus ad Monaſterium Fontanellæ, & poſt orationes ad Dominum & ſalutationes fraternas & colloquia ſpiritalia, cùm omnis humanitas (ut Monaſtica dictat norma*) eidem viro ſancto cum ſuis omnibus fuiſſet exhibita, quos veluti Angelos S. Lantbertus ſuſceperat Abbas, atque aliquot diebus in præfato moraretur Cœnobio[b], ac tantorum Patrum dulcibus frueretur alloquiis, demùm B. Condedus, votum ſui cordis aperiens dixit, Non ſatis ſibi videri in Religionis ſanctitate ſudare, ſi non & aliis quoque in prædicatione & exemplorum lumine radiando prodeſſet. Deinde ad conſulta præfa-

a Sunt qui exiſtimant hîc deſignari locum, ubi nunc opidum S. Vvalarici in Caletis ad litus Oceani poſitum cernitur. An potiùs Fons S. Valarici prope Leuconaenſe Monaſterium, ubi & ipſe Vvalaricus in cellula diu recluſus vixit?

b Aigardus in Vita S. Anſberti affirmat, *Condedum Presbyterum & Anachoritam in Monaſterio Fontanella Deo dignum nomen & habitum aſſumpſiſſe*, & quidem anno circà DC. LXXIII. quo Theodoricus regnare cœpit.

ti Patris Lantberti locum aptum ſuæ devotioni ac religioni humiliter perquirendum deliberabat. Tunc cum benedictione & permiſſu prædicti Patris ad fluvium Sequanæ regreſſus ac navim ingreſſus, navigavit in inſulam vocabulo Belcinnacam vicinam fiſco Arelauno, quæ undique ambiebatur fluvio Sequanæ, quam de navi egreſſus luſtrando circuibat, amœnitatémque ac ſecretum loci attentiſſimè mirabatur, orans cunctipotentem Dominum, ut ipſum locum ſuo clementer largiri dignaretur famulo. CIRC. AN. DC. XXCV. OCT. XXI.

IV. Eam obtinet Theodorico concedente.

Sequenti autem nocte admonitus fuerat in viſu Divina revelatione THEODERICUS glorioſus Rex, filius ſcilicet HLODOVEI Regis & BALTHILDIS Reginæ, qui ipſo in tempore in ſaltu Arelaunenſi [a] exercitio autumnalis venationis inſiſtebat, ut ſervum Domini in præfata inſula conſiſtentem cum ſummo honore ſuſciperet, & quòd multorum populorum eſſet doctor futurus, nihilque ei negandum eſſe quidquid ab eo poſtulâſſet. Qua fatus Rex viſione certus, extemplò ad eamdem inſulam pervenit, & cum gaudio & honore ſummo eumdem ſervum Domini ſuſcepit. Et ut cognovit in eo fidei fervorem, religionis devotionem, ſapientiæ plenitudinem; ſecundum ejus ſanctam petitionem præfatam inſulam Belcinnacam per privilegium ſuæ auctoritatis perpetualiter ei tradidit poſſidendam [b], ſub perenni tutela ac defenſione, ut tam ipſe quàm & poſteri ejus Monachi videlicet in eodem loco conſiſtentes nullius infeſtatione aut inquietudine turbarentur, quatenus malorum incurſu remoto, pro ſe totiúſque Regni ſui pace liberè Domini implorarent clementiam.

a

b

V. Aliáq; prædia.

Largitus eſt etiam præfatus Rex in eodem Privilegio eidem ſervo Domini à plaga Orientali ſive Aquilonari contiguos ejuſdem inſulæ agros & prata amœna cum ſaltu denſiſſimo, in quo greges aprorum & cervorum abundantiſſimè omnibus commorantur temporibus, eoquòd frugiferis arboribus plurimùm ſtipata conſtet, quæ competentem & fertilem ſine defectu hujuſcemodi generis animalibus indeficienter paſtum præbent. Eſt etenim aptiſſimus locus omnis generis animalibus nutriendis, quamquam & aliorum compendiorum in multis probetur utillimus. Quem locum antiquitas Lutum appellari cenſuit, eoquòd hiemis ſive hiberno tempore ex inundatione fluvij Sequanæ quædam in eo reperiantur loca paluſtria & ſtagnoſa. Eſt enim longitudinis trium millium, cùm in latitudine mille quingentis paſſibus terminetur.

VI. Inſulæ deſcriptio.

Præfata quoque inſula Belcinnaca, quæ ut ſuprà dictum eſt undique ambitur fluvio Sequanæ, tantum quietis ac ſilentij intrà ſe retinet, ut omne deſiderium eremi anachoreticam vitam deſiderantibus penitus auferri videatur. Piſcium autem tantam copiam emanat à mari & Sequana ubertim per diſpoſita tempora, ut piſcatoribus aliorum fluminum profunda rimantibus, niſi viſu didicerint, incredibile auditu videatur. Hanc unda marina tempore malinæ ac lidonis ter per revolutionem diei ac noctis undique ambiendo inviſere non negligit: quæ tanto ſui vigoris impetu agitatur, ut ultra hanc inſulam ad Orientalem plagam ſexaginta millibus & ampliùs per lympham Sequanæ retrorſum incedens, uſque ad locum qui dicitur Piſtas [c] accedat, cùm à mari uſque ad hanc inſulam lymphaticum iter triginta fere millibus æſtimetur. Sícque hoc rheuma,

c

a Nunc vernaculè *la foreſt de Bretonne*, quaſi dicas Silvam Brittonis, quòd eam S. Condedus Britto incoluerit.

b Exſtat hujuſce conceſſionis diploma relatum in Philippi VI. litteris, Belcinnacam inſulam Monaſterio Fontanellæ confirmantis *Pariſius anno Incarnati Verbi milleſimo trecenteſimo vigeſimo nono, anno regni ſecundo, menſe Ianuario.* Theodoricus Rex pauca præfatus ſubdit: *Igitur agnoſcat induſtria Fidelium Chriſti præſens pariter & futura, nos divinitùs admonitos ad inſulam in fluvio Secana ſitam deſcendentes, viro Dei Domno* CONDEDO *illuc ab eo deſtinato, ipſam inſulam quam antiquitas Lutum cenſuit, nunc verò Belcinnacam nuncupatam, cum omnibus rebus ad ipſam pertinentibus & toto alluvio quo eam voluerit Divina pietas augmentari, conceſſiſſe & condonâſſe.* Hæc inſula ſeſquimilliari à Fontanella diſtans, longè poſt S. Condedi obitum aquis (ut infrà cap. 12. dicitur) ſepulta, paucis abhinc annis ex undarum illuvie emergere cœpit. Hæc ex Breardi noſtri obſervationibus.

c Piſtæ, *Piſtres*, vicus ad Andelam fluviolum, juxta Pontem-Arcæ, Conciliis Piſtenſibus celebratus. Lege Cellotij Notas in Concilium Duziacenſe.

Circ. An. dc. xxcv. Ocr. xxi. quod de umbilico ſive charybde maris egreditur, bis in die fluctus abſorbet & rurſum evomit, ſicut per univerſa Sequanæ litora accedentibus ac recedentibus fluctibus celeritate nimia fieri comprobatur: quæ tam ſubitis inundationibus ſupplentur, ut qui fortè aliquantulum introrſus à litore repertus fuerit, evadere vix poſſit. Videtur enim fluctus curſu velociſſimo verſùs ſurſum relabi & in modum proceriſſimarum arborum in altitudinem ſe cum maximo rugitu ſubrigi, ac per multorum millium ſpatia, fluminis lymphas in amaritudinem verti. Hæc de rheumate & ſitu loci ac inundatione fluminis dicta ſint: nunc ad viri Dei opera largiente Domino revertamur.

VII. Baſilicas duas ædificat

Ingreſſus namque vir Sanctus cum auctoritate Regiæ largitionis præfatam inſulam, ædificavit in ea Baſilicam in honore S. Mariæ perpetuæ Virginis; alteram quoque in nomine beatorum Apoſtolorum Petri & Pauli, in qua & memoriam conſtituit S. Confeſſoris Walarici. O quàm felix & beata inſula Belcinnaca belluarum quondam nutrix, nunc quoque ſervorum Chriſti ſecretiſſima quies! Hîc namque vir ſanctus fervore ſanctæ converſationis accenſus, artiori animi ſtudio ſeipſum macerando conſtringebat, & confluentium ad ſe turbas ſuavi fovebat alloquio, pandens de theſauro ſui cordis nova & vetera.

VIII. Omnia Fontanellæ reſignat.

Præfatam quoque inſulam, quam largitione Regis adeptus fuerat, cum univerſis rebus ad eam pertinentibus; ſed & aliquas poſſeſſiunculas, quas eidem quidam prædives ac nobilis Schiwardus dono perenni contulerat, ſub anno tertio præfati Regis, qui erat Lantberti Abbatis annus nonus[a], per teſtamenti ſeriem ditioni præfati Cœnobij Fontanellæ perpetuo jure tradidit poſſidendas. Quarum poſſeſſionum iſta ſunt nomina: Campellos, quam ei præfatus Schiwardus ac reliqui viri locupletes contulerant. Item aliam poſſeſſiunculam Geldulfiacas nomine; ſimili modo etiam manſum in loco nuncupante Aolciaco ſuper fluvio Sedanna cum molendino. Acta fuerat hæc largitio die decimo menſis Octobris, quod eſt VI. Idus Octobris. Item verò anno ſeptimo Regis Theoderici aliam dedit largitionis auctoritatem de præfatæ inſulæ Monaſterio & rebus ibidem pertinentibus, quæ celebrata erat in Cœnobio Fontanella ſub anno ſeptimo Regis Theoderici, gubernante anno ſecundo B. Ansberto Fontanellam Cœnobium: quoniam vir Domini Lantbertus Præſulatum jam ſuſceperat Eccleſiæ Lugdunenſis, ſicut in ejus Geſtis pleniſſimè ſcriptum conſtat. Aderat quoque illuſtris Waratto Major-domûs Regiæ in Fontanella Cœnobio, quando harum rerum largitio à præfato Sancto viro condita fuerat: qui etiam & conſenſit, & manus ſuæ ſignaculis roboravit, aliíque viri nobiles nonnulli, quorum nomina in præfata nunc uſque continentur largitione. Brandulfus Presbyter hujus teſtamenti conſcripſerat auctoritatem. Aderant præterea Cinomaïlus, Zachæus & Johannes diſcipuli præfati viri S. Condedi, qui etiam olim cum eo de tranſmarinis advenerant partibus. O felix terra, quam militis Condedi illuſtravit præſentia! Membra ſua cotidie mortificabat, hoſtiam vivam ſemetipſum Deo exhibuerat, Divina præcepta omnimodis adimplebat, digna etiam Deo Templa ædificavit.

IX. Gallum gallinaceũ à beſtia raptum recuperat.

Morante autem in eodem loco viro ſancto, beſtia ſubdola & inſecutrix avium & anfractuoſa vulpis, alitem hominis Dei, diei videlicet nuntium, qui etiam à Gallis vocatur gallus, furtim præripiens, ad ſuum concitè remeabat antrum. Quod cùm ingredi omni conatu niteretur, nihilominus ante oſtium ſpeluncæ immobilis manſit. Nec multo pòſt quaſi ſui reminiſcens facinoris, alitem invita ore tulit, & ſpectantibus plurimis ad eumdem de quo ipſum ſuſtulerat locum revexit. O Sacerdotis iſtius inclyta merita, quæ & verbis fulgent & miraculis coruſcant, cui etiam mutæ obtemperant beſtiæ.

[a] Nempe anno Chriſti dc. lxxv. Hic calculus optimè convenit cum epocha regni Theodorici qui anno dc. lxxiii. regnare cœpit, uti initio hujuſce Sæculi probavimus; & mortis S. Vvandregiſili, quam anno dc. lxvii. collocavimus.

Alio

Alio quoque tempore dum ob viri Dei compendia lintris in eadem fabricaretur insula, contigit ut hominum deesset copia, quæ eam ad fabricandum erigeret: quam vir Domini Divino fultus juvamine tam citò solus erexit, acsi multorum hominum solatio virium elevaretur. Ecce qui olim ex pastore ovium fecit Psalmistam, demum Condedum exsulem, egregium reddit agonithetam: qui armentarium caprarúmque Amos sycamina[a] vellicantem elegit in Prophetam, Condedum postmodum in Ecclesia Catholica micantem accendit lampadem. Daniel olim vitæ merito leonum rabiem vicit in lacu, & Condedus anchoreticam eligens vitam, hostis antiqui laudabiliter superat machinamenta. Helias curru igneo in cælum rapitur, & Condedus certamine viriter expleto, Angelorum agminibus fultus in cælo collocatur.

CIRC. AN. DC. XXCV. OCT. XXI. X. Patribus antiquis comparatur.

In eadem ergo insula contemplativam vitam agens, bonísque operibus sine defectu insistens, post incolatum mundi diutiùs prolongatum, ad æternæ felicitatis migravit requiem die duodecimo Kalendarum Novembrium[b]: sepultúsque erat venerabiliter in Ecclesia beatorum Apostolorum Petri & Pauli quam ipse dudum construxerat, qua multa fiebant ejus in oratione beneficia, & laudabatur ibi ab omnibus Domini JESU-CHRISTI, cui est cum æterno Patre & Spiritu-sancto virtus & honor, nomen, imperium & gloria per cuncta sæcula sæculorum, Amen[c].

XI. Moritur & in sua insula sepelitur.

Expletis verò annorum multorum curriculis, post obitum sancti viri eadem insula à rheumate maris attrita ac collapsa est. Translatum erat inde[d] à Fratribus S. Cœnobij Fontanellæ corpus sancti viri, & positum in Ecclesiam S. Apostoli Petri juxta Oratorium S. Martini ad plagam meridianam, scriptúmque Epitaphium hujuscemodi supra tumbam ejus:

XII. Insulâ subversâ corpus Fontanellâ transfertur.

EXstitit in Gallis meritis dignissimus olim
Cujus membra sacra hîc tumulata jacent;
Nomine CONDEDUS, virtutum flore coruscus,
Pro quibus in cælis nunc viget eximius.
Qui THEODERICO Francorum sceptra regente
Rura Britannorum transvena deseruit.
Gallorúmque adiit partes lux Christicolarum
Insula hunc Sequanæ quæ Belcinnaca vocatur
Curriculis multis pavit & hunc sepelit.
Cujus sacratos cineres post tempora longa
Egregio cultu turba sacrata tulit,
Fontanellensi tumulans in cespite pulchro,
Nunc ubi poscentes muneribus cumulat.

a Id est Sycomoros, quemadmodum Amos 7. versu 14. legitur.

b Ipso die in Monasterio Fontanella ab antiquis honoratur. Ejus obitum ad annum circa DC. XXCV. collocamus.

c Hinc conjicimus, caput duodecimum à posteriori Auctore adjectum fuisse: ex quo etiam Auctoris ætas utcumque intelligitur.

d Quo anno hæc Translatio facta sit, incertum. Eam constat ante annum M. L. factam esse. Nam in Appendice secunda Chron. Fontanell. To. 3. Spicil. Rotbertus Rotomagensium Archiepiscopus *SS. Confessorum* HEREMBERTI *Tolosani Pontificis & Eremitæ* CONDEDI *corpora uno in loculo* dicitur *reposuisse anno Dominicæ Incarn. millesimo vigesimo septimo Kalendis Iunij*: quo die hæc Translatio in Monasterio Fontanella celebratur.

Circ. An. DC.XXCVI. April. IX.

VITA S. WALDETRVDIS ABBAT. PRIMÆ CASTRILOCENSIS IN HANNONIA.

Ex apographo Compendienſi & ex Philippo *Bonæ-Spei Abbate, cui hæc lucubratio perperàm tribui videtur ex notandis infra ad cap.* 24.

PROLOGUS AUCTORIS.

SAnctorum venerabilia geſta ad excitationem viventium ſcripturæ tradi debere, antiquorum conſuetudo declarat, qui tot nobis volumina de his reliquerunt, ut numero comprehendi vix poſſint. Horum igitur exemplis provocatus & quorumdam religioſorum Fratrum ac Sororum caritate compulſus, hoc opus aggredi præſumpſi; prudentem quemque Lectorem ſupplex exorans, ut parcens ruſticitati ſcribentis, benevolus potiùs corrector quàm improbus cavillator exſiſtat: ſciens me magis intendiſſe qualiter rogantibus Fratribus Sororibúſque veritatem propoſitæ rei geſtæ lucidè panderem, quàm Grammaticorum regulas cuſtodirem.

INCIPIT VITA.

Cap. I. Miracula ac Vitæ Sanctorum utilia.

AD illuminandam viam vitæ æternæ omnibus fidelibus Chriſtianis Redemptor mundi poſt Adſcenſionem ſuam mittere dignatus eſt Apoſtolos, Apoſtolorúmque ſequaces electos, qui rectè vivendo, adverſa æquanimiter tolerando, viſibilia & temporalia contemnendo, inviſibilia autem & æterna appetendo, promiſſa æterni regni gaudia errantibus nuntiarent; &, ut ita dicam, ad hæc redire volentibus, gratia Spiritûs magna refulgente, inter errorum tenebras, aſtrorum more viam oſtenderent. Sed quia populus priori quidem tempore carnalis tunc erat, ſola hæc viſibilia eſſe exiſtimans, inviſibilia autem non appetens, quia nec eſſe ſuſpicabatur; Sanctorum exempla vel prædicatio ſola ad fidem inviſibilium ſufficere minimè quiverat. Addita ſunt ergo miracula ut fidem verbis declararet virtus oſtenſa. Ad hoc enim tunc viſibilia illa miracula coruſcabant, ut corda audientium ad fidem inviſibilium pertraherent: & per hoc quod mirum foris agebatur, hoc quod intus erat longè mirabiliùs ſentiretur. Nunc verò quia operante Deo numeroſitas Fidelium excrevit in mundo, illa corporalia miracula magna ex parte ceſſaverunt: non quòd deſint modò in Eccleſia qui vitam virtutum habeant, dum ſigna corporaliter non faciunt; ſed quòd hæc noſtris jam temporibus neceſſaria non ſint. Unde Apoſtolica vox ait: *Linguæ in ſignum ſunt, non fidelibus ſed infidelibus.* Fruſtra igitur miraculum foris agitur, ſi deſit quod intus operetur. Vita enim, & non ſigna, modò eſt quærenda. Vitæ enim veræ æſtimatio in virtute eſt operum, non in oſtenſione ſignorum. Verumtamen & hæc cùm fiunt, vitæ bonæ teſtimonium ferunt, & ad imitationem corda provocant proximorum. Unde indubitanter credimus ac ſtabili fide retinemus, deſiderantibus terrena negotia funditùs relinquere, ac lata & ſpatioſa hujus mundi itinera quæ ducunt ad perditionem deſerere volentibus, ſtrictam quoque & anguſtam noſtri Redemptoris viam quæ ducit ad vitam adire cupientibus, non mediocriter profuturum ſi de vita Sanctorum virorum ſeu feminarum, quæ in hac videlicet via duce gratiâ nos præceſſerunt, ſuíſque veſtigiis tritam reliquerunt, exempla proferantur, ut omne quod impoſ-

1. Cor. 14. 22.

sibile sibi credere poterant, tanto eis ad sperandum fiat facilius, quanto per hoc transisse jam & alios vident. Sæpe etenim corda torpentia ad amorem Dei & vitæ æternæ desiderium plus Sanctorum exempla quàm prædicamenta excitant: quia dum eorum opera vel miracula attendunt sublimia, ipsi in infimis turpiter jacere erubescunt. Unde Dominus dicit: *Videant opera vestra bona, & glorifi-cent Patrem vestrum qui in cælis est.* Mat 5.16.

CIRC. AN. DC.XXCVI. APRIL. IX.

II. Vvaldetrudis ortus ac parentes.

Igitur adjuvante gratia Christi de vita & conversatione & miraculis sanctæ ac beatissimæ WALDETRUDIS* Christi fumulæ quæ gesta sunt haud procul à nostris temporibus, juxta quod veracium testium qui hæc videre vel audire meruerunt, relatione certa vulgatum est, ad laudem Dei & ad ædificationem proximorum aliqua licet pauca de multis conabimur aperire scribendo[a]. Hæc itaque temporibus DAGOBERTI inclyti Regis Francorum clarissimis & valde nobilibus orta parentibus, ex Regali prosapia edita fuit. Cujus Pater WALBERTUS, mater verò BERTILIA dicebatur. Inerat enim illi soror, virgo scilicet sacratissima nomine ALDEGUNDIS, quæ vitam multis plenam virtutibus ducens, séque in continentiæ arce custodiens, multis annis Melbodiensi præfuit Monasterio. Exstat autem libellus de vita & conversatione illius editus*, in quo si quis nosse desiderat, quàm grata Deo & Angelis exstiterit, quámque cara hominibus fuerit, quantas & quales per eam Dominus ostendere dignatus est virtutes, facilè poterit reperire. Sed nos ad hoc quod proposuimus calamum revocemus.

* *Sainte Vvaudru*

* *ad an.* 684.

III. Vvaldetrudis viro alligata piè vivit.

Beata autem Waldetrudis adhuc adolescentula cùm in paterna domo nutriretur & nimiùm à suis diligeretur, visum est ejus parentibus, ut eam secundum antiquam Dei ordinationem & Patriarcharum exemplum ad nuptias viro tradere debuissent. Erat autem pulchra facie decoráque adspectu, sed pulchrior fide, pudicitia & castitate. Sed Domini Dei occulta dispositione, qui eam fidei suæ annulo subarrhaverat, & sociam ac coheredem supradictæ sorori suæ Aldegundi Virgini in æterni regni gloria fieri prædestinaverat, nec ipsâ carnis copulâ potuit immutari. Nam omnipotens Deus hanc ab ingressu mundi gratuito pietatis suæ munere citiùs retraxit, & amoris sui igne cor illius accendens, ab omnibus carnalibus illecebris & immoderato terrenarum rerum appetitu facilè temperavit. Mutato namque animo, cœperunt subitò vilescere quæ placebant, & quæ priùs delectabant animum, postmodùm fieri vehementer onerosa. Studebat inter hæc curas sæculi paullatim postponere, & solis desideriis inhiare æternis, substantiam suam pauperibus, orphanis, ac viduis, cum omni alacritate largiri, captivos redimere, hospites & peregrinos colligere, vitia quoque non solùm ab actu corporis, sed etiam à cogitatione cordis funditùs exstirpare.

IV. A conjugii nexu solvi cupit.

Interea suâ tantum salute minimè contenta, etiam jugalem suum, nobilem scilicet virum MADELGARIUM, ad amorem Dei & cælestis patriæ desiderium, ac castimoniam conservandam, blandis cotidie ac salutiferis sermonibus excitare curabat, & igne caritatis quo ipsa suaviter flagrabat, illius mentem accendere satagebat. Denique quia carnalis affectus intentionem mentis multùm diverberare, ejúsque aciem obscurare solet, cœpit ipsam carnis copulam valde perhorrescere: non quòd Dei munus ad propagandam sobolem hominibus concessum sperneret, sed quia scriptum noverat docente Apostolo: *Mulier innupta & virgo cogitat quæ Domini sunt, ut sit sancta corpore & spiritu; quæ autem nupta est cogitat quæ sunt mundi, quomodo placeat viro.* Ideóque soli Deo vacare desiderans, veluti quoddam impedimentum carnale pertimescebat, atque ut nutu Dei solveretur, & in se Domini voluntas fieret, cotidie cum lacrymis & gemitu exorabat. 1.Cor.7.34.

[a] Hîc multa de Sanctis contemporaneis inseruntur apud Philippum Abbatem: qui idcirco potiùs istius Vitæ interpolator quàm auctor forsitan dicendus est.

CIRC. AN. DC. XXCVI. APRIL. IX.

Sed omnipotens Deus, qui hæc occulta diſpoſitione in corde ancillæ ſuæ miſericorditer ſuggerebat, etiam ut fieret potenter adjuvit. Nam prædictus vir ejus Madelgarius divina inſpiratione compunctus & intimi amoris facibus accenſus, ſolutis vinculis conjugalibus, manente autem caritate, ad Monaſterium, cujus vocabulum eſt ALTUS-MONS, concitus perrexit, ibíque Monaſtico habitu ſuſcepto, in ſanctis actibus temporalem hujus vitæ peregit curſum *.

V. Viro ſuo Monacho facto,

* *de eo anno* 677.

Religioſa autem Chriſti famula Waldetrudis adhuc in ſæculari habitu poſita, vigorem tamen animi in nullo relaxans, propriæ domûs curam gerebat. Erat namque miſericordiæ actibus dedita, bonis operibus intenta, hoſpitalitati ſtudens, jejuniis & obſecrationibus ſerviens nocte ac die. Igitur omnipotens Deus qui novit omnem palmitem afferentem fructum excolere ut fructum plus afferat, famulam ſuam de acceptis muneribus fideliter miniſtrantem ad majora ſanctitatis lucra cæleſti viſione provocare dignatus eſt. Nam quadam nocte, cùm poſt laborem feſſa ad refocillandum corpuſculum lectulo membra dediſſet, mox ſopore depreſſa, vidit in ſomnis quaſi introiſſet in Baſilicam, quæ ſita eſt in villa, quam vulgus Buxutum [a] nominat. Et ecce apparuit illi vir ſanctiſſimus GAUGERICUS Epiſcopus nimio refulgens decore, eámque ſummo honore & reverentia ſuſcepit, dedítque illi per viſionem etiam calicem vino plenum. Quæ cùm bibiſſet, ſereno & hilari vultu dixit ad eam: Age quod agis; placent enim mihi valde quæ facis. Hac itaque viſione roborata, & (ut ita dicam) Divinæ gratiæ vino debriata, terrena faſtidire, & ad amorem cæleſtis patriæ vehementiùs flagrare cœpit, & quaſi deguſtatam paullulùm æternæ vitæ dulcedinem avidiùs appetere. Sed antiquus hoſtis unde bonos proficere dolet, inde malos ad deteriora rapere nequitiæ ſuæ artibus conatur. Nam omnipotentis Dei famula, cùm hanc viſionem quibuſdam ſuis confamulabus humiliter retuliſſet, atque ab eis, ut aſſolet, ad aures vulgi ignobilis perlata fuiſſet; ſtatim humani generis inimicus ſancto propoſito in ipſo ſui initio reſiſtere cupiens, hujus viſionis occaſione quorumdam corda reproborum invidiæ facibus accendit, atque ad inferendas illi detractiones, cavillationes, falsáque opprobria excitavit; &, ut ita dicam, contra Chriſti famulam pugnaturus, eorum ſe venenoſis armavit linguis. Unde ſcriptum eſt: *Filii hominum, dentes eorum arma & ſagittæ, & lingua eorum gladius acutus.* Sed omnipotens Deus famulæ ſuæ inter diabolicas inſidias titubanti velociter ſuccurrit.

a

Conſilio detecto turbatur.

Pſal. 56. 5.

VII. Ab Angelo confirmatur.

Nam cùm animus illius utpote adhuc rudis, hujuſmodi irriſionibus ac derogationibus fatigatus nimiùm turbaretur, ipsáque gravi mœrore depreſſa in lectulo decidiſſet; ſubitò in virili ſpecie Angelus cælitùs miſſus decore nimio refulgens apparuit. Qui comminùs adſiſtens, eámque familiariter alloquens, cauſas tanti inquirit mœroris. Cur, inquiens, tanti mœroris pondere gravaris? quare hilaritatem tuæ mentis triſtitiæ nubilo inordinatè confundis? Cui cùm illa reſpondiſſet quantas civibus ſuis derogationes, irriſiones, ac calumnias antiquo inſtigante adverſario pateretur, ſubjunxit Angelus dicens: Confortare & eſto robuſta contra obloquentes & calumniantes te, quoniam ſcriptum eſt: *Non coronabitur quis, niſi qui legitimè certaverit.* Non ergo magnopere curandum eſt de vanis verborum favillis, quæ citiùs accenſæ facilè reſtinguuntur. Hæc etenim patiebantur Prophetæ, Apoſtoli & Martyres qui fuerunt ante te. Unde & Dominus in Evangelio dicit: *Non eſt diſcipulus ſuper magiſtrum.* Et paullo poſt: *Si patremfamilias Beelzebub vocaverunt, quanto magis domeſticos ejus.* His igitur & hujuſmodi ſermocinationibus & ſcripturarum teſtimoniis confortata, inutilem triſtati cordis mœrorem, quem diabolica fraus ſuggerebat, ſpirituali gaudio ſuperveniente ſtatim repreſſit. O quàm dilectam ſibi hanc Dominus oſtendit, quam nec ad modicum contriſtari permiſit.

2. Tim. 2. 5.

Matth. 10. 28.

VIII. Interea erat quidam Sacerdos GISLENUS nomine, habitans in locis deſerti cir-

[a] Buxutum, *Boſſu*, vicus eſt proximus Cellæ S. Giſleni in Hennonia.

ca fluvium cujus vocabulum eſt Hagna, qui habitum Monachi quem prætendebat ſpecie, moribus demonſtrabat, quíque pro ſanctitatis ſuæ merito à cunctis qui hunc noſſe poterant valde colebatur. Hic itaque Divina monitus juſſione, ad prædictam Chriſti famulam Waldetrudem exhortationis gratiâ crebrò venire conſueverat, & verbi Dei pabulo illius mentem reficere curabat. Quam cùm vir Domini ab hujus mundi cupiditate frigeſcere, & cæleſti deſiderio accenſam, ſanctæ converſationis habitum quærere agnoviſſet, montem illi quemdam, qui nunc CASTRI-LOCUS [a] dicitur, deſignavit, & ut ſacro velamine accepto in eo ſibi cellulam ad omnipotenti Deo ſerviendum conſtrui faceret, ſollicita admonitione perſuaſit. Qui videlicet mons à prædicti viri Dei Giſleni Cellula quatuor ferè millibus diſtans, in ſuperiori parte deſerti ſitus erat. CIRC AN. DC XXCVI. APRIL. IX. Giſleno hortatore Monaſterium conſtruere mólitur, a

IX. Hildulfo prædium emente.

Beata autem Waldetrudis admonitionem viri Dei libenter gratantérque ſuſcipiens, non diſtulit opere perficere, quod ſibi per famulum ſuum omnipotens Deus dignatus eſt imperare; ſed ſtatim miſit ad quemdam illuſtrem virum HILDULFUM nomine, qui per idem tempus valde inclytus ac nobilis & ſecundum temporalem hujus ſæculi dignitatem potentiſſimus erat, & per conjugem ſuam eidem famulæ Chriſti propinquus exſtiterat. Hunc ergo ſollicitè poſtulavit, ut ſupradictum locum quem ſibi Divina clementia per famulum ſuum deſignaverat, á ſuis poſſeſſoribus dato pretio emere debuiſſet, illícque habitaculum ſibi ad Domino ſerviendum præparare non negaret. Cujus precibus mox ille libenter adquieſcens, locum quem Chriſti famula popoſcerat emere curavit, eíque in vertice montis ipſius, arbuſtis & vepribus radicitus abſciſis, domum ad habitandum magnâ paravit ſollertiâ.

X. Ædificia ſumptuoſa averſatur.

Nec ſilentio præterire debemus miraculum, quod omnipotens Deus ad oſtendendum quantam famulæ ſuæ curam gereret, in ipſo propoſiti tirocinio exhibuit. Nam cùm religioſiſſima Chriſti tiruncula ad domum ſibi præparatam acceſſiſſet, hanc latam & ſpatioſam atque ſublimem intuens oculis abhorruit, & ex ipſa ſui magnitudine oculis ejus valde diſplicuit; humili ſcilicet mente humile atque remotum ab adſpectibus humanis quærens habitaculum in terris, ut celſum atque ſublime inter frequentiam Angelorum mereretur habere in cælis. Mira res & vehementer ſtupenda mox ſecuta eſt. Nam recedente Chriſti famula, eadem nocte totius domûs fabrica ſubito turbine à fundamentis everſa eſt, ac longè divinitùs projecta. Tunc prædictus vir Hildulfus longè in ejuſdem montis latere, ei parvum & ſanctæ religioni congruum habitaculum ſimul & Oratorium in honore S. Petri Apoſtoli dedicatum, ubi ipſa illi deſignaverat, reſtruxit.

XI. Velatur à S. Autberto, & recluditur.

Interea dilectiſſima Chriſti famula Waldetrudis fervens ſpiritu & magis magíſque cæleſti deſiderio anhelans, juxta viri Dei Giſleni, cujus ſuperiùs mentionem fecimus, admonitionem ad beatiſſimum AUTBERTUM Epiſcopum acceſſit, & ut velamen ſacrum accipere mereretur petiit, & citiùs impetravit. Acceptis itaque ab eo ſanctimonialibus indumentis, ſtatim ſe ſuáque omnia Deo omnipotenti tradidit, atque in cellula quam ſibi conſtrui fecerat ſe recludit, ibíque eximiæ converſationis exempla circumquaque dedit. Erat enim morum gravitate, mentis ſobrietate, manſuetudinis lenitate, verborum moderatione incomparabiliter prædita; caritate autem erga Deum & proximum perfecta, curis pauperum ac peregrinorum provida, vigiliis quoque & orationibus ac jejuniis dedita. Studebat inter hæc toto mentis niſu cruciare carnem, voluntates proprias frangere, tumultúſque hominum devitare, & cotidianis ſe lacrymis in ara cordis Domino libare.

XII.

Quamobrem antiquus humani generis inimicus, qui ab initio bonis operibus

a Anonymus Giſlenianus qui Vitam S. Aldegundis ſcripſit, locum ita vocatum aſſerit, *quia ibi quondam Romanus exercitus caſtra locaverat.* Poſtea locus accrevit in opidum inſigne, quod Montes Hannoniæ, vulgò *Monts en Hainau* appellatur, éſtque totius Hannoniæ caput. Monaſterium Sanctimonialium Caſtrilocenſium ſeu Montenſium pridem converſum eſt in collegium nobilium Canonicarum, cujus Abbas & Advocatus perpetuus eſt Hannoniæ Comes.

CIRC. AN. DC. XCVI. APRIL. IX.

resistere contendit, invidiæ facibus accensus, contra hanc totis viribus se in tentationem erexit. Denique quia publicum bellum se doluit perdidisse, ad occulta sese certamina iterum reparavit. Cœpit namque de fide & spe, quæ est in Christo JESU, tentatione subdola mentem illius improbè pulsare, cogitationes quoque varias & illicitas cordi ejus importunè ingerere. Et primò quidem immittens ei memoriam possessionum, generis nobilitatem, familiæ defensionem, amorem rerum, superfluam sæculi gloriam, escæ variam delectationem, & reliqua vitæ remissioris blandimenta, dehinc virtutis arduum finem, & maximum perveniendi laborem, necnon corporis fragilitatem, ætatis spatia prolixa. His igitur & hujuscemodi tentationibus maximam ei cogitationum caliginem suscitabat, tentans si quo modo posset hanc à proposito sancto avocare. Sed valida omnipotentis Dei manus, hæc pestifera Diaboli molimina facilè destruxit.

Diaboli varias tentationes superat.

XIII. Eumdem fugat.

Respectu namque Divinæ gratiæ ad seipsam citiùs rediit, & inter catervas Satanæ se in acie stare deprehendens ad sua mox arma cucurrit. Nam se se protinus in lamentum dedit, cum gemitu & lacrymis Dominum exorans, ut in hujusmodi certamine ne succumberet sibi solatium dignaretur largiri. Cúmque die noctúque crebris & prolixioribus à Domino precibus remedium flagitaret, contigit aliquando ut hac de causa in oratione pernoctaret. Et ecce subitò idem antiquus hostis in effigie hominis quasi insultans illi apparuit, extendénsque manum super pectus ejus posuit. At illa, cùm Christi nomen celeriter invocasset, statim hostis fugam petiit. Quem illa intrepida, Angelico videlicet roborata suffragio, huc illúcque fugitantem cum vituperationibus & dignis opprobriis audacter persequebatur. Bene, inquiens, tibi contigit, miser; bene tibi contigit. Tu es ille qui dicebas in corde tuo; *Super astra cæli exaltabo solium meum, similis ero Altissimo*; ecce propter superbiam tuam à sede cæli pulsus in tartarea morte, ut dignus es, à femina persequeris, & locum quem tu superbus perdidisti, Christus humilis humano generi suo sanguine redempto reparavit. His auditis dejectionem suam hostis erubescens, mox quasi fumus evanuit, mentémque famulæ Christi hac tentatione fatigare ulteriùs non præsumpsit; & cui volens certamina intulit, virtute omnipotentis Dei compulsus est, occasiones victoriæ invitus ministrare.

Isa. 14. 13.

XIV. Socias ad se trahit.

Recedente igitur tentatione, Waldetrudis spinis erutis velut exculta terra uberiùs fructum dedit. Nam cùm eximiæ conversationis illius fama longè latéque crebresceret, cœperunt nonnullæ nobilioris generis feminæ ad ejus magisterium concurrere, & Domino dedicata castitate [a] servire. Libera namque à tentatione, jure facta est magistra virtutum.

a

XV. Locum angustum & tenuem sororis suasu deserere recusat.

Soror quoque ejus, Virgo scilicet sanctissima ALDEGUNDIS, cujus superiùs mentionem fecimus, visitationis gratiâ ex Monasterio suo certissimis diebus ad eam venire consueverat, ut dulcia sibi invicem vitæ verba transfunderent, & suavem cibum cælestis patriæ, quia adhuc perfectè gaudendo non poterant, saltim suspirando gustarent. Quæ cùm loci parvitatem cerneret, paucáque adhuc Sanctimoniales in obsequio sororis inesse videret, humano pulsata affectu, quasi compatiens paupertati illius, monuit ut locum illum desereret, & ad suum Monasterium properaret. Sed omnipotentis Dei famula plus appetens laboribus pro Deo fatigari, quàm transitoriis hujus vitæ honoribus perfrui, nullatenus consensit. Sic quoque metuebat paupertatis suæ securitatem perdere, sicut avari divites solent divitias perituras custodire.

XVI. Basilicæ ostia sponte reserata videt.

Nec prætereundum est quod omnipotens Deus erga famulas suas ostendere dignatus est miraculum. Quadam namque die cùm ex more ad æternæ vitæ colloquia perfruenda in invicem convenissent, repentè causa exstitit, ob quam pro

a Votum ergo castitatis emittebant, nec sæculi repetendi libertatem retinebant Sanctimoniales Castrilocenses, quas ab initio ante Normannorum cladem Benedictinis parvisse institutis censet Franciscus Vinchantius in Annal. Hannon. cap. 13. Lege Præfationem huic sæculo præfixam.

utilitate Monaſterii paullulùm extra clauſtra procedere cogebantur. Euntes itaque & omnibus, pro quibus ierant, ritè diſpoſitis, cùm ſubitò ad Monaſterium rediiſſent, abſente Oſtiariâ omnia oſtia clauſa & ſeris præmunita repererunt. Sed mira res mox contigit: nam ut famulæ Chriſti ad aditum Baſilicæ pervenerunt, ſtatim oſtia divinitùs concuſſa ita ſumma celeritate patuerunt, acſi orationem earum impedire perhorreſcerent. CIRC. AN. DC. XXCVI. APRIL. IX.

Dehinc venerabilis Chriſti famula Waldetrudis relictis mundi illecebris, cæleſtis Regis ſervituti non renuit humiliter ſubdi, denuò ad contemplationem cæleſtium civium meruit ſublimiter attolli. Nam rurſus vidit in ſpiritu virum de cælo deſcendere. Et cùm Angelicam poteſtatem eſſe per ſpiritum agnoviſſet, ſtatim tremefacta, quid de ſe vel germana ſua in Divino examine diſpoſitum eſſet percunctari ſtuduit, & an Divini reſpectus gratiam aliquantulùm mererentur ab eo humiliter ſciſcitari curavit. Quam Angelus blandè confortans edocuit, quòd ſemper ſuper eas Dominus ſereno pietatis ſuæ intuitu reſpiceret, ſicut ipſe per Prophetam ait: *Ad quem reſpiciam niſi ad humilem & quietum & trementem ſermones meos?* Unde Pſalmiſta ait: *Oculi Domini ſuper juſtos, & aures ejus in preces eorum.* XVII. Angelica conſolatione honoratur. *Iſa. 66. 2.* *Pſal. 32. 18.*

Poſthæc fuit ei divinitùs revelatum, quòd ipſa & germana ſua, beata ſcilicet Aldegundis, unam manſionem & eamdem beatitudinem in regno Dei pro merito laboris eſſent habituræ. Ad quam videlicet manſionem perveniunt alii ſic, alii autem ſic. His Divinis revelationibus omnipotentis Dei famula inſtructa, non inani jactantiâ mentem in ſuperbiam elevat, ſed ſeſe in arce humilitatis cuſtodiens, tanto pòſt devotior ad referendas Creatori ſuo gratias exſtitit, quanto erga ſe ejus beneficia majora cognovit. Et facta eſt eò inſtantior in bono opere, quò certior de promiſſione. Interea omnipotens Deus famulam ſuam diutiùs intra ſeipſam latêre noluit, ſed quanti eſſet apud ſe meriti ſignis ac miraculis dignatus eſt declarare, ut poſita ſuper candelabrum lucerna clareſceret, quatinus omnibus qui in domo Dei ſunt luceret. De qua pauca virtutum bona, quæ ad memoriam redeunt, narrabimus, ut ex his paucis valeant ejus multa penſari. XVIII. De ſua ac ſororis gloria fit certior. Miraculis clareſcit.

Igitur cùm die noctúque in lege Dei meditaretur, & ardenter quæreret, qualiter ſibi lucra pietatis augere potuiſſet; occurrit animo ut aliquos captivos redimere debuiſſet. Vocato itaque uno puero ex miniſtris ſuis, tulit pecuniam de qua ipſos captivos redimere cogitabat, & in ſtateram poſuit, ut cognoſcere poſſet, an ſufficeret ad hoc quod volebat. Sed ſicut ſcriptum eſt, *Omni habenti dabitur & abundabit*, cœpit ipſa pecunia in ſtatera poſita miro modo creſcere & præponderare. Quod cùm tremebundus puer adſpiceret, valde admiratus eſt. Cui illa ſtatim terribiliter præcepit dicens, ut dum ipſa in corpore viveret, hoc miraculum nulli indicaret, videlicet pertimeſcens ne in virtute facti humano pulſata favore, inde intus inaneſceret, unde foris hominibus magna appareret: exemplum etiam Magiſtri ſequens, qui ut nos ad viam humilitatis inſtrueret, de ſeipſo Diſcipulis præcepit dicens, ut ea quæ vidiſſent nemini dicerent, quouſque à mortuis reſurgeret. XIX. Pecunia in captivos expendenda augetur. *Luc. 19. 29.*

Alio quoque tempore cùm prædicta Chriſti famula Waldetrudis ad refectionem decubuiſſet, una ex puellis cellarium ex more ingreſſa vaſculum implevit potu, ut Chriſti famulæ prandenti deportaret. Sed cùm incautè ambulans rediret, ſubitò pes ejus lapſus eſt. Quæ cum ipſo vaſculo corruens cecidit, & potum omnem, quem gerebat, in terram fudit. Surgens autem tremefacta ad cellarium redire cogitabat, ut vaſculum iterum repleret. Sed cùm repente oculos ad vaſculum revocaſſet, ita in manu ſua plenum invenit, acſi ex eo nec gutta quidem cecidiſſet. XX. Liquor effuſus divinitùs colligitur.

Poſthæc quidam homo cùm quadam ægritudine nimiùm fatigaretur, diúque jaceret afflictus, contigit ut quadam die in mentis exceſſu deveniret, & ecce vidit quaſi à dæmonibus traheretur. Cúmque nimia vociferatione ad B. Aldegundem ac ſororem ejus ſanctam Waldetrudem clamaret, ut earum meritis & XXI. Infirmus ſanatur.

CIRC. AN. DC. XXCVI. APRIL. IX.

orationibus adjuvaretur, repentè de manibus eorum ereptus conticuit, & voces nullas insaniens emisit. Tunc his qui aderant magnopere suggessit, ut ante præsentiam Christi famulæ Waldetrudis deportari debuisset. Quod cùm impetrasset, atque positus in cathedra ante eam delatus fuisset; mox Christi famula ut eum nimia macie & defectione afflictum vidit, misericordiâ mota manus in orationem extendens super caput ejus posuit, & signo crucis edito, omnem languorem, quo detinebatur, protinus fugavit, ita ut sanitati pristinæ restitutus, de cathedra qua illic evectus est, surgeret & ambularet, cibúmque e solito more sumeret, quia jam per triginta dies, ut asserebant hi qui hunc devexerant, nullum omnino cibum ore tetigerat.

XXII. Item infans.

Die autem dehinc quarta, mulier quædam cum filio suo parvulo gravi ægritudine oppressa venit ad eam, magnísque precibus ab ea deposcens, ut ægrotantem filium manu sua tangere dignaretur. Christi autem famula, ut erat misericordissima, doloribus compatiens maternis adsensum præbuit, manúsque super semivivum humiliter posuit puerum. Qui statim convaluit, cibum potúmque de ejus mensa accepit, & materna solito more suxit ubera, cùm jam transactis quatuor diebus nullum cibum ore tetigisset.

XXIII. Puer semianimis vitæ restituitur.

Dehinc oblatus est ei alter puer parvulus jam semivivus, & necdum Baptismatis undâ perfusus: pro quo genitrix obnixis implorabat precibus, ut ejus meritis saltim ad Baptismi gratiam vivus pervenire mereretur. Cui mox Christi famula Divino auxilio freta manus imposuit: & cùm signum Crucis capiti ipsius impressisset, ilicò omne pueri corpusculum miro modo contremuit, & vocem emisit, oculósque, quos antè clausos habebat, aperuit, & ex illa hora sanus effectus, & posthæc Sacerdos ordinatus, usque ad senectutem in vita perseveravit.

XXIV. Alia omissa.

Sunt & alia multa virtutum opera ab ea mirabiliter gesta, quæ partim depereunte memoria oblivione narrare nequivimus, partim compendio brevitatis transcribere negleximus, ne prolixa scilicet lectio fastidium gigneret; cùm possint legentibus hæc pauca quæ diximus, & quæ cotidie ad sacratissimas illius Reliquias fieri cernimus [a], ad testimonium Vitæ ejus abundè sufficere. Quid enim opus est de vita illius multa narrare, cùm nuncusque ad corpus ejus tot virtutum documenta teneamus? Cæcis quippe lumen reddere, claudis gressum restituere, ægros curare, quoties ex fide petitur, ut vivens consueverat, hoc indesinenter facere & apud mortua sua ossa perseverat. Non est mirum si in vita sua multa facere mirabiliter potuit, cujus ossa mortua in tot miraculis adhuc vivunt.

XXV. *b* Vvaldetrudis obit.

Obiit autem beata Waldetrudis quinto Idus Aprilis [b], susceptа ab Angelis,

a Ex hoc loco & ex Prologo conjicimus, hunc Auctorem fuisse domesticum: proinde alium esse à Philippo Bonæ Spei Abbate. Certè Auctor in Prologo scribit, se *religiosorum Fratrum ac Sororum caritate compulsum* fuisse ad id operis. Quibus verbis Philippus non usurus fuisset: & quamvis intra Hannoniæ fines prope Binchium cõsistens, remotior tamen erat, quàm ut miracula *quæ cotidie ad sacratissimas Vvaldetrudis Reliquias* fiebant, propriis oculis cerneret, uti Auctor hîc de seipso tradit.

b Quo anno decesserit S. Vvaldetrudis, haud facile est definire. Supervixit sorori Aldegundi quæ quinto die ante obitum ipsi apparuit. Anno proinde circà DC. XXCVI. ejus obitum reponimus. Curtisolræ corpus ejus fuisse sepultum probat Franciscus Vinchantius in Annal. Hannon. cap. 15. ac deinde sæculo insequenti in Cœnobium Castrilocense seu Montense translatũ. *Antiphonas super matutinales laudes in transitu S. Vvaldetrudis* Olbertus Abbas Gemelacensis composuisse dicitur. Baldericus Episcopus Noviomagensis Chron. lib. 2. c. 36. agit de S. Valdetrude, & l. 3. c. 8. *Iuxta Castrum-montem*, inquit, *fonticulus est per multos annos ab incolis S. Vvaldetrudis veneratione servatus, ubi infirmi perfusi sospitatem meritis sanctæ Virginis* (id est Sanctimonialis, nam alioqui Vvaldetrudis plures liberos tulit) *recuperare feruntur. Vbi cùm eo tempore* (nempe anno M. XI. teste Sigeberto) *quædam femina pergeret pro infirmitate lavatum, reperit quasi recenti cruore respersum, & dum lavaretur, visa est facie sanguinolenta. Quo prodigio domnus Episcopus bella immanere prædixit, quod ita ipsa res postea indicavit.* Hic fons (notat Colvenerius) etiamnum exstat in magna silva Montensi, à dextris viæ qua Bruxellam itur, uno prope milliari ab urbe in pago cui nomen Castrum: neque hodie sine veneratione est. Natalem S. Vvaldetrudis v. Idus Aprilis celebrant Montenses, Translationem III. Nonas Februarii. Ejus Reliquiæ in propria Ecclesia Montensi adservantur. Caput à reliquo corpore sejunctum est sollemni pompa *crastino Octavarum S. Laurentii anno* M. CC. L. uti Miræus in Fastis adnotavit. In Martyrol. Bened. *prid. Idus Augusti* Translatio S. Vvaldetrudis memoratur: quo die à Johanne Laubiensi, Philippo Cellensi, Ægidio San-Dionysiano Abbatibus, jussu Petri de Mirapico Cameracensis Episcopi, in novam thecam anno M. CCC. XIII. Vvaldetrudis corpus translatum fuisse docet Vinchantius. Cur verò in Martyrol. Bened. alia ejus Translatio IV. Non Novemb. notatur, nobis latet.

deducta

deducta in cæleſtibus habitaculis, vivit cum Chriſto, gaudet cum Patriarchis & Prophetis, exſultat cum Apoſtolis, triumphat cum Martyribus, æquata Virginibus, ſociata Confeſſoribus. Hanc ergo nos quibus poſſumus precibus & laudibus proſequamur, orantes ut noſtri memor eſſe dignetur, ut nobis ille tribuat indulgentiam peccatorum, qui huic omnium laborum ſuorum præmium largiter reddidit, cui eſt honor & gloria, laus & poteſtas cum Patre & Spiritu-ſancto in ſæcula ſæculorum, Amen.

VITA S. LANDELINI ABB. PRIMI CRISPINIENSIS IN HANNONIA.

CIRC. AN. DC. XXCVI. JUNII XV.

A Surio expolita, ad apographum Bibliothecæ S. Cornelii Compend. reſtituta, alia ab ea quam PHILIPPUS *Bonæ-Spei Abbas compoſuit.*

PROLOGUS AUCTORIS.

BENIGNITAS noſtri Salvatoris ſemper adeſt parata in ſalutem eorum quos prædeſtinavit ad capeſcenda futuræ præmia vitæ: & ſicut ipſe in Evangelio ſpiritualiter docuit quoſdam mane, quoſdam horâ tertiâ, quoſdam ſextâ & nonâ, quoſdam etiam undecimâ ad excolendam vineam ſuam convocat: quia quibuſdam in infantia, quibuſdam in juventute & adoleſcentia, aliquibus in ſenectute ſpiritualis adſumere ſationis concedit laborem. Nec difficile eſt manu ipſius inveteratos mores ſcelerum corrigere, qui etiam Leviathan dentibus abſorptos armillâ ſuæ miſericordiæ revocavit ad vitâ, & ad percipiendam ſuæ bonitatis fiduciam eos ipſos quos taliter dentibus ejus excuſſit, participes in cæleſti curia adſcivit. Ex his enim ſcimus eſſe Prophetas, ex his quammaximè conſtat judex ille Apoſtolorum numerus, ex his Martyrum triumphalis exercitus, ex his inſignis Confeſſorum numerus ac Monachorum mirabiliter conſiſtit ornatus. De quorum collegio etiam S. LANDELINUM eſſe conſtat, de cujus vita ego pauperculus ingenio non ſine magno timore aliquantulùm proloqui præſumo: ſed potens eſt Deus os meum ad propalanda ſervi ſui magnalia aperire, qui os aſinæ ad increpationem reſeravit Prophetæ. Itaque ex his quæ mihi veridicorum narratione comperta ſunt, aliqua incipiam enarrare. *Num. 22.* Auctoris fides.

INCIPIT VITA.

GLORIOSUS igitur & acceptabilis Deo LANDELINUS ex progenie celſa Francorum ac nobiliſſima in pago Cameracenſi & in villa quæ vocatur Vallis, temporibus DAGOBERTI inclyti Regis exſtitit oriundus. Cúmque bonæ indolis puerulus primis adoleſcere inciperet annis, genitores ipſius eum B. AUDBERTO Pontifici qui eum de ſacro fonte ſuſceperat, litteris imbuendum commendare ſtuduerunt. Cúmque jam ad juvenilem veniſſet ætatem, voluit eum ſupradictus Pontifex ad Clericatûs officium conſorare. Quod audientes quidam ex cognatis ejus, venientes cœperunt eum ab amore cæleſtium ſuis perſuaſionibus revocare, dicentes: O quanta pulchritudo juventutis! perſuadetur mundo renuntiare? ne quæſumus, Frater, ita agas: quia ſi ita egeris, neſcimus ſi tibi aut tuis parentibus in nullo penitùs utilis eris. Melius eſt ergo, Frater cariſſime, ut nobis conſentiens relinquas Monaſterium & nobiſcum pergens utaris ſæculo & deliciis ejus, quàm velut mortuus hîc quieſcas. Nam ſi nobiſcum pergas, dabimus tibi omnia quæ libuerint animo tuo, & faciemus te divitiis affluere & honore. Hæc & his ſimilia revolventes perſuaſerunt ei, ac fugam iniens diſceſſit à S. Audberto, ac ſi- CAP. I. Landelinus nobilis à S. Autberto inſtitutus, ſeductus à ſuis vivit flagitioſiſſimè.

CIRC AN. DC. XXCVI. JUNII XV.

mul cum eis pergens more latronum vivebat rapinis & cædibus occupatus.

II. Nomen ſuum mutat.

Pro quo pius Pater Audbertus mærore confectus lugebat eum velut mortuum, & revera mortuus erat, quia diabolo ſerviebat. Orabat tamen S. Pontifex aſſidue Dominum ut libertatem redderet captivato, vitam mortuo, medelam tribueret diabolico vulnere ſauciato. Quid plura? maleſana mens quod iniquè cœperat, perficere laborabat, noménque ſuum mutans, appellari ſe MAUROSUM* jubet, neſcilicet indicio inveniretur nominis, qui perditionis ſe occultarat latebris. Interea multis diebus in hoc nefario opere perdurans ſerviebat diabolo, qui fugitivus exſtiterat Chriſto. Tandem Divina potentia precibus B. Audberti Pontificis invocata affuit, & ſolito more ac inolita benignitate erroneum filium diſpoſuit reddere ſanctæ Matri Eccleſiæ. Accidit igitur ut cujuſdam divitis domum diripere cum ſuis complicibus ſolito more feſtinaret. Cúmque adeſſet nox in qua tam nefarium opus perficere feſtinabant, accidit Dei diſpoſitione, ut quidam de ſodalibus ejus morte deprehenſus ſpiritum exhalaret. Interea Mauroſus dolore ſodalis ſui vehementer afflictus cùm ſe dediſſet quieti, vidit miſeri illius animam à dæmonibus ad infernum deduci. Cúmque hoc cum ingenti tremore adſpiceret, adſtitit Angelus Domini, trementíque & terribiliter infit: O Landeline, modò reſpice remunerationem tui laboris cum quali pœna tui ſocii anima deducatur ad inferni loca. Vide ergo quod tibi melius ſit, cum tali tormento deduci in barathrum gehennæ, an nobiſcum perfrui cæleſti manſione. Derelinque igitur opera diaboli, & adſume militiam Chriſti: abſcide à te tenebroſi cordis cæcitatem, quò poſſis intueri clariſſimum lumen. Refuge jam tunc hoſtis antiqui ſervitutem, quò poſſis cum Chriſto regnare poſt mortem. Audi ergo B. Audbertum Antiſtitem, & recognoſce tuum eſſe ſpiritualem patrem. Suſcipe ab ore ejus monita cæleſtis doctrinæ. Hæc verò aliáque multa eum edocens ſupernus ille Angelicus ſpiritus cælos petiit.

* *Sic Mſſ. codd. al.* Moroſus

Sodalis interitu & Angelico monitu reſipiſcit.

III. Audberti juſſu ſecedit in Monaſterium.

Exſurgens ergo Landelinus viſu valde conterritus relinquens ſodales ſuos omniáque ſua, pedibus ſuis maturavit ire Cameracum, ubi ſanctum noverat eſſe Audbertum, & pedibus ejus proſtratus pœnitentiam ſibi rogat dari retroactorum ſcelerum. At pius Pater ejus votis congaudens ſuſcepit eum pœnitentem, quem diu fleverat à ſe recedentem, ſinúmque ei Divinæ miſericordiæ aperiens, reddidit eum ſanctæ Matri Eccleſiæ. Itaque ſub ſæculari habitu degens in Monaſterio agebat præteritorum pœnitentiam criminum, macerans corpus jejuniis quod ſæculi maculaverat illecebris. Diuturnâ igitur excoctus pœnitentiâ, deſtinavit ad purum relinquere ſæculi negotia, ut pleniùs meditaretur cæleſtia. Petiit denique ſupradictum Antiſtitem, ut ab eo perciperet capitis tonſuram militiæque cæleſtis adſumeret chlamydem: ad quod gaudens ſanctiſſimus Præſul abſcidit ejus comam capitis, à quo jamdudum depoſuerat maculas cordis.

IV. Romam petit.

Adeptus denique hanc dignitatis gloriam, deſtinavit ire Romam: ut qui jam dimiſerat ſæculi pompam, peregrinationis quoque mercaretur coronam. Cum benedictione igitur pii Patris profectus Audberti, ſqualida adſumens itinera, tandem Romam pervenit, quo noverat corpore quieſcere Judices ſæculi. Prædulcia ergo in eorum liminibus figens oſcula, orabat ad purum ſua mundari crimina. Perfecto autem deſiderio celeriter Galliam rediit, diu nolens abeſſe à ſuo patrono. Tum vir Domini Audbertus ſanctitatis in eo conſiderans vigere virtutem, promovit eum ad Diaconatûs ordinationem: ad quod ita apparuit aptus, ut liquidò clareſceret omnibus, quia Dei gratia ad hoc fuerat electus. Erat enim animo benignus, ſimplex, humilis ac devotus, obedientiam cunctis impendens, omnéſque puro affectu diligens. Tantum etiam ardorem & cordis compunctionem ei Dominus largitus eſt, ut vitâ bonorum Cœnobitarum non eſſet contentus, ſed magis ſemetipſum erigens in Dei famulatum, & cum gemitu & lacrymis in afflictione vigiliarum, jejuniorum & orationum frequenter poſitus nullo modo dabat ſuo corpori requiem, inediis, nuditate, frigore, ſiti ac multis tribulationibus ſeipſum macerans.

Inde reverſus ordinatur Diaconus.

Paucis autem tranſactis diebus iterùm ſecundò Romam adiit: votáque optata complens ac feliciter remeans, à B. Audberto Epiſcopo Preſbyterii ſuſcepit officium. Sublimatus verò in hujus apicem honoris, enarrari non poteſt quantum excreverit culmine ſanctitatis. Iterum ergo augmentare ſibi labores cupiens quamvis defeſſus jam eſſet corpore, rurſus Romam adiit cum duobus diſcipulis ADELENO videlicet & DOMITIANO, qui ei jamdudum in prædicatione verbi Dei adhæſerant: & Apoſtolorum limina adoranda expetiit, felicitérque ad propria remeavit. Cúmque igitur in pace reverſus fuiſſet, licentiâ cum benedictione acceptâ à B. Pontifice Audberto, profectus eſt in pagum nuncupatum *Hainau*, in locum ſuper fluvium Sambram ſitum, qui ex nomine rivuli decurrentis in præfatum flumen vocatur LAUBACUS[a], & ibi conſtruxit ſibi & diſcipulis ſuis Monaſteriales habitationes: & quod ille Deo annuente fideliter cœpit, poſtmodùm à ſucceſſoribus qui per ejus miniſterium in loco eodem aggregati ſunt, feliciter eſt peractum. Conſtruxit etiam aliud Monaſterium in pago Sambreo nomine ALNEO, diſcretum à Laubaco tribus juxta Sambram millibus, quod fulget Principis Apoſtolorum ſacris pigneribus ac munitur præclaris ejus virtutibus. Tertium quoque ædificavit Cœnobium in Templutenſi pago GUASLARIS[b] dictum, diſparatum octo millibus à Laubiis primitivo ſuo Monaſterio, quod ut ſuperiora Clavigeri Regis ſuperni, ſancti ſcilicet Petri, conſecrari fecit nomine atque ſanctitate. Horum quidem duorum magnis ditavit commerciis habitacula, ſed Laubias Regiis honoravit muneribus, ac villarum famulorúmque inedicibili replevit copia. Quidquid etiam piorum Regum munificentia paſſim per Francorum adquiſivit Regna, præfato Laubienſi Cœnobio delegavit, ut veneranda Fratrum Congregatio ibidem Deo ſerviens non egeret, híſque Monachis ferunter eſſe congruentia.

CIRC. AN. DC. XXCVI. JUNII XV.

V. Romam iterum ac tertiò Presbyter proficiſcitur.

a Monaſteria tria ædificat.

b

His ita geſtis ac præſcriptis locis honorificè ſtructis, Fratribúſque illic Chriſto militantibus victibus neceſſariis affatim attributis, Dei omnipotentis ut credimus inſtinctu ac proviſione commigravit ad alium locum[c], qui eſt ſitus ſuper fluvium *Hon*, adjacétque ei ſilva nuncupata Ambidgis, ibíque cum duobus diſcipulis ſuis Adeleno ſcilicet & Domitiano exſtirpare cœpit adjacentia virgulta, & ibidem quoque ſibi ac ſuis conſtruere dignum habitationis locellum. Quo quidem tempore (mirum dicturus ſum) cùm inſtanter laborarent, & ut ſolet fieri cappæ eorum ſuper arboris truncum jacerent poſitæ, contigit ut ſuperveniens dominus loci illius ſilvámque ſuam eos exſtirpantes inveniens, cappas eorum quaſi pro vadio auferens abire inciperet. Sed mira omnipotentis clementia adeſt ſtatim invocata. Nam dum iſdem homo greſſum verteret abeundi, mox omnibus membris ſtupefactus & vélut in ſpecie mortis deprehenſus, in ſua pœna ſenſit, quod non rectè circa ſervos ageret Dei. Provolutus ergo corum pedibus, rogat ſibi veniam dari commiſſi ſceleris, cappáſque ſuas ut reciperent magnis cœpit vocibus expoſtulare, ſimúlque vovens quod ejuſdem ſilvæ medium Deo per manus traderet Sancti, ſi ei pius Dominus quod iniquè egerat donare di-

VI. Criſpinienſem Cellam ædificat.

c

a Laubacus ſeu Lobacus, ita dictus ſive à Laubaco rivulo præterfluente, ſive à *Lo* quæ vox *obumbrationem*, & *Bach* quæ *rivum* Teutonicè ſignificat teſte Fulcuino Abbate in lib. de Geſtis Abb. Lobienſ. cap. 1. vicinam habet villam quondam Regiam *Liptinas* dictam, noménque dedit celebri Abbatiæ Laubienſi *Lobbes*, quam SS. URSMARUS, ERMINUS, VVLGISUS & THEODULFUS Sæculo octavo, RATHERIUS Veronenſis Epiſcopus & FOLQUINUS Abbas Chronici Auctor anno CM. XC. mortuus Sæculo decimo; HERIGERUS & OLBERTUS Abbates viri docti Sæculo undecimo, & alii illuſtrârunt. Perſtat hucuſque idem Cœnobium Ordini ac Regulæ Benedictinæ addictum: ſitum in diœceſi Cameracenſi, ſed in ditione Leodicenſi. Lege Fulcuini Chronicon Tomo 6. Spicilegii Acheriani.

b Baldericus Epiſcopus Noviomagenſis in Chron. Camerac. lib. 2. cap. 33. primordia Cœnobii Vvaſlerenſis Landelino etiam tribuit. Et tamen Fulcuinus in lib de geſtis Abb. Laub cap. 4. Alnenſe ac Vvaſlerenſe Monaſteria à S. Urſmaro conſtructa fuiſſe aſſerit. Eſt autem Alna hodie Cœnobium Ordinis Ciſterc. ad Sabim fluvium, uno milliari à Laubiis diſtans: Vvaſlerenſe verò in ſilva Fania *prope Teroaciam* ſitum, à fluvio Vvaſlero præterfluente ita dictum, modò everſum jacet. Huic Monaſterio Landelinus teſte Balderico in Chron. lib. 2. c. 33. præfecerat S. Dodonem, de quo aliàs.

c Balduinus in Chron. lib. 2. cap. 37. nonnulla addit huc attinentia. *Seceſſurus*, inquit, *eo loci præfecit beatum virum* URSMARUM *piis moribus præditum, in functoria tantùm prædicatione ſacratum Epiſcopum*, &c. quod etiam in Vita S. Autberti per Fulbertum Epiſcopum dicitur. Lege Vitam S. Urſmari Sæculo inſequenti.

CIRC. AN. DC XXCVI. JUNII XV.

gnaretur. Mox mirum in modum à B. Landelino priſtinæ ſanitati redditus, Divinâque prædicatione edoctus, ad propria eſt cum pace dimiſſus. Vir autem Domini gratias agens quòd ſibi adeſſet ubique miſericordia Conditoris, conſtruxit ibidem Oratoriolum in honore B. Martini Epiſcopi, & illic cum ſupradictis diſcipulis hymnis Divinis orationibúſque vacans, benignitatem cotidie poſtulabat Domini.

VII. Illic fontem cælitùs obtinet.

Quadam etiam die S. Sacerdos Dei Landelinus omnia circumquaque luſtrans loca, reperit ibidem fontem deeſſe, quo Fratres aquam ſuis uſibus haurire debuiſſent. Facta autem oratione, baculo ſuo ictu terram percuſſit uno, ſtatímque fons miræ profunditatis atque ſuavitatis ebullivit, qui criſpantibus undis decurrere cœpit. Ilico ob rem quæ accidit, locum illum CRISPINIUM nominavit. Cœperunt igitur tunc nonnulli audita ejus ſanctitate è diverſis partibus catervatim ad ipſum confluere, adunatáque eſt populi non minima multitudo in eodem loco. At vir Deo plenus multitudini miſceri nolens, ſolitudinem præ omnibus ſæculi rebus caram habens, ne ſcilicet multorum actiones ſuæ mentis ab ſtatu rectitudinis hebetarent obtutum, non longè à loco eodem ſecedens, ſequeſtrata manſione ſemoratur. In eo autem loco ubi fluvius in ſeſe fontis Criſpinii colligit ſinum, in honore S. Petri Apoſtolorum Principis condens Eccleſiam, inter ipſos, ut ita dicam, ſupernos Angelorum choros, etſi necdum viſione carnis, mentis tamen contemplatione converſabatur, dicere valens cum Apoſtolo Paulo: *Philip. 3.* *Noſtra converſatio in cælis eſt.*

VIII. Adelenum Criſpinio, Domitianum Laubiis præficit.

Viſum præterea eſt B. Landelino, ut ſupradictos ſuos diſcipulos, Adelenum ac Domitianum, diſcretis manſionibus abſentare deberet, quatinus & ipſi per Divini verbi miniſterium lucrum animarum Domino ſuis unuſquiſque in locis omni die augmentarent, ipſéque velut avidiſſimus veræ philoſophiæ amator, contemplationi cæleſtium liberiùs vacaret. Locavit igitur S. Adelenum procul à ſuo Monaſterio prope leugâ unâ ſuper fluvium *Hon*, Domitianum verò ex altera parte quaſi leugis duabus ſuper fluvium Hagnam*. Quibus auxiliante ſuperna clementia peractis, ſancta & immaculata Chriſti hoſtia multiplici contuſione igníſque examinatione more holocauſti Diviníſque jam immolanda conſpectibus, ſanctus videlicet & verè Deo dignus Sacerdos Landelinus, ipſi, ut ita fatear, cæleſti jam propinquabat altari. Cùm enim eum omnipotens Deus pro laboribus quibus pro nomine ejus cotidie deſudabat remunerare jam decreviſſet, ſenilia membra quæ prolixâ carceris hujus contriverat anguſtiâ, modicâ cœperunt pulſari febriculâ. Accerſitis itaque undique Fratribus indicat ſe jam corporis ergaſtulo debere ſolvi. Flebilis mox perſonuit vox una dicentium: Quid, domine Pater, quid rogamus erit nobis ultrà auxilium, cùm tu Paſtor oves Chriſto adquiſitas relinquis devorandas dentibus diaboli? Tunc vir Domini lacrymis ſic fatur obortis: Non mea, optimi Fratres, vos conſtriſtet abſentia: aderit vobis prorſus Paſtor æternus Dominus omnium JESUS-CHRISTUS, ſi ejus caritati inhærere ſtudueritis attentiùs. Servite ei in timore & exſultate ei cum tremore. Nulla enim vobis nocere quibit adverſitas, ſi nulla infeſtet iniquitas. His ergo & hujuſmodi ſermonibus Fratres adhortatus, ſuper cineres ac cilicium ſtratus, adſtantibus circumcircà quos Chriſto adquiſierat cariſſimis Filiis, animam bonorum actuum floribus adornatam ad Angelorum direxit gloriam. Diſcipuli autem honorificè egregii Magiſtri venerabile corpus in eodem ſuo Cœnobio tradiderunt ſepulturæ[a], ubi ejus meritis intervenientibus multa ac ſtupenda fiunt ſigna, præſtante Domino noſtro JESU-CHRISTO cui eſt honor & poteſtas per omnia ſæcula cum Patre & Spiritu-ſancto. Amen.

* *Hayne*

Ægrotat.

In cilicio ac cinere mortuus ſepelitur.

a Nempe in Monaſterio Criſpinienſi, ut ſcribit Baldericus in Chron. lib. 2. cap. 41. cujus Auctoris tempore, id eſt Sæculo XI. *Hæc Abbatiola ſanctæ Dei matris Eccleſiæ Cameracenſium ſubjacuerat* (dono ſcilicet Caroli Regis cognomento Simplicis ex lib. 1. cap. 67.) tum verò *infeſtationibus gentium & mutatione Regni divulſa, militaribus viris beneficio infiſcata erat*, ac *Monaſterium Canonicorum*, nunc Monachorum Ord. S. Bened. quibus præeſt Abbas Regularis. Porro S. Landelinus obiit XVII. Kalend. Julii, incertum quo anno. Fulcuinus Abbas in Chron. cap. 1. tradit, Landelinum *principatu Chlotharii*

Chlodovei junioris filii latrociniis inſtitiſſe. S. Autbertus Cameracenſis Epiſcopus anno circa DC. LXVIII. at S. Urſmarus Landelini ſucceſſor anno DCC. XIII. deceſſerunt. Proinde S. Landelini obitum anno circa DC. XXCVI. collocamus. Ejus Reliquiæ in Criſpinienſi Monaſterio religiosè coluntur. De S. AIBERTO Criſpinienſi Monacho agemus Sæculo VII. Bened. nam alios involvit Normannorum tempeſtas, qui anno DCCC. LXX. Criſpinienſem Abbatiam & univerſa primævæ ejus dignitatis & ſanctitatis monumenta peſſumdederunt.

VITA S. CVTHBERTI EPISCOPI LINDISFARNENSIS,

AN. CHR. DC.XXCVII. MARTII XX.

Auctore Venerabili BEDA ferè æquali.

Ex MS. cod. Compend. Surio & Bollando.

OBSERVATIONES PRÆVIÆ.

1. *BINAM damus S.* CUTHBERTI *ſeu* CUBERHTI *Vitam, aliam ſolutâ, aliam ſtrictâ oratione à Beda ſcriptam, prout ipſe tum in utriuſque Vitæ Præfatione, tum in lib. 4. Hiſt. cap. 28. tum denique in Indice Operum ſuorum teſtatur. Proſaicam, iut pote magis integram & accuratiùs conditam & comprobatam, præferimus metricæ, quæ tamen prior ſcripta eſt. Tertiam Cuthberthi Vitam anno circà* DCC. *quatuor libris edidit Monachus Lindisfarnenſis anonymus Cuthberti æqualis, gravis quidem Auctor; vulgarúntque primi in ſuo Martio Socii Bollandiani: nos ſingularia dumtaxat excerpentes, in Notulas referemus. Præter hos Auctores,* TURGOTTUS, *primùm quidem Prior Monaſterii Dunelmenſis Ord. S. Bened. dein Sanct-Andreanus in Scotia Epiſcopus, ſub finem Sæculi XI. geſta S. Cuthberti retulit in Hiſtoriam ſuam Dunelmenſem, quam Simeon Monachus itidem Dunelmenſis ac Præcentor paullo pòſt in libros quatuor & in capitula diſtinxit, eámque ſuo nomine inſcripſit: at Iohannes Seldenus in Præfatione ad editionem Scriptorum decem Hiſtoriæ Anglicanæ genuino vindicavit auctori.* Vitæ Scriptores.

2. *S. Cuthberti memoria celebratur in antiquis Bedæ, Vſuardi, Vvandalberti, Adonis, Hrabani & Notkeri Martyrologiis: nec ſolùm Northumbriæ Regnum, ſed univerſam Britanniam inſulam, adeóque omnem Eccleſiam ſuo ſplendore illuſtravit. Huc ſpectat id quod Alcuinus in Epigrammate* 178. *canit in hunc modum:* Memoria.

Magnus & ipſe Pater, Præſul Paſtórque, Sacerdos
Cudbertus veſtræ jam decus Eccleſiæ;
Quanta piis precibus Domino donante peregit,
Non opus eſt noſtris dicere verſiculis:
Dum priùs heroicis præclarus BEDA Magiſter
Verſibus explicuit indita geſta Patris.
Laudibus ac celebrat quem tota Britannia crebris,
Et precibus cogitat ſe auxiliare piis.

Hinc feſtus ejus dies non tantùm in Britanniæ Eccleſiis antiquitùs celeberrimus fuit, verumetiam in aliis Regnis ac provinciis, maximè in Galliæ XIII. Kalend. Aprilis. *Quippe in Libro Sacramentorum, juſſu Ratoldi Abbatis Corbeïenſis ante annum* 980. *ſcripto, habetur peculiare S. Cuthberti officium, Præfatio propria, & benedictio Epiſcopalis, quæ ſollemnioribus dumtaxat diebus adhiberi ſolebat. In Collecta ſeu Oratione prima S. Cuthbertus* Martyr *appellatur.* Sanctus & glorioſus CUTBERHTUS Martyr mirabilis atque potens Anachorita, cujus in opere gaudet Dominus, interceſſor obtimus & fortiſſimus protector, in Deo memento noſtri ſemper in conſpectu Domini, præſta hîc auxilium & in æterna ſæcula. *Deinde ſequuntur Oratio* ſuper oblata *&* Præfatio, *poſtremò* Benedictio, *quam hîc commemorare juvat.* Domine Deus omnium gratiarum, reſpicere dignare omnem hunc populum tuum, qui in honore tuo Divinis famulatur obſequiis, & quidquid S. Martyri tuo CUTBERHTO hodierna die profuit ad beatitudinem, profit huic Eccleſiæ ad exemplum. Amen. Ut ipſo intercedente ſit in eis fides recta, imitabilis forma, caſta ſobrietas, hoſpitalis caritas; ſpiritualis prudentia, alta ſapientia; mens humilis, vita ſublimis. Amen. Ut cùm ante tremendum judicii diem in conſpectu tuo adſtiterint, non damnandam ſed mitem ex ore tuo audiant abſolutionis ſententiam. Quod ipſe præſtare dignetur, &c. *Quibus in locis* Martyris *nomen in ſtricta ſignificatione pro* Confeſſore *uſurpatur.* Feſtus dies.

3. *Cuthbertus adoleſcens in* Mailros *Cœnobio ad Tinidim ſeu Tuvedam, Regni Berniciorum, nunc hodiernæ Scotiæ fluvium in Marchia ſeu Merſia, Monachum induit anno* DC. LI. *ibique* Monaſtica profeſſio.

AN. CHR. DC.XXCVII. MARTII XX.

converſatus eſt ad annum uſque DC. LXIV. *Præpoſiti aliquamdiu gerens officium : quod poſtea in Lindisfarne inſula exercuit ad annum* DC. LXXVI. *quo in Farne eremiticam vitam exegit ad annum electionis ſuæ in Epiſcopum* DC. XXCIV. *Lindisfarnenſis locus, quem* Inſulam ſacram, *Anglicè* Holy-Iland *ob ſanctorum Monachorum habitationem vocant, accedente ac* recedente rheumate, *inquit Beda lib. 3. Hiſt. cap.* 3. bis cotidie inſtar inſulæ, maris circumluitur undis, & bis renudato litore contiguus terræ redditur. *Lindisfarne dicitur* à Lindo fluvio, *cui ab oræ Northumbriæ objecta eſt*, excurrente in mare, qui duorum pedum habens latitudinem nonniſi cùm receſſerit mare videri poteſt, *ut refert Turgottus in lib. 2. Hiſt. Dunelm. cap.* 5. *Hinc ad ſeptimum milliare Euro-Auſtrum verſus Farne inſula conſpicitur, altiſſimo Oceano incluſa. Hic S. Cuthbertus diem ſupremum abſolvit, illic ſepulturam conſecutus eſt.*

Regula.

4. *Quam Regulam tenuerit Cuthbertus, paucis inquirendum. Socij Bollandiani innuere videntur, S. Columbæ Abbatis Hiienſis Regulam in Monaſteriis à Cuthberto luſtratis tum obſervatam fuiſſe : quod an ita ſit, ex ſubjectis argumentis Lector dijudicet. Columba Abbas Scotus quoad coronam & Paſcha Scotorum inſtituta ſectabatur.* Hæc autem diſſonantia Paſchalis obſervantiæ, *inquit Beda lib.* 3. *cap.* 25. vivente Aidano patienter ab omnibus tolerabatur. Defuncto Finano qui poſt illum fuit, cùm Colmanus in Epiſcopatu ſuccederet & ipſe miſſus à Scotia, gravior de obſervatione Paſchæ, necnon & de aliis Eccleſiaſticæ vitæ diſciplinis controverſia nata eſt. In Monaſterio Streaneshalch, cui tunc Hilda Abbatiſſa præfuit, Synodus facta eſt, anno DC. LXIV. *eodem Auctore cap. inſeq.* Finito conflictu Colman videns ſpretam ſuam doctrinam ſectámque eſſe deſpectam, aſſumptis his qui ſe ſequi voluerunt, id eſt qui Paſcha Catholicum & tonſuram coronæ recipere nolebant, Scotiam (*id eſt Hiberniam*) regreſſus eſt. Fratribus qui in Lindisfarnenſi Eccleſia Scotis abeuntibus remanere maluerunt, præpoſitus eſt Abbatis jure vir reverendiſſimus ac manſuetiſſimus EATA, qui erat Abbas in Monaſterio quod vocatur Mailros : quod aiunt Colmanum abiturum petiiſſe & impetráſſe à Rege OſWio, eoquòd eſſet idem Eata unus de duodecim pueris Aidani, quos primo Epiſcopatûs ſui tempore de natione Anglorum erudiendos in Chriſto accepit. *Eata Cuthberto tonſuram habitúmque Monaſticum impertivit, tonſuram, inquam, non Scoticam*, ſed Petri, in modum coronæ ſpineæ caput Chriſti cingentis, *teſte anonymo Monacho Lindisfarnenſi. Bollandi continuatores ſuſpicantur, anonymi textum hoc loco interpolatum eſſe. Conjecturæ favere videtur Bedæ modò citati auctoritas, ex qua inferendum videtur, Scoticos uſus in Cœnobiis Mailroſenſi & Lindisfarnenſi ad annum uſque* DC. LXIV. *quo celebrata eſt Synodus, retentos fuiſſe. Porro Cuthbertus anno* DC. LI. *in Mailroſenſi tonſuram acceperat. Verùm Eata Abbas, Colmani licet diſcipulus, poterat utpote Anglus jam abdicâſſe Scoticos mores, & ad Romanos conceſſiſſe. Vtut ſit, ſaltem certum eſt, Cuthbertum poſt Synodum prælaudatam Romanæ parti ac Benedictinæ Regulæ adhæſiſſe. Certè Beda teſtante in Vitæ proſaïcæ cap.* 39. *Cuthbertus morti proximus diſcipulos admoniſſe fertur*, ut cum illis qui ab unitate Catholicæ pacis vel Paſcha non ſuo tempore celebrando, vel perversè vivendo aberrant, nulla ipſis eſſet communio. *Et Anonymus in lib.* 3. Vivens quoque ibi, *inquit*, (*nempe in Farne inſula*) ſecundum ſanctam Scripturam, contemplativam vitam in actuali agens, & nobis Regularem vitam primùm componens conſtituit, quam uſque hodie cum REGULA BENEDICTI obſervamus. *Scribebat porro anonymus* Alfrido Rege pacificè tum regnante *ex lib.* 3. *num.* 6. *proinde ante annum* DCC. V. *quo Rex ipſe deceſſit. Jam ergo ante annum* DCC. Regula S. Benedicti *à Monachis Lindisfarnenſibus ſervabatur : immo vivente ipſo Cuthberto.* Meridianam *enim* quietem *Cuthberto Præpoſito actitabant Monachi illi, haud dubiè ex præſcripto Benedictinæ Regulæ in cap.* 48. Poſt Sextam ſurgentes à menſa pauſent in lectis ſuis. *Et* Præpoſiti *officium quod Boiſilus ac Cuthbertus ſub Abbate exercuerunt ex ejuſdem Regulæ decreto in cap.* 65. *profectum videtur. Non enim facilè reperias Præpoſitum cum Abbate in eodem Monaſterio, præterquam in illis Monaſteriis quæ Benedictinis inſtitutis addicta erant. Denique Vvilfridus, eximius Regulæ Benedictinæ propagator conſentientibus etiam adverſariis, poſtquam Scotos in prædicta Synodo revicit, & ex Northumbria vi veritatis effugavit, ſine dubio deſertis Scotorum Cœnobiis Regulam S. Benedicti impoſuit. Quamquam non dubitamus, decreta quædam ſeu ſtatuta, præter Regulam S. Benedicti Monachis Lindisfarnenſibus præſcripta fuiſſe.*

Eccleſiarũ aditus feminis interdictus.

5. In nullam pæne Eccleſiarum, *ait Turgottus in lib. 2. cap.* 17. quas Confeſſor beatus ſive ante ſive in tempore fugæ vel pòſt, ſui ſacri corporis præſentiâ illuſtravit, ulla uſque hodie feminis eſſe conſtat intrandi licentia. *Cauſam ab Auctore ibidem adſignatam infrà ad cap.* 10. *adnotabimus.* Omnibus ergo & viris & feminis conſentientibus, omne ſuis & in præſenti & pòſt futuris temporibus muliebre interdixit conſortium, earúmque ab Eccleſiæ ſuæ ingreſſu penitùs amovit introitum. Unde in inſula Sedis Epiſcopalis ejus facta Eccleſia, quæ linguâ indigenarum *Grenechiche*, id eſt viridis Eccleſia appellatur, eoquòd in campi virentis planitie ſita ſit, juſſit ut illò Miſſas & verbum Dei audituræ mulieres convenirent, ne propiùs Eccleſiæ in qua ipſe cum Monachis converſabatur umquam accederent. Quæ conſuetudo uſque hodie diligenter obſervatur, intantum ut niſi metus hoſtilis vel crematio loci compellat, nec in cœmiteria quidem ipſarum Eccleſiarum, ubi ad tempus corpus ejus requieverat, mulieribus introire liceat. *Hæc latiùs in libro Mirac. S. Cuthberti cap.* 8. *& ſeqq. Sæculo* IV. *Bened. referenda.*

PRÆFATIO

Ad EADFRIDUM Lindisfarnenſem Epiſcopum.

1. *DOMINO ſancto ac beatiſſimo Patri* EADFRIDO[a] *Epiſcopo, ſed & omni Congregationi Fratrum qui in Lindisfarnenſi inſula Chriſto deſerviunt, fidelis veſter conſervus* BEDA *ſalutem.* Quia juſſiſtis, dilectiſſimi, ut in libro quem de vita beatæ memoriæ Patris noſtri Cuthberti veſtro rogatu compoſui, Præfationem aliquã in fronte juxta morem præfigerem, per quam legentibus univerſis & veſtræ voluntatis deſiderium & obeditionis noſtræ pariter aſſenſio fraterna clareſceret; placuit in capite Præfationis, & vobis qui noſtis ad memoriam revocare, & eis qui ignorant hæc fortè legentibus notum facere, quia nec ſine certiſſimâ exquiſitione rerum geſtarum aliquid de tanto viro ſcribere, nec tandem ea quæ ſcripſeram, ſine ſubtili examinatione teſtium indubiorum paſſim tranſſcribenda quibuſdam dare præſumpſiſſe: quin potiùs primò diligenter exordium, progreſſum, & terminum glorioſiſſimæ converſationis ac vitæ illius ab his qui noverant inveſtigâſſe. Quorum etiam nomina in ipſo libro aliquoties ob certum cognitæ veritatis indicium apponenda judicavi; & ſic demum ad ſchedulas manum mittere incipio. At digeſto opuſculo, ſed adhuc in ſchedulis retento, frequenter & reverentiſſimo Fratri noſtro HEREFRIDO Preſbytero huc adventanti, & aliis qui diutiùs cum viro Dei converſati vitam illius optimè noverant, quæ ſcripſi legenda atque ex tempore præſtiti retractanda, ac nonnulla ad arbitrium eorum, prout videbatur, ſedulus emendavi: ſícque ablatis omnibus ſcrupulorum ambagibus, ad purum certam veritatis indaginem ſimplicibus explicitam ſermonibus commendare membranulis, atque ad veſtræ quoque fraternitatis præſentiam aſportare curavi: quatinus veſtræ auctoritatis judicio vel emendarentur falſa, vel probarentur vera eſſe quæ ſcripta ſunt. Quod cùm Domino adjuvante patrarem, & coram Senioribus ac Doctoribus veſtræ Congregationis libellus biduo legeretur, ac ſollertiſſimè per ſingula ad veſtrum penſaretur examen: nullus omnimodis inventus eſt ſermo qui mutari debuiſſet, ſed cuncta quæ ſcripta erant communi conſilio decernebantur abſque ulla ambiguitate legenda: & his qui religionis ſtudio vellent ad tranſſcribendum eſſe tradenda. Sed & alia multa nec minora his quæ ſcripſimus præſentibus vobis ad invicem conferentes, de vita & virtutibus beati viri ſuperintuliſtis, quæ prorſus memoriâ digna videbantur, ſi non deliberato ac perfecto operi nova interſerere vel ſuperadjicere minùs congruum atque indecorum eſſe conſtaret.

AN. CHR. DC.XCVII. MARTII XX. [a]

Beda hanc hiſtoriam ab idoneis teſtibus diſcit.

à pluribus accuratè examinatam.

quibuſdam omiſſis.

2. Dehinc admonendam veſtræ almitatis coronam[b] ratus ſum, ut ſicut ipſe munus obedientiæ meæ quod jubere eſtis dignati promptus ſolvere non diſtuli, ita vos quoque ad reddendum mihi veſtræ interceſſionis præmium pigri non ſitis: ſed cùm eumdem librum relegentes, pia ſanctiſſimi Patris memoria veſtros animos ad deſideria regni cæleſtis ardentiùs attollitis, pro mea quoque parvitate memineritis Divinam exorare clementiam, quatinus & nunc pura mente deſiderare, & in futuro perfecta beatitudine merear videre bona Domini in terra viventium: ſed & me defuncto pro redemptione animæ meæ, quaſi pro familiaris & vernaculi veſtri orare & Miſſas facere, & nomen meum inter veſtra ſcribere dignemini. Nam & tu, ſanctiſſime Antiſtes, hoc te mihi promiſiſſe jam retines. In cujus etiam teſtimonium futuræ conſcriptionis, religioſo Fratri noſtro GUDFRIDO manſionario præcepiſti, ut in albo veſtræ ſanctæ Congregationis meum nunc quoque nomen apponeret. Sciat autem Sanctitas veſtra, quia vita

Lindisfarnenſium ſuffragia poſcit. [b]

Fratrum in albo nomẽ ſuum inſcribi poſtulat.

[a] Eadfridus ſedi Lindisfarnenſi poſt Eadbertum Cuthberti ſucceſſorem ſuffectus eſt anno Domini DC. XCVIII. atque annis duobus ſupra viginti præfuit. Eidem inſcripta eſt alia Anonymi lucubratio de Vita S. Cuthberti in Martio Bollandiano edita.

[b] Sic olim Epiſcopos compellabant. Lege Salmaſium in lib. de Coma, ubi nomine *Coronæ* non coronam (ut aiunt) Clericalem, ſed dignitatem Epiſcopalem exprimi cenſet.

AN. CHR. DC.XXCVII. MARTII XX.

ejuſdem Deo dilecti Patris noſtri, quam vobis prosâ editam dedi, aliquanto quidem breviùs, ſed eodem tamen ordine rogantibus quibuſdam è noſtris Fratribus heroicis dudum verſibus edidi : quos ſi vos habere delectat, à nobis exemplar accipere poteſtis. In cujus operis præfatione promiſi me aliàs de vita & miraculis ejus latiùs eſſe ſcripturum : quam videlicet promiſſionem in præſenti opuſculo, prout Deus dederit, adimplere ſatago. Orantem pro nobis Beatitudinem veſtram Dominus omnipotens cuſtodire dignetur incolumem, dilectiſſimi Fratres & domini mei. Amen.

INCIPIT LIBER DE VITA ET MIRACULIS, necnon & de tranſitu beati Patris CUTHBERTI Lindisfarnenſis Epiſcopi.

CAPUT I. *Quomodo ipſe octennis puer per trimum infantem de conſtantia animi & Epiſcopatus ſit præmonitus.*

3. PRINCIPIUM nobis ſcribendi de vita beati Cuthberti Jeremias Propheta conſecrat, qui anachoreticæ perfectionis ſtatum glorificans ait : *Bonum eſt viro cùm portaverit jugum ab adoleſcentia ſua. Sedebit ſolitarius & tacebit, quia levavit ſe ſuper ſe.* Hujus namque boni dulcedine accenſus vir Domini Cuthbertus, ab ineunte adoleſcentia jugo Monachicæ inſtitutionis collum ſubdidit, & ubi opportunitas juvit, arrepta etiam converſatione anachoretica non pauco tempore ſolitarius ſedere, atque ob ſuavitatem Divinæ contemplationis ab humanis tacere delectabatur alloquiis. Sed ut hæc in majore ætate poſſet, ſuperna illum gratia ad viam veritatis paullatim à primis jam pueritiæ incitaverat annis[a]. Siquidem uſque ad octavum ætatis annum qui poſt infantiam pueritiæ primus eſt, ſolis parvulorum ludis & laſciviæ mentem dare noverat : itaut illud beati Samuelis tunc de ipſo poſſet teſtimonium dici : Porro Cuthbertus necdum ſciebat Dominum, neque revelatus fuerat ei ſermo Domini. Quod in præconium laudis dictum eſt pueritiæ illius, qui ætate major perfectè jam cogniturus erat Dominum, ac ſermonem Domini revelata cordis aure percepturus. Oblectabatur ergo, ut diximus, jocis & vagitibus; & juxta quod ætatis ordo poſcebat, parvulorum conventiculis intereſſe cupiebat, ludentibus colludere deſiderabat : & quia agilis naturâ atque acutus erat ingenio, contendentibus ludo ſæpiùs prævalere conſueverat, adeo ut feſſis nonnumquam ceteris, ille indefeſſus adhuc, ſi quis ultrà ſecum vellet certare, quaſi victor lætabundus inquireret. Sive enim ſaltu, ſive curſu, ſive luctatu, ſive quolibet alio membrorum ſinuamine ſe exercerent, ille omnes æquævos & nonnullos etiam majores à ſe gloriabatur eſſe ſuperatos. Cùm enim eſſet parvulus, ut parvulus ſapiebat, ut parvulus cogitabat : qui poſtmodum factus vir, pleniſſimè ea quæ parvuli erant depoſuit.

Thren. 3.

a

1. Reg. 3.

4. Et quidem Divina diſpenſatio primitùs elationem animi puerilis digno ſe pædagogo compeſcere dignata eſt. Nam ſicut beatæ memoriæ TRUMWINE[b] Epiſcopus ab ipſo Cuthberto ſibi dictum perhibebat, dum quadam die ſolito luctamini in campo quodam non modica puerorum turba inſiſteret, intereſſet & ipſe, & ſicut ludentium levitas ſolet, contra congruum naturæ ſtatum variis flexibus membra plerique ſinuarent; repentè unus de parvulis triennis fermè ut videbatur accurrit ad eum, & quaſi ſenili conſtantia cœpit hortari, ne jocis &

b

a Nihil hîc de patria & parentibus S. Cuthberti. Patriam infrà in cap. 4. indicabimus : parentes ejus ignobiles fuiſſe ſatis apparet ex opilionis miniſterio, quod vir Sanctus exercuiſſe eodem loci dicitur.

b Anonymus lib. 1. *Primum quidem ponimus, quod in prima ætate accidiſſe relatu multorum didicimus, ex quibus eſt ſanctæ memoriæ Epiſcopus* TUMA, *qui ſpiritalem Dei electionem prædeſtinatam à S. Cuthberto audiens didicit; & Preſbyter noſtræ Eccleſiæ* ELIAS. S. Trumvvinum Pictorum Auſtralium Epiſcopum Tabulis Benedictinis inſcribunt v. Idus Febr. at Bollandus die inſequenti reponit ejus elogium, mortémque anno circà DCC. conſignat. De S. Trumvviri Reliquiarum inventione lege Vvillelmum Malmeſb. lib. 3. de Pontif. Angl. De eo iterum infrà cap. 24. & apud Bedam lib. 4. Hiſt. cap. 26.

otio

otio indulgeret, ſed ſtabilitati potiùs mentem ſimul & membra ſubjugaret. Quo monita ſpernente, luget ille corruens in terram, & faciem lacrymis rigans. Accurrunt conſolaturi ceteri, ſed ille perſtat in fletibus. Interrogant quid haberet repentinum, unde tantis afficeretur lamentis. At ille tandem exclamans conſolanti ſe Cuthberto: Quid, inquit, ſancte Antiſtes & Preſbyter Cuthberte, hæc & naturæ & gradui tuo contraria geris? Ludere te inter parvulos non decet, quem Dominus etiam majoribus natu Magiſtrum virtutis conſecravit. Audiens hæc bonæ indolis puer fixa intentione ſuſcepit: mæſtúmque infantem piis demulcens blanditiis, relicta continuò ludendi vanitate domum rediit, ac ſtabilior jam ex illo tempore animóque adoleſcentior exſiſtere cœpit: illo nimirum ſpiritu interiùs ejus præcordia docente, qui per os infantis extrinſecùs ejus auribus inſonuit. Nec mirandum cuiquam parvuli laſciviam per parvulum potuiſſe Domino agente cohiberi, qui ad prohibendam Prophetæ inſipientiam, ore ſubjugalis muti rationabilia verba cum voluit edidit, in cujus laude veraciter dictum eſt, quia ex ore infantium & lactentium perfeciſti laudem. AN. CHR. DC XXCVII. MARTII XX. *Num.* 22. *Pſal.* 8.

II. *Quomodo genu dolente claudus effectus ſit, & Angelo medicante ſine mora ſanatus.*

5. VERÙM quia omni habenti dabitur & abundabit, id eſt habenti propoſitum amorémque virtutum, harum copia ſuperno munere donabitur; quoniam puer Domini Cuthbertus quæ per hominem accepit hortamenta, ſedulo corde retinebat; etiam Angelico viſu & affatu confortari promeruit. Nam ſubito dolore genu correptum illius gravi cœpit tumore groſſeſcere, itaut nervis in poplite contractis, pedem primò à terra ſuſpenſum claudicans portaret: dehinc ingraveſcente moleſtia omni pæne privaretur inceſſu. Qui die quadam deportatus foras à miniſtris atque ſub divo recumbens, vidit repentè venientem delongè equitem albis indutum veſtimentis & honorabilem vultu, ſed & equum cui ſedebat incomparandi decoris: qui cùm adveniens manſueto illum ſalutaret alloquio, addidit quaſi per jocum inquirere, ſi aliquid tali hoſpiti præbere vellet obſequium. At ille; Jam, inquit, promptiſſimè tuis cuperem adſtare devotus obſequiis, ſi non exigentibus culpis hujus compede languoris retinerer. Diu namque eſt quòd moleſtiâ genu tumentis oppreſſus, nullâ cujuſlibet medicorum induſtriâ poſſum ſanari. Qui deſiliens equo ac genu languidum diligentiùs conſiderans; Coque, inquit, triticeam in lacte farinam, & hac confectione calida tumorem ſuperunge, & ſanaberis. Et his dictis adſcendens equum abiit. Ille juſſis obtemperans, poſt dies paucos ſanatus eſt: agnovítque Angelum fuiſſe, qui hæc ſibi monita dediſſet, mittente illo qui quondam Raphaëlem Archangelum ad ſanandos Tobiæ viſus deſtinare dignatus eſt. Quòd ſi cui videtur incredibile Angelum in equo apparuiſſe: legat hiſtoriam Machabæorum, in qua Angeli in equis & ad Judæ Machabæi & ad ipſius Templi defenſionem adveniſſe memorantur. *2. Mach.* 10.

III. *Quomodo ventis oratione mutatis rates in Oceanum delapſas ad litus revocaverit.*

6. AB hoc autem tempore devotus Domino puer (ſicut ipſe poſtea familiaribus ſuis atteſtari ſolebat) ſæpe in anguſtiis ſe vallantibus orans Dominum, Angelica meruit opitulatione defendi: necnon etiam pro aliis in periculo conſtitutis quia benigna ſupplicatione poſtulabat, exaudiebatur ab illo qui clamantem pauperem exaudire & de omnibus tribulationibus ejus conſuevit eripere. Eſt denique Monaſterium non longè ab oſtio Tini[a] fluminis ad meridiem

[a] Hîc intellige Tinum amnem hodiernæ Scotiæ in provincia Laudonia, ad quem amnem ſitum erat celebre Monaſterium Tinnigham; non verò Tinam Northumbriæ fluvium, ut rectè ex conſequentibus inferunt ſocij Bollandiani.

AN. CHR. DC. XXCVII. MARTII XX.

ſitum, tunc quidem virorum, nunc autem (mutato ut ſolet per tempora rerum ſtatu) Virginum Chriſto ſervientium nobili examine pollens. Qui videlicet famuli Chriſti dum ligna Monaſterij uſibus apta per memorati alveum fluminis delongè ratibus veherent, jámque eregione ejuſdem Monaſterij vehenho devenirent, ac rates ad terram educere conarentur; ecce ventus ſubitò ab occaſu tempeſtivus adſurgens abripuit rates, atque ad oſtium fluminis trahere cœpit. Quod videntes è Monaſterio Fratres, emiſſis in fluvium naviculis, eos qui in ratibus laborabant adjuvare nitebantur; ſed vi fluminis ac ventorum moleſtiâ ſuperati, nequaquam valebant: unde facta deſperatione humani adjutorij confugerunt ad Divinum. Egreſſi namque de Monaſterio & labentibus in Oceanum ratibus, collecti in proxima obice flectebant genua; ſupplicantes Domino pro his, quos in tantum mortis diſcrimen jamjámque irruere cernebant. Sed proviſione Divina, quamvis diu, precantium vota ſunt dilata, ut videlicet quanta eſſet in Cuthberto virtus precandi pateſceret. Stabat enim in altera amnis ripa vulgaris turba non modica, in qua ſtabat & ipſe: quæ cùm adſpectantibus cum triſtitia Monachis raptas porro per mare cerneret rates, adeout quaſi quinque aves parvulæ (quinque enim erant rates) undis inſidentes apparerent; cœpit irridere vitam converſationis eorum, quaſi meritò talia paterentur, qui communia mortalium jura ſpernentes, nova & ignota darent ſtatuta vivendi. Prohibuit probra deridentium Cuthbertus: Quid agitis, inquiens, Fratres, maledicentes his quos in letum jam trahi videtis? nonne melius eſſet & humanius Dominum pro eorum deprecari ſalute, quàm de illorum gaudere periculis? At illi ruſtico & animo & ore ſtomachantes adverſus eum; Nullus, inquiunt, hominum pro eis roget, nullus eorum miſereatur Deus, qui & veteres culturas hominum tulêre, & novas quatiter obſervare debeant nemo novit. Quo accepto reſponſo, ipſe oraturus Dominum genua flexit, caput in terram declinavit: ſtatímque retorta vis ventorum rates cum his qui ducebant gaudentibus integras ad terram ejecit, & juxta ipſum Monaſterium in loco opportuno depoſuit. Videntes autem ruſtici erubuerunt de ſua infidelitate, fidémque venerabilis Cuthberti & tunc laude digna prædicabant, & deinceps prædicare nullatenus ceſſabant: adeout Frater quidam noſtri Monaſterij probatiſſimus, cujus ipſe hæc relatione didici, ſeſe hæc ab uno ipſorum ruſticæ ſimplicitatis viro & ſimulandi prorſus ignaro coram multis ſæpe adſidentibus audiſſe narraverit.

IV. *Quomodo cum paſtoribus poſitus, animam* S. AIDANI *Lindisfarnenſis ad cælum ferri ab Angelis adſpexerit.*

7. AT ubi gubernatrix vitæ Fidelium gratia Chriſti voluit famulum ſuum artioris propoſiti ſubire virtutem, altioris præmij gloriam promereri; contigit eum remotis in montibus [a] commiſſorum ſibi pecorum agere cuſtodiam. Qui dum nocte quadam dormientibus ſociis, ipſe juxta morem pervigil in oratione duraret, vidit ſubitò fuſum de cælo lumen, medias longè noctis interrupiſſe tenebras: in quo cæleſtium choros agminum terras petiſſe, nec mora rapta ſecum anima claritatis eximiæ ſupernam rediſſe ad patriam. Compunctus eſt multùm hoc viſu Deo dilectus adoleſcens ad ſubeundam gratiam ſpiritualis exercitij, ac promerendæ inter magnificos viros vitæ felicitatíſque perennis; confeſtímque Deo laudes gratiarúmque referens actionem, ſed & ad ſocios ad laudandum Deum fraterna exhortatione provocans; Heu miſeri, inquit, qui ſomno & inertiæ dediti, non meremur ſemper vigilantium miniſtrorum Chriſti cernere lu-

[a] Nempe *juxta fluvium qui dicitur Leder*, uti ſcribit Anonymus, Turgotto *Sedix*. Intelligendus videtur hodiernæ Scotiæ fluvius ſeu amnis *Lander* appellatus, qui è montanis in Tinidim ſeu Tuvedum fluvium devolvitur. Hinc intellige, Cuthbertum in Orientali hodiernæ Scotiæ regione, haud procul à Tinidi fluvio in Oceanum Germanicum influente natum eſſe.

cem : en ipſe cùm modico noctis tempore pervigil orarem, tantæ Dei magnalia conſpexi. Aperta eſt janua cæli & inductus illuc Angelico comitatu ſpiritus cujuſdam Sancti, qui nunc nobis in infima caligine verſantibus ſupernæ manſionis gloriam, ac Regem illius Chriſtum perpetuò beatus intuetur. Et quidem hũc vel Epiſcopum quemlibet ſanctum, vel eximium de Fidelium numero virum fuiſſe exiſtimo, quem tantæ ſplendore lucis, tot ducentium choris Angelorum cælos allatum vidi. Hæc dicens vir Domini Cuthbertus, non parum corda Paſtorum ad reverentiam Divinæ laudationis accendit, agnovítque mane facto Antiſtitem Lindisfarnenſis Eccleſiæ AIDANUM, magnæ utique virtutis virum, per id temporis quo viderat, raptum de corpore cæleſtia regna petiſſe : ac ſtatim commendans ſuis pecora quæ paſcebat dominis, Monaſterium petere decrevit [a]. AN. CHR. DC. XXCVII. MARTII XX.

V. *Quomodo iter faciens, cibos Domino procurante perceperit.*

8. CUMQUE novum vitæ continentioris ingreſſum ſedulo jam corde meditaretur : affuit ſuperna gratia quæ animum ejus artiùs in propoſito firmaret, ac manifeſtis edoceret indiciis, quia quærentibus regnum Dei & juſtitiam ejus, ea quæ ad victum corporis pertinent beneficio Divinæ proviſionis adjiciuntur. Quadam namque die cùm iter ſolus ageret, divertit horâ tertiâ in villam quam eminùs poſitam fortè reperit, intravítque domum cujuſdam matrisfamilias paullulùm ibidem quieſcere deſiderans : & jumento potiùs cui ſedebat quàm ſibi alimentum poſcere curans. Erant enim tempora incipientis brumæ. Suſcepit ergo eum mulier benignè, rogavítque ſollicitè, ut prandium parare atque illum reficere liceret. Negavit vir Domini : Non poſſum, inquiens, adhuc manducare, quia dies jejunij eſt. Erat namque ſexta Sabbati, quâ plerique fidelium ob reverentiam Dominicæ Paſſionis uſque ad horam nonam [b] ſolent protelare jejunium. Perſtitit in rogando mulier hoſpitalitatis ſtudio devota : Ecce, inquiens, itinere quo vadis, nullum viculum, nulla hominum habitacula reperies. Et quidem longum reſtat iter, neque ante ſolis occubitum valet conſummari. Unde precor antequam egrediaris accipias cibos, ne tota die jejunium ſuſtinere vel etiam procraſtinare cogaris. At ille quamvis multum rogante femina, rogantis inſtantiam religionis amoris devincens, jejunus viam repetiit, jejunus diem duxit ad veſperam. NOTA.

9. Cúmque inſtante jam veſpera, cerneret ſe iter quod propoſuerat eodem die [c] non poſſe finire, neque ulla in proximo hominum hoſpitia ubi manere poſſet adeſſe ; ecce ſubitò iter faciens vidit, juxta tuguria Paſtorum quæ æſtate infirmiter poſita, tunc jam deſerta patebant. Huc propter manendum ingrediens, equum in quo venerat alligavit ad parietem, collectúmque fœni faſciculum quem tecto ventus abſtulerat, edendum illi appoſuit : ipſe orando horam ducere cœpit. At ſubitò inter pſallendum vidit equum elato ſurſum capite tecta caſæ carpentem ore, viſúmque * trahentem : atque inter cadentia fœna tecti, involutum pariter decidere linteum. Volénſque dignoſcere certiùs quid eſſet, finita oratione acceſſit : & invenit involutum linteo dimidium panis calidi & carnem : quæ ad unam refectionem ſibi ſufficere poſſent. Laudémque decantans beneficiis cæleſtibus ; Deo, inquit, gratias, qui & mihi pro ejus amore jejunanti, & meo comiti cœnam providere dignatus eſt. Diviſit ergo

* *f.* cibúmque

[a] *Anno Dominicæ Inc.* DC. LI. inquit Simeon vel potiùs Turgottus in lib. 1. Hiſt. Dunelm. cap. 3. *quo Pontifex Aidanus ad cæleſtia tranſiit, juvenis ille ſanctiſſimus, Chriſto ſoli famulaturus, Monaſterium Marlioſenſe intravit, ſuſceptus à reverentiſſimo Abbate Eatha.* Porro Mailros Scotiæ hodiernæ locus, *in ripa Tindi fluminis* (vulgò *Teude*) *poſitus* dicitur apud Bedam in Hiſt. lib. 4. cap. 27.

[b] Beda in Hiſt. lib. 3. cap. 5. id laudis tribuit S. Aidano, de quo ſuprà, Lindisfarnenſi Epiſcopo, quòd *ejus exemplis informati tempore illo religioſi quique viri ac feminæ conſuetudinem fecerunt per totum annum, excepta remiſſione Quinquageſimæ Paſchalis, quartâ & ſextâ feriâ jejunium ad nonam uſque horam protelare.*

[c] Apud Anonymum locus declaratur lib. 1. *Pergente namque eo ab Auſtro ad flumen quod Wir nominatur, in eo loco ubi Leunckeſter dicitur : & tranſvadato eo ad habitacula vernalia & æſtivalia, propter imbrem & tempeſtatem reverſus eſt.*

AN. CHR. DC. XXCVII. MARTII XX.

fragmen panis quod invenit, partémque ejus dimidiam equo dedit, reliquum ſuo eſui reſervavit: atque ex illo jam die promptior factus eſt ad jejunandum: quia nimirum intellexit, ejus dono ſibi refectionem procuratam in ſolitudine, qui quondam Heliam ſolitarium, quia nullus hominum aderat qui miniſtraret, ejuſdem modi cibo per volucres non pauco tempore pavit: cujus oculi ſuper timentes eum, ſperantes autem in miſericordia ejus, ut arripiat à morte animas eorum & alat eos in fame. Hæc mihi religioſus noſtri Monaſterij, quod eſt ad oſtium Wiri fluminis, Preſbyter nomine INGWALD, qui nunc longè gratiâ ſenectutis magis mundo corde cæleſtia quàm terrena carnalibus contemplatur adſpectibus, ab ipſo Cuthberto jamtunc Epiſcopo ſe audiſſe perhibuit [a].

VI. *Quale teſtimonium illi ad Monaſterium venienti* BOISILUS *vir ſanctus in ſpiritu perhibuerit: útque ipſe ibidem vixerit.*

10. INTEREA venerabilis Dei ſervus, relictis ſæculi rebus, Monaſterialem properat ſubire diſciplinam, utpote cæleſti viſione ad appetenda perpetuæ gaudia beatitudinis incitatus, ad tolerandam pro Domino eſuriem ſitimque temporalem epulis invitatus cæleſtibus. Et quidem Lindisfarnenſem Eccleſiam multos habere ſanctos viros quorum doctrinâ & exemplis inſtrui poſſet noverat, ſed famâ præventus BOISILI ſublimium virtutum Monachi & Sacerdotis Mailros petere maluit: caſúque contigit, ut cùm illò perveniens equo deſiliſſet, ingreſſúrúſque ad orandum Eccleſiam, ipſum pariter equum & haſtam quam tenuerat manu miniſtro dediſſet, (necdum enim habitum depoſuerat ſæcularem) Boiſilus ipſe præ foribus Monaſterij conſiſtens prior illum viderer. Prævidénſq; in ſpiritu quantus converſatione eſſet futurus quem cernebat, hoc unum dixit adſtantibus. Ecce ſervus Dei. Imitatus illum qui venientem ad ſe Nathanael intuitus: *Ecce*, inquit, *vere Iſraëlita in quo dolus non eſt.* Sicut religioſus ac veteranus Dei famulus & Preſbyter SIGFRIDUS [b] ſolet atteſtari, qui eidem Boiſilo hæc dicenti inter alios adſtabat, tunc in ipſo Monaſterio adoleſcens, primis adhuc Monachicæ vitæ rudimentis inſtitutus, nunc in noſtro id eſt Gyrvenſi Monaſterio perfectum in Chriſto agens virum: & inter ægra ſpiritûs extremi ſuſpiria, lætum vitæ alterius ſitiens introitum. Nec plura loquens Boiſilus, pervenientem mox ad ſe Cuthbertum benignè ſuſcepit, cauſámque itineris exponentem, quia videlicet Monaſterium ſæculo prætulerit, benignus ſecum retinuit. Erat enim Præpoſitus ejuſdem Monaſterij.

Ioh. 1. 47.

11. Et poſt dies paucos adveniente viro beatæ recordationis EATA tunc Presbytero & Abbate Monaſterij ipſius, poſtea Lindisfarnenſis Eccleſiæ ſimul & ejuſdem loci Antiſtite, indicavit ei de Cuthberto, & quia boni propoſiti animum gereret expoſuit: obtinuítque apud eum, ut acceptâ tonſurâ [c] Fratrum jungeretur conſortio. Quod ingreſſus Monaſterium, confeſtim æqualem ceteris Fratribus vitæ regularis obſervantiam tenêre, vel etiam artioris diſciplinæ ſtudiis ſupergredi curabat: legendi videlicet, operandi, vigilandi atque orandi ſollertior. Sed & juxta exempla Samſonis fortiſſimi quondam Nazaræi, ab omni quod inebriare poteſt ſedulus abſtinebat. Non autem tantam eſcarum valebat ſubire continentiam, ne neceſſariis minùs idoneus efficeretur operibus. Erat enim ro-

a Anonymus miracula compendio perſtringens hæc addit in fine lib. 1. *Omitto quomodo in caſtris contra hoſtem cum exercitu ſedens, ibique habens ſtipendia parva, tamen omne ſpatium abundanter vivens divinè auctus eſt, ſicut Daniel & tres pueri cibo regali non contenti, ſervili tamen & eo parviſſimo mirè ſaginati ſunt. Necnon prætereo quomodo animam Prafecti in obitu ſuo ad cælum elevari vidit.* Quæ à Beda reticentur.

b Diſtinguendus Sigifridus iſte à Sigifrido Abbate Yviremuthenſi & Girvenſi, quem anno DC. XXCIX. obiiſſe, in Actis S. Benedicti Biſcopi dicemus.

c Tonſuræ Petri formam, in modum coronæ ſpineæ caput Chriſti cingentis, Domino adjuvante ſuſceperat, inquit Anonymus initio lib. 2. Certè Northumbrij Catholicum Paſcha & Romanam tonſuram anno DC. LXIV. immo antea Monachi Hripenſes ſuſceperant, teſte Beda in lib. 3. Hiſt. cap. 25. Hinc Cuthbertus morti proximus diſcipulos monet de fugiendis Schiſmaticis, infrà cap. 39.

buſtus corpore & integer viribus: atque ad quæcumque volebat aptus exercitia laboris. AN. CHR. DC. XXCVII. MARTII XX.

VII. *Quomodo Angelum hoſpitio recipiens, dum panem quærit miniſtrare terrenum, cæleſti ab eo remunerari meruerit.*

12. CUMQUE poſt aliquot annos Regi ALCHFRIDO placeret pro redemptione animæ ſuæ locum quemdam Regni ſui qui vocatur In-Hripum[a] ad conſtruendum ibidem Monaſterium Eatano Abbati donare; tollens idem Abbas quoſdam è Fratribus ſecum, in quibus & Cuthbertum, condidit ibi quod petebatur Monaſterium: atque eiſdem quibus antea Mailros inſtituris diſciplinæ regularis imbuit. Ubi famulus Domini Cuthbertus ſuſcipiendorum officio præpoſitus hoſpitũ probandæ ſuæ gratiâ devotionis, Angelum Domini ſuo ſuſcepiſſe fertur hoſpitio. Exiens enim primo mane de interioribus Monaſterij ædibus ad hoſpitum cellulam, invenit ibi quēdam ſedentem iuvenem: quē hominem æſtimans, ſolito mox humanitatis more ſuſcepit. Nam lavãdis manibus aquam dedit, pedes ipſe abluit, linteo exterſit, fovendos humiliter manibus ſuo in ſinu compoſuit: atque ut horam diei tertiam etiam cibo reficiendus exſpectaret rogavit: ne ſi jejunus iret, fame pariter & frigore laſſaretur hiberno. Putabat namque hominem nocturno itinere ſimul & flatibus defeſſum niveis, illò requieſcendi gratiâ diluculo divertiſſe. Negavit ille; & ſe citò iturum, quia longiùs eſſet manſio ad quam properaret reſpondit. At Cuthbertus diu multúmque rogans, tandem adjuratione addita Divini nominis ad manendum coëgit. Statímque ut expletis horæ tertiæ precibus, veſcendi tempus[b] aderat, appoſuit menſam, ſumendas obtulit eſcas: &, Obſecro te, inquit, Frater, reficias, dum rediens panem calidum affero, ſpero enim quia jam cocti ſunt. At ubi rediit, non invenit hoſpitem, quem edentem reliquerat. Explorat veſtigia quà iret, ſed nulla uſpiam invenit. Recens autem nix terram texerat, quæ facillimè viantis iter proderet, & quò declinaret monſtraret. Stupefactus ergo vir Dei & ſecum quærens de facto, repoſuit menſam in conclavi. Quod ingreſſus, continuò obviam habuit miri odoris fragrantiam. Circumſpiciens autem unde eſſet orta tanta odoris ſuavitas, vidit juxtà poſitos tres panes calidos inſoliti candoris & gratiæ: pavénſque talia ſecum loquitur: Cerno quòd Angelus Dei erat quem ſuſcepi, paſcere non paſci veniens. En panes attulit, quales terra gignere nequit. Nam & lilia candore, & roſas odore, & mella præcellunt ſapore. Unde conſtat, quia non de noſtra tellure orti, ſed de paradiſo voluptatis ſunt allati. Nec mirum quòd epulas in terris ſumere reſpuerit humanas, qui æterno vitæ pane fruitur in cælo. Itaque vir Domini de oſtenſa miraculi virtute compunctus, majorem ex eo virtutum operibus curam impendebat. Creſcentibus autem virtutibus, crevit & gratia cæleſtis. Denique ſæpiùs ex eo tempore Angelos videre & alloquí, ſed & eſuriens cibis ſpeciali ſibi munere à Domino præparatis meruit refici. Nam quia affabilis & jocundus erat moribus, plerumque dum ad exemplum vivendi præſentibus Patrum præcedentium geſta referret, etiam quid ſibi doni ſpiritualis ſuperna pietas contulerit, humiliter interſerere ſolebat. Et aliquando quidem palàm, aliquando autem velatè quaſi ſub perſona alterius id facere curabat. Quod tamen qui audiêre quia de ſeipſo dixerit intelligebant, juxta exemplum Magiſtri gentium, qui modò apertè ſuas virtutes replicat, modò ſub prætextu alterius perſonæ loquitur dicens: *Scio hominem in Chriſto ante annos quatuordecim, raptum uſque ad tertium cælum*, & cetera illius loci. 2. Cor. 12.

a *Rippam*, inquit Camdenus Saxonicè *Hrippum* inter Urum fluvium ac limitem Septemtrionalis & Occidentalis Ducatûs Eboracenſis & Skell fluviolum locatum erat. De eo Beda non ſemel in hiſtoria ſua loquitur, in lib. 3. cap. 25. ait Vvilfrido donatum ab Alchfrido Rege fuiſſe *Monaſterium quadraginta familiarum in loco qui dicitur In-Hrippum, quem paullo antè eis qui Scotos ſequebantur, in poſſeſſionem Monaſterij dederat.* Iſthic annis tribus vixiſſe ac demum ſepultus fuiſſe Vvilfridus dicitur in lib. 5. cap. 20.

b Ergóne veritum erat tunc temporis ante horam tertiam ſumere cibum? Certè Concilium Cartaginenſe cap. 12. convivia ante horam tertiam fieri cavet apud Burchardum lib. 2. cap. 165.

AN. CHR. DC.XXCVII. MARTII XX.

VIII. *Quomodo ſanato à languore Cuthberto, Boiſilus moriturus omnia quæ ei ventura erant prædixerit.*

13. INTEREA quia fragilis eſt & amore freti volubilis omnis ſæculi ſtatus; inſtante ſubito turbine præfatus Abbas Eata cum Cuthberto & ceteris quos ſecum adduxerat Fratribus domum repulſus eſt: & locus Monaſterij quod condiderat, aliis ad incolendum Monachis datus. Nec memoratus athleta Chriſti mutatione loci mutavit mentem ab arrepto ſemel propoſito militiæ cæleſtis: verùm diligentiſſimè juxta quod & antè facere conſueverat, B. Boiſili dictis pariter auſcultabat & actis. Quo tempore ſicut HEREFRIDUS familiaris ejus Preſbyter & Abbas quondam Monaſterij Lindisfarnenſis ipſum referre ſolitum teſtatur; morbo peſtilentiæ quo tunc plurimi per Britanniam longè latéque deficiebant correptus eſt. At Fratres Monaſterij illius totam pro ejus vita & ſalute precantes duxêre noctem pervigilem. Omnes enim quaſi hominis ſancti neceſſariam ſibi ejus adhuc in carne præſentiam rebantur. Quod dum ipſi mane quidam de illis indicaret (nam neſcio eo fecerant) reſpondens ſtatim; Et quid jaceo, inquit? neque enim dubitandum eſt, quin tot taliúmque virorum preces Deus non reſpexerit: date baculum & caligas. Statímque exſurgens, cœpit tentare inceſſum baculo innitens: & creſcente per dies virtute ſanitatem quidem recepit, ſed quia tumor qui in femore parebat, paullatim à ſuperficie detumeſcens corporis ad viſcerum interiora perlapſus eſt, toto pæne vitæ ſuæ tempore aliquantulum interaneorum non ceſſabat ſentire dolorem: videlicet ut
2. Cor. 12. 9. juxta Apoſtolum, virtus in infirmitate perficeretur.

14. Quem cùm famulus Domini Boiſilus à valitudine ſanatum cerneret, ait: Vides, Frater, quia liberatus es à moleſtia qua laborabas, & dico tibi quod eâ jam ultra tangendus non es, neque hoc moriturus in tempore: ſimúlque ut quia me mors vicina præſtolatur, moneo doceri à me aliquid quamdiu dicere valeam non omittas. Non enim pluſquam ſeptem dies ſunt: quibus mihi ad docendum ſanitas corporis & linguæ ſuppetat virtus. Reſpondit Curthbertus, nihil hæſitans de veritate dictorum illius: Et quid rogo optimum mihi eſt legere, quod tamen unâ valeam conſummare ſeptimanâ? At ille: Johannem, inquit,
a Evangeliſtam. Eſt autem codex [a] habens quaterniones ſeptem, quas ſingulis diebus ſingulas poſſumus Domino adjuvante legendo, & quantum opus eſt inter nos conferendo percurrere. Factumque eſt ut dixerat. Quam ideo lectionem tam citiſſimè complere valebant, quia ſolam in ea fidei quæ per dilectionem operatur ſimplicitatem, non autem quæſtionum profunda tractabant. Completa ergo poſt dies ſeptem lectione, memorato morbo arreptus vir Domini Boiſilus diem pervenit ad ultimum, & hoc magna cum exſultatione transſcenſo ad gaudium perpetuæ lucis intravit
b [b]. Ferunt illum his ſeptem diebus omnia Cuthberto, quæ ei futura reſtabant expoſuiſſe: propheticus namque, ut dixi, & miræ ſanctitatis erat homo. Denique præfatæ acerbitatem peſtilentiæ triennio priuſquam veniret Eatano Abbati ſuo filio futuram, nec ſe illâ tollendum celavit: ipſum verò Abbatem ſuum non eâ moriturum, ſed illo potiùs morbo quem dyſenteriam Medici appellant: veridico (ut rerum exitus docuit) ſermone præmonuit. Sed & Cuthberto inter alia, quia Epiſcopus eſſet ordinandus inſinuavit. Unde idem Cuthbertus poſtmodùm in ſeceſſu anachoreſeos poſitus, dicere quidem nulli volebat, quia Epiſcopum eum prædixerat futurum; ſed tamen viſitantibus ſe aliquoties Fratribus, ſolebat multo cum dolore pro-

a In lib. Mirac. S. Cuthberti cap. ultimo, dicitur iſte codex in Eccleſia Dunelmenſi aſſervari.

b Anno circà DC. LXIV. & quidem V. Idus Septemb. quo die in Faſtis Benedict. celebratur. De eo agit etiam Beda in lib. 4. Hiſt. cap. 27, ubi ſtatuit *Monaſterium Mailros in ripa Tuidi fluminis poſitum* in Angliæ Scotiæque confiniis, cujus Monaſterij poſtea ad Ciſtercienſes devoluti veſtigia quædam ſuperſunt, teſtante Davide Camerario.

teſtari, quia etiamſi fieri poſſit, ut incautè permodicam domunculam habens deliteam, ubi circumferentes me undique fluctus Oceani tumeſcentis à cunctorum mortalium viſu pariter & cognitione ſecludant; nec ſic quidem liberum me ab inſidiis mundi fallentis æſtimo, ſed ibi quoque quia qualibet ex cauſa philargyria me tentans abripere poſſit vereor. AN. CHR. DC XXCVII. MARTII XX.

IX. *Quàm ſedulus erga miniſterium verbi Cuthbertus exſtiterit.*

15. POST obitum verò dilecti Deo Sacerdotis Boiſili, memoratum Præpoſiti officium Cuthbertus ſuſcepit, & per aliquot annos ſpirituali, ut ſanctum decebat, exercens induſtriâ, non ſolùm ipſi Monaſterio regularis vitæ monita ſimul & exemplum præferebat, ſed & vulgus circumpoſitum longè latéque à vita ſtultæ conſuetudinis ad cæleſtium gaudiorum convertere curabat amorem. Nam & multi fidem quam habebant iniquis profanabant operibus: & aliqui etiam tempore mortalitatis, neglecto fidei quo imbuti erant Sacramento, ad erratica idolatriæ [a] medicamina currebant: quaſi miſſam à Deo Conditore plagam per incantationes vel alligaturas vel alia quælibet dæmoniacæ artis arcana cohibere valerent. Ad utrorumque ergo corrigendum errorem crebrò ipſe de Monaſterio egreſſus, aliquoties equo ſedens, ſed ſæpiùs pedes incedens, circumpoſitas veniebat ad villas, & viam veritatis prædicabat errantibus: quod ipſum etiam Boiſilus ſuo tempore facere conſueverat. Erat quippe moris eo tempore populis Anglorum, ut veniente in villam Clerico vel Preſbytero cuncti ad ejus imperium verbum audituri confluerent, libenter ea quæ dicerentur audirent, libentiúſque quæ audire & intelligere poterant operando ſequerentur. Porro Cuthberto tanta docendi peritia, tantus amor perſuadendi quæ cœperat, tale vultûs Angelici lumen erat, ut nullus præſentium latebras ei ſui cordis celare præſumeret, omnes palàm quæ geſſerant confitendo proferrent, quia nimirum hæc eadem illam latêre nullo modo putabant: & confeſſa dignis ut imperabat pœnitentiæ fructibus abſtergerent. Solebat autem ea maximè loca peragrare, illis prædicare in viculis, qui in arduis aſperíſque montibus procul poſiti aliis horrori erant ad viſendum: & paupertate pariter ac ruſticitate ſua doctorum prohibebant acceſſum. Quos tamen ille pio libenter mancipatus labori, tantâ doctrinæ excolebat induſtriâ, ut de Monaſterio egrediens ſæpe hebdomadâ integrâ, aliquando duabus vel tribus, nonnumquam etiam menſe pleno domum non rediret: ſed demoratus in montanis, plebem ruſticam verbo prædicationis ſimul & exemplo virtutis ad cæleſtia vocaret. NOTA.

X. *Quomodo animalia maris in quo pernox oraverat, illi egreſſo præbuerint obſequium, & Frater qui hoc videbat præ timore langueſcens, ejus ſit oratione recreatus.*

16. CUM verò ſanctus vir eodem Monaſterio virtutibus ſignísque ſuccreſceret, famáque operum ejus circumquaque crebreſceret; erat Sanctimonialis femina & Mater Ancillarum Chriſti nomine EBBE, regens Monaſterium quod ſitum eſt in loco quem Coludi [b] urbem nuncupant, religione pariter & nobilitate cunctis honorabilis. Namque erat ſoror uterina Regis OSWINI. Hæc

[a] Sic ſcribebant mediæ ætatis Scriptores, quamquam *idololatriæ* reponendum eſt.

[b] Turgotus in lib. 2. cap. 17. *urbem Coldingham* vocat. Urbs eſt hodiernæ Scotiæ in Marchia ſeu Merſia: quo *in loco, diverſis tamen ſeparatæ manſionibus, erant Monachorum Sanctimonialiumque congregationes, qui paullatim à Regularis diſciplinæ ſtatu deſluentes, inhoneſta invicem familiaritate decipiendi occaſionem inimico præbuerunt... Cuthbertus Epiſcopali ſublimatus Cathedra, ne ſui vel præſentes vel futuri quandoque tali exemplo Dei ſuper ſe iram provocarent, omne ab eis feminarum ſeparavit conſortium.* Lege Obſervationes prævias. De S. Ebba Abbatiſſa Coludenſi lege Vitam S. Ethildritæ ad ann. 679. Vixit aliquamdiu Ethildrita in eodem Monaſterio, & S. Cuthberto *Stolam ac manipulum* donaviſſe dicitur in Vitæ propriæ cap. 9.

AN. CHR. DC.XXCVII. MARTII XX.

ad virum Dei mittens, rogavit ut se suúmque Monasterium gratiâ exhortationis invisere dignaretur. Nec negare potuit quod ab eo caritas ex Ancillæ Dei corde poposcit. Venit ergo ad locum, diésque aliquot ibi permanens, viam justitiæ quam precabatur, omnibus actu pariter & sermone pandebat.

17. Qui cùm more sibi solito quiescentibus noctu ceteris ad orationem solus exiret, & post longas intempestæ noctis vigilias, tandem instante hora communis Synaxeos domum rediret; quadam nocte unus è Fratribus ejusdem Monasterij cùm egredientem illum silentio cerneret, clanculò secutus ejus vestigia, quò ire, quídve agere vellet dignoscere quærebat. At ille egressus Monasterio, sequente exploratore descendit ad mare, cujus ripæ Monasterium idem superpositum erat: ingressúsque altitudinem maris donec ad collum usque & brachia unda tumens adsurgeret, pervigiles undisonis in laudibus tenebras noctis exegit. Appropinquante autem diluculo adscendens in terram, denuo cœpit in litore flexis genibus orare. Quod dum ageret, venêre continuo duo de profundo maris quadrupedia, quæ vulgò Lutreæ vocantur. Hæc ante illum strata in arena, anhelitu suo pedes ejus fovere cœperunt, ac villo satagebant extergere: completóque ministerio percepta ab eo benedictione, patrias sunt relapsa sub undas. Ipse quoque mox domum reversus, canonicos cum Fratribus hymnos hora competente complevit. At Frater qui eum de speculis præstolabatur, perculsus pavore ingenti, vix præ angustia premente domum nutante gressu pervenit: primóque mane accedens ad eum, sese in terram stravit, veniam de reatu stulti ausûs cum lacrymis flagitavit: nil dubitans illum nosse quid ipse noctu egerit, quídve pateretur. Cui ille: Quid, inquit, habes Frater? quid fecisti? Num nostrum iter nocturnum lustrando explorare tentâsti? Sed & ea solùm conditione tibi hoc indulgeo commissum, si promiseris te quæ vidisti nulli ante meum obitum esse dicturum. In quo nimirum præcepto ejus secutus est exemplum, qui Discipulis in monte gloriam suæ Majestatis ostendens ait: *Nemini dixeritis visionem: donec filius hominis à mortuis resurgat.* Promittentem ergo quæ jusserat Fratrem benedixit, paritérque culpam & molestiam quam temerarius incurrerat absterssit. Qui virtutem quam viderat, ipso vivente silentio tegens, post obitum ejus plurimis indicare curabat[a].

Matth. 17.

XI. *Quomodo nautis tempestate præclusis serenum mare ad certum prædixerit, & orando cibos impetraverit.*

18. COEPIT interea vir Dei etiam prophetiæ spiritu pollere, ventura prædicere, præsentibus absentia nuntiare. Quodam etenim tempore pergens de suo Monasterio pro necessitate causæ accidentis, ad terram Pictorum, qui Niduari vocantur, navigando pervenit, comitantibus eum duobus è Fratribus: unus postea Presbyterij functus officio, virtutem miraculi quam ibidem vir Domini monstravit, multorum notitiæ patefecit. Venerunt autem illò post Natalis Dominici diem, sperantes se quia undarum simul & aurarum arridebat temperies, citiùs esse redituros: ideóque nec cibaria secum tulêre tamquam citiùs reversuri. Sed longè aliter quàm putabant evenit. Nam mox ut terram attigêre, tempestas fera suborta est, quæ iter eis remeandi omne præcluderet. Cúmque per dies aliquot ibidem inter famis & frigoris pericula taberent, quo tamen tempore vir Dei non marcida luxu otia gerere, nec somnis vacare volebat inertibus, sed pernox in oratione perstare satagebat: aderat sacratissima Dominica Apparitionis dies. Tum ille socios blando, ut jocundus atque affabilis erat, sermone alloquitur: Quid, rogo, tantâ ignaviâ torpemus, & non quacumque iter salutis inquirimus? En tellus nivibus, nebulis cælum horrescit, aër flatibus adversis furit, fluctibus æquor: ipsi inopiâ deficimus, nec adest ho-

[a] Præmissum factum *relatu multorum, ex quibus est Pleculf Presbyter*, accepit Anonymus lib. 2.

mo qui reficiat. Pulſemus ergo Dominum precibus, qui ſuo quondam populo maris Rubri viam aperuit, cúmque in deſerto mirabiliter pavit, orantes ut noſtri quoque miſereatur in periculis. Credo ſi non noſtra fides titubat, non vult nos hodierna die jejunos permanere: quam ipſe per tot ac tanta ſuæ miracula Majeſtatis illuſtrare curavit. Precórque eamus alicubi, quærentes quid nobis epularum in gaudium ſuæ feſtivitatis præſtare dignetur. Hæc dicens, eduxit eos ſub ripam quo ipſe noctu pervigil orare conſueverat: ubi advenientes invenerunt tria fruſta delphininæ carnis quaſi humano miniſterio ſecta & præparata ad coquturam: flexíſque genibus gratias egerunt Domino. Dixit autem Cuthbertus: Videtis, Dilectiſſimi, quæ ſit gratia confidendi & ſperandi in Domino. Ecce & cibaria famulis ſuis præparavit, & ternario quoque numero quot diebus hîc reſidendum ſit nobis oſtendit. Sumite ergo munera, quæ miſit nobis Chriſtus, & abeuntes reficiamus nos, maneamúſque intrepidi: certiſſima enim nobis poſt triduum ſerenitas cæli & maris adveniet. Factum eſt ut dixerat: manente triduo tempeſtate prævalida, quarto demum die tranquillitas promiſſa ſecuta eſt, quæ illos ſecundis flatibus in patriam referret. AN. CHR. DC. XXCVII. MARTII XX.

XII. *Quomodo iter faciens, aquilâ miniſtrâ viaticum & percepturum ſe eſſe prædixerit & perceperit.*

19. QUADAM quoque die cùm prædicaturus juxta conſuetudinem ſuam populis de Monaſterio exiret, uno comite puero, jámque diu gradiendo fatigatis non parum adhuc reſtaret itineris [a], quouſque ad vicum quo tendebant pervenirent, ait ad puerum tentans eum: Dic age ſodalis, ubi hodie refici diſponas? an habeas aliquem in via ad quem divertere valeas hoſpitem? At ille reſpondens; Et hæc ipſa mecum, inquit, tacito in corde tractavi: quia nec viaticum ituri tulimus nobiſcum, neque aliquem in itinere notum habemus, qui nos recipere ſuo velit hoſpitio: & non parum adhuc itineris ſupereſt, quod jejuni ſine moleſtia complere nequimus. Cui vir Domini; Diſce, inquit, filiole, fidem ſemper & ſpem in Domino habere, quia numquam fame perit qui Deo fideliter ſervit. Et ſurſum adſpectans vidénſque aquilam in alto volantem; Cernis, inquit, aquilam illam porro volantem? etiam per hujus miniſterium poſſibile eſt Domino nos hodie reficere. Talia confabulantes agebant iter juxta fluvium quemdam: & ecce ſubitò vident aquilam in ripa reſidentem, dixítque vir Dei: Vides ubi noſtra quam prædixi miniſtra reſidet? curre rogo, & quid epularum Domino mittente attulerit inſpice, & citiùs affer. Qui accurrens, attulit piſcem non modicum, quem illa nuper de fluvio prendiderat. At vir Dei: Quid, inquit, feciſti fili? Quare miniſtræ partem ſuam non dediſti? Seca citiùs medium, & illi partem quam nobis miniſtrando meretur remitte. Fecit ut juſſerat, tultáque* ſecum parte reliqua, ubi tempus reficiendi aderat, diverterunt ad proximum vicum: & dato ad aſſandum piſciculo ſe pariter & eos, ad quos intrabant, gratiſſimo refecêre convivio, prædicante Cuthberto verbum Dei atque ejus beneficia collaudante: & quia beatus vir cujus eſt nomen Domini ſpes ejus, & non reſpexit in vanitates & inſanias falſas. Ac ſic reſumpto itinere, ad docendum eos quos propoſuêre profecti ſunt.

[a]

* *Sic MS. cod. pro* ſublata.

XIII. *Quomodo prædicans populis phantaſticum ſubitò ignem diaboli & præviderit venturum, & venientem exſtinxerit.*

20. EODEM tempore dum congregatis in quadam villula perplurimis verbum Dei prædicaret, prævidit ſubitò in ſpiritu antiquum hoſtem ad

[a] ANONYMUS lib. 2. *Supradictus autem Presbyter Tydi aliud miraculum quod multis cognitum eſt indicavit: ſcilicet quodam die proficiſcebatur juxta fluvium Teſgeta tendens in Meridiem, inter montana docens ruſticanos & baptizabat. Habens quoque puerum in comitatu*, &c.

AN. CHR. DC. XXCVII. MARTII XX.

retardandum opus salutis adesse: móxque ejus insidias quas futuras intellexit, docendo præoccupare curavit. Namque inter ea quæ disputaverat, repentè hujusmodi monita inseruit: Oportet, carissimi, ut quoties vobis mysteria regni cælestis prædicantur, intento hæc corde & sensu semper vigilantissimo audiatis: ne fortè diabolus qui mille nocendi habet artes, supervacuis vos curis ab æternæ salutis auditione præpediat. Et hæc dicens denuo sermonis quem prætermiserat ordinem repetiit: statímque hostis ille nequissimus phantasticum deferens ignem domum juxtà positam incendit: itaut viderentur faces ignium totam volitare per villam, ac juvante vento fragor aëra concutere. Tunc exsiliens quasi ad exstinguendum ignem turba pæne tota quam docebat (nam paucos ipse manu missa retinuit) certatim aquas jactabat, nec tunc unda vera falsas potuit restinguere flammas, donec orante viro Dei Cuthberto, fugatus auctor fallaciarum ficta secum incendia vacuas reportaret in auras. Quod videns turba multùm salubriter erubuit, rursúsque ad virum Dei ingressa, flexis genibus instabilis animi veniam precabatur; confitens se intellexisse, quia diabolus ab impedienda salute humana nec ad horam vacaret. At ipse confirmans inconstantiam fragilium, rursus quæ cœperat vitæ monita exsequitur.

XIV. *Quomodo flammas domûs cujusdam vero igne ardentis orando restinxerit.*

21. NEc tantùm ignem phantasticum, sed etiam verum, quem multi frigidis fontium undis minimè valebant exstinguere, ipse solus ferventibus lacrymarum rivulis compressit. Siquidem dum more Apostolorum gratiâ salutiferæ instructionis universa pertransiret, devenit die quadam in domum cujusdam devotæ Deo feminæ [a] quam crebriùs invisere curabat, quia & bonis operibus intentam noverat, & ipsa eum primis pueritiæ nutriebat ab annis: unde & mater ab eo cognominari solebat. Habebat autem domum in Occidentali parte viculi. Quam cùm vir Domini Cuthbertus verbum seminaturus intraret, repentè in Orientali plaga ejusdem vici per culpam incuriæ, domus incensa vehementer cœpit ardere. Nam & ventus ab eodem climate exsurgens non modicus abripiebat ignitos fœnei tecti fasciculos, & totam latè jactabat per villam. Jactantes aquam qui aderant, fortior flamma repulit, longiúsque fugavit. Tum præfata Dei famula cucurrit concita ad domum in qua virum Dei receperat, obsecrans ut orando succurreret, priusquam domus ipsius & tota simul villa periret. At ille; Ne timeas, inquit, mater: animæquior esto: non enim tibi tuísve hæc quàmlibet ferox flamma nocebit. Statímque egressus, ante ostium sternitur in terram: quo adhuc orante, mutatur flatus ventorum, spiránsque ab occasu totum tanti incendii periculum ab invasione villulæ quam vir Domini intraverat rejecit. Sícque in duobus miraculis duorum Patrum est virtutes imitatus: in phantasticis quidem prævisis & evacuatis incendiis virtutem reverentissimi & sanctissimi Patris

Greg. lib. 2. Dial. c. 10. BENEDICTI, qui simulatum ab antiquo hoste quasi ardentis coquinæ incendium ab oculis discipulorum orando pepulit. In veris verò æquè victis ac retortis

Id. lib. 1. Dial. c. 6. ignium globis, virtutem venerabilis Marcellini Anchonitani Antistitis, qui ardente eadem civitate, ipse contra ignem positus orando flammas compescuit, quas tanta civium manus aquam projiciendo nequiverat. Nec mirandum perfectos & fideliter Deo servientes viros tantam contra vim flammarum accipere potestatem, qui cotidianâ virtutum industriâ & incentiva suæ carnis edomare, & omnia tela nequissimi ignea norunt exstinguere. Quibus aptissimè congruit

[a] Anonymi verba ex lib. 2. haud prætermittenda sunt. *Eodem tempore invitatus est sanctus homo Dei à quadam muliere quæ dicitur Kenspid, adhuc vivens, Sanctimonialis vidua, quæ enutrivit eum ab octo annorum usque ad perfectam ætatem, in qua servitium Dei arripuit: ideo namque eam Matrem appellavit, sæpe visitans eam. Venit quadam die ad villam in qua habitabat, quæ dicitur Hruringaham, tunc ardente domo quæ in extrema parte vici*, &c.

illud propheticum : *Cùm tranſieris per ignem non comburèris, & flamma non ardebit in te.* At ego & mei ſimiles propriæ fragilitatis & inertiæ conſcii, certi quidem ſumus quia contra ignem materialem nil tale audemus ; incerti autem an ignem illum inexſtinguibilem futuræ caſtigationis immunes evadere queamus. Sed potens eſt & larga pietas Salvatoris noſtri, quæ indignis nobis & nunc ad exſtinguenda vitiorum incendia, & ad evadendas in futuro pœnarum flammas gratiam ſuæ protectionis impendat. AN. CHR. DC.XXCVII. MARTII XX. *Iſa* 43.

XV. *Qualiter dæmonium ab uxore Præfecti necdum veniens ejecerit.*

22. VERÙM quia paullo ſuperiùs quantum idem venerabilis Cuthbertus adverſum ſimulaticias diaboli fraudes valuerit expoſuimus ; nunc etiam quid adverſus verum apertúmque ejus furorem valeat explicemus. Erat Præfectus EGFRIDI Regis HILDINER nomine, vir religioſis cum omni domo ſua deditus operibus, ideóque à B. Cuthberto ſpecialiter dilectus, & cùm itineris propinquitas congrueret crebrò ab eo viſitatus. Cujus uxor cùm eleëmoſynis & ceteris virtutum fructibus eſſet intenta, ſubitò correpta à dæmone accerrimè cœpit vexari : itaut ſtridendo dentibus, voces miſerabiles emittendo, brachia vel cetera ſui corporis membra in diverſa raptando, non minimum cunctis intuentibus vel audientibus incuteret horrorem. Cúmque jaceret exploſa, jamjámque videretur eſſe moritura, adſcendit vir ejus equum, & concitus venit ad hominem Dei, precatúſque eſt eum dicens : Obſecro quia uxor mea malè habet, & videtur jam proxima morti, ut mittas Preſbyterum qui illam priuſquam moriatur viſitet, eíque Dominici Corporis & Sanguinis ſacramenta miniſtret : ſed & corpus illius hîc in locis ſanctis ſepeliri permittas. Erubeſcebat enim eam confiteri inſanam, quam vir Domini ſobriam ſemper videre conſueverat. Qui cùm parumper ab eo diverteret, viſurus quem mitteret Preſbyterum cum illo, cognovit repentè in ſpiritu, quia non communi infirmitate, ſed dæmonis infeſtatione premeretur conjunx pro qua ſupplicabat. Reverſúſque ad eum ; Non, inquit, alium, ſed ipſe ad viſitandam eam tecum pergere debeo. Cúmque agerent iter, cœpit flere homo, & dolorem cordis profluentibus in maxillam prodere lacrymis. Timebat enim ne cùm eam dæmonioſam inveniret, arbitrari inciperet, quia non integra Domino ſed ficta fide ſerviſſet. Quem vir Domini blandè conſolatus ; Noli, inquit, plorare quaſi inventurus ſim conjugem tuam qualem non velim : ſcio enim ipſe, quamvis te dicere pudeat, quia dæmonio vexatur ; ſcio etiam quia priuſquam illò pervenerimus, fugato dæmonio liberabitur, ac nobis advenientibus cum gaudio occurrens, has ipſa habenas ſaniſſima mente excipiet, nóſque intrare citiùs obſecrans, miniſterium quod conſueverat nobis ſedula impendet. Neque enim tali tormento ſoli ſubjiciuntur mali, ſed occulto Dei judicio aliquoties etiam innocentes in hoc ſæculo non tantùm corpore, ſed & mente captivantur à diabolo. Dúmque hæc & hujuſmodi verba in conſolationem & eruditionem illius perorante Cuthberto appropinquarent domui, fugit repentè ſpiritus nequam, adventum Spiritus-ſancti, quo plenus erat vir Dei, ferre non valens. Cujus ſoluta vinculis mulier, quaſi gravi expergefacta de ſomno, ſurrexit continuò : ac viro Dei gratulabunda occurrens, jumentum quo ſedebat per frenum tenuit. Móxque ad integrum recepto vigore mentis & corporis, eum citò deſcendere atque ad benedicendam domum ſuam precabatur ingredi : devotúmque miniſterium præbens, teſtabatur palàm quomodo ad primum freni ejus tactum omni ſe moleſtia priſcæ vexationis abſolutam ſenſiſſet.

AN. CHR. DC. XXCVII. MARTII XX.

XVI. *Qualiter in Lindisfarnenſi Monaſterio vixerit vel docuerit.*

23. CUM ergo venerabilis Domini famulus multos in Mailroſenſi Monaſterio degens annos, multis virtutum ſpiritualium clareſceret ſignis; tranſtulit eum reverentiſſimus Abbas ipſius Eata in Monaſterium, quod in Lindisfarnenſium inſula ſitum eſt, ut ibi quoque Regulam [a] Monachicæ perfectionis & Præpoſiti auctoritate doceret, & exemplo virtutis oſtenderet. Nam & ipſum locum tunc idem reverentiſſimus Pater Abbatis jure regebat. Neque aliquis miretur quòd in eadem inſula Lindisfarnea cùm permodica ſit, & ſuprà Epiſcopi & nunc Abbatis & Monachorum eſſe locum dixerimus: revera enim ita eſt. Namque una eadémque ſervorum Dei habitatio utroſque ſimul tenet, immo omnes Monachos tenet. Aidanus quippe, qui primus ejuſdem loci Epiſcopus fuit, Monachus erat: & Monachicam cum ſuis omnibus vitam ſemper agere ſolebat. Unde ab illo omnes loci ipſius Antiſtites uſque hodie ſic Epiſcopale exercent officium, ut regente Monaſterium Abbate quem ipſi cum conſilio Fratrum elegerint, omnes Preſbyteri, Diacones, Cantores, Lectores, ceteríque gradus Eccleſiaſtici Monachicam per omnia cum Epiſcopo ipſo Regulam ſervent. Quam vivendi normam multùm ſe diligere probavit beatus Papa Gregorius, cùm ſciſcitanti per litteras Auguſtino, quem primum genti Anglorum Epiſcopum miſerat, qualiter Epiſcopi cum ſuis Clericis converſari debeant, reſpondit inter alia: Sed quia tua fraternitas Monaſterii Regulis erudita ſeorſum fieri non debet à Clericis ſuis: in Eccleſia Anglorum, quæ Deo auctore nuper adhuc ad Fidem perducta eſt, hanc debet converſationem inſtituere, quæ in initio naſcentis Eccleſiæ fuit patribus noſtris: in quibus nullus eorum ex his quæ poſſidebant aliquid ſuum eſſe dicebat: ſed erant illis omnia communia. Igitur ad Lindisfarnenſem Eccleſiam ſive Monaſterium vir Domini adveniens, mox Inſtituta monachica Fratribus vivendo pariter & docendo tradebat, ſed & circumquaque morantem vulgi multitudinem more ſuo crebra viſitatione ad cæleſtia quærenda ac promerenda ſuccendebat. Necnon etiam ſignis clarior effectus, plurimos variis languoribus & tormentis comprehenſos orationum inſtantiâ priſcæ ſanitati reſtituit, & nonnullos ab immundorum ſpirituum vexatione non ſolùm præſens orando, tangendo, imperando, exorcizando; ſed & abſens vel tantùm orando, vel certè eorum ſanationem prædicendo, curavit: in quibus erat & illa Præfecti uxor, de qua ſuprà retulimus.

Greg. in reſpons. ad Auguſt. ad calcem Regiſtri.

24. Erant autem quidam in Monaſterio Fratres, qui priſcæ ſuæ conſuetudini quàm regulari mallent obtemperare cuſtodiæ. Quos tamen ille modeſta patientiæ ſuæ virtute ſuperabat, & cotidiano exercitio paullatim ad melioris propoſiti ſtatum convertebat. Denique ſæpiùs in cœtu Fratrum de Regula diſputans, cum acerrimis contradicentium fatigaretur injuriis, exſurgebat repentè, & placido vultu atque animo egrediens dimittebat conventum, ac ſequente nihilominus die quaſi nil objectionis pridie ſuſtinuiſſet, eadem quæ priùs monita eiſdem dabat auditoribus, donec illos paullatim, ut diximus, ad ea quæ vellet converteret. Erat namque vir patientiæ virtute præcipuus, atque ad perferenda fortiter omnia, quæ vel animo vel corpore adverſa ingerebantur invictiſſimus, nec minùs inter triſtia quæ contigiſſent faciem prætendens hilarem: itaut palam daretur intelligi, quia interna Spiritus-ſancti conſolatione preſſuras contemneret extrinſecas.

NOTA.

25. Sed & vigiliarum atque orationis ita ſtudioſus exſiſtebat, ut aliquoties tres ſive quatuor noctes continuas pervigil tranſegiſſe credatur: cùm per tantum

[a] Quam Regulam diſertè exprimit Anonymus, in lib. 3. *Vivens quoque ibi ſecundum ſanctam Scripturam, contemplativam vitam in actuali agens, & nobis regularem vitam componens conſtituit, quam uſque hodie cum Regula* BENEDICTI *obſervamus.* Hæc Monachus Lindisfarnenſis coævus.

temporis nec ad lectum proprium veniret, nec extra Dormitorium Fratrum locum aliquem in quo pausare posset haberet. Sive enim locis secretioribus solus orationi vacabat, sive inter psallendum operabatur manibus, torporémque dormiendi laborando propellebat; seu certè circuibat insulam, quomodo se singula quæque haberent pius explorator inquirens, pariter & longitudinem psalmodiæ ac vigiliarum incedendo alleviabat. Denique arguere solebat pusillanimitatem Fratrum, qui graviter ferrent, si qui se nocturnæ vel meridianæ quietis tempore importuna fortè inquietudine suscitarent. Nemo, inquiens, mihi molestiam facit me excitando de somno: sed potiùs lætificat me qui excitat. Facit enim me discusso torpore somni, utilitatis aliquid agere vel cogitare. Tantum autem compunctioni erat deditus, tantum cælestibus ardebat desideriis, ut Missarum sollemnia celebrans, nequaquam sine profusione lacrymarum implere posset officium. Sed congruo satis ordine, dum Passionis Dominicæ mysteria celebraret, imitaretur ipse quod ageret, seipsum videlicet Deo in cordis contritione mactando: sed & adstantes populos sursum corda habere, & gratias agere Domino Deo nostro, magis ipse cor quàm vocem exaltando, potiùs gemendo quàm canendo admoneret. Erat zelo justitiæ fervidus ad arguendum peccantes, erat spiritu mansuetudinis modestus ad ignoscendum pœnitentibus, itaut nonnumquam confitentibus [a] sibi peccata sua his qui deliquerant, prior ipse miserans infirmos, lacrymas funderet: & quid peccatori agendum esset, ipse justus suo præmonstraret exemplo. AH. CHR. DC.XXCVII. MARTII XX.

a

26. Vestimentis utebatur communibus: ita temperanter agens, ut horum neque munditiis, neque sordibus esset notabilis. Unde usquehodie in eodem Monasterio exemplo ejus observatur, ne quis variis aut pretiosi coloris habeat indumentum, sed ea maximè vestium specie sint contenti, quam naturalis ovium lana ministrat. His & hujusmodi spiritualibus exercitiis vir venerabilis & bonorum quorumque ad se imitandum provocabat affectum, & improbos quosque ac rebelles vitæ regulari à pertinacia sui revocabat erroris. NOTA de Cuthberti vestimentis.

XVII. *Qualiter sibi in insula Farne pulsis dæmonibus habitationem fecerit.*

27. AT postquam in eodem Monasterio multa annorum curricula [b] explevit, tandem diu concupita, quæsita, ac petita solitudinis secreta, comitante præfati Abbatis sui simul & Fratrum gratia, multùm lætabundus adiit. Gaudebat namque quia de longa conversationis activæ perfectione ad otium Divinæ speculationis jam mereretur adscendere. Lætabatur ad eorum sortem se pertingere, de quibus canitur in Psalmo; *Ambulabunt de virtute in virtutem, videbitur Deus eorum in Sion.* Et quidem in primis vitæ solitariæ rudimentis secessit ad locum quemdam qui in exterioribus ejus Cellæ partibus secretior apparet. At cùm ibidem aliquamdiu solitarius cum hoste invisibili orando ac jejunando certaret, tandem majora præsumens, longinquiorem ac remotiorem ab hominibus locum certaminis petiit. Farne dicitur insula medio in mari posita: quæ non sicut Lindisfarnensium incolarum regio, bis cotidie accedente æstu Oceani, quem rheuma vocant Græci, fit insula, bis renudatis abeunte rheumate litoribus contigua terræ redditur: sed aliquot millibus passuum ab hac semi insula ad b *Psal.* 83.

a Confessionis utque Sacramentalis mentionem pluribus inlocis facit Beda, nimirum in Hist. lib. 4. cap. 25. & lib. 5. cap. 13. & 14. & in ejus dictis relatis in Conc. Regul. cap. 36. §. 6. lege cap. 9. suprà.

b Nempe annos duodecim, sic enim Turgottus in Hist. Dunelm. lib. 1. cap. 7. *Anno ab Inc. Domini* DC. LXXVI. *qui est annus imperii Regis Egfridi septus, cùm vir Domini Cuthbertus in Lindisfarnensis Monasterii Prioratu duodecimum & eo amplius annum transegisset, tandem comitante præfati Abbatis sui simul & Fratrum gratia, anachoretica quoque contemplationis secreta silentia petiit.* Hinc apparet, hocce loquendi genere, *per longa annorum curricula*, aliisque similibus, non semper exprimi (ut quidam opinantur) numerosam quamdam annorum seriem apud mediæ ætatis Scriptores. Grimlaicus in Regula Solitar. cap. 1. scribit B. Arnulfum *post multa annorum curricula* in eremo exacta decessisse: tametsi Arnulfus vix integros decem annos in solitudine vixit. Mittimus exempla id genus sexcenta.

AN. CHR. DC. XXCVII. MARTII XX.

Eurum ſecreta, & hinc altiſſimo & inde infinito claudítur Oceano. Nullus hanc facilè ante famulum Dei Cuthbertum ſolus valebat inhabitare colonus, propter videlicet demorantium ibi phantaſias dæmonum. Verùm intrante eam milite Chriſti armato galea ſalutis, ſcuto fidei, & gladio ſpiritûs, quod eſt verbum Dei, & omnia tela nequiſſimi exſtincta, & ipſe nequiſſimus cum omni ſatellitum ſuorum turba porro fugatus eſt hoſtis.

28. Qui videlicet miles Chriſti, ut devicta tyrannorum acie monarcha terræ quam adierat factus eſt, condidit civitatem * ſuo aptam imperio: & domos in hac æquè civitati congruas erexit. Eſt autem ædificium ſitu pæne rotundum, à muro uſque ad murum menſura quatuor ferme ſive quinque perticarum diſtentum: murus ipſe deforis altior longitudine ſtantis hominis. Nam intrinſecùs vivam cædendo rupem, multo illum fecit altiorem: quatinus ad cohibendam oculorum ſive cogitationum laſciviam, ad erigendam in ſuperna deſideria totam mentis intentionem, pius incola nil de ſua manſione præter cælum poſſet intueri. Quem videlicet murum non de ſecto lapide vel latere vel cæmento; ſed impolitis prorſus lapidibus & ceſpite quem de medio loci fodiendo tulerat compoſuit. E quibus quidam tantæ erant granditatis, ut vix à quatuor viris viderentur potuiſſe levari: quos tamen ipſe Angelico adjutus auxilio illuc attuliſſe aliunde & muro impoſuiſſe repertus eſt. Duas in manſione habebat domos: Oratorium ſcilicet, & aliud ad communes uſus aptum habitaculum: quorum parietes quidem de naturali terra multum intus foriſque circumfodiendo ſive cædendo confecit, culmina verò de lignis informibus & fœno ſuperpoſuit. Porro ad portum inſulæ major erat domus, in qua viſitantes eum Fratres ſuſcipi & quieſcere poſſent, nec longè ab ea fons eorumdem uſibus accommodus.

* *Id eſt*, Monaſterium

XVIII. *Quomodo precibus aquam de arida produxerit, vel qualiter ipſe in anachoreſi vixerit.*

29. AT verò ipſa ejus manſio aquæ erat indiga, utpote in duriſſima & propè ſaxea rupe condita. Accitis ergo vir Dei Fratribus, (necdum enim ſe ab advenientium ſecluſerat adſpectibus) Cernitis, inquit, quia fontis inops ſit manſio quam adii: ſed rogemus obſecro illum qui convertit ſolidam petram in ſtagnum aquæ & rupes in fontes aquarum, ut non nobis ſed nomini ſuo dans gloriam, de hac quoque rupe ſaxoſa nobis venam fontis aperire dignetur. Fecerunt ergo foveam: quam in craſtinum emanante ab internis undâ repletam invenerunt. Unde dubium non erat, hanc orationibus viri Dei de aridiſſima ac duriſſima priùs terra elicitam fuiſſe aquam. Quæ videlicet aqua mirum in modum primis contenta ripis, nec foras ebulliendo pavimentum invadere, nec hauriendo novit deficere, ita moderatâ gratiâ largitoris, ut nec neceſſitati accipientis ſuperflueret, nec ſuſtentandæ neceſſitati copia deeſſet.

30. Facta ergo juvantibus ſe Fratribus manſione ac domibus præfatis, incepit habitare ſolus vir Domini Cuthbertus: & primò quidem venientibus ad ſe Fratribus de ſua cella egredi, eíſque miniſtrare ſolebat. Quorum dum pedes aquâ calidâ devotus lavaret, coactus eſt aliquoties ab eis etiam ſe diſcalciare, ſuóſque pedes illis ad abluendum præbere. Namque intantum à cultu ſui corporis animum ſuſtulerat, atque ad animæ ſolius cultum contulerat; ut ſemel calciatus tibracis [a], quas pellicias habere ſolebat, ſic menſes perduraret integros. Aliquando calciatus in Paſcha, nonniſi poſt annum redeunte Paſchæ tempore propter lavationem pedum quæ in Cœna Domini fieri ſolet ſe diſcalciâſſe dicatur. Unde ob crebras preces incurvationéſque genuum quas calciatus exercebat, callum oblongum nec exilem in confinio pedum & tibiarum habuiſſe deprehenſus eſt. Deinde increſcente ſtudio perfectionis includitur in ſuo Monaſterio, at-

NOTA Lotionem pedum in Cœna Domini.

[a] Id eſt, tibialibus, quas Galli noſtrates etiamnunc *des Triconſes* appellant.

que ab hominum remotus adſpectibus ſolitariam in jejuniis & orationibus & vigiliis diſcit agere vitam: rarum cum advenientibus deintus habens colloquium, & hoc per feneſtram. Qua primitùs aperta, & videri à Fratribus, & Fratres quos alloquebatur ipſe videre gaudebat: exin procedente tempore & ipſam obcluſit, nec niſi dandæ benedictionis vel alterius cujuſlibet certæ neceſſitatis gratiâ referabat. AN. CHR. DC.XXCVII. MARTII XX.

XIX. *Qualiter à meſſe quam ſua manu ſeverat, verbo volucres abegerit.*

31. ET primùm quidem permodicum ab eis panem quo veſceretur accipiebat, ac ſuo bibebat è fonte: poſtmodùm verò proprio manuum labore juxta exempla Patrum vivere magis aptum ducebat. Rogavit ergo afferri ſibi inſtrumenta quibus terram exerceret, & triticum quod ſereret. Sed ſeminata verno tempore terra, nullos uſque ad medium æſtatis reddidit fructus. Unde viſitantibus ſe juxta morem Fratribus aiebat vir Dei: Forſitan aut telluris hujuſce natura, aut voluntas Dei non eſt, ut hoc in loco mihi triticum naſcatur. Afferte rogo hordeum, ſi fortè vel illud fructum facere poſſit. Quòd ſi nec illi Deus incrementum dare voluerit, ſatius eſt mihi ad Cœnobium reverti, quàm alieno hîc labore ſuſtentari. Allatúmque hordeum dum ultra omne tempus ſerendi, ultra omnem ſpem fructificandi terræ commendaret; mox abundanter exortum fecit fructum copioſum. Quod dum matureſcere cœpiſſet, venêre volucres, & huic depaſcendo certatim inſidebant. Ad quos piiſſimus Chriſti ſervus appropians, ſicut ipſe pòſt referebat, (ſolebat enim ſæpe quia læti vultûs & affabilis erat, ad confirmandam fidem audientium aliqua etiam de his quæ ipſe credendo obtinuerat, in medium proferre) Quid tangitis, inquit, fata quæ non ſeviſtis? An fortè vos plus me his opus habetis? Si tamen à Deo licentiam accepiſtis, facite quod ipſe permiſit. Sin autem; recedite, neque ulteriùs aliena lædatis. Dixerat, & ad primam jubentis vocem univerſa volucrum multitudo receſſit, ſéque per omnia deinceps ab ejuſdem meſſis invaſione continuit. Et hic quoque venerabilis Chriſti famulus in duobus miraculis duorum Patrum eſt facta ſecutus: in aqua videlicet elicita de rupe factum B. Patris BENEDICTI, quiidem pæne & eodem modo legitur feciſſe miraculum: ſed idcirco uberiùs, quia plures erant qui aquæ inopiâ laborarent. Porro in arceſſitis à meſſe volatilibus, reverentiſſimi & ſanctiſſimi Patris Antonii ſequebatur exemplum: qui à læſione hortuli quem ipſe plantaverat, uno onagros ſermone compeſcuit.

Greg. lib. 2. Dial. c. 5.

Athanaſ. in Vita S. Antonii.

XX. *Quomodo injuriam corvi quam viro Dei intulerant, precibus & munere purgaverint.*

32. LIBET etiam quoddam B. Cuthberti in exemplum præfati Patris BENEDICTI factum narrare miraculum, in quo avium obedientia & humilitate, palam contumacia & ſuperbia condemnatur humana. Erant ſiquidem corvi multo ex tempore ejuſdem inſulæ ſedibus aſſueti: quos cùm die quadam vir Dei nidificantes, hoſpitiolum Fratrum, de quo præfatus ſum, roſtro lacerare, ablatóſque culmos quibus tectum fuerat ad fabricam nidi ore ferre conſpiceret; coërcuit eos levi protenſione dexteræ, atque à læſura Fratrum jam ceſſare præcepit. Sed illis imperium ſpernentibus; In nomine, inquit, JESU-CHRISTI abite quantocius, neque in loco quem læditis ultrà manere præſumatis. Vix verba compleverat, & confeſtim triſtes abiêre. Peracto autem triduo, unus è duobus rediit, & fodientem reperiens famulum Chriſti, ſparſis lamentabiliter pennis & ſummiſſo ad pedes ejus capite atque humiliata voce, quibus valebat indiciis veniam precabatur. Quod intelligens venerabilis Pater, dedit facultatem remeandi. At ille impetrata redeundi licentia, mox ſodalem adducturus abiit,

Greg. ibid. cap. 8.

An. Chr. DC.XCVII. Martii XX. Nec mora redeunt ambo, & ſecum digna munera ferunt: dimidiam videlicet axungiam [a] porcinam. Quam vir Domini adventantibus poſtea Fratribus ſæpiùs oſtendere, atque ad ungendas caligas præbere ſolebat: conteſtans eis quanta hominibus obedientiæ, quanta ſit cura humilitatis habenda: cùm avis ſuperbiſſima injuriam quam viro Dei intulerat, precibus, lamentis, & muneribus feſtinabat abluere. Denique ad dandum hominibus exemplum correctionis, multos deinceps annos in ipſa inſula manebant & nidificabant, neque aliud moleſtiæ cuiquam irrogare audebant. Nulli autem videatur abſurdum à volatilibus formam diſcere virtutis, cùm Salomon dicat: *Vade ad formicam, ô piger, & conſidera vias ejus, & diſce ſapientiam.*

a

Prov. 6. 6.

XXI. *Qualiter ejus neceſſitatibus mare ſervierit.*

33. Non ſolùm autem aëris, ſed & maris animalia, immo & ipſum mare, ſicut & aër & ignis, juxta quod in ſuperioribus expoſuimus, viro venerabili præbuêre obſequium. Qui enim Auctori omnium creaturarum fideliter & integro corde famulatur, non eſt mirandum ſi ejus imperiis ac votis omnis creatura deſerviat. At nos plerumque idcirco ſubjectæ nobis creaturæ dominium perdimus, quia Domino & Creatori omnium ipſi ſervire negligimus. Et ipſum inquam mare promptum famulo Chriſti ubi opus habuit impendebat officium. Diſponebat namque parvulam ſibi in ſuo Monaſterio, ſed cotidianis neceſſitatibus aptam condere caſulam, cui à parte maris (qua alluvione frequentium gurgitum excavata rupis altiſſimum nec brevem fecerat hiatum) baſis ſupponenda erat: & hæc juxta latitudinem hiatûs, duodecim pedes longa. Rogavit ergo Fratres qui ſe viſitaturi advenerant, ut cùm redire vellent, lignum ſibi longitudinis duodecim pedum ad faciendam domunculæ baſim deferrent. Qui promiſerunt ſe libentiſſimè facturos quod petiit: ſed accepta ab eo benedictione ubi domum ſunt reverſi, fugit mentem petitio Patris: reverſique die debito ad eum non attulêre quod rogabantur. Quibus ille benigniſſimè receptis & oratione ſolita Deo commendatis; Ubi eſt, inquit, lignum quod vos afferre rogabam? Tunc illis reminiſcentes petitionem ejus, ſuámque confitentes oblivionem, veniam de admiſſo precabantur. At vir mitiſſimus blando illos ſermone conſolatus, uſque ad mane in inſula manere & quieſcere præcepit dicens: Credo quia Deus non obliviſcetur meæ voluntatis & neceſſitatis. Fecerunt ut dixerat: & exſurgentes mane viderunt, quia nocturnus Oceani æſtus lignum memoratæ longitudinis attulit, & in ipſo inſuper loco depoſuit, ubi in ædificium deſuper erat imponendum. Videntes autem mox & viri venerabilis ſanctitatem mirabantur, cui etiam elementa ſervirent: & ſuæ mentis tarditatem debito cum pudore culpabant, quod etiam inſenſibile elementum quàm ſit Sanctis obtemperandum doceret.

XXII. *Quomodo multis ad ſe venientibus monita dans ſalutis, fragiles expoſuerit antiqui hoſtis inſidias.*

34. Veniebant autem multi ad virum Dei, non ſolùm de proximis Lindisfarnenſium finibus, ſed etiam de remotioribus Brittanniæ partibus, famâ nimirum virtutum ejus acciti: qui vel ſua quæ commiſiſſent errata, vel dæmonum quæ paterentur tentamenta profitentes, vel certè communia mortalium quibus affligerentur adverſa patefacientes, à tantæ ſanctitatis viro ſe conſolandos ſperabant. Nec eos fefellit ſpes. Namque nullus ab eo ſine gaudio conſolationis abibat: nullum dolor animi quem illò attulerat redeuntem comitatus eſt. Noverat quippe mæſtos pia exhortatione refovere: ſciebat anguſtiatis gaudia vitæ cæ-

[a] Id eſt, ſagimen porcinum axibus ungendis (unde vocabuli etymon) adhiberi ſolitum.

leſtis

jectis ad memoriam revocare, fragilia sæculi hujus & prospera simul & adversa monstrare: didicerat tentatis multifarias antiqui hostis pandere versutias, quibus facilè caperetur animus, qui vel fraterno vel Divino amore nudatus exsisteret; at qui integra fide roboratus incederet, insidias adversarii Domino auxiliante quasi cassas transiret araneæ. Quoties, inquit, me ipsum de alta rupe præceps misêre, quoties quasi ad interficiendum me lapides jactabant, sed & aliis aliisque phantasiarum tentamentis me appetentes deterrere, ac de loco hujus certaminis conabantur eliminare; nec tamen ullatenus vel corpus meum læsurâ aliquâ vel mentem timore contaminare valebant? AN. CHR. DC XXCVII. MARTII XX.

35. Hoc quoque Fratribus solebat crebriùs intimare, ne conversationem ejus quasi singulariter celsam mirarentur, quia contemptis sæcularibus curis secretus vivere mallet: sed jure, inquit, est Cœnobitarum vita miranda, qui Abbatis per omnia subjiciuntur imperiis, ad ejus arbitrium cuncta vigilandi, orandi, jejunandi, atque operandi tempora moderantur: quorum plurimos novi parvitatem meam longè & munditia mentis & culmine gratiæ prophetalis anteire. E quibus est venerabilis & cum omni honorificentia nominandus servus Christi BOISILUS, qui me in Mailrosensi Monasterio quondam senex adolescentem nutriebat, & inter enutriendum cuncta quæ mihi erant ventura prophetica veritate prædixit: & unum tantummodo restat ex omnibus ab eo mihi prædictis, quod utinam numquam impleatur. Hoc autem dicebat, quia præfatus Christi famulus Episcopatûs eum gradu significabat esse functurum: cujus perceptionem ipse non parùm desiderio vitæ secretioris horrebat. Cœnobitarum prærogativa.

XXIII. *Quomodo Elfled Abbatissa & puella ejus per zonam ipsius sint sanatæ.*

36. NEQUE verò sanitatum miracula per hominem Dei tametsi longè ab hominibus positum fieri cessabant. Siquidem venerabilis ancilla Christi ELFLED [a], quæ inter gaudia virginitatis non paucis famularum Christi agminibus maternæ pietatis curam adhibebat, ac regalis stemmata nobilitatis, potiori nobilitate summæ virtutis accumulabat, multo virum Dei semper excolebat amore. Hæc eo tempore, sicut ipsa postea reverentissimo Lindisfarnensis Ecclesiæ Presbytero HEREFRIDO & ille mihi referebat, gravi percussa languore ac diu vexata, pæne visa est pervenisse ad mortem. Cui cùm nil curationis possent adhibere medici, subito Divinâ intrinsecus gratiâ curante paullatim morti subtracta est; nec tamen plenè sanata. Nam dolor quidem interaneorum abscessit, membrorum vigor rediit, sed facultas standi vel ambulandi prorsus defuit: quia nec ad standum erigi, nec nisi quadrupes valebat ingredi. Cœpit ergo tristis æternam timere debilitatem: nam & de medicorum auxilio jampridem fuerat facta desperatio. Cui cùm die quadam inter angustias tristium cogitationum veniret in mentem beata & quieta conversatio reverentissimi Patris Cuthberti; Utinam, inquit, haberem aliquid de rebus Cuthberti mei! scio certè & credo & confido in Domino quia citò sanarer. Et non multo pòst advenit quidam qui ei zonam lineam ab eo missam deferret. Quæ multùm gavisa de munere, & desiderium suum viro sancto jam cælitùs patefactum intelligens, succinxit se illâ: & mane mox erecta ad standum, tertia verò die plenè est reddita sanitati.

37. Post dies autem paucos cœpit ægrotare quædam de Virginibus Monasterii ipsius dolore capitis intolerabili. Quæ cùm ingravescente morbo per dies videretur esse moritura, intravit ad visitandam eam venerabilis ejus Abbatissa. Cúmque eam graviter afflictam conspiceret, tulit memoratam viri Dei zonam, & hac illi caput circumligare curavit: quæ eodem mox die, abeunte dolore curata

[a] De S. Elfleda Osvvii Regis filia Ecgfridi Regis sorore, Virgine & Abbatissa Streaneshalæ in Comitatu Eboracensi agemus, Deo dante, Sæculo insequenti.

AN. CHR. DC. XXCVII. MARTII XX.

est : tollénsque zonam sua condidit in capsa. Quam cùm post dies aliquot Abbatissa requireret, neque in capsa eadem neque uspiam potuit inveniri. Quod Divina dispensatione factum intelligitur : videlicet ut & per duo sanitatis miracula Deo dilecti Patris sanctitas appareret credentibus, & deinceps dubitandi de sanctitate illius occasio tolleretur incredulis. Si enim eadem zona semper adesset, semper ad hanc concurrere voluissent ægroti : & dum fortè aliquis ex his non mereretur à sua infirmitate curari, derogaret impotentiæ non salvantis, cùm ipse potiùs esset salutis indignus. Unde provida, ut dictum est, dispensatione supernæ pietatis, postquam fides credentium confirmata est, mox invidiæ perfidorum materia detrahendi est prorsus ablata.

NOTA

XXIV. *Quid sciscitanti eidem Elfledi de vita Egfridi Regis, & Episcopatu suo prædixerit.*

38. ALIO item tempore misit eadem reverentissima Virgo & mater Virginum Christi Elfled, rogavítque virum Dei adjurans in nomine Domini, ut eum videre & de necessariis mereretur alloqui. Quæ adscensa cum Fratribus navi, venit ad insulam quæ Coquedi fluminis ostio præjacens, ab eòdem nomen accepit : & ipsa Monachorum cœtibus insignis. Nam præfata Abbatissa illò eum sibi occurrere rogaverat. Cujus potita colloquiis, cùm multa ab eo quæ sciscitabatur audiret, ecce repentè in medio sermone advoluta pedibus ejus, adjuravit eum per illud nomen terribile ac venerabile superni Regis & Angelorum ejus, ut diceret illi quàm longo tempore victurus esset Egfridus frater illius, & Regnum gubernaturus Anglorum. Scio enim, inquit, quia prophetiæ spiritu quo polles, etiam hoc dicere potes, si vis. At ille expavens ad juramentum, nec tamen volens apertè quod petebatur revelare secretum ; Mirum, inquit, quare sapiens femina & in sanctis erudita Scripturis, longa vocare velis humanæ tempora vitæ, dicente Psalmista, quia anni nostri sicut aranea meditabuntur ; & cùm moneat Salomon, si annis multis vixerit homo, & in his omnibus lætus fuerit, meminisse debet tenebrosi temporis & dierum multorum : qui cùm venerint, vanitatis arguuntur præterita : quanto magis is cui unius solùm anni vita supersest brevi videtur tempore vixisse, ubi mors adstiterit in januis ? Hæc audiens illa, fusis lacrymis præsagia dira deflebat, extersáque facie rursus audaciâ femineâ adjuravit per Majestatem summæ Divinitatis, ut diceret quem habiturus esset heredem Regni, cùm filiis careret & fratribus. Qui parum silens ; Ne dicas, inquit, quia caret : habebit enim successorem, quem germana ut ipsum Egfridum dilectione complectaris. At illa ; Obsecro, inquit, dicas quibus in locis sit ille. Qui ait : Cernis hoc mare magnum & spatiosum quot abundet insulis ? Facile est Deo de aliqua harum sibi providere quem Regno præficiat Anglorum. Intellexit ergo quia de Aldfrido diceret, qui ferebatur filius fuisse patris illius : & tunc in insulis Scottorum ob studium litterarum exsulabat.

Psal. 89. *Eccles.* 11.

39. Sciebat autem quia Egfridus proponeret eum constituere Episcopum : volénsque dignoscere si propositum sequeretur effectus, ita quærendo exorsa est : O quàm varia intentione dividuntur corda mortalium ! Quidam adeptis divitiis gaudent, alii amantes divitias semper egent : tu gloriam mundi quamvis offeratur respuis, etiamsi ad Episcopatum pertingere possis, quo sublimius apud mortales nihil est, tui claustra deserti huic gradui præferres. At ille : Scio me, inquit, tanto gradu dignum non esse : nec tamen judicium superni Gubernatoris uspiam effugere queo. Qui si tanto oneri me subjiciendum disposuit, credo quia post modicum liberum reddet : & fortasse non ampliùs quàm duobus annis exactis solitam me meæ solitudinis remittet ad requiem. Præcipio autem tibi in nomine Domini & Salvatoris nostri, ne cui ante meum obitum quæ à me audivisti referas. Cúmque illi hæc & multa alia quæ quærebat exponeret, atque eam de quibus opus habebat instrueret ; reversus ad insulam & Monasterium suum, solitariam ut cœperat agebat sedulus vitam.

40. Nec multo pòſt congregata Synodo [a] non parva, ſub præſentia piiſſimi ac Deo dilecti Regis Egfridi, cui beatæ memoriæ THEODORUS Archiepiſcopus præſidebat, unanimo omnium conſenſu ad Epiſcopatum Eccleſiæ Lindisfarnenſis electus eſt. Qui cùm multis Legatariis ac litteris ad ſe præmiſſis nequaquam ſuo loco poſſet erui, tandem Rex ipſe præfatus unà cum ſanctiſſimo Antiſtite TRUMWINE necnon & aliis quamplurimis religioſis ac potentibus viris ad inſulam navigavit: genuflectunt omnes, adjurant per Dominum, lacrymas fundunt, obſecrant: donec ipſum quoque lacrymis plenum dulcibus extrahunt latebris, atque ad Synodum pertrahunt. Quò dum perveniret, quamvis multùm renitens, unanima omnium voluntate ſuperatur, atque ad ſuſcipiendum Epiſcopatûs officium collum ſummittere compellitur. Nec tamen ſtatim ordinatio, ſed peracta hieme quæ imminebat expleta eſt. Atque ut verbis ejus propheticis per omnia ſatisfaceret, Egfridus poſt annum Pictorum gladio trucidatur: & Aldfridus in Regnum frater ejus nothus ſubſtituitur, qui non paucis antè temporibus in regionibus Scottorum lectioni operam dabat, ibi ob amorem ſapientiæ ſpontaneum paſſus exſilium. AN. CHR. DC.XXCVII. MARTII XX. a

XXV. *Quomodo electus ad Epiſcopatum, ſervum Comitis languentem aquâ per ſe benedictâ curaverit.*

41. DUM ergo electus ad Epiſcopatum vir Domini Cuthbertus ſuam remeâſſet ad inſulam, atque aliquantulum temporis ſecretus Domino ſolita devotione militaret; evocavit eum venerabilis Epiſcopus ejus Eata, atque ad ſuum colloquium Mailros venire præcepit. Quo expleto colloquio, dum domum redire cœpiſſet, occurrit illi Comes [b] quidam Egfridi Regis, rogavítque obnixè ut ad benedictionem dandam in villulam ſuam domúmque diverteret. Quo cùm perveniſſet, & gratifico omnium ſuſceptus eſſet officio, indicavit ei vir de infirmitate famuli ſui: Deo, inquiens, gratias, ſanctiſſime Pater, qui nos videre noſtrámque domum intrare dignatus es: & verè credimus quia maximum nobis lucrum & mentis & corporis præſtet adventus tuus. Eſt autem famulus nobis peſſima diutiùs infirmitate cruciatus, & intantum doloris hodie perductus, ut morienti ſimilior quàm languenti pareat. Extrema namque corporis parte præmortua, permodicum ore & naribus flatum trahere videtur. Qui confeſtim benedixit aquam: & dedit miniſtro Comitis nomine Baldehlmo qui nuncuſque ſupereſt, & in Eccleſia Lindisfarnenſi Preſbyterij gradum officio tenens moribus implet: virtutéſque viri Dei cunctis ſcire volentibus referre, melle dulciùs habet, qui & mihi hoc ipſum quod refero miraculum narravit. Huic ergo dans aquam benedictam vir Dei: Vade, inquit, & guſtandam præbe languenti. Qui dictis parens, attulit aquam ægrotanti. Quam dum tertiò ori ejus infunderet, continuò contra morem ſe quietum dimiſit in ſoporem. Erat enim jam veſpera. Qui etiam ſilentio tranſegit noctem, & viſitanti ſe domino ſuo ſalvus mane apparuit.

a Beda in Hiſt. lib. 4. cap. 28. hunc locum explicat. *Contigit ut congregata Synodo non parva ſub præſentia Regis Egfridi juxta fluvium Alnæ, in loco qui dicitur Adtvviforda, quod ſignificat ad duplex vadum, cui beatæ memoriæ Theodorus præſidebat &c. Non tamen ſtatim ordinatio decreta, ſed peracta hieme quæ imminebat, in ipſa ſollemnitate Paſchali* (nimirum VII. *Kalend. April.* ut rectè habet Turgottus in lib. 1. cap. 9.) *completa eſt Eboraci ſub præſentia præfati Regis Egfridi convenientibus ad conſecrationem ejus ſeptem Epiſcopis, in quibus beatæ memoriæ Theodorus primatum tenebat. Electus eſt autem primò in Epiſcopatum Haguſtaldenſis Eccleſiæ pro* TUMBERHTO *qui ab Epiſcopatu fuerat depoſitus. Sed quoniam ipſe plus Lindisfarnenſi Eccleſiæ in qua converſatus fuerat, dilexit præſici; placuit ut Eatâ reverſo ad ſedem Eccleſiæ Haguſtaldenſis, cui regendæ primò fuerat ordinatus, Cudberhtus Eccleſiæ Lindisfarnenſis gubernacula ſuſciperet.* Porro Cuthbertus ordinatus eſt *ipſo anno quo finem vitæ accepit Rex Egfridus*, eodem auctore cap. 27. ejuſdem libri, hoc eſt anno DC. XXCV. ex notandis infrà.

b Anonymus in lib. 4. *Sibbam Comitem* vocat, *juxta fluvium* Opide *habitantem.*

AN. CHR. DC. XXCVII. MARTII XX.

XXVI. *Qualiter in Episcopatu vixerit.*

42. SUSCEPTUM autem Episcopatûs ordinem venerabilis vir Domini Cuthbertus juxta præcepta & exempla Apostolica virtutum ornabat operibus. Commissam namque sibi plebem & orationibus protegebat assiduis, & admonitionibus saluberrimis ad cælestia vocabat: & quod maximè Doctores juvat, ea quæ agenda docebat, ipse priùs agendo præmonstrabat. Eripiebat inopem de manu fortioris ejus, egenum & pauperem à diripientibus eum. Tristes ac pusillanimes consolari, malè autem gaudentes ad tristitiam quæ secundum Deum est revocare curabat. Solitam sibi parsimoniam sedulus exercere, & inter frequentiam turbarum Monachicæ vitæ rigorem sollicitus observare gaudebat. Esurientibus alimenta, indumenta præbebat algentibus: ceteríque vitæ Pontificalis insignibus ritè decoratus incedebat. Cujus internis, id est animi virtutibus, ea quoque quibus foras effulgebat miraculorum signa testimonium dabant: ex quibus aliqua breviter memoriæ commendare curavimus.

XXVII. *Quomodo interitum Egfridi Regis & militiæ ipsius quem præviderat absens, viderit in spiritu.*

43. IGITUR dum Egfridus Rex ausu temerario exercitum in Pictos duceret[a], eorum Regna atroci ac feroci sævitia devastaret; sciens vir Domini Cuthbertus adesse tempus, de quo anno præterito interroganti ejus sorori prædixerat, non eum ampliùs quàm uno anno esse victurum; venit ad Lugubaliam* civitatem quæ à populis Anglorum corrupté *Luel* vocatur: ut alloqueretur Reginam[b] quæ ibidem in Monasterio suæ sororis eventum belli exspectare disposuit. Postera verò die deducentibus eum civibus, ut videret mœnia civitatis, fontémque in ea miro quondam Romanorum opere exstructum, repentè turbatus spiritu ut stabat super baculum, mœstam faciem deflexit ad terram, surſúmque se erigens, atque ad cælum oculos attollens ingemuit graviter, & non grandi voce ait: Fortè modò discrimen factum est certaminis. At Presbyter qui adstabat intelligens de quo diceret, incauta velocitate ductus, respondit & dixit: Unde scis? Nolens autem ille ampliùs de his quæ sibi erant revelata patefacere, Nonne videtis, inquit, quàm mirè mutatus atque turbatus sit aër? Et quis mortalium sufficit investigare judicia Dei? Attamen confestim intravit ad Reginam: & secretò eam alloquens, (erat autem dies sabbati) Vide inquit maturè illucescente secunda Sabbati adscendas currum, (quia die Dominico curru ire non licet:) vadásque & Regiam civitatem citissimè introeas, ne fortè occisus sit Rex. Ego autem quia crastina die ad vicinum Monasterium ob dedicandam ibi Ecclesiam venire rogatus sum, expleta dedicatione te continuò subsequor.

44. Veniente autem die Dominico, prædicans verbum Dei Fratribus ejusdem Monasterij, finito sermone & faventibus cunctis qui aderant, rursus ita cœpit: Obsecro, dilectissimi, juxta Apostoli monita, vigiletis, stetis in fide, viriliter agatis, & confortemini, ne fortè superveniens aliqua tentatio vos imparatos inveniat: sed memores potiùs semper illius Dominici præcepti, Vigilate & orate ne intretis in tentationem. Putabant autem, quia non multo antè pestilentiæ clades & eos & multos circumquaque latè cæde straverat, eum de hujusmodi plaga jam reditura fuisse locutum. At ipse rursus assumpto sermone; Quondam, inquit, cùm adhuc in mea demorarer insula solitarius, vene-

nunc Carleolum *Carlisle*

NOTA religionem diei Dominicæ.

1. *Cor.* 16. 13.

Matth. 26. 41.

a *Anno Dominicæ Incarnationis sexcentesimo octogesimo quarto*, inquit Beda in lib. 4. Hist. cap. 26. *Egfridus Rex Northanymbrorum misso in Hiberniam cum exercitu Duce Bertho, vastavit miserè gentem innoxiam. * * Anno post hunc proximo, cùm temerè exercitum ad vastandam Pictorum provinciam duxisset, multùm prohibentibus amicis, & maximè beatæ memoriæ Cuthberto qui nuper fuerat ordinatus Episcopus, cum maxima parte copiarum quas adduxerat exstinctus est anno ætatis suæ* XL. *regni autem* XV. *die* XIII. *Kalendarum Junarum.*

b Ermentrudem scilicet ductam in locum Ethelfridæ, uti in Vita S. Etheldridæ cap. 11. suprà.

runt ad me quidam de Fratribus die ſancto Dominicæ Nativitatis, rogabántque ut de mea caſula & manſione egrediens, ſollemnem cum eis & lætum diem tantæ veneratiónis tranſigerem. Quorum ego precibus devotis adquieſcens egrediebar, & conſedimus ad epulas. At in media fortè refectione dixi ad eos: Obſecro, Fratres, cautè agamus & vigilanter, ne per incuriam fortè & ſecuritatem inducamur in tentationem. At illi reſponderunt: Obſecramus hodie lætum agamus diem: quia Natale eſt Domini noſtri JESU-CHRISTI. Et ego: Sic, inquam, faciamus. Cúmque poſt hæc aliquamdiu epulis, exſultationi, ac fabulis indulgeremus, rurſus admonere cœpi ut ſolliciti exſiſteremus in orationibus & vigiliis, atque ad omnes tentationum incurſus parati. Et illi; Bene, inquiunt, & optimè doces: ſed tamen quia abundant dies jejuniorum, orationis & vigiliarum, hodie gaudeamus in Domino: nam Angelus naſcente Domino evangelizabat paſtoribus gaudium magnum quod eſſet omni populo celebrandum. Et ego; Bene, inquam, faciamus ſic. Sed cùm epulantibus nobis & diem lætum ducentibus tertiò ejuſdem admonitionis verba repeterem, intellexêre illi quia non fruſtra hæc tam ſtudioſè ſuggererem: & expaveſcentes dicebant: Faciamus ut doces: quia neceſſitas nobis magna incumbit, ut contra inſidias diaboli & omnia tentamenta ſemper accincti ſpiritualiter vigilemus. Hæc dicens, ego neſciebam ſicut nec illi aliquid nobis occurſurum novæ tentationis; ſed tantùm inſtinctu mentis admonitus ſum adverſus ſubitas tentationum procellas ſtatum cordis ſemper eſſe muniendum. Sed ubi reverſi à me mane ad ſuum, id eſt Lindisfarnenſe Monaſterium redierunt, ecce quemdam de ſuis morbo peſtilentiæ obiſſe reperiunt: & creſcente ac ſæviente per dies, immò etiam per menſes & annum pæne totum eadem clade, nobiliſſimus ille Patrum Fratrúmque cœtus ſpiritualium pæne univerſus migravit ad Dominum. Et nunc ergo, Fratres, vigilate & vos in orationibus: ut ſi quid vobis tribulationis ingruerit, vos jam paratos inveniat. Hæc dicente venerabili Antiſtite Cuthberto rebantur (ut præfatus ſum) quia de reditu peſtilentiæ diceret: ſed poſt unum diem adveniens qui fugerat è bello, occulta viri Dei vaticinia miſeris exponebat eloquiis. Probatúmque eſt ipſa die, eadémque hora, qua viro Dei juxta puteum ſtanti revelatum eſt, cæſis circùm tutoribus Regem hoſtili gladio fuiſſe proſtratum.

AN. CHR. DC XXCVII. MARTII XX.

XXVIII. *Quomodo Hereberto Anachoritæ obitum ſuum prædixerit, comitatúmque illius à Domino precibus obtinuerit ſine mora.*

45. NON multo pòſt tempore idem famulus Domini Cuthbertus ad eamdem Lugubaliam civitatem rogatus advenit, quatinus ibidem Sacerdotes conſecrare, ſed & ipſam Reginam dato habitu ſanctæ converſationis benedicere deberet. Erat autem Preſbyter vitæ venerabilis nomine HEREBERTUS jamdudum viro Dei Cuthberto ſpiritualis amicitiæ fœdere copulatus: qui in inſula ſtagni illius prægrandis, de quo Deorwentionis[a] fluvij primordia erumpunt, vitam ſolitariam ducens, annis ſingulis ad eum venire & monita ab eo perpetuæ ſalutis accipere conſueverat. Hic cùm audiſſet eum illa in civitate demoratum, venit ex more cupiens ſalutaribus ejus exhortationibus ad ſuperna deſideria magis magíſque inflammari. Qui dum ſeſe alterutrum cæleſtis ſapientiæ poculis debriarent, dixit inter alia Cuthbertus: Memento, Frater Hereberte, ut modò quidquid opus habes me interroges, mecúmque loquaris: quia poſtquam ab invicem digreſſi fuerimus, non ultrà nos invicem in hoc ſæculo carneis oculis videbimus. Certus enim ſum, quia tempus meæ reſolutionis inſtat, & velox eſt depoſitio tabernaculi mei. Qui hæc audiens, provolutus ejus pedibus, fuſíſque cum gemitu lacrymis; Obſecro, inquit, per Dominum, ne me derelinquas, ſed tui ſodalis memineris, rogéſque ſupernam pietatem, ut cui pariter in

[a] *Al. Dervventionis* ſeu *Dorventionis*, qui fluvius provinciam Cumbriæ alluens, in mare Hibernicum devolvitur.

AN. CHR. DC. XXCVII. MARTII XX.

terris ſervivimus, ad ejus videndam claritatem pariter tranſeamus ad cælos. Noſti enim quia ad tui oris imperium ſemper vivere ſtudui: & quidquid ignorantia vel fragilitate deliqui, æquè ad tuæ voluntatis arbitrium caſtigare curavi. Incubuit precibus Epiſcopus, ſtatímque edoctus in ſpiritu impetrâſſe ſe quod petierat à Domino; Surge, inquit, Frater mi, & noli plorare, ſed gaudio gaude, quia donavit nobilis ſuperna clementia quod rogavimus eam. Cujus promiſſi & prophetiæ veritatem ſequens rerum finis adſtruxit: quia & digredientes ab invicem non ampliùs ſe corporaliter viderunt, & unius ejuſdémque momento temporis egredientes è corpore ſpiritus eorum, mox beata invicem viſione conjuncti ſunt, atque Angelico miniſterio pariter ad regnum tranſlati cæleſte[a]. Sed Herebertus diutina priùs infirmitate decoquitur, illa fortaſſis diſpenſatione Dominicæ pietatis, ut ſi quid minùs haberet meriti à B. Cuthberto, ſuppleret dolor continuus longæ ægritudinis: quatinus æquatus gratiâ ſuo interceſſori, ſicut uno eodémque tempore cum eo de corpore egredi, ita etiam una atque indiſſimili ſede perpetuæ beatitudinis mereretur recipi.

a

XXIX. *Quomodo uxorem Comitis per Presbyterum ſuum aquâ benedictâ ſanaverit.*

* *id eſt* diœceſim

46. QUADAM autem die dum parrochiam* ſuam circuiens, monita ſalutis omnibus ruris caſis & viculis largiretur, necnon etiam nuper baptizatis ad accipiendam Spiritus-ſancti gratiam manum imponeret; devenit ad villulam cujuſdam Comitis cujus uxor malè habens quaſi proxima morti jacebat. Cui jam venienti occurrens ipſe Comes, flexis genibus gratias egit Domino de adventu illius: & introducens illum benignè recepit hoſpitio. Cúmque lotis more hoſpitalitatis manibus & pedibus reſediſſet Antiſtes, cœpit referre illi vir de languore conjugis deſperatæ, obſecrans ut ad ſpargendam eam aquam benediceret. Credo, inquit, quia mox aut ſanitati Deo donante reſtituatur, aut ſi moritura eſt, perpetuam de morte tranſeat ad vitam: citiúſque moriendo compendium tam miſerabilis ac diutinæ vexationis accipiat. Annuit deprecanti vir Dei: & allatam benedicens aquam dedit Preſbytero, præcipiens ut ſuper languidam adſpergeret. Qui introgreſſus cubiculum in quo illa exanimi ſimillima jacebat, adſperſit illam & lectulum ejus: ſed & os illius aperiens, guſtum ſalutiferi hauſtûs immiſit. Res mira & vehementer ſtupenda! mox ut eam aqua benedicta tetigit languentem, & quid erga eam ageretur prorſus ignorantem, ita plenam & mentis & corporis ſanitatem recepit, ut confeſtim reſipiſcens benediceret Dominum, gratiáſque referret ei, qui tales tantóſque hoſpites ad ſe viſitandam curandámque deſtinare dignatus ſit. Nec mora exſurgens, ipſis ſuæ ſanitatis miniſtris miniſterium ſana præbuit, pulchróque ſpectaculo ipſa prima de tota tanti viri familia Epiſcopo potum refectionis obtulit, quæ per ipſius benedictionem poculum mortis evaſit: ſecuta exemplum ſocrûs Apoſtoli Petri, quæ curata à febribus per Dominum, continuò ſurgens miniſtrabat illi, ac diſcipulis ejus.

XXX. *Quomodo puellam oleo perunctam à dolore capitis lateríſque curaverit.*

47. NEQUE huic diſſimile ſanitatis miraculum à venerabili Antiſtite Cuthberto factum, multi qui præſentes fuêre teſtati ſunt: è quibus eſt religioſus Preſbyter EDILWALDUS[b] tunc miniſter viri Dei: nunc autem Abbas

b

a Uno eodémque die, inquit Beda in lib. 4. cap. 29. *hoc eſt Kalendarum Aprilium tertiadecima egredientes è corpore, ſpiritus eorum mox beata invicem viſione conjuncti ſunt, atque Angelico miniſterio, &c.* De anno infrà. Herebertus Preſbyter eodem quo S. Cuthbertus die Faſtis Benedictinis inſcribitur.

b Alij Ethelvvoldum vocant, qui ex Abbate Mailroſenſi creatus eſt Lindisfarnenſis Epiſcopus poſt Eadbertum & Eadfridum S. Cuthberti ſucceſſores, & in Sanctorum catalogo locum habere meruit. De eo Sæculo inſequenti.

Cœnobij Mailroſenſis. Dum enim more ſuo pertranſiret univerſos docendo, devenit in vicum * quemdam, in quo erant feminæ Sanctimoniales non multæ: quibus timore Barbarici exercitûs à Monaſterio ſuo profugis, ibidem manendi ſedem vir Domini paullò ante donaverat. Quarum una quæ erat cognata præfati Sacerdotis Edilwaldi graviſſimo tenebatur languore depreſſa: per integrum namque annum intolerabili capitis & totius lateris alterius dolore vexata, funditus à medicis erat deſperata. Indicantibus autem de illa viro Dei & pro ſanatione ejus obſecrantibus his qui venerant cum eo, miſeratus ille miſeram unxit oleo benedicto. Quæ ab illa mox hora meliorari incipiens, poſt dies paucos plena ſoſpitate convaluit.

AN. CHR. DC. XXCVII. MARTII XX.

* *ſcil.* Bedesfeld. *ex Anonymo.*

XXXI. *Quomodo per panem ab eo benedictum infirmus ſit ſanatus.*

48. NEc ſilentio prætereundum arbitramur miraculum, quod ejuſdem viri venerabilis virtute, quamvis ipſo abſente, patratum cognovimus. Meminimus ſuprà * Hildmeri Præfecti, cujus uxorem vir Dei ab immundo ſpiritu liberaverat. Idem ergo Præfectus poſtea decidit in lectum, graviſſima preſſus infirmitate, adeout creſcente moleſtia per dies, jamjámque videretur eſſe moriturus. Aderant multi amicorum, qui ad conſolandum venerant languentem. Cúmque lecto jacentis adſiderent, repentè unus eorum intulit, quia ſecum haberet panem quem ſibi nuper vir Domini Cuthbertus benedictionis gratiâ dediſſet: & credo, inquit, quia hujus guſtu poſſit, ſi tamen fidei noſtræ tarditas non obſiſtit, medelam recipere ſalutis. Erant autem laïci omnes, ſed religioſi. Converſi igitur ad invicem, confitebantur ſinguli, quia abſque ulla dubietate crederent, per ejuſdem benedicti panis communionem eum poſſe ſanari. Implentéſque calicem aquâ, immiſerunt pauxillulum panis illius: & dederunt ei bibere. Cujus ſtatim ut viſcera guſtus ille aquæ per panem ſanctificatus attigit, fugit dolor interaneorum omnis, fugit exteriorum tabitudo membrorum. Nec mora expeditum à languore virum ſalus ſubſecuta confirmavit, atque ad laudandam famuli Chriſti ſanctitatem, & admirandam fidei non fictæ virtutem, meritò & ipſum & omnes qui celeritatem tam inopinatæ ſalutis vidêre vel audiêre ſuſtulit.

* *cap.* 15.

XXXII. *Qualiter oblatum ſibi in itinere puerum moriturum orando revocavit ad vitam ſine omni mora.*

49. QUODAM quoque tempore, dum ſanctiſſimus gregis Dominici Paſtor ſua luſtrando circuiret ovilia, devenit in montana & aggreſtia loca, ubi multi erant de circumpoſitis latè villulis cõgregati, quibus manus erat imponenda [a]: nec tamen in montibus Eccleſia vel locus inveniri potuit aptus, qui Pontificem cum ſuo comitatu ſuſciperet. Tetenderunt ergo ei tentoria in via: & cæſis de vicina ſilvâ ramuſculis, ſibi quique tabernacula ad manendum qualia potuêre fixerunt. Ubi dum confluentibus ad ſe turbis vir Dei verbum biduo prædicaret, ac Spiritus-ſancti gratiam nuper regeneratis in Chriſto per manûs impoſitionem miniſtraret; ecce ſubitò apparuerunt mulieres ferentes in grabato juvenem, longæ ægritudinis acerbitate tabefactum, ponentéſque in

a

a Anonymus præter manuum impoſitionem exprimit etiam Unctionem ſeu Chriſmationem, in Confirmationis Sacramento adhiberi ſoliram. Ita enim lib. 4. *Quodam tempore Epiſcopus ſanctus proficiſcens ab Haguſtaldenſe, tendebat ad civitatem quæ Vel dicitur: manſio tamen in media via facta eſt, in regione ubi dicitur Alſe. Namque congregato populo de montanis, manum ponens ſuper capita ſingulorum, liniens Unctione conſecrata quam benedixerat: Verbum Dei prædicans manſerat ibi duos dies. Interea itaque venerunt mulieres portantes quemdam juvenem in grabato jacentem*, &c. Ergo ſuprà cap. 29. ubi ſolam manuum impoſitionem Beda memoiat, etiam chriſmationem ſubintellige. Certè iſtud Sacramentum, Confirmationis ſcilicet, nonnumquam Veteres abſolutè *manuum impoſitionem* vocant. Quamquam olim alicubi uſu venit, ut obſignationem ſeu Unctionem frontis Presbyteri baptizatis imponerent, ſola manuum impoſitione Epiſcopis reſervata: id quod apud Græcos etiamnunc actitatur. Lege Gregorij M. Epiſt. 9. & 10. lib. 3.

AN. CHR DC. XXCVII. MARTII XX.

exitu ſilvæ, miſerunt ad Epiſcopum; rogantes ut ad accipiendam benedictionem ad ſe hunc afferri permitteret. Quem cùm ad ſe perductum acerrimè vexari conſpiceret, juſſit omnes ſecedere longiùs. Et ad ſolita orationis arma confugiens, data benedictione pepulit peſtem, quam ſollicita medicorum manus pigmentorum compoſitione nequiverat. Denique eâdem horâ ſurgens & accepto cibo confortatus, reddita Deo gratiarum actione regreſſus eſt ad eas quæ ſe portaverant feminas. Sicque factum eſt, ut quæ cum illò triſtes languidum advexerant, cum eis inde gaudentibus & ipſe ſoſpes ac lætabundus domum rediret.

XXXIII. *Quomodo tempore mortalitatis morientem puerum matri ſanum reſtituerit.*

50. EODEM tempore peſtilentia ſubitò exorta illis in partibus graviſſima nece incubuit: itaut in magnis quondam refertíſque habitationibus, villis ac poſſeſſionibus vix parvæ raræque reliquiæ & interdum nullæ reſiderent. Unde ſanctiſſimus Pater Cuthbertus diligentiſſimè ſuam luſtrans parrochiam, eiſdem parviſſimis quæ ſuperfuêre reliquiis miniſterium verbi & neceſſariæ conſolationis opem ferre non deſiit. Adveniens autem in viculum quemdam*, ibidémque omnibus quos invenerat auxilio exhortationis abhibito, dixit ad Presbyterum ſuum: Putáſne ſupereſt quiſpiam his in locis cui noſtra viſitatione & allocutione opus ſit, an cunctis qui malè habebant viſis jam ad alios tranſire licet? Qui circumſpiciens omnia, vidit mulierem eminùs ſtantem, quæ exſtincto paullo antè filio fratrem ejus jam morti proximum tenebat in manibus, lacrymíſque faciem rigantibus præteritam pariter & præſentem teſtabatur ærumnam. Quam cùm viro Dei oſtenderet, nil moratus ille acceſſit ad eam, & benedicens dedit oſculum puero, dixítque ad matrem: Ne metuas nec mæſta ſis: ſalvabitur enim & vivet infans, neque ullus ultrà de domo tua hac mortalitatis peſte deficiet. Cujus prophetiæ veritati ipſa cum filio mater multo exinde tempore vivens teſtimonium dabat.

* qui dicitur Medilpong, *inquit Anon.*

XXXIV. *Qualiter animam cujuſdam qui de arbore cadendo mortuus eſt, ad cælum ferri conſpexerit.*

51. INTEREA cùm præſcius vicini ſui obitûs vir Domini Cuthbertus jam decreviſſet animo depoſitâ curâ Paſtoralis officij ſolitariam redire ad vitam, quatinus excuſſâ ſollicitudine externa, inter libera orationum & pſalmodiæ ſtudia diem mortis, vel potiùs vitæ cæleſtis præſtolaretur ingreſſum, voluit priùs non ſolùm circuitâ ſuâ parrochiâ, ſed & aliis circà Fidelium manſionibus viſitatis cunctos neceſſario exhortationis verbo confirmare, ac ſic ipſe deſideratæ ſolitudinis gaudio refoveri. Quod dum ageret, rogatus à nobiliſſima & ſanctiſſima Virgine Chriſti Elfiede Abbatiſſâ, cujus ſuperiùs memoriam feci, venit ad poſſeſſionem [a] Monaſterij ipſius, quatinus ibidem & ipſam videre atque alloqui, & Eccleſiam dedicare deberet. Nam & ipſa poſſeſſio non pauco famulorum Chriſti examine pollebat. Ubi dum hora refectionis ad menſam conſediſſent, ſubitò venerabilis Pater Cuthbertus averſam à carnalibus epulis mentem ad ſpiritualia contemplanda contulit. Unde laſſatis ab officio ſuo membris corporis, mutato colore faciei, & quaſi attonitis contra morem oculis, cultellus quoque quem tenebat decidit in menſam. Quod dum Preſbyter ejus qui adſtabat & adminiſtrabat adſpiceret, inclinatus ad Abbatiſſam dixit ſilentio: Interroga Epiſcopum quid viderit: ſcio enim quia non ſine cauſa manus ejus tremefacta cultellum deſeruit, vultúſque mutatur illius; ſed vidit aliquid ſpirituale

a

a Nempe *in parrochiam quæ dicitur Oſingadum*, inquit Anonymus, lib. 4. qui rem geſtam ab ipſa Elfleda accepiſſe ſe affirmat.

quod

quod nos ceteri videre nequivimus. At illa ſtatim converſa ad illum; Obſecro, inquit, Domine mi Epiſcope, dicas quid videris modò: neque enim fruſtra laſſata tua dextera cultellum quem tenebat amiſit. Qui diſſimulare conatus vidiſſe ſe quippiam ſecreti, jocosè reſpondit: Num tota die manducare valebam? jam aliquando quieſcere debui. Illa autem diligentiùs adjurante ac flagitante ut exponeret viſionem; Vidi, inquit, animam cujuſdam Sancti manibus Angelicis ad gaudia regni celæſtis ferri. Rurſus illa; De quo, inquit, loco adſumpta eſt? Reſpondit: De tuo Monaſterio. Adjecit nomen inquirere. Et ille: Tu mihi, inquit, die craſtino Miſſas celebranti nomen ejus indicabis. Hæc audiens illa, confeſtim miſit ad majus ſuum Monaſterium videre, qui nuper raptus eſſet è corpore. At nuntius omnes ibidem ſalvos incoluméſque reperiens, poſtquam mane facto reverti ad dominam cœpit, obviàm habuit eos qui corpus defuncti Fratris ſepeliendum in carro deferrent. Interrogánſque qui eſſet, didicit quia quidam de paſtoribus bonæ actionis vir, incautiùs in arborem adſcendens deciderat deorſum, & contrito corpore ipsâ horâ ſpiritum exhalavit, qua hunc vir Domini ad cæleſtia ductum videbat. Quod dum rediens Abbatiſſæ referret, ſtatim illa ingreſſa ad Epiſcopum jam tunc dedicantem Eccleſiam, ſtupore femineo quaſi novum aliquid incertúmque nuntiatura; Precor, inquit, mi Domine Epiſcope, memineris ad Miſſas HADWALDI * mei, (hoc enim viro erat nomen) quia heri cadendo de arbore defunctus eſt. Tunc liquidò patuit, quia multiformis prophetiæ ſpiritus viri ſancti præcordiis inerat: qui & in præſenti occultum animæ raptum videre, & quid ſibi in futuro ab aliis indicandum eſſet potuit prævidere.

AN. CHR. DC.XXCVII. MARTII XX.

* *Anon.* Hadpuald

XXXV. *Quomodo aquam guſtando in vini ſaporem converterit.*

52. INDE peragratis ex ordine ſuperioribus locis venit ad Monaſterium Virginum, quod non longè ab oſtio Tini fluminis ſitum ſuprà * docuimus: ubi à religioſa & ad ſæculum quoque nobiliſſima famula Chriſti VERCA Abbatiſſa, magnificè ſuſceptus, poſtquam de meridiana quiete ſurrexerunt, ſitire ſe dicens ut biberet rogavit. Quærebant quid bibere vellet: rogantes ut vinum ſive cerviſiam afferri liceret. Aquam, inquit, date mihi. Qui hauſtam de fonte aquam obtulerunt ei. At ille data benedictione, ubi paullulùm guſtavit, dedit adſtanti Preſbytero ſuo, qui reddidit miniſtro. Et miniſter accepto poculo; Licet, inquit, mihi bibere de potu de quo bibit Epiſcopus? Reſpondit: Etiam, quare non liceat? Erat autem & ille Presbyter ejuſdem Monaſterij. Bibit ergo, & viſa eſt ei aquà quaſi in ſaporem vini converſa: tantíque ſibi teſtem volens adhibere miraculi Fratrem qui proximè adſtabat, porrexit ei poculum. Qui cùm & ipſe biberet, ejus quoque palato pro aqua vinum ſapiebat. Adſpectabant autem mirantes ad invicem; & ubi vacuum tempus ad loquendum acceperunt, confitebantur alterutrum, quia videretur ſibi numquam melius vinum bibiſſe, ſicut unus ex ipſis poſtea in noſtro Monaſterio, quod eſt ad oſtium Wiri fluminis, non parvo tempore demoratus, ibidémque nunc placida quiete ſepultus, ſua mihi relatione teſtatus eſt.

* *cap. 2.*

XXXVI. *Quomodo inobedientes ei quoſdam Fratres tempeſtas maris per ſeptem dies obſedit.*

53. DUOBUS igitur annis in regimine Epiſcopali tranſactis, ſciens in ſpiritu vir Domini Cuthbertus appropinquare diem ſui tranſitûs, abjecit pondus curæ Paſtoralis, atque ad dilectum eremiticæ converſationis agonem quantociùs remeare curavit, quatinus inolita ſibi ſollicitudinis mundanæ ſpineta liberior priſcæ compunctionis flamma conſumeret. Quo tempore ſæpiùs ad viſitantes ſe Fratres de manſione ſua egredi, eóſque præſens ſolebat alloqui. Li-

AN. CHR. DC.XCVII. MARTII XX.

bet autem referre quoddam tunc ab eo factum miraculum, quo clariùs elucesceat, quantum viris sanctis obtemperandum sit etiam in his quæ negligentiùs imperare videntur. Quadam die dum venissent quidam, egressúsque ille exhortatorio illos sermone reficeret; post admonitionem completam subjunxit dicens: Jam hora est ut ad mansionem meam regrediar: vos autem quia proficisci disponitis, primò sumite cibos, & aucam[a] illam (pendebat enim auca in pariete) coquite & comedite, & sic in nomine Domini adscendite navem, ac domum redite. Dixerat hæc, & data oratione & benedictione suam mansionem introivit. Illi autem ut præceperat sumpsêre cibos: sed quia abundabant cibis quos secum attulerant, aucam de qua præceperat, tangere non curabant.

54. At cùm refecti naviculam vellent adscendere, exorta subitò tempestas fera, omnem eis navigandi facultatem abstulit. Factúmque est, ut septem diebus fervente unda concluſi, tristes in insula residerent; nec tunc culpam inobedientiæ pro qua hujusmodi carcerem patiebantur, ad memoriam revocarent. Qui cùm sedulò ad Patris colloquium reversi, ac de reditûs sui dispendio conquesti, patientiæ ab illo monita perciperent; septima tandem die egressus ipse ad eos volebat mæstitiam eorum suæ gratiâ visitationis & consolationis piæ verbo lenire. Ingressus autem domum in qua manebant, ut vidit aucam non fuisse comestam, placido vultu & læto potiùs sermone redarguit eorum inobedientiam: Nónne, inquiens, incomesta adhuc pendet auca? & quid mirum si vos mare non sinit abire? Citissimè ergo mittite eam in caldariam: coquite & comedite, ut possit mare quiescere, & vos domum remittere. Fecerunt statim ut jusserat: contigítque miro ordine, ut cùm ad præceptum viri Dei coctura in caldaria foco agente fervere cœpisset, eadem hora unda in mari cessantibus ventis suo à fervore quiesceret. Expleta itaque refectione: videntes mare placidum adscenderunt navem: & secundis flatibus cum gaudio simul & pudore domum remeaverunt. Pudebat namque eos inobedientiæ & sensûs tardioris quo verebantur suum quoque inter flagella Conditoris dignoscere & emendare reatum. Gaudebant quia intellexêre tantam fuisse Deo curam de fideli suo famulo, ut contemptum ejus etiam per elementa vindicaret: gaudebant quia tantam videre suimet curam suo fuisse Creatori, ut etiam manifesto miraculo ipsorum errata corrigeret. Hoc sanè quod retuli miraculum, non quolibet auctore, sed uno eorum qui interfuêre narrante cognovi, vitæ videlicet venerabilis Monacho & Presbytero ejusdem Monasterij CYNIMUNDO, qui plurimis latè Fidelium longævitatis & vitæ gratia jam notus exsistit.

[a] *Auca* nomine intelligendum esse anserem, Gallis *Oye* dictum, clarius est quàm exemplis adductis probari indigeat. Nec mirum si Monachi illi anserina carne vescebantur, qui jam tum forsitan volatilia in piscium numero habebant. Certè ex Actis S. Columbani, item S. Bertulfi Abbatum Bobiensium intelligimus, licitum quandoque fuisse discipulis S. Columbani vesci carnibus coturnicum & anatium: tametsi Columbanus in Regulis cap. 3. tantùm *olera, legumina & farinam aquis mixtam cum parvo panis paximatio* discipulis suis concedit. Lege Ratramnum in lib. 4. contra Græcorum Oppos. c. 2. To. 2. Spicil. Acheriani.

XXXVII. *Quanta ægrotus tentamenta pertulit, quídve de sua sepultura mandaverit.*

55. REPETIIT autem insulam mansionémque suam vir Dei Cuthbertus, mox peracto die sollemni Nativitatis Dominicæ. Cúmque eum navem adscensurum caterva Fratrum circumstaret, interrogavit unus ex eis veteranus & venerabilis vitæ Monachus, fortis quidem fide sed dysenteriæ morbo corpore jam factus imbecillis: Dic nobis, inquiens, Domine Episcope, quando reditum tuum sperare debeamus? At ille simpliciter interroganti simpliciter & ipse quod verum noverat pandens; Quando, inquit, corpus meum huc referetis. Qui cùm duos ferme menses in magna repetitæ suæ quietis exsultatione transigeret, multo consuetæ districtionis rigore corpus mentémque constringeret; arreptus in-

firmitate ſubita, temporalis igne doloris ad perpetuæ cœpit beatitudinis gaudia præparari. Cujus obitum libet verbis illius cujus relatione didici deſcribere; HEREFRIDI videlicet devotæ religionis Preſbyteri, qui etiam tunc Lindisfarnenſi Monaſterio Abbatis jure præfuit. Tribus, inquit, hebdomadibus continuis infirmitate decoctus, ſic ad extrema pervenit. Siquidem quartâ feriâ cœpit ægrotare, & rurſus quartâ feriâ ægritudine migravit ad Dominum. At cùm mane primo inchoatæ infirmitatis venirem (nam & ante triduum cum Fratribus inſulam adieram) cupiens ſolitæ benedictionis & exhortationis ab eo ſolatia percipere, ut dato juxta morem ſigno me adveniſſe prodidi, proceſſit ad feneſtram: & ſalutanti ſe mihi ſuſpiriũ pro reſponſo reddidit. Cui ego: Quid habes, inquam, Domine mi Epiſcope? an fortè nocte hac tuus te languor tetigit? At ille: Etiam, inquit, languor me tetigit nocte hac. Putabam quia de veteri ſua infirmitate cujus cotidiana pæne moleſtia conſueverat excoqui, non autem de nova & inſolita diceret. Nec plura interrogans, Da, inquam, benedictionem nobis: quia jam tempus navigandi ac domum remeandi adeſt. Facite, inquit, ut dicis: adſcendite navem, ac domum ſalvi redite. Cùm autem Deus ſuſceperit animam meam, ſepelite me in hac manſione juxta Oratorium meum ad meridiem contra Orientalem plagam ſanctæ Crucis quam ibidem erexi. Eſt autem ad aquilonalem ejuſdem Oratorij partem ſarcophagum terræ ceſpite abditum, quod olim mihi CUDDA venerabilis Abbas donavit. In hoc corpus meum reponite: involventes in ſindone quam invenietis iſthic. Nolui quidem ea vivens indui: ſed pro amore dilectæ Deo feminæ quæ hanc mihi miſit, VERCÆ videlicet Abbatiſſæ, ad obvolvendum corpus meum reſervare curavi. Hæc ego audiens, Obſecro, inquam, Pater, quia infirmantem & moriturum te audio, aliquos de Fratribus ad miniſtrandum tibi hîc remanere permittas. At ille inquit: Ite modò; tempore autem opportuno redite. Cúmque diligentiùs obſecrans ut miniſtrum ſuſciperet, nequaquam impetrare valerem: tandem interrogavi quando deberemus reverti. Qui ait: Quando Deus voluerit, & ipſe vobis oſtenderit. Fecimus ut juſſerat: convocatíſque mox in Eccleſiam Fratribus cunctis juſſi orationem fieri ſine intermiſſione pro eo: quia videtur, inquiens, mihi ex quibuſdam verbis illius appropinquare diem quo ſit exiturus ad Dominum.

AN. CHR. DC. XXCVII. MARTII XX.

56. Eram autem ſollicitus de reditu propter infirmitatem ejus: ſed quinque diebus obſtitit tempeſtas ne redire poſſemus. Quod divinitus diſpenſatum fuiſſe rei probavit eventus. Ut enim Omnipotens Deus famulum ſuum ab omni labe mundanæ fragilitatis ad purum caſtigaret, útque adverſariis ejus quam nihil contra fidei virtutem valerent oſtenderet, voluit eum tanto tempore ſegregatum ab hominibus & ſuæ carnis dolore & antiqui hoſtis acriori certamine probari. Ut autem reddita tranquillitate inſulam repetivimus, invenimus eum ſuo Monaſterio egreſſum, ſedere in domo in qua nos manere ſolebamus. Et quia neceſſitas quædam poſcebat Fratres qui mecum venerant renavigare ad proximum litus; ipſe remanens in inſula, confeſtim Patri miniſterium præbere curavi. Siquidem calefaciens aquam abluebam pedem ejus, qui gratiâ diutini tumoris jam tunc ulcus habebat: ac profluente ſanie curâ indigebat. Sed & vinum calefaciens attuli, eúmque guſtare rogavi. Videbam namque in facie ejus, quia multùm inediâ ſimul & languore erat defeſſus. Completa curatione reſedit quietus in ſtratu: reſedi & ego juxta eum. Cúmque ſileret, dixi: Video, Domine Epiſcope, quia multùm vexatus es ab infirmitate poſtquam receſſimus à te: & mirum quare nolueris ut aliquos noſtrûm qui tibi miniſtrarent, hîc dimitteremus abeuntes. At ille; Dei, inquit, providentiâ & voluntate geſtum eſt, ut præſentiâ & auxilio deſtitutus humano aliqua paterer adverſa. Poſtquam enim à me digreſſi eſtis, continuò cœpit languor ingraveſcere. Ideóque de mea manſione egrediens huc intravi, ut quicumque veſtrûm mihi miniſtraturi advenirent, hîc me poſſent invenire: nec meam manſionem neceſſe haberent ingredi. Ex quo autem ingrediens hac in ſede membra compoſui, non movi me

AN. CHR. DC.XXCVII. MARTII XX.

oculis, extensíſque in altum manibus intentam ſupernis laudibus animam ad gaudia regni cæleſtis emiſit [a].

XL. *Quomodo juxta prophetiam Pſalmi quem eo moriente cantaverant, Lindisfarnenſes ſint impugnati, ſed Domino juvante iterum protecti.*

» 60. AT ego ſtatim egreſſus, nuntiavi obitum ejus Fratribus qui & ipſi noc-
» tem vigilando atque orando tranſegerant, & tunc fortè ſub ordine
» nocturnæ laudis dicebant Palmum quinquageſimum nonum, cujus initium eſt:
» *Deus repuliſti nos & deſtruxiſti nos, iratus es & miſertus es nobis.* Nec mora, cur-
» rens unus ex eis, accendit duas candelas: & utraque manu tenens adſcendit emi-
» nentiorem locum, ad oſtendendum Fratribus qui in Lindisfarnenſi Monaſterio
» manebant, quia illa ſancta anima jam migrâſſet ad Dominum. Tale namque
» inter ſe ſignum ſanctiſſimi ejus obitûs condixerant. Quod cùm videret Frater
» qui in ſpecula Lindisfarnenſis inſulæ, longè decontrà eventûs ejuſdem pervi-
» gil exſpectaverat horam, cucurrit citiùs ad Eccleſiam ubi collectus omnis Fra-
» trum cœtus nocturnæ pſalmodiæ ſollemnia celebrabat, contigítque ut ipſi quo-
» que intrante illo præfatum canerent Pſalmum: quod ſuperna diſpenſatione
» procuratum rerum exitus oſtendit. Siquidem ſepulto viro Dei, tanta Eccleſiam
» illam tentationis aura concuſſit, ut plures è Fratribus loco magis cedere quàm
b » talibus vellent intereſſe periculis. Attamen poſt annum [b] ordinato in Epiſcopa-
» tu EADBERTO magnarum virtutum viro & in Scripturis nobiliter erudito, maxi-
» méque eleëmoſynarum operibus dedito, fugatis perturbationum procellis, ut
» Scripturæ verbis loquar, ædificavit Jeruſalem, id eſt viſionem pacis Dominus,
» & diſperſiones Iſraël congregavit. Sanavit contritos corde & alligavit contritio-
» nes eorum: ut palam daretur intelligi quid ſignificaret Pſalmus cum cognita
» beati viri morte cantatus: quia videlicet poſt ejus obitum repellendi ac deſtruen-
» di eſſent ejus cives, ſed poſt oſtenſionem iræ minantis, cæleſti protinus miſe-
» ratione refovendi. Cujus ſententia quoque Pſalmi, eidem ſenſui concordare qui
» retractat intelligit. Impoſitum autem navi venerabile corpus Patris ad inſulam
» Lindisfarnenſium retulimus: quod magno occurrentium agmine, choríſque ca-
c » nentium ſuſceptum eſt [c], atque in Eccleſia B. Apoſtoli Petri ad dexteram alta-
» ris petrino in ſarcophago repoſitum.

XLI. *Quomodo puer dæmoniacus ſit humo, cui lavacrum corporis ejus infuſum eſt, in aquam miſſâ ſanatus.*

61. SED nec defuncto ac tumulato Chriſti famulo ſigna ſanitatum quæ vivens exercuerat, ceſſare potuerunt. Contigit namque puerum quemdam in territorio Lindisfarnenſium, atrociſſimo dæmone vexari, itaut ſenſu rationis fundi-

a Scilicet anno DC.XXCVII. quod diſertè probat Turgottus in lib. I. cap. 11. immo etiam Beda ſatis indicat, dum Cuthbertum anno (ut ſuperiùs cap. 27. adnotavimus) DC.XXCV ad Epiſcopi dignitatem adſumptum, & poſt biennium mortuum tradit capp. 24. 36. ſuprà & alibi. Denique mortuus eſt XII. Kalend. April. & quidem *feriâ quartâ* ex num. 56. anno proinde præcitato DC.XXCVII. quo dies Dominica litterâ F, feria quarta litterâ B. prædita erat. Ergo anni duo Pontificatûs Cuthberti (quod notaverunt ſocij Bollandiani) non à die conſecrationis anno DC. XXCV. ipſo Paſchæ feſto die celebratæ, ſed ab ejus electione ſub finem anni ſuperioris facta computandi ſunt.

b Quippe teſtante Beda in lib. 4. Hiſt. c. 29. *Epiſcopatum Eccleſiæ illius anno uno ſervabat venerabilis Antiſtes* VUILFRIDUS, *donec eligeretur qui pro Cudberhto Antiſtes ordinari deberet. Ordinatus eſt autem poſthæc Eadbertus*, &c. Eo tempore ſocij Bollandiani contigiſſe aiunt cladem hîc deſcriptam, ob eam ſcilicet cauſam, quòd *S. Vuilfridus antiqua Statuta Patrum & ipſius S. Cuthberti quæ hactenus obſervârant, & quæ S. Cuthbertus moribundus illis commendârat, voluerit abrogare, & Regulam S. Benedicti aut introduci, aut ſolam obſervari.* Verùm iſta prorſus incerta ſunt.

c Notanda quædam addit Anonymus lib. 4. *A navigantibus ad inſulam noſtram delatus, toto corpore lavato, capite ſudario circumdato, oblatis ſuper ſanctum pectus poſitis, veſtimenta Sacerdotalia indutus, in obviam Chriſti calciamentis ſuis præparatis, in ſindone cerata curatus, animam habens cum Chriſto gaudentem, corpus incorruptibile, requieſcens & quaſi dormiens in ſepulcro lapideo honorabiliter in Baſilica depoſuerunt.* Oblatarum nomine intelligit forſitan calicem, &c. de quibus infrà in Notis ad cap. 42.

tùs amiſſo clamaret, ejularet, & vel ſua membra vel quidquid attingere poſſet morſibus dilaniare niteretur. Miſſus eſt ad energuminum Preſbyter de Monaſterio: qui cùm ſolitus fuiſſet per exorciſmi gratiam immundos fugare ſpiritus, huic tamen obſeſſo prodeſſe nil prorſus valebat. Unde dedit conſilium patri illius, ut impoſitum carro puerum ad Monaſterium deferret, atque ad Reliquias beatorum Martyrum, quæ ibi ſunt, Dominum pro illo precaretur. Fecit ut monuerat: ſed noluêre ſancti Dei Martyres ei petitam reddere ſanitatem, ut quàm celſum inter eos locum Cuthbertus haberet oſtenderent. Cùm ergo inſanus ululando, ingemiſcendo, & frendendo dentibus nimio cunctorum viſus & auditus horrore concuteret, nec eſſet qui aliquod remedij genus excogitare quiviſſet, tunc ecce quidam de Presbyteris edoctus in Spiritu, per opitulationem B. Patris Cuthberti illum poſſe ſanari, venit clanculò ad locum, ubi noverat effuſam fuiſſe aquam, quâ corpus ejus defunctum fuerat lotum: tollénſque inde modicam humi particulam immiſit in aquam. Quam deferens ad patientem, infudit in ore ejus, quo horribiliter hiante, voces diras ac flebiles emittebat. Statim autem ut attigit aquam, continuit clamorem, clauſit os, clauſit & oculos, qui ſanguinei & furibundi patebant: caput & corpus totum reclinavit in requiem. Qui etiam placido ſopore noctem tranſegit: & mane de ſomno ſimul & veſania conſurgens, liberatum ſe à dæmonio quo premebatur beati Cuthberi meritis & interceſſione cognovit. Mirandum & bonis omnibus delectabile ſpectaculum! cùm videres filium cum patre ſoſpitem loca ſancta circuire, Sanctorum auxilio gratias ſaniſſima mente referre, qui pridie præ inſania mentis nec ſeipſum qui eſſet vel ubi eſſet poterat agnoſcere. Qui ubi tota Fratrum caterva adſtante, vidente, & congratulante, ad Reliquias Martyrum genibus flexis dedit laudem Deo Domino & Salvatori noſtro JESU-CHRISTO, jam & ab hoſtis verbere liberatus, & in fide firmior quàm fuerat effectus, ad propria rediit. Oſtenditur uſque hodie foſſa illa cui memorabile infuſum eſt lavacrum quadrato ſchemate facta, ligno undique circumdata, & lapillis impleta. Eſt autem juxta Eccleſiam in qua corpus ejus requieſcit, ad partem meridianam. Factúmque eſt ex eo tempore, ut plures ſanitatum operationes per eoſdem lapides vel eamdem terram Domino donante fierent.

AN. CHR. DC XXCVII. MARTII XX.

XLII. *Quomodo corpus ejus poſt undecim annos ſit ſine corruptione inventum.*

62. VOLENS autem latiùs monſtrare Divina diſpenſatio, quanta in gloria vir ſanctus poſt mortem viveret, cujus ante mortem vita ſublimis, crebris etiam miraculorum patebat indiciis; tranſactis ſepulturæ ejus annis undecim*, immiſit in animo Fratrum ut tollerent oſſa illius, qui more mortuorum conſumpto jam & in pulverem redacto corpore reliquo, ſicca invenienda rebantur, atque in levi arca recondita, in eodem quidem loco, ſed ſupra pavimentum dignæ venerationis gratiâ locarent. Quod dum ſibi placuiſſe EADBERTO Antiſtiti ſuo medio ferme Quadrageſimæ tempore referrent, annuit conſilio eorum; juſsítque ut die depoſitionis ejus, quæ eſt tertiadecima Kalendarum Aprilium, hoc facere meminiſſent. Fecerunt autem ita. Et aperientes ſepulcrum, invenerunt corpus totum quaſi adhuc viveret integrum: & flexibilibus artuum compaginibus multo dormienti quàm mortuo ſimilius. Sed & veſtimenta quibus indutum erat non ſolùm intemerata, verumetiam priſca novitate & claritudine miranda parebant. Quod ubi viderunt, nimio mox timore ſunt & tremore perculſi, adeout vix aliquid loqui, vix auderent intueri miraculum quod parebat: vix ipſi quid agerent noſſent.

* *anno* DC. XCVIII.

63. Extremam autem indumentorum ejus partem pro oſtendendo incorruptionis ſigno tollentes, (nam quæ carni illius proxima aderant prorſus tangere timebant) feſtinârunt referre Antiſtiti quod invenerant: qui tum fortè in re-

An. Chr. DC. XXCVII. Martii XX. hinc, ſed quinque diebus his & noctibus hîc quietus permanſi. Cui ego: Et quomodo, inquam, Domine mi Epiſcope, ſic potuiſti? num abſque cibi perceptione tanto tempore manſiſti? Tum ille retecto lectiſternio cui ſuperſedebat, oſtendit ibi cepas quinque reconditas, & ait: Hic mihi victus erat quinque diebus: quotieſcumque enim os ariditate ac ſiti nimia aruit & ardebat, hæc guſtando me recreare ac refrigerare curavi. Videbatur autem una de cepis, minùs quàm dimidia parte corroſa. Inſuper ait: Et concertatores mei numquam per omne tempus ex quo in hac inſula converſari cœpi, tot mihi perſecutiones quot in his quinque diebus intulêre. Non audebam interrogare quæ eſſent tentationes de quibus dixerat: tantùm rogavi, ut miniſtros ſuſciperet. Annuit ille, & quoſdam noſtrûm ſecum retinuit, in quibus erat major Beda[a] Preſbyter, qui miniſterio ejus familiariter ſemper adeſſe conſueverat: ideóque donationum acceptionúmque ejus omnium conſcius erat indubius. Quem ob id maximè ſecum manere voluit, ut ſi cujuſlibet acceptis muneribus digna recompenſatione non reſpondiſſet, illius admonitione recoleret, & priuſquam obiret, ſua cuique reſtitueret. Sed & alium quemdam de Fratribus ſpecialiter ut inter miniſtros ſibi adeſſet deſignavit: qui longo quidem ventris fluxu graviter ægrotabat, neque à medicis poterat curari: ſed merito religionis, prudentiæ & gravitatis dignus exſtiterat, qui teſtis eſſet verborum quæ vir Dei ultima diceret, vel quo ordine ad Dominum migraret.

57. Interea rediens domum, narrabam Fratribus quia venerabilis Pater in ſua ſe inſula ſepeliri juberet: & videtur, inquam, mihi juſtius eſſe multo & dignius impetrare ab eo, quatinus huc opus ſuum transferri, & juxta honorem congruum in Eccleſia condi permittat. Placuerunt illis quæ dixeram: & venientes ad Epiſcopum rogabamus dicentes: Non auſi ſumus, Domine Epiſcope, contemnere juſſionem tuam, qua te hîc tumulari mandâſti: & tamen rogandum videbatur nobis, ut te ad nos transferre & nobiſcum habere mereamur. At ille: Et meæ, inquit, voluntatis erat hîc quieſcere corpore, ubi quantulumcumque pro Domino certamen certavi, ubi curſum conſummare deſidero, unde ad coronam juſtitiæ ſublevandum me à pio Judice ſpero. Sed & vobis commodius quoque eſſe arbitror ut hîc requieſcam propter incurſionem profugorum vel noxiorum quorumlibet: qui cùm ad corpus meum fortè confugerint, quia (qualiſcumque ſum) fama tamen exivit de me quia famulus Chriſti ſum; neceſſe habetis ſæpiùs pro talibus apud potentes ſæculi intercedere, atque ideo de præſentia corporis mei multum tolerare laborem. At nobis multùm diu precantibus, laborémque huuſmodi gratum nobis ac levem fore adſeverantibus, tandem cum conſilio locutus vir Domini; Si meam, inquit, diſpoſitionem ſuperare, & meum corpus illo reducere vultis; videtur mihi optimum ut in interioribus Baſilicæ veſtræ illud tumuletis, quatinus & ipſi cùm vultis meum ſepulcrum viſitare poſſitis, & in poteſtate ſit veſtra an aliqui illò de advenientibus accedant. Gratias egimus permiſſioni & conſilio illius flexis genibus in terram: ac domum redeuntes frequentiùs illum exinde viſitare non deſtitimus.

XXXVIII. *Quomodo miniſtrum ſuum à profluvio ventris ſanaverit ægrotus vir beatus.*

58. Cumque increſcente languore videret tempus ſuæ reſolutionis inſtare, præcepit ſe in ſuam manſiunculam atque Oratorium referri. Erat autem hora diei tertia. Portavimus ergo illum: quia præ moleſtia languoris ipſe non valebat ingredi. At ubi ad portam pervenimus, rogabamus ut alicui noſtrûm liceret ad miniſtrandum ei pariter intrare. Non enim per an-

[a] Non confundendus iſte cum Beda venerabili, qui etiam diſcipulum cognominem habuiſſe dicitur.

nos plurimos quiſpiam illic præter ipſum intraverat. Qui circumſpectis omnibus vidit Fratrem, cujus ſuprà memini, ventris fluxu languentem: & ait: WALCHSTOD * ingrediatur mecum. Hoc enim erat nomen Fratris. Qui cùm ad nonam uſq; horam intus cum illo maneret, ſic egrediens vocavit me: Epiſcopus, inquiens, te juſſit ad ſe intrare. Poſſum autem tibi rem referre novam permirabilem, quia exquo ingrediens illuc tetigi Epiſcopum deducturus eum ad Oratorium, continuò ſenſi me omni illa longæ infirmitatis moleſtia carere. Non autem dubitandum ſupernæ pietatis hoc diſpenſatione procuratum: ut qui multos antea ſoſpes adhuc valénſque curaverat, hunc quoque moriturus curaret: quatinus hoc quoque indicio pateret, etiam corpore infirmatus vir ſanctus quantum ſpiritu valeret. In qua profectò curatione ſequebatur exemplum beatiſſimi & reverentiſſimi Patris Aurelij Auguſtini Epiſcopi: qui dum preſſus infirmitate qua & mortuus eſt decumberet, venit quidam cum ſuo ægroto rogans ut eidem manum imponeret, quo ſanus eſſe poſſet. At ille: Si, inquit, aliquid in his poſſem, mihi hoc utique primitus præſtitiſſem. Rurſus is qui venerat; Te, inquit, viſitare præceptus ſum, ſiquidem in ſomnis dictum accepi: Vade ad Auguſtinum Epiſcopum ut eidem manum imponat: & ſalvus erit. Quo ille audito, mox ægrotanti manum benedicens impoſuit, nec mora ſanatum ad propria remiſit.

AN. CHR. DC. XXCVII. MARTII XX.

* *Anonymo Paliſtod*

XXXIX. *Quæ ultima mandata Fratribus dederit & percepto Viatico inter verba orationis ſpiritum reddiderit cælis.*

59. INTRAVI autem, inquit, ad eum circa horam diei circiter nonam: inveníque eum recumbentem in angulo ſui Oratorij contra altare, adſidere cœpi & ipſe. Nec multa loquebatur: quia pondus ægritudinis facilitatem loquendi minoraverat. Verùm me diligentiùs inquirente, quem hereditarium ſermonem, quod ultimum vale Fratribus relinqueret; cœpit diſſerere pauca, ſed fortia de pace & humilitate, cavendíſque eis. Pacem, inquit, inter vos ſemper & caritatem cuſtodite Divinam: & cùm de veſtro ſtatu conſilium vos agere neceſſitas popoſcerit, videte attentiùs ut unanimes exſiſtatis in conſiliis. Sed & cum aliis Chriſti ſervis mutuam habetote concordiam, nec venientes ad vos hoſpitalitatis gratiâ domeſticos fidei habeatis contemptui: ſed familiariter ac benignè tales ſuſcipere, tenere ac dimittere curate, nequaquam vos meliores arbitrantes ceteris ejuſdem Fidei & vitæ conſortibus. Cum illis autem qui ab unitate Catholicæ pacis, vel Paſcha non ſuo tempore celebrando, vel perversè vivendo aberrant, vobis ſit nulla communio: ſciatíſque & memoriâ retineatis, quia ſi vos unum è duobus adverſis eligere neceſſitas coëgerit, multo plus diligo ut eruentes de tumulo tollentéſque vobiſcum oſſa mea recedatis ab his locis, & ubicumque Deus providerit incolæ maneatis, quàm ut ulla ratione conſentientes iniquitati Schiſmaticorum jugo colla ſubdatis. Catholica Patrum ſtatuta diligentiſſimè diſcere atque obſervare contendite: ea quoque quæ per meum miniſterium vobis Divina pietas Inſtituta vitæ regularis dare dignata eſt, exercete ſolliciti. Scio enim quia etſi quibuſdam contemptibilis vixi: poſt meum tamen obitum qualis fuerim, quàm mea doctrina non ſit contemnenda videbitis. Hæc & his ſimilia vir Domini per intervalla locutus, quia vis (ut diximus) infirmitatis poſſibilitatem loquendi ademerat, quietum exſpectatione futuræ beatitudinis diem duxit ad veſperam, cui etiam pervigilem quietis in precibus continuavit & noctem. At ibi conſuetum nocturnæ orationis tempus aderat, acceptis à me Sacramentis ſalutaribus [a] exitum ſuum quem jam veniſſe cognovit, Dominici Corporis & Sanguinis communione munivit, atque elevatis ad cælum

[a] Nimirum Pœnitentia & Unctione, nam de Viatico poſtea agit.

AN. CHR. DC. XXCVII. MARTII XX. oculis, extensísque in altum manibus intentam supernis laudibus animam ad gaudia regni cælestis emisit [a].

XL. *Quomodo juxta prophetiam Psalmi quem eo moriente cantaverant, Lindisfarnenses sint impugnati, sed Domino juvante iterum protecti.*

» 60. AT ego statim egressus, nuntiavi obitum ejus Fratribus qui & ipsi noc-
» tem vigilando atque orando transegerant, & tunc fortè sub ordine
» nocturnæ laudis dicebant Palmum quinquagesimum nonum, cujus initium est:
» *Deus repulisti nos & destruxisti nos, iratus es & misertus es nobis.* Nec mora, cur-
» rens unus ex eis, accendit duas candelas: & utraque manu tenens adscendit emi-
» nentiorem locum, ad ostendendum Fratribus qui in Lindisfarnensi Monasterio
» manebant, quia illa sancta anima jam migrâsset ad Dominum. Tale namque
» inter se signum sanctissimi ejus obitûs condixerant. Quod cùm videret Frater
» qui in specula Lindisfarnensis insulæ, longè decontrà eventûs ejusdem pervi-
» gil exspectaverat horam, cucurrit citiùs ad Ecclesiam ubi collectus omnis Fra-
» trum cœtus nocturnæ psalmodiæ sollemniâ celebrabat, contigítque ut ipsi quo-
» que intrante illo præfatum canerent Psalmum: quod superna dispensatione
» procuratum rerum exitus ostendit. Siquidem sepulto viro Dei, tanta Ecclesiam
» illam tentationis aura concussit, ut plures è Fratribus loco magis cedere quàm
[b] » talibus vellent interesse periculis. Attamen post annum [b] ordinato in Episcopa-
» tu EADBERTO magnarum virtutum viro & in Scripturis nobiliter erudito, maxi-
» méque eleëmosynarum operibus dedito, fugatis perturbationum procellis, ut
» Scripturæ verbis loquar, ædificavit Jerusalem, id est visionem pacis Dominus,
» & dispersiones Israël congregavit. Sanavit contritos corde & alligavit contritio-
» nes eorum: ut palam daretur intelligi quid significaret Psalmus cum cognita
» beati viri morte cantatus: quia videlicet post ejus obitum repellendi ac destruen-
» di essent ejus cives, sed post ostensionem iræ minantis, cælesti protinus mise-
» ratione refovendi. Cujus sententia quoque Psalmi, eidem sensui concordare qui
» retractat intelligit. Impositum autem navi venerabile corpus Patris ad insulam
» Lindisfarnensium retulimus: quod magno occurrentium agmine, chorísque ca-
[c] » nentium susceptum est [c], atque in Ecclesia B. Apostoli Petri ad dexteram alta-
» ris petrino in sarcophago repositum.

XLI. *Quomodo puer dæmoniacus sit humo, cui lavacrum corporis ejus infusum est, in aquam missâ sanatus.*

61. SED nec defuncto ac tumulato Christi famulo signa sanitatum quæ vivens exercuerat, cessare potuerunt. Contigit namque puerum quemdam in territorio Lindisfarnensium, atrociſſimo dæmone vexari, itaut sensu rationis fundi-

a Scilicet anno DC. XXCVII. quod disertè probat Turgottus in lib. I. cap. II. immo etiam Beda satis indicat, dum Cuthbertum anno (ut superiùs cap. 27. adnotavimus) DC. XXCV ad Episcopi dignitatem adsumptum, & post biennium mortuum tradit capp. 24. 36. suprà & alibi. Denique mortuus est XII. Kalend. April. & quidem *feriâ quartâ* ex num. 56. anno proinde præcitato DC. XXCVII. quo dies Dominica litterâ F, feria quarta litterâ B. prædita erat. Ergo anni duo Pontificatûs Cuthberti (quod notaverunt socij Bollandiani) non à die consecrationis anno DC. XXCV. ipso Paschæ festo die celebratæ, sed ab ejus electione sub finem anni superioris facta computandi sunt.

b Quippe testante Beda in lib. 4. Hist. c. 29. *Episcopatum Ecclesiæ illius anno uno servabat venerabilis Antistes* VILFRIDUS, *donec eligeretur qui pro Cudberhto Antistes ordinari deberet. Ordinatus est autem posthæc Eadbertus*, &c. Eo tempore socij Bollandiani contigisse aiunt cladem hîc descriptam, ob eam scilicet causam, quòd *S. Vvilfridus antiqua Statuta Patrum & ipsius S. Cuthberti quæ hactenus observârant, & quæ S. Cuthbertus moribundus illis commendârat, voluerit abrogare, & Regulam S. Benedicti aut introduci, aut solam observari.* Verùm ista prorsùs incerta sunt.

c Notanda quædam addit Anonymus lib. 4. *A navigantibus ad insulam nostram delatus, toto corpore lavato, capite sudario circumdato, oblatis super sanctum pectus positis, vestimenta Sacerdotalia indutus, in obviam Christi calciamentis suis præparatis, in sindone cerata curatus, animam habens cum Christo gaudentem, corpus incorruptibile, requiescens & quasi dormiens in sepulcro lapideo honorabiliter in Basilica deposuerunt.* Oblatarum nomine intelligit forsitan calicem, &c. de quibus infrà in Notis ad cap. 42.

tùs amiſſo clamaret, ejularet, & vel ſua membra vel quidquid attingere poſſet morſibus dilaniare niteretur. Miſſus eſt ad energuminum Preſbyter de Monaſterio: qui cùm ſolitus fuiſſet per exorciſmi gratiam immundos fugare ſpiritus, huic tamen obſeſſo prodeſſe nil prorſus valebat. Unde dedit conſilium patri illius, ut impoſitum carro puerum ad Monaſterium deferret; atque ad Reliquias beatorum Martyrum, quæ ibi ſunt, Dominum pro illo precaretur. Fecit ut monuerat: ſed noluêre ſancti Dei Martyres ei petitam reddere ſanitatem, ut quàm celſum inter eos locum Cuthbertus haberet oſtenderent. Cùm ergo inſanus ululando, ingemiſcendo, & frendendo dentibus nimio cunctorum viſus & auditus horrore concuteret, nec eſſet qui aliquod remedij genus excogitare quiviſſet, tunc ecce quidam de Presbyteris edoctus in Spiritu, per opitulationem B. Patris Cuthberti illum poſſe ſanari, venit clanculò ad locum, ubi noverat effuſam fuiſſe aquam, quâ corpus ejus defunctum fuerat lotum: tollénſque inde modicam humi particulam immiſit in aquam. Quam deferens ad patientem, infudit in ore ejus, quo horribiliter hiante, voces diras ac flebiles emittebat. Statim autem ut attigit aquam, continuit clamorem, clauſit os, clauſit & oculos, qui ſanguinei & furibundi patebant: caput & corpus totum reclinavit in requiem. Qui etiam placido ſopore noctem tranſegit: & mane de ſomno ſimul & veſania conſurgens, liberatum ſe à dæmonio quo premebatur beati Cuthberi meritis & interceſſione cognovit. Mirandum & bonis omnibus delectabile ſpectaculum: cùm videres filium cum patre ſoſpitem loca ſancta circuire, Sanctorum auxilio gratias ſaniſſima mente referre, qui pridie præ inſania mentis nec ſeipſum qui eſſet vel ubi eſſet poterat agnoſcere. Qui ubi tota Fratrum caterva adſtante, vidente, & congratulante, ad Reliquias Martyrum genibus flexis dedit laudem Deo Domino & Salvatori noſtro JESU CHRISTO, jam & ab hoſtis verbere liberatus, & in fide firmior quàm fuerat effectus, ad propria rediit. Oſtenditur uſque hodie foſſa illa cui memorabile infuſum eſt lavacrum quadrato ſchemate facta, ligno undique circumdata, & lapillis impleta. Eſt autem juxta Eccleſiam in qua corpus ejus requieſcit, ad partem meridianam. Factúmque eſt ex eo tempore, ut plures ſanitatum operationes per eoſdem lapides vel eamdem terram Domino donante fierent. AN. CHR. DC XXCVII. MARTII XX.

XLII. *Quomodo corpus ejus poſt undecim annos ſit ſine corruptione inventum.*

62. VOLENS autem latiùs monſtrare Divina diſpenſatio, quanta in gloria vir ſanctus poſt mortem viveret, cujus ante mortem vita ſublimis, crebris etiam miraculorum patebat indiciis; tranſactis ſepulturæ ejus annis undecim *, immiſit in animo Fratrum ut tollerent oſſa illius, qui more mortuorum conſumpto jam & in pulverem redacto corpore reliquo, ſicca invenienda rebantur, atque in levi arca recondita, in eodem quidem loco, ſed ſupra pavimentum dignæ venerationis gratiâ locarent. Quod dum ſibi placuiſſe EADBERTO Antiſtiti ſuo medio ferme Quadrageſimæ tempore referrent, annuit conſilio eorum; juſsítque ut die depoſitionis ejus, quæ eſt tertiadecima Kalendarum Aprilium, hoc facere meminiſſent. Fecerunt autem ita. Et aperientes ſepulcrum, invenerunt corpus totum quaſi adhuc viveret integrum: & flexibilibus artuum compaginibus multo dormienti quàm mortuo ſimilius. Sed & veſtimenta quibus indutum erat non ſolùm intemerata, verumetiam priſca novitate & claritudine miranda parebant. Quod ubi viderunt, nimio mox timore ſunt & tremore perculſi, adeout vix aliquid loqui, vix auderent intueri miraculum quod parebat: vix ipſi quid agerent noſſent. * *anno* DC. XCVIII.

63. Extremam autem indumentorum ejus partem pro oſtendendo incorruptionis ſigno tollentes, (nam quæ carni illius proxima aderant prorſus tangere timebant) feſtinârunt referre Antiſtiti quod invenerant: qui tum fortè in re-

AN. CHR. DC XCVII. MARTII XX. motiore à Monaſterio loco, refluis undique maris fluctibus cincto ſolitarius manebat. In hoc etenim ſemper Quadrageſimæ tempus agere, in hoc quadraginta ante Dominicum Natale dies in magna continentiæ orationis & lacrymarum devotione ducere cõſueverat. In quo etiam venerabilis prædeceſſor ejus Cuthbertus priuſquam Farne peteret, ſicut & ſuprà docuimus, aliquamdiu ſecretus Domino militabat. Attulerunt autem & partem indumentorum: quæ corpus ſanctum ambierant: quæ cùm ille & munera grataner acciperet, & miracula libenter audiret, (nam & ipſa indumenta quaſi Patris adhuc corpori circumdata miro deoſculabatur affectu) Nova, inquit, indumenta corpori pro his quæ tuliſtis circumdate [a], & ſic reponite in thecam quam parâſtis. Scio autem certiſſimè, quia non diu vacuus remanebit locus, qui tanta cæleſtis miraculi virtute conſecratus eſt. Et beatus eſt multùm, cui in eo ſedem quieſcendi Dominus veræ beatitudinis auctor atque largitor concedere dignatur. Adjecítque mirando quæ quondam verſibus dixit & ait:

Quis Domini expediet cæleſtia munera dictis,
Vel paradiſiacas quæ capit auris opes?
Cùm pius infeſti dirupto pondere leti
Vivere ſiderea ſemper in arce dabit.
Mortua nunc tanto qui membra decorat honore.
Pulchráque perpetuæ pignera præſtat opis.
Quámque beata domus ſub tanto quæ hoſpite fulges,
Neſcia quæ nævi lumine læta micas!
Nec tibi difficile Omnipotens mandare ſub arvo,
Ne depaſta voret funera labes edax.
Qui triduo ſervas ceti ſub viſcere vatem,
Lucis iter pandens mortis ab ore tuo.
Qui ignibus in mediis inſontia membra tueris,
Ne Hebræum noceat [b] *Chaldea flamma decus.*
Dena quater renovas per frigora plebis amictum,
Quæ Phariam fugiens invia ſervat humum.
Qui rediviva levem formas in membra favillam,
Cùm tremet Angelicis mundus ab axe tubis.

Hæc ubi multis cum lacrymis ac magna compunctione Pontifex tremente lingua complevit, fecerunt Fratres ut juſſerat: & involutum novo amictu corpus levíque in theca reconditum ſupra pavimentum Sanctuarij compoſuerunt.

XLIII. *Quomodo corpus Eadberti Epiſcopi in tumulo viri Dei ponentes, ſarcophagum illius deſuper poſuerunt.*

64. INTEREA Deo dilectus Antiſtes Eadbertus morbo corripitur acerbo: & creſcente per dies multúmque ingraveſcente ardore languoris, non multò pòſt, id eſt Nonas Maias [c] etiam ipſe migravit ad Dominum: impetrato ab eo munere quod diligentiſſimè petierat, videlicet ut non repentina morte, ſed longa excoctus ægritudine tranſiret è corpore. Cujus corpus in ſepulcro B. Patris Cuthberti ponentes, appoſuerunt deſuper arcam in qua incorrupta ejuſ-

a In detectione ſacri corporis anno M. C. IV. facta præter *pallium, Dalmaticam ex purpura & linteamina*, invenerunt *pectinem eburneum, forcipes, altare argenteum, Corporalia cum Patena, etiam Calicem parvum quidem, ſed materia & opere pretioſum: cujus inferior pars figuram Leonis ex auro puriſſimo habens, geſtat dorſo lapidem onichinum arte pulcherrima cavatum*, uti in libro Tranſl. Et Anonymus addit: *Nam ſudarium revolventes quo caput ejus cingebatur, priſtina candidatis pulcritudinem cuſtodiens, & ſicones novi quibus calceatus eſt, in Baſilica noſtra inter Reliquias pro teſtimoniis uſque hodie habentur.* Infrà etiam ſub finem lib. 4. *calceamenta ſeu ſicones* Cuthberti ad paralytici curationem adhibita fuiſſe teſtatur.

b Rectè: nam *nocere* apud probos Auctores non ràrò cum quarto caſu conjungitur. Alij pro *noceat* corrigunt *ladat*.

c Ipſo die colitur in Martyrol. Bened. S. Eadbertus, cujus obitus poſt annos à S. Cuthberti obitu undecim, Chriſti ſcilicet DC. XCVIII. quo S. Cuthberti tranſlatio facta eſt, contigit. Lege Bedæ Hiſtoriam lib. 4. cap. 30.

dem

dem Patris membra locaverant. Ubi nuncuſque ſi petentium fides exigat, miraculorum ſigna fieri non deſinunt. Sed & indumenta, quæ ſanctiſſimum corpus ejus vel vivum vel ſepultum veſtierant, à gratia curandi non vacant. AN. CHR. DC. XXCVII. MARTII XX.

XLIV. *Qualiter ægrotus ad tumbam orando ſit ſanatus.*

65. DENIQUE adveniens tranſmarinis è partibus Clericus quidam reverentiſſimi & ſanctiſſimi WILLEBRORDI Clementis Freſonum gentis Epiſcopi, dum aliquot dies ibidem hoſpes moraretur, decidit in infirmitatem graviſſimam, itaut invaleſcente per longum tempus ægritudine jam deſperatus jaceret. Qui cùm victus dolore videretur ſibi nec mori nec vivere poſſe, invento ſalubri conſilio dixit miniſtro ſuo: Obſecro perducas me hodie poſt celebratas Miſſas adorare ad corpus ſanctiſſimum viri Dei: (erat enim dies Dominica) ſpero per gratiam interceſſionis ejus his cruciatibus eripiar, ut vel ſanatus ad præſentem vitam redeam, vel defunctus perveniam ad æternam. Fecit ille ut rogaverat iſte: baculóq; innitentem ægrotum in Eccleſiam non parvo cum labore perduxit. Qui cùm ad ſanctiſſimi ac Deo dilecti Patris ſepulcrum genua curvaret, caput in terram demitteret, pro ſua ſoſpitate rogaret, tantas continuò vires ſuum corpus de incorrupto illius corpore accepiſſe perſenſit, ut abſque labore ipſe ab oratione reſurgeret; abſque adminiculo vel miniſtri ducentis vel baculi ſuſtentantis ad hoſpitium rediret. Qui poſt dies paucos, roborata ad integrum virtute viam quam diſpoſuerat peregit.

XLV. *Quomodo paralyticus per ejus calciamenta ſit ſanatus.*

66. ERAT in Monaſterio quodam non procul inde poſito adoleſcens, eâ quam Græci paralyſin vocant infirmitate omni membrorum officio deſtitutus. Unde Abbas ipſius ſciens in Monaſterio Lindisfarnenſi medicos eſſe peritiſſimos, miſit eum illò, rogans infirmanti ſi quid poſſent curationis conferrent. Qui cùm ſuo quoque Abbate & Epiſcopo jubentibus diligenter illi adſiſterent, & quidquid noſſent erga eum induſtriæ medicinalis impenderent, nihil omnino proficere valebant: quin potiùs creſcebat cotidie morbus, & paullatim in deteriora vergebat, adeout excepto ore nullum pæne membrorum poſſet loco movere. Cúmque à carnalibus medicis diu fruſtra laborantibus deſperatus ac deſertus jaceret, confugit ad Divinum Medici cæleſtis auxilium: qui in veritate petitus, propitius ſit omnibus iniquitatibus noſtris, qui ſanat omnes languores noſtros. Rogavit namque miniſtrum ſuum, ut aliquam ſibi portiunculam de incorruptibilibus ſacri corporis afferret exuviis: quia crederet per hujus ſe virtutem ad gratiam ſanitatis Domino largiente reverſurum. Qui conſulto Abbate attulit calciamenta quæ viri Dei in ſepulcro pedes induerant, & ea pedibus diſſolutis ægroti circumdedit: ſiquidem primò à pedibus eum paralyſis apprehenderat. Fecit autem hoc noctis initio, cùm tempus requieſcendi adeſſet: ſtatímque ille placidum dimiſſus in ſoporem, procedente intempeſtæ noctis ſilentio cœpit alternis palpitare pedibus: ut palam qui vigilabant & videbant miniſtri animadverterent, quia donata per Reliquias viri ſancti virtute medicandi, ſanitas optata à planta pedum per cetera membra eſſet tranſitura. At ubi conſuetum in Monaſterio nocturnæ orationis ſignum inſonuit, excitatus ſonitu reſedit ipſe. Nec mora, ſolidatis interna virtute nervis, artuúmque compagibus univerſis, & dolore fugato, ſanatum ſe eſſe intelligens ſurrexit: & in gratiarum actione Domino omne nocturnæ ſive matutinæ pſalmodiæ tempus ſtando perſolvit. Mane autem jam facto proceſſit ad Eccleſiam: videntibúſque & congratulantibus univerſis, circuivit loca ſancta orando, & ſuo Salvatori ſacrificium laudis offerendo. Factum namque eſt pulcherrima rerum converſione, ut is qui diſſolutus toto corpore illuc in vehiculo perlatus fuerat, inde ſtri-

AN. CHR. DC.XXCVII MARTII XX.

ctis firmatísque membris omnibus domum per se rediret incolumis. Unde meminisse juvat, quia hæc est mutatio dexteræ Excelsi, cujus memoranda ab initio mirabilia mundo fulgere non cessant.

XVII. *Qualiter Anachorita Felgidus operimento ejus parietis in vultu sit mundatus.*

67. NEc prætereundum arbitror quid miraculi cælestis etiam tunc per Reliquias sanctissimi Oratorij, in quo Pater venerabilis solitarius Domino militare consueverat, Divina pietas ostenderit. Quod tamen utrùm meritis ejusdem B. Patris Cuthberti an successoris ejus EDILWALDI [a], viri æquè Deo dediti, adscribendum sit; internus Arbiter noverit. Neque aliqua ratio vetat utriusque merito factum credi, comitante etiam fide reverentissimi Patris FELGIDI: per quem & in quo miraculum ipsum, quod refero, sanationis completum est. Ipse est qui tertius ejusdem loci & militiæ spiritualis heres, hodiè major septuagenario, in magno vitæ futuræ desiderio terminum præsentis exspectat. Cùm ergo viro Dei Cuthberto ad cælestia regna translato, Edilwaldus ejusdem insulæ & Monasterij colonus exsistere cœpisset, qui & ipse multos antea per annos in Monachica conversatione probatus, rite gradum Anachoriticæ sublimitatis adscenderat; reperit quia parietes præfati Oratorij, qui tabulis minùs diligenter coaptatis erant compositi, longa essent vetustate dissoluti: & separatis ab invicem tabulis facilem turbinibus præbuissent ingressum. Sed vir venerabilis, qui cælestis ædificij magis quàm terreni decorem quærebat, sumpto feno vel argilla, vel quidquid hujusmodi materiæ reperisset, stipaverat rimulas: ne cotidianis imbrium sive ventorum injuriis ab orandi retardaretur instantia. Cùm hæc igitur Edilwaldus ingressus locum vidisset, postulavit à frequentantibus se Fratribus pelliculam vituli, eámque illo in angulo quo & ipse & prædecessor ejus Cuthbertus sæpiùs orans stare vel genuflectere solebat, clavis affixam violentiis procellarum opposuit. At postquam ipse quoque expletis ibi duodecim continuis annis, gaudium supernæ beatitudinis intravit, ac tertius locum eumdem Felgidus incolere cœpit; placuit reverentissimo Lindisfarnensis Ecclesiæ Pontifici EADFRIDO dissolutum vetustate Oratorium illud à fundamentis restaurare. Quod dum esset opus expletum, & multi devota religione à beato Christi Athleta Felgido postularent, quatinus aliquam illis particulam de Reliquiis sancti ac Deo dilecti Patris Cuthberti sive successoris ejus Edilwaldi dare debuisset, visum est illi divisam particulatim memoratam pelliculam petentibus dandam: sed daturus eam aliis, priùs in se ipse quid hæc virtutis haberet expertus est. Habebat namque vultum deformi rubore simul & tumore perfusum: cujus quidem futuri in eo languoris, & priùs cùm adhuc communi inter Fratres vitâ degeret, adspicientibus in facie ejus signa patebant. At cùm in solitudine remotus minorem corpori cultum & majorem adhiberet continentiam, & quasi diutino carcere inclusus, rariùs vel fotu solis vel aëris uteretur afflatu; excrevit languor in majus, faciémque totam tumenti ardore replevit. Timens ergo ne fortè magnitudine hujusmodi infirmitatis solitariam deserere vitam, & communem necesse esset conversationem repetere, fideli usus est præsumptione, speravítque se illorum esse ope curandum, quorum se mansionem tenere & vitam gaudebat imitari. Mittens enim præfatæ partem pelliculæ in aquam, ipsâ aquâ lavit faciem suam: statímque tumor omnis qui hanc obsederat, & scabies fœda recessit, juxta quod mihi & primò religiosus quidam Presbyter hujus Monasterij Gyruensis indicavit, qui se vultum illius & priùs tumentem ac deformem nosse, & postea mundatum per fenestram manu pal-

[a] De S. Edilvvaldo seu Ethelvvaldo venerabilis Beda agit in lib. 5. cap. 1. atque eum post Cuthbertum mansisse in insula Farne annis XII. ibidémque defunctum esse (nimirum VIII. Idus Januarij quo die in Tabulis Benedictinis celebratur) & in Lindisfarnensi B. Petri Ecclesia sepultum.

pâſſe referebat; & ipſe poſtmodùm Felgidus retulit, adſtruens quia res itaut Presbyter narraverat eſſet expleta, & quòd ex eo tempore cùm incluſus per multa annorum curricula maneret, ut priùs immunem ab hujuſmodi moleſtia vultum ſemper haberet, agente gratia Dei omnipotentis, quæ & in præſenti multos & in futuro omnes cordis & corporis noſtri languores ſanare conſuevit ſatiánſque in bonis deſiderium noſtrum, ſuâ nos in perpetuum miſericordiâ & miſeratione coronat. AN. CHR. DC.XXCVII. MARTII XXI

ALIA VITA BEDA AVCTORE

Ex To. 5. Caniſij & apographo Thuaneo.

PROLOGUS AD JOHANNEM PRESBYTERUM.

DOMINO *in Domino dominorum dilectiſſimo* JOHANNI *Presbytero* BEDA *famulus Chriſti ſalutem.* Dici non poteſt, dilectiſſime in Chriſto domine, inquantum tua caritate afficiar, tuáque (ſi fieripoſſet) præſentiâ ſemper delecter: tuæ quoque ſanctæ dulcedinis, etiam inter longi itineris quod inire cupis anguſtias, perenni memoriæ ſtimulo compungar. Unde tibi vel ad memoriam meæ devotionis, vel ad tuæ peregrinationis levamentum, B. CUDBERHTI Epiſcopi, quæ nuper verſibus edidi, geſta obtuli. Abſque ulla enim dubietate confido, quòd tanti viri comitatus multum felicitatis conferat. Nam illius & mærentem dulcedo conſolatur affabilis, & deſidem compunctio cordis fervens excitat, & periclitantem interceſſio firma defendit. Scire autem debes, quòd nequaquam omnia geſta illius exponere potui: cotidie namque & nova per Reliquias ejus aguntur, & vetera noviter ab his qui ſcire poterant indicantur. E quibus unum eſt, quod in meipſo, ſicut jam tibi dixi, per linguæ curationem, dum miracula ejus canerem, expertus ſum. Si verò vita comes fuerit, & noſtræ diſpoſitioni ſuperna voluntas favendo annuerit, ſpero me in alio opere nonnulla ex his, quæ prætermiſeram, memoriæ redditurum. Obſecro cùm ad limina beatorum Apoſtolorum, Deo protegente, perveneris, pro me intercedere memineris.

PROÆMIUM ſeu CAPUT I.

MULTA ſuis Dominus fulgeſcere lumina ſæclis
Donavit, tetricas humanæ noctis ut umbras
Luſtraret Divina poli de culmine flamma.
Et licet ipſe Deo natus de lumine Chriſtus
Lux ſit ſumma Deus; Sanctos quoque jure lucernæ
Eccleſiæ rutilare dedit, quibus igne magiſtro
Senſibus inſtet amor, ſermonibus æſtuet ardor,
Multifidos varium lychnos qui ſparſit in orbem,
Ut cunctum nova lux fidei face fuſa ſub axem
Omnia fidereis virtutibus arva repleret.
Roma Petri, Paulíque jubar mirata gemellum,
Gaudet Apoſtolicis ſemper victura tropæis.
Aſt Aſiæ lucem verbis ſerit ore Johannes,
Hauſerat è Domini quæ pectore myſtica ructat.
Bartholomeûs Eoa volat per regna triumphans,
Indomitóſque armis lingua domat inclytus Indos.
Tu quoque Niliacos componens, Marce, furores,
Sicca Evangelicis ſatias de nubibus arva.
Africa Cypriani dictis meritíſque refulget,
Spernere delicias fuſo qui ſanguine ſuaſit.

AN. CHR. DC.XXCVII. MARTII XX.

Pictavis Hilario multùm radiata Magiſtro,
Diſcutit annorum vera jam luce tenebras.
Conſtantinopolim Chryſoſtomus ille Johannes,
Aurato nitidæ luſtrat fulgore loquelæ.
Nec jam orbis contenta ſinu, trans æquora lampas
Spargitur effulgens, hujúſque Britannia conſors
Temporibus genuit fulgur venerabile noſtris,
Aurea qua Cudberhtus agens per ſidera vitam,
Scandere celſa ſuis docuit jam paſſibus Anglos.
Hunc virtutis honor jam primo à limine vitæ,
Ætheriúmque decus ſignis comitatur apertis.
Cujus cuncta licet nequeam, tamen ultima malim
Commemorans operum veſtigia tangere verſu,
Quîs pateant interna ſacræ fundamina mentis.
Tu, rogo, ſumme, juva, donorum ſpiritus auctor:
Te ſine nam dignè fari tua gratia neſcit.
Flammivomíſque ſoles dare qui nova famina linguis,
Munera da linguæ, verbi tua dona canentis.

in alia Vita cap. 1.

II. *Quomodo puer Dei Cudberhtus per infantem ſit prædicto Epiſcopatu admonitus.*

ALMA Deo cari primo cæleſtis ab ævo
Vita micat, famuli lator quem muneris alti
Vera vocat Chriſtus ſpeciali ad gaudia dono,
Aurivagáſque feri pompas contemnere ſæcli,
Córque polo ſtabilire docet, quem denique dulci
Prima magiſterio per tempora dirigit ævi,
Quandoque provectum ſublimibus inferat aſtris.
Fortè vago gracilis dum gramine luderet ætas,
Intererat vacuis ſimul indoles alma palæſtris,
Súbque levi lætas ſumpſit luctamine palmas.
Sed Dominus digno puerilia ſenſa magiſtro
Correxit: tenero nam de grege parvulus infans
Viribus admonuit dubiis ne fidere mallet,
Et feſtina brevi conſumere tempora luxu:
Sed ſtabilem Domini mentem firmaret amore.
At puer infantis riſit ſacra famina nolens,
Octennis trimum deſpectus habere magiſtrum.
Qui gemit, & luctu faciem perfundit amaro.
Solvitur in lacrymas luctus, cunctíque viciſſim
Unius incertos ſatagunt abſtergere fletus:
Nec valuêre tamen ſolatia rapta novari.
Hunc pia complexum Cudberhtus ad oſcula mulcet,
Obſecrans ſiccare genas, deponere luctus.
Excipit & mæſto juſtas de corde querelas:
Quid te, care, levi ſubdis per inania ludo,
Quem Deus ætherio ſublimis honore ſacravit,
Præficiens populis, cæli quibus atria pandas?
Ingenuum ſtadio numquid concurrere ſervis
Fas erit, aut vulgi Antiſtes ſimilabitur actis?
Linque tuis ergo tam diſſona frivola factis,
Devotúſque Deo ſacrum conjungere pectus.
Hæc ait, & pueri grandævum in pectore ſenſum

Spiritus inſtituit cunctum comes almus in ævum. AN. CHR. DC.XXCVII. MARTII XX.
Nec mirum, infantes myſteria pandere Chriſti,
Lactentûmque ſacer repleat ſi viſcera flatus,
Qui facit humanas aſinam reboare loquelas.

III. *Quomodo genu dolente claudus effectus ſit, & Angelo medicante curatus.* *in alia cap. 2.*

PARVULUS interea ſubiti diſcrimine morbi
Plectitur, atque regit veſtigia languida pino.
Cúmque die quadam ſub divo feſſa locâſſet
Membra dolens ſolus mitis puer, ecce repentè
Venit eques niveo venerandus tegmine, necnon
Gratia cornipedi ſimilis, recubúmque ſalutat,
Obſequium ſibi ferre rogans. Cui talia reddit:
Obſequiis nunc ipſe tuis adſiſtere promptus
Vellem, nî diro premeretur compede greſſus.
Nam tumet ecce genu, nullis quod cura medentûm
Tempore jam multo valuit mollire lagonis [a].
Deſilit hoſpes equo, palpat genu ſedulus ægrum,
Sic fatus ſimilæ nitidam cum lacte farinam
Olla coquat pariter ferventi.....
Hócque iſtum calido ſanandus inungue tumorem.
Hæc memorans conſcendit equum quo venerat, illo
Calle domum remeans. Monitus medicina ſecuta eſt;
Agnovítque ſacer medicum veniſſe ſuperni
Judicis à ſolio ſummo, qui munere clauſos
Reſtituit viſus piſcis de felle Tobiæ.

IV. *Quomodo ventis oratione mutatis, rates in Oceanum delapſas revocaverit ad litus.* *al. cap. 3.*

HINC ſacra majori firmatus robore corda,
Celſithronum didicit precibus pulſare Tonantem.
Eſt locus inſignis fluvij ſuper oſtia Tini,
Eximio jam tunc Monachorum examine pollens:
Qui veherent dum ligna feri per terga fluenti,
Fluminis & venti ſubito feriuntur ab ictu.
Quinque fuêre rates, rapido quæ gurgite cunctæ
Oceani cavum pronæ labuntur in æquor.
Jámque oculis abſtracta procul, velut aliger undis
Mergulus innaret, paret per cærula puppis.
Egreditur fraterna cohors, & poplite flexo
Æthera ſuſpiciunt, vitam, pacémque precantes.
Servatur ſed hoc puero victoria lecto*, * *id eſt* electo
Qui tum fortè aliæ jam ſtabat in obice ripæ,
Vulgus & innumerum grandíſque caterva ridentûm:
Gaudia nam reprobis ſunt triſtitia fata proborum.
Noxia, qui dixit, linquamus gaudia Fratres:
Condoleamus & his, quos verbera mæſta fatigant:
Vel Dominum potiùs, qui flabra creavit & undas,
Oremus, dignetur iter donare ſalutis.

[a] Id eſt leporibus: nam leporum oſſa mederi tibiarum morbis aiunt.

AN. CHR. DC. XXCVII. MARTII XX.

Ruſtica ſed juſtis diſſentit turba ſuadelis
Ille genu flexo vultu mox preſſerat arva:
Mutantur venti, ratibúſque in litora jactis
Erubuit lætum viſo pro numine vulgus,
Glorificátque Deum, firmet qui vota ſuorum.

al. cap. 4.

V. *Quomodo cum paſtoribus poſitus animam S. Ædani Epiſcopi ad cælum ferri ab Angelis adſpexerit.*

HÆc inter, teneros lætis dum collibus agnos
Paſceret, ecce vigil nocturnis cernit in hymnis,
Ignea ſidereis fulgeſcere caſtra maniplis,
Atque polis Sanctum rutilæ per gaudia pompæ
Ferre animam, ſociíſque ſopor quos preſſerat infit:
Heu miſeri lento premimur qui pectora ſomno,
Cernere nec vigilum cæleſtia facta meremur!
Pervigil en modico magnalia tempore crevi*
Tanta Dei, biſores portæ reſerantur olympi,
Inditur ætheriæ felix qua ſpiritus aulæ
Angelicis comitatus ovans, qui ſidera flammis
Tranſit, & altithronum gaudet modò viſere Regem.
Antiſtes fuit iſte reor, plebíſve ſacratæ,
Summus in arce nitens, comitum quem flammea tantis
Excipit æthra choris, lucíſque ad limina vexit.
Diſcite, Paſtores, vigili tutamine mandris
Inſidias noctis, furvóſque cavere leones,
Vobis ut Angelicæ pateant ſacra carmina laudis,
Bethleáque Deum cernatis in arce potentem.
Hæc memorans trepidas ſocio ſub pectore laudes
Accendit, miranda fides rerum. Ædanus ille
Tempore deceſſit Domini orans lætus ad aulam.

* *id eſt* adſpexi

VI. *Quomodo idem Ædanus tempeſtatem nautis prædicens, oleum quo mitigaretur dederit.*

GEsta Sacerdotis hujus veneranda per orbem,
Et doctrina nitet, memori narranda relatu.
Tangere ſed breviter exemplis ſufficit unum.
Presbyter undiſoni quidam vada cærula ponti
Scandere juſſus, adit ſupplex oracula vatis,
Séque ſuóſque rogans precibus tutarier almi.
Antiſtes cui celſus ait: Petis æquor ut altum,
Obvius adverſo inſurget Septemtrio flatu:
Venti ſed fremitus, tempeſtatéſque ſonoras
Chriſmate quod dederim promptim lenire memento.
Unguine tunc ſumpto nautæ præpinguis olivæ,
Æquora conſcendunt, velíque patentibus alis
Sulcabat media puppis ſecura profundum.
Cùm ſubitò gravis inſtat hiems, furit undique pontus,
Tardans abreptæ veſtigia cœpta carinæ.
Immiſſo tandem pinguis medicamine guttæ,
Manſuefacta feros componens unda tumores
Pandit iter lætum. Virtus ſic una gemello
Effulget radio, dictis qui triſtibus antè

Terruerat, prompto relevat ſolamine mæſtos: AN. CHR. DC.XXCVII. MARTII XX.
Quíque prophetali præfatur mente futura,
Ipſe elementa ſuis refrenat turbida juſſis.

VII. *Quomodo Cuthbertus iter faciens, cibum caballo indice repererit.* al. cap. 5.

RURSUS caſta Deo Cudberthus pectora plenus,
Ingrediens itiner[a], pluvio concluditur Euro, a
Frigora quaque volans percurrit ſidera nimbus,
Divertítque rigens veteris ſub tecta tabernæ,
Condiderat pecorum quâ ſola per avia cuſtos,
Parieti & adnectit quo venerat ipſe caballum.
Exſpectánſque udos Dominum componere flatus,
Divinis horam dum ſacrat laudibus almus,
Cernit equum ſubitò ipſius decerpere morſu
Tecta caſæ, feníque fluunt in faſce cadentis
Miſta pio juveni ſummo convivia dono:
Qualia ſiccato meruiſti gramine quondam
Flammeus ætherias vates qui ſcandis ad auras.
Ergo ſacer calidi panis, carníſque ſuperna
Jam dape paſtus agit grates, poſtíſque procellis
Carpit iter gaudens Chriſto comitante ſerenum.

VIII. *Quomodo Angelum hoſpitio recipiens dum panem quærit miniſtrare terrenum, cæleſti ab eo remunerari meruerit.* al. cap. 7.

HINC majora petens Monachis Hrypenſibus, almus
Corpore, mente, habitu factíſque adjungitur: & mox
Ponitur hoſpitibus famulus, juſtóque libenter
Subditus obſequio, celſæ de mœnibus aulæ
Cernere promeruit gaudens, & paſcere civem.
Hoſpitis hic habitum mediæ ſub tempore brumæ
Advenit, Vatíſque humili de more receptus,
Aptos *abluitur ſacros, quíque algida blando * f. artus
Palmarum adclinis mulcet veſtigia fotu;
Subnixúſque rogat dignetur ut uſque morari,
Defeſſus lætis dapibus quo membra noventur,
Ne frigúſque famésque nivoſáque flabra Decembri
Ingeminent itiner longo ſub calle rigentis,
Qui matutinis advenerit algidus auris.
Atque reluctantem, ſummi per regna Tonantis
Adjurans, tandem ſiſtítque famémque repellit,
Digreditur cupiens panem deferre calentem,
Heſternæ[b] quòd tantùm ſupereſſent fragmina cœnæ. b
Convivam rediens quærit, ſed nulla viantis
Signa pedum niveo quoquam conſpexit in arvo.
Interiora petens roſeo nidore referta
Repperit hæc, mirum dictu! paritérque tuetur
Tres inibi è nitido fulgentes polline panes.
Talia dum pavido Cudberhtus pectore fatur:
Cerno quidem, ætheria deſcenderat hoſpes ab aula,

a *Itiner* ac *iter* promiſcuè hîc uſurpat Beda. Plautus Mercat. Act. 2. Sc. 1. Lucretius in 6. Manilius lib. 1. aliíque veteres apud Voſium in Etymologico memorati uſurparunt. Lege Nonium Marcellum *de mutata declinatione.*

b Beda pronuntiâſſe videtur *ſterna* pro *heſterna*: eum admodum quo quidam *Spania* pro *Hiſpania.*

AN. CHR. DC. XXCVII. MARTII XX.

Cognatúſque levis ſe reddidit aliger aſtris:
Paſcere non paſci veniens, & fercula portans,
Qualia non ſurgunt noſtræ de germine meſſis.
Lilia nec candent, nec ſic roſa fulgida fragrat,
Noſtráque manniſluo ſpernuntur mella ſapore.
Non hæc ergo meus toſto de viſcere fornax,
Sed paradiſe, tuus gignit ſacra munera fructus.
Nec mirum noſtras dives quòd reſpuit eſcas,
Perpetuum vitæ fruitur qui pane per ævum.
Nam vir mente Deo devotus, & ore jocundus,
Sanctificos Patrum Domini ſub laudibus actus
Commemorare ſolens, proprios quoque ſæpius infert;
Egerit ætherio tantùm quos teſte triumphos.

al. cap. 10. IX. *Quomodo animalia maris in quo pernox oraverat, illi regreſſo præbuerint obſequium; & Frater qui hæc videbat præ timore langueſcens, ejus ſit oratione recreatus.*

INTEREA juvenis ſolitos nocturnus ad hymnos
Digreditur: lento quidam quem calle ſecutus,
Illius incertos ſtuduit dignoſcere greſſus.
Ad mare deveniunt: collo tenus inditus undis
Marmoreo Cudberhtus agit ſub carmine nocte
Egreditur ponto, genibúſque in litore fixis,
Expandit geminas ſupplex ad ſidera palmas.
Tum maris ecce duo veniunt animalia fundo;
Vatis & ante pedes fulvâ ſternuntur arenâ:
Hinc gelidas villu*, flatúque foventia plantas,
Æquoreum tergunt ſancto de corpore frigus:
Supplice tum nutu ſeſe benedicier orant.
Qui parens votis, verbo, dextráque miniſtris
Impendit grates, patriáſque remittit ad undas,
Ac maturino tectis ſe tempore reddit.
Hæc comes ut vidit perculſus corde pavore,
Semianimam curvo flatum trahit abditus antro.
At revoluta dies noctis cùm pelleret umbras,
Æger adeſt vati ſupplex, genibúſque volutus
Se poſcit Domino prece commendare profuſa,
Inciderit mæſtam ſubitò quod pondere noctem.
Num noſtrum è ſpeculis, dixit, tentando latenter
Luſtrabas itiner? ſed nunc donabitur error
Jam tibi poſcenti, retices ſi viſa quouſque
Decedam mundo. Summíque exempla magiſtri
Exſequitur, miſſo renovans qui lumine cæco
Præcipit auctorem reducis celare ſalutis.
Tum prece languorem pellit, culpámque relaxat.
Inque dies meritis creſcendi ſumma Tonantis
Gratia teſtis adeſt: pandunt miracula mentem;
Jámque prophetalis ſtellanti è culmine virtus
Candida prærutilo irradiat præcordia flatu.

* villis

IX. *Quomodo nautis tempeſtate præcluſis ſerenum mare ad certum diem prædixerit, & orando cibos impetraverit.* ÆN. CHR. DC XXCVII. MARTII XX.

PICTORUM interea puppi defertur ad oras:
Sed reducem rigido tardant freta clauſa Decembre.
Cúmque fames, frigúſque, maríſque pericla furentis,
Nubila cùm tonitrus, cùm grando, políque micantes
Externo trepidos quaterent ſub litore nautas.
Venerat alma dies, natus qua corpore ſignis
Enituit Chriſtus cælorum gloria terris.
Ille, ut erat placidus, blando ſic pectore fatur:
Quid rogo, tanta tenet noſtras ignavia mentes,
Tam fera quin ullo ſcindamus vincula niſu?
Cernitis æquoreo caneſcat ut aggere tellus,
Aër aquas manat, glacies mare, nox tegit æthram:
Corda fame tabent, hominúmque juvamina deſunt.
Ergo Deum reſtat precibus pulſare ſupinis,
Rubra ſuis quondam pelagi qui limina pandit,
Nube domum, nimbo panem dat, pocula ſaxo,
Noctis & horriferas flamma duce diſcutit umbras.
Tanta dies præſens cujus de munere dono
Promeruit, quaterna magi theſaura ferentes,
Mortalem, Regémque, Deúmque tuentur & orant.
Quo lavat ipſe ſuo Dominus Baptiſmate mundum,
Clauſa diu referans credentibus æthera ſæclis.
Dulcia quo fontes flagrant de gurgite vina,
Munere déque rubent Domini per pocula lymphæ:
Sic quoque noſtra Deo remeant duce proſpera credo,
Illum ſi rogitans firmet fiducia pectus.
Hæc ubi dicta, freti ſocios ſub litore ſiſtens,
Suêrat ubi vigiles ſupplex jam ducere noctes:
Ceu deciſa videt piſcis tria viſcera fruſta,
Et genibus Dominum poſitis veneratus adorat,
Laudibus accummulans fidei venerabile donum.
Tot ſuperant *, Vates, convivia ſolibus, inquit,
Conditor æquavit: quibus actis, æquora placans
Navigero patrium nos calle reducet ad arvum.
Tum laribus torrent epulas, gratéſque gerendo,
Exhibita triduo recreant dape cælitùs artus,
Quæ nova mellito teſtantur dona ſapore.
Jámque die quarto lætis ceſſantibus auſtris
Blanda ſalutiferum capiunt trans æquora portum.

* *id eſt* ſuperſunt

X. *Quomodo iter faciens, aquilâ miniſtrâ viaticum & percepturum ſe eſſe prædixerit & perceperit.*

INDE Sacerdotis meritóque gradúque potitus
Tendebat populos vitæ renovare fluentis.
Fortè viæ comiti, ſed præſcius ipſe futuri,
Fare ſodalis, ait, quo fercula ſumere mens ſit.
Hæc & ego, dixit, dubio ſub pectore mecum,
Prandia non tulimus vaſis, domus hoſpita non eſt:
Jejuni feſſíque itiner complere nequimus.
Reſpondit Senior: Domino ſi fidere diſcas,
Providet ille dapes, Vatem qui paſcere corvos
Juſſit. Jam adſpectas aquilam vaga flabra ſecantem?
Nos valet hac etiam Omnipotens ſatiare miniſtrâ.

AN. CHR. DC.XXCVII. MARTII XX.

Dúmque iter inceptum peragunt, venêre ſub amnem:
Et volucrem rubro quæ celſa ſub axe volârat
Marmoris in ripa reſidere tuentur. At altus,
Cernis (ait Vatis) noſtram ſuper æquora ſervam?
Curre rogo, & Dominus miſit quæ munera defer.
Attulit at piſcem; medium ſecat, atque miniſtræ
Parte famem pellit, firmant ſua pectora parte.
Utque viam ſuperant juſſis lymphiſque ſalutis
Pandit iter populis, cæli per regna vocandis.

al. cap. 13.

XI. *Quomodo prædicans populis phantaſticum ſubitò ignem diaboli & præviderit venturum, & venientem exſtinxerit.*

TEMPORE non alio pandens cæleſtia terris,
Impia jam pulchrè ludibria prodidit anguis.
Namque repente ſacris immiſcet talia dictis:
Panduntur quoties vobis myſteria Regni,
Cor decet adtentum ſenſúſque adhibere benignos:
Ne vaga peſtiferi ludat vos aura chelydri.
Qui ſacra perverſus conanima vertere nitens,
Gaudet vel modica turbari nube Fideles:
Ut nos alloquio Regis viſúque ſuperni
Abducat fallax vilis quaſi ſervulus hoſtis.
Hos inter monitus vacuo de fomite ſurgens
Vicinas rapit ignis edax ſine viribus ædes;
Quáque faces volitant, ventus juvat, it fragror aſtris.
Exſilit elúſum trepido phantaſmate vulgus
Feſtinum, ignivomis undâ ſuccurrere tectis.
Neſcia ſed fuſis fallacia cedere lymphis,
Ipſa ſui levitate perit, patriáſque ſub umbras
Pompa redit, vanúſque vagis dolus abditur antris.
Confuſi redière domum: veniámque precantes
Exorant proni Vatem, fragiléſque ſuperbi
Se gaudent agnôſſe dolos; ac tela tyranni
Spiritûs exſtinxit, ſacri quæ præſcia virtus.

al. cap. 14.

XII. *Quomodo flammas cujuſdam domûs ardentis oratione reſtinxerit.*

QUINETIAM veri flammis crepitantibus ignes
Arida diriperent tecti dum culmina quondam,
Incubuit precibus ventóſque laréſque retorquens
Voce pericla fugat, juvenum quæ dextra nequibat.
Nec mirum Vati fragilem ceſſiſſe caminum,
Igniferis ſatanæ qui ſpicula torta pharetris
Ætherio ſuêrat umbone relidere Chriſti.

al. cap. 15.

XIII. *Qualiter dæmonium ab uxore cujuſdam necdum adveniens ejecerit.*

VIR venit ad Procerem, trepidíſque precamina ſupplex
Vocibus ingeminat: Leti ſub limine conjunx
Cara jacet, jam artus ſenſu fugiente rigeſcunt;
Vita tremens tantùm ſub pectore fervet anhelo.
Mitte, precor, Chriſti modò qui myſteria portet:

Spiritus antè fugat quàm pallida membra relinquat. AN. CHR. DC.XXCVII. MARTII XX.
Dúmque parat jam Vatis[a] iter quem mittat in iſtud,
(Tempore namque fuit Lindisfarnenſis in illo
Præpoſitus Cellæ) ſecreto numine diſcit
Non leti commune genus, ſed Dæmonis atri
Sęvitiam miſerè diris incumbere pœnis.
Se magis exhibuit, ſubeunt iter, ecce repentè
Solvitur in lacrymas ductor, & pectore triſti
Sedulus horreſcit veniens ne Vatis amatam
Dilectámque diu veſano corda furore
Preſſam ſi cernat priſcæ ſuſpicio vitæ,
Surgat, & antiquam lædat nota improba famam.
Namque miniſteriis adſiſtere ſedula vatis
Conſuêrat, bibuláſque aures præbere docenti.
Ille pio tetricas relevat ſolamine curas.
Quid gemis, & taciti liquefactus ab igne camini
Ablueris triſti jam pectoris indice lympha?
Anne putas adeam caræ cùm tecta ſodalis
Illam poſſe capi nexu bacchante chelydri?
Vinci qui crebris ſolitus conflictibus, & nunc
Victrici fidei gladio ſuperabitur hoſtis.
Femina quin potiùs venientibus obvia nobis
Iſtas excipiet ſanæ jam mentis habenas.
Dicta fiunt: venêre domum, fugit efferus anguis,
Occurrit mulier ſoſpes, dextráque prehendens
Frena, rogat Vatem deſcendere adiréque tecta
Dignetur famulæ, pandens nova dona ſalutis,
Ejus ad adventum fugiens ut ceſſerit hydros*.

* hydrus

XIV. *Qualiter anachoriſim meditatus, apud Lindisfarnenſes Monachos vixerit.* al. cap. 16.

TALIA mirantûm fragili ne laude, ſupernæ
Cæleſtíſque exſors famæ foret, abdita mavult
Secreti luſtrare Deo, quo teſte valeret
Laudis ab humanæ liber munirier aura,
Cúmque ſui primò juſſis Antiſtitis actus
Fratribus exemplo virtutis pandere callem.
Fit Monachis ſocius, quos Lindisfarnea glauci
Inſula clara maris refluis circumluit undis,
Inque brevi qua plura nitens per ſigna coruſcus
Erigit innumeros pulſis languoribus ægros,
Hoſtis & atra Crucis rutilo fugat arma tropæo.
Quæ facie quamvis abſens, ſed pectore præſens
Conterit, & fœdo Chriſti domum ab hoſpite mundat.
Internam quid enim coner deſcribere vitam?
Quàm dulcis ſermone, graviſve actibus, & quàm
Accenſam lacrymis acuârit* ad æthera mentem,
Cùm decus externum puri ſit pectoris index?

* al. leva-rit.

a Sic paſſim Beda *Vatis* in recto uſurpat, etiam ubi non cogit metri neceſſitas, ut infrà cap. 17.

AN. CHR. DC. XXCVII. MARTII XX. *al.* cap. 17.

XV. *Qualem ſibi in inſula Farne pulſis Dæmonibus habitationem fecerit.*

TANDEM Farne petit Senior, cupitíſque potitus
Sedibus, indigenas patriâ fugat impiger atros.
Illa priùs nam horrens larvalibus inſula flabris
Arcebat humana minis conſortia cæcis.
Quam Domini mox ſervus adit; Cruce territus atrox
Turbo fugit per inane vagi quaſi portio fumi.
Illa ſerena tenens pereunte tyrannide regna,
Terreſtri ætheriam ſacer aggere condidit urbem,
Atque humiles celſis ſtatuit ſub mœnibus ędes.
E quibus aſtriferum tantùm adſpectare cacumen
Poſſet, & à celſo ſecretus Rege tueri.
Hæc & ut in cunctis Divina pateſceret almi
Virtus, miſſilibus firmavit mœnia ſaxis,
Vix quæ bis terni cervice ſubire potentes;
Ille ſed aſportans muris imponere ſolus
Sufficeret, ſummi dextra comitante Tonantis.

al. cap. 18.

XVI. *Qualiter precibus aquam de arida produxerit, qui etiam bibendo quondam aquas in vina convertit.*

FONTIS inops fuerat locus hic, ſed Sanctus amœnam
Excutit inſolita precibus dulcedine lympham.
Hæc ſacri mediâ Cuthberti nata ſub aula
Præbet adhuc cunctis ſuavem potantibus hauſtum.
Nec mirum hoc Domini famulum potuiſſe mereri,
Qui quondam ſaliente ſitim dum pelleret undâ,
In meracum latices valuit convertere nectar.

al. cap. 19.

XVII. *Qualiter à meſſe quam ſua manu ſeverat volucres abegerit.*

QUISQUE ſuis cupiens victum conquirere palmis,
Incultam pertentat humum proſcindere ferro,
Et ſator edo mitis anni ſpem credere glebis.
Dúmque ſeges modico de ſemine ſurgeret ampla,
Tempus adeſt meſſis, rapidæ ſed fortè volucres
Flaventes prædare ſenis nituntur ariſtas.
Talia qui placidus ſævis prædonibus infit:
Quid precor inlicito meſſem contigitis auſu,
Quæ veſtro ſulcis non eſt inſerta labore?
Pauperies an veſtra meam tranſſcendit, ut iſtud
Incurvam meritò falcem mittatis in æquor?
Quòd ſi fortè Deus jubet his inſtare rapinis,
Non veto; ſin aliàs, vos finibus indite veſtris.
Dixerat, & ceſſit mox plumea turba, nec ultrà
Militis audebat Domini jam lædere jura *,
Quem potiùs dulci pacis quaſi fœdere nexu
Unaminémque ſui generis redamabat amicum.
Nam teneras ceu paſtor oves hanc ipſe gerebat.

* *f.* rura.

XVIII. *Qualiter corvi noxam quam viro Dei intulerant, precibus & munere purgârint.* AN. CHR. DC.XXCVII. MARTII XX. *al.* cap. 20.

DISSCINDUNT corvi nigro sub crimine pactum,
Effringúntque domus, ruptóque è culmine culmos
In propriæ gaudent transferre cubilia prolis.
Hos Vatis cessare monet: spretíque suadelis,
Hospitium Fratrum quid (ait) laceratis? abite,
Hujus & extorres patriæ durate per ævum.
Dixerat, & tristes abeunt, triduóque peracto
Alter adest Vati, pedibúsque volutus & alis
Lugubrè sparsis veniam redit úmque precatur.
Patrata qui pace redit, sociúmque revisit.
Tandem ambo veniunt alacres, adipèmque suillam
Secum digna ferunt voti dona, unguine cujus
Calciamenta pius mollire valeret, & exin
Innocuo condunt illic sua tecta paratu.
Quid fera prætumido cervice superbia ferves?
Cerne viam corvi, & cæcum depone furorem,
Qui precibus noxam fletúque & munere purgat.
Nec pudeat vitæ volucrum de pectore formam
Sumere: cùm moneat Sapientia, Respice calles
Quos formica terat, sensúmque addisce sagacem.

XIX. *Qualiter ejus necessitatibus etiam mare servierit.* *al.* cap. 21.

QUID referam æquoreas Justo famularier undas,
Obsequiúmque illis elementa impendere, qui se
Imperiis subdunt devota mente supernis?
Namque suis casulam structurus ibi usibus aptam,
Quam bases * à ponti fulciret parte, rogabat
Conveniens operi Fratres adducere liguum.
Qui obliti rediêre, maris sed proximus æstus
Attulit; & mirum dictu! jam limine in ipso
Quo fuerat corde illius, fundamina tecti
Pandere deposuit, hominúmque oblivia pontus
Increpat, & nautas sua concutit unda pudore.

* *l.* basis

XX. *Quomodo multis ad se venientibus monita dans salutis, fragiles exposuerit antiqui hostis insidias.* *al.* cap. 22.

FAMA citat multos Vatis pia quærere dicta,
Et bibulas adhibere sonis cælestibus aures,
Quos varia cordis fessos à clade levaret.
Mitis at ille sacro renovans solamine mæstos,
Gaudia summa poli cunctis fluxósque caduci
Commemorat luxûs sæcli, variásque malignum
Tendere decipulas, Domini qua nudus amore
Labatur miserè sensus: sed tela fidei
Perrumpant vacuas nullo discrimine fraudes.
Me quoties, inquit, celsa de rupe nefandi
Præcipitem mittunt! quoties ad pectora saxa
Acta rotant! nullo noceor sed hostis ab ictu,

AN. CHR. DC. XXCVII., MAR III XX.

Credite, nec læſit ſummas offenſio plantas,
Nec modicus ſaltim tetigit præcordia terror.
Nec quaſi ſumma meæ ſtupeatis culmina vitæ,
Blanditias quòd ego luxu fallente ſuperbas
Calce terens, Domino cupiam ſecretus adeſſe.
Artior eſt Monachi, quæ ſemper ſubdita juſſis
Vita ſub imperio ſervit devota parendi,
Excubiáſque, famémque, preces, manuúmque laborem
Ad votum gaudent proni frenare regentis.
Me quorum multos vitæ per culmina novi,
Pérque prophetalis radios præire ſophiæ,
BOISILUS è quibus eſt MAILROSI gloria cœtûs;
Quem totam memini quondam mihi pandere vitam,
Quæ me venturi reſtabat in ordine ſæcli,
Unius & ſolum ſuperat* ſententia verbi,
Quam cuperem numquam, faciat Deus arbiter orbis.
Hæc ſacer aiebat Senior, quia præſcius ipſum
Pontificem altiloquo prædixerat ore futurum

* ſupereſt

al. cap. 23.

XXI. *Prophetia ejuſdem de vita Ecgfridi Regis, & Epiſcopatu ſuo.*

CUMQUE pium cuncti gauderent viſere Vatem,
Ejus & oratu cordis componere fluctus;
Ecce alios inter ſignis ſublimibus acta
Regia virgo* venit, Regis quæ ſponſa perennis
Virgineos, paradiſe, tui ſub gaudia regni
Mater caſta choros generat, Vatémque precatur
Dignetur famulam monitis firmare ſupernis.
Annuit, & pelagi ſuperato gurgite puppi
Progreditur, dictíſque illam dum affatur amicis,
Femineis ſubitò rogitat ſic anxia curis.
Jam claret meriti te præ fulgore nitentis
Præſcia venturis intendere lumina ſæclis.
Dic ergo, adjuro ſummi per regna Tonantis,
ECGFRIDUS imperium quod ſit recturus in ævum?
Vera cui dubio pandit ſermone Prophetes.
Regna vocas longæva virûm, quæ quàmlibet annis
Centenis extenta, brevi claudentur in hora,
Et nihili unius luxus reputabitur anni,
Mors ubi languentes diffunditur atra per artus.
Quæ gemit, & lacrymis præſagia triſtia deflens,
Quem, rogo, linquet, ait, Regni qui ſceptra gubernet,
Cùm fratre & nato careat? Cui talia Vatis:
Cernis ut hoc pelagus latè vaga regmina fundat?
Forſan & hæc inter Dominus ſibi ſervat, & hujus
Qui regat Imperii lectus moderator habenas,
ECGFRIDUS útque tibi fratris nectatur amore.
Audet adhuc ſupplex virgo pulſare Prophetem:
O variis hominum finduntur pectora curis!
Pars nancto* gaudet mortalis culmine pompæ.
Pars cupiens gazas luxu populante fugaces
Pauperiem nullo deponit fine perennem.
Tu licet oblatum mundi contemnis honorem,

* Elfledis cap. 22.

* *ſic antiqui, recte.*

Vilibus & mavis ſecretus condier antris. AN. CHR. DC.XXCVII. MARTII XX.
Pontificis ſummi quamvis potiundus honore,
Quo nil noſtra gerit meritò ſacratius ætas.
Non ego, reſpondit, dignum me tanta ſubire
Culmina, jam fateor Domini ſed dextera nullis
Effugitur cæli terræve mariſve latebris.
Qui ſi tanta gradûs jubeat me pondera ferre,
Credo brevi laxet, tranſacto & fortè duorum
Curriculo annorum abſolvar, rursúmque adunatis
Gaudens ſecretis reddar. Sed tu quoque noſtrum
ÆLFLEDA conloquium perpes reticere memento,
Abſolvar donec vinclis & carcere carnis.
Nec mora, veriloqui complentur in ordine dicta.
Eccleſiæ juſſis, precibus, lacrymíſque coactus,
Vatis & ipſe genas luctu perfuſus amaro,
Dulcibus extrahitur latebris, populíſque regendis
Præficitur, modio lateat ne tecta lucerna:
Sed jubar alticomum Domini diffundat in ædem.
Eccleſiam gemino qui rexit Epiſcopus anno,
Et priſcis properavit ovans ſe reddere luſtris*. * *id eſt*, antris
Utque ſatis fieret Vatis per ſingula dictis,
Sol magnum explevit ſolitis ſub menſibus annum,
Pictorum infeſto dum concidit ECGFRIDUS enſe,
Et nothus in Regni frater * ſucceſſit honorem, * Aldfridus *cap.* 24.
Scottorum qui cùm verſatus in* incola terris * *pro* incola in terris
Cæleſtem in tanto ſpirabat corde ſophiam.
Nam patriæ fines & dulcia liquerat arva,
Sedulus ut Domini myſteria diſceret exſul.
Hujus nunc Tyrio venerabile pignus in oſtro
Jure datas patrio ſceptri jam tractat habenas.
Utque novus Joſia fidéque animóque magis quàm
Annis maturus, noſtrum regit inclytus orbem.

XXII. *Quomodo in Epiſcopatu Monaſticam non deſeruit vitam.* *al.* cap. 26.

ERGO Sacerdotis ſummi faſtigia nanctus,
Mente, manu fulget CUTHBERTUS & ore coruſcus,
Commiſſóſque greges precibus monitíſque tuetur.
Pauperibus qui dives, inops ſibi, blandus amaris,
In turbis Monachus: neque enim vel tegmina ſueta,
Arida vel eremi mutari fercula curat.
Virtutum titulis auget miracula mentis,
Quæ lyrico liceat curſim contingere plectro,
Ne potior laſſis generet faſtidia verſus.

XXIII. *Quomodo uxorem Comitis per Presbyterum ſuum aquâ benedictâ ſanavit.* *al.* cap. 29.

DOctor ubique pius cæleſtia dona miniſtrans,
Per Comitis tulit arva gradus, quem languida conjux
Triſtabat pe peſſa luem letóque propinquans.

AN. CHR. DC.XXCVII. MARTII XX.

Alma ſalutiferæ cui Vatis munera lymphæ
Preſbytero famulante dedit, tabémque removit:
Móxque illi obſequium præbebat femina ſoſpes.

al. cap. 30. XXIV. *Quomodo puellam chriſmate perunctam à dolore capitis lateriſque curavit.*

TEMPORE non alio laterali tacta dolore
Virgo premebatur, capitíſque gravedine feſſa,
Ægra diu gemuit: ſacro quam chriſmate tinctam
Antiſtes rediviva novat per dona ſalutis.

al. cap. 31. XXV. *Pane à viro Dei benedicto ſanatur infirmus.*

VIR pater ipſe domûs morbo depreſſus acerbo
Cogit amicorum ſuprema ad fata cohortes.
Conveniunt plures: cui fortè ibi protulit unus
Quem ſibi quondam almi Doctoris dextra roganti
Sacrârat dederátque pio pro munere panem.
Intingunt lymphis potandum, ſuſcipit æger
Móxque medelifero morbi ceſſêre ſub hauſtu,
Laxatóſque ſalus rediviva ſubintrat in artus.

al. cap. 32. XXVI. *Oblatum in itinere juvenem moriturum oratione revocavit ad vitam.*

NAM commiſſa vigil dum luſtrat ovilia Paſtor,
Ecce iteris[a] medio juvenis torpentia lecto
Membra ferunt, ægrè ſuſpiria ſæva trahentes,
Utque juvet miſerum rogitant. Qui protinus omnes
Ejicit, & precibus languentes impiger artus
Erigit, & comitem ſociis mirantibus addit.

al. cap. 34. XXVII. *Tempore mortalitatis morientem puerum matri ſanum reſtituit.*

TEMPORE quo peſtis vaſtabat dira Britannos,
Dona Sacer cæleſtia ſpargit ubique ſalutis.
Ferre videt mæſtum nati moritura parentem:
Funera feminecis compaſſus & ipſe dolenti
Baſia dat puero, matrémque affatur amaram:
Linque metum lacrymáſque, puer ſanabitur iſte,
Et tua tota domus mortis hac ſorte carebit.
Cujus dicta ſalus pueríque domúſque ſecuta eſt.

XXVIII. *Quòd omnia geſta illius enumerari non poſſint.*

DICERE quid coner, quæ nullo edicere verſu
Sufficiam? Quoties languorum tabe pereſos
Invalidóſque potens jam verbo erexerit artus,
Quótque focos febris ſacrâ repreſſerit undâ:
Qualiter egeſtas fontano è gurgite lymphas
Fecerit in lætum vini tranſire ſaporem.

[a] *Iteris* poſitum pro *itineris*, & quidem rectè, inquit Nonius Marcellus *de mutata declinatione*. Quippè cùm veteres promiſcuè uſurparent *iter* & *itiner* ex notatis ſuprà; ab *iter* formabant *iteris*, ab *itiner itineris*.

Spirituum

Spirituum quoties per devia fugerit horror,
Cutberthi consueta minis se linquere fassus
Pectora, & ignivomas barathri sub cogier umbras,
Absentísque etiam pœnis se plectier atris.
Virtutésque Sacri numero quid prendere certem,
Tanta prophetalis quem gratia fulsit honoris
Jam puróque poli qui pervolat æthera visu?

AN. CHR. DC. XXCVII. MARTII XX.

XXIX. *Interitum Ecgfridi & militis ipsius quem prædixerat futurum, in spiritu videt absentem.*

Pictorum interea premeret dum Regna duello
Ecgfridus, atroces misero jam fine furores
Cedere mente vigil fatis prospexit: & ora
Perfusus lacrymis, suspiria fundere crebra
Ingeminat, nunc arva tremens nunc æthera cernens.
Forsan, ait, noster confecto miles agone
Sortitur Domino decretum judice finem.
Planiùs hunc rogitant eventum dicere pugnæ,
Agnita qui dubiâ sic celat voce pericla.
Cernite, Filioli, novus ut stupor aëra turbat.
Nam Domini secreta latent arcana, nec ullus
Sufficit altithroni vestigia prendere Regis.
Non multi fluxêre dies, cùm dira nefandam
Fama necem caneret plebis Procerísque sub illa,
Confectam mærens quâ Vatis dixerat horâ,
Absentem cernens quam creverat antè futuram,
Rectoris cùm virgo rogans perquireret ævum.

XXX. *Quomodo vir Dei Hereberhto Anachoritæ obitum illius prædixerit, comitatúmque illius à Domino precibus obtinuerit.*

al. cap. 28.

Tunc venit Hereberhtus, erat qui nexus amore
Præcipuo Vati, illiúsque per avia celsa
Edoctus monitis vitam secretus agebat;
Sed cupiens solitis Sacri firmarier orsis*.
Qui dum sidereis verbi devota vicissim
Corda rigant dapibus, Cutberhtus talia jungit:
Nunc decet hunc epulis & linguæ ducere festis,
Frater amate, diem: semper quia pectore nexos
Nos genitor rerum facie conjunxit, & antè
Visere nos tribuit leti quàm jure resolvi.
Idcircóque poli callis nunc ore petendus.
Toto nunc animo pulsanda est janua vitæ,
Dum licet æthereis succendere mutua flammis
Pectora. Nam properans leti me tempus adurget.
Ille ubi percepit venerandi dicta Prophetæ,
Corruit, obsecrat, mæret, lacrymatur, & infit:
Me, rogo, ne linquas, carísque memento sodalis,
Aurea ne rutili penetres cùm limina Regni,
Carnis ego tenear solus sub carcere clausus:
Digniùs alta poli famulo comitatus adibis
Regna libens: ideo supplex deposce Tonantem,
Ut parili terris premimur qui mortis in umbra,

* *id est*, dictis

AN. CHR. DC. XXCVII. MART III XX.

Æternæ pariter lucis migremus ad oras.
Incubuit precibus Vatis, ſociúmque gementem
Exorat ſiccare genas, deponere fletus,
Se precis auditu Domino miſerante potitum.
Quid morer? unius ambo ſub lance diei
Decedunt mundo, Dominíque feruntur ad aulam.
Longo ſed torrens HEREBERTHUS membra camino,
Ignea decoctum tandem ſuper æthera flatum
Emiſit, credo flammis ut mundior illis
Æquaret ſocium, juncto qui ſidera paſſu
Scandentes, juncta mercede fruuntur in ævum.

al. cap. 34.

XXXI. *Animam cujuſdam qui de arbore cadendo mortuus eſt, ad cælum ferri conſpexit.*

SEDERAT ad menſas epulis ſed paſtus Olympi,
Vatis ab humanis ſubitò ſecernitur eſcis,
Concutit oſſa pavor, tremefactáque dextera cultrum
Linquit, & attonito vibratur corde timore.
ÆLFLEDA perquirit quæ fortè adſederat illi,
Fortè recens veniat tanti quò cauſa tremoris.
Venerat Angelicus, reſpondit, ab æthere cœtus,
Déque tuis ſecum prælecto milite caſtris
Aurea dulciſonis remeabat ad aſtra triumphis.
Inquirit nomen. Cras myſtica, dixit, ad altar
Obtulero cùm ſacra mihi, noménque modúſque
Quo petit aſtra, tuis pandetur in ordine dictis.
Quo miſſo feſtina ſuos curſore per omnes
Jam tandem mane ediſcit, Vatique ſacrandis
Intento votis precibúſque, renarrat ad aras,
Frondiferi quemdam nemoris dum ſcanderet alta,
Cæderet ut pecori arboreo de pabula cono,
Deciduum membris animam poſuiſſe ſolutis,
Illóque humanis ablatum in tempore rebus,
Quo ſacer ætherias raptum cernebat ad auras.

al. cap. 36.

XXXII. *Poſt duos annos Epiſcopatûs vitam repetit ſolitariam.*

ECCLESIAM gemino qui poſtquam ſedulus anno
Pontificis de jure regit, verbíque fluentis
Vivida prata rigat, tanti venerandus honoris
Linquere perſtat onus, eremíque recluſus arena
Malebat ſatanæ tetricis pulſarier armis,
Quàm imperiti vacuos vulgi captare favores.
Deſidiam generat quia laus blandita clientûm,
Perpetuis at lucta beat perfecta coronis,
Maximè præſagio admonitus cùm ſpiritus orſis
Mortis adeſſe ſibi gauderet tempus, & almam
Secretus cuperet mentem renovare, priuſquàm
Fluctivagis ſæcli curis defeſſus obiret.

AN. CHR. DC.XXCVII. MARTII XX. *al.* cap. 73.

XXXIII. *Languens in ipſa inſula corpus ſuum poni præcepit, ſimul & de gloria poſthuma commemorans illius.*

QUEM dilecta ſacris mox reddidit inſula muris,
Tangitur ingenti ſenſim pia membra dolore:
Inque dies inſtans cùm increſceret oſſibus ardor,
Dulcibus egreditur caſtris, ſociámque catervam
Quæ feſſo gaudebat ovans ſervire parenti,
Blandiloquis ſtuduit creber firmare ſuadelis:
Diſcite, Filioli, fragilis retinacula ſæcli
Rumpere, & æternas animo jam condere gazas.
In dubio pendet contemptus honórque caducus
Stamine, quo diſcunt meritis pia pectora juſtis
Haudquaquam volucri ſub tempore quærere laudem,
Quo nemo latebras clauſi vel noſcere cordis
Prævalet, inventis vel digna rependere geſtis:
Puro ſed viſu portam ſpeculantia regni,
Quod dabit ætheriæ dignis Rex inclytus aulæ
Condere oliviferis malunt ſua lumina vaſis.
En me ſidereas animo ſpirâſſe ſupino
Jam ſtupuiſtis opes, ſed pectoris abdita ſoli
Clauſtra patent Domino, carnis quæ pondere rupto
Incipient certis jam credo pateſcere ſignis.
Sed precor inſiſtens pulſat quia limina letum,
Hos ut in his tumulo mandetis mœnibus artus:
Spero licet flabris gelidíſve abſumar in undis,
Obvius in puncto Chriſto veniente reſurgam.

Ibid.

XXXIV. *Graviora ſe dicit in extremis ſuperâſſe certamina.*

TALIA dum ſenior ſocias iteraret in aures,
Præcipit ad tempus remeant*. Qui cærula puppi
Exſuperant, Fratrúmque trahentes agmina ſecum.
Quinque dies poſtquam clauſi ferventibus undis
Tardârant, tandem redeunt, ac ſupplice fletu
Impetrant cari ſecum genitoris ut artus
Condere jam liceat. Vatis quibus hæc ſuperaddit:
Qui cupit altithronum victor conſcendere regnum,
Turpiter infecto devitet cedere bello
Et magis extremi nevi ſuperatus agonis
Jam propè perceptis fraudetur ab hoſte coronis:
Qui longo nitens vacuare labore fideles,
Ultima jam majore quatit ſub tempora pulſu.
Denique me crebris primævo à flore nefandus
Inſidiis agitabat, & hæc modò quinque dierum
Pugna dolos ſuperat tranſacti temporis omnes.
Sed facilè infandi Chriſto duce tela repreſſi
Cùm nec parva cibi potúſve alimenta darentur,
Tabenti licet iſta loco nec membra moverem.
Vos quoque celſa precor ſervetis jura perennes,
Cæleſtis Patrum vobis quæ Regula cavit,
Ipſe vel exiguis ſuêram quæ promere dictis,
Dum fata quæ Proceres ſummi ſerüere rigarem.

* *al.* redeant

AN. CHR. DC.XXCVII. MARTII XX.

Quàmlibet & rapidis adſurgat turbo procellis,
Omnia ferte fide, regni vi quæritur aula.
Fundatíque petrâ gravibus ne cedite nimbis:
Torrentûm furias, Aquilones temnite ſævos,
Ultima jámque Patris maneat ſententia cordi.
Expedit iſtius patriæ vos linquere fines,
Limite quàm trepidos mentem deflectere ab illo,
Quem ſacra Divinis depinxit littera chartis.
Nec quia multorum cineres locus iſte ſepultet,
Aurea flagranti peterent qui ſidera curſu,
Vos favor aut vacuæ tentet vaga gloria laudis.
Illi nam meritis gaudent ſuper aſtra coronis.
Haut aliter noſtris ſtadio nos currere plantis
Convenit, & propriis bravium comprendere palmis.
Nec loca propter homo merito venerabilis exſtat,
Sed locus ob homines exſtat venerabilis almus.
Méque meæ rogito nunc indite mœnibus urbis,
Inſtat enim tempus carnis quod debita ſolvam.

al. cap. 38. XXXV. *Quomodo miniſtrum ſuum à profluvio ventris ſanaverit.*

TALIBUS adtoniti lacrymant rogitántque gementes,
Saucia ſecretis condat ne membra latebris:
Sed leti & vitæ confinia ſumma tenentem
Fraterno coram relevet ſolamine flammam.
Vel ſacra ſuſcipiat ſaltim ſub tecta miniſtrum,
Qui obſequio fragiles procuret ſedulus artus.
His motus vertit dum lumina blanda per omnes,
Adſpiciens Fratrem longa cui clade gravato
Tabida marcebant exhauſto viſcere membra;
Hic ſi vultis, ait, ſubeat mea tecta, mihíque
Labe ſub hac feſſo ſolamina præſtet amoris.
Qui Vatem comitatus adit mox limina ſacra
Occurrens, inopina ſalus complectitur ægrum
Depulſo languore ſinûs, dignúmque * ſalutis
Cedere non auſos penetrare ſub edita morbos.
Nec mora ſoſpes abit qui intraverat æger, & illic
Preſbyterum immittit dignè CUTBERHTUS, ut illo
Sidera teſte petat, quo vitam teſte regebat.

* *ſupple* fuit

al. cap. 36. XXXVI. *Percepto Viatico inter verba orationis ſpiritum reddidit.*

JAMQUE ſoporatâ torpebant omnia nocte,
Excubiis vigiles premeret dum Farne tenebras,
Quáque preces reſonant modulis, fremit inſula pſalmis;
Vatis & ipſe ſuæ præguſtans gaudia palmæ
Æthereis expandit ovans ſub laudibus umbras.
Aſt ubi flammicomos ardeſcens lucifer ortus
Attulit, ecce ſacer reſidens Antiſtes ad Altar
Pocula deguſtat vitæ Chriſtíque ſupinum
Sanguine munit iter, vultúſque ad ſidera & almas
Suſtollit gaudens palmas, animámque ſupernis
Laudibus intentam lætantibus indidit aſtris.

XXXVII. *Quomodo juxta prophetiam Psalmi quem eo moriente cantaverunt, Lindisfarnenses sint impugnati, sed Domino juvante protecti.* AH. CHR. DC.XXCVII. MARTII XX. al. cap. 40.

PRESBYTER egrediens Vatis pia funera mæstis
Depromit sociis, tum fortè canentibus hymnum,
Hunc querula sub laude: Deus nos alme repellens
Destruis iratus, salvásque misertus ab hoste,
Arva moves, turbásque potens, & territa sanas
Propinásque tuis prætristia musta; sed hostis
Te duce bella ruunt, tu noxia comprimis arma,
Libera ut Electi potiantur luce per ævum.
Indice tum flammâ Lindisfarnensibus illam
Quæ vigil è speculis pernox servaverat horam,
Ætherias pandunt Vatem penetrâsse sub auras.
Qui jam nocturnæ tum fortè sub ordine laudis
Ipsi etiam mirum ejusdem modulamine Psalmi
Verbera mæsta sequi Domini pia dona canebant.
Nec suspecta diu tardant præsagia, nam mox
Vatis honorifico mandantur ut alma sepulcro
Altaris dextro sub condita marmore membra;
Insistens Aquilo niveis confisus in armis
Hinc atque hinc adeo Lindisfarnæa perosis
Tecta quatit flabris, ut nobilis illa parentum
Progenies fesso titubaret stamine rerum.
Cedere jámque loco quàm extrema subire pericli
Eligeret; nec jam longum manet ira, sed almam
EADBERCHTUS renovat sedato turbine pacem,
Dispersósque sacrum revocat sub ovile bidentes:
Præscius & lyrico resonabat ut ordine Psalmus,
Pontificale decus plebísque instaurat honorem.

XXXVIII. *Quomodo corpus ipsius post undecim sit annos sine corruptione repertum.* al. cap. 42.

CONSPICUIQUE sacer solio Patris inditus heres,
Undecimi postquam cursum transscenderat anni,
Complacuit cineres tumuli de sede Beati
Elatos coram gremio levis inderet arte.
Sed canit ut Psalmus, quia mors pretiosa piorum
Ante Deum, retinet* calicem qui haurire salutis
Contrepidant celsi tutati nomine Regis.
Rursus & ut summo resonat lyra mystica cantu
Nec sanctum dabis, Alte, tuum corrupta videre
Aurea lucifluæ pandis cui culmina vitæ;
Humanis Divina nitent miracula membris,
Et Domini celso fulget quæ jure potestas
Participi fidis donatur munere servis.
Intemerata sacro promuntur membra sepulcro,
Nescia quàm noxæ tam diræ immunia labis.
Nec durum ac rigidum sæva seu morte gravatum:
Sed veluti placidum capiunt dum pectora somnum,
Flexile jam totâ corpus compage videtur.
Nec minor eximiæ renitebat gratia vestis

* al. retinuit

AN. CHR. DC. XCVII. MARTII XX.

Incorrupta ſolo Sancti quæ texerat artus.
Hanc findi placuit, medium pia membra receptant,
Servatur medium ſigni memorabilis index.

al. cap. 43. XXXIX. *Quomodo corpus Eadberti Epiſcopi in tumulo viri Dei ponentes, ſarcophagum illius deſuper poſuerunt.*

EADBERHTUS poſtquam rerum miracula dignis
Laudibus extulerat, verſu memorabar ut olim
Illius egregios referens Antiſtitis actus,
Febribus excoquitur, placidúmque ad ſidera flatum
Emittens, patriam conſcendit corpore ſedem.
Deſuper at celſæ ſplendor componitur arcæ
Immortale decus, cohibens quæ Martyris almi
Præfulget mirùm cæleſtibus inclyta ſignis.
Morborum fugiunt labes, furor impius atri
Dæmonis; adſiſtit vivénſque ſolebat ut antè
Signorum monſtrare jubar, modò ſic quoque paſſim
Spargitur & functos virtus miranda per artus.

al. cap. 14. XL. *Puer dæmoniacus humo cui lavacrum corporis ejus infuſum erat in aqua miſsâ ſanatur.*

VIR quidam nati miſerè quem cæca furore
Dæmonis ira terens ſævas effundere voces
Compulit, & proprios conſumere morſibus artus;
Membra per almorum rogitans ſacra buſta ferebat,
Pendere nec petitam Sancti voluêre ſalutem,
CUTBERHTO potior virtus ut celſa micaret.
Tum pueri quidam fletus vagitúmque perhorrens
Ad Patris auxilium fidus concurrit amati,
Noverat alma ſacri functos quæ laverat artus
Patroni quondam, terris ubi reddita lympha eſt.
Inde rapit grandem modico de rure* ſalutem,
Immiſcet latici, dictis ſacraverat almis:
Dat potum puero, ſtridor mox cedit amarus,
Nec mora plena ſalus redit. Ipſe ſuperna verenter
Munera conlaudat, lætóque per omnia paſſu
Cutberhti cunctis donum venerabile pandit.

* *Id eſt*, terra

al. cap. 44. XLI. *Ægrotus ad tumulum ejus orando ſanatur.*

ALTER morbigeni conſumptus ab igne camini
Vix famulis manibus ſanctam deducitur alti
Martyris ad tumbam, genu ponens obſecrat illis
Eripiat vinclis tanti vox alma Patroni.
Surgit & ætherii firmatus munere doni
Libera ſoſpitibus ponit veſtigia plantis,
Pérque dies priſcæ recipit jam dona ſalutis.

XLII. *Oculos quidam languentes Orario illius adtactus ſanavit.*

TEGMINA quinetiam conſortia corporis almi
Munere participi medica virtute redundant.

Lumina nam cuidam dolor & caligo pererrans
Dum premeret, Sancti accipiens Oraria Vatis
His orbes tangit geminos, reducémque ſaluti
Mox aperit callem venerandæ gratia veſtis.

AN. CHR. DC.XXCVII. MARTII XX.

XLIII. *Paralyticus calciamentis ejus ſanatur.*

al. cap. 45.

AST alius reſoluta gravi cui pondere membra
Officiis jacuêre ſuis deſerta, cuíque
Inrita longævos auxit medicina dolores;
Calciamenta ſacras tandem quæ Martyris almi
Veſtierant plantas, plantis circumdedit ægris.
Mox primas ſuavis tenebras miteſcere ſomnus.
Servus enim celſæ induerat ſacra dona medelæ,
Fecit & interno firmatis robore nervis
Palpitat alterno læta inter ſomnia greſſu,
Æquore deſerti ludunt ceu litore piſces.
Evigilans baculo redivivos erigit artus:
Ac matutinas ſtando perſolvere laudes
Incipit, & priſco ſolidatus membra vigore
Divinam conlaudat opem, juſtáſque Tonanti
Offert ſidereo ſanus pro munere grates.

XLIV. *Quòd tegmine parietis ejus infirmi curentur.*

al. cap. 46.

NEc ſanctum ætherio vacuatur munere tectum,
Quo ſacer aſtra petens corpus exſangue reliquit.
Nunc quoque ſed ſolitam partitur ubique medelam,
Altáque mirentur proles Davitica Templi
Tecta ſui, gemmis quoniam ſtellantibus æthram
Equiparent, fulvíſque micent redimita figuris.
Plus ſed ego Vatis humili ſub domate mirer
Pelliculam, Sanctus fragilem qua texerat anglum,
Ne pluvia aut Boreæ penetrabile frigus adurens
Inrueret paſſim, precibúſque ardentia caſtis
Corda fatigaret: nec me ſententia fallit.
Namque opus hoc Salomon fulvo quod fecerat auro,
Chaldea petrarum obtexit heu! flamma ruinis.
At ſacra CUTBERHTI appendit quæ dextera vela,
Munera FELGELDI patulum diviſa per orbem
Latiùs ingeniti fundunt medicamina doni:
Clareſcítque chalibs libyco pretioſior auro,
Pellis & Eoïs præcellit fulgida gemmis.
Tertius hic Proceris ſervat nunc caſtra, beatum
Alta ſecuturus heres ad regna Parentem.

XLV. *Quantum Oedelvvoldus ſucceſſor Viri Dei virtutes ſuas celare ſtuduerit.*

HOs nam inter medius ſociis non ſegnior almis,
OEDILWALDE, ſacras rexiſti providus arces.
Quem rarò proprias aiunt voluiſſe cuiquam
Pandere virtutes, torvíque cruenta chelydri
Tela quibus victor confregerit obvius armis.

AN. CHR. DC.XXCVII. MARTII XX.

Unde manet longum memorabilis illa beatis
Incautè prolapſa ſemel ſententia labris.
Fortè Sacer fidam monitis cæleſtibus aurem
Dum rigat, accipit has ſocio de pectore voces:
Quæ, rogo, cauſa tuo toties quòd ab ore fluentem
Perrumpant variéntque ſilentia crebra loquelam,
Et mediis ſtatuat metas oblivio dictis?
Cui reſponſa pius paucis ita reddidit heros:
Hoc te, dulcis amor, fixo memoríque perennem
Corde tenere decet, ſtudeat niſi quiſque bidentûm
Funditus alloquiis avertere ſedulus aures;
Non queat ætherias inter dare verba catervas,
Pandere nec lætis cæli concentibus aures.
Dixerat, & trepido perculſus corda timore,
Singultu afficitur, fervens ac pectora pugnis
Caſta ferit, tandémque gemens erumpit in iſtam
Perfuſus lacrymis poſt mæſta ſilentia vocem:
Obſecro te ſupplex ſummi per ſceptra Tonantis
Hæc cunctis ut dicta tegas, moribunda quouſque
Membra ſolo reddam, gradiárque in calle parentûm.
Sic ſua ſumma Sacer conclavibus abdere quamvis
Mallet, ab ætherio panduntur munera teſte.
At pia Cutberhtus memorans ſæpe acta priorum,
Ætheria ſub laude ſui quoque Chriſtus agonis
Ut fuerit ſocius, ſuêrat ſubnectere paucis.
Sícque duos vario jam munere ſpiritus idem
Luſtravit per dona, viros, atque ætheris alti
Tramite diviſo regnum provexit ad unum.

al. cap. 46.

XLVI. *Qualiter Anachorita Felgeldus ibidem ſit à vultûs tumore mundatus.*

ERGO age, FELGELDUS largitor muneris almi
Prima ſalutiferi ipſe capit documenta vigoris.
Cui pridem facies informi tacta tumore,
Squalens, at rigido dum ſolus in abditur antro,
Latior ingenito ſurgit de fomite flamma,
Atque genas maculis livor reſpergit adurens.
Qui nova pro veteri dum culmina pangeret æde,
Illud ovans feſſo direptum à pariete velum
Partiri docuit fidæ ſpes certa ſalutis.
Primáque dum lymphis corrigia tinguitur almis,
Pervia cornigero pateat quò ſemita ferro;
Exſiliens laſcivâ ſacro de gurgite gutta
Lumina reſperſit Sancti, vultúmque rubentem.
Ille citus dextrâ lymphas abſtergere curans,
Miratur peſtem ſtupefactus abiſſe, foréſque
Pandere jam reduci ſana ſub fronte medelæ.
Et ne fortè putet mendum me dicere quiſquam,
Teſte Deo dicam, quia Preſbyter iſta fidelis
Pandebat Vatis fidam cui fatus in aurem;
En, inquit, noſti faciem quia preſſerit olim
Labis * acerba meam, ſed jam modò gratia Chriſti
CUTBERHTI meritis placavit triſtia flagra.

* labes

Mitti

Mitte manum, & tangens me dicere vera probato.
Clausus namque oculi non quibat acumine cerni,
Fecerat & priscam morbo fugiente salutem.
Adfore temporibus persensit ab æthere Sanctus.

AN. CHR. DC.XXCVII. MARTII XX.

Oratio Bedæ Beati Presbyteri.

HÆc tibi cunctorum largitor Christe bonorum
Dona tui obtulimus summo de munere doni,
Magnáque pro modicis libantes gaudia dictis
Sanctorum attigimus certamina celsa tuorum:
Sperantes illis exoratoribus, ut tu
Sidereo dignos qui justus in axe coronas,
Indignis mitis laxes vel debita nobis.
Ultima sufficiunt illius in ædibus aulæ
Præmia, qua cunctos tua visio Christe beabit
Vita manens castis luménque salúsque per ævum.

MONITUM.

PRÆTER superiorem historiam, eruimus ex codice Compendiensi librum Miraculorum & Translationum S. Cuthberti in Martio Bollandiano recèns editum: quo in libro præmissis duobus miraculis ex Bedæ Ecclesiastica historia capp. 31. & 32. desumptis describitur Danorum in Britanniam insulam irruptio, Cuthberti Translatio in Hiberniam impedita anno circà DCCC. LXXV. *deinde alia in Riponensem Ecclesiam anno* CM. XLVIII. *facta, postquam Cuncacestre per centum & tredecim annos servatum fuerat: Tum alia Dunelmum post tres aut quatuor menses: quarta denique in novam thecam anno* M. C. IV. *sollemniter celebrata. Animus erat eas hìc subjicere omnes licet diversis temporibus factas, ne Auctoris lucubrationem in varias partes scinderemus, si unaquæque eo quo facta est Sæculo referretur. At cùm hujusce voluminis moles excrescat, eas in Sæculum* IV. *Benedict. ablegamus.*

VITA S. RICTRVDIS ABBATISSÆ MARCIANENSIS,

CIRC. AN. DC.XXCVII. MAII XII.

Ab HUCBALDO Elnonensi Monacho scripta anno 907.

A Surio expolita, at restituta ad cod. Marcianensem operâ R. P. Simonis Guillemotti Subprioris Gisleniani.

OBSERVATIONES PRÆVIÆ.

1. HUCBALDUS *Elnonensis Monachus, variis scriptis notus, Acta S.* RICTRUDIS *Northmannorum clade deperdita, partim ex seniorum relatione, partim ex variis schedis utcumque accepta restituit: qua de re Marcianensis Chronographus Ms. ita loquitur in lib. 1. cap. 17.* STEPHANUS Leodicensis Episcopus, vir grandævus & miræ sanctitatis, ab HUCBALDO S. Amandi Monacho Vitam ejus (Rictrudis) conscribi præcepit. Hic est autem Episcopus qui cantum scilicet Trinitatis & Vitam B. Lamberti Martyris tam devotè quàm eleganter composuit, & multa alia Deo inspirante locutus est, quæ mater Ecclesia memoriter & in auctoritate retinuit. Qui propterea Hucbaldum ad conscribendam Vitam ejus elegit, quòd esset vir litteratus, & inter Monachos sana de ejus conversatione haberetur opinio: cujus dictis fidem faciunt ejus diuturna opera & conversationis tenor immunis à querela. *Porro Hucbaldus huic lucubrationi manum admovit anno* CM. VII. *uti ipse in prologo disertè affirmat. Paullò post Hucbaldum eamdem Vitam metricè edidit* JOHANNES Monachus *itidem* Elnonensis ad Stephanum Monachum Gandensem, rogante immo præcipiente Episcopo Cameracensis Ecclesiæ Erluino, *qui Erluinus in ea dignitate vixit*

Hucbaldus Vitæ Scriptor.

item Johannes Monachus.

CIRC. AN. DC.XXCVII. MAII XII.

ab anno CM. XCVI. *ad* M. XI. *Verùm unus inſtar omnium debet eſſe Hucbaldus, qui licet in nonnullis lapſus ſit, ceteris tamen auctoritate & antiquitate præſtat.*

Marcianenſis Monaſterii ſtatus.

2. *In antiquis Martyrologiis deſideratur nomen ſanctæ Rictrudis viduæ & Abbatiſſæ Marcianenſis Cœnobij, cujus de origine pauca dicenda ſunt.* Marcianæ, *ſeu* Marcennæ *vulgò* Marchiennes, *villa quondam in Flandria ad Scarpum fluvium, inter Duacum & Audomaropolim, diœceſis Atrebatenſis, nomen ac locum dedit* Marcianenſi, *ſeu (ut ſcribunt)* Marchianenſi *Monaſterio, à S. Amando conſtructo & ab eodem unà cum S. Autberto Epiſcopo* VI. *Kalend. Novemb. ſollemniter dedicato in honorem Apoſtolorum Petri & Pauli, cui Monaſterio* S. JONATUS *Abbas primus præfectus eſt. Duplex eo in loco à primo conditu fuit congregatio, Monachorum ac Sanctimonialium; illis Ionatus, his Rictrudis præerat. Monachos illic primùm, deinde paullo pòſt, hoc eſt anno circà* DC. XLVII. *Virgines Deo ſacras fuiſſe collocatas in gratiam ſanctæ Rictrudis dotatricis, tradit Chronographus Marcianenſis. Vaſtato à Nortmannis Monaſterio anno* DCCC. LXXIX. *Sanctimoniales paullatim ad deteriora lapſæ ſunt, donec* BALDUINUS *Comes, cognomento* Barbatus, *eliminatis feminis Monachos ſubſtituit*, accito* LIETVVINO *Vedaſtini Cœnobii Abbate clariſſimo, qui poſtquàm locum rexit annos novem, Alberico diſcipulo ſuo regimen Marchianenſe impoſuit. Alberico anno* M. XLVIII. *mortuo* S. POPPO *Abbas Stabulenſis, ac decurſo menſe Popponi Vvido ſucceſſit. Hæc ſummatim ex Chronico Marchianenſi: de cujus etiam Auctore in Notis de Tranſlationibus S. Rictrudis inferiùs dicemus. Floret nunc iſtud Monaſterium Monachis Benedictinis addictum, in quo claruerunt ex viris SS.* JONATUS *&* POPPO; *itémque venerabilis* AMANDUS *&* B. HUGO *Abbates; ex feminis* S. RICTRUDIS, *ejúſque filia ac poſt eam Abbatiſſa* S. CLOTSENDIS, *ut mittamus S. Maurontum & S. Euſebiam, qui eo in loco aliquamdiu converſati ſunt.*

* *Anno* 1028. *teſte Meicro.*

PROLOGUS AD STEPHANUM LEODICENSEM EPISC.

IN *Chriſti membrorum compage ſicut excellentiori, ſic merito honorabiliori domino Præſuli* STEPHANO *ſecundum nomen ſuum Apoſtolicæ reverentiæ ſigno ab hominibus quidem coronato, ſed demùm ob meritorum inſignia cum eis quorum vices exſequitur à Deo coronando,* HUCBALDUS *omnium exiguus Sacerdotum ac Monachorum ejuſdem, immarceſſibilis vernantiſque floribus virtutum optat coronæ gaudium.* Clericis & Sanctimonialibus Congregationis Dei dilectæ famulæ beatæ RICTRUDIS rogitatus apponere novum ad conſcribendum geſta ipſius natorúmque ejus calamum, diu multúmque reniſus ſum, vel quia meam quantulamcumque ſcientiolam tantæ imparem materiæ noveram, vel quia tanto tranſacto tempore nulla certæ relationis de his ſcripta videram vel audieram, veritus ne fortè dubia pro certis vel falſa pro veris aſſererem. Cúmque renitenti mihi quædam hiſtoriarum exemplaria ſuis oſtenderent concordantia dictis, decetero illis quorum non contemnendæ videbantur perſonæ mihi fidem facientibus, quòd hæc quæ referebant, eadem olim tradita litteris fuerunt, ſed inſectatione Nortmannicæ depopulationis deperierunt; poſtremò adjuratus tremendo Divinæ Majeſtatis nomine tandem adquievi: & ſi non ut debui, inſtiti tamen ut potui, non phaleris deſervire verborum, ſed ædificationi conſulere legentium cupiens vel audientium. Explicato verò jam opuſculo cùm ad recitandum, vel potiùs veſtræ examinandum Excellentiæ traderetur, viſum eſt prudentiæ veſtræ ex iis quæ ad corroborandam uniuſcujuſque libri auctoritatem ſolent à Scholaſticis requiri, quædam deeſſe, perſona videlicet & locus cum tempore. Mihi tamen ſatis ſupérque videbatur ſuffeciſſe, ſi tam præclara tantorum virorum nomina & facta & loca loquentibus ſcriptis ſupprimeretur locus & perſona Scriptoris, ne per eam veluti per atram nubem obnubilari virentur aſtra tanti ſplendoris. Verùm ſicut placuit Sanctitati veſtræ, famosâ veſtri nominis lampade præfulgente, noſtri quoque licet tetræ illuminabuntur tenebræ: & dum STEPHANUM Legienſem [a] inclytum Præſulem hujus libelli loquetur Præfatio, noſtræ etiam exiguæ fiet perſonæ mentio. Porro locus (ut noſtis) non eſt mihi cujuſlibet nunc ut olim celeberrimæ urbis, cùm potiùs libenter me

Hiſtoria hæc partim ex ſcriptis partim ex relatione collecta.

Stephano quatenus probata.

a

a Surius ita reddidit: *Dúmque Stephanum inclytum Antiſtitem libelli hujus loquetur Præfatio*, voce *Legienſem* expuncta; ac Stephanum cui hæc Vita nuncupata eſt, Epiſcopum Cameracenſem fuiſſe opinatus eſt.

infimum esse gloriarer Cœnobitam Monasterii S. Amandi egregii Christi Confessoris, vestri quoque dudum prædecessoris, nisi meis exigentibus peccatis, inde tam crebrò fugarer metu barbaricæ infectationis. Quid autem dicam de tempore secundo quod (ut ita dictum sit) pessimum videtur fore*? Libet dumtaxat cum Psalmista ad Deum proclamare: Lætati sumus pro diebus quibus nos humiliasti, annis quibus vidimus mala. Respice Domine in servos tuos & in opera tua. Cogimur denique Apostolum monentem audire: Redimentes tempus quoniam dies mali sunt. Ne tamen prætergredi videar auctoritatem vestræ jussionis, nostratum Regum nominibus omissis, innotescat tempus nativitatis Christi summi Regis, cujus agebatur annus nongentesimus septimus, revoluto ordine in decimo Indictionis anno hujus editę scriptionis. Ad profectum Ecclesiæ Catholicæ opto vos feliciter ad vota communia valere.

CIRC. AN. DC XXCVI. MAII XII.

* esse

Psal. 89.

Ephes. 5.

anno 907. scripta.

Vestra sagax votis faveat prudentia nostris,
Quæ passim suavem famæ diffundit odorem:
Quòd cultrix veri retegat quoque nubila falsi,
Nec nostrum placido dignetur visere vultu
Hoc opus, & justo pensans examine libram
Emendet mendas, si quas malus intulit error.
Quòd si lanx nullo præponderat acta rotatu,
Imparibus neque me miscet fraus partibus ullis;
Congaudere pio justum, Pater, esse labori
Inclyte scis, dignas Domino persolvere grates
Quòd sumus & sapimus, vitáque movemur in ista;
Cùm potiùs veræ spectamus* gaudia vitæ,
Quæ nobis pariter Dominus det sumere Christus
Sanctorum precibus, quorum signavimus actus.

* *f.* sperámus

INCIPIT VITA.

CAP. I. Franci ad Fidem per S. Remigium adducti, * *hæc fabulosa.*

DUM Francorum gentem in suis olim primoribus de minore progressam Phrygia * atque ex Regali Trojanorum propagatam prosapia, diúque fanaticâ simulachrorum delusam dementiâ, ad agnitionem veritatis Divina voluisset venire gratia; quod ante tempora prædestinaverat sęcularia, pæne in fine temporum sæculi cùm industrius Rex CHLODOVEUS ejusdem gentis regeret sceptra, beatissimi Præsulis Remigii devotâ perfici decrevit instantiâ. Qui sacratissimus Pontifex, & sancta morum probitate, & admirabile signorum pollens virtute, præfatum Regem, necnon & maximam ipsius exercitûs partem, Fidei doctrinâ Catholicæ, atque (ut ferunt) sumpto cęlitùs chrismate, una die ad tria circiter millia Christi Baptismatis imbuit charismate. Ex illo deinceps tempore magis magísque, & sancta inter Francos Religio, & super Regna sibi collimitanea, seu etiam quędam procul posita, à suis partim majoribus elaborata convaluit eorum dominatio: quam non suorum feritate morum sunt adepti, à qua Franci putantur à quibusdam nuncupati, eoquòd sit in illis velut naturalis quędam ferocitas animi, & mores in eis sint inconditi: sed quoniam geminis magnísque erant columnis fulti, quibus totus totius Ecclesiæ status videtur initi, auctoritate videlicet sanctorum Pontificum, honore ejus cujus vice funguntur prędcellenti, & præpotentium virtute Regum in administrandis reipublicæ negotiis in omnibus sagaci; idcirco Divina eos prævenięnte gratia ac subsequente ad potiora passim fastigia sunt provecti. Denique ubi quondam peccatum abundaverat, intantum Dei gratia superabundavit, ut sicut cælum varia stellarum decoratur pulchritudine, sic & à Patre luminum à quo descendit omne datum optimum & omne donum perfectum, Francorum terra multiplici perfectorum Sanctorum tam indigenarum quàm & ab exteris regionibus advenientium utriusque sexûs & omnis ordinis illustraretur claritate.

NOTA

duabus columnis fulti.

CIRC. AN. DC.XXCVII. MAII XII.

De quorum ſacroſancto refulſit collegio velut quoddam ſidus ſplendore admodum venuſto RICTRUDIS devota Chriſti famula, ipſi ſuo acceptabilis Deo atque bonis hominibus amabilis, ac laudabilis juſtitiæ atque ſanctitatis merito.

II. Rictrudis parentes nobiles.

Hæc claro ſatis exſtitit oriunda germine, ERNOLDO nobili edita genitore, & LICHIA genitrice exagili pugnacíque Waſconum gente. Hujus autem gentis antiquiores primò dicti ſunt Vaccei [a] à quodam opido juxta Pyreneum ſito ſic cognominati, ſed poſtea Waſcones quaſi Vaccones demutata C in S litteram nuncupati: & ipſorum regio quæ antea dicebatur Vacceia, appellata eſt Waſconia. Cujus incolæ licet illo tempore pæne omnes dæmonicis eſſent dediti cultibus, à Deo tamen præelecta Rictrudis ſic ex eiſdem impiis & ſine Deo prodiit hominibus, velut ſolet roſa de ſpinoſis efflorere ſentibus: quæ ab ipſis incunabilis cum ætatis teneræ provectibus, honeſtis eſt alta & inſtituta moribus. Fuit verò temporibus CHLOTHARII Regis magni, qui à Chlodoveo ex Francorum Regibus (ut præfatum eſt) primò ad Fidem Chriſti converſo quartus exſtitit, ſeu etiam filij ejus DAGOBERTI Regis inclyti, qui à beatiſſimo ARNULFO Mettenſium Epiſcopo enutritus ut Patri conregnaret atque ſuccederet, ſicut de eo ſcriptum eſt, & induſtriâ dignus & viribus fuit. Hic poſt defunctionem Patris ſui Chlotharij regalia ſceptra regenda ſuſcipiens, fratri ſuo HARIBERTO non ſibi uterino ad regendum conceſſiſſe placuit pagos & civitates citra Ligerim & limitem quo tenditur partibus Waſconiæ ſeu & Pyrineos montes, ſapienti uſus conſilio, ea ſcilicet pactionis facta firmitate, ne umquam adverſus ipſum frater ejus ampliùs quid de Regno repeteret paterno. Haribertus igitur ſedem tenens Toloſanam, cùm & in partibus provinciæ regnaret Aquitaniæ, non poſt multum temporis etiam totam ſubegit Waſconiam ditioni ſuæ.

a

Haribertо commiſſi.

III.

Præfatus autem Rex Dagobertus cùm in multis optimè regalia jura gubernaret, nimiùm tamen deditus amori mulierum, eam quam in conjugium ſortitus fuerat, eoquòd ſterilis eſſe videretur reliquit, alterámque in matrimonium accipiens, Reginam eſſe voluit. Cúmque ſuper hoc ſcelere à Pontificibus, maximéque à ſanctiſſimo viro & mirabilium patratore operum Præſule redarguerétur AMANDO, ille indignatione & faſtu permotus Regio, eumdem venerabilem Pontificem non abſque injuria ab omni ſuo depulit Regno. Qui perſecutionem pro veritate quæ Chriſtus eſt patientiſſimè tolerans ſibi illatam, & quoniam libentiſſimè pro ipſo optabat proprium fundere ſanguinem, per diverſa ferendo loca Divini verbi ſemen, tandem inter cetera genuinam beatæ Rictrudis aggreſſus patriam, ſcilicet Waſconiam, ut illic & plures & hanc pulchram ſibi cælitùs infuſo quo ardebat irradiaret lumine ſtellam, reputans etiam ob illius gentis ſævitiam adipiſci ſe poſſe inibi martyrij palmam.

à S. Amando exſulare juſſo eruditi in Fide.

IV.

Interea jam dictus Princeps atque Rex Dagobertus cùm non haberet filium quem ſibi gauderet fieri ſucceſſorem, mæſtus ſuper hac re nimiùm, tertiámque ſuo adſcivit lecto conjugem [b]. Tum demum converſus ad Dominum, ac plurimorum expetens ſuffragia virorum, ex eadem eodem habuit anno largiente Deo filium, multis precibus atque eleëmoſynarum largitionibus adquiſitum. Sollicitus denique cui potiſſimùm traderet eum ſacro fonte diluendum Divináque lege imbuendum, ut ſicut ipſe beatum Arnulfum habuerat pædagogum, ſic & ſuum à quolibet maximo Dei ſervorum juxta Religionis Chriſtianæ exercitium educari faceret puerum; factíque prioris reminiſcens & pœnitens quòd tantum in tantæ commiſerat ſanctitatis viro flagitium; à miniſtris circumquaque ſtudioſiſſimè perquiſitum, & vix repertum ad ſe reverendiſſimum petiit revocari Pontificem Amandum. Quid plura? reducitur ab exſilio verus prædicator & operator Evangelij venerandus Antiſtes, veluti novus de Pathmo rediens Evangeliſta Johannes. Fit commune tam Regi quàm Optimatibus gaudium, omníque

Amandus à Dagoberto mulieroſo revocatur.

b

a Lege quæ ad Vitam S. Amandi anno 679. hac de re adnotavimus.

b Nempe Ragnetrudem, de qua Fredegarius Scholaſticus in Chron. cap. 59. quod anno regni Dagoberti octavo, ideſt Chriſti DC. XXX. factum refert.

populo ſollemne de ejus reverſione tripudium. Proſtratus itaque ejus pedibus Rex veniam rogat, facillimè impetrat: fundit precem pro filio, ſed ejus fruſtratur petitio. Reſpondit enim illi ille ter beatus voce Pauli noſter Paulus, militantem Deo non oportere negotiis implicari ſæcularibus. His dictis è conſpectu Regis ilico abſcedit; ſed regalis fervor deſiderio minimè recedit. Denique quod per ſe nequit, bonorum ſuggeſtionibus virorum perficere geſtit. AUDOËNUM ſiquidem & ELIGIUM præcipuos in ſanctitate & prudentia viros, ideóque Amando harum amatori virtutum meritò amantiſſimos ac familiariſſimos Rex poſt eum dirigit probabiles ſui voti exſecutores. Quorum ſanctæ petitioni, quia fas non erat obviare Sancto, annuit licet coactus Regis placito. Igitur regius infans defertur, qui non ampliùs à nativitate quàm dies circiter quadraginta habere ferebatur, per beatum Sacerdotem ſanctam benedictionis ſuſcepturus gratiam, ſed jam naturalis amiſſurus nominis etymologiam. Namque dum ab eo Cathecumenus fieret, finitáque oratione nemo ex illius tantæ multitudinis exercitu *Amen* reſponderet, Dominus qui aperit os mutum, & linguas infantium diſertas facit, os (ut ità dictum ſit) non jam infantis ſed pueri aperuit, & cunctis audientibus clara voce Amen reſpondit. Res ſatis ſtupenda & circumſtantes contra morem ſiluiſſe, & hunc contra naturam locutum fuiſſe. Statímque illum ſanctus Pontifex vivifico Baptiſmate regeneravit, atque SIGEBERTUM nominari inſtituit[a], quem Haribertus Rex Regis frater de ſacro lavacro excepit. Sícque Dominus dum ſanctum ſuum mirificavit, & in conſpectu Regum magnificavit, & ipſos & utrumque exercitum magno gaudio atque admiratione in hujuſmodi ſigno replevit. Sequenti poſt hoc anno Haribertus Rex, nec mora poſt ipſum filius ejus parvulus obiit, omnéque regnum illius cum Waſconia Dagobertus Rex ſuæ poteſtati redegit. Hoc totum & propter quædam præcedentia, maximéque pro his quæ ſequuntur interpoſui, ut legentes & audientes noverint, quæ beatæ Rictrudis fuerit cauſa in Franciam veniendi.

CIRC. AN. DC.XXCVII. MAII XII.

Regij pueri curam dirigat.

eum baptizat.

Temporibus ergo præfatis cum crebrò Francis Waſconia fieret permeabilis, Rictrudis puella bonæ indolis jam facta nubilis videtur, diligitur, atque eligitur à quodam Francigena ADALBALDO nomine, natalibus orto præclaris & juſtis. Mater denique ejus GERBERTA fuerat filia ſanctæ GERTRUDIS in Monaſterio nunc Hamaticenſi à ſe ædificato requieſcentis. Ipſe etiam à puero optimis inſtitutus diſciplinis, copioſis pollebat fundis & divitiis, atque in aula Regis carus valde erat & honorabilis, dignus planè vir qui maritus exſiſteret dignæ Rictrudis. A quo juxta morem deſponſatur, dotatur, atque in conturbernium matronale licet quibuſdam nolentibus puellæ conſanguineis aſſumitur. Cauſa verò uxoris ducendæ non fuit incontinentiæ, ſed caræ ſobolis habendæ. Sed ea conveniunt in utriſque quæ ſpectari ſolent in eligendo marito vel uxore. In viro enim virtus, genus, pulchritudo, & ſapientia, quæ ex his ad amoris affectum potior eſt, inerat. In uxore autem pulchritudo, genus, divitiæ, & mores, qui magis quàm cetera quærendi ſunt, habebantur. Et ne multis immoremur, ſecundum Apoſtolum erat illis honorabile connubium, & thorus immaculatus. Non enim ſurda audierant aure ejuſdem Apoſtoli verba: *An neſcitis quoniam membra veſtra templum ſunt Spiritus-ſancti quem habetis à Deo, & non eſtis veſtri? Empti enim eſtis pretio magno, glorificate & portate Deum in corpore veſtro.* Igitur compage fidei & caritatis ſic adhærentes ſibi ut eſſent duo in carne una, & non jam duo, quia una caro; unanimes uno ore & concordi operatione honorificabant Deum & Patrem Domini noſtri JESU-CHRISTI, omnibus diebus ſuis ſervientes Domino in ſanctitate & juſtitia coram ipſo, qui habitare facit unanimes in domo.

V. Adalbaldo nubit Rictrudis.

Hebr. 3. 1. *Cor. 6.*

Nati quoque ſunt eis filij ſecundum benedictionem Domini quam primo dedit homini, *Creſcite*, inquiens, *& multiplicamini*: fuítque eis primogenitus no-

VI. Liberos gignit.

[a] *Charibertus*, inquit Fredegarius cap. 61. *Aurelianis veniens, Sigibertum de ſancto lavacro excepit.* Lege Vitam S. Amandi ad ann. 679.

CIRC. AN. DC.XXCVII. MAII XII.

mine MAURONTUS, poſtea Abbas & Levita ſanctus, & filiæ tres ſacræ virgines, CLOTSENDIS poſt obitum matris ejus Monaſterij Rectrix, EUSEBIA bona Dei cultrix ſecundum interpretationem ſui nominis; poſt has quoque ADALSENDIS. Quos cùm eſſent parentes eorum juſti, & per ſeipſos, & per familiares ſibi ſervos Dei educaverunt & erudierunt in timore Domini, auctos ab infantia benedictione cæleſti. Mauronto ſiquidem venerabilis Deóque dignus Sacerdos RICHARIUS Pater ſpiritualis exſtitit, eúmque per ſacrum Baptiſma Deo regeneravit: Clotſendem egregius Pontifex Amandus quia ſacris digníſque manibus è fonte ſalutari excepit, in omnibus Deo dignam reddidit: Euſebiam verò ex ſacro lavacro NANTHILDIS Regina uxor Dagoberti ſuſcepit. Verè beata & Deo beneplacita progenies. De hac denique dicitur rectè: *O quàm pulchra eſt caſta generatio cum claritate!* Verè etenim cum donis ſpiritualibus ſic plerumque ditantur juſti etiam bonis temporalibus, ſicut canit Pſalmographus: *Beati omnes qui timent Dominum, &c.* In quibus verbis licet ſpiritualis ſit intellectus, tamen ſecundum hæc datur aliquando juſtis & temporalis profectus.

Sap. 4.

VII. Maritum occiſum luget.

Poſthæc bonæ & laudabilis memoriæ Adalbaldus devotæ Chriſti famulæ Rictrudis maritus à pago Auſtrebatinſe,[a] ubi etiam pluribus locupletabatur poſſeſſionibus, eundi Waſconiam nimiùm triſte ſuis iter arripit. Quem nobilis matrona Rictrudis aliquantulùm proſequitur, ſed quamcitiùs domum prout ei juſſum fuerat mærens revertitur. Mens enim futuri quodammodo præſaga doloris jam portendebat quod adhuc ignorabat, & quod nondum patiebatur jam veluti lamentabatur. Quid multa? intereundum inſidiis malignorum, & (ut fertur) eorum quibus ſanctum diſplicuerat matrimonium, vir juſtus appetitur, vulneratur, perimitur. Honorifico deinde ut decebat tumulatus obſequio, defunctus ſæculo, vivit Deo. Vivit inquam, vivit ejus felix anima, illi cohærens quæ vera eſt vita: quod atteſtantur ſigna quæ ob illius declaranda merita, ad ejus mortua frequenter oſtenduntur oſſa. Neque multæ fiunt moræ in his nuntiandis Rictrudi Dei famulæ: quæ tam triſti perculſa relatione, non modico afficitur animi mærore. Augeſcit ſenſum dolor dolore dolentium ſobolum, creſcit luctus luctu lugentium familiarium. Tranſacto tandem aliquando tanti fletûs tempore, init cum philo-chriſtis ſibi familiaribus, maximéque cum Amando ſanctiſſimo Dei Pontifice, & cœpit conſilium ſalubre. Proponit denique ei ille verus conſultor animarum illud Pauli Apoſtoli: *Mulier alligato eſt viro, quanto tempore vir ejus vivit: quòd ſi dormierit vir ejus liberata eſt, cui vult nubat tantùm in Domino. Beatior autem erit ſi ſic permanſerit ſecundum meum conſilium.* Ad quod illa erigit aurem, erigit & mentem. Audit etiam ab eo, immo exaudit & illam dulcem & amplectendam Chriſticolis Evangelicam vocem: *Si quis vult poſt me venire, abneget ſemetipſum, & tollat crucem ſuam, & ſequatur me.* Et, *Qui non renunciaverit omnibus quæ poſſidet, non poteſt meus eſſe diſcipulus.*

a

1. Cor. 7.

Matth. 19.

VIII. Nuptiis ſecundis nuntium remittit.

In his ſacris ac vitalibus verbis figens anchoram mentis Adalbaldi relicta, ſed Dei dilectrix, & à Deo dilecta Rictrudis, omni poſtpoſitâ ancipitis morâ deliberationis, ejus ſalubribus ſe adquieturam pollicetur monitis. Sed ecce & ſalubri Præſulis conſulto, & pio ſanctæ matronæ voto invidiâ diaboli nititur obviare ſubreptio. Nec movet in his perturbandis infimos quoque vel mediocres, ſed ſummos ſæculi primores. Per ipſum denique Regem ejus tentat ſuadere animo, uti ſe ſuorum cuidam Optimatum ſecundo copulet connubio. Quod cùm illa prorſus aſpernaretur, plurima blandimentorum hortamenta ſed incaſsùm profunduntur. Cúmque ad hæc penitùs in Deo fixus illius ſtatus non moveretur, regalium terror minarum licet fruſtra illi proponitur. At illa pari modo ſævientem parvipendit ut blandientem. Et quia ex tribus Philoſophiæ partibus illam quam maximè quæ eſt in actione & cauſa rectè converſandi apprehenderat,

a Auſtrebatenſis pagus, *Oſtrevvant*, in Belgio, includebatur fluviis Scarpo, Senſeto & Scaldi, ſic dictus, ut rectè conjiciunt, quòd limes fuerit Auſtraſiæ, *Bant* enim Belgis limitem ſonat. De cauſa profectionis Adalbaldi & loco cædis varij variè ſentiunt. Sepultus eſt in Monaſterio Elnonenſi, quædam ejus Reliquiæ Duacum anno 1221. tranſlatæ. Colitur IV. Nonas Februarij, conſule Bollandum.

quæ græcè Ethica, latinè Moralis dicitur, & bene vivendi magiſtra cognoſcitur, quæ etiam in quatuor principales virtutes, prudentiam ſcilicet, atque juſtitiam, fortitudinem & temperantiam dividitur; his ſingulis ſua reddens, ſicut per juſtitiam Deo magis quàm hominibus obedire diſpoſuerat, & per fortitudinem nec illecebris emolliri, nec adverſis frangi poterat; ſic per prudentiam cautè indignationem à ſe regiam ſubmovere, & per temperantiam humilitatis regulam modúmque vitæ in omni verbo vel opere ſervare ſatagebat. Uſa denique conſilio ſui Symmiſtæ, Deiferi ſcilicet Amandi, atque ad tempus diſſimulans immobile in Dei ſervitio ſui propoſitum voti, acturam ſe ex hoc cum ejus conſilio vel permiſſione ſpondet Regi quod utilius judicaretur fore ſibi. Et quid multis immorer? cùm ita Regem ſuſpectum reddidiſſet veluti ejus voluntati parère vellet, in prædio ſuo, hoc eſt in villa Baireio * opiparum & regiæ condignum magnificentiæ inſtruit convivium. Invitat cum Optimatibus Regem, & inter prandendum ſale conditorum omnes lætificat ſuavitate ſermonum. Poſtquam exempta fames, & amor compreſſus edendi, tum multo clara exhilarans convivia baccho, ſurgit & non trepidè ſed conſtanter, non tepidè ſed ferventer, non ſegniter ſed ſagaciter, non muliebriter ſed viriliter, quod conceperat mente, perficit opere: primóque ſciſcitatur à Rege, ſi concederet ſibi in domo ſua quod vellet agere libera coram eo uti poteſtate. Ille autem annuit properè, reputans quòd ſumpto poculo, ut moris eſt pluribus, in cogendo bibere ſe vel convivas ſuos deberet lætificare. At illa ſecundum ſalubre ſui conſiliatoris Amandi inclyti Præſulis conſilium, ex ſuo ſinu prolatum, invocato terribilis Dei nomine & auxilio, capiti ſupponit ipſo Rege & cunctis ſtupentibus, jam benedictum ab eodem Pontifice velum. Quo facto Rex irâ permotus ingratas derelinquens epulas abſceſſit è convivio; illa verò jactans cogitatum ſuum in Domino, totam ſe ſuóſque ejus commiſit arbitrio, ut ab eo enutrirentur & ſolarentur miſericordi ſemper ſolatio. Ac primùm facultatibus & poſſeſſionibus ſibi relictis ordinatione prudenti diſtributis, & ſpinoſis hujus ſæculi curis à terra cordis ſui penitùs exſtirpatis, quæ antea in conjugali vita ferebat trigeſimum, poſtmodum duplicato germine fructum cœpit in viduitate ferre ſexageſimum: & quæ priùs dum in membris ſuis Chriſto miniſtrare ſatageret fuerat Martha, jam ſecus pedes ejus reſidens audiendo & cuſtodiendo verbum illius facta eſt Maria. Et quoniam ipſo atteſtante optimam partem quæ ab ea non auferretur elegit, optimum ejuſdem partis dilectæ & electæ præmium in recompenſatione percipere meruit.

CIRC. AN. DC XXCVII. MAII XII.

* *Boiry prope urbē Atrabatum*

Velum adſumpit coràm Rege.

IX. Sanè ut quod homo gerebat interior, oſtenderet quoque exterior; ſicut mutaverat habitum mentis, ſic mutat & corporis. Pompoſas projicit veſtes quibus ornabatur nupta, cogitans aliquando ea quæ ſunt mundi quomodo placeret viro: & unà cum eis exuitur omni ſæculi hujus impedimento, ut quamvis videretur vidua, id eſt diviſa à viro, jam non eſſet diviſa animo, ſed ſollicita ſemper quæ Domini ſunt, ſolummodo quomodo placeret Deo. Induitur viduitatis veſtibus, quæ ipſa ſui ſpecie monſtrarent contemptum mundi iſtius. Nam ſicut albas veſtes exaltationi & ſollemni congruunt lætitiæ, ita nigræ humiliationi & lugubri conveniunt triſtitiæ. Inde & caput quod eſt principale corporis, tetro velatur amictu, ut principale animæ id eſt mens velanda ſignetur mæroris & pœnitentiæ luctu. Qui cùm brevis ſit, & ut ita dicam momentaneus, eam operatur conſolationem de qua ait in Evangelio Dominus: *Beati qui lugent, quoniam ipſi conſolabuntur.* Et ut quondam expertas corporis voluptates & moleſtas evinceret dæmonum ſuggeſtiones, cum nimiis vigiliis & orationibus continuis crebra ducens jejunia, elephorio amicitur cilicino, cujus aſſiduis punctionibus edomaret libidinis punctiones, & ut dictum eſt à Poëta, ſine Cerere & Libero Venus frigeret, atque veraciter cum Pſalmiſta caneret: *Ego autem cùm mihi moleſti eſſent induebar cilicio, & humiliabam in jejunio animam meam, & oratio mea in ſinu meo convertetur.*

Matth. 5.

Pſal. 34.

X. Locum verò ubi ſpiritualibus daret operam exercitiis, cum conſilio & auxi-

CIRC. AN. DC.XXCVII. MAII XII. Marcianas cogitat.

lio ſæpedicti Præſulis, qui eidem erat à ſecretis, elegit valde congruum, Monaſterium ſcilicet Marcianas vocatum, quod ab eodem Pontifice ſuper fluvium *Scarb* fuerat conſtructum. Cui perficiendo & ordinando idem Præſul diſcipulum ſuum præfecerat Abbatem ſanctum JONATUM venerabilem virum, cujus adhuc in eodem Monaſterio ſacrum corpus habetur reconditum: in quo & Monachorum ordinem beatus Amandus haberi voluit, ſed jamdictus Abbas Sanctimoniales (prout ſibi viſum fuerat) aggregavit. Hunc ergo locum ſatis opportunè remotum Dei famula Rictrudis expetiit, atque B. Amando conſentiente & inter Regem & ipſam reconciliationis officium fungente, cum privilegio regiæ auctoritatis accepit, quatenus ibi licet in fragili poſita corpore, corporeas fortiter concupiſcentias ſuperaret. Et non hoc ſolummodo, verumetiam adverſus rectores mundi tenebrarum harum, contra ſpiritualia nequitiæ in cæleſtibus colluctando, & ea pariter cum mundo divincendo, triumphum victoriæ & condigna certaminis præmia à ſuperno ſpectatore exſpectaret ac perciperet.

X I. Filias ſuas Deo ſacrat. *Matth. 5.*

Ut autem ad hæc feliciter peragenda ſufficeret, omnibúſque exempli gratiâ à quanta perfectione converſationem ſuam cœpiſſet, palam fieret, juxta illud Evangelicum, *Luceat lux veſtra coram hominibus, ut videant veſtra bona opera & glorificent patrem veſtrum qui in cælis eſt*; poſt abjectas à ſe oneroſas prædiorum & divitiarum ſarcinas, poſt profeſſam Deo viduitatis continentiam, & poſt ſumptum ſanctum Sanctimonialis habitûs indumentum, ſeipſam tantummodo exhibere oblationem vivam, ſanctam, Deóque placentem non contenta, etiam terræ, hoc eſt ventris ſui ſacras ac præcipuas ſanctæ & individuæ Trinitati offert primitias, præfatas videlicet tres filias candidas veluti columbas gratiſſimas illi fieri hoſtias: ut corde & corpore immaculatas & ut perpetuam virginitatem ſervantes, Agnum virginis Matris filium quocumque ierit ſequantur ſinceritate cordis, & carnis vernantes flore illibatæ Virginitatis in corpore, ac nitentes puritate inviolatæ veritatis in corde, ut ſint ſemper ſine macula ante Dei thronum cantantes ei canticum novum, hoc eſt gaudentes cum eo de carnis incorruptione in perpetuum. Quod canticum licet poſſint audire, nemo tamen poterit dicere Sanctorum, niſi illa candida turba incontaminatorum. Hęc cùm veriſſimè ita ſint, audite obſecro & auribus percipite omnes qui habetis audiendi aures, quibus adhuc fas eſt ad Angelicæ privilegia caſtitatis aſſurgere, & tam præclari contubernij ſocietatem acquirere, atque cum eis tam dulcem novi cantici melodiam perſonare. Properate, currite, feſtinate, ac memores uxoris Loth, retro reſpicere nolite. Putidam luxuriam fugite, carnales concupiſcentias calcate. Omnis caro fenum, & omnis gloria ejus tamquam flos feni. Hæc exhortatoria cordis veſtri penetrent intima, quæ non ex meis edita, ſed ex Patris AUGUSTINI Doctoris egregij verbis, quibus Virgines hortatur, ſunt mutuata. Pergite, inquiens, ſancti Dei pueri & puellæ, mares ac feminæ cœlibes & innuptæ, pergite perſeveranter in finem, laudate Dominum dulciùs quàm cogitatis uberiùs: Sperate feliciùs cui ſervitis inſtantiùs: Amate ardentiùs cui placetis attentiùs: lumbis accinctis & lucernis ardentibus exſpectate Dominum quando veniat ad nuptias. Vos afferetis ad nuptias Agni canticum novum quod cantabitis in citharis veſtris, utique tale quale nemo poterit dicere niſi vos. Et ſequitur poſt pauca: Sequimini eum, quia & Agni caro utique virgo eſt. Sequimini eum virginitate cordis & carnis quocumque ierit. Quid eſt enim ſequi niſi imitari? quia Chriſtus pro vobis paſſus eſt, relinquens vobis exemplum ut ſequamini veſtigia ejus.

Auguſt. de S. Virg. cap. 27.

XII. Marcianis ſe recludit.

Rictrudis igitur Dei fidelis femina quæ ſe totam illi in ſancta devoverat continentia, tres quoque filias uni deſpondens viro Chriſto in ætate adhuc tenera, ut Agni ſemper ſequerentur veſtigia, & canticum quod illa nequibat jam per ſe, per ſuarum citharas filiarum ei faceret perſonare; omnibus tam ſapienter diſpoſitis & cunctis exuta ſæculi curis, gymnaſium Monaſteriale ubi ſtadium vitæ preſentis agonizando percurreret, & contra diabolum luctando decertaret, palæſtricorum

læstricorum more sic nuda ne in aliquo ab adversario maligno teneri posset, & oleo peruncta gratiæ cælestis ingreditur, & juxta quod ait Apostolus, in agone contendens ab omnibus se abstinet, suóque exemplo filias vivere edocet. Mauronto primogenito suo adhuc in laicali habitu regalibus obsequiis ac negotiis militaribus corpore potiùs quàm mente detento, de quo in sequentibus opportunus erit vobis sermo. CIRC. ANN. DC.XXCVII. MAII XII.

XIII. Adalsindæ filiæ mortem fert æquanimiter.

Illis igitur dibus moritur Adalsendis noviſſima filiarum ejus, & quæ postrema fuerat ingressa januam vitæ præsentis, prima ingreditur januam mortis. Et quare dicimus moritur, cùm anniversaria circuli revolutione ipsa sacrosancta Dominicæ Nativitatis sollemnitatis, quando huic mundo peccatis mortuo advenit remedium quo mors cum suo fugatur principe, hæc non mortua, sed potiùs luci vitæque sit edita perpetuæ[a]? At bona Rictrudis inter adversa fortis & longanimis quid tunc ageret duobus sibi occurrentibus affectionibus animi valde contrariis gaudii scilicet ac mæroris; dum hinc intonantem toto orbi audiret Angelum, *Ecce evangelizo vobis gaudium magnum quod erat omni populo*; hinc filiam suam præ oculis haberet mortuam, quam esse dolendam ipsa naturæ cogeret conditio? Virilis tamen quod ei inerat animi robur muliebrem superavit affectum, nec passa est sibi dominari luctum mortis filiæ, vel esse ibi locum tristitiæ, ubi natalis celebratur vitæ. Et ut paucis absolvam digna memoriæ, debitum sepeliendi officium completur Fidelium more, remota caros suos lugendi consuetudine. Sic exactus est primus, sic secundus, sic tertius sequentium se sollemnitatum dies. Quarto denique succedente die quo sancta recolit Ecclesia victimationem parvulorum pro Christo ab Herode jugulatorum, & miserabilem matrum tristitiam; prudens Rictrudis sciens quid cuique deberet impendere tempori, & quia tempus & tempora sint omni rei sub cælo, ideóque distinguens tempus gaudendi & tempus flendi, post sacrorum expletiones mysteriorum, quibus ad Dei laudem eisdem sanctis Martyribus honor exhibetur non dolor, votáque dantur cerimoniarum non lacrymarum; cùm sibi ceteríque Sanctimonialibus jam parata esset refectio corporum, illa convocatis omnibus, ait: Nunc vestra sociatis, ô dilectæ Sorores, caritas eat, & de donis Dei cum gratiarum actione participans gaudeat; me autem exemplo dominarum mearum, matrum scilicet sanctissimorum puerorum Innocentium, quarum hodierna die ploratus & ululatus auditus est multus, meam quoque Innocentulam quodammodo simili hoc est immatura morte præreptam lugere permittat. His dictis amicum mærori locum secretum petiit, atque ut naturæ competebat dolori satisfecit. O laudabilem & imitabilem in prudentia, longanimitate & patientia feminam, quam laudant in portis opera ejus! ô mulierem fortem, quæ in castitate accinxit fortitudine lumbos suos, & in boni perseverantia operis roboravit brachium suum, ideóque non est exstincta in nocte lucerna ejus! *Luc.2.*

XIV. Mauronti ejus filii gesta.

Verùm quoniam in præcedentibus beati viri MAURONTI facta est mentio, non ab re videtur breviter quid narrandum de eo. Hic igitur egregii Sacerdotis Christi RICHARII in baptismate spiritualis exstitit filius. Accidit verò aliquando, ut idem venerabilis Sacerdos tam pro sanctitate quàm etiam pro familiaritate, beatam equo vectus inviseret Rictrudem. Cúmque post sacra colloquia quibus pariter dulces vitæ cælestis sumpserunt epulas, vir Dei conscenso equo redire vellet ad propria; eadem quoque Dei famula dilectionis causâ à domo paullulùm progressa est, gestans in ulnis suum quidem naturali generatione, illius autem spirituali generatione filiolum, ejus secuta vestigia quatenus ipse parvulus benedictione muniretur paterna. Sed cùm jam vir Dei equo sedens eumdem in manibus accepisset infantem sive ad benedicendum sive ad deosculandum, omnium bonorum hostis & invidus diabolus insolitam immisit equo ejus ferocitatem. Arreptitiorum namque more insaniens, dentibus frendens, pedibus calcitrans, ni-

[a] S. Adalsindis in Martyrologio Benedictino aliísque celebratur VIII. Kalend. Januarii.

CIRC. AN. DC. XXCVII. MAII XII.

mium valido huc illúcque impetu diſcurrens, geminatum utriſque, ſed unum Sacerdoti & matri incuſſerat timorem. Sacerdos denique ſibi & puero, mater Sacerdoti metuebat & filio: & quid illa ageret anxia, jam pæne exanimis quaſi imminentem præ oculis ſpectans adeſſe mortem, offuſcatum lacrymis averrebat vultum, ne amborum ſimul miſerabilem cerneret occaſum: ſed & familia triſtis, dolens & ejulans magnis inſtabat plangoribus ad triſte congregata ſpectaculum. Servus autem Dei ne laberetur manu tenens parvulum, orationem fudit ad Dominum: quâ completâ, & puer ad terram delatus eſt incolumis quaſi levis advolaret avicula, & equus priſtinæ redditus eſt manſuetudini velut ovis placida. At mater tandem recepto ſpiritu filium quoque recepit ſanum, & in ulnis levavit ridentem: ſícque tam ingens triſtitia in magnum cunctis qui aderant verſa eſt gaudium. Quod nemo debet ambigere præſtitum meritis amborum. Et quoniam tanta Dei omnipotentis eſt clementia, ut unde malignus hoſtis inhiat juſtos atterere, inde eos magis magíſque faciat proficere; hæc quoque tentatio ad profectum virtutum provenit beato viro. Nam reputans ſecum Dominum Deúmque ſuum dum ad humani generis pergeret redemptionem, ad inſinuandum humilitatis exemplum non ſuperbo ſchemate, id eſt non equo phalerato, ſed ſtrato ſibi ab Apoſtolis vectum aſello: ipſe etiam poſtea ſi quando inſtaret illi alicubi neceſſitas eundi, ſimili exemplo eodem uſus eſt geſtatorio.

XV. Maurontus nuptias fugiens, tondetur.

Poſtquàm verò ad viriles pervenit annos idem venerabilis Maurontus, regali adhærens, ut ejus poſcebat nobilitas, lateri, ipſius continuis (ut dictum eſt) obſequiis mancipatus, etiam vinculis innectitur ſponſalibus [a]. Sed carnalis citiùs amoris voluptuoſos in quibus veluti pedem poſuerat ſolvit compedes, animarum lucrifactore Amando Præſule ei ſuggerente ſpiritualis amoris ſuavitates & æternæ jucunditatis dulcedines. Sed cùm ſuæ mentis votum ſanctæ retuliſſet matri, quòd nequaquam ſuæ conturbernio ſponſæ vellet uti; illa metuens ne fortè per abruptos laſciviæ diſcurſus, ut quorumdam moris eſt juvenum, latam & ad inferos ducentem deliberaret viam ſequi, maximâ percellitur mæſtitiâ animi: rursúmque poſcit Amandum medicum morbidarum mentium ſuccurreret ſibi. Qui Marcianis adveniens, lenibus ſibíque notis verborum fomentis eam demulcens, priſtinæ in Deum reddidit alacritati. Acta deinde ab eodem Antiſte Miſſarum ſollemni celebritate, cùm & ipſe Maurontus adſtaret in præſenti, adſpicit ſæpedictus Antiſtes apem ter gyrare ejuſdem verticem viri. Vir autem Deo plenus, intelligens ſtatim quid portenderet hujus præſagium ſigni, advocato eo hortatur, ut quàm celeriter perficiat opere quod olim & ille jam cœperat corde, & ſibi revelatum agnoverat Deo auſpice. Quod & ipſe nequaquam diſtulit facere. Tum ſanctiſſimus Pontifex Amandus eum juxta morem Eccleſiaſticum benedicens, deciſâ capitis ejus comâ in Clericum totondit, & coronæ ſignum geſtare fecit, per hæc quæ agebantur exteriùs, innuens quæ horum ſignificatione ſervanda eſſent interiùs: ſcilicet ut ſummitas denudata capitis, eſſe nuda & aperta Deo ſignificet omnia ſecreta cordis; & quidquid cogitatur vel agitur in occultis, oculis patêre cuncta cernentis; frequens verò reſectio capillorum doceret reſecanda frequenter malarum ſuperflua cogitationum. Decus quoque coronæ utrumque exprimeret, & ſummi tiaram Sacerdotis, & regalis dia-

Coronæ Clericalis ſignificatio.

[a] Hujuſce loci ſententiam ita reddidit Surius, quaſi nequidem ſponſalia admiſerit Maurontus, ſed oblatam ſibi ſponſam recuſaverit. Maurontus iſte diſtinguendus eſt à Mauronto *Silvarum regiarum procuratore* in Vita S. Richarii cap. 12. memorato. Id conſtat ex eo quòd Maurontus, *Silvarum regiarum procurator*, jam ætate maturus florebat in aula Dagoberti, cujus principatu natus eſt Maurontus Rictrudis Marcianenſis Abbatiſſæ filius. Deinde Maurontus in Vita S. Richarii laudatus non videtur diverſus à Mauronto, qui in Actis S. Vvalarici c. 23. dicitur *ſummus inter Proceres palatii* vivente ipſo Vvalarico. Atqui Vvalaricus annum Chriſti DC. XXII. non exceſſit, quo tempore jam conjugatus erat Maurontus ille Palatinus, Maurontus verò iſte necdum natus. Denique Maurontus, ſilvarum Dagoberti cuſtos, factus eſt Monachus ſub Richarii diſciplina in Cella Criſciacenſi ſeu Foreſti-cella; hic verò ſub S. Amandi ferula primò quidem in Cœnobio Marcianenſi, poſtea in Broilenſi, cujus & Abbas fuit. At verò Maurontus Marcianenſis idem fuiſſe videtur cum Richarii filio ſpirituali, cujus mater RICTRUDIS, *Deo devota femina* ab Alcuino in Actis S. Richarii prædicatur.

dema dignitatis: ut per hæc noſſet ad regale pertinere ſe Sacerdotium, necnon & poſt expletam diverſarum tentationum ſufferentiam, atque in his probationem per patientiam, ſe meritò percepturum vitæ æternæ coronam à Deo diligentibus ſe repromiſſam. Quod & idem ſanctus vir Maurontus non ſolùm ex ſalubri hujus Præſulis traditione, ſed etiam ex ſancta ſanctæ Scripturæ ſuſcipiens & memoriæ commendans lectione & admonitione, ſtuduit devotiſſimè ut aſſiduo ſemper impleret opere. Factus namque poſtmodum Levita, eidem nomini & officio condigna morigerari curavit converſatione & vita. Et ut clarâ editus proſapiâ, Regis quoque præclarus fulſit in aula, regiâ honoratus bullâ, utpote prudens notarius regalium præceptorum conſcribens edicta. Cui etiam ad capeſſendum cumulandúmque ſanctæ converſationis emolumentum, ſanctum ſancti viri AMATI Epiſcopi Deus addit collegium: qui beatus vir electus & ſublimatus ad Epiſcopatum urbis Siduneníium [a] eo tempore quo THEODORICUS Rex iniquam exercebat tyrannidem, inſimulatus falsò quaſi de infidelitate apud ipſum, in Perona Monaſterio ſito in opido Virmandorum, cui ſanctus præerat Abbas ULTANUS, ſubire juſſus eſt exſilium. Deinde poſt exceſſum B. Ultani traditus eſt præfato Dei famulo Abbati Mauronto, ut eum cuſtodiæ manciparet in ſuo qui Broilus * dicebatur Monaſterio, ab eodem nuperrimè conſtructo in territorio Letio vocato. Quo ſuſcepto ut ejus religioſam expertus eſt converſationem, ſicuti ſervando cæleſti theſauro omnem omnibus vitæ ejus diebus famulandi adhibuit diligentiam, habens in eo pulcherrimum ſuæ ſuorúmque Confratrum vitæ & ſanctitatis ſpeculum [c].

CIRC. AN. DC. XXCVII. MAII XII.

a

b

Interea Dei famula GERTRUDIS, quæ fuerat avia Adalbaldi viri venerabilis, longævitatem vitæ accumulans operibus bonis, in Hamatico Monaſterio à ſe ædificato, ubi etiam ſacra virgo Euſebia ejus educabatur proneptis, viam ingreditur univerſæ carnis, cui velut loco regiminis eadem ſuccedit EUSEBIA, puella quidem bonæ indolis, ſed adhuc ſatis teneræ ætatis, utpote duodennis. Mater verò ejus Rictrudis verè Chriſticola profundiori uſa conſilio atque prudentiâ, bene ſciens quòd multos multis exercitatos virtutibus, maligni hoſtis ſeducat aſtutia in ætate quoque jam matura: metuebat pro filia, ne fortè ſerpentinâ tentaretur fraudulentiâ, ſi libertate potiretur immaturâ. Quapropter ad ſe eam venire & ſecum voluit habitare. Illâ vero renuente, atque in Hamatico converſari volente, mater ejus regales compulſa eſt aures pulſare, ut ſuam ipſius auctoritate filiam potuiſſet recipere. Quo concedente miſsáque epiſtola reverti præcipiente mæſta ad matrem ſanctam regreditur Euſebia ad Monaſterium Marcianas cum ſuæ proaviæ ſanctæ Gertrudis corpore, & cum ſanctorum Reliquiis quæ ibidem fuerunt reconditæ, atque cum omni ſua Congregatione. At mater ejus voti compos effecta, pluribúſque filiam hortabatur monitis ſecum in ſpirituali Deo deſervire militia. Quæ libentiſſimè quidem ejus parebat dictis, Divinis ſe mancipando jugiter obſequiis: ſed refragari ejus nequibat intentio ab amore

c

XVI. Gertrudi Abbatiſſæ Hamaticenſi mortuæ ſufficitur Euſebia duodennis;

at matris juſſu Marcianas revocatur.

a Lege *Seronenſium*, quod ex ipſius S. Amati Vita aliiſque Auctoribus conſtat.

* b Broilenſe Monaſterium ad Legiam fluvium ſitum deſtructum eſt, ab anno ſcil. DCCC. LXX quo imminente Danorum perſecutione Fratres Deo & *S. Amato ſervientes apud Menrivillam*, (ſic Broilum vocant, quaſi *Mauronti villam* ex Vita S. Euſebiæ num. 2. infrà) *corpus B. Amati Duacum deportaverunt, & in ſui juris Eccleſia B. Mariæ poſuerunt.* Nunc iſta Deiparæ Eccleſia eſt Collegiatæ S. Amati dicta, ex cujus Eccleſiæ Archivis Colvenerius in Notis ad Chron. Camer. lib. 1. cap. 22. hæc aliáque deſcripſit.

c Legimus Vitam S. Amati ex Mſſ. codicibus Marcianenſi & Compendienſi exceptam, in qua nihil fere obſervatione dignum occurrit, ſed locorum communium rædioſa adaptatio: eam proinde omiſimus. Legendus Baldericus Epiſc in Chron. lib. 1. cap. 22. Amatus Perronâ per Maurontum deductus Cameracum, Eccleſiam B. Mariæ orationis cauſa, *Solis radio pro ſervo uſus eſt*, in eo *cappam ſuam deponens.* Ambo *Hamaticum deveniunt, quo in loco diutiſſimè commorantes, non minimùm profeceruut. Relicto denique Hamatico Cœnobio facer Præſul, Broilémque perductus eſt. Ipſe verò juxta Baſilicam cellulam ſibi fabricari præcepit, intra quam quandocumque opportunum erat ſeſe continens, vigiliis, orationibus, atque jejuniis inceſſanter corpus fatigavit, uſquedum tam egregium militem Dominus de terris ad cælos evocavit,* anno circà DC. XC. uti in libro argenteo Eccleſiæ Collegiatæ S. Amati apud Duacum, ubi ejus Reliquiæ aſſervantur, quem in locum è Menrivilla ſepulturæ loco, Broilo antiquitus dicto, anno DCCC. LXX. illâtæ ſunt: prout ex ipſo apographo docet Colvenerius in Notis ad Balderici Chronicon. Lege Notas infrà ad cap. 20.

CIRC. AN. DC.XXCVII. MAII XII. Hamaticũ noctu ſecedit cum Amato. a

loci ſibi veluti genialis. Quod fiebat frequentiſſimè & noctibus pæne ſingulis, ut poſt veſpertinalis completionem ſynaxis, dum capere cum ceteris quietem putaretur corporis, illa pro diſſimulatione relictis ante ſtratum ſandaliis, ad Hamaticum pergeret ſilentio intempeſtæ noctis cùm jam ſuperiùs dicto ſanctiſſimo Epiſcopo & Monacho, nomine & religioſa converſatione Amato [a], illic ſub cura Mauronti ſancti Abbatis ad tempus exſulante, & cum ſua collactanea aliiſque fidis ut putabat ſui ſecreti ſociis: ibíque celebratis vigiliis omniúmque horarum officiis, ad Monaſterium Marcianas fideli peracto furto revertebatur non ſatis hilaris, quatenus & ibi non deeſſe videretur nocturnalibus ſeu matutinalibus horis.

XVII. à matre ob hanc rem virgis correpta læditur.

Nec defuit qui hæc auribus intimaret maternis, itémque eam convocans & mulcendo blandis & terrendo ſermonibus compellabat aſperis, quatenus illam revocaret à ſuæ propoſito voluntatis, ſciens pro certo eam detineri ſecum corporis potiùs proximitate quàm mentis. Cúmque nec per ſe nec per amicos ſeu per familiares ſuos quidquam proficeret in re hujuſmodi, inito conſilio cum ſuo filio Mauronto Levita & Abbate venerabili, viſum eſt utriſque verberibus illam pro ipſa inobedientia & quadam animi pertinacia debere caſtigari. Quod cùm placuiſſet matri ab eodem fratre ejus fieri, eo jubente inter brachia coarrata famuli adjudicatæ ſubditur correptioni: & quia iſdem à quo tenebatur puer accinctus erat gladio, dum inter anguſtias verberum hac & illac ſe flectit virgo, ejus tenerum latus (ut fertur) enſis illius læditur capulo, intantum ut pluribus quibus poſtea ſupervixit annis purulentam mixtámque ſanguine ejiceret ſalivam oris. Cùm verò neque ſic à cœpta ejuſdem ſacræ Virginis ceſſaret intentio, convocant Epiſcopos vel Abbates illuſtréſque viros è vicino, qui omnes agebant cum ea diverſo modo, quatenus à tali revocaretur deſiderio. Illa autem cunctis multùm conſtanti renitebatur alloquio. Qui dum inflexibilem ejus cernerent animum, matri dederunt conſilium, ut illam ad cupitum redire permitteret locum. Quod & mater annuit licet invita, religioſam illius converſationem ſuaſoriis roborans monitis, Deóque precibus eam commendans ſacris. Quæ diu deſiderato potita votorum effectu, cum omni ſua plebicula, accepto iterum ſancto ſuæ proaviæ corpore cum venerandis Reliquiis Sanctorum, gaudio plena ad Monaſterium repedavit Hamaticum. Ibique Angelicam agens vitam in terris, in mediis ipſius adoleſcentiæ annis rapitur ad thalamum ſponſi cæleſtis, ne, ſicut dicit Scriptura, malitia mutaret intellectum ejus, aut ne fictio deciperet animam illius: & conſummata in brevi explevit tempora multa, placita enim erat Deo anima illius: propter hoc properavit educere illam de medio iniquitatum.

Epiſcopis conſulentibus Hamaticum redire finitur.

Sap. 4.

XVIII. Objectioni facit ſatis Auctor.

Enimverò propter ineptam quorumdam garrulitatem libet paulliſper exacuando ſtilum protelare, quo illorum perfodiantur linguæ qui loquuntur adverſus Juſtos iniquitatem in ſuperbia & in abuſione: qui ponunt in cælum os ſuum, dum eis detrahere non verentur, qui jam exempti de terrenis, cum Deo in cæleſtibus regnare credunt. Aiunt enim ſtrophas commentantes hujuſmodi: En quales iſti dicuntur eſſe Sancti! mater innoxiam inſequitur filiam Deo militare volentem, filia ſicut hoſtem ſic propriam exſecratur & refugit matrem: filius matre conſentanea ſororem refugam aſportato clam ſigno proditam diriſſimis velut furti ream afficit verberibus pæne uſque ad mortem. Quam etſi non ſtatim perimit, longo tamen dolorum cruciatu tabeſcere facit. Hæccine Sanctos Deóque placitos efficiunt? quæ in iſtis ſanctitas, quæ pax, quæ caritas? Quid ergo nos tam inſani capitis hominibus reſpondebimus? O ſtulta veſanæ mentis arrogantia! ô rabida fatuorum non hominum ſed canum oblatratio! quid dabitur aut

[a] Hæc prorſus cohærere non poſſunt. Amatus non ante annum DC. LXXVIII. exſulavit, quo tempore Euſebia non jam duodemis ſed quadragenaria erat, ſiquidè à Dagoberto & Nanthilde Regina è ſacro fonte excepta eſt. Certè Gertrudis Hamaticenſis Abbatiſſa, cui Euſebia proneptis ſucceſſiſſe dicitur, annum DC.L. haud exceſſit, mortua VIII. Idus Decembres, quo die coli ſolet. Hamaticenſe ſeu Hamatgienſe Monaſterium, haud procul à Marcianenſi, redactum eſt in Prioratum Marcianis ſubjectum *Hamay* appellatum.

quid apponetur ad linguam doloſam, niſi ſagittæ potentis acutæ, id eſt verbo- CIRC. AN. DC XXCVII. MAII XII.
rum Dei omnipotentis jacula, ex ſanctarum prolata Scripturarum pharetra, quæ tam ſunt efficacia, ut non modò ora loquacia, ſed ipſa quoque tumida transfigant corda? Ac primùm tales Evangelico percelluntur tonitruo: *Nolite*, inquit, *Matth. 7.*
judicare & non judicabimini, nolite condemnare & non condemnabimini, &c. Audite ſi poteſtis & animadvertite, Rictrudis mater ſancta non filiam perſequitur innocuam, ſed ejus immaturam conſiderat ætatem, ſciens quia omnia tempus habent, & quod omni negotio tempus ſit, & quoniàm ut ſapientiſſimus ait Salomon, *Puer qui dimittitur voluntati ſuæ, confundit matrem ſuam.* Audit- *Prov. 29.*
que Scripturam dicentem: *Filiæ tibi ſunt, conſerva corpus illarum.* Quin potiùs *Eccl. 7.*
idcirco illam ſecum manere deſiderat, ut ſuis eam potiſſimùm exhortationibus & exemplis ad perfectiora provehat. Filia quoque ejus Euſebia, licet cæleſti Regi ſit deſponſata, non tamen beatam tumidè aſpernatur aut deſpicit matrem, cùm ſui Sponſi tale noverit eſſe edictum, *Honora patrem & matrem, ut ſis longævus* *Exod. 20.*
ſuper terram; ſed in viſu gratiæ ejus qui illam anulo ſuo ſubarrhaverat, ejúſque ſolummodo flagrans dilectione, nullius alterius amoris, nec ſuæ quidem matris affectum ſibi exhiberi volebat, ne ſe vel in modico ab inſiti fervoris amore ſejungeret. Sed & frater ipſius Chriſti miniſter Maurontus non odio, non crudelitate ſuam flagris torquet germanam, ſed fraterna potiùs caritate quaſi inſolentem, & (ut ita dictum ſit) veluti parenti inobedientem, ut ipſa poſcebat ætas caſtigat infantulam, ſciens ſcriptum: *Qui parcit virgæ, odit filium.* Et quia *Prov. 13.*
virga atque correctio tribuunt ſapientiam. Et quid mirum ſi mater & filius hu- *24. & 29. 15.*
mano falluntur judicio in ſacram corripiendo Virginem, ignorantes adhuc Divinam quæ inerat illi gratiam, cùm Prophetæ ſancti ſic aliquando ex ſuo humanam quaſi ex Dei ſpiritu proferant ſententiam? Ceſſent ergo, ceſſent ſtulta ſtultorum vaniloquia: non enim poterunt adſignari operibus iniquitatis, quæ prodeunt ex radice caritatis, ipſa atteſtante Veritate quæ dicit: *Si oculus tuus* *Matth. 6.*
fuerit ſimplex, totum corpus tuum lucidum erit.

Ad hoc verò quòd hujus occaſione facti virgo beata corporali dum viveret XIX.
ſubjacuiſſe dicitur infirmitati; quis non videat hoc ad cumulum jam collatæ Item alij objectioni.
gratiæ profeciſſe illius, ut deficeret dum corpore roboraretur ſpiritu juxta illud Apoſtoli: *Cùm enim infirmor tunc potens ſum.* Obſtruatur ergo os loquen- *2. Cor. 12.*
tium iniqua, quoniam de his per Iſaïam Prophetam vox intonat Divina: Dabo opus eorum in veritate, & fœdus perpetuum feriam eis, & ſcietur in gentibus ſemen eorum & germen eorum in medio populorum. Omnes enim qui viderint eos cognoſcent illos, quia iſti ſunt ſemen cui benedixit Dominus. Diſceſſit autem verè bona cultrix Dei Euſebia virtutibus plena ſextodecimo die Martij, qui eſt ſeptimodecimo Kalend. Aprilis, anno DC. XXCIX. ætatis XLVI[a].

Poſtquam verò ſanctum Epiſcopum ſibi amabilem & Monachum Amatum XX.
Dominus ad cæleſtem patriam ex hac moleſtæ peregrinationis ærumna Idibus Amatus moritur.
Septembris[b] aſſumpſit, ſacrum corpus illius ſacer Maurontus in ſua poſſeſſione *b*
honorificè tumulavit, totáque hereditatis ſuæ prædia per Chartarum inſtrumenta illi contradidit. Ipſe quoque venerabilis Abbas Maurontus Deo dignus Item Maurontus.
Levita, licet ſanctæ Matri fuerit ſuperſtes in hac vita, poſt expleta piæ adminiſtrationis munia, tertio Nonas Maij[c] functione liber debita, ut condigna laborum ſuorum perciperet præmia ad cæli ſubvectus palatia, perenni cum Chriſto vivens vita jugi cum eo lætatur gloria. *c*

Sed ut ad ea quæ cœpimus redeamus explicanda, Rictrudis devotiſſima Dei XXI.
Rictrudis abdicato regimine moritur.

a Ita exemplar Marcianenſe: qui characteres Chronologici deſunt apud Surium, & inſiticij eſſe videntur, uti & qui inferiùs de S. Rictrudis ætate & prælaturæ diuturnitate referuntur. De S. Euſebia infrà.

b Conſentit codex Marcianenſis S. Amati exhibens Vitam in cujus fine legitur, *B. Amati tranſitum Idib. Septembris ab Anteceſſoribus determinatum, à* STEPHANO *quodam* III. *Kalend. Maias affixum fuiſſe temere*, ut patebat ex vetuſtis libris, *qui apud S. Medardum & in Archivo Marcianenſi, atque multorum ſcriniis Cœnobiorum inveniuntur.*

c Anno DCC. I. *obiit S. Maurontus Levita.* Ut Colvenerius ex cod. MS. argenteo Eccleſiæ Duacenæ ſancti Amati refert. De ejus Reliquiis infrà.

GIRC. AN. DC.XXCVII. MAII XII.

famula toto niſu mentis, toto famulatu corporis bonis operibus dedita, ambulans de virtute in virtutem, dilatato corde cucurrit infatigaliter viam mandatorum Dei, in ſtadio fidei & juſtitiæ, patula hauriens aure: Currite dum lucem habetis, ut digna haberetur accipere bravium cæleſte, & ut in omnibus ſe exhiberet perfectiſſimam, illius imitatione qui dixit, *Non veni facere voluntatem meam*; ſe quoque alterius regimini ſubdens, ejus imperiis obedientiſſimè paruit, ceteriſque famularum more famulans, illud quod dictum eſt, *Non veni miniſtrari ſed miniſtrare*, præ oculis ſemper attendit, nec uſquam vel umquam ſepta Monaſterij egrediens, exemplum bonorum operum ſeipſam cunctis præbuit in humilitate, obedientia, in patientia, in caſtitate, in jejuniis, in vigiliis, & orationibus continuis, in longanimitate, in manſuetudine, in modeſtia & benignitate. Et quid multa? ut filia Dei ſemper ambulavit in luce, cujus fructus eſt in omni bonitate & juſtitia & veritate. Sícque in ſanctarum virtutum perſeverans propoſito, expletis ſeptuaginta quatuor incolatûs ſui annis, quarto Idus Maij, diu deſiderato potita votorum gaudio, corpuſculum terræ, ſanctam verò animam reddidit cælo, anno DC. XXCVII. ætatis ſuæ LXXIV. prælaturæ XL.

Ioh. 6. 38.

Matth 20.

XXII. Sepelitur. *a*

Sepulta eſt autem in eodem loco [a] honorificè à Dei Sacerdotibus aliíſque in Eccleſiaſticę dignitatis ordine ipſi militantibus ſeu etiam quamplurimis Chriſtianæ Religionis viris ad exſequias tantæ Matris undique confluentibus, de temporali quidem ejus abſentia mærentibus, de æterna qua cum Chriſto fruitur gloria gaudentibus. Et nunc cum ſpe ineffabilis gratulationis præſtolatur magnum diem potioris ſuæ glorificationis, quando illud quod ſeminatum eſt in corruptione, ſurget in incorruptione; & quod ſeminatum eſt in ignobilitate, ſurget in gloria; & quod in infirmitate, ſurget in virtute. Tunc denique illa felici reſurrectione duplici glorificatione glorificanda in beata reſurgens gloria cum Sanctis omnibus in parte dextera meritis ſuorum actuum feliciter coronanda.

XXIII. Miraculis clarescit.

Ne quis verò ambigat de iſtius Dei famulæ vivacium meritorum efficacia, experimenta nobis præbent veracia plura oſtenſarum virtutum inſignia ad examinata ejus corporis membra. Ibi etenim cæci viſum, ſurdi auditum, muti ſermonis officium, claudi greſſum, febricitantes ac variis ægrotationibus laborantes, optatam frequentiùs receperunt, & nunc uſque poſcentes cum fide recipiunt ſanitatem. Et hujus teſtes rei adhuc ſuperſunt multi & eorum qui ſanitatis deſideratæ dona ſunt conſecuti, & illorum qui hæc videntes Deúmque in Sanctis ſuis mirabilem laudantes, de ejus beneficiis ſunt gratulati.

XXIV. Auctoris invocatio.

Te igitur ſancta ac Deo dilecta famula Rictrudis, toto quæſumus affectu cordis, ut tuis ſacris intervenientibus precibus & meritis, quibus variarum nexus infirmitatum abſolvis, nos quoque à noſtrorum ſolvas peccatorum vinculis, quatenus cum benigni JESU gratia his expediti in tremendo ſui die judicij, cælis ardentibus ac terris, ipſe nos à gehennalibus ereptos flammis, tecum ad æternæ rapiat gaudia felicitatis, cujus miſericordiæ & miſerationis nullus eſt finis, cui eſt cum Deo Patre ſibi coæterno & ſancto-Spiritu regnum & virtus, honor & gloria per infinita ſæcula ſæculorum, Amen.

a Locum ſignantiùs exprimit Chronographus Marcianenſis, *ante altare Iohannis Baptiſtæ & Andreæ Apoſtoli in dextera parte Eccleſiæ.*

IHS

DE TRANSLATIONIBVS ET MIRACVLIS SANCTÆ RICTRVDIS.

CIRC. AN. DC. XXCVII. MAII XII.

CHRONICON *Marcianenſe quod manu deſcriptum beneficio R.P. Simonis Guillemotti Supprioris Giſleniani accepimus, in binos libros diſtinguitur præmiſſa hac inſcriptione:* Auctoris anonymi de Vita & Miraculis S. Rictrudis libri 2. *Scribebat Auctor ille poſt medium ſæculum XII. vivente adhuc Goſvino Aquicinctenſi Abbate, ex lib. 2. cap. 20. ubi agens de* LIETBERTI *Marchianenſis Abbatis ceſſione*, Domnus GOSVINUS, *inquit*, Aquiſcinctenſis Eccleſiæ Abbas qui adhuc ſupereſt, vir religioſus... ipſum Abbatem reſtitui non approbabat. *Porro S. Goſvinus anno* M. C. XCVI. *obiit. Idem Auctor in lib. 2. cap. 40. ſe Monachum teſtatur fuiſſe Abbate Iohanne Marcianenſi, illo ſcilicet qui anno circà* M. C. LVIII. *B. Hugoni ſucceſſit. Ex quibus conjicimus Auctorem iſtum haud alium eſſe ab* ANDREA Silvio *Priore Marcianenſi anno* M. C. XCVI. *mortuo, qui libros tres de rebus Francicis compoſuit. Chronographus ille quicumque tandem ſit, judicio ſatis maturo varias Cœnobii Marcianenſis fortunas refert, ac paſſim inſerit miracula non pauca S. Rictrudis, ejuſque Reliquiarum tranſlationes commemorat, de quibus paucis agendum.*

2. *In lib. 1. cap. 18. meminit diplomatis* Caroli Imperatoris Romani, *quo* præcepit omnia quæ juris erant Marcianenſium, & à Fratribus Deo ſervientibus ſine omni ſæculari exactione libera inperpetuum poſſideri. Eſt autem, *inquit Auctor*, in Archivis Eccleſiæ ſubſcriptio Imperatoria annuli ejus impreſſione roborata, in cujus Privilegij ultimo verſu regiâ munificentiâ ob amorem prædictæ matronæ (Rictrudis) inſtituit, ut ſi Fratres vel Sorores eidem famulantes aliquo indigerent, de dominicatu regio ſuppleretur. *Hinc apparet, etiam ſæculo IX. Monachos cum Sanctimonialibus Marcianis vixiſſe.*

3. *Poſt narrationem cladis Nortmannicæ ejuſdem libri cap. 20. factam Auctor iſta ſubjungit.* Dirutis quoque Monaſteriis quæ ſuper fluvium *Scarp* ſita erant, etiam Marchianenſe Cœnobium, in quo B. Rictrudis corpus quieſcebat, accolis terræ fugatis vel interfectis deletum eſt. Corpora verò Sanctorum quæ in deſtruendis Eccleſiis recondita fuerant, ad loca tutiora per Divinam providentiam ſalva tranſportata ſunt. In qua deſtructione deperiit omnis ornatus Marchianenſis Eccleſiæ, in Chartis videlicet & Privilegiis & libris, & Geſtis Sanctorum & ceteris rebus ad decorem & uſum loci pertinentibus. Quòd ſi fortè quis requirat, ubi fuerit tranſlatum corpus ſupradictæ feminæ ob infeſtationem Paganorum; noverit quòd adhuc in tumulo lapideo ante altare B. Johannis Baptiſtæ ſatis decenter quieſcebat. Quando autem inde elevatum ſit vel à quibus perſonis, non ſatis planè nobis elucet. Verùm in diſquiſitione elevationis S. JONATI Abbatis, qui fuit diſcipulus egregij Confeſſ. Amandi, ſcriptum invenimus, quòd tempore Abbatiſſæ JUDITH quæ Marchianenſi Monaſterio præfuit tempore Lotharij Regis Francorum, adhuc quieſcebant in tumulis lapideis, altaribus ante poſitis, corpora Sanctorum, videlicet B. Rictrudis nobilis matronæ, & bonorum Confeſſorum Mauronti atque ſupradicti Jonati. *Et cap. 21.* Cúmque per Divinam revelationem Reliquiæ præfati Confeſſoris elevatæ fuiſſent, atque honeſtè in crypta reconditæ, ipſe idem relator qui hæc ſcribit ſubinfert: Ibi quoque poſtea appoſitæ ſunt Reliquiæ B. Rictrudis nobilis matronæ & Mauronti prolis venuſtæ, & venerantur à ſupervenientibus populis religioſa devotione: Nos verò diem Elevationis ipſius Beatiſſimæ VII. Idus Februarij, ſecundum morem à prædeceſſoribus noſtris traditum, jam per annos ſexigies* viginti devotiſſimè celebramus.

Rictrudis elevatio.

* *id eſt* ſexties

4. *In lib. 2. cap. 16. S. Mauronti Tranſlatio deſcribitur his verbis:* Reliquiæ S. Mauronti cum Reliquiis matris in Monaſterio Marchianenſi longo tempore quieſcentes, poſtea neſcio ſeu permittente, ſeu volente Deo furtim ſublatæ Duacum tranſlatæ ſunt: ubi in Eccleſia ſanctæ Dei Genitricis, quæ nunc S. Amati dicitur, juxta ejuſdem Pontificis corpus qui tunc ibi Deo ſerviebant, eas in vaſculo deaurato cum exſultatione decenter repoſuerunt. *Et infrà.* De Reliquiis igitur B. Mauronti ex parte maxima Duacum ſublatis connivente Clero & populo ſtatutum eſt, ut III. Nonas Maij, quæ eſt dies depoſitionis ejus, ab univerſis ibi manentibus de eo quotannis memoria ſollemnitet repræſentaretur.

Mauronti Tranſlatio.

5. *In ejuſdem lib. cap. 20. Reliquiarum S. Rictrudis Tranſlatio ſecunda latè enarratur.* Antiquorum devotio ejuſdem Sanctæ loculum auro & argento pretioſiſque lapidibus ſatis decenter ornavit: ſed eorum poſteritas quæ longo tempore fuit ante nos, ornatum exteriùs renitentem, ad conſentiendum concupiſcentiis carnalibus totum expendere non timuit. *Abbatis & Fratrum conſilio* præparantur ſumptus, & novum vas auri & argenti non modicam habens quantitatem inſtauratur. *Iprenſes aliique incolæ circumpoſiti* Abbatem (LIETBERTUM) adeuntes devotè poſtulant, ut apud Rinengam antiquitùs villam ipſius Sanctæ corpus ſollemniter tranſponendum deferatur. Decimam & alios redditus quos Eccleſia per prædeceſſorum incuriam ami-

Rictrudis Tranſlatio altera.

Circ. An. Dc. xxcvii. Maiix ii. sit, *restituere promittunt*. Annuit Abbas devotæ eorum postulationi, & res cum die determinato Episcopo Tervanensi (Milone) nuntiatur. Quod cùm in diœcesi sua celebrandum audisset, gavisus est, præsentiam suam affuturam omni sopita excusatione respondens. Alvisus quoque reverendus Atrebatensis Episcopus rogatus ab Ecclesia nihilominus cum Clero suo illuc se venturum constituit. Tunc assumptis duobus loculis sacratissimum corpus cum summa omnium devotione usque ad Reningam deducitur, supradicti Episcopi Milonis præsentiam corporali molestia excusante. Quarto igitur die Pentecostes adstantibus Clero & Optimatibus terræ, & populi multitudine infinita sacris Atrebatensis Episcopi manibus sanctissimi corporis gleba in novum loculum recluſa est anno Verbi incarnati M. C. XL. Deinde postquam idem Episcopus sermonem ad populum & Missarum explevit sollemnia, cum pari honorificentia sacro corpore Marcianis relato ad propria reversi sunt.

anno 1140.

Translatio tertia, anno 1164.

6. *Denique iterum spoliatam B. Rictrudis thecam denuo instaurârunt Marchianenses Monachi*; Fratre Hugone argenti marcas XL. *occultè suppeditante*. Vasculo igitur cum magno auri & argenti apparatu consummato D. Henricus venerabilis Remorum Archiepiscopus venerat in Flandriam. Hic III. Nonas Augusti anno Verbi incarnati M. C. LXIV. Archiepiscopatûs autem sui tertio ad nos divertit: & annuens Johannis Abbatis & totius Ecclesiæ precibus, sub eodem die B. Rictrudis Reliquias manibus suis de veteri vasculo assumptas in novum collocavit. Aderat Andreas Atrebatensis Episcopus cum Clero suo & vicinis Abbatibus. Quicumque pro auctoritate sua quippiam de Reliquiis illis ab Abbate potuit impetrare, rem grandem se accepisse gavisus est. Ipse quoque Archiepiscopus aliquid sibi reponens ob sollemnem memoriam, cum debito honore secum portavit in Franciam.

7. *Ex his intelligitur, Raphaëlem Beauchampium Cœnobitam Marcianensem in Appendice ad Synopsim Merovingicam non rectè interpretari postremam hanc Translationem, quasi relatio fuerit Reliquiarum S. Rictrudis è Cœnobio Andernensi diœcesis Morinensis, cujus Cœnobij Monachi de sanctæ Rictrudis (quam Rotrudem vocant) possessione corporis gloriabantur. Lege Chronicon Cœnobij Andernensis auctore Willelmo Abbate Tomo 9. Spicilegij Acheriani. Quidquid juris fuerit Monachis Andernensibus in sanctæ Rictrudis Reliquias, eas constat modò in Marchianensi Ecclesia adservari.*

Circ. An. Dc. xxcvii. Sept. xv.

VITA SANCTI AICADRI ABBATIS GEMETICENSIS,

Auctore Monacho Anonymo, qui ineunte sæculo x. vixit.

Ex MSS. codd. Gemeticensi & Vedastino.

OBSERVATIONES PRÆVIÆ.

Vitæ Scriptores. * *S. Aicadre*

I. Sanctus Aicadrus* *seu* Aichadrus, Aicardúsve, *primùm quidem Ansionensis, tum Quinciacensis Monachus apud Pictones, demùm post S. Filibertum Abbas Gemeticensis, duos habuit Vitæ suæ Scriptores*, Anonymum *unum, alterum* Fulbertum, *de quibus pauca dicenda sunt.*

Primus anonymus.

2. *Primus Auctor, Monachus Gemeticensis anonymus, vixit paullo post cladem Nortmannorum & Gemeticensis Monasterij instaurationem, quam circiter annum* CM.XX. *Willelmo primo Nortmannorum Duce factam esse Willelmus Gemeticensis Monachus in lib. 3. Hist. c. 7. testatur. Is enim Auctor anonymus* Aicadrum Patronum nostrum *in Præfatione sua vocat, & cap. 32.* S. Hugonem Rotomagensium Archiepiscopum, filium Karoli Imperatoris: *quæ opinio seu fabula uno minimùm sæculo post Caroli Magni obitum nata est. Nec seriùs certè hæc Vita ab anonymo exarata fuit: quod constat ex altero apographo Gemeticensi quo usi sumus, quod jussu* Annonis *Abbatis, utique anno circà* CM. L. *descriptum fuisse legitur.*

Fulbertus alter.

3 *Alter Auctor fuit* Fulbertus *quidam, cujus Præfatio Vitæ præmissa sic incipit:* Dominis suis Gemeticensis Cœnobij scilicet Fratribus sanctissimis Fulbertus peccator salutem. Quòd in Vita B. Aicadri manum mittere toties à vobis jussus, toties distulisse accusor, si causam vobis libeat discutere, non irrationabiliter (ut mihi videtur) tanti oneris sarcinam subterfugisse reperiar. Nam, ut vera fatear, Vitæ ipsius textum casu mihi repertum aliquando percurri, quem per loca sanè verborum inanibus fulturis (ut ita dicam) imprægnatum offendi. Quas, si juxta mandatum vestrum demere voluissem, & locum vacantem sine additamento dimisissem, dum interrupta verborum series malè cohærentes efferret sententias, non castigatum, sed decurtatum potiùs & totum inconveniens opus reliquissem... Ego igitur tam subtilis ingenij

genij peritiam in me vigere non ſentiens, decrevi aut ex toto omittere, aut ex toto, ſi fas CIRC. AN. DC. XXCVII. SEPT. XV. eſſet, innovare. *Hinc apparet, Fulbertum habuiſſe aliam Vitam præ oculis, quam politiori ſermone exornavit, & quidem pluribus in locis malè interpolavit, uti inferiùs obſervabimus. Quis fuerit* Fulbertus *ille, non facilè quis definierit. Gerardus Voſſius in lib. 3. de Hiſt. Lat. eum* Monachum Gemeticenſem *appellat: quod non ſatis liquet. Floruêre ſæculis* X. *&* XI. *Epiſcopi duo cognomines,* Fulbertus *Cameracenſis, qui Stephano anno* CM. XXXIV. *ſucceſſit: &* Fulbertus *ex Cancellario Roberti Regis Præſul Carnotenſis anno* M. VII. *electus. Ille* librum de Vita S. Anſberti Epiſcopi *teſte Balderico in Chron. Camerac. lib. 1. cap. 77.* jubente Domno Epiſcopo Gerardo inſcripſit, *potuitque expolire Acta S. Aicadri, cujus Reliquiæ jam in diœceſi Atrebatenſi quieſcebant: hîc verò id etiam præſtare valuit, multis aliis ingenij monumentis clarus. Neutrum tamen Vitæ S. Aicadri interpolatorem exiſtimamus. Quis enim credat, Fulbertum ex Cancellario Epiſcopum Carnotenſem ita demiſſè acturum fuiſſe, ut* dominos ſuos Gimeſienſis Cœnobij Fratres *appellaret? Et Vita S. Aicadri interpolata eſt haud dubiè poſt Annonis Abbatis Gemeticenſis obitum, qui Anno Fulberto Cameracenſi Epiſcopo anno* CM. LVI. *exſtincto ſupervixit. Fuit & alius* FULBERTUS *Monaſterij S. Audoëni apud Rotomagum Cœnobita, qui librum de Miraculis S. Audoëni hactenùs ineditum* NICOLAO Abbati *nuncupavit, cui poſteriorem S. Aicadri Vitam tribuimus. Nam & ſtilus utrubique parum diſſimilis, & utriuſque lucubrationis eadem cauſa fingitur, nimirum admonitio inertiæ excutiendæ & rei exſequendæ in ſomnis acceptæ. Hujus Fulberti ætatem intelligimus ex regimine Nicolai Abbatis Monaſterij S. Audoëni: qui Nicolaus, ſiquidem primus eſt, anno* M. XCII. *ſupremum diem abſolvit. Fulberti omiſſa lucubratione quæ apud Surium exſtat, ſolum exhibemus antiquiorem anonymum nuſquam vulgatum, cujus ſcriptionem ex duobus MSS. codd. Gemeticenſibus eruimus, contulimúſque ad exemplum Vedaſtinæ Bibliothecæ, quod beneficio humaniſſimi viri Iacobi* de Bonmarchiet, *Archipriorıs celebris Abbatiæ S. Vedaſti Atrebatenſis accepimus.*

4. *Aicadri memoria in antiquis Martyrologiis deſideratur. Auctor Vitæ S. Filiberti, homo octavi ſæculi, honorificam Aicadri mentionem facit. Ejus cultum ab antiquo inſtitutum fuiſſe duo argumenta confirmant: alterum quòd ejus corpus ingruente Nortmannorum tempeſtate Haſpram tranſlatum eſt; alterum quòd Eccleſia Gemeticenſis jam ante Nortmannorum adventum* Aicadri nomine *inſignita erat. Siquidem Rollo Baptiſmo accepto anno* CM. XII. *prædium conceſſit* S. Petri & S. Aicadri Gemeticenſi Eccleſiæ, *inquit Willelmus Monachus Gemetic. in lib. 2. cap. 18. quæ Eccleſia ex Nortmannica conflagratione ſupererat.* Aicadri memoria.

PROLOGUS AUCTORIS.

1. CUM plura ſint Electorum Dei geſta ſeu miracula deſidiâ ac hebetudine virorum ſub clanculo operta, & nemo horum quibus immeritò Deus contulit flatum ſcientiæ ac ſapientiæ ad hoc elaborare conatur, ut pro amore Dei ac Sanctorum ejus aliquid utile pro tot ſpiritualibus donis efficiat; miror quare non recolit hoc quod Sapientia Dei dicit: *Sapientia occulta & theſaurus abſconditus, quæ utilitas in utriſque?* De tali enim ac pro tanta re debet pro certo conſolatorium verbum recipere quamvis deſidioſus, quod alibi Scriptura dicit: *Aperi os tuum, & ego adimplebo illud.* Et, *Domine labia mea aperies, & os meum annuntiabit laudem tuam.* Nempe ſi Deus afflator ſpirituum velle alicui miniſtraverit, utique & poſſe pro bona voluntate ilico illi non deerit; ſed qui linguas infantium facit diſertas, & os mutum cotidie aperit, brutóque animali aliquando loqui conceſſit; ipſe etiam & os ejus illius videlicet Dei timentis aperire dignabitur, intantum ut Domino dicat: Spiritus alme veni. Qua gratia in commune miniſtratorem omnium bonitatum Dominum humiliter flagitemus, ut ad ſcribendam vitam B. AICADRI alicujus labium aperiat, ne tanta dignitas ac beatitudo tegi ſilentio videatur, quæ multis ac proximè Monachis, ut reor, utilis eſſe videbitur. *Eccli. 20. 32.* *Pſal. 80. 11.* *Pſal. 50. 17.*

2. Omnis frequentata laus, quæ à peritis viris dicitur gloria, hæc ſpeciatim convenit Patri & Filio ſanctóque Spiritui, quæ Trinitas redundat in unitatem omnipotentis Dei. Hæc namque eſt de qua Pſalmographus dicit; Gloria hæc eſt omnibus Sanctis ejus. In hac enim laudamus & veneramur illos viros glorioſos qui bene vivendo rectéque operando vicerunt regna mundi, quorum omnium interventu poſcimus, ut Dominus nobis ſenſum tribuat, fidem adau- *Pſal. 149.*

AN. CHR. DC XXCVII. SEPT. XV.

geat, ad enarrandum aliquid de beato Aicadro Patrono noſtro, qualiter & à Deo nobis inde ſubcreſcat remuneratio, & ab ipſo pro tantulo labore continuum impetremus ſuffragium.

INCIPIUNT CAPITULA,

De Virtutibus vel Vita beatiſſimi Patris noſtri Abbatis & Confeſſoris.

CAP. I. *De genitoribus & ortu ſeu tirocinio B. Aicadri.*
II. *Quomodo ad diſcendas litteras venerit.*
III. *De impetrata licentia à Magiſtro, & quomodo parentes reviſit.*
IV. *Quomodo ad ſanctum locum veniens comam capitis totondit.*
V. *Quomodo in quarto luſtro egerit.*
VI. *Quomodo hæſit ei in animo Monaſterium conſtruere.*
VII. *Quomodo ad ſanctum devenerit locum, & ſanctus Epiſcopus Anſoaldus cum eo.*
VIII. *Vbi Domnus Aicadrus ſe ſubdidit B.* FILIBERTI *patrocinio.*
IX. *Quomodo ſanctus Dei in ſexto luſtro egerit.*
X. *Quomodo ejus fama ad B. Filiberti pervenit notitiam, & qualiter ſuos ad eum direxit nuntios.*
XI. *De ſuſceptione B. Filiberti nuntiorum.*
XII. *Quomodo peracto miſſiatico repedaverunt ad propria.*
XIII. *Quomodo B. Filibertus poſt ſanctum virum abiit.*
XIV. *De exceptione B. Filiberti poſt à Domno* ANSOALDO *Epiſcopo.*
XV. *De adlocutione ad ſanctum Aicadrum.*
XVI. *Quomodo beato Dei Aicadro per viſum apparuerunt illi duo ſanctiſſimi viri.*
XVII. *De adventu Domni Epiſcopi & B. Filiberti ad Quinciacum.*
XVIII. *De convivio Electorum Dei.*
XIX. *Qualiter S. Aicadrus ſuo loco alium ordinavit Abbatem.*
XX. *De profectione ſervorum Dei vel Fidelium.*
XXI. *Quomodo ad Gemeticum pervenit.*
XXII. *Quomodo Domnus Aicadrus ſuſcepit locum regiminis.*
XXIII. *Quomodo fuerat illi à Domino data orationis virtus.*
XXIV. *De arbore à dæmonio inciſa.*
XXV. *De adæquatione capillorum ejus.*
XXVI. *De viro* ASTASIO, *quomodo Tortonaicum Deo & S. Petro in Gemetico tradidit.*
XXVII. *Quomodo ſanctus Dei Aicadrus vvantos ſuos in radio ſolis ſuſpendit.*
XXVIII. *De umbra horribili viſa à beato Dei viro.*
XXIX. *De vocatione Fidelium.*
XXX. *Quomodo Angelus Domini ad virum Dei venerit.*
XXXI. *Quomodo homo Dei oraverit.*
XXXII. *De admonitione hominis Dei & data abſolutione, & ſancto Viatico ſimúlque de obitu Sanctorum.*
XXXIII. *De ſepultura Sanctorum.*
XXXIV. *De viſione & allocutione Angeli.*
XXXV. *Quomodo S. Aicadrus poſt vixerit triennio, & de obitu ejus ſanctiſſimo.*

INCIPIT VITA.

CAP. I. De genitoribus & ortu ſeu tirocinio B. Aicadri.

BEATUS itaque AICADRUS Aquitanicæ regionis & Pictavis ſuburbio ortus, ſecundum magnitudinem hujus tranſitorij ſæculi nobili patre ANSCHARIO & matre ERMENA fuit progenitus. Dicti enim parentes illius hac nativitate celebritatis veluti ſuaviſſimo liquore peruncti, poſt ablactationem pueri [a] ſumma cum diligentia tradiderunt illum ad erudiendum cuidam viro ſapientiâ famoſiſſimo nomine ANSFRIDO prædictæ civitatis ex Monaſterio S. Hilarij Cœnobitæ juſto, cujus doctrina atque ſanctitas erat tanta, ut ſine dubio quis cum eo morans nihil aliud videret niſi ſancta, nihílque aliud ageret quàm juſta: tantóque religio in eo excreverat, ut rudis Martinus diceretur à ſuis concivibus pro ſanctitate ſua. Puerum autem à tanta paternitate ſuſceptum cum reliquis ſcholaribus reſi-

a Fulbertus hoc loco interponit contentionem patris & matris S. Aicadri de eligendo ſtatu ſeu conditione filij.

dere juſſit. Et quia ejus tirocinium adhuc erat tenerrimum, utilior illi magiſtro in primævo floſculo videbatur auditus aliorum puerorum, quàm educatio liberalium litterarum. Attamen quid ille in primordio egerit, non eſt ſilendum. Interrogatus à magiſtro quid primum diſcendæ rei illius eſſet cupiditas, reſpondit inſtinctu Divino: De his quæ Dei ſunt, Domine & Magiſter, primum mihi dicito, demum de rebus ruralibus mihimet inſinuare memento. Nam ea quæ Dei ſunt, intranſitoria manent: ea verò quæ ſæcularia, caduca ruinoſáque habentur. Verbo hoc denique locuto illius didaſcali mira res viſa fuit. Sed quid inpoſterum egerit, fecit ut ſibi fuerat à puero expetitum. AN. CHR. DC XXCVII. SEPT. XV.

II. Litteras diſcit.

Erat itaque infans decemnalis, quando reſedit in ſcholari primo geniculo: dein biennio diſcens ea quæ à magiſtro petierat, florere jam cœpit & ſeu fructus ſuaviſſimos emittere, & de his quæ Dei erant nectareos odores trahere. Et pòſt de virtute ad virtutem tranſiens, quinquennio tranſacto, viſum illi fuit magiſtrum fore, & inter primores conſcholaſticos reſidere. Jam enim ad ipſum virtus Religionis tranſierat, & amoris hujus ævi defectus in ipſo inchoaverat.

III. Parentes reviſit.

Túmq; licentia à magiſtro impetrata, parentes reviſit, ac ut prudentiſſima avis ad alta volare diſpoſuit. Audiens enim Religionis famam in loco, qui vetuſto vocabulo Anſionis [a] nominatur, ubi Domnus ſanctúſque JUVINUS Confeſſor cum aliorum Sanctorum pigneribus requieſcit, ad ipſum migrare tentavit, aliquem cupiens emolumenti fructum de illorum mellifluis floribus carpere.

IV. In Monaſterio Anſionenſi fit Monachus.

Tum cœptum iter * ad ſanctum caſtrum devenit, ibíque cum omni honore receptus, loca atque ſancta altaria orando, pro ſuis aliorúmque piaculis perluſtravit, & dignus corpore, digniórque animo hoc ſanctum opus curiosè adimplere curavit. Denique ab Abbate illius ſancti loci ſimul cum ſuis parentibus depoſcens, ut in illorum ſancto collegio commorari aliquamdiu quiviſſet, & ſanctam Religionem qua illa beata familia vixerat vivendo imitari potuiſſet, ab Abbate caritativè hanc gratiam licentiámque ſuſcepit: hoſpitióque ſancto ſuſceptus & regularibus ſanctis inſtitutionibus edoctus, comam capitis depoſuit, & jugum Chriſti ſuave onúſque ejus leve ſuſcipiens, ſuavibus amplexibus propriosartus tradidit: ibíque vir Domini, qualiter in initio egerit, cæci & claudi, aliíque quamplurimi infirmitate depreſſi illo in tempore per plateas, vicos atque Eccleſias propria ſponte teſtabantur, & pro tanta conceſſa populo fideli beatitudine valenter Dominum JESUM Salvatorem omnium inclamabant. Nam ab illius ſanctitate Domino propitio liberati, nequiverant illud ſilentio tegere, quæ pius Dominus pro merito tanti viri inpoſterum Fidelibus rememoranda propalari voluerat, quia ſcriptum eſt; Opera Dei confiteri & revelari honorificum eſt. Erátque illi inibi religio tanta in ſua adoleſcentia, ut nullus ſenum illi coæquari valeret, licet alti meriti inter primos illius beatæ familiæ haberetur, quoniam ſpeculum bonorum operum non ſolùm illis quos ipſe ſejunxerat glorioſiſſimis Dei Athletis factus fuerat: ſed etiam in vicino omnium poſitis ab omnibus gratiosè novus ceu Angelus dicebatur.

* cœpto itinere

Qualiter ibi vixerit.

V. Ab Angelo de perfectione monetur. *Pſal.* 83.

Jam enim quatuor luſtra tranſegerat, & in ſanctis moribus templum illius almi Cœnobij velut rudis Samuël excubabat. Sícque quadam die dictam obedientiam officiosè peragens, audivit aliquem neſciens ubiubi dicentem: *Ibunt de virtute in virtutem.* Quam vocem audiens obſtupefactus mirari cœpit, & huc illúcque diſcurrere, & neminem ibidem reperiens ſenſim in ſeipſum modum retorſit, claráque voce reſpondit: *Videbitur Deus deorum in Sion.* Et quis Fidelium comes hoc dubitare velit, quòd hæc vox illi ſoli ab Angelo perluſtrata ob hoc audita fuerat, ut ille Sanctus pro hac re ſanctior haberetur, & in ſuo ſancto propoſito tutior & firmior exhortativæ gratiæ in reliquum permaneret? Attamen in vita ſua nemini hoc manifeſtum fieri voluit, niſi ſolummodò cuidam

[a] Anſionenſe Monaſterium, cenſu quidem modicum, hactenus ſubſiſtit, à noſtris excultum, dictum S. JOVINI DE MARNIS, vulgò *S. Iouin*, diœceſis Pictavenſis, Armoricam verſus, prope Toarcium opidum & Thœdam amnem, *le Toué*.

AN. CHR. DC.XXCVII. SEPT. XV.

ſancto viro ob confeſſionem, ne diabolo hæc vox tegeretur abſconſa.

VI. De Cœnobio conſtruendo cogitat.

Interea cœpit animatim cogitare, qualiter ſe ſuóſque commilitones ex propriis ſumptibus & in propria tellure Deo aliquod munuſculum potuiſſet offerre. Quod cùm patri ſuo matríve innotuiſſet; (erant enim uterque Dei Cultores aſſidui, & radicitus in firma caritate conſolidati) Gratias, inquiunt, agimus tibi Domine JESU, qui noſtræ communi infirmitati & nobis immeritis tantum præſtitiſti ſolatium, & in noſtro unico filio talem dediſti animum. Petimus itaque, ô bone Salvator omnium, ut hoc confirmes noſtrum commune conſilium, & uſque ad perfectum perducas: quoniam in tua diſpoſitione manet hujus rei finis atque initium: & ſi tuo niſui hoc eſt libitum, cum tuo placito in te & per te noſtrum roboretur conſilium. Quo ſermone peracto; En, inquiunt fili, offerimus Domino Deo & S. Petro Apoſtolo, ac B. Filiberto egregio Abbati partem jure hereditatis noſtræ, tibíque noſtri Quinciaci[a], quæ nobis ex avita ſucceſſione ritè competit, ubi dignè nunc memorabilis Abba Filibertus in honorem Dei & ſancti Petri Apoſtoli novam conſtruxit Eccleſiam, paucóſque Monachos verè Dei famulos inibi ad ſerviendum Domino conſtituit, & ſumptu omnium noſtrorum redituum fiátque illi tam acceptabile donum, ut ſit nobis commune animarum remedium.

VII. Anſoaldi Pictavorum Epiſc. licentiam expetit.

Itaque oneratis plauſtris ad eumdem venerunt locum: & quia idem vir beatus Aicadrus liberalibus ſtudiis adplenè erat eruditus; Canones etiam non ignorabat, legerat enim ut ne quis in alicujus Epiſcopio Eccleſiam conſtrueret, altare erigeret ſine licentia ſui Epiſcopi. Denique ad ANSOALDUM bonæ memoriæ virum illuſtrem Pictavorum Epiſcopum adiit, ſuíque animi dignum gratúmque Deo propoſitum illi humillimè innotuit, atque ut hoc ſua ſancta auctoritate roboraretur conſilium libentiſſimè popoſcit. Sentiens autem Domnus vir Apoſtolicus Anſoaldus, hanc voluntatem in Sancto Dei à Deo eſſe collatam, toto niſu ſuæ ſanctæ inhæſit cupiditati: & non ſolùm illi juxta ejus animi voluntatem licentiam conceſſit, ſed etiam ipſe ad hoc peragendum opus cum ſuis fidelibus adſcenſo equo ilico properavit, in ea videlicet ratione ut & ſanctum opus ſimul cum ſuo ſumptu conſtrueret, & fundamenta illius domûs ſua ſancta benedictione dicaret. Qui pervenientes ad locum, primùm gratias Deo egerunt, dehinc ad ſanctum opus inchoandum ſanctas manus ſimul cum reliquis cooperatoribus dederunt. Neque enim prædictus Dei Pontifex antea finem dedit huic ſacro operi, quàm ut & ſanctum Dei Oratorium unà cum ſancto Dei conſummatim duceret perfectum, & in honore almæ Dei Genitricis MARIÆ glorioſiſſimæ haberet dicatum. Quo facto & dignè laudes Deo dederunt, & Miſſarum celebrationem officiosè compleverunt. Poſtea verò completo Dei opere corporeæ refectioni ſe dederunt uterque. Prandio autem hymnidicè peracto, Lector qui ad ſanctam menſam legerat, in fine ſuæ lectionis ſuppoſuit illud Davidicum: Hæc eſt dies quam fecit Dominus, exſultemus & lætemur in ea. Quo audito & alacriores inde Sancti Dei, Anſoaldus videlicet dignus Deo Pontifex atque Aicadrus dignæ beatitudinis Monachus exſtiterunt, & corporeæ jocunditati ſimul cum Dei timore ſe ininvicem dilexerunt: ſícque illa ſancta dies inter illos viros geminos Deo adminiſtrante lætabunda permanſit.

Oratorium B. Mariæ dedicatur.

VIII. Aicadrus Filiberti inſtituto ſe ſubdit apud Quinciacum.

Eadem namque die vir Domini Aicadrus coram Domno Anſoaldo Epiſcopo glorioſo ſe mancipavit B. Filiberti patrocinio, vovens ſe in Dei ſervitio in ipſo Quinciaco. Veſpertinali autem ſynaxi unà cum Completorio officio peracto ſe alterutrum valedicentes nocte illa Deo opitulante quieverunt in pace, quouſque gallo canente nocturnale iterum initiantes officium uſque ad finem duxerunt. Poſtea verò ſanctum opus uſque ad ſanctum finem perductum, die orta ſanctus Pontifex beatum virum ditavit Sanctorum pigneribus: & tunc alter va-

[a] Nunc Monaſterium S. Benedicti de Quinciaco dicitur, vulgò *S. Benoiſt de Quincy*, prope Auguſtoritum Pictonum, ſic dictum à S. Benedicto (ut putant) Epiſcopo quodam, quem è civitate Samaria declinandæ Paganorum perſecutionis gratiâ ad S. Hilarium Pictavorum Epiſcopum perfugiſſe ferunt.

le dicens alteri, ruerunt in ſancto oſculo. Oratione autem inter illos peracta, & Domnus Pontifex repedavit ad propria, & Sanctus Dei tunc tamquam in initio manſit in domo hereditaria excogitaturus utilia. AN. CHR. DC.XXCVII. SEPT XV.

IX. Quid in ſexto ætatis luſtro egerit.

Jam enim luſtrum ſextum in illo tranſierat, & qui antea in pueritia atque adoleſcentia totum ſe ad manſuetudinem innocentiæ ſeu ſanctitatem tranſtulerat, iſto jam in tempore ab omnibus, quos notos habebat, vir alius demonſtrabatur, & erat. Et meritò, quia ad menſuram jam plenitudinis Chriſti venerat, totum ſe in virum alium contemplativè devinxerat. Cœpítque dehinc tanta frugalitate vivere, ut nemo illum denuo cibo potúque refectum cerneret; nullus ſomnolentum putaret. Erat enim in orationibus vigil, in caſtitate probus, & in caritate largus. Et quid plura neceſſe eſt dicere? omnibus erat datus ſpeculum operum bonorum, ut ita dicam juxta Apoſtolum, & Angelis & hominibus. Ita factum eſt, ut omnes, quos in vicinitate habuerat, ad ejus dogmata convolarent, & de ejus ore mellifluo ſpiritualia mella traherent. Monachos quoque quindecim de vicinis locis quos probiores ſanctitate & bonæ famæ nitidiores eſſe cognovit, hos ad ſe exhortando, blandiendóque contraxit, eos obſecrans ut in ſolita religionis ſanctitate ſine intermiſſione manerent. More ſanctorum Monachorum ſub patrocinio * B. Filiberti inibi degentium & in ſuo ſancto propoſito (ut Regula docebat) inreprehenſibiliter viverent; quatenus & ſibi more Sanctorum Deo placentium degerent, & aliis bene vivendo exemplum præbere quiviſſent. Cœpítque denuo creſcere in bona fama dictum Cœnobiolum, quouſque pro ſua ſanctiſſima continentia & religionis affluentia inter nominatiſſima Sanctorum loca dictum fuit Cœnobium egregium. Et quia lucerna non poteſt abſcondi ſupra montem poſita, creſcere cœpit viri beatiſſimi fama, intantum ut de ejus converſatione ſanctiſſima omnis gratularetur regio Aquitanica.

* *id eſt* ſub regimine ſeu inſtituto.

X. Venit in Filiberti notitiam, qui ſuos ad eum direxit nuntios.

Morabatur autem in illis diebus vir bonæ indolis ac ſanctiſſimæ converſationis in quodam nominatiſſimo Monaſterio omni ſanctitate & facultate præcipuo nomine Gemetico jamdictus FILIBERTUS nomine, Deo dignus, & omnium Sanctorum in Neuſtria famoſiſſimus; ad quem ut pervenit beati viri notitia, ardenti amore & ferventi dilectione, ſuos ſtuduit ad ejus ſanctitatem causâ fraternitatis & dilectionis miſſos dirigere, quatenus ſe ininvicem diligerent, & in exercitio ſacræ orationis alter pro altero Dominum exorarent, eſſéntque præſentes in ſpiritu, ut fratres, quos longus terrarum ſinus diviſos corpore haberet. Et quia ſanctus Spiritus per ſeptiformis gratiam dividitur, ſpiritum conſilij pietatíſque idem vir ſanctus, beatus ſcilicet Filibertus ſedulò inclamabat, ut uſque ad aures cordis prædicti beatiſſimi Aicadri dignanter deſcenderet, eúmque ſuo ſancto radio in fraterna dilectione inflammaret, ut in adventu ſuorum Fidelium*, & ipſi duo viri egregij atque athletæ Dei, uti os & caro pòſt corporibus ſacris flatu ſancto connexi, ſimul ſociati manerent, qualiter unà illud Davidicum decantarent, *Quàm bonum, & quàm jocundum habitare Fratres in unum:* eſſéntque denuo illa duo candelabra ad affectum fidelium animarum ſimul lucentia, quæ adhuc procul erant diviſa. Directi itaque ad hanc acceleratione duo ſancti Monachi, quorum unus vocabatur SIDONIUS[a], alter PRÆDO, uterque ſtrenui,

* *id eſt* diſcipulorum *ſeu* Monachorum

Pſal. 132. 1.

a

a S. Sidonij Vitam legimus ex MS. cod. Fontanellenſi acceptam, in qua exceptis iis quæ hîc de eo commemorantur, pauca ſunt obſervatione digna. Sidonius Scotus ſeu Hibernus à S. Filiberti diſcipulis, redimendorum captivorum gratiâ in Britanniam miſſis, adductus Gemeticum dicitur fuiſſe, & à S. Filiberto Monachorum numero adſcriptus. Quo in ordine ita ſe geſſit, ut à S. Abbate dignior ſit judicatus, qui Aicadrũ arceſſeret Gemeticum. Deinde locum exſtruendo Cœnobio *ad S. Sidonium* poſtea dicto à Theodorico Rege accepiſſe. Iſthuc S. Leutfredus futurus Abbas Madriacẽſis ſe recepiſſe legitur, & à Sidonio fuiſſe inſtitutus. Sidonius verò Audoëno Romam proficiſcenti comes adhæſiſſe, quod etiam Fridegodus in Vita S. Audoëni affirmat. Demum Sidonius XVIII. *Kal. Octobris* feliciter migraviſſe ad Chriſtum. Monaſterium S. Sidonij, vulgò *S. Saëns*, in Caletis quarto milliari à civitate Rotomago, redactum eſt in Prioratum Fontanellæ ſubjectum, poſtquam ab Haſtingo Nortmannorum Duce everſum eſt. Vicus *Sancti* nomine inſignitus eodem loci exſtat, in cujus Eccleſia parochiali brachium ejus adſervatur. Lege Vitam S. Filiberti cap. 32. ubi *Cellarius* ſeu Cellerarius Monaſterij Gemetici fuiſſe dicitur.

AN. CHR. DC.XXCVII. SEPT. XV.

& præcipuæ ſanctitatis viri idonei, avidè & celeratè per paucos dies obedientiam compleverunt injunctam. Nec dubium quin cum illis & idem Angelus ſocius in itinere fuerat, qui quondam Abbacuc Prophetam de Judæa in Caldæam ad locum Babilonium Danieli Vati ſedenti indemnatè in lacu leonum ſine mora tranſtulerat. Sed quia Divinus Spiritus ubique ſine mora diſcurrit, per orationes B. Filiberti uno die antequam ad ſancti Patris devenirent locum nuntij, apparuit in nocte beato viro Aicadro ſplendido vultu Angelus ita ei alloquens: Ave præceptorum Dei remunerator & Fidelium fideliſſimus orator. Pro tuo enim ſanctiſſimo interventu, in quo pro commiſſo grege ac Dei Fidelibus inceſſanter laboras, à Deo tibi merces recompenſata manet. Quin potiùs indubius eſto: dies enim in qua nox iſta luceſcet, venient huc ad te duo ſanctiſſimi Monachi Divinum nuntium perlaturi: & quia ſemper geminam dilectionem Dei ac proximi in ore ac in ara cordis affectuosè habuiſti, ecce nunc tibi à Deo collata ſodalitas venit. Et licet adhuc de hac re inſcius maneas, tamen in ſancto collegio beatæ Gemeticenſis familiæ illiúſque Patroni, & electi Dei Filiberti veluti filius unicus viſcere tenus diligeris, eíſque ſociaberis. Quâ gratiâ tota caritate nuntios complecti memento, & ſanctum Dei Filibertum qui ad te hos egregios viros direxit cum ſumma diligentia, ut patrem honore digno habeto. Hoſpitali alloquio finito, ilico adventantes duæ olivæ, qui miſſi fuerant, retulerunt ea quæ à Sancto Dei divinitus erant diſpoſita. Quæ audiens memoratus ſanctus Dei Aicadrus Monachus religione ſummus, mox in eorum adventu ſanctiſſimo Dominum adoravit, dignáſque Deo gratias retulit, qui ſervo ſuo à remotis partibus hæc pondera caritatis direxerat.

XI. De ſuſceptione B. Filiberti nuntiorum.

Dehinc ſuſceptis Monachis ad domum Auditorij eos perduxit, eorúmque pedes lavit, & pòſt ad ſanctam refectionem poſt Miſſarum celebrationem dictos viros egregios cum ſumma reverentia* perduxit. Adveniens autem & illius loci in occurſum eorum gratulabunda familia, adoravit Dominum qui in eis ſuſceptus dignè fuerat, ac oſculantes ſe ſancto oſculo ininvicem, præ gaudio flebant dicentes ore unanimi: Caritas fraternitatis quæ numquam patitur diſſidium, maneat in nobis vernulis tuis, Domine, Deus pacis & dilectionis & ſit ſemper tam in nobis præſentibus, quámque & in abſentibus continuò. Dicto autem Amen ab omnibus, venerunt ad menſam, & benedictione data ſimúlque lectione initiata, cœperunt epulari cum gratiarum actione in Domino, qui ſervos ſuos conjunxerat in illo ſancto convivio. Lector verò qui Fratribus in hoc ſancto epulo legerat, epiſtolam B. Pauli Apoſtoli recitabat dicens: *Maneant in vobis ſpes, fides, caritas, tria hæc, major autem his eſt caritas*, & reliqua, quæ lectio & Abbati congruit, & ſanctæ familiæ exhortamentum præbuit. Poſthæc ſancto convivio finito & hymno decantato, ſimul reſidentes plura ex utraque parte loquebantur utilia, quæ & amorem inſolubilem flante ſancto-Spiritu excitabant, & ſuſpirioſum fletum uſque ad lacrymarum rivulos aliquibus miniſtrabant. Die itaque una & altera ſeu tertia illic in ſanctis colloquiis commorantes qui miſſi fuerant, de viatico expediosè tractabant: quæ ut venerabilis Abba comperit, refutando cum amore fraternitatis lacrymosè renuit dicens: Pax vobiſcum Fratres, abſit etiam à vobis ut ita loquamini: necdum enim veſtrorum equitum* ungulis data fuit requies, ſimúlque veſtræ almitati non fuit collata ulla commoditas. Quapropter veſtrum inſecabilem obnixè petimus animum, ut ſaltem vel triginta diebus nobiſcum moremini ducti amore geminæ caritatis beatíque Filiberti pij Patris noſtri perennibus recreationibus. Neque enim fas eſt, Fratres dilectiſſimi, ut à nobis veſtra ſpes conſolatoria tam citò redeat, quæ nobis immeritis Patris veſtri ſervulis libenter veſtræ ſanctitati miniſtratura ſubvenit. Non enim caro ab oſſe abſque dolore in homine ſequeſtratur aliquo, nec amor noſter inextricabilis erga veſtrum piiſſimum affectum, quem fixum tenemus in noſtrorum intimis præcordiis, tam levi motu ſeparari quit à noſtris tenuis* viſceribus. Os enim & caro veſtra ſumus. Qua de re hos paucos dies ſine

1. *Cor.* 13. 13.

* *id eſt* equorum

* *an.* teneris?

humana ſollicitudine in amore fraternitatis cum ſanctis colloquiis manete nobiſcum: & poſt aucti benedictione Domini reportabitis noſtram omnium ſervitutem & ſubjectionem ad noſtrum communem dominum beatiſſimum Filibertum, obſecrantes ut in iſta ſarcina tamdiu moremur, quouſq; cum Dei adjutorio in invicem nos videre mereamur. Parati enim ſumus noſtri Domni P. Filiberti obedire ſubjectionibus, prout ipſa ejus juſſerit ſanctitas & JESU-CHRISTI Salvatoris noſtri deliberaverit voluntas: in ipſo enim, ut ait Apoſtolus, & movemur & ſumus. Auditis itaque diſcipuli beati viri his ſanctis efflagitationibus, huic ſanctæ allocutioni animum dederunt, & dicto interſtitio, ut à Sancto poſtulatum fuerat, cum omni ſubjectionis vinculo colla ſubpoſita humillimè indiderunt, perdurantes in totius beatitatis * ligamine. AN. CHRI DC. XXCVII. SEPT. XV. *Act.* 17. 28. * *al.* beatitudinis

Finitis denique tot ſacrorum affectuum diebus de licentia impetranda diffinitivè nuntij loquebantur tamquam in craſtinum profecturi, loquebantur etiam ſollicitè & intenti animo hoc diffiniebant. Quod cernens ſanctus vir & beatus Abbas ſimul cum omni illius ſacri loci familia, licet invitus adſenſum tamen huic voluntati dederunt: & paratis omnibus quæ illorum itineri erant neceſſaria, vale inter ſe luctuosè faciendo, dimiſerunt illos cum oſculo ſancto, obſecrantes ut proſpera illis in via juſtitiæ ſubvenirent, quouſque ad proprium dominium optabiliter cum felici gaudio pervenirent. Plures etiam ex illis eodem die exeuntes à Monaſterio deduxerunt illos cum Abbatis juſſione, multa cum illis ſanctis viris ſermocinantes utilia de his quæ in via erant commodè habenda, ſeu etiam domino, à quo delati fuerant nuntianda. Et tunc iterum inter ſe vale dicentes dimiſerunt illos in pace, & in timore Domini ad propria cum optabili gaudio profecturos. Gradientes autem jamdicti illi duo beati viri pſallebant in invicem curſu felici dicentes Domino, Pedes noſtros in viam pacis dirige, Domine, & ſalutem nobis accumula in tuo nomine nos deducendo, ut ad tua promiſſa, & domino noſtro renuntiemus cum omni ſalubritate cordis ejus amabilia. Sicque opitulante Deo proſpero curſu repedaverunt quantocius ad propria. Sentiens autem per ſpiritum B. Filibertus illorum adventum, triduo antequam ad illius ſanctam præſentiam devenirent, Fratribus qui ſecum morabantur in ſacris orationibus referebat dicens: Verè, Fratres, agamus Deo omnipotenti gratias juxta modulum noſtræ parvitatis ut dignum eſt, quoniam ſervos ſuos Fratres noſtros, quos ad partes Aquitaniæ regionis pro ſuo ſancto famulatu deſtinavimus, ſi vita comes manſerit, Deo annuente, poſt cras recepturi ſumus. Vidi enim hac nocte per ſpiritum eorum Angelum, quem credo fore itineris eorum ſocium, ante me & dicentem mihi: Gaudium tibi in hoc maneat, Serve Dei, & condigna exſultatio, quoniam illos Dei famulos quos mihi in via cuſtodiendos commiſiſti, poſt cras ſalvos & incolumes tuæ iterum cuſtodiæ ſervituros reſtituam. Deo enim in hoc decet laus & jocunda laudatio. Neque enim huic juſto novóque prophetæ hoc latere potuit, qui multoties in vita ſua (ut legitur) talia ſuis Fratribus pronuntiando innotuit, quæ poſtea eventus rei probavit. Denique veniente die tertia, ut ſervus Domini ſuis domeſticis prædixerat, illi duo athletæ Dei qui ab eo miſſi fuerant, felici greſſu remeaverunt ad propria. In quorum ſacro adventu non ſolùm Domnus Abba, ſed etiam totus grex & reliqua familia gratulando occurrit, Benedicti qui veniunt in nomine Domini, decantantes feliciter. Sicque à ſancto Patre ut juſtum erat excepti renuntiaverunt omnia quæ à B. Aicadro eis fuerant injuncta. Audiens autem hoc vir Domini lætabatur ſupra modum in ſermonibus eorum, & gratias condignas referebat Deo in his quæ ab eis delata audierat.

XII. Miſſi peracta legatione repedant ad propria.

Nec multo pòſt idem beatus vir Filibertus in Domino cognoſcens ea quæ in animo B. Aicadri Abbatis verſabantur pro ſuo ſancto miſſiatico, quamcelerrimè peractis omnibus quæ in via erant neceſſaria, ordinatiſque cunctis quæ in Monaſterio Fratribus erant commoda, & eorum religioni convenientia, aſſumptis ſociis de ſuo ſancto collegio, & ipſe vale faciens Fratribus, Domino eóſque

XIII. Filibertus ad Aicadrum pergit.

AN. CHR. DC.XXCVII. SEPT. XV.

commendãs profectus eſt ad ANSOALDUM Pictavorum Epiſcopum bonæ indolis virum & omni ſanctitate præcipuum. Qui advẽtus B. Filiberti Abbatis excellentiſſimi latere non potuit viro Dei Anſoaldo: ſed quantociùs cum omni laude ac condigna veneratione occurrit illi longè ab urbe cum omni ornatu Eccleſiæ. In quo ſancto adventu horum Sanctorum, quis poteſt mente concipere quanta fuit lætitia quantáque laus Clericorum cum magno ſpectaculo decantantium? Omnis itaque ornatus Eccleſiæ & omnis ætas Fidelium inibi morantium huic ſæculo* & deſiderabili proſpectu* interfuit, & uſque ad domum orationis cum his duobus ſanctiſſimis viris proficiſci non diſtulit. Denique dicti jam duo gemini Sancti Dei Anſoaldus ſcilicet & Filibertus perluſtrata Oratoria * orando & dignas preces ſimul faciendo Deo laudes reddiderunt, qui dignè petentibus digna confert ubique in Deo degentibus.

*f. ſpectaculo
* proſpectui
* *pro* perluſtratis Oratoriis.

XIV. Excipitur ab Anſoaldo Epiſcopo.

Finitis denique ſacris cærimoniis colloquiorum Anſoaldus bonæ memoriæ jamdictus Epiſcopus ſanctum Dei Filibertum condignis excepit hoſpitiis: ac recolligens illud Apoſtoli, Quia non prius quod ſpirituale eſt, ſed quod animale, deinde quod ſpirituale eſt; ad magnum ſimul convenerũt convivium. Epulantes itaque cum gaudio de bonis à Deo illis collatis, magnis in invicem ſyllogiſmorum ſtrophiis tangebant conquæſtionibus ſemper benedicentes Dominum, qui ſervis ſuis & proſpera tribuit non immeritò, & adverſa depellit, eorum ſanctis orationibus juvando. Poſt celebrationem autem illius ſancti epuli, hymno decantato, dederunt ſe ſervi Dei in ſanctis ſimul conloquiis: in quibus conlocutionibus Beatus vir Filibertus profeſſus eſt Domno Anſoaldo conatus ſui animi, & ea quæ illi impediebantur in cœpto negotio. Duæ enim res erant quæ beato Dei Filiberto imminere videbantur, una mala, quæ injuſtẽ patiebatur ab Apoſtata EBROINO, altera quæ ab Angelo dictante Herio ad inſulam causâ Monaſterij conſtruendi erga ſe ordinaverat veniendo. De tertia verò non fuit illi ſub clanculo ſilere quæ permaxima videbatur, quòd beata familia Gemeticenſis ſacri Cœnobij non quiverat ſui Patris abſentiam ferre ſine alterius Magiſtri regimine, ne tantus grex periclitaretur tamquam navis naufragio in undoſo flumine.

XV. Filibertus Anſoaldo mentem ſuam aperit de ſubſtituendo ſibi Aicadro.

Atque his enodatim oſtentatis Abbas egregius Anſoaldo glorioſo Epiſcopo animi ſancti ſui ſollicitationibus, verſus ad præfatum Præſulem cum ſanctis præcordialibus lacrymis dixit: Tibi enim, vir Dei Anſoalde, in hoc negotio & pro his meis irremediabilibus ſuſpiriis, ſi tuæ flante Spiritu inhæſerit voluntati, à Deo merces collata manet, & in die remunerationis lumen inexſtinguibile lucebit. Ecce enim infra ſanctum ovile tuum, beatiſſime Pater, in loco noſtro qui Quinciacus dicitur, eſt mihi à Deo inſinuata (ſi tuæ placuerit ſanctæ Paternitati) fauſta recuperatio. Pro quo obnixè tuam beneficentiam peto, ut in hac juſtiſſima ſuſtentatione mihi manum porrigas, & alleves feſſum, quem longa huc ad te Angelico (ut æſtimo) ductu conduxit peregrinatio. Flagito etiam tuam ſanctiſſimam munificentiam, quæ in tua juſtiſſima providentia undique pendet, ut mihi in hoc communi noſtro exercitio mihi velut indigno conſervo tuo & præviam licentiam ad hoc deſiderabile opus peragendum tribuas, & ſupplemencum ultra tuam diœceſim progrediendi cum peracto conatu impertire cures. Et ne longiùs hunc ſermonem protraham, eſt hîc in præſcripto loco noſtro Quinciaco ſub umbra ſancti tui regiminis noſtríque patrocinij famulus Dei AICADRUS nomine, vir juſti meriti, ut fama vulgi teſtatur, vera lucerna ardens & lucens: hunc tuæ benignitatis pietatem poſtulo, ut mihi fideli famulo tuo pro ſolamine mei laboris jungendo copules, & uſque ad locum meæ exiguitatis à Deo depoſitum veluti Philippum alterum cum tua ſancta ſodalitate confirmes. Ad hæc B. Anſoaldus flexus viri Dei dignis petitionibus ad miſericordiam, ſurgens adoravit Dominum, & gratias Deo referens, viro Dei reſpondit: Vale, beatiſſime Pater, cum tuo ſancto præconio, & omnia quæ verſantur in tuo ſancto propoſito: & ego ſodalis comẽſque itineris ac exhortationis cum omni affectione exſiſtam, & tu acceleratim ut deliberes oro. Attamen tuam inextricabilem

firmitatem

firmitatem depoſco, ut hac nocte & cras tuo corpori quietem tribuas, & poſt cœptum opus ac optabile deſiderium cum Dei adjutorio uſque ad dignum profectum oro ut perducere cures. Tui enim laboris exſiſtam ſocius & commoditatum adjutor. Non enim erit ultrà in me mora ulla. Poſt cras igitur ad Quinciacum ſimul profecturi erimus in Dei ſervitio peracturi quidquid illi placuerit. AN. CHR. DC.XXCVII. SEPT. XV.

XVI. Aicadro apparent Anſoaldus & Filibertus.

Eadem namque nocte per viſum apparuerunt beato Abbati Aicadro illi duo viri ſanctiſſimi Anſoaldus ſcilicet Epiſcopus & Filibertus Abbas egregius, unus ferens illi ſub nomine Epiſcopi virgam paſtoralem, alter verò REGULAM B. BENEDICTI, uno ore dicentes illi: Surge Frater noſter à Deo electe, & accipe hoc munus quod tibi à Deo per ſervos ſuos dirigitur: Virgam ſcilicet ut per eam errata corrigas, & ad rectum tramitem devios inoffensè reducas; librum etiam ut ea quæ inibi ſcripta ſunt regulari inſtitutione cuſtodias, & ſubditis tibi ut in ipſis intentiſſimè experiantur ſub omni continuatione piè inſtituendo præcipias. Evigilans autem ille ſanctus athleta Dei à ſomno dixit: Adjutorium noſtrum in nomine Domini, qui fecit cælum & terram. Sícque demum in his vigili mente cœpit meditari, obſecrans ut Deus pius hoc præſagium totum converteret in bonum. Verùm nemini hoc manifeſtum fieri voluit, niſi ſolummodò cuidam ſpirituali viro occultorum ſuorum conſcio.

XVII. Adventus Anſoaldi & Filiberti Quinciacum.

Die altero tranſacto ſupradicti duo gemini viri gemina dilectione induti, cives Apoſtolorum & domeſtici Dei, Quinciacum advenerunt, portantes pacem, & ea quæ pacis erant ſecum ferentes. Equis deſcenſis, ſanctis petierunt orationibus. In quorum ſanctiſſimo adventu Abbas & tota illius ſacri Cœnobij familia cum capſis Evangeliorum & Sanctorum pigneribus occurrens, in commune laudaverunt Dominum dicentes: Benedicti qui veniunt in nomine Domini. Deinde ingreſſi in Eccleſiam, cum prece devota circuierunt illa ſancta altaria, inter cetera & hoc deprecantes Dominum, ut Angelus ejus bonus dirigeret viam illorum. Surgentes autem à ſanctis precibus, Domnus Abbas excepit illos in ſancto hoſpitio, quemadmodum Loth duos Angelos ſuſcepiſſe legitur aliquando. Et his tribus in nomine ſanctæ Trinitatis ſedentibus, vir Domini Anſoaldus Pictavorum Epiſcopus adorſus eſt: Vir Dei Domne Aicadre, cum tuis tibíque ſubditis, ave: pacem nempe vobis aduntiamus omnibus, & ſanctam unanimitatem erga vos fore optamus. Ipſam namque à Deo ſumentes, ad vos afferimus, qui in condignis ſuis pollicitationibus locutus eſt, dicens: *Pacem meam do vobis, pacem relinquo vobis.* Si ergo caritatem quæ Chriſtus eſt in veſtris viſceribus manere ſenſerimus, & in pacis tutelam firmos, quis Fidelis vos devios à via Fidei dicere audebit? Spem denique vitæ æternæ in veſtris ſacris animis jamdiu florere cognovimus, & ex ipſis floribus, fructus odoriferos & pulchrè cæruleos in manibus ferre perſpicimus. Si ergo juxta Apoſtolum hæc tria dona felicia, fidem ſcilicet, ſpem, & caritatem fixè in cordibus tenetis, cui dubium eſt, quòd viri perfecti ſitis? Et quia hoc pro certo comperimus, oramus ut Deus pacis maneat vobiſcum, & ipſe conteret ſatanam ſub pedibus veſtris velociter, gratiáque Domini noſtri JESU-CHRISTI ubique manſionem vobiſcum faciat, intantum ut de lumine veſtro lumen inexſtinguibile nobiſcum maneat. Abbati autem Domno Aicadro, omnibúſque ſuis ſanctis diſcipulis Amen reſpondentibus, ecce quidam Monachus adveniens invitavit eos ad prandium. Quo audito Domnus Epiſcopus ilico promiſit ſe ita manere incibatum, quouſque de ſuis dignis petitionibus acceptabile reciperet verbum. Atque addidit: Jam nunc, alme Pater Aicadre, qui meis oratiunculis tuo ſancto ſolamine Amen adniſus es reſpondere, precor ut nunc quantociùs Deo omnipotenti obediens, ſacrificium oblationis pro tuis ſpiritalibus reſponſionibus, quia amicabilis exſiſtis, amicabiliter confirmes. Non enim donum ſancti-Spiritus à te paullo ſuperiùs reboatum, caſuale erga Sanctos licet intelligi: cùm ſecundum Apoſtolum *, Diſciplinæ effugiet fictum, & auferet ſe à cogitationibus, quæ ſunt ſine intellectu. De

Joh. 14. 27.

*immo Sap. 1. 5.

CIRC. AN. DC XXCVII. SEPT. XV. lumine ergo ſancto tuo juxta inſolubilitatem verbi tui Deo annuente lumen videbimus, & in tuo ſancto radio multos filios Iſraël ſacræ Gemeticenſis familiæ ſine ulla excuſatione ad Dominum convertes. Manus enim Domini adhuc manet extenta ut ſalvare valeat; & auris ejus pro peccatoribus à cunctis juſtè credentibus exaudibilis verè intelligitur. Tunc B. Aicadrus his conluctationibus audiens reſpondiſſe fertur beato Dei Anſoaldo: Et ſi hoc verbum, ſanctiſſime Pater, à Deo pio videtur fore collatum, non poteſt diſſolvi. Ego enim quantuluſcumque ſim, pro infirmo ſervo Dei inter innumeros ſervorum Dei famulos computari deſidero. Valeat ergo ſanctum verbum tuum, Pater electe; profiteor enim me ut juſſeris tuis cenſeri judiciis & obedire petitionibus, ut tua juſſerit Paternitas & imperaverit ſanctitas: fiat ergo voluntas Domini, & in manu ejus hoc præceptum tuæ beatitudinis dirigatur, fiátque hoc meum votum ut ſacrificium acceptabile.

XVIII. De convivio Electorum Dei. Et quia non omni tempore habile eſt regnum Dei, prædicti tres electi ejus cum timore ſancto properantes ad convivium decantabant ut ſuprà feliciter: Hæc dies quam fecit Dominus exſultemus & lætemur in ea: fueruntque ſancti Dei Anſoaldus & Filibertus cum ſuis contuberniis, ut Moyſes & Aaron in Sacerdotibus ejus, & B. Aicadrus more Samuël inter eos, eorúmque omni ſancta familia ut David laudes decantabat Domino in fine frequentata gloria, addito Alleluia. Convivio autem jam pæne tranſacto, & fercula * ejus uſque ad finem deducta, in commune vox exſultantium dedit laudes Domino, qui tot viros pretioſos copulaverat in ſuo ſancto conſortio. Neque enim famoſus in Dei famulatu Filibertus Abba præpotentiſſimus finem dederat ſuis ſanctis ſollicitationibus, pulſabat enim athleta Dei Epiſcopum ut antea, qualiter de futuris in ſancto itinere peragendis profectionibus certatim deliberaret. Fuerat autem in familia B. Aicadri jam ingravatus mæror, cùm audierant profecturum eum cum inſtantibus viris, & ad altiora migraturum in ſæculo, cujus os jam longè antea ſua ſanctitate tranſtulerat cælum. Aderat enim Electorum Dei comitatui ſollemnis jocunditas, & inedicibilis gloria, qui profectò compererant ſecum profecturum virum ad patriam, ubi tunc eo tempore pullulabat Chriſti laus, & indeficiens facundia. Tunc pretioſus Domini Anſoaldus Epiſcopus juſſit Fratribus ejuſdem loci morantibus ad domum refectionis venire quantociùs. Ipſe autem cum Domno Filiberto, beatóque Aicadro ſtipatus eorum ſancto collegio pòſt veniens, omnibus ſufficiens poculum manu ſancta ſua cum ſanctificatione protulit, hortans eos ut in vera pace cum gaudio fruerentur in Domino, ſemper mente diſponens in craſtinum ſe profecturum feliciter. Hoſpitalitate autem ſancta cum cuncta hilaritate ad finem deducta, aliquantulum ſe Sancti Dei ſopori dederunt, pernoctantes illuc cum timore Domini in omni ſanctitate.

* *pro* fercu-lis deductis

XIX. Aicadrus alium inibi ordinat Abbatem. Deinde in craſtinum omni ſancta profectione patrata, vir Chriſti ſæpe nominatus beatus ſcilicet Aicadrus fretus conſilio juſtorum, cum conſenſu egregij Patris ſui Filiberti, quemdam ex ſanctis commilitonibus virum idoneum & ſanctitate locupletem in ſuo loco decrevit ordinare Abbatem nomine PROBUM; quem ad ſanctas manus Domini Anſoaldi Epiſcopi ſui deduxit, eíque commendans & Domino, prædicti officij dignum eum eſſe laudabat. Qui mox ordinatus Abbas & Paterfamilias à ſancto Antiſtite effectus, locum regiminis Cœnobij dicti Quinciaci proviſione B. Filiberti ſuſcepit, eíque omnes inibi degentes per commendatum Epiſcopi atque Domni Patris Aicadri regulariter obedientiam promiſerunt, & ſubditos eſſe ultroneos ſe dederunt.

XX. De profectione ſervorum Dei. Nec morâ pòſt longâ peractâ & Miſſarum ſollemniis celebratis, poſt fractionem panis commendato grege Domino petierunt proſperum iter, viámque ſalutis cum felici ſucceſſu & gaudio opportuno. Gradientes autem hi tres ſancti Dei lætitia æterna fruebantur in eo qui ſuis promiſit omnia poſſe, & gratias cnndignas referebāt illi cum felicibus pſalmodiæ concentibus: ibántq; ad locum deſtinatum quem præparaverat Dominus ſervo ſuo Aicadro pro meritis ſuis in-

numeris, quæ gloriosè in ſuis ſanctis moribus necnon & felicibus ejus actibus die ac nocte excreverant. Et verè nimiùm beata horum Electorum Dei ſocietas, quia his qui nequiverat quis mortalis diſcerni*, quis primus videretur eſſe inter illos, alter & tertius, ſed ſeſe invicem glutinati ſanctæ caritatis glutino, Trinitatem figurabant in ſancto contubernio. Eadem namque die optato curſu petierunt civitatem Pictavim, ubi à Domino delegata erat Cathedra viro Dei Anſoaldo. Qualis verò quantáve inibi illorum tunc fuerit exceptio, non eſt neceſſe humanæ linguæ proferre. Caritas hæc quæ numquam excidit hoc donum ſuis Sanctis per juſſum viri Dei Anſoaldi Epiſcopi longè antè præviderat. Perendie denique in eodem loco Domnus Epiſcopus cum ſuis ſanctis collectaneis facientes, die tertia in lucem deducta moverunt ſe ſancta caſtra profectura ad loca deſtinata, quo Spiritus-ſanctus eos deducturus inerat, dicente Paulo, *Vbi ſpiritus Domini, ibi libertas.* Et alio in loco ſancta Scriptura; *Ductor eorum fuiſti Domine.*

AN. CHR. DC XXCVII. SEPT. XV.

* *lege* quia ex his nequibat quis mortalium diſcernere.

Et ſic ſanctos pedes à liminibus exſilij, ſanctæque peregrinationis abſtrahentes, die ſeptima ſimul cum ſancto Epiſcopo tandem ad locum ſacrum Gemetici Domino ſimul cum eis comitante pervenere; ubi tantus electorum Dei obviam illis occurrit, ut ita dicam, Monachorum exercitus, ut vix alicujus animus credi ſe poſſibile dicat. Nam ut fama credibilis ejuſdem loci teſtabatur, eo in tempore Monachorum erat numerus nongentorum, & aliorum, quos famulos nominabant mille quingentorum. Quæ ſi quis veraciùs agnoſcere velit, legat Vitam beati Filiberti, ubi de Dormitorio illius familiæ loquitur, & illic inveniet quò animum credibilem vertere valeat. De ſuſceptione autem ſancti Epiſcopi & ſervorum Dei in eodem loco, non eſt etiam neceſſe laborare, quoniam ut tres Angeli miniſtraverunt Sanctis Dei, quo perfruituri regnabunt in æterna quiete cum Domino. Similiter autem & de beato Dei Aicadro non eſt hîc opus aliquam mentionem facere, quia & in prædicto libro beati Filiberti & loci commendatio invenitur, & qualiter Abbas fuerit ordinatus, & totus ordo illius ſancti loci Monachorum omnes concordatim promiſerint ei obedientiam omnémque ſubjectionem, ſcriptum reperitur. Quomodo autem B. Filibertus ſimul cum ſancto Epiſcopo Anſoaldo illic egerit, & quod ſolamen Domno Abbati Aicadro ſuíſque Fratribus reliquerit, & quomodo in revertendo Herio ad inſulam omnibus in pace & quiete ſancta dimiſerit, ſi quis hæc diſcere cupit, legat ejus Vitam, & illic de talibus inveniet quod requirit. Et quia de his non habetur opus quidquam laborioſum ducere, revertamur ad cœptum opus de beato viro Dei Aicadro enarrandum Domino opitulante.

XXI. Gemeticum pervenit Aicadrus.

NOTA.

Suſceptum * denique ſanctus Dei locum regiminis quam ſanctè in eo vixerit, & quanta caritas & dilectio ſeu frugalitatis virtus in eo abundaverit, humana lingua ad plenum non valet enarrare; quoniam juxta Apoſtolum nemini de ſe procuraverat dare offenſionem aliquam, ne videretur vituperare miniſterium ſibi à Deo creditum, ſed in omnibus decreverat ſeipſum inreprehenſibilem ducere ut Dei miniſtrum & credulum miniſtratorem commendatæ familiæ. Erat namque multa patientia * deditus, in vigiliis aſſiduus, in jejuniis frequens, in caſtitate probus, & in omni virtute ſanctitatum præcipuus. Quippe omnibus omnia factus fuerat ut cunctos lucrifaceret, & talentum ſibi commiſſum à Domino duplicaret. Et quia perfecti viri ſemper perfectiora ſequuntur, cœpit vir Domini ut lampas à Spiritu-ſancto inflammata virtutibus creſcere & in ſanctis ſtudiis bonorum animum informare, ac dilectione perenni omnibus* cum caritatis vinculo diligere. Non ſolùm domeſticis, ut auctoritas Apoſtolica jubet, ſed etiam extraneis ut in nexu pefectionis manerent modis omnibus ſollicitare: ac eos quos aliqua inedia tetigerat, ſanctis adminiſtrationibus recreare.

XXII. Aicadrus ſuſcipit locum regiminis.

* *pro* ſuſcepto loco 2. *Cor.* 6.

* multæ patientiæ

* *l.* omnes

Gal. 6. 10.

Præviderat enim in juventute tamquam per viſum in ſpiritu omnibus idoneis caritatis ſanctæ miniſtrum fieri & omnibus obedire. Dederat enim illi omnipo-

XXIII. Virtus orationis à Deo ipſi conceſſa.

AN. CHR. DC.XXCVII. SEPT. XV. tens Deus pro ſanctis ſuis meritis jam virtutem non modicam, intantum ut infirmos variis languoribus detentos ſua ſancta oratione curaret, & febricitantibus juxta morem magiſtri ſui Domni ac beatiſſimi Filiberti verbo Dei præciperet, ut ampliùs non ægrotarent, quæ jubente Deo cum felici, ut ita dicam, fortuna proſperè ſine intercapedine temporis omnia ſuccedebant. Nam ille erat illi præſens adjutor in hoc peragendo neceſſario negotio, qui ad ſocrum Simonis veniens, ſuper illam ſtetit, & imperans febri dimiſit illam. Et ille de quo Pſalmographus dicit: *Adjutor in opportunitatibus, in tribulatione.*

Pſa. 9. 10.

XXIV. De arbore à dæmonio inciſa.

Sicque Sanctus Dei de virtute ad virtutem tranſiens, die quadam ſimul cum Fratribus ad obedientiam properavit. In qua dum diu pariter cum illis ſtaret, vidit in ſpiritu ſuper quamdam arborem, quæ malus ſive pomarius dicitur, tetrum Angelum ſedentem & ſecurim in manu tenentem arborem incidere, quoſdam è Fratribus per ruinam illius volentem periclitari. Tunc Fratribus illo in loco juxta arborem ſtantibus ad ſe evocatis, oſtendit eis inſidias, quæ ab iniquo patratas eſſe viderat, ac ſimul cum eis ad arborem perveniens ſignum Crucis oppoſuit, malúmque quod à perfido minitabatur ſuo ſancto ligamine ſedavit. Sicque die tranſacta tertia Fratres ad eamdem obedientiam convenientes, prædictam arborem tamquam igne ſuccenſam viderunt & cicatricem quam ſecuri fecerat diabolus pateſcentem, fructúſque illius inſtar pruinarum nigros effectos: erat enim autumni tempus, quo ſolent omnia terrena matureſcere.

XXV. Ob tonſuram ſabbato factam reprehenditur à diabolo.

Præterea & illud dignum duximus commendare memoriæ, quòd quadam die quæ nominatur ſabbatum, quo ſolent Monachi exercere novitia, ſanctus Dei Famulus præcepit cuidam Monacho Procuratori ſuo, ut capillos ſancti ſui capitis cum forcipe adæquaret. Qui illico feſtinanter explens hoc quod à ſancto Patre viſum fuerat, forcipe allata hoc quod illicitum erat prætergredi, cum ſumma reverentia fieri procurabat. Eratque jam illo in die tamquam hora nona tranſacta, & hoc adtentiſſimus animarum ſanctarum procurator aliis præventus & occupatus curis minimè ſancto ſuo ſtudio tunc hoc pro excolenda memoria commendabat. Quid plura? memorator malorum & inſultator hominum diabolus mox ſe huic exprobranter operi immiſcuit, atque in angulo domûs abſconsè manens, acceleratè velut in quodam membranulo ſcribebat. Quod adminiſtrante omnipotentis Dei pia prævidentia hoc Sancto Dei nequaquam latere potuit, ſed verſa facie ad eum homo Dei ait: Quænam res te callide & Deo odibilis huc accerſiri voluit? num ſponte an coactus ex tuis furiis in noſtra latibula temerè introiſti, ut hîc aliqua, quod abſit, reperta explorares contagia? Tum ille cruentus vafer ſubſequenter infit: Hoc quod hîc, ſerve Dei, nunc te jubente in incompetenti hora in tuo ſervitio illicitè contra mandatum Chriſti tui fieri video, hoc omnimodis reprehendo, & meæ chartulæ adjungo: hora namque nona tranſacta eſt, operari non licet[a]. Tunc ad hæc egregius famulator Dei reſpondiſſe fertur: Et hora nona tranſacta habetur; & hoc quod hîc in proprio corpore injuſtè egi, ipſe peccavi. Attamen opus malè à me inceptum omittatur nunc imperfectum; tu tamen ad tuos & ad tua tormenta revertere, & cultorem Dei noli ampliùs inquietare. Ad quam vocem protinus tentator abſceſſit. Servus autem Dei Aicadrus ad Eccleſiam beati Petri Apoſtoli totus in timore Dei confugiens, coram cunctis Fratribus pro hoc commiſſo facinore ante Domini præſentiam expetivit veniam, totum ſe cum luctuoſa facie in pavimento proſternens Eccleſiæ, cum multis lacrymis & contrito corde deprecans omnipotentem Dominum, ut pro hoc commiſſo piaculo ne periclitaretur ejus anima in tetro vallosóque tartareo: ac poſt hæc ut pro hac re mereretur beatus homo adipiſci veniam, recepta pœnitentia pio totum ſe commiſit Domino, voto ſe corrigibili obligans, ne ultra mens ejus tanto quateretur lubricoſo excidio. Sícque

NOTA

a

a Ergo ab hora nona ſeu à veſpera obſervatio diei Dominicæ tum incipiebat, uti in Sæculo 1. ad librum Mirac. S. Theodorici Abb. pag. 621. notatum eſt Lege Præfationem huic Sæculo præfixam.

eodem Dei famulo pro ſuis commiſſis orante, favente Domino & veniam obtinere meruit, & capillorum ſuorum inciſio in ſancto ejus capite ultrà non paruit. AH. CHRI DC.XXCVII. SEPT. XV.

Neque hoc ſilendum eſt, quòd quidam nobilis à parte Pictavorum de villa Tortoniaco nomine ASTASIUS ad beatum virum veniens tradidit Deo & ſancto Petro in Gemetico, ſeu etiam Sanctis Dei Filiberto atque Aicadro res ſuas in dicta villa Tortoniaco dicta cum omni integritate pro remedio animæ ſuæ, necnon etiam & ſeipſum mancipavit ejuſdem loci ſervitio pro amore Dei vitáque perpetua acquirenda; ac comam capitis ibi deponens, jugum Chriſti ſuave & onus ejus leve ſuſcepit. Dein etiam Monachus effectus regularibus ſe ſubdidit diſciplinis: ac poſtea dum in vita manſit, cum Sanctis ſanctè permanſit. XXVI. Aſtadius Tortoriacum Gemetico tradit.

Quadam itaque die, ut Regula docet, Fratribus iterum ad obedientiam profectis, ipſe Domnus Abbas cum duobus ſpiritualibus Fratribus ad partem aliquam declinare ſtuduit ut more ſolito peculiarius aliquid ageret, pro grege ſibi credito Dominum, quemadmodum ſolitus erat, interpellaret: jam enim in benigni JESU-CHRISTI Domini noſtri prævidentia ſanctus Spiritus hoc definierat, ut beati viri ſanctitas demum mundo pateſceret, quæ diu mundialibus in vicinitate poſitis pro ſuo immerito clarere non poterat. Non enim ultra dignum erat ut lucerna ardens & lucens ſub modio clanculata maneret, quæ jam in conſpectu omnipotentis Dei ſuper candelabrum ſita, non ſolùm pro ſe, ſed etiam pro omnibus ſibi à Deo commiſſis ſuæ almitatis radios lucidè diſperſerat. Ibat itaque progrediens & Davidicum cum dictis duobus Fratribus decantans, ſempérque quocumque finis Pſalmi evenerat genuflexum faciens*: ſícque contigit ut ad quoddam volutabrum cantando devenirent finémque cantici facerent. Qui mox wantos ſeu manicas abſtractos à manibus in ſolis radio velut in ramum arboris ſuſpendens, more ſolito coram Deo poplitibus flexis ſanctaspreces ad Dominum profundunt, in quo genuflexu (ut ipſi teſtati ſunt qui hujus ſanctæ orationis ſtudio interfuerunt) ita ſanctum virum globus igneus undique gyravit, ut neuter horum duorum videret teſtium, quouſque ſancta oratio viri finem daret optabilem ſuæ ſanctitati. Quodam * digna prece peracta verus Dei famulus ab humo ſurgens, wantos quos Deo commendaverat radius ſolis reſtituit: quod ſervus Dei ut comperit, non ſui meriti hoc donum Dei conferre voluit, ſed aliorum ſecum in hac viſione morantium. Attamen illis de verbo Dei præcepit, ut in vita ſua nemini hoc propalarent, nec ſuæ juſtitiæ merito hoc fieri æſtimarent. Et quod opus Dei revelári & confiteri honorificum eſt. Ipſe pius Deus qui in ſua ſancta transfiguratione Moyſen & Heliam ſecum apparere voluit, ipſe etiam & huic ſervo ſuo hos duos Fratres pro hujus ſanctæ rei teſtimonio attribuit. XXVII. Vvantos ſeu chirothecas in radio ſolis ſuſpendit Aicadrus. * *ad mentem Regulæ S. Benedicti cap.* 50. *f.* * Denique

Eſt ſanè & illud dignum memoriæ commendare, quòd quadam nocte ille Paſtor egregius vigilias Divinas ſuper gregem Dominicum faciens, Fratribus omnibus præter cuſtodias in lecto ſoporatis, vidit in parte meridiana umbram horribilem non modicam & ceu inacceſſibilem lucernam, quæ ſervis Dei lumen miniſtrabat, exſtinguere volens. Quod cernens athleta Dei, munimine ſanctæ Crucis ſe vallando munivit, & contra hanc tentationem letiferam cum aqua benedicta ipſam undique ſemper adſpergens, & lignum ſanctæ Crucis ſecum deferens venire diſpoſuit. Et quia non eſt conventio templi Dei cum idolis, in adventu ſervi Dei umbra teterrima fugam iniit: & huc illúcque diffugiens, quia Crucis ſanctæ medicamine & aſperſione aquæ benedictæ in circuitu Dormitorii munitum erat, per feneſtram vitream à ſervo Dei coactus exivit, & ſancta familia Deo protegente illæſa permanſit. Tunc Paterfamilias & Deo dilectus B. Aicadrus per ſpiritum Dei prævidens, nocturnale ac matutinale officio celebrato, indixit Fratribus ut tribus diebus in ſancta abſtinentia manerent; & cinere & cilicio induti per ſanctas preces orando & jejunando Dominum pium depoſcerent, ne ſpiritus malignus inter illos ſua tela jactaret: quatinus liberi à ſuis mortiferis tentationibus, in omni ſanctitate & juſtitia Domino incolumes & mundi deſer- XXVIII. De umbra horribili viſa à B. viro.

AN. CHR DC.XXCVII SEPT. XV

vire valerent. Quod præceptum Domni Abbatis Fratres mente unanimi obſecundantes, quantociùs hoc quod juſſum fuerat mente devota compleverunt, poſtulantes à pio largitore omnium, ut ſub ſancta tuitione illius inexpugnabili mererentur clypeo protectionis ſuæ muniri. Et quia ſub mitiſſimo Patre illud ſanctum ovile ab omni turbine iniquitatum compererat fore munitum, hoc totum inter ſe inierunt cum ſancta deliberatione conſilium, ut ab illa die in reliquum à minimo uſque ad maximum omnis grex cum ſancta profeſſione ſine offendiculo aliquo peccaminum acclinis ad omne bonum totus ſequeretur Magiſtrum dicentes: Sub umbra alarum tuarum tuere nos Domine. Et iterum per Prophetam: In ſanctitate ſerviamus Domino, & liberabit nos ab inimicis noſtris. Tanto denique inter ſe cuncti illi ſervi Dei uniti conamine in craſtinum requiſierunt omnes in vera confeſſione verum animarum medicum, parantes ſe ad omnia recipienda, quæ Deus jubere vellet ſive bonum pro ſanctorum Patrum levamine, ſive malum pro ſuorum delictorum juſtiſſima ultione: háncque profeſſionem omnium Domnus Abba felici gaudio ſuſcipiens obtulit tam ipſe quàm tota ſibi à Domino credita familia cum omni devotione cordium acceptabile Deo ſacrificium, obſecrantes pium Dominum, ut cum odore ſuavitatis in conſpectu ejus mereretur perferri per manus ſancti Angeli, tamquam alterius Melchiſedech remunerabile donum. Sícque onuſta plebs ſancta illius loci, virtute aromatum demum armati, ſpirituali romphæa imbelles coronam immarceſſibilem recepturi ſunt à benigno JESU in die examinis, fruituri æternæ remunerationis reſpirio. Et

1. Cor. 3. 8. quia caritas non ficta minimè patitur diſſidia, dicente Apoſtolo, *Caritas numquam excidit*, itémque; *Quis nos ſeparabit à caritate Chriſti? tribulatio, an angu-*

Rom. 8. 35. *ſtia, an perſecutio, an gladius?* quis mortalium poſitus in numero Fidelium hoc poteſt habere in dubium, quòd Spiritus dilectionis ſeu perfectæ caritatis quæ cum B. Filiberto de loco ad locum immutabiliter tranſiens, ſimul etiam cum hac familia ſibi à Deo ſuóque ſancto patrocinio tamquam jure hereditario commiſſa, jugi amore Dei copulata ubique maneat? quos enim ſancta caritas copulavit in ſancto Dei ſervitio, longus tellurium ſinus non poterat ſemotari pro ullo exigente periculo. Legimus enim beatum Paulum Apoſtolum Romæ in carcere truſum, ſimul etiam & in Epheſo poſitum gentibus præcipiendo ſcribere, & omnibus illi incunctanter obedire. Patrocinium nempe ſimul cum ſancto ſuo interventu quod beatus athleta Dei Filibertus cum hac ſibi credita à Deo familia corpore degens habuerat, hoc præſens ſpiritu orando per Spiritum-ſanctum huic Clero inceſſabiliter miniſtrare curabat, & utinam in Deo miniſtret, Amen. Non enim derelinquit Deus ſperantes in ſe. Attamen his omiſſis redeamus ad ſuperiora.

XXIX. Aicadrus omnes ad ſe trahit.

Cœperat namque S. Aicadrus pollere in virtutibus, intantum ut omnis in gyro poſitus Monachorum cœtus confluëret ad eum, cupiens aliqua ex ejus ſanctiſſimo ore trahere melliflua ſeu ſanctitatis liquantia, quæ ſibi & aliis poſtea merentur fieri ad remedium opportuna. Erat enim omni parcitati deditus, ſobrietate purus, orationibus frequens, atque aſſiduis vigiliis pernox, omni bonitate benevolus, ſubditis pius, & omnibus opportunus: & neceſſe erat ut quem ſanctitas devinxerat, etiam & tentatio divinitus eveniret.

XXX. Ab Angelo futuram ſuorum ſtragem diſcit.

Quadam itaque die omnibus ad ſe evocatis Fratribus reliqua exhortationum prædicamenta præcepit, ut omnes bono animo in omni ſanctitate manerent, & vigiles in orationibus exiſterent, ne fur veniens ſoporatos inveniret juxta Apoſtolum dicentem: Videte vocationem veſtram, Fratres, non enim longè abeſt,

1. Cor. 1. 26. qui vocat nos: ecce prope adeſt in januis. Quapropter videamus nos, Fratres, interiùs, & mundemus corda noſtra, ut cùm venerit paratos nos inveniat. Eadem namque nocte Completorio decantato Domnus Abbas omnes ſua ſancta benedictione munivit[a], & eos Domino commendans ſimul cum eis ad cubile devenit, non ut ipſe ſe ſopori daret, ſed ſuper gregem Domini commorando eminùs vigilaret. Itaque Fratribus in lecto locatis totum Dormitorium luſtrando

[a] Nota morem benedicendi Monachos ante ſomnum ab antiquis uſurpatum.

gyravit, séque Dominicæ cuſtodiæ in loco deſtinato ſtatuit, hanc orationem decantans: Suſcipe, Domine, preces noſtras, & muro cuſtodiæ tuæ hoc ſanctum ovile circumda, & omni adverſitate depulſa ſit hoc ſemper domicilium incolumitatis & pacis, per Dominum noſtrum, &c. Finita denique oratione & ob confirmationem Amen dicentes, convertit ſe ad Dominum tota converſione, incipiens Davidicum à capite: quod in ſpiritu flebili perorans, cœpit mens beati viri eum ad altiora transferre, & in ſacris orationum ſollemniis cor ejus ſpiritualibus exaltare, ſemper in fine Pſalmi adjungens: Protexiſti me Deus à conventu malignantium, à multitudine operantium iniquitatem. Sícque ſemper in ſancta deprecatione ardentiùs vigilans uſque ad noctis conticinium, vidit ad oſtium domûs tamquam duos Angelos, unum candida veſte indutum, omni blanditie decoratum, & alterum tetrum atque hiſpidum inſtar cujuſdam belluæ, omni formidine ignitum, flammeos habentem oculos, & in manu ejus nigram tenentẽ virgam, dicente ſibi Angelo: Ecce hîc data eſt tibi poteſtas à Domino percutiendi corpora non animas. Verumtamen non uſque ad conſummationem tuus gladius deſæviat; quoniam non eſt hæc pro illorum reatibus exagitata tentatio, ſed pro multorum correctione adhuc infidelium. Attamen hoc in loco ſubſiſte pauliſper, & ne extendas manum tuam ad aliquem, ſed in revertendo quod præcepero tibi facito. Relicto autem maligno peſtifero, Angelus Domini bonus feſtinavit propere ad locum in quo vir Dei ſuper gregem vigilans pernoctaverat. Quod cernens Sanctus Dei, pronus in modum Crucis corruit, obſecrans pium Dominum, ut piè averteret iram ſuam à familia ſua, ne morbo diabolico periclitaretur, quod manus Domini plantaverat. Veniens autem Dei nuntius ad ſervum Domini clementer ei allocutus eſt dicens: Ave, Serve Dei, age quod agis, ne ceſſet nunc ſanctum labium tuum deprecandi Dominum pro te & pro commiſſo grege per Dominum. Ipſe enim me miſit ad te, Sancte Dei, quem toto corde diligis, & in cujus fidelitate ſuper gregem iſtum vigilans laboras. Quapropter noli ſupra modum pavere, nec te hęc res ultra modum terreat, cùm non eſt hæc prædeſtinatio coram Deo pro damnatione animarum horum Fidelium, ſed pro remedio Electorum Dei, qui nunc de iſto ſancto cœtu evocandi ſunt ad vitæ æternæ præmium, quod illis eſt præparatum à Domino pro dignis meritis ipſorum, beatíque Filiberti egregii Patris eorum per JESUM-CHRISTUM. Increvit enim multitudo hujus ſanctæ plebis coram Domino, inſuper & ultra vires unius hominis eſt negotium. Et quia ſolus ferre non potes, dextera pars hujus ſanctæ plebis & medietas illius nunc aſſumptura eſt. Verumtamen hoc à Domino huic ſancto loco conceſſum eſt pro interventu Sanctorum hîc patrocinantium, quòd nemo hujus ſanctæ concionis periturus erit ultrà ab hac peſtifera clade, quæ nunc hic ventura eſt Domino diſponente. Qua de re confortare nunc, conſerve Dei, & præoccupa ſimul cum iſtis faciem Domini in confeſſione, ut inſtante agone certaminis contra hoſtem mereamini victoriosè palmam tripudii ferre in conſpectu Domini. Hodie enim & cras hæc ſancta multitudo de ærumnis hujus caduci ſæculi profectura eſt ad Dominum: & inde tertia veſperaſcente die conſummabitur felici conſummatione in Domino. Finito ergo hoc ſancto Angelico colloquio, & ſancto Dei, longiùs abſcedente, mandatũ Dei quod prætergredi non poterat cœperunt quantociùs conſummare.

AN. CHR. DC.XXCVII. SEPT. XV.

XXXI. Aicadri oratio.

Quod cernens vir Domini, ruit in loco quo ſteterat in ſancta prece, flens & ſeipſum nimiùm diſcerpens, cum magna animi diſtrictione deprecans piiſſimum Dominum, ne faceret conſummationem in domo ſua ſuo ſancto famulatui mancipata. Et addidit: Obſecro, mitiſſime Domine, verte iram tuam à ſervis tuis[a], multæ enim miſerationes tuæ ſunt: quare hominum memento quæſo, Domine, quod caro ſumus. Et licet nimiis aculeis delictorum vulnerati ſumus, tamen te noſtrum communem Dominum non negamus, tui enim ſumus. Ego itaque ultimus ſervus tuus,

[a]

[a] Et tamen Fulbertus in ſecunda Vita hoc ad Aicadri petitionem divinitùs factum refert, & morituros virga tactu ab Angelo deſignatos fuiſſe, cujus rei Auctoriſte non meminit.

CIRC. AN. DC.XXCVII. SEPT. XV.

Domine,ego ipſe ſum,qui meritò in hoc ſcelere, ſi à tua pietate hoc deliberatum eſt,periturus ſum. Ego nempe plaſma tuum, Domine, peccavi,quum pro iſto ſancto grege,ut debui,tuam omnipotentiam minimè exoravi. Qua gratia, Domine, verte in me miſerũ ſervum tuum iram tuam,& parce huic inſonti gregi, ut ſaltem reliquiæ ſalvæ fiant. Non enim eſt hoc tuum, Domine,qui judicas omnẽ carnem, ut deleas hereditatem tuam quam redemiſti pretioſo ſanguine ſancto tuo. Surgens denique ſervus Dei à terra lugubris & cineroſus,perfuſúſque lacrymis, poſtquam oravit omnipotentem Dominum, vertit ſe ad Angelum ſtans inter miſericordiam Dei atque judicium,dixítque: Quouſque,Domine,tuus deſæviet gladius? Hoc eo dicente delatam vocem Sanctus Dei audivit: Sufficit,ceſſet jam manus percutientis,exaudivit enim Dominus preces clamantium ad ſe, & ſtatim ſanctus Angelus non comparuit. Quo comperto vir Dei apertis oſtiis ſe cunctúmque gregem ſanctæ Crucis munivit ſignaculo, & propulſato ſigno, invitavit omnes ad Eccleſiam ut hymnos Davidicos inibi decãtarent Domino,ſicut mos docet Eccleſiaſticus & ordo Fidelium. Atque hoc cooperante ſancto Spiritu ita contigit, ut ſubitò tamquam ſub una hora omnes pariter in unum conglobati in Choro convenirent, & nullus à numero ac ſtatu deeſſe videretur. Et verè non eſt mirandum quòd iſdem Angelus lucis qui eos ipſa nocte viſitando ad cœnam Dominicam cum illo ſuiſque coætaneis cœnaturos invitaverat, idem etiam ſub momento unius horæ omnes religiosè in Dei ſervitio convolare fecit.

XXXII. De admonitione hominis Dei & data abſolutione & ſancto Viatico, fimúlque de obitu Sanctorum.

Dein officio nocturnali ac matutinali ſimul peracto Domnus Abbas & athleta Dei egregius ita allocutus eſt omnibus: Dominus pacis cum his Fratribus, & Angelus ejus cum veſtris ſpiritibus. Eia, Fratres dilecti, more ſolito,ut ſuprà dixi,bono animo eſtote & in Domino vigilate,moréſque veſtros ut pius Dominus annuerit emendare curate,ac de propriis occultis animos veſtros per puram confeſſionẽ purgatos reddite; necnon & ſanctum Viaticum,hoc eſt participationem Corporis & Sanguinis Domini noſtri JESU-CHRISTI caſto corpore & mũdo corde in ſanctis corporibus veſtris ob munimen animarum veſtrarum accipite. Et quia in vinea Domini laborâſtis feliciter, videte ut diurnum denarium ſerò accipiatis, quatinus ſimul cum eo ad cœnam Dominicam venientes, ipſam feliciter ſine offendiculo manducetis: Ecce enim qui nos vocat in januis adſtat. Quapropter,Fratres,videamus ut fur dum venerit,nos vigilantes inveniat. Et exponens eis omnem confeſſionem reíque veritatem per ordinem,dixit: Hodie enim, Fratres, & cras atque poſt cras cœnam ad quam vocati eſtis,dignè cum Domino mereamini manducare. Nemo itaque, Fratres,vos ſeducat ullomodo,ſed ita vos nunc paratos reddite, tamquam hac nocte cum Domino cœnaturi feliciter. Necdum enim vir Dei verba ſuperiùs memorata compleverat,& ecce facies morborũ jam lividæ morbo injecto paruerant,unus alterum monens de via recta ad quam veniendi erant,ut ſuprà ſermo beati viri enarrando tranſtulerat. Túmque Sanctus Dei ita omnibus dixit: Fratres agite nunc celeriter,ut Paulus monet Apoſtolus, & confortamini in Domino,& in potentia virtutis ejus,ſcientes quòd labor veſter non erit inanis in Domino. Et quia non ſunt condignæ paſſiones hujus temporis ad futurã gloriam quæ nunc revelabitur in nobis,currite ad lucem dum tempus habetis,ne tenebræ mortis vos comprehendant. Quærite itaque juxta Prophetam Dominum dum inveniri poteſt,& invocate eum per ſanctam confeſſionem dum prope eſt. Hæc eo dicente proſtraverũt ſe ad pedes beati viri, poſtulantes veniam Domino & ſanctam abſolutionem per puram confeſſionem tam cum Domno Abbate quàm ad alterutrum omnes à minimo uſque ad maximum, ininvicem peccata confitentes ſua flebiliter,ac orantes cum ſancta prece ininvicem receperunt ſanctum Viaticum contrito corde ac ſpiritu à Patre ſancto poſt hæc verba, ut illis eſſet ſalus atque protectio in vita æterna cum Domino. Illis autem omnibus Amen reſpondentibus, data eſt illis à pio Patre abſolutio ſuorum ſcelerum, & felix benedictio ſimul cum ſancta licentia migrandi ad Dominum, cum quo vivant & regnent nunc & per ſæcula ſempiterna regnaturi cum eo, Amen. Quo luctuoſo

ctuoſo finito colloquio, cœpit jam beata plebs tamquam in hora diei tertia ad finem properare diſpoſitum, nullus parcens alteri, ſed ſicut ſenex ita & mediocris, & ut juvenis ita puerulus. Omnis ætas in funere mortis diſpoſuit divinæ præſcientiæ obedire; atque itaut prædictum eſt ſuperiùs contigit: occubuit enim medietas illius ſanctæ familiæ numero quadringenti quadraginta duo in numero trium dierum, ſicut prædictum ſuprà fuerat à ſancto Angelo. Túncque miſerante Deo furor illius verſus eſt ad miſericordiam, & vita omnium Chriſtus finem dedit funeri. Ivítque in eo inaudito ſancti loci excidio omnis illa regio in commune exorans pium omnipotentem Dominum, ut hunc amariſſimum fletum ſua largiente pia clementia converteret in gaudium, & reſidua plebs eo cooperante cum ſua ſalubritate iterum reverſionem habere quiviſſet in optabilem ſtatum. AN. CHR. DC.XXCVII SEPT. XV.

XXXIII. De ſepultura Sanctorum.

Tunc Domnus Abbas ſimul cum illo collecto Dei populo exſequias illorum ſanctorum corporum dignè, ut potuit, inceſſanter accelerare diſpoſuit, & cœptum opus uſque ad ſanctam conſummationem perduxit. Nam ita ut multis notum eſt, omnes illos electos Dei in uno cœmiterio in petreis ſarcophagis honorificè (ſicut mos habetur Eccleſiæ) cum timore Domini ſepelivit & in illorum medio poſt obitûs ſui diem ſe cum illis locari in pace præcepit: in quo loco per illorum Sanctorum merita cooperante Dei gratia multa & inenarrabilia ſunt oſtenſa miracula, quorum mors in conſpectu Domini nimiùm eſt pretioſa. Lætantur etiam adhuc illic ſancti Dei Pontifices atque beatiſſimi Confeſſores Chriſti, HUGO videlicet filius magni KAROLI Imperatoris, Rotomagenſis Cathedræ Archiepiſcopus [a], & CONSTANTINUS Belvacenſis Eccleſiæ ſanctæ memoriæ Præſul, ſeu etiam beatus PEREGRINUS Anglorum Epiſcopus ſimul cum ſancto FLAVIO de illorum ſancta præſentia ac condigno ſuffragio, quorum ſancta lipſana adhuc in Domino cum illis manent humata: quorum interventu omnium nos petimus à cunctis protegi inimicorum tentationibus, & defendi periculis ipſo adjuvante Chriſto, qui illis & gloriam ſempiternam contulit, & vocatione ſua ſancta ad ſuæ ſanctæ cœnæ convivium invitare illos voluit, qui cum Patre & Spiritu ſancto vivit & regnat Deus per omnia ſæcula ſæculorum, Amen. [a] NOTA

Beatus denique Aicadrus pro tanto imponderabili miſeriarum luctu nimiùm corpore afflictus & permaximè animi doloribus gravatus, cœpit ſine ceſſatione invocare conſolatorem Dominum, ut delictorum ſuorum ſuæque reſiduæ familiæ piæ ſuſpenderet vindictam, & corrigibilem tribueret illis efficaciam. Et perſiſtens denuo ſimul cum ſubjectis omnibus diebus ac noctibus in ſanctis vigiliis & puris orationibus, adjectâ etiam abſtinentiâ non modicâ, ut ſemivivus mundialem pòſt obliviſcens gloriam totum ſe convertit ad Dominum, in ſua omnipotentia illum exorans continuò, ut animæ ſuæ ſuorúmque omnium tribueret illis affluentiam ſalutarem, ne darentur ultrà inimico in prædam, ſed potiùs in ſua miſericordia reciperet eorum animas, quas citò per ſpiritum noverat ad vitam aliam eſſe evocandas. Et hoc ſuſpenſus felici ſuſpirio beatus homo totus animo hærebat cælo, ſpreto denique mundiali deliberativè ruinoſo conſortio. Audierat enim inter cetera præceptorem ſuum beatiſſimum Filibertum jam ad ſuperos eſſe tranſlatum, de cujus abſceſſu ſanctiſſimo nimio dolore cordis adſtrictus, videbantur immorari illi hujus ruinoſi ſæculi adverſa omnia, & veluti ad præcipitium irreparabile ruere miſerrimum, quoniam dum in iſta vita manſerant, unus alteri ſociabile miniſtrabat præſidium; Filibertus ſcilicet patrocinando ut auriga navim gubernans in undoſo æquore ſine naufragii periculo, & Aicadrus tamquam propheta prævius decernens ne ſubitò navis ad portum veniens læſionem pateretur aliquam in litore ſaxeo. Etenim Filibertus ut Moyſes ducebat plebem ſibi creditam, velut in Sinaico deſerto: & Aicadrus illi jubendo ut Joſue ma-

[a] Hugo Rotomagenſis Archiepiſcopus non fuit Caroli M. filius, uti ſæculo proximo videbimus. Conſtantinum Belvacenſem Epiſcopum vulgati Indices ad ſæculum ſextum referunt, ex hoc proinde loco emendandi. Porro Peregrinus Epiſcopus Anglicanus & Flavius nobis ignoti ſunt: an Falvius in Vita S. Sigiranni memoratus?

AN. CHR. DC.XXCVII. SEPT. XV.

nebat in tabernaculo cuſtodiam ſibi commiſſam fideliter agendo. Uterque enim ut veri Iſraëlitæ tamquam dictus Moyſes & Aaron in his quæ Dei erant ſine aliquo murmure offerebant tempore opportuno menſuram tritici injunctæ familiæ Domino largiente.

XXXIV. ab Angelo ſuam mortem prædiſcit.

His itaque atque aliis beatus Abbas Aicadrus deſtitutus ſolatiis, ſeu fulcro tunc ſuſtentationis ablato, omnino de dolendo pro tanto geminali damno gemebat, & ubique pallidus & lacrymoſus ab omnibus ſibi credulis videbatur, tamquam viribus corporeis præmortuis. Sed dolentium recreator Deus omnipotens, qui Fidelibus ſuis à primordio ſæculi more Job & Tobiæ ſemper ſpem conſolatoriam in anguſtia poſitis adminiſtrare voluit, hunc etiam ſervum ſuum non eſt paſſus longævis perire periculis. Veniens autem ſtatim in ipſa nocte ad eum à Dei pietate miſſus Angelus Domini indutus veſte candida, ſalutavit eum dicens: Gaudium tibi ſit, Serve Dei, & jucunda exſultatio: ecce enim in tempore anguſtiæ tuæ miſit me Dominus ad te ſuæ pietatis perferre nuntium, ut reſumendo conſtantiam conſolationis reparares vires, quoniam in agone poſitus bene certâſti, & abſque defectu curſum conſummâſti, & in illatis tentationibus fidem ſervâſti. Qua de re repoſita eſt tibi à Domino corona juſtitiæ, quam reddet tibi Dominus in illa die remunerationis, in qua non ſolum tuæ beatitudini, ſed etiam omnibus remuneraturus erit ſuis Fidelibus pro ſuorum actibus. Legimus enim, Sancte Dei, quia tribulatio corporalis ſi in patientia eſt, coronabitur. Ideò confortare nunc in eo qui miſit me ad te, & viriliter age, quoniam Dominus hos quos à tuo grege & tuæ cuſtodiæ commendatos recepit in domo ſancta ſua, ſua clementia contulit: & beati illi, quoniam in ſæculum ſæculi laudabunt illum. Et ſicut alio in loco Scriptura dicit: Beati quos elegiſti, Domine, habitabunt in atriis tuis. Deinde, Sancte Dei, certa ut miles bonus in agone tui certaminis, & noli metuere; non eſt enim longè à te tempus vocationis tuæ. Quapropter viriliter age, & noli diffidere, Dominus tecum ſit, & cum omnibus tibi creditis, Dei electe. Finita autem illa Angelica allocutione, mox Paterfamilias poſt matutinale officium ſuis valedicens Fratribus & clementer reſalutatis, utrumque eis retulit & obitum beati Patris Filiberti & allocutionem Angelicam: præcepitque eis ſicut ſolitò, ut in bono animo manerent, & ſemper auxilium à Deo peterent, ut in ſancta religione ac bono opere manentes, coram Deo acceptè, & coram ſæculo inreprehenſibiliter viverent, ſemper Dominum exorantes, ut eorum ſaltem reliquiæ ſalvæ fierent. Et quia in terra nihil fit ſine cauſa, idipſum exhortatus eſt, ut abſceſſum ſancti Patris eorum leviùs ferrent, & ſuas exſequias dignè celebrando perficerent, quatinus ille Sanctus Dei pro eis apud pium Dominum intercederet ærumnis corporeis liberatus, qui multoties ab hoſte eos tutaverat maligno, corpore plenus. His denique omiſſis monitionibus, & Fratres ut eis præceptum à ſancto Patre fuerat pro B. Filiberto (ut dignum erat) orationes aſſiduas fuderunt Domino, & per multas lacrymas ejus abſentiam diutiſſimè fleverunt, ſemper de ſuis ſanctis memoriis in invicem ſermocinantes, & ſuas multimodas benignitatum gratias recolentes.

Pſal. 64. 5.

XXXV. Triennio ſe ad mortem diſponit.

Poſthæc beatus Aicadrus vixit triennio in ſanctis operibus, curſum dignum Deo peragens in multa abſtinentia, & in ſancta caritate Fratribus miniſtrans. Erat namque in ſuis ſanctis moribus diu noctúque Deo ſerviens omnipotenti, & ſemper ultimam horam vocationis ſuæ exſpectans, & juxta morem priſtinum ſui incolatûs ſanctè vivens: ac quanto proximiorem ſe ſui ſancti obitûs ſenſerat revelante Angelo, tanto diſtrictiùs ſe artabat juſtè vivendo. Erat enim annorum tunc ſexagenarius, omni ſanctitate plenus & pernox in ſuis ſanctis orationibus, mundum fugiens aridè vivendo, & ſemper Deoappropians bene perſeverando. Fuit itaque pes claudo & oculus cæco, auxilium omnibus faciens, & cunctis pro Deo alimenta miniſtrans. Non enim poterat ſuos oculos corporeos claudere alicui indigenti, nec algentem ſine indumento dimittere. Os enim illius ſanctum patebat omnibus miſeris in confortatione, & manus illius famelicis ſaturitatem

miniſtrans. Si quempiam cerneret ſitire, tribuebat poculum; & omnibus incommodè (ut ita dicam) viventibus juxta capacitatem ſui mos erat illi commoda miniſtrare. Et quia beati viri laus in fine canitur, iſtius beatitudo dum in hac voluptuoſitate duravit, debilibus, cæcis, claudis, necnon etiam & obſeſſis à dæmone, atque febre correptis, omnibus ad ſe accedentibus profuit. Et quia curſus illius jam ad ſanctum finem pervenerat, cœpit beatus homo vires corporeas in imbecillitatem mutare, & febre validiſſima corripi: quod ſentiens Sanctus Dei ruit ilico in ſancta prece, gratias agens Deo qui juxta condictum Angeli ſervum ſuum dignatus fuerat ad ſuam miſericordiam invitare. Sicque convocatis ad ſe omnibus Fratribus per ſeptem dies non ceſſavit illis verbum Dei annuntiare, ac ordinatis cunctis quæ illis erant poſt deceſſum illius utilia, facta confeſſione & ſuſcepto ſancto Viatico, vale dixit omnibus cum ſancto dato oſculo. Et tunc commendans eos Domino inter verba orationis, XVII. Kal. Octob. migravit ad Dominum [a], percepturus ab eo gloriam ſempiternam, qui cum Patre & ſancto Spiritu vivit & regnat Deus per ſæcula ſempiterna, Amen.

AN. CHR. DC. XXCVII. SEPT. XV.

NOTA a

a Anno ſcilicet Æræ Chriſtianæ DC. XXCVII. Nam S. Aicadrus triennio (ut patet ex hujus capitis initio) ſuperſtes fuit B. Filiberto, quem anno DC. XXCIV. deceſſiſſe probavimus. Cùm ergo Aicadrus vixerit annis tribus & ſexaginta, natus anno DC. XXIV. dicendus eſt. Deinde duodennis ſeceſſit in Monaſterium Anſionenſe anno DC. XXXVI. poſtea tricenarius condidit Eccleſiam Quinciacenſem anno DC. LIV. Ubi poſtquam annis aliquot præfuit, à B. Filiberto circa annum DC. LXX. directus eſt in Monaſterium Gemeticenſe, quod uſque ad obitum ſuum rexit. S. Aicadri corpus unà cum B. Hugonis Epiſcopi Rotomagenſis Reliquiis ob Normannorum infeſtationes tranſlatum eſt *ad villam Haſprum*, inquit Baldericus in Chron. Camerac. & Atrebat. lib. 2. cap. 29. *quæ ab urbe noſtra (Cameraco) non plus quàm decem millibus diſparatur. Quam villam utrùm abantea poſſeſſam ſubjacuiſſe prælibato Monaſterio, an tunc temporis aut à Rege aut à quolibet Principe pro remedio animæ, receptationi Sanctorum traditam fuiſſe dicamus, incertum eſt. His apud hanc villam poſthac remanentibus, Monaſterio facto, Monachis delegatis ad laudem eorum pius & miſericors Deus multa immo & celeberrimæ virtutum prodigia dignatus eſt operari, intantum ſanè, ut nemo ex vicinis potentibus, aut in expeditionem aliquando tranſeuntibus, ullam præſumptionem antehac audeat irrogare. Sed quia Monachorum Abbas (Gemeticenſis) longè aberat, eóſque variſſimè pro difficultate longinquitatis viſitare ſolebat, in libertatem ſoluti ſæculum ſectabantur irregulariter viventes uſque ad tempus* GERARDI *Epiſcopi*, Cameracenſis ſcilicet & Atrebatenſis, cujus juſſu Cella Haſprenſis commutatione facta tradita eſt LEDUINO Abbati S. Vedaſti. *Hæc autem commutatio coram Rotberto Rege Franc. corámque Comitibus* BALDUINO *videlicet Flandrenſium &* RICARDO *Rotomagenſium facta eſt & ab eiſdem corroborata.* Jacobus Guiſianus in Chron. Hannoniæ Mſſ. hæc ſcribit: PIPPINUS *Majordomus Auſtraſiorum, victo Theodorico Galliæ Rege, fundavit Haſprenſem cellam, Cœnobitis Benedictinis Gemetico celebri diœceſis Rotomagenſis Monaſterio evocatis. Porro anno Chriſti milleſimo vigeſimo-quarto; Gerardo eo nomine primo Cameracenſi Epiſcopo procurante, facta eſt permutatio inter Vedaſtinum ac Gemeticenſe Monaſteria, Vedaſtinis Anglicuriam in diœceſi Bellovacenſi ſitam in uſum Gemeticenſium, Gemeticenſibus verò Haſpram in uſum Vedaſtinorum cedentibus.* Haſpra hactenus eſt Præpoſitura Vedaſtina, medio fere itinere inter Cameracum & Valentianas, ubi S. Aicadrus maximè in liberandis energumenis effulget.

VITA S. WANINGI CONFESSORIS IN MONASTERIO FISCAMNENSI.

CIRC. AN. DC. XXCVIII JANU. IX.

Ex variis codd. Mſſ. partim, partim ex Bollando.

OBSERVATIONES PRÆVIÆ.

1. SANCTI VVANINGI *ſeu* VVARINGI *ſive* VVARINGONIS *Vitam integram reperire nobis non licuit, ſed varia dumtaxat fragmenta, quorum primum Bollandus ſecundo loco edidit, ſecundum ex quodam Cœnobii Fiſcamnenſis apographo hîc reddimus, alia itidem ex Bollando, cujus primum fragmentum omiſimus præter paucos verſus mox adducendos.*

2. *Vvaningum Monachum non fuiſſe, apparet tum ex narratione ſubjecta, tum ex primo Bollandi fragmento in hæc verba:* Piis officiis illuſtris Vvaningus, inſignis adjutor B. Vvandregiſillo in conſtructione locorum ſanctorum exſtitit, & eidem plurima prædia felici munere ad uſus ſervorum Chriſti devotiſſimè contulit, atque eidem viro ſancto filium ſuum & heredem DESIDERATUM Monaſticis diſciplinis ſub forma & inſtitutione S. P. BENEDICTI tradidit imbuendum. Hoc ideò fecit, ne idem Deſideratus prædia Deo oblata faſtu ſacrilego ſub-

Vvaningus non Monachus.

CIRC. AN. DC. XXCVIII JANU. IX.

traheret, propriæque ditioni, ut mos eſt divitum, injuſtè vindicaret. Cogitabat hic vir Deo devotus ſeipſum tradere Ordini Monachico, & terrena deſerere cum ſæculo. Sed hæc aliter Divina providentia Dei diſpoſuerat fieri: diverſis etenim ad Deum tenditur ſtudiis. Erat igitur illi ſtudium in reſtauratione Eccleſiarum, in ædificatione Cœnobiorum, &c. *In ſubjecto fragmento, Vvaningus* toto vitæ ſuæ curſu, totius famulatûs humilitatem & obedientiam in eadem Eccleſia Fiſcamnenſi, ratione & conſuetudine ſervientium exhibuiſſe *legitur num.* 7.

Sanctus an die Iduſ?

3. *Vvaningi nomen in antiquis Martyrologiis non exſtat, neque in Actis SS. Vvandregiſili ac Leodegarii* Sanctus *prædicatur, ſed* vir illuſtris; *& cum S. Leodegario mitiùs egiſſe laudatur. Recentiores Martyrologiorum conditores, Vvion, Dorganius, Molanus, Sanſſaius Sanctorum catalogo eum inſerunt v. Idus Ianuarias: quo die in Breviario Fiſcamnenſi, juſſu Henrici à Lotharingia Abbatis anno* 1627. *edito & recognito, ejus feſtum* cum XII. Lect. officio *collocatur.*

Fiſcamni auctor.

4. *Monaſterium Fiſcamnenſe, vulgò* Feſcam, *in Caletis Neuſtriæ populis ad Oceanum poſitum*, quod à Rotomagenſe urbe, *ut ſcribit Glaber Rodulfus in lib.* 4. *Hiſt. cap.* 4. quadraginta fere millibus diſtat, *ſua debet primordia S. Vvaningo, qui ipſum Monaſterium Virginibus trecentis ſexaginta ſex ac Childemarchæ Abbatiſſæ attribuit. Everſo à Nortmannis Monaſterio, Sanctimonialibus aliis cæſis, aliis fugatis, locus in ſolitudinem incultam redactus, à Richardo I. Nortmannorum Duce reſtitui cœpit. Richardo verò ejus filio procurante, Clericis qui iſthic ſolutiori more degebant expulſis, ſucceſſerunt Monachi Benedictini, eo in loco inſtituti à S. Vvillelmo Abbate Divionenſi, cujus Acta ad ann.* 1031. *referemus. Ab eo tempore Monaſterium Fiſcamnenſe fuit celeberrimum, ac modò Benedictinæ S. Mauri Congregationi ſubeſt.*

Vvaningus ad Templi Fiſcamnenſis ædificationem eligitur.

a

1. MULTORUM igitur profluxerunt temporum dies, & dignus inveniebatur nullus, qui aut ſignificatum Oraculum [a] ædificaret, aut cui ſummæ clementiæ ineffabilis Trinitas ædificandi ſignificationem declararet. Exſpectabat enim Divinæ providentiæ celſitudo virum, quem carnalis deſiderii carne liberum ſancto-Spiritu conſecraret & cuſtodiret templum delectabile. Oportebat quippe hominem, ſpirituale templum Domini, ædificare Domino corporale templum, qui ſui interioris conſiderata imagine, conciperet qualiter exterius rerum univerſarum Creatori templum ordinare & ædificare deberet. Quocirca tandem tantæ deliberationis ædificando Oraculo ſanctus & glorioſus Confeſſor Vvaningus eligitur, electus promòvetur. Cujus nobilium actuum excellentiam Galli Proceres admirabantur, & cæleſtium morum gratiæ cæleſtis curia congratulabatur. Poſſidebat enim quod non multi, verùm divites pauci poſſidere ſolent, & æternorum deſiderium, & affluentiam temporalium bonorum: quorum clementi expenſa nullorum recipiebat aut favorem aut retributionem mortalium.

Caletibus præfectus,

2. Talium igitur meritorum gratiâ & Domino amicus, & mundo clarus, & Regi LOTHARIO habebatur familiaris & ſecretarius. Lotharius enim Rex B. Vvaningo Regni ſui partem maximam commendaverat. Nihilominus etiam in totius ſumma ordinanda vel adminiſtranda beati viri prudens conſilium ſequebatur & audiebat. Commendaverat, inquam, B. Vvaningo Rex Lotharius provinciam Calciaſenſem, quam ob antiquarum ſilvarum abundantiam & ferarum diverſarum venationem jucundam valde diligebat, nullíque niſi familiari & fideli committere rationabiliter judicabat.

Venationi indulget.

3. Commiſſas igitur ſilvas fideliter cuſtodiens B. Vvaningus frequenter viſitabat, viſitando perluſtrabat, non tantum capiendarum ludo, aut captarum ferarum lucro gaudens, quantum carnalium tumultuum refrigerationem umbrâ ſilvarum ſolitudinis quærens. Tali itaque ſtudio commodiores Fiſcamnenſes ſaltus judicabat, judicando frequentabat, ignorans Ducis ANSEGISI revelationem; revelatione præterita ſancti loci manifeſtationem, & futuri oraculi reverentiam obſervandam. Loco enim ſancto S. Vvaningus reverentiam nullam exhibebat: verùm ibi frequenter aut canes copulabat, aut retia tendebat, vel agitabat fugientes feras, vel ſuis privabat exuviis captas. Quam prævaricationem, immo viri ignorantiam corrigendam Divina ſublimitas miſerata, ſanctum corripuit virum, & complendi oraculi manifeſtum dedit indicium. Ingentium quippe febrium virum ſanctum repentinus ardor invaſit; qui totius corporis compagem labefactans cunctiſque viribus membra omnia inclementer privans, auferre vitam, & mortem minabatur inducere præſentem.

Morbo correptus, videt juſtorum præmia & malorum tormenta.

4. Ingraveſcente ergo moleſtia, penitùs vigor vitalis concluditur, concluſus exſtinguitur, atque conſumpto exteriori ſuus homo interior cujuſdam ecſtaſis tranſlatione maxima extenditur & deducitur. Deducitur, inquam, S. Vvaningus ad beatorum virorum glorioſa loca, & ad hominum miſerorum crudelia tormenta: ubi quantas & juſtorum coronas & reproborum cognovit pœnas, reverſus narravit, ſuorúmque actuum evidentia patenter expoſuit.

[a] Id eſt Oratorium ſeu Templum, quod Anſegiſus Dux, S. Arnulfi filius, ædificandum eſſe, divinitùs acceperat, uti infrà num. 3. dicitur.

Visis gaudio beatitudinis, & miseriæ perpetuæ domibus, Judici cuidam S. Vvaningus præsentatur, atque excelso suæ majestatis throno deponitur & collocatur. Verùm cùm & sedis incircumscriptum fulgorem & sedentis adspectum terribilem circumstantiúmque innumeram multitudinem contemplaretur, & contemplans terreretur, corruit, & toto corpore prostratus coram judicantis præsentia, velut exanimis & conturbatus jacuit. Tunc Judex; Quomodo, inquit, Vvaninge, Fiscamnensem vallem nomini meo consecrandam ignoras, & ignorando exhonoras? Qua ratione consecrationis meæ locum nequaquam attendens contaminare non exhorresces? Non vereris incurrere iram meam, cujus fideliter cognoscis omnipotentem voluntatem? Dixerat, & circumstantium seniorum chorus sui Imperatoris sententiam gravitatis severo vultu confirmabat. Sanctus autem Vvaningus valde perterritus nullatenus ora solvebat, aut caput solo erigere præsumebat. Sed sui animi puritate & fatebatur culpam, & postulabat veniam, & prætendebat ignorantiæ excusationem solam. Silentibus gloriosis cunctis adstantibus, suóque silentio & inferendam disciplinam & exhibendam indulgentiam contestantibus, sola sancta virgo EULALIA surrexit; & jacentis causam suscipiens, clementis Judicis severitatem delinivit, indulgentiámque ignoranti exoravit; suíque familiaris & amici S. Vvaningi præsente vitam XX. annorum protelatione, interventu suo prolongavit. Virgo itaque sancta Eulalia exauditur, eíque exaudita sanctus commendatur Vvaningus, quatenus eum perfectè instruat, qualiter sanctum Oraculum constituat, constitutúmve quibus personis committere debeat. Cui virgo; Convalesces, inquit, Vvaninge, & vives, tuíque possessionibus restitueris. Adi Fiscamnensem vallem, & in Fiscamnensi valle Duci Ansegiso manifestatum locum ab incolis diligenter exquire, & inventum festinus excole. Ibi summæ & individuæ Trinitatis congruum Templum fideliter construe: completum autem templum sanctis Virginibus commendabis, quibus CHILDEMARCHAM Burdegalensem virginem, ibíque multarum Virginum Matrem inclytam Abbatissam præponere curabis.

CIRC. AN. DC. XXCVIII JANU. IX.

S. Eulalia petente, vitæ inducias impetrat.

5. Finitis demum tantæ revelationis sermonibus, cum vita sospitatem, & cum sospitate vitam S. Waningus suscepit: æqualitérque suis cunctis convalescentibus membris, Regem Lotharium expetiit, suæque revelationis seriem totam explicuit. Quibus Rex Lotarius compunctus & perterritus; Festinus, inquit, fili Waninge, regredere, & sanctum locum juxta relationis tuæ veritatem diligenter inquire: rebúsque meis & tuis summum Imperatoris palatium, quàm maturius glorioslúsve valueris, construe. Quod læto audiens animo B. Waningus ad Calciacensem provinciam continuò remeavit: ingressúsque Fiscamnensem silvam, prænominatum locum exquisivit, invenit, & excoluit. Adhibitis glorioso operi operariis, annosæ quercus cæduntur & prosternuntur, viminaque & vepres exstirpantur & comburuntur: & antiquæ solitudinis dumis ac sentibus locus cælestis habitaculi perpurgatur & liberatur. Ponuntur fundamenta & ineffabili celeritate consurgunt parietes sacri, & velut Divinæ virtutis omnipotenti operatione collocantur tecta, complectuntúrque ædificia præmissæ revelationis.

Chlotharío annuente, Fiscamnū constituit.

6. Consummato igitur completóque ædificio, Galliarum Rex Lotharius invitatur, multarum urbium sancti Patres convocantur & congregantur: & rerum omnium Creatoris & administratoris titulo, factúmque Oraculum insignitur & consecratur, consecratúmque regalibus gazis & prædiis liberaliter dotatur, & divitiarum cunctarum abundantiis ditatur & ampliatur. Imperat Rex Lotarius sanctas Virgines congregari, & congregatis Virginibus juxta B. Eulaliæ visionem Childemarcham summæ sanctitatis virginem præponi, totiúsque Ecclesiæ summam & administrationem sanctis & beatissimis Confessoribus AUDOËNO & WANDREGISILO committit & injungit devotè. Virgines sacræ conveniunt, promissæ virginitatis cælesti Sponso chirographa immobilia conscribunt, suæque conversationis aromaticis cunctis odoribus circumadjacentes provincias cunctipotenti famulari Domino admonent & accendunt. Congratulatur beata Trinitas, incommutabilis Deus, & complero Templo, & convenientium famulatui casto: quarum trecentarum sexaginta sex diurnas nocturnásque & continuas contemplans laudes, & mortis liberationem in mansura civitate promittit, & præparat beatæ retributionis immarcescibilem coronam.

Childemarcham Virginibus 366. præficit.

7. Illo tempore beatus & gloriosus Martyr LEODEGARIUS Fiscamnum deducitur, quem efferus & nefandus apostata EBROINUS Episcopatûs sui sede injustè expulerat, rerum affluentiâ multarum exspoliaverat, & linguâ inclementer abscisâ totius officio sermonis privaverat. Verùm cùm gloriosus Martyr & Episcopus summi & omnipotentis sacras ingrederetur ædes, & psallentium Virginum audiret Angelicas voces, ablatæ officium linguæ recepit: & per annorum vertiginem duorum cum sanctis virginibus conversatus, humilitatis & patientiæ formam exhibuit, & audientium corda voce cælestis doctrinæ irrigavit & fecundavit. Cernens igitur B. Waningus inopinatam Templi gloriam sanctæque Congregationis religionem & multitudinem cælestem, cunctas suæ proprietatis divitias recensuit, sanctarúmque in usus Virginum delegavit, & toto vitæ suæ cursu, totius famulatûs humilitatem & obedientiam in eadem Ecclesia ratione & consuetudine servientium exhibuit.

Leodegarium isthic excipit.

CIRC. AN. DC.XXCVIII JANU. IX.

8. Defuncto[a] autem B. Waningo multorúmque dierum tranſcurrente ſpatio, Dani hoc Monaſterium deſtruxerunt, ſanctas Virgines expulerunt & effugârunt. Multæ ſanctæ Virgines, quas glorioſi Templi amor retinuerat, hoſtili gladio ante ipſam ſacram aram corruerunt. Succenſum eſt Templum, demolita omnia.

[a] Monaſterium à Normannis everti-tur.

ALIUD FRAGMENTUM.

Vvaningus cælitùs correptus, Fiſcamnũ molitur,

1. IN diebus Lotharij Regis Francorum fuit quidam vix illuſtris prudentiâ eminens, bonitate valde clarus, Deóque obediens, nomine Waningus, qui multimoda Cœnobiorum habitacula in poſſeſſionibus propriis conſtruxit ex quibus unum eſt quod vocatur Fiſcamnum: quæ res hac ratione proceſſit. Hic in eodem loco valetudine correptus acerrima, pænè fuerat ad extrema deductus. Raptus autem in ecſtaſi, oſtenſa ſunt ei pœnæ damnatorum, & felicitates juſtorum, audivítque oraculo cæleſti datione oſtenſo viginti annorum ſpatia ſe victurum fore, & hoc impetraviſſe à Domino ſanctam Chriſti Martyrem Eulaliam, cujus precibus ſe ſedulis commendare ſolitus erat. Sed & ipſa Martyr ei apparens commonuit, ut in prædicto prædio quo morabatur Monaſterium conſtrueret, & de ſua ſtirpe nulli ad regendum committeret. Qui reverſus ad ſuperos[b], Sacerdotem Chriſti Audoënum Rotomagenſem Archiepiſcopum, ſimúlque virum Dei Wandregiſillum Abbatem Fontanellenſis Cœnobij ad ſe accerſivit, & ejus ordinem viſionis expoſuit, ſimúlque à febre qua premebatur, eorum precibus curatus, optatam recepit ſoſpitatem, præfatúmque Cœnobium, ut monitus erat, ilico conſtruere cœpit.

[b]

Chlothario annuente,

2. In eodem conventu Rex adfuit Hlotharius Chlodovei junioris filius, illius miraculi famoſo ſtupore vel maximè accitus, quod Waningo fuerat actum: quòd videlicet precibus Sacerdotis & Abbatis de limine mortis fuerat ad vitæ januam reſtitutus: & quòd ei per exceſſum rapto tartareum chaos fuerat reſeratum; & in morem Ezechiæ Regis per cæleſtem viſionem, vitæ illius viginti anni ſunt ſuperadditi. Unde ad hoc cæleſte ſpectaculum rumor ingens Primates Francorum univerſos, & ingentem populi multitudinem commoverat. Igitur opus propter quod Pontifex & Abbas convenerant adimpletur, Monaſterium dedicatur, numerus ſacrarum Virginum colligitur, Regula vivendi diſponitur. Erat enim tunc temporis apud Burdigalam urbem virgo Chriſti nomine Hildemarcha in quodam Monaſterio Sanctimonialium ſanctiſſima gubernatrix, ad quam quidam vir Dei Monachus ac Diaconus nomine SINDARDUS cùm propter utilitatem ſervorum Dei Fontanellenſium in illas partes mitteretur, causâ hoſpitij declinare ſolitus erat. Cui illa intimavit in viſu ſe eſſe monitam ut tellurem adiret Rotomagenſem, virúmque Domini Wandregiſillum inviſeret, atque ſub illius regimine Divinis pareret edictis. Quæ, ſicut in ejus ſcribitur Geſtis, ad Chriſti famulum perveniens, ad præfatum illuſtriſſimum Vvaningum perduxit, prædictúmque Cœnobium Fiſcamnum per teſtamenta B. Vvandregiſilo iſdem Vvaningus contradens, ejus conſultu eidem religioſiſſimæ Virgini tradidit ad regendum; cujus vitam ac laudabilem converſationem libellus[c] qui de ejus ſcribitur actibus liquidò narrat.

Hildemarchâ Abbatiſsâ conſtitutâ.

b

c

3. Defuncto igitur Rege CHLOTARIO CHILDERICUS Regnum Francorum ſuſcepit: ſed & iſte non plenè quatuor annos Regnum tenens vitâ deceſſit, cui ſucceſſit THEODORICUS ſuus germanus. Hujus tempore Ebroinus Major domûs Regiæ Leodegarium Auguſtodunenſem Epiſcopum vinculis tenebat. Qui convocans præfatum Vvaningum; Accipe, inquit, Leodegarium quem aliquando vidiſti virum ſuperbum, erit enim tempus ſuæ mortis, recipiens quod meretur à ſuis inimicis. Tunc acceptum ad præfatum perduxit Cœnobium, in quo multis diebus[d] converſatus ſterit ſub cuſtodia. Nam & lingua præciſa ſolitum recepit officium, & magnum doctrinæ ſemen oſtendit in populo, ut quando poſſet Virgines accederet, & ita (ut fertur) dulcia ſua fulgebant eloquia, ut mirarentur quicumque audierant, quanta Dei operabatur clementia, & converſi à pravis operibus velociter peterent pœnitentiæ fructus.

Leodegarium Fiſcamni excipit.

d

Cœnobiũ à Normãnis diripitur.

4. Floruit autem idem locus à tempore præfatorum Regum, uſque ad tempora LUDOVICI Imperatoris, filij CAROLI MAGNI. Tempore iſtius ſæviſſima Danorum gens Franciam irrumpens, in oram maritimam non minimam Chriſtianorum populorum ſtragem dedit. Unde factum eſt, ut idem locus ad ſolitudinem redigeretur, ita ut fieret ferarum habitatio, qui fuerat priùs Chriſticolarum ornamentum.

[a] Quo anno mortuus ſit S. Vvaningus non ſatis conſtat. Per ecſtaſim quam regnante Chlothario Chlodovei filio paſſus eſt, viginti annorum vitæ inducias obtinuit. Leodegario ſupervixit. Unde ejus obitum anno circà XXCVIII. reponimus.

[b] Id eſt ad homines ſuperſtites ſeu in terra degentes, ut ſuperiùs alibi expoſuimus.

[c] Libellus iſte de geſtis S. Hildemarchæ, ſeu Childemarchæ excidit, quæ nullo feſto peculiari colitur in Monaſterio Fiſcamnenſi: tametſi Faſtis Benedictinis VIII. Kalend. Novemb. inſcribitur. Ejus honorifica fit mentio in Vita ſecunda S. Vvandregiſili cap. 17. & in Actis S. Leodegarij, ubi à primario auctore *Childomerga* dicitur.

[d] Nempe duobus annis, ut infrà in fragmento altero num. 7. dicitur. Hic articulus fere ad verbum ex Vita S. Leodegarij deſumptus eſt.

5. Anno igitur Dominicæ Incarnationis DCCC. LXXVI. Regnum Francorum gubernante Rege CAROLO, ROLLO quidam natione Danus, ritu gentilis, ordine miles, cum ſuis navigio Franciam intravit: quam terram multùm devaſtans, à prædicto Rege Regnique Proceribus quamdam partem dono recipiens, ac Baptiſmi gratiam conſecutus, de reliquo fidelis permanſit. Ipſam autem terram quoad vixit optimè regens, legéſque & jura paterna ipſis habitatoribus componens, anno DCCCC. XVII. ab Incarnatione Domini migravit à ſæculo. Cui ſucceſſit in Regnum VVILLELMUS filius ſuus, qui palatium ſibi Piſcamni mirifico opere conſtruxit. Quo in loco dum moraretur, genuit ibi filium RICHARDUM nomine, eleganti forma infantem, quem præcepit à Principibus ſuæ terræ liberalibus imbui diſciplinis. Hoc in tempore in præfato Monaſterio deſtructo non jam habitabatur, quia deſtructâ maceriâ ibi grandis ſilva creverat. In ipſo autem loco coloni ipſius villæ repertum altare ex virgultis quantum valuerunt ad præſens cooperuerunt, ex cujus initio, ſicut ab antiquis audivimus, ipſe Auctor & Redemptor humani generis, præſcius ſibi in ipſo loco futuri ſervitij, grande miraculum oſtendere eſt dignatus in forma cujuſdam ſpecioſiſſimi cervi. CIRC. AN. DC.XXCVIII JANU IX. Normannorum Duces.

Alia fragmenta ex Bollando.

6. Interea contigit Piſcamnenſes Canonicos aliorum Canonicorum mores imitati, latas perditionis vias ingredi, & rerum temporalium luxus & deſidias voluptuosè ſectari. Quam Canonicorum miſeram vitam & viventem miſeriam Dux prudentiſſimus Richardus audiens, & audiendo cognoſcens, valde doluit, hominúmque pravorum mores & converſationem exhorrens, legatos feſtinanter Cluniacum direxit, & S. MAIOLUM magnæ humilitatis precibus Piſcamnum accerſivit, atque ſecundum S. BENEDICTI Regulam & inſtitutionem diſponi & ordinari novam Eccleſiam exoravit. Cui S. Majolus; Hujus, inquit, laboris magnitudinem talis rationis conditione, cariſſime fili Richarde, ſuſcipiam, ſi per totum ducatum tuum conſuetudinem, quæ vulgariter paſnagium dicitur, Domino donaveris, nullúmque tuæ poteſtatis Principem aliquam ampliùs exigere decreveris. Ubi Richardus Dux, non morbo avaritiæ, verùm occulta Divini providentia diſponente, & S. VVILLELMO Abbati gloriam ordinandi ſanctam Eccleſiam transferente, ſuorum hominum conſilio adquievit, & S. Maioli ſanctam interpellationem non exaudivit. Unde contigit ut S. Maiolus Cluniacum reverteretur, & Canonicorum correctio vel expulſio per aliquot tempora protelaretur. Idem Dux Richardus, ut ibidem habetur, morti proximus filio ſuo Richardo II. præcepit ut Canonicis inde ejectis Monachos ſubſtitueret. Canonicis Monachi apud Piſcamnum ſubſtituuntur,

7. Vir nobilis Nortmanniæ Richardus, primi Richardi filius, à monaſterio Piſcamnenſi Canonicos Regulares expulit: qui legatos apud S. Benignum Divionem humiliter deſtinavit Guillelmo ejuſdem loci præcipuo Paſtori, magnis precibus compellit; Monaſterij Piſcamnenſis ſub Regula B. Benedicti commiſit gubernandum, anno ab Incarnatione Domini milleſimo primo[a]. per S. VVILLELMUM.

a De S. Guillelmo Abbate Divionenſi ac de Monachorum inſtitutione apud Piſcamnum agemus ad ann. 1031.

VITA S. ANSTRVDIS ABBATISSÆ LAUDUNENSIS.

CIRC. AN. DC.XXCVIII OCT. XVII.

Auctore Anonymo ferè contemporaneo.

Eruta ex MS. cod. Monaſterij S. Iohannis Laudunenſis.

OBSERVATIO PRÆVIA.

SANCTÆ ANSTRUDIS (*quam alij* AUSTRUDEM *corruptè vocant*) *binam legimus Vitam, alteram ab antiquo Scriptore & quidem* (*ut videtur*) *ſubpari deſcriptam, quam hic ex codice Mſ. Monaſterij S. Iohannis Bapt. intra muros Laudunenſes nunc primùm vulgamus; alteram politiori ſtilo exaratam ab Auctore ſæculi XII. quem etiam Auctorem exornandis S. Salabergæ Actis dediſſe operam, ſuprà ad annum 655. obſervavimus. Omiſſa lucubratione poſteriori, ſolum hic repræſentamus priorem primarium, quem fere æqualem arbitramur. Certè in recenſendis miraculis, nomina, aliáſque* (*ut vocant*) *circumſtantias ita diligenter notat, quaſi iis interfuerit: & dum Balduini*

CIRC. AN. DC. XXCVIII OCT. XVII.

Anſtrudis fratris interfectores nominare injurioſum num. 6. dicit, viventium ſine dubio verecundiæ parcit: quorum nomina, *inquit*, & ſtirpem dicere injuriam eſſe putamus. *Quæ his Actis illuſtrandis deeſſe videntur, ex Vita S. Salabergæ ad ann. 655. repetenda ſunt.*

Anſtrudis piis orta parentibus piè educatur.

1. TEMPORIBUS DAGOBERTI Regis fuit in hoc mundo vir nobilis BASO, qui nobilibus ortus parentibus ſecundùm naturam, nobilior factus moribus per gratiam, conſilio Francorum Procerum duxit uxorem SALABERGAM, generoſi & religioſi viri GUNDUINI religioſam filiam. Hæc poſt ſterilitatem peperit ſponſo ſuo inter electam turmam natorum filiam quæ ANSTRUDIS appellata eſt. Nutritur autem à progenitoribus ſuis cum magno ſtudio totius diligentiæ tradita Religioni Chriſtianæ, diſcens etiam litteras in diebus teneræ infantiæ. Excedit itaque annos puellares; ambulans de virtute in virtutem Virgo noviter nata: & dum ceſſat vagire in cunabulis, laudes diſcit cantare Filio Virginis. Fit etiam per Divinam clementiam audiendo, legendo capax memoriæ, exercens ſe etiam in magiſterio doctrinæ: inſignis appareret carnali genere, inſignior mentis ſanctitate: pretioſa vultûs ſpecie, pretioſior corde: manifeſtatur mundo plena eſſe eloquentiæ, ſed multo plus ſapientiæ, dilecta Deo & hominibus anchoram voluntatis ſuæ copulavit virtutibus. Inſuper tantâ repleta eſt gratiâ, ut morum maturitas monſtraretur in ejus ætate prima.

Nuptias fugit.

2. Præterea cùm eſſet in anno duodecimo, requiritur à quodam LANDRANNO ex progenie nobili progenito: delatáſque ſecum multas opes auri & gemmarum & veſtium tradidit manibus parentum, ut poſſit Anſtrudem virginem accipere ſibi conjugem. Sed probatur fruſtra, pro Dei ſponſa, ſua dediſſe, & fruſtra ampliora promiſiſſe. Recuſat namque Dei Virgo reſpuendo opes perituras & tranſitorias nuptias: nec jam cogitat mens ejus de maritali toro, ſed de Evangelio. Munita enim muro virginitatis, ſponſum deſpexit cum dote terrenæ facultatis. Sícque feliciter ſeducitur Landrannus in agro caſtitatis, cùm putat ſponſum ſe fieri poſſe de jam à Chriſto deſponſata Virgine. Annulum fidei quem miſit cæleſtis ſponſus Virgini, non viderat oculus terreni mariti. Quid plura? tandem ſic fertur dixiſſe præſentibus ſibi puellis ſervitio ſuo deſtinatis: Numquid iſte eſt quem ſponſum meum eſſe dicitis? credite meis ſermonibus: numquam nuptiarum legibus ſociabitur mihi carnalis ſponſus. His dictis accenſa ardore cæleſtis Sponſi, conjungitur choro in Eccleſia pſallentium Clericorum, relictis corde & animo temporalibus amicitiis mundi.

Monaſterium Salabergæ matris petit.

3. Dum ſic incipit militare Deo filia nobilium, lætantur ordines Clericorum: offerentibus Clericis illuminatos cereos & cruces in manibus portantibus & Dominum laudantibus pro tanta virtute, quam cognoverunt eſſe in virgine Anſtrude. Sícque proſequitur cantantes Clericos cum magna devotione uſque in locum in quo manet Monaſterium cui præfuit Salaberga ſacra mater hujus ſacræ puellæ, piè regendo catervam Sanctimonialium. Itaque regente Deo non eſt obruta virgo ſyrtibus vitiorum, non eſt decepta coloribus pretioſarum gemmarum, quæ ſunt ambitiones ſæcularium feminarum. Numquam avaritia in ea regnavit, quæ fidem & honeſtatem artéſque bonas ſubvertit in avidis mentibus. Ecce prudens Virgo inter tempeſtates mundanas providi nautæ more vitando fugientis ſæculi naufragia, ſapienter ſervans Domino ſui pectoris habitacula, nunc colitur, quoniam paupertate Chriſti nihil eſt ditius: quia non eſt laudis Eccleſiaſticæ poſſidere divitias, ſed pro Chriſto eas contemnere. Virgo enim quæ contemnit pompas mundi, habet in vaſe ſuo copiam olei. Propterea, Sorores cariſſimæ, non exſtinguuntur lampades glorioſæ hujus Anſtrudis, quia remota fuit (ſicut audiſtis) à ſæcularibus pompis. Dulcius ergo ſit vobis cum hac virgine ſequi gloriam poſt victoriam, quàm ſine ipſa ſequi ignominiam poſt carnis ruinam.

Salabergæ vices ſubit.

4. Præterea venerabilis Abbatiſſa Salaberga ſentiens reſolutionem ſui corporis imminere, paſtoralem ſollicitudinem filiæ ſuæ Anſtrudi poſt fugam nuptiarum

rum ſuarum olim Domino ſacratæ, commonens eam habere curam ovilis Chriſti. Cum conſilio itaque hujus Laudunenſis Eccleſiæ Pontificis & Francorum Procerum qui præerant huic provinciæ atque adſenſu & electione & acclamatione Sororum tunc in hoc loco degentium, ſub regali licentia, benedictione Epiſcopali ſacratur in Abbatiſſam. Erátque annorum viginti, quando gregem Chriſti ſub ſuo ſuſcepit regimine. Tota in Deo ejus cogitatio; quia non diebus, non noctibus à colloquiis & mandatis Divinis receſſit. O Virginem per omnia repletam Dei gratia! quam voluit eſſe pulchram facie, ſed pulchriorem fide; elegantem corpore, pollentem caſtitate, jejuniis intentam, orationibus devotam, in vigiliis ſedulam, ſobrietate aſſiduam, converſatione eccleſiaſticam; in eleëmoſynis largam, in diſtributione ſuarum rerum lætiſſimam, in Congregatione mitiſſimam, in ſermonibus leniſſimam. Probatur eſſe humilis & pia ſibi ſubditis & hoſpitum receptrix. Januæ ejus patefactæ ſunt egenis & peregrinis, in carceribus retruſis vel vinculis vinctis perſonam curam gerebat. Aſſiduè autem orphanis & viduis, pupillis & miſeris clementer miſericordiam impendebat, eſcam eſurientibus præbendo, potum ſitientibus dando; dolentes conſolando, triſtes exhilarando; ægrotos viſitando, iraſcentes mitigando, diſcordes in pacem revocando, ad ultimum mortuos ſepeliendo. CIRC. AN. DC. XXCVIII. OCT. XVII.

5. Quamvis fama bonorum operum apud Reges Franciæ & Principes terræ magnum nomen & honorem huic dilectæ Domini adquiſierit; nihil ſibi de bono, ſed totum imputabat Deo: quia illi intantum adhærebat, ut habitus ejus, ſermo, vultus, inceſſus, doctrina virtutum eſſe videretur. Bonum à ſe factum Deo adſcribit.

6. Sed numquam in hoc ſæculo deeſt perfidia pravorum, quæ probat patientiam bonorum. Semper enim pars malorum infeſta eſt parti piorum, ex quo Cain fregit ſarculo guttur fraternum. Dum B. Virgo Anſtrudis conaretur exercere omnes dies vitæ ſuæ in Dei laudibus, ſagittas doloris occultè fabricat ei humani generis adverſarius. Erat namque ei frater cariſſimus nomine BALDUINUS: adverſus hunc ſtimulante diabolo concipiunt & meditantur dolos qui videbantur eſſe amici & fideles hujus virginis & fratris. Sed rara fides eſt hominum, de quibus ſcriptum eſt: *Simulatores & callidi provocant iram Dei.* Tenerrimè autem dilectus à ſorore Balduinus in ſimplicitate cordis ſui, dolosè cum peſte invidiæ vocatur ad placitum à miniſtris ſatanæ in quadam villa Laudunenſis provinciæ: qui ſumens ſecum duos tantummodo equites, tertius confeſtim ivit causâ placiti ad hoſtes crudeles, omnium hominum quos terra ſuſtinet ſceleratiſſimos. Sed falſo colore pacis mox deceptus eſt & confoſſus gladiis; ſícque apparuerunt impij in occiſione Juſti, qui videbantur eſſe amici: quorum nomina & ſtirpem dicere, injuriam eſſe putamus. Balduini fratris nece afflígitur.

7. Nuntiatur occiſio fratris auribus ſororis: illa autem inter amaras lacrymas nomen Domini benedixit, ſicut & ſimplex Job de filiorum amiſſo numero. Credulitas namque cordis juſtitiæ deputatur; & ſalus, oris confeſſio. Sciénſque ſtatum humanæ conditionis eſſe fragilem, dixit: Quamvis ſim hodie deſolata & fruſtrata proprio fratre; reddo tamen tibi Deus multiplices gratias, & refero laudem & honorem majeſtati tuæ. Obſecro, piiſſime Chriſte, ut non ſentiam iram judicij tui, neque auferas faciem miſericordiæ tuæ à lacrymis oculorum meorum: ſed concede mihi virtutem ut patienter poſſim & ferre & flere intempeſtivam amaritudinem commoti cordis mei, quæ mihi ſubitò accidit pro damno occiſi fratris. Laudo & glorifico & benedico nomen gloriæ tuæ quod eſt ſanctum, quia fratrem quem dediſti recepiſti. Heu me! (iterum dicens) frater innocens, ut quid te miſi conſiliis crudeliſſimorum hominum! Numquam fuiſſet cauſa illa pro qua ire diſpoſui te durè interfectum, qui eras baculus infirmitatis meæ. Et quoniam fraternus amor neſcit modum; iterum flebiliter adjecit: Nunc qui carnales fratres habent, miſericordiæ memores ſint compatiendo lacrymis meis dolore plenis: non contemnant lacrymantem, ſed me plorante provocentur ad pietatem, dum amariſſimè defleo germanum qui ſolus mihi remanſerat,

CIRC. AN. DC XXCVIII OCT. XVII.

quem hodie perdidi. Esto mihi, Deus, misericors, adsis custos & consolator meus.

Sanctimoniales compatiuntur.

8. Post lacrymabilem autem querimoniam, licèt corde tenus patiendo fraternos casus amaricata fuisset, rationabiliter tamen virilis apparebat ejus vultus & mitis, quia temperabat eam à fletibus dulcedo sancti Spiritus qui in ipsa manebat. Congregatio denique Sanctimonialium videns & audiens Abbatissæ suæ triste infortunium, non sine lacrymis plangit & mærorem Sororis & martyrium occisi fratris. Nam in pavimento Ecclesiæ prostratæ ostendunt se singultibus & suspiriis dolere cum spirituali Matre, flere cum flente : Scriptum est enim ; *Si patitur unum membrum, compatiuntur omnia membra.*

Anstrudis pro fratre orationes poscit.

9. Mota verò Abbatissa maximis gemitibus Sororum supra terram jacentium & piè pavimento se volutantium causâ immoderatæ tristitiæ, accedit ad eas, sed sustentata manibus aliarum non enim poterat liberè incedere, fatigata flendo & dolendo. Stánsque ante altare, elevatis manibus vix indicens silentium compescendo voces flentium ait : Audite me, dilectissimæ Sorores & Filiæ, pro hoc incommodo tam asperè clamando taliter vociferari nolite : sed ad memoriam reducite, quàm dulciter & quàm communiter vos omnes meus frater amavit qui hodie est injustè occisus. Affectu veræ dilectionis erga vos usus est hactenus vobis bene optando & vestra utilia procurando : precor vos, licèt sim turbata privatione fratris, ut animæ ejus memores sitis in orationibus vestris, ut crudeliter interempti anima possideat paradisi gaudia.

Excipit cadaver defuncti.

10. Recedens posthæc cum Sororibus & impotentia virtutis ejus, nec jam femineo sed virili more consolabatur. Nec finem plangendi sacra Virgo fecerat stans in excelso Lauduni montis loco, cùm subito feretrum vidit, in quo claudebatur corpus fratris sui. Sed quoniam, ut scriptum est, amor numquam est otiosus, operatur magna si est ; dirigens aciem oculorum suorum in occisum ait: Jamjam redis ad me, frater carissime, heri vivus, hodie occisus ; heri dimisi te incolumem, hodie recipio te ad sepeliendum. Frater, frater animo meo amantissime, cur tibi immaturè & à quibus minimè oportuit, vita erepta est ? Quamvis mihi te tulerint occisores tui, tamen lætandum magis quàm dolendum esse puto de occisione tua : non enim perdidisti vitam meliorem cum innocentia, sed labem, fugam & exsilium & egestatem & pericula hujus sæculi, & omnes has ærumnas quæ mortales premunt amisisti. Invitatus ad placitum cum duobus tertius ivisti, & nunc cum pluribus amicis te flentibus reverteris : quia tu simplex & innocens fraudulentiæ & dolosæ amicitiæ tuorum inimicorum credidisti, propterea me nunc solam sororem reliquisti. Et quis præsens tam ferrei pectoris esset, qui tantæ Virgini compassus non fuisset super fraterna occisione? Sed nemo potest enarrare per singula, quantus luctus & quantus dolor fuit in Lauduni civitate per plures dies, non solùm apud illos quorum tutor & pastor fuerat hic vir, verumetiam apud cives hujus urbis. Sed Virgo beatissima omnia quæ sunt mundi transitoria esse intelligens, patientiæ se clypeo armabat : didicerat enim humilis esse inter prospera, & inter adversa esse secura, quæ sicut myrrha electa dedit Christo suavitatem odoris.

Auctoris oratio.

11. Nec mirum est, Sorores carissimæ, si occisus est tantus vir à diaboli membris sicut audistis : cùm sciatis hunc Martyrem[a] membrum esse illius, qui zelo Pharisæorum ad salutem mundi est crucifixus. Semper enim ab antiquo virtutes invidia persequitur : sicque fit, ut Deus qui est fons pietatis, clementer suscipiat quos hîc mundus inclementer colaphizat : quia placent Deo semper quæ displicent mundo. Afflictio enim quæ est temporalis in hoc sæculo, Electorum ma-

[a] Balduinum ut Martyrem sanctum colunt Laudunenses VI. Idus Januarias, quo die in Martyrologio Laudunensi ejus festum pronuntiatur hoc modo: *Apud Laudunum S. Balduini Martyris & Levitæ, qui pro defensione Ecclesiasticæ justitiæ à nocentibus innocenter occisus est.* Quamvis modò in diem 28. Januarij ob Epiphaniæ octavam concurrentem hoc festum rejiciatur. S. Balduinum peste ingruente interpellare solent. Reliquiæ S. Balduini in Ecclesia nostra S. Johannis Baptistæ majori altari impositæ religiosè servantur. Eum Ecclesiæ Cathedralis Canonicum fuisse pinantur.

teria eſt cæleſtis gloriæ præmiorum, quoniam hujus mundi tranquillitas animarum eſt tempeſtas. Igitur non ſine cauſa Apoſtolus prohibet contriſtari de morientibus, relinquere triſtitiam tantummodo illis qui ſpem reſurgendi non habent. Defectus namque corporum, non mors, ſed dormitio & ſomnus in Scripturis ſacris appellantur: quia ſubſtantia humanæ corporalitatis non tollitur, ſed per gloriam reſurrectionis in perpetuas æternitates reformabitur ab illo, qui mortem ſua morte diſſipavit. Ex hoc colligitur, quia feliciter moritur qui pro Chriſto victurus occiditur. Securus cum Chriſto vir iſte regnat, quia raptus eſt, ne malitia immutaret mentem ejus, &c. CIRC. AN. DC.XXCVIII OCT. XVII.

12. Interea occiſores tanti viri Deo odibiles non ceſſabant inferre famulæ Dei Anſtrudi injurias; utentes adverſus eam ſuo malo dolo & pravo ingenio. Nam parvipendentes fuſum à ſe ſanguinem Juſti, repleti furore malitiæ EBROINUM adeunt virum palatinum, qui in illis temporibus erat ſub THEODORICO Rege potens opibus & conſiliis regalibus. Accuſantes igitur Virginis innocentiam in auribus Principis, convertunt ejus potentiam in iram ſuis falſis teſtimoniis, ſuadentes illi ut contra eam inſurgeret, quatenus ſacratæ Abbatiſſæ poteſtatem regendi animas auferret, & eam à Monaſterio repelleret. Sed ſicut ſcriptum eſt, *Corrumpunt mores bonos colloquia mala*, cor terreni Principis accenſum eſt irâ adverſus manſuetudinem Virginis. Anſtrudis apud Ebroinum accuſatur. 1. *Cor.* 15. 33.

13. Accidit autem occaſio & non devotio, ut Rex THEODORICUS hoſtiliter intraret Lauduni civitatem [a]. Adfuit autem Ebroinus cum exercitu, memor ad ſe accuſatæ Virginis, cupiens militare Theodorico & non Deo: qui veniens ad Monaſterium Puellarum non eſt uſus deſiderio bonæ voluntatis, ſed tamquam lupus rapax Chriſti oves diſpergere tentat, Sanctimonialium Matrem ſpiritualem exſilio deputaturus. Cùm verò furibundus virgineum vultum Abbatiſſæ inſpexiſſet, aſperrimè eam objurgare cœpit. Sed præclara Dei famula mitis & humilis corde, paucis ac leniſſimis ſermonibus reſpondebat, oſtendens patienter ſe non timere minas & temerariam objurgationem ſuperbi tyranni. Coram Ebroino ſiſtitur. a

14. Dum Ebroinus malè loquitur & pejus ſe facturum promittit, quidam vir boni deſiderij ACGLIBERTUS acceſſit ad quaſdam Sorores perfectæ ætatis & bonæ vitæ, dicens ad eas: Ancillæ Dei viriliter agite & in Domino confortamini: & omnes pariter & unanimiter quaſi ex uno ore vociferantes Domini majeſtatem exorate, ut hodie nemo vos poſſit ſeparare à veſtra Matre ſpirituali. Tunc cohors ſanctarum Sanctimonialium repetitis precibus exorabat, ut Deus omnipotens Abbatiſſam ſuam eriperet de manu & poteſtate contrariorum. Cúmque voces pſallentium Sanctimonialium audirent ſatellites & comites Ebroini qui cum illo erant, nimio timore exterriti, adſpicientes ſurſum, viderunt de turriculo Eccleſiæ globum igneum exire uſque ad cælum. Qui pavore concuſſi, citiſſimè hoc ſignum Ebroino nuntiaverunt. At ille hæc audiens expavit graviter, confeſtímque ſuam ferocitatem mutavit in maximam lenitatem: móxque Matris ſpiritualis veſtigiis advolutus, devoto animo veniam poſtulavit, pollicitus ſe in omne reliquum tempus vitæ ſuæ congruo honore Dei famulam venerari, fidémque & amicitiam promittit ſe ſervaturum Cœnobio & Dei famulabus: ſícque reverſus eſt ad palatium amicus Religionis, qui fuerat hoſtis Deo dilectæ Virginis. Sanctimonialibus orantibus divinitus ſervatur.

15. Igitur poſt aliquot dies vir quidam nomine CHARIVEUS inſtigante diabolo cœpit protervè contendere contra Dei famulam Anſtrudem, intantum ut evaginato gladio eam interficere niteretur: & ita plenus malæ voluntatis in Eccle- Ad necem quæſita, ad aram confugit.

[a] Hoc contigit paullò poſt mortem Dagoberti Auſtriæ Regis & Vulfoaldi Majoris-domus anno circà DC. LXXXI. quibus mortuis cùm Martinus & Pippinus occuparo Auſtriæ regno bellum Theodorico Chlodovei II. filio intuliſſent devictique fuiſſent; Martinus *per fugam elapſus* (ut habent Geſta Franc. cap. 46, & Fredegarij continuator cap. 97,) *Lauduno ſe recluſit*. Sed cùm Ebroini ſacramento deceptus, Erchericum villam ad Theodoricum acceſſiſſet, ibique contra fidem acceptam fuiſſet interfectus, Theodoricus *Laudunum hoſtiliter intrâſſe* hîc dicitur. Et fortaſſe Anſtrudis apud Ebroinum inſimulabatur quaſi Martino faviſſet, ob idque malè ab Ebroino excepta fuit.

CIRC. AN. DC.XXCVIII OCT. XVII.

siam S. MARIÆ [a] semper Virginis Virginem perſecutus intravit. Virgo autem Domini intrepida ſtans juxta cornu altaris, expanſis manibus Dominum confidenter exorabat. Quam cernens impius perſecutor tam fiducialiter minas contemnentem, propiùs ad aram accedere non præſumebat. In ſe autem reverſus, metuens Divinum judicium, proſtratus in terram veniam humiliter flagitabat. Statim ancilla Domini ut vidit eum indulgentiam & veniam poſtulantem, miſericordiâ mota ſuper illum, dimiſit ei omnem injuriam ſibi illatam, memor ſententiæ Dominicæ dicentis: *Dimittite & dimittetur vobis.* Sed poſt paucos dies jamdictus Chariveus vitam finiens, in ipſo loco quo contra Dei famulam rixaverat ſepultus eſt, ipsâ tamen Beatiſſimâ permittente, quæ ſecundùm Apoſtolum non reddens malum pro malo, cum magna diligentia ei locum ſepulturæ præparavit.

Inimico veniam & ſepulturam tribuit.

16. Deinde poſt biennium quidam juvenis nomine EBROHARDUS cum ſatellitibus ſuis nocturnis horis caſtrum Lauduni hoſtiliter introïens, maximam partem urbis hujus igne ſuccendit, fundere cupiens ſanguinem proximi ſui GISLEHARDI. Qui ut intellexit adeſſe Ebrohardum & civitatis incendium, non æſtimavit ſe vivere poſſe per unius horæ ſpatium: nam quanto citiùs potuit aufugit, & ſic manus inimicorum evaſit. Ebrohardus autem diu quærens fugientem, & minimè inveniens latitantem, commotus irâ perrexit cum furore mentis ad Domnam Anſtrudem, eámque aſperè increpare cœpit quòd ejus fuerit adverſaria, & quòd faverit partibus eorum qui ſuum deſpexerunt dominium. Imperans autem cum magna ſævitia ait: Affer mihi cunctas Monaſterij hujus claves. Mox Chriſti Virgo ad mitigandam ejus veſaniam juſſit afferri. Sed juxta nutum ſuperni Judicis, acceptis clavibus primo diluculo alterius diei ante oſtium Monaſterij præſumptor ſecundum ſuum meritum crudelem mortem accepit. Hæc autem cernens Dei famula claves Monaſterij recepit, & miſerum corpuſculum diligenter tradidit ſepulturæ, obediens & huic Dominico præcepto quo dicitur: *Eſtote miſericordes ſicut & Pater veſter miſericors eſt*; & iterum: *Benefacite his qui oderunt vos.*

Ebrohardus Monaſterij fores violare tentans, cælitùs perimitur.

Madelgarius Epiſc. juſſu Pippini à Monaſterij uſurpatione cõpeſcitur.

17. Temporibus PIPPINI [b] Principis MADELGARIUS, qui tunc Laudunicæ urbis Pontifex eſſe videbatur, vana cupiditate deceptus voluit Cœnobium beatæ Anſtrudis ſibi uſurpare. Quod Dei famula nullatenus adquieſcens voluntati Præſulis, prudenter contradicebat, itaut fieret inter eos grandis altercatio. Virgo autem Domini frequentiam contentionis ferre non valens, per WLFOLDUM conſanguineum ſuum cupiditatem Epiſcopi Pippino ſapienter mandavit. Pippinus autem legationem ſacratiſſimæ Virginis honorificè ſuſcipiens, ſtatim filium ſuum Grimaldum * Laudunum devotiſſimè direxit, præcipiens cum omni diligentia, ut deinceps Madelgarius Epiſcopus nihil inquietudinis inferret Deo dilectæ Virgini. [c] Non eſt itaque mirandum, ſi à Domino tam citò de tribulationibus ſuis erepta eſt, quæ in iſto ſæculo proprias voluntates & curas carnis relinquens, ſolo deſiderio videndi Dominum repleta eſt.

Anſtrudis modus vivendi.

18. Exceptis namque diebus ſollemnibus, id eſt Natalis Domini & die ſancto Paſchæ * & diebus Dominicis, ceteris omnino diebus nihil cibi vel potûs ſumebat, niſi priùs pſalterium per ordinem cum hymnis & canticis ſpiritualibus Domino decantâſſet. Refectio verò illius nonâ aut veſpertinis horis eſſe ſolebat. Nocturnis horis quantum ſe exercebat vigiliis & pſalmodiis, longum eſt enarrare. Locum verò ſibi ultimum poſt oſtium elegit Eccleſiæ: ibíque parvula cathedra poſita erat, ſuper quam reſidendo expleto curſu Horarum ſingularum paullulùm quieſcebat: reliquum ſtratum lectuli ſui jamdudum dimiſerat. Luceſ-

* Grimoaldum

* *addit Interpol.* & Pentecoſtes

[a] Eccleſiam S. MARIÆ, Profundæ dictæ intelligit, quæ una erat ex illis ſeptem, quas à Salaberga conditas in ipſius Vita prænotavimus.

[b] Is erat Pippinus, Heriſtallius dictus, Pippini Landinenſis ex Anſegiſilo & Begga nepos, Caroli Martelli pater: qui Dagoberto Auſtriæ Rege & Vulfoaldo Majore-domus mortuis, unà cum Martino Duce occupavit Auſtriæ Regnum, ad quod Lugdunum Clavatum pertinebat.

[c] Addit Interpolator: *Et nullam poſt poteſtatem in eo habuerunt Laudunenſes Pontifices, niſi tantummodo (dum adfuerunt inibi Sanctimoniales) Abbatiſſarum benedictionem, & Abbatum nihilominus poſt Monialium ejectionem.*

cente quotidie hora diei ſurgens mox circuibat Eccleſias, invitando auxilia Sororum in adjutorium ſibi. Deinde infirmantium cellulas cum totâ cura pietatis viſitabat: ſicque omnibus Dominicis præceptis ſe ſubdebat cum toto ſtudio, ut nullis horis nulliſque momentis à Divinis operibus aliena appareret. CIRC. AN. DC. XXCVIII OCT. XVII.

19. Illud non eſt omittendum, quoniam per illam Dominus primam dignatus eſt operari virtutem. Quædam namque femina ex famulabus ſuis oculorum lumen amiſerat, cui electiſſima Virgo in viſu apparuit dicens: Quid agis Soror? Quæ reſpondit: Bene, Domina: ſed deprecor ut miſererearis mei peccatricis. Dixitque illi: Prima die Dominica ego revertar huc ut lætificem te. Et confeſtim receſſit. Veniente itaque die Dominica, quaſi horâ ſextâ Soror memorata CHRAMNEGUNDIS rogavit ſe per manus ad B. Anſtrudem adduci, obviavitque illi in limine, & ait: Obſecro, Domina, ut manum tuam ſuper oculos meos ponas. At illa fortiter denegare cœpit, ſéque indignam judicavit. Tunc cæca magis ac magis clamabat dicens: Verè non recedam à te, antequam me tangas, & lumen meum mihi reſtituas. Hæc audiens Dei Virgo cœpit lacrymari: & nihil dicens, niſi tantùm oculos in cælum levans, poſuit manum dexteram ſuper oculos ejus, ſtatímque lumen priſtinum reddidit oculorum. Cæcam illuminat.

20. Alio quoque tempore quædam Dei famula, ADALSINDA nomine, capitis dolore fatigata, diu omnino jam per ſe levari non poterat. Ad quam Dei Virgo Anſtrudis viſitandi gratiâ venit, eíque manum cum ſigno ſanctæ Crucis in caput poſuit, & ſtatim omnis dolor evanuit ab ea. Capitis dolorem levat.

21. Alio quoque die Dei famulam nomine SCHOLASTICAM Domna Anſtrudis per Dominum à ſomno mortis ſuſcitavit. Sic tamen mortua putabatur, quòd neque per os ſuum, neque per nares ullum reddebat flatum. Hæc omnia & alia plura Dominus per manus ancillæ ſuæ dum viveret operari dignatus eſt. Mortuam ſuſcitat.

22. Cùm autem dies exitûs ſuæ animæ appropinquaret, vocavit ad ſe turbam Sororum, eíſque diem obitûs ſui celeriter indicavit, & indulgentiam cunctis dedit, & ut ſibi indulgerent ſimiliter petiit. Biduo namque antequam migraret ad Dominum quem tota mente dilexit, claritas immenſa circumfulſit domum illam, in qua Virgo Chriſti feſſo corpore quieſcebat, & de ipſa claritate quaſi ſtella radians reſidens in pectore, intravit in os ejus: factúmque eſt ut horâ eâdem quâ ſancta illa anima egrederetur à corpore, quaſi columba nivei candoris egreſſa ex ore ejus, cunctis qui adſtabant videntibus evolaret ad ſuperos [a]. Moritur claritate circumfuſa. In ſpecie columbæ anima cælum petit. a

23. Cúmque corpus ejus ex more compoſitum conderetur, cunctis præ foribus amariſſimè flentibus, ecce duæ aves inenarrabili ſplendore radiantes de ſupernis ſecretis evolantes ſederunt ſuper domum illius tecti, donec ſanctum corpus cum omni diligentia tractaretur. Cúmque ſacrum corpus feretro in Baſilicam S. Johannis fuiſſet allatum, Soror quædam vulnus ſub aſcella habens acceſſit ad feretrum, manúmque ipſius Sanctæ ſuper ipſum vulnus poſuit cum ſumma reverentia: & ſtatim ſana facta eſt, acſi vulneris livor ibidem non eſſet. Sepelitur non ſine miraculis.

24. Poſthæc quædam Deo Sacrata paralytica jacebat: quæ ſopore depreſſa vidit in ſomnis Dei famulam Anſtrudem ante ſuum lectulum adſiſtentem, pelliciam quam ſancta Virgo ſolebat induere ſuper eam jactantem: quæ ſtatim de ſomno expergefacta ſurrexit, omnibúſque membris recuperatis in conſpectu omnium Sororum incolumis ambulavit. Paralytica curatur.

25. Reus quidam ligatus ducebatur ad necem, qui dum nullam ſpem evadendi haberet, dixit: Væ mihi miſero! væ mihi! Domina Anſtrudis en altera vice vivens liberâſti me: nunc vado ad mortem, & modò defuncta es, mihi ultrà adjuvare non vales. Ad hunc fermonem ſtatim funis ille de manibus ſuis diſruptus Reus ſolvitur.

a S. Anſtrudis anno circà DC. XXCVIII. ad ſuperos migravit, ut ex ſuperioribus colligitur, & quidem XVI. Kalend. Novemb. quo die in Additionibus Molani ad Uſuardum commendatur his verbis: *Lauduno Clavato natale ſanctæ & illuſtriſſimæ* AUSTRUDIS (legendum Anſtrudis) *Virg. & Abbatiſſæ, quæ ab ipſis infantiæ rudimentis mirâ Dei gratiâ prædita, etiam virtutibus ac miraculis glorioſa migravit ad Chriſtum.* S. Anſtrudis ſollemni cultu paullò poſt obitum honorata eſt, ut ex num. 31. conſtat: eíque ADALSINDA Abbatiſſa altare erexiſſe num. 33. dicitur.

CIRC. AN. DC. XXCVIII OCT. XVII. est, illéque reus nullo persequente portis apertis locum reperit evadendi, ac velociſſimo cursu ad sepulcrum sacræ Virginis properavit.

Cæca visum recipit. 26. Ipso quoque tempore Soror quædam amisso lumine oculorum suorum occubuit super sanctæ Virginis sepulcrum ut oraret: quæ depressa somno in ipso puncto evigilans, clarè lumen amissum recepit.

Cæca & muta curatur. 27. Denique puella, nomine HELENA, cæca & muta inter manus Sororum ad ipsius Sanctæ sepulcrum adducta, sub una nocte lumen oculorum & eloquium linguæ ipsa opitulante recepit, ut ita quasi priùs nullam anxietatem inde pateretur.

Dæmoniaca liberatur. 28. Illud quoque ad memoriam revocemus, quòd Soror quædam nomine ODA, filia Gautsuini quondam Ducis, ab infantia à dæmonio graviter vexabatur: & cum eadem infirmitate veste Sanctimonialis acceptâ, Monacha in ipso Monasterio Laudunensi ipsam vexationem per quindecim annos passa fuit. Una autem sabbati, aurora diei incipiente venit ad eam quasi vox Sanctæ Anstrudis, rogans ut signo Dominicæ Crucis semetipsam armaret fortiter, & à lecto suo cum summa festinatione surgeret, ac pergeret ad sepulcrum sanctæ Virginis, & de ipsa petra in trinitate morderet. Quæ ita admonita per duas vices, surgere non audebat: timebat enim valde. Tertia autem voce vox ipsa objurgavit eam dicens: Cur dubitas, puella? Surge velociter, noli timere neque expaveſcere, sed vade ad sepulcrum meum & ego ero tecum: & de petra morde per tres vices, & sana eris. Quæ citò surgens, rapidissimo cursu pervenit ad sepulcrum illius: & ecce universa ostia Ecclesiæ quæ illis horis firmissimè clavibus obserata esse solebant, patefacta sunt. Quæ veniens prostravit se, & de ipsa petra momordit per tres vices, ut ei fuerat imperatum: quæ statim somno suavissimo detenta, auditáque voce sanctæ Anstrudis, quæ & priùs ei loquebatur, dixit ad illam: Surge modò, filia, quia jam curata es ab infirmitate, quam ab infantia nuncusque fuisti perpessa. Quæ cum magno gaudio inter ceteras Virgines sana facta cum fiducia ambulavit.

Sanguinis fluxum patiens sanatur. 29. Quædam verò ex Sororibus fluxum sanguinis patiebatur gravissimum: quæ vidit in somnis quamdam Monacham præcipientem sibi, ut medicinam aliam nequaquam sumeret, nisi rasum pulverem de sepulcro sanctæ Virginis in vino biberet calido. Quæ evigilans jussa complevit, atque in ipso momento à fluxu sanguinis sana effecta est.

Arrepticia liberatur. 30. Denique puella quam supra* à B. Anstrude resuscitatam diximus, arrepta à dæmonio torquebatur, quam apprehensam posuerunt super tumulum sanctæ Virginis: quæ sopore depressa purgata est à dæmone, consolidatísque membris illa regressa est.

*num. 21.

Hydropica restituitur. 31. Item alia puella hydropica omnibus membris destitutis venit in ipso die quo secundùm morem anniversarium diem suæ Depositionis summo honore venerabantur, & in conspectu omnium super ipsum sepulcrum sanctæ Virginis prostravit se & obdormivit. Expergefacta autem puella quæ à duabus feminis ibi vix fuerat adducta, recuperatis membris omnibus per seipsam ad domum suam incolumis ambulavit.

Paralytica convalescit. 32. Quædam autem infirma, SIGRADA nomine, per octo annos paralytica jacebat, itaut nec manum suam ad os suum levare potuisset. Vidítque in somnis S. Anstrudem in veste fulgenti, ampullam in manu sua in similitudine crystalli præclarissimi olei plenam tenentem, & ex ea in modum Crucis cœpit ungere brachia vel manus & totum ejus corpus. Expergefacta autem ab eadem visione, portare se fecit in Basilicam S. Johannis Baptistæ, & deponi juxta cathedram, ubi sancta Anstrudis frequenti orationi vacare solebat: statímque omni sanitate recuperata, quasi super se priùs nullum sensisset dolorem (*supple*) incolumis recessit.

Anstrudis monet, ut sibi altare erigatur. 33. Una autem sabbati Sanctimonialis quædam dum oraret, sopore confecta vidit S. Anstrudem in Basilica B. Johannis Baptistæ contra locum cathedræ suæ.

Quæ dixit ad eam: Soror, vade ad Dei famulam ADALSINDAM [a] Abbatiſſam; & dic ei, ut iſto loco ubi me vides ſtantem, lectum citiùs faciat ædificari, & ibi quæ voluerint Sorores veniant orationes lucrari. Ad hunc ſermonem Soror ipſa evigilans perrexit quò juſſum fuerat: & narravit prædictæ Matrifamilias quæ audivit & vidit. Quæ cùm audiſſet, intelligit lectum illum ſignificare velle altare. Quæ dictis obediens, altare in eodem loco ſacrari fecit: ubi quicumque fideliter in nomine JESU petierit, quod popoſcerit impetrabit. CIRC AN. DC.XXCVIII OCT. XVII. a

34. Alia namque Soror fluxum ſanguinis quatuor annis patiebatur: quæ veniens in hunc ſacrum locum, rogans pro infirmitate ſua repentè ſanata eſt. Alia miracula.

35. Denique quædam ex Sororibus graviter vulnerata, itaut etiam à Medicis minimè curari poſſet affligebatur. Quæ cùm ad illam cathedram S. Anſtrudis ſe juſſit portari, ibi per virtutem ejus ſanata eſt, acſi nullum tumoris vulnus in corpore habuiſſet.

36. Igitur puella ab infantia in hoc ſacro Cœnobio enutrita, nomine PETRONILLA, vehementer ægrotans ita attenuata erat, ut vix anhelitum flebilem daret, ceteris membris ita deſtituta, ut nec oculos aperire poſſet. Nutrix verò ejus amariſſimè flens pro defuncta, ad locum requietionis ſanctæ Anſtrudis deportavit, eámque devotiſſimè extenſam impoſuit. Quo facto, ſuffragantibus meritis B. Anſtrudis Virginis, prædicta puella ſtatim oculos aperuit & cœpit loqui, reſtitutíſque membris ſanata eſt.

37. Nuper quidem contigit quamdam feminam ex progenie nobili ùnà cum filia ſua, & duabus puellis graviſſimè à dæmonibûs fatigari: quæ dimiſſis facultatibus ſuis plena devotione ſe Domino mancipaverunt, & in ipſo Cœnobio habitum ſanctarum Sanctimonialium ſuſceperunt. Sed (ut mos eſt) inprimis eas longè in ſummitate Monaſterij ſequeſtraverunt, ſtatímque crudeliſſimè dæmones eas immaniter vexare cœperunt, ut pænè nullæ Sororum ad ipſas auderent accedere, intantum ut alimoniam deputatam à longè poſuiſſent & fugerent. Dum autem nutu & meritis ſanctæ Anſtrudis poſt celeberrimum diem Natalis Domini circa mediam noctem prædicta matrona cum filia & puellis pavore nimio concuſſæ de loco quo erant ſummo curſu pergentes, ad Baſilicam S. MARIÆ [b] ſemper Virginis ubi ſanctæ Reliquiæ requieſcere videntur advenerunt, & procidentes ante ſepulcrum jacuerunt ibi biduo. Nocte verò tertia ad pullorum cantum exſtinctum eſt lumen lampadis illius quæ pependit ſuper ſepulcra Sanctarum *, & poſt unius horæ ſpatium illuminata eſt: & ita uſque ter exſtinctum & iterum lumen recepit. Ut autem tertiò illuminata eſt, tota Eccleſia quaſi fulgore clariſſimi luminis reſplenduit. Quod videns præfata mulier cum ſuis, nimióque timore perterritæ obdormierunt, audierúntque ſonitum membrorum ſuorum, & inde pavore concuſſæ exclamaverunt voce magna, timentes eâdem horâ vitam finire. At ubi claritas diei illuxit, ſteterunt ſuper pedes ſuos. Ita namque favente Domino per interceſſionem ſanctæ Anſtrudis prædicta matrona cum filia ſua & duabus puellis à vexatione dæmonum liberatæ ac purificatæ apparuerunt, ut deinceps nullam à dæmonibus vexationem uſque in diem ſui obitûs habuerint. NOTA. b * Salabergæ & Anſtrudis

38. Multa quidem & alia quæ modò non occurrunt miracula Dominus qui ſemper eſt mirabilis in Sanctis ſuis per ſanctam ac beatam famulam ſuam Anſtrudem Virginem oſtendit, & præſtantur cotidie ad ſepulcrum illius beneficio orationum ejus omnibus fideliter petentibus per Dominum & Salvato-

a Ipſa eſt Adalſinda, quæ à capitis dolore per B. Anſtrudem liberata num. 20. legitur, quæ ſine dubio Anſtrudi in Monaſterij regimen ſucceſſit.

b In fine Vitæ S. Anſtrudis ab Auctore anonymo ſæculo XII. expolitæ ſic legitur: *Monſtratur autem locus in Eccleſia* B. MARIÆ (Profundæ ſcilicet) *ſemper Virginis, in qua ſanctiſſimum corpus illud ſepultum multis requievit annis: donec inde tranſlatum, & unà cum oſſibus* B. SALABERGÆ *matris ſuæ reconditum eſt in ſuperiori Eccleſia* B. *Iohannis Baptiſtæ*, &c. Quo tempore facta fuerit hæc Tranſlatio, an poſt incendium Laudunenſe anno M. C. XII. non liquet. In Monaſterio S. Johannis Tranſlatio S. Auſtrudis XVI. Kalend. Julij; Salabergæ verò XI. Kalend. Martij celebrantur.

rem noſtrum JESUM-CHRISTUM, qui cum æterno Patre & Filio & Spiritu-ſancto vivit & regnat in ſæcula ſæculorum, Amen.

CIRC AN. DC.XXCIX. MART. XVI

VITA S. EVSEBIÆ ABBATISSÆ HAMATICENSIS IN BELGIO.

Ex Martio Bollandiano.

OBSERVATIONES PRÆVIÆ.

Vitæ Scriptores.

1 ACTA S. EUSEBIÆ quidam ſcientiæ profundioris prosâ & metro luculentiſſimè edidit, *uti num. 3. ſubjectus teſtatur Auctor, qui ſæculo XII. vixiſſe videtur. Vtramque lucubrationem exhibet Martius Bollandianus, nos verò omiſimus, tum quia* HUCBALDUS *in Vita S. Rictrudis ſuperiùs relatâ S. Euſebiæ geſta deſcripſit; tum quia anonymus ille nihil habet ab Hucbaldo diverſum, nihilque ſingulare præter Tranſlationem, quam ab alio Auctore anonymo æquè accipiemus. Quæ hîc deſunt de S. Euſebiæ Vita, ex Hucbaldo in Actis S. Rictrudis repetenda ſunt.*

Hamatici ſitus & ſtatus.

2. Eccleſia Hamaticenſis *ex dicendis infrà num. 1.* quatuor ſtadiis diſtat à litore Marchianenſi, *ubi* antiquiſſima erat Baſilica in honore B. Petri Apoſtolorum Principis dicata, *nempe* à S. Amando, *teſtante Chronographo Marcianenſi, de quo in obſervationibus ad Vitam S. Rictrudis dictum eſt. Iſtius Parthenonis varias fortunas diſcimus ex ſequentibus numm. 7. 9. & ſeqq. Modò locus reductus eſt in Prioratum* Hamay *appellatum, Abbatiæ Marcianenſi ſubjectum.*

Hamatici ſitus.

1. ECCLESIA Hamaticenſis quatuor ſtadiis diſtat à litore Marchianenſi, in quo multorum annorum Baſilica antiquiſſima cernitur, in honore B. Petri Apoſtolorum Principis à prolixa retro ætate dicata. Huic loco præfuit S. GERTRUDIS, mater GERBERTÆ Adalbaldi inclyti Ducis genitricis. Conſtat autem hanc Eccleſiam temporibus CHLOTHARII Regis magni, filij Chilperici, ædificatam eſſe. Quem locum multa laude in ſcriptis ſuis extulerunt qui ante nos fuerunt: quòd videlicet paradiſiacæ ibi fuerit exercitatio vitæ; quòd Servorum Ancillarúmque Dei frequentia conventicula; quòd ibi in quibuſdam triceſimus, in quibuſdam ſexageſimus, in quibuſdàm centeſimus fructus ſpirituali fecunditate pullulaverit, cæleſtibus horreis inſerendus; quòd ibi degentium Deóque ſervientium converſationi cælum erat. Ibi aliquanto tempore Angelicæ dignitatis perſonæ utriuſque ſexus commorantes, atque ſub caſtris Regis æterni ſtrenua militia fortiter decertantes, crebris ictibus congreſſæ, antiquum hoſtem Salvatoris auxilio efficaciter proſtraverunt. Fuerunt hi, beatus ſcilicet AMATUS Senonenſis Archiepiſcopus juſſu Theodorici Regis exſiliatus, Levita MAURONTUS Domnæ Rictrudis filius, GERTRUDIS venerabilis ejuſdem loci domina & rectrix, GERBERTA quoque venerabilis mater Adalbaldi Ducis. Hunc ergo locum virgo glorioſa EUSEBIA, B. Rictrudis filia, poſthabitis aliis omnibus coluiſſe refertur.

viri illuſtres.

Euſebia Gertrudi proaviæ ſucceſſit.

2. Poſt emeritæ virtutis ſupradictæ Gertrudis famulæ Chriſti tranquillam dormitionem, quæ accidit octavo Idus Decembris, flos virgineus, candidiſſimus ut lilium, proneptis ejus præfata Euſebia, Virgo prudentiſſima, non ventoſæ ambitionis dominatu, ſed caritate, cura & ſollicitudine in loco ſucceſſit duodennis, geminam plebem ſagaci induſtria contuendo ſollerter perluſtrans, cæleſtis exhortationis verbo & piæ operationis exemplo univerſis ſemetipſam virtutis ſpeculum indeſinenter oſtentans, ſecundum eloquium Salvatoris, dicentis: *Luceat lux veſtra coram hominibus ut videant opera veſtra bona, & glorificent Patrem veſtrum qui in cælis eſt.* Quod in bonis maturum eſſe intellexerat, forti perſeverantia finetenus tueri, & in hoc perſiſtere ſemper hortabatur: quod verò

Matt. 5. 16.

in quibuſdam minùs perfectum fortè noverat, crebris conatibus ad melio- CIRC. AN. DC. XXCIX. MARTII XVI.
rem profectum ſe ſe paullatim extendere, & ad virtutum culmina uſque conſcendere corroborando inculcabat aſſiduè. Tranſmigratis autem inde beatis viris Amato Archiepiſcopo & Levita Mauronto cum quibus ſibi viſum fuerat, ad Broilum ejuſdem Mauronti Monaſterium (quod poſtea loci incolæ Menrivillam *, id eſt, Mauronti villam vocaverunt ſuper fluvium Legiæ * ſitum, qui de partitione hereditatis matris ſuæ fundus præſtantiſſimus ſortitò ſibi provenerat;) B. Euſebia cum religioſi cultûs matronis & ceteris fidelibus uſque in finem decreverunt ibidem perſiſtere in bonorum operum exercitatione, Chriſto fideliter ſervientes die noctéque.

* *Merghem* * *le Lys*

3. Hujus ſacratiſſimæ Virginis vitam vel actionum geſta non mihi propoſitum eſt currente calamo plenius explicare: quia quidam ſcientiæ profundioris proſa & metro ea luculentiſſimè edidit. Hoc tamen dicendum & nullatenus alicui incredibile debet eſſe, quòd in ſanctæ converſationis propoſito, dum advixit, in eiſdem ſuis locis norma juſtitiæ & ſanctitatis diſciplina celeberrimè floruerit, opinionis quoque ſuæ rumor odórque beatarum virtutum longe latéque exinde diffuſus ac dilatatus ſit. Sed & hoc breviter attingendum, quòd mundo cum illecebris & concupiſcentiis ejus viriliter ſuperato, & hoſte maligno cum pravis ſuggeſtionibus ejus triumphato, virginitatis adeptura bravium & perpetuitatis emolumentum, ſeptimo Kalendas Aprilis [a] gratanter migravit ad Chriſtum. Fabricata autem ſibi fuerat minuſculæ quantitatis ædicula, id eſt tredecim pedum longitudinis & ſeptem latitudinis, adhærens Eccleſiæ ab Auſtrali plaga. In hac ergo à parte pedum ara conſtructa & mauſoleo compoſito, omni auro pretioſior ſancti corporis ejus gleba in pace ſepulta eſt. Hoc verò Oratorium ſalubre, ſanctarum Reliquiarum virtute præſtans beneficia populis, à quamplurimis vel febribus vel quibuſlibet morbis gravatis ſæpiùs frequentatur: qui ſolamen quærentes, in fide nihil hæſitantes, ſalutifero ſomno ſuper tumbam cervice reflexa ſoporati, ſtatim cæleſtem ſentiunt medelam & integræ ſanitati reſtituuntur. Quòd autem ſcriptorum tarditas & inertia, Dei omnipotentiam & miracula, quæ in Sanctis ſuis clementer operatur, occultari negligenter ſinit; non mediocriter increpanda, ſed vehementer culpanda eſt talis eorum incuria, quibus ſummi Largitoris providentia & ſcientiæ donum & efficaciam ſcribendi contulit.

[a] Moritur ac ſepelitur.

4. Ipſo itaque in tempore à Fidelibus eo loci conſiſtentibus, & à devotis diverſis ex partibus illuc confluentibus & præcipuè à quadam Gertrude, laudabilis meriti femina, cujus induſtria in ſancta religione fuerat ſtrenuiſſima, in honore beatiſſimæ Dei Genitricis & perpetuæ Virginis MARIÆ conſtructum eſt Templum non longè à memoratâ Baſilica B. Petri in dextro latere fundatum. Quod VINDICIANUS, ſanctæ Cameracenſis Atrebatenſiſque Sedis honorabilis Epiſcopus, B. Autberti ſucceſſor emeritus, nomini & veneration ejuſdem Sanctæ Dei Genitricis MARIÆ, quarto-decimo Kalendas Decembris celebriter dedicavit. In cujus conſecrationis officio opportuno cum aliis Eccleſiaſticis perſonis venerabilis HATTA interfuit, qui à Rege Theodorico electus, ab eodem Vindiciano Pontifice, ſecundo ordinationis ſuæ anno, Cœnobii B. Vedaſti Confeſſoris Chriſti Abbas benedictus exſtiterat: ideóque ſimul Gandenſem S. Petri Apoſtoli Abbatiam, quæ in monte Blandinio ſita eſt, nobiliter regebat. Corpus verò Sanctum beatæ Virginis Euſebiæ, quod elevatum fuerat de Eccleſia S. Petri per revelationem Divinam quinto Kalendas Novembris, ipſa die Dedicationis tranſlatum eſt in Eccleſiam B. Mariæ ſemper Virginis.

Gertrudis ei ſuccedit & Baſilicã ædificat.

S. Euſebiæ corpus transferri curat.

[a] In alia Vita à nobis omiſſa hæc leguntur: *In hujuſmodi exercitiis ſeptem minùs tricenis vitæ hujus tranſcurſis annis* (id eſt annis XXIII. quibus Hamatico præfuit) *cùm ex Divina prænonſtratione præſciſſet diem ſuæ glorificationis inſtare, convocat omnes qui ſub ſe militabant in ſancta profeſſione*, &c. Hucbaldus ſeu ejus Interpolator in Vita S. Rictrúdis cap. 20. Euſebiam deceſſiſſe ſcribit XVII. *Kalend. Aprilis anno* DC. XXCIX. *ætatis* XLVI.

CIRC. AN. DC. XXCIX. MARTII XVI. Gertrudis pie moritur.

5. Præfata autem Gertrudis ſociæque ejus, poſt laborioſam adminiſtrationem hujus tranſeuntis vitæ, poſt agones continuè perpeſſos in bonis actionibus & ſancta converſatione, unaquæque earum in hora finis & vocationis ſuæ feliciter egrediuntur de corpore, tendentes ad Deum remuneratorem omnium cum certa ſpe pietatis illius & miſericordiæ: cadaverum verò membra tumulata ſunt in eadem B. Petri baſilica cum magnifico honore. Quòd etiamſi per Dei diſpoſitionem quarumdam earum oſſa exinde videntur eſſe ſublata, carnis tamen & ſanguinis ejus reſiduus pulvis ibi relictus eſt in terra, corpori proprio & ſpeciei ſuæ reſtituendus in generali reſurrectione & ultima. Verè locus iſte ſanctus eſt quamvis neglectus, & quamvis regentium culpandâ incuriâ non fuerit, ut dignum eſt, decentiſſimè compoſitus & ſublimatus.

Nautis lux è Baſilica cælitùs immiſſa.

6. Niſi fallor, narratum mihi fuiſſe reminiſcor à quodam boni teſtimonii Preſbytero & Monacho, quòd quidam nautæ cum onuſta nave ad ſua revertentes nocturno tempore, fluvium qui præterfluit remigando ſulcabant. Inhorruerat verò tenebrarum denſiſſima caligo, nec luna, nec ſideribus apparentibus, ſed, ut ſibi videbatur, à cælo terratenus per inane aëris quaſi omnem mundum tenebris eiſdem occupantibus; cùm ecce ſubitò circa quartam vigiliam noctis per medium ejuſdem tetræ caliginis à longè intuentur per illius ſanctæ Baſilicæ patentes feneſtras magni ſplendoris lucem emicuiſſe, itaut aqua quæ præ oculis priùs latebat, conſpectibus eorum fieret perſpicabilis, & hinc arundinetum, inde comam ſilveſtrem clariùs conſpicerent; quæ lucis continuatio tamdiu ab eis viſa eſt, donec levi allapſu viciniùs adeſſent. Factum eſt autem cùm paullatim rareſcendo ſe fulgor ille diffuſus reprimeret, ut indeficientis perſpicuitate claritudinis odor quidam gratiſſimus nares eorum perſtringeret: qui nimirum terrore attonitos pleniùs recrearet. Sic igitur prædicti remiges animati, patrocinia Sanctorum & locum præcipuum venerationi habentes & admirationi, cœptum iter perlegunt cum exſultatione ingenti.

Hamatici locus quondam excultus, modò deſertus.

7. Sed væ væ malignitatibus hominum peſſimorum, quorum infernalis improbitas & tyrannica rabies atque atrocitas diabolica pacis jura comminuit, & amœnitatem in jocundo aëre, in paſcuis uberrimis opulentiam fertilis terræ frugibus diverſis, ſublato cultore & fugatis habitatoribus inviam, deſolatam, inhabitabilémque reddidit. Annoſi etenim viri ſatíſque decrepiti ſæpiſſimè teſtati ſunt, quòd cùm adhuc provincia meliuſculè conſiſteret, & ſimplicitas hominum in omni negotio pluris eſſe videretur quàm modò, ab exteriori atrio ſecus oram fluminis in Orientem longo ordine porrectæ erant civium manſiones per Wandingeias quaſi ſtadiis duobus, quod eſt quarta pars milliarii. Ex parte verò altera ad meridiem ſimili tractu domorum habitacula nihilominus extendebantur uſque ad ſilvam. Tunc piratæ non erant, neque ſicarii, neque qui nunc confuſo nomine dicuntur Haſpalici[a], quorum numerus modò ubique locorum pænè innumerabilis eſt, qui diurni noctúrníque raptores ſemper incumbunt & infeſtiſſimi ſunt: vim faciunt, & pauperum conclavia, cubicula, omniáque ſecreta eorum violenter ſcrutantur, nec quietem habere patiuntur genus hominum. Non licet cuiquam ovem nutrire, nec ſuem, nec gallinam, nec anſerem, quæ illi perditi non diripiant & diabolicis faucibus ſuis omnia deglutiant. Plangenda ſunt talia & dolenda, & cum mærore cordis clamandum quod jam olim dictum eſt: O tempora! ô mores! Verùm his interim omiſſis ad ſuperioris narrationis ordinem redeamus.

Euſebiæ Tranſlatio Marcianas.

8. De ſecunda autem tranſlatione S. Euſebiæ, quomodo ab Hamatico Marchianas tranſlata ſit, quod ſtilo evidentiùs proſequendum ſit, certum nihil occurrit. Sed & de Sanctis ceteris, quorum membra pretioſa meritis præclaris locum noſtrum illuſtrant, quorum quotidie ſancta interceſſione & pio confovemur

[a] Forſan *Raſpalici*, inquit Henſchenius, & illi ſunt fæces hominum undiquaque collectorum. Id genus homines Galli noſtrates *Racailles* & *Canailles* appellant.

auxilio, nec littera nec traditio insinuat, quod merito conscribi oporteat. Quamobrem consultius de his censuimus reticere, quàm fabulosum aliquid commentando referre. Tradunt tantummodo qui nunc supersunt & Cœnobitæ & loci incolæ, quòd sæculo adhuc in meliori pace & gratiori prosperitate consistente, usus hujusmodi adoleverit, ut per singulos annos in dedicatione Ecclesiæ pridie ante diem festum illuc transferretur corpus Sanctæ cum Reliquiis & Crucibus, quibusdam de concione Fratrum simul comitantibus, qui cum reverentia & timore vespertinalem synaxim & nocturnalem consuetudinaliter quirent adimplere. In crastinum autem Domnus Abbas vel Decanus superveniret cum collegii parte residua, & sic pariter officii diurni percelebrarent festiva gaudia. Jam verò die festo mediante, celebratis Missarum sollemniis & mysteriorum cælestium sacramentis, cum alacritate animi & jocunditate spiritali redirent ad sua in voce exsultationis. CIRC. AN. DC. XXCIX. MARTII XVI.

9. Anno autem Domini octingentesimo quinquagesimo, cum Nortmanni Galliarum civitates & castella & Monasteria igni tradidissent, & habitatores interfeciſſent; hunc quoque locum Marchianensem deletis habitatoribus destruxerunt. Cùm verò tempore CAROLI Regis cognomento Simplicis Nortmanni Christi Fidem suscepissent, Gallia pace recepta Ecclesias denuò restauravit, in quibus & istæ sunt restauratæ. Eo autem tempore [a] quo Sanctimoniales à Monasterio Marchianensi per BALDUINUM Comitem & LIETWINUM Abbatem S. Vedasti ejectæ sunt, in subjectionem Monachorum Marchianensium idem locus devenit: qui sub regimine FULCHARDI Abbatis ad summam paupertatem cum Marchianensi redactus, in tantum idem locus Hamaticensis venit despectum, ut cuidam rustico & uxori ejus Monasterii custodiam delegarent: Abbas quoque cuidam militi cognato suo debili & leproso totum concessit, quidquid ibi ad sui sustentationem posset accipere. Hamaticensis Cœnobii varii status. [a]

10. Usque ad tempus verò AMANDI Abbatis [b], non fuit qui amovere paupertatis hujus sarcinam recogitaret. Sed hic ad laborem se destinatum non ignorans, dum Marchianis ad reædificandum intenderet; propter Hamaticensis Ecclesiæ destructionem, eoquòd locus sanctus esset, animus ejus cœpit affligi. Et vocato ad se Fratre quodam, qui religiosus & secundum sæculum sapiens erat, cum eo loci desolationem plangens; Frater, inquit, necesse est illic per tuam industriam aliquid reædificari. Vade ad locum pauperis obedientiæ diligens & lætus exsecutor, quia pro tua bona voluntate certus sum, quòd tibi gratia Domini non deerit. In hoc verbo Frater stupefactus; Grandis, ait, labor apparet, sed utilitas nulla subsequetur. Locus enim jam multis retrò temporibus neglectus est, & sumptus unde quæ destructa sunt reædificem non habeo. Sic altero humiliter excusante quod alter injungebat, Fratres nocte proxima, postquam in lectulis paullulùm quieverant, secundum consuetudinem, ad confitendum Domino surrexerunt. Quibus in choro psallentibus Frater ille, cujus animus pro mandato suscipiendo nutabat, tamquam ad definiendum certiùs quid ageret, ante altare B. MARIÆ veniens, super lapidem caput suum cubito subnixus reclinavit: qui dum cogitationibus suis turbaretur, ut est mærentium consuetudo, paullulùm obdormivit. Et ecce virgo quædam inæstimabili decore, ut videbatur ei, stans ante ipsum blandè lenitérque ne turbaretur admonebat. Et cur, ait, obedientiam, quæ tibi injungitur, suscipere recusas? ne desperes: suscipe illam, tibi nostrum non deerit auxilium. Hoc dicto Frater expergefactus est, & hæc quæ cum eo loquebatur disparuit. Tunc visionem recordatus, inanem fuisse non credidit, & consolatione recepta, mane facto, Abbati quæcumque viderat enarravit. Et ego, inquit, Pater amantissime, ad locum destinatum cum benedictione vestra pergam, confidens in Domino, quia precibus vestris promisso [b] Instauratio ipsius per Amandum Abbatem Marcianensem.

[a] Nempe anno M. XXVIII. testante Meiero in Annal. Lege Observat. in Vitam S. Rictrudis.

[b] Amandus Fulcardo Adalardi seu Alardi successori fuerat suffectus anno circà M C.XX. laudatus in Chron. Marcian. lib. 2. cap. 9. ob Hamaticensis Cœnobii restitutionem hîc memoratam.

CIRC. AN. DC. XXCIX. MARTII XVI.

non deſtituar auxilio. Gaviſus eſt igitur uterque: ſed de duabus, reverenda ſcilicet Dei Genitrice & B. Euſebia ignorabant, utra in apparitione illa ſuam oſtendiſſet præſentiam.

11. Frater autem ad locum veniens, neminem invenit: ruſtico & uxore ejus qui cuſtodes Monaſterii conſtituti erant, ab Abbate jam expulſis. Dum verò præter locum deſertum & Monaſterii parietes nihil adſpiceret, in rimulam quamdam parietis viginti marcas argenti ex improviſo conſpexit: unde magis exſultans accepit eas, tunc pro certo ſciens, quòd à Domino Deo fuiſſet viſio quam viderat. Rebus igitur quibus indigebat comparatis, conductis quoque cœmentariis & lignorum cæſoribus, ſatagebat ut inprimis parietes & tectum Monaſterii reſtaurarentur. Sed cùm trabes ſuſtentaturæ tectum præparatæ fuiſſent, quædam in menſura trium pedum ceteris in longitudine minor inventa eſt. Qua de re artifices cum Monacho triſtes effecti, quid agerent ignorabant. Rogantur ut iterum diligenter menſurare incipiant, ne fortè errore decepti, aliter ſe res habeat, quàm loquuntur: reiterant quod bis factum fuerat, ſed menſura juſta de trabium inæqualitate non aliter quàm primitùs reſpondit. Tunc inquiunt operarii: Propter trabem unam totum opus noſtrum retardatur: & dum dies prætereunt, vacamus otio nihil lucrantes. Aut quæratur nobis, quod ad perficiendum opus neceſſarium eſt, aut ubicumque alteri ſerviemus, condictam pro labore noſtro mercedem accepturi. Hoc audito Monachus triſtis recurrit ad Abbatem. At ille, Vides, ait, fili, quod te juvare nequeo: vade: qui tibi nunc uſque affuit, in conſummandis rebus auxilium procuret. Triſtior itaque quàm venerat ad operarios revertitur, quibus volentibus abire, Ad aliam, inquit, trabem comparandam mihi pretium deeſt: ſed precor ut iſtius longitudinem ſemel adhuc diligenter conſideretis. Tunc illi iraſcentes, Ridetis, inquiunt, nos, cui ſemel adhuc & bis iterata, ſed inaniter, geminatio non ſufficit. Inſtantiâ precum denique victi cum ſumma repetunt diligentia rei longitudinem, quam toties conſideratam non poterant fateri ſe ignorare. Res mira! inveniunt trabem illam non ſolùm ceteris coæquari, ſed menſura trium pedum in longitudinem ceteras omnes excedere. Unde pro evidenti miraculo collaudantes Dominum, tectum Oratorii cum gaudio perfecerunt. A diebus illis quatuor vel quinque Fratres ad ſerviendum Domino illic ſunt deputati, & eſt locus ille Fratribus infirmis de conventu Marchianenſi pro viribus corporis reparandis valde neceſſarius.

Adalardus Abbas thecam S. Euſebiæ denudat in gratiam pauperum.

12. Præcedenti tempore ſub ADALARDO Abbate, cùm villa Saliacenſis[a] igne eſſet concremata, qui priùs ibi pauperem vitam duxerant, tunc ad inediam redacti ſunt. Recurrunt ad Abbatem, pro ſui ſuſtentatione aliquid ab eo miſericorditer poſtulantes: qui vaſe aſſumpto, quo B. Euſebiæ corpus erat reconditum, auro & argento quo deſuper ornabatur ſpoliare non diſtulit: & erogans ea ſuis hominibus, prout ſingulis opus erat, alienæ mendicitati clementer indulſit.

Euſebiæ corpus novæ thecæ includitur,

13. Poſtea multis diebus tranſactis placuit ſuperiùs dicto Abbati Amando Marchianenſi piæque ſub eodem Patre unanimitati Fratrum præparare ſibi ipſius vaſculum, utpote ex auro & argento componendum, in quo reconderentur ſacra ſacræ Virginis oſſa, ad honorem Domini & majorem devotionem ſeu exſpectationem fidelium virorum. Recondita ſunt igitur præfatæ ſacratiſſimæ Virginis Euſebiæ ſacra ac veneranda oſſa de veteri in novam ex auro & argento ſatis pulcro opere fabricatam & contextam lecticam, anno incarnati Verbi milleſimo centeſimo trigeſimo-tertio, Indictione undecima, ſexto concurrente, Epacta duodecima, ſexto-decimo Kalendas Junii. Hæc autem feſtiva ac congrua lipſanorum & oſſium denominatæ Virginis Euſebiæ repoſitio facta eſt concurrente utriuſque ſexûs innumera multitudine cum nimia exſultatione & intima cordium devotione: hoc tamen factum eſt apud villam Aſconium in beatæ

anno 1133.

[a] In Chron. Marcian. lib. 1 cap. 33. ubi hoc factum refertur, *villa de Sailly* appellatur.

Virginis Euſebiæ poſſeſſione, vivente bonæ memoriæ Amando Abbate Marchianenſi, præſentibus inibi quibuſdam Fratribus videlicet ejuſdem Marchianenſis Eccleſiæ. Beatæ Virginis oſſa in vetuſto vaſculo reperta ſunt integra, ſed honeſtiori ſatis ornatu in nova theca ſunt repoſita cum ſancta devotione ac gemituum & lacrymarum effuſione, teſtimonio Monachorum necnon etiam ſcholarum puerorum, totum ſine dubio repoſitum eſt feliciter. Nam pridie antequam deferretur Aſconium, ad videndum confluenti catervæ populorum ſatisfactum eſt Marchianis de corpore B. Euſebiæ fidei Fratrum. Quo delato, ante conſpectum eorum expoſuerunt, inſpexerunt, denotaverúntque per ſingula, quidquid ipſius oſſium latebat infrà vetus lipſanum [a]. CIRC. AN. DC. XXCIX. MARTII XVI.

14. In Oratorio autem B. Petri ad ſepulcrum beatæ Virginis ſanitates multæ diverſis temporibus infirmis fideliter accedentibus à Deo collatæ ſunt: è quibus pauca, quæ ipſi vidimus, ſcribere dignum duximus. Quidam Monachus, nomine BARTHOLOMÆUS, qui inter religioſos ipſius temporis Monachos miſericordiâ, pietate, & compaſſione erat præcipuus, validiſſimis febribus, quartanis ſcilicet, quodam tempore vexabatur. Qui cùm eſſet præ vigiliis, labore & abſtinentia, naturali quoque complexione imbecillis, ſupradicta eum infirmitas his admixta valde attrivit. Is Marchianis cum quibuſdam Fratribus ſuæ Congregationis ad S. Rictrudem, quam nimis diligebat, causâ orationis & Fratres videndi adveniens, Fratribus ipſius Monaſterii ſuum incommodum patefecit. Fratres autem valde illi compatientes, hortati ſunt ut ad ſepulcrum memoratæ Virginis pro ſua infirmitate Deum & ipſam oraturus properaret. Quibus auditis, vir fidelis minimè hæſitans in corde ſuo, prædictos Fratres ſecum adſumens, Hamaticum venit: ſícque fide plenus ad ſepulcrum Virginis acceſſit, oravit, & obdormivit, & à ſomno ſurgens ſanus & incolumis Deum in ſancta Virgine mirabilem collaudavit, & gratias agens receſſit. Hæc ab ipſius viri venerabilis ore audivimus. *a* Monachus à febre liberatur. Auctor teſtis.

15. Quædam ex Sororibus noſtris honeſtæ vitæ valde laborabat capitis infirmitate: quæ infirmitas tam crudeliter in ea cœpit graſſari, ut auditum amitteret ſiniſtræ auris. De ſiniſtra ſurditas tranſit ad dexteram: quæ cauſa cum infirmitatis moleſtia magnam illi ingerebat verecundiam. Nam in domo, quæ ab Abbate illi erat commiſſa, famulos clamantes, famulas garrientes vix audiebat. Ipſa itaque ſic afflicta venit ad ſepulcrum venerabilis Euſebiæ Virginis, orationi prout potuit devota incubuit: poſt orationem arripuit pulverem in ſepulcro jacentem, & ponit in utramque aurem. Fide igitur roborata ſurgit à terra geſtans pulverem in utraque auricula, exceſſit à loco & abiit, & clarè omnia, ſicut ſolebat, audivit: nec ſolùm ſalvata eſt à ſurditate per Domini gratiam, ſed etiam ab ipſa capitis infirmitate. Hæc prædicta Soror nobis cum gaudio narravit, & locum ſupradictum infirmos viſitare monuit. Surda auditûs facultatem recipit.

16. Ut ſanctis locis congruus honor exhibeatur, iſtud quoque exemplum ſubjungimus. Quidam ex ſervientibus ipſius Eccleſiæ ab opere ſibi injuncto domum reverſus eſt die adveſperaſcente, pedes habebat nudos, & de cœnoſo loco unde venerat luto repletos. Tranſiens autem juxta ſupradictam Eccleſiam S. Petri, lutum quod pedibus ſuis adhærebat, ad limen exterſit oſtij. Necdum plenè pedes exterſerat, cùm repentè virtute Divina percuſſus contremuit, & pedum ſimul & tibiarum uſum amiſit: tactúſque dolore membrorum vehementiſſimo, clamores emittebat anxios. Fratres qui in proxima B. Mariæ Baſilica excubabant, audientes illius miſeri clamorem, illuc citiſſimè feſtinant. Illis percunctantibus cauſam edicit clamoris, & ob injuriam ſanctæ ædi illatam ſe nimio dolore torqueri. Monachi hoc audito & Deum glorificantes, infirmum Quidam ob irreligionē punitus.

a Nunc S. Euſebiæ oſſa Marcianis in theca argentea adſervantur teſte Miræo in Faſtis Belg. coſta verò in Duacena S. Petri Eccleſia unà cum junctura majori manûs S. Rictrudis à Johanne *Doëne* Abbate Marcianenſi donata anno M. D. XXXVII. quo nova Reliquiarum S. Euſebiæ tranſpoſitio in novam capſam facta eſt.

CIRC. AN. DC. XXCIX. MARTII XVI.

adſumunt; & quia ambulare vix poterat, aliorum manibus reducitur in domum. Poſt dies aliquot ad ſepulcrum Virginis ductus, & facta oratione melioratus, eventu ſuo docuit loca ſancta ab omnibus debere honorari. Hoc quoque à Domino WIDONE Seniore, loci illius Priore audivimus.

Febris exſtinguitur.

17. Engelrannus quidam juvenis de Piſcatorum-curti quartano typo ita vexabatur atrociter, ut totius corporis vires amitteret. Nam accedente febre vix aliquem cognoſcebat, nemini intendebat: illa verò recedente, non ſomnum capere vel cibum poterat. Hac itaque gravatus infirmitate, totus deficiebat. Hiems erat, nec aliquis medicorum ante vernale tempus illi ſanitatem promittebat. Is itaque cum Domno THEOBALDO venerabili viro, qui prædicto præerat loco, loqui cupiens in nocte feſtivitatis S. Martini, quæ celebratur menſe undecimo, illuc advenit. Præfato igitur viro ſuam patefaciens ægritudinem, ipſius conceſſione & conſilio illa nocte ad ſepulcrum Virginis ſolus pernoctavit. Mane igitur facto ſurrexit, & oratione facta febris ex integro illum reliquit. Et gratias agens Deo & beatæ Virgini receſſit à loco & abiit.

Feminis in partu laborantibus fert opem S. Eulebia.

18. In pago Belvacenſi eſt quædam villa peroptima, quæ ex nomine S. Euſebiæ S. Iſoia vocatur, quæ quondam exſtitit Monaſterij Marchianenſis: nunc verò poſſeſſio eſt Canonicorum Epiſcopij Belvacenſis. Ibi eſt Eccleſia in honore ejuſdem Virginis dedicata, ubi ejus memoria ab incolis celebratur devotione pleniſſima: ſed feſtivitatem depoſitionis ejus, quam celebramus ſeptimodecimo Kalendas Aprilis, ipſi feſtivam agunt in octavis S. Martini, in die ſcilicet primæ ejus Tranſlationis. Nec ſilendum eſt quæ ibi agat Divina miſericordia per ſanctæ Virginis merita: nam ejuſdem pagi mulieres cum in partûs difficultate periclitantur, ex antiqua conſuetudine edoctæ, invocant nomen ejus. Quæ fideliter invocant, abſque mora partu emiſſo per Divinam clementiam ſentiunt levamen. Expletis verò purgationis ſuæ diebus, conſuetudinaliter ad Eccleſiam ſupradictam non manu vacua Sacerdoti ſe præſentantes, Deo & liberatrici ſuæ gratias agentes, ad propria redeunt.

19. Neque illud prætereundum eſſe putavimus, quod in pago Sueſſionenſi, LUDOVICO ſeptimo regnante per S. Euſebiam operatus eſt Dominus. Eſt enim ibi villa, quæ Verniacus dicitur, quam DAGOBERTUS Rex Francorum præcelſus & Regina NANTHILDIS dederunt ei[a], quando eam ſuſceperunt de fonte ſalutari: hæc enim ſola illi remanſit ex omnibus quæ in illo pago regalis munificentia illi contulit. Inde ſingulis annis vinum Marchianis adducitur, unde altari Chriſti, hoſpitibus, infirmis & ceteris Fratribus & Sororibus, pro poſſe miniſtratur. Quodam autem tempore cùm Monachus qui ibidem ex præcepto Abbatis præerat, lapides ſibi neceſſarios de rupe proxima ſibi prævidere vellet, quemdam cœmentarium cum ſervientibus ſuis direxit, & ut lapides de concavitate illius rupis certatim ejicerent, præcepit. At ille qui magiſter hujus operis erat, in foveam nimis profundam & adſpectu terribilem deſcendens, malleo ferreo lapides de rupe præcidebat: Monachus verò per manum ſibi ſervientium ſurſum rotali machina trahebat. Quadam verò die cùm ille fortiter malleo rupem percuteret, ſubitò omnis illa moles lapidea ſuper eum cum horribili ſonitu immutata cecidit. Accurrunt omnes villæ incolæ illum quaſi mortuum plangentes. Quis enim non eum crederet mortuum, videns ſuper eum tantam molem lapidum? Lapidibus autem cum magno omnium labore remotis à loco, invenerunt inter lapides ſedentem vivum quem putabant mortuum. Fit cum ſtupore clamor, laus & exſultatio. Interrogatur homo, quomodo mortem evaſerit. Ego, inquit, videns rupem ſuper me ruentem, ſubitò nomen S. Euſebiæ hujus loci dominæ invocavi: quo invocato lapides mihi cameram facientes, me non tetigerunt: hoc modo per Deum & ejus ſanctam Virginem Euſebiam à morte ſalvatus ſum. Ex his paucis quæ retulimus poteſt quiſque fidelis perpendere merita beatæ Virginis. Pro his omnibus benedicendus eſt Deus per ſæcula ſæculorum à nobis, qui eſt mirabilis in Sanctis ſuis. Amen.

[a] Iſtius donationis mentionem facit ſæpe laudatus Chronographus in lib. 2. cap. 39. ubi Verguiacus, *Vergny* dicitur.

VITA S. KILIANI EPISCOPI ET MARTYRIS CUM SOCIIS, IN FRANCONIA.

Ex Tomo 4. antiq. lection. Henrici Canisij.

OBSERVATIONES PRÆVIÆ.

AN. CHR. DC. XXCIX. JULII VIII. Vita duplex.

1. NICOLAVS *Serarius Soc.* JESU *Acta S.* KILIANI cum variis notationibus historicis & dogmaticis *anno 1598. edidit, eadémque quinto pòst anno Henricus Canisius paullò ampliora iterum prelo subjecit, Auctorem esse suspicatus* EGILWARDUM *Cœnobij S. Burchardi Herbipolensis Monachum, qui teste Trithemio Vitam S. Burchardi scripsit. Canisij conjectura inde petitur, quòd Vitæ S. Kiliani Scriptor seu potiùs Interpolator in fine promittit Vitam S. Burchardi his verbis:* In Vita ipsius (Burchardi) prout poterimus, manifestare curabimus. *Quæ conjectura, inquit Canisius, certa esset, si non alius Vitam S. Burchardi scripsisset. Vulgavit etiam Canisius ex membranis MSS. Aichstadiani Monasterij aliam breviorem S. Kiliani Vitam optimæ notæ, quam idcirco alteri ab Egilwardo aut alio quovis auctore interpolatæ præferendam duximus. Legerat etiam Serarius ejusdem sancti historiam à* JOHANNE *Erfordiensi, Monacho Cœnobij S. Stephani ante annos ducentos quinquaginta versibus alligatam. Et Ordericus Vitalis in lib. 4. Hist. ad ann. 1073. laudat* AINARDUM *Teutonicum, Abbatiæ S. Petri ad Divam Abbatem primum, quòd* historiam Kiliani Wirtzceburgensis Episcopi cantibus *decoraverit.*

Memoriæ in Fastis.

2. *S. Kiliani mentionem faciunt Vvandalbertus, Vsuardus, Hrabanus & Ado in suis Martyrologiis ad* VIII. Idus Julias. Cilianum *codices manu exarati præferunt, si fortè excipias Hrabanum, cujus hæc verba:* In pago Austriæ & castro nomine Virziburg juxta Moin fluvium, Sanctorum natale CHILIANI Martyris & duorum sociorum ejus, qui ab Hibernia Scottorum insula venientes, nomen Christi in prædictis locis prædicaverunt, ibique ob veritatis confessionem à quodam judice iniquo nomine GOZBERTO trucidati sunt, & postea multis signis veri Christi Martyres esse claruerunt. *Brevius Vsuardus & Ado,* S. CILIANI Martyris. *Hrabanus castrum Virziburgum* in pago Austriæ *locat, ubi* Austriæ *nomine non Austria Regnum, ut putat Serarius, sed pagum illum (quem alij* Franciam Theutonicam *seu* Orientalem, *Sigebertus* Ostro-Franciam, *recentiores* Franconiam *vocant) peculiari nomine designare voluit: alias* pagi *nomine usurus non fuisset. Francofordia caput est provinciæ, quæ ab Occasu Rhenum contingit.*

Monastica professio.

3. *Kilianum fuisse Monachum & Abbatem, (quod non disertè exprimit Auctor noster) affirmat Interpolator; & quidem Hiiensem, si Trithemio credimus. Ex Hibernia Kilianus Conone Romano Pontifice, hoc est anno* DC. XXCVI. *in Franciam appulsus est: quo tempore nondum Hiienses Monachi Scottorum errores abiecerant, ut constat ex Beda in lib. 5. Hist. cap. 16. & 23. Vnde dubium relinquitur, an Kilianus S. P. Benedicti Instituta sectatus sit. De Vvirzburgo seu Herbipoli plura in Actis S. Burchardi Episc. Sæculo insequenti.*

Kilianus Hibernus, [a]

1. FUIT vir vitæ venerabilis nomine KYLLENA, quem Scotica tellus [a] de magno edidit genere. A puerili ætate magnum habuit studium sacras discere litteras, & in eis tam perfectè proficiens, ut exinde Pontificale didicit regere culmen. Et tunc alio vocabatur nomine KYLIANUS, habens gratiam ad Clerum & ad omnem populum, qui etiam intimo amore Christi ac religione repletus, quidquid ad animarum lucrum, quidquid ad propagationem Fidei pertinere cognoscebat, devota mente & pio operari studio non cessabat.

Patriam deserit. *Luc. 9. 23.*

2. Contigit autem, ut quadam die Evangelica simul & voce Dominica admonitus ubi dicitur: *Qui vult venire post me, abneget semetipsum, & tollat crucem suam, & sequatur me.* Hæc secum beatissimus vir toto cordis ac mentis affectu pertractans, congregatis in unum suis sociis atque discipulis, item COLOMANNO ac GALLONE, & ARNUVALE Presbyteris, & DONATO Diacono, aliis septem illis adjunctis, cœpit eis persuadere propria contemnere [b], patriámque

[b]

a Interpolator habet: *Scotia, quæ & Hibernia dicitur, insula est maris Oceani, fecunda quidem glebis, sed viris sanctissimis clarior: è quibus Columbano gaudet Italia, Gallo ditatur Alamannia, Kiliano Francia Teutonica nobilitatur.*

b Hæc de monastica professione interpretatur Interpolator in hæc verba: *Spretis humanarum litterarum studiis cunctisque hujus mundi illecebris, Monasterium petiit, abnegánsque semetipsum sibi, tulit crucem suam & secutus est Christum... Videntes autem Fratres Monasterij in virtutum profectibus beati viri perseverantiam, primò eum per Ecclesiasticos gradus ad Presbyteratus officium precibus adscendere, deinde ejusdem Monasterij gubernandi curam suscipere coëgerunt... Verumtamen cùm fama beati viri longè latéque crebresceret, metuens ipse ne popularis favor maculam aut labem aliquam sibi afferret, cœpit meditari, quemadmodum posset notos ac propinquos relinquere, & longè remotas petere regiones &c.*

AN. CHR. DC. XXCIX. JULII VIII. Vvirzburgi fistitur.

& parentes ſecundum Domini Evangelium relinquere, & nudos ſequi Chriſtum. Illi namque ſacræ admonitioni beati viri obtemperantes, firmiter coadunati, relictis omnibus de propria perrexerunt patria, & venerunt in Auſtralium partem, ad caſtellum quod vocatur *Vvirzburch* [a], ibique per aliquod tempus commorantes, regnante ibi eodem tempore quodam Duce GOZBERTO, filio HETANIS ſenioris, qui fuit filius HRUODIS: qui etiam ipſe Gozbertus & omnis populus ſibi ſubjectus adhuc paganico vivebant more; idola dæmonum colentes, Deum vivum cæli & terræ minimè agnoſcentes.

a

Romam petit.

3. Videns autem ſanctiſſimus vir miræ amœnitatis locum, atque pulcherrimam ibi multitudinem nobilium virorum ab antiquo hoſte obſeſſam, ultrà quàm dici poteſt, dolebat illorum cæcitatem, iniitque conſilium cum ſuis, dicens: Fratres videtis locum elegantem, hominéſque jocundos, licet in errore deceptos: ſi vobis videtur, ſic, ut condiximus, uſquedum in noſtra fuimus patria, eamus Romam, & viſitemus limina Principis Sanctorum Apoſtolorum, & præſentemus nos obtutibus B. Papæ JOHANNIS: & ſi Domini voluntas ſit, ab Apoſtolica ſede acceptâ licentiâ, cum illis conſultu iterum revertamur, & prædicemus illis fiduciáliter nomen Domini noſtri JESU-CHRISTI. Non mora Sancti compleverunt dicta, veniendo ad limina ſancti Petri Principis Apoſtolorum.

Prædicandi licentiam à Conone Papa accipit.

4. Sed illuc venientes, & Apoſtolicum virum non invenientes, quin à ſancto Papa CANONE * prædictus Pontifex Kilianus amabiliter & honorabiliter ſuſceptus eſt. Cùm autem B. Papa Canon vidit unde venerat, & ad quem locum exinde prompta voluntate iturus fuerat; audita illius fide pariter & doctrina, ideo dedit illi ex S. Petro Principe Apoſtolorum licentiam & poteſtatem prædicandi & docendi [b]: & quoſcumque ſuâ convertere potuiſſet doctrinâ, libera atque firmiſſima hoc faceret poteſtate. Ipſi namque exinde pergentes itinere ſequeſtrati ſunt; tamen non corporaliter, ſed ſpiritualiter adhærebant ſuo Epiſcopo Kiliano Colomannus Preſbyter, & Totnanus Diaconus, & venerunt in partes Auſtralium Francorum, ad caſtellum, quod dicitur *Vvirzburch*, ibique prædicantes primitùs verbum Domini. Quibus auditis Gozbertus Dux convocari eos fecit ad ſe.

* *l.* Conone

b

Vvirzburgũ repetunt, ibique Chriſtum adnuntiat.

Gozbertum Ducem baptizat.

5. Cùm autem præſentati adeſſent, confabulationes ininvicem fecerunt Kilianus Epiſcopus & prædictus Dux Gozbertus. Non multo pòſt tempore perſuadebat illum devotus Domini Pontifex Kilianus, Chriſtianum fieri. Qui etiam Domino volente illius ſacris admonitionibus adquieſcens, baptizatus eſt ab illo, & confirmatus eſt omnis populus, qui ſub illius poteſtate erant.

Eumdem ab inceſto conjugio revocat.

* *Deut.* 25. 5.

6. Ipſe autem Gozbertus Dux in matrimonio habuit uxorem fratris ſui, ſicut antiquitus, fuit conſuetudinis *. Sed ſanctus Dei Pontifex ſicut ſapiens ſemper facit ſapienter, noluit illi eam interdicere, antequam firmiter confirmatus eſſet in fide Chriſtianitatis. Tunc talibus ad illum locutus eſt ſermonibus: Fili dilecte Gozberte, modò Chriſtianus & per omnia Deo amabilis factus es, ſi unam rem facis, quam maximè te oportet facere, ut dimittas conjugem tuam, quam injuſtè habes tibi copulatam: quoniam te non oportet habere uxorem fratris tui. Ad hæc dicta Dux Gozbertus quaſi de gravi ſomno evigilans, reſpondit & dixit: Graviora & difficiliora modò ſuades & prædicas, quam antè. Sed per Dei omnipotentis amorem, quem prædicâſti & prædicas, dereliqui omniâ, quæ dilecta & amabilia mihi fuerunt habendo per eumdem amorem: & meam conjugem amantiſſimam, ſi non eſt licitum habere, dimittam; quoniam nihil Dei amore carius, nihilque amabilius eſt [c].

c

Uxoris ejus iram in ſe provocat.

7. His auditis conjunx Gozberti nobiliſſimi Ducis irâ & invidiæ formite accenſa, diu noctúque cogitabat, quomodo Sanctos diſperdere potuiſſet. Cùm autem appropinquáſſet tempus paſſionis & remunerationis eorum præcedentibus meritis, vacabant ſupradicti Martyres Chriſti diu noctúque orationibus & jejuniis, læti ſine triſtitia, & devoti ſine formidine, alacres exſpectantes diem jam olim optatam, ut martyrio coronarentur.

Necatur cum ſuis.

8. Contigit autem, ut quadam nocte dum Dominus omnipotens ſuos finire voluiſſet milites temporale certamen, tempore nocturno, quando in Dei laudibus unanimiter conſiſtebant, acceſſit lictor ad eos, enſe acuto præparatus ad Dei amicos jugulandos, complens præ-

a Recentiores Herbipolim vocant, vulgò *Vvirtzburg*, quaſi Muſtopolim: de cujus urbis etymo multa dicit Serarius. Urbs eſt Epiſcopalis ad Mœnum fluvium, ſub metropoli Maguntiacenſi. Primus Vvirtziburgenſis Epiſcopus fuit Burchardus S. Bonifacij diſcipulus, ut conſtat ex litteris Zachariæ Papæ ad ipſum Burchardum. Nam Kilianus, licet Epiſcopus, nulli ſedi addictus fuit: tametſi Herbipolis eum Patronum colit.

b Interpolatoris hæc verba ſunt: *Itaque conſenſu totius urbis beatiſſimum virum in Præſulatûs officio conſtituit, quò & chriſma conficere, & Eccleſias dedicare, & ſacros Ordines conferre irreprehenſibiliter valeret... Beatus igitur Kilianus urbe egreſſus, emenſo itinere longiſſimo, cum Colomanno Preſbytero & Totnano Levita ad locum ſibi deſtinatum pervenit. Veniens autem ad prædictum opidum Orientalis Franciæ* Vvirzburg, *non eum quem priùs in ea provincia Ducem invenit, ſed alium Goſbertum nomine.* Hîc hallucinatur Interpolator circa Gozbertum Ducem, ut patet ex Auctore noſtro ſuprà.

c Interpolator addit: *Sed nunc mihi otium non ſuppetit inquirendi uti eam poſſim à me dimittere: feſtino enim contra hoſtes noſtra publica rei. Cùm autem reverſus fuero, inventa opportunitate dimittendi, ſeparabor ab illa.* Belli opportunitatem ſive abſentiam Ducis captavit Geilana, quam alij Geilam vocant, ut S. Kilianum ſociósque è medio tolleret.

cepta

cepta GEILANÆ uxoris Gozberti Ducis. Quod videns Kyllena Pontifex Chriſti, dixit ad ſuos: O filij mei ſpirituales, jam adeſt dies diu optata: ſpirituale certamen mecum inite abſque timore, ſine trepidatione, ſecundum Domini vocem: *Nolite timere eos qui corpus occidunt, animam autem non poſſunt occidere.* His dictis omnes pariter capitibus truncati ſunt [a], & martyrio coronati ſunt. Eadem etenim nocte cum omni celeritate in eodem loco furtim ſepulti ſunt, ſed & illorum capſæ, crux & Evangelium, aliáque pontificalia veſtimenta, ſimúlque cum illis in ſepulcro poſita ſunt. AN. CHR. DC. XXCIX. JULII VIII. *Mat.* 18. 20.

[a] Eorum corpora ſepeliuntur.

9. Hoc videns quædam matrona nomine BURGUNDA, verbis facta narravit. Eſt enim loci illius conſuetudinis in autumno vel hieme, necnon & verno, temporéque æſtivo, quando aliquid non plus quàm duorum pedum ſpatium poteſt fodi, niſi aqua contra erumpat. Sic Divina miſerante gratia, quando Deus omnipotens corpora eorum de loco ſepulturæ ad majorem voluit ſublevàre honorem, carnibus, ſicut mos eſt, conſumptis, cetera ſana & benè cuſtodita inventa ſunt, intantùm ut nec folium librorum, vel fimbria de veſtimentis ipſorum putredine conſumpta eſſet. [b]

[b] Gozbertus Dux eos inquirit.

10. Veniente quoque Duce GOZBERTO, ubi ſupradicti Dei ſervi eſſent, inquirente, infidelis uxor ejus reſpondit, ſe neſcire quò pergerent, vel ubi forent. Sed miſer ille, qui necis eorum reus tenebatur, non potuit celare pœnam, quæ ei de vindicta Martyrum venit, currens huc illúcque vagus & profugus, & veluti phreneticus, ſe eſſe reum de morte eorum ſemper aſſerebat, & inſuper aiebat tremens & lugens: Kyllena ſanctus Dei igne me ferociſſimo exurit.

Carnifex cælitùs pœnas luit.

11. Hoc itaq; audiens Gozbertus Dux, cõgregato omni populo, qui cũ illo ſimul erat ſacro baptiſmatis fonte à ſancto Pontifice ablutus, interrogavit quid eidem miſero facere debuiſſet. Erat enim ibi quidam homo eloquens, paratúſq; ad reſpondendum, ſecundum ſuggeſtionem Geilanæ infelicis, qui taliter dixit: Domine mi, Dux Gotbertus, cogita de temetipſo, & de omnibus nobis, qui ſimul tecum baptiſma ſuſcepimus ab ipſis: & proba utrum Deus eorum tam præpotens ſit & omnia ſciens, retribuénſque bonis bona, & in noviſſimis mala reſtituens malis, niſi ſe per pœnitentiam ante correxerint: & jube iſtum miſerum reſolvi à vinculis, & coram omni populo ſuo derelinqui arbitrio. Si enim eſt talis Deus eorum, ſicut illi dixerunt, deſcendet ſuper eum vindicta illius, & potenter ſuos vindicat ſervos. Sin autem aliàs, (ne iraſcatur Dominus meus, quòd talia dico) tunc volumus ſervire magnæ Dianæ, ſicut & anteriores noſtri fecerunt patres, & proſperati ſunt in eo uſque in præſens. Factum eſt quoque ſecundum dictum hominis Tyranni, & dimiſſus eſt miſer ille de medio populi. Cùm verò dimiſſus eſſet, repentè inſanire, & ſemetipſum ſuis laniare dentibus, quouſque vitam finiret. Quod cùm viderent qui ſacro baptiſmate abluti erant, omnes pariter gloriantes atque gaudentes, ſe obedire illorum doctrinæ, clamabant Deum illorum doctrinæ eos vindicare. Igitur his omnibus ita peractis, vindicta iræ Dei ſubſecuta eſt carnifices Sanctorum Martyrum. Nam Geilanam ſpiritus invaſit malignus, atque intantum eam agitabat, uſquedum vitam finiret. Gozbertum verò gladio ſuo ſui occiderunt ſervi: HETANUM verò filium ejus populus Orientalium Francorum de regno ejecerunt. Intantum enim illius perſecuti ſunt progeniem, ut nec unus de illius ſtirpe remaneret.

Gozbertus malo conſiliario obſequitur.

Carnifex unà cum Geilana & Gozberto malè perit.

12. Poſt multum verò temporis in illo loco, ubi illorum ſepulta ſunt corpora, Divino nutu receperunt cæci viſum, & claudi greſſum, ſurdi auditum. Quotquot autem diverſis infirmitatibus erant fatigati, ibi venientes ſanitatem receperunt. Illuſtrante autem Domino merita eorum, cum conſilio & præcepto ZACHARIÆ Papæ, mediante BONIFACIO Archiepiſcopo, de tumulo honorificè ſublevati ſunt, regnante PIPPINO primo Orientalium Francorum Rege [c].

Sanctorum tumuli miraculis illuſtrantur & deteguntur.

[c]

[a] Non juſſu Gozberti, ut in Martyrologio ſcribit Hrabanus, qui Gozbertum *Iudicem* vocat (nam Duces tum temporis apud Francos jus dicebant;) ſed impulſu Geilanæ ejus conjugis, eo abſente, ex num. 10. infrà. S. Kiliani paſſio *in annum Inc. Dominicæ* DC. XXCIX. *incidiſſe* legitur in Vita S. Burchardi ab Egilvvardo ſcripta.

[b] Rem aliter commemorat Interpolator. *Burgunda recedentibus carnificibus, linteolo mundo fuſum Sanctorum ſanguinem collegit, ac terræ diligenter infodit, vigiliis & orationibus jugiter vacans, ubi Sanctorum corpora noverat: excolebátque locum veneratione qua poterat, ſed occultè, ne (ſicut poſtea factum eſt) Geilæ juſſu removerentur. Ea enim ſceleratiſſima mulier ſtratis plancis ſtabulum equorum in loco ubi ſancti Martyres humati fuerant, fieri juſſit,* ne quo indicio ſacra corpora proderentur. *Ferunt autem ab his qui tunc fuêre poſteris relatum, jumenta eo in ſtabulo manentia, ſuper ſepulcra Martyrum nec ſtercus nec urinam reddidiſſe.* Burgunda *in extremo vitæ poſita, quibuſdam Fidelibus ubi condita eſſent revelavit.*

[c] Qua occaſione id contigerit, fusè deſcribit Interpolator, qualis ab Henrico Canſio editus eſt. Ait ſiquidem Gertrudem Pippini Regis Francorum filiam, nuptias detrectantem, *veniſſe in partes Orientalis Francia, in locum qui nunc corruptè* Carleburg *vocitatur: ibique de facultatibus ſuis in honorem beatiſſimæ Virginis* MARIÆ *Monaſterium conſtruxiſſe, ubi* ATALONGUM *Presbyterum & Bernardum Diaconum quos ſecum adduxerat ordinaverit.* De iſta Gertrudis hiſtoria aliàs. Atalongus cùm pueros in ſtudio litterarum erudiret, *cæperunt hi qui juniores erant Divino impulſi ſpiritu vociferari: Kilianus ſigna facit: de loco in quo indignè jacet tolli debet.* Id cùm Atalongus minis prohiberet ne à pueris frequentaretur, cæcitate percuſſus dicitur, poſtea verò ad Sanctorum tumulum ſanatus: quod levandorum corporum occaſio fuerit S. Burchardo, *qui Epiſcopalem Sedem Vuirziburg primus promeruit.* De Eccleſia Cathedrali per S. Burchardum erecta, necnon & de S. Burchardi ac S. Stephani nunc S. Jacobi Monaſteriis in Vita ipſius S. Burchardi proximo Sæculo agemus.

CIRC. AN. DC. XC. JANU. VII.

VITA S. TILLONIS MONACHI SOLLEMNIACENSIS IN LEMOVICIBUS,

Ex Lectionario Sollemniacenſi eruta à noſtro Laurentio Dumas.

OBSERVATIONES PRÆVIÆ.

* *S. Theau* Vita duplex.

1. VITAM S. TILLONIS *ſeu* THILLONIS * *edidit Iohannes Bollandus ad diem 7 Ianuarij ex MS. cod. Claromareſcano exceptam: nos aliam melioris (ut quidem videtur) notæ ex Lectionario Sollemniacenſi exhibemus, tranſmiſſam à noſtro Laurentio* Dumas, *cujus ope nonnulla hîc illuſtramus.*

an Ab bas?

2. *In Actis à Bollando editis S. Tillo dicitur à B. Eligio electus*, ut præeſſet Monachis Sollemniacenſis Eccleſiæ. *Et tamen Sollemniacenſes noſtri Tillonem in Abbatum ſuorum catalogo non numerant. Certè in Martyrologio Eccleſiæ Sollemniacenſis ante annos (ſicuti aiunt) quingentos exarato, S. Tillo ſolo* Monachi *nomine exprimitur hoc modo:* VII. Idus Januarij S. TILLONIS Monachi & Confeſſ. Sollemniacenſis, cujus vita virtutibus & ſanctitatis gloriâ illuſtris fuit. *In Vita hîc à nobis vulgata, de ejus dignitate Abbatiali mentio fit nulla; neque de Monaſterio triceniſve ſeu (ut alij legunt) trecentis Monachis apud* Brajacenſem *ſeu* Brajectenſem *eremum congregatis: quod num. 7. advertere licet. Quamquam S. Tillo, teſte Molano,* in Yſeghmen *Flandriæ vico* ubi Patronus colitur, pingitur ut Abbas cum pedo in ſiniſtra manu, cum calice in dextera, ex quo, eo vivente, infirmi ſanitatem potabant. Cur autem in Yſeghem Patronus colatur, cauſam allegant, quòd S. Eligius cùm ad Flandros convertendos è Francia venit, eum ſervum ſuum comitem aſſumpſit, & ad Ieſeghemenſes ut eos in Fide Catholica inſtrueret deſtinavit. Yſeghem *Flandriæ pagus eſt Comitatûs titulo ornatus, Cortracum inter & Roſſellariam. Porro apud Roſſellariam ſeu Rollariam* feſtum S. Tillonis in parochia Gids celebratur, ubi ad memoriam ejus multa edita ſunt miracula.

ejus cultus.

S. Bonito inviſitur.

3. *S. Bonitus Arvernorum Epiſcopus in propriis Actis ſæculo proximo referendis legitur conveniſſe* S. TILLONEM cognomento PAULUM, ut ab eo accepto conſilio, voto compleret, quod mente conceperat, *ſcilicet de abdicando Epiſcopatu. Quæ res quandoquidem in utraque S. Tillonis Vita reticetur, hîc ex Actis S. Boniti ſupplenda eſt. Hinc etiam patet, S. Tillonem ad annum circà* DC. XC. *perveniſſe: ſiquidem S. Bonitus haud ante annum* DC. XXCV. *aſſumptus eſt in regimen Eccleſiæ Arvernenſis.*

* *Solignac, Soloignac*

4. *De Sollemniacenſis* * *Monaſterij primordiis egimus in Obſervationibus prævijs ad Vitam S. Remacli anno 664. Nuper in manus noſtras venit exemplum chartæ S. Eligij de conditu ejuſdem Cœnobij, cujus chartæ apices aliquot inferiùs in Appendice additionum referemus.*

Tillo Saxo,

1. BEATUS TILLO ex Saxonum proſapia originem ducens, parentibus non infimis, gentilitatis tamen errore implicatis, oriundus exſtitit. Sed nobilitatem quam habuit ex genere, opitulante Chriſti gratiâ qui ſibi eum in Eccleſia vas electionis futurum præſciebat, magis ac magis piè & juſtè vivendo nobilitans, bonorum incrementis operum ſublimare ſtuduit atque virtutum celſitudine.

venumdatus in Galliam abducitur.

2. Tenerioris verò infantiæ annis decurſis, cùm puerilem attigiſſet ætatem, egregiiſque moribus pollens bonæ indolis puer eſſe cœpiſſet, ſuperna diſponente providentia à parentibus patriáque ſublatus ad illam partem Galliarum Rheno contiguam, quæ ab antiquis Belgica vocabatur, more S. Joſeph ad venumdandum eſt deductus. O mira Domini pietas! mira clementia! qui cùm ſit miſericors & multæ miſerationis, ſuis famulis in medio tribulationum conſtitutis ſuum ſemper impendere conſuevit auxilium. Ita namque eos expellendo revocat, diſpergendo congregat, flagellando caſtigat, ſicut ipſe Dominus per B. Johannem in Apocalypſi dicit: *Ego quos amo, arguo & caſtigo*; & per Salomonem: *Aurum igne probatur, & viri receptibiles in camino tribulationum.* Quantum enim beatiſſimus puer à ſolo diſcedere videbatur proprio, tantum proculdubio merebatur fieri vicinior cælo. Et ſicut ſanctus ille Joſeph à fratribus Iſ-

Apoc. 3. 19.

Eccli. 2. 5.

mælitis negotiatoribus venumdatus atque in Ægyptum ductus, totius domi- CIRC. AN. DC. XC. JANU. VII.
nium obtinuit regionis; ſic ſic nimirum Tillo ſanctiſſimus omnem pænè Gal-
liam ſanctitatis lampade atque virtutum fulgore mirabiliter illuſtravit. Non
enim tantum lumen recondendum erat ſub modio, ſed manifeſtè ſuperpo-
nendum candelabro, ut lumen vitæ ſubminiſtraret omnibus commorantibus
in Dei domo. Sicut Salvator diſcipulis in Evangelio ait: *Non poteſt civitas ab-* *Matt. 5. 14. & 15. 16.*
ſcondi ſupra montem ædificata: neque accendunt lucernam & ponunt eam in ab-
ſcondito, ſed ſuper candelabrum ut luceat omnibus qui in domo ſunt. Sic luceat lux
veſtra coram hominibus, ut videant opera veſtra bona, & glorificent Patrem veſtrum
qui in cælis eſt.

3. Illo igitur in tempore B. ELEGIUS Noviomagenſi urbi poſtea ordinatus S. Eligius commendatur.
Epiſcopus, Aquitaniæ regione, Lemovicino videlicet territorio ortus & nutri-
tus, faber aurifex peritiſſimus, atque in omni fabricandi arte doctiſſimus, ut
pænè nullus qui ei in ejuſmodi ſcientia æquiparari poſſet reperiretur in toto
orbe terrarum, in Regis Francorum Chlotharij palatio ſic potentiſſimus habe-
batur, ut nullum idem Rex tam familiarem támque cariſſimum (ſicut in geſtis* * *To. 4. Spicil. Acherij*
reperitur) inter cunctos Regni ſui Proceres habere videretur. O verè ſanctum
& Deo dignum Elegium! cui meritò illud aptari queat, quod Patriarchæ Abra-
hæ à Domino dictum eſſe perhibetur: *Egredere de terra & cognatione tua, &* *Gen. 12. 1.*
veni in terram quam monſtravero tibi, ibique te faciam in gentem magnam. Et
illud ſancti Jacob: *In baculo meo tranſivi Iordanem iſtum: & nunc cum duabus* *Gen. 32. 10.*
turmis regredior. Qui enim ſolus & nudus ex Aquitaniæ finibus ſub pauperis
ſchemate proceſſit, inter cervicoſam Francorum gentem peregrinus & advena
commanens; Pontificalibus infulis, Deo annuente, decorari promeruit. Erexit
nempe Dominus egenum de pulvere, ut cum principibus ſedere & ſolium gloriæ
faceret tenere. Verè promiſſionis ſuæ Dominus non immemor, quod Diſcipu-
lis verbis in ſancto promiſerat Evangelio, hoc manifeſtiſſimè completum de-
monſtrari dignatus eſt in Elegio. *Quicumque*, ait, *domum vel fratres aut ſorores,* *Matt. 19. 29.*
aut patrem aut matrem, aut uxorem, aut filios, aut agros dimiſerit pro nomine
meo, centuplum accipiet in iſto ſæculo, & vitam hereditabit æternam in futuro.
Cùm itaque, ut prædictum eſt, S. Elegius in Regis palatio ſpecietenus deſer-
viret, ita ſe Dei ſervitio idoneum mancipavit, ut adhuc in laïcali habitu con-
ſtitutus Pontificis gratiam obtineret: qui inter cetera bonorum operum inſi-
gnia, quibus velut refulgens inter aſtra Lucifer mundo rutilabat, ita erat in
eleëmoſynis largus, atque in redemptione captivorum profuſus, ut ubicumque Captivis redimendis ſua expendit.
venumdandum aliquod comperiſſet mancipium, illuc ſine aliqua dilatione oc-
curreret concitus. Et ſicut de navibus egrediebantur captivi ex Romanorum *
& Maurorum ſive Britannorum, & præcipuè ex Saxonum gente adducti, qui * *id eſt* Gallorum
in illis diebus à propriis ſedibus avulſi velut alij pecudum greges ad diſtrahen-
dum ducebantur ſparſim; nunc quinquaginta, nunc ducentos ſimul, nunc tre-
centos, omnibus quæ habere poterat, uſque ad amphibalum & cingulum au-
reum, quo laïcus ſecundum morem adhuc utebatur palatij, quódque magis ſit
mirandum uſque ad calceamenta, diſtractis, plenus pietate & miſericordiâ re-
dimebat. Creverat enim cum illo miſericordia, unde illud propheticum ſem-
per in corde retinebat: *Diſſolve colligationes impietatis, ſolve faſciculos depri-* *Iſai. 58. 6.*
mentes; dimitte eos qui confracti ſunt liberos, & onera eorum diſrumpe.

4. Cùm autem inter alios, quos liberaverat, captivos, Sanctus iſte, de quo S. Tillo liberatur à S. Eligio;
loquimur, in ſortem ejus deveniſſet*, neſcio quid vir altioris ingenij Divinum * *lege Vitam S. Eligij lib. 1. c.* 10.
in eo conſiderans, præ omnibus vernaculis ac domeſticis ſuis amoris ſui privi-
legio mox decernit eſſe digniſſimum. Suſceptum ſiquidem B. Tillonem Elegius
S. Remaclo Sollemniacenſis Monaſterij ſui Abbati tradidit nutriendum atque
litteris imbuendum. Quem vir ſanctus, ſicut in mandatis acceperat, cum omni S. Remaclo traditur pietate & litteris imbuendus.
diligentia ſub pietatis ſtudio enutrivit, ſacris literis erudivit, Evangelicis atque
Apoſtolicis documentis roboravit; ac poſtremùm S. Eligio fabrili officio man-

CIRC. AN. DC. XC. JANU. VII.

cipandum delegavit. Qui ſic tam ſæcularibus, quàm Divinis inſtitutionibus decenter inſtruendum, artiùs ſibi eum adnectendum dignum eſſe judicans, ſuis ſemper adſpectibus adſtare præcepit. Erat enim formâ corporis egregius, ſtaturâ procerus, adſpectu decorus, inceſſu compoſitus, excellenti ingenio præditus, & omni morum honeſtate præclarus. Adſiſtebat itaque ſedulus miniſter ſancto indeſinenter Elegio; &, velut alter Eliſæus, Eliæ felix virtutum ejus heres & ſucceſſor, Deo donante futurus, famulabatur obſequiis. Fabricabant ambo ſimul indefeſsè apertos præ ocellis ſemper codices habentes; geminum inde fructum capientes, ut videlicet manus uſibus hominum, mentes verò uſibus manciparentur Divinis.

Eligio aurifici famulatur.

Fit Monachus Sollemniaci.

5. Proceſſu quidem temporis nolens Deus duo tam præclara in uno occulere loco luminaria, ſed ad exemplum plurimorum manifeſta fieri in Eccleſia, S. Elegius ad Pontificatûs honorem ſuſcipiendum eligitur, Beatus verò Tillo ſuperni amoris igne ſuccenſus mundi naufragia fugiens, omnibúſque hujus vitæ illecebris poſtpoſitis poſt Chriſti veſtigia nudus incedere cupiens, Sollemniacenſe Monaſterium adiit: ibíque comâ depoſitâ, ex permiſſione ejuſdem S. Elegij, leve Chriſti jugum & onus ejus ſuave Monachus effectus ſuſcepit. Eſt autem iſtud Cœnobium haud procul à Lemovicina urbe ſitum ad plagam meridianam, ſex circiter diſtans millibus: quòd B. Elegius Rege Dagoberto annuente (ſicut antiquâ ejuſdem Monaſterij Privilegia proteſtantur) ſcalam per quam uterque ad cælum conſcendere poſſet conſtruxit, centúmque quinquaginta Monachos ſub Dei ſervitio vivere paratos ibidem è diverſis regionibus aggregavit, Patre eis conſtituto B. Remaclo [a], Tungrenſi Eccleſiæ poſtea ſubrogato Epiſcopo. Sanctum ergo amorem tantámque devotionem erga illum locum habere viſus eſt, ut quidquid haberet, ſeu à Rege vel Optimatibus Regni adquirere valeret, totum prædicto Monaſterio larga manu diſpenſaret. Quo in loco ſacræ Religionis obſervantia ita florebat, ut nullum in obſervatione Regulæ ſimile ei reperiretur Monaſterium in tota Gallia. O verè præceliſum & illuſtre Sollemniacenſe Cœnobium tribus præclaris luminibus Elegio, ſcilicet, Remaclo atque Tillone mirificè decoratum!

[a]

Regulam SS. Columbani & Benedicti profeſſus, virtutibus fulget.

6. Cùm igitur ad iſtud Monaſterium, ut dicere cœperamus, Tillo beatiſſimus deveniſſet, & ab Abbate & Fratribus ſumma cum gratulatione ſuſceptus fuiſſet, tirocinio Chriſti inſignitus ardentiſſimo amore, ſolum Chriſtum deſiderans, ſub ſanctorum Patrum COLUMBANI atque BENEDICTI Regula inter Fratres habitare cœpit. Quis ergo dignè explicari valeat, quãtum ſe devotum, quàm humilem, quámque indoneum ſe in Dei rebus exhibuit? ſecundum illud Apoſtoli: In vigiliis, in jejuniis, in caſtitate & longanimitate, in frigore & nuditate, carnem ſuam ſemper in ſervitutem redigens, ne fortè in aliquo reprobus inveniretur: dolens cum dolentibus, gaudénſque cum gaudentibus, amori Chriſti nihil exiſtimans præponendum. Erat profuſus in lacrymis, ſedulus in vigiliis, in caritate perfectus, in caſtitate præcipuus, in humilitate devotus, in converſatione ſanctiſſimus, nullâ mundi compede catenatus: in cibo & potu parcus, in adverſis & proſperis cælo ſemper intentus. Compulſúſque à S. Elegio ſacroſanctum ſuſcipere Sacerdotium, immolabat jugiter in ſuæ mentis ſacrario acceptabile Deo ſacrificium.

2. Cor. II. 27

Sacerdotio initiatur.

Honoris impatiens, clam in eremum fugit.

7. Cùm igitur his & hujuſmodi bonorum operum provectibus non mediocriter in Monaſterio vernaret, ac quæ retrò ſunt obliviſcens, in anteriora ſe extendens, de virtute in virtutem adſcendendo cotidie proficeret; videns Pater Monaſterij & Fratres tantam ejus ſanctitatem & animi devotionem, cœperunt eum omnes cum ſummo ſtudio venerari, & miris attollere præconiis. Qui videns tantum ſibi honorem contra ſuam voluntatem ab omnibus impendi, me-

[a] An Remaclus primus fuit Abbas Sollemniacenſis? certè in ejus Actis Sollemniaci ſub Abbate inſtitutus dicitur: attamen ex Charta S. Eligij primus fuiſſe videtur.

ruens ne temporali laude illectus, à Christi gratia decideret, illud in mente revolvens, *Qui hominibus placent confusi sunt, quoniam Deus sprevit eos.* Et illud Apostoli; *Si hominibus placerem, Christi servus non essem*; excessu [a] S. Elegij institutoris sui comperto, clandestino discessu Monasterium deseruit. Et quia ex quo sacræ Religionis habitum susceperat, pro lege egerat ut nulli urbi accederet, nullum umquam castellum intraret, recogitabat enim in semetipso neminem posse interesse choris Angelorum, qui sæpiùs frequentare vellet conventicula populorum; per invia & deserta loca aberrans, tandem auspice Christo ad Arvernum devenit territorium. Cúmque per viam solitudinis incedens & omnia perlustrans, locum in quo anachoreticam vitam ducere posset sagax indagator perquireret, inter secretos asperósque montes, quo vix reptando manibus genibúsque posset adscendi, tandem contemplatus est locum valde remotum, arboribus pomiferis atque irriguis aquis de supercilio collis irruentibus nimis amœnum, sub speculativa vita vivere cupienti satis aptissimum, qui pro sui amœnitate novum hospitem invitabat ad habitandum. Cingebatur siquidem celsis & præcisis rupibus [b] & pæne usque ad cælum pertingentibus, variis arborum generibus undique circumseptus. Juxta quem fons emanabat splendidissimus, servo quippe Dei valdè necessarius. Hunc locum, ut credimus, Dei providentia militi suo præparaverat ita gratissimum. Huic loco se inferens Confessor gloriosissimus, vitam agere theoricam est aggressus, ibíque in jejuniis, & vigiliis, & orationibus Deò deserviens, per longum temporis habitavit spatium, nulli mortalium agnitus.

Circ. An. dc. xc. Janu. vii. *Psal.* 13. 7. *Gal.* 1. 10. *a* Nota. *b*

8. Non repentinâ conversatione novitius, sed secundum edictum B. Benedicti & Sanctorum Patrum, diuturna Monasterij probatione, velut aurum igne examinatum, ex fraterna acie contra diaboli tentamenta pugnare bene edoctus, spiritalibus armis diligenter instructus, ad singulare eremi certamen Deo adjuvante processit pugnaturus. Jugis ei erat contra dæmonum insidias pugna, crebra certamina, de quibus viriliter se agens longis jejuniis, & orationibus continuis, atque durâ corporis maceratione, tamquam fortis athleta clarissimos reportabat triumphos. Pugnabat ore non gladio, oratione non ferro; visus hominum fugiens, solis interni Inspectoris obtutibus placere quærens, semper illud Davidicum in corde decantans: *Quis dabit mihi pennas sicut columbæ & volabo & requiescam? Ecce elongavi fugiens & mansi in solitudine*; &, *Quemadmodum desiderat cervus ad fontem aquarum, ita desiderat anima mea ad te Deus. Sitivit anima mea ad Deum fontem vivum, quando veniam & apparebo ante faciem Dei?* Talem quippe virum Jeremias Propheta describit dicens: *Beatus homo cùm portaverit jugum ab adolescentia sua: sedebit solus & tacebit, quia elevavit se super se*; Et alibi: *A facie manus tuæ solus sedebam: quoniam amaritudine* * *replesti me.* Erátque ei solitudo quasi paradisus, & habitationem eremi pro summis ducebat deliciis, modico terræ contentus spatio, ut cælestibus Angelorum choris interesse posset in cælo: adimebat sibi satietatem cibi & potûs, ut cælesti pane, qui de cælo descendit & dat vitam mundo, pleniùs refici mereretur. Sed mens cælesti vitæ desiderio semper suspensa, supernæ gratiæ pinguedine uberiùs saginata, terrenarum esuriem epularum parvipendens, magis ac magis confortabatur in Christo. Erat namque ei cibus perexiguus, poma cruda sive radices herbarum, quæ tamen nunc bis, nunc etiam semel in hebdoma-

Illic piè vivit & austerè. *S. Bened. Reg.* c. 1. *Psal.* 54. 7. *Psal.* 41. 2. *Thre.* 3. 27. * *al.* comminatione

a Si Eligius annis novemdecim Ecclesiæ Noviomagensi præfuit, ejus obitus anno dc. lix. collocandus est, Tillonis secessus anno insequenti: nam Eligius anno tertio Chlodovei ordinatus est Episcopus.

b Hîc describitur eremus Brajacum seu Brajecte, vulgò *Brajac* appellatus, haud procùl ab opido Mauriaco situs, ubi etiamnunc inter præruptos montium scopulos semirutum cernitur S. Tillonis *Eremiterium*, & Cœnobium Virginum Benedictinarum SS. Cosmæ & Damiano nuncupatum. In Vita à Bollando edita dicitur S. Tillo condidisse *Cœnobium Braggecte, & plures ex diversis provinciis usque ad tricenum numerum* (alij legunt tercentenum) *Monachos congregásse.* Quod parum verisimile videtur. Porro vir sanctus priusquam Brajectensem secessum peteret, incoluisse fertur solitudinem Nedensem, *de Nede*, prope Exmonasterium opidum ad Vigennam fluvium, eo in loco ubi hactenus exstitit Oratorium S. Tilloni sacrum, cum adjuncto fonte, à Fidelibus voti causâ frequentatum.

CIRC. AN. DC. XC. JANU. VII.

da, numquam tamen præ die Dominica & ſollemnioribus feſtis niſi poſt veſperum ſumebantur. Potus ejus aquæ liquor, ita tamen ut ſemper eſſet ſitibunda potatio; indumentum ejus valde erat viliſſimum, ſola tunica videlicet atque coculla: & intrinſecùs ad carnem cilicium, quod tam diu donec præ nimia vetuſtate conſumptum nulli uſui aptum eſſet, portabat. Si verò ſomnus aliquando ingrueret, & laſſitudine cogente natura poſceret, ut aliquantulum quieti indulſiſſet, membra confecta jejuniis, proſtrata nuda humo uno tantummodo ſubjecto cilicio collocabat. Neque enim mens ſancta ſolo Chriſti deſiderio exæſtuans, longum inter cruciatus & dura tormenta capere poterat ſomnum. Et ſi aliquando dormiebat, hoc ſemper habebat in mente: *Ego dormio & cor meum vigilat.* Laborabat manibus ſuis ſecundum Ægyptiorum morem Monachorum operando terram, ſciens quòd otioſitas & inſolentia ſemper inimica ſunt animæ: & quod Apoſtolus dicit: *Qui non laborat, non manducet.* Et, *quia labores manuum tuarum manducabis: beatus es, & bene tibi erit.*

Cant. 5. 2. *S. Bened. Reg. c. 48.* *2. Theſſ. 3. 10.* *Pſ. 127. 2.*

Paulus quare vocari voluerit.

9. Talibus ergo ſtudiis occupatus cùm Angelicam remotus ab hominum converſatione vitam ageret, emenſo longioris temporis ſpatio compertum eſt, quòd in tali loco Dei famulus habitaret, cœpítque ab hominibus regionis illius frequentari, & quoniam quantum in ipſo fuit ſemper latere ſtuduit & occultè vivere, ex induſtria nomen ſuum celaverat, & pro ſua ſimplicitate (erat enim multùm ſimplex) Paulus ab omnibus vocabatur. Habebat namque columbinam ſimplicitatem, ſerpentis tamen aſtutiam mirè callebat; itaut ſimplicitatem columbæ in illo aſtutia ſerpentis accenderet, & calliditatem ſerpentis columbæ manſuetudo temperaret. Nam aſtutia ſine ſimplicitate fraudulentia vocatur, & ſimplicitas niſi aſtuta fuerit, ignavia deputatur.

Ad ſe confluentes ſalutaribus monitis inſtruit.

10. Creſcebat in eo cotidie famulatrix opinio virtutum, & fama volitante, gratia meritorum ejus per omnem Arvernorum populum percurrebat, veniebántque ad eum ex tota illa regione viri ac mulieres ſimul cum pueris, nobiles & ignobiles, pauperes & divites, verbum vitæ ab ipſo audire cupientes, & orationibus ejus cum magna aviditate animas ſuas commendantes. Perſiſtebat itaque in ſolitudine vir Deo plenus, & ad inſtar Johannis Baptiſtæ turmis ad ſe confluentibus ſalutaria monita prædicans, viam per quam ad cæleſtem patriam incederent, verbo & exemplo demonſtrabat. Sermo ejus mellifluus ſufficienti

Ejus exhortationes.

erat ſale condîtus, gratiam præſtans audientibus. Erat namque in doctrina præclarus, in ſermone paratus, in locutione cautus, in differendis Scripturis ſubtiliſſimus, dicebátque populis adſe venientibus: Quod dico, Fratres, aure intentâ percipite, & ſedulè in corde recogitate Deum Patrem, & Filium ejus Dominum JESUM-CHRISTUM, qui pro nobis dedit pretioſum ſanguinem ſuum, toto animo & totâ mente diligite: corda veſtra à pravis & immundis cogitationibus munda ſervate, carnem ab omni immunditia impollutam cuſtodire curate, caritatem fraternitatis ininvicem tenete; ea quæ in mundo ſunt nolite diligere. Nolite attendere quid habetis, ſed quid eſtis. Vultis audire quid eſtis? Propheta indicat dicens: *Omnis caro fœnum & omnis gloria ejus quaſi flos fœni.* Vita preſens quàm ſit brevis perpendite, diem judicij ſemper metuentes præ oculis habete, peccata veſtra eleëmoſynis ac bonis operibus, dum vacat, redimite. Talia ejus erant colloquia, talia monita; talibus ſemper exhortationibus populum ad ſe venientem ad exercenda Chriſti præcepta incitabat. Turpis ſermo vel otioſus ex illius ore numquam procedebat, numquam in ore ejus, niſi Chriſtus, niſi pax, niſi miſericordia inerat.

Iſa. 40. 6.

Miraculis claret.

11. Refulgebat etiam plurimis miraculorum ſignis, præſtabat cæcis viſum, claudis greſſum, ſurdis auditum; paralyticos curabat, varios morbos oratione pellebat, dæmones ex obſeſſis corporibus effugabat. Numquam tamen pro his virtutum ſignis ad temporalem ſe extulit gloriam, non à ſe ſed à Domino talem poſſe præſtare medicinam; illud metuens quod de quibuſdam in judicium venientibus, & inani miraculorum ſuorum oſtentatione gloriantibus in

Evangelio Veritas dicit: *Multi in illa die venient dicentes; Domine nonne in nomine tua prophetavimus, & in nomine tuo multas virtutes fecimus, & tunc confitebor illis; discedite à me operarij iniquitatis, nescio vos unde sitis.* CIRC. ANN. DC. XC. JANU. VII. *Matth.* 7. 22.

12. Cùm autem glorioſiſſimus Chriſti Confeſſor poſt longos & diutinos agones ſenilem agens ætatem, ultimam vitæ præſentis cœpiſſet attingere metam; & tempus adeſſet, quo velut emeritus miles de tabernaculo carnis egrediens multos & præclariſſimos de hoſte referendo triumphos, donativum Regis cæleſtis percepturus ad ſupernam patriam adveniret; præſciens diem adeſſe ſibi ſupremam, convocatis ad ſe cariſſimis Fratribus ſuis Sollemniacenſis Monaſterij Monachis, indicavit eis diſſolutionem imminere ſui corporis, dicens: Audite, Fratres & Domini mei, quæ dico, Domino revelante, tempus reſolutionis meæ inſtare cognovi, commendo exitum meum orationibus veſtris. Quo audito Fratres præ nimio dolore à fletu abſtinere ſe minimè valentes, lacrymabili voce dixerunt: Cur nos Pater glorioſiſſimè tam citò deſeris, quos tuam abſentiam ferre minimè poſſe cognoſcis, cùm tua præmia dilatione numquam ſunt minoranda, ſed magis ac magis creſcant ad gloriam protelata? Noli Pater ſancte, noli nos orbatos relinquere, ſed adhuc quantulumcumque tuâ ſacrâ patientiâ conſolando nos protege. Cùm autem hæc & alia multa inter ſingultus & amaras lacrymas deflentes dicerent, vir ſanctus dixit ad eos: Non decet, Fratres, non decet vos de morte mea contriſtari, ſed potiùs gaudere, cùm ſciatis me non ad peregrinationem ſed ad patriam diu deſideratam tendere. *Scio enim cui credidi, & certus ſum, quia potens eſt depoſitum meum ſervare in illum diem juſtus judex.* Hoc eſt, Fratres, quod ſemper optavi, quod deſideravi, quod votis omnibus exquiſivi; mihi enim vivere Chriſtus eſt & mori lucrum. Obſervavi enim primam & ſecundam & tertiam vigiliam, & ideo ſpero me in æterna beatitudine percipere à Domino perpetuæ gloriæ coronam. Obitum ſuum prædicit. 2. *Cor.* I. 12.

13. Et cùm hæc dixiſſet non poſt multum leviſſima febre corripitur; cúmque vehementer corpus illius tædio afficeretur, mens tamen ſancta ſemper paradiſo intenta numquam à Dei opere ceſſabat. Dies autem ſanctæ Epiphaniæ aderat tempore illo, quæ ſancto viro ad æternam vitam migraturo congruere videbatur meritò. Epiphania verò apparitio, vel interpretatur manifeſtatio: ſic nimirum quod vir ſanctus antea oculis fidei per ſpeculum & in ænigmate ſpeculari conſueverat, amodò jam revelatâ facie abſque ullo carnis obſtaculo ipſa jam ſpecie viſurus erat. Cùm autem languor vehementiùs ingraveſceret, vocato ad ſe quodam puero præcepit ei dicens hoc modo: Perge, fili mi, ad urbem Lemovicum cum omni feſtinatione, & dic Paſtori Eccleſiæ, ut huc veniat craſtinâ die, & animam meam Deo commendet ſuâ oratione, & corpuſculum tradat ſepulturæ. Et cùm hoc dixiſſet, ſacramentis Corporis & Sanguinis Domini ſuſceptis, ſigno ſanctæ Crucis ſe munivit, & ſic adſtantibus Fratribus & lugentibus inter verba orationis ultimum ſpiritum exalavit. Febre correptus moritur.

14. Puer quippe ut vir Dei dixerat juſſa complens, & ad urbem peveniens, ERMENUM Epiſcopum in gravi languore reperit jacentem, itaut neque ſtare, nec ſedere, vel etiam ſe erigere, ſed neque ad aliud latus poterat declinare. Sed mox ubi hoc quod vir Dei mandaverat audivit, miniſtris ſuis ut ſe erigerent præcepit: confeſtímque meritis B. Tillonis repentinam ſanitatem à Domino accepiſſe ſe ſentiens, de lectulo ſurrexit, & ſicut ei mandatum fuerat, non equitando præ nimia devotione, ſed propriis pedibus ambulando ad virum Dei pervenit: complénſque ſicut conſuetudo expoſcit funeris officium, ipſe feretrum cum Monachis qui ibi aderant uſque ad locum ſepulcri geſtavit, & ſacrum corpus propriis manibus ſepulturæ tradidit, ſícque pro recuperatâ ſanitate laudans & benedicens Dominum, ad propriam Sedem ſanus rediit: tranſactóque parvo temporis ſpatio cryptam ex auro & argento & lapidibus pretioſis ſuper ejus tumbam fieri præcepit. Ab Hermeno Epiſcopo à ſe ſanato ſepelitur.

15. Sunt & alia multa quæ per ſervum ſuum Dominus operatus eſt miracula;

Circ. An dc. xc. Janu. vii. ſed vetuſtate ſubripiente oblivioni ſunt tradita. Sed cur quæratur quis iſte Sanctus fuerit, quid fecerit, vel qualiter vixerit, cùm ad ſacrum ejus tumulum tanta cotidie Dominus oſtendere dignetur mirabilia? Ibi enim recipit cæcitas viſum, ſurditas auditum, claudicatio greſſum, & dæmones ab obſeſſis corporibus expelluntur, præſtante Domino noſtro Jesu-Christo, cui cum Patre & Spiritu eſt laus, honor, & gloria, & imperium in ſæcula ſæculorum, Amen.

APPENDIX EX ALIO APOGRAPHO.

Ab eodem in morbis convenitur. 16. Eodem verò tempore quo miles Chriſti degebat in terris, Hermen Paſtor ad gubernandam plebem ſibi commiſſam Lemovicum civitatis Præſul venerandus aderat. Quoties ipſum Pontificem febris urgebat, aut aliqua ægritudo in gravi dolore atterebat, ad virum Dei Tillonem dirigebat nuntios, ut pro eo pleniùs Domino intercederet; celebratiſque pro eo vigiliis obtinebat pro Paſtore venerabilis Monachus, pro Antiſtite abjectus & humilis à Domino quod petebat.

Feminam ſanat. 17. Quædam autem mulier grande vulnus habens, occurrit ad portam Monaſterij S. Tillonem inde exorans. Tunc ille videre eam minimè voluit, ſed hoc illi remandavit: Mulier quid meum poſcis auxiilum? mortalis ego ſum, & tuæ ſocius fragilitatis, ſi autem credis in Chriſto cui deſervio, vade & ſecundum fidem tuam ora Deum, & ſanaberis. Confeſtim illa credens abiit, & invocato Jesu ſine dilatione ſana domi revertitur.

Sollemniacum reverſus, in cella recluditur. * *al.* Gundebertum * *de hac cella infrà.* 18. Poſt hoc jam ſe ſentiens ſenectuti propinquare, cœpit obſecrare lætus Beatum Abbatem Godobertum * qui præerat Monaſterio, ut prope Monaſterium, foras murum cellulam * ædificaret in honorem ſancti Eligij (ibi enim amœnum adſpiciebat locum) ut ibi ſequeſtratus à Fratribus diu noctúque Domino ſupplicaret: quam ejus piam petitionem, ſicut ſolebat, cum benigno animo adimplevit. Tunc etiam locum vir Dei Godobertus Abbas reperit prope ipſum Monaſterium quinque fere ſtadiorum & ferè ampliùs: ibíque Cellulam in honorem S. Eligij cum magna induſtria ædificavit. Sícque vir ſanctus Tillo ibi orationi intentus & imminens lectioni vacabat; numquam otium ducens, quod non aut lectioni vacaret, aut opus Chriſti perficeret, aut certè manibus opus aliquod ageret. Egrediens enim domum orationis, Crucis muniebatur ſigno: regrediens verò domum, oratio occurrebat ei primitus quàm ſeſſio. Taliter namque agebat in cunctis diebus vitæ ſuæ.

Oleum pro infirmis benedicit. 19. Alio vero tempore Colmania uxor Lantarii Comitis, quæ primò maritum Odam habuerat, *Saerone* miſit ad ſanctum virum, quòd adverſus morborum cauſas neceſſarium (ſicut eſt conſuetudo) oleum benediceret. Ampulla enim quam miſerat vitrea erat, ſed nequaquam plena fuerat. Crevit oleum adeò, ut dum ad matronam vaſculum referretur, inter manus pueri portantis ita ſemper exundaret, ut omne illius veſtimentum ſuperfuſus liquor operiret. Matrona verò cùm hoc vidiſſet, ipſa quoque præparavit cum magno deſiderio videndi eum: & ipſam quoque Eccleſiam de ſuis rebus ditavit, & orationibus ſe commendavit.

Mulierem curat. 20. Quædam mulier propè jam morti reddita vulnus in collo geſtabat, mori timens occurrit ſancto Viro, obſecrans ut ſuper hoc ſignum Crucis armaret vexillum. Cùm ſuper vulnus plenum vermibus Chriſti ſignum deprimeret, repentè mortui ſunt vermes, femina rediit incolumis. Adjiciantur virtutum opera, quibus vera eſſe creduntur.

Item contractum. 21. Quadam die cùm ſanctus Tillo portam Monaſterij voluiſſet ingredi, invenit unum de vernaculis contractis membris veſtigio debilitatum, qui claudicabat pede. Concitus ille deprecabatur, ut ſibi vir ſanctus ſuccurreret ſuffragio. Sic vir Dei ſuſceptâ cauſâ, oratione pro eo fuſâ, cum benedictione rediit incolumis quod ſancta manus tetigit.

22. Erat

22. Erat autem præfato viro jamdicto Monaſterio in cellario Fratrum poſitum vas, quod vulgò tonna voçatur, habens modicum falerni, unde Fratres caritate conſueverant erogare. Accidit autem quodam die, ut parum Fratres falerni pro benedictione perciperent de eodem vaſe, deinde ſanctus vir benedixit vaſculum, atque à Monaſterio diſceſſit. Facto autem die altero, fortuitu miniſter ingreſſus cellarium, invenit tonnam quæ pridie vacua remanſerat, uſque ad os vino repletam. *Cetera deſunt.* CIRC. AN. DC. XC. JANU. VII.

DE CELLA, RELIQUIIS, ET INVOCATIONE S. TILLONIS.

1 *NVllum exſtat veſtigium iſtius cellæ, quæ iuxta vicum Vicanum, vulgò* le Vigen, *uno lapide à Monaſterio Sollemniaco, ſita fuiſſe videtur. Hinc apparet, S. Tillonem non in Brajectenſi eremo, ſed in cella Sollemniaco proxima deceſſiſſe. Apud Bollandum legitur revertiſſe Sollemniacum eo tempore, quo Monaſterio* præerat venerabilis Abba CHILDOMARUS. *Tillo perſtitit in Monaſterio uſque ad regimen* GODEBERTI *ſeu Gundeberti, cujus nutu in privatam cellulam ſe recepit. Sepultus fuit ab* HERMENO *Pontifice Lemovicino in Eccleſia Sollemniacenſi, ubi in crypta ſubterranea ejus tumulus hodie quoque viſitur.*

2. *Reliquias ſancti viri poſſederunt Monachi Sollemniacenſes ad ſæculum proximè elapſum: cujus rei fidem facit charta quædam inconditis verbis ſcripta anno* M. D. II. *in hunc modum:* A Verbo Domini mille quingentûm ac duo pleni fluxerunt anni, ultimo nempe Julij. Dudum aurata TILLONIS pignora ſacra; ſed per Anglica olim certamina priſca, inculta diu ſteterant: per hos tunc qui aderant Abbatem & Monachos quos vocant Sollemniacos, ſportella de veteri, ſollemnitate mirabili gloriosè ſunt tranſlata, ſæpiúſque venerata. Non tamen ex proprio crypta per hos eſt reformata: tota nam materies ab his eſt in ſacrario reperta. Tanti eia largitoris nomen cujus ignoramus, ô Tillo felix, animam tibi nunc commendamus. Aërem ſalubrem, imbriſque temperiem, pacem & gloriam exoramus.

3. *Diſcimus ex alio etiam inſtrumento vetuſtiori, S. Tillonis patrocinium antiquitùs implorari ſolitum ad imbrem obtinendum. Nam* anno ab Inc. Domini M. LXVII. die tertia menſis Septemb. feſtivitate S. Remacli erat tam magna ſiccitas caloris aquæ defectu & pluviæ, quòd herbæ, homines, *&c.* moriebantur. Quibus viſis Eccleſia & plebs Sollemniacenſis vovit & ordinavit ad honorem Dei, B. MARIÆ, & omnium Sanctorum & præcipuè ad honorem beatiſſimi Conf. TILLONIS, cujus corpus in præſenti requieſcit Eccleſia, cum omni devotione & reverentia portari Vicanum corpus B. Tillonis, UT CONSUETUM EST FIERI IN TALI NECESSITATE, cum proceſſione. Et hoc facto, & dicto corpore repoſito in proprio loco, eadem hora & momento pluvia in tam magna abundantia & largitate cecidit, ut & arbores vixerint, *&c. Quod etiam frequentibus poſthac experimentis, recens anno 1656. comprobatum eſt. Præterea adverſus infantium infirmitatem ac defectum populares interpellant S. Tillonem, cujus Reliquiæ crematæ à Calviniſtis fuiſſe exiſtimantur, præter oſſa quædam ſemuſtulata, quæ Sollemniacenſes noſtri cum ſacris ejus cineribus adſervant.*

VITA S. BENEDICTI BISCOPI
ABBATIS VUIREMUTHENSIS PRIMI,
Et ſucceſſorum ejus SIGFRIDI, CEOLFRIDI, & HUVETBERTI.

Scripta duobus libris à Venerabili BEDA Biſcopi diſcipulo.

Ex Martyrol. Bened. Anglic. & Iacobi Waræi editione.

OBSERVATIONES PRÆVIÆ.

1. VENERABILIS BEDA *in Epitome Hiſt. Angl. ubi indicem ſuorum operum texit, mentionem facit hiſtoriæ Abbatum Monaſterij ſui his verbis:* Hiſtoriam Abbatum Monaſterij hujus, in quo ſupernæ pietati deſervire gaudeo, BENEDICTI, CEOLFRIDI, (*adde* SIGFRIDI) & Huvetberthi in libellis duobus ſcripſi. *Hanc hiſtoriam in duo fragmenta divulſam anno 1625. ediderat Eduardus* Maihevv *Monachus Vueſtmonaſterienſis in Martyrologio Benedictino-Anglicano, partim quidem* in Tabula 2. Addendorum, *par-* Beda hujus hiſtoriæ Auctor.

AN. CHR. DC. XC. JANII. XII.

tim ad 25. Septembris: quam editionem quum ignoraret Iacobus Vuaraus Eques Auratus, aliam anno 1664. aggreſſus eſt Dublinenſibus typis, eamdémque Ludovicus Billaine *Bibliopola Pariſiis biennio pòſt recenſuit. Illam ipſam hiſtoriam prædictorum Abbatum geſta continentem hic repræſentamus continua ſerie, tum quia Auctoris integrum opus exhibere ſatius viſum eſt, tum quia permiſtam de eorumdem Abbatum factis narrationem dividere non licuit. An etiam Beda Sermonem de S. Biſcopo compoſuerit, poſtea inquirendum.*

Ejus fides

2. *Quanta ſit Bedæ auctoritas, nemo neſcit. Hìc tamen eò potiorem meretur fidem, quòd de rebus ſibi notis ac perſpectis ſcribit. Quippe* BEDA Dei famulus & Preſbyter Monaſterii beato um Apoſtolorum Petri quod eſt apud Vvirimudam & Ingiruum *fuit*: qui natus in territorio ejuſdem Monaſterii, cùm eſſet annorum ſeptem, cuiâ propinquorum datus eſt educandus reverendiſſimo Abbati BENEDICTO, ac deinde CEOLFRIDO, cunctúmque ex eo tempus vitæ in ejuſdem Monaſterii habitatione peregit, *ut ipſe de ſeipſo loco citato teſtatur.*

Monaſteria S. Petri & S. Pauli.

3. *Monaſterium S. Petri ad Vuiræ fluminis oſtia (unde* Vviremuthenſe *dictum) quinto fere milliari diſtabat à Cœnobio S. Pauli ſito ad Tinam fluvium, in territorio Girvuenſi, vulgò* Jarrovv, *ex quo* Girvuenſe *S. Pauli Monaſterium dictum eſt. Vtrumque condidit Biſcopus, ac eidem Abbati iiſdémque Inſtitutis ſubeſſe voluit. Quod in cauſa fuit, ut nonnumquam apud Bedam aliòſque Auctores, quaſi unius Monaſterii vocabulo cenſeretur. Girvuenſe incoluit Beda, à Danis poſtea ſemel atque iterum deſtructum.*

Benedicti nomen ac cognomen.

4. S. Benedicti Biſcopi *nomen ac cognomen varii variè efferunt. Venerabilis Beda* Biſcopum cognomento Benedictum *appellat, tum in ſubjecta hiſtoria, tum in Hiſt. Angl. lib. 4. cap. 18. & lib. 5. cap. 20. At Florentius Vuigornienſis ac recentiores paſſim*, Benedictum Biſcopium *vocant.* Cognomentum *uſurpare videtur Beda pro nomine altero ſeu voce cognomini & promiſcua: quo ſenſu nonnumquam apud Auctores mediæ ætatis uſurpatum advertimus. Binominis ergo erat Biſcopus, nos tamen pro more uſitato* Benedictum Biſcopum *ubique exprimemus.*

Scripta ejus.

5. *Benedictus quædam ſcripſiſſe dicitur apud Pitſeum,* Exhortationum ad Monachos librum 1. De ſuo Privilegio lib. 1. De celebratione feſtorum totius anni lib. 1. & alia: *de quibus nihil pronuntiandum occurrit. Sunt qui ei tribuant librum* de Concordia Regularum, *quem conſtat eſſe alterius Benedicti Aniana Abbatis. Menardus noſter in Præfatione de Auctoribus Regularum quæ in Concordia citantur, ſuſpicatur* Regulam Magiſtri *à Benedicto Biſcopo ſcriptam fuiſſe. Verùm potiùs Auctori Gallo tribuenda videtur: qua de re aliàs.*

Memoria in ſacris faſtis.

6. *S. Benedicti Biſcopi mentio nulla reperitur in antiquis Bedæ aliorúmque Martyrologiis: ex quo ſuboriri dubium poſſit, an homilia de hoc Sancto vulgata nomine Bedæ, genuina ſit, an alteri adſcribenda. Quidquid ſit, ſine dubio compoſita eſt à quodam Monacho, qui ipſius Biſcopi diſcipulos viderat, uti ex contextu apparet: ac proinde certum eſt, feſtum ejus diem antiquitùs*

Tranſlatio.

fuiſſe celebratum. Hujus ergo corpus, *inquit Vuillelmus Malmeſburiæ Monachus, in lib. 4. de Pontif. Angl.* magno coëmptum pretio Adelvuoldus (*Vuintonienſis Epiſcopus mortuus anno 984.*) Thorneïam advexit, & obſcurioribus Sanctis lucifluum jubar invexit. *Porro Monaſterium Thorneienſe haud procul ab Elienſi urbe Comitatûs Cantabrigienſis diſtabat.*

Regula ab co ſervata.

7. *De Regula per Biſcopum in Monaſteriis ſuis inſtituta in Præfatione ſæculi 1. Bened. §. 8. diſſeruimus. Quippe* Regulam Magni quondam Abbatis Benedicti *Biſcopum & Ceolfridum diſcipulis ſuis commendâſſe, auctor eſt Beda in hiſtoria ſequenti. Et in Monaſterio Vuiremuthenſi erat* Eccleſia B. Patris Benedicti, *infrà lib. 2. num. 19. Quinetiam Albinus Flaccus Alcuinus egregium huic rei teſtimonium nobis ſuppeditat in Epiſt. 49.* ad Vuirenſis & Gyrvenſis Eccleſiæ Fratres *his verbis:* Regularis vitæ obſervationem quam ſtatuerunt vobis ſanctiſſimi Patres, BENEDICTUS ſcilicet & CEOLFRIDUS, diligentiſſimè cuſtodite. *Quam verò Regulam? exponit idem Auctor paullo infrà:* Regula S. BENEDICTI in conventu Fratrum propriâ exponatur linguâ, ut intelligi poſſit ab omnibus. *Hæc lectoribus æquis ſufficere credimus.*

LIBER PRIMUS.

1. REligioſus Chriſti famulus Biscopus cognomento BENEDICTUS, adſpirante ſuperna gratia Monaſterium conſtruxit in honorem beatiſſimi Apoſtolorum Principis Petri, juxta oſtium fluminis Wiri ad Aquilonem, juvante ſe ac terram tribuente venerabili ac piiſſimo gentis illius Rege ECGFRIDO: idémque Monaſteriũ annis ſedecim, inter innumeros vel itinerum vel infirmitatum labores, eadem qua conſtruxerat religione ſedulus rexit. Qui ut beati Gregorii Papæ verbis, quibus cognominis ejus Abbatis vitã glorificat, utar, fuit vir vitæ venerabilis, gratiâ Benedictus & nomine, ab ipſo pueritiæ ſuæ tempore cor gerens ſenile, ætatem quippe moribus tranſiliens, nulli animum voluptati dedit. Nobili quidem ſtirpe gentis Anglorum progeni-

Greg. lib. 2. Dial. cap. 1.

tus, ſed non minori nobilitate mentis ad promerenda ſemper Angelorum conſortia ſuſpenſus. Denique cùm eſſet miniſter Oswii Regis & poſſeſſionem terræ ſuo gradui competentem illo donante perciperet, annos natus circiter viginti & quinque, faſtidivit poſſeſſionem caducam, ut adquirere poſſet æternam: deſpexit militiam cum corruptibili donativo terreſtrem, ut vero Regi militaret, Regnum in ſuperna civitate mereretur habere perpetuum: reliquit domum, cognatos & patriam propter Chriſtum & propter Evangelium, ut centuplum acciperet, & vitam æternam poſſideret: reſpuit nuptiis ſervire carnalibus, ut ſequi valeret Agnum virginitatis gloriâ candidum in regnis cæleſtibus: abnuit liberos carne procreare mortales, prædeſtinatus à Chriſto ad educandos eis ſpirituali doctrina filios, cæleſti in vita perrennes.

AN. CHR. DC. XC. JANU. XII. Benedictus nobilis, Oſvvii Regis miniſter, mundo nuntium remittit.

2. Dimiſsâ ergo patriâ Romam adiit [a], beatorum Apoſtolorum (quorum deſiderio ſemper ardere conſueverat) & loca corporum corporaliter viſere atq; adorare curavit. Ad patriam mox reverſus, ſtudioſus ea quæ vidit Eccleſiaſticæ vitæ inſtituta, diligere, venerari, & quibus potuit prædicare non deſiit. Quo tempore ALCHFRIDUS ſupradicti Regis Oſvvii filius & ipſe propter adoranda Apoſtolorum limina Romam venire diſponens, comitem eum ejuſdem itineris accepit. Quem cùm pater ſuus ab intentione memorati itineris revocaret, atque in patria ac Regno ſuo faceret reſidere, nihilominus ipſe, ut bonæ indolis adoleſcens, cœptum confeſtim explens iter, ſumma ſub feſtinatione Romam rediit, tempore ſuperbeatæ memoriæ VITALIANI Papæ: & non pauca ſcientiæ ſalutaris quemadmodum & priùs hauſta dulcedine, poſt menſes aliquot inde digrediens ad Inſulam Litinenſem, ibidem ſe Monachorum cœtui tradidit, tonſuram accepit, & diſciplinam regularem Monachi voto inſignitus debita cum ſolicitudine ſervavit: ubi per biennium, idoneâ Monaſticæ converſationis doctrinâ inſtitutus, rurſus beati Petri Apoſtolorum principis amore devictus, ſacratam ejus corpore civitatem repetere ſtatuit.

[a] Romam ſemel ac iterum peregrinatur.

Apud Lerinum biennio commoratus,

3. Nec poſt longum, adveniente nave mercatoria, deſiderio ſatisfecit. Eo autem tempore miſerat ECGBERTUS Cantuariorum Rex de Britannia electum ad Epiſcopatûs officium virum nomine WIGHARDUM, qui à Romanis B. Gregorii Papæ diſcipulis in Cantia fuerat omni Eccleſiaſtica inſtitutione ſufficienter edoctus: cupiens eum ſibi Romæ ordinari Epiſcopum, quatinus ſuæ gentis & linguæ habens Antiſtitem, tanto perfectiùs cum ſubjectis ſibi populis vel verbis imbueret Fidei vel myſteriis, quanto hæc nempe non per interpretem, ſed per cogniti & contribulis viri linguam ſimul manúmque ſuſciperet. Qui videlicet Wighardus Romam veniens, cum cunctis qui ſecum venêre comitibus, antequam gradum Pontificatûs perciperet, morbo ingruente defunctus eſt. At verò Papa Apoſtolicus ne legatariis obeuntibus legatio religioſa fidelium fructu competente careret, inito conſilio elegit de ſuis quem Britannias Archiepiſcopum mitteret, THEODORUM videlicet ſæculari ſimul & Eccleſiaſticâ Philoſophiâ præditum virum, & hoc in utraque lingua Græca ſcilicet Latina, & dato ei collega & conſiliatore viro æquè ſtrenuiſſimo ac prudentiſſimo HADRIANO Abbate: & quia venerabilem BENEDICTUM ſapientem, induſtrium, religioſum ac nobilem virum fore conſpexit, huic ordinatum cum ſuis omnibus commendavit Epiſcopum, præcepitque ut relicta peregrinatione quam pro Chriſto ſuſceperat, commodi altioris intuitu patriam reverſus, doctorem ei veritatis quem ſedulò quæſierat adduceret, cui vel illò pergenti vel ibidem docenti, pariter interpres exiſtere poſſet & ductor. Fecit ut juſſerat: venerunt Cantiam, gratiſſimè ſunt ſuſcepti: Theodorus ſedem Epiſcopatûs conſcendit, Benedictus ſuſcepit Monaſterium B. Petri Apoſtoli ad regendum, cujus poſtea præfatus Hadrianus factus eſt Abbas.

Romam tertiò profectus, Theodorũ & Hadrianum in Britanniam Papæ juſſu deducit.

Cantuarienſe Monaſterium ſuburbanũ annis duobus regit.

[a] Vvilfridum itineris ſocium habuit teſtante Beda in lib. 5. Hiſt. cap. 20. Id itineris ſuſcepit Vvilfridus aut vivente Honorio Archiepiſcopo Cantuarienſi, aut certè paullo poſt ejus obitum, ex eodem loco & auctore, qui in lib. 3. cap. 29. Honorii mortem anno ab Inc. Domin. ſexcenteſimo quinquageſimo tertio illigat. Secundam peregrinationem aggreſſus eſt Biſcopus *tempore* VITALIANI *Papæ*, cujus Pontificatûs initium anno DC. LVIII. ſtatuere neceſſe eſt. Vvaræus male legit, *tempore cujus ſuprà B. mem. Vitaliani Papæ.*

AN. CHR. DC. XC. JANU. XII.

4. Quod ubi duobus annis Monaſterium rexit, tertium [a] de Britannia Romam iter arripiens ſolita proſperitate complevit, libróſque omnis Divinæ eruditionis non paucos vel placito pretio emptos, vel amicorum dono largitos retulit. Rediens autem ubi Viennam pervenit, empticios ſibi quos apud amicos commendaverat recepit. At ingreſſus Britanniam, ad Regem Occidentalium Saxonum nomine COYNWALH conferendum putavit, cujus & antè non ſemel amicitiis uſus, & beneficiis erat adjutus. Sed ipſo eodem tempore immatura morte prærepto, tandem ad patriam gentem, ſolúmque in quo natus eſt pedem convertens, ECGFRIDUM Transhumbranæ regionis Regem adiit: cuncta quæ egiſſet ex quo patriam adoleſcens deſeruit replicavit, quo religionis deſiderio arderet non celavit, quid Eccleſiaſticæ, quid Monaſticæ inſtitutionis Romæ vel circumquaque didiciſſet, quot Divina volumina, quantas beatorum Apoſtolorum ſive Martyrum Chriſti Reliquias attulit patefecit, tantámque apud Regem gratiam familiaritatis invenit, ut confeſtim ei terram ſeptuaginta familiarum de ſuo largitus, Monaſterium inibi primo Paſtori Eccleſiæ facere præciperet. Quod factum eſt, ſicut & in procemio memini, ad oſtium fluminis Wiri ad Aquilonem, anno ab Incarnatione Domini ſexcenteſimo ſeptuageſimo-quarto, Indictione ſecunda, anno autem quarto Imperii ECGFRIDI Regis.

a Romam quartò petiit.

Reverſus Ecfrido Rege juvante, Vviremuthenſe Monaſterium condit anno 674.

5. Nec pluſquam unius anni ſpatio poſt fundatum Monaſterium interjecto, Benedictus Oceano tranſmiſſo Gallias petens, cæmentarios qui lapideam [b] ſibi Eccleſiam juxta Romanorum quem ſemper amabat morem facerent, poſtulavit, accepit, attulit. Et tantum in operando ſtudium præ amore B. Petri in cujus honorem faciebat exhibuit, ut inter unius anni circulum ex quo fundamenta ſunt jacta, culminibus ſuperpoſitis, Miſſarum inibi ſolemnia celebrari videres. Proximante ad profectum opere, miſit legatarios Galliam, qui vitri factores, artifices videlicet Britanniis eatenus incognitos, ad cancellandas Eccleſiæ, porticuúmque & cœnaculorum ejus feneſtras adducerent. Factúmque eſt, & venerunt nec ſolùm poſtulatum opus compleverunt, ſed & Anglorum ex eo gentem hujuſmodi artificium noſſe ac diſcere fecerunt. Artificium nimirum vel limpidis Eccleſiæ clauſtris, vel vaſorum multifariis uſibus non ignobiliter aptum: ſed & cuncta quæ ad altaris & Eccleſiæ miniſterium competebant, vaſa ſcilicet vel veſtimenta, quia domi invenire non potuit, de tranſmarinis regionibus advectare religioſus emptor curabat.

Operariis è Gallia accitis Eccleſiam Romano more ædificat.

b

Romam quintò profectus, varia inde adducit ad Templi cultum.

6. Et ut ea quoque quæ nec in Gallia quidem reperiri valebant, Romanis è finibus Eccleſiæ ſuæ proviſor impiger ornamenta ut munimenta conferret; quarta illa poſt compoſitum juxta regulam Monaſterium profectione completa, multipliciore quàm priùs ſpiritualium mercium fœnore cumulatus rediit. Primò quòd innumerabilem librorum omnis generis copiam apportavit: Secundò quòd Reliquiarum Beatorum Apoſtolorum Martyrúmque Chriſti abundantem gratiam multis Anglorum Eccleſiis profuturam advexit: Tertiò quod ordinem cantandi, pſallendi atque in Eccleſia miniſtrandi juxta morem Romanæ inſtitutionis ſuo Monaſterio contradidit, poſtulato videlicet atque accepto ab AGATHONE Papa, Archicantore Eccleſiæ B. Apoſtoli Petri, & Abbate Monaſterii B. Martini JOHANNE [c], quem ſui futurum Magiſtrum Monaſterii Bri-

c Johannem Abbatem,

a Tertia quidem fuit Benedicti è Britannia peregrinatio Romana, at quarta in ſumma, ſiquidem in ſecunda è Britannia diſceſſione bis Romam petiit, antequam in patriam remearet. Ergo ſequentem ejus profectionem *quartam è Britannia* dictam à Beda, quintam abſolutè interpretare.

b Nempe Eccleſiam cum *tabulatu lapideo*, uti Vvillelmus Malmeſburienſis explicat, ſeu cum fornice: nam longè antè jam Paulinus Epiſcopus teſte ipſo Beda lib. 2. Hiſt. cap. 16. *in Lindocolinæ civitate Eccleſiam operis egregii de lapide fecit.* Quod etiam antea jam Eboraci præſtiterat ex cap. 12. Quamquam non rarò tum Templa in Britannia ex ligno fiebant. Finanus Epiſcopus Merciorum teſte Beda lib. 3. cap. 25. *Eccleſiam more Scotorum, non de lapide, ſed de robore ſecto totam compoſuit atque arundine texit. Sed Epiſcopus loci Eadberth, ablata arundine plumbeis laminis eam totam, hoc eſt tectum & parietes cooperire curavit.* Quod etiam in Gallia actitatum nonnumquam. Lege Gregorium Turon. in lib. de Gl. Conf. cap. 72. & lib. 1. de Gl. Mart. cap. 101. & alibi.

c De ipſo Johanne ac Privilegio Agathonis Papæ latiùs agit Beda in lib. 4. Hiſt. cap. 18.

tannias, Romanum Anglis adduceret. Qui illò perveniens, non ſolùm viva voce quæ Romæ didicit Eccleſiaſtica diſcentibus tradidit; ſed & non pauca etiam litteris mandata reliquit, quæ hactenus in ejuſdem Monaſterii Bibliotheca memoriæ gratiâ ſervantur. Quartùm Benedictus non vile munus attulit, Epiſtolam Privilegii à venerabili Papa Agathone cum licentia, conſenſu, deſiderio, & hortatu Ecgfridi Regis acceptam, qua Monaſterium quod fecit, ab omni prorſus extrinſeca irruptione tutum perpetuò redderetur ac liberum. Quintum, picturas imaginum Sanctarum quas ad ornandam Eccleſiam B. Petri Apoſtoli quam conſtruxerat detulit, imaginem videlicet beatæ Dei Genitricis ſempérque Virginis MARIÆ ſimul & duodecim Apoſtolorum, quibus mediam & ejuſdem Eccleſiæ teſtudinem, ducto à pariete ad parietem tabulato præcingeret; Imagines Evangelicæ hiſtoriæ quibus auſtralem Eccleſiæ parietem decoraret; imagines viſionum Apocalypſis B. Johannis quibus Septemtrionalem æquè parietem ornaret: quatenus intrantes Eccleſiam omnes etiam litterarum ignari, quaquaversùm intenderent, vel ſemper amabilem Chriſti Sanctorúmque ejus, quamvis in imagine contemplarentur adſpectum; vel Dominicæ Incarnationis gratiam vigilantiore mente recolerent; vel extremi diſcrimen examinis, quaſi coram oculis habentes, diſtrictiùs ſe ipſi examinare meminiſſent.

AN. CHR. DC. XC. JANU. XII.

Privilegiũ.

Imagines.

7. Igitur venerabilis Benedicti virtute, induſtriâ ac religione Rex Ecgfridus non minimùm delectatus, terram quam ad conſtruendum Monaſterium ei donaverat, quia bene ſe ac fructuosè donâſſe conſpexit; quadraginta [a] adhuc familiarum data poſſeſſione augmentare curavit: ubi poſt annum miſſis Monachis numero fermè decem & ſeptem, & præpoſito Abbate ac Preſbytero CEOLFRIDO, Benedictus conſultu, immo etiam juſſu præfati Regis Ecgfridi, Monaſterium B. Pauli Apoſtoli conſtruxit [b], ea dumtaxat ratione, ut una utriuſque loci pax & concordia, eadem perpetua familiaritas conſervaretur & gratia: ut ſicut verbi gratiâ, corpus à capite per quod ſpirat non poteſt avelli, caput corporis ſinè quo nec vivit, nequit obliviſci; ita nullus Monaſteria primorum Apoſtolorum fraterna ſocietate convincta, aliquo ab invicem tentaret diſturbare conatu. Ceolfridus autem hic quem Abbatem conſtituit Benedictus, à primis inſtituti Monaſterii prioris exordiis adjutor illi per omnia ſtrenuiſſimus aderat; & cum eo, tempore congruo Romam diſcendi neceſſaria ſimul & adorandi gratiâ adierat. Quo tempore etiam Preſbyterum EASTERWINUM de Monaſterio B. Petri eligens Abbatem, eidem Monaſterio regendi jure præfecit: ut quem ſolus non poterat laborem, ſociâ dilectiſſimi commilitonis virtute leviùs ferret. Nec ab re videatur cuiquam duos unum Monaſterium ſimul habuiſſe Abbates. Fecit hoc frequens illius pro Monaſterii utilitate profectio, creber trans Oceanum egreſſus, incertúſque regreſſus. Nam & Beatiſſimum Petrum Apoſtolum Romæ Pontifices ſub ſe duos [c], per ordinem, ad regendam Eccleſiam conſtituiſſe, cauſa inſtante neceſſaria tradunt hiſtoriæ: & ipſe magnus Abbas BENEDICTUS, ſicut de illo beatus Papa Gregorius ſcribit, duodecim Abbates ſuis diſcipulis, prout utile judicavit, ſine caritatis detrimento, immo pro augmento caritatis præfecit.

Girvvienſe Monaſterium condit & Monachis 17. præficit Ceolfridum.

a

b

Eaſtervvinum Monaſterii Yviremuthenſis Coabbatem ſibi adſciſcit.

8. Suſcepit igitur memoratus vir curam Monaſterii regendi nono ex quo fun-

Eaſtervvini vitæ compendium.

a Etiam *quadraginta* legit Florentius Vvigornienſis: unde corrigendus Matthæus Vveſtmonaſterienſis Monachus, qui *ſexaginta familias* habet. Porro *familiæ* nomine intelligit Beda *hidam* ſeu *carucatam*: & priſci homines *carucatam* æſtimabant terræ portionem unius aratri culturæ quolibet anno ſufficientem, quod Vvaræus adnotavit.

b Monaſterium inchoavit Benedictus, perfecit Ceolfridus: id quod teſtatur vetus inſcriptio parieti Eccleſiæ quondam inſculpta hunc in modum: *Dedicatio Eccleſiæ S. Pauli* VIII. *Kalend. Maii, anno* XV. *Ecgfridi Regis, Ceolfridi Abbatis ejuſdem Eccleſiæ Deo auctore conditoris anno* IV. Sic apud Vvaræum & Monaſticum Anglicanum: nam Bollandus *anno* XVI. *Ecgfridi Regis* habet.

c Meminit hujuſce facti Epiphanius Hæreſi 18. Sunt & alia id genus exempla apud Euſebium Pamphilum. Narciſſus Hieroſolymorum Epiſcopus Alexandrum in lib. 6. cap. 11. Theotecnus Cæſareæ Palæſtinæ Epiſcopus Anatolium in lib. 7. cap. 32. collegas habuerunt. Et hocce Sæculo VII. S. Sulpicius Coadjutorem Vvlfolendum adoptavit ſuprà ad ann. 644. S. Præjectus Evodium ad ann. 674.

AN. CHR. DC. XC. JANU. XII

datum eſt anno : permanſit in eo uſque ad obitum ſuum annis quatuor, vir nobilis, ſed inſigne nobilitatis, non ad jactantiæ materiem, ut quidam, deſpectúmque aliorum, ſed ad majorem, ut Dei ſervum decet, animi nobilitatem convertens. Patruelis quippe erat Abbatis ſui Benedicti, ſed amborum tanta mentis ingenuitas, talis mundanæ ingenuitatis fuit pro nihilo contemptus; ut neque iſte Monaſterium ingreſſus, aliquem ſibi præ ceteris ob intuitum conſanguinitatis aut nobilitatis honorem quærendum, neque ille putaret offerendum : ſed æquali cum Fratribus lance boni propoſiti juvenis gloriabatur ſe regularem per omnia ſervare diſciplinam. Et quidem cùm fuiſſet miniſter Ecgfridi Regis, relictis ſemel negotiis ſæcularibus, depoſitis armis, aſſumpta militia ſpirituali tantum manſit humilis, Fratrúmque ſimilimus aliorum, ut ventilare cum eis & triturare, oves vituláſque mulgere, in piſtrino, in horto, in coquina in cunctis Monaſterii operibus jocundus & obediens gauderet exerceri. Sed & Abbatis regimine gradúque aſſumpto, eodem animo quo priùs manebat, ad omnes, juxta id quod quidam Sapiens admonet dicens: *Rectorem te conſtituerunt, noli extolli, ſed eſto in illis, quaſi unus ex illis*, mitis, affabilis, & benignus omnibus. Et quidem ubi opportunum reperiebat, peccantes regulari diſciplina coërcens, magis tamen ingenita diligendi conſuetudine ſedulus admonens ne quis peccare vellet, & limpidiſſimam vultûs ejus lucem nubilo ſibi ſuæ inquietudinis abſcondere. Sæpe procurandis Monaſterii negotiis alicubi digrediens, ubi operantes invenit Fratres, ſolebat eis confeſtim in opere conjungi; vel aratri greſſum ſtivâ regendo, vel ferrum malleo domando, vel ventilabrum manu concutiendo, vel aliud quid tale gerendo. Erat enim & viribus fortis juvenis, & linguâ ſuavis; ſed & animo hilaris, & beneficio largus, honeſtus adſpectu. Eodem quo Fratres ceteri cibo, ſemper eadem veſcebatur in domo, ipſo quo priuſquam Abbas erat communi dormiebat in loco, adeout etiam morbo correptus & obitûs ſui certis ex ſignis jam præſcius, duos adhuc dies in Dormitorio Fratrum quieſceret. Nam quinque reliquos uſque ad exitûs horam dies, in ſecretiori ſe æde locabat: qua die quadam egrediens, & ſub divo reſidens, accitis ad ſe Fratribus cunctis, more naturæ miſericordis oſculum pacis eis flentibus ac de abſceſſu tanti Patris & Paſtoris mærentibus dedit. Obiit autem pridie Nonas Martias[a], noctu, Fratribus matutinæ Pſalmodiæ laude vacantibus. Viginti quatuor annorum erat cùm Monaſterium peteret, duodecim in eo vixit annis, ſeptem Preſbyteratu functus eſt annis, quatuor ex eis Monaſterii regimen agebat : ac ſic terrenos artus moribundáque membra relinquens, cæleſtia regna petivit.

NOTA

NOTA

[a]

9. Verùm his de vita venerabilis Eaſterwini breviter prælibatis, redeamus ad ordinem narrandi. Benedictus conſtituto illo Abbate Monaſterio B. Petri Apoſtoli, conſtituto & CEOLFRIDO Monaſterii B. Pauli, non multo pòſt temporis ſpatio quarta* vice de Britannia Romam occurrens, innumeris ſicut ſemper Eccleſiaſticorum donis commodorum locupletatus rediit : magnâ quidem copiâ voluminum ſacrorum, ſed non minori ſicut & priùs ſanctarum Imaginum munere ditatus. Nam & tunc Dominicæ hiſtoriæ picturas, quibus totam beatæ Dei Genitricis quam in Monaſterio majore fecerat Eccleſiam in gyro coronaret; Imagines quoque ad ornandum Monaſterium Eccleſiámque B. Pauli de concordia veteris & novi Teſtamenti ſumma ratione compoſitas exhibuit : verbi gratiâ, Iſaac ligna quibus immolaretur portantem, & Dominum crucem in qua pateretur æquè portantem, proximâ ſuper invicem regione picturâ conjunxit. Item

Benedictus Româ plurima defert.

quinta *ex dictis*.

a Alii legunt *per Nonas Martias*; unde Nonis Martii S. Eaſtervvinus inſcriptus eſt (ait Henſchenius) Mſ. Kalendario Abbatiæ S. Maximini Trevirenſis & Martyrologiis Benedictino, & Anglicano Richardi Vvitfordi anno 1526. excuſo, his verbis : *In Monaſterio S. Pauli* (legendum S. Petri, nam Eaſtervvinus non Girvvienſi S. Pauli Monaſterio, ſed Vvirenſi S. Petri præfuit) *prope fluvium Tinam in Anglia, feſtum* S. ESTERVVINI *Abbatis ibidem, ac magnæ perfectionis viri.* Florentius Vvigornienſis ſcribit S. virum *per Nonas Martii anno* DC. XXCV. peſtilentiâ ſublatum : quod etiam hîc paullo pòſt tradit Beda, idémque Eaſtervvini Tranſlationem ab Huvetberto factam infrà num. 19. commemorat.

ſerpenti in eremo à Moyſe exaltato [a], filium hominis in Cruce exaltatum comparavit. Attulit inter alia & pallia duo holoſerica incomparandi operis, quibus poſtea ab ALDFRIDO Rege ejúſque Conſiliariis (namque Ecgfridum poſtquam rediit jam interfectum reperit) terram trium familiarum ad Auſtrum Wiri fluminis, juxta oſtium comparavit. AN. CHR. DC. XC. JANU. XII. a

10. Verùm inter læta quæ veniens attulit, triſtia domi reperit, venerabilem videlicet Preſbyterum Eaſterwinum quem abiturus Abbatem conſtituerat, ſimul & Fratrum ei commiſſorum catervam non paucam, per cuncta graſſante peſtilentia jam migrâſſe de ſæculo. Sed aderat & ſolamen, quia in loco Eaſterwini virum æque reverentiſſimum ac mitiſſimum de Monaſterio eodem, SIGFRIDUM videlicet Diaconum, electione Fratrum ſuorum ſimul & Coabbatis ejus Ceolfridi, mox ſubſtitutum cognovit, virum ſcientiâ quidem Scripturarum ſufficienter inſtructum, moribus optimis ornatum, mirâ abſtinentiæ virtute præditum; ſed ad cuſtodiam virtutum animi, corporis infirmitate non minima depreſſum, ſed ad conſervandam cordis innocentiam nocivo & irremedicabili pulmonum vitio laborantem. *Sigfridi Abbatis electionem Probat.*

11. Nec multo pòſt etiam Benedictus ipſe morbo cœpit ingruente fatigari. Ut enim tantam religionis inſtantiam etiam patientiæ virtus adjuncta probaret, Divina utrumque pietas temporali ægritudine proſtravit in lectum: ut poſt ægritudinem morte devictam perpetua ſupernæ pacis & lucis quiete refoveret. Nam & Sigfridus, ut diximus, longâ interiorum moleſtiâ caſtigatus diem pervenit ad ultimum. Et Benedictus per triennium languore paullatim accreſcente tanta paralyſi diſſolutus eſt, ut ab omni prorſus inferiorum membrorum factus ſit parte præmortuus, ſuperioribus ſolùm ſine quorum vita vivere nequit homo, ad officium patientiæ virtutémque reſervatis. Studebant in dolore ſemper Auctori gratias referre, ſemper Dei laudibus fraternísve hortatibus vacare. Agebat Benedictus advenientes ſæpius ad ſe Fratres de cuſtodienda quam ſtatuerat Regula firmare. Neque enim putare habetis, inquit, quòd ex meo hæc quæ vobis ſtatui decreta indoctus corde protulerim. Ex decem quippe & ſeptem Monaſteriis quæ inter longos meæ crebræ peregrinationis diſcurſus optima comperi, hæc univerſa didici, & vobis ſalubriter obſervanda contradidi. Bibliothecam quam de Roma nobiliſſimam copioſiſſimámque advexerat, ad inſtructionem Eccleſiæ neceſſariam, ſollicitè ſervari integram, nec per incuriam fœdari, aut ſparſim diſſipari præcepit. Sed & hoc ſedulus eiſdem ſolebat iterare mandatum, ne quis in electione Abbatis generis proſapiam, & non magis vivendi docendíque probitatem putaret eſſe quærendam. Et verè, inquit, dico vobis, quia in comparatione duorum malorum, tolerabilius mihi multo eſt, totum hunc locum in quo Monaſterium feci (ſi ſic judicaverit Dominus) in ſolitudinem ſempiternam redigi, quàm ut frater meus carnalis quem novimus viam veritatis non ingredi, in eo regendo poſt me Abbatis nomine ſuccedat. Ideóque multùm cavetote, Fratres, ſemper, ne ſecundum genus umquam, ne deforis aliunde vobis Patrem quæratis. Sed juxta quod Regula magni quondam Abbatis BENEDICTI [b], juxta quod Privilegii veſtri continent decreta, in conventu veſtræ Congregationis communi conſilio perquiratis, qui ſecundum vitæ meritum & ſapientiæ doctrinam aptior ad tale miniſterium perficiendum digniórque probetur: & quemcumque omnes unanimi caritatis inquiſitione optimum cognoſcentes elegeritis, hunc vobis accito Epiſcopo rogetis Abbatem conſueta benedictione firmari. Nam qui carnali, inquit, ordine carnales filios generant, carnali neceſſe eſt ac terrenæ ſuæ he- *Benedictus cum Sigfrido ægrotans, ut ſe gerit.* *Præclara ejus monita, præcipuè de ſucceſſore eligendo.* b

a Lege S. Paulini Nolani Epiſcopi librum 9. de virtutibus S. Felicis, ubi rationem reddit, cur S. Felicis *ſanctas domos animantibus adſimilatis pinxerit.*

b Magnus Abbas Benedictus in Regulæ cap. 64. præcipit, ut *vitæ merito & ſapientiæ doctrinâ eligatur* Abbas, *quem ſibi omnis concors congregatio ſecundum timorem Dei elegerit.* Eamdem Regulam inculcat etiam Ceolfridus infrà num. 16.

AN. CH. DC. XC. JAN. XII. „ reditati carnales terrenósque quærant heredes : at qui ſpirituales filios ſpirituali „ ſemine verbi procreant, ſpiritualia oportet ſint cuncta quæ agunt. Inter ſpiritua- „ les ſuos liberos eum majorem qui ampliori Spiritûs gratiâ ſit præditus æſtiment, „ quomodo terreni parentes quem primum partu fuderint, eum principium libe- „ rorum ſuorum cognoſcere, & ceteris in partienda ſua hereditate præferendum „ ducere ſolent.

Noctis tædia ſacra lectione relevat.

12. Neque hoc reticendum, quòd venerabiiis Abbas Benedictus ad tempe- randum ſæpè longæ noctis tædium, quam præ infirmitatis onere ducebat inſom- nem, advocato lectore vel exemplar patientiæ Job, vel aliud quid Scripturarum quo cõſolaretur ægrotus, quo depreſſus in infimis vivaciùs ad ſuperna erigeretur, coram ſe recitari jubebat. Et quia nullatenus ad orandum ſurgere, non facilè ad explendum ſolitæ pſalmodiæ Curſum linguam vocémve poterat levare ; di- dicit vir prudens affectu religionis dictante, per ſingulas diurnæ ſive nocturnæ orationis horas aliquos ad ſe Fratrum vocare quibus Pſalmos conſuetos duobus in choris reſonantibus, & ipſe cum eis quatinus poterat pſallendo, quod per ſe ſolum nequiverat, eorum juvamine ſuppleret.

Pſalmos coram ſe recitari jubet.

Ceolfridum Abbatem utrique Monaſterio præponit.

13. At ubi uterque Abbas laſſatus infirmitate diutina jam ſe morti vicinum nec regendo Monaſterio idoneum fore conſpexit, (tanta namque eos affecit infir- mitas carnis, ut perficeretur in eis virtus Chriſti, ut cùm quadam die deſideran- tibus eis ſe invicem priuſquam de hoc ſæculo migrarent videre & alloqui, Sigfri- dus in feretro deportaretur ad cubiculum, ubi Benedictus & ipſe ſuo jacebat in grabato : eíſque uno in loco miniſtrorum manu compoſitis, caput utriuſque in eodem cervicali locaretur lacrymabili ſpectaculo, nec tantum habuêre virium, ut propiùs poſita ora ad oſculandum ſe alterutrum conjungere poſſent : ſed & hoc fraterno compleverunt officio :) inito Benedictus cum eo cúmque univerſis Fratribus ſalubri conſilio accîit Abbatem CEOLFRIDUM, quem Monaſterio B. Pauli Apoſtoli præfecerat, virum videlicet ſibi non tam carnis neceſſitudine, quàm virtutum ſocietate propinquum, & eum utrique Monaſterio cunctis fa- ventibus atque hoc utilimum judicantibus, præpoſuit Patrem, ſalubre ratus per omnia ad conſervandam pacem, unitatem, concordiámque locorum, ſi unum perpetuò Patrem Rectorémque tenerent, commemorans ſæpiùs Iſraëli- tici Regni exemplum, quod inexterminabile ſemper exteris nationibus inviola- túmque perduravit, quamdiu unis iiſdémque ſuæ gentis regebatur à Ducibus. At poſtquam præcedentium causâ peccatorum inimico ab invicem eſt certamine diremptum, periit paulliſper, & à ſua concuſſum ſoliditate defecit. Sed & Evan- gelicam illam monebat ſine intermiſſione recolendam eſſe ſententiam : Quia omne regnum in ſeipſo diviſum deſolabitur.

LIBER SECUNDUS.

Sigfrido mortuo, & ipſe Bene- dictus me- ritur. [a]

14. IGITUR poſthæc revolutis menſibus duobus, primò venerabilis ac Deo di- lectus Abbas SIGFRIDUS, pertranſito igne & aqua tribulationum tempo- ralium inductus eſt in refrigerium ſempiternæ quietis, introiit in domum regni cæleſtis[a], in holocauſtis perpetuæ laudationis reddens ſua vota Domino, quæ ſe- dula labiorum mundorum diſtinctione promiſerat, ac deinde adjunctis aliis men- ſibus quatuor, vitiorum victor Benedictus & virtutum patrator egregius, victus infirmitate carnis ad extrema pervenit, nox ruit hibernis algida flatibus, dies illi mox ſancta naſcitur æternæ felicitatis, ſerenitatis & lucis. Convenerunt Fratres ad Eccleſiam inſomnes, orationibus & pſalmis tranſigunt umbras noctis, & pa- ternæ deceſſionis pondus, continua Divinæ laudis modulatione ſolantur. Alii cubiculum in quo æger animo robuſtus egreſſum mortis & vitæ exſpectabat ingreſſum, non deſerunt. Evangelium tota nocte pro doloris levamine (quod &

NOTA modum juvandi moribundos.

[a] Nempe XI. Kalend. Septemb infrà num. 19. ubi de ejus Tranſlatione agitur : quo die in faſtis Bene- dictinis memoratur : & quidem anno DC. XCIX. qua- tuor menſibus ante Benedictum, qui Januario inſe- quente mortuus eſt.

aliis

aliis noctibus fieri consueverat) à Presbytero legitur, Dominici Corporis & Sanguinis Sacramentum, horâ exitûs instante pro Viatico datur. Et sic anima illa sancta longis flagellorum felicium excocta atque examinata flammis, luteam carnis fornacem delerit, & supernæ beatitudinis libera pervolat ad gloriam. Cujus egressui victoriosissimo, neque ab immundis spiritibus aliquatenus impediendo vel retardando, etiam psalmus qui tum pro eo canebatur, testimonium dat. Namque Fratres ad Ecclesiam principio noctis concurrentes, psalterium ex ordine decantantes, ad octogesimum tunc & secundum cantando pervenerant psalmum, qui habet in capite : *Deus quis similis erit tibi?* Cujus totus hoc resonat textus, quòd inimici nominis Christi, sive carnales sive spirituales, semper Ecclesiam Christi, semper animam quamque fidelem disperdere ac dissipare conentur : sed econtra ipsi confusi & conturbati sint perituri in sæculum, enervante illos Domino, cui non est quisquam similis, qui est solus altissimus super omnem terram. Unde rectè dabatur intelligi, cælitùs dispensatum ut talis diceretur Psalmus, ea hora qua exiret de corpore anima, cui juvante Domino nullus prævalere posset inimicus. Sextodecimo postquam Monasterium fundavit anno, quievit in Domino Confessor, pridiè Iduum Januarii [a], sepultus in Ecclesia B. Apostoli Petri, ut quem degens in carne semper solebat amare, quo pandente januam regni cælestis intrabat, ab hujus Reliquiis & altari post mortem nec corpore longiùs abesset. Sexdecim (ut diximus) annos Monasterium rexit, primos octo per se, sine alterius assumptione Abbatis ; reliquos totidem viris venerabilibus & sanctis EASTERWINO, SIGFRIDO, CEOLFRIDO Abbatis se nomine, auctoritate & officio juvantibus, primo quatuor annos, secundo tres, tertio unum.

AN. CHR. DC. XC. JANU. XII.

Psal. 82. 2.

a

15. Qui & ipse tertius, id est, Ceolfridus industrius per omnia vir, acutus ingenio, actu impiger, maturus animo, religionis zelo fervens, priùs (sicut & suprà meminimus) jubente pariter ac juvante Benedicto, Monasterium B. Pauli Apostoli septem annis fundavit, perfecit, rexit, ac deinde utrique Monasterio, vel sicut rectiùs dicere possumus, in duobus locis posito uni Monasterio beatorum Apostolorum Petri & Pauli viginti & octo annos, sollerti regimine præfuit, & cuncta quæ suus prædecessor egregia virtutum opera cœpit, ipse non segniùs perficere curavit. Siquidem inter cetera Monasterii necessaria, quæ longo regendi tempore disponenda comperit, etiam plura fecit Oratoria ; altaris & Ecclesiæ vasa, vel vestimenta omnis generis ampliavit, Bibliothecam utriusque Monasterii, quam Benedictus Abbas magnâ cœpit instantiâ, ipse non minori geminavit industriâ : itaut tres pandectes novę Translationis quem de Roma attulerat, ipse superadjungeret, quorum unum senex Romam rediens secum inter alia pro munere sumpsit ; duos utrique Monasterio reliquit ; dato quoque Cosmographorum codice mirandi operis, quem Romæ Benedictus emerat. Terram octo familiarum juxta fluvium Fresca, ab ALDFRIDO Rege in Scripturis doctissimo, in possessionem Monasterii B. Pauli Apostoli comparavit : quem comparandi ordinem ipse dum adhuc viveret Benedictus cum eodem Rege Aldfrido taxaverat. Sed priusquam complere potuisset obiit. Verùm pro hac terra postmodùm OSREDO regnante, Ceolfridus addito pretio digno, terram viginti familiarum in loco qui incolarum linguâ *Ad villam Sambuce* vocatur, quia hæc vicinior eidem Monasterio videbatur, accepit. Missis Romam Monachis tempore recordationis Papæ SERGII [b], Privilegium ab eo pro tuitione sui Monaste-

Ceolfridi Abb. gesta.

b

a Anno proinde, non DCC. III. uti scribit Matthæus Vvestmonasterii Monachus, sed DC. XC. ineunte, siquidem anno DC. LXXIV. Vviremutense Monasterium conditum est. Id confirmatur ex morte Easterwini superiùs num. 8. relata, quæ anno duodecimo conditi Cœnobii, & quidem anno DC. XCV. contigit. Item ex morte Ceolfridi Abbatis, *quam* VII. *Kal. Octob. anno* DCC. XVI. evenisse infrà num. 21. Beda disertè affirmat. Ceolfridus verò sex ante Biscopi obitum mensibus Abbas utrique Cœnobio prælatus, regimen tenuit *viginti & octo annos* ex num. 15. nempe inchoatos : qui calculus à mense Julio anni DC. XXCIX. ad Octobrem anni DCC. XVI. numeratur.

b Exstat fragmentum epistolæ seu rescripti Sergii Papæ ad Ceolfridum apud Vvillemum Malmesburiensem Monachum in lib. 1. de Regib. Angl. cap. 3. in qua Sergius à Ceolfrido requirit, ut *religiosum Dei famulum Bedam Dei Presbyterum* dirigat Romam ad examinanda nonnulla *causarum Ecclesiasticarum capitula* : quod Beda modestiæ causâ reticuit;

AN. CHR. DC. XC. JANU. XII.

rii inſtar illius quod AGATHO Papa Benedicto dederat accepit: quod Britannias perlatum, & coram Synodo patefactum, præſentium Epiſcoporum ſimul & magnifici Regis Aldfridi ſubſcriptione confirmatum eſt, quomodo etiam prius illud ſui temporis Regem & Epiſcopos in Synodo publicè confirmâſſe non latet. Temporibus illius tradens ſe Monaſterio B. Petri Apoſtoli quod regebat, veteranus ac religioſus & in omni tam ſæculari quàm Scripturarum ſcientia eruditus Chriſti famulus WITMER, terram decem familiarum quam ab Aldfrido Rege in poſſeſſionem acceperat, in loco villæ quæ *Daldun* nuncupatur, eidem Monaſterio perpetuæ poſſeſſionis jure donavit.

Morti vicinus, paſtoralem curam in alium transferri rogat.

16. At ubi Ceolfridus poſt multam Regularis obſervantiæ diſciplinam quam ſibi ipſi pariter ac ſuus Pater Benedictus providus ex priorum auctoritate contribuit, poſt incomparabilem orandi pſallendíque ſollertiam, qua ipſe exerceri non deſiit, poſt mirabilem & coërcendi improbos fervorem & modeſtiam conſolandi infirmos, poſt inſolitam rectoribus eſcæ potúſque parcitatem & habitûs vilitatem, vidit ſe jam ſenior & plenus dierum non ultrà poſſe ſubditis ob impedimentum ſupremæ ætatis debitam ſpiritualis exercitii vel docendo vel vivendo præcipere formam: & multa diu ſecum mente verſans, utilius decrevit, dato Fratribus præcepto, ut juxta ſui ſtatuta Privilegii, juxtáque Regulam ſancti Abbatis BENEDICTI, de ſuis ipſi Patrem qui aptior eſſet eligerent, ipſi * Beatorum Apoſtolorum, ubi juvenis cum Benedicto fuerat: quatinus & ipſe ante mortem aliquamdiu ſæculi curis abſolutus, liberiùs ſibimet ſecretus quiete vacaret, & illi ſumpto Abbate juveniore perfectiùs juxta ætatem Magiſtri quæ vitæ Regularis eſſent inſtituta ſervarent.

* *l.* ipſe pergeret ad limina B. Apoſtolorum

Romam proficiſcitur lugentibus Monachis,

17. Obnitentibus licet primò omnibus, & in lacrymas ſingultúſque genua cum obſecratione crebra flectentibus, factum eſt quod voluit. Tantáque erat proficiſcendi cupido, ut tertio die ex quo Fratribus ſecretum ſui propoſiti aperuit, iter arriperet. Timebat enim quod evenit, ne priuſquam Romam pervenire poſſet, obiret, ſimul devitans, ne ab amicis ſive viris principalibus quibus cunctis erat honorabilis, ejus cœpta retardarentur, & ne pecunia daretur illi à quibuſdam, quibus retribuere pro tempore nequiret: hanc habens ſemper conſuetudinem, ut ſi quis ei aliquid muneris offerret, hoc illi vel ſtatim, vel poſt intervallum competens, non minore gratia rependeret. Cantatâ ergo primo mane Miſsâ, in Eccleſia beatæ Dei Genitricis ſempérque Virginis MARIÆ, & in Eccleſia Apoſtoli Petri, pridie Nonas Junias, quintâ feriâ, & communicantibus qui aderant[a], continuò præparatur ad euudum. Conveniunt omnes in Eccleſia B. Petri, ipſe thure incenſo & dicta oratione ad altare pacem dat omnibus, ſtans in gradibus thuribulum habens in manu: hinc fletibus univerſorum inter Letanias reſonantibus exeunt, B. Laurentii Martyris Oratorium quod in Dormitorio Fratrum erat obvium intrant, vale dicens ultimum, de conſervanda invicem dilectione & delinquentibus juxta Evangelium corripiendis admonet, omnibus ſicubi fortè deliquiſſent, gratiam ſuæ remiſſionis & placationis offert: omnes pro ſe orare, ſibi placatos exſiſtere, ſi ſint quos duriùs juſto redarguiſſet obſecrat. Veniunt ad litus, rurſum oſculo pacis inter lacrymas omnibus dato, genua flectunt: dat orationem, adſcendit navem cum comitibus. Accendunt & Diacones Eccleſiæ cereas ardentes & Crucem ferentes auream, tranſit flumen, adorat Crucem, adſcendit equum, & abiit, relictis in Monaſteriis ſuis Fratribus numero fermè ſexcentis.

numero ſexcentis.

18. Illo autem abeunte cum ſociis, redeunt ad Eccleſiam Fratres, ſe ac ſua Domino fletibus & oratione commendant: & poſt non grande intervallum, completâ horæ tertiæ pſalmodiâ, rurſum conveniunt omnes, quid agendum ſit conſulunt, orando, pſallendo, & jejunando, Patrem citiùs à Deo quærendum

[a] Neque hinc excipit Preſbyteros, qui plurimi ſine dubio illic tum erant. Lege Præfationem noſtram.

decernunt; Monachis B. Pauli, Fratribus videlicet ſuis, per eorum quoſdam qui aderant, necnon & ſuorum aliquos quod decreverint pandunt. Aſſentiunt & illi, fit utrorumque animus unus, omnium corda ſurſum, omnium levantur voces ad Dominum. Tandem die tertia, veniente Dominico die Pentecoſtes, conveniunt omnes qui erant in Monaſterio B. Pauli ſeniorum non pauci. Fit una concordia, eadem utrorumque ſententia. Eligitur itaque Abbas HUVETBERTUS, qui à primis pueritiæ temporibus eodem in Monaſtetio non ſolùm Regularis obſervantiâ diſciplinæ inſtitutus, ſed & ſcribendi, cantandi, legendi ac docendi fuerat non parvâ exercitatûs induſtriâ. Romam quoque temporibus beatæ memoriæ Sergii Papæ occurrens, & non parvo ibidem temporis ſpatio demoratus, quæ ſibi neceſſaria judicabat dixit, deſcripſit, retulit. Inſuper & duodecim ante hæc annos, Preſbyterii eſt functus officio. Hic igitur electus Abbas ab omnibus utriuſque præfati Monaſterii Fratribus, ſtatim aſſumptis ſecum aliquibus Fratrum venit ad Abbatem Ceolfridum curſum navis qui oceanum tranſiret exſpectantem, & quem elegerant Abbatem nuntiat: Deo gratias reſpondit, electionem confirmat, & commendatariam ab eo epiſtolam Apoſtolico Papæ Gregorio deferendam ſuſcepit, cujus memoriæ cauſâ putavimus in hoc opere verſus aliquot eſſe ponendos.

AN. CHR. DC. XC. JANU. XII. Huvetbertus omniũ conſenſu Abbas eligitur.

Ceolfridо probatur.

DOMINO in Domino dominorum dilectiſſimo tèrque beatiſſimo Papæ GREGORIO, HUVETBERTUS *humilis ſervus veſter, Abbas Cœnobij beatiſſimi Apoſtolorum Principis Petri in Saxonia; perpetuam in Domino ſalutem.* Gratias agere non ceſſo diſpenſationi ſuperni examinis unà cum ſanctis Fratribus, qui mecum in his locis ad inveniendam requiem animabus ſuis ſuaviſſimum Chriſti jugum portare deſiderant, quòd te noſtris temporibus tam glorificum electionis vas regimini totius Eccleſiæ præficere dignatus eſt, quatinus per hoc quo ipſe impleris lumen veritatis & fidei, etiam minores quoſque affatim jubare ſuæ pietatis adſpergeret. Commendamus autem tuæ ſanctæ benignitati, dilectiſſime in Chriſto Pater & Domine, venerabiles Patris noſtri dilectiſſimi canos, CEOLFRIDI videlicet Abbatis ac nutritoris tutoriſque noſtræ ſpiritualis in Monaſtica quiete libertatis & pacis. Et primùm quidem gratias agimus ſanctæ & individuæ Trinitati, quòd ipſe etſi non ſine maximo noſtro dolore, gemitu, luctu ac proſecutione lacrymarum à nobis abiit, ad ſuæ tamen diu deſideratæ quietis gaudia ſancta pervenit, dum ea quæ juvenem ſe adiiſſe, vidiſſe atque adorâſſe ſemper recordans exſultabat, etiam ſenio defeſſus, beatorum Apoſtolorum devotus limina repetiit. Et poſt longos ampliùs quadraginta annorum labores, curáſque continuas, quibus Monaſteriis regendis Abbatis jure præfuit, incomparabili virtutis amore, quaſi nuper ad converſationem vitæ cæleſtis accitus, ultima confectus ætate, & propè jam moriturus rurſus incipit peregrinari pro Chriſto, quo liberiùs priſca ſollicitudinum ſæcularium ſpineta camino ſpirituali fervens compunctionis ignis abſumat. Deinde etiam veſtræ Paternitati ſupplicamus, ut quod nos facere non meruimus, vos erga illum ultimæ pietatis ſeduli munus expleatis, pro certo ſcientes quia etſi vos corpus habeatis ipſius, & vos tamen & nos Deo devotum ejus ſpiritum ſive in corpore manentem, ſive carneis vinculis abſolutum, magnum pro noſtris exceſſibus apud ſupernam pietatem interceſſorem habemus & patronum. Et cetera quæ epiſtolæ ſequentia continent.

« Epiſtolam Gregorio Papæ mittit.

« Ceolfridũ commendat.

19. Reverſo autem domum Huvetberto, advocatur Epiſcopus ACCA, & ſolita illum in Abbatis officium benedictione[a] confirmat: quæ inter innumera Monaſterii jura quæ juvenili ſagax ſollertia recuperabat, hoc inprimis omnibus delectabile & gratificum fecit: ſuſtulit oſſa EASTERWINI Abbatis, quæ in porticu ingreſſûs Eccleſiæ B. Apoſtoli Petri erant poſita, necnon & oſſa SIGFRIDI Ab-

Abbas ordinatus, oſſa SS. Eaſtervvini & Sigfridi transfert.

[a] Jam tunc ergo ab Epiſcopis benedicebantur Abbates, quod etiam ſuprà lib. 1. num. 11. Benedictus teſtatur. Conſule Obſervationes noſtras in Præfationem ad iſtud Sæculum. Acca Epiſcopus fuit Hagulſtadenſis ab anno DCC. XVI. ad DCC. XL. de quo Beda in Hiſt. lib. 5. cap. 21. perquàm honorificè.

AN. CHR. DC. XC. JANU. XII.

batis ac Magiſtri quondam ſui, quæ foris ſacrarium ad meridiem fuerant condita, & utraque in una theca, ſed medio pariete diviſa recludens, intus in Eccleſia B. Patris Benedicti[a] compoſuit. Fecit autem hæc die natalis Sigfridi, id eſt undecimo Kalendarum Septembrium, quo etiam die contigit, mirâ Dei providentiâ, ut venerandus Chriſti famulus WITHMER, cujus ſuprà meminimus, excederet, & in loco ubi prædicti Abbates priùs ſepulti fuerant, ipſe qui eorum imitator fuerat conderetur.

a

Vvithmer obit.

Ceolfridus apud Lingonas moritur.

20. Chriſti verò famulus Ceolfridus (ut ſupradictum eſt) ad limina beatorum Apoſtolorum tendens, priuſquàm illò perveniſſet, tactus infirmitate diem clauſit ultimum. Perveniens namque Lingonas, circa horam diei tertiam, decimâ ipſius diei horâ migravit ad Dominum, & craſtino in Eccleſia beatorum Geminorum Martyrum honorificè ſepultus eſt, non ſolùm Anglis genere, qui pluſquam octoginta numero in ejus fuerant comitatu, ſed & illius loci accolis, pro retardato tam reverendi ſenis deſiderio, in lacrymas luctúſque ſolutis. Neque enim facilè quiſquam lacrymas tenere potuit, videns comites ipſius partim Patre amiſſo cœptum iter agere, partim mutata intentione qua Romam ire deſiderârant, domum magis qua hunc ſepultum nuntiarent reverti, partim ad tumbam defuncti inter eos quorum nec linguam noverant, pro inexſtinguibili Patris affectu reſidere.

Ætas ejus.

b

21. Erat autem quando obiit annorum ſeptuaginta quatuor, Preſbyterii gradu functus annis quadraginta ſeptem, Abbatis officium miniſtrans annis triginta quinque, vel potiùs annis quadraginta tribus[b], quia ſcilicet à primo tempore quo Benedictus in honore beatiſſimi Apoſtolorum Principis ſuum cœpit condere Monaſterium, ipſe illi comes individuus, cooperator & Doctor Regularis & Monaſticæ inſtitutionis aderat. Cui ne priſci morem rigoris, vel ætatis, vel infirmitatis, vel itineris umquam minueret occaſio, ex die quo de Monaſterio ſuo profectus abiit uſque ad diem quo defunctus eſt, id eſt à pridie Nonas Junias uſque ad ſeptimum Kalendarum Octobrium diem, per dies c. XIV. exceptis canonicis orationum horis, quotidie bis Pſalterium ex ordine decantare curavit, etiam cùm ad hoc per infirmiratem deveniret, ut equitare non valens feretro caballario veheretur, quotidie Miſsâ cantatâ ſalutaris hoſtiæ Deo munus offerret, excepto uno quo Oceanum navigabat, & tribus ante exitum diebus.

Aſſiduitas in Pſalmis & Miſſæ celebratione.

c

Obitûs ejus tempus.

22. Obiit autem ſeptimo Kalendarum Octobrium die[c], anno ab Incarnatione Domini ſeptingenteſimo ſextodecimo, feriâ ſextâ, poſt horam nonam, in pratis memoratæ civitatis, ſepultus in craſtinum ad Auſtrum ejuſdem civitatis, milliario primo, in Monaſterio Geminorum[d], adſtante ac Pſalmos reſonante exercitu non parvo tam Anglorum qui cum eo advenerant, quàm Monaſterii ejuſdem, vel civitatis incolarum. Sunt autem Gemini Martyres in quorum Monaſterio & Eccleſia conditus eſt, Speuſippus, Eleuſippus, Meleuſippus, qui uno partu matris editi, eadem Eccleſiæ fide renati, ſimul cum avia Leonilla, dignam loco illi ſui martyrii reliquêre memoriam: qui piam etiam nobis indignis & noſtro parenti opem ſuæ interceſſionis & protectionis impendant.

d

a En Beda Magnum Abbatem Benedictum ſuum ipſorum Patrem vocat, non certè Benedictum Biſcopum, cùm vivente Beda nullam Biſcopus ſibi ſacram habuerit Eccleſiam, nec uſquam hac in hiſtoria *Beatus* à Beda appelletur, immo nec in ipſius Bedæ Martyrologio locum habeat. Sanè idem Beda in Vitæ S. Cuthberti cap. 13. S. Benedictum Caſſinarem vocat *ſanctiſſimum Patrem* BENEDICTUM, & cap. 13. *Beatum Patrem Benedictum*, & rurſus cap. 19.

b Sic rectè legitur in Martyrologio Bened. Anglic. ex quo corrigenda Pariſienſis editio hujus hiſtoriæ, in qua *annis tribus* reperitur.

c Ipſo die inſcriptus eſt Benedictinis Faſtis. Beda in Hiſt. lib. 5. cap 22. perſuaſionem Pictis factam *de catholico Paſchate & tonſura* tribuit Ceolfrido, ejuſdémque elegantem ac prolixam epiſtolam ea de re ad Naitonum Regem ſcriptam refert. *Reliquiæ oſſium*, inquit Vvillelmus Malmeſburiæ Monachus in lib. 3. de Regib. Angl. cap. 3. *poſterioribus annis ad Monaſterium* ſcilicet Vviremuthenſe; *deinde Danicâ vaſtationis tempore Glaſconiam portatæ ſunt.*

d Illud Monaſterium nunc eſt Prioratus Conventualis Canonicorum Regularium Ord. S. Auguſt. ſeſquimilliari Gallico à Lingonum civitate.

VITA S. HADALINI CONFESSORIS, CONDITORIS MONASTERII CELLENSIS PROPE DIONANTUM AD MOSAM,

CIRC. AN. DC. XC. FERR. III.

Auctore NOTGERO Leodicenſi Epiſc. uti ex num. 6. intelligitur.

Ex MS. cod. Andaginenſis Monaſt. & Bollando, omiſſo Prologo.

1. FUIT B. HADALINUS Aquitaniæ territorio cretus, nobili propagine ortus, in tenera ætate morum probitate grandævus, pueritiæ annos excedens, conſortio ſenum Salomonis ſemper ineſſe cupiens, & dum ſeſe cotidie ad majora niteretur extendere, etiam illius famoſi Patriarchæ exempla conatus eſt pertentare, cui ait Dominus, *Exi de terra tua, &c.* Quod etiam jamdudum plures hoc ipſum audierat actitare, & pro viribus ſuis illorum impar nolebat apparere: Sanctus ſcilicet Agricius, Maximinus, Paulinus ejuſdem patriæ exſules ad noſtram, id eſt Francorum devenerant terram. Qui etiam poſtea Trevericæ Sedis Archiepiſcopali infula ſublimati, ibique mortem obientes, cum Domino miraculis atteſtantibus ſe vivere manifeſtant. Sic quoque B. Remaclus Tungrenſium Præſul almifluus & Deo dignus; Goar Rhenum fluvium circa Monaſterium ſuum tranſeuntium conſolator, ceteríque ex eadem regione felici fines noſcuntur noſtros adiiſſe perplures [a]. Hadalinus nobilis Aquitanus. Gen. 12. 1.

2. Cernens B. Hadalinus quem nimio diligebat amore à Deo & hominibus exaltatum & Pontificali Cathedra ſublimatum, non eſt noſtræ facultatis evolvere quanta cor ejus & lingua repletum fuerit exſultatione [b]. Porro cujus meriti religioníſque integræ in eodem exſtiterit regimine, qualitérve Stabulaüs & Malmundarium Monaſteria conſtruxerit pio labore, in ejus vitæ libro quicumque velit poterit reperire. At verò poſtquam cultum ſervorum Dei in eiſdem Cœnobiis aggregaverat, habitacula quoque religionis uſui apta magna ex parte diſpoſuerat; quod ſemper habuit in voto, remotioris ſcilicet vitæ ſolitudinem, ſic Deo annuente nactus eſt occaſionem. Tandem licet difficillimè, impetravit tamen à Rege ut alius ſibi ſuccederet, & ſibi diu deſideratam eremum adire liceret, ubi remotus à curis ſæcularibus, liberiùs inhiaret cæleſtibus. S. THEODARDI vitam ſatis probabilem Regi & Optimatibus oſtentavit, eúmque vicem ſuam ſupplere poſt ſe Cathedræ ſuæ ſubrogandum ex nomine deſignavit. Plebe itaque ſuis ſacris benedictionibus inſignita, B. Hadalino ſecum comitante, diu deſtinatum accipiunt callem [c]. cum Remaclo ſolitudinem petiit. b

3. Sed cùm Dominus ipſius benedicti Hadalini ſanctitatis jubar ſuper candelabrum ponere popularis diſponeret notionis, contigit dum iter agerent, ut accumberent quietis gratiâ ambo, dormientíque de quo agitur Sancto, alter vigilans, benignus ſcilicet Remaclus, ſolis radium qui oberat vultui imminens ſoporantis, Angelico velari cerneret obumbramine. Evigilans autem ait ad eum beatus Pontifex: Frater dulciſſime, ſi quam nunc viſionem in ſomnis agnoſcis tibi oſtenſam fore, mihi indicare ne differas cariſſime. At ille vultu ſubmiſſo primò renitens, ſed pòſt jubentis voci obtemperans, ait: Decreveram tibi, Solis radio illuſtratur. c

[a] Multa hîc omiſimus inſerta de Vita S. Remacli ex ipſius Actis an. 664. repetenda.

[b] Hinc colligit Bollandus, Hadalinum priùs Remaclo adhæſiſſe, quàm Stabuletum conderetur: ſiquidem Remaclus jam Epiſcopus iſtius Monaſterij fundamenta jecit.

[c] Hinc S. Remacli cum Hadalino ſeceſſum anno fere DC. LX. contigiſſe, in Actis S. Remacli diximus.

CIRC. AN. DC.XC. FEBR. III.

Pater beatiſſime, quæ videram in præſenti occulere, verùm evolutis aliquot diebus humili pronus devotione patefacere. Sed cùm tuæ juſſioni quidquam negare fas non ſit; Vidi, inquam, columbam cum blando ſopore quieſcere de cælo ſuper me indignum alis expanſis deſcendere, oculóſque meos aliquantulum circumvolitare, ſícq; caput meum ſuperſedere, méque hoc omen quid boni portenderit fateor ignorare. At B. Pontifex Remaclus hilari etiam intuens vultu, Excellit, inquit, ô Hadaline, dignitas tua modicitatem meam, indignúmque me tali fateor ſocio, quem famulatu obumbrari conſpexi Angelico. Te per diem ſol non uret, neque luna per noctem, ait Pſalmiſta, quia nec in Chriſto, nec in illuſtrata per eum excedes Eccleſia. Columba quippe Spiritus-ſanctus qui ſuper Dominum in Jordanis fluminis baptiſmate requievit, & eum oleo exſultationis præ participibus ſuis unxit, oſtendit, ipſe gratia mitiſſimæ pietatis tuum cor illuſtravit, téque in ſui ſervitio perenniter delegavit. Hæc & his ſimilia ſacræ eruditionis verba Hadalinus à Deo electus cordis aure audiebat, & ad majora ſe virtutum opera deinceps accingere cogitabat.

Remacli hortatu ſolitudinem petit & Oratorium conſtruxit.

4. Rurſus benignus Pontifex Remaclus futurorum præſcius ait ad illum: Accelera ergo, fili mi, aliò quantociùs profectionem Chriſtum conſectans præducem. Vallem contiguam ſaltui qui adjacet fluvio quem Letiam [a] dicunt vicini, adiens locum qui Inter-quatuor-montes vocatur inquire, & illic Deo cohoſpite tibi habitaculum atque Oratorium conſtrue, Angelis ubi præſulibus Domino Chriſto dignè valeas militare. Ille hæc præſagia hilari mente ſuſcipiens, veſtigiis Pontificis provolvere niſus eſt. At ille benigno hortatu illum elevans, ut locum cum aliquantis comitibus adiret, & procedente tempore ad ſe ſæpe viſitationis gratiâ rediret ſuadebat. Exorata itaque & impetrata benedictione progreſſus indagandi cupidine, viri cujuſdam qui vocabatur BEO devenit domum, ægréque, uxoris ſcilicet juvamine, hoſpitio impetrato, inter verſandum inquirere. Sanctus jamdictum cœpit locum, obtentóque ſubdulci ducamine locum invenit, Deo gratias egit, Adjutorium noſtrum in nomine Domini cecinit. Deinceps habitaculum conſtruit, Oratoriolum ut tunc temporis poſſe fuit perfecit, ſeſéque Chriſti famulatui Angelorúmque præſidio totum illic devotus contradit. In fame igitur & ſiti, in frigore & nuditate, in laboribus & diverſis angoribus, ærumnis atque preſſuris Dei Athleta ſobriè & quietè & piè Domino non ſæculo vivens, exſpectabat illic beatam ſpem & adventum gloriæ magni Dei, & Salvatoris noſtri JESU-CHRISTI: caſtigánſque & ſervituti animi ſubjiciens proprium cotidie corpus, ipſam animam cæleſtibus deputabat indeſinenter excubiis, Regem in accubitu ſuo ſedentem nardum mirifici odoris priorum actuum cotidie in ara cordis ſacrificium delectabile mactando munificans.

Remaclum reviſit.

5. Audiens autem famam ſanctitatis, ſanctæque converſationis monitoris ſui, beati ſcilicet Remacli in Cœnobio prædicto Stabulaus, quòd ſtudebant undique ad eum velut apes ad alvearia confluere, nonnulli ſe omnipotentis ſervituti addere & leni jugo Chriſti colla ſubnectere; alij verò liberos ſuos liberalibus immo Monaſticis inſtruendos diſciplinis, & illic perpetuò inſervituros contradere; multi etiam de facultatibus ſuis & reditibus ſuis Sanctorum neceſſitatibus communicare; ſtudebat & ipſe ad eum viſitationis & nimio caritatis ardore ſæpe venire, & de pomis paradiſi Dei converſando illic convivari, ſicuti in catalogo virorum illuſtrium qui ibidem ſuper altare apparet aſſiduè habetur inſertum.

[a] Letia ſeu Lætia, vulgò *Leſch*, *Lés*, oritur in Arduenna, haud procul à Bullonio, ibíque terrâ per duas leucas abſorptus, erumpit inde è rupe in Hanum pagum, ac Moſæ miſcetur mediâ leucâ ſupra Dionantum opidum, à quo ſeſquihoræ itinere diſtat vicus *Cellæ* appellatus à S. Hadalini Monaſterio illic conſtructo. Lapſu temporis Monachi locum ceſſerunt Canonicis, qui & ipſi Baronum Cellenſium vexationibus fatigati, Viſetum tranſlati ſunt, uti infrà, dicemus. Nunc apud Cellas ſtat Eccleſia, ac titulus Præpoſituræ: at in acclivis collis latere haud longè à primaria Eccleſia, alia eſt ædicula, ubi cellulam primùm exſtruxit atque eremeticam vitam egit Hadalinus, in qua ejus tumulus cernitur. Hæc fere ex Bollando, qui rectè arguit errorem Philippi Ferrarij, Lætias Cœnobium, Lutoſas, & Cellam S. Giſleni in Hannonia, necnon Leſſiniam Frandriæ opidum cum Cellis Hadalini ad Letiam fluvium confundentis in Catalogo gener. ad 3. Febr.

Hæc ſunt, inquit, nomina eorum qui cum B. Remaclo Monaſterium Stabulaus priùs inhabitare cœperunt: S. REMACLUS, S. HADALINUS, S. THEODARDUS, S. LAMBERTUS, ejus ſpiritualis procul dubio in Baptiſmate filius, S. HUBERTUS, CHRISTIANUS quoque ſapientiſſimus, & ceteri multi. CIRC. AN. DC. XC. FEBR. III.

6. Sed ut ad ea unde paullo momento divertimus redeamus, cœpit beatus locum habitationis ſuæ Hadalinus excolere, ſanctæ converſationis opere adornare, de die in diem Chriſti bonus odor Deo in omni loco eſſe. Sanè quòd cæleſtis lucerna diu latere ſub modij nequiverat umbra, nec civitas abſcondi ſupra montem poſita; pervenit fama ſanctitatis ejus ad aures PIPPINI glorioſiſſimi tunc temporis Regis: qui ut Regina Saba ad veteris temporis Salomonem, ita ad iſtius pacifici ac ſapientiſſimi Dei miniſtri accurrit humilis manſionem, conſiliiſque ſaluberrimis ab eo de ſubjiciendo ſeſe Regi Regum Chriſto & gubernando ſecundum ejus imperium Regno ab ipſius mellifluo ſuſceptus eloquio, ſuffragióque quarumdam quæ adhuc à proviſoribus loci tenenturvillarum conceſſo, gaudens de beati viri colloquio ſeſe reddidit palatio. Et quia nil deeſt timentibus Deum, multi de facultatibus & reditibus ſuis ejus voluntariam paupertatem ſuppeditare volebant, ut converſionis ejus in eodem loco augmentaretur affectus. Nam fuêre in ejus vicinio tres germani, BEO ſcilicet jamdictus, TRICLINUS alter, tertius BALDUINUS, quorum quiſque quod illic poſſederat conceſſit devotus. A Pippino aliiſq; prædia accipit.

7. Nomen itaque ejus per vicina loca cunctis innotuit, factúmque eſt, ut ex illo tempore à multis frequentari cœpiſſet: ipſe enim cælibem dignámque Deo inibi vitam ducebat. Omnes ſuperveniẽtes non modò dulcedine verborum animæquiores reddebat, verùm & caritatis officia eis pro modulo ſuo libentiſſimè impendebat. Et quia eumdem locum ſua ſacra conſecraverat converſione, voluit pius Dominus verba quæ antè dixerat, *Qui me*, inquit, *honorificaverit honorificabo eum*, in hoc famulo ſuo oſtendere. Cúmque locelli jam dilatari cœpiſſet anguſtia, duo equites cum duobus aſſuetis venatibus Umbris fortè fortunâ ignari cujus dignitatis eſſet vallicula venientes, experti ſunt in ſemetipſis quid advenientibus agere competeret ceteris. Nam mane ſurgentes, exanimes quibus advecti fuerant invenerunt ſonipedes, ſupérque mortua cadavera canes. Hoc comperto qui tunc temporis aderat Præſul, cujus nunc Deo annuente nomine, non (pro nefas!) merito famulamur [a] ſedi, auctoritate interminavit Epiſcopali, ne quis poſthæc eques Oratorij illius attingeret fines: delegavit illic quoque ex reditibus, ut rem Eccleſiæ noſtræ villam quæ Mons-Francheri [b] vocatur, ubi miraculum quod accidit & memoriæ nunc intervenit, nefas ſilere putamus. Loci religio divinitùs commendatur. 1. Reg. 2. 30. a Auctor Leodicenſis Epiſcopus. b

8. Cùm caſu meſſores ſibi laborarent heriles, dirigunt Sancto conquerentes ex ſuis legatum, humiliter exorantes remedium adhibere opportunum. Ille verò ſe miſiſſe illis jam retulit potum, verùm ſegnitie delatoris dilatum. Ne verò ſiti laborantes periclitarentur diutina, Sanctus ad locum adveniens, meſſores bacillum quo iverat figit, & affectu intimo cordis oravit. Cujus orationis verba cordis ſcrutator audivit, & fons largifluè ſcaturiens continuò erupit, ſitibundos exſatiat, meritum viri declarat. Sanctus oratione fontem elicit.

9. Emporium per idem tempus quod dicitur *Dionant*, dum præteriret, ecce quædam mulier accurrens, mugitúmque vocis emittens, veſtigia ejus oſculabatur; ſed quæ anhelabat corde, voce implere nequibat. Subſtitit ergo & populum circa ſe adſtantem quænam eſſet, qualitérve id ei accidiſſet interrogavit. At illi ut multum temporis jam fluxerat quòd muta effecta ſit intimavit, & ut ei infortunij & infelicitatis miſereri dignetur ſupplices omnes offerunt preces. Et ille; Non hæc, inquit, noſtra ſunt, ſed ſanctorum Patrum, quorum nos ſup- Mutæ reddit linguæ officium.

a Hinc non immeritò colligit Bollandus, iſtius Vitæ Auctorem eſſe Notgerum Leodicenſem Epiſcopum, qui plura id genus ſcripta lucubravit, iſtíque Eccleſiæ ab anno CM. LXXI. ad M. VII. præfuit.

b Vicus eſt inter Carolomontium & Mariæburgum opida, ad Canonicos Cellenſes hodiéque pertinens.

CIRC. AN. DC. XC. FEBR. III.

pares eſſe meriti utinam contingeret vel extremi. Populus autem magnis clamoribus ſuggerebat, ut qui pietatem & clementiam ſemper docuerat, ipſe quoque in miſeria illius mulierculæ dignaretur oſtendere. Qui ſtat pietate motus, & de verbis Domini quæ diſcipulis ſuis promiſerat: *Quæcumque orantes petitis, credentes accipietis*, confiſus, totum ſe ad Dominum contulit devotus, proſtratúſque humo lacrymis orabat. Oratione expleta, ſignum ſanctæ Crucis ori ejus impreſſit: mox illa Deo gratias cunctis audientibus egit, vocem laudationis attollit, & poſthæc Deo devota permanſit.

Marc. II 24.

Prædia accipit, *a*

10. Cujus rei admiratione permota quædam, ut fertur, potens matrona nomine Aquila, cujus tunc erat Anthegia[a] villa notiſſima, dedit Deo ad Sancti ſuſtentaculum Ruſſina quod dicitur manſum. Hoc exemplo & altera quædam Guiza vocata, cùm tradere Deo per manum ejuſdem beatiſſimi videlicet Hadalini prædium quod *Veltz* dicebatur vellet, cognomen à vocabulo deducens Sancti, Montem S. Hadalini inpoſterum vocari diſpoſuit: didicerat namque quòd redemptio animæ viri divitiæ ejus. Quibus ita geſtis, infirmitate ultima præventa eſt. Cúmque lectulum illius plurimorum circumſtiparet fidelium turma, de abſentia viri ſancti flebili cum eis eſt voce conqueſta: & cùm interrogaretur à noſtris cui illud delegare vellet, iterata ſæpius voce reſpondit: Hadalino, Hadalino, Hadalino, inquam, beato. Cúmque wantum[b] in manu (ut moris eſt) legaliter tradenda teneret, & viri differretur adventus, exſpiravit. Currens autem nuntius ad beatum qui tunc fortè aberat Hadalinum, indicavit ei & dolorem morientis & cauſam tradendæ ſibi poſſeſſionis. Veniente itaque Sancto, & cordis ejus pulſum manu rimante, ſi jam exſtincta funditùs eſſet, rigentes occiduo caſu articulos (mirum dictu!) acſi vivens aperuit, & cunctis videntibus qui aderant locum Beato contradidit. Hujus rei tot ac tanti exſiſtunt teſtes, quot regionis illius conſtant inhabitatores. Patet etiam clariùs luce, dum incolæ eumdem locum videntur poſſidere, qui dictis fidem faciunt uſque hodie.

a

b etiam à matrona mortua per chirothecam.

Oſtium ſigno Crucis reſtaurat.

11. Procedente rurſus tempore taurus caſu petulcus oſtium cujuſdam effregerat. Cúmque ejus inhabitatrix muliercula ejulatu flebiliſſimo cuncta compleret, Heros benignus affuit, eámque quid ſibi acciderit ut his eos clamoribus congregaret inquiſivit: cognitáque rei notione, eam ſolatus eſt dicens: Ne perturberis miſera in tugurioli tui ruina, ſed magis bonis operibus elabora, ut in illa qua manſiones multæ ſunt merearis fieri incola. Et hæc dicens oſtium ſignavit, integritati priſtinæ verbo reddidit, admiratione cuncta replevit, ſéque jactantiam fugitans concitus abdidit.

Virtutes ejus.

12. Pauper igitur ſpiritu, quia caſu nequibat, affectu regnum cælorum emere contendebat, mitiſſimáque mente terram viventium poſſidere ſedulus affectabat, cúmque eſuriret & ſitiret juſtitiam, ſatiari cùm Chriſti manifeſtaretur gloria ambiens, famam ſæculi pro nihilo ducebat. Et ut Deum mente conciperet limpidiſſimum cordis oculum à malivolentia & ſæcularium curarum pulvere conſervare ſtudebat. Et licet caro adverſus ſpiritum, ſpiritus autem adverſus carnem dum terrena inhabitatio ſenſum deprimit multa cogitantem ſemper concupiſcere ſoleat, pacem iſte mirificam faciens ſpiritum carni Deum ſpiritui dominari vigori compellebat herili, ut Deum cælorum in Sion videre ejúſque excubiis mereretur indeficuè adhærere, & filius Dei non quidem naturâ verùm gratiâ vocari & eſſe. Sanè internorum bonorum ſuorum formas & ſpecies ſicut nemo ad plenum potuit inſpicere, ita nemo ſufficit explicare: quas ſicut ille ſtuduit excolere ita & laboravit occulere, & cùm hæc vellet augeri nolebat

a Anthegia, vulgò *Anthée*, eſt in medio itinere, quo ex opido Dionanto Florinas itur, inquit Bollandus.

b Wantos ſeu chirothecas, Galli *gants* vernaculè vocant. Varios ritus tradendæ poſſeſſionis, *per feſtucam ſive juncum aut ſcirpum, per cæſpitem ſive glebam, per virgam ſeu baculum, per wantum ſeu chirothecam, per cultellum cum cæſpite & feſtuca*, alióſque ab antiquis uſurpatos refert Hieronymus Bignonius in Notis ad lib. 1. cap. 13. Formul. Marculfi.

agnoſci

agnoſci neglector quietis, refuga voluptatis, appetitor laboris; patiens abjectionis, impatiens honoris; pauper in pecunia, dives in conſcientia; humilis ad merita, ſuperbus ad vitia: nulla illi ex omnibus propenſior cura, niſi aut de Deo in lectione atque ſermone, aut cum Deo in oratione loqueretur. CIRC. AN. DC.XC. FEBR. III.

13. Per plura ergo [a] annorum curricula illic commorans, ſanctiſſima converſatione poſt hujus vitæ multimodos laborum excurſus, per plura beneficiorum & miraculorum commoda, hominibus Deóque carus oſtenſus, diem ſibi vocationis intelligens imminere; quo recompenſaret honor in cælis quod labor triverat in terris; morem gerere decrevit ſubjectis. Quos accerſitos fideles quoſque non parvi numeri ante ſe poſitos & de abſceſſu ſuo mæſtos his ultimis ſolatus eſt verbis: Ecce, cariſſimi Patres atque amantiſſimi Fratres, tempus reſolutionis meæ inſtat, quo hæc torpentia membra ſpiritus relinquat, Judicíque ſuo præſentandus occurrat. Non me terret proventus conditionis omni mortali communis, cùm tota ſapientium vita commentatio debeat eſſe mortis: vobis magis timeo, quos ſalvandos omnimodis volo. En ego viam univerſæ carnis ſum ingreſſurus, & ad vos deinceps non reverſurus: vos quoque morituros, cariſſimi, ſcitote, ideóque pœnitentiæ tempus indultum non patiamini quæſo tranſire incaſſum. Quiſquis ergo veſtrûm cujuſcumque criminis ſe ſentit perpetratione maculatum; atque foveâ majoris peccati abſorptum, citò ſalubre ſuo ſupponat vulneri medicamentum. Dum Judex porrigit pœnitenti miſericordiæ manum; en patet dum advivitis janua miſericordiæ, quæ poſt mortem obſtruitur, ſola patente quæ contemptores præceptorum Dominicorum deſertoréſque puniendos ſuſcipiat portâ gehennæ. Obſecro itaque vos per Chriſtum, ut in quo vos noſtis hactenus deviâſſe à vero, reconciliari ſatagite Deo. Orate ut vos Evangelica admonet lectio, ne fiat fuga veſtra hieme vel ſabbato. Quo loco noſtræ res ſitæ ſint, in commune videtis: & quia hic mundus in maligno poſitus ſit, juxtà mecum omnes attenditis. Poſt has dulces paternæ pietatis admonitiones & extrema caritatis verba modicâ febre pulſatus, & ſacro-ſancti Corporis & Sanguinis Domini Viatico confirmatus, illis dolentibus & flentibus, ipſe autem exſultans tertio Nonas Februarij pervenit ad eum quem ſemper deſideraverat Chriſtum. Corpus ejus honorificè curatum cum melodia Pſalmorum & hymnorum in loco quo ipſe decreverat eſt ſepultum: ubi per ejus merita Dominus uſque in præſens operatur miraculorum beneficia ad laudem & gloriam nominis ſui quod eſt benedictum in ſæcula.

Oratione ad ſuos habitâ,

moritur ac ſepelitur.

a In apographo Andainenſi legitur, *Per plura tredecim annorum curricula.* Verùm diutiùs in Monaſterio à ſe condito converſatus eſt Hadalinus, ſiquidem notus fuit Pippino Majori-domûs, qui Pippinus hîc ab Auctore Rex dictus, non ante annum DC. XXCVII. palatij præfecturâ quietè potitus eſt. Unde S. Hadalini obitum anno circà DC.XC. conſignamus. Sacrum ejus corpus illic quievit ad annum uſque M. CCC. XXXVIII. quo in opidum Viſetum Leodicenſis diœceſis ad dextram Moſæ ripam invectum eſt, Cellenſibus Canonicis iſthuc tranſlatis ob Baronum Cellenſium infeſtationes. Hæc Tranſlatio V. Idus Octob. celebratur.

CIRC. AN. DC. XC. AUG. XXV.

VITA S. HVNEGVNDIS VIRGINIS HVMOLARIENSIS,

Auctore (ut videtur) BERNERO Humolariensi Abbate Sæculo x.

Expolita à Surio, at restituta ad codd. MSS. S. Theoderici Remens. & V. C. Claudij Iolij Canon. Paris.

OBSERVATIO PRÆVIA.

AQuo Auctore, quóve tempore scripta sit B. HUNEGUNDIS *Vita, non omnino est exploratum. A Scriptore subæquali fuisse litteris commendatam suspicari quis posset ex his Prologi verbis:* Cujus (HUNEGUNDIS) aggredior vitæ gestorumque pauca describere, prout comperi à Fidelibus enarrari. *Verùm eo loquendi genere Auctor se aliorum relatione seu traditione potiùs quàm scripto hanc historiam didicisse satis innuit. Episcopum fuisse Auctorem putavit Surius, qui hanc vitam stilo politiori primus edidit. At licet in Prologo* Sacerdotum se ultimum *dicat Biographus, quo nomine apud veteres Episcopi plurimùm designantur; tamen eo loci Presbyterum exprimi, & fortè* BERNERUM *Abbatem Humolariensem primum, veri simile putamus. Nam Bernerus ipse exaravit B. Hunegundis historiam Translationis, quæ in cod. MS. Monasterii S. Theoderici Remensis huic Vitæ subjicitur, non continua serie, uti apud Surium, sed distincta & prolixiori narratione. Hanc in eodem cod. sequitur* historia Mutationis *ab alio Auctore condita, in qua hæc verba de Bernero:* Cujus Inventionis necnon & Translationis descriptionem simúlque miraculorum insignia inibi divinitùs declarata volentibus agnoscere, claro stilo luculentóque sermone studuit elucubrare piæ memoriæ Domnus Abbas BERNERUS, qui Deo disponente primus huic successit locello, pulsis ob obscœna carnalis voluptatis lenocinia quæ ibi erant Monialibus. *Quod anno* CM. XLVIII. *contigisse suo loco dicemus. Est autem Humolariense Monasterium, vulgò* Humblieres, *prope muros Augustæ Veromanduorum ad Suminam, cujus Monasterij primordia & auctores ignorantur. Istius Vitæ exemplum duplex, unum integrum, aliud mutilum cùm accepissemus, diversi Auctoris fetum esse primùm existimavimus: at re maturiùs expensa non duplex, sed una eadémque lucubratio visa est. Hinc corrigendum id quod in Præfatione Sæculi I. Bened. de duplici Vitæ S. Hunegundis scriptore diximus.*

PRÆFATIO AUCTORIS.

I. BEATORUM ac venerandorum Patrum memoranda descriptio, qui membra & versutias callidi hostis Evangelico perculerunt gladio, interiorem nostrum hominem Divino perflat alloquio: nec minùs exteriorem & corruptibilem nostrum gravi affectum elogio materna ac virginalis inclyta vegetat collatio. Nempe ex his genus victoriæ exstitit egregium, quo diabolus cum suis armis omne perdidit dominium, & per quod primi parentes vitæ sensêre dispendium, per id rursus in augmentum sui supernum dilatatum est imperium. Eadem ergo natura, quæ viro gustum necis obtulit, etiam per sanctas Virgines omnibus vitij parsimoniam propinavit: & quæ primùm facilè consentit ut caderet, & mater calamitatis exsisteret; postmodùm per Christi gratiam fortiter restitit ut zabulum prosterneret, sorórque & mater Domini Salvatoris gratis electa feliciter fieret. Hujus igitur divinæ gratiæ sortem adepta glorioſa virgo HUNEGUNDIS, ab immaculato divini fontis utero renata prodiit, educata Catholicæ sinu matris Ecclesiæ, cujus aggredior Vitæ, gestorumque pauca describere, prout comperi à Fidelibus enarrari. Obsecro itaque me principem peccatorum & Sacerdotum ultimum vestris precibus suffragari, quatinus mihi sanctus dignetur adesse Spiritus, qui & facinorum

noſtrorum maculas deleat, & linguam ad enarranda quædam Virginis geſta diſertam efficiat. CIRC. AN. DC. XC. AUG. XXV.

INCIPIT VITA.

2. SUMMA & incomprehenſibilis providentia Divinitatis, cùm ex ſua omnipotentia mundi Principem debellaret, ejúſque verſutias penitùs exſtirpare diſponeret, eum non ſolùm potenter ſuperavit atque arma abſtulit, verumetiam ipſis armis miſericorditer tam præclaram contulit flagrantiam, ut fugarent ac delerent ſordidiſſimi Principis dominia, fierétque Chriſti luminaria quæ fuerant pridem arma tenebroſa. Tali igitur ordine mundi ſceptra crudeliſſima immutantur, omníſque portio tenebrarum ſuis cum ſatellitibus tanto jubare reſtinguitur, oritúrque per pagella nova lux & gaudium, ſubmittentes colla Regi regum, & paullatim à ſolis ortu uſque ad occaſum Chriſti divulgatum eſt imperium. Inter quos gens Francigena, multis actuum inſigniis ſplendida ac triumphis multis famoſiſſima, licet Chriſto fide ſancta tardiùs occurreret, tamen ut perſenſit Domini clementiam, cœpit paſſim pullulando novam atque ſanctam Deo Patri prolem gignere. Ex cujus jam ſacratiſſimo conſortio ſancta mater atque virgo Chriſti dilatata eſt Eccleſia, quæ oblita domum patris atque populum, unitati trinæ ſinum cordis obtulit, unde ſibi immaculatus Dominus impollutam conſecraret familiam.

Hunegundis Veromandenſis è fonte levatur à B. Eligio.

3. Ergo tellus Franciæ, pagus ſcilicet Vermandenſis, præpollentiſſimi Martyris Quintini decorata ſuffragiis, anhelabat totis viribus ut offerret Domino munus gratum in odorem ſuaviſſimum. Quo in pago, atque villa quam Lembaidis nominant, ſancta virgo HUNEGUNDIS generosâ nata eſt proſapiâ, quæ proceſſit velut virgula fumi ex aromatibus myrrhæ & thuris & univerſi generis pigmentorum, dum nobilibus & Chriſtum colentibus prodiit parentibus. Hanc è ſacro fonte ferunt elevatam ab ELIGIO Pontifice Noviomenſis ac Vermandenſis Eccleſiæ, ubi ſumſit veri ſponſi arrham, ſimúlque veſtem pretioſam immortalitatis ſigno candidatam & triumpho paſſionis perluſtratam, atque caſtæ caritatis ordine regiam & ſacerdotalem coronam myſticam. Ubi etiam in ſeptem gradibus Baptiſmatis ſeptem comprehendit dona Spiritus-ſancti, Epiſcopali benedictione confirmata & ſancto chriſmate delibuta. Quibus undique fulta vivere ſtuduit juvencula per ſeptima dierum curricula, ut ſeptem ſepties augmentatis & monade ſuppoſito, iubilei fructum in præſenti vita adquireret: hócque duplicato corpore & anima poſt peractum vitæ curſum fructum carperet centeſimum ſacratiſſimis virginibus conſecratum. Unde quia erat glorioſæ indolis progenie, ab ipſis incunabulis fertur eſſe deſponſata coæqualibus natalibus: ſed dilecta magis Sponſo cæleſti terreſtris confunditur, occultóque Dei judicio mortis confinio clauditur.

Deſponſata fieri cupit Monacha.

4. Poſtquam verò cœpit ſancta virgo eſſe adoleſcens corpore candidóque vultu atque flava facie, deſponſatur rurſum à quodam nomine EUDALDO generoſæ ſtirpis homine, à quo variis eſt dotata ſponſalibus cum mancipiis & villulis: quæ omnia licet à parentibus coacta, vultu tamen placido & mente caſta perferens, meditabatur jamdiu animo, qualiter ſe & ſua Chriſto ſponſo traderet dotalia, fierétque Sanctimonialis femina ſub tutela ſanctæ Matris Virginis, inſignita capitis velamine, ut cum adoleſcentulis veri Regis valeret edicere: *Nigra ſum ſed formoſa filiæ Hieruſalem, ideo dilexit me Rex, & introduxit me in cubiculum ſuum.* Et iterum: *Nolite me conſiderare quòd fuſca ſim, quia decoloravit me ſol.* Talis intentio & tam præclarum exercitium verſabatur ſedulè in præcordiis puellaribus, flóſque Genitricis virginalis in hac ſancta redolebat virgine, radiantes plurimæ virtutum gratiæ ex virgineis ſucceſſibus. Cant. 1.

Sponſum ad piam hortatur peregrinationem.

5. Deinde cùm ſanctum ſuæ mentis propoſitum ad effectum operationis vellet perducere, ſapienti uſa conſilio, ſponſum qua potuit arte tentavit ſuaviter emollire, ac demulcendo ſubtilitate ingenii ab amplexibus omnino divellere.

CIRC. AN. DC. XC. AUG. XXV. Cui talia blandiſſimis alloquens vocibus dixit: O dulciſſime atque amantiſſime conjunx, quoniam Chriſtianiſſimis & Orthodoxis parentibus geniti ſumus, non decet nos coinquinari ac libidinoſis commixtionibus pollui, velut gentes quæ ignorant Deum, & ſicut equus & mulus quibus non eſt intellectus. Placeat tibi, precor & conteſtor per Dominum, meum ſalubre conſilium, meiſque te accommoda dictis, & quæramus mutuò qualiter noſtra Deo placita efficiantur conjugia, ut de nobis non terrena ſed progenies cæleſtis emergat. Decet enim nimiúmque valet nos Apoſtolorum Principem expetere, atque loca ſancta circuire, ut ſaltem fusâ ſuper nos benedictione Apoſtolica fiat nobis vita longa, ſalus continua, opulentia in rebus, fecunditas in propagine, tranquillitas in diuturna pace. O beata Virgo, ô ſuperni Regis ſponſa, quàm devota diceris: Ecce dicis quaſi optans tibi mundum efflorescere, quem in corde jam deſpectum funditùs ſpreveras, & velut ſtercus marcidum quod penitùs calcaveras. Quid plura? ita quidem eſt deluſa ſollicitudo nuptialis, atque protelata dies matrimonij: & cùm debuerant præparari nuptialia, præparantur ſumptus & vehicula tanto itineri neceſſaria. Nam quia erat virgo tenerrima, & tam voluntate quàm ætate innuba, idémque ſponſus timoratus & Chriſticola, adquievit placidè; & ut cognovit non eſſe fas reſiſtere, etiam ipſe cœpit eſſe auctor itineris, optans & exorans ita ſibi cuncta evenire, ut audierat affatibus puellulæ.

Romam pergit cum ſponſo. * itinerantibus.

6. His ritè peractis & paratis omnibus quæ ad uſum vel ad victum forent congrua cunctis iterantibus*, gratias agentes Deo viam pergunt publicam; Sponſus pompa ſæculari hilaris & alacer extrinſecùs, virgo multo gaudentior lætabatur intrinſecùs. Cuncta quippe ei Chriſtus tribuebat proſpera, cui jam cum fide vera, ſpe & caritate integra, famulari ſemper ſuam devovebat animam, poſcens JESUM-CHRISTUM tacitis precibus cuſtodiri cor & corpus immaculatum, ne confunderetur illecebroſis voluptatibus. Ore tacito mens orabat, & protegentem ſe Dominum cordis oculis conſpiciebat. Suaviſſimis alloquiis legiones ſanctas Angelorum evocabat ſuum in auxilium, & cum lacrymis ſibi adeſſe poſcebat omnem chorum agminum cæleſtium. Exauditur Dei famula, & comitante illi Divina miſericordia, ſuperni reſpectûs promeruit majora ſolatia. Sacroſancta utique præſidia ſibi mox adeſſe perſenſit, quæ defenſam omnibus incommodis Romæ præſentarunt Apoſtolicis conſpectibus, cum omni integritate fidei & corporis. Cúmque percunctarentur loca urbis mundi dominæ, & ſuperbo faſtu ſponſus cum ſodalibus undique circumſeptus, varia Sanctorum circuiret pignera; illa vitans arrogantiæ comitatum, ſola ibat ad Apoſtolorum limina. Sponſus eam æſtimabat repauſare præ multæ viæ laſſitudine: illa velut mente renovata ac robuſtior effecta, omnia foris & intus urbis Romæ circuibat Oratoria. Ille ergo ruitura oculo corporeo mirabatur ædificia urbis Hiericontinæ; hæc in perpetuum manſura mentis intuitu inviſebat clara mœnia cæleſtis Hieroſolymæ, ſemper ob amorem patriæ cæleſtis in orationibus & vigiliis ac jejuniis ante Apoſtolorum limina ſolo recubans, & vix ad hoſpitium rediens.

A Papa velum poſtulat.

7. Inde ſpretis rebus tranſitoriis relictóque ſponſo cum ſuis omnibus, pernox erat in orationibus, corpus vigiliis & inedia macerans, & omnia quæ habere poterat pauperibus erogans: ſicque Monacha efficitur quæ ſponſa putabatur; & terreſtris copula cum omni pompa dejicitur, cùm à ſuperis caſtitas virtutum regina diffunditur. Erat certè gaudens quaſi quod optaverat diu poſſidens, unde nec ad momentum poterat relinquere quæ cum tanta claritate meruit invenire. Adveniente denuo die ſtationis Apoſtolicæ, provoluta eſt pedibus Antiſtitis ſanctæ Catholicæ matris Eccleſiæ, offerens protectam virginitatem Chriſto Domino ad exemplum Genitricis virginis, & expoſtulans ſe ſacrari ſigillo caſtimoniæ & capitis velamine ſub tutela & ſervitio incomparabilis Virginis MARIÆ. Cujus benigniſſimam intentionem & devotionem pius Pater audiens & à Domino ejus mentem illuſtratam intelligens, voce lacrymabili admirans tantam

in puella ſapientiam, dixiſſe fertur: Benedictus es Domine Deus omnium, qui in toro virginali mentis caſtæ & corporis tuum locas domicilium, & in ſexu fragilis materiæ numeroſa operaris mirabilia. Laudem ergo tibi generaliter loquatur lingua omnium, quia dignum eſt in talibus geſtis adtollere te Dominum univerſorum. Equidem te, Domine, ſuper his in æternum laudabo, & glorificabo nomen tuum in ſæcula. CIRC. AN. DC. XC. AUG. XXV.

8. Et converſus ad Dei caſtam Virginem infit ita inquiens: Cujas es puella, vel à quibus oris adveniſti replica, noménque tuum & Fidem tuæ gentis pariter deſigna. Æſtimo enim te nobiliſſima ſtirpe progenitam, & ab ipſis infantiæ cunis Eccleſiaſticæ diſciplinæ literis eruditam. Ad hæc illa mente & facie ſereniſſima ſummiſſo vultu tali orſa eſt alloquio: Si de gente, Pater, quæris, & domine, ego gentis ſum Francicæ, atque HUNEGUNDIS dicor nomine, & in pago nata ſum Vermandenſi, à quo delata huc veni. Educata equidem ſum parentibus Chriſticolis, & contra velle meum, & (ut credo) Dei placitum ſponſo tradita ſum juvenculo, quem poſtpono & devito devincta Chriſti caritate, quo ducente & favente, toto corpore ſum integra atque mente impolluta. Illi me devoveo qui creavit univerſa, atque fidem quam requiris, ipſi ſervo integram. Quam ſi planè vis audire, pandam tibi, Pater optime, quia licet barbara ſim natione, tamen hanc fatemur Fidem veram atque ſanctam, quæ nobis in fine temporis eſt delata ab hac ſancta ſede Apoſtolica & Catholica matre Eccleſia. Ecce etenim tua Sanctitas dum à nobis Fidem exigit, videtur nobis quaſi Chriſtus à Samaritana aquam fontis poſtulet: qui dum tali dignatus eſt perfrui alloquio, innuit latenter quod neminem à Fide ulla poteſt regio repellere. Unde nos quia Fidem non erubeſcimus, de provincia nequaquam confundimur, cùm David præcipiat omnes gentes plaudere manibus & jubilare Deo in voce exſultationis, &c. Verumtamen quoniam Apoſtolicis inſtitutionibus monemur, ut omnibus poſcentibus rationem de ſpe & caritate quæ in nobis eſt proferamus, non moremur diutiùs gloriam Fidei noſtræ, tuæ Beatitudini paucis demonſtrare. Credimus quippe & confitemur abſque principio temporis & fine ſummum & incircumſcriptum Spiritum, Unum omnipotentem eſſe Deum, juxta quod ait Moyſes: *Audi Iſraël: Dominus Deus tuus Deus unus eſt.* Unus eſt, inquam, Deus Pater ingenitus, unus Filius ejus unigenitus, unus Spiritus ſanctus ab utroque procedens, Patri & Filio coæternus, ſed ſemper idem Pater Deus, Filius Deus, Spiritus ſanctus Deus, à quo omnia, per quem omnia, & in quo ſunt omnia, & ſine quo factum eſt nihil. Hæc tripartita conjunctio & conjuncta diviſio, & in perſonis excludit unionem, & in perſonarum diſtinctione obtinet unitatem. Non autem ſicut tres perſonas, ita & tres Deos credimus, ſed in tribus perſonis unam Deitatem confitemur: Trinitatem ſanctam credimus in ſubſiſtentibus perſonis, unitatem verò in natura & majeſtate ac ſubſtantia Deitatis. Omne igitur quod eſt, in duo dividimus. Abſque ſola nempe Trinitate omne quod in cælis terríſque & mari potentatur vel agitur vel movetur, creaturam eſſe credimus & fatemur, Deum verò ſolum creatorem. Filium quoque Dei credimus in noviſſimis temporibus conceptum eſſe de Spiritu-ſancto & natum ex Maria Virgine, carnémque naturæ humanæ & animam ſuſcepiſſe. In qua carne crucifixum & ſepultum ac reſurrexiſſe à mortuis credimus & fatemur, & in eadem ipſa carne, licet alterius gloriæ, poſt reſurrectionem adſcendiſſe in cælum, unde judicem venturum exſpectamus vivorum & mortuorum. Carnis quoque noſtræ reſurrectionem fatemur integram atque perfectam, in qua nunc vivimus & movemur in præſenti vita, & in ipſa aut pro bonis actibus conſequi bonorum præmia, aut pro malis ſuſtinere pœnarum ſupplicia. Pœnitentiam peccatorum pleniſſima fide profitemur, ac velut ſecundam gratiam ſuſcipimus, juxta quod Apoſtolus dicit ad Corinthios: *Volui per vos venire, ut ſecũdam gratiam haberetis.* Hic eſt Fidei noſtræ theſaurus, quem ſignatum Eccleſiaſtico Symbolo cuſtodimus, quod in Baptiſmate ſuſce- Papæ gentem ac Fidem ſuam exponit. 2. Cor. 1.

CRC. AN. DC XC. Aug. XXV.

pimus. Sic coram Deo corde credimus, ſic coram omnibus hominibus ore confitemur, ut hominibus fidem ſua cognitio faciat, & imago ſua Deo teſtimonium reddat.

Pontifex ad eam verba facit.

9. Hæc & alia hujuſcemodi innumera Fidei ſacramenta palam omnibus replicans Hunegundis virgo devotiſſima, auribus adſtantium ſalubre commercium præſtitit, & faucibus virgineis optabile ſilentium. Tunc venerabilis Pontifex ſummæ Sedis Apoſtolicæ, reputans non ſonare hominem, ſed potiùs intelligens ſanctum reſonare Spiritum caſtis in viſceribus, coram cunctis ita fatur: Benedicta filia tu à Domino Deo exercituum, quæ in tua mente pura jocundum Deo præparâſti habitaculum. Non oportet ergo ſanctum contriſtari Spiritum, cujus mens pudica creditur eſſe ſacrarium. Apoſtolus enim dicit, quia caſtè viventes templa

1. Cor. 12.

ſunt Spiritus-ſancti, & ideò quiſquis templum Dei violaverit diſperdet illum Deus. Multùm eſt in te venerandus ille artifex ſummus, qui operatur omnia in omnibus, dividens ſingulis prout vult. Eia virgo caſta, eia mens pudica, ſuſcipe quod amori æterno proficiat; oblata etenim tibi à viro corruptiblii ſub ſpecie pietatis munuſcula projeciſti: ſuſcipe nunc per noſtram benedictionem tibi à Domino conceſſa dotalia, per quæ ſponſam Chriſti te in æternum recognoſcas, & tranſitoria contemnendo, ſempiterna gaudia comprehendas. Ille enim in tua mente quid facies proſpicit, & quàm deceptor ejus Virgines comiteris adtendit. Propterea ab adoleſcentulis ipſius ut diligaris vehementer decerta, & poſt odorem unguentorum illius currere feſtinanter anhela, ſemper pro conceſſis Domino gratias referens, & pro concedendis humiliter exorans. Hortórque te habere in memoria quæ poſſidere concupiſcis in vita æterna, ut cujus te ſponſam fateris in terra, ejus amplexibus perfrui merearis in perenni gloria.

Velum ei cum benedictione imponit.

10. His dictis velum capitis ac reliqua indumenta in humilitate caſtitatem cordis & corporis ac contemptum mundi ſignificantia ſuper ſanctum altare compoſita ſanctus Papa [a] benedixit, atque more ſancto conſecrans effuſa benedictione eam Chriſto ſervituram, ut popoſcerat, jure dedicavit. Et converſus ad Dominum & exorans dixit: Reſpice, Domine, ſuper hanc famulam tuam, ut ſanctæ virginitatis propoſitum, quod te inſpirante ſuſcepit, te gubernante cuſtodiat. Sit in ea, Domine, per donum Spiritus tui prudens modeſtia, gravis lenitas, caſta libertas: ferveat in caritate, & nihil extra te diligat. Laudabiliter vivere ſtudeat, & laudari non appetat. Te timendo ſuper omnia amet, & amando in omnibus te timeat. Tu ei, Domine, ſis gaudium, tu in mærore ſolatium, tu in ambiguitate conſilium. In injuria ſis defenſio, in paupertate abundantia, in jejunio cibus, in infirmitate medicina. Quod eſt profeſſa cuſtodiat, ut hoſtem antiquum devincat, & vitiorum ſordes expurget, quatinus centeſimo fructu cum decore virginali ac virtutum lampadibus exornetur, & ad electarum Virginum conſortium pervenire mereatur. Cúmque omnes reſpondiſſent, Amen; ſanctus Antiſtes deoſculans caput ſanctæ Virginis Hunegundis dimiſit eam in pace.

Hunegundis à ſponſo irato relicta, patriam repetit.

11. Hæc audiens Eudaldus, qui pridem vocatus fuerat ſponſus, cùm cognoviſſet ſe contemptum à virgine, indignatus eſt animo, & cunctis ſenſibus anxiari cœpit, volvens in animo cum nimia æſtuatione, ut eam gladio tranſverberaret. Sed timens incurrere periculum homicidii, territúſque auditâ ſententiâ ſermonis Apoſtolici quam retulimus, quia non oportet ſanctum contriſtari Spiritum, cujus

2. Cor. 3.

ſancta virgo erat domicilium, juxta Pauli vocem ubi dicit, quòd caſtè viventes templa ſunt Spiritus-ſancti: ideóque quiſquis templum Dei violare tentaverit diſperdet illum Deus. Pœnitentiâ ductus non eſt eam auſus contingere diutiùs. Miſſis itaque nuntiis ſanctam virginem ſprevit à conſortio & à comitatu ſuæ reverſionis, derelinquens illam ſolam viâ publicâ, & ſubtrahens illi omnia ad tanti itineris neceſſaria. Privata virgo humano ſolatio, cœpit viriliter agere &

[a] Martinum I. deſignat Eccleſia San-Quintinenſis in Lectione 4. Breviarii. Quod quidem ſtare non poterit, niſi Eligius priuſquam eſſet Epiſcopus Hunegundem de ſacro fonte levaverit. Antè enim Sedi Noviomenſi præfuit Eligius, quàm Martinus Romanæ.

confortari in Domino, dicens illa Psalmographi cantica: *Dominus pascit me & nihil mihi deerit, in loco pascuæ ibi me collocavit*, &c. Deduxisti enim me in portum voluntatis tuæ: misericordia tua, Christe, obsecro præcedat, & subsequatur me, ut merear pervenire ad optatum servitium sanctæ Virginis MARIÆ. Et ut inhabitare valeam in tabernaculo tuo in sæcula, protegar rogo in velamento alarum tuarum. CIRC. AN. DC. XC. AUG. XXV. *Psal.* 22.

12. Igitur hac expleta oratione cœpit sola proficisci, & ad voluntatem Dei Gallias remeare, lustrans devia & pervia, atque poscens sibi semper affore Sanctorum præsidia. Derelicta siquidem humano solatio, sed suffulta & protecta Christi comitante gratia. Erat namque pergens in itinere, quasi jam degens sub Monastico regimine, vel ut dicam altiùs, quasi sanctus Eremicola Christo famulans in remota eremi solitudine. Diebus quippe festis utens pane solo & aqua parcissima, reliquis pane cineribus commixto & herbarum arborúmque pastionibus defessum refovebat corpusculum Unde quod per sanctam virginem Dominus dignatus est operari miraculum, non est nostro silentio transeundum. In itinere quomodo se gesserit.

13. Cùm prædictus Eudaldus nimia indignatione stomachatus se contemptum omnimodis comperisset, & in sanctam Virginem vellet sed non auderet gladio insurgere: accepto consilio à quodam quem secum duxerat itineris socium, concitè ad paternam remeare dispositi hereditatem, vendens & distribuens onerosa, ut citiùs transmigraret ad propria. Hoc utique pertractans volvebat in animo, ut omnia patrimonia & jura hereditaria Virginis venderet, & quæ vendere non posset in nihilum redigeret, & sic funditùs ea cum omni supellectili & mancipiis exstirparet. Itaque cum velocissimis equitibus * expeditam cœpit carpere viam, efferens se totum perficere in opere, quod olim dolosò conceperat corde. Quod sanctam Virginem nequaquam latêre potuit, quæ Dominum scientem omnia in cordis hospitiolo locare curavit. Itaque Dei ancilla Divino instinctu permota atque afflatu sancti Spiritus vigorata, ut erat pedes, cunctis equitibus & curribus velocior efficitur, immo per aliam viam gradiens, omnes & antevolans, veloces præcesserat currus. Denique prior in terram suæ nativitatis pervenit, & omnia sua pro voto & libitu in loco quem vulgò dicunt Humolarias, sanctæ Dei Genitrici Mariæ séque simul ut optaverat servituram inibi Christo dum adviveret contradidit. Bona sua Monasterio Humolariensi confert. * equis

14. Non post multum verò temporis persecutus idem Eudaldus ad votum explendum devenit, séque omnium rerum Virginis possessorem & dominum prætulit, nesciens quòd jam transissent omnia in cultum Dei & sanctæ Dei Genitricis tutamina. Qui cùm cognovisset eventum rei, & tam auditu quàm visu didicisset acta Virginis veridica, reversus in semetipsum secum tacitus mirari cœpit & venerari, recolens quæ & quanta per sanctam Virginem Dominus sit operatus miracula. Unde quales potuit mox Deo laudes & gratias retulit, qui ab actu & tactu malo eum custodivit, ne peccaret in sanctam Virginem, & furentem in reversione non permisit meritò occumbere. Dignos igitur fructus pœnitentiæ peragens super his quæ gesserat in Virginem, non poterat invenire quibus laudibus eam extolleret, vel quibus muneribus ejus faciem complacaret, ut vel ab ea videri mereretur, aut ipsa pro eo preces Christo fundere dignaretur. Tandem salubri reperto consilio, semetipsum in humilitate cordis & corporis obtulit, ac prostrato corpore coram sacro altari Dei Genitricis MARIÆ veniam de commissis expoposcit: conversóque vultu quo residebat Virgo cælebs, poscit sibi misereri, multúmque precatur ut quem pridem voluerat habere sponsum, saltem tunc dignaretur suscipere servum. Quoniam me, inquit, ad injuriam corruptibilis amatoris non postposuisti, nec mihi qualemcũque personam potentem aut infimam pręposuisti, sed Regem sæculorũ & Creatorem omnium mihi prętulisti, tibíque sponsum cæleſtem in toro virginali adsciviſti, ecce memet atque mea gratanter offero illi: & quæ tibi olim contuli dotalia, trade sponso vero JESU-CHRISTO. Sponsus resipiscens, veniâ petitâ & ipse multa tribuit.

Circ. An. Dc. xc. Aug. xxv. in Sororum egenorúmque alimoniam. Ego, inquam, dum advixero, dúmque corpus hoc geſtavero, tuus procurator in exterioribus eſſe curabo, & poſt mortem omnem meam ſupellectilem cum rebus & mancipiis per hoc auctoritatis teſtamentum perpetualiter trado in honorem Dei omnipotentis atque ſanctæ Dei Genitricis Virginis. Et confirmans teſtamentum hujuſcemodi voce palam omnibus dixit: Hæc à me nunc ſuſcipe virgo caſtiſſima, meúmque cadaver in hoc loco tumulandum tuis precibus impera, ut cùm te Rex ſupernus ac cæleſtis Sponſus in thalamum tranſduxerit virgineum, ego veſte nuptiali circumdatus atque Agni vellere niveo ſuccinctus, inter convivas menſæ Regis particeps vitæ cæleſtis apparere merear vel ultimus.

Ipſe piè deinceps vivit & in Monaſterio ſepelitur. 15. Obtinuit ergo quod expetiit & cum ſancta animi devotione incolumis remeavit ad propria. Cui Dominus bene vivendi contulit efficaciam, ejúſque votum ad optabilem perduxit effectum. Nam devotus Deo, ultrà quàm fuiſſent neceſſaria ſacratiſſimæ ſtuduit ſubminiſtrare virgini, paritérque in ſtatuto xenodochio victûs & veſtitûs præbuit alimoniam. Fultus deinde multimoda Chriſti virtute, ac deducens tempus vitæ in hujuſcemodi operatione, exutus eſt præſentis ſæculi contagio, ac perfunctus luce tranſitoria, audivit de ſupernis vocem ſibi hæc loqui: Euge ſerve bone & fidelis, quia ſuper pauca fuiſti fidelis, ſuper multa te conſtituam, eris princeps decem civitatum. Tunc beata virgo Hunegundis, mentem ſanctam cum oblatione Sacrificij per Sacerdotum manus Regi regum Chriſto obtulit, deprecans & exorans ſubvenire illi ſanctos Angelos, ac locari ejus ſpiritum inter choros agminum cæleſtium. Corpus verò poni juſſit in feretro ac deferri ad ſe fecit infra Monaſterium, & in condigno & optato tradidit ſepulturæ loco.

Hunegundis ad cælum adſpirat. 16. Poſt cujus abſceſſum, artiori ſe ſubmiſit vitæ & Chriſti ſervitio, puniens atque deflens cogitata ſeu nociva jam peracta opera, crebríſque jejuniis ac vigiliis tundebat corpus fatigatum, memorans quia non qui cœperit, ſed qui perſeveraverit ſalvus erit. In hac denique ſancta animi meditatione ac devota fidei operatione moriens mundo & vivens Chriſto, totum tempus vitæ ſuæ duxiſſe fertur, adeo ut plerumque videretur cauſari & dicere illud propheticum: *Pſal. 119.* Heu mihi quia incolatus meus prolongatus eſt, &c. Cujus longanimem ſanctámque peregrinationem ſuperna conſiderans clementia, ejus petitioni deſiderantiſſimæ ſatisfacere diſpoſuit, ut quod hactenus viderat per ſpeculum & in ænigmate, jam tunc inciperet facie ad faciem cernere.

Ægrotans unctionem & Viaticũ petit. 17. Quadam namque die dum ſolo recubans manus extenſas teneret in oratione, percuſſa eſt corporis gravedine ac nimio æſtu infirmitatis corporeæ: ſed conſolari meruit Angelorum præſidio & Sanctorum omnium ſuffragio, quos invocare non ceſſabat etiam in ægroto corporis ergaſtulo. Verùm adſtantibus circumquaque utriuſque ſexûs Chriſto famulantibus, qui ad deceſſum tantæ Matris atque Virginis convenêre ex vicinis & longinquis regionibus, dolor ingens, mæror & ſingultus erat omnibus, quoniam videbant ſe fruſtrari nimio ſolatio, licet eſſent fidentes quod ejus ſemper in cælis devotiſſimo tuerentur patrocinio. Inter hæc converſa ad eos qui adſidebant ſibi Preſbyteros, Unctionis oleum & communionem expetiit, dominumque ſuimet miſereri totis viribus exoravit. Sic tandem Dominici Corporis & Sanguinis Viaticum ſumens, roſeo vultu & decora facie, velut præſentanda Regi regum in cæleſti thalamo imperat cunctis perſonare dulces & hymnidicos melos pſalmodiæ, dicebátque inter cetera quaſi prominens ex cilicio & cinere: Adſum ego, Chriſte, tua famula, veni rogo Rex piiſſime, atque me benignè ſuſcipe. Cúmque in hujuſcemodi voce ab hora noctis media uſque ad horam diei tertiam perſiſteret, ilico cum immenſo lumine odor ſuaviſſimus adſtantium ora perculit, itaut vix poſſent ſubſiſtere præ lumine, licet eſſent vigorati balſameo aromatum ſpiramine. Namque vox cum magno lumine etiam fertur deſcendiſſe, quæ dum

omnibus

omnibus terrorem intulit, minùs ulli se cognoscibilem præbuit. Sed quid aliud videtur edicere, quàm quod fertur proloqui cuique sanctæ animæ? Infit enim: Surge, propera, amica mea, columba mea, formosa mea & veni. Amica videlicet per amorem, columba per simplicitatem, formosa per morum pulchritudinem, &c. CIRC. AN. DC. XC. AUG. XXV.

18. His & aliis hujuscemodi sancta atque felix anima dulcorata solaminibus, VIII. Kalendas Septembris[a] migrâsse creditur ad Dominum, qui est solus sine principio regnans in unitate & trinitate perfecta Deus nunc & semper & in omnia sæculorum sæcula. Ipsi gloria, laus, & jubilatio, honor & imperium per omnia sæcula sæculorum, Amen. Moritur. a

a Anno circiter DC. XC. siquidem Hunegundis de sacro fonte levata est à B. Eligio, qui anno circà DC. LX. ad superos migravit. Memoratur Hunegundis in additionibus ad Usuardum & in Martyrologiis Benedictino & Gallicano VIII. Kalend. Septemb. tametsi ob festum S. Ludovici ejus officium à Canonicis Augustæ Veromanduorum in diem sequentem transfertur.

MONITUM.

CORPUS *S. Hunegundis è tumulo elatum est anno Christi* CM. XLVI. *pridie Nonas Octobris; (cujus rei historiam à nobis Sæculo* V. *Benedictino referendam* BERNERUS *Abbas descripsit) ac deinde in pretiosiorem thecam anno* M. LI. *translatum est à* MACARIO *Humolariensis Cœnobij Abbate, uti testatur Auctor anonymus, qui prædictam* mutationem *posteris commendavit.*

Hic cùm spatium vacuum per incogitantiam reliquissent Typographi, subjicienda duximus diplomata subscripta.

LVDOVICI REGIS DIPLOMA

De expulsione Sanctimonialium & Monachorum introductione in Monasterium Humolariense.

IN nomine sanctæ & individuæ Trinitatis. LUDOVICUS gratiâ Dei Francorum Rex. Si Divinis cultibus operam dantes Ecclesiam Dei ad summum sacræ Religionis statum sustollere conamur, Regio jure ac progenitorum nostrorum privilegiis utimur. Quocirca omnium sanctæ Dei Ecclesiæ Fidelium tam præsentium quàm & futurorum noverit sollertia, quoniam nostram adeuntes præsentiam ADALBERTUS, inclytæ indolis Comes, unà cum nobili viro EILBERTO & conjuge sua HERSENDI, suppliciter nostram exorantes munificentiam ut cuidam locello in pago Viromandensi sito qui vulgò dicitur Humolarias, quo sacratissima sponsa Christi Hunegundis diem exspectat beatæ remunerationis, nostra dignaretur subvenire clementia, quatenus quibusdam Sanctimonialibus inibi non satis honestè viventibus, & Regulari districtioni subjici nolentibus inde remotis substituerentur Monachi, qui obedirent Regulæ & Abbati, quòd nostra annuente auctoritate prædictus Eilbertus prædictam Abbatiam domino suo Comiti videlicet Adalberto reddidit, isdem verò Comes nostræ ditioni eamdem obtulit, ea scilicet ratione ut Præcepto nostræ auctoritatis ita hanc muniri juberemus, quò absque ulla omnino diminutione, & sine aliqua alicubi subjectione Abbati Regulari concessa inviolabilis in perpetuum permaneret. Favente igitur conjuge nostra & venerabili Archiepiscopo[a] ARTALDO cum Episcopis WIDONE[b] & GIBUINO[c], & Clarissimo Abbate[d] HINCMARO & Monachis ejusdem Congregationis & Comitibus prædicto Adalberto & RAGENOLDO, cunctisque fidelibus nostris qui aderant precantibus & laudantibus, ita fieri decrevimus: cum quorum omnium consilio jam sæpedictam Abbatiam cum omni integritate pro Regula in eodem loco observanda Abbati Regulari habendam in perpetuum statuimus, & ut nostræ auctoritatis emolumentum per succedentia temporum curricula inviolabiliter conservetur manu nostra eum subtus firmantes sigillo corroborari præcipimus nostro.

a Remensi
b Suessionico
c Catalaunensi
d Monasterij S. Remigij Rem.

Sigillum Domini LUDOVICI Gloriosissimi
Regis Francorum.

ODILO Notarius ad vicem ARTALDI Archiepiscopi summique Cancellarij recognovit. Actum Remis civitate in Monasterio S. Remigij Kal. Octobris Indict. VI. anno XIV. regnante Ludovico Rege glorioso, anno Incarnationis Domini DCCCC. XLVIII.

JOHANNIS *Papæ XII. Confirmatio.*

JOHANNES Episcopus servus servorum Dei, venerabili Abbati BERNERO beatæ Dei Genitricis MARIÆ Virginis Ecclesiæ, & per eam cunctæ Congregationi in perpetuum. Si justis petitionibus præstabiles piorum assensum præbemus, voluntati Domini nos militare credimus. Ergo notum sit universis Catholicæ Matris Ecclesiæ filiis tam præsentibus quàm futuris, quòd miserit ad nos filius noster gloriosæ indolis puer scilicet LOTHARIUS Rex Francorum paternitatem nostram humiliter obsecrans, ut quamdam Cellam in pago Veromandensi sitam, in honore beatæ Dei Genitricis Virginis Mariæ & S. Hunegundis Virginis constructam, auctoritatis præsidio muniremus: quam suggerentibus genitori suo Ludovico videlicet Regi Comite

CIRC. AN. DC. XC. AUG. XXV. Adalberto & idoneo satis viro Gilberto, qui eamdem Abbatiolam jure beneficij possidebat, ad sacræ Religionis venerabilem cultum erigere conatur, atque Regiæ potestatis Præcepto corroborare nititur. Cujus petitioni congaudentes, Ecclesiastici vigoris manum exerimus, & ex ea qua fulcimur Apostolica auctoritate præcipimus, ut præfatam Abbatiam nemo umquam sæcularium possideat, neque ex rebus ejusdem Cellæ quidquam sibi aliquis usurpet, non Rex, non Comes, non Episcopus, nec quilibet Princeps quacumque potestate præditus, nisi fortè tuendi ac defendendi causâ, & hoc nonnisi ejusdem loci Regularis Abbatis fiat permissione. Si quis verò pro hac adipiscenda pecuniam vel quodlibet munus Regi aut cuilibet Principi dederit sive promiserit, subinferendæ maledictioni subjacebit. Sit igitur eidem Cellæ Abbas secundum Regulam S. BENEDICTI constitutus, & Monachi Regulari districtioni subjecti, quos de rebus ejusdem Cellæ aliquod dispendium perpeti cum omni imperio prohibemus. Res verò ejusdem Ecclesiæ sunt Humolarias villa, in qua eadem Cella constructa est, cum mansionibus cunctis ad se pertinentibus; Merulficurtis cum adjacentiis suis: Eudoldicurtis cum appendiciis suis; Caviniacus cum mansis ad se pertinentibus: in villa quæ dicitur Frisia super fluvium Somnam XII. mansi, quos pro commoditate piscium eidem Ecclesiæ perpetualiter habere liceat. Hæc itaque & si qua alia Ecclesia eidem Domino opitulante adquirere sibi potuerit, Apostolicâ fulta auctoritate licenter & sine aliqua contradictione possidebit, &c. Scriptum per manum LEONIS sacri scrinii sanctæ Sedis Apostolicæ in mense Janu. pro Indict. XIV. Datum IV. Non. Janu. per manum GEORGII secundi Episcopi sanctæ Sedis Apostolicæ, anno primo Domino propitio pontificatûs D. Johannis S. P. & universalis Papæ.

AN. CHR. DC XC. SEPT. XIX.

VITA S. THEODORI EPISCOPI CANTUARIENSIS,

Ex Bedæ Venerabilis Histor. lib. 4. & 5.

OBSERVATIONES PRÆVIÆ.

Vitæ scriptores. 1. THEODORUM *summis laudibus effert Venerabilis* BEDA, *qui ejus præcipua gesta descripsit, uti &* WILLELMUS *Malmesburiæ Monachus in lib. 1. de Pont. Angl. ac* GERVASIUS *Cœnobita Cantuariensis in lib. de Actib. Pontif. Cantuar. aliique rerum Britannicarum scriptores.*

Memoria. 2. *Theodorus in antiquis Martyrologiis haud expressus, apud Cantuarienses tamen semper in honore habitus est ac Sancti nomine exornatus, uti ex Beda & ex ejus Reliquiarum translatione sub finem sæculi XI. facta manifestum est. Eum recentioribus Martyrologiis inscripsere* Wion, *Galesinius aliique ad XIII. Kalend. Octob. qui dies in ejus Epitaphio à Beda citato signatus est.*

Monastica professio. 3. *Theodorum professione Monachum, & quidem Græcorum Institutis addictum fuisse constat. An Latinis Monachis sese adjunxerit post suum in Italiam adventum, incerta res est. Certè Orientalium tonsuram retinuit, donec à Vitaliano Papa in Britanniam insulam missus est. Eum tamen majoribus typis donamus, quòd ejus Acta alligata sint cum gestis S.* ADRIANI *Abbatis, quem Benedictinæ Regulæ paruisse conspicuum est. Nam præterquam quòd Abbas erat in Monasterio Niridano prope Neapolim non ita procul à Cassino monte; Abbas institutus est Cœnobij S. Petri in suburbio Cantuariensi, quod Cœnobium Regulam S. Benedictini servabat.*

Arguitur de expulso S. Vvilfrido. 4. *Vnum in Theodoro carpit* Willelmus *Malmesburiæ Monachus, quòd Eboracensis urbis Pontifices* CEDDAM & WILFRIDUM seu vi, seu ratione *expulerit.* Ubi videri & doleri potest humana miseria, *inquit* Willelmus, quòd videlicet quantalibet quis sanctitate polleat, non ad plenum pervicaces mores exuat, quia illi duo oculi Britanniæ controversias inter se egerint. Siquidem Theodorus Vvilfridum injustè, quantum nostra habet conjectura, ejecerit, Vvilfridus Romæ Papæ Agathoni multis antè periculis jactatus querelam detulerit. Ejus enim verba
» hæc sunt in suggestione quam obtulit Papæ. Quid autem acciderit ut Theodorus sanctissimus
» Archiepiscopus, me superstite in sede quam licet indignus dispensabam, sine consensu cu-
» juslibet Episcopi, tres sua auctoritate mea humilitate non adquiescente, ordinaret Episcopos,
» omittere magis quàm urgere pro ejusdem viri reverentia condecet: quem quidem pro eo quòd
» ab hac Apostolicæ Sedis summitate directus est, accusare non audeo. *Iohannes Papa V. in Epist. ad Ethelredum relata ab eodem Vvillelmo in lib. 3. de Pont. Angl. in Vvilfrido:* Dudum, *inquit*, sub Apostolicæ memoriæ Agathone Papa, cùm Vvilfridus Episcopus pro sua causa Sedem hanc appellâsset, & accusatores à Theodoro sanctæ Cantuariorum Ecclesiæ Archiepiscopo hinc illuc mandato, & ab Hilda religiosæ memoriæ Abbatissa missi venissent; Episcopi tunc hîc de diversis partibus congregati rem regulariter quæsierunt & definierunt, eamdémque sententiam successores ejusdem Pontificis prædecessores nostri tenuerunt. *S. Vvilfridus semel & iterum à sede Eboracensi expulsus est, primò quidem* anno DC. LXXVIII. & octo annis

annis exſulavit, *inquit Richardus Priôr Haguſtaldenſis in lib. de Epiſc. Haguſt. cap.* 8. Interim verò in loco ejus à Theodoro duo Epiſcopi ordinantur, Boſa ad Eboracenſem, & Eata ad Haguſtaldenſem & pariter ad Lindisfarnenſem: *qua de re Beda infrà num.* 15. *At Vvilfridus poſt octo annos reſtitutus*, iterum poſt quinque annos Rege Alfrido, & plurimis Epiſcopis eum falsò accuſantibus de tranſgreſſione præceptorum Theodori Cantuarienſis Archiepiſcopi de præſulatu ſuo pulſus eſt, *uti ſubdit Richardus cap.* 12. Sed poſtquam tredecim annis ſecundò exſulavit, à Romana ſede item Angliam remeans, lectis litteris Johannis Papæ... præſulatum ſuum recuperavit. *Quo quidem in facto Theodorus humanum aliquid paſſus eſt: tametſi Bedain lib.* 5. *Hiſt. cap.* 20. *Theodori nomini parcit. Verùm quum in mortem vergere cœpit Theodorus, arceſſivit Vvilfridum & Erkenvvaldum Epiſcopum Londonienſem*, ipſis omnia peccata confeſſus illo ſe potiſſimùm permoveri ſcrupulo dixit, quod in Sanctum commiſiſſet, paſſus eum contra regulas ſpoliari vel apertâ inſtantiâ, vel occultâ patientiâ. Et quia, inquit, finis mihi futuro anno imminet, ſicut Deo prænuntiante cognovi, & frequens ægritudo admonet, rogo te, ſanctiſſime Pontifex, ut benignus mihi commiſſum indulgeas & ſedem Archiepiſcopatûs mei ſubeas: quippe qui ſis omnium Anglorum in Romanis legibus peritiſſimus. Ego Deo donante conabor, ut veteres offenſas recenti officiorum ſedulitate deleam, Reges & auctoritate & precibus amicos facturus, &c. *Quæ Vvillelmus ſæpe laudatus commemorat. Theodorus pro virili niſus eſt Vvilfridum habere ſucceſſorem; id quod præ modeſtia Vvilfridus recuſavit.*

AN. CHR. DC. XC. SEPT. XIX.

Pœnitentiam agit.

5. *Magna fuit Theodori in Eccleſia auctoritas, ut ejus gratiâ Agatho Papa ſextam Synodum aliquamdiu diſtulerit.* Sperabamus, *inquit in Epiſt. ad Synodum Conſtant.* de Britannia Theodorum confamulum atque Coëpiſcopum noſtrum, magnæ inſulæ Britanniæ Archiepiſcopum & Philoſophum, cum aliis qui ibidem hactenus demorantur, exinde ad humilitatem noſtram conjungere: & hac de cauſa hucuſque Concilium diſtulimus, Vides, *inquit Malmesburienſis*, quanti eum fecerit, ut ejus exſpectatione univerſale Concilium differret.

Ejus auctoritas.

6. *Scripſit teſtibus Beda in lib. de Temp. & Reginone Abbate Prumienſi, Pœnitentialem librum, in quo* à quantis annis pro unoquoque peccato quis pœnitere debeat, mirabili & diſcreta conſideratione deſcribit. *Spelmannus in Tomo 1. Conc. titulos dumtaxat capitulorum 78. ex Bibliotheca Cantabrigienſi S. Benedicti vulgavit. Præter librum Pœnitentialem Theodorus codicem Canonum compoſuiſſe videtur: Nam in Ordine Romano citatur* capitulum ex Canone Theodori in ordinatione Abbatis. *Et in Collect. Canon. Hibern. memoratur ejuſdem decretum*, ut in Monachorum ordinationibus Abbas debeat Miſſam agere. *Et tamen in Pœnitentialis libri titulis, quales edidit Spelmannus, nulla de Abbatum Monachorúmve ordinatione mentio eſt.*

Scriptæ.

1. ANNO memorato [a] eclipſis ſolis & mox ſequentis peſtilentiæ, quo & COLMAN Epiſcopus unanimi Catholicorum intentione ſuperatus, ad ſuos reverſus eſt; DEUSDEDIT ſextus Eccleſiæ Dorovernenſis Epiſcopus obiit pridie Iduum Juliarum. Sed & ERCONBERHT Rex Cantuariorum eodem menſe ac die defunctus, ECGBERTO filio ſedem Regni reliquit, quam ille ſuſceptam per novem annos tenuit. Tunc ceſſante non pauco tempore Epiſcopatu, miſſus eſt Romam ab ipſo ſimul & à Rege Northanymbrorum OSWIO, ut jam diximus*, WIGHARDUS Preſbyter, vir in Eccleſiaſticis diſciplinis doctiſſimus, de genere Anglorũ, petentibus hunc Eccleſiæ Anglorum Epiſcopum ordinari, miſſis pariter Apoſtolico Papæ donariis, & aureis atq; argenteis vaſis nõ paucis. Qui ubi Romã pervenit, cui Sedi Apoſtolicæ tẽpore illo VITALIANUS præerat, poſtquàm itineris ſui cauſam præfato Papæ Apoſtolico patefecit, non multo pòſt & ipſe, & omnes pene qui cũ eo advenerant ſocij ejus, peſtilentia ſuperveniente deleti ſunt.

[a] Ex lib. 4. c. 5. Anno 664. Vvigardus Romam miſſus peſte exſtinguitur.

*lib. 3. c. 29.

2. At Apoſtolicus Papa, habito de his conſilio quæſivit ſedulus, quem Eccleſiis Anglorum Archiepiſcopum mitteret. Erat autem in Monaſterio Niridano, quod eſt non longè à Neapoli Campaniæ, Abbas ADRIANUS, vir natione Afer [b], ſacris litteris diligenter imbutus, Monaſterialibus ſimul & Eccleſiaſticis diſciplinis inſtitutus, Græcæ pariter & Latinæ linguæ peritiſſimus. Hunc ad ſe accitum Papa juſſit Epiſcopatu accepto in Britanniam venire. Qui indignum ſe tanto gradu reſpondens, oſtendere poſſe ſe dixit alium, cujus magis ad ſuſcipiendum Epiſcopatum & eruditio conveniret & ætas. Cúmque Monachum quem-

Adrianus & Theodorus pro eo mittuntur.

[a] Nempe *anno Dominicæ Inc.* DC. LXIV. *die tertio menſis Maij, horâ circiter decimâ diei*; inquit Beda lib. 3. cap. 27.

[b] Hæc tria vocabula deſunt in verſione Saxonica Aluredi Regis.

An. Chr. dc xc. Sept. xix. dam de vicino Virginum Monaſterio nomine Andream Pontifici offerret, hic ab omnibus qui eum novêre, dignus Epiſcopatu judicatus eſt. Verùm pondus corporeæ infirmitatis ne Epiſcopus fieri poſſet obſtitit, & rurſum Adrianus ad ſuſcipiendum Epiſcopatum actus eſt. Qui petiit inducias, ſi fortè alium, qui ordinaretur Epiſcopus, ex tempore poſſet invenire.

3. Erat ipſo tempore Romæ Monachus Adriano notus, nomine Theodorus, natus ex Tharſo Ciliciæ, vir & ſæculari & Divina litteratura græcè & latinè inſtructus, probus moribus, & ætate venerandus, id eſt annos habens ætatis ſexaginta ſex. Hunc offerens Adrianus Pontifici, ut Epiſcopus ordinaretur obtinuit, his tamen conditionibus interpoſitis, ut ipſe eum perduceret in Britanniam, eoquòd jam bis partes Galliarum diverſis ex cauſis adiiſſet, & ob id majorem hujus itineris peragendi notitiam haberet, ſufficiénſque eſſet in poſſeſſione hominum propriorum : & ut ei doctrinæ cooperator exſiſtens, diligenter attenderet, ne quid ille contrarium veritati Fidei, Græcorum more, in Eccleſiam cui præeſſet introduceret. Qui Subdiaconus ordinatus, quatuor exſpectavit menſes, donec illi coma creſceret, quò in coronam tonderi poſſet. Habuerat enim tonſuram more Orientalium [a] S. Pauli Apoſtoli. Qui ordinatus eſt à Vitaliano Papa anno Dominicæ incarnationis ſexcenteſimo ſexageſimo octavo, ſub die ſeptimo Kalendarum Aprilium, Dominicâ. Et ita unà cum Adriano ſexto Kalendas Junias in Britanniam miſſus eſt.

[a] anno 668.

Maſſiliæ detenti, poſtea Pariſiis. 4. Qui cùm pariter per mare ad Maſſiliam, ac deinde per terram Arelatem perveniſſent, & tradidiſſent Johanni Archiepiſcopo civitatis illius ſcripta commendaticia Vitaliani Pontificis, retenti ſunt ab eo, quouſque Ebroinus Major domûs Regiæ copiam pergendi quoquò vellent tribuit eis. Quâ acceptâ, Theodorus profectus eſt ad Agilberhtum Pariſiorum Epiſcopum, & ab eo benignè ſuſceptus, & multo tempore habitus eſt: Adrianus verò perrexit primùm ad Emme Senonum, & poſtea ad Faronem Meldorum, Epiſcopos; & bene cum eis diutiùs fuit. Coëgerat enim eos imminens hiems, ut ubicumque potuiſſent, quieti manerent. Quod cùm nuntij certi narrâſſent Regi Ecgberto, ſcilicet Epiſcopum quem petierant à Romano Antiſtite, in Regno Francorum eſſe; miſit illò continuò Redfridum Præfectum ſuum ad adducendum eum. Quò cùm perveniſſet, adſumpſit Theodorum cùm Ebroini licentia, & perduxit eum ad portum, cui nomen eſt Quentawic; ubi fatigatus infirmitate, aliquantiſper moratus eſt. Et cùm convaleſcere cœpiſſet, navigavit in Britanniam. Adrianum autem Ebroinus retinuit, quoniam ſuſpicabatur eum habere aliquam legationem Imperatoris ad Britanniæ Reges adverſus Galliæ Regnum, cujus tunc ipſe maximam curam gerebat. Sed cùm tale nihil illum habere vel habuiſſe veraciter comperiſſet, abſolvit eum, & poſt Theodorum ire permiſit. Qui ſtatim ut ad illum pervenit, dedit ei Monaſterium B. Petri Apoſtoli, ubi Archiepiſcopi Cantiæ ſepeliri ſolent. Præceperat enim Theodoro abeunti Dominus Apoſtolicus, ut in diœceſi ſua provideret & daret ei locum, in quo cum ſuis aptè degere potuiſſet.

Britaniam adeũt, unus poſt alterum.

Petrus fit Abbas.

Ex cap. 2. Theodorus ſede inita Anglos rectè docet, Adriano adjutore. 5. Pervenit autem Theodorus ad Eccleſiam ſuam ſecundo poſtquam conſecratus eſt anno, ſub die ſexta Kalendarum Juniarũ, Dominicâ; & fecit in ea annos viginti & unum, menſes tres, dies viginti ſex: móxq; peragratâ inſulâ totâ, quaquaversùm Anglorum gentes morabantur, (nam & libentiſſimè ab omnibus ſuſcipiebatur atque audiebatur) rectum vivendi ordinem, ritum celebrandi Paſchæ

[a] Nempe Monachi Græci tum temporis penitùs detonſi erant raſiſque ſimiles, *ad imitationem ſcil. cet S. Iacobi Fratris Domini & Pauli Apoſtoli & ceterorum*, uti ſcribit Germanus Patriarcha Conſtantinopolitanus in Theoria, qui à Leone Iſaurico circa ann. dcc. xxx. ſede pulſus eſt. Τὸ δὲ κείρεσθαι τὴν κεφαλὴν ὁλοτελῶς, καὶ μίμησιν τῶν ἁγίων Ἰακώβου τοῦ ἀδελφοθεοῦ καὶ Παύλου Ἀποστόλων καὶ τῶν λοιπῶν. Rattramnus in lib. 4. contra Græc. oppoſ. cap. 5. idem affirmat de Clericis Græcis, quibus *mos ineſt barbam quidem non tondere, caput verò crine totum nudare.* Id tamen ab Apoſtolis, nedum ab Apoſtolo Paulo profectum fuiſſe negant nonnulli, quos inter Salmaſius in Epiſt. de cæſarie & coma. Lege Menardum noſtrum in Com. Regul. cap. 62. §. 10.

canonicum, per omnia comitante & cooperante Adriano [a], diſſeminabat. Iſque primus erat in Archiepiſcopis, cui omnis Anglorum Eccleſiæ manus dare conſentiret. Et quia litteris ſacris ſimul & ſæcularibus, ut diximus, abundanter ambo erant inſtructi, congregatâ diſcipulorum catervâ, ſcientiæ ſalutaris cotidie flumina irrigandis eorum cordibus emanabant: itaut etiam Metricæ artis, Aſtronomicæ & Arithmeticæ Eccleſiaſticæ diſciplinam inter ſacrorum apicum volumina ſuis auditoribus contraderent. Indicio eſt quòd uſq; hodie ſuperſunt de eorum diſcipulis, qui Latinam Græcámque linguam æquè ut propriam in qua nati ſunt, nôrunt. Neque umquam prorſus ex quo Britanniam petiêrunt Angli, feliciora fuêre tempora, dum & fortiſſimos Chriſtianóſque habentes Reges, cunctis Barbaris nationibus eſſent terrori, & omnium vota ad nuper audita cæleſtis regni gaudia penderent: & quicumque lectionibus ſacris cuperent erudiri, haberent in promptu magiſtros qui docerent. Sed & ſonos cantandi in Eccleſia, quos eatenùs in Cantia tantùm noverant, ab hoc tempore per omnes Anglorum Eccleſias diſcere cœperunt: primúſque, excepto Jacobo, de quo ſupra diximus, cantandi magiſter Northanymbrorum Eccleſiis EDDI cognomento Stephanus fuit, invitatus de Cantia à reverendiſſimo viro Wilfrido, qui primus inter Epiſcopos qui de Anglorum gente eſſent, Catholicum vivendi morem Eccleſiis Anglorum tradere didicit.

AN. CHR. DC. XC. SEPT. XIX. a

6. Itaque Theodorus perluſtrans univerſa, ordinabat locis opportunis Epiſcopos, & ea quæ minùs perfecta reperit, his quoque juvantibus corrigebat. In quibus & CEADDA Epiſcopum cùm argueret non fuiſſe ritè conſecratum, reſpondens ipſe voce humilima; Si me, inquit, nôſti Epiſcopatum non ritè ſuſcepiſſe, libenter ab officio diſcedo: quippe qui neque me umquam hoc eſſe dignum arbitrabar, ſed obedientiæ causâ juſſus ſubire, quamvis indignus conſenſi. At ille audiens reſponſionis ejus humilitatem, dixit non eum Epiſcopatum dimittere debere; ſed ipſe ordinationem ejus denuò Catholica ratione conſummavit. Eo autem tempore, quo defuncto Deuſdedit, Dorovernenſis Eccleſiæ Epiſcopus quærebatur ordinandúſque mittebatur, Wilfridus quoque de Britannia in Galliam ordinandus eſt miſſus. Et quoniam ante Theodorum rediit, ipſe etiam in Cantia Preſbyteros & Diaconos, uſquedum Archiepiſcopus ad ſedem ſuam perveniret, ordinabat. At ipſe veniens mox in civitate Roſi, ubi defuncto DAMIANO Epiſcopatus jamdiu ceſſâverat, ordinavit virum magis Eccleſiaſticis diſciplinis inſtitutum & vitæ ſimplicitate contentum, quàm in ſæculi rebus ſtrenuum, cui nomen erat PUTTA, maximè autem modulandi in Eccleſia more Romanorum, quem à diſcipulis B. Papæ Gregorij didicerat, peritum.

Ceaddam Epiſc. reordinat.

Damianum Roſi Epiſc. conſtituit.

7. Anno Dominicæ Incarnationis ſexcenteſimo ſeptuageſimo, qui eſt annus ſecundus, ex quo in Britanniam venit Theodorus, Oſwi Rex Northanymbrorum preſſus eſt infirmitate, qua & mortuus eſt anno ætatis ſuæ quinquageſimo octavo: qui intantum eo tempore tenebatur amore Romanæ & Apoſtolicæ inſtitutionis, ut ſi ab infirmitate ſalvaretur, etiam Romam venire, ibíque ad loca ſancta vitam finire diſponeret: Wilfridúmque Epiſcopum ducem ſibi itineris fieri, promiſſâ non parva pecuniarum donatione, rogaret. Qui defunctus die decimaquinta Kalendarum Martiarum, ECGFRIDUM filium Regni heredem reliquit. Cujus anno regni tertio Theodorus cogit Concilium Epiſcoporum unà cum eis, qui canonica Patrum ſtatuta diligerent & nôſſent, magiſtris Eccleſiæ pluribus. Quibus pariter congregatis, diligenter ea quæ unitati pacis Eccleſiaſticæ congruerent, eo quo Pontificem decebat animo, cœpit obſervanda docere. Cujus Synodicæ actionis hujuſmodi textus eſt.

Ex cap. 5. Oſvvio Rege mortuo Synodum cogit anno 673.

[a] Adrianus Abbas in Sanctorum numerum relatus eſt, mortuus teſte Beda in Hiſt. lib. 5. cap. 21. *anno poſt obitum S. Wulfridi proximo*, Chriſti DCC. X. *& in Monaſterio ſuo in Eccleſia Dei Genitricis ſepultus.* Cujus doctrinæ, ſimul & Theodori, inter alia teſtimonium *perhibet, quòd Albinus diſcipulus ejus qui Monaſterio ipſius in regimine ſucceſſit, Græcam linguam magna ex parte, Latinam verò non minùs quàm Anglorum qua ſibi naturalis eſt noverit.*

AN. CHR. DC XC. SEPT. XIX Synodi Acta.

„ 8. In nomine Domini Dei & Salvatoris noſtri JESU-CHRISTI, regnante inper-
„ petuum ac gubernante ſuam Eccleſiam eodem Domino noſtro JESU-CHRISTO,
„ placuit convenire nos juxta morem Canonum venerabilium, tractaturos de ne-
„ ceſſariis Eccleſiæ negotiis. Convenimus autem die quarta-decima * menſis Sep-
*al. XXIV. „ tembris, Indictione prima, in loco qui dicitur *Heorutford*. Ego quidem Theo-
„ dorus, quamvis indignus ab Apoſtolica ſede deſtinatus Dorovernenſis Eccle-
„ ſiæ Epiſcopus, & Conſacerdos ac Frater noſter reverendiſſimus BISI Orienta-
„ lium Anglorum Epiſcopus, affuimus; cum quibus etiam Frater & Conſacerdos
„ noſter WILFRIDUS Northanymbrorũ gentis Epiſcopus per proprios Legatarios
„ affuit. Affuerunt & Fratres & Conſacerdotes noſtri PUTTA Epiſcopus caſtelli
„ Cantuariorum quod dicitur Rofeceſter, LEUTERIUS Epiſcopus Occidentalium
„ Saxonum, WINFRIDUS Epiſcopus provinciæ Merciorum. Cúmq; in unum con-
„ venientes, juxta ordinem quique ſuum reſediſſemus: Rogo, inquam, dilectiſſimi
„ Fratres, propter timorem & amorem Redemptoris noſtri, ut in communi omnes
„ pro noſtra Fide tractemus, ut quæque decreta ac definita ſunt à ſanctis ac pro-
„ babilibus Patribus, incorruptè ab omnibus noſtris ſerventur. Hæc & alia com-
„ plura quæ ad caritatem pertinebant unitatémque Eccleſiæ conſervandam
„ proſecutus ſum. Cúmque expleſſem prolocutionem, interrogavi unumquem-
„ que eorum per ordinem, ſi conſentirent ea, quæ à Patribus canonicè ſunt an-
„ tiquitùs decreta cuſtodire. Ad quod omnes Conſacerdotes noſtri reſpondentes
„ dixerunt: Optimè omnibus placet, quæ definiêrunt ſanctorum Canones Pa-
„ trum, nos quoque omnes alacri animo libentiſſimè ſervare. Quibus ſtatim pro-
„ tuli eumdem librum Canonum: & ex eodem libro decem capitula quæ per lo-
„ ca notaveram, quia maximè nobis neceſſaria ſciebam, illis coràm oſtendi, &
„ ut hæc diligentiùs ab omnibus ſuſciperentur rogavi.

„ 9. Primum capitulum, ut ſanctum diem Paſchæ in commune omnes ſervemus
„ Dominicâ poſt quartam-decimam lunam primi menſis. II. Ut nullus Epiſcopo-
„ rum parochiam alterius invadat, ſed contentus ſit gubernatione creditæ ſibi
„ plebis. III. Ut quæque Monaſteria Deo conſecrata, nulli Epiſcoporum liceat ea
„ in aliquo inquietare, nec quidquam de eorum rebus violenter abſtrahere.
*al. Epiſcopi Monachi „ IV. Ut ipſi * Monachi non migrent de loco ad locum, hoc eſt de Monaſterio ad
„ Monaſterium, niſi per dimiſſionem proprij Abbatis; ſed in ea permaneant obe-
„ dientia, quam tempore ſuæ converſionis promiſerunt. V. Ut nullus Clericorum
„ relinquens proprium Epiſcopum, paſſim quò libet diſcurrat, neque alicubi ve-
„ niens abſque commendaticiis litteris ſui Præſulis ſuſcipiatur. Quod ſi ſemel ſuſ-
„ ceptus eſt, & noluerit invitatus redire, & ſuſceptor, & is qui ſuſceptus eſt, ex-
NOTA hoſpitalitatem in Eccleſiis ſæculo VII. „ communicationi ſubjacebit. VI Ut Epiſcopi atque Clerici peregrini contenti ſint
„ hoſpitalitatis munere oblato, nullíque eorum liceat ullum officium Sacerdota-
„ le abſque permiſſu Epiſcopi, in cujus parochia eſſe cognoſcitur, agere. VII. Ut
„ bis in anno Synodus congregetur. Sed quia diverſæ cauſæ impediunt, placuit
„ omnibus in commune, ut Kalendis Auguſti in loco qui appellatur Clofeshooh
„ ſemel in anno congregetur. VIII. Ut nullus Epiſcoporum ſe præferat alteri per
„ ambitionem, ſed omnes agnoſcant tempus & ordinem conſecrationis ſuæ.
„ IX. Capitulum in commune tractatum eſt, ut plures Epiſcopi, creſcente nume-
„ ro Fidelium, augerentur. Sed de hac re ad præſens ſiluimus. X. Pro conjugiis, ut
„ nulli liceat niſi legitimum habere connubium, nullus inceſtum faciat, nullus
„ conjugem propriam niſi ut ſanctum Evangelium docet, fornicationis cauſâ re-
„ linquat. Quòd ſi quiſquam propriam expulerit conjugem legitimo ſibi matri-
„ monio conjunctam, ſi Chriſtianus eſſe rectè voluerit, nulli alteri copuletur:
„ ſed ita permaneat, aut propriæ reconcilietur conjugi.

„ 10. His itaque Capitulis in commune tractatis ac definitis, ut nullum deinceps
„ ab aliquo noſtrûm oriatur contentionis ſcandalum, aut alia pro aliis divulgen-
„ tur, placuit ut quæque definita ſunt, unuſquiſque nôſtrum manûs propriæ ſub-
„ ſcriptione confirmet. Quiſquis igitur contra hanc ſententiam juxta decreta ca-

nonum, noſtra etiam confeſſione ac ſubſcriptione manûs noſtræ confirmatam quoquomodo minuere, eámque infringere tentaverit, noverit ſe ab omni officio Sacerdotali & noſtra ſocietate ſeparatum. Divina nos gratia in unitate ſanctæ Eccleſiæ ſuæ viventes cuſtodiat incolumes. «AN. CHR. DC. XC. «SEPT. XIX «« «

11. Facta autem eſt hæc Synodus anno ab Incarnatione Domini ſexcenteſimo ſeptuageſimo tertio; quo anno Rex Cantuariorum ECGBERHT menſe Julio obierat, ſuccedente in Regnum Fratre Lothere, quod ipſe annos undecim & menſes ſeptem tenuit. BISI autem Epiſcopus Orientalium Anglorum, qui in præfata Synodo fuiſſe perhibetur, ipſe erat ſucceſſor BONIFACII, vir multæ ſanctitatis & religionis. Nam Bonifacio poſt decem & ſeptem annos Epiſcopatûs ſui defuncto, Epiſcopus pro eo, Theodoro ordinante, factus eſt. Quo adhuc ſuperſtite, ſed graviſſima infirmitate ab adminiſtrando Epiſcopatu prohibito, duo ſunt pro illo Æcci & Badwine electi & conſecrati Epiſcopi. Ex quo uſque hodie provincia illa duos habere ſolet Epiſcopos.

12. Non multo poſthæc elapſo tempore, offenſus à Winfrido Merciorum Epiſcopo per meritum cujuſdam inobedientiæ Theodorus Archiepiſcopus, depoſuit eum de Epiſcopatu; poſt annos accepti Epiſcopatûs non multos, & in loco ejus ordinavit Epiſcopum SEXVULFUM, qui erat conſtructor & Abbas Monaſterij quod dicitur Medeshamſtede[a], in regione Girviorum. Depoſitus verò Winfridus, rediit ad Monaſterium ſuum quod dicitur Adbearve, ibíque in optima converſatione vitam finivit. *ex cap. 6.* Vvinfrido depoſito Sexvulfum Merciorum Epiſc. ordinat.

13. Quartus Occidentalium Saxonum Antiſtes LEUTHERIUS fuit: ſiquidem primus BIRINUS, ſecundus AGILBERHTUS, tertius exſtitit WINI. Cúmque mortuus eſſet Cenwalch, quo regnante idem Leutherius Epiſcopus factus eſt; acceperunt ſubreguli Regnum gentis, & diviſum inter ſe tenuerunt annis circiter decem. Ipsíſque regnantibus defunctus eſt ille, & Epiſcopatu functus Heddi, qui pro eo conſecratus eſt à Theodoro in civitate Londonia: cujus epiſcopatûs tempore devictis atque amotis ſubregulis, Ceadwalla ſuſcepit Jmperium. Et cùm duobus annis hoc tenuiſſet, tandem ſuperni regni amore compunctus, reliquit eodem adhuc Præſule Eccleſiam gubernante: ac Romam abiens, ibi vitam finivit. *ex cap. 12.* Londoniæ Epiſcopi.

14. Anno Dominicæ Inc. ſexcenteſimo ſeptuageſimo ſexto, cùm EDILRED Rex Merciorum, adducto maligno exercitu Cantiam vaſtaret, & Eccleſias ac Monaſteria ſine reſpectu pietatis vel Divini timoris fœdaret, civitatem quoque Roſi in qua erat Putta Epiſcopus, quamvis eo tempore abſens, communi clade abſumpſit. Quod ille ubi comperit, Eccleſiam videlicet ſuam rebus ablatis omnibus depopulatam, divertit ad Sexwlfum Merciorum Antiſtitem, & accepta ab eo poſſeſſione Eccleſiæ cujuſdam & agelli non grandis, ibidem in pace vitam finivit, nil omninò de reſtaurando Epiſcopatu ſuo agens, quia magis in Eccleſiaſticis quàm in mundanis rebus erat induſtrius: ſed in illa ſolùm Eccleſia Deo ſerviens, & ubicumque rogabatur, ad docenda Eccleſiaſtica carmina divertens. Pro quo Theodorus in civitate Roſi QUICHELMUM conſecravit Epiſcopum. Sed illo poſt non multùm temporis præ inopia rerum ab Epiſcopatu decedente, atque ad alia loca ſecedente, GEBMUNDUM pro eo ſubſtituit Antiſtitem. Roſenſes Epiſcopi.

15. Anno Dominicæ Inc. ſexcenteſimo ſeptuageſimo octavo, qui eſt annus imperij Regis Ecgfridi octavus, apparuit menſe Auguſto ſtella quæ dicitur cometa, & tribus menſibus permanens, matutinis horis oriebatur, excelſam radiantis flammæ quaſi columnam præferens. Quo etiam anno orta inter ipſum Regem Ecgfridum & reverendiſſimum Antiſtitem Wilfridum diſſenſione, pulſus Cometa anno 678. Vvilfrido pulſo.

a Monaſterium *Medhamſtede*, poſtea de Burgo nuncupatum, noviſſimè Petriburgum, vulgò *Peterburgh*, eoquòd limina Romana S. Petri ſuppleret, ut conſtat ex litteris Agathonis Papæ à Spelmanno relatis To. 1. Conc. Brit. qui Agatho Abbatem Medehamſtedenſem Legatum in omnem Angliam conſtituit anno DC.XXC.

AN. CHR. DC. XC. SEPT. XIX.

Episcopos varios ordinat Theodorus.

est[a] idem Antistes à sede sui Episcopatûs, & duo in locum ejus substituti Episcopi, qui Northanymbrorum genti præessent, Bosa videlicet, qui Deirorum; & Eata, qui Berniciorum provinciam gubernaret: hic in civitate Eboraci, ille in Hagustaldensi sive in Lindisfarnensi Ecclesia Cathedram habens Episcopalem: ambo de Monachorum collegio in Episcopatûs gradum adsciti Cum quibus & Eadhedus in provincia Lindisfarnorum, quam nuperrimè Rex Ecgfridus superato in bello & fugato Wlfhere obtinuerat, ordinatur Episcopus. Et hunc primum eadem provincia proprium accepit Præsulem, secundum EDILUINUM, tertium EADGARUM, quartum Cynibertum; quem in præsenti habet: habebat enim ante Eadhedum Antistitem Sexwlfum, qui etiam Merciorum & mediterraneorum Anglorum simul Episcopus fuit. Unde & expulsus de Lindissi, in illarum provinciarum regimine permansit. Ordinati sunt autem Eadhed, Bosa & Eata Eboraci ab Archiepiscopo Theodoro, qui etiam post tres absceſſionis Wilfridi annos', horum numero duos addidit Antistites, TUMBERHTUM ad Ecclesiam Hagustaldensem, remanente Eata ad Lindisfarnensem, & Trumvini ad provinciam Pictorum, quæ tunc temporis Anglorum erat imperio subjecta: Eadhedum de Lindissi reversum, eoquòd Ethilredus provinciam recepisset, Rhipensi Ecclesiæ præfecit.

ex cap. 17. Theodorus contra Monotheletas convocat Synodum.

16. His temporibus audiens Theodorus Fidem Ecclesiæ Constantinopoli per hæresim Eutychetis multùm esse turbatam, & Ecclesias Anglorum quibus præerat, ab hujusmodi labe immunes perdurare desiderans, collecto venerabilium Sacerdotum Doctorúmque plurimorum cœtu, cujus essent fidei singuli, sedulus inquirebat, omniúmque unanimem in Fide Catholica reperit consensum. Et hunc Synodalibus litteris ad institutionem memoriámque sequentium commendare curavit. Quarum videlicet litterarum istud exordium est:

Synodi Acta.

» 17. In nomine Domini nostri JESU-CHRISTI Salvatoris, imperantibus dominis » piissimis nostris, ECGFRIDO Rege Humbronensium, anno decimo regni ejus, sub » die decimo quinto Kalendarum Octobris, Indictione octavâ; & ETHILREDO, » Rege Mercinensium, anno sexto regni ejus; & ALDULFO Rege Estanglorum, » anno decimo septimo regni ejus; & LOTHARIO Rege Cantuariorum, regni ejus » anno septimo; præsidente ipso THEODORO, gratiâ Dei Archiepiscopo Britan- » niæ insulæ & civitatis Dorovernis, unà cum eo sedentibus ceteris Episcopis Bri- » tanniæ insulæ, viris venerabilibus, propositis sacrosanctis Evangeliis, in loco » qui Saxonico vocabulo *Hæthfeld* nominatur, pariter tractantes, Fidem rectam » & orthodoxam exposuimus, sicut Dominus noster JESUS incarnatus tradidit » Discipulis, qui præsentialiter viderunt & audierunt sermones ejus; atque san- » ctorum Patrum tradidit Symbolum, & generaliter omnes Sancti, & uni- » versales Synodi, & omnis probabilium Catholicæ Ecclesiæ Doctorum cho- » rus. Hos itaque sequentes nos piè atque orthodoxè, juxta divinitùs inspiratam » doctrinam eorum professi, credimus consonanter & confitemur secundùm san- » ctos Patres, propriè & veraciter, Patrem & Filium & Spiritum-sanctum, Trinita- » tem in unitate consubstantialem & unitatem in Trinitate; hoc est unum Deum » in tribus subsistentiis vel personis consubstantialibus, æqualis gloriæ & honoris.

Et post multa hujusmodi, quæ ad rectæ Fidei confessionem pertinebant, hæc » quoque sancta Synodus suis litteris addidit: Suscepimus sanctas & universales » quinque Synodos beatorum & Deo acceptabilium Patrum, id est qui in Nicæa » congregati fuerunt, trecentorum decem & octo, contra Arrium impiissimum » & ejusdem dogmata: & in Constantinopoli C. L. contra vesaniam Mace- » donij & Eudoxij & eorum dogmata: & in Epheso primo ducentorum contra ne- » quissimum Nestorium & ejusdem dogmata: & in Calcedone ducentorum & tri- » ginta contra Eutychem & Nestorium, & eorum dogmata: & iterùm in Constanti- nopoli quinto congregati sunt Concilio, in tempore Justiniani minoris contra Theo-

[a] Theodorum istius expulsionis consciam & auctorem fuisse nonnulli sentiunt, ut suprà observatum.

dorum

dorum & Theodoretum & Ibæ epiſtolas & eorum dogmata, contra Cyrillum. « AN. CHR. DC. XC. SEPT. XIX.
Et paullo poſt: Et Synodum quæ facta eſt in Vrbe Roma in tempore Martini « «
Papæ beatiſſimi, Indictione octava, imperante Conſtantino piiſſimo, anno nono. «
Suſcipimus & glorificamus Dominum noſtrum JESUM-CHRISTUM, ſicut iſti «
glorificaverunt, nihil addentes vel ſubtrahentes, & anathematizamus corde «
& ore quos anathematizaverunt, & quos ſuſceperunt, ſuſcipimus, glorifican- «
tes Deum Patrem ſine initio, & Filium ejus unigenitum ex Patre generatum «
ante ſæcula, & Spiritum-ſanctum procedentem ex Patre & Filio inenarrabili- «
ter, ſicut prædicaverunt hi quos memoravimus ſuprà ſancti Apoſtoli & Pro- «
phetæ & Doctores. Et nos omnes ſubſcribimus, qui cum Theodoro Archiepiſ- «
copo Fidem catholicam expoſuimus. «

18. Intererat huic Synodo, paritérque Catholicæ Fidei decreta firmabat vir *ex cap.* 18.
venerabilis JOHANNES Archicantor Eccleſiæ S. Apoſtoli Petri & Abbas Mona-
ſterij B. Martini, qui nuper venerat à Roma per juſſionem Papæ AGATHONIS,
duce reverendiſſimo Abbate BISCOPO, cognomine BENEDICTO. Cùm enim
idem Benedictus conſtruxiſſet Monaſterium Britanniæ in honorem beatiſſimi
Apoſtolorum Principis, juxta oſtium fluminis Wiri, venit Romam cùm coope-
ratore ac ſocio ejuſdem operis CEOLFRIDO, qui poſt ipſum ejuſdem Mona-
ſterij Abbas fuit, (quod & antè ſæpiùs facere conſueverat:) atque honorificè à Johannes Abbas cantum Romanum Britannos docet.
beatæ memoriæ Papa Agathone ſuſceptus eſt, petiitque & accepit ab eo mo-
nimentum libertatis Monaſterij quod fecerat, epiſtolam privilegij ex auctori-
tate Apoſtolica firmatam, juxta quod Ecgfridum Regem voluiſſe, ac licentiam
dediſſe noverat: quo concedente & poſſeſſionem terræ largiente, ipſum Mo-
naſterium fecerat. Accepit & præfatum Johannem Abbatem in Britanniam
perducendum, quatenùs in Monaſterio ſuo Curſum canendi annuum, ſicut ad
S. Petrum Romæ agebatur, edoceret. Egítque Abbas Johannes, ut juſſionem
acceperat Pontificis, & ordinem videlicet & ritum canendi ac legendi viva
voce præfati Monaſterij Cantores edocendo, & ea quæ totius anni circulus in
celebratione dierum feſtorum poſcebat, etiam litteris mandando: quæ hactenùs
in eodem Monaſterio ſervata, & à multis jam ſunt circumquaque tranſſcripta.
Non ſolùm autem idem Johannes ipſius Monaſterij Fratres docebat, verùm de
omnibus pæne ejuſdem provinciæ Monaſteriis ad audiendum eum qui cantandi
erant periti confluebant.

19. Sed & ipſum per loca in quibus doceret multi invitare curabant. Ipſe Fidem eorum explorat.
autem excepto cantandi vel legendi munere, & aliud in mandatis ab Apoſto-
lico Papa acceperat, ut cujus eſſet fidei Anglorum Eccleſia, diligenter ediſce-
ret, Romámque rediens referret. Nam & Synodum B. Papæ Martini centum
quinque Epiſcoporum conſenſu non multo antè Romæ celebratam, contra eos
maximè qui unam in Chriſto operationem & voluntatem prædicabant, ſecum
veniens attulit, atque in præfato religioſiſſimi Abbatis Benedicti Monaſterio
tranſſcribendam commendavit. Tales namque eo tempore Conſtantinopolita-
næ Eccleſiæ fidem multùm conturbaverunt: ſed Domino donante proditi jam
tunc & victi ſunt. Unde volens Agatho Papa ſicut in aliis provinciis, ita etiam
in Britannia, qualis eſſet ſtatus Eccleſiæ, quomodò ab hæreticorum contagiis
caſtus, ediſcere, hoc negotium reverendiſſimo Abbati Johanni in Britanniam
deſtinato injunxit. Quamobrem collecta pro hoc in Britannia Synodo quam
diximus, inventa eſt in omnibus Fides catholica inviolata, datúmque illi exem-
plar ejus Romam perferendum. Verùm ille patriam revertens, non multo poſt-
quam Oceanum tranſiit, arreptus infirmitate, ac defunctus eſt, corpúſque ejus
ab amicis propter amorem S. Martini cujus Monaſterio præerat, Turonis de-
latum, atque honorificè ſepultum eſt. Nam & benigno Eccleſiæ illius hoſpitio, Turonis ſepelitur.
cùm in Britanniam iret, exceptus eſt, rogatúſque multùm à Fratribus, ut
Romam revertens, illo itinere reverteretur, atque ad eam diverteret Eccleſiam.
Denique ibidem adjutores itineris & injuncti operis accepit, à quibus etſi in

AN. CHR. DC. XC. SEPT. XIX.

itinere defunctus est; nihilominùs exemplum catholicæ Fidei Anglorum Romam perlatum est, atque ab Apostolico Papa omnibúsque qui audiêre vel legêre, gratantissimè susceptum.

ex cap. 21.

Theodorus Reges pacisitur.

20. Anno regni Ecgfridi nono, conserto gravi prœlio inter ipsum & Æthilredum Regem Merciorum juxta fluvium Treanta, occisus est Elfvuini frater Regis Ecgfridi, juvenis circiter decem & octo annorum, utrique provinciæ multùm amabilis. Nam sororem ejus, quæ dicebatur Osthridi, Rex Æthilredus habebat uxorem. Cúmque materies belli acrioris & inimicitiæ longioris inter Reges populósque feroces videretur exorta, Theodorus Deo dilectus Antistes, Divino fretus auxilio, salutifera exhortatione cœptum tanti periculi funditùs exstinguit incendium, adeout pacatis alterutrum Regibus ac populis, nullius anima hominis pro interfecto Regis fratre, sed debita solummodò multa pecuniæ Regi ultori daretur: cujus fœdera pacis multo exinde tempore inter eosdem Reges eorúmque Regna durârunt.

ex lib. 5. c. 8.

Theodorus piè obit anno 690.

21. Anno autem post hunc quo Ceadwalla Romæ defunctus est proximo, id est sexcentesimo nonagesimo Inc. Dominicæ, Theodorus beatæ memoriæ Archiepiscopus, senex & plenus dierum, idest, annorum octoginta & octo, defunctus est [a]. Quem se numerum annorum fuisse habiturum, ipse jamdudum somnij revelatione edoctus, suis prædicere solebat. Mansit autem in Episcopatu annis viginti duobus, sepultúsque est in Ecclesia S. Petri, in qua omnium Episcoporum Dorovernensium sunt corpora depósita. De quo unà cum consortibus ejusdem sui gradûs rectè & veraciter dici potest, quia corpora ipsorum in pace sepulta sunt, & nomen eorum vivet in generationes & generationes. Ut enim breviter dicam, tantum profectûs spiritalis tempore præsulatûs illius Anglorum Ecclesiæ, quantum numquàm antea potuêre, ceperunt. Cujus personam, vitam, ætatem & obitum, Epitaphium monumenti ipsius, versibus heroïcis triginta & quatuor palam ac lucidè cunctis illò advenientibus pandit: quorum primi sunt hi:

Hìc sacer in tumba pausat cum corpore Præsul,
Quem nunc THEODORUM *lingua Pelasga vocat,*
Princeps Pontificum, felix, summúsque Sacerdos:
Limpida discipulis dogmata disseruit.

Ultimi autem.

Namque diem nonamdecimam September habebat,
Cùm carnis claustro spiritùs egreditur.
Alma novæ scandens felix consortia vitæ,
Civibus Angelicis junctus in arce poli [b].

a Successit Theodoro in Episcopatu Berechtvualdus, qui erat Abbas in Monasterio quodam juxta ostium Aquilonare fluminis Genlade positum, quod Racvulf nuncupatur. Vir & in scientia scripturarum imbutus, & Ecclesiasticis simul ac monasterialibus disciplinis summè instructus, tametsi prædecessori suo minimè comparandus. Qui electus est in Episcopatum anno Dominicæ Inc. DC. XCII. *&c.* Hæc Beda in lib. 5. cap. 9. qui rursus cap. 24. eumdem anno DC. XXII. decessisse scribit Bertvualdus in recentioribus Martyrologiis etiam Benedictinis locum habet.

b S. Theodori corpus unà cum S. Augustini aliorúmque Reliquiis levatum est anno M. XCI. octavo Id. Septemb. teste Gotselino Monacho, cujus hæc verba in lib. 2. Transl. cap. 27. *Prænominatissimi autem* THEODORI *remoto in Translatione tumbæ operculo sua omnibus affatim satisfecit thurificatio, itaut in claustrum Fratrum etiam hæc erumperet oblectatio. Iacebat uti à primordio erat depositus integrâ formâ Metropolitani sacerdotij Pallio & monachili tantùm obductus cuculla. Tantâ erat gratiâ, ut arbitraretur adhuc solida vigere carne &c.*

IHS

DE B. THEODEFRIDO EPISCOPO

CIRC. AN. DC. XC. OCT. VIII.

EX ABBATE CORBEIENSI PRIMO.

1. ANTEQUAM *de S. Theodefrido agamus, Corbeienſis Monaſterij primordia deſcribere juvat. Exſtat quarto milliari ſupra Ambianorum civitatem Picardiæ nobiliſſimam Corbeia opidum ad Suminam fluvium, ſic dictum ab amne Corbeia, (ſic enim in S. Furſei libro Mirac. vocatur) qui eo in loco in Suminam influit. Illic cernitur inclytum Ord. S. Bened. Cœnobium Corbeienſe, litterarum ſtudiis ac piorum hominum ſanctitate florentiſſimum quondam, nunc etiam ſub auſpiciis Congregationis S. Mauri illuſtre, cujus incunabula, nomen ac celebritas S. Balthildi Francorum Reginæ ac Chlothario ejus filio accepta referri debent. Hujus rei fidem facit diploma Chlotharij tertij apud Sirmondum in Tomo 1. Conc. Gall. in hæc verba:* CHLOTHARIUS Rex Francorum, vir inluſter. Ad mercedem noſtram in Dei nomine credimus pertinere, quidquid pro animæ ſalute locis Sanctorum conferimus, ut ibidem perenniter proficiat, & gloriam Deo auxiliante habere mereamur. Igitur dum nos & præcelſa genitrix noſtra Domna BALDECHILDIS Regina Monaſterium in honore SS. Petri & Pauli Apoſtolorum, & S. Stephani Protomartyris ſuper fluvium Somna in locoqui dicitur Corbeia, quem GUNTLANDUS quondam poſſederat, & ad fiſcum noſtrum pervenerat, ubi præeſt venerabilis vir THEODEFRIDUS Abba, pro æterni Numinis intuitu ædificari præcepimus, ut Monachi ſub ſancta Regula ibidem debeant converſari; Cognoſcat ſtrenuitas veſtra, quòd nos ipſam villam Corbeiam ad ipſum Monaſterium cum adjacentiis ſuis in integrum, ſeu & alias villas nuncupantes Folieto, Gentilla, Cipiliaco, &c. à die præſenti ſub integra immunitate abſque introitu Judicum viſi fuimus conceſſiſſe. *Corbeia ergo à Guntlando quondam, hoc eſt forſitan (uti Hadrianus Valeſius ſuſpicatur) à Gundolando viro inclyto & egregio, quem regnante Chlothario iſtius Chlotharij proavo Majorem-domus fuiſſe ex Erchamberto diſcimus, poſſeſſa Monaſterio nomen ſuum dedit.* Corbeiæ exordia.

2. *Quo anno conſtructum fuerit Cœnobium, colligimus ex Privilegio immunitatis quam Bertefridus Ambianenſis Epiſcopus eidem conceſſit loco* anno ſeptimo regnante Chlothario Rege, *hoc eſt anno Chriſti* DC. LXII. ſub die octavo Idus Septemb. *Iam enim Monaſterium exædificatum erat, regebatúrque à Theodefrido Abbate: ut proinde anno Chlotharrij Regis ſecundo aut tertio, Chriſti circà* DC. LVII. *à Balthilde inchoatum fuiſſe videatur. Sic enim Bertefridus in Privilegio ſuo apud Sirmondum loquitur.* Et quia glorioſiſſimus Domnus CHLOTHARIUS, necnon & præcelſa Domna BALTHILDIS Regina, Divino inluminati auxilio, Monaſterium ſuo opere, Chriſto præſule, in loco nuncupante Corbeia conſtruxerunt, religioſam petitionem noſtris auribus patefecerunt, quæ viſcerali pietatis affectu ita cor intrinſecùs mollivit, ut petita non concedere, aut certè libentiſſimè non impleſſe, noſter animus in religioſum fore putaret. Sancto igitur amore ſuccenſi noſtræ vilitatis extremitatem petierunt, ut & nos & veſtra fraternitas conſentientes, pro reverentia SS. Petri & Pauli Apoſtolorum & S. Stephani Protomartyris, ad prædictum Monaſterium in eorum honore conſtructum, Privilegium concedere deberemus. *Deinde explicat Privilegium ſuum, quod in tribus potiſſimum conſtituit, nempe ut res eidem Cœnobio collatas oblatáſve nullus Pontifex aut Clericus Ambianenſis Eccleſiæ* uſurpare aut minorare *præſumat, ut* ad præfatum Monaſterium *non accedat*, niſi ab Abbate ſæpedicti Monaſterij ſpontanea voluntate fuerit rogatus, & ut non ulla alia poteſtate in ipſo Monaſterio quo anno? *Hujuſce Privilegij mentionem facit Drogo Epiſc. Tarvënenſis in ſimili Privilegio Eccleſiæ Meſſinenſi conceſſo anno 1065. apud Miræum in Cod. Donat. cap. 6.*

CIRC. AN. DC. XC. OCT. VIII. utatur, neque in Monaſterio ſeu in rebus aut ornamentis ipſius neque in perſonis, *præter ordinationem Abbatis & Monachorum, altaris tabellarum ac chriſmatis conſecrationem. Id verò conceſſum à ſe dicit, tum ob* petitionem glorioſiſſimi Regis, *tum* quia ipſi Monaſterium ipſum conſtruxerunt & ditaverunt, *vel pro reverentia SS.* Apoſtolorum & Martyrum, ſeu ut quieti ſub Regula Sancta ipſi Monachi vivere debeant ad ipſum Monaſterium deſervientes. *Additque* ut ipſi Monachi ſub Regula S. BENEDICTI vel S. COLUMBANI converſari & vivere debeant: *quam Regulam paullo ante* Regulam SS. Patrum *appellaverat.*

ſub qua Regula? 3. *Hinc Carolus* le Cointe *ad ann. 662. occaſione captata negat Monachos Corbeienſes primitus vixiſſe* ſub Regula S. Benedicti, *eáque vocabula exiſtimat eſſe abradenda, quæ nos retinenda conſtanter aſſerimus. Hujus Auctoris ratio eſt, quoniam Theodefridus Abbas primus Corbeienſis arceſſitus eſt Luxovio, ubi ſolam ſancti Columbani Regulam tum ſervatam fuiſſe putat: quod in Præfatione noſtra ſatis refutavimus. Illuc hoc loco libet commemorare, quod Patres Concilij Pariſienſis in litteris Confirmationis Privilegij Corbeienſis anno* DCCC. XLVI. *Paſchaſio Ratberto Abbati conceſſis dicunt.* Nam ſicuti comperimus, ipſe locus venerabilis, Balthilde Regina à Chlothario filio ſuo impetrante à ſanctis viris fundatus eſt, & ſacæ Religionis normam quam primo tempore ſuſcepit, INVIOLATAM DEINCEPS RETINUIT, intantum ut eos qui ſe fundaverant, non modò æquaverit religione, ſed etiam pæne ſuperaverit. *En Patres Concilij affirmant, Regulam à primis Corbeienſis Cœnobij Monachis primitùs inſtitutam, eatenus* inviolatam *in eodem loco viguiſſe. Porro tempore Concilij Regulam Benedictinam illic viguiſſe, manifeſtè declarant, ſtatuentes,* ut ſit in illo Monaſterio ſemper privilegium electionis, ſicut antiquitùs in Eccleſiis electio conſervata fuit, non ſuppoſita aut ſuffecta, ſed libera juxta auctoritatem Canonicam & REGULAM S. BENEDICTI. *Quæ verba ne in alienum ſenſum detorqueantur, occurrit S. Adelardus & ipſe Abbas Corbeienſis Ratberto ſuperior, qui in lib. 2. de* Statutis Corb. *c. 3. Regulam S. Benedicti abſolutè* Regulam *non ſemel vocat, dum ejus verba & auctoritatem adducit. Sed quid iſtis immoramur, quando ipſe Adelardus apud Corbeiam aulicorum ſalutationes impatienter ferens, Caſinum ſeceſſit, ut in Ordinis ſui Monaſterio ignotus viveret? Non alia ergo initio ſæculi octavi à Corbeienſibus Monachis ſervabatur Regula quàm Benedictina, quæ eadem ab ipſa Cœnobij origine ad illud uſque tempus* inviolata *ibidem viguerat.*

Sirmond. To. 3. Conc. Gall.

To. 4. Spicil. Acher.

Abbas primus Theodefridus. 4. *Primus qui Corbeienſi Aſceterio præfuit Abbas* THEODEFRIDUS, *è Luxovio Monaſterio à S. Vvalberto Abbate tranſmiſſus in Vita primaria S. Balthildis num. 7. legitur.* Monaſterium quod vocatur Corbegia in Ambianenſi parochia ſuo opere conſtruxit: ubi venerabilis vir TEUDOFREDUS, nunc enim *Epiſcopus, tunc verò Abbas, magno gregi Fratrum tunc præfuit, quem de Luxovio Monaſterio præfata Domna Balthildis à reverentiſſimo viro Domno Galberto quondam Abbate expetivit, & mirabiliter ad ipſum Cœnobium Fratrum condirexit. *Addit Interpolator:* Ipſum autem Monaſterium ſicut à fundamento, ita villis & prædiis omnibúſque ſumptuum neceſſitatibus fundavit & ornavit. Quo in loco ejus memoria venerabiliter, ut decet, recolitur, atque laus ejus (Balthildis) dum in hac valle plorationis ſpiritus humanos rexerit artus canetur.

*f. jam

Epiſcopus quando? 5. *Ex loco paullo ſuprà recitato apparet, Theodefridum fuiſſe Epiſcopum, cùm Vitam S. Balthildis primarius Auctor ſcribebat, ſcribebat autem Theodorico ejus filio etiamtunc regnante, uti ad annum 680. obſervavimus. Quod omnino exploratum eſt ex Præcepto Theoderici Regis, electionem* EREMBERTI *Abbatis Corbeienſis in hunc modum confirmantis.* THEODERICUS Rex Franc. Epiſcopis & viris inluſtribus... De ſacroſancto Monaſterio nuncupato Corbeia in pago Ambianenſe conſtructo ad Regalem noſtram præſentiam Monachi & viri Dei venientes, ſerenitatis noſtræ clementiæ auribus ſuggeſſerunt, ut dum & venerabilis vir Chrodegarius Abba ſecundum conſuetudinem humanæ fragilitatis de hac luce ad Dominum migrâſſe dignoſcitur, quem Apoſtolicus vir Domnus & Pater

To. 1. Conc. Gall.

noſter THEODEFREDUS Epiſcopus, dum & ille onus Pontificale meruit accipere, per noſtram voluntatem & præceptionem ad regendum ac dominandum Monaſterio ſupraſcripto conſtituit; cum relatione & conſenſu totius congregationis ipſius Monaſterij petierunt, ut liceret eis ſecundum eorum electionem & ſecundum ſanctum Privilegium quod ſuprà loco ſancto ex Regali munificentiâ & Sacerdotum conceſſione indultum eſt, de ſemetipſis eligere Rectorem. Et dum eorum petitio noſtræ ſerenitati congrua eſſe & rationabilis in omnibus videretur, venerabilem virum EREMBERTUM, qui in ipſo Monaſterio fuit nutritus, ipſi homines cum voluntate ſupraſcripti Pontificis Domni THEODEFREDI Epiſcopi elegerunt: noſtra clementia ipſis Monachis conceſſiſſe comperitur ſicut ſuggeſſerunt. *Erat ergo Theodefridus Epiſcopus regnante Theoderico, quo tempore Erembertus Abbas tertius Corbeienſis Chrodegario ſucceſſit.* Circ. An. DC. XC. Oct. VIII.

6. *Verùm cujus loci Epiſcopus fuerit Theodefridus, non conſentiunt Auctores. Trithemius in lib. 4. de Vir. illuſt. Ord. S. Bened. c. 209* Epiſcopum Albianenſem *vocat, Vvion lib. 2. de Ligno Vitæ cap. 37. Albigenſem interpretatur, ejúſque feſtum diem VII. Kal. Febr. collocat. Iohannes Chenu & Claudius Robertus poſt Vvionem adnumerant Epiſcopis Albigenſibus Theodefridum, quem Guillelmus Marlotus in lib. 2. cap. 43.* Cameracenſem; *Hadrianus Valeſius in Rer. Franc. lib. 2. Sammarthani in fuſiori Gallia Chriſt.* Ambianenſem Epiſcopum *fuiſſe dicunt. Poſteriorem ſententiam amplectimur, quam tenuiſſe videtur Trithemius, dum librariorum errore* Albianenſis *loco* Ambianenſis *in ejus textum irrepſit. Certè nobis omnino conſtat, Theodefridum nec Albigenſi, nec Cameracenſi Eccleſiæ præfuiſſe. Sic verò rem conficimus. In Chronico Epiſcoporum Albigenſium & Abbatum Caſtrenſ. ante annos quadringentos compoſito, nullus Theodefrido locus. Quippe* anno Domini DC. XLVII. CONSTANTIUS in Albigeſio epiſcopabat. *Is eſt qui Synodo Remenſi ſub Sonnatio habitæ ſubſcripſit.* Anno DC. LXXIII. RICARDUS epiſcopabat. Anno DC. XCII. CITRUINUS epiſcopabat. Anno DCC. XXII. HUGO epiſcopabat. *Concedimus quidem catalogum forſitan integrum non eſſe: at Theodefridum virum ſanctum ignotum fuiſſe vetuſto illi Auctori, non facilè aſſentimur. Quid quòd Theodefridi Epiſcopi Albigenſis natalem diem locant VII. Kalend. Febr. cùm Theodefridus noſter VII. Idus Octob. obierit, ut poſteà videbimus. Neque etiam Cameraci Epiſcopus fuit Theodefridus. Marlotus nititur fragmento quodam Chronici Mſ. in quo* S. Theodefridus primus Abbas Corbeienſis Monaſterio ſuo præfuiſſe annis tribus *dicitur*: quibus expletis Cameracenſis conſecratur Epiſcopus poſt mortem venerabilis viri B. AUTBERTI, qui ſuperiori anno dedicationi Eccleſiæ Corbeienſis interfuerat. *Econtra Balduinus Epiſcopus Noviomagenſis in Chronico Cameracenſi ante annos ſexcentos conſcripto, cujus auctoritas planè præferenda eſt, Autberto ſubſtituit Vindicianum, quem principatu* Childerici, *Cameracenſi Eccleſiæ jam præfuiſſe conſtat ex litteris* CHONEBERTI *Abbatis in Balduini lib. 1. cap. 27. relatis, quibus* VINDICIANUS Epiſcopus teſtis *ſubſcripſit. Iam ergo ante principatum Theoderici, qui Childerico fratri ſucceſſit, ſedebat in Cathedra urbis Cameraci Vindicianus, cujus proinde anteceſſor non fuit Theodefridus, qui regnante Theoderico Epiſcopus erat. Sunt & alia errata in præcitato fragmento, quibus immorari non vacat. Itaque veri ſimilius eſt, Theodefridum Sedi Ambianenſi impoſitum fuiſſe poſt Berthefridum, quamvis ejus nomen in ſerie Epiſcoporum iſtius civitatis deſideretur.* Cujus loci? To. 7. Spic. Acherij.

7. *Quamdiu Eccleſiam ſuam rexerit, quidve rei geſſerit Theodefridus, nobis latet. In veterrimo Corbeienſi Martyrologio ab annis amplius ſeptingentis exarato, quod libro Paſtorali Gregorij M. præmittitur, ſic Theodefridus laudatur VII. Idus Octob.* Corbeiâ Monaſterio depoſito THEODEFRIDI Abbatis. *Nullam tamen ejus memoriam in Eccleſiaſticis ejuſdem Monaſterij officiis umquam factam fuiſſe legimus.* Dies obitûs.

8. *Laudari numquam ſatis poſſunt priſci Monachi Corbeienſes, quorum in reſcribendis SS. Patrum veterúmque Auctorum libris diligentia nullis ceſſit; quorum* Sancti Corbeienſes.

CIRC. AN. DC. XC. OCT. VIII. *doctrina & eruditio viros illustres protulit Patribus adnumeratos; quorum sanctitas ac religio Sanctos insignes cælo intulit* ADELARDUM *Abbatem*, ANSCHARIUM *Pontificem Suevorum Apostolum*, PASCHASIUM RATBERTUM *Abbatem scriptis clarissimum, sæculo IX.* GERARDUM *Abbatem sæculo XI. aliósque, de quibus suis locis agendum erit.*

AN. CHR. DC. XCV. FEBR. XXV.

SANCTI VALERII ABBATIS MONASTERII S. PETRI DE MONTIBUS IN HISPANIA

ELOGIUM HISTORICUM.

Valerius Sanctus.

1. VALERIUM *Abbatem Cœnobij S. Petri de Montibus in Callæcia prætermisit ad diem 25. Februarij Iohannes Bollandus, certiora exspectaturus argumenta, quibus liquidò constet, Valerium in Cœlitum numero palam haberi. Bollandi prudentiam ac religionem nemo non probare debet: in talibus enim rebus sententiam præcipitare non licet. Existimamus tamen non absque fundamento Valerium Sanctis viris accenseri posse: quamvis an ejus memoria aliqua celebritate colatur ignoremus. En duplex pro nostra, immo pro Valerij causa auctoritas. S. Gennadius Asturicensis sæculo x. Episcopus in Testamento suo apud Prudentium Sandovalium & Antonium Yepezium vulgato Valerium appellat Sanctum his verbis:* Insignis meritis B. FRUCTUOSUS postquam Complutense condidit Cœnobium sub nomine S. Petri, brevi opere in hoc loco fecit Oratorium. Post quem non impar meritis VALERIUS Sanctus opus Ecclesiæ dilatavit. *Longè ante Gennadium* S. BENEDICTUS *Anianæ Abbas* Sanctum Valerium *laudaverat in Concord. Regul. cap. 3. §. 7. hoc modo:* Dicta S. Valerij de genere Monachorum. *Subjicitur posthæc fragmentum cujusdam sermonis à Valerio compositi de vitiis Monachorum sui temporis, inter alia sic loquente:* Et cùm in ista ultimæ extremitatis Occiduæ partis confinia rara videlicet & exigua pullularent sacræ Religionis crepundia, &c. *Quæ verba, inquit Menardus, homini Hispano eique Asturicensi planè conveniunt.*

Vita à quo scripta?

2. *S. Valerij Vitam ex ipsius Sancti operibus aliisque Instrumentis Hispanico idiomate consarcinavit Prudentius Sandovalius in Parte 1. Fundat. Monast. Hispan. eamque Latinè reddidit in Martyrologio Hispan. ad 25. Febr. Iohannes Tamayus: ex quibus nonnulla decerpemus. Valerius ex Asturicensi territorio oriundus, Complutense Monasterium Vitæ Religiosæ desiderio expetivit adolescens. Repulsam passus, in regionis suæ solitudinem juxta Castrum Petrense secessit, ubi à montanis incolis magnopere colebatur. Cùm ecce* Floianus *Presbyter quidam invidiâ accensus, molestiam pio juveni facessit, eúmque loco cedere compulit, & in profundiorem eremum fugientem vexare non destitit. Postea montanorum precibus revocatus Valerius, prope idem Petrense castrum, in loco* Ebronantis *dicto Oratorium construxit. Sed nec illic Valerio quieto esse licuit. Nam à Reccimiro prædij Domino, qui Oratorio in meliorem formam exstructo alium Presbyterum* JUSTUM *nomine præfecit, expulsus, cum Iusto tamen paullo pòst in gratiam rediit auxilio Simplicij Diaconi, à quo præcipuè amore diligebatur. Post annos quatuor & viginti Valerianus Ebronantensem solitudinem deserens, migravit in castrum Rupianum in montibus Aquilanis, ibique in Oratorio quod S. Fructuosus Bracarensis Episcopus Sanctorum Petro & Martino posuerat, consedit: atque inde famam suam per circumpositas regiones sparsit. Isidorus Episcopus Asturicensis virum ob doctrinam adamavit, & ad proximum Concilium Toletanum duxisset invitum, nisi mors Isidori obstitisset. Oratorium ac Monasterium S. Petri ejus operà accrevit teste S. Gennadio superiùs relato, eúmque Abbatem habere meruit. Plura scripsisse dicitur, in his Vitam sancti Fructuosi*

Fructuoſi Epiſcopi ad annum 670. à nobis editam : Vitam B. Eucheriæ Sanctimonialis Monachis Complutenſibus directam : hiſtoriam S. Abbatis Dodonei : hiſtoriam, revelationes & miracula Sanctorum Maximi & Bonelli Monachorum, & alia quædam, quæ in Bibliothecis Eccleſiæ Ovetenſis & Cœnobij Carracedenſis Ord. Ciſterc. adſervari feruntur. AN. CHR. DC. XCV. FABR. XXV.

3. *Monaſticæ rei ſtatum ſui temporis deſcribit in fragmento relato cap. 3. §. 3. Concordiæ Reg. conqueſtus, quòd in* ſacratiſſimis locis pauciſſimi reperiantur electi viri, qui de toto corde convertantur ad Dominum. Et ne ipſa, *inquit*, Monaſteria deſolata deſertáque remaneant, tolluntur ex familiis ſibi pertinentibus ſubulci, de diverſis gregibus ſervi, atque de poſſeſſionibus parvuli, qui pro officio ſupplendo inviti tondentur, & per Monaſteria nutriuntur, falſóque nomine Monachi nuncupantur. Qui dum nec pridem foris in activa vita mundanis ſtudiis ſive ſervitiis vel operibus excocti eruditíque pateſcunt ; nec poſtea in Monaſteriis, citra electionem Domini, non ultroneè ſed inviti ſanctæ Religioni ſociati, concipiunt in corde timoris Domini compunctionem aut deſideria regni cæleſtis. Non obedientiæ humilitate, aut ſinceræ caritatis dilectione fundantur, ſed creſcunt typho ſuperbiæ turgidi, faſtu elationis inflati, &c. Status Monaſtici Ordinis deplorat.

4. *Quo tempore mortuus ſit S. Valerius, diſcimus ex ſubjecto Epitaphio rudi & impolito.* Moritur.

In hoc cœmeterij jacet loco inſigne VALERÎ
Corpus humo datum : ſed anima ad aſtra volatum
Adſumpſit ſancta. Nam ſufficit gloria tanta
Noſtro hoc Rupiano Cœnobio Petri-Montano
Implebit ſepulcri cavas venerabilis Abbas.
Era ſeptingentena tribus additis ad tricenam,
Menſe Februario die quo minus in Kalendario,
Si bene perpendas, numeratur quinto Kalendas
Sequentis menſis, anno octavo Egicanenſis.

Cui Epitaphio ſi qua fides eſt, Valerius erâ DCC. XXXIII. *Chriſti concepti anno* DC. XCV. *die* V. *ante Kalendas Martias obiiſſe dicendus eſt. Ejus corpus etiamnunc ſervatur in Monaſterio S. Petri de Montibus, quod Ciſtercienſibus Monachis modò ſubjectum eſſe aſſerit Tamayus.*

VITA S. CHLODVLFI EPISCOPI METTENSIS,

AN. CHR. DC. XCVI. JUN. VIII.

Auctore anonymo qui ſæculo IX. ſcripſiſſe videtur.

Ex MS. cod. V. C. Andreæ Cheſnij.

OBSERVATIO PRÆVIA.

1. HUjus *Vitæ Scriptor vixiſſe videtur Pippino regnante ex num. 7. At cùm num. 2.* Geſta Mettenſium Pontificum, *ea proculdubio quæ à Paulo Diacono ſcripta ſunt, laudet, rejiciendus eſt poſt Caroli Magni tempus, quando ſententia de Anſbertina B. Arnulfi familia invaleſcere cœpit. Certè Paulus ipſe in libro de Mettenſibus Epiſcopis dum de Chlodulfo agit, ignota ſibi fuiſſe ejus geſta diſertis exprimit verbis. Poſt Godonem* CHLODULFUS * B. Patris Arnulfi genitalis filius, Anchiſi quoque à quo ſemen propagatum eſt Regium germanus, ad Epiſcopale culmen ob paternæ ſanctitatis gloriam triceſimus atque ſecundus adſcendit. De quo nihil ad nos ampliùs, præter quod à tali radice exortus eſt, fama perduxit. *Hæc verò Acta ſi Pippini principatu litteris commendata fuiſſent, ea certè accepiſſet Paulus ab Angelramno Mettenſium Epiſcopo, cujus rogatu iſtius Sedis Pontificum hiſtoriam exaravit.* * S. Clon.

AN. CHR. DC. XCVI. JUN. VIII. Auctoris Præfatio. * *al.* Glodulfi * utiliſſimum

BEATI CHODULFI * Mettenſis urbis Pontificis glorioſi depoſitionem venerabilem annuo recurſu commemorantes, Domini gratiam magnificare, collaudare & benedicere digniſſimum decernimus & utillimum* judicamus, ſimul etiam ſumma humilitate monemus: ut qui notam ſemper in nationibus facit virtutem ſuam, & qui eſt Deus faciens mirabilia, quíque glorioſus eſt in omnibus Sanctis ſuis, ſicut eiſdem Sanctis gloriam contulit ſempiternam, ſic nobis eorum feſta celebrantibus peccatorum omnium conferat veniam, omnes in commune & ſinguli ſumma devotione exoremus. Siquidem Sancti qui per labores multimodos propriorum operum feliciſſima retributione æterna præmia aſſequuti, cum Chriſto Deo jam in æternum gaudentes regnant, & eidem Chriſto Domino ſummo capiti incorporati, devicto mundi Principe, devictis cunctis hoſtibus, ſtolâ immortalitatis induti, & laurea perennitatis adornati coram ſuo Domino victores ſemper adſiſtunt, & de præſentia ſui Regis continua feſtivitate lætantur. Idcirco noſtra non egent veneratione, nec noſtris annuis ſollemnitatibus indigent: ſed proviſa ſunt noſtræ infirmitati hæc Divina ſubſidia, ut quotieſcumque per tempora revoluta pérque aſſignatos dies Sanctorum merita recordamur, & in recordando dulces venerationis affectus exhibemus, eoſdem Sanctos nobis ad evitanda mala & ad acquirenda bona dulces patronos & pios exoratores apud Deum deorum Dominúmque dominorum mereamur. 1.

Chlodulfi genus.

2. Scripturi verò aliquid ex B. CHLODULFI geſtis & de tanto viro loquuturi, conſueto ordine juſtæ narrationis, quis vel unde fuerit primùm neceſſe eſt intimemus: proſapiáque ſic nobilis, ſic inclyta, quia præſentibus lucidiſſimè patet, futuris etiam aperta ſit juſtum eſt ut faciamus. Nam genealogiam paternam B. ARNULFUS hujus ſanctæ Mettenſis ſedis Pontifex coruſcam mirabiliter facit & decentiſſimam reddit, dum ejus genitor prædicatur & eſt. Qui ex antiquo Senatorum genere Patre ARNOALDO procreatus, Franciam omnem, immo totam Galliam nobilitate ac decentiſſima generoſitate ſuperavit, & in ſuperando ingenti gloria famoſam reddidit & honeſtam. Arnoaldus quem dicimus, patrem habuit ANSPERTUM, qui ditatus non ſolùm rerum opulentiâ, verùm fratrum dignitate & conſociali excellentia glorioſus effulſit. S. nempe AIGULFUS Mettenſium Præſul magnificus, quem Geſta Mettenſium Pontificum ex filia CHLODOVEI Regis procreatum dicunt*, (qui Chlodoveus prædicante S. Remigio Remenſium Pontifice & ſe & totam Franciam Chriſtianæ religioni primus ſubdidit, & in honorem debitum decus Eccleſiæ prout numquam plus potuit dilatavit & exaltavit) LEOTARIUS ARISIDI[a] Pontifex, & FIRMINUS Uceciæ itidem Pontifex, & GAMARDUS S. GOËRICI Præſulis genitor, & REMFRIDUS Fratres hujus Anſperti exſtiterunt. Mater verò Domni & venerabilis Chlodulfi DODA nuncupata non minori nobilitate clara refulſit, ſed hanc ipſam nobilitatem morum pietate & animi ſanctitate glorioſiſſimè illuſtravit ac decoravit. Quæ cum viro pudiciſſimè prout fert mundus vivens, non patiebatur bonorum operum exhibitione ſe imparem fore: ut dum B. Arnulfus Pontificali Cathedra ſublimatus eſt, ipſa etiam fervente in ea igne Spiritus-ſancti non ſolùm ſpirituali veſte & velamine induta eſt, verumetiam apud Treverenſes incluſione uſque ad diem mortis ſeſe retruſit atque relegavit.

* *Lege Paulum Diac. poſt Vitam S. Arnulfi Epiſc. ubi Aigulfus ſeu Agiulfus nepotem habuiſſe Arnoaldum, non Arnulfum leges.*

[a] Doda ejus mater piè moritur.

3. Igitur Chlodulfus venerabilis indolis puer, ut par erat, & ut nobilium filiis fieri ſolet, ſcholis traditur, & liberalibus litteris docendus exhibetur, proficiebátque ætate, nec minùs verò ſpiritualis doctrinæ affluentia. In quo parabatur etiam theſaurus deſiderabilis, qui requieſceret in ejus ore ſapienti: ſtudebántque pij & doctiſſimi magiſtri, ut eorum benigniſſimus auditor tempore præfinito effectus paterfamilias, ſciret & haberet unde proferret nova & vetera. Hic itaque liberaliſſimus puer à pueritia in adoleſcentiam juventutémque humanis diviniſque rebus & ſtudiis bene adultus proficiens, ſatagebat ſollertiſſimè Deo & omnibus bonis hominibus verbis & factis perfectiſſimis complacere: malis autem favere & eorum amicitiis vel ad modicum jungi ſic effugiebat & renitebatur, ſicut pravam vitam & mores imitari prorſus abhorrebat ac deſpiciebat. Erat ætate & ſapientia majoribus ſubditus, erat æqualibus æquus, erat minoribus benignus & mitis, & mirâ benevolentiâ ab omni ordine, ſexu & profeſſione dulciſſimè amabatur.

Chlodulfi educatio & virtutes.

Arnulfus ejus pater eligitur Mettenſium Epiſcopus. [b]

4. Cùm verò omnipotentis Dei antiqua pietas B. Arnulfi hujus B. Chlodulfi genitoris cor ad divina ſtudia & ad cæleſtia opera ſua inſpiratione intimè accendiſſet, & ferventiſſimè ardere coëgiſſet, actum eſt defuncto PAPULO Mettenſium Pontifice hunc eumdem B. Arnulfum ſumma inſtantia à Clero & plebe poſtulari: & tanta vis in poſtulando erat, ut THEODEBERTUS[b] Rex licet haberet hunc inter amicos amiciſſimum & inter conſecretales ſecretiſſimum,

[a] Leotarius, al. Deotarius Ariſidum vicum in finibus Ruthenorum olim ſitum, provinciæ Narbonenſi conterminum, conſtruxiſſe, ſeu in Epiſcopatum erexiſſe dicitur, ibíque à Fratre Aigulfo Mettenſium Epiſcopo ordinatus aſſeritur ab Antonio Dominicio in Ansberti famil. red. cap. 6. quod tamen à Ludovico Fabro pernegatur. Qui auctor in Diſquiſit. hiſt. de Lotharing. famil. etiam Firminum ex Epiſcoporum Ucecienſium (Ὑζές) catalogo expungens, ab Antonio mox laudato cap. 7. arguitur.

[b] Arnulfum Chlotharij permiſſu Epiſcopum creatum fuiſſe in ejus Vita ad ann. 640. diximus.

mum,

mum, esset etiam palatij rector, & audiendorum reddendorúmque consiliorum primus auditor & sapientissimus redditor; vicit tamen nobilissimæ plebis (ut ita dicam) admirabilis improbitas & inverecunda in rogando constantia, & B. Arnulfus eruditissimus Laicus & sanctissimus Major-domus derepentè Clericus factus, Cathedræ Pontificali votis omnium populorum felicissimè ad regendum est elevatus. AN. CHR. DC. XCVI. JUN. VIII.

5. Dum autem ordinationis tempus immineret, & fugæ latebrarúmque cunctarum desperatio jam facta fuisset, prædia & supellectiles multarum divitiarum, quas ditissimus possederat, honestissimè partitus, multa sanctæ matri Ecclesiæ contulit, plurima etiam duobus filiis suis CHLODULFO & Anchisæ[a] jure hereditario habenda dereliquit: qui paterna benedictione donati, in brevi locupletissimi efficiuntur; & totius patriæ principatum post Regem regio munere gloriosissimè assequuntur. Facultates filiis & pauperibus distribuit.

6. Sed beatus Pontifex vel quæ ex suo retinuerat, quæ etiam in archivis sanctæ Ecclesiæ sibi commissæ thesaurorum ac pecuniarum cuncta repererat, usibus pauperum distribuens, bonus fenerator dispersisset; multa necessitate coactus filios adiit, ut sui suisque misererentur humili prece supplex exposcit. Quia autem Dei providentia & inevitabilis prædestinatio Chlodulfum adhuc dulcissimæ juventutis flore vernantem suæ sanctæ Ecclesiæ præficiendum decreverat, & plebi Cleróque Mettensi ad regendum præficere disposuerat, res quas possidebat, & quas Deo & Christo ejus & filiis spiritualibus postea collaturus erat, ejusdem Dei & Domini nostri JESU-CHRISTI instinctu sibi retinuit, nec patri ex his quæ petierat multa contulit; verùm ad similes usus in posterum eroganda servavit. Chlodulfus erga pauperes parcus.

7. Anchises beati viri junior filius petitionibus Patris in cunctis libentissimè assentiens universa quæ habere videbatur voluntati ejus tradidit, & nihil de crastino cogitans pauperem Christum sequutus, ut haberet thesaurum in cælo, manibus patris cuncta quæ habebat vendere & dare pauperibus deliberavit. Quapropter ejusdem piissimi patris, beati videlicet Arnulfi magnificis benedictionibus ditatus, spirituali ac per hoc prophetali prævisione, quòd totam Franciam, immo totam Galliam sibi & filiis suis, & filiorum filiis per multas generationum successiones omnipotens Deus collaturus esset, audire prometuit. Quod & accidit, dum isdem Anchises sicut pater fuerat Major regiæ domus effectus, ejusdem officij successionem filio & pòst filij filio dereliquit. Jam enim PIPPINUS ex eodem ministerio in Regem totius Galliæ à B. Papa Stephano consecratus & benedictus, primus ex B. Arnulfi felicissima stirpe regalibus sceptris séque & succedentem prolem felici hospitio & beatis initiis decoram reddidit & honestam. Anchises munificus, de futura posterorum dignitate certior efficitur.

8. Sanè ut cœpta prosequar, B. Chlodulfus dum vixit in sæculo, vixit sine querela, quæ sibi fieri nolebat nulli faciens, quæ sibi fieri volebat proximo faciens, injuriam fratri non inferens, & illatam sibi patientissimè sufferens: fide perfectissimus, spe ad ulteriora & hæc Divina valde diffusus, dilectione Dei & proximi ferventissimus, visceribus pietatis ad dandas eleëmosynas plenissimus, animúmque & mentem in laicali proposito[b] positus sic informabat, quatinus dum postmodum Dei providentiâ aliis præesse cogeretur, ipse sibi priùs præesse & doctus doctrinæ officium quo subditorum mentibus erat infusurus assiduæ operationis studio instructus, & attritus semper doceret exemplo quos instruere compelleretur sermone. Chlodulfus virtutibus vacat.

9. Sic multorum annorum temporibus decurrentibus jã B. ARNULFO hujus sancti viri genitore post Episcopatûs dignitatem, post eremi dulcissimã solitudinem, ad cælestis patriæ æterna gaudia translato, jam B. GOËRICO successore ejus cælestium virtutum & omnium Sanctorum societati adjuncto, Domno etiam GODONE Episcopo ad æterna translato, jam tandem his in omnium virtutum gymnasio nobilissimè adsuetus, & bonæ actionis scholis decentissimè informatus atq; eruditus, qui interim aliis bene subesse noverat, ad Pontificiũ erectus deinceps subditis diligentissimè præesse & commissos honestissimè regere cœpit. Nam ut ordine rem referam, dum B. Godo Præsul ex hujus mortalitatis incolatu transisset, & Deo omnibúsque Sanctis felicissimè conjunctus esset; plebs & Clerus cœpit quærere precibus & vocibus Patrem atque Pastorem: rogabántque Regiam dignitatem, quòd B. Chlodulfum nobilitate & sanctitate insignem sibi dare dignaretur Antistitem. Nam multos ex genere ipsius generositate in tota Francia primos sanctitatis ac virtutum & miraculorum gloriâ celeberrimos, per multos annorum re- Sedi Mettensi præficitur.

a Ergo falluntur qui tertium fingunt Vvaltchisum, S. Vuandregisili patrem. Lege Vitam S. Vvandregisili suprà ad ann. 667.

b Hinc colligas Chlodulfum nusquam Monachum fuisse Eremitámve, sed ex Laicali vita ad Episcopalem Sedem adsumptum; aut certè id huic Auctori ignotum fuisse. De ejus uxore & liberis multi multa fabulãtur. Vvillelmus Malmesb. in l. 1. de Reg. Angl. c. 3. Chlodoaldo filiũ tribuit *Martinum* Ducem Austrasiorũ, qui in Austria cum Pippino Fratre patrueli dominatus, ab Ebroino interfectus est. Chlodoaldus velata uxore in Monasterium S. Maximini Trevirensis ante Episcopatum secessisse à nonnullis dicitur, aliis ex Eremita Episcopus factus creditur, quod asseritur in Martyrologio Benedictino. Desiderius Cadurcorum Episcopus Chlodulfum adhuc Laicum, & Sigiberti Austrasiorum Regis Domesticum in epistola quadam *Dominum illustrem & virum excellentissimum* appellat, hortatúrque *ut patris monitus & acta recordetur.*

AN. CHR. DC. XCVI. JUN. VIII. curſus huic ſanctæ civitati præfuiſſe & profuiſſe commemorabantur, & laudibus digniſſimis quibus viribus poterant ad æthera uſque efferebant. Regia verò majeſtas videns populi fidem ac devotionem, perpendens etiam virum ad hoc ſatis ingenuum, accerſitum ut curam regendarum animarum ſuſcipiat commonet, & utilitati Fratrum commoda adminiſtrare non denegaret, ex parte Dei & ex ſua auctoritate imperat. Ille reniti cupiens, ſed omnino non prævalens, baculum & officium Paſtoris ſuſcipit, & votis populorum Pontifex factus Cathedræ Sacerdotali ſuperſedere compellitur. Dantur voces in altum, laus, decus & honor Deo canitur, felicem ſe omnis ſexus & ordo profitetur, dum ſe Sanctis invicem ſuccedentibus animarum quotidiana lucra cumulantur, diaboli æterna detrimenta providentur & procurantur. Felicia tempora felicéſque dies ſibi affore plebs fidelis inclamat, & beatam ſe pro tanti Paſtoris ſucceſſione teſtatur, dum ejus pio exemplo ad bene agendum informatur, verbo & prædicatione eruditur, benedictionibus jocundatur, virtutum inſigniis roboratur.

Qualiter in Epiſcopatu ſe geſſerit. 10. Igitur beatus Chlodulfus ordinatus Pontifex, non immemor commiſſi officij cœpit circuire datum Epiſcopatum, ut quæ corrigenda erant corrigeret, & quæ confirmanda erant confirmaret, bona patrociniis & dignis favoribus attolleret, mala juſtâ cenſurâ reſecaret; ſícque Deo & Chriſto ejus annuente in brevi apicem perfectionis obtinuit, ut omnium bonorum feliciſſimo applauſu juſtus atque perfectus omnino diceretur & eſſet. Nam in laïcali propoſito conſtitutus dum viveret ſine querela & eſſet verus Dei cultor, haberétque pacem cum omnibus hominibus, neque defenderet ſe, ſed daret locum ſemper iræ, eſurientem & ſitientem inimicum cibans & potum dans, nec vellet umquam vinci à malo, ſed vincere ſemper in bono malum; poſtquam Pontificale conſcendit ſolium, hæc omnia parviſſima deputans, cœpit demum Chriſto Deo præſule novus homo fieri, & ex bonis ad meliora proficere: & qui in activæ vitæ palæſtra bene pugnare conſueverat, jam in contemplativæ vitæ dulcedine ſeipſum fortiſſimè atterens, orationum jugi inſtantia, lectionis & ſacræ meditationis continua vigilantia, noctu & interdiu, horis & momentis omnibus cælum depulſans, quia necdum corporis præſentia poterat, converſatione & morum probitate ac cupiditate avidiſſima in cæleſtibus habitabat. Et quia erat parentibus non ſolùm nobiliſſimis verùm etiam ſanctiſſimis procreatus, ſanctitatem quidem priorum imitari, nobilitatem verò carnalem virtute animi & mentis vigore ſuperare ac tranſcendere vivaciſſimè procurabat. Sícque Divino fretus auxilio ad Divina opera exſequenda ſeſe probabilimum * reddebat, ut non ſolùm ſibi prodeſſet, verùm ſubditis & cunctis ſe cernentibus ſpecimen pietatis effectus, imitabilem atque ſequendam vitam ſuam præſtaret. Quid ultra? Fide perfectus, ſpe credulus, caritate dulciſſimus, pietate inſignis, ſermone ad utilia promptiſſimus, ad vana dicenda rariſſimus vel etiam nullus, caſtitate continentiſſimus, eleëmoſynis largiſsimus, vitæ innocentiâ probatiſsimus, eratque Chriſti bonus odor in omni loco, cujus nomen erat diffuſum unguentum fragrans aromatibus & odoramentis optimis. Qui cum ſancta Eccleſia ſponſa ſponſi cæleſtis vere dicebat: *Trahe me poſtè, curremus in odorem unguentorum tuorum.*

* probabiliſſimum

Cant. 1.

Digreſſio de SS. Trudone & Remaclo. 11. Sanè ut dicta & præconia quæ de Sancto protulimus, vera eſſe comprobemus, geſta aliqua in medio deportabimus, ut ſapiens auditor ex parvis magna conjicere, & ex aliquibus bonis multa optima compenſare valeat. Igitur temporibus CHILDERICI Regis Francorum hoc eodem ſancto viro civitati Mettenſium præſidente, & ſuper cuſtodiam commiſſi gregis ferventiſſimè vigilante, erat in partibus Haſbaniæ vir magnæ nobilitatis & præcipuæ ſanctitatis TRUDO * nominatus, qui ab ipſis dulciſſimæ infantiæ piiſſimis rudimentis Deo omnipotenti, prout ferebat tenera ætas, ſervire incipiens, etiam paupertatis ſummus appetitor, facultates & poſſeſſiones, quibus ditiſſimè abundabat, Chriſto Deo tradere concupiſcebat, & eumdem Chriſtum Deum & Dominum noſtrum nudus nudum ſequi deſiderabat. Cujus benigniſſimo deſiderio & affectui juſtiſſimo Divina bonitas more conſueto ut affectum daret ilico affuit, & ordine quo dicemus, quod piè mente conceperat ut impleret, auxilium conſiliúmque contulit. Erat in Tungrenſi urbe REMACLIUS * digniſſimus Pontifex, cui hic iſte puer ſanctus Trudo dulciſſimo copulabatur affectu, cui etiam quod ei gratia Spiritus-ſancti inſpirare dignata eſt, & quia bonum heredem JESUM-CHRISTUM Dominum Dei filium habere deliberâſſet, cuncta ordine pandit &c.

* *Vita ad ann.* 698.

* *Vita ad ann.* 664.

Cetera quæ de B. Trudonis congreſſu cum S. Remaclo ſeu Remaclio, & de ejuſdem inſtitutione apud Mettas opidum facta hic inſeruntur, ex Vita ipſius S. Trudonis infrà ad ann. 698. *repetenda ſunt.*

Quid deinceps B. Trudo egerit, quanto animi fervore Monaſterium & reliqua Servorum Dei habitacula conſtruxerit, & ad Deo ſerviendum ſanctos viros aggregaverit, quíſque curſus vitæ ejus fuerit, quàm ſanctè, quàm juſtè, quàm piè dum vixit vixerit, qui noſſe deſiderat ad libellum * ſanctorum geſtorum ejus recurrat, & ibi cuncta honeſtiſſimè deſcripta reperit.

Clodulfus B. Arnulfi Vitâ deſcribi juſſit. 12. Nos verò quantulacumque ex Patris noſtri & Pontificis Chlodulfi geſtis ſcribere aggreſſi, quantæ humilitatis exſtiterit, quámque vile mancipium ſe ſe adjudicaverit, paucis referemus, & ad imitandum fidelibus Chriſtianis proponemus. Certè Vitam felicis Patroni

noſtri & Patris ſui, ſanctiſſimi videlicet Arnulfi, idem beatus Chlodulfus deſcribere fecit: in qua quid egerit, quid meruerit, quid adſecutus fuerit, quàm largus erga pauperes, quàm parcus ſibi, quàm devotus in omnibus Divinis cultibus exſtiterit, prout potuit ſcriptor deſcribere ſtuduit. AN. CHR. DC. XCVI. JUNII VIII.

13. Cui etiam libello hoc B. Chlodulfus inſerere juſſit, quòd tempore quodam dum in pauperum uſibus B. Arnulfus ſuæ vel quæ ſanctæ Eccleſiæ fuerant cuncta expendiſſet, hunc Chlodulfum primum adiit, & ut ſui pauperúmque Chriſti neceſſitatibus ſuccurreret multa prece depoſcit. Is verò denegavit vel juventute ſuadente, vel quod magis credibile eſt, Divina præſcientia id prævidente beatum Chlodulfum ad ſimiles uſus natum & prædeſtinatum, videlicet eidem ſanctæ Eccleſiæ poſtmodum præferendum, & quæ paraviſſet itidem Chriſti pauperibus, viduis & orphanis & peregrinis ac Deo ſervientibus diſtributurum. Quis niſi eſſet mirifica humilitate virtutis præditus & niſi vituperatione hominum magis gauderet quàm delectaretur popularibus extolli favoribus, non ſolùm non juberet, verùm ne de ſe talia ſcriberentur ſummo conamine inhiberet? Quid de ſeipſo Vitæ B. Arnulfi adjici voluerit.

14. Nam factus Epiſcopus quanta eleëmoſynarum largitate, quanto pietatis opere erga indigenas & advenas ſine aliqua perſonarum acceptione effluxerit, dum ipſe ſecretiſſimum eſſe omnino orabat; omnis ordo, cunctus ſexus, omníſque profeſſio paſſim reſonabat. O quanta ſollicitudo, quanta cura, quantúmque deſiderium viro huic ſanctiſſimo inerat creditis ovibus divina & humana domi foríſque, noctu & interdiu, utilia ſubminiſtrare, & morum ac corporum infirmitatibus dulciſſimè continuéque adeſſe, illud implens: Omni petenti da, & conclude eleëmoſynam in ſinu pauperis & ipſe orabit pro te. Nam ut aqua ignem, ſic eleëmoſyna exſtinguit peccatum. Eleëmoſynis vacat. *Eccl.* 29.

15. Nam quod rarum eſt, in reſecandiis vitiis ſeveritas & pietas in mentis ejus ſacratio eo pacis amore inter ſe confœderebantur, ut proteſtatur Pſalmiſta Rex & Propheta David in mentibus Sanctorum obviare ſibi miſericordiam & veritatem, & oſculari pacem & juſtitiam. Quæ ſubditos verbo docebat, operis exhibitione prius implere ſtudebat, imitans illum de quo Scriptura teſtatur, quia cœpit, inquiens, JESUS facere & docere. Gaudebat cum gaudentibus, flebat cum flentibus. Non alta ſapiebat, ſed humilibus conſentiebat. Quæ ſunt Cæſaris Cæſari, & quæ ſunt Dei Deo reddebat. Dum regalia negotia & palatinas curas cum fratre Anchiſe prævidens & procurans animarum commiſſarum & gregis commiſſi, ad celebrandas vigilias intentiſſimus, & utrarumque rerum peritiſſimus, ſic hoc officium implebat, acſi de altero ad eum nihil attineret. Felices dies, felicia tempora quæ tanto Paſtore gubernari diſponíque meruerunt! Felix populus qui hujus inſtitutis & monitis ad cælicas aulas in dies plus plúſque provehebatur! Aliæ ejus virtutes. *Pſal.* 84.16 *Act.* 1.

16. His igitur hujuſmodíque gymnaſiis cæleſtíque palæſtra per multa annorum curricula Deo omnipotenti deſerviens, tactus infirmitatis moleſtiâ ad diem pervenit ultimum. Et licet corpus languoris moleſtia graviſſimè premeretur, ſpiritus tamen Deo & Creatori ſuo ad id bene doctus & inſtitutus ſervire non deſiſtebat. Oculi cælo ſemper & cæleſtibus intenti, manus itidem ad Deum & ad divina continuè erectæ, mens & vox precibus quibus poterat animam ſuam Angelis & Archangelis & omnium Sanctorum agminibus, ut ſibi ſuffragio eſſent, ſtudioſiſſimè invitabat. Animâ ſiquidem viri ſanctiſſimi ad æterna gaudia & ad ſempiterna præmia perveniente & ſpiritu ejus ſummis ſpiritibus conſociato, diſcipulorum mæſta & luctuoſa turba, quæ non ſolùm ex tota urbe, verùm ex agris villiſque clamoſis vocibus undecumque irruperat, corpori ſanctiſſimo debitas excubias exſolvunt, feretróque impoſitum ad Eccleſiam quæ antea ad ſanctos Apoſtolos dicebatur, nunc autem jam ſancti Arnulfi ſanctiſſimo corpore inſignis, ad S. Arnulfum vocatur, intra Meridiem & Orientem ſitam deferunt, & ut devotiùs poterant ſepulturæ tradunt[a], & per dies triginta animam ſpiritumque ejus Miſſarum ſollemniis, orationibus continuis, vigiliis & pſalmodiis continuis fideliſſimus populus Deo omnipotenti commendare ſtuduit. Ægrotans, Deo vacat. Moritur ac ſepelitur. Tricenario Miſſarum numero commendatur Deo.

17. Quia autem plenus dierum virtutum atque ſanctitate fuerit, & quia non ſit revocatus in dimidio dierum ſuorum, hinc liquidò clareſcit, dum recurrentes ad Mettenſium Pontificum catalogum invenimus B. ARNULFUM jam in perfecta ætate promotum votis populorum ad Epiſcopatum magis raptum quàm electum, in quo ſedit annis quindecim; cui ſuccedens ſanctus GOERICUS rexit Eccleſiam annis ſeptemdecim, cui item venerabilis GODO ſubſequutus regimen Præſulatûs adminiſtravit annis octo: huic verò is de quo inpræſentiarum nobis ſermo Succeſſio Epiſcoporũ Mettenſiũ & S. Chlodulfi ætas.

[a] Anno ſcil. DC. XCVI. quod ex epocha mortis S. Arnulfi ad ann. 640. ſuperiùs ſtabilita, & ex ſequentibus colligere licet. Dies obitus VI. Idus Junij in pleriſque Martyrologiis notatur, Tranſlatio verò VIII. Idus Septemb. facta dicitur ab Udelrico Remorum Epiſcopo quando Adalberonis Mettenſis Pontificis permiſſu S. Chlodulfi corpus in Monaſterium Layenſe, *Lay*, diœceſis Mettenſis in pago Calvomontenſi prope Nanceium anno DCCCC. LIX. delatum eſt, ubi hodie quoque religiosè colitur, caput verò in Monaſterio S. Arnulfi apud Mettas opidum adſervatur. Eum fuiſſe etiam Archiepiſcopum Trevirenſem nonnulli aſſerunt. Id dubium eſſe conſtat ex iis quæ ad Vitam S. Gertrudis Virg. ad ann. 652. diximus.

AN. CHR. DC. XCVI. JUNII VIII. est CHLODULFUS beatissimus successit, & insulâ Sacerdotij felicissimè dum adornatur, adornans rexit Ecclesiam annis quadraginta duobus. Poterat autem esse annorum triginta, dum pater ejus Domnus Arnulfus ad Pontificium sublimatus est: Sicque hinc inde colligentes æstimamus dies ejusdem Domni Chlodulfi Pontificis venerandi centum fuisse annorum[a]; gratias agentes Deo Patri & Filio & Spiritui-sancto viventi & regnanti ante omnia tempora & nunc & in omnia futura sæcula sæculorum. Amen.

a Immo si valeret hujus Auctoris calculus, Chlodulfus annos centum ac duodecim excessisse dicendus esset.

AN. CHR. DC. XCVIII. FEBR. IX.

VITA S. ANSBERTI EPISCOPI ROTOMAGENSIS.

Auctore AIGRADO Monacho Fontanellensi, fere æquali.

Ex Surio, Bollando & codd. Mss.

OBSERVATIO PRÆVIA.

ANSBERTVS ex Abbate Fontanellensi tertio Rotomagensis Antistes sanctissimus, (alius ab S. ANSBERTO *S. Ebrulfi Vticensis Abbatis discipulo, & ab* ANSBERTO, *si quis est, Abbate Moisacensi) Vitæ scriptorem habuit antiquissimum ac fere æqualem, uti apparet ex Chron. Fontanell. cap.* 15. *ubi* HARDUINUS *Monachus anno* DCCC. XI. *mortuus* librum Vitæ S. Ansberti proprio sudore *seu propria manu* conscriptum *reliquisse dicitur. Auctor* AIGRADUS *seu* AIGARDUS, *quem alij* Ansgardum Ansgradúmve *appellant, opus suum nuncupat* HILTBERTO *post Ansbertum Fontanellæ Abbati, qui ex ejusdem Chron. cap.* 2. anno septimo Hildeberti Regis, *Christi* DCCII. *S. Bainum successorem habuit, in Appendice Martyrologij Gallicani Sanctorum numero adscriptus: tametsi ejus festum diem nusquam receptum legamus apud Fontanellenses, qui nihilominus ejus ossa religiosè adservant. Aigradi lucubratio eruditis videtur locis aliquot interpolata, nempe ubi designantur anni Æræ Christianæ, qui calculi modus Aigradi tempore nondum in Gallia usum obtinebat. Certè clades Provinciæ ab Agarenis illata, quæ num.* 15. *indicatur, contigit anno circà* DCC. XXXVII. *quo Hiltbertus Abbas jamdudum è vivis excesserat. Denique Vita ipsa politior eruditiórque videtur Prologo Vitæ præmisso, qui crassa ac rudi minerva constat. Est autem* Ansbertus *nomen ex* Anse & Berto *compositum, quorum alterum* Semideum *vel* Heroem, *alterum* clarum splendidúmque *Germanorum linguâ significat, ut Hadrianus Valesius in Rer. Franc. lib.* 18. *adnotavit. De Monasterio Fontanellensi plura in Actis S. Vuandregisili ad ann. 667.*

PROLOGUS AIGRADI AD HILTBERTUM ABB.

1. *VENERANDO & omni honore amplectendo eximio Sacerdoti Christi* HILTBERTO *Abbati Cœnobij Fontanellensis minimus famulorum Domini servus* AIGRADUS * Largiente Divinâ misericordiâ narrare aggredimur actus eximiæ sanctitatis ANSBERTI Pontificis Ecclesiæ Rotomagensis, implendo humiliter vestræ devotionis jussionem. Sed duas ob causas in tali præcipuo opere valde coartor, hinc me retrahente exiguitate sensûs ac vilitate sermonis, hinc provocante vestræ jocundæ Paternitatis præcepto, cui inobedientes exsistere nefas ducimus. Eâ tamen fide quâ ad nos claræ conversationis ejus actus pervenerunt, ipsius interceſſionibus adjuvantibus, licet inerudito, fideli tamen promemus eloquio. Etenim ut Angelus inquit Tobiæ, Secreta Regis reticere bonum est, opera autem Dei revelare optimum fore* constat. Nam gesta Electorum Domini silentio tegere, & non ad utilitatem atque ad ædificationem audientium in lucem scriptis propalare, summi torporis & ignaviæ esse creditur. In gestis enim Sanctorum laus illius recolitur, & ædificatio innocentis desiderij in mentibus accenditur fidelium populorum. Sed ne longa præ-

* *al.* Aigardus.

Tob. 12. 7.

* esse

locutio faſtidium legentibus generet, magiſque parva audientibus narratio fervorem excitet audiendi, juſſis obtemperans veſtris, Deo juvante narrandi carpamus iter. Nam ſi adeſſet mihi ſerenæ mentis facundia, & famulatu idoneo lingua pareret, laus converſationis ejus & ſanctitatis ejus eloquiis meis proferri non poterit, quæ in veſtræ religionis memoria manet. AN. CHR. DC. XCVIII. FEBR. IX.

INCIPIT VITA.

Anſbertus nobilis Neuſtraſius.

2 EO igitur tempore quo ſceptra Regni Francorũ gubernabat HLOTHARIUS filius HLODOVEI Regis & Balthildæ Reginæ unà cum germanis ſuis, videlicet HILDERICO & THEODERICO, ſanctæ recordationis Eccleſiæ Rotomagenſis Antiſtes ANSBERTUS virtutibus clarus, ac Sacerdotio dignus, à patre nomine SIWINO, & pago Wilcaſſino, patrimonióque vocabulo Calcegio [a], nobili erat ortus genere. Sed repudiato ſtemmate patrum, mox ut valuit, ſola Conditoris paternitate elegit cenſeri. Denique præfatus genitor ipſius ſub prædictis Regibus militavit, & poſt vitæ præſentis tramitem cunctis mortalibus commune debitum ſolvit. Sed hanc terrenæ dignitatis originem & patrum gloriam in beato viro non neceſſe remur enumerare, cùm omnis ei gloria de amore veritatis & contemptu fuerit mundi. Nam nobilitatem ſui generis in pueritiæ ævo jam quaſi faſtidiens, & ſolius Chriſti deſiderio anhelans, cunctos ſupervacuos horrebat honores.

Litteris imbuitur.

3. Traditur deinde à parentibus magiſtris ſtrenuis, ſacris litteris erudiendus. Eruditur ſine aliqua ſuorum inſtantia: fuerat namque in eo dulcis infantia, modeſta pueritia, gravis adoleſcentia. Qui cùm adultus pubertatis excederet annos, ſæcularis ejus pater ut unicum eum diligens, venatibus eum occupari, & dulcedine ſæculi armari cupiebat. Sed quo oblectabatur grandævus pater, adoleſcens filius per cuncta faſtidiebat.

Angadriſma ipſi deſponſata, leprâ fœdatur. * *de ea infrà*

4. His diebus quidam illuſtris, ROTBERTUS nomine, generoſa ex ſtirpe proditus, Gerulus fuerat annuli Regis Hlotharij. Cujus filiam religioſiſſimam ac nobiliſſimam ANGADRISMAM* nomine prædictus illuſtris Siwinus à præfato inclyto Rotberto expetiit, volens eam ſuo juveni filio Anſberto ſociare. Nec mora, præbens aſſenſum ejus petitioni prædictus illuſtris Rotbertus, conſtituta die, à caſto juvene caſta deſpondetur & puella. Denique ambo integritatem mentis & corporis caſtè ſervare cupientes, omnipotentem deprecabantur Dominum, ut voluptatum venena à cordibus eorum dignaretur repellere. Deinde orante B. Angadriſma virgine ut ſpecioſitas illius in deformitatem verteretur, ilicò Dominus preces ejus exaudivit. Nam facies illius ita exulcerata ac immundiſſimâ leprâ cooperta mox apparuit, ut à conſortiis hominum, quicumque eam vidiſſet, extemplò ſegregandam decerneret. Medicorum deinde concurrit frequentia juſſu genitoris, ut ſoboli caræ ſi quiviſſent opitulari medelis collatis, præmiis dignis munerarentur. Sed quanto inſtantiùs huic operi inſiſtebant, tanto Chriſti ſponſa deformior ulceroſiórque apparebat.

Sponſalibus reſciſſis velata ſanatur.

5. Tum Pater divinitùs circa ſuam ſobolem hoc fieri intelligens, inquirebat ab ea, utrùm in virginitatis voto vitam elegiſſet definire. Opto, inquit, mi genitor, & totis niſibus exoro Altiſſimi pietatem, ut continentiæ & pudicitiæ, non effrenatæ luxuriæ effici merear famula. Nam Chriſtus quem concupivi ſponſum, ipſe mihi hanc corporis infert moleſtiam, ut animæ tribuat nitorem: qui mihi cuſtos erit perpetuus, & in virginitatis propoſito concedet perſeverare perenniter. Delectat hæc vita præſens, pater pie, ſed decipit: quia omne quod in mundo eſt, vanitas eſt & concupiſcentia oculorum: & mundus tranſit, & concupiſcentia ejus. Qui autem fecerit voluntatem Dei, manet in æternum: ſicut

[a] Calcegium *aliis* Calceium, *Chauſy*, vicus ad Ittam ſeu Eptam amnem in pago Vvilcaſſino ſeu Velocaſſino *le Vexin*, Metropoli Rotomagenſi attributo.

AN. CHR. DCXCVIII. FEBR. IX.

& Dominus manet in æternum. Hæc audiens Pater, illustrem accersivit Siwinum, & quæ circa præfatam suam filiam gesta erant, lucidè pandit. Ad hæc Siwinus respondit: Voluntatem Domini in omnibus sequi oportet, neque ejus nutui ullo modo contraïre velle: cujus judicia licet sint occulta, semper tamen justa. Vocatus quoque affuit & B. Ansbertus; ubi dissociabilem illi condit libellum, ut sancta virgo Angadrisma, non sua, sed Christi vocaretur sponsa. Hoc facto, ad Rotomagum urbem sancto Antistiti dirigitur AUDOENO, ut ejus benedictione percepta, & sacro velamine operta, in virginitatis proposito consecrari mereretur. Quo patrato, pristinæ pulchritudini & speciei eleganti extemplò est reddita, itaut cuncti auditorum dicerent, quia eam Christus sibi sponsam & famulam elegisset perennem.

Fit Abbatissa. * *Oroer*

6. Sequenti tempore sancta gubernatrix efficitur Cœnobij Oratorij * quod est situm in pago Belloacensi, prope muros urbis Belloacus. Genitor quoque hujus sanctæ virginis illustris ROTBERTUS & frater ejus ALTBERTUS, avunculi erant sancti Patris LANTBERTI successoris in ordine regiminis B. Wandregisili, originem ducentes ex territorio Tarvennico. Ex quibus præfatus Altbertus sub prædicto Abbate Lantberto sequenti tempore in Fontanella Monasterio Monachus efficitur.

Lantberti Abb consanguinea.

Ansbertus Cancellarius in aula piè vivit.

7. Post hæc vir Domini Ansbertus in aulam Regis, licet nolens à genitore perductus, sicut erat acumine ingenij clarus, cœpit esse aulicus scriba doctus, conditórque regalium Privilegiorum, & Gerulus annuli regalis quo eadem signabantur Privilegia. Ubi positus, piæ doctrinæ atque humilitatis exemplis ad Dominum se convertens, sæculum relinquere, & ad Monasteria declinare curabat. Atque ita in laico adhuc habitu constitutus, prædicatione sancta & sapientiæ doctrina plures exhortando, invitabat ad præmia felicitatis æternæ, ac sic quotidie in Domino proficiens atque succrescens, gratiam sibi à Christo collatam augmentare curabat. Cùm verò coram Rege, & Principibus consueto more diversa musicæ artis instrumenta in chordis & tibiis audiret personantia, aiebat sibi: O bone Conditor, quale erit te diligentibus canticum indeficiens in cælestibus audire Angelorum, quámque suave ac delectabile Sanctorum choris concinentibus & laudes tibi Creatori indeficienter personantibus, si tantam mortalibus præbes industriam, ut peritiâ artis ac suavitate cantilenæ provocent animos audientium, ut te Deum creatorem omnium devotè collaudent! Addebatque: Laudate Dominum omnes Fideles in tympano & choro, laudate eum in chordis & organo, &c. usque ad finem Psalmi.

Luc. 14. 33. Fontanellam clam fecedit.

8. Denique in aula Regis manens, etiam Evangelij non immemor quod ait, nisi quis reliquerit omnia, non potest meus esse discipulus; Deo providente & sibi inspirante, elegit militiam relinquere terrenam, & cælesti Regi militare. Tunc igne Divini amoris accensus ac sancti Spiritus lumine perfusus, à palatio egressus, nullique sodalium ac sibi famulantium confiteri volens suam voluntatem, arripuit iter quod ad provinciam ducit Rotomagensem; pervenítque ad Fontanellam Cœnobium, situm in territorio Rotomagensi, super magnum fluvium Sequanæ, ubi Sacerdos Domini magnus WANDREGISILUS Monasterium construxerat, atque cum magna Monachorum cohorte sub sanctæ Regulæ jugo laudabilem ducebat vitam. Cùm verò in eodem Monasterio, jubente viro sancto secundùm ordinem Monasticum in hospitio fuisset receptus, cœpit ministrum humiliter implorare, quatenus sanctum Monasterij Patrem mereretur videre. Et cùm ministri pio Patri imperata nuntiâssent, tandem præfatum elegantem juvenem in præsentiam sui adduci jussit. Tum humi prostratus, Christúmque in tanto Patre manentem humiliter adorans, postulabat ab eo Monachum se fieri. Nam corpore & mente sæculo se renuntiaturũ aiebat, comámque sibi capitis in Christi amore ut juberet deponi, summisè flagitabat. Audiens autem venerandus Pater sanctam & Deo dignam ejus postulationem, inducias consulendi super hoc dicebat habere se velle, ut sicut Apostolica & Monastica

S. Bened. Regula c. 59.

docet Regula, sciret ad quid venerat. Quibus expletis, spiritalium Fratrum consulta suscipiens inclytus Pater, pia ejus vota veluti postulaverat impleverunt, Clericatúsque habitu decorabilem reddiderunt. AN. CHR. DC XCVIII. FEBR. IX.

9. Sícque ex eo tempore cœpit ipse vir Dei amore sanctarum Scripturarum legendo fervere, assiduéque dulcissimos earum fructus intelligendo carpere. Cúmque acumen ingenij in præfato juvene B. Pater Wandregisilus pollere perviderét, diversorum voluminum copiam concitè ei tribui jussit. Quæ cùm sedulò legendo percurreret, cujusdam sancti Patris * sententiam reperit scriptam, continentem hunc modum: Monachus vivat in monasterio sub unius disciplina Patris consortióque multorum, ut ab uno discat humilitatem, ab alio patientiam. Hæc & cetera legendo percurrens, oculósque lacrymarum imbre perfundens, tractare attentissimè cœpit, qualiter hæc operando valeret implere. Primò quidem omnium virtutum humilitatem in corde suo studuit fundamentum jacere, imitans illum qui ait: *Discite à me, quia mitis sum & humilis corde.* Et ita Christi jugo suavi & oneri ejus levi devota submittens colla, factus est in cœtu Monachorum cunctis humilior, omnibúsque obediens, vigiliis frequens, orationibus strenuus, spiritu fervens, spe gaudens, Domino sine intermissione serviens: cui etiam data erat ex compunctione cordis per infusionem Spiritus-sancti effusio lacrymarum. Lectioni sacræ & virtutibus dat operã.

* *Hieron. Epist. ad Rustic. de Monastica Vita.*

10. Et cùm ante vigiliarum horas consurgens, precibus devotis incumbens lassescéret, signo tacto ad excitandos Fratres, quò laudes Domini decantarent, in conventu orationis prior omnibus se præsentabat, in hoc etiam, sicut & in ceteris actibus imitabilem Monachis viam demonstrans: itaut vir Dei qui regimini præerat loci, multos objurgando corriperet, & eorum pusillanimitatem redargueret, pro eo quòd præfatus juvenis nuper conversus, in Dei opere & observatione legis eos præveniret. Et cœpit eum cariùs diligere, sicut Monastica docet Norma, nitore religionis pollentem omnimodis diligendum [a]. Quadam namque die in conventu omnium Monachorum præclarum Domini Sacerdotem Wandregisilum humiliter exorabat, ut licitum sibi foret in opere manuum quotidiano cum licentia Patris extra solitum Fratrum opus insistere, ut sua mortificaret membra, quæ erant sibi obstantia super terram. Hæc eo implorante, gratias omnipotenti Deo Fratres agentes, admirabantur super ejus Deo digna devotione. Cúmque à Patre spiritali quod petierat sibi indultum gauderet, cœpit postulata cum magna implere devotione. Fervens ad opus Dei & ad laborem manuum.

11. Quo tempore à climate meridiano, distantem à præfato Cœnobio passus fere quingentos, hortatu ejusdem viri Dei, B. Wandregisilus vineam plantare & excolere cœpit. Quo in loco præfatus vir Domini Ansbertus, dum unà cum Fratribus operaretur, THEODERICUS adolescens, futurus Rex, venatibus (ut sibi gentilicium erat) insistens, ad præfatum Dei hominem accessit, quia noverat eum prudentem doctrina, humilem cultu, sanctissimum imitatione. Nam à sancto Pontifice Audoëno Rotomagensis Ecclesiæ jam fuerat Presbyter consecratus. Quem isdem homo Christi & sancta benedictione munivit, & Sacerdotali auctoritate de plurimis sanctæ doctrinæ hortamentis instruxit, insuper & Regem eum futurum esse prædixit. Quo negante minimè id futurum fore, respondit vir Dei: Scias, quia honore Regni sublimaberis: sed noveris multa te adversa passurum, sícque laboriosissimè triumphum de hostibus tuis adepturum. Quod postea rei probavit eventus. Ad hæc adolescens intulit Theodericus: Si pia omnipotentis Dei ordinatio me in culmine dominantem constituerit Regni, opto te dignum Deo fieri Antistitem, ut per tuam sanctam doctrinam crescat Ecclesia Fidelium. Cúmque Sacerdos Domini indignum se tanto onere ferendo diceret, ipsúmque ex successione hereditaria Regni fastigia am- Vineam excolit Sacerdos.

[a] Nempe Regula S. Benedicti, qui in cap. 2. Abbati præscribit, ut nullum Monachorum plus amet quàm alium, *nisi quem in bonis actibus invenerit meliorem.* Hinc vides Monasticæ Regulæ nomine hîc uti & suprà cap. 8. Benedictinam intelligi: quod argumento est eam solam tum receptam, vel certè aliis prælatam fuisse.

AN. CHR. DC. XCVIII. FEBR. IX.

pliùs conſcendere debere intimaret, & ille adhuc dubitans permaneret, adjecit vir ſanctus: In hoc te noveris meis fidem accommodandam verbis, ſi hodie hiemali tempore locus, in quo tabernaculum iſtud conſiſtit, qui nunc tritus ob veſtigia calcantium videtur, viridem produxerit herbam, ſícque juxtà veſtigia ejuſdem tentorij, ceteris agri partibus viridior maneat in ævum. Quod ita ſecundùm ſermonem hominis Dei eveniſſe, omnibus illò adventantibus indicium eſt, itaut uſque hodie locus ille viridior reliqua agri parte appareat in modum tentorij ibi quondam fixi, ſive hiemali, ſive æſtivo tempore. O magna & inclyta iſtius Sancti gloria, cujus laudabile meritum tali voluit omnipotens ſigno demonſtrare, ut qui veluti palma in domo Chriſti florebat, tali præſagio virtutis manifeſtaretur in populis.

Laborem meditatione condit.

12. Et cùm prædictus vir Dei ab opere manuum paullulùm vacaſſet, parviſſimo refocillatus ſomno, rurſum meditationi divinæ omni conatu erat inſiſtens. Cúmque tantæ humilitatis atque obedientiæ ſeu devotionis lumine radiaret, veræ caritatis fervor omnium circa illum corda inflammaverat, ut miro à cunctis veneraretur affectu. Ipſe verò ſemper ardens deſidério futuræ gloriæ, indeficiens erat in opere Domini.

A Wandregiſilo poſt Lantbertũ Abbas deſignatur.

13. Ergo operæpretium eſt nunc narrare, qualiter vir ſanctus in regiminis locum ſubrogatus & conſtitutus ſit. Denique cum inclytus Domini Sacerdos Wandregiſilus per viginti ferè annorum ſpatia hoc Cœnobium à primo ædificationis die in regimine tenuiſſet, jámque foret in decrepita ætate poſitus, interrogat eum ante tranſitûs ſui ex hac vita diem lacrymabili voce univerſum agmen Monachorum, quem ex ſemetipſis eligerent Rectorem. Quibus fertur tale reddidiſſe eloquium: Duo ſunt in præſentia noſtra cariſſimi filij mei: hos ſubrogate Rectores, meúmque fragilem receſſum precibus veſtris protegite, atque mearum admonitionum ſemper mementote. Chriſto, ſummo Paſtori veſtri hodie curam committo, qui vos uſque in finem perenni tutela conſervet. Quo in cæleſtis regni ſocietatem ab Angelicis choris ſuſcepto, omnis caterva Monachorum, Chriſti Domini exorat pietatem, triduanum celebrans jejunium. Quo expleto, jubente Deo elegit famulum Domini LANTBERTUM, religione præclarum & genere nobilem, ex territorio Tarvennenſi ortum: cujus genitor ERLEBERTUS vocabatur, qui plurima prædia prædicto loco Fontanellenſi in eadem Tarvennenſi regione felici munere largitus eſt.

Lantbertus conſilio Ansberti utitur.

14. Erat autem iſdem venerandus Pater Lantbertus caritate plenus, pudicitiâ ſupereminens, fide firmus, conſiliis providus, in bonitate laudabilis, in colloquiis affabilis, vultu & ſtatura decorus, venerandus omnibus, & in Chriſti religione fervens. Et inſpirante gratia divinæ caritatis, beatum Chriſti famulum Anſbertum iſdem venerabilis Pater venerabatur ut patrem, diligebat ut filium: erátque eis in Domino cor unum, & anima una. Is autem qui regiminis ſuſceperat curam, ad conſulta ſancti Patris Anſberti, in tractando grege Domini ſecundum normam ſanctorum Patrum ſtrenuè cuncta atque inreprehenſibiliter gerebat. Quorum exemplis piæ actionis ac verborum ſedulis exhortationibus plurimi excitati, carpebant itinera ſanctæ converſationis.

Monaſterium in Provincia erigit.

* *la Provence*

15. Huic venerando Patri Lantberto THEODERICUS Rex, filius Hludovij regis & Balthildæ Reginæ, largitus eſt patrimonium aliquod, cujus eſt vocabulum Duſera, quod ſitum erat ultra fluvium Rhodanum in regione quæ propriè vocatur Provincia*, eo videlicet modo ut hoc prædium Monachis in Cœnobio Fontanellæ morantibus luminaria miniſtraret Eccleſiæ, in oleo & ceteris hujus rei neceſſariis. In quo loco prædictus Pater egregium condidit Cœnobium Monachorum, directis ex Cœnobio Fontanella Monachis, qui illud laudabile opus diligenter exſecuti ſunt: & de prædio parvo magnum hactenus exſtat Monaſterium Monachorum, & in illa regione ab aliis præcipuum. Quod per multa annorum curricula ditioni præfati Monaſterij Fontanellenſis ſubjectum erat, donec diviſione Regni, & diſcordiâ Principum, & diſcurſione nefandæ gentis Agarenorum,

renorum, cum aliis venerabilibus locis aliquo tempore depopulatum, finem ſubjectionis fecit. AN. CHR. DC. XCVIII. FEBR. IX.

16. Sub hujus etiam regimine B. ERMELANDUS *, ex prædicto Monaſterio Fontanella, rogante venerabili Pontifice PASCHARIO Namnetenſis urbis in eamdem regionem Namnetenſem ab ipſo Patre Lantberto directus, in quadam inſula alvei Ligeris, quæ vocabatur Antrum, juxta nominis ejuſdem proprietatem Monachorum venerabile ædificavit Cœnobium. In cujus largitione prædictus Antiſtes Paſcharius ſtatuit, ut poſt deceſſum ejuſdem venerandi Patris Ermelandi, ex Monaſterio Fontanella per cuncta ſuccedentia tempora ſibi inſtituant Rectores, univerſi præfati loci habitatores: veluti largitiones ejuſdem loci quæ adhuc in præfato Monaſterio Fontanella ſervantur, apertiſſimè declarant. Aliud in Britannia per Ermelandum. * *Acta Sæculo ſequenti.*

17. Prædicto etiam Patre Lantberto regimen loci tenente, B. Chriſti Pontifex EREMBERTUS Toloſæ urbis & ſanctus Preſbyter CONDEDUS * & Anachoreta, genere Britto, in prædicto Monaſterio Fontanella Monachicum Deo dignum & nomen aſſumpſerunt & habitum. Plurima enim de tanto Patre, niſi ad alia feſtinaremus, Deo digna & loco utilia, per eum & ſub ejus regimine geſta dici poterant, quæ in ejus Geſtis olim pleniùs memoriæ tradidimus [a] poſteris intimanda. Erembertus & Condedum ſuſcipit. * *Acta utriuſque ſuprà.* a

18. Quo verò ordine in Lugduno, celeberrima urbe Galliæ, Pontifex ſit ſubrogatus, brevi ſermone narrabimus. Defuncto igitur ſancto GENESIO [b] Præſule ejuſdem urbis, cujus Deo dignam vitam laudabilia commendant geſta, ilicò pius rex Theodericus & inclytus Princeps Pippinus Anſegiſi filius, conſobrinus videlicet Patris Wandregiſili, cum Proceribus palatij ſalubre agentes conſilium, Divina providente juſſione, in præfata urbe cum unanimo ejuſdem regionis populi voto, ejuſdem urbis eum conſtituerunt Antiſtitem. Sed cùm diu humilitate nimia renitens nollet ſuſcipere, regali juſſione & Sacerdotali electione compulſus, præfatæ Metropoleos urbis ordinatur Pontifex. Sícque ad eamdem provinciam cum honore Sacerdotij ſui condigno directus, humilitatis ac ſanctæ prædicationis piéque actionis exemplis gregem Chriſti ſedulo moderamine inreprehenſibiliter rexit: ibíque à Domino vocatus, vinculis terrenæ corruptionis exutus, ad ſupernæ civitatis gaudia feliciter migravit. Ordinatur Antiſtes Lugduni. b

19. In prædicto verò Cœnobio Fontanella poſt receſſum ejuſdem ſancti Pontificis Lantberti, Divino nutu juvante, unanimes ejuſdem congregationis Monachi B. Anſbertum ſibi elegerunt præeſſe Rectorem. Ipſe autem poſt ſuſceptam regiminis curam, aſſiduè meditabatur, quale ſuſceperat onus, videlicet commiſſi à Domino gregis regere animas, & multorum ſervire moribus. Et quia erat apprimè ſanctarum Scripturarum ſcientiâ imbutus, commiſſo ſibi gregi indeſinenter erogabat pabula æternæ viriditatis, verbis & actibus itinera monſtrans ſanctæ converſationis. Erat enim ſicut ceteris prælatus, ita cunctis humilior. In veſtitu vilis, in cibo mediocris: abſtinentiæ jugi deditus, pudicitiâ ornatiſſimus, hilaritate cordis & corporis clarus, patientiæ virtute ac caritatis obſequio, eleëmoſynarúmque largitionibus abundantiſſimè cumulatus. His virtutum ſanctarum operibus adornatus, in medio Fratrum veluti lampas refulgebat accenſa. Quadam namque die, cùm more ſolito edicta legis Divinæ in conventu omnium recitaret, ita affluentia eloquiorum illius nimio caritatis ardore reddita ſunt audientium corda flammivoma, ut plurimi ex illis ad lacrymas Ansbertus Abbas eximius poſt cum. *S. Bened. Reg. c. 2.*

a Hinc intelligas, Acta S. Lantberti ab iſtius Vitæ Auctore fuiſſe exarata: quæ diligenter perquiſita exciſſe didicimus ac dolemus. Eadem Lantberti Geſta item in Chron. Fontanell. cap. 9. citantur.

b Abbas fuit ante Pontificatum S. Geneſius, non Fontanellenſis, ut quidam fingunt, ſed Palatinus aut Caſtrenſis, ut in Vita S. Balthildis ſuprà ad ann. 680. vidimus. Auctor Vitæ S. Condedi cap. 8. annum ſeptimum regni Theodorici comparat cum anno ſecundo Ansberti in regimine Fontanellenſi. Ut proinde Lantbertus anno quinto Theodorici principatûs, Chriſti DC. LXXVIII. Geneſio ſucceſſiſſe dicendus ſit. Ejus feſtivitas in vetuſto Breviario Fontanellenſi rubeis litteris exprimitur XVIII. Kalend. Maij, quo die in Martyrologiis recentioribus recolitur.

AN. CHR. DC XCVIII. FEBR. IX.

compulsi, immensas cunctipotenti Deo gratias redderent, dicentes: Benedictus Deus, qui talem non nostri merito, sed suæ pietatis dono dignatus est nobis dare Pastorem animarum nostrarum cura sollicitum. Diligebant enim eum omnes sicut patrem & ipse eos tamquam proprios filios. Ipse autem studebat semper plus amari, quàm timeri, & pervigili cura in animabus salvandis animum defigere.

S. Benedict. ibid.

Externis beneficis dat monita salutis.

20. Cùm igitur ejusdem beati viri prærogativa meritorum longiùs clarescereret, confluebant passim ad eum plurimi, salvationis suæ salubria expetentes consilia. Et quoniam Sacerdotij dignitate fulgebat, confluentium ad se confessiones suscipiebat, monita eis impertiens, quomodo salvi esse possent, & vias justitiæ sine defectu alicujus tædij immobiliter retinerent. Cujus doctrinâ & exhortationibus plurimi corroborati munitique, ad conversionis festinantes gratiam, plurima deferebant dona in speciebus diversis pretiosorum metallorum, sed & possessionum prædia nonnulla, in diversis sita territoriis: quæ cuncta curiosus Lector, inspectis testamentis seu largitionibus eorumdem fidelium facilè reperiet. Quæ etiam, ut multis liquidò patet, multimodam millenarij numeri effecerunt summam. Erat enim secundùm Deum religionis sanctitate omnimodis ornatus, in sæcularis quoque argumentationis astutia prudens: ejúsque bonitatis ac religionis opinio longè latéque laudabilis, immò imitabilis ubique percurrit.

Xenodochium instituit.

21. In præfato namque venerabili Fontanellensi Monasterio, inter felicia bonitatis suæ gesta, etiam Xenodochium imbecillium ac decrepitorum pauperum, ad instar duodeni Apostolici numeri constituit, deputatis eisdem rebus, quæ sufficienter præberent alimoniam. Alias quoque duas constituit in eodem Monasterio pauperum Christi debilium mansiones, quos in octogenario ex multis sacrato numero, singillatim octonos habitare fecit: quibus sine indigentia quotidianum largiri victum perenniter censuit. Horum vacatio nulla erat alia, nisi horis constitutis diurnis nocturnísve in domo Domini residere, orationi ac vacationi divinæ devotè insistere, ac tempore sancti sacrificij pro salute & salvatione populi Christiani, Ecclesiáque Catholica ubique diffusa victimam salutarem offerre. O magna & inclyta istius sancti Patris opera, quæ non tantum verbis volant, quantum virtutibus constant!

Audoëno in Sedem Rotomag. succedit.

22. Sed his interim omissis, nunc juvante supernæ pietatis gratia narrare aggredior, qualiter isdem vir venerandus Pontificatûs conscenderit gradum. His enim diebus contigit, ut B. AUDOËNUS Rotomagensis urbis Pontifex, plenus virtutibus & sanctis actibus à Domino vocatus migraret è mundo [a] feliciter. In cujus exsequiis B. Pater Ansbertus unà cum aliquibus Monachorum suorum Clericorúmque ac Sacerdotum Christi cohorte plurima affuit. Qui vigilias ejus sacræ depositionis sollemniter celebrantes, dignis exsequiarum honorárunt debito servitutis obsequiis. Post cujus sacrum transitum, ne Ecclesia de Pastore amisso jacturam pateretur, cuncti Rotomagensis urbis cives, missâ petitione ad Theodericum glorioſum Regem, cum ejus permissu & auctoritate, B. Ansbertum sibi elegerunt consecrari Antistitem. Quorum electioni congaudens Rex, quoniam in eodem sancto Patre sapientiam affatim redundare & religionem pollere cognoverat, ilico eorum annuens petitioni & electioni, extemplò legatos dirigit, qui eumdem Christi famulum regias perducerent ad ædes. Nec mora, legati ad B. Patrem Ansbertum pervenientes mandata Regis pandunt, ad aulam Regiam ire compellunt. Morabatur enim præfatus Rex in villa Clypia-

[a] Si S. Audoënus Ecclesiam Rotomagensem rexit *annos quadraginta tres, menses tres, dies decem*, ut in ejus Vita legitur; anno DC. LXXXIV. *sub die nona Kalend. Septemb. Dominica* (verba sunt Fridegodi) obiisse dicendus est: siquidem Episcopalem ordinationem accepit anno tertio Chlodovei junioris mense Maio, uti ipse in lib. 2. de Vita S. Eligij cap. 1. testatur. In primaria Vita S. Audoëni non exprimitur tempus quo Sedem Rotomagensem tenuit: nec mentio fit de designatione Regi ab ipso facta de Ansberto successore, quod Fridegodus narrat. Confer Notas ad num. 27. infrà.

co *, quæ ſita eſt in Pariſiaco territorio, ubi conventum magnum populorum habens, de utilitate ac tutela Regni tractabat, ut ad ejus conſultum, veluti agere conſueverat, (nam Confeſſor illius erat) de Regni negotiis tractaret. Sed cùm ſupradictus vir Dei hoc audiſſet, ilicò agnovit, non ob aliud iſtam evocationem fieri, niſi electioni civium Rotomagenſium in ipſo, Regem aſſenſum præbere velle. Fertur etiam legatis Regis reſpondiſſe causâ eximiæ humilitatis, indignum ſe fore * officio curæ Paſtoralis. Qui feſtinanter retulerunt Regi, nuntiando quale reſponſum acceperant. Secundò quoque ad eum mittens Rex, callidè intulit, nullo modo contra ſuam voluntatem, poſtquam unà loquerentur, ſuper ordine Pontificatûs agere ſe velle. At ille, ut erat ſanctæ ſimplicitatis ſapientiâ plenus, ad eumdem Regem ire deliberavit. Tunc eligentibus civibus præfatæ urbis Metropoleos, cum unanimi voto ſanctorum Sacerdotum, Regis & Principum eligitur, trahitur, atque in eodem palatio à S. Lantberto Archiepiſcopo Sedis Lugdunenſis, aliiſque ſanctis Præſulibus qui ad hoc generale Placitum convenerant, in Pontificem conſecratur Eccleſiæ Rotomagenſis, Divina utique providente ordinatione, ut qui in pauca fidelis exſtiterat, ſupra multa à Domino conſtitutus, abundantem daret ſuæ in tempore familiæ tritici menſuram.

AN. CHR. DC. XC. VIII. FEBR. IX.

* *Clichy* Regis Confeſſarius.

* eſſe

23. Deinde in Pontificatûs honore & onere ſublimatus, cœpit opere ſanctitatis ampliùs clareſcere, prædicationis lumine ubique radiare, & velut lucerna accenſa, non jam ſub modio, ſed ſuper candelabrum poſita errorum tenebris depulſis, viam veritatis cunctis monſtrare, pietatis & miſericordiæ erga omnes operam dare, pauperum indeſinenter curam agere, viduarum & pupillorum cauſas defendere, peregrinorum & hoſpitum ſuſceptionibus magnopere ſtudere, eleëmoſynarum diſtributionem largiter & hilariter cunctis adminiſtrare. Hæc & his ſimilia exempla ſubjectæ ſibi plebi indeſinenter feſtinavit monſtrare. Floruit enim ſub illo Chriſti Eccleſia, ſicut Monaſterium antè floruerat. Crevit gratiis, decrevit metallis. Aliquando enim ingrediens locum ubi Eccleſiæ theſauri reconditi erant, ipſos ſibi juſſit præſentari & aliqua diſtribui, plurima reſervans, ut eleëmoſynæ pia largitio è ſinu ſanctæ matris Eccleſiæ cum pietatis fructu benignè procederet. Nam quæ otiosè diu congeſta fuerant, ad reprimendam famis validæ penuriam, quæ tunc populos undique graviter premebat, dignis tandem indigentium uſibus deputavit, & dudum defunctis theſauros ſuos miſit. Alieni temporis vota, diſpenſationem fecit ſuam *. Contigit enim tunc pauperum turbam præ foribus clamare eleëmoſynam petendo. Quibus ille auditis, ac reminiſcens Divinæ ſententiæ dicentis: *Qui obturat aures ſuas ad clamorem pauperis, & ipſe clamabit, & non exaudietur*; largiter eis eleëmoſynam tribuit, cunctóſque gaudentes redire fecit ad propria.

Munus egregiè obit.

* *Idē ait S. Hilarius in Vita S. Honorati.* *Prov.* 21. 13.

24. Sícque poſtmodùm cùm in ſede urbis ſuæ Miſſarum ſollemnia ſollemniter celebraret, populi diœceſis ſuæ undique ad eum confluxerunt, virorum ac mulierum multitudo maxima. Lecta autem ſancti Evangelij lectione converſus ad populum, multa cœpit eis ventura prædicere, adverſa ſimul & proſpera eſſe cavenda: & ut nec unum frangeret, nec alterum extolleret, æternæ felicitatis præmia, avida intentione eſſe quærenda commonuit. Et cùm multa eis præſentia ac futura per illuſtrationem ſancti Spiritus prænuntiaret, ex tam excellenti prædicationis gratia ſibi data, omnes compuncti & igne divini timoris ſuccenſi ad pœnitentiam agendam & cetera bonorum operum exercitia peragenda accenſi ſunt, grates omnimodas agentes ſummo omnium bonorum largitori, qui talem eis non ſuî merito, ſed propria pietate conceſſerat doctorem, ut eorum temperaret multiformiter mærorem de eo quem nuper corporali viſu amiſerant Paſtorem. Et quia cuncta gaudebat Eccleſia ſuper pio Paſtore, urbs cõgratulabatur egregio prædicatori, & patria omnis exſultabat magnificè in tam ſancto ſapiente ac prudente conſiliario. Expletis autem Miſſarum ſollemniis,

Ventura prædicit inter concionandum.

AN. CHR. DC. XCVIII. FEBR. IX.

cunctos cives, nobiles videlicet & ignobiles, introduci juſſit ad præparata convivia. Ubi cùm ordinatè & diſpoſitè feciſſet omnes diſcumbere, ipſe ad menſam pauperum reſedit, imitans illum qui cùm eſſet dives, propter nos pauper factus eſt: qui etiam in retributione Juſtorum dicturum ſe eſſe promiſit dicens: *Quamdiu feciſtis uni de minimis his meis, mihi feciſtis.* O quàm præclarum Pontificem, qui ſuæ familiæ duplicem dabat alimoniam quotidie, cùm & corpora replebat cibo terreno, animáſque reficiebat verbo Divino.

Templa inſtaurat &c.

25. Cùm verò pro ſalute animarum attentiſſimè vigilaret, etiam Archidiaconos convocans, de prædicatione populorum & Eccleſiarum reſtauratione, & honore maximam gerere curam ſedulè commonebat. Cenſus etiam qui de vicis publicis canonicò ordine ad partem Pontificis perſolvi conſueverant, gratuita benedictione in reſtaurationibus Eccleſiarum benigniſſimè Preſbyteris indulſit earumdem Dei ædium. Studebat etiam amore potiùs regere, quàm terrore dominari. Denique ut primùm Pontificali potitus eſt gradu, prima ei cura concordia fuit, & præcipuus labor fraternam dilectionem inviolabilem cuſtodiri. Jam verò illam ſuam profluam in omnes caritatem, nulla umquam ad plenum effari valet lingua.

Fontanellæ Privilegiũ confirmat in Concilio.

26. Interea dum multimodam ejus in omnes gratiam memoro, etiam ſuper Fontanellenſis Cœnobij ſancta Monachorum congregatione quantam ſollicitudinem & pervigilem curam indeſinenter habuerit, teſtatur inter reliqua prærogativæ ejus geſta etiam Privilegij ſui auctoritas, quam prædicti Cœnobij habitatoribus ob Dei amorem & Sanctorum reverentiam ſumma devotione edidit. Denique cùm ſanctorum Sacerdotum & omnium civium Rotomagenſium electione & glorioſi Regis Theoderici conſenſu, in Pontificem conſecratus fuiſſet, nimio dilectionis fervore, quem erga prædictum venerabile Cœnobium ſemper habuerat, Privilegij ſui auctoritatem eidem edidit, ut per ſuccedentia tempora ſecundùm S. P. BENEDICTI Regulam, & ut præcedentium Regum Hlodovij videlicet & Hlotharij, ſimúlque Hilderici necnon & Theoderici Privilegiorum auctoritates docent, ex ſemetipſis ſibi perennibus temporibus Abbatem eligerent. In qua etiam juſtæ alligationis verbo præſentes futuróſque qui ibidem Domino militaturi erant conſtringit, ut ſicuti ſub ejus regimine, ita in antea [a] & ipſi & poſteri eorum, ſecundùm Regulam S. P. BENEDICTI fideliter Chriſto deſervirent. Quòd ſi aliquando peccatis exigentibus aut negligentia paſtorali à via rectitudinis & obſervatione Regulæ S. BENEDICTI in futuro deviare conarentur aut cogerentur, tunc convocatio ſanctorum Sacerdotum, reliquorúmque militum Chriſti unanimiter fieret, eorúmque per conſilium in priſtinum reducerentur ſtatum. Si verò hac Pontificali auctoritate poſtpoſita, qualibet cavillatione ſiniſtram elegiſſent vitam ac converſationem tenere, ſub vinculo anathematis æternaliter ſe damnandos ſcirent.

Epiſcopis ſubſcribentibus.

27. Facta eſt autem hæc Privilegij auctoritas ſub anno Dominicæ Incarnationis ſexcenteſimo octogeſimo ſecundo, Indictione decima, qui erat annus præfati glorioſi Regis Theoderici XVI.[b] & præfati venerandi Præſulis pontificatûs annus quintus, in Synodo generali, Rotomago urbe habita, ubi plurima Deo accepta & ſanctæ Eccleſiæ utilitatibus profutura diſputata ſunt. Affuerunt quoque & ſancti Pontifices, aliíque venerabiles viri ab ipſo præcipuo Præſule evocati, quorum ſubter tenentur nomina adſcripta. ANSBERTUS Archiepiſcopus urbis Rotomagenſis, huic Concilio præfui & ſubſcripſi. RADBERTUS * Epiſcopus, REGULUS * Epiſcopus, AIDRADUS Epiſcopus Carnotenæ urbis, ANSOALDUS

* Turonenſis
* Remenſis

[a] Ergo ante hanc Concilij Rotomagenſis ordinationem Regula S. Benedicti in Fontanella Monaſterio ſervabatur, quod jam ad Vitam S. Vuandregiſili obſervabimus: immo ab ipſa origine Fontanellæ Monachis impoſita eſt. En verba Chronographi Fontanell. qui principatu Ludovici Pij ſcribebat, ex cap. 9. *Status vitæ innocentis queni in eodem Cœnobio ſecundum eximij* P. BENEDICTI *normam excolendum fore B. P.* VANDREGISILUS *inſtituerat, fluctuare cœpit.*

[b] Tempus habiti Concilij metiendum eſt ex Regis Theoderici anno XVI. qui anno Chriſti DC. XXCIX. illigatur. Cùm ergo in eum annum Pontificatûs Anſberti annus quintus incidat, Audoëni mors anno Chriſti DC. XXCIV. Ansberti verò ordinatio anno inſequenti collocanda ſunt. Surius & Bollandus legerunt XIII.

Episcopus Pictavensis urbis, AQUILINUS Episcopus Ebroïcin urbis, CADOËNUS Episcopus, ARMONIUS Episcopus, SALVIUS Episcopus, DESIDERIUS Episcopus, FULCRANNUS Episcopus, JOHANNES Episcopus, WILLEBERTUS Episcopus, GEREBALDUS Episcopus Bajocassinæ urbis, TAURINUS Episcopus, ANNOBERTUS Episcopus Sagiensis urbis. CELSUS Abba, AUDOMARUS Abba, SCLADIO Abba, BOSOCHINDUS Abba, GENARDUS Vicedominus glorioſus antefati magni Pontificis. ERMENTRANNUS *, FERROCINCTUS, & FORTIANUS Archidiaconi venerandi. Aderat quoque Presbyterorum residentium & Diaconorum circumadstantium magnus numerus. RAGNOMIRUS Lector hujus sancti Concilij gesta & hanc Privilegij auctoritatem ipso sancto Pontifice jubente recognovit & subscripsit. AN. CHR. DC. XCVIII. FEBR. IX.

* al Erintrannus

28. Confluentibus autem ad se potestatibus, ferventia Christi mandata devoto animo servari semper hortabatur idem Præsul venerandus, magnásque Christo gratias semper agendas commonebat, qui morte & resurrectione propria mortem nostram spe resurrectionis animavit, æternam vitam offerens discusso æterno mortis horrore. Sicque vitam suadebat tenendam, ne vitæ extrema timerentur. Inter reliqua autem bonitatis suæ opera quæ in Episcopatu gessit, qualiter etiam venerabile sancti Antistitis Audoëni corpus Christo propitio in eminentiorem locum Ecclesiæ S. Petri, quæ sita est in suburbano urbis Rotomagensis transtulerit [a], narrare aggredimur. Cùm itaque de diversis provinciis plures congregâsset artifices, condidit super ejus sepulcrum repam miræ magnitudinis, pretiosis metallis auri argentique decoratam, gemmisque pretiosis adornatam, sicut usque in præsens humano visui apparet. Constituta ergo die, in sollemnitate Adscensionis Domini Christi, Sacerdotum ac Monachorum reliquorúmque Clericorum adunata multitudine, ipsum sacrum corpus levari fecit cum reverentia magna & hymnorum laudibus Clero personante atque in absida præfati S. Petri Apostoli Ecclesiæ [b] recondidit feliciter cum gaudio & honorificentia magna. Intererat autem in hoc sancto conventu inter alios viros venerandos etiam clarissimus GENARDUS Vicedominus, qui magna præparari fecit convivia, quia plebs innumera ad tam venerandi Præsulis translationem sanctam undique convenerat. Completis autem Missarum sollemniis, præfatus Genardus cum viris nobilibus jussu sancti Pontificis ad convivandum resedit: Pontifex verò clarus Ansbertus more solito cum peregrinis & pauperibus discumbens, cum ipsis epulari gaudebat. Nam ipsa die ministri officium gerens, pauperibus & egenis obsequium in eorum refectione humiliter exhibebat. Erat enim jucunda facie hilarique vultu, quia minister esse meruerat pauperum, immò Christi Domini, qui largitoribus eorumdem egenorum præmia se largiturum esse promisit æterna. Magna illi erat inter hæc advenarum & hospitum cura: aderat præterea munificentiæ animo par substantia pari fide ministrata. Et non solùm indigentibus alimoniam tribuebat sufficienter, sed etiam tegumenta corporum & numismata largiter offerebat.

Audoëni Translationem curat.

Pauperibus in mensa ministrat.

29. Hinc jam ex diversis regionibus diversarum personarum frequens ad eum concursus erat, quos per se & per probatos viros, & munere exhortationis, & benedictione Pontificali Deo digna ditabat, & subsidia corporeæ necessitatis hilariter & sine defectu tribuebat. Mirabantur enim plurimi, unde tam profluà prodiret pij dispensatoris substantia. Nam etsi aliquando contigisset exhauriri dispensationis substantiam, fides tamen semper mansit solida. In prædicta verò sancti Præsulis Audoëni Translatione veneranda, omnes cives propriæ urbis Rotomagensis, necnon & habitatores Monasteriorum circumadjacentium, Clerici videlicet ac Sanctimoniales, de dato ipsius Præsulis venerando ubertim re-

Omnibus subvenit.

[a] Scriptor antiquus Vitæ S. Audoëni id factum dicit post annos tres & menses sex à morte Audoëni, & Ansbertum à tertiano typo seu febre tertiana Audoëni meritis fuisse sanatum. Ipse autem Pontifex *sudarium pro munere Reliquiarum desuper caput B. Audoëni fustuliſſe*, eoque multis sanitatem impertiviſſe legitur.

[b] Nunc Monasterium S. Audoëni muris civitatis inclusum, nuper unitum Benedictinæ S. Mauri congregationi. Corpus S. Audoëni ab hæreticis sæculo superiori combustum est.

AN. CHR. DC. XCVIII. FEBR. IX.

fici meruerunt. Factáque eſt deinceps per ſuccedentia tempora in commemoratione B. Pontificis Audoëni illius urbis civibus hæc dies ſollemniter celebris.

Diœceſim ſuam viſitat.

30. Ipſe autem egregiæ converſationis Pontifex, ſemper reminiſcens plebis ſibi à Domino commiſſæ, frequenter juxta miniſterium ſibi indictum parochias circumibat proprias, prædicationis ſanctæ rorem & piæ converſationis dulcedinem indeſinenter eorum inſtillando mentibus. Qui etiam ad hoc Divini miniſterij opus, probatæ converſationis viros ſemper ſecum retinebat, quorum juvamine fultus, populum ſibi creditum æternæ viſionis deduceret ad regnum. Sic unius prædicationis* gratia diſpenſatores multos habebat.

* *al.* prædicatoris Pippini juſſu exſulat.

31. Sed humani generis hoſtis, æmulus ſemper bonorum, cujus invidiâ mors propinata eſt homini, callidiſſima egit arte, ut vir ſplendidus mundo, ſplendidior in Chriſto, propria privaretur Pontificali ſede, eſſetque detrimentum populis ablatio tanti Paſtoris. Nam cùm inter Principes Francorum ſecus eſſet exorta diſcordia, ob multiformem Regni diviſionem, callidus humani generis hoſtis malignorum contra Dei famulum ſævire fecit invidiam, qui Pippino Principi fraudulenter ſuggererent, præfatum virum ſanctum adverſus eum contraria tractâſſe conſilia. Decedente enim de ordine principatûs WARATTONE illuſtri, & ejus filio ac ſupplantatore nefando GISLEMARO [a], Pippinus Præfectoriam adminiſtrationem Domino largiente adeptus eſt. Quo tempore accuſatus apud ipſum Principem præfatus Pontifex ſanctus, juſſu ejuſdem exſilio deportatur in Altummontem Monaſterium, quod eſt ſitum in territorio Hagnauvo* ſuper Sambræ fluvium. Cui tempore illo præerat venerabilis HALDULFUS Abbas. Nullo enim exſtante crimine, humiliter exſilij ſubiit ærumnam.

[a]

* *Sup.* Hannonienſi *Boll.* Hagnauno

32. Perveniens verò ad præfatum Cœnobium, cœpit aſſuetis ſanctæ converſationis ac piæ religionis operibus cunctis ejuſdem loci habitatoribus monſtrare lucis exempla. Quos quidem in Divina religione ferventes invenit, ſed infra parvi temporis ſpatium exemplo & doctrina ſua ferventiores reddidit. Etenim jejuniorum inſtantiâ ac vigiliarum prolixa pernoctatione indeſinenter ſe affligebat, orationum ac lacrymarum imbre aſſiduè rigabatur. Cui omnipotens hanc contulit gratiam, ut univerſi loci habitatores cernentes ejus in Chriſto imitabilem devotionem, extemplò eum unico diligerent affectu, nullóque temporis intervallo, opportuno ejus abeſſe vellent colloquio. Nam & infra ipſius ambitum Cœnobij plurima habitatorum utilitati dictavit opera [b], quæ hodiéque eorum neceſſitati manent utilia. Sed verſutia hoſtis antiqui inſtigante, malignorum adverſus eumdem virum Dei accenſa eſt invidia, qui prędicto Principi iterum moliebantur ſuggerere, ut majora ei inferret exſilij detrimenta. Quapropter præfatum venerabilem Patrem Haldulfum accerſiens idem præclarus Paſtor, ad prędictum excellentiſſimum Principem unà cum aliis viris venerandis direxit, ſatisfaciens humiliter ejus animi voluntati, adjiciens etiam ſe non ſua ſponte Epiſcopatûs ſuſcepiſſe gradum, ſed juſſione Principum & electione civium humiliter ſuſcepiſſe illud miniſterium. Quapropter pergens prædictus Cœnobij Pater ad eumdem inclytum Principem, ſuperno juvamine fultus, petita concitè impetrare meruit. Reminiſcens etiam idem Princeps propinqui ſui S. P. Wandregiſili, ſub cujus ſancta diſciplina præfatus ſanctus Pontifex Anſbertus olim regulari ordine alitus fuerat, quæcumque perperàm geſta fuerant, clementer indulſit [c]: inſuper & ad Sedem propriæ urbis revertendi licentiam tribuit. Sed

[b]

Sedi ſuæ reſtitui permittitur.

[c]

a Pippinus Anſigiſili filius, S. Arnulfi nepos, non ſtatim poſt Giſlemari necem Præfecturam palatij per Neuſtriam & Burgundiam obtinuit. Quippe mortuo Vulfoaldo Majoredomus in Auſtria ſucceſſit unà cum Martino Pippinus anno circà DC. XXC. Exſtincto paullo pòſt Ebroïno, qui Neuſtriam & Burgundiam adminiſtrabat, ſuffectus eſt Vuararto, qui à Pippino obſides cœpit ac pacem cum eo fecit. Giſlemarus Vuarattonem patrem dignitate ejecit, & eodem quo Audoënus tempore obiit, reſtituto dein Vuarattone: qui morte dignitatem reſignavit Berthario, Bertharius victori Pippino pactione facta reliquit; túmque Pippinus Majordomus Neuſtriæ ac Burgundiæ anno circà DC. XXCVII. eſſe cœpit.

b In Chron. Fontanell. cap. 15. Harduinus Monachus *quæſtionum S. Anſberti ad Sivuinum Reclauſum volumen unum* exſcripſiſſe fertur. De aliis S. Anſberti lucubrationibus nihil alibi legimus.

c In Chron. Fontanell. cap. 2. *Pippinus glorioſiſſimus Dux ſub tempore S. Baini Abb. Floriacum Cœnobium in pago Veliocaſſino ædificâſſe* dicitur, *quoniam iſdem Princeps per invidorum conſulta admirabilem Anſbertum de Sede Rotomagenſis Eccleſiæ expulerat.*

ne hoc fieret, Divina vocatione præventus eſt, ut in ſequentibus dicemus. AN. CHR. DC.XCVIII. FEBR. IX.

33. Rediens autem præfatus venerandus Abba Haldulfus, mandata Principis pandit. Adhæc iſdem ſanctus Pontifex : Gratias tibi ago, bone JESU, qui dirupiſti vincula ſervi tui, & tribuiſti verba placentia in conſpectu Principis, & liberâſti me de manu inſurgentium contra me, & inieciſti mihi etiam in hac exſilij ærumna vincula amoris tui. Memorans verò quod alicubi legerat, quia magni viri multa patiuntur, & ut alios pati doceant, nati ſunt in exemplum ; ſemetipſum in ſpiritu humiliato & animo contrito inceſſanter affligere non ceſſabat, offerens Altiſſimo quotidianæ laudis holocauſta digniſſima. Nam ſi tempore perſecutionis Neronianæ aut Decianæ interfuiſſet, nulli dubium, quin pro confeſſione Chriſti Domini nec vim ignium, nec laniatum beſtiarum, nec eculei ſuſpendium, poſtremò nec gladium pertimeſceret perſecutorum. Nuntium humiliter excipit.

34. Sentiens verò ex revelatione Divina diem vocationis ſuæ imminere, (nam & Angelicam ſuper hoc meruit viſitationem) miſit iterum ad prædictum religioſum Principem Pippinum humilem petitionem, ut licitum foret ejus corporis membra ad Cœnobium referri Fontanellenſe, ubi dudum regulari ordine Domino militaverat. Qui ejus annuens petitioni, ut ita liberè fieret extemplò conceſſit. Et licet pauci cum eo intereſſent è ſuis, plurimùm tamen confortabantur in Domino : quia valde minùs indigebat idem Pater humano ſolatio, qui fruebatur Angelico obſequio. Die enim quinto Iduum Februariarum, imminente vocationis ſuæ hora, convocans Fratrum cohortem, celebrari ſibi ſacra fecit Miſſarum ſollemnia. Deinde perceptione Corporis & Sanguinis Domini ſe muniens, ac ſanctæ Crucis vexillo ſe cunctóſque circumadſtantes ſignans, ſomno ultimo exceptus, in mortis quiete dormiens, tranſiit feliciter è mundo*, & ab Angelicis choris anima ejus ſancta, generoſa, ſincera & ab omni contactu mundi incontaminata, in conſortio Sanctorum & felicitatis perpetuæ in perpetuum collocanda ſuſcepta eſt. Obitu ſuo prædicto moritur. * *de anno in fine.*

35. Cùm verò poſt lavationem ſacri corporis ad induendum illud ventum eſſet, invenerunt in poplitibus genuum & brachiorum cubitis, ob prolixam precum inſtantiam, obduratam cutem. Sícque quod egerat vivens, mortificans membra ſua, caro pandebat defuncta. Itaque ſanctum illud corpus magna fidei ambitione veſtitum eſt, ac deſuper linteis ceratis obvolutum : quia ipſe prædixerat hoc ſibi à Domino impetratum fore, ut oſſa ſua in prædictum Fontanellenſe Cœnobium tumulanda deferrentur. Sicut enim ſanctis altaribus Chriſti adſiſtere conſueverat, ita indui eum Fratres curârunt. Sed cùm ſudarium cerâ litum capiti ejus imponere vellent, viſus eſt aperuiſſe oculos, effigiem præferens viventis, ita ut aliqui dicerent eum eſſe redivivum. Nam & adſpectus faciei ejus multùm erat roſeo perfuſus colore. Quidam enim dicebant, pro ſudario cerâ imbuto quaſi indignatum eſſe. Viderunt enim non ſine ſua gloria gloriam Dei in ſancto ſuo triumphantem. Nam & illa exſequiarum religio, fidei devotio erat. Et tam lætum erat talem habuiſſe Patronum, quàm grave talem amiſiſſe. Poſtea ſepelierunt eum cum decore & honorificentia ſumma. Sepelitur cum veſtibus ſacris. NOTA.

36. Cùm verò lampas liquore olei plena, ante ejus ſepulcrum à Fidelibus accenſa fuiſſet, & die noctúque indeſinenter non ſolùm arderet, ſed etiam redundaret, & hoc factum Fratres mirarentur, ac Divinæ deputarent gloriæ ; poſuerunt aliud vas, in quo diſtillantia ejuſdem olei divinitùs dati refunderetur. O magna & inclyta, Paſtor Anſberte clariſſime, & felix gloria tua ! Non enim indigebat meritum tuum ſignis probari, quia admirabilis & glorioſa tuæ converſationis operatio, plena virtutibus, perpetuum ſanctarum virtutum ſignum miniſtravit. Sed quid plura ? Multa quidem ſignorum miracula in eodem loco per eum operari dignatus eſt Dominus. Oleum ex ejus lampade pereffluit.

37. Cùm verò ſeptem decémque dierum orbita finiretur, legati qui ad præfatum Principem directi fuerant reverſi ſunt, licentiâ ab eo acceptâ ut licitum eis foret eum transferri, quò ipſius decreverat voluntas, nullo ejus ſanctæ ordi- Odore ſuaviſſimo & ſigno Crucis corpus ejus honoratur.

AN. CHR. DC. XCVIII. FEBR. IX.

nationi reſiſtente. Cúmque ſepulcrum ejus aperuiſſent, & putarent venerabile illius corpus ob tam prolixum temporis intervallum jam fœtere, tanta ſuaviſſimi fragrantia odoris inde manavit, quaſi diverſis aromatum floribus ac balſami guttulis omnis repleretur Eccleſia. Et cùm Fratres qui ad eum viſendum ex propria provincia advenerant, cum his quos ſecum in exſilio habuerat, ablatis ab eo veſtibus cum quibus in ſepulcro reconditus fuerat, mutare eas vellent, nova eum indumenta indui cupientes; veluti fecerunt, invenerunt in brachiis ejus ſignum Dominicæ Crucis, roſei coloris ſimilitudinem gerens, ut patenter cunctis Fidelibus daretur intelligi, quia cujus arma vivens portaverat in corde, ejus ſtigmata defuncti monſtrarentur in corpore.

Fontanellam transfertur.

38. Indutum deinde veſte Pontificali, poſitúmque in lectica, prælatis ante ipſam aromatibus & incenſo, ſuſceperunt illud venerabile corpus cives qui advenerant Rotomagenſes Monachíque Cœnobij Fontanellenſis: ſícque pretioſum geſtantes onus, ovantes flentéſque arripiunt iter. Comitabatur etiam prædictus venerabilis Haldulfus Abba cum plurima ſuorum cohorte Monachorum ac plebe innumera utriuſque ſexûs, cum ſanctæ Crucis vexillis diverſis cereíſque ac lampadibus, hymnorum nihilominùs canticorúmque divinorum carmina ejus laudibus dulci modulatione canentes, & in diſſonis diverſarum linguarum choris, amorem conſonum habentes: quia ut valdè lætum erat talem habuiſſe Paſtorem, ita ſuave talem recepiſſe Patronum: & cujus oſſa ſancta venerabiliter geſtabant in terris, in cæleſtibus ejus ſibi patrocinia confidebant adeſſe. His fidelium turmis populorum pretioſi Confeſſoris venerabile corpus ſtipatum, & canticis honoratum, uſque ad Fontanellenſe perlatum eſt Cœnobium. Haldulfus tamen venerabilis Abba unà cum comitibus ſui itineris qui ſibi famulabantur, uſque ad Venittam villam Regiam, quæ ſita eſt in pago Bellovacenſi ſecus fluvium Iſeram, cum ingenti reverentia proſecutus eſt.

Paralyticam curat.

* *Solem* in finib. Hannoniæ & Cameracenſij.

* *al.* Salle *ſeu* Selle, *vulgò Sauve.*

39. Cùm autem iter cœptum peragentes, in villam quæ dicitur Solemnium *, quæ eſt poſita ſuper fluvium Save *in territorio *Hagnau*, cauſâ hoſpitij, ob prolixi itineris fatigationem & refocillationem ſui divertiſſent; ibi occurrit quidam homo filiam portans propriam paralytico morbo membris diſſolutam, quæ nec pedibus incedere valebat, ſed quaſi mortua videbatur, clamans magníſque precibus flendo merita ſancti Præſulis implorans Anſberti, ut unicam ejus ſanaret filiam. Cúmque à miniſtris & cuſtodibus ſanctiſſimi corporis ſecus feretrum ipſius ea permiſſa fuiſſet nocte morari, totáque nocte illa vigiliis ac hymnis inſiſteret divinis, mane facto invenit eam pater ejus ſanam. Atque ita gaudens, gratéſque omnimodas Deo ac ſancto perſolvens Præſuli Anſberto, cum filia propria ovans rediit in ſua. Quàm mirabilis Deus in Sanctis ſuis, qui per famuli ſui Anſberti glorioſa merita, hujuſcemodi fecit miraculum.

Corpus immobile poſtea movetur.

* *Boll.* non habetent

40. Cùm ergo * haberent loca denominata, ad quæ manendi gratiâ declinare debuiſſent, ad quamdam accedentes villam, optabant in ea requieſcendo venturam tranſigere noctem. Sed cùm ad eam divertere vellent, ſanctiſſimi Præſulis venerabile corpus veluti onus ingens inter manus ferentium immobile manſit. Dehinc addentes majora hominum ſolatia, ſed nihilominùs ut priùs immobile erat. Cúmque divinitùs hoc intellexiſſent actitari, aliámque itineris ſe convertiſſent in partem, ilicò motu celeri, comitante virtute divina, pervenerunt ad locum aptum, &, ut creditur, Deo ſanctóque Antiſtite dignum ad manendum: ac ſic deinceps per cuncta pij itineris loca tribuit omnipotens congrua ſervis ſuis adminicula, ad famuli ſui membra deferenda.

Rotomagenſes occurrunt.

41. Venientes verò ad præfatam villam Venittam, illic affuerunt obviàm ſancti Præſulis corpori comprovinciales urbis Rotomagenſis Epiſcopi & ſanctorum Cœnobiorum Patres cum venerabili Domini Clero, propinquíque ejuſdem ſancti Pontificis, ac vulgus innumerabile utriuſque ſexûs cum devotione magna: cœperúntque ante illud ire pſallendo. Indeque Haldulfus venerabilis Abba cum comitibus itineris ſui, ad propria revertitur Cœnobij habitacula.

42. Illud

42. Illud quoque miraculum quod in Fraxinido * villa, quæ ſita eſt in pago Belloacenſi, per eumdem Chriſti famulum geſtum eſt, placuit conſcriptionis ſtilo tradere. Cúmque ad eamdem villam ejus delatum eſſet ſanctum corpus, illuc quædam mulier à propinquis catenata, quæ à ſpiritu vexabatur immundo, perducta eſt. Clamabátque per obſeſſam mulierculam ſpiritus immundus: Cur introduxiſtis, inquit, in hanc provinciam Anſbertum, ſervum Jesu-Christi Domini, qui me à propriis expellit ſedibus? Cúmque appropinquâſſet eadem mulier, & tetigiſſet pallium quo tegebatur geſtatorium, clamans voce magna, meritis S. Anſberti Pontificis ſtatim evomuit cum cruore ſanguinis inimicum humani generis: factúmque eſt ibi grande miraculum. At illa gratias agens omnipotenti Deo & S. Anſberto, per quem fuerat à peſtifero ſpiritu curata, ſanitatíque reddita, reverſa eſt ad ſua. Benedictus Chriſtus Dominus, Rex omnium ſæculorum, creatórque ac conſervator omnium Sanctorum, qui ob famuli ſui merita, talia dignatus eſt patrare miracula. In eadem denique villa Eccleſia in honorem S. Anſberti Epiſcopi à Fidelibus eſt ædificata, ejúſque grabatum in eadem Eccleſia multo tempore manſit, ſignáque virtutum ob merita ejuſdem Sancti ibidem fiunt divina. An. Chr. dc.xcviii. Febr. ix. Dæmoniaca liberatur. * *Freſnoy.*

43. Cùm verò jam tranſiſſent dierum viginti & eo ampliùs circiter curricula, venerunt in Rotomagenſe territorium, in locum qui dicitur Paldriacus: illícque cunctipotens Dominus, per merita ejuſdem ſancti Antiſtitis, ſimile ſuperiori dignatus eſt oſtendere miraculum. Nam mulier quædam à dæmone arrepta, à parentibus propriis ad Sancti patrocinia quærenda, vinculis conſtricta perducta eſt. Quæ cùm perveniſſet ad grabatum ubi Sancti ſervabatur corpus, ac tetigiſſet linteum quo operiebatur; magnas dans voces ad ſidera, ilicò gratia Dei ac meritis S. Anſberti, à dæmonio liberata ac ſaniſſima effecta, incolumis proprij juris repedavit ad habitacula. Sit Deo noſtro gloria honor & imperium, qui ſic miraculorum ſignis ſæpe in Sanctis ſuis triumphat. Item alia.

44. Hic verò locus in quo Omnipotens iſtud fecit miraculum, erat patrimonium quorumdam illuſtrium virorum, Bertoldi ſcilicet & Radamasti, diſtans à Cœnobio Fontanellenſe millibus quatuor. Fertur verò quia cùm inde elevare corpus ſanctiſſimum conarentur, ita manſit immobile, quaſi clavis ac retinaculis ferreis ſaxo niteretur ingenti. Cúmque moveri non poſſet, talia poſſeſſor loci Radamaſtus intuliſſe dicitur: Euge Anſberte ſerve Chriſti fidelis, collocatus inter agmina Chriſticolarum, memento noſtrî, quos in vita dilexiſti, quóſque ſæculi impugnant gaudia. Hinc jam nobis te Chriſtus reducit: idcirco hoc prædium offero omnipotenti Deo, tibíque Præſul ſanctiſſime cedo per cuncta ſæculorum curricula. Locũ poſſeſſores Anſberto donant.

45. Ipſe verò Radamaſtus, vir honoratus, ejúſque frater Bertoldus, cuncta quæ poſſederant in prædiis ac mancipiis extemplò deſerunt, ac B. Antiſtiti Anſberto, ſéque ſimul Cœnobio contradunt Fontanellæ. Sícque jugum libertatis excutiunt, ac jugum Dominicæ ſervitutis ſubditis cervicibus ilico ſuſcipiunt, Monachicum pariter aſſumentes nomen & habitum. In præfata verò poſſeſſione eorumdem virorum, ſcilicet in via publica & delapidata *, quæ juxta eam jacet, ac Rotomagenſem deducit ad urbem, ubi ſanctiſſimi Pontificis Anſberti venerabile pauſaverat corpus, in honore & memoria ipſius à Fidelibus crux ponitur lignea, ubi infirmi à diverſis vexati languoribus, Domino largiente, meritis S. Anſberti plura frequenter perceperunt ſanitatum munera. Ubi circa diem pauſationis ſive adventûs ejus ad eumdem locum, quod eſt VI. Idus Martij, ad honorem & interceſſionem ejus plebes innumeræ concurrunt pia Domino ſollemniter perſolventes vota, vigiliarum videlicet ac divinorum hymnorum donorúmque diverſorum, cùm devotione ſumma. Atque ibidem per merita ipſius multa aſſiduè fiunt miraculorum ſigna, quæ enormitate ſui relatoris tranſcendunt ſcientiam. Ibi enim amiſſio corporeæ lucis viſum, ariditas greſſum, ac retinacula linguæ verborum ſeriem, officiúmque diu negatum Monachi fiunt. * *Sup.* lapidibus ſtrata. Crux ibidem erecta & miracula facta.

AN CHR. DC.XCVIII. FEBR. IX.

aurium recipit auditum, dæmonúmque frequens ab humanis corporibus fit expulsio.

46. Redeunte autem tempore die sexto Iduum Aprilium, in eodem loco ubi sanctæ Crucis vexillum fuerat erectum, mulier quædam quæ per multa annorum curricula contracta exstiterat, cum fide recta ad eumdem pergens locum, pristinæ sanitati est reddita: tellúsque quam diu debiles non præferant gressus, est stupefacta, se ab invalidis quondam tam subitò contingi vestigiis. Agamus grates Deo nostro innumeras, qui propter jamdicti famuli sui merita, talia dignatur monstrare miracula. Sequenti quoque tempore in præfato loco Ecclesia est constructa in honore S. Ansberti Præsulis, augusto & polito opere, à venerabili Hiltberto Abbate, successore ejusdem S. Patris in ordine regiminis. Sed his omissis, ordinem translationis præfati famuli Christi conscriptionis prosequamur stilo.

Oratorium exstruitur.

Fontanellæ corpus tumulatur.

47. Pervenientes denique cum corpore ejus qui eum transferebant ad Cœnobium Fontanellam, intulerunt illud in Ecclesiam S. Pauli Apostoli. Flebant autem senes & juvenes: flebant pueri & infantes, omnísque Monachorum chorus. Postea verò accessit venerandus Abbas Hiltbertus ad venerabile corpus, assumptis secum probatæ vitæ Fratribus ac merito sanctitatis ornatis, æstimans illud ob tam prolixi intervallum temporis (nam dies tricesimus instabat) subitò fœtere. Cúmque sanctum illius caput velamine opertum denudâssent, tantæ suavitatis fragrantia inde manavit, veluti si diversorum aromatum ac thymiamatum odoribus universa compleretur Ecclesia. Nam & facies illius ita in ruborem erat versa, quasi in sopore esset, viventis effigiem gerens. Multi quidem sancti Præsules & Patres venerandi, reliquúmque vulgus contemplati sunt: quia universis qui affuerant fuit permissum hoc cernere stupendi miraculi signum. Deinde cum omni diligentia & timore in sindone munda ac pallio involutum, ejus venerabile corpus posuerunt in sepulcro, quod eidem præparaverant in eadem Ecclesia S. Pauli Apostoli, cum laudibus juxta sanctissimi Patris Wandregisili sepulcrum ad ejus lævam, die quinto Iduum Martiarum, sub anno sexcentesimo nonagesimo quinto [a] Incarnationis Domini Dei nostri Jesu-Christi: cui est honor & potestas, decus & imperium per infinita sæcula sæculorum, Amen.

a In quodam apographo Chronici Fontanellensis hæc leguntur: *Anno quarto regni* CHILDEBERTI *Regis Francorum, qui erat* VIII. *Ducatûs* PIPPINI *Majoris Ducis, anno quinto præsidente in sede Apostolica* SERGIO *Papa, anno x. imperante* JUSTINIANO *minore Augusto: gloriosæ memoriæ almificus vir Rotomagensis urbis Pontifex* ANSBERTUS *cælestia regna petiit, qui est annus Dominicæ Incarnationis* DC. XCV. *Indictione* VIII. *v. Iduum Februariarum in territorio* Hagnau *& Cœnobio Altomonte sub* HALDULFO *Abbate, ibique dignæ traditur sepulturæ. Deinde post dies* XVII. *ab eo loco sublatus ad Cœnobium defertur Fontanellam, comitantibus virtutum signis, die jam instante tricesima, sepelitúrque in Ecclesia Doctoris Gentium juxta Coangelicum virii Patrémque inclytum* VUANDREGESILUM. Annum regni Childeberti quartum, qui anno Christiano DC. XCVIII. respondet, retinendum existimamus: alios characteres vel incertos, uti Pippini Ducatûs, vel à posteris inventos rejicimus. In veterrimo nostro Usuardi exemplari Ansberti memoria v. Id. Febr. consignatur his verbis: *Fontenella S.* ANSBERTI *Episc. & Conf.* In Chron. Fontanell. cap. 2. S. Ansberti corpus unà cum S. Vuandregisili & Vulframni corporibus ex Ecclesia S. Pauli in Basilicam S. Petri à B. Baino translatum legitur *anno Dominicæ Inc.* DCC. IV. *Indict. 2. prid. Kalend. April. feria secunda* post Pascha, *qui erat annus decimus. gloriosi Regis* HILDEBERTI, postquam *annis novem* in Ecclesia S. Pauli quieverat. Quod stare non potest, si anno quarto principatûs ejusdem Regis mortuus est Ansbertus, cujus corpus annos dumtaxat sex aut septem in primario tumulo jacuit. De Translatione Reliquiarum S. Ansberti in Pontivum, ac deinde in Blandinium Monasterium Gandavense, ubi hactenus quiescunt, lege librum Mirac. S. Vuandregisili suprà ad ann. 667. & historiam Translationis Blandinium Sæculo v. Bened. ad ann. 944.

DE S. ANGADRISMA ABBAT. BELLOVACENSI.

CIRC. AN. DC. XCVIII. OCT. XIV.

I. VITAM S. ANGADRISMÆ * *legimus in pervetuſto codice MS. quem V. C. Claudius Iolius Canonicus Eccleſiæ Pariſiacæ nobis communicavit. Ea propiùs inſpecta haudquaquam luce digna viſa eſt, quòd nihil pæne aliud ſit quàm fragmentum ex Actis mox relatis S. Ansberti, cui Angadriſmam parentes deſponſaverant. En Vitæ prædictæ exordium.* Eo igitur tempore, quo ſceptra Regni Francorum gubernabat Hlotharius filius Hlodovei Regis & Balthildæ Reginæ unà cum germanis ſuis, videlicet Hilderico & Theoderico, ſanctæ recordationis Eccleſiæ Rotomagenſis Antiſtes ANSBERTUS virtutibus clarus ac Sacerdotio dignus, à Patre nomine Siwino & pago Vilcaſſino, patrimonióque vocabulo Calcegio, nobili erat ortus genere: ſed repudiato ſtemmate patrum, mox ut valuit, ſola Conditoris paternitate elegit cenſeri. *Et infrà:* His diebus quidam illuſtris HROTBERTUS nomine generoſa ex ſtirpe proditus & gerulus fuerat anuli Regis Hlotharij, cujus filiam religioſiſſimam ac nobiliſſimam, ANGADRISMAM nomine, prædictus illuſtris Siwinus à præfato inclyto Hrotberto expetiit, volens eam ſuo juveni filio Anſberto ſociari. Nec mora præbet adſenſum ejus petitioni prædictus illuſtris Hrotbertus: conſtituta die à caſto juvene caſta deſpondetur & puella... Deinde orante. B. Angadriſma Virgine ut ſpecioſitas illius in deformitatem verteretur, ilico Dominus preces exaudivit ejus. Nam facies ejus ita exulcerata ac immundiſſimâ leprâ cooperta mox apparuit, ut à conſortiis hominum quicumque eam vidiſſet, extimplò ſegregandam decerneret. *Poſtquam Angadriſma votum colendæ virginitatis patri ſuo expoſuit, annuit ille:* vocatus quoque adfuit & B. Anſbertus, qui diſſociabilem condidit libellum, ut ſancta virgo Angadriſma non ſua, ſed Chriſti Domini vocaretur ſponſa. Hoc facto, ad Rotomagum urbem ſancto Antiſtiti dirigitur Audoëno, ut ejus benedictione percepta & ſacro velamine operta in Virginitatis propoſito conſecrari mereretur. Quo pacto priſtinæ pulcritudini & ſpeciei eleganti extimplò eſt reddita, *& cetera quæ totidem verbis in S. Ansberti ſuperioribus Actis ab Aigrado referuntur. Poſtea quædam ſingularia ſubdit Auctor libri de Vita S. Angadriſmæ.*

* *S. Angadreſme* Angadriſmæ Vita omiſſa.

Ansberto deſponſata.

ob deformitatem cælitùs impetratam dimittitur.

velata cuſtoratur.

2. Sequenti quoque tempore ſancta gubernatrix efficitur Cœnobij Oratorij, quod eſt ſitum in pago Bellovacenſi prope muros urbis Bellovacus. *De primordiis Oratorij, vulgò* Oroer, *agit Scriptor Vitæ S. Ebrulfi Abbatis Bellovacenſis Sæculo 1. vulgatæ in hunc modum.* Ebrulfus poſt aliquantum tempus Monaſticæ converſationis habitum ſuſcepit, conſtructóque ſibi Oratorio in eo loco qui poſtmodùm à poſteris Oratorij appellatione deſignatus eſt, eoquòd plures orationis domos haberet, ſine intermiſſione ibi Domino famulabatur. *Et multis interjectis:* Beata denique Angadriſma Virgo & Abbatiſſa ibidem cum ſanctis Virginibus & viduis religioſis ſancta converſatione vixit, & vitæ ſuæ felix propoſitum conſummavit. Cujus tempore accidit, ut Templum B. Mariæ ſemper Virginis incendio cremaretur. Et dum ad cetera comburendum Monaſteria ignis vehementiſſimus evolveretur, ſancta Virgo neceſſitate compulſa corpus B. Confeſſoris aperto ſepulcro contra ignem extulit, & ſic flamma incendij in ſeipſam reflexa ulteriùs tranſire nequivit. Quo peracto ſana membra linteaminibus mundis & veſtibus ſericis involuta cum aromatibus iterum diligentiſſimè clauſerunt.

Abbatiſſa Oratorij.

S. Ebrulfi corpus incendio opponit.

3. *Hic obſervare juvat, Monaſterium Oratorium à S. Ebrulfo conditum redactum*

Oratorij ſitus & ſtatus.

CIRC. AN. DC.XCVIII. OCT. XIV.

eſſe in vicum cognominem, qui tertio ferè milliario Gallico à civitate Bellovacorum diſtat Septemtrionem versùs. Nonnulli perſuadere conantur, Oratorium Angadriſmæ Puellare Cœnobium eodemmet in loco exſtitiſſe, ubi S. Pauli Parthenon Benedictinarum Virginum mœnibus civitatibus vicinum cernitur. Verùm iſtud Parthenon vix annos ſexcentos ſuperat, nec Oratorium dictum uſpiam reperitur. In litteris Odonis Epiſcopi Bellovacenſis apud Louvetum lib. 1. Hiſt. diœc. Bellovac. cap. 20. ad-ductis dicitur Cœnobium B. Mariæ de S. Paulo; *in Sententia verò (ut loquuntur) Cononis Legati Apoſtolici*, Monaſterium S. Mariæ quod dicitur ad S. Paulum. *Proinde veri ſimilius videtur, Oratorium S. Angadriſmæ Puellare Cœnobium in loco Oratorio hactenus dicto poſitum fuiſſe, cujus Monaſterij à Nortmannis everſi reditus & prædia, uti & Flaviacenſis Abbatiæ, Nicolaus Papa I. Eccleſiæ Bellovacenſi conceſſit* pro recompenſatione Fontaneti Monaſterij. *Lege Nicolai Epiſtolam ad Odonem Bellovacorum Epiſcopum apud Louvetum lib. 2. cap. 6. quà* Oratorium Puellare Cœnobium & Flaviacum *ea lege prædictæ Eccleſiæ attribuuntur*, ut juxta modum facultatum ſibi collatarum reſtaurentur & conſerventur, & illic Deo militantium, ſive feminarum ſive virorum fuerit ſexus, ſubſidiis neceſſariis adjuventur. Quia nec pium nec juſtum eſſe cognoſcitur, ut Eccleſiæ præfatæ ita ſuis rebus ſpolientur, & alterius Eccleſiæ neceſſitatibus deſerviant, ut earum neceſſitudinibus nulla prorſus cura videatur impendi. *Quæ præcipuè cauſa movit Drogonem Epiſcopum ad inſtaurandum non ſolùm Monaſterium Flaviacenſe, ſed & prædictum S. Pauli Parthenona, ut Oratorij Angadriſmæ Monaſterij vicem ſuppleret. Lege Louvetum in lib. 1. Hiſt. diœc. Bellovac. cap. 20. & lib. 4. cap. 7. ubi Drogonem Monaſterij ſancti Pauli conditorem agnoſcit.*

Eccleſias frequentat.

4. Subjungit Vitæ S. Angadriſmæ conſarcinator. Illo quoque in loco quamvis per ſcriptoris faſtidium hujus opuſculi impletio non exſiſtat, verbotenus tamen replicare curamus, quàm magna & innumera miraculorum ſigna per S. Virginem ſuam Dominus demonſtrare dignatus eſt. *In ſumma, Angadriſmæ dicitur* die ac nocte circuiſſe Monaſteria, *in his* Monaſterium haud longè à civitate Belloaca, ubi SS. Martyrum corpora Luciani ſociorúmque ejus requieſcunt: *quod Monaſterium recèns Congregationi noſtræ adjunctum in ſuburbio ejuſdem urbis ſitum eſt.*

Obit.

5. Obiit S. Angadriſma anno circiter DC.XCVIII. *memoratúrque VI. Kal. Apriles in Martyrol. Benedictino, Dorganij, Ferrarij, aliiſque. Et tamen Iohannes Epiſcopus Bellovacenſis litteris datis anno Domini* M. CCC. XXI. *S. Angadriſmæ Natalem prid. Idus Octob. pro more antiquo feriandum decrevit, quarum Litterarum exemplar Louvetus To. 2. Hiſt. præcitatæ pag. 535. refert. Cùm enim animadverteret Pontifex, B. Angadriſmæ cultum apud Bellovacenſes tepeſcere neglecto ejus feſto*, quod in civitate & ſuburbio ſemel in anno, ceſſando ab omni opere ſervili olim conſueverat obſervari ac etiam feſtivari; *ille priſcam erga B. Angadriſmam refricare devotionem volens*, ſub excommunicationis pœna *ab opidanis ac ſuburbij incolis*, prout moris erat, *celebrari voluit*, ſecundo Idus Octob. *quo die ipſius Angadriſmæ* feſtivitas ſeu Nativitas ſollemniter *agebatur in Eccleſiæ Collegiatæ S. Michaëlis, in qua ſacræ B. Virginis Reliquiæ à Nortmannorum tempore ad hunc uſque diem adſervantur; ob idque Epiſcopus* verè pœnitentibus & confeſſis qui feſtivitatem Virginis memoratæ devotè feſtivaverint, ac Eccleſiam B. Michaëlis prædictam ob reverentiam ipſius Virginis perſonaliter feſto prædicto viſitaverint, viginti dies de injunctis ſibi pœnitentiis relaxavit. *Ex quibus vides, Angadriſmam ut Patronam à Bellovacenſibus jampridem honoratam fuiſſe.*

VITA S. CLAVDII EPISCOPI VESONTIONENSIS,

AN. CHR. DC. XCVIII. JUNII VI.

Ex Hiſtoria Veſontionenſi Franciſci Chiffletij.

OBSERVATIO PRÆVIA.

1. SEQUENTIS *Vitæ Scriptor antiquus non eſt, ut putavit Ioh. Iacobus Chiffletius. Nam præter* annum Inc. Dominicæ *quo utitur Auctor num.* 5. *adhibet conſenſum ac confirmationem Romani Pontificis in Claudij electionem ad Epiſcopatum, & num.* 8. *ad Abbatialem dignitatem: quod utrumque recentiorum temporum eſt, uti & nomen* Prioris Clauſtralis *num.* 10. *uſurpatum. In Martyrologiis antiquis Bedæ, Vvandalberti, Vſuardi, Adonis & aliorum, nulla S. Claudij mentio habetur. In appendice ad libros Petri Equilini Epiſcopi de Natali SS. Vita S. Claudij legitur cap. ult. totidem pæne verbis, quibus hic deſcribitur.*

1. IN nomine ſanctæ & individuæ Trinitatis. Laudabili Fratrum Jurenſium inſtantiâ commoniti, vitam B. CLAUDII & ejus miracula ſummatim delibare decrevimus: cujus vitæ meritum ſi ad plenum proſequamur, mendacem invidiam minimè poterimus declinare: & ideò paucas ejus virtutes attingimus, ut nos lector parcos potiùs veritatis, quàm prodigos falſitatis inveniat.

2. Beatus igitur Claudius fuit ex nobili Salinenſium * Principum ſeu Palatinorum genealogia: qui uſque ad ſeptimum annum cum decenti cura in domo parentum ſuorum nutritus fuit. Tranſacto autem ſeptimo ætatis ſuæ anno, ab ipſis parentibus, probatiſſimis litterarum magiſtris inſtruendus traditus fuit, quibus artes quas liberales vocant, infra paucos annos plenè didicit: infra cujus temporis ſpatium, non ſolùm artes prædictas, verumetiam libros veteris & novi Teſtamenti, hiſtorias ſive paſſiones Sanctorum Martyrum atque Vitas Sanctorum Confeſſorum, necnon & ſermones ſeu homilias Sanctorum Doctorum, ſub ipſis magiſtris adoleſcens ſibi legendo percurreret. Erat enim jam in hac ætate, ingenio docilis, corde fervidus, & ſanctis operibus totus deditus, nec ſinebat diem tranſire abſque bonis operibus. Claudius litteris imbuitur. * *de Salins*

3. In hac autem ætate non ſolùm (ut diximus) litterarum ſtudio vacabat; verùm & omnibus diebus, præcipuè Dominicis & feſtivis, Eccleſiam frequentabat: Miſſam & horas canonicas ac divinæ Scripturæ ſermones avidè auſcultabat, ac in armariolo ſui pectoris recondebat. Perſonis verò religioſis aut honeſtis ſe admiſcebat, & cum eis de virtutibus ac bonis operibus ſemper conferebat: inhoneſtis autem ac ſcurrilibus numquam juxta eorum inhoneſtatem aut ſcurrilitatem reſponſum dedit: ſed potiùs manſuetè verba ſale ſapientiæ condîta, ac intantum rationabilia & dulcia, quòd omnium in ſe provocabant affectum. Diligebant eum provecti & ſapientes velut jam virum factum & virtuoſum & ſapientem; alij verò ut adoleſcentem affabilem atque prudentem. Numquam in foris, tripudiis ſeu quibuſcumque mundanis ſpectaculis adſtare viſus fuit: numquam cum mulieribus juvenibus abſque rationabili cauſa diu fuit: nec de qualicumque nefando opere notatus, non de riſu, reſpectu, vel quocumque tam modico verbo dignus reprehendi judicatus. Hic ſanctus erat vultu Angelicus, formâ decorus, inceſſu maturus, moribus ornatus, ſenſu profundus, ſermonibus affabilis, caritate præditus, intantum quòd omnes qui eum intuebantur, judicabant eum eſſe verum Dei famulum. Hæc quæ ſuprà diximus, Virtutibus vacat adoleſcens.

AN. CHR. DC. XCVIII. JUNII VI. in adoleſcentia ſine reprehenſione peregit.

Canonicis Veſontionenſibus adſcriptus ut ſe gerit.

4. Factus autem ætatis viginti annorum, erat jam in Divinis eruditus, ac in bonis operibus adſuetus. Militiam elegit Clericalem, petiítque humiliter, ac pro ſuis meritis obtinuit ſe recipi in Canonicum Cathedralis Eccleſiæ Biſuntinenſis. Qui creatus ſive factus dictæ Eccleſiæ Canonicus, incepit in ipſo Canonicorum collegio Eccleſiam frequentare, Miſſis, horis Canonicis, & aliis officiis Eccleſiaſticis intereſſe; libros ſacræ Scripturæ diligenter revolvere, lectiones ipſius ſacræ Scripturæ ferventer & attentè audire, magiſtrorum ſermones devotè auſcultare, ac per omnia ut verus Chriſti famulus abſque reprehenſionis nota ſe habere: ac intantum infra breve temporis ſpatium, Divinâ gratiâ ipſum proſequente, in prædictis ſanctis operibus profecit, quòd ſacræ paginæ probatiſſimus, ac talis, quòd in tota Burgundiæ provincia ſuo tempore non fuit factus ſimilis Magiſter & Profeſſor. Prædictis autem donis & virtutibus ditatus, de die in diem in ſanctitate proficiebat, Eccleſiam (ut diximus) frequentabat, Divina officia in ſuo gradu, & prout ad ipſum ſecundum ordinationem ipſius Eccleſiæ, abſque defectu reverenter & devotè exercebat; orationi prout temporis opportunitas ſe offerebat, frequenter incumbebat: omni pæne tempore, exceptis Dominicis & Feſtis, ſemel in die refectionem ſumebat; ſæpe noctes in oratione, lectione, & ſancta meditatione pervigiles ducebat; caſtum, & (ut credimus) virginem (utpote qui numquam de quacumque parva infamia notatus fuerit) ſe cuſtodiebat; in veſtimentis mediocrem ſe habebat; in moribus verò humilem, in verbis dulcem & affabilem ſe exhibebat; ac (ut uno verbo cuncta complectar) in omnibus virtutibus omnium judicio pollebat, itaut crederes illum jam probatiſſimum Monachum.

Epiſcopus ejuſdem Eccleſiæ divinitùs inſtituitur.

5. Completis autem in hujuſmodi ſanctis operibus duodecim annis, ejus ſuffragantibus meritis electus eſt in Archiepiſcopum Biſuntinenſis Eccleſiæ: quod qualiter factum fuerit, breviter enarrare dignum duximus. Infirmante enim dictæ Sedis Præſule infirmitate quâ deceſſit, vir beatiſſimus timens quod pòſt evenit, ne ſcilicet in Pontificem eligeretur, Eccleſiam ipſam ad tempus relinquere diſpoſuit, & ad ſuos parentes, dominos ſcilicet Salinenſium, devenire feſtinavit, & cum eiſdem in ipſa Salinenſium villa habitare cœpit. Dicto autem Præſule viam univerſæ carnis ingreſſo, Clerus & populus per aliquod tempus fuerunt in eligendo diſcordes, illis volentibus unum, aliis verò alium: tandem poſt multas altercationes inter ſe habitas ad ſe redierunt, & unanimes in oratione & fletu ſe proſtraverunt, ſupplicantes humiliter, ut meritis beatæ Dei Genitricis, & S. Johannis eorum Patroni, & omnium Sanctorum, Dominus eis miſericorditer inſpirare dignaretur, quem in Paſtorem dictæ Eccleſiæ eligere deberent. Orantibus autem illis, vox de cælo intonuit, quæ ipſos Canonicos ut à fletu ceſſarent monuit, & B. Claudium eligerent. Tunc Canonici non modicùm lætificati, ſanctum virum unanimiter elegerunt, & facta hujuſmodi electione non humanâ ſed potiùs Divinâ, miſerunt ad ſanctum virum honorabiles totius Eccleſiæ & civitatis pro obtinendo & habendo ejus conſenſu, & pro reducendo ad ipſam Eccleſiam memoratam. Facta autem prædicta electione & beato viro præſentata ac in dicta Salinenſi villa divulgata, non eſt noſtrum dicere, quantâ lætitiâ tota villa fuerit repleta, ad quantas ejus parentes eruperunt gratiarum actiones. Habito ejus quem denegare non potuit conſenſu, qui deſtinati fuerant, reduxerunt eum ad Biſuntinenſem civitatem: & ibi ejus divulgato conſenſu, quis dicere poteſt in quanto gaudio civitas fuerit, quantáſque gratiarum actiones Domino egerit? Puto verè ad hoc non ſufficere Maronis eloquentiam. Celebratis autem gratiarum actionibus, Canonici miſerunt ad Romanum Pontificem pro obtinendo ipſius electionis canonicam confirmationem: pro qua dictus Pontifex, comperta rei veritate, laudes immenſas & gratiarum actiones cum lacrymis Domino retulit,

& quantum neceſſe fuit, ipſam approbavit anno ſexenteſimo viceſimo-ſexto Incarnationis Dominicæ [a]. AN. CHR. DC. XCVIII. JUNII VI.

6. Factus autem Archiepiſcopus, ſubitò officium Paſtorale ferventer exercere cœpit. In collegio namque reſidens, Eccleſiam devotè frequentabat; Miſſas ſollemnes reverenter celebrabat; horis canonicis continuè intererat; ſermones Clero & populo memoratu dignos faciebat; cauſas Eccleſiaſticas horis debitis benignè audiebat, & decenter determinabat; nec propter ipſas, ſeu quævis alia negotia Eccleſiaſtica (quæ tamen irreprehenſibiliter adminiſtrabat) niſi eſſet evidens neceſſitas, Eccleſiam horis, quibus divina officia celebrantur, dimiſit. Exponebat diſertiſſimè ſacratiſſimas ſententias veteris & novi Teſtamenti, & per ſuos mellifluos ſermones eradicabat vitia, virtutes inſerebat. Erat namque profundiſſimæ litteraturæ & per omnia ſimilis bono patrifamilias, qui profert de theſauro ſuo nova & vetera. Viſitabat ſæpe provinciam ſibi commiſſam, ſacram verbi doctrinam ſeminando: & ut plura uno verbo concludantur, per omnia fidelis ſervus & prudens, quem conſtituit Dominus ſuper familiam ſuam. Erat etiam, ut diximus, valde dulcis & affabilis, pius, & mitis: quibus virtutibus miro modo omnium ad ſe attrahebat affectum. Et nihilominus tantum erat in Dei amore elevatus, quòd in contemplatione aſſiduè fixus, vix poterat ad corporalem refectionem declinare: vocatus tandem, ab Oratorio & ſtudio lætus & hilaris, ad menſam deſcendebat. [a] Id muneris rectè exſequitur.

7. Anno autem ſeptimo ſui Epiſcopatûs, Divino amore totus accenſus, totis præcordiis delicias, pompáſque hujus ſæculi funditùs volens relinquere, & Domino fonti vivo plenius vacare; cunctis ſtrenuè depoſitis, civitatem ſuam cum dignitate reliquit [b], & in Monaſterio S. Eugendi, quod eſt juxta fines dictæ diœceſis, omni Clero & populo dictæ civitatis renitente, ac lacrymis ipſum revocante, ab Angelo (ut ferunt) Monachis prænuntiatus, devenit: ibíque habitum, vitámque Monachalem arripuit. Reſidens verò in dicto Monaſterio, per omnia ut verus Monachus ſe gerebat. Erat enim in Divina contemplatione ſuſpenſus, in orationibus aſſiduus, in jejuniis continuus, in vigiliis fervidus, in ſanctis lectionibus & meditationibus præclarus: comedebat, & dormiebat ut Monachus: in divinis verò officiis peragendis primus omnium Eccleſiam intrabat, & ultimus recedebat: ſuo ſanctiſſimo exemplo omnes ad perfectionem Monaſticam promovebat. Ad Monaſterium S. Eugendi ſe recipit. [b]

8. Per idem tempus ſanctus INJURIOSUS Abbas, vir utique magnæ ſanctitatis & prudentiæ, dictum Monaſterium regebat: qui videns beati viri ſanctitatem, ei humiliter præſentavit regimen ipſius Monaſterii, ſupplicando quatenùs dignaretur ipſum & oves Domini paſcere & regere: quod vir ſanctus cum grandi manſuetudine renuit. Completis autem quinque annis ab introitu S. Claudii, S. Injurioſus Abbas migravit ad Dominum: quo dato Eccleſiaſticæ ſepulturæ, Fratres venerabiles dicti loci communi conſenſu cum magno devotionis ardore præfatum beatiſſimum Præſulem elegerunt ſibi in Paſtorem: & habito ejus quem eximiâ caritate qua erat præditus dedit aſſenſu, miſerunt ad ſedem Apoſtolicam, Injurioſo Abbati mortuo ſuffi-citur.

[a] Hic calculus nullatenus ſtare poteſt. Quippe S. Donatus Antiſtes Veſontionenſis ante S. Claudium, uti mox probabimus, anno DC. XXV. ſubſcripſit Concilio Remenſi, & ad annum uſque DC. L. ſuperſtes in eadem Sede vixit. Petrus Franciſcus Chifflerius in Indicibus Epiſc. Veſont. & Abb. Jurenſium in Gallia Chriſtiana fuſiori editis, S. Claudii annos ac res geſtas rectiùs ordinâſſe videtur. Claudius anno ætatis XX. Veſontionenſi Eccleſiæ adſcriptus eſt Canonicus. Poſt annos duodecim ad vitam perfectiorem anhelans, Jurenſi Monaſterio ſeſe addixit: ubi cùm annos quinque privatus egiſſet, excedenti INJURIOSO Abbati ſubrogatus eſt, Johanne Papa IV. Sedem Romanam tenente. Vacante interim per obitum GERVASII Epiſcopi ſede Veſontionenſi, jam tum grandævus magno omnium ordinum conſenſu ſucceſſor eligitur. At dignitatem abdicavit poſt annos ſeptem, ſuámque in eremum ſe recepit: ubi cùm annis LV. quâ Abbas quâ Epiſcopus præfuiſſet, ſanctiſſimè obiit VIII. Idus Junii, Childeberti Regis anno IV.

[b] Opinantur nonnulli, Donatum S. Claudio in Sedem Veſontionenſem ſucceſſiſſe. At cùm S. Donatus anno DC. XXV. Synodo Remenſi ſubſcripſerit, deceſſorem habere non potuit Claudium, qui non ante annum DC. III. natus eſt: ſiquidem anno IV. Childeberti Regis, id eſt anno Chriſti DC. XCVIII. nonagenario tribus annis major obiit.

AN. CHR DC. XCVIII. JUNII VI. postulantes beatum virum sibi dari in Prælatum. Sanctus verò JOHANNES sanctæ sedis Apostolicæ apicem tenens, qui prædictum Sanctum optimè noverat, eisdem Fratribus ac Monasterio beatissimum virum concessit in Pastorem : quod non sine Divinâ dispositione factum esse creditur, quòd in loco in quo plures floruerant sancti, beatissimus Præsul adnumeraretur, & locus ipse insignior efficeretur.

Monachos ad se trahit. 9. Accepto autem regimine dicti Monasterii, multi Clerici tam Ecclesiæ Bisuntinensis, quàm aliarum Ecclesiarum, necnon multi juvenes nobiles diversarum urbium, opidorum & terrarum ad eum catervatim confluebant, cupientes ei adhærere, ac cum magna instantia postulantes se recipi in Monasterio : quos beatissimus Pater absque difficultate & personarum acceptione recipiebat. Videns autem beatissimus Pater in dicto Monasterio magnum Monachorum numerum, disposuit recuperare oblationes olim dicto Monasterio per Reges & Principes factas. Unde primò hujus rei causâ perrexit Parisios ad Regem CHLODOVEUM; cujus prædecessores, Reges scilicet Burgundiæ & Franciæ, dona seu pensiones largissimas prædicto obtulerant Monasterio. Apud dictum Regem ipsa dona seu pensiones repetiit : qui Rex benignè confessus est, se debere & solvere teneri dicto Monasterio & Fratribus ibidem Deo servientibus, pro supplemento victûs & vestitûs dictorum Fratrum, summam quinquaginta modiorum tritici & quinquaginta modiorum hordei & quinquaginta librarum denariorum argenti. Deum testor, quòd quod ego propriis oculis vidi, & legi in Archivis dicti Monasterii, inter alias Chartas, unam diversis signis & characteribus signatam, super dictas summas confectam, sic incipientem : CHLODOVEUS Francorum Rex, omnibus præsentem paginam lecturis, salutem. Accessit ad nos vir venerabilis CLAUDIUS, &c.

Regiis beneficiis locum ditat.

Monasterio plurima confert. 10. Et non solùm Monachis qui tunc in ipso Monasterio in magno numero erant, necessaria administrabat, verumetiam pauperibus Christi & omnibus adventantibus alimenta sufficienter distribui faciebat. Non est nostrum enarrare, quatenùs vir ipse beatissimus ipsum Monasterium augmentavit. Nam si de temporalibus libeat fieri sermonem, Ecclesias ipsius Monasterii munivit pretiosissimis indumentis, vasis, crucibus, & candelabris aureis & argenteis, libris decentissimis, pannis sericis : Sanctorum verò Reliquias reposuit in capsis argenteis, lapidibus pretiosis adornatis : Monasterium & domos ipsius ædificiis decenter reparavit & auxit : jura alienata recuperavit. In spiritualibus verò, dici non potest, quantum Monasterium auxerit. Nam libri sermonum ejus redditi Fratribus, ex quibus cognosci potest, qualis in doctrina fuerit : sed insuper ex scripturis ipsius Monasterii, & potissimè B. RUSTICI (qui sub beato viro in Monasterio, officio Prioris claustralis functus, post ipsum Abbas exstitit) potest videri quales Fratres sub ipso Sancto fuerint. Patrator verò miraculorum fuisse dignoscitur, de quibus exstant libri conscripti [a]. Fuit autem Pater beatissimus in dicto Monasterio Abbas annis quinquaginta quinque. Fuit verò in hoc sæculo usque ad quartum annum CHILDEBERTI Francorum Regis. Nunc verò aliqua dicenda sunt de ejus glorioſissimo fine.

Oratione ad suos habita moritur Sacramentis munitus. 11. Expleto autem anno quinquagesimo quinto, à quo tempore Abbas electus fuit, sanus & immunis ab omni macula, licet esset antiquus & plenus dierum, incidit in quamdam levem infirmitatem : tertia autem die suæ infirmitatis convocari fecit omnes Fratres, quibus prolixum & luculentum fecit sermonem, in quo miris rationibus dulciter eos monuit primò de Divino amore, secundò de contemptu hujus mundi, tertiò ne aliquo modo tristarentur de ejus recessu : & videns eos uberrimè flentes, accepta ab omnibus pace, eos è cella sua abire præcepit, totámque exinde sequentem noctem in orationibus peregit. Quarta

[a] Libros illos de miraculis S. Claudii recuperare non potuimus.

verò

verò die, cum ſuorum adjutorio in Eccleſiam perrexit, & in ipſa ſacramenta ſacræ pœnitentiæ & Dominici corporis, totum profuſus in lacrymas, veneranter recepit, & cupiens fugere pompas urbium, & honorem populorum, corpus ſuum in ipſo Monaſterio ſepeliri juſſit: deinde ſuorum adjutorio in cellam rediit. Quinta autem die, circa horam diei nonam, reclinatus ſuper ſcamnum, ſuper quod legendo & orando ſedere ſolitus erat, erectis ad cælum ſuſpicientibus migravit ad Dominum [a]. AN. CHR. DC. XCVIII. JUNII VI.

a In appendice ad libros Petri Equilini Epiſc. Vita S. Claudii poſt hæc verba clauditur hoc modo: *Cujus corpus in prædicta Eccleſia S. Eugendi uſque nunc omnibus advenientibus incorruptum & integrum demonſtratur, innumeris coruſcans miraculis. Feſtum autem ejus celebratur* VIII. *Idus Junii.* Humbertus de Buenco Abbas anno M. CC. XLIII. thecas argenteas affabrè elaborari curavit, quibus SS. Eugendi & Claudii corpora reconderentur. Corpus S. Claudii hactenus integrum magna religione à popularibus frequentatur in eodem Monaſterio, quod poſtremis ſæculis S. Claudi nomen accepit. Abbates ſanctiſſimos habuit ſæculo V. Romanum & Lupicinum, Eugendum ſæculo VI. Claudium VII. Hyppolitum VIII.

VITA S. TRVDONIS CONFESSORIS IN HASBANIA,

CIRC. AN. DC. XCVIII. NOVEMB. V.

Auctore DONATO Diacono qui Sæculo VIII. vixit.

Ex Mſ. cod. V. C. Andreæ Cheſnii.

OBSERVATIONES PRÆVIÆ.

1. GESTA S. TRUDONIS * DONATUS Diaconus, & poſtea GUIKARDUS Abbas, utriuſque linguæ uſque ad interpretem uterque periti, latinitati tradiderunt, *inquit* THEODORICUS *Monachus, poſt Abbas Trudonianus, Vitæ S. Trudonis interpolator. Guikardi Abbatis lucubrationem recuperare nobis non licuit: aſt unus inſtar omnium debet eſſe ſcriptio Donati Diaconi, qui ceteris antiquitate præſtat. Ejus ætas petenda eſt à Pontificatu* ANGELRAMNI *Mettenſis Epiſcopi, Caroli M. Archicapellani, anno Chriſti* DCCC. *demortui, cui Angelramno Donatus Vitam S. Trudonis à ſe ſcriptam nuncupavit. Theodoricus in Monaſterio Ganda exſulare coactus ob eas cauſas quas in Obſervat. prævias ad Vitam S. Bavonis retulimus, hortatu* GERARDI *Abbatis & Monachorum Cœnobii Trudoniani*, novum libellum de Vita S. Trudonis cudere *aggreſſus eſt ſub finem Sæculi* XI. *quo in opere nihil agnoſcit ſui proprium*, præter verba alio curſu derivantia, auctoritatem à ſcriptoribus receptiſſimis *mutuatus. Et tamen de ætate S. Trudonis inſerit nonnulla, quæ cum rectâ chronologia convenire non poſſunt. Theodoricum demum etiam exornârunt Gerardus Moringus, & Bartholomæus Fiſenus in Floribus Eccleſiæ Leodienſis, ut omittamus auctores illos, qui de geſtis SS. Remacli & Chlodulfi Epiſcoporum ſcripſere, ſuiſque libris multa de S. Trudone tradiderunt. De Donato infrà ad cap.* 29. * *S. Tron, S. Truyen.* Vitæ Scriptores. *apud Sur.* 23. *Novemb.* *ad ann.* 655.

2. *S. Trudonis memoriam in ſuis Martyrologiis celebrant Vvandalbertus, Florus, Vſuardus & Hrabanus. Vſuardus quidem ſic:* IX. Kalend. Decemb. in pago Haſbanio S. Trudonis Preſbyteri & Confeſſoris. *Florus addit:* qui mundum deſpiciens maximis enituit virtutibus. *Et veterrimum Corbeiæ Kalendarium:* In Gallia, vico Sarcingo depoſitio S. Trudonis Preſb. & Conf. *In eo vico S. Trudo conſtruxit rexitque Monaſterium, quod ex nomine auctoris appellationem traxit, ac* Sarcingo *ſeu* Sarchinio *cauſa etiam nominis & incrementorum fuit, adeo ut ex vico opidum evaſerit. Et Cœnobium quidem illud licèt in diœceſi Tungrenſi poſitum ad Ciſindriam fluvium, (qui inde defluens, in limitibus hodiernæ Brabantiæ Getæ miſcetur) tamen ſub tutela Mettenſium Epiſcoporum adquievit, propterea quòd Trudo res ſuas ipſumque Sarchinii vicum, conſentiente S. Remaclo Tungrenſi ſeu Trajectenſi Epiſcopo, Mettenſi S. Stephani Eccleſiæ tradiderat: donec Hugo de Petra-Ponte Leodicenſis Epiſcopus à Iohanne Mettenſi Antiſtite Abbatiam & municipium Trudonianum in patrocinium ſuum anno* M. CC. XXVII. *recepit. Lege Ægidium Aureæ-Vallis Monachum de Geſt. Pont. Leod. cap.* 125. *Perſtat etiamnunc Monaſterium S. Trudonis, Ordini Benedictino addictum, an ab ipſa origine, diſquirendum.* Memoria in faſtis ſacris. Monaſterium.

3. *Audiendus* RODULFUS *Abbas Trudonianus in Præfatione de Geſtis Abb. Trudon. in hæc verba:* Dum noſtrum & piiſſimæ memoriæ S. Trudonem Clericum fuiſſe & Sacerdotem & Cœnobii noſtri primum ædificatorem Vita ipſius docet, necnon & B. Remacli Tungrorum Monaſtica profeſſio. *Tom.* 7. *Spicil.*

CIRC. AN. DC. XCVIII. NOVEMB. XXIII.

Episcopi: ubi aliqui leguntur de Principibus Regnorum & Rectoribus Ecclesiarum, quorum temporibus hoc nostrum sanctissimæ puritatis lilium efflоruit. Sed hoc manifestè neque ibi, neque aliàs usquam datur intelligi, utrùm per eum ipsum regeretur primò ædificatum Cœnobium nostrum, sive per alium: Clerici quoque sive Monachi fuerint, quos in eo constituerit, & quando Monachi in eo esse cœperint... Unde excusatùm me rogo habere lectores hujus mei opusculi, si minùs quàm velletis, certos vos reddidero ex his, de quibus ipse certior esse non potui. *Hæc ingenuè ac sincerè Abbas Rodulfus, cujus vestigiis inhærere animus erat, nisi quædam argumenta suaderent, & S. Trudonem fuisse Monachum, & Monasterium ab ipso conditum non Clericis, sed Monachis à primordiis paruisse. Trudo teste Donato cap. 3.* omni tempore hoc postulabat à Domino, ut sacras litteras disceret, quatinus SUB SANCTÆ CONVERSATIONIS HABITU postmodum soli Domino militaret. *Quibus verbis scriptores antiqui Monasticum habitum & institutum designare solent. Postea vir sanctus* depositо laïcali habitu comam suam in S. Stephani Protomartyris Ecclesia vovens se soli Domino serviturum totondisse *fertur cap. 11. Erunt forsitan qui existiment, hic significari habitum Canonicorum, quos Chrodegangus Episcopus in Ecclesia Mettensi instituerat. Illud tamen movet, quòd Trudo in patriam reversus, cùm apud quemdam hospitatus fuisset,* sanctæ Religionis habitum *gestâsse dicitur cap. 14. quo nomine nusquam quis, nec Chrodegandus ipse in Regula, Canonicorum habitum exprimit. Adhæc* multi nobiliorum hominum filii, istius sæculi prospera despicientes, comámque suam deponentes, cum invicto milite Christi soli Domino deservierunt *ex cap. 15. Et commune illorum domicilium non tantùm* Cella *& Monasterium, sed* Cœnobium *cap. 28. dicitur. Denique* GRIMO Abbas *ante medium sæculi VIII. loco* regulariter præfuisse *memoratur in litteris Roberti Hasbaniæ Comitis,* anno V. post obitum Theoderici Regis, *id est anno* DCC. XLII. *aut insequenti datis, quibus* locum Dungo cum Basilica inibi constructa legitima traditione deputat ad Basilicam S. Trudonis, ubi ipse sanctus Dei in corpore requiescit: cui etiam Ecclesiæ venerabilis Abba Grimo nomine regulariter præesse videtur. *Atqui* τὸ regulariter *opponitur voci* canonicè, *ut constat tum ex variis locis, tum ex Conc. Magontiacensi anno* DCCC. XIII. *habito, cujus hæc verba:* Quæ professionem S. Regulæ B. Benedicti fecerunt, regulariter vivant: sin autem, Canonicè vivant. *De his satis.*

Notit. Mir. cap. 16.

CAPITULA IN VITA SANCTI TRUDONIS.

PRÆFATIUNCULA *hujus opusculi ad* ANGELRAMNUM *Archiepiscopum.*

CAP. I. *De ortu & religiosa pueritia S. Trudonis.*

II. *De voto vel ædificio viri Dei, quod proterva mulier despexerat, qualiter correpta sit, & quomodo iterum per orationem ejus pristinæ sanitati sit restituta.*

III. *Qualiter vir Dei temporales pompas despiciens, soli Deo & parentibus honorem & pietatem prabebat.*

IV. *Quomodo per visionem admonitus sit ut isset ad* REMACLIUM *Tungrensis urbis Episcopum.*

V. *Qualiter susceptus sit à. B. Remaclio.*

VI. *Qualiter admonitus sit ab eodem Episcopo, ut ad Mettensem urbem pergeret, & S. Stephanum suum hereditarium fecisset.*

VII. *De pueris Episcopi qui insipienter habitum sancti viri despexerant, qualiter ab Episcopo correpti sunt.*

VIII. *De profectione viri Dei ad Mettense opidum, vel qualiter sanctitatem ejus custos Ecclesiæ cognovisset.*

IX. *Qualiter susceptus est à B.* CHLODULFO, *& quomodo possessionem suam S. Stephano tradidit, vel qualiter præfato custodi Ecclesiæ commendatus sit ut litteras disceret.*

X. *De iniquo dispensatore qui virum Dei despexerat, qua ultione percussus sit.*

XI. *De religione viri Dei, vel qualiter in Mettense Ecclesia clericatus sit.*

XII. *Qualiter eum B. Chlodulfus ob utilitatem multorum destinavit in patriam.*

XIII. *Qualiter detrimentum ejus lugissent* * *cuncti urbem habitantes Mettensem, & quomodo susceperit eum B. Remaclius.*

XIV. *De hospitio illius in cujusdam fidelis domo viri, ubi etiam Divina gratia super eum in nocte refulsit*

XV. *De perventu viri Dei ad hereditatem suam, in qua statim honorificè construxit Ecclesiam.*

XVI. *De equo ipsius quem latro furtim abstulit, qui postea arreptus fuit à damonio, quomodo eum vir Dei sanavit.*

* luxissent

XVII. *Qualiter fontem in horto cognati ſui cum cambutta ſua de arida terra produxit.*
XVIII. *De ſævienti porco quem ille in manſuetudinem convertit.*
XIX. *Qualiter noctu duas procul poſitas Eccleſias ſolitarius viſitâſſe conſueverat.*
XX. *De tranſitu ejuſdem venerabilis Patris, qualitérve Patribus ſuis ſuum exitum prædixiſſet.*
XXI. *De miraculo quod in trigeſimo tranſitus illius die geſtum eſt.*
XXII. *Qualiter illuſtris vir* PIPPINUS *ad ſepulcrum illius duas villas tradidit, &* PLECTRUDIS *uxor ſua altare in honore S. Patris fabricari præcepit.*
XXIII. *De propinquo viri Dei, quem admonuit ne uxorem duceret, eúmque hoc verbum contemnentem qualiter corripuit.*
XXIV. *De Gotfrido cæco qui coram ſepulcro ſancti viri lumen oculorum ſuſcipere meruit.*
XXV. *De ſervo ejus quem inveſtigantem ſublatos boves latrones occiderunt, qua ultione percuſſi ſunt illi qui hoc nefas perpetrâruns.*
XXVI. *De bobus matricularii qui furtim ſublati ſunt, quàm citò reſtituti fuerint.*
XXVII. *De miraculo quod temporibus venerabilis Patris* HRODEGANDI *ob defenſionem culpabilis pueri geſtum eſt.*
XXVIII. *De theſauro ejuſdem Eccleſiæ furtim ſublato, qualiter repertus fuit.*
XXIX. *De contracta muliere quæ in feſtivitate S. Patris ſanata eſt.*
XXX. *De claudo quem per merita beati viri Deus priſtinæ ſanitati reſtituit.*
XXXI. *De eo qui coram altare S. Trudonis mirabiliter viſum recepit.*

CIRC AN. DC. XCVIII. NOVEMB. XXIII.

PRÆFATIO AD ANGELRAMNUM.

1. *BEATISSIMO Patri* ANGELRAMNO *Archiepiſcopo* [a] DONATUS *exiguus, ultimúſque exſul perennem in Domino ſalutem.* Beatitudine veſtra ſuggerente, Pater beatiſſime, cogor compendioſa brevitate quædam de vita ac converſatione feliciſſimi Patris TRUDONIS Preſbyteri meæ parvitatis ſtilo ſubnectere. Qua in re imbecillitas ingenii mei mentíſque conſcia facultatis ad tam dignum opus aſſerendi parvitas velut cujuſdam gracilis cymbæ prora fluctibus undoſi gurgitis ſpumantibúſque ſalſi æquoris æſtibus Auſtro urgente illiditur, & quaſi contra quemdam præcipiti amnis impetum zephyro tumentia rates impellunt vela, repercuſsáque cedit ſæpe immenſis viribus fluviſque ſpumante mole carina: & tamen inceptum itineris callem carpere non deſiſtit inſtantibus auſtris. Haud ſecus indoctæ mentis meæ acies dum Beatitudinis veſtræ juſſionibus obtemperare compellitur, indignitatis ſuæ memor ſæpius à cœpto tramite reflectitur. Sed tandem fluctuantem animum veſtræ auctoritatis anchora ſolidavit. Dum enim mens intra pectuſculi clauſtra hac longa trepidatione ancipitíque formidine deſudaret, utrùm indignus hoc tam egregium opus ſubire debuerim, ſeu etiam ne detractionibus ullius ſubjacuiſſem, hoc adire minimè tentarem; reſpondit mihi tacitæ mentis intentio, melius mihi eſſe ceteris deliquiſſe, quàm veſtræ Beatitudinis juſſionem præterire. Itaque præbeo me omnibus quaſi obnoxium, æmulorum jacula poſtponens, Felicitatis veſtræ præceptis obtemperans, ut juſſum operis arvum exerceam: beatiſſimique Trudonis ſuffragiis & veſtræ Sanctitatis interceſſionibus ſuffultus, Davidici carminis verſum cantabo dicentis: *Domine labia mea aperies & os meum annuntiabit laudem tuam.* Laus *Pſ. 50. 17.* enim Domini eſt annuntiatio operum ſanctorum, qui eſt mirabilis in Sanctis ſuis. Obſecro itaque Domini clementiam per merita præfati Patroni, ut ſicut quondam arentis ſilicis venas largifluas emanare juſſerat aquas; haud aliter arentia ingenioli mei viſcera & nullo prærogativæ ſcientiæ imbre perfuſa, affluenti ſuæ ſapientiæ dulciſluo rore irrigare dignetur. Potens namque eſt ille torporem ingenii mei duriſſimi in Sanctorum illius laudes excitare, qui dudum inſueta eloquiis deditáque confuſis vocibus bruti aſelli ora in articulati ſermonis decorem convertit. Supplico itaque per eumdem Dominum eos qui lecturi ſunt hoc meæ parvitatis opuſculum, quíque acriori pollent ingenio & auctoritate eximiæ lec-

[a] Primus hoc Archiepiſcopi nomine inter Mettenſes Epiſcopos donatus eſt Chrodegangus, uti infrà cap. 27. qui à Stephano Papa *Archiepiſcopus ordinatus* fuiſſe & *Pallium accepiſſe* memoratur apud Anaſtaſium. Quo etiam nomine Drogo & Yvalo ob Pallium à Summo Pontifice conceſſum inſigniti leguntur.

CIRC. AN. DC.XCVIII. NOVEMB. XXIII.

tionis vigent, ne audaciæ me culpâ redarguant, dum magnæ auctoritatis juſſione coactus hoc opus me adire cognoverint; nec gracilis rudiſque ſermonis dicta contemnant, ſed magis mediocriter à me relata eorum redundante ſcientia ſuppleantur. Certum namque eſt, quòd in domo Domini cyathi menſura Deo jubente fabricata eſt: cujus etiam vaſculi normam intra ſanctam Eccleſiam minimè contigiſſe me fateor: obtuli autem in domo Domini quæ potui. Illi autem non meæ exiguitatis dicta deſpiciant, dum manifeſtum ſit illis Domino me detuliſſe quod valui, quamquam dignè non rependi quod debui. Supplicatur itaque illorum larga ſcientia à me artiùs relatum opuſculum ad cumulum videlicet laudis Domini*, & ut dignum eſt, eorum pretioſo labore pretioſam etiam retributionem conſequentur. Aſt ego parvitatis meæ munuſculo ab immortali Retributore mercedem dignam ſuſcipere non diffido, & ne diutiùs his longis verborum anfractibus inhærere videar, ad cœpti itineris callem veſtigia vertam.

* *ſupple* exornare

2. Hæc igitur pauca ex innumerabilibus S. Patris miraculis, ruſtico quidem ſermone, ſed fideli narratione tibi, beatiſſime Pater ANGELRAMNE, congeſſi. Parce itaque obſecro inſipientiæ meæ, alme Præceptor, & quæ obtunſi ingenii mei ſcrupulo in hac ſuccincta relatione obfuſcata velantur, ſplendidiſſimæ ſapientiæ tuæ fulgore irradiata refulgeant. Oramúſque Dominum JESUM-CHRISTUM, ut per merita S. Trudonis te inter hujus mundi vaga diſcrimina per multos annorum curſus ob multorum hominum profectus ſanum & incolumem abſque peccati macula cuſtodire dignetur, quatinus poſt longævam hujus vitæ felicitatem inter Angelorum agmina unà cum eodem Confeſſore Chriſti perenni gaudio exſultare merearis præſtante Domino noſtro JESU-CHRISTO, cui eſt ſimul cum Patre & Spiritu-ſancto honor, laus, virtus & imperium per immortalia ſæcula ſæculorum Amen.

INCIPIT VITA.

CAP. I.

VENERABILIS igitur TRUDO in Haſbaniæ finibus nobiliſſimâ Francorum proſapiâ ortus fuit. Erant autem parentes illius locupletes valde tam in pecuniæ, quàm etiam in agrorum poſſeſſione. Erat verò Trudo elegans & pulcherrimus inter omnes ſuæ pubertatis coætaneos, ſapiens verbis, prudens moribus, conſilio firmus, ingenio vigens, decorus adſpectu, blandus alloquio: & quod his majus eſt, à primo ætatis ſuæ tirocinio in amore ſupernæ patriæ ita exarſit, ut cuncta quibus mortalium fruitur vita deſpiceret, atque immortalis vitæ appetitu magnoperè deſudaret. Cunctis enim virtutibus quibus cæleſte regnum adipiſcitur, ſancti pueri nutriebatur infantia. Nihil de terrenis faſtibus ambiens, mentis aciem in Creatoris omnium timore ſimul & amore fixam tenebat. Erat autem in eo tanta largitatis induſtria, ut omnia quæ præter ſimplex indumentum habere poterat, pauperibus & egenis erogaret: itaut ſæpe accidiſſet, quòd etiam ſingularis tegminis particulam aut integram ſive etiam ob proprii corpuſculi tutamen neceſſarium abſciſſam indigentibus diſtribueret. Itaque geſtum eſt, ut frequenter pro talibus geſtis parentes illius hoc graviter ferentes improperarent, & magnis minis ſæpiſſime eum terrerent; ſed nihilominus ſanctus puer inſtantiùs acſi illum potiùs ad hoc opus inſtigarent quàm vetarent, eleëmoſynarum ſegetem uberiùs ſeminabat, reticens in corde ſuo teſtimonium Evangelicæ lectionis: *Date eleëmoſynam & ecce omnia munda ſunt vobis.* Et egregii Doctoris Gentium quo ait: *Fratres qui parcè ſeminat, parcè & metet; & qui ſeminat in benedictionibus, de benedictionibus & metet.* Intellexit igitur beatus puer nihil aliud hoc verbo innuere, quàm ſecundum eleëmoſynarum quantitatem etiam retributionis creſcere augmentum. Hinc ille deſpiciens parentum minas, cotidie pauperibus largiùs eleëmoſynas erogabat.

Luc. 11. 41. 2. *Cor.* 9. 6.

11. Igitur dum beati pueri mens cæleſtibus anhelaret deſideriis, & à terrenorum cura ad Eccleſiaſticas excubias flagranti animo præpararetur, quodam die ni-

mio fervore Divini amoris ſuccenſus, dum in cujuſdam agri planicie congeriem lapidum conſpexiſſet, quoddam fundamentum ad modum Eccleſiæ ex eiſdem lapidibus puerili arte conſtruens, preces omnipotenti Domino fudit in eodem loco, votúmque vovit Domino, quòd ſi ei ſpatia vitæ dediſſet ut parentum ſuorum heres exſtitiſſet, in ſua propria hereditate Eccleſiam ædificaret. Quam devotionem adjuvante Deo poſt plures annos adimplevit. Sed antiquus humani generis hoſtis votum beati pueri adſpiciens, more ſolito invidens ingemuit. Contigit autem ut quædam mulier per eumdem tranſiret locum, in quo S. Trudo fundamentum Baſilicæ ſtatuit: quam invidus inimicus poſſe proſternere facile conſpiciens, contra beatum puerum inſtigavit. Illa namque ilico dictum opus irridens procacíque vultu aggrediens, nefandis calcibus lapides diſperſit per agrum. Sed Dominus injuriam ſervi ſui conſpiciens, illam mulierem digna ultione perculit. Nam celeri ultione percuſſa eſt. Obſtupuit igitur illa, magníſque clamare vocibus cœpit: Heu, inquit, quænam ſunt hæ tenebræ quæ circumcinxerunt me! num uſquam præſenti ſole nox quemquam involvit? His itaque clamoribus & immenſis plangoribus vicini habitatores loci illius concurſu non modico velociùs affuerunt, eámque diligentiùs interrogaverunt quid ſibi acciderit, ut his eos clamoribus congregaret. Aſt illa cum fletu & gemitu magno ob injuriam B. Trudonis confeſſa eſt ſibi contingere cæcitatem. Accerſitus autem ſanctus puer celeriter affuit: rogaverúntque eum univerſi ſuppliciter, ut facinus quod in ſe mulier perpetraverat, clementer indulgeret, & pro delictis illius immortali Domino funderet preces. Aſt ille miſericordiâ motus, cum lacrymis pronus in terram omnipotentem Dominum pro illa deprecatus eſt: ſtatímque exaudivit eum Dominus, & ecce mulieri amiſſum celeriùs reddit viſum. Noluit enim Sanctus propriam injuriam ulciſci, ſed è contrà præbuit indulgentiæ fructum. Audivit enim Prophetam dicentem: *Mihi vindictam, ego retribuam dicit Dominus.* Retinuit quoque Pauli Apoſtoli ſententiam dicentis: *Noli vinci à malo, ſed vince in bono malum.* Illa verò ſtatim ut vidit, magnas Deo gratias agens, ad pedes ſancti pueri proſtrata cecidit, & ſindonem qua induebatur ſuper paullo antè deriſum expandit locum; & puerum quem antè illuſerat, ſimul cum loco magnis cœpit honoribus vènerari. Sícque geſtum eſt, ut protervitas mulieris ut dignum erat ab omnibus illuderetur, & S. Trudonis devotio à cunctis laudaretur.

CIRC. AN. DC. XCVIII. NOVEMB. XXIII.

Deut. 32. 35.

Rom. 12. 21.

III.

Creſcebat autem in B. Trudonis pectore ſimul cum ſancti corporis robore animi ſobrietas, morum conſtantia, ſtabilitas mentis, omniúmque ſanctarum copia virtutum. Contigit autem ut labentibus ſecundum humanam conſuetudinem annis ſanctus puer ad adoleſcentiæ pertingeret florem. Veniebant itaque ad eum, ut erat nobiliſſima ſtirpe procreatus, inclyti quique juvenes coætanei ejus, hortabantúrque eum immo póſtulabant, ut unà cum illis, ut mos eſt Regiis pueris, venandi exerceret ritum. Ille verò mentis intentionem unanimiter in cæleſtis patriæ amore roborans, illorum ſuggeſtioni animum minimè ſubdebat, & cum illis ad tale ſtudium non iturum profeſſurus eſt. Cùm igitur hoc ſæpiùs ageretur, & beati pueri mentem nullis ſæcularium vanitatum ſordibus humana ſuggeſtio contaminare potuiſſet; cœperunt præfati juvenes deſpicere eum, & quaſi degenerem æſtimare. Beatus vero Trudo velut lenis Jacob habitabat in tabernaculis, pietatíſque obſequia parentibus ſollerti cura & magna ſollicitudine adhibebat, ſeſéque cotidie inter laicales habitus & ſæcularis vitæ tumultus in ſanctæ religionis cultu & mandatorum Domini obſervatione ſummopere exercebat: itaut forinſecùs ob parentum pietatis obſervantiam laïcus appareret, intrinſecùs verò coram Domino ob nimiam abſtinentiam & magnæ religionis cultum Monachus exſiſteret. Itaque geſtum eſt ut in uno eodémque corpore geminam in Domino duceret vitam. Audivit enim per Moyſem Dominum dicentem: *Honora patrem tuum & matrem tuam, ut ſis longævus ſuper terram, quam Dominus Deus tuus dabit tibi*; meminítque verbum Domi-

Exod. 20. 12.

CIRC. AN. DC.XCVIII. NOVEMB. XXIII. *Luc.* 12.

ni dicentis: *Nisi quis reliquerit patrem aut matrem* &c. *propter nomen meum, non poteſt ille meus eſſe diſcipulus.* His itaque duobus præceptis ſanctus vir coartatus, & pietatis miniſterium præbebat parentibus, & igne Divini amoris ſuccenſus abſtinentiæ & caſtitatis orationíſque & aſſiduum vigiliarum & eleëmoſynarum immortali Domino rependebat cultum. Erat autem ſingulare atque unicum ſancti viri deſiderium, omníque vitæ ſuæ tempore hoc poſtulabat à Domino, ut ſacras litteras diſceret, quatinus ſub ſanctæ converſationis habitu poſtmodùm ſoli Domino militaret.

IV. Igitur lapſis ſecundum mortalium ævi ſupputationem celeriter annis, dignatus eſt pius Dominus reſpicere devotionem ſervi ſui, & frequentium gemituum & lacrymarum miſertus eſt clementer. Quadam nocte dum ſanctus vir poſt conſuetum vigiliarum orationúmque laborem paullulum ſomni propter inſertam humani generis naturam corpori concederet, apparuit ei vir formoſiſſimus miræque pulchritudinis, Angelico vultu, indutus fulgentibus veſtimentis, ſtánſque coram illo dicere cœpit: Orationes tuæ & eleëmoſynæ, frater Trudo, quibus magnopere deſudâſti, acceptabiles ſunt apud Deum. Adimplevit itaque Dominus noſter JESUS-CHRISTUS votum tuum quod ei voviſti in pueritia tua, conſolabitúrque te Creator omnium, & dabit tibi deſiderium cordis tui. Sapientiâ enim ſuâ erudiet te, quia illam ab eo poſtulâſti. Docebit ergo te omnia mandata ſua, & præcepta ſua ſcribet in tabulis cordis tui. Tu verò deinceps docebis populum ſuum, & ad dignum Sacerdotale pervenies miniſterium. Quia enim hoc ſolum inceſſanter à Domino deprecatus es, largiri dignatus eſt tibi. Oratio enim Juſti aſſidua multùm valet apud Dominum, & preces importunæ & inceſſabiles adſcendunt ad aures ejus. Gaviſus eſt itaque venerabilis Trudo valde, gratiáſque omnipotenti Deo reddidit in corde ſuo, & apud ſe tacitus admirans conferebat verbum Domini: *Petite & dabitur vobis, quærite & invenietis, pulſate & aperietur vobis. Omnis enim qui petit accipit, & qui quærit invenit, & pulſanti aperietur.* Addidit quoque jam dictus formoſus vir loqui ad eum: Surge, inquit, & vade ad B. REMACLIUM Tungrenſis urbis Pontificem: ipſe enim eſt haud longè hinc in villa quæ nuncupatur Septimburias. Illi namque oſtendit Deus omnia quæ te oportet facere, docebítque te vias tuas. Tu verò fac omnia quæcumque dixerit tibi. Dominus autem tecum erit, & cuſtodiet te in omnibus viis tuis. Surrexit itaque B. Trudo valde diluculo (perterritus enim erat illa maxima viſione) & volens velociùs ſciſcitari eventum rei, aſſumpſit ſecum in comitatu duos pueros & ad villam quæ dicitur Septimburias pergere cœpit. Cùm autem appropinquaret domui in qua Pontifex eſſe videbatur, admonuit Epiſcopus pueros ſuos dicens: Occurrite velociter viro Dei qui venit viſitare nos, ecce enim appropinquat. Suſcipite igitur eum cum omni diligentia & honore, & adducite ad me. Illi verò pueri cum feſtinatione currentes, obviaverunt ei in ipſo introitu portæ quæ ducebat ad domum Epiſcopi, cognoverúntque quod de illo dixiſſet Pontifex, & ſtatim ſuſceperunt eum cum ſumma veneratione.

Matth. 7.

V. Adductus eſt itaque B. Trudo in præſentiam Pontificis: intuitus autem eum benigniſſimus Remaclius, ilico ſurrexit & occurrit ei in medio pavimenti domûs ſuæ. Piiſſimus verò famulus Dei Trudo niſus eſt proſtrare ſe ad pedes ejus. Pontifex autem cum ſumma feſtinatione ſuſcepit eum, & deoſculans amplexus eſt illum, & cœpit pro nimia exſultatione flere ſuper collum ipſius. Cúmque diutiſſimè hoc ageret, & uterque vultum largifluis rivis lacrymarum ob deſiderium ſupernæ patriæ ubertim madidâſſet, ſanctus Pontifex fari cœpit: Benedictus es, inquit, Domine Rex omnipotens, conſolator omnium ſperantium in te. Sit tibi Domine JESU-CHRISTE laus & jubilatio per infinita ſæcula ſæculorum, qui dignatus es hodie nos viſitare per adventum ſervi tui. Hoc ait, converſúſque ad beatiſſimum Trudonem ait: Benedictus eſto, Fili mi, Deo altiſſimo, ipſéque Deus qui direxit iter tuum ad nos, cuſtodiat deinceps greſſus tuos in ſemitis

mandatorum illius, dérque tibi propitius desiderium animæ tuæ, & tribuat tibi benignus petitionem cordis tui. His ritè dictis sedit Pontifex, statuítque B. Trudonem ad dexteram suam, immensóque gaudio repletus ait: Ecce quàm bonum & quam jucundum habitare fratres in unum. CIRC. AN DC. XCVIII NOVEMB. XXIII.

V I. At postquam hæc sanctæ salutationis verba cessaverunt & simul sancti Patres consederunt, cœpit beatus Pontifex loqui ad virum Dei & ait: Notum tibi sit, Fili mi, quia ex hac hora lege inviolabili filius meus eris, & ego locum patris tui perenniter spirituali jure tenebo. Ut autem hoc audivit vir Dei, inclinavit se humiliter, gratias Deo referens, & voluit osculari genua Pontificis. At ille levavit eum, & sibi pulcherrimæ libavit oscula pacis. His ritè peractis addidit venerandæ memoriæ Remaclius loqui ad pium Trudonem: Non possum tibi, inquit, Fili carissime, celare vias tuas. Nam Dominus mihi dignatus est ostendere omne quod te oportet facere. Inclina igitur aures tuas ad admonitionem patris tui: verbum enim Domini factum est ad me, ut ostendam tibi viam salutis tuæ. Perge ergo, Fili mi, feliciter ad CHLODULFUM Mettensis urbis Pontificem, omnémque possessionem tuam & cuncta qua habere visus es in his partibus, per manus ipsius trade S. Stephano Protomartyri Christi, fácque illum heredem tuæ terrenæ possessionis, ut ipsius suffragantibus meritis cohereditarius ejus sis in gaudio regni cælestis. Revelatum est enim mihi à Domino, quia vovens voviſti votum in pueritia tua, ut si fortè concediſſet * Dominus maturæ ætatis spatium, Ecclesiam sibi in tua hereditate ædificaturus esses, ac ab illo tempore unicum desiderium tuum fuit ut sacras litteras didiciſſes. Suscepit igitur Christus votum benevolentiæ tuæ, tradétque tibi desiderium cordis tui: tantùm fac sicut præcipio tibi, ut perveniens ad Mettense opidum postquam S. Stephano tuam tradideris hereditatem, postules à præfato Pontifice ejusdem urbis, ut studio sacrorum apicum erudiat te: dabítque tibi Dominus gratiam in conspectu omnium videntium te. His & aliis plurimis sanctæ exhortationis verbis suis vir Dei admonitus est à S. Remaclio, hísque expletis sanctus Pontifex benedicens eum dimisit in pace. * conceſſiſſet

VII. Postquam autem egressus est B. Trudo à conspectu Pontificis, cœperunt pueri adstantes eidem Episcopo superbiæ livore perculsi sancti viri habitum insipientibus verbis illudere dicentes: Quid putas qualem virum honoravit hodie dominus noster? Nonne pauper est qui tam despectis vestimentis indutus erat? cur ergo talem virum dominus noster juxtà sedere præcepit? Audiens autem venerabilis Pontifex illos hæc apud se conferentes, intellexit quòd de beato Trudone hæc dicerent: & increpans eos cum graviſſimo opprobrio ait: Væ vobis, inquit, stulti & insipientes corde, qui personam hominum ex vestimentorum qualitate judicatis. Deus qui scrutator est cogitationum & inspector est cordium, quique interioris hominis pulchritudinem & ornatum quærit, & non exterioris, scit quia dives est vir iste qui visitavit nos, immortalibúsque divitiis valde locuples. Dominus autem cum illo est, & ipse dignatus est hodie per illum nos visitare. Vos autem ob vestimentorum ipsius qualitatem eum judicare putatis; ipse verò coram Deo melior nostri est, & meruit hodie vocem Domini audire consolantem se, & pollicentem sibi adimplere omne desiderium cordis sui. Nolite despicere talem patronum: deprecamini potiùs Dominum omnipotentem, ut per merita illius de his otiosis verbis tribuat vobis veræ indulgentiæ fructum. Zelatus est namque Dominus erga servos suos, & vindex est injuriarum omnium Sanctorum illius. Hic enim vir beatitudinem evangelicam felici jure adeptus est, de qua Dominus ait: *Beati pauperes spiritu, quoniam ipsorum est regnum cælorum.* Hic namque vir in hoc mundo dives esse potuit: at ille fallaces ac temporales divitias pro æternis & quæ fine carent divitiis vendidit, & in hac vita despectus esse ab hominibus non erubescit, ut in æterna patria coram immortali retributore decorus appareat. Tunc illi pueri simul prostraverunt se ad pedes Episcopi veniam ab eo postulantes. At ipse: Surgite, inquit, propi- *Matth. 5.*

CIRC. AN. DC. XCVIII. NOVEMB. XXIII. tius ſit vobis Deus: cavete autem ne ultrà hujuſcemodi crimen incurratis.

VIII. Beatiſſimus ergo Trudo reverſus eſt in domum ſuam, & præparavit cuncta quæ neceſſaria illi erant in itinere, dimiſsíſque omnibus quæ poſſidebat, felici greſſu proſperóque curſu Mettenſem urbem petiit, exemplum Patriarchæ Abrahæ gerens, qui jubente Domino exiit de terra ſua & de cognatione & de domo patris ſui. Intravit autem B. Trudo Dei famulus Mettenſe opidum, venítque ad glorioſam Eccleſiam S. Stephani primi Martyris, in qua ſummâ ut dignum eſt reverentiâ pretioſiſſimus ſanguis illius cuſtoditur, quæ etiam Wandalorum tempore, defendente Divinâ gratiâ & meritis ſancti Martyris, in medio urbis incendio ſola illæſa permanſit. Quam cùm ingreſſus eſſet venerabilis Trudo, cum maxima humilitate proſtravit ſe coram altari, devotiſſimáſque omnipotenti Domino cum affluenti lacrymarum effuſione fudit preces, invocavítque etiam ſuffragium beatiſſimi Stephani Martyris, ut orationes ipſius coram majeſtate Altiſſimi prævalerent, ſéque cum omnibus quæ poſſederat Deo & eodem Martyri Chriſti feliciter obtulit, hoſtiam videlicet (ut Paulus ait) vivam, Deo placentem. Dum autem vir Dei in illa ſancta oratione diutiſſimè perſeveraret, cuſtos Eccleſiæ diligentiſſimè eum intuitus eſt. Vidit enim in eo ſanctæ devotionis ſpiritum, & apud ſe tacitus admirabatur, cupiebátque ſciſcitari unde talis vir cum tanto fervore divini amoris exſiſteret. Tandem ergo erigens ſe B. Trudo ab oratione, madidum lacrymis extergere vultum cœpit. Acceſſit autem ad eum cuſtos præfatus Eccleſiæ cum humilitate, & ait: Ubi tuæ nativitatis ſumpſiſti exordium, frater, aut unde itineris tui ut huc veniſſes exſtitit inceptio? Ad quem vir Dei pudicitiæ & humilitatis ſpiritu repletus reſpondens ait: In Haſbaniæ partibus meæ exiguæ nativitatis locus agnoſcitur, indéque neceſſariæ cauſæ eventu cogente has veſtras tentavi adire metas. Obſecro itaque caritatem tuam, frater, ut beato CHLODULFO Epiſcopo meæ parvitatis adventum innoteſcere ſtudeas. Poſtulans ab eo, ut ſuæ ſanctitatis obtutibus præſentari merear, ut ſibi mearum neceſſitatum cauſas oſtendere valeam. Ille igitur cuſtos cum ſumma feſtinatione nuntiavit Epiſcopo, quòd talis vir de Haſbaniæ partibus adveniſſet, & ſanctitatis illius colloquium poſtulâſſet. Adquievit autem B. Pontifex precibus illius, atque ſtatim præcepit ut eâdem horâ ipſius præſentaretur obtutibus.

NOTA

Rom. 12. 1.

IX. Adductus eſt igitur famulus Domini Trudo in conſpectum Pontificis, ſtatímque ut appropinquavit Epiſcopo, adoravit eum pronus in terram. Sanctus verò Chlodulfus feſtinanter elevavit eum, benedicénſque illi ait: Propitius ſit tibi, fili mi, Deus altiſſimus, ipſéque tribuat tibi petitiones cordis tui. Intuitus autem eum diutiùs Epiſcopus, & videns in faciem ejus radium Spiritus-ſancti admirabatur pulchritudinem illius. Erat enim, ut ſuperiùs diximus, venerabilis Trudo miræ pulchritudinis donis ornatus, ſapiens verbis, moribus maturus, corpore caſtus, ingenio valens, conſilio firmus, ſobrietate vigil, alloquio dulcis, pietate modeſtus, ſapientiâ prædítus, caritate repletus, veritate imbutus, religione laudabilis, mente docibilis, vultu amabilis, prudentia affabilis, orationi deditus, largitate clarus, humilitate decorus, obedientia non tardus, fide inſtructus, fraternitatis amore præcipuus, cunctis virtutibus adornatus, ſancti quoque Spiritûs gratia coruſcabat in facie ipſius, ut Salomon ait: *Sapientia hominis lucet in vultu ejus.* Sapientiam autem veram nemo habet niſi per Spiritum-ſanctum qui dividit ſingulis prout vult. Tum demum prædictus Pontifex virum Dei his verbis interrogare cœpit: Quænam, inquit, fili cariſſime, cauſa exſtitit, ut de remotis partibus nos viſitâſſes? Num proſpera cuncta in itinere acciderunt? Cui ille; Proſpera, ait, omnia: S. Stephani fultus ſuffragiis & Sanctitatis veſtræ orationibus adjutus, nullus contrarietatis evenit occurſus. Cauſa autem paupertatis meæ vos viſitandi hæc eſt: admonitus namque ſum à Sancto viro Coepiſcopo videlicet veſtro Remaclio Tungrenſis urbis Antiſtite, ut beatiſſimi Stephani limina quæ in hac urbe magnis virtutibus florent appetiſſem, & idem

Eccleſ. 8. 1.

primi

primi Martyris pro æternæ vitæ conſortio cuncta quæ poſſidere viſus ſum in Haſbaniæ partibus tradidiſſem. Quamobrem devotiſſimo mentis affectu omnem poſſeſſionem meam, hereditatem ſcilicet parentum meorum, quidquid [a] habeo in Haſbaniæ pago in loco qui dicitur Sarchinnio ſuper fluvio Cyſindria, à præſentis articulo diei S. Stephano Rectoribúſque hujus ſanctæ Eccleſiæ incommutabili traditione condono. Confirmavit igitur vir Dei cunctam hereditatem ſuam in poſſeſſionem S. Stephano Pontificibúſque Mettenſis Eccleſiæ perpetua traditione ſub chartarum deſcriptione ſubnixa. His autem rite peractis, addidit B. Trudo loqui ad venerabilem Chlodulfum: Obſecro, inquit, piiſſime Pater, dum hoc meæ parvitatis munuſculum ſuſcipere non renuiſtis, nunc etiam preces meas exaudire dignemini. Oro enim ut ſanctarum litterarum ſtudio me erudire jubeatis. Hoc namque præceptum ſuſcepi à B. Remaclio, ut poſtquam poſſeſſionem meam S. Stephano tradidiſſem, tunc à Beatitudine veſtra ſacrorum apicum diſciplinam poſtulâſſem. Hoc autem audiens prædictus Epiſcopus, gaviſus eſt valde: & petitionem viri Dei pio ſermone ſecutus eſt. Feliciter inquit, ô fili mi, Deus omnipotens illuminator ſit ſenſûs tui, & S. Stephanus propitius auxiliator tui exſiſtat. Et ſuſcipiens eum Pontifex oſculatus eſt illum. Tradidit itaque eum Epiſcopus in manum præfati cuſtodis Eccleſiæ, & omnino ei præcepit, ut eum cum magna diligentia docuiſſet. At ille cum gaudio ſuſcipiens illum, cum ſummo ſtudio erudire cœpit. Dedit autem Dominus ſancto Trudoni gratiam & capacem ſenſum ad omnia obtinenda quæ diſcere debuerat. CIRC. AN. DC XCVIII. NOVEMB. XXIII. a

Reverendiſſimus igitur Trudo cœpit in ſanctarum litterarum ſtudio magnopere deſudare, hoc ſingulari certamine exercere, hoc toto cordis deſiderio ambire, nihil præter hoc in mundi circulo diligere. In jejuniorum parſimoniis ſe quotidie macerans, in vigiliarum cuſtodiis viriliter pernoctans, ineffabili fervore ſuccenſus, inceſſabiliter Dominum deprecabatur, ut ſe ſapientiæ ſuæ fluentis irrigare dignaretur. Invidit autem humani generis hoſtis cernens devotionem viri Dei & ingemens, more ſolito niſus eſt nocere illi.

Sed dum interiorum virtutum ædificationi qua vir Dei munitus fuerat nihil damni inferre potuiſſet, cœpit exteriùs more expugnatorum urbium nequitiæ ſuæ machinas adhibere. Inſtigavitetenim adverſus militem Chriſti illum diſpenſatorem, qui cotidiani alimonij ſumptus ſibi adminiſtrare debuerat. Ille namque cum gravibus verborum opprobriis quidquid ei cenſitum erat donare conſueverat: ſed vir Dei patientiæ armis inexpugnabiliter munitus, in ſuæ rectitudinis ſtatu perſeverans, his nefandis verborum objectionibus autem cordis minimè adhibebat. Quadam autem die dum in hujuſmodi conſuetudine inſtigante humani generis hoſte jam dictus diſpenſator perſeveranter inſiſteret, & beatiſſimus Trudo præſente viro Dei in ſua ſimplicitate permaneret, ille diſpenſator cum magna illuſione adſtantibus ſibi ait: Quid ſibi vult hic de Haſbaniæ partibus huc adveniret, ut otioſus hîc comederet panem? numquid in patria ſua defuit ei panis? At illi homines qui aderant, increpabant eum dicentes: Quieſce, frater, nihil eſt quod loqueris. Nam hic juvenis ob litterarum ſtudium huc advenit, non panis coactus inopiâ: jámque Pſalmos diſcere cœpit. At ille nefandus diſpenſator cum ingenti inſultatione horribilíque cachinno complo-ſis manibus irridens ait: Opto, inquit, ut quando hic Pſalmos per ordinem cantare potuerit, tunc mihi dentes dolere inchoent. Suffragante verò divina gratia quæ non derelinquit ſperantes in ſe, annali circulo revoluto famulus Domini Trudo Pſalterium per ordinem quo diſpoſitum eſt cantare prævaluit. Recordatus eſt igitur Dominus opprobrij ſervi ſui, ſæpéque dictum diſpenſatorem, X. Deum vindicem habet.

a Rodulfus Abbas in Litteris ad Vualeramum Ducem apud Miræum in Cod. Donat. cap 53. relatis, *Tanta*, inquit, *& tot fuerunt prædia quæ B. Protomartyri Stephano tradidit S. Trudo, ut exceptis his quæ dominus Mettenſis Epiſcopus ad dominicalia ſua tenet, & milites ejus multi in beneficiis habent, & exceptis quæ Eccleſia noſtra adhuc poſſidet aut perdidit, (nam inter cetera Bruges in Flandria alodium S. Trudonis fuit, ubi & congregationem LXXX. Monachorum habuit) exceptis his inquam & aliis multis, tot & tanta fuerunt, ut vos habeatis inde in feodo pro advocatia mille & centum manſos &c.*

CIRC. AN. DC XCVIII. NOVEMB. XXIII.

ut ſibi ipſe accidere optaverat, immaniſſimo dentium dolore percuſſum nimia vexatione acriter vexabat. Itaque illum ex ſui oris judicio ingens dolor cepit, itaut pro intolerabili pœna non dentium videretur habere paſſionem, ſed nequiſſimum dæmonium. In his autem ineffabilibus incendiis diu detentus, in eiſdem quoque ad extremum vitam finivit. Juſtus enim Dominus ſecundum peſtiferum judicium oris ſui damnavit eum. Illi autem homines quibus illa cauſa nota fuerat, cœperunt virum Dei venerari, & protervitatem diſpenſatoris illius irridere : atque ita geſtum eſt, ut hoc factum minimè ſancto Epiſcopo lateret. Qui etiam ſanctitatem B. Trudonis cognoſcens, cœpit eum ſumma cum reverentia venerari, & ut filium dilectiſſimum inſpirante Divina gratia ample-

* amplecti

ctere * & amare.

XI. Creſcebat autem cotidie venerabili Trudoni cum religione ſapientia, cum humilitate modeſtia, cum pietate clementia, cum benignitate miſericordia, cum caritate juſtitia, cum fraternitate concordia, cum ſobrietate induſtria, cum taciturnitate prudentia, cum ſanctitate ſcientia, cum caſtitate continentia, cum largitate abſtinentia, cum fidelitate patientia, cum hilaritate obedientia. Omnibus quoque virtutibus quibus Sanctorum vita clareſcit ita prædituſ fuit, ut à cunctis Mettenſis urbis habitantibus maximo honore veneraretur, & apud Pontificem ſummæ venerationis obtineret locum. Dum verò ſanctarum Scripturarum vir Dei abundanter præceptis imbutus fuiſſet, depoſito laïcali habitu ex conſilio jamdicti Pontificis comam ſuam in S. Stephani Protomartyris Eccleſia vovens ſe ſoli Domino ſerviturum totondit. Fideliter jámque Deo deſerviens in eadem Eccleſia ſub venerabilis Chlodulphi regimine, per Eccleſiaſticos gradus feliciter pergens, uſque ad Sacerdotalem dignitatem vitæ merita perduxit. Meruit autem venerabilis Trudo divina miſericordia opitulante tantam gratiam in conſpectu Pontificis obtinere, ut cariſſimi filij locum apud eum habere videretur.

XII. Tranſactis igitur plurimis annis, cùm jam vir Dei repletus eſſet Divinâ ſcientiâ, maturúſque tam ætate quàm moribus exſiſteret, perfectúſque miles ad ſuſtinenda, immo vincenda omnia nequiſſima tela inimici excreviſſet; illum ſæpedictus Pontifex ad partes Haſbaniæ ob utilitatem beatiſſimi Stephani ſeu ob profectum cunctorum habitantium Haſbaniam felici jure deſtinavit, proficiſcentémque ut pius pater ita admonuit dicens: Perge, ô fili mi, & patrios jam viſita fines: oportet enim te populum non parvum Deo & S. Stephano adquirere, perfectámque plebem Domino ſerviturum in tua hereditate parare. Nec tibi moleſtum videatur, cariſſime, quòd hinc te proficiſci jubeam: neceſſe eſt enim ut tuis exigentibus meritis plurimi religioſi viri in tua hereditate quam S. Stephano tradidiſti Deo deſerviant. Conſenſit autem B. Trudo pij Patris admonitionibus, lacrymánſque ab eo benedictionem petiit. At Pontifex apprehenſo capite ejus benedixit eum dicens: Perge, fili mi, & Deus ſit in comitatu tuo, nec te deſerat in omnibus viis tuis, conſervétque te feliciter in vita præſenti, & perducat te in regnum gloriæ ſuæ, ubi læti percipere mereamur cum omnibus Sanctis præmia vitæ perpetuæ, præſtante Domino noſtro JESU-CHRISTO, qui cum Patre & Spiritu-Sancto vivit & regnat per infinita ſæcula ſæculorum. Et cum lacrymis oſculatus eſt eum, & ſub hac benedictione dimiſit.

XIII. Proficiſcente autem venerabili Trudone à Mettenſium urbe, flebant cuncti qui eum cognoſcebant, & pro diſceſſu tanti Patris clamabant dicentes: O quàm felix patria ad quam Pater properas, & beatus populus inter quem habitabis. Heu! cur ſervos tuos derelinquis & Fratres tuos deſeris? At ille lacrymans, pietate commotus illis reſpondens ait: Avete, cariſſimi Fratres, Deúſque conſolator omnium propitietur veſtri. En me oportet fines viſitare paternos: orate ergo pro me ut cum veſtra benedictione proficiſcar. Benedixerunt autem eum unanimiter omnes Domino commendantes, & ſic illum in pace dimiſerunt. Profectus igitur inde vir Dei, comitante Divina gratia ad Tungren-

ſem urbem uſque pervenit, in qua ſuum ſpiritualem Patrem Remaclium Epiſcopum reperit: qui cùm cognoviſſet adventum venerabilis Patris, gaviſus eſt valde, & honorificè ſuſcepit illum. Cùm autem percunctâſſet * omnia quæ erga eum Dominus egiſſet, qualitérve in Divinis legibus eruditus exſiſteret, magnas Deo gratias referens his verbis laudes Domino depromens ait: Laus ſit tibi, Domine Deus, Pater cæli & terræ, quòd adimplere dignatus es verbum quod mihi exiguo ſervo tuo revelâſti, & quia incolumem reduxiſti ornatum præceptis tuis cariſſimum hunc filium meum Trudonem. Conceſſit autem illi Epiſcopus verbum Domini in cuncta parrochia ſua prædicare, & Miſſas in omnibus Eccleſiis celebrare: inſuper & licentiam illi dedit, ut ſicut in pueritia ſua Deo voverat, Eccleſiam in ſua hereditate ædificaret. Magnas autem gratias vir Dei retulit Epiſcopo: ſuáque benedictione ſuſcepta viam, quæ ducebat ad domum patris ſui felici curſu proſperóque greſſu carpere cœpit.

CIRC. AN. DC. XC. VIII. NOVEMB. XXIII. * percunctatus eſſet

Venerabilis igitur Trudo dum in ipſius itineris calle conſiſteret, ad cujuſdam fidelis viri domum veſperaſcente jam die declinavit. At ille vir cernens in eo ſpiritum ſapientiæ & ſanctæ Religionis habitum recognoſcens, cum ſumma reverentia ſuſcepit eum. Cùm autem refecti eſſent & horâ jam requieſcendi ſpatium poſtulâſſet, vir Dei ab hoſpite ſuo petiit, ut in pomerio ſuo ſibi ad requieſcendum locus præpararetur: erat enim æſtivum tempus. Conſenſit autem hoſpes viri Dei petitionibus, & illi ad dormiendum in pomerio honorifice paravit locum. Dum autem Dominus omnium oſtendere voluiſſet qualem virum hoſpitio ſuſcepiſſent, uxor ejuſdem fidelis viri intempeſto noctis ſilentio à ſomno expergefacta ſurrexit, apertóque oſtio domus ſuæ in pomerium reſpexit, & ecce illi magnæ admirationis apparuit ſignum. Nam dum reſpexiſſet locum in quo venerabilis Pater jacebat, apparuerunt ei duo luminaria miri ſplendoris, quorum unum nimio fulgore coruſcabat ad pedes illius, & aliud ad caput. Conterrita autem mulier cum feſtinatione reverſa eſt ad virum ſuum, nuntiavítque ei mirabilem illam viſionem. Ille verò ſtatim ſurrexit, perrexerúntque ſimul ut viderent ſi adhuc illa luminaria arderent. Egreſſi verò illud admirabile lumen perſeverantiùs coruſcare viderunt. Non erat autem ipſius luminis candor ſicut præſentium luminariorum, quibus ad effugandas nocturnas tenebras fungimur; ſed in modum clariſſimi radiis Solis reſplendens, itaut æſtimarent quòd per illum totus refulſiſſet. Ambo igitur nimio ſtupore perculſi, non auſi ſunt ei propiùs accedere, ſed cum magna admiratione gratias omnipotenti Deo retulerunt, quòd talem virum in hoſpitio ſuſcipere meruerunt. Cùm autem gallicinij tempus afforet, venerabilis Pater more ſolito à ſomno ſurrexit, ultimam noctis partem in pſalmodiis & orationibus ad lucem uſque perduxit. Facto autem mane hoſpitibus ſuis gratias referens, voluit cœpti itineris perficere curſum. Surgentes verò hoſpites illius proſtraverunt ſe ad pedes illius, poſtulantes ab eo, ut ſaltem illic unius diei ſpatium præſentis ſanctitatis ipſius meruiſſent habere conſortium. Adquievit vir Dei petitioni eorum, eóſque toto illo die cæleſtibus monitis ſalutiſque æternæ remediis inſtanter erudivit. Petivit quoque ab illo iſdem vir fidelis, ut filium ſuum ſacro lavacri fonte baptizaret. Ille verò petitionibus ejus libenter obtemperans, ſtatim baptizavit illum, & à ſacro fonte ſuſcepit, in utroque [a] pater illi ſpiritualis effectus. Læti autem pariter illum diem in præceptis Divinis uſque ad veſperum perduxerunt. Peracto autem noctis ſpatio valde mane venerabilis vir Dei hoſpitibus ſuis valedicens, per viam ſuam pergere cœpit. Recedente autem viro Dei prædictus hoſpes illius ſurrexit, Oratoriúmque in loco quo venerandus Pater requieverat ob memoriam admirandæ viſionis conſtruxit, totámque villam ex nomine ſancti Patris Trudonecas appellavit, quo etiam vocabulo uſque in præſentem diem ab omnibus nuncupatur.

XIV.

a Ergo antiquitus miniſter Baptiſmi gerebat etiam aliquando Patrini perſonam.

CIRC. AN. DC XCVIII. NOVEMB. XXIII.

Pervenit igitur beatiſſimus Trudo ad domum ſuam & hereditatem parentum ſuorum, quam olim lege inviolabili ſub chartarum deſcriptione Deo & S. Stephano tradiderat. Quis autem enarrare poterit, quanto gaudio quantóve honore cognati & vicini illius eum ſuſceperint, & quanta lætitia omnes illic habitantes obtinuerit, immenſas omnipotenti Domino gratias agentes, qui S. Trudonem illis incolumem retranſmittere dignatus eſt? Igitur venerabilis Trudo memor verbi ſui & voti quod Deo in ſua pueritia voverat, Eccleſiam in ſua hereditate conſtruxit in honore B. Quintini Martyris & S. Remigij Confeſſoris, in loco qui vocatur Sarchinnio ſito ſuper fluvio Cyſindria, ibíque ſuffragante Domino magnam utilitatem animarum tam ſanctæ exhortationis ſtudio quàm religioſiſſimæ vitæ exemplo operabatur. Inſtanter autem populum monitis cæleſtibus erudiebat, nudis veſtimenta præbebat, humiles diligebat, ſuperbos caſtigabat, errantes corrigebat, infirmos viſitabat, divitibus largitatem docebat. Innumerabiles itaque viri per doctrinam illius compuncti & ab erroris via converſi, ſanctum Patrem ſequentes ſoli Domino ſervierunt. Plurimos autem diſcipulos venerabilis Pater nutriebat in eodem loco, inditos* quoque pueros Divinâ ſapientiâ eruditos mundi hujus caducos & temporales honores deſpicere docebat. Itaque factum eſt, ut multi nobiliorum hominum filij, iſtius ſæculi proſpera deſpicientes, comámque ſuam deponentes, cum invicto milite Chriſti ſoli Domino deſervirent. Meritis igitur beati Patris exigentibus plurimi ad Dominum converſi ſunt: & qui ſe ſolum inprimis Chriſto ſerviturum obtulit, poſtmodum cum multis Domino ſervire promeruit; & cujus vitæ meritum in pueritia paucis innotuit, in perfecta jam ætate exemplum vitale plurimis exſtitit: ſícque omnipotentis Dei gratia in eo refulſit, ut à cunctis habitantibus Haſbaniam honore paterno veneraretur: accidítque ut is qui caſtitatis pudore refrenatus carnalem ſobolem habere contempſerat, innumerabilem in Chriſto progeniem poſſideret. Multa autem miraculorum inſignia oſtendit Dominus illis temporibus per ſervum ſuum, quorum ordinem ut geſta ſunt ſuccincti opuſculi norma comprehendere minimè præſumit. Compendioſa namque libelli brevitas poſtulat, ut pauca ex plurimis comprehendantur, ut intelligere tamen quiſque ex his valeat, qualis coram Domino exſiſtat, qui etiam à me pauca relata ſigna jubente Domino operari potuerat. Innumerabilia ergo facta ab eo miracula nullus dubitet, ſed per hujus opuſculi exempla cognoſcat in paucis, qualiter Dominus erga ſervum ſuum operatus ſit in multis. In paucis verò miraculis Patris venerabilis vita oſtenditur, ut ſagacis lectoris acies ad plurima convertatur.

XV.

* *f.* inclytos

XVI.

Primum igitur miraculum his ſequentibus ponere viſum eſt, in quo apertiſſimè demonſtretur, quo culmine indulgentiæ & humilitatis ſancti Patris prædicetur. Quadam enim die dum venerabilis Pater in quadam Eccleſia Miſſarum ſollemnia celebraret, per incuriam puerorum accidit, ut equus quo vir Dei ſedere debuerat, furtim auferretur. Expleto autem Miſſarum officio, egrediente eodem Eccleſia, pueri ejus magnâ triſtitiâ repleti ei equum ſuum furto ſublatum eſſe tandem confeſſi ſunt. Ipſe verò hoc damnum leviter ſufferens, eíſque reſpondens ait: Quieſcite, Domini eſt equus, cujus etiam ego ſervus ſum. Si autem Domino placuerit ut ego poſſideam eum, reſtituet illum mihi: ſin verò aliter ei videtur, fiat voluntas ejus, noménque illius ſit benedictum in ſæcula. Contigit autem poſt paucos dies, ut ille fur arriperetur ab immaniſſimo dæmonio, qui etiam clamare abſque intermiſſione cœpit, hoc ei ob equum B. Trudonis quem furtim abſtulerat accidiſſe. Intelligentes autem parentes ipſius, ligatum duxerunt eum ad virum Dei, equúmque illius ſimul offerentes. Cúmque beatus Pater eum aſperè impiéque à dæmonio eſſe vexatum cerneret, miſertus eſt ejus, factáque oratione impoſuit manum ſuper caput illius, & ſtatim ejecit dæmonium, ſanatóque latroni ait: Perge in pace, & cave ne hujuſmodi

culpam ulteriùs incurrere audeas. Hoc enim exemplo quis intelligere non valeat, quantæ patientiæ & humilitatis vir iſte ſanctus exſtiterit, qui latroni culpam dimittere non deſtitit, inſuper pro ſua injuria ſalutis remedium rependere non negavit? CIRC. AN. DC. XCVIII. NOVEMB. XXIII.

XVII. Sed neque hoc ſilendum puto miraculum, cujus uſque ad præſentium populorum memoriam clariſſimum perdurat indicium. Fuit enim quidam fidelis vir cognatus etiam venerabilis Patris habitans in villa quæ vocatur Amburnia, dives valde opibus & fide robuſtus. Quadam igitur die venerabilem Trudonem iſdem vir invitavit ad domum ſuam, ut audiret ab eo ſermonem ſalutis: cui vir Dei libenter obediens, ad domum illius perrexit. Suſcepit autem eum vir ſupradictus cum maximo gaudio. Tunc vir ſanctus tam illum, quàm etiam totam domum ipſius ſpiritualibus erudivit Domini præceptis. His ritè peractis famulus Domini Trudo & cognatus ejus deambulabant in pomerio. Ad quem vir Dei: O, inquit, amice, quàm amœnus eſſet locus iſte, ſi aquam in proximo habuiſſet. Cui ille: Etiam Pater. Tunc venerabilis famulus Domini Trudo in eodem loco foramen cum baculo ſuo cavavit: retracto autem à ſe baculo eruperunt ſimul aquæ largiſſimæ: quæ etiam ob neceſſitatem villam ipſam habitantium fluunt abundanter uſque in hodiernum diem. Cognatus verò viri Dei ob commemorationem hujus miraculi Oratorium ibi in B. Trudonis honore conſtruxit, quod etiam uſque in præſens perdurare tempus cognoſcitur. Sed & ob venerandi Patris merita, virtutes plurimas in eodem Oratorio Dominus operari dignatus eſt.

XVIII. Quadam quoque die quidam religioſus vir nomine GOTMUNDUS, cujus etiam filium Dei vir à ſacro fonte ſuſceperat, poſtulavit ab eo ut domum ſuam viſitaret, & ſua eam benedictione conſecraret. Ille autem piiſſimus Pater petitionibus ejus libenter obediens, ad domum illius perrexit. Itaque more ſolito venerabilis Sacerdos verbo ſanctæ exhortationis tam præfatum virum quàm omnes domum ipſam habitantes affluenter ſatiavit. Duxerunt igitur pariter in ſancta lætitia illius diei ſpatium. Cùm autem adeſſet tempus ut ſanctus vir Monaſterium redire debuiſſet, amicus ejus qui eum invitaverat dixit illi: Unum verrem habeo, Pater, quem tibi devoveram: ſed adeo inquietus eſt, ut nullo modo eum tibi præſentare valeam. Nam relicto porcorum conſortio ſolus ut aper in ſilvis ſaltibúſque commoratur. Si autem hominem viderit, dumoſa & invia ſilvarum curſu immaniſſimo petit. Cui venerandus Pater reſpondit: Si autem eum mihi voviſti, Deus potens eſt feritatem ipſius in manſuetudinem convertere; & quem tu mihi præſentare minimè potuiſti, ille cui cunctæ creaturæ deſerviunt, mihi facilè præſentare poterit: tu verò voti tui ab æterno retributore dignam mercedem ſuſcipere mereberis. Benedicens autem omnes ſanctus vir ad Monaſterium reverſus eſt, ipſúmque verrem reperit ita manſuetum, ut poſt à Monaſterio nullatenus diſcedere voluiſſet.

XIX. Inter omnes autem venerabilis Patris ſanctæ religionis obſervantias, hoc quoque ſtudio clarus enituit. Habebat enim in conſuetudinem cunctis diebus vitæ ſuæ, ut ſolus in obſcuro noctis ſilentio ad vicum qui nuncupatur Falmio pergeret, in quo Eccleſia in honore S. Martini conſtructa eſſe dignoſcitur, in qua ſanctis Pſalmorum hymnis Domino decantatis ad propriam remeabat Cellam. Diſtat verò illa Eccleſia à Sarchinnio, ubi nunc idem Confeſſor Chriſti in corpore requieſcit, tertio milliario. Altera verò nocte pergebat ad villam quæ Septimburias dicitur, in qua ædificata eſt Baſilica in honore S. Genovefæ Virginis, ubi eodem ſtudio pſalmodiis & orationibus Domino decantatis, ad ſuam revertebatur Eccleſiam: ſícque alternatis noctibus hanc aut illam viſitare conſueverat. Quæ etiam Eccleſia eodem pæne ſpatio à prædicto Sarchinnio viri Dei Cellâ diſtare videtur, hoc eſt milliario (ut diximus) tertio.

CIRC. AN. DC. XCVIII. NOVEMB. XXIII. XX. Appropinquante autem venerabilis viri diſſolutionis tempore, cùm ſibi jam immortalis retributor laborum ſuorum præmia vellet retribuere, eúmque de hoc ergaſtulo fragilis vitæ eripere, & æterno gaudio Angelorum ſociare; hoc ſancto Patri minimè latuit. Vocatis igitur ad ſe Fratribus, indicavit diem proximum affore, quo debitum carnis ſolveret, & omnium Judici præſentaturus eſſet. Contriſtati autem Fratres cœperunt omnes pro amiſſione tanti Patris amariſſimè flere. Beatiſſimus verò Trudo eos ne illum flerent his verbis compeſcuit dicens: Quieſcite, Filij cariſſimi, obitúmq; meum cum gaudio potiùs quàm cum triſtitia exſpectate. Jam enim appropinquat mihi optata dies, in qua Domino meo præſentari debeam, & de hoc carnali carcere liberatus exſiſtam. Gaudete ergo mecum & hanc triſtitiam deponite, in orationibúſque & ſtudio vigilate, cum pſalmis & hymnis ſpiritualibus exitum meum deducite. His dictis cœpit vir Dei admonere Fratres, ut in præceptis Divinis vitam deducerent, caduca & vana hujus vitæ deſideria deſpicerent, & ad amorem ſemper æternæ patriæ mente tenderent. Longum eſt autem enarrare, qualiter vir ſanctus diſcipulos ſuos per totam diem illam ſpiritualibus præceptis imbuiſſet, qualitérve eos à terrenis cupiditatibus ad cæleſtia deſideria tranſire præcepiſſet. Cùm autem adeſſet hora qua illa ſancta anima à corpore ſolveretur, venerabilis Pater Fratres admonuit, ut inſtantiùs cum ipſo orarent. Poſt paullulum autem elevatis oculis ad cælum, ſignum ſibi ſanctæ Crucis impreſſit, valedicénſque Fratribus ait: Dirige Domine vias famuli tui in conſpectu tuo. Híſque cum verbis ſancta illa anima carne ſoluta eſt. Factus eſt autem ingens luctus tam Clericorum quàm etiam laïcorum, mulierúmque & infantium. Tulerunt autem diſcipuli corpus venerabilis Patris feretro imponentes cum canticis & hymnis ſpiritualibus thuribuliſque, & thymiamatibus in Eccleſiam quam ipſe ædificaverat in honore S. Quintini Martyris & S. Remigij Confeſſoris, in qua illi honorificæ locum ſepulturæ paraverant. Cùm igitur tempus adeſſet quo pretioſum corpus flentibus cunctis qui aderant ſepulturæ traderetur, inenarrabilis ſuavitatis odor illam Eccleſiam cum denſiſſima nebula replevit, quæ etiam per unius fere horæ ſpatium perduravit. Erat autem, ut diximus, illa nebula tam denſa cum ſuaviſſimo odore permixta, ut vix ullus ex eis exſiſtentibus proximum videre potuerit. Ex hac igitur ineffabili cæleſtis odoris fragrantia oſtenditur, cujus ſanctitatis in vita exſtitit, qui poſt obitum ad ultimum corporis obſequium Divinæ viſitationis adeſſe promeruit.

XXI. Nec hoc ſilentio prætereundum eſſe miraculum arbitror, quòd in triceſimo die poſt obitum S. Patris geſtum eſt. Nam quædam nobilis matrona nomine WALDA non longè à Monaſterio ſancti viri habitabat. Hæc ob reverentiam B. Patris in triceſimo obitûs ipſius die ad Eccleſiam in qua pretioſum corpus ejus venerabiliter humatũ eſt, cum cereis & thymiamatibus venit: ſed dum ad Baſilicam perveniſſet, oſtia ipſius ſerata reperit. Illa verò elevata voce cum lacrymis dixit: O ſanctiſſime Pater Trudo quamdiu te in hac vita vivum habere meruimus, ſemper apertas januas hujus Baſilicæ reperimus. Ad cujus vocem ſtatim ultro ſic cõcitò aperta eſt janua Eccleſiæ, ut nullis mortaliũ viribus tam velociter aperire quiſquam valuiſſet, itaut cuncti patẽter cognoſcere potuiſſent, ibi præſentiam S. Patris ſpiritualiter affuiſſe; & is qui per ſubſtantiã carnis videretur abeſſe, ſpirituali virtute præſens videretur adeſſe. Illa verò religioſa matrona cũ magno pavore illã Eccleſiam ingreſſa eſt, expleráq; oratione cum gaudio ad domũ ſuam reverſa eſt. Fama autẽ hujus miraculi longè latéq; per totam illam regionem diſperſa eſt.

XXII. PIPPINUS[a] igitur inclytiſſimus Major-domus, filius ANSIGISI, cùm crebreſ-

[a] Is eſt Pippinus Caroli Martelli pater, Pippini Regis avus, ~~Landinenſis dictus~~, qui anno Chriſti DCC. XIV. morte deceſſit. Hinc colligetẽpus mortis S. Trudonis, tum etiam ex pontificatu Chlodulfi Mettenſis Epiſcopi, ad quem S. Trudo jam adoleſcens ſtudiorum causâ ſe recepit. Porro Chlodulfus non ante annum DC. LIV. Sedem Mettenſem iniit. Trudo ad eum anno circà DC. LX. quindecennis aut fortè vicennis acceſſit: proinde ſuperſtes fuit uſque ad finem Sæculi VII. Nec ſeriùs differri poteſt ejus obitus, ut memoriæ ejus ante Pippini obitum celebrandæ aliquod tempus relinquatur.

centem famam de S. Trudonis virtutibus audiſſet, ut erat religioſiſſimus Princeps, ad tumulum ipſius orationis causâ venit. Qui ſtatim, ut erat prudentiſſimus, Divinæ ibidem virtutis præſentiam adeſſe cognoſcens, ilico devotiſſimo mentis affectu tradidit ad tumulum ipſius quidquid habere viſus eſt in villa quæ cognominatur Ochinſala, & in altera villa quæ dicitur *Ham*: indéque (ut credimus) mercedem æternam à Domino ſuſcipere meruit, & perpetuam, ut omnibus patet, benedictionem ſua progenies adepta eſt. Inclytiſſima quoque conjux ipſius PLECTRUDIS pro æternæ vitæ commercio altare in honorem S. Patris argento & auro fabricari præcepit. CIRC. AN. DC. XCVIII. NOVEMB. XXIII.

XXIII. Hoc quoque huic narrationi addam miraculum, quod propinquo ſancti viri accidit. Fuit namque quidam vir nomine ARIFRIDUS conſanguinea lege S. Patri propinquus. Hic ergo admonitus fuerat à beatiſſimo Patre, ut ob caſtitatis obſervantiam numquam duxiſſet uxorem: at ille poſt obitum viri Dei hoc verbum poſtponens uxorem duxit. Sanctiſſimus verò Trudo illum per nocturnum ſomnium terribiliter admonuit dicens: Quare præterire præſumpſiſti præceptum meum, ut uxorem acciperes? cur non obediſti mandatis meis? Inobedientiam ergo tuam digna ultio proſequetur: tibi enim in æternum ſoboles non naſcetur. Hoc cùm diceret, baculum quem in manu tenebat elevavit, eúmque in dextro femore percuſſit, atque hoc illi ſubjunxit: Hoc ſignum inobedientiæ tuæ omnibus diebus vitæ tuæ portabis. Hinc ille quamdiu vixit, illo femore claudicavit. Salubre autem iſdem prædictus Harfridus exigentibus B. Patris meritis cogitans, relicto ſæculari ſervitio ad limina B. Patris proficiſcens, comam capitis ſui deponens, cunctam hereditatem ſuam ad ſepulcrum S. Trudonis tradidit, ibíque in Domini famulatu uſque ad vitæ ſuæ terminum ſanctam converſationem perduxit. Sícque factum eſt, ut is qui per virginitatis victoriam admonitus blandè ad cæleſte regnum properare contempſerat, poſt transgreſſionem acriùs correptus per pœnitentiæ lamenta ad perennis vitæ ſolatia perveniret.

XXIV. Sed neque hoc magnæ admirationis ſignum narrando tranſiliam. Fuit namque in eiſdem Haſbaniæ finibus vir quidam nomine GOTFRIDUS, fidelis moribus & nobilis proſapiâ. Contigit autem illi, ut oculorum lumine privaretur, ſícque per multos annos cæcitatis caliginem patienter ſuſtinuit. Hic cùm glorioſam famam longè latéque diſperſam de virtutibus & ſignis non mediocribus S. Patris divulgari audiret, venit ad ſacratiſſima limina ſanctæ aulæ, in qua pretioſum beati viri corpus glorificè humatum dignoſcitur: ibíque devotiſſimas Chriſto orationes fudit, aliquantíſque diebus ibi commoratus, die noctúque per merita S. Trudonis Dominum invocabat. Quadam igitur die dum Miſſarum ſollemnia in eadem Baſilica celebrarentur, etiam prædictus Gotfridus ibidem adſiſteret, ſubitò auctore Deo per merita S. Patris illuminati ſunt oculi ejus: circúmque ſe circumſpiciens, quaſi de gravi ſomno evigilans, cunctóſque qui aderant clarè videre valuit; ſed ſtupore & verecundiâ preſſus, quòd illuminatus eſſet nulli indicare potuit. Sed expleto Miſſarum officio cecidit in faciem ſuam, elevata voce Deo & S. Trudoni magnas gratias referens, eoquòd eum de carcere cæcitatis ad lucem perduxiſſet. Stupefacti autem omnes qui aderant, ſimul cum illo nomen Domini benedixerunt, qui per merita ſervi ſui cæcum illuminare dignatus eſt.

XXV. Hoc quoque inter ſancti Patris manifeſtum ſignum enitens fiat. Quidam enim latro bovem beati viri furto abſtulit: quod cùm cognoviſſet ſervus ejus, inveſtigavit eum uſque ad locum in quo abſconditus fuerat. Fur verò eum alongè conſpiciens, puerum quem ſecum habebat ad illum tranſmiſit: qui ſtatim ut ad ipſum ſervum pervenit, evaginato gladio eum celeriter interemit. Venit autem ille latro, ſimúlque corpus ejus apprehendentes, abſconderunt ſub palude quæ erat in eodem loco: Fratribus autem quis hoc fecerit, per aliquot dies latuit. Erat verò illis temporibus religioſus vir LEOTHARIUS Præpoſitus in Cœnobio

CIRC. AN. DC. XCVIII. NOVEMB. XXIII.

ſanctiviri, qui cùm per humana indicia nihil de hoc facto inveſtigare valuiſſet, converſus ad Fratres ait: Deprecemur, inquit, Fratres, Dominum cum jejuniis & pſalmodiis, ut ipſe per merita noſtri Patroni nobis revelare dignetur, quis illum ſervum noſtrum occiderit. Igitur non poſt multos hos dies ille fur arreptus eſt à nequiſſimo dæmonio, & ibat inceſſanter vociferans, hoc illi accidiſſe ob ſcelus quod in ſervum S. Trudonis perpetrâſſet. Hanc autem dementiam ad dignam ſui facinoris mercedem uſque perduxit. Nam quadam die dum juxta profundam foſſam cœno repletam ambularet, ſe ultro in eam projecit, volutabátque ſe in illa quouſque emitteret ſpiritum: ut ibi Divinæ ultionis æquitas appareret, quia quod in ſervo beati viri per iniquitatem patravit, eodem eum ultor ſpiritus vulnere interemit. Cùm ergo de crudeliſſima latronis nece retulimus, hoc de pietatis ope qua homicidam reúmque morti puerum conſolari dignatus eſt referamus. Nam pater illius pueri qui illum ſervum interfecit, cùm cognoviſſet quòd ille latro tam crudeli morte interemptus eſſet; ad Eccleſiam S. Trudonis unà cum ſceleſto filio cucurrit. In quam dum introire debuiſſent, puer quaſi validiſſimis fornacis flammis repercuſſus clamare cœpit: Uror, uror, inquit, Væ mihi quia validiſſima incendia me torrent. Hoc cùm dixiſſet, inter manus eorum qui eum tenebant ad terram lapſus eſt, & velut acutiſſimo ferro ſubnervatus, ſtatim contractus corruit. Qui ita debilis effectus eſt, ut de eodem loco niſi bajularetur, diſcedere non prævaleret. Pater verò pueri continuis ſeptem diebus in oratione pro delictis filii ſui beatum Patrem obſecrans, ut ſibi reatum culpæ quam in ſervum ſuum commiſit pietatis causâ indulgeret. Cùm autem adeſſet dies ſeptimus, dum expleta fuiſſent Miſſarum ſollemnia, puer ante januam Baſilicæ incolumis ſurrexit, magníſque vocibus Deo & S. Trudoni grates condignas rependit. Tum demum adhibita peccati indulgentia flammáque facinoris exſtincta puer in Eccleſiam intrare prævaluit, & ante lectum piiſſimi Patris ſe proſternens, hujuſmodi culpam ultra ſe nequaquam incurrere promiſit. Sícque viribus receptis ſimul cum patre ad domum ſuam profectus eſt. Dignam igitur illic Dominus latroni propter injuriam ſervi ſui ultionem adhibuit. Hic verò quia iſte puer patre urgente limina ſua petiit, magnæ indulgentiæ largitatem oſtendit. Quis ergo ibi quod petierit impetrare dubitet, dum is qui S. Patri reus fuerat, quod petivit obtinere prævaluit?

XXVI. Inſeram quoque huic narrationi aliud quoddam miraculum, quod pæne omnibus Haſbaniam habitantibus notum eſt. Fuit namque quidam vir habitans prope Eccleſiam S. Trudonis propter excubiam ſacratiſſimæ aulæ, quem nos vulgò Matricularium * vocamus, cujus boves in obſcuro noctis ſilentio furtim ſublati ſunt. Qui ſtatim cum fiducia ad ſepulcrum B. Trudonis cum lacrymis proruit, ſibi pro ſua miſericordia ut perditos boves reſtituens exoraret. Mane igitur facto boves ſimul cum latrone reperti ſunt ad oſtium Monaſterii. Ille verò fur prævalentibus beatiſſimi Patris meritis non cognoſcebat ubi erat: tota enim illa nocte ambulare non ceſſavit, æſtimabat autem ſe longè in alio pago fuiſſe. At illi qui aderant illum latronem comprehenderunt, illíque matriculario boves ſuos reſtituerunt. Sanctus etenim Pater ſervum ſuum conſtriſtare noluit, ſed ſubvenit illi celeri adjutorio.

* *Marguillier*

XXVII. Sed nec hoc ſilentio præteribo miraculum, quod temporibus venerabilis Patris HRODEGANDI Archiepiſcopi geſtum eſt. Nam quadam die dum idem venerandus Epiſcopus in Monaſterio S. Trudonis fuiſſet, quod proprium eſt ad regendum (ut diximus) Mettenſis urbis Epiſcopis, quidam ex pueris ipſius culpam non modicam commiſit. Ille verò commotus juſſit eum foras extrahere * ut cæderetur. Tunc miniſtri traxerunt eum foras, ſed ipſe elapſus eſt de manibus eorum, & fugit ab eis uſque ad altare S. Trudonis. Miniſtri autem ipſorum domini metu urgente perſecuti ſunt eum illuc, & conabantur eum avellere vi ab altari. Sed dum hoc agerent, ſubitò nutu Divino illuminati ſunt cerei qui erant coram altari. Illi verò miniſtri obſtupuerunt, relictóque puero foras

* extrahi

fòras magno timore perterriti fugerunt: hócque miraculum beato Pontifici retulerunt. Tunc religioſiſſimus ſummus Sacerdos Hrodegandus cum feſtinatione ad Eccleſiam perrexit, ſéque ante ſepulcrum beatiſſimi Patris in oratione proſtravit, veniam ab eo poſtulans: ſurgènſque ab oratione delictum puero ſtatim indulſit. CIRC. AN. DC. XCVIII. NOVEMB. XXIII.

XXVIII. De theſauro autem ejuſdem ſanctæ Eccleſiæ quod temporibus piiſſimi Regis PIPPINI furatum eſt, qualiter ablatum ſit & inventum, breviter exponam. Fuit namque quidam latro nomine Adalbertus, qui habitum peregrini adſumens, ad Monaſterium S. Trudonis quaſi orationis causâ venit. At ille ſpeculabatur qualiter in illam Eccleſiam intrare potuiſſet. Fratres verò ſuſcipientes eum hoſpitio, laverunt ei pedes, fecerúntque erga eum, ſicut ceteris peregrinis facere conſueti ſunt. Ille verò alia nocte unam feneſtram quam antea conſpexerat fregit, & per eam in Eccleſiam intravit, indéque non parvum theſaurum abſtulit. Hujus autem facti auctor quis exſiſteret diu latuit. Cùm igitur adeſſet tempus quo Dominus propter merita ſervi ſui ut quis illum theſaurum furatus eſſet manifeſtare dignatus eſt; venit quidam peregrinus propinquus illius latronis, qui hujus facti conſcius erat, ad Cœnobium S. Trudonis. Erat autem & alius peregrinus cum eo. Cúmque appropinquâſſent illi Baſilicæ, dixit ille peregrinus ad alterum: Vides hanc Eccleſiam? Cui ille: Etiam. At ipſe: Ego ſcio, inquit, illum hominem qui illum theſaurum inde abſtulit. Manſerunt itaque ambo ibi eadem nocte. Mane autem facto exeuntes inde, intraverunt in vicum qui eſt ante fores Monaſterii, in quo etiam rixati inter ſe fuerunt. Surgénſque illius latronis proximus adverſus illum peregrinum prævaluit, voluítque percutere illum: ille verò fugit ab eo. Iterum ingreſſus Monaſterium vociferans dixit: Ille peregrinus qui me perſequitur, ſcit quis ille ſit qui illum theſaurum de hac Eccleſia furatus ſit. Ille verò peregrinus cùm contriſtatus eſſet, indicavit illum latronem ubi jam in vinculis tenebatur. Judicante ergo clementiſſimo Rege PIPPINO ille latro ſuſpenſus eſt in patibulo, & ille theſaurus ubicumque inventus eſt, ad S. Trudonis Eccleſiam reſtitutus eſt. Maximam autem partem illius theſauri ille fur in terra recondidit, erroréque deceptus iterum invenire non valuit. Beati verò Trudonis meritis exigentibus paſtores in eodem loco ludentes ubi ille theſaurus repoſitus erat repererunt, totumque ad Baſilicam beatiſſimi Patris Trudonis retulerunt. Sícque mitiſſimus Pater latroni locum pœnitentiæ conceſſit: ſed negligentem ultio Divina percuſſit, & theſaurum Eccleſiæ ob reverentiam ſancti Patroni Dominus miſericorditer reſtituit.

XXIX. Nuper quoque in eadem Eccleſia, in qua viri venerabilis corpus humatum eſt, magnæ admirationis miraculum geſtum eſt, quod plurimi, immo omnes qui in ipſo Monaſterio converſantur [a] ſe vidiſſe aſſerunt. Die namque feſtivitatis beatiſſimi Trudonis, dum innumerabilis plebs ad Miſſarum ſollemnia adunata fuiſſet, quædam mulier quæ ex maxima parte corporis contracta erat, inter eos affuit, quæ etiam multis annis ita debilis exſtitit, ut niſi fortè ab aliquo bajularetur aut niteretur manibus, de loco ſe movere minimè prævalebat. Hæc dum horâ Sacrificii inter illum innumerabilem populum in medio pavimenti jaceret, ſubitò exſilivit, ſanáque ſuper pedes ſuos ſurrexit; & ambulans laudabat Dominum & ſanctum Confeſſorem, pro cujus meritis dignatus eſt pius Dominus ſibi opem concedere ſanitatis. Et omnis plebs ut vidit, glorificabat Deum & beatiſſimum Trudonem, pro cujus meritis illa contracta mulier receperat ſanitatem. a

XXX. Simile autem miraculo huic aliud quoque ſignum per merita ejuſdem S. Patroni in eadem Eccleſia nuper contigit. Fuit quidam vir habitans in Haſbaniæ finibus nomine Imleof, qui plurimo tempore neſcio qua ægritudine efficiente

a Hinc apparet, Donatum non fuiſſe alumnum Monaſterii Trudoniani, ſed forſitan Diaconum Eccleſiæ Mettenſis. Nam licet ipſe ſe Diaconum non dicat, eo tamen nomine à Theodorico appellatur.

CIRC. AN. DC. XCVIII. NOVEMB. XXIII. claudus exſtiterat. Hic quadam die ad B. Patris ſepulcrum orationis causâ veniens, proſtravit ſe humiliter coram altare, & devotas omnipotenti Deo fudit preces, invocans etiam ſuffragium meritorum B. Trudonis. Cúmque ſubitò ſe ab oratione levâſſet, ſtatim priſtinæ ſanitati reſtitutus eſt. Sícque incolumis incedebat, acſi numquam ullius debilitatis perpeſſus eſſet injuriam. Magnas itaque Deo gratias referens, & S. Trudoni pro ſanitatis munere laudem dignam rependens, is qui claudus venerat, incolumis ad domum ſuam reverſus eſt. Hócque ſignum celebre factum eſt per totam regionem illam.

XXXI. Cæcus viſum recipit. Fuit quoque quidam privatus oculorum lumine in eadem regione, nomine Adalbertus, quem multi ex vicinis loci illius habitantibus noverunt. Hic ergo multis annis patienter in atris cæcitatis tenebris permanſit. Aſt quadam die ad Eccleſiam Patris, orationis gratiâ pervenit, ſéque ante tumulum in quo pretioſum corpus viri Dei humatum eſt proſtravit. Facta autem oratione ſurrexit, elevatíſque oculis clarè videre potuit. Exclamánſque magno repletus gaudio dixit adſtantibus ſibi: Gratias ago Deo & S. Trudoni, quia illuminati ſunt oculi mei. Admirati ſunt ergo omnes & glorificabant Deum, qui tantam gratiam ſuo largitus eſt ſervo, ut per ſuas orationes viſum redderet cæco. Reverſus autem ille vir cum gaudio in domum ſuam, divulgatum eſt verbum hoc in univerſam regionem illam.

Explicit Vita ſancti Trudonis Confeſſoris.

DE VARIIS TRANSLATIONIBUS AC MIRACULIS S. TRUDONIS.

1. ANNO Chriſti DCCC. XXC. *ut legitur in Mſ. Chron. Trudonenſi parte* I. *lib.* 2. *cap.* 6. *teſte Henſchenio ad diem* 20. *Febr. in Vita S. Eucherij*, FRANCO Leodienſis Epiſcopus ſanctum pignus pretioſorum corporum TRUDONIS & EUCHERII ab imo *elevavit, & in loco eminenti decenter collocavit. Anno ſequente* DCCC. XXCI. (*ut cap.* 17. *traditur*) *ob Nortmannorum metum*, corpora SS. Trudonis & Eucherij intra ſubterraneam cryptam ſeu voltam, quæ retro altare ipſius B. Trudonis ad hoc nuper conſtructa fuit, ſupinata & occultata ſunt: ubi multis annis latuerunt uſque ad tempora Wirici Abbatis, ſub quo per Rodulfum Leodienſem Epiſcopum ſollemniter iteratò tranſlata fuerunt, *quantumvis* GUNTRAMNUS *Abbas Trudonianus anno* M. XLV. *&* LANZO *Abbas anno* M. XXCV. *corpora ſacra perquiſierint, ac effodi tentaverint. Rodulfus Chronici editi auctor, anno* M. C. VIII. *Trudonianus Abbas creatus fecit capellam*, quæ ſuper ſepulcra SS. Trudonis & Eucherij fere XXX. annis computruerat, *uti de ipſo teſtatur in lib.* 10. Anno Domini M. C. LXIX. *habet Rodulfi continuator cap.* 1. *& ſeqq.* WIRICUS Abbas deſtructâ capellâ quam exuſto ante aliquot annos Monaſterio ſuper ſepulcra SS. Trudonis & Eucherij conſtruxerat, novi operis fundamenta poſiturus, terram altiùs fodi præcepit. *Et primò quidem* ad lævam chori partem, ad meridianam videlicet plagam ſecus ipſum oſtij introitum, oſſa LIBERTI Martyris * inventa ſunt, *demùmque apertâ voltâ*, quæ retro altare ipſius capellæ *firmi operis cæmento compacta erat, corpora Sanctorum inventa ſunt. Eodem anno, ſcilicet* Inc. Dominicæ M. C. LXIX. imperij Frederici I. anno XVI. ordinationis autem Domini Wirici Abbatis anno XIV. epiſcopatûs verò Rodulfi Leodienſis Epiſcopi III. *Rodulfus ipſe ab Abbate & Monachis invitatus*, Sanctorum corpora inde elevavit: quæ ad ſpectandum populo in medio Monaſterij prolata, in ſcrinio auro argentóque inſigniter fabricato ſunt recondita. *Epiſcopus* poſt canonem Miſſæ ſollemni decreto conſtituit, ut dies Tranſlationis eorum denuo feſtiva exſultatione ab omnibus locum incolentibus celebris ageretur, *nempe* III. *Idus Auguſti, quo die in Martyrologio Bened. aliiſque nonnullis locum habet.*

To. 7. *Spicil.*

* *is fuit Abbas Trudonianus à Nortmannis martyrio affectus, de quo agemus Sæculo* IV. *Bened.*

2. *Quod attinet ad miracula S. Trudonis, legendus Rodulfus Abbas, in Chronici editi lib.* I. *ubi hæc verba:* Hujus vitæ (Guntramni Abbatis) ultimis diebus *, domini noſtri Trudonis ſepulcrum frequentiſſimè cœpit coruſcare miraculis, quæ ille ſtudioſiſſimè ſatagebat occultare. Sagaci enim pectore concipiens quod futurum erat, ſigna data eſſe infidelibus non fidelibus, dicebat quod non longè poſt ipſum nonnulli de noſtris experti ſunt, qui inter ipſa quoque miracula Deum offendere non timuerunt. *Et paullo poſt*: Accedebat quoque ad augendam illi divitiarum multitudinem ſepulcrum B. Trudonis, frequentiſſimis quotidie mirabilibúſque coruſcans miraculis, quæ tanta toto orbe terrarum fama reſperſerat, ut multitudinem peregrinorum non ſolùm Templi aditus, ſed & ipſe quoque totus opidi noſtri locus ferre minimè poſſet &c. *Hæc patrata Abbate Adelardo, qui Guntramno ſucceſſit.* STEPELINUS *Monachus Trudonianus litteris mandavit prædicta miracula, quæ ſi ad nos tranſmiſſa fuerint, ſuo loco vulgabimus.*

* *obiit anno* 1055. NOTA.

VITA S. GLODESINDIS ABBATISSÆ METTENSIS,

CIRC. AN. DC. X. JULII XXV.

Auctore B. JOHANNE Abbate Gorzienſi qui Sæculo x. floruit.

Ex Tomo I. Bibliothecæ Labbeanæ.

OBSERVATIONES PRÆVIÆ.

Vitæ auctor.

1. HÆC *Vita S.* CHLODESINDIS *ſeu* GLODESINDIS * *ſuperiùs omiſſa, ſuo loco reponenda* *, *auctorem habet non* BERNARDUM, *ſed* JOHANNEM *Abbatem, prout in veteri codice Mſ. legit Philippus Labbeus, qui eamdem Vitam, à Surio expolitam ac Bernardo Abbati attributam, genuino ſtilo reſtituit Tomo* I. *Bibl. Quis verò ille Johannes Abbas? ut quidem veri ſimile eſt, B.* JOHANNES Abbas Gorzienſis, *qui ſæculo x. floruit, litterarum ſtudiis uti & virtutibus maximè inſtructus. Certè Iohannes Abbas, Vitæ S.* GLODESINDIS *conditor, vixit Pontificatu Adalberonis Mettenſis Epiſcopi, Gorzienſis Monaſterij inſtauratoris, uti ipſe in ejuſdem Sanctæ Tranſlationis hiſtoria quam prædictæ Vitæ ſubjecit, diſertè teſtatur: quo eodem tempore S. Iohannes Abbas Gorzienſis clareſcebat. Hic auctor aliam præ oculis habuit Glodeſindis Vitam, quam à ſe exornatam fuiſſe in Præfatione tum Vitæ à ſeipſo editæ, tum hiſtoriæ Tranſlationis affirmat.*

* *S. Gloſinde pag. 5.*

Memoria.

2. *S. Glodeſindis memoria celebris ſemper apud Mettenſes, in antiquis Martyrologiis (ſi Mettenſes Faſtos excipias) deſideratur. Sigebertus Monachus in Chron. ad ann. 615. ejus mentionem facit his verbis:* Glodeſindis Mettenſis claret, quæ ſponſum fugiens, velamine capitis miſſo ſibi à Deo per Angelum, ſe & ſua Deo delegavit. *Ejus Monaſterium* S. GLOSINÆ, *truncato (ut fit) nomine, appellatum, Sanctimonialibus Benedictinis hactenus addictum intra Mettarum urbis mœnia ſubſiſtit. Lege S. Vualdradæ Elogium ad ann. 620.*

PROLOGVS DOMNI IOHANNIS ABBATIS in Vitam S. GLODESINDIS *Virginis à ſe editam.*

Auctoris fides.

1. MULTA jam diu prece Sanctitatis veſtræ, Sorores in Chriſto cariſſimæ, paullò immoderatiùs me perurgente, ne quid veſtro denegarem amori id demum effecit: quia quod petebatis, non modò honeſtum, verùm omnino conſtabat religioſum, idque me recuſare cùm indignum, tum etiam ſentiebam periculoſum. Etſi vires aliquantulum reputabam præponderare negotium, rurſus animum ſubibat, quòd caritas quæ non ſua, ſed quæ proximorum ſunt cogit curare, quo difficilioribus ejus causâ inſtatur, eo tum faciliorum ſucceſſuum novit aditus miniſtrare. Neque in cauſa Dei verendum, eum cui res agitur, pro ſe operanti deeſſe: tantùm fide non infirmari contingat. Impellitis itaque, ut ſacratiſſimæ Virginis Chriſti GLODESINDIS, cui devotis continuè adhæretis excubiis, quæ converſationis initia, qui medij actus in finem uſque feliciter conſummatum exſtiterint, quantum ex ſcriptis quæ ad noſtram ætatem qualibuſcumque litteris adnotata perdurant, queam advertere, ſtilo quoquo poſſibile ſit audeam pertentare. Quo tanto tempore tantáque inſtantia flagitatum, quia indecens videtur obniti, ope ejuſdem præſtantiſſimæ Virginis Deo ſpiritu mundo inhærentis virtutibus, tum veſtris pariter fretus orationum ſubſidiis; etſi non ſine quodam rubore, uti qui parcitatem proprij perpendam ingenij, non diu per longa moratus exordia ociùs narrationi accedam.

INCIPIT TEXTUS NARRATIONIS.

Glodeſindis nobilis, *a*

2. TEmporibus CHILDERICI [a] apud hiſtoricos celebratiſſimi Regis Francorum, in Gallia Belgica quæ ex gente poſtea Franciæ nomen mutavit, Virgo Domini GLODESINDIS eximia, ſatis nobili generis ſtemmate procreata, Patre illuſtriſſimo eodémque Duce clariſſimo, cui vocabulum WINTRO [b], Matre GODILA luce generoſitatis non diſpari, ab ineuntis ætatis *b*

a Legendum *Chilperici*: quamquam Auctor in Hiſt. Tranſlationis S. Glodeſindis, Regis *Childerici nomen tantùm ſub opinione appoſitum* fuiſſe fatetur, deficientibus aliis notis chronologicis.

b Is eſt QUINTRIO ſeu VUINTRIO Dux Campaniæ, in Fredegarij Scholaſtici Chron. cap. 14. memoratus, qui rurſus cap. 18. *inſtigante Brunechilde* dicitur *interfectus anno tertio regni Theudeberti*, Childeberti filij, id eſt anno æræ Chriſtianæ D. XCVIII.

CIRC. AN. DC. X. JULII XXV.

ingreſſu multa virtutum dote inſignis, multiſque exemplo in via caſtitatis futura, vitâ & moribus clara enituit. Hæc cùm in domo parentum quoad puellares annos excederet, integrè & ſub omni eſſet educata diligentia: ubi jam tempus quo ſe dignis natalibus deſponi deberet acceſſit, juveni cuidam nomine OBOLENO à parentibus ex more ſponſa decernitur: Chriſto verò ſe ubique protegente, non minùs corpore, quàm mente ſervatur intacta. Et (quàm ſemper mira in electis ſuis Dei miſerentis cuſtodia!) cùm tempore deſponſationis exacto juvenis Virginem, ut fit, à parentibus ſuſcepiſſet, domum cum grandi frequentia nuptias paraturus deducit. Sed quia ſancta Virgo cæleſti ſponſo jam corpus & animam ſuam conſecraverat, eodem fortè prædicto ſponſo, conſilio utique Divinitatis, juſſu Regio evocato, palatium juvenis ſine mora contendit. Quo cùm perveniſſet, multis & nefariis ei ingeſtis ſceleribus graviter in eum regalis eſt incenſa ſeveritas. Ita artâ retruſus cuſtodiâ, annóque integro ibi digno ſqualore confectus, eo exacto eductus judiciali damnatus ſententia capite detruncatur. Sic virginitas ſancta, dum toto niſu carnali oblectationi repugnat, cunctam gloriæ temporalis pompam nihili reputat; Domino Chriſto quem omnibus labentium rerum præferebat deliciis pro ſe decertante, ei uni quem ſemper optaverat, corde inhærens & corpore, læta & victrix de totius jam damno corruptionis triumphat.

Obolenum ſibi deſponſatũ amittit.

Sponſum alterum declinans,

3. Nec ſe quoque adverſæ poteſtatis defecere doli. Pater nece ſponſi prioris audita puellam venerabilem rurſus cogit ad thalamum. Illa quæ jam ſponſum Chriſtum cordis medullis imbiberat, totis niſibus reſultare, nec in eam labem virtuti ſemel fixum animum inductione qualibet inclinare. Die interea nuptiarum ex condicto parentum inſtante, beata Virgo præ ejus ſpecie quem oculis mentis incorruptibilem, immarceſſibilem, immortalem conceperat, hunc poſt paullulum putredinem & filium hominis vermem attendens, patre piè contempto, Dei ac Sanctæ Matris Eccleſiæ confugium petiit. Erat patri ſoror memorandæ ſanctitatis ROTLINDIS nomine, famâ religionis Treveris opinatiſſima. Ad hanc eam ſecum abducere tentabat, ut ſaltem ejus ſuaſu animus puellæ emollitus paternis non recuſaret obtemperare conſiliis. Sed quid contra lumen æternitatis cæca molitur inſtantia? Sancta virgo patris juſſis animo virili obluctans, urbem populis, potentia, ipſáque ſui antiquitate terra marique memorabilem Mettim ſeu Mediomatricum maluit expetendam. Eſt in eadem urbe Baſilica beatiſſimi protomartyris Stephani, quam multis ſæpe operatio Divina miraculis illuſtravit. Hanc ancilla Chriſti cum jam ſibi res propè ad vim ſpectaret, ingreſſa, ibi intra altare & Confeſſionem, ubi cum ejuſdem Martyris ſanguine [a] plurimorum continentur Sanctorum Reliquiæ, ſe profugam collocavit. O ſæclis omnibus caſtitatis ſtudium meritò efferendum! Quo enim fluxa mortalitas naturâ ipsâ quamvis pœnaliter vitiatâ trahente deſcendit captiva, hoc puella ſpiritûs vigore ſe fortiter retinente, quaſi immanis præcipitij voraginem exhorreſcens, quia aliàs evadendi aditus ſibi obducitur, fugæ ſolius capit præſidium. Nec ſanè in ſinu egens * aut quicumque de turba erant qui cogerent. Dux certè præpotens pater erat, qui & ipſis terrori locupletibus eſſet, eúmque circumſtipantium cohors minax inſtabat atque terribilis. Sed illa mori paratior quàm florem virginitatis & ſplendorem glorioſæ amittere integritatis, nec minis concuſſa, nec blanditiis mota, tamquam tutiſſimo portu manebat interrita. Diſcant Virgines præſenti exemplo non pulchrum ſibi eſſe maritalibus ſubjici vinculis, non in poſſeſſionum amplitudine, non in ſervorum ancillarúmque gregibus, non in ornamentorum diverſi generis apparatu, non in quorumcumque obſequentium cuneis delectari, cùm hæc omnia variis ſibi caſibus non ſine multo utique dolore noverint amittenda, nec quidquam eorum ſe morte omnia prorumpente vel comitari poſſe, vel ſequi: quin potiùs quæ majus omnibus eſt ſpecies beati pudoris, Deo Angeliciſque unicè cara agminibus, ſuper omnia hæc infima & mundi caduca oblectamenta ſui ſolius voluptate, ſanctóque & immaculato allici deſiderio.

Mettas ad S. Stephani Baſilicam confugit.

a

* *mendum*

Illic perſiſtens, cælitùs paſcitur & velatur.

4. Sed ut cœpta ſequamur, parentes puellam fugientem è veſtigio inſecuti, facto ſtupentes, iráque incenſi, maximè cum ſponſalium adminiſtri ſe conqueſti deluſos acriori inſtimularentur dolore; Ancillam Chriſti ex ſacro confugij loco, ſi qua arte valerent, conabantur abſtrahere. Fit jugis ante oſtium ædis ſanctæ pernoctatio, intentáque die noctúque obſervatio, ut qualibet fortè ſibi facultate oblata vi abducere properarent. Puella venerabilis ſpiritu robuſtiori, animóque ſe obſtinato immobilem renens, ut ſacroſancto adhærebat altari, nulla inde ratione vel puncto temporis aliquatenus quivit avelli, & (mirum dictu!) ſex continuis diebus manens in Eccleſia, non modò non egreſſa, ſed & omni prorſus cibo abſtinet & potu. Verùm qui dat eſcam omni carni, & replet omne animal benedictione, famulam ſuam humanis fruſtatam, divinis recreat alimentis, eámque precibus aſſiduis cælo intentam Angelica dumtaxat probatur paviſſe refectio. Fide interea tam conſtanti perſeverantiæ ſuæ remunerationem exigente conſolationis Divinæ, quæ tamdiu contractam nubem mæroris abſtergeret, lux repentè grata reſplenduit. Inſtante namque jam ſeptima die quæ Dominica erat, ecce vir quidam vultu Angelico, ſequentibus pueris duobus pulcherrimis ſub omnium conſpectu advenit,

a Donatus in Vita S. Trudonis ſuprà ad ann. 698. in Eccleſia S. Stephani *pretioſiſſimum ejus ſanguinem cuſtodiri* affirmat. cap. 8.

partémque altaris qua virgo ſacratiſſima pudorem tuendo celabatur, rectà ingreſſus, velamine in ſanctæ ſpecimen Religionis cernentibus cunctis B. Virginis caput obnubit. Nec mora, oculis intuentium, cum his quibus apparuit ſublatus, magnitudine facti, ſtupore & miraculo perculit univerſos, cùm terror ipſe eos acſi ſtolidos & mentis vacuæ ſic reddidiſſet, ut neque proloqui, neque unde, aut qui eſſent qui venerant, poſſent ediſcere. CIRC. ANNO DC. X. JULII XXV.

5. Cùm verò poſt diſceſſum tantæ viſionis ad ſe reverſi ſanctam Virginem eò habitu adſtantem perſpicerent, facilè animadvertentes Angelicam apparuiſſe præſentiam, totúmque id divinitùs factum eſſe quod viderant; nihil quo ultro reſiſterent erat. Tantùm ſolo ſtrati, veſtigiiſque Beatæ Virginis ſubmiſſi, jam omni feritatis tumore ſupplicem in geſtum converſo, veniam ſolam pro illatis exorant injuriis. Non erat apud cor cui ſpiritus pietatis & Rex præſidebat manſuetudinis, hic labor difficilis indulgendi: ac repentè tamquam nullis læſa, omnibus quæque ea exſtiterant poſthabitis, in integram cum parentibus & ceteris rediit gratiam. Attendant hic Virgines, & caſtitatis theſauro nihil Deo gratius vel Angelis diſcant familiarius. Virginitati Chriſtus inter omnia adeſt diſcrimina, ſpiritus cæleſtes uti ſponſæ Imperatoris ſui famuli devotiſſimi obſequuntur. Hæc ſola immaculata Agnum ſequitur ubique immaculatum: quantóque ei adhæret viciniùs, tanto ad quælibet poſtulata auditur velociùs. Ecce quàm præſtò huic ancillæ ſuæ gratia illa inæſtimabilis adfuit. Verè propè Dominus omnibus qui obtriverunt cor, & prope timentes eum ſalutare ipſius. Quo verò putas ore eam tunc in laudem ſui erupiſſe Creatoris, aut cujus genere vocis hymnum inæſtimabili fudiſſe cum jubilo, cùm oculos lucis illius inviſibilis tam placidè in ſe dejectos, & aures illas ſecretiſſimas voci ſuæ tam properè cognovit admotas, támque facili via preces datas effectui, ut Angelum ſanctum ſub ipſis mortalium oculis ad ſe lætificandum & conſolandum præpotenti majeſtate adveniſſe gauderet? Prophetica nimirum exſultatione, jam ſponſa cæleſtis effecta, uti poterat ac dicere: *Induit me Dominus veſtimento ſalutis & indumento juſtitiæ circumdedit me.* Itémque voce univerſalis Eccleſiæ ex utroque ſexu collectæ uni capiti ſuo gratulabunda proclamare: *Sicut ſponſo impoſuit mihi mitram, & ſicut ſponſam ornavit me ornamento.* Infectatoribus ſuis dat veniã. *Iſa.61.10.* *ibid. juxta LXX.*

6. Beata itaque Virgo cùm (ut præmiſſum eſt) viſceribus affluens pietatis cunctos ſibi pridem infenſos veniæ clementer admiſiſſet, & parentibus deinceps in nullo impatiens placidam ſe ſubdidiſſet; ad prædictam amitam ſuam ROTHILDAM magnæ probitatis famâ celebrem quam in ſecundo actu de nuptiis, pudori metuens, non contumaci mente refugerat, jam in gratia percepta non minimum gerens fiduciæ, Treviros ſponte contendit. Ibi pro modo converſationis tempore non multo exacto, cunctis jam bonorum ſtudiis morum actuúmque ſtatu ad normam cæleſtis diſciplinæ quidquid divinitùs & humanitùs æquo competit & honeſto pleniſſimè informata, urbem ſibi patrociniis divinis amicam Mettim repetiit. Vitæ ilicò artioris ingreſſum, cui jam dudum ſanctus ejus ſpiritus toto deſiderio adſpirabat, Ancillarum Chriſti ſe cum grege collecto ſumma vi atque ope nitens arripuit. Eſt locus infra mœnia urbis ipſius, jure hereditario tunc parentum poſſeſſio, religioſiori inſtituto admodùm opportunus. Hunc Sancta Virgo Divinis uſibus dono dari ſibi expoſtulans, nec mora paratiſſima eorum liberalitate adeptum Monaſterium puellarum Dei hodieuſque inſigne pulchro materialiter decore conſtruxit, pulchriori nihilominus virtutum robore nobiliter gubernavit: in quo uſque ad centenum numerum Collegium Chriſto famulantium adunavit, eíque omni vigilanter ſedulitate inſtitit glorioſa. Quæ hujus deinceps ſancti certaminis converſatio fuerit, qui in omni genere ſpiritalis incrementi ei profectus quotidiano uſu acceſſerit, ſub quo diſciplinæ rigore & ſeipſa compreſſerit, & ceteris ſuperni dux facta itineris, in ſe quod ſequerentur præſtiterit, atque eis potiùs, quàm ſibi vixerit; fide atque arbitratu ſanæ intelligentiæ, quàm ſcriptis æſtimo commendandum. Conſideranti enim attentiùs, liquidò claret quod B. Virgo viſitationem illam in ſe tam à ſupernis jocundè effuſam præ oculis cordis continuè verſans, exterioris operis exſecutionem interiori non diſparem ſervabat fervori. Treveris ab amita informatur. Metras reverſa condit Cœnobium. Centum puellis illic adunatis præeſt.

7. Poſtquam idem Monaſterium ad numerum ſex illorum dierum, quibus præparationis ſanctæ integritatis mirabili illo in Eccleſia duraverat jejunio; ſex item annos feliciter rexerat, Deo hominibúſque grata, vita quoque & ſignis magnifica; in ſanctitatis propoſito curſu fideliter conſummato, coronam juſtitiæ perceptura à Domino, Sponſóque diu cupito cæleſti jam ſocianda in thalamo, immaculata migravit à ſæculo[a]. Totum præterea hujus ſpatium mortalitatis triginta annorum curſu eam emenſam eſſe confirmant. Nec ſanè de ætatis quid plenitudine perquirendum, cùm quidquid fructuum annoſæ ſenectuti eſſet acceſſurum, hoc brevi conſummata nihil juventus detraxerit. *Sunt* enim juxta Sapientiam, *cani ſenſus hominis,* Tricenaria moritur. *Sap. 4.*

a Nempe VIII. Kalend. Aug. quo die in Addit. ad Uſuardum & in Adonis Martyrologio interpolato ejus memoria celebratur. At quo anno S. Glodeſindis obiiſſe dicenda eſt? certè annum DC. X. haud exceſſiſſe videtur. Quippe tricenaria obiit, poſtquam pater eam ſemel & iterum nuptiis devoverat. Quum ſecundis ſponſalibus nuntium remiſit, viginti circiter annos nata erat vivo adhuc patre, quem anno D. XCVIII. exſtinctum fuiſſe diximus. Porro S. Glodeſindis ante S. Arnulfum anno circà DC. XL. mortuum deceſſit, uti Auctor paullò infrà tradit.

CIRC AN. DC. X. JULII XXV. *ibid.* Sepelitur in Basilica SS. Apostolorum.

& ætas senectutis vita immaculata. Quinpotiùs magno Dei dono Justi æterna quiete recepti mundo providè subtrahuntur, ne videntes mala quæ fiunt sub sole, aut internis paullulum remorentur deliciis; aut vitiis ipsius mortalitatis, quorum *ipse* quoque obnoxius est visus, contactu assiduo corrumpantur, attestante hoc eadem Sapientia: *Raptus*, inquit, *est, ne malitia mutaret sensum ejus, aut fictio deciperet animam illius.* Funus interea ex consequenti debito honore curatur, & de more à se in eodem Monasterio jam inde ab initio instituto corpus ad Basilicam sanctorum Apostolorum haud longe à mœnibus urbis ad portam Meridiem versùs effertur, atque ibi in crypta longè inferiùs demersa ad latus sinistrum deponitur. Nam hoc idem ipsa vivens ut fieret jusserat: eoquòd cœmeterium sanctarum Puellarum ejusdem loci in prædicta Apostolorum Ecclesia tunc temporis haberetur: necdum [a] corpus glorioſissimi Confessoris Christi Arnulfi, quem post multa exinde tempora magnis vitæ & virtutum ibi constat enituisse insignibus, eadem Ecclesia augusto (ut nunc cernitur) tumulo susceperat. Unde huic loco postea tam propter crebra miracula ejus, quàm propter nobilitatem generis ejus nomen inditum, nec præterquam beati ipsius Antistitis nomine, ullius alterius Sancti apud vulgum ibi notatur memoria. Mansit venerabile pignus per annos circiter viginti & quinque in eodem loco in pace sepultum, spiritu inter præmia æternitatis omni jam temporis mutabilitate subacta ipsi qui verè solus habet immortalitatem, & lucem habitat inaccessibilem, adhærente, vitáque eo verè immortaliter, quo immutabiliter, cum ipso perfruente, cui immortalitati, invisibili soli Deo honor & gloria in sæcula sæculorum. Amen.

a Hic locus aliter apud Labbeum legitur, at Suriana lectio præferenda visa est.

a

Lege Vitam S. Arnulfi ad ann. 645

MONITUM.

DE prima Translatione S. Glodesindis agemus Sæculo IV. Bened. ad annum DCCC. XXX. *quo secunda ejusdem Translatio facta est.*

ADDITIONUM ET CORRECTIONUM APPENDIX
ad Sæculum II. Benedictinum.

IN VITA S. COLUMBANI ABB.

Pagina 10. *Nota* (a) *lin.* 1. *&* 2. *lege* Salaberga *pag.* 26. *Nota* (c) *adde*, Paulus Diaconus in lib. 1. de Gesto Langob. cap. 9. VUODAN *sanè*, inquit, *quem abjectâ litterâ* GODAN *dixerunt, ipse est qui apud Romanos Mercurius dicitur, & ab universis Germaniæ gentibus ut Deus adoratur.*

Pag. 25. *num.* 50. *lin.* 18. *l.* Jorano.

Pag. 34. *in Nota lin* 2. *dele*, quæ nomina in Jona desiderantur, *& repone*, Acra apud Jonam Procula dicitur.

S. VVALDRADÆ ABB.

Pag. 63. *num.* 1. *lin.* 8. *l.* suburbio Mettensi SS. Apostolorum Ecclesia.

S. VVALARICI ABB.

Pag. 90. *in Monito lin.* 14. *post* liberantur, *ceteris deletis scribe*, Verùm alius est à Vualarico nostro Valericus iste, cujus res gestas beneficio nostri Laurentij *Dumas* tandem accepimus ex Breviario Mſ. Ecclesiæ S. Martialis Lemovicinæ desumptas, ex quibus hæc carptim delibamus. *Valericus in provincia Gallia quæ Germania dicitur inferior, illustrium virorum sanguine, Christianis parentibus natus est. Litteris divinis bene doctus, Aquitaniam provinciam est ingressus. Locum secretum ad Deo serviendum quærens, Lemovicarum civitatem expetiit, ut ad sepulcrum S. Martialis Apostoli accedens, propositum suum Deo commendaret. Clerici qui in Ecclesia S. Martialis permanebant, deduxerunt eum voluntarium in quemdam locum secretum, triginta fere millibus ab urbe Lemovicina disjunctum contra Orientem, in territorio* (id est diœcesi) *Lemovicensi. Dederat autem prædictum locum eidem Ecclesiæ Dux* STEPHANUS: *in quo loco B. Valerico cellulam Clerici ædificaverunt, atque Ecclesiam S. Juliani Martyris eidem construxerunt. Diebus Dominicis ad Ecclesiam S. Juliani ut Sacramentorum mysteria perciperet properabat. Senio gravatus, sumpto Viatico vinculis carnis solutus est quinta Epiphaniorum die, hoc est* IV. *Idus Januarij.* Nunc locus *sainct Vaulry* appellatur, estque Prioratus Conventualis Ecclesiæ S. Martialis subjectus.

S. AUSTREGISILI EPISC.

Pag. 99. *in Nota prima lin.* 12. *l.* S. Austregisili Reliquiæ in propria Ecclesia collegiata suburbij Biturici olim adservabantur: nunc quo in loco lateant, num ab hæreticis combustæ sint, incertum. In collegiata S. Ursini Ecclesia intramurana os ejus insigne ostenditur.

S. DEICOLI ABB.

Pag. 108. *in Nota l.* Florario.

Pag. 122. *dele hanc notam marginalem*, lege ejus Vitam infrà.

S. SULPICII EPISC.

Pag. 174. *num.* 25. *lin. ult. l.* exactio.

Pag. 179. *in Nota* (b) *lin.* 5 *l.* Evram scilicet & Avaricum, vulgò *l'Eure & l'Auron.*

S. RICHARII ABB.

Pag. 189. *num.* 4. *lin.* 6. *&* 7. *l.* miracula ineunte sæculo nono facta commemorat. *& dele sequentem versum usque ad finem periodi.*

Pag. 199. *in Nota* (b) *lin.* 9 *l.* primum verò, *& linea ult. scribe*, lege Vitam S. Rictrudis anno 689. ubi de S. Mauronto agemus.

S. GOARIS CONFESSORIS.

Pag. 290. in Nota dele. Et Lutzemburgum opidum *&c.*

S. AGILI ABB.

Pag. 316. lin. 13. poſt laudatus; *adde,* S. Gerardus Monachus primùm Resbacenſis, dein Abbas & conditor Cœnobij S. Martini prope Pontœſiam; Natalis *&c.*

Pag. 325. in Nota lin. 16. l. anno DC. LIV. aut inſequenti

DE S. P. BENEDICTI TRANSLATIONE.

Pag. 339. num. 10. lin. 1. & ſeqq. l. Paulus Vvarnefridi

Pag. 343. num. 15. lin. 9. l. parte 2. Tit. 13. cap. 6. § 32.

Pag. 350. lin. 1. l. anno DC. LVI. ſecundum Baronium, veriùs anno DC. LVIII. ſedere cœpit,

Pag. 352. lin. 15. l. utriuſque femoris oſſa *&c. ibid. num. 43. lin. 10 & 11. l.* Ejus mandibulam Monaſterium &c. *in fine numeri poſt* gloriantur. *adde:* Hæc non ideo commemoravimus, quaſi prædictis Reliquiarum indicibus integram fidem habeamus. Sanè Monachi Vallisoletani è Montepeſſulano obtinere non potuerunt os integrum femoris S. P. Benedicti: tum quia utriuſque femoris oſſa in Cœnobio Floriacenſi etiamnunc poſſidentur ex dictis: tum quia Montipeſſulanenſes quartam circiter partem capitis dumtaxat & unum os brachij dextri S. Benedicti à Monachis Floriacenſibus acceperunt, ſicuti ex litteris Urbani Papæ v. ſuprà num. 40. laudatis conſtat. Porro Carnutenſes noſtri non habent S. Patris mandibulam inferiorem, quæ in poſtrema Tranſlatione Floriaci reperta eſt. *Ibid. num. 44. lin. penult. l.* Frogentij & Teneſtinæ.

Pag. 257. in Nota (c) *lin. 1. l.* integra non exſtat.

Pag. 259. in Append. lin. 21. l. anno CM. LXIX.

S. BAVONIS CONF.

Pag. 398. in Nota lin. 3. & 4. l. Et tamen Theodoricus Abbas Trudonianus in alia Vita apertè, obſcuriùs Philippus *&c.*

Pag. 414. num. 4. lin. 1. l. alter alterum

S. SALABERGÆ ABB.

Pag. 421. & ſeqq. in marg. ſuperiori l. Septemb. XXII.

Pag. 427. in Nota (b) *poſt lin. 6. adde.* Fortean dicta eſt Clavatum Lugdunum eum ad modum, quo civitas Verodunum, teſte Hugone Abbate Flaviniacenſi in Chron. *urbs Clavorum appellata eſt, quòd lapidibus prænimis ferro plumbóque compactis & conſertis, ingenti cura & ſtudio ſit exſtructa.*

IN VITA S. SIGIRANNI.

Pag. 434. in marg. 2. l. Bonis operibus inſiſtens &c. *& pag. 435. in marg. 2. l.* levat.

S. REMACLI EPISC.

Pag. 489. lin. 13. poſt conſentit. *ceteris deletis uſque ad num. 4. repone* S. Remaclus Sollemniaci Monaſterij Abbas primus fuiſſe videtur ex ſubjecto S. Eligij Privilegio. Quod ſi ita eſt, corrigenda eſt S. Remacli Vita, ubi Remaclus Sollemniaci ſub Abbate inſtitutus fuiſſe dicitur. *num. 4. lin. 14. poſt* conſequerentur. *adde,* Sic enim habet charta hac de re ab Eligio confecta, quam ex MS. cod. Sollemniacenſi deſcriptam accepimus.

Charta Eligij de Sollemniaco Monaſterio.

In nomine Patris, &c. Ego ELEGIUS ſervus ſervorum omnium Chriſti, dominæ ſacroſanctæ Eccleſiæ quam in honore SS. Petri & Pauli Apoſtolorum, Pancratij & Dionyſij cum ſociis ſuis, Martini, Medardi, atque Germani Confeſſorum in ſuburbio *(id eſt territorio)* Lemovicenſi in terra & fundo agri Sollemniacenſis Deo auctore conſtruxi, ubi & auſpice Chriſto præeſſe dignoſcitur vir venerabilis REMACLUS Abbas cum reliquis Fratribus. Legumlatores de ſingulis quibuſque rebus quid humana fragilitas cuſtodiat, expreſſiùs decreverunt: in ceſſionibus verò ſolam tantùm dixerunt profeſſionem ſufficere. Ideóque & ego ſupplex veſter conſiderans molem peccatorum meorum, ut merear ab ipſis erui & à Domino ſublevari, cedo vobis parva pro magnis, terrena pro cæleſtibus, temporalia pro æternis. Ceſſum eſſe volo ac de meo jure in veſtro dominio transfundo, hoc eſt ſupradictum agrum Sollemniacenſem, qui mihi ex munificentia glorioſiſſimi & piiſſimi domini DAGOBERTI Regis obvenit, cum ædificiis quæ in ipſo agro vel intra muros ſupradictæ civitatis eſſe noſcuntur, cum omnibus adjacentiis ſuis, cum manſionariis originariis, inquilinis ac ſervis vel accolanis ibidem commorantibus, cum dominiis, vineis, pratis, paſcuis, ſilvis, arboribus pomiferis ſeu impomiferis aquis aquarúmve ductibus, itibus & reditibus, cum ſpeciebus vel omnibus rebus mobilibus & immobilibus, cum omni termino & integro ſuo ſtatu, cum quadrupedibus omnibus & jumentis vel pecoribus, cum omni ſupellectili & præſidio inexquiſitæ domûs, ſicut à me nuncuſque poſſidetur, vel quidquid ad ipſum agrum pertinere videtur, ut ſuperiùs profeſſus ſum, meo exinde ſubtracto dominio veſtræ dominationi depræſenti cedo perpetualiter in Dei nomine à vobis vel à veſtris ſucceſſoribus in jamdicto Monaſterio habitantibus poſſidendum, exceptis libertis meis, quibus* per chartulam vel denarium manumiſi, ut in ingenuitate integra maneant, & veſtram tuitionem aut defenſionem in omnibus habeant. EA TAMEN CONDITIONE INTERPOSITA, ut vos vel ſucceſſores veſtri tramitem Religionis ſanctiſſimorum virorum Luxovienſis Monaſterij conſequamini, & REGULAM BEATISSIMORUM PP. BENEDICTI ET COLUMBANI firmiter teneatis. Et nullam poteſtatem nullúmque jus Epiſcopus vel quælibet alia perſona in præfato Monaſterio, neque in rebus neque in perſonis, niſi tantùm glorioſiſſimus Princeps penitùs ſit habiturus. Si quis (quod fieri non credo) contra hæc ceſſionis meæ munuſcula, quæ ceſſante vi, dolo, ſed propria voluntate & nullius cogentis imperio pro felicitate Regum & animæ meæ remedio & pro exoranda populi pace, & pro Servorum Dei quiete omnipotenti obtuli Deo venire, aut in aliquo refractor eſſe tentaverit... veniat ſuper eum ira Dei omnipotentis... & ſuperinferat fiſci juribus auri libras decem & argenti pondo viginti,

* quos)

ſtante nihilominus perpetim hujus ceſſionis meæ decreto. Te verò, clementiſſime Princeps, per Regem regum exorare præſumo, qui omnia Regna ſuo pugillo conſtringit, ut hanc voluntatis meæ ceſſionem numquam patiaris in aliquo refragari. Simili modo te, beatiſſime Pater REMACLE Abba, tuóſque ſucceſſores vel ſubjectos poſt te per individuæ Trinitatis majeſtatem obteſtor, & per illam innumerabilem omnium SS. Angelorum, Archangelorum, Patriarcharum, Prophetarum, Apoſt. Mart. & Confeſſ. catervam exoro, ut Regulam ſupradictorum Patrum, quam in ſæpe memorato Monaſterio Luxovienſe tenent, omni cuſtodia teneatis, & vigilias atque obſecrationes ad placandam iram furoris Domini aſſiduè impendatis. Quòd ſi aliqua tepiditate faciente ſeu ſubjectorum tumore impediente, à te vel à ſucceſſoribus tuis ſæpe memorata Regula fuerit dempta, aut in aliquo prætermiſſa, & ferventer pro Dei timore à vobis non fuerit adimpleta; licentiam habeat Luxovienſis Abbas qui tunc temporis fuerit, & ex quorum Regula tu nobis complacens in hoc Monaſterio aliis es prælatus, negligentem quem viderit ſeu Abbatem ſeu ſubjectum de hoc Monaſterio quod conſtitui benigno animo caſtigare: ut continuò correctus talis inveniatur, qui pro felicitate & gloria Principis, & abſolutione ſcelerum meorum Domini indeſinenter valeat exorare miſericordiam. Sic tamen ut nulla diminutio in rebus vel facultate* ipſa præter quod habetur inſertum, à ſæpe memorato Principe ullo umquam tempore inferatur. Et quia ut ſuperiùs ſum pollicitus, munuſcula ipſa ex largitate Chriſtianiſſimi & piiſſimi domini DAGOBERTI Regis videor habere & poſſidere, ideo ut perpetuum in Dei nomine ipſa ceſſionis meæ Epiſtola ſortiatur effectum, præfato Principi obtuli confirmanda. Cujus pietas depræſenti ſacratiſſimâ manu ſua róboratam promulgavit auctoritatem. In qua ceſſionis meæ chartula, ſtipulatione & ſponſione ſubnixâ infrà manu propria ſubſcripſi, & qui pro teſtimonio ſubſcriberent, depræſenti rogavi. Facta ceſſione ſub decimo die Kalend. Decemb. anno decimo regni D. noſtri Dagoberti Regis feliciter. In Chriſti nomine ELEGIUS ſervus ſervorum Dei ceſſione à me facta Religioſis. In Dei nomine ego ADEODATUS [a] Epiſcopus rogante homine Dei, filio meo Domno Elegio hanc ceſſionem ſubſcripſi. In Chriſti nomine MADEGISOLUS Epiſcopus [b] ſubſcripſi. CHANOALDUS Epiſc. [c] rogatus ab Elegio hanc ceſſionis ſuæ chartulam ſubſcripſi. MAURINUS Epiſc. [d] rogatus ab Elegio hanc ceſſionis ſuæ chartulam ſubſcripſi. DEOREMUS (*al. Deotemius*) peccator rogatus à ſupraſcripto ſubſcripſi. SALAPIUS [e] peccator rogatus à ſupraſcripto ſubſcripſi. In Chriſti nomine LUPUS [f] aeſi indignus Epiſcopus rogatus hanc epiſtolam ſubſcripſi. HILDEGARIUS [g] peccator ſubſcripſi, AROGECTUALIS Elegio pro teſtimonio ſubſcripſi, GUNDOËNUS ſubſ. CHRAMNOALDUS, AGORICHIUS, CHILDERANNIO ſeu BASO rogatus à ſupradicto Fratre meo Elegio ſubſcripſi. ANSOALDUS ſubſcripſi. DADO rogatus à ſupraſcripto, RADO rogatus à ſupraſcripto. PRODOBERTUS* ſubſcripſi. BASO, BOBO, VINCENTIUS minimus omnium Levitarum Chriſti rogatus à filio Elegio hanc ceſſionis chartam ſcripſi & ſubſcripſi.

* *al.* facultatula

[a] Matiſconenſis
[b] Turonenſis
[c] Laudunenſis
[d] Bellovacenſis
[e] Namneticus
[f] Lemovicinus
[g] Senonicus
* *f.* Rodobertus

5. *Hactenus charta S. Eligij, qua annum Dagoberti decimum, Chriſti* DC. XXXI. *aut inſequentem ſignat, quo anno Monaſterij Sollemniacenſis ædificia jam perfecta erant, & Remaclus Abbas Monachis inibi inſtitutis præerat. Huc ſpectat Privilegium dicto Monaſterio in Synodo Sueſſionica, &c.*

Pag. 494. *in Nota* (a) *adde.* S. Remacli Brachium & quædam aliæ Reliquiæ è Monaſterio Stabulenſi Sollemniacum tranſmiſſæ ſunt, uti intelligitur ex literis nunc primùm ex MS. cod. Sollemniacenſi eruitis, quas in Appendicem referimus.

EPISTOLA STABULENSIUM MONACHORUM AD SOLLEMNIACENSES.

VENERABILIBUS Patribus, Confratribus & amicis in filio Dei præelectis, ARCHAMBAUDO Abbati Sollemniacenſi, totíque Collegio ejuſdem loci; JOHANNES Decanus humilis, totúſque Conventus Eccleſiæ Stabulenſis ſalutem, & in abſcondito vultûs Dei conſolationis fonti frequentiùs confoveri. Innotuit nobis quòd veſtra devotio ſummo adſpirat deſiderio ad aliquas habendum Reliquias de Patrono noſtro glorioſo videlicet B. REMACLO, aliquando in terris decorato gloria paſtorali. Verùm quia de corpore ejus ad præſens aliquid conſolatorium veſtræ Paternitati ſincerè, ſicut deſiderij noſtri affectus expoſtulat, tranſmittere non valemus; ne veſtra tamen precatio apud nos fruſtrari videatur, cùm illam ſummo proponamus ſtudio adimplere, DE BACULO PASTORALI, DE CASULA in qua jacuit tumulatus, & DE SANDALIIS ejus veſtræ devotioni tranſmittimus iſta vice: ſcientes indubitanter quòd de corpore memorati Patroni noſtri veſtræ pietati condecentem tranſmittemus portionem, cùm de capſa in capſam, quam glorioſam fieri fecimus, transferri contigerit corpus: quod erit in brevi, Domino diſponente. Datum Stabulaüs, anno Domini milleſimo ducenteſimo ſexageſimo tertio Idibus Junij.

ALIA

ALIA EPISTOLA AD EOSDEM.

REVERENDIS in Christo Patribus ac dominis suis amantissimis venerabili Patri Domno ARCHAMBAUDO Abbati, totíque Conventui Sollemniacensi, Decanus humilis, totúmque Collegium Monasterij Stabulensis S. Remacli in Ardenia salutem, & se totos ad amorem intimum fœdere sempiterno. Quamquam locorum intervallum personalem nobis divisionem indixerit, individuæ tamen dilectionis inter nos sinceritas illucescens, ope Dei indivisos per sæcula conservabit. Hinc est, Patres ac Domini Reverendi, quòd toto cordis ac mentis affectu veneramur atque adoramus collaudantes Altissimum qui nos & vos mediante nostro Patrono B. REMACLO cum suavi ac firmo vinculo, immo inviolabili mutua caritate firmato, adeo dulciter combinavit, quòd nec tribulatio, nec persecutio, seu gladij pavor à caritate, divina bonitate compacta poterit separari, Dei misericordia suffagante. Propterea nos vestris receptis nuntiis, revera Confratribus, videlicet Domnis CLEMENTE vestro Cellerario atque VIVIANO Sacrista vestro simúlque vestris litteris, perfusi sumus gaudio indicibili, & prosperitate vestri conventûs in illis cognita, jucunditatem & translationem nostris cordibus super aurum & topazium, super odorem lilij & balsami infudistis. Assurgimus itaque vestræ Reverentiæ pro litteris tam affectuosis, plenis caritate melliflua, per Fratres nostros ac vestros prænotatos nobis transmissis, vobis humiliter inclinantes, quorum etiam videlicet Fratrum dictorum conversatione ac morum honestate potuimus & debuimus emendari, per quos etiam vestræ dilectioni transmittimus BRACHIUM VENERABILIS PATRIS NOSTRI B. REMACLI, & de Reliquiis undecim millium Virginum; necnon & de Reliquiis Thebæorum Martyrum. Rogantes suppliciter, ut memoratas Reliquias honore debito cum sollemnitate congrua dignemini honorare. Datum anno Domini millesimo ducentesimo sexagesimo octa- anno 1264
vo Dominica ante Adscensionem Domini.

His litteris subjicere juvat litteras societatis inter utrumque Monasterium in hæc verba:

Anno Dominicæ Incarnationis millesimo ducentesimo trigesimo quarto, Indictione decima tertia; venit Sollemniacum Domnus GUIBALDUS Abbas Cœnobij S. Remacli in Arduenna siti, in loco qui ab incolis vocatur Stabulatis, cum tribus Fratribus Ecclesiæ suæ, dictus amore & desiderio Patris & Patroni sui videlicet Remacli, qui utriusque Cœnobij rector fuit, & fundatoris adjutor. Igitur in communi Capitulo, post sermonem quem de caritate ad Fratres devotissimè habuit, ab utroque Abbate, Domno videlicet MAURICIO Sollemniacensi, & Domno GUIBALDO Stabulensi renovata, & confirmata est societas atq; fraternitas inter Sollemniacense atq; Stabulense Cœnobium & communi Fratrum consensu ad memoriam posterorum scripto mandata. Statutum est igitur ut quamvis præfata loca longis terrarum spatiis separentur, sit tamen inter Fratres cor unum, & anima una: præbenda communis, & oratio tam pro vivis quàm defunctis. Et si fortè alterius Cœnobij Frater ad altetum transierit, non tamquam peregrinus, sed tamquam Ecclesiæ filius in omni conventu, oratione, & præbenda habeatur & tractetur. Sed quia ob itineris longitudinem Fratrum obitus ad utrumque Monasterium pervenire nequit, provisum est ut ab utroque conventu, singulis annis septem plena officia pro defunctis generaliter celebremus; & à singulis Sacerdotibus septem Missæ canantur: ab iis verò qui . . . . . psalmi dicantur, & omnes Ecclesiæ campanæ tam ad vespertinas vigilias, quàm ad matutinalem Missam sollemniter compulsentur. Nomina verò defunctorum Fratrum Stabulensis Cœnobij Martyrologio Sollemniacensi conscripta, per singulos dies cum suorum Fratrum anniversariis recitabuntur, eisque debitum plenæ fraternitatis obsequium exsolvemus, Stabulensibus hoc propria stabilitate pro Sollemniacensi congregatione agendum. Quòd si Abbatum obitus compertus fuerit, utraque congregatio, sicut proprij Abbatis, exsequias ejus & officia celebrabit. Curabunt autem successores, ut sua vice missis nuntiis Ecclesiarum videlicet pro memorata fraternitate novos Fratrum obitus significent. Omnibus igitur Fratribus præsentem constitutionem observantibus pax & salus à Domino. Contrà verò negligentes & violatores, nostri Domini & Apostolorum Petri & Pauli offensam, & SS. Eligij, Remacli, atque Tillonis occurrant. Nos verò ad petitionem Domni CLEMENTIS Cellerarij Sollemniacensis præsentem paginam sigillavimus. Datum anno Do- anno 1238
mini millesimo ducentesimo trigesimo octavo Dominica ante Pentecostem.

IN ELOGIO S. VVALDEBERTI ABB.

PAg. 504. num. 5. lin. 18. & seqq. l. Vvaldebertum &c. Ibid. num. 6. lin. 5. l. quæ ante S. Vvaldeberti obitum contigisse videtur.

S. HILDEFONSI EPISC.

Pag. 522. lin. 1. ad verba, festū Conceptionis, adhibe hanc Notā: Quā vetus sit observatio festi Conceptionis B. Mariæ in Hispania, discimus ex lib. 12. Leg. Vvisig. tit. 6. ubi Ervigius Rex lege lata præcipit, ut à Judæis observentur festa Christianorum, in his *festum sanctæ Virginis* MARIÆ *quo gloriosa Conceptio ejusdem Genitricis Domini celebratur.* Et tamen in Conc. Londonensi anno 1328. celebrato hujus festi institutio B. Anselmo tribuitur: quod forteau de Anglia sola intelligendum. *Et dele Notam marginalem.*

IN VITA S. VVANDREGISILI.

Pag. 515. num. 5. lin. antep. l. inducias, *& num. 6. lin. 3. l.* Godo Monaſterij S. Petri in inſula Ogia diœceſis Trecenſis, Abbates.

Pag. 539. in Nota (a) *lin. 24. l.* ſubjectus, diœc. Trecenſis, ſitus in capite amnis Mucræ minoris, vulgò *le petit Morin*, in confinio Briegij tractûs. S. Godo &c.

IN VITA S. PRÆJECTI EPISC.

Pag. 653. lin. 6. & 7. pone Italicis typis : Forſitan illo in loco *&c. Item pag. 675. num. 3. lin. ult.* aliíque homines *&c.*

Pag. 685. lin. 1. l. immenſis *& pag. 690. in Nota b lege* Vvaringoni

S. AMANDI EPISC.

Pag. 720. in Nota (a) *lin. 9. & 10. transfer hæc verba in lineam* 14. S. Vincentius ſeu Madelgarius Sognienſe in Bracbanto ad fluvium Sennam, & Altimontenſe *&c.*

Pag. 735. uſque ad Vitam S. Ethildritæ, quæ ſunt edita typis Romanicis, reddenda ſunt Italicis, & vice verſa.

Pag. 743. num. 11. lin. 12. l. repudiata ſorore Pendæ.

Pag. 779. in Nota l. Interpolator.

S. FILIBERTI ABB.

Pag. 817. num. 4. lin. 13. Rotomagenſis, & S. Eucharius Aurelianenſis ſæculo VIII.

S. CUTBERTI EPISC. &c.

Pag. 883. in Nota (a) *lin. 6. l.* Tuidi.

Pag. 884. in Nota (b) *lin. 1. l.* Sigfridus, *ibid. Sigfrido*

Pag. 893. in Nota (a) *lin. 1. l.* utique. *Ibid in Nota lin. 3. l.* ſextus

Pag. 910. in Nota (a) *lin. 7. l.* num. *55.*

Pag. 912. in Nota (a) *lin. 10. l.* candiditatis

Pag. 915. in Proœmij titulo l. Proœmium. *& dele* ſeu caput I.

Pag. 916. in tit. repone CAPUT I. *& ſic tranſpone uſque ad caput* IX.

Pag. 931. in Nota 1. *marg. l.* cap. 43. *& pag. 932. in* 3. *Nota marg. l.* cap. 39. *& pag. 934. in* 3. *Nota marg. l.* cap. 41. *pag. 948. in Nota lin. 3. l.* duodennia.

Pag. 951. lin. 2. l. in duos libros

Pag. 953. lin. 10. l. hic *ſine accentu.*

Pag. 1030. in Obſervat. præv. num. 2. lin. ult. l. Benedicti

Pag. 1042. num. 2. lin. 14. l. præcipuo

Pag. 1056. in Nota (a) *lin. 4. l.* obſervavimus

Pag. 1065. in tit. l. Johannis Jacobi Chifflerij

Pag. In cifris à 1025. ad 1030. omiſſis nihil deeſt. Corrige cifras pag. 353. 354. 356. 357. 380.

---

* *de Barriſiaco Monaſterio ſuprà pag. 720.*

PRIVILEGIUM B. AMANDI DE LOCO BARRISIACO*.

Exſcriptum ex MS. cod. Elnonenſi & tranſmiſſum ab erudito viro D. Landoaldo Kimpenſi ejuſdem Monaſterij Religioſo ac Bibliothecario.

CUM præſentium rerum ſtatus celeri curſu noſcitur dilabi ad ruinam, & tantummodo æternis comperimus ſedibus permanere quæ in alimoniam Servorum Dei vel peregrinorum conferimus, hortante nos ac monente Scriptura Divina dicente: Facite vobis amicos de mammona iniquitatis, qui vos recipiant in æterna tabernacula: Et alibi jubemur condere theſauros in cælo, ubi fur non appropiat. Proinde ego AMANDUS miſerrimus & peccator, pro remedio animæ meæ vel retributione vitæ æternæ, ea quæ mihi à Deo vel ex munificentia Regum Domni HILDERICI Regis, necnon & præcelſæ Dominæ IMNECHILDIS Reginæ per eorum Præceptionem nobis fuerunt collata: hoc eſt villam nuncupatam Barriſiaco, in pago Laudunenſi ſitam, ubi Cœnobium in loco cognominato Faverolas in honore S. Petri & Pauli Apoſtoli vel reliquorum Dominorum, ſub Regula Domni BENEDICTI ſeu Domni COLUMBANI conſtruere inchoavimus: ubi virum venerabilem ANDREAM Abbatem præfecimus, & ipſo loco vel villa ſuperiùs nominata Barriſiaco cum omni integritate, vel adjacentia ad ſe pertinentia dedimus ad ædificandum: necnon & locella nuncupata Jucinciniaco, quæ vir illuſtris FULCOALDUS Dux per ſuam Epiſtolam cum jure & ſoliditate ſua nobis pro animæ ſuæ remedio contulit: ſeu & manſum qui eſt infra muros civitatis Laudunenſis, quem vir venerabilis CONSINUS Archidiaconus nobis per chartulam donationis noſcitur delegâſſe. Necnon & vineam in fine Criſpiacenſe cum vinitore nomine Vvilberone nobis vir illuſtris CHEDENOALDUS quondam dedit: ſeu & terram quam antedictus Chedenoaldus, necnon & illuſtris vir VVLSMARUS ſuper fluvio Seſmereïa ad Monaſterium ædificandum inprimitùs dederunt. Hæc omnia ſuperiùs nominata à die præſente ipſius Abbatis ſua ditione ibidem conſiſtente tradidimus atque transfudimus: ita ut ab hac die ipſum Monaſterium ſeu villa ſæpè nominata Barriſiacum, cum integritate vel adjacentiis ſuis ſeu & locellis ſuperiùs conſcriptis cum omni ſoliditate eorum, ut ſuperiùs diximus; id eſt domibus, ædificiis, curciferis*, accelis, campis, vineis, pratis, paſcuis, aquis, aquarum decurſibus, vel reliquis quibuſcumque beneficiis, habeat, teneat, poſſideat, ſuiſque ſucceſſoribus auxiliante Domino inperpetuum poſſidendum derelinquat. Si quis verò vel quælibet oppoſita perſona (quod fieri non credimus) contra hanc chartulam deliberationis quam ego ſpontanea voluntate mea fieri rogavi, irrumpere aut attentare voluerit, inprimitùs iram Divinitatis incurrat, & ab omnibus liminibus Sanctorum excommunicatus appareat: & inſuper inferat vobis cum ſocio* fiſco auri libras x, argenti pondera xx, & coactus exſolvat: & nihilominus præſens chartula deliberationis omni tempore firma permaneat. Et ut circa nos chartula firmiorem obineret vigorem, manus noſtræ ſubſcriptione ſubter eam ſubſcripſimus. Actum Lauduno civitate XVIII. Kalend. Septemb. anno V. regni Domni noſtri glorioſiſſimi Regis. In Chriſti nomine ego RADEBERTUS Diaconus mea manu hanc chartulam deliberationis rogante Domno Amando ſcripſi & ſubſcripſi, notavi diem & tempora. Ego Amandus peccator hanc Epiſtolam à me factam ſubſcripſi, & eos* qui ſubſcribant rogo. In Chriſti nomine ATTOLA acſi peccator Epiſcopus* ſubſcripſi. Ego PAULUS Preſbyter s. BERTUINUS s. VASUINUS Diaconus s. ALTECHARIUS Preſbyter s. IRMINUS s. ERIMBERTUS s. CLEOALDUS quod manu Domni Amādi conſcriptū vidi ſubſcripſi. DADO s. MARTINUS Diaconus ſubſcripſi.

exſtat diploma Childerici apud Miræum in cod. Dipl. lib. 1. c. 3. & apud Bolland. §. 2. Comment. in Vitam S. Amandi Febr. 6.

* *f.* alios

* Laudunenſis

SVPPLEMENTVM
SÆCVLI PRIMI BENEDICTINI

AN. CHR. D. XLIIII. MART. XX.

DE S. BENEDICTO ET MULTIS EJUS MIRACULIS, Carmen FRODOARDI Canonici Rem. poſtea Monachi, ex lib. 13. Carm. 8.

Addenda pag. 29.

Ex MS. cod. RR. PP. Carmelit. Excalc. Pariſ.

LAUDE poli dignum meritis ſuper æthera notum,
Syrmate GREGORII lepidóque volumine cultum,
Quâ celebrem ſtolidi BENEDICTUM laude feremus?
Climata per mundi cuncto venerabilis orbi
Qui radians Chriſti cuneos* ad ſidera mittit.
Qui puer alta legens, vicit probra corde ſenili,
Dum mundi flores ut pulveris arida calcans,
Splendorem generis tumidi cum luce leporis
Spernit, & incultus ſapienter culta relinquens,
Rebus cum ſtudiis cæli petit ardua miſſis.
Quóque animo, quàm mente pia*, probat actio geſta,
Ipſáque mox actus etiam præeuntia ſigna,
Et ſolidata capiſterij fractura ſoluti,
Ventoſi fuga rumoris, nutríxque relicta,
Seceſſus eremi, ſolóque habitata per annos
Tres ſpecus, impenſus ROMANI panis habenâ*;
Preſbyter admonitus Paſchalia prandia ferre,
Paſtoréſque in oves mutati corda ferina.
Nec tamen hac tentator abeſt, refugámque laceſſit
Flagitij, facibúſque libidinis urere membra
Mortificata parat, viſcum laqueóſque columbæ
Culmina tranſgreſſæ mundanáque arce relapſæ
Ales avem nigra candente* petit improba mitem,
Tetra venena animæ nigrantibus incutit alis:
Sed Crucis ad ſignum vacuas diſcedit in auras.
Pectus inexpertum flammarum jacta fatigant
Spicula, & obſeſſam vallat vis ignea mentem:
Irrepénſque adytis, patitur vix pectore claudi;
Increſcénſque altum, conſumpſerat intima gazæ*;
Nî ſervator opum* cæli ſecreta petentûm
Indens conſilium, dextram ſub agone tuliſſet.
Dum veprium ſtimulis cohibentur tela furoris,
Igne urticarum Veneris depellitur ignis,
Et cedit fugiens mutata dolore voluptas,
Hoſte triumphato, fraterni ductor agonis;
Expulſis Rector vitiis tutórque dicatis
Egreditur vaſis*, altor doctórque ſalutis.
Fama volans nomen celebrando per ora ferebat,
Extollens opus & claram virtute palæſtram.

* agmina Monachorum

* *ſcil.* petit; ardua *Greg. lib. 2. Dial. cap. 1.*

* funè

Idem cap. 2.

* *f* caudâ

* divitias gratiæ, * virtutum

cap. 3.

* hominibus

AN. CHR. D. XLIII. MART. XXI

Agmina denſa pium lætantur adire Magiſtrum,
Linquere naufragium mundi, ſtatione potiri
Portûs ſalvifici, tutis ſe tradere caſtris.
Quæ Dux egregius caſtis moderatur habenis,
Illicitos reſecans actus, & tramite ductans
Directo cuneos dextrâ lævâque libratos.
Militiæ fortes coëunt perſtántque cohortes,
Recto calle ſequi præcepta ſalutis amantes,
Lubrica ſectari luxûs flexóſque meandros
Exhorrent, æqui regimen trutinæque libramen
Certatim ſubeunt. Quidam atra venena coquentes
Inſontis Patris occaſum meditantur operta
Fraude, ſibi potiùs lœtum opprobriúmque parantes:
Quod * proprio ſubeunt vitio, amittúntque Patronum
Rupto vaſe Crucis ſigno fuſóque veneno.
Dimiſſis Pater infidis ſubit ardua nota,
Qua fructus gliſcens virtutibus edit opimos;
Dans duodena polo duodenis Caſtra * mereri
Singula militibus, præter * quos lacte rigabat,
Omnibus arta viæ cæleſtis limina pandens.
Illuſtres paritérque inopes ad culmina ductans,
Diſponens, ornánſque, regénſque pij agmina belli:
Irradians promptos, cogens ad ſtrenua tardos.
Certantes ſupero vallans munimine fulcit,
Inſidias abigit, deterret lumine fures.
Æthiopis pueri ductamina cæca ſecutus
Adſentit Monachus: Patris pia verbera paſſus,
Verberéque ereptus, cæſo latrone receptus.
Athletis Dux addit opes, dat commoda Caſtris
Alto monte ſitis, celſa de rupe profundit
Largifluas prece militibus ſitientibus undas,
Principis atque probi manant ad nota fluenta,
Perpetuóque rigant apicis declivia lapſu.
Nec meritis impar Heliſæo, dum docet actis
Tironem * exercens, multétque levamine triſtem,
Dat refluas ferri ſuperari pondere lymphas.
Conſcius & puerilis aquâ rapiente pericli,
Dum jubet ereptum curſim properare miniſtro *
Tramite non ſolito, campíſque liquantibus illum
Sectari magni tribuit veſtigia Petri,
Crudeli revocans abſorptum fauce clientem *
Contuitum * Patris auxilium famulante ſodali.
Sic etiam hoſtiles Chriſto vincente furores
Aſſiduis ſuperans renitebat ſæpe triumphis,
Livorem tolerare ſciens, vitare dolorem,
Solùm inimicorum noſcens mærere ruinâ.
Serpentis callens à ſtupiditate * columbæ,
Obſequiis corvi nutantis felle veneni
Dimoto, bellatorum victricia victa
Tela puellarum, mitis diſceſſio Patris,
Interitus hoſtis, monitus gaudentis alumni,
Invictæ mentis tutiſſima pectora pandunt.
Robora belligeri celebres ex hoſte triumphi
Inſinuant, quîs fana ruunt, quîs victus Apollo

* opprobrium

* Monaſteria

* præter eos quos ſecum educabat.

cap. 4.

cap. 5.

* Zallam

cap. 7.

* Mauro

* Placidum

* qui viderat Benedicti melotem

cap. 8.

* ſimplicitate

Conqueritur patulò, raptis ad cælica ſervis — AN. CHRI. D. XLIII. MART. XXI
Seſe abigi, ſe expugnari, ſibi jura revelli.
Inde lapis preſſus Benedicti ad vota levatus. — cap. 9.
Tellure egeſtum ſimulacrum in tecta culinæ, — cap. 10.
Militibus fallens juſſis incendia fingit,
Quæ Ducis ad nutum vacuata fraude fatiſcunt.
Quóque magis pugnat pellax illudere Sanctum,
Vincendi devictus eo mage thema miniſtrat.
Nam quondam properans operantes viſere Fratres, — cap. 11.
Dum ſubvertit opus lapidum, pueri oſſa ruinâ
Comminuens triſtéſque adigit de morte dolore
Prænonitos; datur ipſe piâ mærere medelâ,
Atque reformatum vitæ gaudentibus almis*, — * alumnis
Moxque operi reſtauratum gemit improbus hoſtis.
Lumine cæleſti replentur pectora Patris. — cap. 12.
Sollicitúſque datis Divino munere gnatis,
Abſentûm præſens actus & munia cernit.
Arguit errores, præſumpta cibaria pandit,
Pocula dinumerans, & diverſoria monſtrans.
Corrigit attonitos, parcénſque emendat alumnos.
Sic ſolito ſeſe jejuno viſere amico — cap. 13.
Exprobrans votum comitis hortamine fractum,
Dum ſtupidat rubidum liquat in lamenta ſolutum.
Tentantis TOTILÆ cæleſtia dona miniſter — cap. 14.
Sic confuſus abit, regalem ponere cultum
Juſſus. At ipſe Patrem pronus Rex barbarus orans, — cap. 15.
Audit ut acta & agenda ſibi vel fata: recedit
Mitior, & preſſo fit pòſt minùs improbus æſtu.
Tum pavidum ſolans Romam teſtantur amicum* — * Sabinum Canuſinum Epiſc.
Gentibus haud verti marceſcere, quin ſibi tandem
Turbinibus motúque ſoli crebríſque coruſcis.
Clericus anguinis ereptus faucibus, almóſque — cap. 16.
Inhibitus tentare gradus*; dum juſſa reſervat, — * Ordines
Incolumis reſtat: monitus ubi deſerit, hoſti
Redditus inſanit, prædictáque tormina ſumit,
Quæ vir clauſa Dei rimans penetralia dixit.
Diripienda Monaſterij prædone feroci
Indice comperiens Domino, cuncta uſibus apta: — cap. 17.
Tutatur lacrymis animas multa prece ſumptas,
Ut mærore madens fido eſt confeſſus amico.
Infidum vini gerulum furta abdita pandens — cap. 18.
Dum regit *angue necis, dat prava tremeſcere fraudis. — * protegit ab
Sic quoque dona ſinu pravè contruſa clientem — cap. 19.
Increpitans captâſſe, probat ſe abſentibus eſſe
Præſentem famulis, actúſque libare ſuorum.
Atque etiam Domino jam ſpiritus unus inhærens, — cap. 20.
Verba capit cordis, meditata arcana tuetur,
Elatíque premi mandans Cruce corda miniſtri
Dum monet, officio puerum menſáque remotum
Inſtituens unum, reliquorum pectora ſervat.
Ore puſillanimes firmans, releváſque paventes, — cap. 21.
Panis & indignos, dum polliciatur opima,
Promiſſam parat occulto ſolamine frugem,
Prædictúmque refert numeroſa faſce levamen.

AN. CHR. D. XLIII. MART. XXI

Condendis etiam quodam quaſi carcere liber
Spiritus advolitans Caſtris*, promiſſa rependit
Fratribus admonitis viſu loca commoda metans,
Depactæque viæ ſine corpore munia complens.
cap. 22. Quinetiam facili fontes ſermone ligare,
*Monaſterio Terracinenſi
Solvere vel meritis animas acceperat altis.
cap. 23. Virginibus notat id querulis illata minarum
Pœna, ſacris quoque libandis oſtenſa repulſa,
Reddita defunctis pia participatio Patris,
Dote ſacramentis harum pro pace litatâ.
cap. 24. Haud ſecus & puerum caſtæ probitatis alumnum
Viſere carnales Sancti abſque favore parentes
Auſum, móxque neci addictum terræque locatum;
Poſt noctem ſuper inventum, rurſúſque repoſtum,
Rurſus & ejectum, dum Sacramenta petitus
Allegat tumulo, poſitum conſiſtere præſtat.
cap. 25. Invito quoque dimiſſus migrare Patrono,
Compellente dracone redit duce callis iniqui.
Et quem ductorem tenebris ſectatur opertum,
Exierat Patris obtentu, dum cernit apertum
Inſidiatorem, petit hoſte urgente ſalutem.
cap. 26. Labe elephantina puerum ſaniéque fluentem
Advectum, celeri pulsâ dat tabe ſaluti.
cap. 27. Fœnore devincti reddendóque ære carentis
Pauperis angori ſolatia ferre petitus,
Dum miſeretur opem, patriâ dare mente paratus
Pondera, nec præſtò; ſuffragia nota frequentans
Obtinet aſſueto quæſita precamine dona.
Inſuper atque moram compenſat larga datoris
* ſolvens Dextera, pauperiem relevans, & debita pendens*.
Attactu fugiunt morbi, depulſa recedit
Peſtis, & ipſe color maculis vacuatur ademptis,
Miratus celerem ſtupuit ſumpſiſſe medelam,
Inque ſuam rediiſſe cutem. Cui pota venena,
Pellere dum nequeunt animam, candore pudenti
Atque lepræ facie fœdârant lurida membra,
Quæ decus amiſſum Sancto tractante reſumunt.
cap. 28. Prompta manus largita penu conſumpſerat omne:
Vix olei parvum vitreo ſub vaſe relictum
Uſibus attribui mandans inſtantis amici,
Nil retinere parat, dum cælis creſcere curat.
Compertóque puſillanimum mandata miniſtrum
Prodiga tranſgreſſum, præcelsâ exire feneſtrâ
Præcipit ampullam in præceps tentore retentam;
* reſedit Tuta ſed illa ruens in ſaxa jacentia, ſidit*,
Nec lapidum ſentit fragilis natura rigorem,
Nec patitur vergens commiſſi damna liquoris.
* nullatenus læſa Quæ ſimul effertur nullæſa * levata petenti,
Arguitúrque tenax, reliquos ſolamina placan.
cap. 29. Fœnora ſumuntur ſuperâ virtute profuſa,
Oratu vacuum Patris & pietate repletur
Dolium, & exundans cæleſtia munera fundit.
cap. 30. Nec tantùm precibus ſolitis tam mira patrare,
Quin ſolo viſûs nonnumquam promere nutu.

Id capitur Monacho ſimulati fraude ſubacto — CIRC. ANN. D.XLIII. MART. XXI
Mul-medici[a], plauſúque manus alapáque recepto.
Ruſticus ille etiam loris tortoris adactus
Indicat, intuitûs ſola virtute ſolutus.
Et Geta* manſueſcens, animóſque adſtratus omittens. — cap. 31. * Gothus
Exſtant & ſuplici præclara precamine geſta, — cap. 32.
Ruricola ut nati quondam miſerabile funus
Advectans ulnis, effundere vota coëgit
Improbus, ingeminans & raptum morte repoſcens:
Dum genibus flexis animam obtinet ille precatu,
Ignea reſtaurans gelidis alimenta medullis.
Vincitur at quondam nutu pietatis amicæ,
Excellúntque piæ renuenti vota ſororis*, — cap. 33.
Tendere nocte moras fratri ſitientis ab ore
Mellifluo ſuperæ ſatiari nectare vitæ. — * Scholaſticæ
Quæ precibus cælum obnubens, liquat aëra nimbis,
Murmure virgo tonat tacito, lacrymíſque coacta
Nubila condenſans, diffudit fletibus imbres.
Tempeſtate fugam ſiſtit famulante, moratur
Et tenet invitum cælo SCHOLASTICA fratrem,
Atque triumphat ovans magnam ſibi cedere prædam.
Solatúque animæ vigilatæ nocte potita
Læta redit, gaudénſque polo terreſtria mutat,
Cælos celſa petens: quam fixus in æthere frater
Siderei cernit dum culminis alta petentem, — cap. 34.
Atque columbino ſuperantem ſidera niſu;
Congaudens apici*, grates dependere dignis
Decertat modulis, Chriſto præconia pangens
Dirigit, & revocans recipit ſocialia membra, — * honoſi ſororis
Quæque ſepulcrali parto ſibi condit honore:
Jungeret ut tumulus, cæli quos junxerat æſtus*.
Nec mirandum adeo ſubeuntem regna ſuperna
Germanam vidiſſe animam, cui fabrica mundi — * amor
Cuncta oculis ſubjecta patet, radiante coruſco — cap. 35.
Ætherea lucis, totus quâ cernitur orbis,
Ignea GERMANUM comitatu cælite fultum
Sphæra renitenti, quâ viſa inferre decori*.
Currit ad intuitum accitus, partémque Diacon — * gloriæ
SERVANDUS radij rapit ad miracula teſtis.
Cætera geſta Patris ſectanda ſilentia nobis
Suppreſſere Ducis*, reliquorum bella* petentis. — * Gregorij * agones
Dogmate quo viguit; Monachorum Regula pangit.
Cui præſcita dies obitûs, hoc munere dignus. — cap. 36.
Prodita diſcipulis ipſo retegente pateſcit
Strata decore via, ſplendoris honore coruſcat,
Scandere monſtratur quâ cælica culmina Juſtus.
Emicat elatis manibus, ſacríſque cibatus,
Tradens extremum per verba precantia flatum,
Inclytus æde precum tendens ad templa polorum.
Pignera delubro data quo depulſus Apollo, — TRANSLATIO.
Egregium celebri promunt victore triumphum.
Quæ monitus transfert AIGULFI MUMMOLUS actu

a Hinc quidò confirmatur lectio, quam in Vitæ S. Benedicti caput 30. aſſeruimus, nempe *mulo-medici* vocem compoſitam eſſe, non in duas dictiones diſtinguendam.

AN. CHR. D. XLIII. MART. XXI

Hac de re miſſi, ſuperæ qui lucis honorem
Dum ſervare calet, per opaca ſilentia noctis
Munera conſequitur longo quæſita labore.
Eripit, attollit, germanáque * pignera junctis
Complicibus confert, ſimul hæc ad munia Divo
Legati juſſu properant, & ad extima tendunt
Auſoniæ ſola, dum Papæ revocare ſuaſi
Sectantur cunei Chriſto duce rapta talenta.
Quíque tegit famulos, obcæcat amara frementes,
Ne coràm poſitos valeant ſpectare petitos *.
Raptim ferre jubet gazas ſeſe auſpice ſumptas,
Dátque videre hoſtem, nec poſſe viderier hoſte.
Numine ſic tuti; tollunt data præmia læti,
Prædictis quæ rapta Deo cenſente ruinis
Prodita reſplendent Francis, ſimul oſſa ſororis,
Gallorum crebris urbes decorantia ſignis.
At loca culta Pater haud deſeruiſſe videtur,
Immo rogatus adeſt, ultrò quoque præmia confert.
Quæ lymphata *.. ſaltúſque & devia luſtrans
Experta eſt mulier, ſpelæi ingreſſa cubile
Prima viro tirocinij quo exercita lucta:
Dum ſapit egrediens, animi & data robora ſervans,
Priſtina nec læſæ retegit diſcrimina mentis.

* ſororis

* appetitos

cap. 37.

* ſ div

AN. CHR. D. LXV. APRIL. XVI

VITA S. PATERNI EPISCOPI ABRINCATENSIS.

Addenda pag. 154.

Auctore FORTUNATO Epiſcopo Pictavenſi.

Ex ſchedis à V. C. D. d'Herouval, communicatis.

OBSERVATIO PRÆVIA.

HÆC Vita Venantij Fortunati ſtilum & gravitatem ſapit. In cod. Mſ. quem nobis D. Antonius Vionius Herovallius communicavit, hanc præferebat inſcriptionem: Incipit Prologus Domni FORTUNATI Epiſcopi in Vita S. PATERNI *&c. Nuncupata eſt* MARTIANO *Abbati, quem Abbatem Monaſterij Enſionenſis fuiſſe veri ſimile eſt, ac* PATERNO *in ſæculo degenti amicum exſtitiſſe ex Prologo ſubjecto conſtat. Hæc Vita loco alteriùs à nobis Sæculo* I. *edita collocanda eſt.*

PROLOGUS AUCTORIS AD MARTIANUM ABBATEM.

1. *DOMINO ſancto & venerabili meritis totóque ſinu pectoris amplectendo in Chriſto Patri* MARTIANO *Abbati* FORTUNATUS *humilis.* Magnæ caritatis profert teſtimonium, cujus curam in amico nec mors ſubtrahit poſt ſepulcrum. Nam qui famam amatoris ſtudet poſt obitum, ipſam memoriam fortiter diligit in defuncto. Denique affectum viventis toto bibit in pectore, quem nec ſepultum abſtulit oblivio de ſermone. Quo voto ſollicitante, Pater venerandiſſime, de B. PATERNI opinione tam celebri injungere non diſtuliſti à nobis aliqua loquente pagina promulgari: qui certè vir Apoſtolicus nec apud vos oblivione, nec apud nos abſens eſt in virtute, cùm magis ſacratis actibus nunc veram vitam poſſidet, in qua mors non invenit quod exſtinguat, nec vis habet ultrà quod noceat: cùm ſub pede Juſti potiùs ipſa ſuccumbat, & conteratur calce, quæ quondam fuerat in timore, confitens illa ſe ſupplicem, quia in gloriam plaudentis reſpicit quem invaſit; & magis ordine converſo,

converſo, feliciſſimor iumpho didicit timere mors mortuum. Quod opus in re licet iſta dicturi* quàm antè mihi commiſeris, tamen ad obediendum libenter me invadis: & in tua jura tranſſcribis, quoniam apud diligentem ſufficit ipſum velle, ſi deficit poſſe. Quippe ubi devota eſt caritas, voluntas major eſt quàm facultas. Nam placere vult integrè, qui causâ obedientiæ etiam ſuas vires tranſſcendit: unde quia ultra ſe tendit, & pluſquam valet appetit, amor menſuram non habet. Itaque dilectione & in his quæ ſupra me ſunt debitorem profiteor: atque quantum valuero, affectui fenora ſolvere procurabo. Sed tamen & ſolvere plus debeo, quoniam caritati numquam totum redditur quod debetur. AN. CHR. D. LXV. APRIL. XVI *f licet ita dictavi, antequam

INCIPIT VITA.

Virtus ſine ſcriptura fulget.

2. RElegioſorum actuum geſta prædicabilia ſubcreſcente provectu virtutis adulta, ac venerandis operibus in cumulum ſacratæ benedictionis educta, miraculorum fidelium jam tranſmiſſi temporis teſtimonio declarata, à vivacibus meritis ſemper adſiſtunt fidei oculis, etſi non adfixa teneantur in paginis: quoniam extrinſecùs advena teſte non indigent, qui domeſticæ gloriæ documentis excellunt. Et tamen corroboratur grex devotus Paſtoris ſuffragio, quoties præmiſſarum virtutum ipſóque recreatur auditu.

Paterni patria, genus & educatio. Monachus fit & Cellerarius.

3. Sacratiſſimus igitur PATERNUS Epiſcopus, Pictavis civis Aquitanicæ regionis juxta ſæculi ordinem generoſis parentibus exortus, in adminiſtrationem publicam procreatus, generoſior moribus inſtitutus, à JULITA matre fere LX. annorum vidua nobiliſſimè enutritus, cæleſti inſpiratione ab ipſis annis infantiæ maturæ vitæ frena ſuſcepit, & in Monaſterium Eneſſione [a] jugum Dominicæ culturæ Monachus geſturus expetivit. Qui mox ab Abbate ſuo ad diſpenſationem cellarij deputatus, in ipſo primo gradu dedit indicium, ſe ad gubernanda plurima diſtribuente Domino Pontificem mox futurum. Cujus mater jam converſo infantulo dum tunicam vellet facere, orditam telam caſu ſuper tectum impoſuit: quæ ſubrepta ab ave quæ dicitur milvus & ad nidum ſuum perducta, poſt expleta unius anni ſpatia reperta eſt incorrupta: itaut ejus ſtamen nec hiemalis imber, nec fervor æſtivus filo putreſcente ſolveret, ſed integra perſtitit, acſi tunc fuſo torquente de manu pendula lanifice proceſſiſſet.

Scubilione comite in pagũ Conſtantinum ſecedit.

4. Dehinc ad majorem virtutem ſe adoleſcentibus adhuc annis extendens, terminum puerilis ætatis tranſſiliens, conſilio inito cum SCUBILIONE ejuſdem Cellulæ Monacho, propter amorem Chriſti relictis parentibus in Conſtantino pago ſe libenter elegerunt fieri peregrinos pari contubernio, ſolum deportantes Pſalterium. Tunc S. Scubilio licet eſſet ſenior, videns B. Paternum meritis honorandum, ad Fratrem ſibi coæquandum ſuum dimiſit pallium [b]. Qui dum in quadam inſula propter ſolitudinem deſiderarent accedere, vir quidam nomine AMABILIS Deo timoratus, donec de ipſis civibus nuntiaret, detinuit eos dicens, ut in fano Seſſciaco ſe dignanter reconderent, ac ſua interceſſione diabolica cultura quam gentili ſub errore mali venerabantur ceſſaret.

Gentiles ab idololatria compeſcit.

5. Tunc circa ſinum montis in receptaculo cavernæ cum ſuo contubernaculi vir Eremita ingreſſus eſt. Ad quod fanum populus dum ex conſuetudine per ſacra exſecrabilia debaccharet, admonitus eſt à ſanctis viris ne vana colendo ſe crederet ſalvari, qui ſalvari poterat ſi non irritaret in injuria Creatorem; ſed juſtiùs ageret, ſi Conditori ſuo vivificatum plaſma ſerviret. Quæ plebs reverendos viros irreverenter deſpiciens, ritum quem peſſimè cœperat, pertinaciter exercebat. Tunc Sanctus cum collega ſuo tam fervore fidei quàm vexillo Crucis armati, accedentes ad vaſa ubi pulmentaria decoquebant, ſingula ſuis baculis everterunt: potum verò per cupellas diſpoſitum deorſum evellere * voluerunt, poſtponentes ſuum periculum, dummodo fortes milites pugnarent pro Chriſto, deſiderantes martyrium, ſi devotus ferire non reformidaſſet percuſſor. Sed magis nutu Divino ipſi in timore ſunt habiti qui poterant trucidari.

* effundere.

Contracti ſanat.

6. Tunc revertentibus ipſis ad eorum injuriam quædam mulier veſtibus ſe denudat: quæ mox ad vindictam juſtorum totis membris morbo percuſſa contrahitur. Hinc per anni ſpatium vigore tabeſcente torquetur, ac nervis ægrotantibus, cædente ulcere flagellatur, donec veniâ petitâ ipſis exorantibus unde vindicta venerat, inde curreret medicina.

Egenum paſcens, divinitus paſcitur.

7. Quadam vice cùm eis tantùm dimidius panis ad refectionem legitimam remanſiſſet, advenienti iteranti * & ipſum B. Paternus ad humanitatem largitus eſt, cupiens homo Dei ma-

* itinerãti.

[a] Aliàs Anſionenſe nunc S. Jovini de Marnis, vulgò *S. Iouin*, de quo in Vita S. Aicadri Abb. ad ann. 687. multa dicta ſunt. S. Jovinus Abbas qui Monaſterio cauſa nominis & incrementi fuit, ex illuſtri familia in territorio Lodunenſi (*Louaun*) diœceſis Pictavenſis ortus fuiſſe dicitur, ac Chlodovei Magni principatu floruiſſe.

[b] Cur verò Scubilio ſenior, non Paternus pallium geſtabat? An Monachi Anſionenſes ſeu Eneſſionenſes imitabantur Græcorum Monachorum morem, qui in tres diſtincti ordines, diverſis utuntur veſtibus? Nempe Novitiorum eſt tunica, cingulum & pileus: Perfectorum ſeu votis adſtrictorum pallium: Perfectiorum cucullia. Lege Notas Jacobi Goaris in Euchol. Græc. pag. 488.

AN. CHR. D. LXV. APRIL. XVI

gis hoc in mercedem, quàm in ventrem recondere. Tunc facer Scubilio hora competenti rogat, ut jam deberent reficere. Cui respondens ait: Christus qui semper abundat, præparat suis cibaria. Quod Frater molestè ferens *, eoquòd post laborem non invenerat unde se fatigatum reficeret. Et tamen pro servi esca, Domini cura pervigilat, nec famem pati permisit, qui esurienti victum imperiit. Nam sine mora WITHERIUS primus eorum discipulus inter jejunia intulit exenia copiosa, & multiplicavit cibaria refectione dilatâ. Sic intra horæ momentum quod indigenti dederant, cum magno fenore receperunt.

* ferebat

Aquâ oratione obtinet.

8. Itaque refectione peracta aqualis liquor sitientibus deerat, quia tanto magis caro desiderat pocula, quanto plus saturitas exardescit post escam. Mox in oratione profusi Christum æternum vitæ fontem precantur, ut ipse suis famulis aquam tribuat in deserto, qui tunc Israëliticis undam manavit in eremo. Hinc Divinitatis auribus è vicino exauditis precibus, ubi B. Paternus tetigit de baculo humum, fons erupit ab abysso, & ita replens exsilivit, acsi Moyses alter virga perforante aquas traxisset de lapide.

Austeriorem ejus vitam temperari jubet Generosus Abbas.

9. Cujus causæ fama crescente vir venerabilis GENEROSUS [a] Abbas eorum, post triennium ad requirendos Monachos tam bene ad Christum fugitivos perrexit. Quibus inventis agnoscit S. Paternum se in valde vita ardua constrinxisse, qui præter panem & aquam vel olera sale condita, nulla sumebat cibaria. Adspectum verò suum non solùm à feminarum, sed etiam à virorum removebat præsentia, ut ab omnibus summotus sollicitè exspectaret adventus Angelicos, & cresceret in Divinitate quod deesset in homine. Lectulum numquam habens, lectaria nesciens, in pluma neque caput reclinans, nisi veste tantummodo qua in die usus est, eâ per noctem contentus est. Pro molli lana hirsutum cilicium induens, ut inter horas soporis & per tempus quietis non esset requies corporis, & mutato ordine adhuc post actum diem nox succederet in labore. Quod Abbas suus inspiciens ultra propositum Regulæ velut impatientem equum acriter excurrentem, per impositæ freni pondera ad modestiam eum revocavit jejunia, imperans ut nec recluſus esset tam arduè, neque virorum conspectu vel colloquio defraudaret: insuper & cellulas quas ipse construxerat, in carro vicibus visitaret.

Leontio Episcopo commendatus Presbyter ordinatur.

10. De quo quia de bonis esset parentibus tam à Pontifice LEONTIANO [b], quàm à civibus promptè testificatus est. Quem in loco commendans, B. Scubilionem ad Monasterium revocans, patvo intervallo ad Fratrem redire permisit. Dehinc vir Dei Paternus à S. Leontiano Diaconus ac Presbyter institutus, quantum dignitas creverat, tantum se virtutibus honorabat. Quibus gemellis cultoribus tantus in Sessciaco adolescebat gratiæ fructus de verbi semine genitus, ut fanum profani cultûs ereptis hominibus deputaretur pecoribus, & insensatus locus fieret animalium clausura. Spelunca verò quia & tales accolas excepit, etiam cœpit nobiles flores odore fragrare, ut velut de patris fundamine matrisque alveario cum totius religiositatis nectare nata atque nutrita Monachorum plurima fundarentur examina. Denique per civitates, scilicet Bajocas, Cinomannis, Abrincas, Rhedones Britanniæ, multa Monasteria per eum Domino sunt fundata, cujus diversis indiciis claruit fides per opera, & sacrata vita per signa.

Gentiles ad Fidem, plurimos ad Monasticâ vitam adducit.

Mutæ linguam solvit.

11. Itaque in Sessciaco quadam die ARDASTES Presbyter offert ei ancillam suam sine officio linguæ mutam. Tunc sanctus vir puellæ labiorum loca manu contrectans, nullatenus aperire poterat dentium strictura: qui mox benedicens oleum, ubi signavit maxillarum compagem, reddunt sonum quasi catenarum fragmenta fuissent collisa: & in ore ejus intinctum liquorem ponens, interrogat quid haberet quod taceret. Mox unde muta tacuit, puella per verba respondet.

Columbas post se trahit.

12. Item cùm de Sessciaco accessisset Abrincas, petit à Fratre Scubilione, ut duos pullos columbarum quos ipse nutrierat, secum portare permitteret. Quod ille negavit dicens: Pro tua præsentia vel columbarum tuarum reliquias mihi teneam. Cui S. Paternus ait: Quem plus amant, apud ipsum permaneant. Qui cùm ad Monasterium fere decem & octo millia spatia * perveniſſet, altero die ibidem venerabili viro columbæ velociter occurrerunt, ut itineris ejus ubi signa non videbant, sequerentur vestigia. Sic post B. Paternum desiderium suum & aves confessæ sunt: siquidem satis dignè quòd spiritalem columbæ secutæ sunt.

* passuum

a Hinc manifestum est, Generosum Abbatem, non ad Sæculum VII. (uti aliàs diximus) sed ad Sæculum VI. pertinere. Corrigendum proinde vetus Lectionarium Ansionense, in quo S. Generosus floruisse dicitur *eo tempore quo Romanum Imperium Constantinus Augustus tertius ab Heraclio gubernabat, & Childebertus filius Theodorici Regis Dagoberti primi nepotis, Francorum Reip. præsidebat.* Generosus Monasticum habitum in Monasterio Ansionensi *sub S.* LANDEGISILO *suscepisse* legitur. Anno M. C. LIX. textor quidam apud Toarcium opidum ob violatum S. Generosi festum diem membrorum stupore punitus, in Ecclesia S. Generosi factâ pœnitentiâ sanatus est. Item Aimericus quidam cognomèto de Villia, Toartij Senescallus, ob rapta ejusdem Ecclesiæ ornamenta pœnas dedisse fertur. S. Generosus VI. Idus Julij colitur in Monasterio Ansionensi, seu S. Jovini de Marnis, & in Ecclesia Prioratûs S. Generosi, vulgò *S. Generoux*, quæ unâ leucâ distat ab ipso Monasterio, ejusque Reliquias adservat.

b Leontianus Ecclesiæ Constantinæ in Neustria Episcopus, Concilio Aurelianensi I. anno D. XI. subscripsit: quo ex calculo ætas S. Generosi ac B. Paterni colligenda est.

13. Item apud Abrincas cujuſdam urſi poſſeſſoris ancillæ, morbo contrahente, ſe manus collegerant, nec poterant devolvere, nam fila erant digitorum glomerata. Mox tamen ut Beatus orationem explicuit, contractarum manuum ſe tela diſtendit, & reddita ſanitate cœperunt digiti nervorum licias temperare. AN. CHR. D. LXV. APRIL XVI. Mancam curat.

14. Hinc fama percurrente, multa Regis CHILDEBERTI prece compulſus eſt, ut ipſi glorioſo Regi Childeberto Pariſius in catro cooperto recluſus occurreret. Mantela * vico quidam puer à ſerpente percuſſus eſt, & jamjámque exanimanti ſanctus vir acceſſit, ne puer morte interveniente recederet. Itaque facto Crucis ſigno & olei liquore perfuſo, penetratum venenum tali curavit antidoto. Quo etiam in loco ad rerum teſtimonium in ejus nomine Chriſti Baſilicam condiderunt. Cujus nomine ſpiritalem adventum Pariſius immundi ſpiritus agnoſcentes, de obſeſſis corporibus in fugam converſi ſunt. Pariter autem hi qui frigoribus torquebantur, incolumes effici meruerunt: nec morbus illic prævaluit, ubi talis Medicus unguenta produxit. Childebertum adiens, multa miracula patrat. * *Mante*, opid. ad Sequanam NOTA

15. Dehinc cùm Sacerdos pro pauperum remediis Regi ſuggeſtionem proponeret, tunc glorioſus Childebertus CRESCENTIO imperat, ad quem cura publica pertinebat, ut quod B. Paternus ei injungeret expediret. Quod ipſe implere promittens, mentitus eſt: profectúſque ad partes Burgundiæ prædicto Sanctiſſimo neſciente, per biduum Creſcentius excæcatus erravit. Qui culpam reminiſcens unde illum tam repentè tenebroſus error invaſerit, regreſſus velociter impetratâ veniâ, ut culpa cordis exiit, oculis lux intravit; & doctior poſt cæcitatem, ſervi Dei juſſa complevit, ut ex hoc crederetur recepiſſe luminaria magis mentis quàm corporis.

16. Qui ſeptuagenarius cùm Abbatis virtutibus * fungeretur, & in Cellula ſua quam primùm ædificaverat Seſſciaci quieſceret, quadam nocte viſus eſt ei ipſe locus mira claritate perfuſus, & ad eum venientes in viſione Sancti qui ad Dominum migraverant, MELANTUS, LEONTIANUS & VIGOR Epiſcopi per revelationem eum ordinaverunt Antiſtitem. Tum ipſe ſtupefactus, ſed apud ſe retinens quamvis tunc tacuerit, poſt probavit. Nam non longo intervallo ad ſupplicationem tam plebis quam Principis, Abrincas Paſtore recedente ſucceſſit. Nec recuſare poterat, quod jam ſecreta Dei diſpenſatione portentatum erat. Mox effectus Pontifex ita ſe in Eccleſiarum inſtauratione vel nova ædificatione exercuit, domuum recuperatione ſuccinxit, culturæ utilitatem diſpoſuit, pauperum adminiſtrationem profudit *, ut eſſet in ſingulis mirabilis & in omnibus ſingularis. Septuagenarius ordinatur Epiſcopus. * *l.* vicibus * *f.* providit

17. Illud etiam meritò memoriæ non fraudatur. Cùm quadam vice in Teudeciaco villa SEVERO comite adveniſſet, quædam femina civis Rhedonica cum oratione * oblata eſt muta, quo à Sancto viro oratione completa, ſtatim mulier longa rupit ſilentia, nec potuit inimico ſervire diutiùs, pro qua libertatis auctor Chriſtus fuit invocatus. Mutæ reddit vocis facultatem. * *f.* ei in Oratorio

18. Igitur cùm tertium-decimum annum vir Dei ageret in Pontificatu, ſtatim altero die Paſchæ cum Fratres Seſſciaco viſitare cuperet, in infirmitatem inruit. Pariter autem S. Scubilio in Maudanenſe Monaſterio in infirmitatem incidit. Dirigunt ad ſeinvicem, ut priuſquam de ſæculo diſcederent, ſe viderent. Tunc Miſſi ſeinvicem obviantes, B. Scubilionem in itinere commonent ut Fratri occurreret: ſed brachio maris oppoſito non valuit nocturno tempore tranſfretare. Attamen cùm à ſe Sancti fere tria millia ſpatia intereſſent, eadem nocte pariter B. Paternus unà cum ſancto Fratre ſuo glorioſo Præpoſito, nobili in triumpho, felici viatico, cum choro Angelico in cæleſti Senatu de terrenis pias animas emiſerunt ad Chriſtum. Ipſe & Scubilio ægrotant. Moriuntur una nocte.

19. Quem LAUTO Epiſcopus, qui ibidem ante dies octo ad viſitandum advenerat, cùm ad Baſilicam Seſſciaco B. Paternum deduceret impendens exſequias; item LASCIVIUS Epiſcopus S. Scubilionem ad Baſilicam ipſam deduceret; utroque concinente choro pſallentium, in unum neſcientes Pontifices convenerunt, & ſanctiſſimi viri orationis locum quem ædificaverant, pariter eadem die occupaverunt felici ſub tranſitu, ut nec mortis caſus divideret quos ſemper una vita conjunxit: ac ſimul uno monumento cum altero alter ſepultus eſt *, cùm & in peregrinatione alterum alter ſecutus eſt. Sic Redemptori noſtro, amatori unico electi de ſæculo meritis felicibus æqualiter occurrerunt, miracula facientes poſt obitum, qui beatis operibus vivunt integrè poſt ſepulcrum. Sepeliuntur ſimul. *

Explicit Vita S. Paterni Epiſcopi.

* Viſuntur uſque hodie cenotaphia SS. Paterni & Scubilionis in vico S. Paterni, vulgò *S. Pair* appellato, diœceſis Conſtantienſis ad oram maritimam Oceani, haud procul à Grandivilla opido. Illic ſine dubio ſita erat Abbatia Seſſciacenſis, poſtea S. Paterni dicta, quam Richardus II. Dux Normannorum Monaſterio S. Michaëlis in Monte Tumba attribuiſſe legitur in Neuſtria pia. Nunc locus redactus eſt invicũ, inſignitum tamen nomine Baroniæ, quæ à prædicto S. Michaëlis Cœnobio hactenus dependet: ubi nuper, hoc eſt anno Domini M. DC. LXIV. die 1. Septemb. corpus S. Gaudi Ebroicenſis Epiſcopi inventum eſt.

CORRIGENDA IN SÆCULO I.

IN VITA S. LEOBINI.

Pag. 128. *in Nota l.* 5. *poſt* firmavit. *adde*, Quo verò die obierit S. Leobinus, controverſia res eſt. Venerabilis Beda, Vvandalbertus & Uſuardus in ſuis Martyrologiis, quæ ſequitur Romanum, S. Leobinum celebrant uno die, ſcilicet XVII. Kalend. Octobris. At Eccleſia Carnotenſis feſtos dies S. Leobino duos conſecrat, unum Depoſitionis prid. Idus Martij, alterum Tranſlationis XVII. Kalend. Octob. In Martyrologio ejuſdem Eccleſiæ ante annos D. manu exarato hæc leguntur: *Prid. Idus Martij, in ſepulcro Patris noſtri* LEOBINI *ſcriptum eſt, pridie Idus primi menſis Martij ipſum S. Leobinum migráſſe à ſæculo.* Conſentiunt Eccleſiaſtici libri omnes ad uſum Eccleſiæ Carnotenſis tum manu deſcripti tum typis excuſi, ut demonſtrat eruditiſſimus Johannes Baptiſta *Thiers* in ſuo libro de Feſtorum dierum imminut. cap. 23.

S. SAMSONIS EPISC.

Pag. 171. *num.* 20. *lin.* 6. *poſt* ſancto Preſbytero, *adhibe Notam in margine inferiori his verbis*: Legerat hanc Vitam Guibertus Abbas Novigenti, ſiquidem in lib. 1. de Pignerib. Sanct. cap. 1. ita ſcribit. *Legi, teſtor Deum & iis qui mihi præſtò fuerant, cum nimia deteſtatione relegi, ſcilicet in Vita Samſonis celeberrimi apud Francos & Britones ſancti, Abbatem quemdam quem ſanctum* PYRONEM *lectio illa cognominat. Cujus cum finem (ut Beatum putabam) rite legendo proſequerer, reperi cumulum ſanctitatis, hominem videlicet ebrietate madentem, puteum incidiſſe, ſicque enectum.* Qua de re Auctor infrà num. 36. Verùm ita forſitan Pyro dictus eſt ob Sacerdotij gradum. Nam cùm ejus mortis genus Auctor non reticeat, parum credibile eſt, Pyronem ab eo Sanctum fuiſſe exiſtimatum.

Pag. 185. *in fine Notæ* (*a*) *adde*. Lege Tom. 3. Cheſnij pag. 344. & 345. Vvillelmus Monachus Malmesburienſis in lib. 2. de Pont. Angl. ubi de Monaſt. Schireburn. hæc ſcribit. *Ibi* (nempe in Monaſterio Cernelienſi) *multas Sanctorum Reliquias ex Britannia tranſmarina emptas repoſuit* (Rex Ethelſtanus:) *inter quos eminent præcipuè beatiſſimi Samſonis oſſa, Dolenſis quondam Archiepiſcopi ſanctiſſimi & planè Deo digni viri, cujus virtutes reliquas hic referrem, niſi quia nota ſunt, & indigenarum Sanctorum miraculis ſcribendis occupatas manus habeo.*

IN VITA S. GERMANI EPISC.

Pag. 234. *in fine Notæ* (*c*) *poſt* poſitum. *adde*, Hugo Abbas Flaviniaci in Chron. parte 1. ad ann. 630. affirmat, quòd *in vico Lauſiæ in manſo nativitatis S. Germani, non canis, non avis prædam rapere prævalet, quæ non ſtatim intereat: quod experimento pluſ-*

tum eſt. Qui locus uſque hodie Eccleſiolam retinet S. Germani nomine & virtute inſignem.

Pag. 241. *in Nota* (*b*) *lege*, Pagus Oximenſis, Comitatûs titulo quondam inſignis, ſic dictus ab Oximo Neuſtriæ opido, vulgo *Hyeſme*, inter Divæ & Ornæ fluviorum initia continetur, pago Uticenſi ab Oriente conterminus. *cetera dele.*

Pag. 242. *num.* 60. *lin.* 2. *l.* veſtigio. *Ibidem in fine Notæ* (*a*) *adde*, Et tamen Gregorius Turonicus Epiſc. de Gl. Mart. lib. 1. cap. 51. alio ſenſu eamdem phraſim uſurpare videtur, ubi de martre agens, eam cælitùs admonitam fuiſſe dicit, ut ad depellendum peſtis inguinariæ periculum in vigilia S. Benigni vigilias ageret ac Miſſas revocaret. *Vade & vigilia totam noctem in honore, ac revoca Miſſas & liberaberis à plaga.* Nam & Gregorius *Miſſæ celebrationem* etiam laïcis adaptat ejuſdem libri cap. 75. *Si qui nunc frigoritici*, inquit, *in ejus honore Miſſas devotè celebrent &c.*

S. CONSORTIÆ VIRGINIS.

Pag. 249. *num.* 10. *lin.* 2. *ad verba*, præfatæ Eccleſiæ, *adhibe hanc Notam.* Meminit hujuſce ritûs & facti ante annos octingentos Florus Eccleſiæ Lugdunenſis Subdiaconus in Collect. ex Sentent. antiq. PP. To. 9. Bibl. PP. in hunc modum: *In Eccleſia quoque Lugdunenſi ſic religioſa olim & venerabilis conſuetudo fuit (ſicut antiqua narrat hiſtoria) ſcilicet ut defuncto Pontifice omnis in unum conveniret Eccleſia, & triduano jejunio communi voto ac ſupplicatione celebrato, quemcumque eis Dominus per revelationem, ſive ex eorum Clero, ſeu aliunde oſtenderet, ipſum ſine dubio Antiſtitem conſtituerent. Quod de* B. EUCHERIO *præfata urbis Epiſcopo & Doctore egregio, ſanctiſſimæ Vitæ ejus liber manifeſtè teſtatur impletum.* Hinc intelligitur, quantæ ſit auctoritatis & antiquitatis liber de Actis S. Eucherij & S. Conſortiæ à nobis editus.

S. DROCTOVEI ABB.

Pag. 257. *in Nota lin. ult. l. Depoſitio S. Drochtovei Abbatis diſcipuli B. Germani.* Ita vetuſtiſſimum Uſuardi apographum, in quo poſteriori & tamen antiqua manu VII. Kalend. Maij leguntur hæc verba: *Pariſius Tranſlatio corporis B. Droctovei Abbatis, diſcipuli beatiſſimi Germani Confeſſoris Chriſti atque Pontificis.*

S. AUGUSTINI EPISC.

Pag. 530. *in Nota, l.* Catigera, Doctor, Rector, inquit Papias. Legendum videtur utrubique cathegera. Nam καθηγητὴς Græcè ſignificat magiſter, præceptor. Niſi fortè legendum *caligera* à καλιγεφος, quæ vox in Conciliis, in Vita S. Johannis Chryſoſtomi, & in Hiſt. Lauſiaca Palladij reperitur. Hanc obſervationem V. C. Emerici Bigotij humanitati debeo.

Pag. 578. *num.* 1. *lin.* 3. *l.* exſuperans natalis.



FINIS.

INDEX HISTORICUS

INDEX HISTORICVS

SECVNDI SÆCVLI BENEDICTINI.

Littera (a) *initium paginæ uſque ad medium;* (m) *medium uſque ad finem;* (n) *Notulas marginis inferioris deſignat.*

* *Monaſteriorum nomina & ſeries habentur ſub voce* Monaſterium.

* *Topographica vocabula Italicis typis diſtinguuntur.*

A

ABBO ſeu Goëricus Epiſc. Mettenſis, 154. 420.
Abellenus Genevenſis Epiſc. 119. a
Abbo Abbas Floriacenſis Vitam S.P. Benedicti ab Adſone metricè ſcribi curat, 849. m
Abrincatenſes Epiſc. S. Paternus 1100. & ſeqq. Ragerrannus, 823. m
Acca Epiſc. Haguſtaldenſis Huvebertum Abbatem ordinat, 1011. m n
Achardus Epiſc. Noviomi, 654. a. al. Acharius. 118. 714. m. & Aicharius, 560. m
Adalardus Abbas Marcianenſis, 988. m
Adalbaldus maritus S. Rictrudis, 941. m. occiditur, 942.
Adalſinda Abbatiſſa Laudunenſis, 981. 985. a
Adalſinda Heberardi Aleſatiæ Comitis uxor, 115. m
Adalſinda filia S. Rictrudis, 942. 944. 945
Adela Bleſenſis Comitiſſa Reſbaci ſanatur, 331. a
Adelenus S. Landelini diſcipulus, 875. a. Abbas Criſpinienſis, 876. m
Adelerius Abbas Milidunenſis, 594. m
Adelphij Abb. Habendenſis Vita, 602. *& ſeqq.*
Adeodatus Epiſc. Matiſconenſis Privilegio Sollemniacenſi ſubſcribit, 1092. m
Ado S. Audoëni frater Jotrum conſtruit, 321. 486. 487. an idem cum Radone? *ibid.* Reſbacenſis Eccleſiæ dedicationi intereſt, 323. a. Agilo morienti adeſt, 325. m
Adrianus Abbas Cantuariæ, 1003. 1030. *& ſeqq.*
Adroaldus vir potens in Francia, 433. a
Adroaldus palatinus Eudonis Ducis, 101. a
Adſo Abbas S. Baſoli, 64. 65. 84. 89
Adſo Abbas Dervenſis, 848. *& ſeqq.* Vitæ S. Bercharij ſcriptor, 831. a. 849. alia ejus ſcripta, *ibid.*
Adula pia ac nobilis femina, 471. m
Ædelherus Rex Eſtanglorum, 743. 744
Ædelvaldus Rex Eſtanglorum, 744. m
Æduenſes Epiſc. Siagrius, 140. m. Leodegarius, *V. ſuo loco.* Hermenecarius, 679. 680. Meroaldus Abbas 688. v. Monaſt. S. Symphoriani.
Æga Dagoberti conſiliarius obit, 444
Ægidius Remorum Epiſc. 65. m. laudatur, 71. m n
Æmilianus Abb. Latiniacenſis, al. Emmianus ſuccedit S. Furſeo, 655
Æreninge, locus famoſus in Anglia, 740. m
Ætheria Abbatiſſa S. Mariæ Sueſſione, 708. m
Ætherius Lugdun. Epiſc. laudatur, 96. m
Aga S. Geremari mater, 475. m
Agatho Monachus Fontanellæ, 546. a
Agibodus Monachus Bobij, 164
Agilberta Abb. Jotrenſis, 487. m 488. a
Agilbertus Epiſc. Pariſ. *v.* Angilbertus.
Agilulfus Abb. Bobienſis, 41. m n
Agilulfus Italiæ Rex Columbanum excipit, 28. m
Agili Abb. Reſbaci Vita, 315. *& ſeqq.*
Agius Epiſc. Aurelianenſis, 387. m
Agnericus *vide* Chagnericus.
Agnes Abb. Nivialenſis, 470 a
Agnohaldus vir palatinus, S. Agili pater, 316. m
Agnus unus ex Optimatibus Eudonis Ducis, 100. m
Agreſtius Luxovienſis Monachus turbas concitat, 118. 119. *& ſeqq.* male perit, 121. m
Agrippa Dux Romanorum, caſtri Gandavi conditor, 407. a
Aicharius Noviomorum Epiſc. 560. m. *al.* Achardus dictus, 654. a & Acharius, 118. m. 714. m
Aidanus Epiſc. Lindisfarnenſis, 882. 883
Aiga uxor Autharij Franci illuſtris, 25. a. Aja etiam dicta,
Aja uxor Hildulfi nobilis Franci, 794. a
Aicadri Abbatis Gemeticenſis Vita, 952. *& ſeqq.* 824. a
Aidradus Epiſc. Carnutenſis, 1056. m
Aigulfus Reliquias S. Benedicti in Galliam adfert, 354. *& ſeqq.* Vita ejus 656. *& ſeqq.*
Aireyenſe Concilium, 859. a n
Alamanniæ limites 228. à Pippino impugnata, 252. Duces, Gunzo, 238. *& ſeqq.* Fridiburga ejus filia *ibid.* Nebus Dux, 255. m. Vuarinus & Ruodhardus Comites, 257. m. *vide* Rætia. Gundonius Dux, 512. 513. item Cathicus Cathelmundus, 513. m
Alardus Abbas Dervenſis, 847. m
Albericus Abbas Dervenſis, 848. m
Aleſtridus Angliæ Rex condit Hripenſe Monaſterium, 885. a
Albienſes Epiſcopi quidam, 1041. a
Alda Regina Italiæ, 44. m
Aldegundis Abbatiſſæ Melbodienſis Vita, 806. *& ſeqq.* Sororem Vualdetrudem ſæpe inviſit, 870. m
Aldetrudis Abbatiſſa Melbodienſis, 673. a 794. m
Aldfridus Angliæ Rex, 885. a 1003. 1007. a
Aldricus Epiſc. Senonenſis, 594. a
Aleſatiæ Comites, Heberardus, Hugo, &c. 109. 110. Lotharius Rex Vualderadæ pellici adhæret, 114. *& ſeq.*
Alithgarius Epiſc. Camerac. 654. a. Cellenſem Eccleſiam dedicat, 796. a
Alloüinus *vide* Bavo.
Alpicus fiſcus Regius ad Sequanam, 604. m. n
Alteia fluvius in Pontivo, 567
Aluredi Regis Angliæ progenies, 771
Amalbertus S. Geremari filius, 475. obit, 480
Amalricus Childerici Regis Palatinus, 840. 841
Amandus Abbas Marcianenſis, 987. m
Amandi Epiſc. Trajectenſis Vita, 709. *& ſeqq.* S. Gertrudem velat, 464. m Reſbacenſis Eccleſiæ dedicationi intereſt, 322. 323. ejus feſtum Reſbaci ſollemne, 328. a. Vaſcones erudit, &c. 940. *& ſeqq.*
Amarinus Abbas Martyr, 640. *& ſeqq.*

INDEX HISTORICUS

Amatis insula inter Corsicam & Sardiniam, 663. m
Amati Abb. Habendensis Vita, 119. *& seqq.* ab Agrestio seducitur, 121. a
Amati Episc. Senonensis exsilium & mors 785. m. 947
Ambianorum Episc. Berchundus, 89. a. Theodefridus, 1041. a. Salvius. *v. Indicem pratermissorum.*
Ambidgis silva in Hannonia, 875. m
Anagrates, castrum Vosagi, 10. m. *v.* Monasterium.
Andegavi corpus S. Serenedi servatur, 580. m
Andilegum locus ad Sequanam, 740. m. n
Andreas Abbas Elnonensis, 710. a
Ansleat, sinus Oceani, 3. m
Angadrismæ Abbatissæ elogium historicum, 1063. 1064.
Angarisma Abbatissa, 664
Angelramno Episcopo Mettensi dicata S. Trudonis Vita, 1071
Angilbertus Episc. Parisiacus, 591. 1032. m. 1035. a
Angliæ Reges, Eadbaldus, 62. m. Alcfridus, 885. 1003. 1007. Ecgfridus, 898. 1004. 1033. m. Ecgbertus, 1003. m. Lothere, 1035. Offa, 546. n. Estanglorum Reges, 739. *& seqq.* Aluredi Regis progenies, 771. 774. Dux Anovuarith, 546. m
Anglorum Orientalium Episcopi, Bonifacius & Bisi, 1035. a.
Annæ Regis Estanglorum genus ac progenies, 739. *& seqq.* obitus, 743.
Annobertus Episc. Sagiensis, 1057. a
Anovuarith Brittonum Dux, 348. m
Ansberti Episc. Rotomagensis Vita, 1048. *& seqq.*
Ansegisi seu Anchisi Arnulfi filij posteritas, 159. 1045.
Ansericus Suessionum Episc. S. Salabergæ apparet, 431. a.
Ansildis pia Monacha Eboriacensis, 445. a
Ansionis locus apud Pictones, 955. a. *v.* Monast. Ansionense.
Ansoaldus Episc. Pictavensis, 695. 698. 956. *& seqq.* excipit S. Filibertum, 823. a. 960. condit. Cœnobium Heriense, 823. a. Gemetici energumenum liberat, 824. a. Concilio Rotomag. subscribit, 1056. m.
Anstrudis Abbatissa Laudunensis, 421. m. 422. m. 426. a. ejus Vita, 975. *& seqq.*
Anthegia villa in pago Leodicensi, 1016. a
Apollinaris Episc. Bituric. 97. m
Aquilinus Episc. Ebroicensis, 1057. a
Aquitania Armorica dicta, 65. m. n
Arbona castrum in Alamannia, 231. m. *& seqq.* Arbonensis pagus, 251. 252. a
Archarius Abbas Insulæ, 477. m
Arduenna pagus, 492. m. Monasteria, *ibid.* à Normannis vastatur, 500. a
Arelatenses Episcopi, Licerius, 56. n. Virgilius, *ibid.* Cæsarius, 140. a. Theodosius, 146. m. Cyprianus, 243. a. Princeps Arelate Ninfidius, 143. m
Arelaunus fiscus in Caletis, 863. a
Argubium in Pontivo, 187. m
Aridius Episc. Lugdunensis an Romaricum malè exceperit, 417. a. n
Arisridus S. Trudonis consanguineus, 1083. a
Arigius Episc. Vapincensis Attalam erudit. 123. m
Ariovualdus Italiæ Rex, 161. a. 163
Arisidinsis Episc. Leotarius, 1044. m
Armentio fl. *V.* Hermentio
Armonius Episcopus Gallicanus, 1057. a
Armorica dicta Aquitania, 65. m. n. Armoricæ Britonum Rex Judicaël, 566. m
Arnulfus Comes Hannoniæ, 799. a
Arnonus Episcopus, 730. n
Arnulfi Mettensis Episcopi Vita, 149. *& seqq.* Bertulfi Abbatis Bobiensis consanguineus, 160. m. an Major-domus fuerit, 371. m. n. Romaricum cælo excipit, 420. m. ejus genus, 1044
Arogeualis Episc. Privilegio Sollemniacensi subscribit, 1092. m
Aronna fluvius Bellovacorum, 718. m
Artaldus Archiep. Remensis, 1025. m
Arvernorum Episc. Felix, 647. 648. Præjectus, 640. *& seqq.* Avitus, 642. a. Sancti Arvernenses, Cassius, Victorinus, Anatolianus, 641. m. Comites, Bertmundus, 376. a. Genesius, 640. 641. 648. Senatores, Bobo & Placidus, 650. Claudia femina Deo dicata, 643. m
Asserus Abbas Prumiæ, 288. *& seqq. usque ad* 295
Atalongus Presbyter Monasterij Carleburgensis, 993. n.
Atelanus Episc. Laudunensis, 427. a. n. 841. m; *al.* Attola, 1094. m.
Athelenardus Episc. Lugdunensis, 850. m
Atimiacum palatium, 298. m
Atrabatum Episc. Vindicianus, 695. 985. m. *v.* Cameracenses Episc.
Atta Abbas Blandinensis & Vedastinus, 985. m
Attala seu Attalus Abbas Bobij, 41. m. S. Blitmundum apud se detinet, 89. m. Agrestij litteras recipit, 119. a. Vita ejus, 123. *& seqq.* Bobium cum Bertulfo profectus, 161. a
Aturensis Episc. Filibaudus, 818. a. n
Avaricum caput Regni Aquitanici, 388. a
Audobertus Episc. Parisiacus, 592. 597. m
Audoënus seu Dado Autharij filius, 25. a. Resbacum condit, 321. 322. Privilegio Sollemniaci subscribit, 1092. m. Geremaro piè consulit, 477, 478. 481. 482. eumdem Presbyterum ordinat, 480. a. S. Vuandregisilum excipit, 530. 540. Balthildi Reginæ familiaris, 779. a. S. Filiberto carus, 818. a. eum tamen in carcerem conjicit; 823. a. successorem habet S. Ansbertum, 1054. corpus ipsius levatur, 1057
Audomarus Abbas subscribit Concilio Rotomagensi, 1057. a.
Audomari Episc. Tarvennensis Vita, 559. *& seqq.* S. Vuandregisilum ordinat, 540. m. S. Eustasij discipulus, 118. m
Audulfus Abbas S. Maxentij, 695. m. 698. m
Augusta ad Auvam fl. 84. m. n. 88. m.
Augustani Episc. Simpertus, Lanto, Nitkarius, 507. m.
Augustodunum, *v.* Ædua.
Avitus Episc. Arvernensis, 642. a
Aunacharius seu Unacharius Episc. Autissiod. Vualaricum excipit, 78. m. Austregisilum Clericum facit, 96. m
Aunoaredis Monacha Eboriacensis, 442. m
Aurea Abbatissa Paris. 122. a. *V. Ind. omiss.*
Aurea-vallis in Alamannia, 559. m
Aurelianorum Ecclesia S. Cruci sacrata jussu Constantini, 387. m. Episcopi Agius, *ibid.* Jonas, 337. m. Galterius, 390. m.
Aurelianorum Comes Raho, 376. Matefridus, 377. m. Hodo, *ibid.*
Austrebatensis pagus in Belgio, 942. a. n.
Austregisili Episc. Bituric. Vita 95. Amandum excipit, 712. m
Austria, Francia Teutonica, 991. m. *v.* Franconia.
Austroberta matrona Deo devota, 98. a
Autbertus Episc. Cameraci levat corpus, S. Fursei, 309. a. 314. a. Vincentium convertit, 673. m. Gisleno favet, 792. 793. S. Vualdetrudem velat, 869. m Landelinum instituit, 873. m. convertit ad meliora, 874 m
Autharius nobilis Francus Columbanum excipit, 25. a. Aiga ejus uxor, *ibid.* filios benedicendos eidem offert, *ibid.* Qui ejus filij, 321. 612. m
Autissiodori Episc. Aunacharius, 78. m. 96. Comes Girboldus, 394. a
Aygloaldus Abbas Resbaci, 315. 316

B

Baboleni Abbates plures, 593
Bajoarij Baicarij dicti, 423. 424. Bajoarios convertit Eustasius, 117. m. 424. m. cum Agilo, 319. m.

Bainus Epiſc. Tarvennenſis, 546. m. 605. m
Baireium villa apud Atrabates, 943. a.
Bajocaſſinus Epiſcopus Gerebaldus. 1057. a
Balda Abbatiſſa Jotrenſis, 487. m
Baldevuinus Epiſc. Noviomenſis, 733. m
Balduinus Flandriæ Comes ſub Philippo Franc. Rege, 330. 799. m. 815. n.
Balduinus Martyr, S. Anſtrudis frater, 977. 978
Balſemius S. Baſoli nepos, 67. m. 75. a
Balthildis Reginæ Vita, 775. *& ſeqq.* Cellæ Monaſterio favet, 631. a. Leodegarium Epiſcopum deſignat, 681. a. 699. m. Locum S. Filiberto concedit, 819. m
Baltramnus Abbas Lutrenſis, 111. a
Baronti Conf. Vita &c. 826. *& ſeqq.*
Barrum ſuper Albam, 854 m
Bartholomæus Epiſc. Laudunenſis, Vitam S. Hildefonſi perquirit, 520. m
Baſileæ Epiſc. Ragnacharius, 118. m
Baſinus Epiſc. Spirenſis intereſt dedicationi Cellæ S. Goaris, 289. a
Baſo ſubſcribit Privilegio Sollemnſacenſi, 1092. m
Baſo ſeu Blandinus S. Salabergæ maritus, 425. m
Baudacharius Monachus Bobij, 165
Bavonis Conf. Vita, 394. *& ſeqq.* Miſſam ad ejus tumulum celebrat S. Livinus, 457. m
Beda Preſbyter diſtinctus à Beda Venerabili, 908. a. n.
Begga ſoror S. Gertrudis, Abbatiſſa Andanenſis & conditrix, 471. a. n
Belcinnaca inſula in Caletis, 863. 864
Bellirius S. Giſleni diſcipulus, 791. a
Bellovacenſes erudit S. Amandus, 718. m
Bellovacenſes Epiſc. Conſtantinus, 969. a. Drogo. 1064. a.
Benedicta Virgo, diſcipula S. Fructuoſi, 587. *& ſeqq.*
Benedicti P. Regula Monachis S. Galli à Pippino tranſmiſſa, 256. a. Tranſlatio in Galliam, 337. *& ſeqq.* Miracula, 369. *& ſeqq.* Varia elogia, 363. *& ſeqq.* 1012. n. Curſus ejus, 576. m.
Benedicti Patris Vita ab Adſone ſcripta metricè 849. m. item à Frodoardo, 1095. *& ſeqq.*
Benedicti Biſcopi Abb. Vuiremuthenſis Vita, 1001. *& ſeqq.*
Benedicti Papæ Privilegium Elienſi Monaſterio conceſſum, 758. a
Benedictus Abbas Foſſatenſis, 594. a
Benignus Preſbyter Hibernus ſanctus, 453. a
Benzo Abbas Dervenſis, 847. m
Beoanus Epiſc. ſanctus, 304. m. multis monet S. Furſeum, *ibid.* & 306. a. 311. m.
Bercharij Abb. Dervenſis Vita &c. 831. *& ſeqq.*
Berarius Epiſc. Cenomannenſis, 358
Bercharius Dux Laudunenſis, 313. a
Bercharius Preſb. Veroduni, ſcriptor, 272. 273
Berchundus Epiſc. Ambianenſis corpus S. Vualatici transferre tentat, 89. a
Berechildis uxor Childerici Regis, 649. m
Berengarius Imperator, 43. m
Berengerius Abbas Dervenſis, 853. & 855. a
Bernardus Abbas Floriacenſis, 389. a. n
Berniciorum Reges, 744. 745
Bertharius Comes Columbanum pellere nititur, 20. m
Berthus Epiſc. Turon. 696
Berthmundus Arvernorum Comes, 376. a
Berthoaldus Epiſc. Lingonenſis, 629. m
Bertila Abbatiſſa Kalenſis, 780. a
Bertila femina Deo devota, 81. m
Bertilana mater S. Aldegundis, 807. m. 867. a
Bertinus Abbas Sithivenſis, 562. a. 563. a. n
Berto Abbas, 689. m
Berroara Monaſterij de Salis conditrix, 97. 98. 112
Bertulfi Abb. Bobienſis Vita, 160. *& ſeqq.*
Bethelenus homo palatinus, 96
Betwithesvuorde in Anglia, villa S. Edmundi, 761. a
Biſi Epiſc. Anglorum Oriental. 1035. a
Biſmantum caſtrum in Apenninis, 761. m
Biturigum Epiſc. Auſtregiſilus, 95. *& ſeqq.* Apollinaris, 97. m. Sulpicius *ibid. V.* Sulpicius. Vulfolendus, 175. a. Sancti indigenæ, Sigirannus, 432. m. Remaclus, 490. n
Amandus iſthic degit, 712. m
Biturigibus Cæſaris nummi reperti, 181. m
Biturigenſium Comes Sturminius, 376. a. *v.* Avaricum.
Bladulfi villa in Morinis, S. Vuandregiſili corpore honorata, 549. m. *& ſeqq.*
Bleſa amnis Campaniæ, 859. m
Bleſarum opidum protulit S. Aigulfum, 657. & S. Angàriſmam, 664
Bleſenſes Comites ac Comitiſſæ, Adela Theotbaudi mater, 331. a. Guillelmus, 379. a
Blideburch locus ſepulturæ Annæ Reglis Angliæ, 743. m.
Blidulfus Monachus Bobij, 163
Blithildis Monacha Eboriacenſis piè obit. 447. m
Blitmundus S. Vualarici diſcipulus, 82. m. poſt Abbas Leuconaenſis, 89. 90
Bobius, amnis in Italia, 28. m. 124. m. *v.* Monaſt. Bobienſe.
Bobo vir nobilis Luxovij Monachus, 79. a
Boboſenus Abbas Bobij, 5. m. Vuinnoci Preſbyteri filius, 15. m. 593. a.
Bodo Epiſc. Tullenſis, 428. m. n. *al.* Fulculfus, 424. m.
Boij *vide* Bajoarij.
Boiſilus Abbas Mailroſenſis, 884. 886. 887
Bonefacius Epiſc. Maguntinus quos Epiſcopos ordinaverit, 289. a. corpus S. Kiliani levari curat, 993. m.
Bonifacius Epiſc. Anglorum Orientalium, 1035 a
Bononia corpus S. Vuandregiſili, 558. a. n. *V.* Tarvenna.
Bonoſiaca hæreſis, 117. 423
Boſo Abbas Floriacenſis, 377. & 380. m. 384. a. n
Boſo Epiſc. Conſtantienſis in Alamannia, 251
Boſochindus Abbas in Concilo Rotomag. 1057. a
Bracaræ Epiſc. Fructuoſus, 581. *& ſeqq.*
Bracbantiæ per vicos defertur corpus S. Amandi, 734
Brajecte, eremus S. Tillonis, 997. a. n
Briccius Abbas Reſbaci, 332. a
Briegij tractûs viri pij ac ſancti, 606. m
Brionis ſaltus, 436. m
Britannia *v.* Anglia & Armorica.
Brocariaca, villa Regia, 18. a
Bruga vicus, nunc civitas in Belgio, 804. a
Brunechildis Regina Franc. S. Columbano infeſta, 18. 20. Deſiderium Epiſc. Viennæ jubet occidi, 26. m. malè perit, 28. m
Bruno Abbas Dervenſis, 850. 854. a
Bruno Epiſc. Lingonenſis conſtruit Eccleſiam S. Benigni. 855. a
Burgundia unde ſic dicta, 611. m
Burgundofaræ Abbatiſſæ Vita, 438. *& ſeqq.* & 611. 612. 614. 615. 616.

C

Cadoënus Epiſcopus, 1057. a
Cadurci Epiſc. Deſiderius, 179, n. 1045. n.
Abbatiſſa Ermenana, 695. m
Cæcilia, quæ & Clara & Gegoberga, Abbatiſſa Habendenſis, 416. m
Cæſarius Epiſc. Arelat. Ruſticulam Deo ſacrari jubet, 140. a
Caïdocus S. Richarium convertit, 191. a. n. 200. m
Calcegium vicus in Vilcaſſino pago, 1049. a. n
Callacia Monaſteria, 584. *& ſeqq.*
Calneium opidum Picardiæ corpus S. Amandi delatum, 733. m
Cameracum corpus S. Amandi defertur, 732. m. item S. Humberti, 804. m
Cameracenſes Epiſc. Gaugericus, 793. 868. Autbertus, Vindicianus, *v. ſuis locis.* Altgarius, 654.

a. 796. a Stephanus, 797. Fulbertus 803. a. Gerardus, 803. m. Nicolaus, 815. m
Campaniæ Comites, Theobaldus, 667. n. Stephanus, 667. m. 668. a. Heribertus 849. a. 850. m. Hilduinus, 849. m
Duces, Vuaimerus, 688. 689. 849. Vuintrio, 1088. m. n.
Canonici *Fratres* dicti, 274. m. in commune vivunt, *ibid.*
Cantuariæ Episc. Laurentius, 60. *& seqq.* Mellitus 90. *& seqq.* Deusdedit, 1031. m Theodorus, 1003. 1030. *& seqq.*
Capraſia inſula, 662. m
Capramontis caſtellum, 501. a
Caramtocus Abbas Salicensis, 11. m
Carnutum Episc. Aidradus, 1056. m. Fulbertus. 201. m. Giſlebertus, 557. a. Haimo illic excipit. corpus S. Vuandregiſili, *ibid.*
Carolus M. *vide* Karolus.
Caroth Dei ſervus in Armorica, 568. m
Caſſianus S. Fructuoſi primus diſcipulus, 589. m
Caſſini everſio per Langobardos, 253. 370. m. S. Benedicti tranſlatio inde in Galliam facta, 337. *& seqq.* Caſſinenſis Monaſterij reſtauratio per Petronacem, 372. a. Carlomannus ibi fit Monachus, 373. v. Karlomannus. Caſſinenſes S. Benedicti corpus repetunt, 373. 374
Caſtrinſe territorium, 543. a
Catalauni Epiſc. Gibuinus. 855. m. 1025. m
Cathelmundus & Cathicus Duces Alamannorum, 513. m.
Cavelaüs ſeu Canelaüs ad Scaldum 717. m
Ceadda Epiſc. Merciorum, 1033. a
Cebertrudis ſeu Tecta Abbatiſſa Habendenſis, 603. & 604. m.
Celſa Abbatiſſa Arelate, 139 m
Celſus Abbas ſubſcribit Concilio Rotomagenſi, 1057. a
Cenomanni Reliquias S. Scholaſticæ obtinent, 354. 358. 362. à peſte liberantur per S. Serenedum, 579. m.
Epiſcopus Berarius, 358
Comes, Guido, 379. a
Centula villa, 190. m. v. Monaſt. Centulenſe.
Centumcellas S. Amandus luſtrat, 712. m
Ceolfridus Abbas in Anglia, 1005. 1008. *& seqq.*
Chagnericus nobilis Francus 25. a. Leudegundis ejus uxor, 117. a. Burgundofaram filiam Columbano benedicendam offerunt, 25. a. 612. a. & Euſtaſio, 117. a. m. 614.
Chagnoaldus S. Columbani diſcipulus, poſtea Epiſc. Lauduni, 17. m. 27. a. 118. m. Burgundofaræ frater, *ibid.* confunditur cum Magnoaldo, 505. 506. ſubſcribit Privilegio Sollemniacenſi. 1092. m
Childebertus Franc. Rex, Monaſterio Jurenſi quædam confert, 1068. m.
Childericus Franc. Rex 779. a. S. Præjectum citat, 643. & 649. m. regnum ejus infauſtum, 682. *& seqq.* 700. *& seqq.* Bariſiacum locum S. Amando tribuit, 820. a. 1094. occiditur, 685. 701. cædes ejus Leodegario falsò adſcripta, 689. m Amando locum Nanto concedit, 717. m. vix quatuor annis regnat, 974. m
Chillenus Hibernus in Gallia floret, 599. 619. a
Chlodoveus Dagoberti filius S. Furſeum excipit, 308. m. 310. a. favet fundationi Monaſterij Floriacenſis, 353. Vuandregiſili prophetia de ejus filiis, 544. m.
Cellenſem locum S. Frodoberto concedit, 631. a
Balthildem uxorem ducit, 778
S. Filiberto Gemeticum concedit, 819. m. obiit, 779.
Chlodulfus Mettenſis Epiſc. 157. m. 158. Vita, 1043. *& seqq.*
Modeſtæ Abbatiſſæ Treverenſi viſionem explicat, 468. m.
Chlotharío Chilperici R. filio monarchia prædicitur à Columbano, 21. & 24. m. eam obtinet, 28. a. S. Vualaricum excipit, 81. a. Synodum Matiſconę cogit, 119. m. S. Ruſticulam ad ſe ſiſtit, 143. 144. S. Arnulfum detinet, 154. a. Fidei res curat, 319. m Agilum Reſbaco præficit, 322. m. Legatos Saxonum malè excipit, 616. 617
Chlotharius Chlodovei II. filius regnat annis quatuordecim. 541. a. Fontanellam auget, *ibid.* S. Leodegarium Epiſcopum deſignat, 679. m. moritur, 681
Chlotharius pſeudo-Rex Ebroini, 686. 687
Chora, fluvius Burgundiæ, 21. a
Chramnolinus Epiſc. Privilegio Sollemniacenſi ſubſcribit, 1092. m
Chrodegarius Abbas Corbeienſis, 1040. m
Chrodegangus Epiſc. Mettenſis. 1069. m. 1084. 1085
Chrodobertus Epiſc. Pariſiorum, 779. a
Chrodobertus Epiſc. Tutonicus, 642. a
Chrodobertus Comes Palatij, 692. 703
Chrodovaldus conjux amitæ Theodeberti, 23. o
Chronoaldus vir illuſtris. 98. a
Chrothildis Regina Franc. Kalæ Cœnobiolum condit, 783. m
Chunibertus Epiſc. Colonienſis Stabulenſem & Malmundarienſem Eccleſias dedicari facit, 492. m
Civinocurtis, prædium S. Richarij, 222 m
Clari Abb. Viennenſis Vita, 483. *& seqq.*
Claſia fluvius in Biturigibus, 436. m
Claudij Epiſc. Veſontionenſis Vita, 1065. *& seqq.*
Clipiacus villa Regia ad Sequanam, 325. n. 566. n. 715. m. 1055. a.
Clotſendis filia S. Rictrudis, Abbatiſſa Marcianenſis, 942. a. 944
Coceium opidum in Picardia corpus S. Amandi defertur, 733. a
Colomagnus Rex Scottorum ſeu Hiberniæ, 450. m
Coloniæ Monaſterium S. Gereonis, 295. m
Coloniæ Epiſc. Chunibertus, 492. m
Coludi urbs in Anglia, 749. a. v. Monaſt. Coludenſe.
Columbani Abb. Vita, 5. *& seqq.* Luxovium à Rege accipit ope Agnohaldi, 317. Agilum benedicit, *ibid.* an ſcripſerit ad Gregorium M. 423. m
Columbinus Abb. Lutræ 108. a. piè obit, 114. a. n. Hildegardis ejus dentem auferre fruſtra tentat, 116. a.
Cometes, 685. m. 1035. m
Commogellus Abb. Bancorenſis, 9 a
Conantius v. Tonantius.
Conon ſeu Canon, Papa S. Kilianum ordinat, 992. a
Concilia. Matiſconenſe, 119. m. Clippiacenſe, 325. m. Calcenſe, 691. m. Romanum, 720. *& seqq.* Aireyenſe, 859. Piſtenſe, 863. n. Adruiſordenſe, 899. a. n. Heorutfordenſe, 1034. Haëtfeldenſe, 1036. Rotomagenſe, 1056
Condedus Monachus Fontanellæ, 545. m. ejus Vita, 861. *& seqq.*
Conſortia Eſonis Ducis uxor, 184. m
Conſtantia in Alamannia natalis S. Audomari, 519. m. alij Sancti Conſtantienſes, 562. a
Conſtantienſes in Alamannia Epiſc. Gaudentius 238. a. Johannes, 244. 248. Boſo, 251. Sidonius, 258.
Conſtantienſis in Gallia Epiſc. Leontianus, 1100. 1101.
Conſtantinus Epiſc. Bellovacenſis Gemetici ſepultus, 969. a
Corbeia fluvius Picardiæ, 311. a. v. Monaſt. Corbeïenſe.
Coriaſca, amnis, 41. m
Coſchinus Abbas Gemeticenſis, 816. 818. a
Coſmum fluvius Galliæ, 567. a
Craphahildis hoſpita S. Livini Martyr, 461. m
Criſciacenſis ſilva in Pontivo, 195. a
Curienſis Epiſc. Tello. 258. m
Cuthberti Epiſc. Lindisfarnenſis Vita, 877. *& seqq.* Is ſtolam ac manipulum à S. Ethildrita accipit, 748. a.
Cyprianus Epiſc. Arelatenſis, 243. a

D

DAdo *vide* Audoënus.
Dado Epiſc. Verodunenſis, 272. m
Dagobertus S. Arnulfum minis in Sede Mettenſi retinere nequit, 154. ab exactionibus revocatur, 174. ſalutaria monita à S. Richario accipit, 194. Eccleſiæ Verodunenſi bona confert, 274. Paulum eidem Eccleſiæ præficit, 273. m. laudatur, 425. m. Gertrudi maritum parat, 464. a. Geremarum conſiliis ſuis præficit, 476. m. S. Vuandregiſilum in aulam revocare nititur, 528. 530. Audomarum Tarvennenſibus præficit, 560. a. Altimontenſe Monaſterium dotat, 674. m. Paganos ad Fidem cogit, 714. m. Amandum relegat, 715. m. 940. revocat, 716. filium ab ipſo baptizandum offert, *ibid.* S. Giſlenum invenit, 791. Eidem prædia tribuit, 793. a. Rictrudi ſecundas nuptias perſuadere non valet, 943. Euſebiam de ſacro fonte levat, 990. m
Dagobertus Sigiberti filius cum Theodorico pugnat, 427. a.
Dalfini Epiſcopi cædes an Balthildi adſcribenda, 777
Damianus Epiſc. Roſſenſis. 1033. m
Datlevertus Epiſc. Meldicenſis, 620. m
Deicoli Abb. Lutrenſis Vita, 102. *& ſeqq.*
Deirorum Reges, 745. m
Demechildis ſeu Orechildis Monacha Eboriac. 442
Deoremus ſeu Deotemius Epiſc. Privilegio Sollemniacenſi ſubſcribit, 1092. m
Dertonæ Epiſc. Provvs, 161. a
Deſideratus Monachus Fontanellæ, 541. m
Deſiderij Conf. Vita, 826. *& ſeqq.*
Deſiderius Epiſcopus, 1057
Deſiderius Epiſc. Viennenſis martyr, 26. m. Ruſticula ejus Eccleſiam viſitat, 144. a
Deſiderius Langob. Rex, à Karolo M. vincitur, 375. m.
Deusdedit Epiſc. Cantuarienſis, 1031. m
Deuteria nobilis femina S. Agili mater, 316. m
Dido Epiſcopus damnatus, 830. a
Dido Epiſc. Pictavenſis S. Leodegarium erudit, 680. m. 699. a.
Dionantum emporium ad Moſam, 1015. m
Dionyſius martyr Fuſciani ſocius, 560. m
Doda religioſa femina, 23. m
Dolenſis Epiſc. S. Samſon, 479. m
Domana pia femina, S. Geremari uxor, 477. a. n
Dominica Abb. Nivialenſis, 463. m. 470. n
Domio Abbas Navenſis, 180. n
Domitianus S. Landelini diſcipulus, 875. a. Abbas Laubienſis, 876. m
Domna Monacha Eboriac. 443
Donatus Comes Milidunenſis, 381. a
Donatus Epiſc. Veſontionenſis, 319. a. Elogium ejus, 335. 336.
Doroangus locus in Voſago, 641. m
Dotto Comes Franc. 714. m.
Drogo Epiſc. Bellovacenſis, 1064. a
Duacum corpus S. Amandi defertur, 734. a
Dumnoc civitas Angliæ, 739. m. prope *Ely* inſulam, 743. a.
Duvius fluvius in Burgundia, 425. a

E

EAdbaldus Angliæ Rex, ad Fidem per S. Laurentium reducitur, 62. m
Eadbertus Epiſc. Lindisfarnenſis, 910. *& ſeqq.*
Eadfridus Epiſc. Lindisfarnenſis, 879. a. n
Eaſtervuinus Abbas Girvenſis in Anglia, 1005. 1006
Eata Abbas Mailroſenſis, poſt Epiſc. Lindisfarnenſis, 884. & 886. m. 892. In-Hripenſi Monaſterio à Rege Alchfrido præficitur, 885. a
Ebba Abbatiſſa Coludenſis, 745. m. 749. a. 887. m. n. piè obit, 753. m. n.
Ebertrammus Abbas S. Quintini, 562. a. n
Eboracenſis Epiſcopus, Vuilfridus, *V.* Vuilfridus.
Ebregiſilus Monachus Bituricenſis, 174. m
Ebrohardus Laudunum civitatem ſuccendit, 980. a
Ebroicenſis Epiſc. Aquilinus, 1057. a
Ebroinus vir ſtrenuus, at ſævus, 644. Leodegarium vexat, *ibid.* & 681. *& ſeqq.* Ebremerdus dictus, 691. à. varia ejus geſta, *ibid.* condit Cœnobium S. Mariæ apud Sueſſiones cum Leutrude conjuge, 708. m. malè perit, 694. à S. Filiberto objurgatur, 822. m. ob id eum conjicit in carcerem, *ibid. & ſeqq.*
Ecgbertus Cantuariorum Rex, 1003. m. ſucceſſorem habet Lotherum, 1035. a
Ecgfridus Rex Oſvuio patri ſuccedit, 1033. m. Vuiremuthenſi Monaſterio condendo adlaborat, 1004. ejus necem prædicit S. Cuthbertus, 898
Egilvualdus Anachorita Farnenſis, 914. a. *al.* Ædilvualdus, 935. 936
Eggeburgis Abb. Nivialenſis, 472. m
Egilis Epiſc. Senonenſis, 638. a
Eilbertus Comes Namurci transfert Reliquias S. Eloquij, 654. 655
Elefans Abbas Cellenſis, 796. a. m
Elenandus Epiſc. Laudunenſis, excipit corpus S. Amandi, 733. m
Elfleda Abbatiſſa Streaneshalæ, 897. 898
Elge inſula in dotem data S. Ethildritæ, 741. m. al. *Ely* dicta, 743. a. Iſthuc ſe recipit S. Ethildrita, 750. *& ſeqq. V.* Monaſt. Elienſe.
Eligius levat corpus S. Furſei, 309. & 314. a. ejus ſepulcrum ornat, 314. m. Reſbacenſis Eccleſiæ dedicationi intereſt, 322. 323. condit Sollemniacum, 488. *& ſeqq.* Privilegium ejuſdem pro Sollemniaco, 1091. S. Tillonem redimit & Monachum ibi inſtituit, 994. 995. S. Hunegundem levat de ſacro fonte, 1019. m
Eliſangium territorium in Gallia, 537. m
Elſanum territorium in Aquitania, 818. a
Elizachar Abbas Centulæ, 214. 215. 216
Eloquij Abb. Latiniaci geſta & tranſlatio, 653. *& ſeqq.*
Emmianus ſeu Æmilianus Abbas Latiniaci poſt S. Furſeum, 653
Emmo Epiſc. Senonenſis excipit Adrianum Abbatem Italum, 1032. m
Ephigenius Rex Hiberniæ, 411. a
Ercantrudis ſeu Herchantrudis Monacha Eboriac. 441. m.
Erchinoaldus S. Furſeum excipit, 308. m. Latiniacum ei donat, 309. a. 310. & 311. m. Perronæ Baſilicam condit, 312. a. S. Furſei corpus impetrat, *ibid.* & 313. Leutſinda ejus uxor, 313. 314. Fontanellam dotat, 540. m. Balthildem emit, 777. m. eam ſibi deſponſare cupit, 778
Erembertus Abbas Corbeienſis, 1040. m
Erembertus Epiſc. Toloſæ, 545. m. 1053. a. ejus Vita, 604. *& ſeqq.*
Erembertus Francus illuſtris, 543. m
Ermelandus Abbas Antrenſis, 1053. a
Ermenana Abbatiſſa Cadurcenſis, 695. m
Ermenarius ſeu Hermenecarius Epiſc. Æduenſis, 679. 680.
Ermenfridus Epiſc. Verodunenſis, 272. a
Ermenilda ſancta Regina, 745. m. 756. Abbatiſſa Elienſis, 767. m
Ermenricus Monachus Elevuangenſis, 507. m
Ermenus Epiſc. Lemovicinus, 999. m. *& ſeqq.*
Ermingardis Abbatiſſa Jotri, 326. m
Ernoldus S. Rictrudis pater, 940. a
Eſo Dux Franc. 184. m. Conſortia ejus uxor, *ibid.*
Eſtanglorum Regum ſeries, 739. 740
Ethildritæ Reginæ & Abbatiſſæ Elienſis Vita, 738. *& ſeqq.*
Eudaldus nobilis Francus, S. Hunegundi deſponſatus, 1019. m. *& ſeqq.* piè obit, 1024. a

Eudo Aquitaniæ Princeps res ſacras diripit, 100. 101. 102. Optimates ejus Agnus. 100. m. & Fredegiſilus, 101. a. Adroaldus, *ibid. m.*
Euſemia Abbatiſſa Mettenſis, 291. m
Eugenij duo Toletani Epiſc. 516. n
Eugenius Papa corpus S. Sebaſtiani Hilduino dat, 383. m.
Evodius S. Præjecti ſocius, 641. a. 648. m
Eura amnis in Neuſtria, 543. m
Euſebiæ Abbatiſſæ Hamaticenſis geſta, 947. *& ſeqq.* 984. *& ſeqq.* à Nanthilde Regina de ſacro fonte levata, 942. a. & à Dagoberto, 990. m
Euſtaſius, à Columbano avellitur, 21 a. nepos Mietij Epiſc. Lingon. *ibid.* Bobium adit Columbanum, 29. a. Auſtaſius dictus, 80. 560. a. Euſtaſij Vita, 316. *& ſeqq.* Amatum inviſit Agauni commorantem, 131. m. Agilum Luxovio excipit, 318. a. Bajoarios ad Fidem reducit, 117. m. 423. 424. Salabergam ſanat, *ibid.* Audomarum excipit, 560. a
Euſtaſius S. Salabergæ filius, 426. a. n.

F

Falmio vicus in Haſbania, 1081. m
Falmienſis pagus, 498. m. al. Falemanienſis, 655. m.
Falvius Hiberniæ Epiſcopus, 435
Fara Abbatiſſa, *v.* Burgundofara.
Faraulfus Chlotharij palatinus, 144. m
Farne inſula in Anglia, 893. *& ſeqq.*
Farne Inſulæ Anachoritæ, Cuthbertus, Edilvualdus, Felgidus, *v. ſuis locis.*
Faro Meldorum Epiſc. Reſbaci Monaſterij ædificationi ac dedicationi intereſt, 322. 323. Privilegium eidem concedit, 334. m. Vita ejus, 606. *& ſeqq.* excipit Adrianum Abb. 1032. m.
Faſtrada Karoli M. uxor ſanatur à S. Goare, 292. m
Fauces in Alpibus Juliis, 510. m. *v. Monaſt.* Faucenſe.
Fefrus idem qui S. Fiacrius, 598. m
Felgidus Anachoreta Farnenſis, 914. *al.* Felgeldus, 936.
Felix Epiſc. Anglorum Orientalium, 743
Felix Epiſc. Arvernenſis, 647. m
Fiacrij Conf. Vita, 598 *& ſeqq.*
Filibaudus Epiſc. Aturenſis, 818. a. n
Filibertus Reſbaci Monachus, 324. m. Audoënum & Vuandregiſilum familiares habet, 542. m. Vita ejus, 816. *& ſeqq.* Aicadrum ſibi carum ſubſtituit Gemetici Abbatem, 957. *& ſeqq.*
Firminus Epiſc. Uticenſis, 1044. a
Flandriæ Marchiſi & Comites, Balduinus, 330. m. Arnulfus, 410, a. Balduinus, 804 a. *V.* Hannonia.
Flaocatus ſeu Flaucadus Francus, 432. m. 436
Flavia Vualdeleni uxor, 14. m. Monaſterio à ſe conſtructo recluditur, 15. a. Regulam à filio Donato petit, 335. m
Flaviacus vicus Bellovacorum, 481. m. *V.* Monaſt. Flaviacenſe.
Flavius Epiſcopus Gemetici ſepultus, 969. a
Florbertus Abbas Gandenſis, 399. a. 404. 405. S. Livinum excipit, 457. m
Florentius Preſbyter Tricaſtinus Vitam S. Ruſticulæ ſcribit, 139
Floriacus ager pro Attiniaco commutatus, 353. m. Vetus Floriacus, 356. m. *V.* Monaſt. Floriacenſe.
Foillanus S. Livini ſocius, 430. m
Fontana-Vualarici locus in Neuſtria, 862. a
Fontanella in eremo Gemetico, 530. m. *V.* Monaſt. Fontanellenſe.
Fontaneticum bellum, 393. a
Forannanus ſanctus transfert Reliquias S. Eloquij Valciodorum, 655
Francia, *vide* Gallia.
Franconia, Auſtria dicta, 991. m. Gozbertus Dux Hetanis filius à S. Kiliano baptizatur, 992. *& ſeqq.*
Franghenevurt palatium Franc. 622. a
Fredegiſilus Eudonis Ducis palatinus, 101. a
Frichorius ſeu Hadrianus S. Caïdoci ſocius Richarium convertit, 191. a. n. 200. m
Frodoberti Abb. Cellenſis Vita, 626. *& ſeqq.*
Fructuoſi Epiſc. Bracarenſis Vita, 581. *& ſeqq.*
Fulbertus Epiſc. Cameracenſis, 803. a
Fulbertus Epiſc. Carnutenſ. 201. m
Fulcoaldus Francus illuſtris, 841. m
Fulcoaldus Dux, 1094
Fulcrannus Epiſcopus Gallicanus, 1057. a
Furſei Abb. Latiniaci Vita, 299. *& ſeqq*

G

Aditanum territorium in Bætica, 587. a
Gairinus S. Leodegarij frater, martyr, 690 *& ſeqq.*
Galliæ limites, 611. m. ejus ſtatus, 9. m. Reges, Chlodoveus I. Sigibertus, Theodebertus, Theodoricus, Chlotharius, Dagobertus I. Dagobertus II. Chlodoveus II. Chlotharius, Chilpericus, Theodoricus &c. *V. ſuis locis.* Reginæ Brunechildis, Nantildis, Balthildis, Imnechildis, Berechildis, *V. ſuis locis.* Majores domûs Gundolandus, Pippinus, Æga, Erchinoaldus, Ebroinus, Vulfoaldus, Pippinus, Martinus, *V. ſuis locis.* Franciæ ſtatus ſub Majoribus-domus, 371. m. Salicæ ac Romanæ legis uſus, 381. a. Galli architecti Eccleſias in Anglia more Romano ædificant, 1004. m
Galli Abbatis Vita, 227. *& ſeqq.*
Galopius Epiſc. Gallus, 1092. m
Galterus Epiſc. Laudunenſis, 815. n
Gamardus Monachus Fontanellæ, 606. a
Gandavi deſcriptio, 407. à S. Amando ad Fidem adducitur, 714. deſtruitur à Normannis, 409. *V.* Monaſt. Ganda & Blandinienſe.
Gaudentius Epiſc. Conſtantienſis, 238. a
Gaugericus Epiſc. Camerac. Vualdetrudi apparet, 793. m. 868. a.
Gauſcelinus Abbas Elnonenſis, 710. a
Gauthſtrudis Abbatiſſa Juſſanenſis, 335. m
Gebetrudis Abbatiſſa Habendenſis, 603. 604. m
Gebmundus Epiſc. Roſſenſis, 1035. m
Geila ſeu Geilana, Gozberti Ducis pellex, S. Kilianum necari jubet, 992. 993
Gemeticus eremus, 530. m. *V.* Monaſt. Gemeticenſe.
Genardus Vicedominus Rotomagenſis, 1057. a. m. pòſt Abbas Flaviacenſis, 481. n. 525. m.
Generoſus Confeſſor, Abbas Anſionenſis, 1101
Geneſius Epiſc. Lugdunenſis Leodegario favet, 686. a. Ebroini ſatellites effugit, 689. a. S. Balthildis eleëmoſynarius, 778. m. adeſt morienti Balthildi, 782. m. ſucceſſorem habet S. Lantbertum, 1053.
Genevæ Epiſc. Abellenus, 119. m
Geraldimontem corpus S. Amandi delatum, 734. m
Gerardus S. Abbas Bronienſis, 410. m. reſtituit Cellenſe Monaſterium, 798
Gerardus Epiſc. Cameracenſis, 803. m
Gerardus Epiſc. Tullenſis Vitam S. Manſueti ſcribi curat, 849. a
Gerberta filia S. Gertrudis Abb. Marcianenſis, mater Adalbaldi, 984. m
Gerebaldus Epiſcopus Bajocaſſenſis, 1057. a
Geremari Abb. Flaviacenſis Vita, 475. *& ſeqq.*
Gerlannus Cancellarius Regis Hugonis, pòſt Abbas Bobienſis, 44. m. 53. m
Germani Abb. Grandivallenſis Vita, 511. *& ſeqq.*
Geroaldus Abbas Fontanellæ, 548. m
Gertrudes plures ſanctæ, 462. a
Gertrudis Abb. Hamaticenſis, 947. m. 984. 985
Gertrudis Abb. Nivialenſis Vita, 462. *& ſeqq.*
Gerungus palatij Ædilis, poſtea Prumiæ Monachus, 297. a
Gibitrudis Abbatiſſa S. Quintini apud Trecas, 635. a.

Gibuinus Epiſc. Catalaunenſis, 855. m. 1025. m
Girboldus Autiſſiodorenſis Comes, 394. a
Gerviniacus vicus in Teraſcia, 655. a
Giſlebertus Dux in Belgio, 797
Giſlebertus Epiſc. Carnutenſis, 557. m
Giſlemarus vir inluſter, 195. a. Majordomus, 1058
Giſleni Conf. Vita, 788. *& ſeqq.*
Glodeſindis Abbatiſſæ Mettenſis Vita, 1087. *& ſeqq.*
Goaris Conf. Vita, 275. *& ſeqq.*
Godebertus Abbas Sollemniacenſis, 1000. 1001
Godeſcalcus Aquitaniæ Epiſc. 520. m
Godila mater S. Glodeſindis, 1087. m
Godo Abbas Volovicenſis, 650. m
Godo nepos S. Vuandregiſili, 530. 539. Abbas Ogienſis, *ibid.*
Godo Epiſc. Mettenſis, 1047. m
Goëricus qui & Abbo S. Arnulfo in ſedem Mettenſem ſuccedit, 154. m. S. Romaricum in cælum excipit, 420. m
Gogus *V.* Blitmundus.
Gornæum caſtrum ad Matronam, 597. m
Gotfridus nobilis Haſbanienſis, 1083 m
Gozbertus Abbas S. Galli, 227. m
Gozbertus Dux in Franconia, 992. *& ſeqq.*
Grandiſcurtis in pago Atrabatenſi, 311. a
Grandiſvallis in Alamannia, 513. *V.* Monaſt. Grandivallenſe.
Granteceſter civitas Angliæ, 762. a
Gregorius M. an S. Columbano epiſtolam ſcripſerit, 423. m. n
Griſo Pippini frater, 373 m
Grimo ſeu Adalgiſus Dagoberti conſanguineus, 271. m. n. Abbas Theologienſis, *ibid.* 273. a. n.
Grimoaldus Vulfoaldi Majoriſdomus filius, 980. a
Grippo Legatus Karoli M. 554. a.
Groppoaltum, mons Italiæ, 41. m
Gualiniago, vicus Ambianenſis, 81. a
Guarandra vicus, S. Geremari natalis, 475. m
Guarnerius exactor, 99. malè perit, 100. a
Guido Comes Cenomannenſis, 379. a
Guido Placentiæ Epiſc. 44. m
Guillelmus Comes Bleſenſis, 379. a
Gundelandus vir illuſtris, Bellator, 807. m
Gundilana Abbatiſſa Cameliacenſis, 641. m
Gundoaldus Epiſc. Meldicenſis, 117. m
Gundoënus Epiſc. Privilegio Sollemniaci ſubſcribit, 1092. m
Gundonius Dux Alamanniæ, 512. m
Gundoinus S. Salabergæ pater, 320. a. 424
Gundulfus Subregulus ſeu Majordomus, 150 m
Guntramnus Rex S. Ruſticulam liberam dimitti jubet, 140. m
Gunzo Alamanniæ Dux, 258. *& ſeqq.*

H

Habendum caſtrum, 156. a. n. *al.* Habundi, 417. n. & Horenbergum, 512. a. *V.* Monaſterium Habendenſe.
Hadalini Conf. conditoris Cellæ apud Dionantum Vita, 1013. *& ſeqq.*
Hæreſes, Bonoſiaca, 117. 423. Joviniani & Heluidij, 519. 520. m. Monotheletarum damnatur, 720. *& ſeqq.* hæreſis Simoniaca, 779. a. Monotheletarum, 1036
Haëtfeldenſe Concilium in Anglia, 1036
Hagnſtaldenſes Epiſcopi, Acca, 1011. Eata, *V.* Eata
Haimericus Abb. S. Carauni Carnuti, 557. a
Haimo Epiſc. Carnutenſis, 557
Haimo Pontivi Dux excipit S. Furſeum, 310. m. Furſeum poſt mortem videt, 312. cum Erchinoaldo de Sancti corpore diſputat, *ibid.* S. Judoco favet, 567. *& ſeqq.*
Haina fluvius Hannoniæ, 792. m. *al.* Hagna, 869. a
Hainau pagus in Belgio, 790. *& ſeqq.* *Hagnou* 804. a. iſthic florent SS. Giſlenus, Vincentius Madelgarius, Vualdetrudis, Humbertus, Aldegundis, Landelinus, *V. ſuis locis.* S. Anſbertus ibi exſul, 1058. a.
Haiſtulfus Langobardorum Rex, 375. m
Halitgarius, *V.* Alitgarius.
Haldulfus Abbas Altimontenſis, 1058. *& ſeqq.*
Hannoniæ Comites, Herbertus, 797. m. Arnulfus & Rainerus, 799. a. Balduinus, *ibid.* m. *V.* Balduinus. Dux Giſlebertus, 798
Hartbainus Monachus Fontanellæ, 543. m
Haſbanienſis Ducatus S. Bavonis natalis, 397. a. 1072
Haſpra ſeu *Haſprum* in agro Cameracenſi, 971. m
Hatta Abbas Blandinienſis & Vedaſtinus, 985. m
Heberardus Aleſatiæ Comes invadit res Lutrenſis Monaſterij, 109. m. Hugo ejus filius, *ibid.* Adalſindâ repudiatâ Nonnæ commiſcetur, 115. m
Hebocaſiacus, vicus natalis S. Ruſticulæ, 140. a
Hector Patricius Maſſiliæ, 643. 644. 685. m. occiditur, 684. m
Helias S. Livini ſocius, 450. m
Helimas S. Livini diſcipulus, 452. m
Helladius Toleti Epiſc. 136. *& ſeqq.*
Heoruetfordenſe Concilium, 1034
Herbertus Comes Montenſis, 797. m
Herbipolis, Vvirzburch dicta, 992. a. S. Kilianus ibi Gozbertum Ducem baptizat, *ibid. & ſeqq.* Burchardus primus Epiſcopus, 993. n
Herebertus pius Anachorita, 901. 902
Herefridus Abbas Lindisfarnenſis, 886. a. 907. a
Hereſvita Annæ Anglorum Regis uxor, 739. 740. Calæ Monacha, 744. a. 776
Heribertus Comes Campaniæ, 849. a. 850. m
Heribrandus Abbas Cellenſis, 799. 800
Hericus Abbas Centulæ, 213 a. 214. m
Herio inſula in finibus Pictonum, 823. a. *V.* Monaſterium Herienſe.
Herivuinus comes, 291. m
Hermannus Monachus Vitam S. Hildefonſi reperit, 520. m
Hermeneccarius ſeu Hermenarius Epiſc. Æduenſis, 679. 680. S. Leodegario favet, 684. 685. 691
Hermenricus Rex Gandavi, 407. a
Hermentio fluvius in Burgundia, 386. m. 859. a
Hermenus Epiſc. Lemovicinus ſepelit S. Tillonem, 999. *& ſeqq.*
Hibernia deſcriptio, 229. Epiſcopi, Falvius, 435. Menalchius, 451. m. Silvanus, 457. m. Reges, Colomagnus, 450. m. Ephigenius, 451. a
Hilda Calenſis Monacha, 744. a. 776
Hildefonſi Epiſc. Toletani Vita, 515. *& ſeqq.*
Hildefonſus Hiſpaniæ Rex, 520. m
Hildegardis Aleſatiæ Comitiſſa, Hugonis uxor, 115. m.
Hildegardis Karoli M. uxor, 473. m
Hildegarius Epiſc. Meldicenſis ſcribit Vitam S. Faronis, 607
Hildegarius Epiſc. Senonenſis ſubſcribit Privilegio Sollemniacenſi, 1092. m
Hildemarcha Abb. Fiſcamni, 542
Hildevertus Epiſc. Meldicenſis, 620. m
Hildiner Præfectus Ecgfridi Regis, 891. 903. a
Hilduinus Abbas Dionyſianus S. Sebaſtiani Reliquias ab Eugenio P. obtinet, 383. m. Vita S. Filiberti eidem dedicatur, 817
Hilduinus Comes Campaniæ, 849. m
Hildulfus S. Vualdetrudis conſanguineus prædium dat conſtruendo Monaſterio, 869
Hincmarus Abbas S. Remigij, 1025. m
Hiſpalenſis Epiſc. Iſidorus, 138. 517. a. 582
Hiſpaniæ Reges, Receſuintus, 516. 518. Hildefonſus, 520. m
Hodo Aurelianenſis Comes, 377. m
Holtam villa in Belgio, 404. m. *Holtem*, 458. m
Hon fluvius in Hannonia, 875 876
Honoriſiacus villa in Burgundia, 317. m
Honorius Papa Bobij Privilegia confirmat, 161. m
Horenbergum eremus, 512. a. *V.* Habendum.
Hugo Abbas Normannos vincit, 393. 394

Hugo Abbas Criſpeienſis, 330. 331
Hugo Comes Aleſatiæ, 109. & ſeqq. filij ejus, *ibid.*
Hildegardis uxor, 115. m
Hugo Epiſc. Rotomag. 76. m. 77. a. n. 969. a.
Hugo Epiſc. Veſontionenſis, 850. m
Hugo Rex Italiæ, 44. a. Alda ejus uxor, 44. m. Lotharius filius, 47. m. Hugonis pictas, 47. 48. 53. m
Humberti Conf. Maricolenſis Vita, 800. & ſeqq.
Humbertus de Buenco Abbas S. Eugendi, 1069. a
Huna Monachus ſanctus in Elienſi Monaſterio, 759. 760.
Huneïa inſula in Anglia, 760. a
Hunegundis Virginis Humolarienſis Vita, 1018. & ſeqq.
Hungarorum incurſio, 109. a
Huvetbertus Abbas Vuiremuthenſis, 1011. a. Gregorio Papæ ſcribit, *ibid.*

I

Iodrenſis ſchola, 646. m
Ildefonſus *V.* Hildefonſus.
Imnichildis Franc. Regina, 643. m. 1094
Imperatores, Cæſar, Karolus M. Ludovicus Pius, Otto, Berengarius, *V. ſuis locis.* alij Imperatores, 370 371
Incra vicus, nunc opidum in Picardia, 225. m
Ingelramnus Centulæ Abbas, 189. m. ſcripſit Vitam S. Richarij, 201
Ingilinheim palatium Caroli M. 292. 297. a
Injurioſus Abbas S. Eugendi, 1067. m
Iohannes Abbas Gorzienſis, ſcriptor Vitæ S. Glodeſindis, 1088. a
Iohannes Abbas Archicantor Româ in Angliam miſſus, 1004. 1005. 1037. Turonis ſepelitur, *ibid.*
Iohannes Epiſcopus Gallicanus, 1057. a
Iohannes Epiſc. Bellovacenſis, 1064. m
Iohannes Epiſc. Conſtantienſis in Alamannia, 244. m. 248.
Iohannes Epiſc. Maſſilienſis, 1032. a
Iohannis Papæ Bulla pro Monaſterio Humolarienſi, 1025. m.
Ionas Epiſc. Aurelianenſis, 377. m
Ionatus Abbas Marcianenſis, 938. 942. a
Ioram ſeu *Ioranus* ſaltus in Briegio, 25. 321. a. *V.* Monaſt. Iotrenſe.
Iria fluvius Italiæ, 164. a
Iſanhardus fiſci Regij procurator, 293. a
Iſidorus Epiſc. Hiſpalenſis ſcribit Helladio Epiſc. Toletano, 158. erudit Hildefonſum, 517. a. cum Fructuoſo comparatur, 582
Italiæ laus & deſcriptio, 369. Italiæ Reges Agilulfus, 28. m. Berengarius 43. m. Hugo 44 a. Ariovualdus, 161. a. Haiſtulfus & Deſiderius, 375. Pippinus, *ibid.*
Itheria Abbatiſſa S. Mariæ Sueſſione, 708. m
Itta S. Gertrudis Abb. Nivialenſis mater, 464. piè moritur, 465. a. n
Itta fluvius in Veliocaſſino, 475. m
Iudæos convertit Sulpicius, 171. m
Iudicail Armoricæ Rex ſeu Dux, 566. m. n
Iudoci Conf. Vita, 565. & ſeqq.
Iuſtus Tolcti Epiſcopus, 147. & ſeqq.
Iuvinus Confeſſor in Monaſterio Anſionis quieſcit, 955. a. 1100. m.

K

Karlomannus patri ſuccedit, 375. m. fit Monachus, 255. m. 373. m. Cœnobio S. Galli favet, *ibid.* moritur, 375. m. an bis in Galliam redierit, 374
Karoli Calvi regnum infauſtum, 391. m. laudatur, 393. a. moritur, *ibid.*
Karolus Magnus S. Richarij corpus transfert, 199. m. Alcuinus eidem S. Richarij Vitam dedicat, 189. m. periclitatur in Rheni flumine, 291. m. 292. Faſtrada ejus uxor, 291. m. Karoli geſta, 375. m. Pippinum filium Italiæ Regem facit, *ibid.* Hildegardis ejus uxor, 473. m. Geroaldum Abb. in Britanniam mittit, 548. m. Gripponem, 554
Karolus Martellus Saracenos ſternit, 372. m. Pippinus & Carlomannus ejus filij, *ibid.* ejus principatu qualis Eccleſiæ facies, 844
Kilianus S. Livini ſocius, 450. m
Kiliani Epiſcopi & Mart. Vita, 991. & ſeqq.

L

Lætia fluvius in Arduenna, 1014. a. n
Lambertus Mediolani Epiſc. 49. m
Lambertus S. Giſleni diſcipulus, 791. a. 797. m
Landeberga Monacha Eboriacenſis, 447
Landelini Abb. Criſpinienſis Vita, 873. & ſeqq.
Landricus nobilis Francus, 807. m
Lantbertus Abb. Fontanellæ, poſtea Epiſc. Lugdunenſis, 534. m. 545. m. 604. m. 864. m. 1052. & ſeqq. S. Condedum excipit, 862
Lantarius Comes Lemovicinus, 1000. m
Laſcivus Epiſc. in Neuſtria, 1102
Lanto Epiſc. Auguſtanus, 507. m
Latiniacum locus ad Matronam, 309. & ſeqq. *V.* Monaſt. Latiniacenſe.
Laubacus rivulus in Hannonia, 875. a. *V.* Monaſt. Lobienſe.
Laudunum urbs celebris, 421. cur Lugdunum Clavatum dicta, 427. n. & 1091. a. vaſtatur, 979. 980. Epiſcopi, Chagnoaldus *V.* Chagnoaldus. Attila, 427. a. n. 841. m. Omotarius, 421. 422. Madelgarius, 980. m. Rodoardus, 655. m. Elenandus, 733. m. Galterus, 815. n. Dux Betcharius, 313. Monaſteria, 421. m. Reliquiæ S. Bavonis illuc tranſlatæ, 409. m. & S. Amandi, 733. m. S. Humbertus illic Monachus factus, 801. a
Laurentij Cantuariæ Epiſc. Vita, 60
Leder amnis hodiernæ Scotiæ, 882. m. n
Ledernaut fiſcus, 501. m
Legia fluvius in Belgio, 985. a
Legobertus Abbas Curbionenſis, 780. a
Lembaidus villa in pago Veromandenſi, natalis S. Hunegundis, 1019. a
Lemovicibus Monaſterium Sollemniacenſe, *V.* Monaſt. Sollemn. Lantarius Comes, 1000. m. Lupus Epiſc. 1092. m. Hermenus Epiſcopus, 999. & ſeqq.
Leocadiæ Virg. & Mart. Reliquiarum detectio, 517. m.
Leodebodus Abbas condit Monaſterium Flóriacenſe, 353. 354. 359. Teſtamentum examinatur, 675
Leodegarij Epiſc. Auguſtodunenſis Vita, 679. & ſeqq. contentio cum S. Præjecto, 644. a. *V.* 840. & 841. Fiſcamni exſul. 973. m
Leodienſes Epiſc. Stephanus, 937. 938. Rodulfus 1086. *V.* Trajectenſes Epiſc.
Leonifius Epiſc. Maguntinus, 26. a. n
Leontianus Epiſc. Conſtantienſis, 1100. 1101
Leopardus Monachus Bobij, 161
Leoparius Turon. Epiſc. 22. m. 23. m
Leotarius Epiſc. Ariſidinſis, 1044. m
Letia Arduennæ fluvius, 1014. a. n
Leucanaüs ſeu *Leuconaüs* locus in Picardia, 82. a. *V.* Monaſt. Leuconaenſe,
Leudeberta Monacha Eboriac. 446
Leudegangus Epiſc. 783. m. n
Leuduinus ſeu Bodo S. Salabergæ frater, 424. & 428. m.
Leutſinda Erchinoaldi uxor, 313. 314
Lexovienſis Epiſc. Radulfus, 706. m
Libertus Abbas Trudonianus & Martyr, 1086. m
Lichfeldenſis Epiſc. Ceadda, 1033. a
Lietbertus Epiſc. Cameracenſis excipit corpus S. Amandi, 732. m
Liliola Abbat. Arelate, 141
Lindimacus fluvius Alamanniæ, 232. a
Lindisfarne inſula in Anglia, 893. *V.* Monaſt. Lindisfarnenſe.

farnenſe. Lindisfarnæ Epiſc. Aidanus 882. 883. Cuthbertus *V.* Cuthbertus. Eadbertus 910. *& ſeqq.* Eadfridus, 879. a. n. Eata, *V.* Eata, alij, 1036. a. Abbates, Herefridus, 886. a. 907. a
Lingonenſes Epiſc. Mietius, 21. a. Berthoaldus. 629. m. Bruno, 855. a
Livini Epiſc. & Mart. Vita, 449. *& ſeqq.*
Londoniæ Epiſc. Mellitus, 90. *& ſeqq.*
Longoretus locus in Biturigibus, 436. 437. *V.* Monaſt. Longoretenſe.
Lotharius Aleſatiæ Rex Vualderadæ pellici adhæret, 114. *& ſeqq.*
Lotharius Hugonis Italiæ Regis filius meritis S. Columbani febre liberatur, 47. m
Lotherus Rex Cantuariorum, 1035. a
Ludovicus Abbas Centulæ, 217. m
Ludovicus Imp. Pius à S. Goare ſanatus, 297. a. Patri ſuccedit, 377. m. Status Franciæ ſub eo, *ibid.* & 382. m. filij ejus Regnum partiuntur, 386. 387. Dervum reformat, 844. 845.
Ludovicus Rex Franc. Nihil-faciens, 486. a.
Ludovici IV. diploma pro Humolarienſi Monaſterio, 1025
Lugdunenſes Epiſc. Ætherius, 96. m. Aridius, 417. a. Geneſius, *V.* Geneſius. Lantbertus, *V.* Lantbertus, Dalfinus, 777. Annemundus, *ibid.* Athelenardus, 850. m. Scholæ Lugdunenſes, 669. a
Lugubalia civitas in Anglia, corruptè Luel, 900. a
Lullus Epiſc. Maguntinus, 289. a
Lundoniæ Epiſc. Mellitus, 90. *& ſeqq.*
Lupus Abb. Ferrarienſis Cellam S. Judoci obtinet, 566. a. ſanatur meritis S. Faronis, 622
Lupus Epiſc. Lemovicenſis ſubſcribit Privilegio Sollemniacenſi, 1092. m
Lutoſa vicus in Campania, 840. a. alius à *Lutoſa* villa agri Camaracenſis, *ibid.* n. 852. a
Lexovij aquæ callidæ, 13. a. *V.* Monaſt. Luxovienſe.

M

Maceriæ vicus in Pontivo, S. Furſei obitu celebris, 310. m. 312. a. aliæ Maceriæ, 801. n
Madelberta Abbatiſſa Melbodij, 673. a. 794. m
Madelgarius Epiſc. Laudunenſis S. Anſtrudi infeſtus, 980. a
Madelgarius maritus S. Vualdetrudis, *V.* Vincentius.
Magni ſeu Magnoaldi Abb. Faucenſis elogium, 505. *& ſeqq.*
Magobertus S. Salabergæ apparet, 431. a
Maguntiæ Epiſc. Leoniſius, 26. a. n. Lullus, 289. a. Bonefacius, 289. a. Otkarius 507. m.
Mainardus Epiſc. Senonenſis, 850. m
Majoc in Pontivo, S. Furſei nomine celebris, 310. m
Maïolus Abbas Cluniacenſis, 975. a
Manaſſes Epiſc. Meldorum, 332
Manaſſes Epiſc. Tricaſſinus, 849. m
Manſueti Epiſc. Tullenſis Vita ab Adſone ſcripta, 849. a.
Mantela vicus ad Sequanam, 1103. a
Marciæ ſeu Ruſticulæ Abbatiſſæ Vita, 139. *& ſeqq.*
Marcolinus ſeu Marcolmus Recluſus, 683. m
Marculfus Abbas Biturienſis, 97. a
Marculfus Cellerarius Salicenſis Cœnobij, 11. m
Marcuvardus Abbas Prumiæ, 281. 296. m. 299. a
Marelegia, fiſcus ſeu villa Regia in Aleſatia, 115. a
Martiano Abbati Anſionenſi Vitam S. Paterni dicat Fortunatus, 1100
Martinus Papa S. Amando ſcribit, 720. *& ſeqq.*
Maſſiliæ Patricius Hector, *V.* Hector. Epiſc. Johannes, 1032. a
Mateſridus Comes Aurelianenſis, 377. m
Matiſconenſis Epiſc. Adeodatus, 1092. m
Matiſconenſe Concilium in cauſa Agreſtij, 119. m
Matriniacenſe prædium, 391. m. 394. a
Maucironnus diœceſis ſeu pagus in Biturigibus, 185. m
Maurinus Epiſc. Privilegio Sollemniacenſi ſubſcribit, 1092. m
Maurontus Abbas Broilenſis, 195. n. 945. *& ſeqq.*
Maurontus ſilvarum Regiarum cuſtos, 195. a. n
Maurus S. Benedicti diſcipulus, quando Caſſino diſceſſit, 370. a. Ejus Reliquiæ in Burgundiam deferuntur, 847. a
Maximinus Abbas S. Gereonis Coloniæ, 295. m
Medegiſolus Epiſc. ſubſcribit Privilegio Sollemniacenſi, 1092. m
Mediolani Epiſc. Lambertus, 49. m
Medo Abbas Floriacenſis, 374. 390
Meduana fluvius Andecavorum, 387. a
Mehinbodus Epiſc. Vuirtziburgi, 289. a
Meldanus Epiſc. ſanctus, 304. m. 313. m
Meldarum civitas direpta à Nortmannis, 624. 625
Meldorum Epiſc. Gundoaldus, 117. m. Ragnemundus, 315. 316. Faro, *V.* Faro. Manaſſes, 332. a. an Vualdebertus, 504. Hildegarius, 607. Hildevertus ſeu Datlevertus, 620. m. Philippus, Johannes de Belleau, Dominicus Seguierius, 601. m.
Mellitus Lundoniæ Epiſc. 90. *& ſeqq.*
Menalchius Hiberniæ Archipontifex, 451. m. 455. a
Merciorum Reges Penda, Vulfcrus, *V. ſuis locis.*
alij, 756. m. Epiſcopi, 1036. a
Mercurius Vvodan dictus, 26. a
Meroaldus Abbas Æduenſis, 688. m
Meroveus Monachus Bobij, 164
Mettenſes Epiſc. Arnulfus, 149. *& ſeqq.* Goëricus qui & Abbo, 154. m. 1047. m. Godo, *ibid.* Chlodulfus. *V.* Chlodulfus Chrodegangus, 1069. m. 1084. 1085. Angelramnus, 1071. a. n. alij, *ibid.* Cur quidam Archiepiſcopi dicti, *ibid.* Mettenſes Abbatiſſæ Vualdrada, 63. *& ſeqq.* Glodeſindis, 1087. *& ſeqq.* Eufemia, 291. m
Mietius Epiſc. Lingonenſis, 21. a
Milidunenſium Comes, Donatus, 381. a
Millepecus ſeu *Millebeccus* in Biturigibus, 436. 437. *V.* Monaſt. Millebeccenſe.
Modeſta Abbatiſſa Treverenſis, 468. m
Modoaldus Treverorum Epiſc. S. Germanum Abbatem erudit, 511
Molis litus maris in Provincia, 56. a
Monaſteriolum in Neuſtria, 543. m
Monaſteriolus in Campania, 852. a

MONASTERIA VARIA.

Monaſt. Agalienſe in Hiſp. 136. Richilanes Abbas, *ibid.* m. Helladius, Juſtus, Hildefonſus inde aſſumpti, *ibid. & ſuis locis.*
Monaſt. Altimontenſe conditur à S. Vincentio, 675. à Dagoberto dotatur, *ibid.* Monaſterij ſtatus, 674. Abbates, Haldulfus, 1058. *& ſeqq.* Richardus, Fulcuinus, *ibid.* Urſio, 673. a. S. Anſbertus iſthic exſul, moritur, 1058. *& ſeqq.*
Monaſt. Altivillarenſe conditur à S. Nivardo, 835. *& ſeqq.* S. Bercharius Abbas, *ibid.* Monachi illuſtres, 837. n
Monaſt. S. Amandi, *V.* Monaſt. Elnonenſe.
Monaſt. S. Amandi Rotomagi, 734. m. Abbatiſſa Marſilia, *ibid.*
Monaſt. Anagratenſe, à S. Columbano excultum, 10. & 11
Monaſt. Andanenſe conditur à S. Begga, 471. a
Monaſt. S. Andreæ Cameraceſij, 805. m. n
Monaſt. S. Andreæ duplex Viennæ, 483. m
Monaſt. S. Anniani Leodebodus Abbas, *V.* Leodebodus. Diripitur, 377. m
Monaſt. Anſionenſe, 955. a. & 1100. *& ſeqq.* S. Juvinus iſthic quieſcit, *ibid.* Abbates Martianus, 1100. Generoſus 1101. Monachi, SS. Paternus & Scubilio *ibid.* S. Aicadrus, 955
Monaſt. Antrenſe conditur à Paſchario Epiſc. Namnetenſi, 1053. a. Abbas Ermelandus, *ibid.*
Monaſt. S. Apri Tullenſe reformatur per Gauſlinum Epiſc. 848. a. Dervenſe Monaſterium inde reformatum, *ibid.*

***

Monaſt. Augia Dives 227. m. Auva dictum, 259. a.
Vualafridus Abbas, *ibid.* Sidonius Epiſc. iſthic Abbas, 259. a. n
Monaſt. S. Auſtregiſili, 98. a. Marculfus Abbas, *ibid.* Bercorialis, 100. m. dirigitur, *ibid.* & 101. a. Bertradus Abbas, *ibid.*
Monaſt. Autumo, 78. a. S. Vualaricus iſthic Monachus, *ibid.*
Monaſt. Auva, 259. a. *V.* Monaſt. Augia.
Monaſt. Bancorenſe in Hibernia, 9. a. Abbas Commogellus, *ibid.* Columbanus Monachus, *ibid.*
Monaſt. Barriſiacus dotatur ab Hilderico Rege & Hymnechilde Regina, 810. a. n. item à S. Amando, 1094
Monaſt S. Baſoli à quibus reformatum, 68 a. Adſo Abbas, 64. 65. 849
Monaſt. S. Benigni Divionenſis Eccleſia dedicatur, 855. a. Abbas Vuillelmus, *ibid.*
Monaſt. Bituricenſe S. Laurentij. 173. n
Monaſt. Bobienſe, ſeu Ebobienſe, 3. n. conditur, 28. m. Abbas I. Columbanus, *ibid.* Attala, *V.* Attala Bertulfus, 160. *& ſeqq.* Bobolenus 5. m. Agilulfus, 41. m. n. Silveradus & Gerlannus, 44. m. 53. m. Privilegia Bobio conceſſa, 30. 31. 32. 161 Monachi inſignes Jonas, 126 a. Blidulfus, *ibid.* alij, 163. *& ſeqq.* Vuandregiſilus, 329. a
Monaſt. Blandinienſe conditur à S. Amando, 720. a. n. Abbas Florbertus, *V.* Florbertus.
Monaſt. rigenſe, *V.* Eborıacenſe.
Monaſt. Broilenſe, ſeu S. Fiacrij, 598. 599. 600. 601
Monaſt. S Cæſarij Arelate, 139. m. Abbatiſſæ Ruſticula & Celſa, *ibid* aliæ, 141. a. n.
Monaſt. Cameliacenſe conditur à Geneſio Comite, 641 & 648 m. Gundilana Abbatiſſa, 641. m
Monaſt. Campidonenſe conſtruitur, 509. m
Monaſt. Candidinenſe apud Arvernos, 647. m
Monaſt. Carantomenſe, 122. m. n
Monaſt. S. Caraüni, Carnuti, 577. a
Monaſt. Caſſinenſe, *V.* Caſſinum.
Monaſt. Caſtrilocenſe à S. Vualdetrude conditur, 794. a. 869. Abbatiſſæ Vualdetrudis, *V.* Vualdetrudis, & Præfat. num. 31. *& ſeqq.*
Monaſt. Cella apud Dionantum conditum à S. Hadalino, 1014. *& ſeqq.*
Monaſt. Cella, ſeu S. Giſleni, conditur à S. Giſleno, 789. *& ſeqq.* Abbates Giſlenus, *ibid.* Elefans, 796. a. m. S. Gerardus, 789. Monaſterium reſtituit, 798. Simon, 799. Heribrandus, *ibid.* & 800. Rathbodus, 789. a. viri pij, *ibid.* m
Monaſt. Cella in Inſula Germanica, conditur à S. Frodoberto, 616. 630. 631. Abbates Frodobertus, *ibid.* Vualdinus 635. a. Bodo, 637. n. Benzo, 848. a. Eccleſiæ amplificatio per S. Bobinum, 626. 627. 631. Viri pij & illuſtres, *ibid.* item Leo & Lupellus, 634 Pruvinum Cellæ ſubjicitur, 667. n
Monaſt. Centulenſe, à S. Richario conditum, 193. a. n. Abbates inſignes, 189. m. Ocioaldus, 196. 199. Ingelramnus, 201. Hericus, 213. 214. Elizacharius, 214. 215. 216. Ludovicus, 217. m. SS. Caidocus & Frichorius ibidem quieſcunt, 191. 200
Monaſt. Cluniac. Abbates, S. Odo, 847. 848. S. Maïolus. 975. a.
Monaſt. Coludenſe, 749. a. S. Ebba Abbatiſſa, *ibid* *V.* Ebba. Ethildrita illic velum ſuſcipit, *ibid.*
Monaſt. Complutenſe ſeu SS. Juſti & Paſtoris à S. Fructuoſo conditum, 585.
Monaſt. Corbeienſe conditur à S. Balthilde, 779. m. 1039. Abbas primus Theodefridus, *ibid.* Chrodegarius & Erembertus, 1040 m. Viri pij, 1041. 1042
Monaſt. Criſpeienſe in Valeſia, 331. a. Hugo Abbas, *ibid.*
Monaſt. Criſpinienſe in Hannonia conditur à S. Landelino, 875. 876. Abbas Adelenus, 876. m
Monaſt. S. Crucis ſeu S. Faronis, conditur à S. Farone, 611. m. n. Abbates Helias & Maïolus, *ibid.* Galfridus, 607. a. Adam, 601. a. Andreas, 625. m. Rotgarius ſeu Otgerius pius Monachus, 622. 623. Monaſterium ab incendio & præda Normannorum liberatur, 625. a
Monaſt. Curbionenſe, dictum Corbienſe, 557. m. ditatur à S. Balthilde, 780. a. Legobertus Abbas, *ibid.*
Monaſt. Dervenſe, 831. m. conditur à S. Berchario, 841. Abbatum Syllabus, 861. Monaſterij varij caſus, 844. *& ſeqq.* Abbates, Odo, 845. Alardus & Benzo, 847. m. Adalbericus, 848. m. Adſo, *ibid.* *& ſeq.* Bruno, 850 854. a. Berengerius, 853. a. Catena S. Petri in Monaſterio Dervenſi, 851. a
Monaſt. S. Dionyſij in Francia, Hilduinus Abbas, 383. m. 817. a.
Monaſt. Eboriacenſe ſeu S. Faræ, 117. m. 438. 439. Burgundofara Abbatiſſa, *ibid.* Sanctimoniales illuſtres, 439. *& ſeqq.* 616. ditatur à S. Balthilde, 780. a.
Monaſt. Elevuangenſe, 508. a
Monaſt. Elienſe conditur à S. Ethildrita, 738. m. 752. *& ſeqq.* Abbatiſſæ, Ethildrita, *ibid.* Sexburga, 761. *& ſeqq.* Ermenilda, 767. Vuerburga, 768. Monaſterium comburitur, 753. S Adumnanus iſthic Monachus, *ibid.* & S. Huna, 759. Privilegium Papæ, 758. a. Monaſterium vaſtatur à Danis, 768. *& ſeqq.*
Monaſt. Elnonenſe conditur à S. Amando, 709. m. Abbates Amandus, *ibid.* Andrea & Gauſcelinus 710. a. Hugo, 734. m. Bovo, *ibid.* Studia illic vigent per Hucbaldum, 710. a. S. Amandus ibi quieſcit, 726. & 738. a
Monaſt S. Faronis, *V.* Monaſt. S. Crucis.
Monaſt. Faucenſe à S. Magno conditur, 509. m. ejus ſtatus, 510. m
Monaſt. Farnenſe, *V.* Farne.
Monaſt Ferrarienſe famoſiſſimum, 622. a. Lupus Abbas, *ibid.* Cellam S. Judoci obtinet, 566. a
Monaſt. Fiſcamnenſe conditur à S. Vuaningo, 542. 973. *& ſeqq.* Hildemarcha Abbatiſſa, *ibid.* Childemarca dicta, 691. m. Leodegarius ibi exſul, 691. 703.
Monaſt. Flaviacenſe conditur à S. Geremaro, 481. 482.
Monaſt. Flaviniacenſe conditur à Vuidrado Abb. 652. a Magoaldus & Manaſſes Abbates, *ibid.* Iſthuc S. Præjecti Reliquiæ tranſlatæ, *ibid.*
Monaſt Floriacenſe conditur à Leodebodo, 353. Abbas primus, Rigomarus, 676. alij, Mummolus *V.* Mummolus. Medo, 374. 390. Radulfus, 376. Boſo, 377. & 380. m. 384. a. n. Bernardus, 389. a. Theotbertus, 392. S. Odo, 350. 363. Richardus, 677. m. Guillelmus, 671. a. Abbo, 849. m Monaſterium à Normannis vaſtatur, 388. 670 Monaſt. Regula ei unitur, 677. Monachi pij, Aigulfus, *V.* Aigulfus, Hercambaldus, 378. a. Chriſtianus, 381. m. Racanarius, 391. a. alij, 350. 351. S. Oſvualdus, 678. m. Reliquiæ S. Benedicti iſthuc tranſlatæ, 337. *& ſeqq.* item S. Sebaſtiani & S. Dionyſij, 383. 384. Reliquiæ S. Aigulfi iſthinc Pruvinum delatæ, 666. 670
Monaſt. Fontanellenſe conditur, 525. *& ſeqq.* Abbates S. Vuandregiſilus &c. *ibid.* Lantbertus, Anſbertus, *V. ſuis locis*, Hilbertus, 1048. 1062. Geroaldus, 548. m. Viri pij & illuſtres, 525. m. Deſideratus, Godo, Erembertus, Hartbainus, Condedus, Vulframnus, Bainus, Agatho, Gamardus, 525. m. *V. ſuis locis.* Aigradus, 1048. Bertoldus & Radamaſtus, 1061. m. Fontanellæ Privilegium in Synodo Rotomagenſi conceſſum, 1056
Monaſt. Foſſatenſe conditur, 591. 592. Abbates, S. Babolenus, *ibid.* Benedictus, 594. a. n. Robertus, 595. m. Odo Monachus, 596. m. n.
Monaſt. Foſſuenſe, 308. n. 467. m. illic degit S. Ultanus Abbas, *ibid.* Foillanus, 785. m. *V.* Foillanus.
Monaſt. Gaditanum à S. Fructuoſo conditum, 587. m.

Monaſt. S. Galli, 227. m. 237. denuo excitatur, 255. & ſeqq. Abbates, S. Gallus, 227. & ſeqq. Othmarus, 255. & ſeqq. Gozpertus, 227. m
Monaſt. Ganda, varij ejus ſtatus, 395. m. 407. & ſeqq. Abbas Florbertus, 399. a. n. S. Bavo iſthic Monachus, 398. Reliquiæ, 396. a
Monaſt. Gaudiacum, 122. m. n
Monaſt. Gemeticenſe conditur à S. Filiberto, 819. m. n. Abbates Filibertus, *ibid.* Chrodobertus, Ragertrannus, 823. m. S. Aicadrus, 824. *V.* Aicadrus. Coſchinus, 816. & 818. a. Ermentarius Monachus, 816. 817. S. Sidonius Monachus, 824. 957. & ſeqq. Numerus Monachorum CM. 963. a. Monachi quamplures uno die mortui, 967. & ſeqq.
Monaſt. Geminorum apud Lingonas, 1012. m. n
Monaſt. S. Genovefæ Pariſ. Abbas Odo, 737. m
Monaſt. S. Gereonis Coloniæ, 295. m. Maximinus Abbas, *ibid.*
Monaſt. S. Germani Autiſſiod. iſthic vixit S. Vualaricus, 78. m. n
Monaſt. S. Germani Pratenſis Abbas Gerardus, 737. m.
Monaſt. Girvenſe in Anglia conditur à Biſcopo, 1005. Abbates, Ceolfridus, *ibid.* Eaſtervuinus, *ibid.* & 1006. Beda illic Monachus, 1002. a. 1009. n.
Monaſt. Glannafolienſis Monachus Odulcricus, 595. m.
Monaſt. S. Gloſinæ Mettis conditur, 1089. m. Puellis centum ibi præeſt Glodeſindis, *ibid.*
Monaſt. ſeu Cella S. Goaris 275. m. à Pippino unita Monaſterio Prumienſi, 288. & 298. m. Eccleſia dedicatur, 289. Varia iſthic facta miracula, *ibid.* & ſeqq.
Monaſt. Gorzienſe, 1088. a. S. Johannes Abbas, *ibid.*
Monaſt. Grandivallenſe à S. Vualberto conditur, 512. 513. Germanus Abbas &c. *ibid.* & ſeqq.
Monaſt. S. Gundulfi, 376. m. n
Monaſt. Habendenſe, ſeu Romaricenſe, 428. m. *V.* Habendum. Abbates Amatus & Romaricus, *V. ſuis locis.* Adelphius, 602. & ſeqq. Garichrammus, 603. m. Abbatiſſæ, 129. m. Mactefledis, 133. a. 417. n. Cæcilia, 416. m. Tecta, 603. 604. Monaſterij ſtatus, 129. m. origo, 132. m. Regula, 416. a. Privilegium, 418. n. Viri illuſtres, S. Arnulfus, 155. 156. 512. a. S. Germanus, *ibid.* Vualderada hypocrita illuc ſe recepit, 115. a
Monaſt. Hamaticenſe regunt Gertrudis, 947. Euſebia, *ibid.* & ſeqq. 984. & ſeqq. Status varij Monaſterij, 986. & ſeqq.
Monaſt. *Heamburch* in Anglia, 761. a. Vverburga Abbatiſſa, *ibid.*
Monaſt. Herienſe conditur à S. Filiberto, 823. a. Abbates Filibertus, *ibid.* Hilbodus, Ermentarius, 816.
Monaſt. S. Hilarij Pictavenſ. 697. a. n. Anſfridus ibi litteras docet Aicadrum, 954. m
Monaſt. Horreenſe apud Treveros, 468. m. n. Modeſta Abbatiſſa, *ibid.*
Monaſt. Hripenſe conditur ab Alcfrido Rege, 885. a
Monaſt. Humolarienſe dotatur à S. Hunegunde, 1023. a. Monachi Sanctimonialibus ſuccedunt, 1025. 1026. Bernerus Abbas, 1018. 1026
Monaſt. Inſula à S. Geremaro conditur, 477. m. Archarius Abbas, *ibid.*
Monaſt. S. Johannis Bapt. Lauduni, 422. ejus ſtatus & prærogativæ, *ibid.* conditur à S. Salaberga, *ibid.* & 428. Abbatiſſæ, Salaberga I. *ibid.* Anſtrudis. *V.* Anſtrudis. Adalſinda, 981. 983. a. Landefridus ibi Monachus, 430. a
Monaſt. Jotrenſe conditur ab Adone, 321. a. 486. Abbatiſſæ, Theodechildis, *ibid.* Ermingardis, 326. m. Agilberta & Balda, 487. m. Bertilana Abbatiſſa Kalæ hinc aſſumpta, 780. a. Ado ibi Monachus, 487
Monaſt. S. Judoci, 565. 566. Crux appellatum, 570. m. Alcuinus Abbas, *ibid.* Lupo Abbati Ferrarienſi locus conceditur, 566. a. Florentius Abbas, 566. m. 570. n.
Monaſt. Jurenſe S. Eugendi, 1067. m. Abbates Injurioſus & Claudius, *ibid.* Humbertus de Buenco, 1069. a. Monaſt. Jurenſe ad Noviſanam fl. condit Ramelenus, 15. a. Siagrius Abbas, *ibid.*
Monaſt. Juſſanum, 15. a. n. Gauthſtrudis Abbatiſſa, 335. m. à Flavia conditum, à Donato Regulâ inſtructum, *ibid.*
Monaſt. Kalenſe à Chrothilde inceptum, 783. m. à S. Balthilde auctum, 776. & ſeqq. Abbatiſſæ, Bertila, *V.* Bertila. Monaſt. Virgines piæ, 776
Monaſt. *Lanmailmon* in Armorica, 567. a
Monaſt. Latiniacenſe, ab Erchinoaldo dotatum, à S. Furſeo conſtructum, 309. a. n. 311. m. Abbates Furſeus, 299. & ſeqq. Æmilianus & Mumbolus Eloquius, *V. ſuis locis.* Arnulfus, 299. m. alij viri illuſtres, 300. m
Monaſt. Laubacenſe conditur à S. Landelino, 875. Abbates & viri illuſtres, *ibid.* n. Abbas Domitianus, 876. m
Monaſteria S. Leodegarij, 706. m
Monaſt. Lerinenſis Abbates, Virgilius, 55. m. 56. n. Aigulfus, 659. & ſeqq. Rigomirus, 664. a Monachi ibi Attala, 123. m
Monaſt. Leuconaenſe, ſeu S. Vualarici, Abbates S. Vualaricus, 76. & ſeqq. & Blitmundus 90. a. alij Abbates, 76. a
Monaſt. Lindisfarnenſe, 892. a. Abbas ſimul & Epiſc. *ibid.* Herefridus Abbas, 886. a. 907. a. *V.* Lindisfarne.
Monaſt. Logienſe in Caletis, 780. n
Monaſt. Longoretenſe conditur à S. Sigiranno Abb. 436. 437. S. Barontus illic Monachus, 826. alij Monachi pij, 829. m. Francardus Abbas, *ibid.*
Monaſt. Lutoſa, 473. a
Monaſt. Lutrenſe, 103. a. & ſeqq. Deicolus Abbas, *ibid.* conſtruit Lutrenſe Monaſt. 106. m. Papæ illud ſubjicit, 107. 108. Columbinus Abbas, *V. ſuo loco.* Varij ſtatus Monaſterij, *ibid.* & ſeqq. Baltrannus Abbas, 111. a. Vuerdolfus & Icha Abbates, 113. m
Monaſt. Luxovienſe, conditur, 12. & 13. Columbanus I. Abbas *ibid.* Euſtaſius, Vualdebertus, *Vide ſuis locis.* Ingofredus, 603. a. Monachi quidam inſignes, 14 m. Theudegiſilus, 15. a. 17. m. Vualaricus & Bobo, 79. Vualdolenus, 80. m. 83. a. Attala, 126. m. Agilus, 322. Romaricus, 417. SS. Germanus & Chuanis, 512. m. Urſicinus, 513. n. 537. m. n. Adelphius, 603. alij, *ibid.* Frodobertus, 629. Leodegarius, 684. 701. S. Bercharius, 834
Monaſt. Mailroſenſe in Anglia, 884. a. n. Boiſilus Præpoſitus excipit S. Cuthbertum, *ibid.* Eata Abbas, *ibid.* 886. m
Monaſt. Malmundarium conditur à Sigiberto Rege, 492. m.
Monaſt. Mandanenſe in Neuſtria, 1101
Monaſt. Marcianenſe conditur à S. Rictrude, 938. a. 944. Jonatus Abbas, *ibid.* Rictrudis illic cum filiabus vivit, *ibid.* item Maurontus & Amatus, 945. & ſeqq. Amandus Abbas, 987. m. Adalardus, 988. m. Theobaldus, 990. a. Vuido Prior, *ibid.*
Monaſt. S. Mariæ in Hibernia, 452. m
Monaſt. S. Mariæ Nivernenſe, 122. m. n
Monaſt. S. Mariæ Sueſſione conditur ab Ebroino, 708. m. Ætheria ſeu Itheria Abbatiſſa, *ibid.* Sigrada Monacha, S. Leodegarij mater, 707. a
Monaſt. Maricolenſe conditur, 800. 801. Abbates, Humbertus, *ibid.* Rodinus, 802. a Monaſterium Eccleſiæ Cameracenſi quondam ſubjectum fuit, 803. a
Monaſt. S. Martini Turon. admittit S. Amandum, 712. m.
Monaſt. S. Mauricij Agaunenſis, Monachus S. Amatus, 130. a. 131. m
Monaſt. S. Maxentij Abbas S. Leodegarius, 699. m. Audulfus Abbas, 695. m. tranſfert corpus S. Leo-

degatij, *ibid. & ſeqq.* Vitam ejus ſcribi poſtulat, 698. m
Monaſt. S. Medardi apud Sueſſiones recipit corpus S. Sebaſtiani, 383. m. Peregrinorum iſthuc confluxus, 553. m
Monaſt. Medeshamſtede, ſeu Vuedeshamſtede in Anglia, 756. Sexvulfus Abbas, *ibid.*
Monaſt. Melbodienſe conditur à S. Aldegunde, 806. *& ſeqq.* Abbatiſſæ Aldegundis, *ibid.* Aldetrudis, Madelberta, 814. & 815. n. *V. ſuis locis.* Theodrada, 798. a. *V. Præfat. huic ſæculo præfixam, num.* 31. *& ſeqq.*
Monaſteria Mettis, 63. a. 1098. m
Monaſt. Milidunenſe, 594. m. Adelerius Abbas, *ibid.*
Monaſt. Millebeccenſe conditur à S. Sigiranno 436. m. Abbas Leodoaldus, 819. a
Monaſt. Montellenſe à S. Fructuoſo conditum, 590. a.
Monaſt. Montisfalconis, 536. a. n. illic Monachi SS. Vualtfridus & Vuandregiſilus, *ibid.*
Monaſt. Montis-S. Quintini quando & à quo conditum, 787. 788
Monaſt. Murbacenſe S. Leodegario dicatum, 706. a. an ejus caput ſervet; *ibid.* an S. Præjecti Reliquias, 652. 653
Monaſt. Nantua, diſtinctum à Nantenſi, 717. m. n
Monaſt. Navenſe, nunc S. Sulpicij, 179. m. n. 180. à S. Sulpicio Epiſc. Bituric. conditum, *ibid.* Domio Abbas, 180. n
Monaſt. Niridanum prope Neapolim, 1031. m
Monaſt. Nivialenſe duplex, 463. Ordini S. Benedicti vindicatur, 462. m. & in Præfat. num. 31. Abbatiſſæ Gertrudis, 465. a. Vulfetrudis, 466. a. Agnes, 470. a. Dominica, 463. m. 470. n Eggeburgis, 472. m
Monaſt. Oratorium, 664. 1063. Angadriſma iſthic Abbatiſſa, *ibid.* an idem cum Parthenone S. Pauli apud Bellovacos, 1063. 1064
Monaſt. Palatium, à S. Donato conditum, 15. a. S. Pauli modò dictum, 335. m
Monaſt. Pauliacenſe à S. Filiberto conſtruitur, 822. m. Auſtreberta præficitur, *ibid.*
Monaſt. Pentalenſe excipit S. Geremarum, 478. m. regitur ab eodem, *ibid.* & 479
Monaſt. Perronenſe ab Erchinoaldo conditum, 312. *& ſeqq.* Abbas Ultanus, 785. *& ſeqq.* Amatus ibi exſul, *ibid.*
Monaſt. S. Petri Cantuariæ, Abbas Petrus, 3. Biſcopus, 1003. m. Adrianus, 1032. m. Scollandus, 4. m.
Monaſt. S. Petri de Montibus, 1042. S. Valerius Abbas, *ibid.*
Monaſt. S. Petri in Ogia, 539. Abbas S. Godo, *ibid.*
Monaſt. S. Præjecti in Veromanduis, 652. m
Monaſt. Pratellenſe an ſervet caput S. Leodegarij, 706. m.
Monaſt. Prumienſe, 275. m. conditur à Pippino, 198. m. Abbates Aſuerus, Tancradus, Marcuvardus, *V. ſuis locis.* Vuandalbertus Diac. Prumienſis, 275. m. 281. Cella S. Goaris à Pippino unitur Prumiæ, 288. 298. Geruncus Prumiæ Monachus, ex Æſili palatij, 297. a. Anſegilus bonæ vitæ Monachus, 291. a
Monaſt. Pruvinenſe conditur, 667. n. an Reliquias S. Aigulfi poſſideat, 666. *& ſeqq.* Miracula à S. Aigulfo illic facta, 667. *& ſeqq.* Priores, Guillelmus, 670. a. Simon, 617. m. Joſcelinus, 672. m
Monaſt. Puellare à S. Bercharo conditum, 840. a. n.
Monaſt. Quinciacenſe conditur à S. Aicadro, 956. *& ſeqq.* Aicadrus Abbas, *ibid.* & Probus, 962. n
Monaſt. S. Quintini Auguſtæ Veromanduorum, 562. m Ebertramnus Abbas, *ibid.* Fulradus Abbas, 652. m.
Monaſt. S. Quintini Trecis, 631. m. Abbatiſſæ, Rocula, 632. m. Gibitrudis, 635. a
Monaſt. Radolium conditur, 321. a. an à Radone, 486. 487.
Monaſt. Regula Floriaco ſubjectum inſtauratur, 677.
Monaſt. Reſbacenſe, 315. 316. à S. Audoëno conditur, 321. 322. 323. Jeruſalem dictum, 323. Abbas primus S. Agilus, 322. 323. alij Abbates, Aigloaldus, 315. 316. Filibertus, 819. a. Ragenardus, 326. Solio, 327. m. Robertus & Philippus, 330 a. Briccius, 332. a. alij, 316. a. Privilegium à S. Farone conceſſum, à Martino confirmatum, 334. m. Miracula inibi patrata, 326 *& ſeqq.*
Monaſt. Romanis, 529. 538. iſthuc ſe recipit S. Vuandregiſilus, *ibid.*
Monaſt. S. Romarici, *V.* Monaſt. Habendenſe.
Monaſt. Rufiniauenſe à S. Fructuoſo conditum, 584. a.
Monaſt. Salicenſe, 11. m. Abbas Caramtocus, *ibid.* Marculfus Cellerarius, *ibid.*
Monaſt. de Salis conditum à Bertoara, 97. m. n. 98. m.
Monaſt. S. Sequani Abbas Teudolenus, 629. m
Monaſt. S. Serenici deſtruitur, 577. m. n
Monaſt. Selciacenſe in Neuſtria, 1101
Monaſt. Sithivenſe conditur à S. Audomaro, 562. Mummolinus & Bertinus Abbates, 563. a. n
Monaſt. Sollemniacenſe conditur à S. Eligio, 488. 489. Remaclus an Abbas primus, 489. ibi Tillo 996. 1091. Monachus, 994. *& ſeqq.* non Abbas, *ibid.* Godebertus Abbas, 1000. 1001 Reliquias S. Remacli è Monaſterio Stabulenſi accipiunt Sollemniacenſes cum epiſtola, 1092. item brachium, 1093. cum iiſdem ſocietatem ineunt, *ibid.*
Monaſt. Sonegienſe conditur à S. Vincentio, 674. a. Monaſterij ſtatus, *ibid.*
Monaſt. Sorbarius, 181. m
Monaſt. Squirs ſeu Regula, 677. m
Monaſt. Stabulenſe hortante Remaclo conditur à Sigiberto Rege, 492. comburitur à Normannis, 500. m. Remaclus Abbas, 493. a. & Ravengerus, 502. a. *V.* Odo, Johannes Decanus Stabulenſis mittit Reliquias S. Remacli Sollemniacum cum epiſtola, 1092. m. item Brachium cum epiſtola, 1093. Societatem init Guibaldus Abbas cum Sollemniacenſibus, *ibid.*
Monaſt. Streaneshalenſis Abbatiſſa Elfleda, 897 898
Monaſt. S. Symphoriani Æduenſis Abbas Hermenarius, 684. m. Marcolmus Recluſus, 685. m
Monaſt. Theologienſe ſeu Tabuleienſe, unde ſic dictum, 270. a. Status, *ibid.* n. Abbates S. Vuandelinus, *ibid.* Grimo ſeu Adalgiſus, 271. m. n. an fundator? 273. a. n
Monaſt. Thorenſe ad Moſam, 800. a
Monaſt. *Tritingeham* in Anglia, 761. a. S. Vuerburga Abbatiſſa, *ibid.*
Monaſt. S. Trudonis, 1069. *& ſeqq.* conditur, 1080. Abbates, *ibid.* & 1086. m. S. Libertus Abbas & Martyr, *ibid.* Leotharius Præpoſitus, 1083. a
Monaſt. Turholtum, 402. 403. Domlinus Preſbyter, *ibid.*
Monaſt. Turonium in Hiſpania, 589. m
Monaſt. Valciodorenſe obtinet Reliquias S. Eloquij, 655
Monaſt. S. Valerici in Lemovicibus, 1090. m. aliud à Monaſterio S. Vualarici, *ibid.* & 90
Monaſt. S. Vedaſti Abbas Hatta à Rege Theodorico electus, à S. Vindiciano ordinatus, 985. m. *Lege Præfat. num.* 29.
Monaſteria Viennæ, 483. m. n
Monaſt. Villarenſe conſtruitur, 824. a
Monaſt. Viriziacenſe, 65. m. S. Baſolus iſthuc ſe recipit, *ibid.* Diomerus Abbas, 66. a
Monaſt. Viſumenſe in Hiſpania, 584. a
Monaſt. Volovicenſe conditur apud Arvernos, 650. m. Godo Abbas, *ibid.* Monaſterij ſtatus, 651. 652
Monaſt. S. Urſicini, 513. n. 537. m. n

Monaſt. Vuaſſerenſe conditur à S. Landelino, 875. a. n.
Monaſt. Vedeshamſtede, 756. *V.* Monaſt. Medeshamſtede.
Monaſt. Vuerdenſe, 513. m. n
Monaſt. Vueſtmonaſteriehſe à S. Mellito conditum, 91. m. varia ejus decora & fortuna, 92
Monaſt. Vuiremuthenſe conditur à Benedicto Biſcopo, 1002. *& ſeqq.* Abbates, Benedictus, *ibid.* Sigfridus, Ceolfridus & Huvetbertus, *V. ſuis locis.*
Monſfalconis, in Campania, 527. m. 536. n. *V.* Monaſt. Montisfalconis.
Moſa, villa in Burgundia, 318. 424. a
Mucra amnis duplex in Briegio, 316. a. 321. m
Mumboli Abbatis Latiniaci geſta, 653. *& ſeqq.*
Mummolinus Epiſc. Noviomagenſis, 562. 563. 840. m.
Mummolus Abbas Floriaci, 354. 360. Reliquias S. Benedicti in Galliam transferri curat, *ibid. & ſeqq.* 371. ejus elogium, 674. *& ſeqq.* Mummolenus dictus, 676. 677
Mummolus Princeps, 660. m. n
Mummulus Ozidinſis Epiſcopus, 718. a. n

N

NAmnetenſes Epiſc. Suffronius, 24. a. Paſcharius, 1053. a
Namurci Comes Eilbertus S. Eloquij Reliquias obtinet, 654. *& ſeqq.*
Namtolialenſis fiſcus in Briegio, 321. m
Nanthildis Regina S. Euſebiam de ſacro fonte levat, 942. a
Navis, *V.* Monaſterium Navenſe.
Nebus Alamanniæ Dux, 255. m
Nicolaus Epiſc. Cameracenſis, 815. n
Ninfidius Princeps Arelate, 143. m
Nitkatius Epiſc. Auguſtanus, 507. m
Nivardus Epiſc. Remenſis Altivillarenſe Cœnobium condit, 835. *& ſeqq.* laudatur, 832. m. obit, 839
Nivernenſis Epiſc. Raurecus, 98. m
Noddo Auſtriæ Dux, 153. n. 156. m
Normannorum tempeſtas, 221. m. 387. *& ſeqq.* 408. 409. 415. 500. m. Quadruplex incurſio, 624. 625. Quidam ex eis convertuntur, 226. m. Angliam &c. vaſtant, 768. 769. Galliam, 846. a. Fiſcamnum, 974. m. Normannorum Duces, Ramerus, 218. a. alij, 768. m. 975. a.
Noviomenſes Epiſc. Acharius, 118. 560. 714. m. Eligius, *V.* Eligius. Mummolinus, 563. a. n. 840. m. Achardus, *V.* Aicharius, Traſmarus, 410. m. Baldevuinus, 733. m. S. Amandi corpus iſthuc defertur, 733. m

O

OBla fluviolus in Ligerim influens, 379. a
Obolenus S. Glodeſindis ſponſus necatur in aula Regis, 1088. a
Ocioaldus Abbas Centulæ, 196. 199. a
Oddilo Dagoberti palatinus, 152. m
Odo Abbas Cluniacenſis Ordinem Monaſticum reformat, 847. 848
Odo Abbas Stabulenſis Dervum reformat, 845. a
Odo Monachus Foſſatenſis, 596. m. n
Odulcricus Monachus Glannafolij c. xx. annorum, 595. m.
Orechildis Sanctimonialis Eboriacenſis, 442. 443
Oſvuius Rex Berniciorum Pendam ſuperat, 744. ejus progenies, 745. m
Otgerius Monachus S. Crucis prope Meldas, 622. 623.
Othmarus Abbas Gallenſis, 255. vexatur, 257. m
Otkarius Archiep. Maguntinus, 507. m
Otto I. Imp. Lutrenſi Monaſterio favet, 111. 112. Maricolas ſubjicit Eccleſiæ Cameracenſi, 803 a
Otulfus Epiſc. Trecaſſinus, 636. 637
Ovati veſtis S. Hildefonſi adſervata, 523
Ovuini Monachi Pij commendatio, 74
Ozidinſis urbs in Gallia, 718. a
Oximenſis diœceſis ſeu pagus, 574. m. 1104. a

P

PAlentinus Epiſc. Tonantius, 583. n
Papæ Gregorius, Honorius, Johannes, Martinus, Vitalianus, Benedictus, Cono, Sergius, Zacharias, Eugenius, Victor II. *Vide ſuis locis.*
Papiam corpus S. Columbani defertur, 44. *& ſeqq.*
Pariſienſes Epiſc. Angilbertus, 591. 1032. m. 1035. Audobertus, 592. 597. m. Chrodobertus, 779. a. an & Sigoberrandus? 581. a. n
Paſcharius Epiſc. Namnetenſis, 1053. a
Paſchaſij Radberti opus de partu Virginis, 519. m
Paterni Epiſc. Abrincatenſis Vita, 1100. *& ſeqq.*
Pauliacenſis pagus in Nivernis, 390. m. *V.* Monaſt. Pauliacenſe in Neuſtria.
Pauli Verodunenſis Epiſc. Vita, 268. *& ſeqq.*
Penda Rex Merciorum Annam cædit, 743. occiditur ab Oſvuio Rege, 744
Peregrinus Anglorum Epiſcopus Gemetici ſepultus, 969. a.
Perrona ſeu *Patona* villa, 309. a. palatium, 311. Furſeus ibi reos ſolvit, *ibid.* Monaſterium ibi conſtruit Erchinoaldus; 312. 313. 314. Furſeus ibidem ſepelitur, 313. 314. Monaſterio Perronenſi præeſt S. Ultanus, 785. *& ſeqq.* S. Amatus ibidem exſul, *ibid.*
Pertenſis Comitatus in Campania, 854. m
Peſtis ſæculo undecimo in Gallia, 329. m
Petrus Abbas Cantuariæ, 3
Philibertus, *V.* Filibertus.
Philippus Abbas Reſbacenſis, 330. a
Philippus Epiſc. Meldicenſis, Eccleſiæ S. Fiacrij Indulgentias concedit, 601. m
Pictavorum Epiſc. Dido, 680. m. 699. a. Anſoaldus, 695. 698. Sancti indigenæ, Aicadrus, 954. m. Juvinus *V.* Juvinus.
Pinciacenſe territorium ad Sequanam, 604. m. n
Pippinus Landinenſis, S. Gertrudis pater, 464
Pippinus Franc. Princeps patri ſuccedit, 375. m. in Eudonem profectus, parcit rebus ſacris, 100. a. Alamanniam impugnat, 252. Monaſterium S. Galli promovet, 255. Prumienſe Monaſterium conſtruit, 298. m. Cellam S. Goaris Prumiæ donat, 288. 298. cum Grifone fratre diſſidet, 373. m. S. Anſbertum relegat, 1058. S. Trudonis Monaſterium dotat, 1082. 1083. fures Eccleſiæ S. Trudonis ſuſpendi jubet, 1085
Pippinus Karoli M. filius, Italiæ Rex, 375
Piſtæ vicus ad Sequanam in Neuſtria, 863. m
Piſtorij Epiſc. Reſtaldus, 827. m. n. ſancti Barontus & Deſiderius iſthic coluntur, 826. *& ſeqq.*
Podervais S. Richarij corpus delatum, 222. a
Pontiva provincia, 190. m. Richarius iſthic natus, *ibid.* Eodem ſe recipiunt SS. Caidocus & Frichorius, 191. a. Furſeus, 310. *& ſeqq.* Judocus, 567. Pontivi Dux Haimo, *V.* Haimo.
Portenſe territorium in Burgundia, 316. a
Potentinus Abbas in Armorica, Columbani diſcipulus, 22. a
Prætecti Epiſc. Arvernenſis Vita, 640. *& ſeqq.*
Procula nobilis femina, 23. m. Acra etiam dicta, 34. m.
Provus Epiſc. Dertonenſis, 161. a
Prudentius Epiſc. Trecaſſinus, 636. a
Pruvinum caſtrum in Burgundia, 666. *& ſeqq.* S. Aigulfi Reliquiæ illic, *ibid.*
Putta Epiſc. Roffenſis, 1033. m. 1034. a
Pyrro Abbas Anglus an Sanctus, 1104. m

Q

QVantia fluvius in Pontivo, 568. m
Quentavicus ſeu Quentovicus emporium, 550. a. 551. m.

****

Quichelmus Epiſc. Roſſenſis, 1035. m.

R

Raculfus Comes Tornodorenſis, 386. m
Radbertus Epiſc. Turonenſis, 1056. m
Radbertus Abbas *V.* Paſchaſius.
Radegundis filiola S. Balthildis, 782. m. n
Rado ſubſcribit Privilegio Sollemniaci, 1092. m
Rado an Audoëni frater, 321. a. n. 486. 487. 612. m
Radulfus Abbas Floriacenſis, 376
Radulfus Epiſc. Lexovienſis, 706. m
Ræriæ limites, 228. m. Victor Curienſis Rætiæ Comes, 255. 256
Raganarius Monachus Floriacenſis, 391. a
Ragenardus Abb. Reſbaci, 326. m
Ragertramnus Abbas Gemeticenſis, 823. m. poſt Epiſcopus Abrincatenſis, *ibid.*
Ragnacharius Baſilcæ Epiſc. 118. m. 318. a
Ragnemundus Meldorum Epiſc. 315. 316
Raho Aurelianorum Comes, 376. a
Raimbertus Abbas Leuconaenſis, 76. a
Rainerus Comes Hannoniæ, 799. a
Ramerus Normannorum Princeps, 218. a
Randoaldus Præpoſitus Grandivallenſis Martyr, 514
Ratbertus, *Vide* Paſchaſius.
Rathbodus Abb. Cellenſis, 789. a
Ravengerus Abbas Stabulenſis, 501. a
Raurecus Epiſc. Nivernenſis, 98. m
Receſuintus Hiſpaniæ Rex, 516. m. 518. a
Remacli Epiſc. Trajectenſis Vita, 488. *& ſeqq.* an S. Bercharium inſtituit? 834. a. n. S. Hadalinum informat, 1013. 1014
Remigius Epiſc. Remenſis 426. a. Chlodoveum baptizat, 939. m. ejus meritis Salaberga liberos cæcitus impetrat, 426. a
Remorum Epiſc. S. Remigius, 426. a. 939. m. Ægidius, 65. m. 71. a. Nivardus, 835. *& ſeqq.* Attaldus, 1025. m. Remos ſe recipiunt SS. Baſolus 65. Bercharius, 834. *& ſeqq.*
Reomaüs locus Monaſterij in Burgundia, 650. m
Reſbacis fluviolus in Briegio tractu, 25. m. torrens, 322. a. *V.* Monaſt. Reſbacenſe.
Riboarenſis pagus, 473. m. n
Richardus Dux Nortmannorum, 975. a
Richarij Abb. Centulæ Vita, 187. *& ſeqq.*
Richilanes Abbas Agalienſis, 136. m
Richramnus S. Salabergæ maritus, 424. m
Rictrudis Abbatiſſæ Marcianenſis Vita, 937. *& ſeqq.*
Rigobertus S. Geremari pater, 475. m
Rinengam villam corpus S. Rictrudis defertur, 951. 952.
Rodulfus Rex Franc. Derventi Monaſterio favet, 846. 847.
Robertus Abbas Foſſatenſis, 595. m
Robertus Abbas Reſbaci, 330. a
Robertus Rex Franc. Concilium Aireyenſe cogit, 859. a.
Rodinus Abbas Maricolenſis, 802. a
Rodoardus Epiſc. Laudunenſis corpus S. Eloquij concedit Eilberto Comiti, 655
Rodulfus Epiſc. Leodicenſis levat corpus S. Trudonis, 1086. m
Roſſenſes Epiſc. Damianus, 1033. m. Putta, *ibid.* & 1034. a. Quichelmus ſuccedit, 1036. m. Gebmundus, *ibid.*
Romarici Abb. Habendenſis Vita, 415. *& ſeqq.* ab Amato convertitur, 132. a. ab Agreſtio ſeducitur, 121. a. S. Arnulfo carus, 151. a
Rotbertus S. Angadriſmæ pater, 1049. 1050
Rotgarius Monachus S. Crucis apud Meldas, 622. 623
Rotomagi Epiſc. Audoënus, Anſbertus, Hugo, *V. ſuis locis.*
Ruodhardus Alamanniæ Comes 257. m
Ruſticulæ Abbat. Vita, 139. *& ſeqq.*
Ruſticus Treverenſis Epiſc. 276. *& ſeqq.* 282. m

S

SAgienſis Epiſc. Annobertus, 1057. a
Salabergæ Abbatiſſæ Laudunenſis Vita, 421. *& ſeqq.* ſanatur à SS. Euſtaſio & Agilo, 320. Anſtrudem filiam informat & ſibi ſubſtituit, 976. m
Salica lex à Romana diſtincta in Gallia, 381. a
Salvius Epiſc. Ambianenſis, *V. Indicem prætermiſſorum.*
Sambra fluvius Belgij, 801. 875. a
Sambreus pagus, *ibid.*
Samon vicus, S. Virgilij natalis, 55. a
Samſon Dolenſis Epiſc. 479. m
Sapaugia pagus in Biturigibus, 184. a
Sarcinium villa apud Atrabates, exſilio S. Leodegarij celebris, 693. m. *al.* Sarcingum dicta, 705. diverſa tamen à Sarcingo S. Trudonis, 1069. m
Saretrudis S. Salabergæ mater, 424. m
Save ſeu *Sall.* fluvius Hannoniæ, 1060. m
Saxonum Legati baptizantur, 617. a
Saxonum Occidentalium Epiſcopi, 1035
Scarb fluvius in Belgio, 944. 951. a
Schiſma ob tria Capitula, 119. a
Schivuardus vir dives, benefieus in S. Condedum, 864. m.
Scladio Abbas in Synodo Rotomagenſi, 1057. a
Scholaſticæ Reliquiæ in Galliam tranſlatæ, 337. *& ſeqq.*
Scollandus Abbas Cantuariæ, 4. m
Scotti peregrinandi avidi, 267. m. eorum Xenodochia, 786. m
Scubilionis Monachi Vita, cum S. Paterno 1100. *& ſeqq.*
Sebaſtiani Reliquiarum tranſlatio, 383. 384
Seguſia, urbs nobilis Taurinatium, Jonæ Monachi patria, 126. a
Sennia eremus in Alamannia, 239. a
Senonenſes Epiſc. Hildegarius, 1091. m. Emmo, 1032. S. Amatus, 785. m. S. Vulframnus, 545. m. Aldricus, 594. a. Egilis, 638. a. Seubinus, 667. m. Mainardus, 850. m
Septimburia villa in pago Tungrenſi, 1074. m. 1081. m
Serenedi & Serenici fratrum Acta, 572. *& ſeqq.*
Sergius Papa Ceolfrido Abbati Privilegium tribuit, 1009. m. n.
Seubinus Epiſc. Senonicus, 667. m
Sexburga Monacha Elienſis, 756. Abbatiſſa, *ibid.* 761. *& ſeqq.* ſanctè obit, 767
Sexvulfus Epiſc. Merciorum, 1035
Siagria mater S. Leodegarij, 707. a
Siagrius Æduenſis Epiſc. 140. m
Sidonius Monachus Gemeticenſis, 824. m
Sidonius Epiſc. Conſtantienſis, 258. 259
Sidrudis villa in Pontivo, 197. m. 213. 214
Sielaicus Turon. Epiſcopus, 433. a
Sigebertus Britanniæ Rex excipit S. Furſeum, 303. a
Sigfridi Abbatis Angli geſta, 1007. *& ſeqq.*
Sigfridus Monachus Girvenſis, 884. m
Sigibertus Rex. Franc. an Columbanum excepit, 10. m. occiditur, 17. m. Theodericus & Theodebertus filij pro eo regnant, 18. a
Sigibertus Rex Franc. filius Chlodovei, S. Goari Mettenſem Epiſcopatum conferre tentat, 279. 286. m. Monaſteria conſtruit, 492. m. n
Sigiranni Abb. Vita, 432. *& ſeqq.*
Sigoberrandi Epiſc. cædes, 781. a. n
Silenis Abbas Hibernus, 8. n
Silveradus Abb. Bobienſis, 44. m
Simon Abbas Cellenſis, 799. a
Simon Legatus Apoſtolicus, 737. a
Simpertus Epiſc. Auguſtanus, 507. m
Sirudis filia S. Flaviæ, Monacha Juſſanenſis, 335. m
Siſetrudis Sanctimonialis Eboriacenſis, 429. 430
Siſibertus Toleti Epiſcopus, 518. m. an idem cum Agranno ac Siagrio, 522. a

Sivinus pater S. Anſberti, 1049.1050
Sollemniacus in Lemovicibus, 489. & *ſeqq.* *V.* Monaſt. Sollemniacenſe.
Solemnium villa in Hannonia, 1060. m
Solion Abbas Reſbaci, 327. m
Somena fluvius Picardiæ, 82. a
Sparnacus prædium publicum in pago Remenſi, 836. a
Spirenſis Epiſc. Baſinus, 289. a
Spoletum metropolis, 572. Serenicus & Sefenedus fratres illic nati, *ibid.*
Squirs ſeu Regula Monaſt. in Aquitania, 677. m
Stemaha fluvius Alamanniæ, 236. a
Stephanus Comes Campaniæ, 667. 668. Adela uxor, *ibid.*
Stephanus Epiſc. Leodicenſis, 917. 938
Stephanus Turonicæ urbis Rector, 434. m
Sturminius Biturigenſium Comes, 376. a
Suevos ad Fidem adducit Columbanus, 26. a
Sueſſionum Epiſc. Anſericus, 431. a. Vuido, 1025. m
Suffronius Nannetenſis Epiſc. 24. a
Sulpicius Epiſc. Bituric. 97. m. 99. m. Vita, 167. & *ſeqq.* Amandum excipit, 712. m. Eccleſia ipſi dedicata per S. Bercharium, 840. & 852. m
Sylvanus S. Livino Epiſc. ſufficitur, 457. m
Symphronius S. Livini diſcipulus, 452. m.

T

TAncradus Abbas Prumiæ, 293. & *ſeqq.*
Tarvenna & Bolonia Sedes Epiſcopalis, 561. a. n. 118. m. Tarvenna à Normannis combuſta, 409. a Tarvennenſes à SS. Fuſciano &c. converſi, 560. m. Tarvennenſes ſeu Bolonienſes Epiſc. Audomarus, *V* Audomarus. Bainus, 546 Sancti indigenæ. Lantbertus Abbas Fontanellæ, 545. m. 1050. a. Angadriſma Abbatiſſa, *ibid.* S. Vuandregiſili corpus iſthuc delatum, 549. & *ſeqq.*
Taurinus Epiſcopus Gallicanus, 1057. a
Tecta ſeu Cebetrudis Abbatiſſa Habendenſis, 603. & 604. m.
Telectum, mons Italiæ, 41. m
Tellau pagus in Neuſtria, 543. m. 555. m
Tello Curienſis Epiſc. 258. m
Tem[illegible]lutenſis pagus prope Teraſciam, 875 à
Teſgeta fluvius hodiernæ Scotiæ, 889. n
Teudolenus Abbas S. Sequani, 629. m
Theagnius Hibernus illuſtris, S. Liviñi pater, 451. 452.
Theobaldus Campaniæ Comes Pruvinenſe Monaſterium condit. 667. n
Theodaldus Monachus Bobij, 165
Theodebertus ſeu Bertus Epiſc. Turon. 696
Theodebertus Franc. Rex Columbanum excipit, 25. m. Columbanus ei mortem prædicit, 27. m. Rex occiditur, 28 a
Theodechildis Abb. Jotrenſis elogium, 486. & *ſeqq.*
Theodefridi Abbatis Corbeienſis, poſt Epiſcopi elogium, 1039. & *ſeqq.*
Theodemanda nobilis & Religioſa matrona, 21. m
Theodinus Abb. Leuconaënſis, 76. 77
Theodoricus Franc. Rex, Childeberti filius, à Columbano objurgatur, 17. m. 18. 19. ab eodem interitum ſuum prædiſcit, 23. a. S. Romarici patrem necat, & res ejus invadit, 417. a. moritur, 28. a. Biturigibus an exactiones impoſuerit, 99 m. n
Theodoricus Chlodovei II. filius apud S. Dionyſium recluditur, 682. 700. Regem eum futurum S. Anſbertus prædicit, 1051. m. Regnum recuperat, 685. 701. pugnat cum Dagoberto, 407. a. Leodegarium vexari permittit, 689. & *ſeqq* S. Condedo inſulam Belcinnacam &c. tradit, 865. Laudunum invadit, 979. a. Fontanellæ benefacit, 1052. m
Theodori Epiſc. Cantuarienſis miſſio, 1003. m. Vita, 1030. & *ſeqq.*
Theodoſiæ Mart. Reliquiæ in Gallia, 841. n.
Theodoſius Arelat. Epiſc. S. Ruſticulâ ſepelit, 146. m
Theodrada Abbatiſſa Melbodienſis, 798. a
Theotbertus Abbas Floriacenſis, 392
Theudecarius Abb. Trecaſſinus, 633. a
Theudegiſilus Monachus Luxovij, 15. a. 17. m
Tillonis Monachi Sollemniacenſis Vita, 994 & *ſeqq.*
Tinus amnis hodiernæ Scotiæ, 881. m. n
Toletum ſedes Romulea dicta, 517. m. Tolerani Epiſc. Helladius &c. 136. Hildefonſus, 515. & *ſeqq.* Zixilanes, 515. m. Eugenij duo, 516. n. Siſibertus, 518. m. an idem cum Agranno, 522. m. Tonantius, 583. n. Toleti Reliquiæ S. Leocadiæ revelantur, 517. m
Toloſæ Epiſc. Erembertus, 545. m. 604. & *ſeqq.*
Tombertus S. Ethildritæ maritus, 741
Tonantij duo Epiſcopi, 583 a. n
Toringorum Legatus Oddilo, 152. m
Tornaci Comes Dotto, 714. m. ibi S. Amandus furem liberat, *ibid.*
Torneia in Anglia Reliquiæ S. Hunæ, 760. a
Trajectenſes Epiſc. S. Remaclus, 488. & *ſeqq.* S. Amandus, 716. m. *V.* Leodienſes Epiſc.
Tranſlationes S. Columbani 44. & *ſeqq* S. Benedicti 337. & *ſeqq.* S. Sebaſtiani, 383. S. Bavonis, 408. & *ſeqq.* S. Hildefonſi, 523. SS. Vuandregiſili & Anſberti, 549. & *ſeqq.* S. Mumboli 634. Eloquij *ibid.* & *ſeqq.* Leodegarij, 695. & *ſeqq.* S. Audoëni, 1037. S. Anſberti, 1060
Traſmarus Epiſc. Noviomagenſis, 416. a
Trenta flumen in Anglia, 760. a
Trecenſes Epiſcopi, Aldobertus, 631. m. Bobinus, 627. a. 631. m. Abbo, 634. a. Prudentius, 635. a. Otulfus, *ibid.* & *ſeqq.* Vgimeris, 644. Manaſſes, 849. m. Trecarum Monaſteria, Cella, S. Quintini, *V. ſuis locis.*
Treverenſes Epiſc. Ruſticus, 276. m. S. Goar electus adquieſcere negat, 279. m. Vuecomadus, 298. m. Modoaldus, 511. Treverorum mos erga infantes expoſiticios, 285
Trivea, amnis, 28. m. 41. m. 125. a
Trudonis Conf. Vita, 1069 & *ſeqq.*
Trudoneta villa in Haſbania, 1079. m
Trumvuinus Epiſc. Pictorum, 880. m. n
Tuconia locus in Alamannia, 232. a. & *ſeqq.*
Tulbiacum caſtrum, 27. m
Tullenſes Epiſc. Bodo, 428. *al.* Fulculfus dictus, 424. m. Gerardus, 849. a. Manſuetus, *ibid.*
Tunnaceſtre civitas Angliæ, 760. m
Turgovne fluvius Alamanniæ, 250. m
Turholt opidum in Belgio, 402. m. n
Turonicæ urbis Epiſc. Leoparius, 22. m. Sidaicus, 433. a. Chrodobertus, 642. a. Theodebertus ſeu Bertus, 696. Radbertus, 1056. m. Rector, Stephanus, 434. m. Turonis ſepultus Johannes Abbas Romanus, 1037. m

V

V*Acceia* Vaſconia dicta, 717. a. n. 940. a
Valentiæ Epiſc. Bobo, 688. 689
Valericus Confeſſor, alter à S. Vualarico, 1090. m
Valerij Abb. Hiſpanici elogium, 1042. 1043
Vaningus, *V.* Vuaningus.
Vapincenſis Epiſc. Arigius, 123. m
Vaſcionenſium civitas, 146
Vaſconia per S. Amandum ad Fidem adducitur, 717
Vacceia dicta, *ibid.* & 940. a
Vaſſiacus fiſcus nunc opidum in Campania, 841. m. n
Vcetia Ozidinſis urbs dicta, 718. a. n. Vcetiæ Epiſc. Mummolus, 660. n. 718. a. n. Firminus, 1044. a
Venerianus ſanctus Dei ſervus S. Præjecti Reliquias veneratur, 650. 651
Venetij, Sclavi dicti, 27. m
Verca Abbatiſſa in Anglia, 905. m. Sindonem funeream S. Cuthberto ſuppeditat, 907. m
Vergendenſe territorium, 582. m. n. 584. a
Verodunenſes Epiſc. Ermenfridus & Paulus, 272. a Dado, *ibid.* m. Sanctus indigena, Vuandregiſilus,

526. Scriptores Bercharius Presb. & Hugo Abbas, 172. m. n. 173
Veromanduorum Augusta excipit Reliquias S. Præjecti, 652. Veromandensis Comes Adalbertus Monachos in Humolariense Monasterium loco Sanctimonialium inducit, 1025. 1026
Vesontionenses Episcopi, S. Claudius, 1065. Hugo, 850. m. Vesontionensia Monasteria, 15. a. 335. m
Vgimeris Episc. Trecassinus, 644
Victoris II. Papæ Privilegium Elienſi Ecclesiæ concessum, 755. a. n
Vienna Episc. Desiderius, 26. m. Vienna à Vuandalis diripitur, 485. a
Vigenna fluvius Pictonum, 696. m
Vigera fluvius in Campania, 840. m
Vilcassino orti SS. Geremarus, 475. Ansbertus, 1049. alij viri illustres, *ibid.*
Viliolisors vicus ad Sequanam, natalis S. Eremberti, 604. m
Villa in pago Cameracensi, natalis S. Landelini, 873. m.
Villare opidum in Caletis, 824. a
Vincentij seu Madalgarij Conf. elogium, 672. & *seqq.* Conversio, 793. 867. 868.
Vindicianus Episc. Atrebatensis corpus S. Leodegarii sibi vindicare nititur, 695. Ecclesiam dedicat Hamatici, 985. m
Vinlæa amnis, in Neustria, 543. m
Virdunum, *V.* Verodunum.
Virgilii Episc Arelat. Vita, 55
Virziacus, vicus Campaniæ, 65. *V.* Monast. Virziacense.
Vitriaci clavus Christi Domini, 851. a
Vitzeti corpus S. Hadalini, 1017. n
Vltani Abb. Perronensis elogium, 785. & *seqq.*
Vltrum vicus in Pontivo, cur sic dictus, 198. m
Volovicus seu Volvicus in Arvernis, S. Præjecti martyrio insignis, 644. 649. 651. m
Vosagi castrum Anagrates, 10. m. Vosagi limites, 10 n. 269. n. Isthic vixerunt Columbanus, &c. 10. m
Vrsicinus Monachus Luxovienſis sanctus, 513. n. 537. m. n.
Vternensis pagus in Burgundia, 423. n
Vuaimerus Dux Campaniæ, 688. 689. 849. m
Vualacra insula, 412. 415. a
Vualafridus Strabus Augiæ Abbas, 227. m
Vualarici Abb. Vita, 76. Ecclesia ipsi à S. Condedo ædificata, 864. a. Fons S. Vualarici, 862. a. distinctus à Valerico, 1000. m
Vualbodingheim corpus S. Vuandregisili, 551. & *seqq.*
Vualda nobilis matrona Hasbaniæ, 1082. m
Vualdeberti Abb. Luxovienſis elogium, 503. & *seqq.* Jonas ei Vitam S. Columbani dedicat, 5. m. testis miraculi apud Eboriacas, 447. m. S. Frodobertum erudit, 629. Corbeïæ Abbatem Theodefridum concedit, 780. a
Vualdebertus nobilis Francus, S. Aldegundis pater, 807. m. & S. Vualdetrudis, 867. a
Vualdefenus nobilis Francus, 14. m. Flavia uxor, *ibid.* Donatum aliósque liberos meritis S. Columbani impetrat, *ibid.* & 15. a
Vualdetrudis Abbatissæ Castrilocensis Vita, 866. & *seqq.*
Vualdolenus Monachus Luxovij, 80. m. 83. a
Vualderada pessima femina, Lotharij pellex, 114. & *seqq.*
Vualdetrudis Abbatissæ Castrilocensis Vita, 866. S. Gisleno familiaris, 793. & *seqq.*
Vualdradæ Abbatissæ Mettensis elogium, 63
Vualtchisus S. Vuandregisili pater, 535. a. n
Vuandalenus Dux, 318. m
Vuandali Viennam diripiunt, 485. a
Vuandregisili Abb. Vita, 524. & *seqq.*
Vuaningus vir illustris Fiscamnum condit, 541. 542 Leodegarium servat, 691. 703. Vita ejus, 971. & *seqq.*
Vuarascos convertit Eustasius, 117. m. cum Agilo, 319. m.
Vuaratto vir illustris, 543. m. Major-domus, 864. m. 1058.
Vuarinus Alamanniæ Comes, 257. m
Vuarnacharius Columbani institutis contrarius, 119. m.
Vuarnecharius Childerici Regis Palatinus, 642. m
Vuasalia Regia villa prope Trevirim, 290. 292. m. Vuasaliacensis terminus, 276. 282. a
Vueomadus Episc. Treverensis, 298. m
Vuerburga, 745. 756. Abbatissa Elienſis, 768. alibi, 761.
Vuerdolfus Abbas Lutrensis, 112. m
Vuido Episc. Suessionicus, 1025. m
Vuighardus Anglus Romæ obit, 1003. m. 1031 m
Vuilfetrudis Abbatissa Nivialensis, 466. a
Vuilfridus Regi Egfrido carus, 746. & *seqq.* postea infestus, 750. m. Romam petit, 757. m. turbatur à Theodoro Episc. Cantuar. 1030. 1031. 1035. m
Vuillebertus Episcopus Gallicanus, 1057. a
Vuillelmus Abbas Divionensis, 855. a. 975. m
Vuillibaldus Præfectus Transjuranus, 436. m
Vuilfinda Monacha Eboriac. 445. m
Vuinfridus Episc. Merciorum depositus, 1035 a
Vuinnocus Presbyter Boboleni Abb. pater, 15. & 16. m.
Vuintringeham portus in Anglia, 752. a
Vuintrio Dux Campaniæ, 1087. m. n
Vuir fluvius hodiernæ Scotiæ, 883. n. 884. a. *V.* Monasterium Vuiremuth.
Vuirtzburg in Franconia, 992. a. & *seqq.* Episcopi, Kilianus, 991. & *seqq.* Burcardus, 993. n. Mehinbodus, 289. a
Vulferus Rex Merciorum, 744. m. obit, 756
Vulfoaldus Majordomus, 644. a. 683. m. 840. 841. 980. m.
Vulfolendus Episc. Bituric. 175. a
Vulframnus Episc. Senonum, 545. m
Vulfredus Episc. damnatus, 830. a
Vultiacus Vicus in Briegio, 25. a. 321. a. n
Vuocara fluvius Germaniæ, 276. a. *al.* rivulus, 282. a.
Vuodan, seu Mercurius, Alamannorum Deus, 16. a. 1090. m.

Z

Zacharias Papa corpus S. Benedicti litteris repetit, 373. m. S. Kiliani corpus è tumulo levari præcipit, 993. m
Zamora corpus S. Hildefonsi adservatur, 523
Zixilanus Episc. Toletanus, 515. m

INDEX MORALIS

SECVNDI SÆCVLI BENEDICTINI.

Littera (a) *initium paginæ uſque ad medium,* (m) *medium uſque ad finem;* (n) *Notulas marginis inferioris deſignat.*

ABbas Caſtrenſis S. Sulpicius, 170. a. Abbatis inveſtitura per baculũ & Regulam, 961. a. Abbates ab Epiſcopis ordinari, 1011. m. n. *Lege Præfat. num.* 51. Abbates Concilio Rotomagenſi ſubſcribunt, 1057. a
Abbatiſſa S. Salaberga menſæ miniſtrat, 430. a
Abdicatio Epiſcopatûs in S. Arnulfo, 154. in S. Sulpicio, 175. in S. Cuthberto, 906. m
Abſtinentia, *V.* Jejunium.
Aquæ à S. Sulpicio purgantur chriſmate & aquâ benedictis, 172. m

B

BAlneis numquam uti voluit S. Virgilius, 58. m. S. Ethildrita ter tantùm in anno, 755. bis S. Amatus, 131. m
Baptiſmus in vigilia Paſchæ, 684. a
Benedictionis Sanctorum vis & efficacia, 25. a. Benedictio Monachorum per Abbatem poſt Completorium, 966. m. n.

C

CAptivos miraculo ſolvit Columbanus, 19. m
Carnis tentatio importuna, 8. vincenda fugiendo, *ibid.*
Caſtitatis eximium exemplum, 620. a
Catena S. Petri in Monaſterio Dervenſi, 851. a
Celleraria S. Siſetrudis, 439. 450. Cellerarius S. Sidonius, 824. m. item S. Paternus, 1101. a
Chriſti clavus Vitriaci in Gallia, 851. a
Cibus ante horam tertiam ſumere, olim religio erat, 283. m.
Cilicio ſemper uſus eſt S. Virgilius, 58. m
Clavus Chriſti Vitriaci, 851. a
Clerici magno honore habiti, 544. m. n. 887. a Clerici ſacri ob carnis lapſum in ordinem redacti, 138. m. Clericus intemperans graviter punitur, 186. a. Clericus indignè ad ſacros Ordines accedens cælitus punitur, 502
Cœnobitarum prærogativa, 897. a. *V.* Monachi.
Collo torquetur S. Ethildrita ob monilia adhibita, 758.
Communio ſub utraque ſpecie, 443. m. 932. m. Communio negata Monachæ ob violatam Regulam, 442. a
Confeſſio ſacramentalis, 893. m. n. Confeſſionis uſus, in S. Bavone, 397. m. Exanimi vocem ad confeſſionem obtinet S. Filibertus, 821. Confeſſionem prætermittentes corripiuntur, 420. a. *V.* Culpa.
Confirmationis ſacramentum, 619. m. 903. m. n
Convivia ante horam tertiam prohibita, 885. m. n
Correptio leniter facienda, 87. m. & patienter, 892. m.
Crucis adoratio, 126. m
Culpæ revelatio Abbatiſſæ facienda à Sanctimonialibus, 445. m. 446. 448. m. *V.* Confeſſio.

D

DÆmones cur hominum corpora invadant, 144. a. Dæmonium meridianum quid, 145. n
Defuncti, *V.* Mortui.
Diaconi Cardinales Serenicus & Serenedus, 573. m
Dignitatum abdicatio, *V.* Abdicatio.
Dominica die Matutinæ preces audiendæ, 694. m. *V. Præfat. num.* 38. Carpento vehi non licet, 900. m. & *Præfat. num.* 39. Dominicæ diei violatores puniti, 98. m. 157. a. 177. m. 411. m. 495. a. Dominicæ obſervatio à ſabbato incipit, 964. a. n. *V. Præfat. num.* 39. Dominicis diebus ſeceſſum petebat Columbanus, 12. m. 42. a. *V.* Feſta.
Duellum ad finiendam litem, 381. a

E

ECcleſiæ bonorum invaſores puniti, 49. 50. *V.* Templa.
Eleëmoſyna de rebus neceſſariis facta, 23. m. remunerata, *ibid.* facta de rebus Eccleſiæ, 153. m. Eleëmoſynæ exempla miraculis probata, 687. m. 323. 324. 871. m.
Epiſcopi *corona* nomine compellati, 879. m. n. Epiſcopi Papæ dicti, 37. n. 642. a. Epiſcoporum Coadjutores, 175. a. 648. m. Epiſcopi reordinatio, 1033. a. Epiſcopi ex Monachis vivunt ut Monachi, S. Fructuoſus, 589. a. S. Cuthbertus, 900. a. Epiſcoporum piè viventis egregia exempla in S. Sulpicio, 178. m. Epiſcoporum depoſitio, 692. & *Præfat. num.* 49. Epiſcopis obediendum, 284. m
Eremitarum egregia exempla, in S. Amato, 130. a. 133. a. in S. Arnulfo, 155. m
Evangelia ſolebat portare Columbanus, 45. m. Evangelii lectione capitis dolor ſanatur, 634. m
Euchariſtia ex pane nitido facta, 93. a. m. Conſecratio, 98. m. Euchariſtiâ exanimis ſuſcitatur, 177. m.
Excommunicationem Theodorico intentat Columbanus, 18. m
Exempla Sanctorum quàm utilia, 69. a
Exorciſmorum uſus ac vis, 385. m

F & G

FEminarum adſpectum vitat S. Paternus, 1102. a Feria ſexta Paraſceve dicta, 815. n. Jejunium feriæ ſextæ, 883. m. n
Feſtis diebus ſeceſſum petebat Columbanus, 12. m. 42. a.
Feſtorum violatores puniti, 186. m. 225. m. 412. m. 547. m. 670. m. 857. a. *V.* Dominica.
Genuflexio à Scottis centies per diem fieri ſolita, 42. m.

H & I

HOmicidarum pœna, 264. m. 414. a. *V. Præfat. num.* 41.
Hoſpitalitas in Eccleſia Anglicana, 1034. m. S. Agili hoſpitalitas miraculo probata, 323. 324
Humilitatis egregia exempla in S. Romarico, 417. m. in S. Balthilde, 781
Jejunium S. Vualarici, 87. m. S. Amati, 130. a.

*****

S. Paterni, 1102. a. Jejunium feriæ quartæ & sextæ in Anglia, 883. m. n. *V.* Quadragesima.
Imagines in Ecclesiis, 1005. 1007. a
Impœnitentes privati sepulturâ Ecclesiasticâ, 446. m
Incestuosi domum fugit S. Arnulfus, 158. m.
Infideles ad Fidem coguntur, 714. m. n
Inobedientia punita, 561. 905. 906
Investitura per ramum cum cespite & cultello, 474. n. per chirothecas, 1016. a. n. per expulsionem, 851. a.

L

Labor Monachorum piorum, 130. m. 131. a. librorum scriptio, 454. a. 531. m. aratrum &c. 1006. a. Vineæ cultura, 1051
Laus perennis, 133. a. 428. m
Legati pij violator punitur, 497. m
Lectum suum S. Rusticula semel tantùm in anno mover, 146. a
Lenitas in increpando laudatur in S. Vualarico, 87. m. in S. Cuthberto, 892. m
M
Magnanimitas Columbani in Regibus corripiendis, 18. 24. m
Mariæ festum Conceptionis institutum ab S. Hildefonso, 522. a. 1093. m. item Annuntiationis, *ibid.* 522. a. Mariæ devoti, S. Amatus, 135. a. S. Richarius, 195. n. 199. a n. S. Gallus, 236. S. Agilus, 325. m. S. Hildefonsus, 516. *& seqq.* 522. S. Fiacrius, 599. a. S. Bercharius, 838. m. S. Condedus, 864. a. Irreligiosi puniti, 225. m. Maria Monachum irreligiosum convertit, 855. 856
Mare sine vehiculo perambulat S. Fructuosus, 584. m
S. Martini Ecclesia à B. Columbano adita, 22. m
Matris percussor cælitùs punitur, 621. m
Mensæ ministrat S. Salaberga Abbatissa, 430. a
Miracula sæculo IX. frequentia, 281. a. Miracula de annonæ multiplicatione, 16. m. Miracula in Ecclesiis Monachorum frequentata, nocent, 1086. m.
Missa ante cibi & potûs usum audienda, 83. m. Pagani aliquando interesse permissi, 93. Missa quotidie celebratur à S. Goare, 276. 282. m. *V. Præfat. num.* 36. Missæ sacrificium captivum solvit, 760. Missarũ Tricenarium pro mortuis, 1047. m
Monachi & Monachæ. Cœnobitarum prærogativa, 897. a. Monachi Clerici dicti, 27. m. 78. m. *V. Præfat. num.* 27. Monachorum egregiæ virtutes, 10. a. ædificia sumptuosa aversari debent, 869. 870. m. Vestes nec munditiis nec sordibus notabiles gerant, 893. m. Vestium Monasticarum tria genera, 1101. n. Monachi honorati, 544. m. n. Monita utilia Monachis, 781. 782. *V.* Monita *V.* Labor, Prædicatio. Monachi conversio per Mariam, 855. 856
Monachæ olim tonsæ, 464. m. n. Monacharum Rector S. Agibodus Monachus, 164. m. Monachæ impœnitentes sepulturâ Ecclesiasticâ privantur, 446. m. Regulæ contemptrix communione privata, 442. a. alia morbo affecta, 448. m. Monacharum perversarum vindicta, 753
Monasterialium Ecclesiarum aditus feminis interdictus, 62. m. 214. n. 215. m. 501. m. 599. 600. 878. m. etiam viris Sæcularibus interdictus, 19. a. 80. m. 1102. a. *Præfat. num.* 53. Hinc miracula in Ecclesiis Monachorum frequentari non expedit, 1086. m. Privilegia Monasteriis concessa, 50. 51. 161. 334. m. Lutrense Monasterium Papæ subjicitur, 107. m. Bonorum Monasterij invasores puniti, 49. 50. 258. 259. 260. 376. 857. m. arguuntur, 52. 53
Monilia gestâsse pœnitet S. Ethildritam, 758
Monita salubria, 306. pro Monachis, 531. 687
Mors in cinere & cilicio, 134. m. 876. m. piè morientium egregia exempla, Eustasij, 122. Attalæ 126. Amati, 134. 135. Rusticulæ, 146. a Arnulfi, 155. m. S. Romarici, 419. m. Ethildritæ, 758. Biscopi, 1007. *& seqq.* Theodori, 1031. a. 1038. Morientium juvandi modus, 135. a. 1008. 1009
Mortui, Missæ pro mortuis Tricenarium officium pro eis, 441. m
N & O
Novitij hortum excolere soliti, 79. m
Obedientiæ meritum & exempla, 13. m. 14. 16. a. in S. Vualarico, 79. m. in Monachis Gemeticensibus, 820. 821. m. Obedientia discenda ab apibus, 133. m
Oblatio puerorum, *V.* Pueri. Oblatio injusta rejicitur, 412. a
P
Paschæ diebus lites prohibitæ, 643 m. Abstinentia die Paschæ cælitùs commendata, 647. Communio in vigilia Paschæ, 683. m. 701. a
Patientiæ exempla, in S. Herchantrude, 441. m. in S. Leodegario & Gaitino, 687. *& seqq.* in S. Cuthberto, 892. m
Pauli Apostoli tonsura, qualis, 1032. a. n
Peccatorum remedia, 305. 306
Perjurus punitur, 496. m. 564
Petri Apostoli catena in Monasterio Detvensi, 851. a
Pœnitentia publica homicidarum, 264. m. 414. a. Pœnitentes in cilicio, 638. m. Pœnitentia publica in S. Amato, 134. Pœnitentiam breviorem, licet duriorem, longiori at mitiori præfert S. Eustasius, 122. m. Pœnitentia pro alio facta, 286. a. Pœnitentia in extremis facta, periculosa, 307
Presbyteri, *V.* Sacerdotes.
Prædicationi inepti recens conversi, 118. m. eam exercent sancti Monachi, Columbanus, Eustasius, Agilus, Gallus, Amatus, Richarius, Vuandregisilus, *Vide eorum Acta.*
Præpositi Monachi pij, Chrodobaldus, 718. m. S. Boisilus, 884
Proprietatis reus corripitur, 133. m
Prudentiæ Divinæ confidendum, 889
Psalmodia jugis in Monasterio Habendensi, 133. a. in Laudunensi S. Johannis, 428. m
Psalterium discere, 77. m
Pueri Deo oblati in Monasteriis, 415. a. S. Agilus, 317. m.
Q & R
Quadragesimæ observantia, 131. m. qualis in diebus festis & feria sexta, 471. m. n. Jejunium post vesperas protractum, 502. m. Quadragesimâ secessum petit Columbanus, 42. a. Abstinentia S. Frodoberti in Quadragesima, 630. m
Recusi, S. Bavo, 399. *& seqq.* S. Cuthbertus, 893. *& seqq.* S. Ædilvualdus, 914
Regulæ contemptores communione privati, 442. a. Divinitus puniti, 448. m. Regula S. Benedicti in Concilio Rotomagensi laudata, 1056
Reliquiæ Sanctorum altari non imponendæ, 858. a. Reliquiarum delatio pro bonis Ecclesiæ recuperandis, Columbani, 46. *& seqq.* S. Amandi, 734. S. Gisleni, 799. m. S. Humberti, 804. Reliquias S. Columbani in palatium admitti negat Hugo Rex Italiæ præ reverentia, 47 m. ejusdem pietas erga ejusdem Reliquias, 48. a. Lumen ad SS. Reliquias, 414. m. n. 470. a. 983. m. Irreligiosi erga SS. Reliquias puniti, 770. *& seqq.*
S
Sacerdotes an quotidie Missam olim celebrabant, *Lege Præfat. num.* 36. Sacerdotum communio in Missa, *ibid. &c.* 1010. m
Sanctimoniales Scripturam sacram discunt, 141. m. Sanctimonialium piè viventium exempla, 141. m. 440. *& seqq. V.* Monachæ.
Sancti imperant animantibus, 15. m. 17. m. 585. 888. a. 895. m. Sanctorum irrisores puniti, 86. a. 88. m. 89. Sanctos quomodo antiqui piâ violentiâ cogebant, 583. m. n.
Scotti centies per diem genua flectunt, 42. m

Scripturam ſacram diſcit S. Ruſticula, 141. m
Sepultura extra Eccleſiam, 135. a. Sepultura Eccleſiaſtica negata Monachabus impœnitentibus, 446. m. Sepeliendi Epiſcopi modus, 910. n. 912. n. 1059. m.
Simoniæ vitium in Gallia, 170. m. tollitur à S. Balthilde, 779
Superiorum longanimitas in corripiendis ſubditis commendatur, 892. m. caritas in eoſdem, 893. a

T & V

TEmpla more Romano à Gallis conſtructa in Anglia, 1004. Imagines in Templis, 1005. 1007. a.
Tonſura Orientalium qualis, 1032. n. Scottorum, 120. n. Tonſuram ſabbato ſibi fieri paſſus S. Aicadrus, arguitur à dæmone, 964. a
Tricenarium pro mortuis, 441. m
Veſtes Monachorum nec munditiis, nec ſordibus notabiles ſint 893. m
Viaticum poſt Vnctionem ſumit S. Hunegundis, 1024. m. Viaticum ſumunt SS. Deicolus, 108. m. Euſtaſius, 122. m. Agibodus, & Theodaldus, 165. Romaricus, 419. m. Vuandregiſilus, 545. m. Audomarus, 563. m. Cuthbertus, 909. m. Monachi quadringenti, 968. m
Virginitatis ſtudium quanti fecerit Burgundofara, 117. Virginitas in conjugio ſervata, 742. 751
Viſiones ſeu raptus S. Furſei, 301. *& ſeqq.* S. Baronti, 828. *& ſeqq.*
Vnctio extrema ante Viaticum, 1024. m.

INDEX ONOMASTICVS

VOCVM BARBARARVM ET EXOTICARVM

SECVNDI SÆCVLI BENEDICTINI.

A

ADeviforda Anglicè, ad duplex vadum, 899. n.
Æmioli, vaſa ænea, 814. m
Agalma, ſcrinium ſacrum, 797. n
Alodium, prædium liberum, 105. n
Amphibalum, lacerna utrimque villoſa, 105. m. n
Analogium, pulpitum ad legendum, 732. m. Rectè deſcribitur à Gregorio Turon. Epiſc. lib. 1. de Gl. Mart. cap. 94.
Anſe Germanicè Semideus, 1049 m
Apis, examen apum, 297. m
Aporiatus, anguſtiatus, 844. n
Aſſeſſores, ſeu Aſſiſores, exactores, 174. n
Auca, anſer, 906. a. n
Axungia, ſagimen, 896. n

B

BAc Teutonicè rivus, 875. n
Bagaudæ, factioſi, rebelles, 591. m. 592. a
Baſterna, vehiculum, 144. n
Beneficium, feodus, 413. a
Berrus Germanicè clarus, ſplendidus, 816. m. 1048. m
Birrus quid, 105. n
Bollucæ, ſive Bullucæ, pomorum genus, 12. m
Bracile, cingulum, 515. a
Bulla regia, 947. a

C

CAldaria, olla ænea, 906. m
Caliculi, parvi calices, pocilla, 835. n. Auguſtin. lib. 9. Conf. c. 8.
Cambij, menſæ, 672. a
Cambotta, baculus Abbatialis, 245. m
Cantare pro recitare, 1010. m. *Lege Præfat. num. 36.*
Caſula, veſtis Monaſtica, 824. m
Catigera pro Cathegeta, 1104. m
Cerealis amphora, id eſt cerviſiæ continendæ apta, 835. n.
Chrifmalia veſtimenta, veſtes baptizatorum, 808. n
Clavarum cur Lauduno tributum, 427. n. 1091. a
Clericatus pro Monaſticis inſignibus, 686. m
Clericus pro Monacho, 27. m. *V. Præfat. num. 27.*
Completæ, ultimæ orationes Miſſæ, 854. a
Confeſſio, locus in quo Sanctorum Reliquiæ collocantur, 1088. m
Corona pro dignitate, 879. n
Cortis Cœnobij, 853. m. 857. a
Crocæ, fulcra ſubalaria, 157. m
Cupa, ſeu Cuppa vas vinarium, 26. a. 97. n. Cuppa S. Columbani, 53. m. 576. m. n
Curſus, officia Divina, 87. a. n. 283. n. 429. a. 587. a

D

DÆmonij meridiani infeſtatio quid, 145. n
Dilapidata via, lapidibus ſtrata, 1061. m
Dervus, ſeu Dervum (unde Derventſe Monaſterium, de quo in Vita S. Berchatij, pag. 831. *& ſeqq.*) patriâ linguâ *un Der*, id eſt ſilvam ſignificat.
Diacon pro Diaconus, 1099. m
Diffirmare, reſerare, 669. a
Diœceſis, pagus, 574. n. parochia particularis, 646. n. 185. m.
Duciculus, ducidulus, 418. n. 835. m. Serraculum dolij. Galli noſtrates *un duiſet* appellant.
Duodecima pro Completorio, 146. n

E & F

EDeldredeſtonne Anglicè Etheldredæ repauſatio, 752. m.
Elephorium cilicinum, 943. m
Ermenſvurthe, opus miſi, 762. a
Exedra, ædicula Baſilicæ adjuncta, 172. m
Familia, portio terræ unius coloni culturæ ſufficiens, 1005. n.
Famularia, mantica vel quid ſimile, 669. m
Feria, nundinæ, gallicè *la foire*, 668. a
Ficones, calcei Epiſcoporum, 912. n
Filiberti etymon, 816. m
Formella cerea, circulus cereus, 253. n
Formula, ſedile, 95. n

G & H

GArdingus, homo palatinus, 587. n
Gemetici etymon, 821. n
Geroprepes, ſenex venerandus, 496. n
Gragulæ, graculi, 585. a
Grenechiche Anglicè viridis Eccleſia, 878. m
Haſpalici, an Raſpalici, fæces & ſordes hominum, 986. m. n.
Herbilia, Pis, leguminis genus, 43. a
Hevet Anglicè caput, 750. a
Hominium, clientelæ profeſſio, 672. m

INDEX ONOMAST. SECUNDI SÆCULI BENED.

I & L

IVſſellum pro juſculo 84. num. 24.
Lectus, altare, 983. a. tumulus, 1084. m
Lido, Oceani æſtus, 863. m
Limina ſacratiſſima ſanctæ aulæ, 1084. m
Lo Teutonicè obumbratio, 875. m
Lugdunum, corvi mons, 427. n. Dunum ſiquidem montem ſignificat. *Vocatur*, inquit Beda, lib. 3. Hiſt. cap. 14. *Vuilfares-Dun, id eſt mons Vuilfari.*

M

MAlina, Oceani æſtus, 853. m
Mallum pro conventu, 81. num. 15.
Manicia, Chirothecæ, 821. n
Manuaria, ferramentum, 54. a
Mapparius, 95. m. 96. a
Matarus, herbæ genus, 773. m
Matchiſi quando primùm dicti, 387. n
Matta, ſtratum durum, 216. n
Mauzacum Gallicè inter aquas conditum, 652. a
Memoria pro Oratorio, ſeu altari cuivis Sancto dicato, 89. a. n. 290. 293. m. 297. *& alibi paſſim.*
Miſſa publica, 854. a. Miſſa minor, 44. a. Miſſa matutinalis, 851. a. Miſſa revocata, 1104. a
Miſſiaticum, legatio, 959. m
Mul-medicus, equi-medicus, 1099. a. n

N & O

NOla, campana, 210. n. *Crepitaculum* interpretantur Inſtit. Ciſterc. cap. 64.
Obripilatio, an horripilatio, 612. n
Olalogia, 769. m. idem ſonat ac olographia, ſeu holographia. Juriſconſulti ὁλόγραφα vocant teſtamentum, quod teſtatoris manu perſcriptum eſt, non autem ſola ſubſcriptione firmatum. Et libri ὁλόγραφοι idem ſunt quod ἰδιόγραφοι, uti Henricus Valeſius in Euſebij lib. 6. cap. 24. eruditè obſervavit.
Oraculum, Oratorium, 440. m

P

PAllium pro velo, 208. n
Panuncula, peſtis genus, *al.* lacerta, 223. a
Parabolare, loqui, 828. a
Paradiſus, Gallicè *le Parvis*, 217. n
Paraſceve, quælibet feria ſexta, 815. n. Lege Socratem lib. 5. cap. 22.
Parochia pro diœceſi, 849. m
Paſnagium, 975. m
Paximatum, panis recoctus, 568. a
Pedes, pedum paſtorale, 606. a
Pharus, inſtrumentum penſile ad lampades ſuſtinendas, 265. n
Placitum, locus ubi causæ aguntur, 96. n. 978. m
Polyandrum, quid, 168. n. 651. a
Polypus pro tubere, 600. a
Præripium, locus ripæ proximus, 291. m
Pſallentium, pſalmodia, 333. num. 20
Ptochium, hoſpitium pauperum, 380. a

R & S

REfirmare, recludere, 669. a
Regia, janua Eccleſiæ, 48. a. Lege Menardum in Conc. Regul. cap. 67. §. 2.
Reſultare pro reſiſtere, 1088. a
Reſurrectionis Dominicæ dies, pro Dominica die, 419. n.
Rheuma, Oceani æſtus, 863. m. 878. a. 893. m
Sandalia Sanctimonialis, 948. a
Scamella, reptantis fulcra, 390. m
Scamma, arena luctantium, 835. a
Scholares, bellatores, 807. m
Scholaſtici, Oratores, 938. m
Scotta, malleus, 98. num. 12
Secretarius, ædituus, 668. a
Senior, dominus, 223. a. 857. m. *& alibi.*
Siſtarchia, ſiſtarcia, mantica ſeu pera, 277. m
Squirs Gallicè Regula, 677. m
Stranda, vas vinarium, 418. n
Striſa, ſtiva aratri, 128. a
Stola & Orarium diſtincta, 455. n
Stonne Anglicè repauſatio, 752. m
Suburbanum pro tota ditione urbis, 122. n. 423. n 426. n.
Suburbium eodem ſenſu, 1091. m
Summarius, equus ſarcinarius, 804. n
Superi, homines ſuperſtites & in vivis adhuc agentes, 6. n. 116. a. 117. n. 443. a. 974. a. n.
Sycamina, ſycomori, 865. n

T & V

TErritorium pro diœceſi, 1090. m
Tibracæ, tibialia, 894. m. n
Tonna, vas vinarium, 1001. a
Trullum, vas vinarium, 34. m
Tulta *pro* ſublata, 889. m
Tunna, dolium, 822. a
Typrum, ampulla vitrea, 16. n
Typus quartanus, febris quartana, 990. a
Viſcus, cancri genus, 600. m
Volta, crypta, 1086 m.
Vuanti, chirothecæ, 15. m. 965. a. 821. n. inveſtitura per vuantos, 1016. a. n
Vuotant, ſeu Vuotand, Deus Germanorum Mars, 26. n. vel Mercurius *in Corrigendis*, pag. 1094. a.

NOTÆ PHILOLOGICÆ.

Annorum multorum circuli, pro novem aut decem annis, apud Jonam in Vita S. Columbani, pag. 9. a. *longinqua ſpatia temporum*, pro annis XL. aut L. in Vita S. Virgilij, pag. 56. quo modo apud Audoënum, lib. 2. Vitæ S. Eligij, cap. 2. Eligius qui vix uno anno in humilibus Clericatûs officiis ante ſuam ordinationem exerceri voluit; *ſub normula Clericatûs aliqua temporis curricula exegiſſe* dicitur. Et *multa annorum curricula* apud Bedam hîc in Vita S. Cuthberti, pag. 893. n. pro annis duodecim uſurpatur. Hinc patet iſtiuſmodi loquendi modis Auctores mediæ ætatis non ſemper exprimere (ut quidam opinantur) longam annorum ſeriem. Id confirmat Grimlaïcus Preſbyter in Regula Solit. cap. 1. ubi S. Arnulfus fertur deceſſiſſe *poſt multa annorum curricula* in eremo exacta, qui vix novem aut decem annis in eremo eſt demoratus.

Cantare pro *recitare* voce ſubmiſſa. Lege Præfat. num. 36. Obſervat. 1.

Equites pro *equi* 958. m. 1023. m. *Fore* pro eſſe paſſim in his Actis.

Infrà pro *in*, ſeu *intra*, uſurpare ſolent Auctores mediæ Latinitatis, immo Auguſtinus ipſe lib. 7. Conf. cap. 5. *Si mare eſſet ubique... & haberet infrà ſe ſpongiam* &c.

Iter, Iteris. Itiner, itineris, pag. 928. n. *& iterantibus* pro itinerantibus, pag. 1020. m. 1101. n.

Latère cum tertio caſu perſonæ purioris orationis homines præferunt. Sic, *reliquis omnibus latuerunt*, uſurpat Vuandalbertus Prumienſis Diaconus, vir certè politi ſermonis haud ignarus, pag. 288. m. Lege Scioppium.

Martyres dicti Sancti quacumque ex cauſa necati, 831. m. S. Cuthbertus Martyr appellatur, 877. m. & à Beda, 935. m.

Nanitus pro *Natus* præferunt antiquiores & melioris notæ codices, tum alibi, tum apud Bedam hîc, pag. 926. & 927. m.

Prater ſæpe cum ſexto caſu. Jonas in Vita S. Columbani, pag. 35. num. 23. *prater pellis parvo velentaculo.* Et Beda, *prater imminentibus majoribus ſollemnitatibus*, pag. 755. num. 36. Item Salluſtius in libro de conjurat. Catilinæ, *prater rerum capitalium condemnatis.* Lege Priſcianum.

Tondi pro *tonderi* apud Jonam hîc, pag. 120. m. Beda lib. 4. Hiſt. cap. *iquo in coronam tondi poſſit*, uti libri Mſſ. præferunt.

Vidua pro vidua Sanctimoniali, 872. n.

FINIS.

